R.P.F. BARTHOLOMAEI MASTRIJ DE MELDULA ORDINIS MINORUM...

Bartolomeo Mastri, Josè Maria Fonseca de Evora




BIBLIOTECA NAZIONALE VITT. EMANUELE ROMA
8
14 — M
14

R. P. F. BARTHOLOMÆI
MASTRII
DE MELDVLA

Ordinis Minorum Conuentualium S. Francisci Theologi.

DISPVTATIONES THEOLOGICÆ.

In Quartum Librum SENTENTIARVM

Quibus ab aduersantibus, tùm Veterum, tùm Recentiorum iaculis,

SCOTI THEOLOGIA VINDICATVR

EDITIO NOVISSIMA, A MENDIS EXPVRGATA,
Et Indicibus necessarijs locupletata.



VENETIIS, Apud Paulum Balleonium. M.DC.LXXXIV.

SVPERIORVM PERMISSV, ET PRIVILEGIO.



LECTORI BENEVOLO.





ABES tandem, studiosè Lector, iuxtà promissa in Tertio Sent. Libro Quartum nunc Librum arduam Sacramentorum materiam complectentem, licet non ea celeritate, quam ibi pollicebar; nam eius in lucem editionem anno proximè sequenti post Tertij impressionem spoponderam, quod præstare non potui ob laboriosum offitium illo eodem anno mihi collatum Commissariatus generalis totius Italiæ, ac Insularum adiacentium, commorante interim Reuerendiss. P. Generali nostro Mag. Iacobo Rauennati in remotis Germaniæ partibus ad visitandas nostræ Religionis Prouincias; quod quidem regimen pluribus de causis inuitus assumpsi, sed præsertim quia per plures menses me varijs negotijs occupatum tenuit, & à studijs penitus distractum; ideoque hoc solùm currenti anno 1664. & non anteà illum perficere, typisque tradere mihi permissum est.

In hoc itaque Quarto Libro omnium Sacramentorum materiam habes tali methodo lucubratam, atque discussam, vt nihil superflui admisisse, nil necessarij omisisse putamus; Et quoniam non ea tantum continet, quæ acuta Speculatiuorum in Scholis ingenia fatigant, verum & illa, quæ ad dirigendas practicè conscientias spectant; ideò plures longè Doctores hic citatos inueniens, quàm in præcedentibus libris; non tamen eo modo, quo à pluribus de his materijs moralibus tractantibus fieri solet, qui non tantum Auctores adducunt, sed singillatim etiam Disputationem, sectionem, quæstionem, vel articulum, & numerum quoque marginalem, adeout sæpè sæpius integram inuenias paginam solis Auctorum citationibus plenam, & refertam; quod planè ridiculum à pluribus, & peritioribus censetur; hoc enim modo scribendo tertia ferè pars voluminis Authorum Cathalogo, & citatione constabit; Vndè consultius cum alijs visum est, Authores quidem de materia, quæ disputatur, tractantes adducere, Lectori autem laborem, ac diligentiam remittere loca quærendi, & inueniendi, in quibus Authores citati de ea re disserunt, ne friuolo pondere schedas oneremus, & tediositatis arguamur.

Vt verò desideria tua labore meo sint tandem adæquata, remanet vltimus, & supremus Moralis Theologiæ Tomus complendus, ac in lucem edendus, qui modò etiam completus esset, nisi ab initio sexennij decurrentis integrum quoq; ferè annum Romæ consumpsissem in eiusdem Reuerendiss. P. Generalis comitatum, & obsequium, quando ibidem Generalatus offitium assumpsit, & oblatione secundi libri Sent. totius Religionis nomine S. D. N. ALEXANDRO Septimo post sacra pedum oscula electionis ipsius gratias egi, quæ omnia obsequia præfato P. Generali libentissimè exhibui, vt necessitudini, & familiaritati ab ipso

Religionis ingressu inuicem contractæ pro viribus satisfacerem. Eius tamen compositioni iam incumbo, exordio à præuijs disputationibus de Conscientia, & legibus auspicato, & sine intermissione prosequar, si vita, & sanitas superefint, nec aliud obuenerit regiminis impedimentum, vt planè pluribus de causis non obuenturum opinor; sed præsertim ob rationem politicam à doctissimo P. Fabro nostro adductam 4. dist. 45. de Restit. cap. 5. n. 138. & experientia ab ipso comprobatam, vbi ait, quod Religiones quædam *litteratis, velut equis, & mullis vtuntur, idest, solum ad labores, ad dignitates autem, & regimina dicunt esse ineptos*, quasi litteræ, & virtutes in Religionibus sint præcipua ad dignitates consequendas impedimenta, quam peruersam adeò politiam Ecclesiastes ipse detestatus est cap. 4. dicens. *Contemplatus sum omnes labores hominum, & industrias animaduerti patere inuidiæ proximi, & in hoc ergo vanitas, & cura superflua est*; & quidem rationabiliter, siquidem vir studijs assuetus, & sapientiæ addictus huiusmodi gradus, & dignitates curare non debet, quin etiam penitus aspernari, vtpotè quæ in comparatione illius pro nihilo reputantur iuxtà dictum Sap. 7. *Præposui illam regnis, & sedibus, & diuitias nihil esse dixi in comparatione illius*. Quod Sapientis documentum cordi fixum defero, vndè veluti Diogenes alter, omni ambitione semota, in patrijs laribus multis ab hinc annis delitescens voluto ego quoque dolium meum assiduis incumbens studijs, vt opera testantur hactenus in lucem edita, quæ meritum apud Deum, & famam apud homines magis augent, quàm gradus, & dignitates adeò ab alijs ambitæ, quorum memoria cum sonitu perit.

Interim si lucubrationibus meis, qualescunque fuerint, tuo desiderio aliqua ex parte satisfactum est, Deum habes omnium bonorum largitorem, cui grates mecum rependere debeas, quod me tui studiosum eò seruauit incolumen, vt Cursum vniuersum Logicæ, Philosophiæ, Metaphisicæ, ac Theologiæ Scholasticæ iam indè ab anno currentis sæculi trigesimo inchoatum viderem ipse consummatum, ac prælo commissum; & quod magis refert, in ætate licet studiorum labore fatigata, ità tamen diuino auxilio adhuc consistente, vt Cursum quoque Moralis Theologiæ iam inchoatum, etiam completum videre, ac typis impressum sperare valeam, tuis præsertim precibus, & orationibus apud D.O.M. fultus, quem tibi, & mihi in præsenti sæculo, & futuro propitium deprecor. Vale.



IN



INDEX
DISPVTATIONVM, QVÆSTIONVM, ET ARTICVLORVM.

Quæ in hoc Quarto Sent. Libro continentur.

DISPVTATIO SECVNDA.

De Baptismo, & Confirmatione.

DISPVTATIO TERTIA.

De Venerabili Eucharistiæ Sacramento.

Art. 2.

DISPVTATIO QVARTA.

De Sacramento Ordinis.

DIS-

Quæ-


Quæ-

Index Disputationum Quæstionum, & Articulorum.

Quæ-

FINIS.

IN



INDEX

ALTER DVBIORVM,

Quæ incidenter in ſingulis Diſputationibus reſoluuntur.

Numerus marginalem numerum ſignat Diſputationum.

DVBIA EX DISPVTATIONE PRIMA.

De Sacramentis in genere.

DVBIVM PRIMVM.

DVBIA EX DISPVTATIONE SECVNDA.

De Baptiſmo, & Confirmatione.

DVBIVM PRIMVM.

15 An

D V B I A

EX DISPVTATIONE TERTIA.

De venerabili Eucharistiæ Sacramento.

DVBIVM PRIMVM.

D V B I A

EX DISPVTATIONE QVARTA.

De Sacramento Ordinis.

DVBIVM PRIMVM.

DVBIA

EX DISPVTATIONE QVINTA.

De Pœnitentiæ Sacramento, & Virtute.

DVBIVM PRIMVM.

66 An

DVBIA

EX DISPVTATIONE SEXTA.

De Sacramento Extremæ Vnctionis.

DVBIVM PRIMVM.

DVBIA

EX DISPVTATIONE SEPTIMA.

De Matrimonij Sacramento.

DVBIVM PRIMVM.

91 An

FINIS.



INDEX
RERVM NOTABILIVM
Numerus prior Disputationum, posterior verò marginalem numerum designat.

Attri-

ctum

C

requi-

D

profeſ-

E

F

G

H

I

L

solo

inuin-

Q

R

Reue-


T

V

FINIS.



DISPV-



DISPVTATIO PRIMA

DE SACRAMENTIS IN GENERE.

QVÆSTIO PRIMA.

De natura, & essentia Sacramenti in genere.

1 

OSTQVAM Subtilis Doctor cum Magistro in tertio Sententiarum libro egit de Christo, qui est causa, quæ nobis iustificationem meruit, & dona omnia, quibus ad vitæ æternæ consecutionem iuuamur; in hoc quarto Libro deinceps tractandum assumit de causis instrumentalibus, quas Christus adhibuit ad nos iustificandos, perficiendos, & adiuuandos ad eandem beatitudinem adipiscendam; quæ quidem instrumentales causæ communiter in Ecclesia à Patribus, & Concilijs Sacramenta vocantur; Hoc autem *Sacramenti* nomen apud Latinos idem significat, quod apud Græcos nomen *Mysterium*, vndè hæc nomina, tanquam sinonima haberi solent, vt patet ex illo Apoc. 17. *Et in fronte eius scriptum misterium, & ego ostendam tibi Sacramentum mulieris*: Quamuis autem hoc sacramenti nomen plures habeat acceptiones, vt hic omnes penè Auctores referunt: tamen in Ecclesia vsurpatum fuit ad significandam cæremoniam quandam sensibilem, aliquam sanctitatem conferentem; Quod si sacramentum sit nouæ legis, significat, & confert sanctitatem perfectam: & quidem talis sanctitatis signum non semel in Scriptura nomine sacramenti appellatur, vt patet ex verbis Apostoli ad Ephes. 5. vbi matrimonium appellat *Sacramentum*. Ex quo loco satis euidenter constat, hæreticos nostri temporis temere, & sine fundamento hanc Sacramenti significationem reijcere, & valdè ineptè nobis obijcere, quod hoc nomen sacramenti sit nouum, & à tempore tantùm Magistri Sententiarum in vsu positum apud Catholicos, cùm anterioribus seculis nulla de tali nomine mentio habita fuerit. Constat enim ex dictis hoc nomen antiquissimum esse, & frequenter tam in Scriptura, quàm à SS. Patribus vsurpatum, vt hic passim Theologi ostendunt, nam D. Aug. sæpissimè hoc vtitur nomine, vt patet l. 2. *de Doctrina Christiana c. 3. ep.* 117. ad Ianuar. S. Hieronym. Malachiæ 1. Ezech. 49. & Matt. 28. Tertullianus contrà Marcionem cap. 20. Lactantius Firmianus lib. 3. de vera sapientia cap. 30. Ciprianus *l. 2. c. 2.* & 3. & alij passim; & hoc nomen ad præsens institutum magis aptum esse non poterat, quia sacramentum dicitur quasi *Sacrans mentem*.



ARTICVLVS PRIMVS.

Traditur, & explicatur definitio Sacramenti.

PLures, & variæ solent sacramenti, vt sic, definitiones afferri, quæ tamen omnes, si benè intelligantur, & explicentur, vel in vnam coincidunt, vel saltem ex illis vera, & integra sacramenti definitio colligi potest in ea acceptione, qua hic sumitur, vt enim inquit Doctor 4. *dist.* 1. *q.* 2. in calce, quod vna definitio non exprimit, alia exprimit, vt sic ex omnibus colligendo, quod sparsim inuenitur in singulis, possit haberi vna definitio completa, qualem definitionem colligit, & assignat ipse *q. cit. art.* 2 *lit. F.* dicens, quod sacramentum *est signum sensibile gratiam Dei, vel effectum eius gratuitum, ex institutione diuinae efficaciter significans, ordinatum ad salutem hominis Viatoris*: Alij verò ita colligunt, & describunt, quod sacramentum est *signum sensibile institutum à Deo ad conferendum ex opere operato gratiam sanctificantem infallibiliter homini disposito, cui confertur* quæ etiam definitio in idem recidit, & parum, vel nihil differt à præcedenti, à Scoto tradita, quæ hic per singulas particulas est declaranda. 2

Primò itaque sacramentum dicitur *signum*, quod sumitur ex scriptura, nam Genes. 18. Circumcisio, quæ inter vetera sacramenta erat præcipuum dicitur *signum fœderis*, & ad Rom. 4. *signaculum iustitiæ fidei*, & *cap.* 6. appellatur Baptismus signum sepulturæ, & resurrectionis, & 1. Corinth. 1. Eucharistia dicitur signum passionis, & mortis Christi, sicq; passim appellatur à Patribus. Definitur autē signum ab August. lib. 2. de Doctrina Christiana *cap.* 1. esse illud, *quod præter speciem, quam ingerit sensibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire*, quæ definitio iam explicata est 1. *p.* Inst. Logic. signum autem non solùm dici potest in ordine ad cognoscendum, quo pacto præsertim ibi sumitur ab Aug. sed etiam ad faciendum id, quod significatur; primo modo dicitur signum cognoscendi, quod quidem supponit res, seù veritates significandas, & tantùm facit, vt ab alijs cognoscantur, quomodo hædera dicitur signum vini venalis, nomina rerum, fumus ignis &c. Secundò modo dicitur signum illud, quod non supponit, sed facit, vt sint res significatæ, quo pacto signa dicuntur illa, quando inter aliquos conuenit vel ex pacto suo, vel ex mandato superioris, vt dato tali signo certa quædam operatio fiat. Quando itaque sacramentum dicitur *signum*, non debet hæc prima particula pro mero signo cognoscendi accipi, quasi negando, vel excludendo signum faciendi, sed potius accipi debet in communi, vt consequenter per alias sequentes particulas determinetur, quonam modo sacramentum sit signum. 3

Secundo sacramentum dicitur *signum sensibile*, & ratio est, quia debet esse signum ipsis hominibus, qui non nisi per sensus in cognitionem ducuntur; & quidem certum est omnia sacramenta tam noua, quàm vetera esse signa sensibilia, talia namque esse debebant ad congregandam, & regendam Ecclesiam visibilem, & vt essent apta, & proportionata

nata ad significandum hominibus, Difficultas tamen est, an esse signum sensibile ità pertineat ad essentiam Sacramenti, vt repugnet institui in re pure spirituali, Et quidem partem negantem tenent quidam Nominales cum Ocham, quorum fundamentum est, quia posset Deus signum merè spirituale, & intelligibile instituere, quod significaret, & conferret gratiam sanctificantem ex opere operato, sicut sacramenta sensibilia nouæ legis de facto faciunt. Confirmatur, quia de facto contritio in sacramento pœnitentiæ, Christus in Eucharistia, consensus contrahentium in Matrimonio, non sunt res sensibiles, & tamen sunt pars sacramenti.

Verùm, quamuis potuisset Deus signum merè spirituale instituere statuendo, verbi gratia quandocunque Angelus, vel homo certum quendam actum spiritualem eliceret, gratiam ei conferre ex opere operato, sicut de facto actui contritionis remissionem promisit peccatorum, & alijs actibus internis meritorijs gratiæ augmentum ex opere operantis; adhuc tamen sacramentum non esset eo modo, quo nunc est institutum, & suprà in conclusionem descriptum, quia non esset signum sensibile, sed esset Sacramentum, prout significat tantum signum ex opere operato conferens gratiam sanctificantem, in quo sensu nulla est difficultas; Quarè estò ad positionem alicuius rei spiritualis statuisset Deus gratiam conferre; adhuc tamen Sacramentum humanum non esset, vt modo institutum est, sed potius Angelicum, quia homines ad cognitionem non iuuaret; Quod verum esset, etiamsi Deus hominem eleuaret ad tale signum percipiendum, siquidem illa eleuatio præter naturam hominis esset; vndè signum spirituale, & sacramentum, vt modò institutum, conuenirent solum in significatione gratiæ: differrent autem in qualitate significationis, quæ etiam est de ratione Sacramenti strictè sumpti, vt modò institutum est; Atque ità licet de ratione sacramenti, vt abstrahentis ab humano, & Angelico, non sit esse sensibile, est tamen de ratione Sacramenti homini ex anima, & corpore constanti accomodati, vt enim inquit Doctor loc. cit. sacramenta modo instituta sunt, vt signa protestatiua Christianæ Religionis, quæ debent esse sensibilia, vt Christianam Religionem humano modo secernant ab alijs sectis, ità habet *q. 3. lit. B.*

5 Ad Confirmationem posset in primis negari antecedens, nam Sacramentum Eucharistiæ non consistit in corpore Christi, siquidem hoc est signatum, & non signum, sed consistit in speciebus consecratis corpus Christi ibi significantibus; Neque contritio est pars intrinseca Sacramenti pœnitentiæ in eo rigore, quo Recentiores opinantur, vt inferius suo loco patebit; Sed quicquid modò sit de hoc, dicendum est contritionem absolutè per se sumptam, non esse partem Sacramenti pœnitentiæ, sed quatenus fit sensibilis per externa signa sensibilia, ratione nimirum confessionis, & exterioris signi compunctionis; sic etiam dicendum de consensu contrahentium in matrimonio, hic enim manifestari debet per signa exteriora; voces, vel nutus, & sic tandem corpus Christi, si est pars sacramenti Eucharistiæ, hoc ei non conuenit, nisi quatenus fit sensibile ratione specierum panis, & vini, medijs quibus manducatur, & bibitur: Quamuis ergo etiam de facto aliqua pars sacramenti non esset per se sensibilis, & immediatè, tamen absolutè loquendo totum sacramentum, prout de facto est institutum, omninò est signum sensibile, eo modo, quo homo absolutè dicitur sensibilis, quamuis constet anima spirituali, quæ non est per se sensibilis; Et hæc est communis opinio Nostrorum, & Recentiorum ferè omnium, vt est videre apud Fabrum, Aretinum, Hiqueum, Poncium, Radam, Brancatum, Centinum, & alios Nostrates.

6 Quando ergò dicimus Sacramentum in genere signi constitui, intelligendum est de signo humano, atque adeò de signo sensibili, quod pro tanto humanum dicitur, quia humanæ congruit cognitioni, quæ ex sensibilibus haurintur; ex quo sumitur prima congruentia, ob quam sacramenta in rebus sensibilibus sunt constituta, vt notat Rada 4. *part. contr. 1. art. 1.* quia enim homo ex rebus sensibilibus ad intelligibilia contemplanda deducitur, ideò valdè congruum fuit ipso exteriori, & sensibili Religionis cultu internam significari sanctificationem, qua ratione Chrisost. homil. 60. ad populum alebat, *si incorporeus esses incorporea dedisset tibi ipse dona, nunc autem quia coniuncta est corpori anima tua, sub sensibilibus tibi intelligenda tradit.* Ex quibus verbis Rada alteram quoque deducit congruentiam; cùm enim homo anima, & corpore constet, non satis fuit, vt corde crederet, nisi etiam actibus corporis suam fidem profiteretur, ipsisque Deum colat; & cum mente, & corpore Deum offenderit, congruum fuit, vt per corporea Sacramenta curaretur, & sanctificaretur. Tertiam tandem quoque addit congruentiam iam ex Doctore loc. cit. insinuatam, quia cùm homines naturali ratione ducti in vnum populum congregentur; ità per Christum in vnum Ecclesiæ corpus visibile per aliqua sensibilia signa, & sacras cæremonias debuerunt vniri ad Deo debitum cultum exhibendum, vt sic Christiana Respublica à cæteris sectis secerneretur.

Tertiò dicitur *signum efficaciter significans*, vt ostendatur Sacramentum non esse purum signum cognoscendi, sed etiam faciendi, quod significat, quia sacramenta, vt inquit Doctor loc cit. sunt signa practica gratiæ, & non tantùm speculatiua; vndè per hanc particulam insinuatur, quod non solùm significant; sed etiam causant gratiam; speculatiuum autem signum significat solùm suum significatum esse, nec vllam respectu ipsius habet rationem causæ, quarè est solùm signum cognoscendi, non verò faciendi, & hoc pacto linguæ igneæ, quæ suprà Apostolos in die Pentecostes apparuerunt, fuerunt signa aduentus particularis spiritus sancti ad ipsos; Et per hanc particulam distinguuntur sacramenta nouæ legis à Sacramentis veteris legis, quæ non causabant in suscipiente veram animæ sanctitatem, quæ solùm per gratiam habitualem, & sanctificantem habetur, sed tantùm legalem, & imperfectam; vndè significatio gratiæ in sacramentis veteris legis erat purè speculatiua, ideoque Concilium Florentinum in litteris vnionis assignando differentiam inter nostra, & vetera sacramenta veteribus solam tribuit gratiæ significationem, illius nempè quæ nobis conferenda erat per nouæ legis sacramenta ex meritis Christi; nostris verò sacramentis tribuit non tantùm eiusdem gratiæ significationem, sed etiam causationem; Vndè esus Agni Paschalis purè speculatiuè significabat gratiam sanctificantem, quæ nobis practicè confertur per Eucharistiæ susceptionem, quæ in esu Agni Paschalis figurabatur. 7

Rursus per eandem particulam *efficaciter*, non tantùm innuitur quod sacramenta nouæ legis practicè significant gratiam, sed etiam modus, quo illam conferunt, nempè ex opere operato, vt docet Conc. Trid. *sess. 7. can. 6.* vbi inquit sacramenta nouæ legis gratiam infallibiliter conferre non ponentibus obicem; per hoc enim innuitur, quod non conferunt gratiam per modum meriti, aut actionis meritoriæ, sicut datio eleemosynæ propter Deum confert gratiam eam danti, si sit in statu gratiæ sanctificantis; sed conferunt ex opere operato, idest virtute sua, & ex meritis exhibitis passionis Christi Domini, ideoq; ex parte suscipientis aliud non requiritur, quàm quod obicem peccati non ponat; vndè baptismus collatus infanti malè moraliter, nempè ob aliquem malum finem, confert gratiam hoc non obstante ex parte ministri, quia nullus reperitur obex ex parte suscipientis; baptismus enim vim conferendi gratiam habet ex propria institutione, & ex meritis Christi, non verò ex meritis operantis, seù ministri illud conferentis; & ideò per hanc particulam distinguitur sacramentum à quibuscunq; signis etiam à Deo institutis ad gratiam conferendam ex opere operantis, de quo vide Scotum *4. d. 1. q. 6. K.* & infrà *q. 2. n. 41.* vbi declaratur, quid sit obtinere gratiam ex opere operantis, & ex opere operato. 8

Quartò dicitur *signum efficaciter gratiam significans* pro quo notandum est gratiam, vel sanctitatem esse duplicem, vnam perfectam, & internam, quę est idem, quod gratia habitualis, & iustificans; alteram legalem, & imperfectam, quæ nihil aliud est, quàm consecratio ad diuinum cultum; vndè legalis sanctitas erat, quam antiqua Sacramenta suscipientibus conferebant, v.g. consignatio personæ in veram religionem, signans, & distinguēs illam ab alijs falsis Religionibus, vt erat circumcisio, quæ externo, ac materiali corporis charactere viros verę Religioni consignabat, & cōsecrabat. Est autem difficultas, quàm fusè tractant Recētiores, an de ratione sacramenti, vt sic, sit esse signum practicum, & causatiuum veræ sanctitatis, & gratiæ. Negant quamplures, quia sacramenta antiqua erant propria, & vera sacramenta secundum communionem, & tamen non causabant gratiam aut perfectam animæ sanctitatem, licet illam significarent, & figurarent dandam per passionem Christi, & causarent, 9

etiam

etiam suam imperfectam sanctitatem legalem; Quarè dicunt de ratione Sacramenti, vt sic, solùm esse quod sit signum practicum alicuius sanctitatis, siuè perfectæ, siuè imperfectæ, perfectæ quidem, qualis est illa, quæ confertur per Sacramenta nouæ legis, imperfectæ verò, qualis erat ea, quę conferebatur per Sacramenta vetera; ex quo tandem deducunt adæquatum rationem Sacramenti tàm nostris, quàm antiquis communem, consurgere tùm ex relationem signi perfectæ sanctitatis, tùm ex relatione causæ alicuius saltem imperfectæ sanctitatis. Hinc vlterius inferunt rationem Sacramenti vniuocam esse respectu Sacramentorum veteris, & nouæ legis; quia ad rationem Sacramenti solùm requiritur, quod sit cæremonia sacra significans, & efficiens aliquam sanctitatem; sed in hoc vniuocè conueniunt Sacramenta noua, & vetera, vtraque enim significant gratiam iustificantem; Sacramenta noua efficiendo illam, Sacramenta vetera solùm significando eam; Rursus vtraq; sunt causæ sanctitatis, quamuis enim vetera sanctitatem veram non efficiant, sicut noua; tamen sicut noua sunt causa veræ sanctitatis, ità & vetera æqualiter, & vniuocè erant causa suæ sanctitatis imperfectæ; ergò etiam vniuocè conueniunt in ratione Sacramenti. Ita communiter Recent. quam opinionem ex nostris sequitur Rada *loc. cit.*

10 Alij verò docent de ratione Sacramenti esse, non solùm significare, sed etiam efficere veram gratiam, & sanctitatem, qualem solùm conferunt Sacramenta nouę legis; vndè consequenter negant rationem Sacramenti esse vniuocam respectu Sacramentorum nouæ, & veteris legis, quia sanctitati perfectæ, & imperfectæ, quam significant, nihil potest assignari commune vniuocum, ac proindè neque ipsis Sacramentis ità Caspensis *disp. 1. sect. 3.* & alij; & hanc sententiam communiter sequuntur Scotistæ, quia iuxtà definitionem Sacramenti à Scoto traditam de ratione Sacramenti est, non tantùm significare, sed etiam efficere veram gratiam, & sanctitatem ex opere operato; hoc autem modo Sacramenta tantùm nouæ legis rationem Sacramenti habent, non autem veteris legis, quæ non causabant veram, & propriam sanctitatem, sed tantùm impropriam, figuratiuam, & vmbratilem; & si causabant interdum veram, & propriam sanctitatem, hoc non faciebant ex vi propria, seù ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis, sola circumcisione excepta, quam vult Doctor veram contulisse sanctitatem ex opere operato, vt inferius dicemus; & hæc quidem opinio satis probabilis est, vt patebit infrà *art. 2. num. 35.*

11 Hæc tamen difficultas, quam adeò prolixè Recentiores tractant, breuiter dissolui potest duobus prænotatis. Primum est, Sacramentum sumi posse tripliciter, vt colligitur ex Scoto *4. d. 1. q. 3. art. 4.* primò communiter, & impropriè, quo modo importat quicquid aliquo modo rem sacram significat, in qua significatione purificationes, & ablutiones antiquæ legis, genuflexiones, & prostrationes, & similia sacra signa dici poterant Sacramenta; Deindè propriè, quo pacto de ratione Sacramenti est esse rei sacræ signum, ità quod res illa sacra, quam significat, sit quædam sanctificatio in homine causata, siuè illa sit perfecta, siuè imperfecta modo iam explicato. Tertiò tandem modo Sacramentum sumi potest proprijssimè, & est quod veram, & propriam sanctitatem significat, & causat, quo pacto hic sumitur, & definitur à Scoto. Alterum notandum est, fuisse in veteri lege, nec non in lege naturali Sacramentum aliquod proprijssimè dictum contrà originale peccatum, vt erat protestatio fidei parentum pro paruulis in lege naturæ, & Circumcisio in lege Moysis licet adhuc essent imperfectiora, quia non tantam gratiam, & sanctitatem conferebant, vt confert Baptismus in lege noua.

12 Quo prænotato dici potest, quod loquendo de Sacramentis in veteri lege, quæ conferebant gratiam sanctificantem ex opere operato indubiè Sacramenta nouæ legis vniuocè conueniunt cum illis in ratione Sacramenti, etiam proprijssimè sumpti vt à Scoto descriptum est, quod omnes fateri tenentur talia Sacramenta in lege veteri admittentes; loquendo verò de alijs Sacramentis, quæ solam gratiam legalem conferebant, aut etiam sanctificantem ex opere operantis, non autem ex opere operato, non conueniunt cum illis vniuocè in ratione Sacramenti proprijssimè sumpti, quale descriptum est; sed in ratione Sacramenti propriè sumpti, & in conceptu magis transcendendi ad rationem enim Sacramenti itè sumpti solùm requiritur, quod sit cæremonia sacra significans, & efficiens aliquam sanctitatem, siuè externam, siuè internam, siuè perfectam, siuè imperfectam, & hoc solùm probant rationes primæ opinionis. Neque oppositum conuincunt rationes oppositæ sententiæ, sed tantum ostendunt talem vniuocationem non esse perfectam, & completam, sed imperfectam, & cum analogia admixtam, quæ in nostris principijs stat cum vniuocatione, vt constat ex dictis in logica, vbi diximus substantiam, & accidens in conceptu entis vniuocè analogicè conuenire, quamuis substantia sit ens longè perfectius accidente; Et quamuis etiam concederemus sanctitatem perfectam, & imperfectam in conceptu sanctitatis, vt sic, vniuocè conuenire non posse, sed tantum æquiuocè analogicè; adhuc neganda est consequentia, quia quemadmodum estò substantia, & accidens vniuocè non conuenirent in conceptu entis; tamen causæ substantiæ, & accidentis adhuc vniuocè conuenire possunt in conceptu causæ; sic etiam quamuis sanctitas à veteribus Sacramentis causata esset æquiuocè analogicè sanctitas cum ea, quæ à Sacramentis nouæ legis causatur; adhuc tamen in ratione causæ vtraque Sacramenta vniuocè conuenire possunt, quia ratio causæ pęnes hoc solum attenditur, quod sit principium influens in aliud, quod æquè in omnibus Sacramentis reperitur, tàm nouæ, quàm veteris legis.

Addit Doctor *gratiam, vel effectus eius gratuitum*, quia in Eucharistia res Sacramenti non est gratia habitualis animæ inhærens, sed gratia subsistens per se, scilicet, Christus ipse, & ideò vt vtrumque includeret apposuit illam particulam, *vel effectum gratuitum*; gratia verò inhærens non datur, nisi quando hostia recipitur; significat ergo primum Eucharistiæ Sacramentum verum Christi corpus sub speciebus contentum, qui est effectus gratuitus, quia ex gratuita Dei voluntate procedens; & dicitur effectus, non quia tunc de nouo fiat, siuè esse accipiat, sed quia fit de nouo præsens illis speciebus per transubstantiationem panis in ipsum, quod est opus diuinæ gratiæ. 13

Quintò dicitur Sacramentum, *signum à Deo institutum, sed ex diuina institutione*, quia non est signum naturale gratiæ, sicut fumus ignis, sed voluntarium, & ad placitum, & ratio est, quia nulla res creata ex sui natura habet, quod possit esse gratiæ significatiua: gratia enim non solum non potest ab agente naturali produci, sed neque eius possibilitas innotescere potest, nisi per fidem; ergo Sacramentum esse nequit signum naturale gratiæ, sed solum ad placitum, & ex Dei instituto, assumptum patet, cum enim gratia sit specialis diuinæ naturæ participatio, nulla creatura ex natura sua habet virtutem illam producendi, sed solus Deus; consequentia verò probatur, quia signum practicum importat exercitam causalitatem termini significati; Cum igitur solius Dei sit causare gratiam, & sanctitatem, solius Dei erit instituere practicum signum eiusdem sanctitatis. Imò Sacramentum nedum esse non potest signum gratiæ practicum, & faciendi naturale, sed nec etiam speculatiuum, & cognoscendi, quia tale signum est illud, quod natura duce, & ex seipso ducit in cognitionem alterius, sicut fumus respectu ignis, aurora respectu diei; ac Sacramenta, cum sint sensibilia; & materialia, nequeunt nos ducere in cognitionem rei spiritualis, & præsertim supernaturalis. Vndè neque placet, quod inquit Cardin. de Lugo *disp. 1. sect. 3.* quod est de facto Sacramenta sint signa ad placitum sanctitatis, & ex diuina institutione; loquendo tamen de possibili, nulla apparet repugnantia, vt res aliqua sensibilis propter connexionem, quam habet cum gratia, potuerit naturaliter significare gratiam. 14

Hoc, inquam, non placet, quia signum naturale naturalem habet, & necessariam cum termino significato connexionem; nulla autem res sensibilis talem necessariam connexionem cum gratia habere posse videtur, quoniam omnis naturalis connexio aut est causæ cum effectu, aut effectus cum causa, aut imaginis cum prototypo, at nulla res sensibilis esse potest naturalis causa, aut effectus, vel imago gratiæ hæc duo posteriora patent; primum probatur quia causa naturalis debet naturaliter continere effectum, nulla verò res sensibilis potest naturaliter continere gratiam, quæ est specialissima diuinæ naturæ participatio, vt supra dictum; ergo nec de facto, nec de possibili Sacramenta esse possunt signa naturalia gratiæ: sed tantum ad placitum, & ex diuino instituto. Quamuis autem Sacramen- 15

ia effectum suum naturaliter non significent, adhuc tamen in eis potest considerari similitudo aliqua, & proportio ad rem significatam; vndè quamuis sit signum ad placitum, & voluntarium, non tamen est ex eis voluntarijs, quæ nullam habent proportionem cum re, quam significant, vt ramus vini venalis; etenim ablutio corporis in baptismo figurat internam animæ ablutionem per gratiam à sordibus, & maculis peccati; manducatio in Eucharistia figurat internam animæ refectionem per gratiam, & sic in alijs Sacramentis. Hæc tamen naturalis proportio, & similitudo in significando, & repræsentando minimè impedit, quin adhuc Sacramenta simpliciter, sint dicenda significare ex diuina institutione; nam adhuc eorum Sacramentalis significatio est ex diuino beneplacito, & institutionem, siquidem Sacramentalis significatio est, vt verè conferant talem effectum, quod vtique ex sui natura non habent, neque ex impositione humana, sed tantùm ex ordinatione diuina. Hæc tamen qualiscunque naturalis similitudo, & proportio non fuit in rigore de necessitate, & essentia Sacramenti, vt nonnulli dixerunt, sed tantùm de congruentia prudentis, & conuenientis institutionis, quatenus Deus, qui per sensibilia hominem ad intelligibilia ducit, ità Sacramenta aptare, & instituere debuit, vt facilè esset homini eorũ naturas, & munera capere, & exindè eorum vsum ardentius frequentare.

16 Sextò tandem dicitur *ordinatum ad salutem hominis viatoris*, vt explicaretur causa finalis huius institutionis, & indicaretur simul Sacramentum esse institutum communi, & vniuersali lege ad vsum hominum, & totius humani generis, & non pro certa aliqua persona, & in priuato aliquo, & peculiari casu; Et ratio est, quia Sacramenta tradita sunt Ecclesiæ in communem fidelium vtilitatem, & omnium salutem, atque ideò institui debuerunt lege communi. Ex quo fit verba illa Christi ad Magdalenam Luce 7. *Remittuntur tibi peccata tua*, & illa Ioan. 2. quando insuflans in Apostolos dixit, *Accipite Spiritum sanctum*, non fuisse Sacramenta, quamuis fuerint signa rei sacræ, scilicet, gratiæ à Christo Domino instituta à sanctificationem; eo quia non fuerunt ab eo instituta, neque vt cæremoniæ frequentandæ, continuandæ, & permanentes in Ecclesia, neque in beneficium totius Ecclesiæ, & ad vsum communitatis fidelium; sed fuerunt particularia opera, & signa in quibusdam certis casibus, & in beneficium singularium personarum. Et ideò non veniunt sub nomine Sacramenti, prout hic sumitur, scilicet, pro signo stabiliter instituto in beneficium Ecclesiæ, & communem fidelium vtilitatem.

17 Itaque ex dictis satis clarè constat definitionem Sacramenti à Scoto traditam esse optimam, & alijs omnibus præferendam, quam proindè Ioannes Echius hom. 4. de Sacramentis ceteris præfert; Nam ex communi omnium sensu tria ad essentiam Sacramenti spectare dicuntur; primò, vt sit signum sensibile; Secundò, vt significet sanctitatem, & iustitiam ex Dei institutione; Tertiò, vt eandem efficiat; hinc passim, docent Theologi Sacramentum esse signum practicum quia non tantùm significat, sed etiam efficit, quod significat; Sed hæc tria explicantur, & continentur in allata definitione, vt constat ex eius declaratione. Confirmatur, quia hæc definitio habet verùm genus, & differentiam, & quædam addita, quæ semper in definitione relatiuorum poni debent, cum eorum definitio non sit purè quidditatiua, sed per additamentum data; ergo est bona definitio; probatur assumptum, nam *signum* ponitur, vt genus, quod pertinet ad relationem; prima differentia est *ex institutione diuina*, alia differentia est, *efficaciter significans*; Et quia in definitione relatiui ponitur fundamentum, & correlatiuum, tanquam addita; sic in hac definitione Sacramenti, quod pro formali relationem importat, ponitur *sensibile* pro fundamento, seù subiecto relationis; *gratia, vel effectus gratuitus* pro correlatiuo, seù termino illius signi, quod est Sacramentum; additur tandem, quod sit *ordinatum ad salutem hominis viatoris*, vt indicaretur finis, & modus, quo talis Sacramentorum institutio facta est, vt explicatum est, ergo nil deest, vt hæc definitio sit vera, & propria, ac omnibus numeris absoluta, eo modo quo Sacramentum definiri potest. Ex hac etiam definitione constat, quænam importentur intrinsecè, & in recto à Sacramento, & quæ extrinsecè, & in obliquo; nam intrinsecè, & in recto importantur illa, quæ tenent locum generis, & differentiæ, nimirum signum, quod ponitur, vt genus; ex institutione, & efficaciter significans, quod ponitur, vt differentia; cætera verò quæ ponuntur, vt addita, nimirum sensibile, vt fundamentum talis relationis, gratia verò, vel effectus Dei gratuitus, vt correlatiuum, importantur extrinsecè, & in obliquo, vt indicat Doctor *loc. cit.* lit. I. quomodo verò, & in quo sensu materia, & forma dicantur partes intrinsecæ Sacramenti, dicemus inferius, & cum hac definitione sic explicata coincidit alia suprà relata ab initio articuli, quam ex nostris adhibet Poncius *disp.* 41. *q.* 1. & per eam suppleri possunt definitiones ab alijs allatæ, si in aliquo deficere videantur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Soluuntur Obiectiones.

IN oppositum obijcitur. Primò quod Sacramentum non sit definibile, quia definitio non est, nisi eius, quod est per se vnum 7. Met. 16. quod enim est vnum tantùm per accidens non potest vnam habere definitionem, quia definitio explicare debet essentiam rei, quare si res non est vna, sed plures, quale est vnum per accidens, plures habebit essentias, & sic non poterit vnica ratione definiri, at Sacramentum non videtur esse per se vnum, cùm sit aggregatum ex multis diuersorum generum, vt ex verbis, & elementis, quorum vnum est permanens, & aliud successiuum, ex quibus non fieri potest aliquid per se vnum, ergo &c. qua ratione Ocham, Maior, Riccardus, & alij Nominales dixerunt Sacramentum propriè definiri non posse. 18

Respondent Recentiores communiter, quod licet Sacramentum physicè inspectum non sit vnum ens per se, vt probat allata ratio; si tamen moraliter consideretur, vt à Thelogo considerari debet est ens morale per se vnum, quia est vnum medium, siuè vnum instrumentum ad homines iustificandos; dicunt itaque esse vnum ens morale, vel artificiale, quo pacto exercitus, & oratio vnum ens dicuntur, quæ vnitas sufficit, vt Sacramentum aliquo modo definiri possit, vel describi. Verùm hæc solutio difficultatem tollere non videtur, quia cùm hic quæritur, an Sacramentum definiri possit, non est sermo de definitione quocunque modo sumpta; sic enim nulli dubium est, quod quicquid aliquo modo concipi potest, potest etiam describi; sed difficultas est de definitione propriè sumpta, & in rigore philosophico, quo pacto definitio ex Arist. cit. est solùm entis realis quod est vnum per se; Et in hoc etiam sensu inquit Doctor Sacramentum definiri posse, licet enim vnum accidens esset in pluribus subiectis, nihilominus illud esset propriè definibile, sicut aliud accidens; quia illa plura non pertinent per se ad rationem accidentis, sed tanquam additamenta: in definitione autem Sacramenti allata patet, quod illud, quod dicitur sensibile, ponitur respectu signi, sicut additum; ergo quantumcunque in illo non sit vnitas; dùm tamen alia, quæ pertinent ad rationem formalem Sacramenti, non impediant vnitatem per se; non propter hoc Sacramentum, erit non propriè definibile, quia pluralitas, de qua arguitur, est illorum, quæ concurrunt in sensibili signante fundamentum illius relationis formalis, quam importat Sacramentum.

Respondetur ergo melius cum Doctore, quod Sacramentum potest sumi dupliciter, vno modo pro materiali, siuè pro denominato alio modo pro formali, seù pro per se significato; primo modo Sacramentum non est per se vnum, quia aggregat multa diuersorum generum, vt baptismus verba, & ablutionem, & sic non est definibile definitione propriè dicta quæ est per se vnius, quia res, & verba non faciunt vnum per se vnitate entis per se definibilis, sed sunt vnum vnitate aggregationis, vel ordinis tantùm; at secundo modo, scilicet, pro formali non est nisi respectus signi ad signatum, & sic importat aliquid per se vnum, atque ideò propria definitione definibile; pluralitas enim quæcunque, vel subiecti in se, vel correlatiui ad correlatiuum, non prohibet relationem esse definibilem simpliciter, quoniam subiectum; seù fundamentum, & terminus relationis, non ingrediuntur eius definitionem, vt partes intrinsecæ, sed velut additamenta; sic paternitas est relatio, & fundatur in patre, & terminatur ad filium, quæ sunt plura, & non vnum, & tamen ipsa est ens vnum, & definitur definitione propriè dicta; ità ergò in proposito, cùm Sa- 19

Sacramentum sit relatio signi ad signatum, erit per se vnum & poterit propriè definiri, licet subiectum, & terminus sint entia diuersa, & iniuncta simul faciant vnum per accidens,

20 Dices relatio non est per se vna, nisi propter fundamenti vnitatem, at relatio Sacramenti non habet fundamentum per se vnum, nam sensibile, quod est fundamentum talis relationis, plura includit diuersi generis, quæ non faciunt vnum per se vt ostendit argumentum; ergo neque ipsa relatio erit per se vna.

Respondet Doctor in solutione ad 1. principale, quod etsi fortè id verum esset de relationibus realibus, de quibus est dubium, quia fortè in multis vnam nauem trahentibus est vna relatio trahentium ad vnum tractum; tamen in relationibus rationis propositio est manifestè falsa, quia quantumcunq; diuersa possunt conuertere in fundamento relationis vnius, non enim oportet, nisi quod multa ibi concipiantur, quasi vnum in ordine ad aliquod signatum; Quod explicat exemplo signi tabernę, nam huius relationis vnius, quæ est significatio vini venalis, benè potest esse fundamentum totum istud, scilicet, circulus coopertus folijs hederæ in Cruce positus; ità etiam multæ orationes contentę, vel vna dictio ex multis syllabis, quæ nihil vnum per se faciunt, sunt fundamentum vnius relationis, scilicet significationis vnius rei significatæ; & ratio est, quia huiusmodi relatio rationis, nempè significatio, non pendet ex natura fundamenti in se, sed vt assumptum est à voluntate primi instituentis ad aliquid significandum.

21 Cæterùm hanc Soti doctrinam, & solutionem Recentiores impugnant, quia ad rationem, & essentiam Sacramenti sola significatio non pertinet, siuè signum efficax ex institutione diuina; sed etiam ipsa res sensibilis, quæ substantia quædam est, & facit vnum per accidens cum signo, siuè significatione; ergo hæc Scoti doctrina; & solutio non subsistit; assumptum probant, quia si Sacramenti essentia in illa tantum relatione consisteret signi ad signatum, tunc res sensibilis non esset pars intrinseca Sacramenti, sed tantùm eius subiectum, ac Ecclesia, Patres, & Concilia docent Sacramenta constare ex rebus, & verbis, & illas esse materiam, ista verò formam, at materia, & forma verè pertinent ad essentiam rei, cuius sunt partes; ergo Sacramentum non est ità propriè definibile, sicut ait Scot. sed tanquam vnum per se ens morale, vel artificiale.

22 Respondeo huius replicæ solutionem exactam pendere ex dicendis infra, interim est ex Doctore notandum *4. dist. 3. quæst. 2. §. hic primò*, quod propriè loquendo de forma, prout est altera pars compositi forma Sacramenti est ipsa relatio signi, qua formaliter est tale Sacramentum, & materia est totum fundamentum ipsius relationis; verumtamen si in fundamento isto sint plura, ex quibus aliquo modo fit vnum Sacramentum, quæ non omninò æqualiter se habent, sed alterum sit quasi præuium, & determinabile; alterum sit quasi præuium, & determinatio præcedentis; primum potest dici quasi materia per quandam similitudinem ad materiam, & alterum forma, materiæ enim est præcedere secundum originem, & determinari, forma autem sequi, & determinare. Itaque essentia rei potest sumi dupliciter, vel pro eo quod præcisè importat conceptus rei quidditatiuus ex genere, & differentia constans; vel pro eo, quod importat conceptus rei non tantum quidditatiuus, sed etiam quietatiuus, quem intrant non tantùm genus, & differentia, sed etiam aliquid aliud extrinsecum per modum additi, primo modo ad essentiam relationis, v. g. paternitatis non pertinent extrema, scilicet, pater, & filius, sed tantùm genus, & differentia; secundo modo pertinent etiam extrema, nimirum ad rationem paternitatis integram, completam, & quietantem intellectum, qui non quiesceret, si in explicatione, vel expressione relationis non ponerentur extrema, inter quæ versatur; ità in Sacramento ratio eius formalis, & purè quidditatiua est ratio signi ad signatum; at non est quietatiua, nisi quoque per modum additi interueniant fundamentum, quod est res sensibilis, & gratia, quæ est terminus; & in hoc sensu dicunt Concilia, & Patres Sacramenta constare rebus, & verbis, quia eorum quietatiuum conceptum assequi non possumus, nisi hæc quoque interueniant per modum additi, vt fusiùs quæst. seq. hoc verò non impedit vnitatem Sacramenti pro formali sumpti, & pro per se significato, hoc enim modo inspectum semper est per se vnum, etiamsi sumptum pro materiali, & denominato hanc vnitatem rigorosam non habeat, sed tantùm moralem, & artificialem.

Secunda Obiectio.

Secundò obijcitur, quia in allata definitione includitur aliquid, quod dicit ens rationes, scilicet, hoc, quod est esse signum ex institutione, nam vt inquit Scotus sub H. ista relatio signi non cōsequitur fundamentum ex natura rei, quia etsi in re sit aptitudo ad significandum effectum signatum; tamen actualis significatio non conuenit sibi nisi per actum imponentis; qua ratione inquit Doctor ibidem, quod restringendo definitionem ad quid propriè dictum extrà animam, definitio data non est ità propria, sicut ratio entis completi extrà animam, sed eo modo, quo definitio exprimit vnum conceptum per se in intellectu, siuè ille conceptus sit res extra, siuè rationis; quo modo tantùm, & non aliter definiuntur intentiones logicales, non enim significant quidditates extrà animam, sed tantumodò conceptus in anima, sed per se vnos, quæ definitio sufficit ad scientiam propriè dictam. At stante hac doctrina sequitur omnia Sacramenta esse entia rationis, quod est falsum, nam Sacramenta esse debent res aliqua realis, nempè cęremonia exterior, & sensibilis, & consequenter ens reale. 23

Confirmatur, quia si ratio signi ad placitum, & ex institutione est ens rationis, cùm nihil reale ponatur in aliqua re ex eo, quod ex voluntate alterius ad aliquid significandum instituatur, sicut nihil reale ponitur in ramo viridi per hoc, quod instituatur ad significandum vinum venale; sequitur Sacramentum formaliter non esse à parte rei, sed solum per intellectum, & per consequens nullo considerante intellectu, non esse in Ecclesia Sacramentum aliquod.

Respondetur, non deesse Theologos concedentes Sacramentum formaliter, hoc est; quantum ad significationem esse ens rationis, & ita præsertim loquitur Vasquez *disp. 128. cap. 4.* Sed planè nec oportet, nec expedit huiusmodi misteria per relationes rationis à mente confictas explicare, & quæ in re non sunt, sed ab intellectu finguntur; Sed potius explicari debent per dominationes extrinsecas, quas iam diximus *disput. 3. log. quæst. 2.* non esse entia rationis formaliter, quia dantur à parte rei citrà quodcunque opus intellectus, sicut à parte rei dantur terminationes realium habitudinum, quas formæ quædam ad alia præseferunt; sic enim verè Deus dicitur à parte rei creator per extrinsecam terminationem dependentiæ realis creaturæ ad ipsum ex Scoto *1. dist. 30. quæst. 2. ad vlt.* & paries à parte rei dicitur verè, & realiter visus à visione in oculo existente, pro ly *realiter* determinat inhærentiam, & non inhærens, vt ibidem explicat Doctor: quapropter dicebamus ibidem, quod denominationes omnes extrinsecæ, siuè physicæ, siuè morales, licet entia realia dici non possint, quia nihil reale intrinsecum ponunt in re denominata; dici tamen possunt ac debent denominationes reales; nec dici possunt entia rationis, nisi materialiter, & fundamentaliter, quatenus nimirum ab intellectu concipi possunt per modum formæ realis intrinsecè subiectum denominantis, vt esse visum in pariete per modum relationis correspondentis visioni actinæ. 24

Ità igitur in proposito, sacramentalis significatio dici debet formaliter consistere in extrinseca denominatione ex diuina ordinatione, & institutione desumpta, quæ quidem denominatio vera, & realis est, & ex reali forma desumpta, nec ab intellectu fingitur, sed prout verificatur in re, ab eo cognoscitur, & concipitur. Verumtamen est, quod ex imperfectione intellectus nostri concipitur interdum ad modum veri entis, hoc est, tanquam relatio existens in ipsa re denominata, quo pacto illa denominatio extrinseca dicitur accipere esse rationis formaliter ab Intellectu, quia talis relatio est opus rationis; Hinc tamen non benè infertur, Sacramentum non esse à parte rei formaliter, sed solùm per intellectum; nam etiam paries nullo fingente intellectu realiter est à me visus, & tamen si agnoscere volumus, & concipere, quid est esse visum in pariete, ex imperfectione nostri intellectus id facere solemus conceptu, & relatione rationis. Ratio igitur signi in sacramenti est aliquid morale, quia pendet solùm ex institutione, & ordinatione diuina, quemadmodum regia 25

dignitas, gradus doctoratus, & alia huiusmodi dicuntur entia moralia, quia ex institutione humana pendent; si verò hæc ratio signi physicè consideretur, & pro fundamento proximo relationis signi, quam intellectus fabricat, est vera, & realis extrinseca denominatio ab institutione diuina deriuata, & per consequens est quid reale extrinsecum, vt esse visum in pariete. Quare estò Sacramentum, si formaliter, & præcisè sumatur pro ratione signi, seu respectu rationis, si ens rationis, nec detur à parte rei, sed solùm per intellectum; tamen si sumatur, vel pro re substrata, quæ Sacramentum denominatur, vel pro extrinseca denominatione ab institutione diuina prouueniente non pertinet ad intellectum, sed verè datur à parte rei; ex qua doctrina satis patet quid sit dicendum ad argumentum, & eius confirmationem, quam non solùm Scotistæ omnes amplectuntur, vt Scoti germanam, & veram, sed etiam Recentiores omnes.

26 Verùm hæc doctrina, quantumuis communiter recepta, Brancato nostro non placet in 4. *disp. 1. art.* 3. vbi ad magis saluandam Sacramentorum realitatem, contendit relationem signi à Sacramento importatam esset relationem realem ad prædicamentum habitus spectantem; vndè vult res, & verba Sacrementalia vt à diuina voluntate ad significandum assumpta, non tantùm dicere denominationem extrinsecam, sed vlterius ex vi assumptionis illius insurgere in eis relationem aliquam non purè rationis, sed realem formaliter, & obiectiuè, & solùm causaliter rationis quatenus ratio est causa cur insurgat; & sicut approximatio est ratio fundandi actionem; sic intellectus, seù voluntas ratio fundandi, seù occasio istius relationis, quę in Sacramento dicitur signum.

27 Hoc autem probabat ibidem, quia nullo intellectu cogitante Sacramentum est completè Sacramentum, ergò habet suam rationem formalem absque fictione, & conceptione rei aliter quàm sit; Tum quia non alia ratione Scotistæ, & alij tuentur relationem signi esse rationis, nisi quia insurgit ex actu intellectus, & voluntatis diuinæ instituentis res, & verba in signum: sed hæc ratio non conuincit, si enim conuinceret pro hoc volito, & denominato, conuinceret pro omnibus, & sic relatio domini ad seruum, relatio potestatis, & iurisdictionis, essent mera entia rationis; imò suprema potestas, quæ sub Deo est, scilicet, Pontificia esset ens rationis, proindèque cùm à Christo dictum fuit Petro *Pasce oues meas*, eique data sua vicaria potestas, nihil collatum fuit Petro, & successoribus eius, nisi ens rationis; qua ratione etiam tenet ex quolibet humano contractu, voto, donatione &c. reales insurgere relationes. Nec valet dicere potestatem, & iurisdictionem esse, quid morale, idest, secundum existimationem. Nam tunc in habentibus eam, aliud non erit potestas, & iurisdictio, nisi existimari talis ab homine cum fundamento, vt si ei non obediatur, fiat ei iniuria, realiter tamen, & positiuè non importabit aliquid reale absolutum, vel relatiuum. Tùm quia fundamentum talis existimationis debet esse aliquid reale in Rege, si enim petatur quid fuit Dauid esse Regem, & quid fuit in eo Regia potestas? si dicas, fuit Deum velle Dauid esse talem, vt omnes Israelitæ illi obedirent, eiusque mandata facerent. Certè, inquit, hoc totum conceditur, sed nihil haberet Dauid ex illa voluntate Dei, per quod realiter denominaretur Rex; fundamentum ergo Regiæ potestatis est voluntas facientis, & forma denominans est quid resultans ex tali voluntate, dicta potestas regia; & concludit nullatenus adduci posse, vt concedat omnes potestates, ac iurisdictiones, & dominia nil aliud importare præter existimationem extrinsecam; aliter hoc eodem fundamento omnes relationes prædicamentales, quæ magis infirmum habent fundamentum, è medio tolli deberent.

28 Hæc tamen doctrina singularis est, & noua, atque ideò ex hoc solo capite reijcienda, omnes enim docent potestatem, iurisdictionem, regiam dignitatem, ipsam quoque Pontificiam, ac quamlibet aliam creatam, non nisi entia moralia importare, quia pendent ex institutione humana, vel diuina; quæ quidem denominationes, & ordinationes, licet sint extrinsecæ rei denominatæ, & nihil reale physicum in ipsis ponant: adhuc tamen reales sunt, & non pura entia rationis, cùm non distinguantur reipsa à formis realibus, ex quibus exurgunt; Vndè fundamentum regiæ potestatis in Dauide, & communis existimationis, qua tenebatur talis à Subditis, non fuit voluntas ipsius, sed voluntas Dei illum in Regem instituentis, quæ quidem denominatio, & ordinatio, licet nihil reale physicum poneret in Dauid; realis tamen erat, cùm sit ipsa voluntas institutoris denominans Dauid Regem, quæ quamdiù reuocata non est, censetur realiter permanere, & consequenter Dauid esse realiter moraliter Regem, nam esse moraliter tale est esse æquiualenter tale; & ens morale absque abusu dici potest ens reale, quia licet non importet, vel ponat aliquid reale physicum, & intrinsecum in re denominata, ponit tamen aliquid reale extrinsecum, terminationem nempè alicuius actus realis præter quodcunque opus intellectus. Quod adhuc magis patet ex alijs moralibus denominationibus ex alijs contractibus humanis resultantibus, quis enim dicat ex voto aliquem promouentium ad gradum doctoratus in illo resultare relationem realem; & ex mutuo consensu maris, & fæminæ resultare in ipsis reales relationes mariti, & vxoris? Quod autem dicebat Auctor, ille, hoc eodem fundamento tolli posse omnes relationes prædicamentales, quæ magis infirmum habent fundamentum, hoc planè gratis omninò dicitur, nam relatio similitudinis inter duo alba oritur necessariò, & ex natura rei, & facta approximatione inter agens, & passum oriuntur necessariò relationes actionis, & passionis, & sic de alijs relationibus prædicamentalibus; at relatio dominij in Rege, Doctoris in laureato, mariti, & vxoris in mare, & fæmina, oriuntur non ex natura rei, sed ex actu voluntatis eligentium, vel contrahentium; & in proposito relatio signi ad signatum, quæ in Sacramento adstruitur, oritur ex actu diuinæ voluntatis.

29 Respondet Brancatus *art.* 3. *num.* 43. quod actus diuinæ voluntatis in statuendo Sacramentum non facit aliquod ens simile enti rationis, vt facit intellectus noster, sed vult, quod est volibile; ex hoc autem actu insurgere potest relatio realis: & si hic præcisus actus cognoscendi est in causa, cur obiectum dicat realem relationem cogniti ad intellectum, & voliti ad voluntatem, cur non poterit esse causa relationis ad aliud, si illud obiectum sit ad aliud volitum? Sed hoc rursus mihi nouum est, ex actu cognoscendi resultare in obiecto cognito relationem realem cogniti ad intellectum, & ex actu volendi relationem realem voliti ad voluntatem; nam semper audiui, & in schola nostra, & in quacunque alia, cognitum, & volitum in obiecto non importare, nisi puras denominationes extrinsecas in obiecto derelictas ex terminatione actuum cognoscendi, & volendi; sicut esse visum in pariete non importat, nisi meram extrinsecam denominationem in eo derelictam ex terminatione actus videndi.

30 Non ergò recedendum est à communi modo defendendi, & explicandi realitatem Sacramentorum per denominationes extrinsecas reales, ac dicendum, quod relatio signi in Sacramento non est pura relatio rationis, sed extrinseca denominatio desumpta à voluntate institutoris ordinantis talem rem ad talem significationem; quæ denominatio licet sit rei denominatæ extrinseca, nihilque physicum in eo intrinsecum ponat realis tamen est, cum sit ipsa realis voluntas institutoris denominans moraliter Sacramentum per ordinem ad terminum ad quem significandum assumitur. Imò totum hoc, quod Sacramentum importat adeò reale est, vt concipi, & explicari possit à nobis absolutè loquendo sine vllo ente rationis, vt notat Card. de Lugo *disp.* 1. *sect.* 3. licet enim nos possimus pro libito fingere illas relationes, & respectus intrinsecos cum fundamento in rebus; regulariter tamen non fingimus, sed concipimus illas denominationes, seù formas denominantes, prout re vera sunt in seipsis, & extrinsecas rebus denominatis, neque enim quoties dicimus parietem videri, concipimus, vel fingimus in pariete aliquid intrinsecum, per quod sit visus, sed concipimus visionem ad parietem terminatam, & parietem terminantem actum visionis; sic igitur in proposito, quando concipimus Sacramentum esse signum gratiæ, non concipimus, vel fingimus aliquid in Sacramento intrinsecum, sed concipimus institutionem Dei Sacramento extrinsecam, à qua denominatur extrinsecè Sacramentum signum gratiæ.

31 Potest ergo tota realitas Sacramentorum saluari absque eo, quod dicamus relationem signi importare aliquam relationem realem in Sacramento ex institutione Dei resultantem, & ad prædicamentum habitus pertinentem; Tum quia talis relatio realis est omninò chimerica; & com-

commentitia, alioquin idem dicerè deberemus de quacunque alia denominatione morali ex quocunque humano cõtractu resultante, quod realem importaret relationem, quod licet hic Auctor vltrò concedat ad consequenter loquendum, alij tamen non ità facilè concedent. Tùm quia quando etiam hanc relationem signi ad signatum in sacramento diceremus esse realem; adhuc ad prædicamentum habitus spectare non deberet, vt inquit ille, sed potius ad prædicamentum actionis, vel relationis, siquidem cùm Sacramentum sit signum gratiæ practicum, & causatiuum coincidit ibi ratio signi, & causæ. Tùm denique quia valdè difficulter hoc potest defendi in Scoti sententia, quandoquidem *loc. cit. H.* expresse docet, quod relatio signi ad signatum non est realis, in sacramento, quia non conuenit ei ex natura rei, sed per actum Dei instituentis; qua ratione inquit, quod restringendo definitionem ad quid propriè dictum extrà animam, definitio data non est ità propria, sicut ratio entis realis, & completi extrà animam, vndè concedit eam conditionem, quod definitio sit entis realis, & completi extrà animam, definitioni sacramenti deficere; at vtique talis conditio ei non deficeret, si talis relatio signi ad signatum in Sacramento esset realis obiectiuè, & formaliter, vt loquitur Brancatus; hoc igitur inuentum, & à Scoti mente, & à veritate alienum est.

Tertia Obiectio.

32 Tertiò obijcitur, quia in allata definitione sacramentum definitur per vim efficiendi gratiam, atq; ideò angustior est definito; ergo non est bona, consequentia patet ex conditione bonæ definitionis, quæ cum definito conuerti debet; probatur antecedens, quia sacramenta veteris legis, quæ à præcipuis Doctoribus existimantur vera, & propria sacramenta, gratiam non conferebant internam, & sanctificantem, vt dictum est *suprà num. 7.* ex Concilio Florentino; atque ideò allata definitio eis non conuenit.

Confirmatur, quia si sermo hic esset de solis sacramentis nouæ legis, non esset difficile rationem communem inuenire, in qua ea omnia essentialiter, & vniuocè conueniant, & allata definitio posset admitti, vt conueniens; sed sermo hic est de sacramentis in genere, prout commune est nomen, & ratio sacramenti, tùm nouæ, tùm veteris legis sacramentis, ergò tradi debet definitio latior, & amplior.

Respondent aliqui, negando sacramenta veteris legis fuisse verè propriè, ac vniuocè sacramenta cum nostris, & ideò ab Apostolo, & Concilijs vocantur egena, & vacua, quia egebant prædicato illo, per quod essent verè sacramenta, scilicet, efficaci significatione gratiæ, quæ sacramentum verum constituit, & propriè dictum, in quam opinionem Brancatus valdè propendet *disp. 1. cit. art. 5.* in fine, vbi inquit antiqua sacramenta sibi videri personatis viris valdè similia; videtur enim quis in scæna repræsentare personam Martyris, Principis, Tiranni, & verba in eorum persona proferre, & nihilominus nec Martyr, nec Princeps est, sed hac dignitate, & persona vacuus est; sic cum proportione antiqua sacramenta speciem, seù figuram nostrorum sacramentorum habebant, Circumcisio Baptismi, Agnus Paschalis Eucharistiæ, Consecratio Leuitarum ordinationis nostræ; carebant tamen prædicato sacramenti propriè dicti constitutiuo, scilicet, efficaci significatione gratiæ, & sanctitatis internæ, quæ verum sacramentum constituit.

33 Communis tamen sententia est etiam sacramenta veteris legis fuisse verè, & propriè Sacramenta, ac vniuocè cum nostris conuenire in ratione sacramenti, quod colligunt ex Concil. Florent. & Trid. dùm vetera vocant absolutè, & simpliciter sacramenta, & ex D. August. *lib. 19.* contrà Faustum, vbi probat vetera fuisse verè, & propriè sacramenta; Et quidem cum olim quoque fuerit vera Ecclesia, sicut verus Dei cultus, consequenter vera etiam, & propria sacramenta habere debebat, sicut & habuit vera sacrificia, non enim datur vera Ecclesia sine veris, & proprijs sacramentis, licet non semper æquè perfectis; & quidem Concilia, & Patres non tantùm de Circumcisione ità loquuntur, sed de alijs quoque sacramentis, quæ simpliciter, & absolutè sacramenta appellant.

34 Respondetur itaque negando antecedens, quia ex dictis *num. 12.* allata definitio conuenit sacramento in genere proprijssimè, & in rigore sumpto in quacunque lege reperiatur, vndè sequitur, quod omnia sacramenta nouæ legis, atque etiam circumcisio, & antè circumcisionem quod in lege naturæ correspondebat, sunt sacramenta proprijssimè, & in rigore dicta, prout hic sacramentum definitur, quia gratiam conferunt suscipientibus; reliquæ autem cæremoniæ, & sacrificia legis veteris, non erant sacramenta, quia gratiam, & sanctitatem internam non conferebant; quæ videtur fuisse mens Doctoris *loc. cit.* & D. Bonau. *4. dist. 1. art. 1. q. 5.* Quod si dicas, alias quoque cæremonias, & ritus veteris legis contulisse saltem sanctitatem legalem; sanctitatem verò propriam significasse, & figurasse, quod sufficit ad rationem sacramenti verè, & propriè dicti iuxtà dicta superius eodem *num. 12.* tunc concedendum est, vtique hanc definitionem sacramenti allatam omnibus veteribus sacramentis non conuenire, sed tantùm Circumcisioni, & alij correspondenti in lege naturæ; adhuc tamen assignari posse conceptum sacramenti communiorem, in quo alia quoque veteris legis sacramenta vniuocè cum nostris conuenirent cum analogia admixta iuxtà ibidem dicta; hanc tamen sacramenti definitionem Scotum non tradidisse, sed eam tantùm, quæ conueniebat tùm sacramentis nouæ legis, tùm veteris proprijssimè, & in rigore dictis, vtpotè quæ cum nostris conueniebant in maiori vniuocationis gradu, quatenus vtraque gratiam internam, & sanctificantem conferebant, & non tantùm legalem, vt faciebant alia sacramenta minus propriè dicta, quæ proindè in tali vniuocationis gradu cum nostris non conueniebant; neque hic necesse fuit hanc communiorem sacramenti definitionem assignare, sed satis fuit illam adducere, quæ communis erat sacramentis nouæ, & veteris legis proprijssimè, & in rigore dictis, hæc enim magis naturam, & essentiam exprimit nostrorum sacramentorum, in ordine ad quæ hæc disputatio de Sacramentis in genere est instituta.

Imò simpliciter, & absolutè loquendo melius est dicere de ratione sacramenti propriè dicti esse, quod practicè significet perfectam sanctitatem, & quod non sit satis significare legalem, adeout in lege veteri aliud non esset sacramentum propriè dictum præter Circumcisionem, nam aliter dicendo sequerentur in lege noua esse plura, quam septem sacramenta; extant enim in Ecclesia plures sacri ritus, & cæremoniæ, quæ dici possunt externam, & legalem quandam sanctitatem conferre, scilicet, prima clericalis tonsura, aqua benedicta, absolutio ab excommunicatione, professio religiosa, impositio manuum super Cathecumenos; consecratio Abbatum, & aliæ Ecclesiasticæ benedictiones, quæ omnia licet conferant aliquam sanctitatem imperfectam, non tamen veram sanctitatem significant, & ideò non sunt sacramenta. Verumtamen est, quod sequendo etiam modum dicendi superius indicatum *num. 12.* aliæ quoque cæremoniæ, & ritus veteris legis legalem sanctitatem conferentes poterant in suo genere dici propriè sacramenta, licet non ità perfectè, sicuti circumcisio, quæ etiam conferebat sanctitatem internam, & perfectam, ac proindè etiam cum nostris vniuocè conuenire. Potest, inquam, etiam sic dicendo huic instantiæ negari absurdum illatum, quod in lege noua essent plura, quam septem sacramenta, quia de ratione sacramenti in communi est, vt sit immediatè à Deo institutum, & sic sacramenta nostra instituta sunt a Christo vero Deo, & vetera instituta erant ab ipso Deo; at cæremoniæ in instantia allatæ institutæ sunt humano iure ab Ecclesia, idest à Pontificibus, vt de se notum est. 35

Ex his deduci potest conuenientia, ac differentia vertens inter Sacramenta noua, & vetera; nam vetera sacramenta, quæ erant remedium contrà originale peccatum, tàm in lege scripta, quàm in lege naturæ, conueniunt cum nostris in perfectiori gradu vniuocationis, ac in definitione sacramenti iam allata, quandoquidem sit sacramenta proprijssimè dicta, quæ conferebant gratiam sanctificantem ex opere operato, vt constabit ex inferius dicendis; cætera verò sacramenta vt esus Agni Paschalis, & Leuitarum consecratio, si sunt sacramenta propriè dicta iuxtà probabilem dicendi modum *n. 12.* indicatum, quia conferebant sanctitatem legalem, & externam, & signabant veram, & internam à nostris conferendam, conueniunt adhuc vniuocè cum nostris, sed in gradu vniuocationis imperfectiori, & in definitione sacramenti magis transcendenti, quæ consurgit tùm ex relatione signi perfectæ sanctitatis, tùm ex relatione causæ alicuius saltem imperfectæ sanctitatis. Nam quamuis sanctitas dicatur analogicè de sanctitate gratiæ habitualis, & sanctitate legali; possumus tamen ab vtrisque abstrahere conce- 36

conceptum vniuocum, & communem, quem quidem non explicemus per nomen sanctitatis, sed per nomen consecrationis, dedicationis, & coniunctionis peculiaris cum Deo; ita nit nomen sacramentum propriè dictum vtriusque legis, prout distinguitur à sacramentis impropriè dictis, sit cæremonia sacra in suo vsu consecrans, dedicans, & coniungens subiectum peculiariter cum Deo, vt notat Card. de Lugo *loc. cit.* licet enim sacramenta antiqua, quæ in remedium peccati originalis non erant, veram, & propriam sanctitatem recipienti non afferrent; negari tamen non potest, quod propriè, & verè illud subiectum dicarent Deo, & cum eo coniungerent, nam ille, qui consecrabatur Sacerdos, v. gr. licet gratiam sanctificante non acciperet; verè tamen consecrabatur, & dedicabatur Deo, & cum eo specialiter coniungebatur, & licet longè nobilior, & excellentior sit coniunctio hominis cum Deo per gratiam sanctificantem; hoc tamen non tollit, quin etiam illa esset vera coniunctio, licet inferior, & ignobilior, & hæc coniunctio cum Deo significatur in definitione sacramenti in communi ad sacramenta nouæ legis, & veteris, quæ non erant in remedium peccati originalis, quando dicimus esse cæremoniam sacram sanctificantem subiectum.

37 Differunt verò sacramenta noua à veteribus, quæ in remedium peccati originalis non erant, non solùm, quod hæc nostra perfectam, illa verò antiqua imperfectam conferebant sanctitatem; sed etiam quod illa non eandem sanctitatem conferebant, quam principaliter significabant; nam principaliter figurabant sanctitatem perfectam per Christum dandam, & conferebant imperfectam, qua mediante perfectam significabant. Deindè differunt, quia in nostris Sacramentis principalior est relatio causæ, quàm signi, nam hæc ordinatur ad instruendum, illa verò ad sanctificandum hominem; potior autem est sanctificatio, quàm instructio; in antiquis verò principalior fuit relatio signi, quàm causæ, nam relatio causæ in illis fuit imperfecta, saltem ratione termini, signi verò perfecta, quod duplex discrimen inter noua, & antiqua sacramenta optimè notauit Amicus *disp.* 1. *sect.* 1. Differunt tandem etiam in ratione signi, quia vt notat Doctor *d.* 1. *q.* 2. *cit.* antiqua erant signa prognostica tantùm, & promissoria futuræ sanctitatis perfectæ, & demonstratiua tantùm præsentis sanctitatis imperfectæ, quam ex diuina institutione infallibiliter conferebant; nostra verò sunt signa demonstratiua præsentis gratiæ, quam conferunt, & prognostica gloriæ, quam promittunt, & simul rememoratiua passionis Christi, à qua tanquam à causa meritoria principali originantur.

Quarta Obiectio.

38 Quartò obijcitur, quia allata definitio conuenit alijs à definito, nam sumptio Eucharistiæ est signum sensibile significans, & causans sanctitatem perfectam, & ex diuina institutione. Conuenit etiam tota sacrificio Missæ, quia illud sacrificium est cæremonia quædam sensibilis, quæ habet vim significandi, & efficiendi gratiam, non minus, quàm Eucharistiæ sacramentum. Conuenit demum martyrio, nam est signum sensibile, quod suo vsu sanctificat subiectum, significat, & causat gratiam sanctificantem etiam ex opere operato secundum communiorem. Deindè, quia videtur includere implicantia in adiecto, implicat enim dicere aliquod esse signum sensibile termini, qui non cadit sub sensu, scilicet, gratiæ nam si est signum sensibile, id cuius est signum, debet quoque esse sensibile; & ratio à priori est, quia signum debet habere proportionem cum re significata, talem autem non habent sacramenta cum gratia, quia sacramenta sunt corporea, & gratia spiritualis.

Respondetur negando assumptum; ad primam probationem dico per particulam *efficaciter*, quæ significat causalitatem, excludi, quæ aliquo modo concurrunt ad gratiam conferendam, at non tanquam causæ nec physicæ, nec morales, sed potius tanquam conditiones, & applicationes causarum, qualis est sumptio Eucharistiæ, quæ non concurrit vt causa, sed vt mera conditio, & applicatio causæ ad gratiam; Ad 2. probationem, aliqui dicunt, quod licet non omne sacramentum sit sacrificium, omne tamen sacrificium, est sacramentum, atque ideò definitionem sacramenti ei conuenire posse; alij verò dicunt, quod licet sacrificium Deo oblatum in cultum duntaxat, & recognitionem dominij non sit sacramentum; tamen quod offertur in expiationem peccati, vt est sacrificium Missæ, esse sacramentum. Verumtamen licet eadem res materialis possit esse simul sacramentum, & sacrificium, vt contingit in Eucharistia, vbi duæ istæ rationis coniunguntur, ac proindè conuenit ei non solùm definitio sacrificij, sed etiam sacramenti; tamen alia est ratio sacrificij, & alia sacramenti; nam ratio sacramenti est significare, & efficere sanctitatem; ratio verò sacrificij est significare, seu testari excellentiam, quia Deus est supremus Dominus, & primum principium omnium creaturarum, sacramentum ex institutione diuina immediatè, & directè significat sanctificationem nostram, & ad hanc refertur; Sacrificium verò per se, & primariò est significatiuum diuinæ excellentiæ, quatenus Deus est fons omnium bonorum, ac immediatè refertur ad Dei honorem, & cultum. Vndè sacrificium, qua tale, non est sacramentum, quia, vt sic, non ad sanctificationem sacrificantis, sed in testimonium diuinæ excellentiæ est institutum; Hinc estò sacrificium materialiter sumptum pro hostia, quæ in eo offertur, sic quandoque verum sacramentum, vt contingit in nostro sacrificio, cuius hostia est verum sacramentum, & cuius sumptione sanctificamur; & olim etiam in quibusdam veteris legis sacrificijs accidit v. gr. in esu Agni Paschalis, cuius esus veram sanctitatem in Eucharistia contentam significabat, & legalem aliquam sanctitatem conferebat; actio tamen ipsa, in qua sacrificium ipsum consistit, est semper quid à sacramento distinctum, vt notat Coninch. *q.* 60. *art.* 4. *dub.* 1. & alij Recentiores; Itaque Sacrificium Missæ essentialiter, & præcisè in ipsa consecratione consistit; sacramentum verò in re permanente, sicut etiam Agni Paschalis occisio erat propriè sacrificium, vt ipse Agnus occisus, eiusque comestio rationem habebant sacramenti.

Ad 3. probationem dicendum, excludit martyrium à ratione sacramenti, quia estò secundum communiorem sententiam ex singulari priuilegio ex opere operato gratiam conferat; quicunque enim martyrium propter Christum patitur, etiamsi dormiret, nec haberet vllum meritum de congruo, aut condigno, dummodò tamen obicem peccati mortalis non habeat gratiam sanctificantem recipit, vt patet de Innocentibus, quos Ecclesia colit, vt martyres; adhuc tamen sacramentum non est, quia ad hoc à Deo institutum non est, imò quatenus est actio inferentis à Deo est vetitum; quatenus verò est passio martyris est opus fortitudinis, lege naturæ quandoque præceptum, & quandoque nullo vrgente præcepto à Martyribus liberè susceptum ex motiuo variarum virtutum, præsertim verò ex confessione fidei; tam quia sacramenta constant ex verbis, & hoc est essentiale omni sacramento ex Scoto 4. *dist.* 2. *quæst.* 2. C. quod martyrio non conuenit. 39

Ad vltimum negatur assumptum cum eius probatione, nam de essentia signi sacramentalis absolutè loquendo non est, quod proportionem vllam habeat cum rebus significatis, estò talis proportio inter nostra sacramenta, & res significatas ex diuina prouidentia de facto intercedat, vt dictum est suprà *nu.* 15. Vndè absolutè loquendo sicut Deus de facto in Baptismi Sacramento instituit corporis ablutionem ad significandam animi munditiem à sorde originalis culpæ: ità è contrà statuere potuisset ad eandem animi puritatem significandam corporis maculationem. Ratio est, quia licet in signo naturali talis quædam proportio intercedat inter signum, & rem significatam, vt inter fumum, & ignem, nubem, & pluuiam: tamen in signo ad placitum non requiritur nisi sola voluntas instituentis, quænam enim proportio reperitur inter viridem ramum, & vinum venale, cuius est signum: inter sonum campanæ, & lectionem, cuius tempus indicat, & sic de alijs signis ad placitum. Et proportio, quam de facto sacramenta habent ad res significatas, non est vniuoca, sed potiùs analogica, & metaphorica: nam sicut aqua corporis sordes abluit, sic gratia animæ fæces lauat. 40

Sed obijcies, Augustinum Epist. 23. ad Bonifacium circà finem dicere, quod *si Sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum Sacramenta sunt, non haberent, omnino Sacramenta non essent*, ex quo deduxerunt aliqui cum Magistro hanc proportionem, vel similitudinem esse de essentia Sacramenti.

Respondeo, August. loqui non de significatione completa, & actuali, sed de aptitudine; & proportione iam explicata,

cata, quatenus illa, quæ Deus in Sacramenta assumpsit, habent cum effectibus, qui à Sacramentis causari debent, similitudinem quandam, quia nempè per baptismum à sorde peccati debet anima mundari, assumpsit ablutionem per aquam faciendam: & quia per Eucharistiam debet anima spiritualiter nutriri, assumpsit nutrimentum corporis panem, & vinum, qua ratione dixit Doctor lit. H. in fundamento Sacramenti, idest relationis signi adesse aptitudinem ad significandum effectum producendum; significationem tamen actualem non haberi, nisi per actum imponentis.

QVÆSTIO SECVNDA.

An in lege naturæ, & veteri fuerint Sacramenta vera, & propria iuxtà assignatam Sacramenti definitionem.

41 PEr statum legis naturæ intelligitur status hominum à lapsu primorum parentum vsque ad legem Moysi à Deo datam; & per statum legis antiquæ intelligitur status hominum à lege Moysi data vsq; ad legem nouam Christi, quæ lex gratiæ vocari solet, & lex noua respectiuè ad legem à Moyse scriptam; Et non est dubium, quin in illis legibus fuerit Sacramenta secundum aliquem sensum, & acceptionem ex tribus allatis *quæst. præced. n.* 1 1. sed difficultas est, an fuerint tunc aliqua Sacramenta in tertio sensu, qui est omnium magis proprius, itaut illis conuenire possit definitio Sacramenti assignata; atque ita fuerint aliqua signa sensibilia, quæ conferrent ex opere operato gratiam sanctificantem dignè suscipientibus illa; & non tantum ex opere operantis, hoc enim modo gratia potuit quoque obtineri per alia Sacramenta minus propriè dicta; etenim vt docet Doctor *4. dist. 1. q. 6. K.* gratia obtineri dicitur ex opere operantis, quando obtinetur ex merito, vel ratione dispositionis præcisè, vt est ab operante, quo modo semper interuenit aliquod meritum saltem de congruo respectu gratiæ; dicitur verò obtineri ex opere operato, quando præcisè ratione operis externi, vel Sacramenti applicati datur aliqua gratia vltrà omne meritum operantis tàm de condigno, quàm de congruo.

42 Quod statum legis naturæ cõcedunt communiter Theologi, non solum fuisse sacrificia pro adultis ad expiandum actuale peccatum, quibus per actum contritionis, vel charitatis ad iustificationem disponi poterant; sed etiam remedium pro paruulis ad tollendum originale peccatum, & conferendam gratiam ad modum operis operati. Nam quamuis aliqui dixerint remedium legis naturæ paruulos ab originali culpa liberasse, non tamen illis gratiam iustificantem contulisse, hoc tamen meritò communiter à Theologis reijcitur, & præsertim à Scoto *loc. cit. H.* vbi ait, quod licet absolutè loquendo sine contradictione possit dari medium inter filium regni, & filium perditionis, scilicet, homo in puris naturalibus; tamen de potentia ordinaria, & secundum legem diuinæ sapientiæ iam fixam post lapsum nullum est medium inter gratum, qui est filius regni, & peccatorem, qui est filius iræ, & carceris, quarè nullum liberare potest à peccato, nisi dando gratiam.

43 Sed licet communiter conueniant Doctores fuisse institutum aliquod remedium pro paruulis in lege naturæ, quia non est credibile Deum, qui vult omnes homines saluos fieri, reliquisse homines in eo statu sine remedio, quo saluari possent; Tamen non conueniunt in declarando quodnam, & quale fuerit illud remedium; certum est, quod fuerit aliqua actio sacra paruulis à parentibus applicata, vel ab ijs, qui eorum curam habebant, sed an fuerit solùm intelligibilis, & interna, an etiam sensibilis, & externa, non conueniunt; Quidam enim dixerunt hoc remedium fuisse solam fidem parentum, vel aliorum, siuè informem, siuè formatam per actum interiorem paruulis applicatam absq; aliquo signo sensibili, & externo, pro quo citantur D. Bon. Ricchardus, & alij antiquiores. Alij verò communiter docent hoc remedium non fuisse solam fidem internam parentum, aut aliorum ad puerum directam, sed fuisse coniunctam simul cum aliquo externo actu sensibili protestatiuo fidei Messiæ venturi, quod etiam docuit Scotus *q. 7.* in solutione ad primum. Sed quamuis etiam in hoc communiter Theologi conueniant, adhuc discrepant, an hoc signum sensibile, quod à Scoto appellatur Sacramentum propriè dictum, quia est signum sensibile efficaciter significans, & conferens gratiam paruulis, & culpam originalem delens, fuerit signum sensibile determinatum sub certa quadam cæremonia à Deo ordinata; vel potius signum sensibile, non à Deo determinatum in specie, sed tantum in genere, relinquendo illud in specie, & in indiuiduo determinandum ab ipso applicante; ità quod esset in potestate parentum, vel aliorum applicare hunc, vel illum actum, dummodò esset signum fidei internæ; vt opinantur Suarez *disp. 4. sec. 3.* Amicus *disp. 3. sec. 3.* & alij Recentiores communiter.

Quoad statum legis scriptæ est etiam difficultas de remedio originalis culpæ, an hoc fuerit Circumcisio, an potius idem Sacramentum, quod erat in lege naturæ. Aliqui dixerunt illud idem Sacramentum, quod erat contrà originale in lege naturæ, perseuerasse in lege scripta vsque ad baptismum; Circumcisionem verò fuisse quoddam signum corporale distinctuum solùm carnaliter populi Iudaici à cæteris nationibus. Vndè consequenter dicunt circumcisionem non fuisse institutam ad tollendum originale peccatum, neque ad conferendam gratiam ex opere operato, sed tantùm ad consignandum peculiarem Dei populum eumque à cæteris gentibus distinguendum, quæ videtur fuisse opinio Diui Thomæ *3. p. q. 62. art. 3. ad 3.* quam proindè passim Thomistæ sequuntur Capreolus, Ferrara, Ledesma, Vasquez, Valentia, Bellarminus, Beccanus, Cardinalis de Lugo, qui alios citant. Alij verò dixerunt Circumcisionem non solum fuisse signum populi Iudaici distinctuum à ceteris gentibus, sed etiam institutam fuisse pro masculis ad delendum originale peccatum, & gratiam conferendam per modum operis operati, quatenus ex Dei pacto gratia conferebantur masculis, non actione, & virtute ipsius Circumcisionis, sed ex sola Dei actione ad præsentiam Sacramenti, simulque ex merito Christi præuiso, & per fidem in Christum applicato: ità Caspensis *tr. 21. disp. 2. sect. 1.* vbi inquit, circumcisionem non contulisse gratiam ex vi sua, & ex opere operato in rigore loquendo; sed infantibus in ea remittebatur peccatum originale, & infundebatur gratia à Deo, quasi ex quadã liberalitate posita illa conditione, ob extremã paruulorum necessitatem, qui proprijs actibus saluari non poterant, idque propter merita Christi, pro quo citat Bellarminum lib. 2. de Sacramentis *cap. 14. 15. &* 16. idem tenet Bonacina *tract. de Sacram. disp. 1. q. 1. punct. 3.* & Coninchius *qu. 6. art. 1.* Suarez *disput. 10. sec. 2.* Amicus, & alij Moderni. Tertia tandem sententia docet circumcisionem præceptam à Deo Abrahæ Genes. 17. deindè in lege scripta firmatam, fuisse verum, & proprijssimum Sacramentum originalis culpæ deletiuum, & gratiæ collatiuum ex opere operato in omni rigore eo modo, quo baptismus, quæ fuit sententia Scoti, D. Bonau. Alensis, & totius Franciscanæ, & Scoticæ Scholæ. 44

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit dicendum pro statu legis naturæ.

PRimò dicendum est in lege naturæ antè circumcisionem fuisse aliquod remedium pro paruulorum iustificatione à Deo institutum. Hæc est communis, & constans omnium Theologorum sententia, quam expressè docuit Aug. lib. 5. contrà Iulianum cap. 21. vbi inquit. *Non ideò tamen credendum est, & antè datam circumcisionem famulos Dei, quandoquidem illis inerat Mediatoris fides nullo Sacramento eis opitulatos esse paruulis suis, quamuis quid illud esset, aliqua necessaria causa Scriptura latere voluerit*, vbi apertè vtitur vocabulo Sacramenti: idem etiam habet Gregorius *lib. 4. moralium cap. 3.* Bernardus *epist. 77.* Beda *lib. 1. in Lucam cap. 8.* Hoc idem probat Scotus *4. dist. 1. q. 7.* ratione validissima, qua omnes post ipsum vtuntur, nullo tempore dimisit Deus cultores suos sine remedio necessario ad salutem; sed omni tempore post lapsum fuit necessaria ad salutem deletio originalis culpæ: ergo quocunque tempore aliquod remedium efficax ad hoc fuit à Deo institutum; Quãuis autem potuerit in adultis deleri per bonum motum intrinsecum bonitate ad id requisita: tamen in paruulis, in quibus talis motus fuit impossibilis, non potuit deleri per actum suum proprium: ergo per actum aliquem aliorum ad ipsos relatum; sed non poterat esse certum, quod actus alterius relatus ad paruulum sufficeret sibi, nisi hoc esset à Deo institutũ, nullus enim potest esse certus, quod per aliquod attingat ad salutem, nisi sit certus, quod Deus acceptauit 45

uit illud, tanquam sufficiens ad talem finem; Cùm ergo non solùm adultis cultoribus suis prouiderit Deus de remedio necessario ad salutem, sed etiam paruulis eorum, & hoc de remedio, de quo parentes possunt esse certi pro paruulis; sequitur quod tempore illius legis naturæ erat à Deo institutum aliquod remedium, vel signum certum, & efficax deletionis originalis peccati. Hæc Scoti ratio fundatur in diuina prouidentia, quam Deus semper habuit circa omnium salutem, & in voluntate, qua vult omnes homines saluos fieri, ad quam spectat, vt de omnibus ordinet sufficientia remedia ad salutem, ex quibus vnum, ac potissimum est contra originale peccatum; Cùm ergo infantes in illa generali Dei voluntate includantur, debuit in omni lege, & in omni statu naturæ post lapsum remedium aliquod instituere, quo parentes suis paruulis opitulari possent, aliàs enim infantes sine sufficienti remedio ad salutem mansissent, quod diuinæ prouidentiæ maximè derogasset.

46 Respondent aliqui oppositum sentientes, quod estò paruuli, qui in lege naturæ ante adultam ætatem moriebantur, nullum haberent pro ea ætate salutis remedium; adhuc tamen dicebantur à Deo antecedente voluntate ad salutem voliti quia saltem poterant per causas naturales in adultam ætatem perduci, & in ea proprijs actibus cum auxilio diuinæ gratiæ elicitis iustificari; sicut à pari infantes in vtero matris decedentes, adhuc sunt antecedente voluntate à Deo voliti ad salutem, estò in vtero matris nullum habeant paratum remedium, quia sufficit, vt possint per causas naturales suo tempore ab vtero materno deduci, & educti baptizati.

Sed contrà, quia hic currit manifesta disparitas, vt enim infans adhuc in vtero matris existens dicatur à Deo voluntate antecedenti ad salutem volitus, sufficit vt illi sint præparata media humano modo applicanda; vt autem talis applicatio fiat humano modo, supponi debet persona perfectè genita, & in seipsa existens, quia regeneratio per gratiam baptismalem supponit generationem naturalem perfectam, & completam, quod fit per ipsam natiuitatem, & egressum ab vtero matris; Vndè quamdiù infans non est perfectè genitus hoc modo censeri nequit exclusus ab antecedente voluntate, quam Deus habet saluandi omnes; Quia verò post quam infans est ab vtero matris egressus, remedium generationis potest ei humano modo applicari, si in eo statu, & in ea ætate nullum haberet salutis remedium, planè censeri deberet exclusus ab antecedente Dei voluntate saluãdi omnes; atque ità contingeret in proposito nostro, si paruulis in lege naturæ de remedio prouisum non fuisset contrà originale peccatum, quando erant nati, & ab vtero matrum egressi; nam in hoc sensu, & in tali statu quæritur, an pro illis fuerit à Deo prouisum de sufficienti remedio, & quidem humano modo applicando, quo applicari non potest, quando in vtero matris delitescit, nondùm enim renasci potest per gratiam, qui adhuc non est natus per naturam, quæ doctrina fuit Alensis *par. 4. quæst. 2. memb. 5. art. 1.*

47 Secundò dicendum est, hoc remedium efficax ad salutem paruulorum contrà peccatum originale à Deo institutum, non fuisse positum in solo interiori actu, sed in aliquo exteriori, & sensibili signo fidei Messiæ venturi protestatiuo. Hæc etiam est communis inter Theologos, quam docet Scot. *loc. cit.* vbi postquam probauit pro lege naturæ aliquod remedium à Deo fuisse contra originale peccatum institutum, subdit, magis probabile esse, quod hoc fieret per aliquod signum sensibile, quàm per aliquod signum intelligibile tantùm, quia pro toto statu naturæ lapsæ congruunt homini signa sensibilia respectu spiritualium; Quod etiam ex relatis Aug. verbis non obscurè deducitur, cùm inquit, credentes pro eo statu opitulatos fuisse paruulis aliquo Sacramento; per Sacramentum enim omne, quod de facto datum est, omnes intelligunt signum sensibile alicuius rei sacræ, Tùm quia non solum dicit remedium illud fuisse Sacramentum, sed addit, qui illud fuerit aliqua necessaria causa Scripturam latere voluisse; ergò supponit fuisse aliquem actum externum, nam internus non latet, siquidem est certum fuisse actum fidei circà Mediatorem venturum; sed quia nescimus, nec Scriptura explicat, qualis actus ille externus fuerit, ideò dicit August. aliqua de causa Sacramentum illud latuisse.

48 Ratione etiam probatur ex congruentia deducta, quia per tale remedium paruuli coniungebantur, vt membra, corpori Ecclesiæ visibili, congruum autem fuit, vt coniunctio ad corpus visibile fieret etiam per aliquod signum visibile, & sensibile. Tùm quia necessarium est, vt inquit Doctor, quod remedium pro originali sit moraliter certum & de eius efficacitate hominibus constet; sed fides merè interna hoc habere non posset; ergò necessario coniuncta esse debebat cum aliquo actu exteriori. Tùm denique quia hoc remedium humano modo debebat infantibus applicari; at humanus modus postulat, vt per aliquod signum externũ, & sensibile talis applicatio fieret. Quod tandem hoc signum sensibile fuerit aliquis actus exterior protestatiuus fidei Messiæ venturi docet August. *lib. 2. de nuptijs, & concupisc. cap. 11.* vbi inquit, *quod eadem fides mediatoris saluos iustos faciebat antiquos pusillos cum magnis*; & hoc idem alij Patres significarunt, dùm vnanimiter in remedium originalis culpæ pro paruulis fidem assignant, vtique enim omnes id intelligunt de fide Christi venturi, eandem siquidem fidem in illo remedio exigebant, quam nunc in baptismo requirunt; Quarè cùm in baptismo nunc fidem requirant saltem implicitam, & obiectiuam Christi præteriti, sic à pari in eo requirebant fidem Christi venturi; Et in ministrante illud Sacramentum pro paruulis præter fidem externam, seù protestationem fidei in Christum venturum, in qua Sacramentum consistebat, non erat necessaria fides interna, nec actualis, nec habitualis, sed sufficiebat intentio faciendi, quod faciebat Ecclesia, sicut modò dicimus de baptismo, vt innuit Scot. *4. d. 5. q. 1. A.*

Ex quo sequitur, quod in lege naturæ sufficiebat actus 49
alicuius infidelis intendentis facere super infantem, quod fidelium congregatio faciebat, sicut modò dicimus de baptismo; hoc est enim fides obiectiua implicita contenta in generali voluntate faciendi, quod vera Ecclesia faceret; qua ratione Aug. *lib. 1. contrà Cresconium c. 31. & ep. 103.* circa medium docebat circumcisionem à Samaritano collatam fuisse validam non minus, quàm nunc validus est baptismus ab hæretico collatus; eadem autem est ratio de remedio legis naturæ pro paruulis instituto, cui circumcisio successit, quarè ad validitatem illius Sacramenti non fui necessaria fides explicita, & infusa venturi Messiæ, sed sufficiebat obiectiua implicita in illa generali voluntate contenta faciendi, quod vera faceret Ecclesia. Ex quo patet solutio illius quæstionis, quæ hic exagitari solet, quænam tunc venturi Messiæ fides fuerit necessaria ad validitatem, & efficaciam talis Sacramenti; de qua videri potest Brancatus noster *disp. 4. art. 5.*

Tertiò dicendum est, signum hoc sensibile, quod erat in 50
lege naturæ contrà originale peccatum, fuisse signum determinatum, quantum sufficit ad rationem Sacramenti. Hæc deducitur ex Scoto *loc. cit.* dùm inquit in corpore quæstionis, necessarium fuisse aliquod signum sensibile externum, quod parentes applicarent paruulo, & esset fidei protestatiuum, siuè hæc protestatio fieret, vel per sacrificium, vel in verbo aliquo inuocandi Deum, vel offerendi paruulum Deo; & inquit debuisse tale signum esse certum illi paruulo dimittere peccatum originale; ad hoc autem, vt esset ità certum, debuit aliquo modo saltem in genere esse institutum, & determinatum a Deo, vt certa esset Ecclesia, quodnam esset remedium pro peccato paruulorum; atque ità ex diuina institutione debuit determinari, licet hoc in Scriptura non appareat. Addidi autem illam limitationem, *quantum sufficit ad rationem Sacramenti* quia ad veram Sacramenti rationem satis est, vt sit practicum signum gratiæ à Deo quoad genericam tantùm rationem institutum, vt patet in pluribus Sacramentis nouæ legis, nam materia Matrimonij non est contractus his, vel illis determinatis circumstantijs vestitus, sed contractus legitimus quibuscunq; tandem sit conditionibus, & circumstantijs firmatus; neque ex hoc, quod matrimonium potest confici signis, nutibus, vel verbis dicitur signum indeterminatum, sed adhuc determinatum censetur, quantum sufficit ad rationem Sacramenti. Sic pariter materia calicis non est hoc, vel illud vinum in specie determinatum, sed vinum de vitæ in genere: Quod adhuc clarius constat de Sacramento ordinis, quod non fuit a Christo in certa determinata materia, vel forma institutum, sed tantùm in genere sub ratione signi expressiui potestatis, quæ per ordinem traditur; sic igitur pariter in proposito ex eo, quod illa fidei protestatio fieri potuit verbo, vel scripto, aut cultu Dei ab eodem instituto, non proindè diceretur signum indeterminatum; sed adhuc censeri debet determinatum, quia Deus voluit, & determinauit

nauit esse actum exteriorem, & sensibilem fidei, & non alterius virtutis à fide, quatenus distinguitur à fide, quod est etiam esse aliquo modo determinatum in specie, atque ideò censeri debet determinatum, quantum sufficit ad rationem Sacramenti; Eo enim ipso, quod dicitur Deum ipsum determinasse fidei protestationem hac, vel illa actione faciendã, iam est signum à Deo determinatum quantum sufficit ad rationem Sacramenti, quia est etiam quodammodò determinatum in specie. Non fuit autem hoc signum à Deo determinatum omninò quoad speciem, vel indiuiduum, quia si tale fuisset, aliqua illius notitia ad nos peruenisset, vel per scripturam, vel per traditionem; cum igitur nulla ad nos talis peruenerit notitia, nullum est fundamentum asserendi illud fuisse in aliqua specie certa actionis à Deo determinatum; & hoc illi naturæ statui valdè congruum fuit, in quo Deus, absque vlla positiua lege per solum interiorem gratiæ instinctum, & priuatæ reuelationis, homines ad salutem dirigebat, vt notat Amicus *loc. cit.*

51 Ex quo patet inanem esse disputationem Fabri *disput. 4. cap. 5.* & Brancati *disput. 4. art. 4.* contrà Suarez de huius signi determinatione, & esse non posse, nisi litem de nomine; falsum enim est, quod Scotus docuerit, vt ei imponit Suarez *loc. cit.* fuisse in eo statu institutum à Deo signum sensibile in specie determinatum sub certa quadam cæremonia à Deo definita; non enim aliquid tale apud Doctorem reperio, imò potius oppositum; solùm enim inquit, hoc signum à Deo institutum in lege naturæ contrà originale peccatum pro paruulis fuisse externam fidei protestationem, siuè ista protestatio fieret verbo aliquo inuocandi Deum, vel offerendi paruulum Deo, ità expressis, & conceptis verbis loquitur *q. 7. cit.* in solutione ad primum; non ergò inquit hoc signum sensibile fuisse à Deo determinatum in specie sub certa quadam cæremonia, sed tantum in genere exterioris actus protestatiui fidei; Imò nec aliter, nec alio modo etiam relati Scotistæ mentem Doctoris intelligunt; inquiunt enim, quod etsi dicatur potuisse illam protestationem fieri verbo, vel scripto, aut cultu Dei ab eodem instituto; non proindè dici deberet signum indeterminatum, sicut per hoc, quod matrimonium potest confici signis, vel nutibus, aut verbis, non dicitur signum indeterminatum; & eo quod Eucharistia fieri possit in pane fermentato, vel azimo, & sanguis sub vino albo, vel rubeo, non dicitur signum indeterminatum; Et eo ipso quod dicitur Deum ipsum determinasse fidei protestationem hac, vel illa actione faciendam, iam dici debet signum à Deo determinatum; ità, inquam, loquuntur præfati Scotistæ, præsertim Brancatus; at hoc aliud non est dicere, quàm hoc signum protestatiuum fidei venturi Messiæ non fuisse à Deo determinatum in specie actionis, sed tantùm in genere relinquendo illud in specie, & indiuiduo determinandum ab ipso applicante. Hoc autem ipsum, & nil aliud, asserunt Suarez, Amicus, & alij Recentiores, dùm de istius signi determinatione loquuntur; vndè re ipsa omnes conueniunt, neque Scotistæ illi defendunt opinionem Scoto à Suarez impositam, quod illud sensibile signum fuerit à Deo in specie determinatum sub certa quadam cæremonia, sicut nec re vera ad mentem Doctoris tueri potest, sed tantùm in genere, quo etiam modo loquuntur Rada, Aretinus, & alij Scotistæ in præsenti. Sed hæc conclusio adhuc magis clarescet ex solutione obiectionum, vbi declarabitur, quo sensu illa cæremonia sensibilis dici possit, ac debeat fuisse à Deo determinata etiam in specie, & non tantum in genere, ex quo patebit non esse posse litem, nisi de voce.

52 Quartò dicendum est; illud remedium contrà originale in lege naturæ in sensibili signo positum, fuisse verum, & proprium Sacramentum, cui definitio Sacramenti iam assignata verè, & propriè conueniebat. Conclusio est Scoti *loc. cit.* in qua Recentiores nobiscum conuenire videntur, re tamen vera non conueniunt, quia tam huic Sacramento in legis naturæ, quàm circumcisioni in lege scripta veram, & propriam causalitatem ex opere operato, sicut ab initio quæstionis *numer. 41.* descripta est, non concedunt; dicunt enim hæc Sacramenta non contulisse gratiam paruulis ex propria vi, & virtute, vt requiritur ad causalitatem ex opere operato propriè dictam; sed ex speciali prouidentia Dei pro illa necessitate, & sic non conferebant gratiam propriè ex opere operato, sed impropriè; accipiendo nimirum opus operatum, prout excludit meritum, & dispositionem operantis; vndè non dicunt illa Sacramenta simpliciter ex opere operato gratiam contulisse, sed per modum operis operati, quatenus in eis peccatum originale remittebatur, & gratia infundebatur à Deo, quasi ex quadam liberalitate, posita illa condizione, ob extremam paruulorum necessitatem, qui proprijs actibus saluari non poterant; Vndè nolunt antiqua illa Sacramenta fuisse propriè causas sanctificantis gratiæ, sicut sunt noua, quia vt verè Sacramentum dicatur causa gratiæ, non sufficit, vt ad præsentiam illius infallibiliter ponatur gratia, nam hoc potest puræ conditioni conuenire, quæ re vera non habet rationem causæ, nec principalis, nec instrumentalis, vt constat ex Physicis, quo pacto tantùm antiqua illa Sacramenta ad gratiæ collationem concurrebant; sed vlterius ad rationem causæ requiritur, vt aliquo modo siuè physicè, siuè moraliter influat in effectum; ità discurrunt Suarez, Amicus, Caspensis, & cæteri Recentiores.

Nos autem dicimus illa quoque antiqua Sacramenta 53
pro originalis deletione à Deo instituta gratiam contulisse, non tantùm per modum puræ conditionis modo ab ipsis explicato, sed verè, & propriè ex opere operato, & ex propria vi, & virtute, vti confertur à nouis Sacramentis, siuè physicè, siuè moraliter, vt amplius patebit *art. seq.* loquendo de Circumcisione, licet adhuc notabile remaneat discrimen inter noua, & vetera Sacramenta; Quod euidenti ratione probatur, nam Sacramenta illa absque bono, vel meritorio opere, siuè ministrantis, siuè suscipientis effectum illum gratiæ conferebant; poterat enim Sacramentum illud, siuè legis naturæ, siuè scriptæ, nedum ab infideli conferri, sed etiam ex prauo fine, & mala intentione, & adhuc validum fuisset, si faceret intendisset, quod Ecclesia, vel congregatio fidelium facere intendebat, vt suprà dictum est, ac etiam præfati Recentiores concedunt; ergo ex opere operato cum omni proprietate gratiam conferebant; consequentia patet, quia alius modus non datur in productione gratiæ, nisi vt intuitu meriti, vel Sacramenti virtute conferatur; Et planè vanum omninò est, quod dicunt Recentiores citati, Sacramenta illa gratiam ex propria vi non contulisse, sed per modum puræ conditionis ex speciali prouidentia Dei pro paruulorum necessitate, & ideò non propriè ex opere operato vim contulisse, sed impropriè. Hoc, inquam, omninò vanum est, nam omne Sacramentum, quod confert gratiam ex opere operato, hoc habet ex speciali prouidentia, & institutione, ac pacto diuino; ergo hæc differentia est nulla, & in solis verbis consistens. Tùm quia si Sacramenta illa antiqua ad deletionem originalis culpæ à Deo instituta infallibiliter ad eorum positionem gratiam conferebant; parum refert, si vt conditio, vel vt causa gratiam ponerent, dummodò efficaciter, & infallibiliter gratiam conferrent; sic enim, & non aliter causant gratiam Sacramenta nouæ legis, & hac ratione dicimus illa causare gratiam ex opere operato, vt fusius infra *n. 78.* Tùm denique quia si non ex opere operato eam conferebant; ergo nec gratia infundebatur, nec originale delebatur; consequentia patet, quia non alius modus possibilis erat liberandi infantes ab originali culpa; vndè inter nos, & Recentiores citatos nequit esse dissensio, nisi de solis vocibus, totum enim reipsa concedunt, quod nos dicimus, de illo remedio legis naturæ pro deletione originalis à Deo instituto, quod per illud culpa originalis delebatur, quod ad eius positionem gratia infallibiliter conferebatur absque vlla dispositione ex parte ministrantis, vel suscipientis; hoc autem nos dicimus esse gratiam conferre ex opere operato, & virtute ipsius Sacramenti, quidquid ipsi reclament.

Ex his clarè deducitur nostræ conclusionis probatio, 54
quod illud esset Sacramentum proprijssimè dictum, cui allata definitio Sacramenti verè, & propriè conueniebat; nam ex superioribus constat illud remedium in lege naturæ contrà peccatum originale fuisse institutum in signo sensibili, & à Deo, qui solus est auctor gratiæ, quæ per Sacramenta confertur; & insuper institutum fuit, vt cæremonia sacra, firma, & stabilis pro illo statu; imò & illud durasse pro fœminis Iudæorum, communis est Theologorum sensus, sicut circumcisio Abrahæ data in lege scripta mansit pro viris; erat denique signum practicum certum, & prius natura gratia, quæ paruulo conferebatur ad eius positionem, & ipso adhibito; ergo fuit verè, & propriè Sacramentum, & capax definitionis iam assignatæ. Confir. quia illud

illud signum erit ex diuina institutione ordinatum ad significandam gratiam quæ paruulis infallibiliter dabatur ad eorum sanctificationem, & Deo dedicationem, & in eadem cæremonia, & signo Christus venturus significabatur, ergo &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Soluuntur Obiectiones.

55 IN oppositum Primò obijcitur contra primam conclusionem probando in lege naturæ antè circumcisionem non fuisse aliquod remedium pro paruulorum iustificatione à Deo institutum, quia in tota antiquitate saltè antè D. Augnulla fit huius remedij mentio in Scriptura, vndè Apostolus Actorum 17. statum illum legis naturæ *tempora ignorantiæ, quæ despexit Deus*, appellat; nec aliquis SS. Patrum antè Aug. huius remedij meminit. Imò ipse D. Aug. *lib.* de dono perseuerantiæ *cap.* 12. & de natura, & gratia *c.* 8. asserit quosdam esse paruulos, quibus Deus noluit de remedio prouidere; at non potuit intelligere in alio statu, quàm in eo legis naturæ, nam post circumcisionem, & post baptismum scimus prouisum esse remedium. Conf. quia nullum videtur absurdum dicere tunc temporis pro paruulis nullum fuisse remedium institutum; quia etiam nunc videmus pro illis, qui in vtero materno decedunt, nullum fuisse remedium institutum, cùm in eo statu baptizari nequeant; Neque enim admittitur ab Ecclesia opinio Caiet. 3. *p. qu.* 68. *art.* 21. dicentis remedium salutis pro illis, esse oblationem ipsius prolis ad Deum cum aliqua benedictione, & inuocatione Sanctissimæ Trinitatis, siquidem repugnat Christi verbis Io. 3. *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire Regnum Cælorum*. Denique quia pueri illi in statu legis naturæ sufficientem causam suæ damnationis habebant, scilicet, originale peccatum ideoque non tenebatur Deus adhibere remedium ex iustitia; præsertim cùm ad Dei prouidentiam pertineat; vt permittat etiam aliquos defectus propter bonum vniuersi.

56 Respond. locum ab auctoritate non semper validum esse, vt ex eo ritè deducatur ità non fuisse, & in casu nostro valdè ponderanda sunt Aug. verba superius allata ad probandam conclusionem ex *lib.* 5. contra Iulianum, Scripturam aliqua necessaria de causa voluisse nos latere, quid Sacramentum illud fuerit; quando autem Apostolus ea tempora appellat ignorantiæ, non loquitur absolutè, quasi omni prorsus remedio caruerint, sed comparatiuè respectu legis gratiæ; Et cùm Aug. videtur dicere oppositum, non loquitur de remedio generaliter instituto, alioquin sibi manifestè contradiceret; sed de huius remedij applicatione ad singulos; frequenter enim ità permittente Deo remedium quibusdam non applicatur, & in hoc sensu dicit eos sinè remedio relictos esse, non quoad generalem respectu omnium institutionem, sed quoad applicationem respectu quorundam. Ad Confirm. negatur assumptum, ad eius probationem negatur non fuisse remedium institutum pro decedentibus in vtero materno; sed solùm dici debet, quod non fuit eis applicatum, cùm ex cursu naturæ applicatio fieri non potuerit, quem Deus impedire non tenetur, siquidem finit causas secundas motus suos agere, vt declaratum est *numer.* 46. Ad vltimum; concedimus Deum non obligari ex iustitia ad hoc remedium instituendum, sed ex sua benignitate, & prouidentia id facit; & propter bonum Vniuersi ad aliud non tenetur, quam finere causas secundas motus suos agere, ex quibus interdum contingit per accidens mors infantium in vtero materno, quibus prouisum est, dum modo humano viuunt, hoc est, ab vtero materno separati; quamdiù enim in eo delitescunt, reputantur suorum parentum partes, nec potest illis remedium institutum modo humano applicari, vt dictum est ibi.

57 Secundò arguitur contra secundam conclusionem probãdo, remedium pro paruulis institutum in lege naturæ positum esse in solo actu fidei interiori, ex D. Greg. 4. moralium c. 2. & 3. vbi ait, quod apud nos valet aqua baptismatis, hoc apud veteres egit, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij; ergo si pro paruulis sola fides valuit, non aderat coniunctum aliquod signum sensibile. Conf. quia soli maiorum fidei tribuunt alij quoque Patres iustificationem infantium in lege naturæ, vndè manauit commune Theologorum dictum, quod pueri in lege naturæ saluabantur in fide parentum, ergo non erat aliquod aliud sensibile signum, alioquin non dicerentur saluari in fide parentum, sed per illud Sacramentum, quemadmodum in lege noua saluari dicuntur per baptismum, & in lege veteri per circumcisionem. Denique si fuisset aliquod sensibile, debuisset à Deo reuelari; sed hoc non legitur; ergo &c.

Respondet Doctor *d.* 7. *ad* 1. Gregorium ibi per fidem non intelligere actum fidei internum, sed externum, intelligit enim protestationem fidei, quæ non fit per actum internum, sed externum: hæc enim in communi modo loquendi dicitur fides, sicut ab opposito externa infidelitas, vel negatio fidei vocatur hæresis, vel infidelitas; Et quando dicit solam fidem iustificasse paruulos, non vult intelligere solam fidem sine applicatione actus exterioris, sed sine applicatione sacrificij, vt requirebatur in adultis, ponit enim ibi differentiam inter iustificationem infantium, & adultorum penes hoc, quod paruuli iustificabantur sine sacrificio, adulti verò sacrificio mediante, cum quo stat, quod etiam in infantium iustificatione signum sensibile necessarium erat, dummodò non esset sacrificium. Ad Conf. quando dixerunt Patres infantes in statu legis naturæ in fide parentum fuisse iustificatos, hoc non in eo sensu dixerunt, quasi sola fides interna sufficeret sine actu externo, & sensibili; sed quia salutem habebant ex sola fide Christi venturi, & non ex alio actu alterius virtutis, v. g. spei, vel charitatis; Vndè significare voluerunt, quod sola sufficiebat externa protestatio fidei in Christum, quicunq; fuerit actus explicandi fidem illam, nam licet actus fuerit alterius virtutis, v. g. spei, vel charitatis non tamen iustificabat, vt erat talis actus spei, vel charitatis, aut alterius virtutis, sed vt expressiuus præfatæ fidei. Ad vltimum, si argumentum valeret, militaret æquè contra signũ internum, ac externum; non enim legitur in Scriptura, aliquod signum à Deo pro eo statu institutum nec externum, nec internum; ait itaq; Doctor *loc. cit.* probabile esse, quod alicui SS. Patrum, cum quo tunc frequentius loquebatur, illud signum reuelauerit contrà originale institutum, cùm homo ex se non potuerit illud sibi facere; licet cui, & quando Scriptura non dicat, quæ ab Adam, vsq; ad Abraham satis succinctè pertransit. 58

Tertiò arguitur contrà tertiam conclusionem probando, quod signum sensibile à Deo institutum contrà originale in lege naturæ, non fuit in specie indeterminatum, vt in ea significari videtur; quasi in hominum potestate fuerit hoc, vel illud determinare; nam Sancti vocant remedium illud pro paruulis in statu legis naturæ Sacramentum: at Sacramentum saltem regulariter à solo Deo instituitur quoad determinationem signi, non à creatura, vndè inquit Scotus *loc. cit.* quod esset præsumptuosum, & inane ex se aliquid facere pro emundatione ab originali, cùm tale quodcunque non esset institutum à Deo, cuius virtute Sacramentum est efficax. Conf. quia si hoc signum non fuit a Deo determinatum in specie, sed tantùm in genere, relinquendo illud in specie, & indiuiduo determinandum ab ipso applicante, innumerabilia potuissent esse talia Sacramenta, quod videtur ridiculum; consequentia probatur, quia innumerabiles fuerunt homines pro illo statu, & vnusquisque ab libitum potuisset determinare sibi signum diuersum ab alio, quo protestaretur suam fidem, & illam applicaret paruulis; & ità signa fuissent innumerabilia, & cùm Sacramentum determinetur à signo, Sacramenta pro illo statu contrà peccatum originale fuissent innumerabilia. Tandem, necessarium fuisset Deum reuelare ipsis hominibus in potestate eorum esse determinationem talis signi sensibilis: de qua reuelatione nihil constat in Scriptura, neque apud Patres: ergò sine fundamento fingitur talis libera potestas in hominibus determinandi hoc signum sensibile quoad speciem; ità arguit Faber *loc. citat.* & similia quoque Brancatus obijcit. 59

Resp. hæc similia argumenta procedere ex non rectà intelligentia illius tertiæ conclusionis, qua rectè explicata cessabit omnis quæstio; Quando enim dicitur signum illud sensibile fuisse in genere dumtaxat à Deo determinatum, non ità intelligendum est, quasi Deus determinauerit solum, aliquod signum sensibile, & externum esse applicandum infectis à peccato originali, non determinando in particulari, quodnam esset tale signum, sed relinquendo omninò libertati conferentium huiusmodi Sacramentum, assumere quodcunque vellent; Imò Deus voluit, & determinauit 60

nauit tale signum esse actum exteriorem, & sensibilem fidei, & non alterius virtutis à fide quatenus à fide distinguitur; vnde licet minister tale signum applicuerit infantibus per actum alterius virtutis, ver. gr. spei, vel charitatis; non tamen, vt actus charitatis, vel spei iustificationem operabatur, sed vt expressiuus præfatæ fidei; ergò materia saltem secundum esse formale fuit à Deo determinata in illo Sacramento legis naturæ, sicut etiam sic determinata fuit semper in sacramentis nouæ, & antiquæ legis, quia talis determinatio secundum esse formale est de essentia sacramenti, vt sic. Confirmatur, quia vt suprà arguebamus cum Doctore, nullus vteretur aliquo remedio pro infantium salute, nisi certo nouerit illud remedium profuturum; sed nemo potest esse certus de aliquo remedio, nisi sciat illud esse à Deo institutum, & ab ipso determinatum, quia cum solus Deus iustificare possit, solus ille instituere potest signa gratiæ, & iustificationis, non homo particularis, nec Respublica, neque tota Ecclesia. Et hoc idem non obscurè colligitur ex verbis August. citatis lib. 5. contrà Iulianum cap 9. Scripturam aliqua necessaria de causa latere voluisse, quidnam illud sacramentum fuerit; at non ignoramus fuisse in genere cæremoniam quandam sensibilem, sed an esset in specie oratio, vel oblatio, aut aliquid simile; ergò signum illud institutum ad delendum originale in statu naturæ non fuit quandocunque sensibile, itaut sufficeret Deo illud esse signum sensibile; determinatio autem eius in specie consisteret in manu applicantis, vel Reipub. sic instituentis; sed Deus voluit, & determinauit esse actum externum, & sensibilem fidei, & non alterius virtutis à fide nisi materialiter, sufficiebat enim, vt esset externa protestatio fidei in Christum venturum, qualiscunque fuisset virtutis actus explicandi fidem illam, ergò non tantùm in genere in ratione signi sensibilis, sed etiam specie, idest, in ratione talis signi sensibilis fuit Sacramentum illud à Deo institutum, nempè quod esset actus externus fidei protestatiuus, relinquendo tantum in libertate applicantis, quod talis protestatio fidei fieret quocunque actu virtutis ipse vellet; vndè determinatio in eius potestate relicta non fuit quoad formale, sed tantùm quoad materiale.

61 Hæc autem determinatio quoad materiale non spectat ad rationem sacramenti, quia determinatio signi non sumitur à materiali ipsius signi, sed à formali, scilicet, à significatione humana, & ideò diuersitas vocum, vel accentiuum in diuersa lingua non variat formam sacramentorum, quia in humana significatione idem significant, neque proinde sacramentorum forma dicitur indeterminata; hoc etiam modo in matrimonio non sunt res determinatæ, seù signa determinata pro materiali, quia potest consensus exprimi per verba, & per nutus, vel alia signa, quæ in esse naturæ sunt res diuersæ; quia tamen hæc omnia habent vnam, & eandem significationem in ordine ad espressionem consensus, ideò reputantur vnum, & idem signum pro formali, quia determinatio signi non sumitur à materiali ipsius signi, sed à formali, & hac ratione non obstante ea indeterminatione pro materiali forma baptismi, & matrimonij censetur determinata. Sic igitur in proposito discurrendum est de illo sacramento in lege naturæ, quod illa signa externa, quibus parentes fidem protestabantur pro paruulo, non erant determinata à Deo quoad materiale, quia non erat idem signum in esse naturæ, sicut fuit in Circumcisione, & modò est in baptismo, quia ea protestatio fidei poterat fieri per quemcumque actum virtutis nam fieri poterat, vt inquit Scotus, vel in verbo aliquo inuocandi Deum, vel offerendi paruulum Deo, vel per aliud simile, erant tamen determinata quoad formale, idest, quoad significationem, quia per hunc, vel illum virtutis actum semper fides in Christum venturum exprimebatur, & ideò illud remedium sumpsit nomen à significatione, vt per quemcunq, actum virtutis fieret, semper dicebatur protestatio fidei in Christum venturum, quia licet esse actus alterius virtutis, non tamen, vt talis, salutem paruuli operabatur, sed præcisè, vt expressiuus præfatæ fidei.

62 Hinc patet, quo sensu dixerimus suprà conclusione tertia n. 50. non fuisse à Deo determinatam cæremoniam illam sensibilem in aliqua certa specie actionis, sed tantum in genere; non enim ità intelligendum est, quasi signum illud à Deo institutum ad delendum originale in statu naturæ fuerit quicunque actus virtutis sensibilis, & externus, ità vt sufficeret Deo esse signum sensibile alicuius virtutis, determinatio autem eius in specie consisteret in manu applicantis; imò diximus Deum voluisse, & determinasse in particulari, quod hic actus exterior, & sensibilis esset protestatio fidei, & non alterius virtutis, vt passim docent Patres; sed ità intelligendum est, quod illa cæremonia non fuit à Deo determinata in certa specie actionis, itaut esset semper eadem actio, & idem signum in esse naturæ, sicut fuit in Circumcisione, & modò est in baptismo; quia ea fidei protestatio fieri poterat per quemcumque actum alterius virtutis, spei, charitatis, religionis &c. sicut modò expressio consensus in matrimonio fieri potest per verba, vel nutus, aut alia signa; vndè determinatio relicta in manu applicantis non fuit quoad formale, idest, quoad significationem, quia semper significabat, quocunque actu fieret, fidei expressionem, & protestationem, sed tantùm quoad materiale, quod non spectat ad rationem Sacramenti; Et ideò inanem esse dicebamus sub num. 51. disputationem Fabri, & Brancati contendentium signum illud fuisse à Deo determinatum non tantùm in genere, vt dicunt Suarez, & alij Recentiores, sed etiam in specie; Quia nec Recentiores illi poterant dicere fuisse determinatum tantùm in genere signi sensibilis, quodcunque illud esset, determinatio autem in specie esset in manu, & potestate applicantis quoad formale sacramenti; Nec Scotistæ illi poterant dicere esse à Deo determinatum in specie, non tantùm quoad formale, sed etiam quoad materiale, quasi in esse naturæ determinata à Deo fuerit quædam particularis cæremonia in certa specie actionis, sicut fuit cæremonia Circumcisionis, & modò est baptismi; quia talis certa cæremonia nec nobis constat, nec est de essentia Sacramenti, nec vnquam in hoc sensu Scotus significauit illud signum fuisse à Deo determinatum in certa specie actionis quoad materiale, sed loquitur sub disiunctione, quod illa protestatio fieri poterat, vel aliquo modo inuocando Deum, vel offerendo paruulum Deo, vel alio simili modo. Hac etiam ratione dicebamus signum illud sensibile fuisse à Deo determinatum non tantùm in genere, sed etiam aliquo modo in specie, sed non omninò, quia erat determinata in specie tantùm quoad formale, quatenus actus ille exterior debebat esse protestatiuus fidei, & non alterius virtutis; non autem quoad materiale, quia hæc potestatio, & expressio fidei per quemcunque actum virtutis exteriorem fieri poterat; vndè in ordine ad materiale illud dignum erat determinatum tantùm in genere, in ordine verò ad formale, quod est significatio, non erat determinatum tantùm in genere, sed etiam in specie. Ex qua tandem doctrina manent soluta argumenta Fabri posita sub n. 59. non enim hinc sequitur fuisse in potestate creaturæ Sacramentum instituere, neque innumerabilia fuisse illa Sacramenta, tot nimirum quot fuissent signa ab applicantibus assumpta ad significandam fidei protestationem; cùm enim inquit Sacramentum determinari à signo, hoc est verum de signo sumpto pro formali, & ratione significationis, non verò sumpto pro materiali, quia hoc non variat rationem Sacramenti, vt constat in exemplo adducto de Matrimonio.

Ad Brancatus instat neque determinationem illius signi 63
sensibilis fuisse à Deo relictam in potestate applicantis, quoad materiale, quia diuersitas illorum materialium, in quibus fundatur eiusdem fidei significatio, estò materialiter se habeat ad talem significationem, adhuc tamen determinata esse debet; non enim licebat cuilibet vagari per omnia materialia, & instituere quocunque signum etiam pro materiali ad significandam fidei protestationem; sed debebat vti rebus, vel dictis à primo instituente determinatis ad significandum fidem, & assumptis à Deo ad significandam gratiam, & deletionem originalis. Tùm quia si in tanta libertate esset in signum protestationis etiam pro materiali, vbi esset vnitas Ecclesiæ, & fidelium, quàm ità instanter inculcat S. August. hæc enim dependet ab vnitate cæremoniarum, & rituum; vt enim inquit August. lib. 19. contrà Faustum, in nullum nomen Religionis possunt homines congregari nisi aliquorum sacramentorum, velut signorum visibilium consortio colligentur.

Respondeo, quod in eodem articul. 4. Auctor ille paulò 64
suprà contentus fuit determinatione signi sensibilis à Deo instituti quoad formale, quia determinatio signi, & vnitas sacramenti non sumitur à materiali ipsius signi, sed à forma-

formali; & ex hoc solo, quod remedium paruulorum debuit applicari per actum externum fidei, qui esset veluti exterior professio interioris fidei, concludit tale signum fuisse à Deo determinatum, non tantùm in genere, sed etiam in specie, quantum sufficit ad rationem Sacramenti; Quod si dicatur, Deum ipsum determinasse fidei protestationem hac, vel illa actione faciendam; inquit hoc sufficere, vt dicatur signum à Deo determinatum, quia illa diuersitas actionum ad rationem Sacramenti materialiter se habet, vt verba, nutus, & alia signa ad Matrimonium; Quare non video, cur posteà exposcat ad illud Sacramentum determinationem signi etiam pro materiali. Negatur itaque assumptum quia determinatio illius signi etiam pro materiali, & in esse naturæ à Deo determinata non fuit in lege naturæ, sicut determinata fuit in lege scripta in Circumcisione, & in lege gratiæ in baptismo.

Ad Confirmationem negatur consequentia, quia ad vnitatem Sacramenti pro tota Ecclesia, & congregatione fidelium, sufficit vnitas, & determinatio signi pro formali à Deo facta, & non est necessario vnitas, & determinatio signi pro materiali, vt constat de Sacramento Matrimonij vbi per diuersas actiones exprimi potest, & significari consensus nubentium; præterquamquod certum est, quod nec in lege naturæ, nec in lege scripta erat tanta vnitas fidelium in signorum visibilium consortio, sicut est modò in lege gratiæ; hic enim omnes fideles vtriusque sexus per idem signum visibile baptismi ab infidelibus discriminantur, in lege autem scripta viri tantùm per signum Circumcisionis ab alijs sectis secernebantur, non verò fœminæ, cùm eius capaces non essent absolutè ergò loquendo vnitas, & determinatio signi etiam pro materiali ad rationem Sacramenti necessaria non est, sed sufficit vnitas signi pro formali, & quoad humanam significationem.

65 Quartò arguitur contra quartam conclusionem, quod remedium illud in lege naturæ pro originalis deletione institutum non sit verum, & proprium Sacramentum; quia ad rationem Sacramenti requiritur significatio gratiæ, significatio verò gratiæ non potest in esse Sacramentis naturaliter, sed tantùm ex institutione diuina, nam instituere signa practica gratiæ solius Dei est; si autem Deus instituisset de facto aliquod signum gratiæ in lege naturæ, esset iam illud certum, & determinatum non minus, quàm in lege veteri, & euangelica, quod tamen sine fundamento asseritur.

Confirmatur, quia aliter sequeretur non modò illud Sacramentum fuisse causam sanctitatis imperfectæ, sed etiam perfectæ in puero, cui applicabatur, non secus ac nunc baptismus est causa sanctitatis perfectæ in puero, cui applicatur; ergò si etiam illud erat practicum signum gratiæ, ad cuius præsentiam Deus infallibiliter illam conferebat, erat vera causa gratiæ; hoc autem non cohæret cum doctrina Concilij Florentini de vnione Armenorum, vbi vniuersaliter negat antiqua Sacramenta causasse gratiam, sed tantùm eam per Christum dandam præfigurasse. Denique quia signum illud sensibile non erat determinatè institutum à Deo, sed solùm in genere, vt fieret aliquod signum exterius potestatiuum, & manifestatiuum fidei Mediatoris, quodcunque illud esset; at verum Sacramentum debet esse signum à Deo determinatum in specie, vt patet in Sacramentis nouæ legis, ergo non fuit verum, & proprium Sacramentum; maior probatur, quia illud signum, si fuisset in specie determinatum, perseuerasset etiam in lege scripta, saltem pro fœminis, & pueris antè octauum diem si mortui fuissent.

66 Respondetur, Sacramenta legis naturæ, & determinatos illorum ritus fuisse ex institutione diuina, non lege aliqua scripta, & promulgata, sed legibus priuatis, quatenus Patriarchis, & excellentioribus viris Deus interius inspirabat prædicta Sacramenta, vt ipsi cæteros docerent, ità Scotus *loc. cit.* & D. Thomas *par. 2. qu. 103. artic. 1. in corpore*. Ad 2. Recentiores tenentes illud signum fuisse verum sacramentum negant esse de ratione sacramenti, vt sic, quod conferat gratiam ex vi sua, & ex opere operato, quia hoc solùm habent noua sacramenta; & dicunt ad rationem sacramenti sufficere, quod sic signum gratiæ saltem ad præsentiam ipsius conferendæ, & quod per illud causetur aliqua sanctitas saltem imperfecta, quæ omnia dicunt conuenisse remedio paruulorum legis naturæ. Verum hanc solutionem non subsistere patet ex dictis numer. 53. & magis patebit ex dicendis, quia de ratione Sacramenti verè, & propriè dicti, vt hic de eo loquimur, est quod sit signum gratiæ practicum, illamque causet virtute propria, quod est causare ex opere operato, siuè id faciat physicè, siuè moraliter; & hoc modo remedium illud paruulis gratiam contulisse dicimus in lege naturæ; quomodo autem intelligendum sit Concilium Florentinum explicabitur seq. art.

Ad vltimum patet ex tertia conclusione, & solutione argumentorum contrà ipsam, quomodo signum illud sensibile fuit à Deo determinatum non tantùm in genere, sed etiam in specie signi sensibilis, quantum spectat ad formale signi, quod est significatio, licet indeterminatum esset quoad materiale, idest, quantum ad actionem, & cæremoniam, qua fieri debebat protestatio fidei Mediatoris. Dices, hinc sequi remedium paruulorum coarctatum esse in lege scripta, vel gratiæ magis, quàm esset in lege naturæ, quia nunc determinata cæremonia requiritur; remedium autem eo facilius, & generalius est, quo minorem habet determinationem, & in re quacunque adhiberi potest. Respondetur negando consequentiam, quia tunc ad valorem Sacramenti necessariò requirebatur fides Christi venturi modo iam explicato num 49. cuius exterior protestatio fieret, quæ fides Christi difficilior tunc erat propter tarditatem hominum, obscuritatem mysterij, & ignorantiam illorum temporum, quàm nunc sit aqua, & talia verba, & actio baptizandi; tùm quia licet nunc determinata sit cæremonia paruulorum ad regenerationem; tamen est valdè facilis, & in rebus consistens, quæ obuiæ sunt, & præ manibus semper habentur, idque fieri debuit ob expressionem fidei significationem, & repræsentationem, & maiorem Ecclesiæ vnitatem. 67

ARTICVLVS TERTIVS.

Qui dicendum sit de Circumcisione pro statu legis scriptæ.

PRimò, dicendum est Circumcisionem non solùm fuisse à Deo institutam in signum populi hoc charactere signati, sed etiam in remedium originalis culpæ pro paruulis. Hæc est contrà primam opinionem ab initio huius quæstionis citatam *num. 44.* quam Scotus docet *4. d. 1. qu. 6.* vbi ab initio quæstionis dicit in primis supponendum esset tanquã certum, quod circumcisio peccatum originale delebat, & sequuntur Scotistæ passim, ac Recentiores ferè omnes, Hanc docent plures Patres Gregorius, Beda, Bernardus, Prosper, Fulgentius, Hugo, sed præsertim Aug. *lib. 3. contra Iulianum cap. 18.* & *lib. 5. cap. 9. lib. 2. de gratia, & peccato originali cap. 30. lib. 16. de Ciuit. Dei cap. 27. lib. 4. de baptismo c. 24. lib. 2. de nuptijs, & concupisc. cap. 11.* & alibi frequenter, quam deducit ex ipsamet institutione Circumcisionis Genes. 17. *Masculus, cuius præputij caro circumcisa non fuerit, delebitur anima eius de populo*, quem locum ità interpretatur August. cum alijs Patribus citatis, quia paruuli originali culpa vulnerati, nisi per circumcisionem eius remissionem obtinebant, damnabantur. 68

Respondent Bellarminus, Vasquez, Beccanus, & alij eo loco impositum fuisse præceptum adultis ex Abrahamo descendentibus, vt ipsi circumciderentur, & filios suos circumcidendos curarent, & alioqui in pœnam huius transgressionis impositam illis fuisse mortem, aut expulsionem à cætu fidelium, per illa enim verba, *delebitur anima eius*, non solet in Scriptura significari pœna damni, vel gehennæ, sed semper pœna aliqua temporalis, pro quo nonnulla loca Scripturæ Beccanus affert.

Verùm hæc expositio, & responsio reijcitur auctoritate illorum Patrum de pœna mortis animæ, vt verba ipsa Scripturæ sonant, locum illum exponentium, & non de morte corporis, etiamsi in alijs Scripturæ locis accipiatur pro pœna temporali; Quæ expositio confirmatur etiam auctoritate Innocentij Tertij cap. *Maiores de baptismo*, vbi dicit baptismum successisse Circumcisioni, & comparat illa verba, *Masculus, cuius præputij caro*, cum illis; *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei*, deindè concludit, quod licet per Circumcisionem tolleretur peccatum originale non minus, quàm per baptismum, tamen baptismum in eo præstare, quod baptisati statim possint introire in regnum Cœlorum, quod circum- 69

circumcisi non poterant facere, quia ianua nondùm erat aperta. Neque satisfacit, quod respondent relati Auctores Innocentium ibi nihil definijsse, sed tantùm priuatam suam sententiam insinuasse. Cùm enim Pontifex absolutè locutus fuerit simul de circumcisione, ac de baptismo, iam nullo modo eius doctrinæ contradici potest; Tùm etiam quia *cap. Ex quo, & cap. Quod autem de Consecratione d. 4.* hoc idem habetur ex verbis D. August. & D. Gregorij. Tandem hoc ipsum expresse deducitur ex Euangelio Ioan. 7. vbi Christus Iudæis dixit, *Circumciditis hominem in Sabbato, & mihi indignamini, quia totum hominem salvum feci in Sabbato*, per hoc innuens, quod ipse sanum fecit hominem, & quoad animam, & quoad corpus, vbi circumcisio hominem tantùm quoad partem sanabat, scilicet, quoad animam.

70 Deindè probat Doctor ratione deducta ex congruitate, quia Deus nullo tempore reliquit humanum genus sine remedio necessario ad salutem, & maximè illos, quibus ipse dedit legem, vt per eius obseruantiam pertingerent ad salutem, at non potest ad salutem peruenire sine deletione originalis culpæ; ergò tempore legis Mosaicæ dedit aliquod remedium obseruantibus talem legem, quod non est nisi circumcisio vt colligitur ex verbis citatis Genes. 7. *Masculus, cuius præputij caro &c.* Ratio est, quia antè circumcisionem non erat determinatus certus actus externus remedij contra originale, quod extabat, pro paruulis in lege naturæ, vt supra dictum est, quādo ergò instituta fuit circumcisio, optimè intelligitur determinatum fuisse illud remedium ad talem ritum, vt congregatio fidelium in tali ritu esset magis vnita, quàm antea non erat, nam licet non inseruiret pro fœminis, sufficit quod inseruiret pro masculis, qui sunt nobilior, & prior pars Reipublicæ, cùm vir sit mulieris caput ex quo rursus sic arguere licet, signum externum professionis fidei fuit in remedium originalis culpæ pro statu legis naturæ: at circumcisio determinate fuit, vt esset signum externum professionis fidei; ergo ex vi suæ institutionis non tantùm determinata fuit ad discernendum populum tali charactere signatum à populo alieno, sed etiam in remedium culpæ originalis, nihil tamen in remissione addendo, quàm præstauerit illud remedium, & Sacramentum legis naturæ, quia si amplius daretur paruulis per circumcisionem, non debuissent ab illo remedio fœminæ excludi; quam doctrinam indicat Doctor *cit. litera A.* cùm inquit, circuncisionem non habuisse vim sanctificandi, ex vi ipsius legis scriptæ, sed quatenus erat quædam determinatio pro populo hæbreo communis remedij, quod extabat in lege naturæ, vt magis explicabitur infrà *numero* 86.

71 Respondet Cardinalis de Lugo *disp. 5. sect. 3.* ex hoc colligi, quod circumcisio, vt talis, & ex vi suæ institutionis, non erat deletiua originalis peccati, sed quatenus erat Sacramentum legis naturæ hoc sensibili actu exercitum? nam pro lege naturæ Sacramentum, vel remedium contrà originale erat protestatio fidei; tamen liberum erat hominibus hunc, vel illum actum adhibere in signum dictæ protestationis, & sufficiebat quicumque. Et quia fuit data Abrahæ lex circumcisionis ad distinguendum illum populum Abrahamiticum à cæteris, statuerunt vti hoc facto, scilicet, circumcisione pro signo illo protestatiuo fidei; vndè deducit, quod circumcisio reduplicatiuè, vt talis, fuit solum quoddam signum distinctiuum carnaliter populi Iudaici ab Abrahamo descendentis à cæteris nationibus; deleuisse verò peccatum orignale, quatenus erat Sacramentum legis naturæ eo sensibili actu exercitum; quarè concludit quod per circumcisionem formaliter non delebatur originale, sed per eam materialiter, quatenus signum externum professionis fidei, quæ erat Sacramentum iustificans, qua de causa communiter citari solet pro *2. sent. numer.* 44. relata.

72 Sed contrà, quia Circumcisio de se, & ex vi suæ institutionis habuit, vt fuerit quoddam sensibile sacrum signum fidei protestatiuum, quo paruuli specialiter dedicabantur Deo; ergo statim ac id habuit, habuit etiam, vt fuerit remissiuum peccati originalis; consequentia patet, quia iam erat in lege naturæ determinatum, vt omne signum sensibile sacrum fidei protestatiuum paruulis applicatum deleret eis originale peccatum. Confirmatur, quia si circumcisio ex se, & vi suæ institutionis est actio determinatiua protestationis fidei, quæ in lege naturæ indeterminata erat, & fieri poterat per actionem exteriorem cuiuscunque alterius virtutis ad libitum applicantis; ergo ex se, & vi suæ institutionis fuit deletiua originalis, & Sacramentum iustificans; consequentia probatur, quia vt videmus in Sacramentis nouæ legis, cùm fit coniunctio determinabilis, & determinatiui; totum illud concretum sortitur nomen Sacramenti; ergò sic pariter dicendum erit in proposito, quia hoc determinatiuum non ponitur à creatura, vt fiebat in lege naturæ, qua ratione materialiter tantùm, & concomitanter ad rationem Sacramenti spectabat; sed immediatè à Deo instituitur, ergo formaliter spectat ad rationem Sacramenti. Denique si dicatur, quod sola illa fidei protestatio, cui erat adiuncta circumcisio, peccatum originale delebat, & infantem iustificabat, non verò ipsa circumcisio; tunc Patres citati nihil concluderent in laudem circumcisionis, quando verba illa, *Masculus cuius præputij caro &c.* comparant cum illis, *Nisi quis renatus fuerit*, nam tota virtus, & energia delendi originale deberetur solùm illi protestationi, non verò circumcisioni, quę solùm materialiter, & concomitanter ad id munus concurreret, quatenus signum externum illius protestationis, quæ sola ponitur Sacramentum iustificans; ergo dicendum est circumcisionem, quatenus talem habuisse eos effectus, quos baptismus, quatenus talis, cùm Patres illi eos effectus baptismi non tantùm protestationi fidei, sed præcipuè circumcisioni, quatenus eam includit, & determinat; tribuant, & adscribant. Ex hac doctrina sequitur institutionem circumcisionis non fuisse propriè loquendo mutationem veteris Sacramenti culpæ originalis deletiui, & institutionem noui, quasi aliud fuerit remedium contrà originale in lege naturæ, & aliud in lege scripta, sed potiùs est idem sacramentum magis in lege scripta determinatum, quàm fuerit in lege naturæ, nam circumcisio fuit determinatio quædam communis remedij, & protestatio eiusdem fidei peculiari ritu facta.

Cæterum quoniam Circumcisio non tantum instituta fuit ad remittendum originale peccatum, sed etiam ad consignandum Dei populum, illumque distinguendum à cæteris nationibus, dubium est, an principaliter instituta fuerit pro remissione peccati, vel pro consignatione populi; Suarez *disp. 5. sect. 1.* quem plures sequuntur Recentiores, & ex nostris Faber, & Poncius volunt fuisse potiùs primò, & principaliter institutam ad consignandum populum, non autem ad remittendum originale peccatum nisi consequenter, & secundariò; Ratio est, quia iam Deus instituerat remedium sufficiens in statu legis naturæ ad hoc peccatum tollendum, quod fuit fides parentum paruulis applicata aliquo sensibili signo, vt suprà visum est; Tùm quia remedium principaliter institutum contrà peccatum originale debuit esse commune masculis, & fæminis, at circumcisio erat pro masculis tantùm, vndè pro illis in lege scripta valuit sacramentum, quod pro paruulis valebat in statu legis naturæ, & in lege Mosaica perseuerauit; hunc ergò volunt fuisse principalem scopum institutionis circumcisionis, vt plures Patres docent; tamen ex consequenti voluit etiam Deus hoc signum conferre iustificationem à peccato originali. 73

At Cabrera, & alij Thomistæ *qu. 70. art. 4.* contendunt fuisse primariò institutam in peccati remedium, & secundariò ad consignandum populum, & sequitur ex nostris Brancatus *disp. 5. art. 1.* quia finis principalis alicuius actionis est effectus nobilior, qui per eam producitur, ideò in omni generatione forma dicitur finis generationis; sed principalius in circumcisione est delere originale, & iustificare; ergò hoc erit dicendum primarius finis. Tùm quia licet baptismus segreget sensibiliter fidelem à Pagano, & deleat originale; non proindè dicitur finem primarium, & primum effectum intentione, vel dignitate esse segregare ab infidelibus corporaliter, sed culpam originalem dimittere; ergo idem dicendum de circumcisione, quia Patres eodem modo de vtriusque loquuntur, & eodem effectus illis tribuunt. Hæc tamen concertatio leuis est momenti, dummodò concedatur circumcisionem gratiam conferre, & peccatum originale delere; & absolutè loquendo præstat dicere cum Auersa *qu. 70. sect. 1.* circumcisionem secundum diuersas rationes fuisse primariò, & principaliter ad vtrumque effectum institutam; quatenus enim relinquebat externum in corpore characterem, ordinabatur ad consignandum, & distinguendum populum; quatenus verò

verò fuit determinatio quædam communis remedij, & exterior professio fidei peculiari modo facta, fuit primario instituta ad delendum originale peccatum.

74 Secundò dicendum est, circumcisionem gratiam contulisse ex opere operato, Conclusio est Scoti *loc. cit.* quam tenent Auersa, Morandus, & alij Recentiores, & est contra secundam opinionem ab initio quæstionis citatam sub num. 44. quæ licet concederet Circumcisionem ex vi suæ institutionis peccatum originale delere, & gratiam conferre, non tamen ex opere operato in rigore loquendo, sed modo quodam medio distincto ab opere operantis, & opere operato; Quod gratiam conferret, sequitur necessariò ex conclusione præcedenti, semel enim concesso, quod circumcisio instituta fuerit ad delẽdum originale peccatum, statim sequitur, quod gratiam contulerit, non enim aliter de potentia ordinaria peccatum originale deleri potest, quàm per gratiæ collationem, vt omnes concedunt. Quod verò eam contulerit ex opere operato probatur in primis auctoritate eorundem Patrum, qui manifestè eandem causalitatem, & eundem tribuunt causandi modum circumcisioni, & remedio legis naturæ, quam baptismo respectu gratiæ, vndè Gregor. lib. 4. Moral. c. 2. inquit, *quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres, vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro ijs, qui de Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium circumcisionis,* volunt ergo circumcisionem conferre gratiam ex opere operato, vt apud nos confert baptismus.

75 Deindè probatur eadem ratione, qua hoc idem superius *num.* 53. probatum est de Sacramento legis naturæ, circumcisio namque effectum iustificationis habebat paruulis applicata absque bono, vel meritorio opere suscipientis, vel ministrantis; de illo quidem patet, quia paruulis conferebatur actionum moralium incapacibus; de isto etiam constat, quia nedùm ab infideli poterat conferri, sed etiam ex prauo fine, & mala intentione, & adhuc valida fuisset, si facere intendisset, quod Ecclesia, vel congregatio fidelium facere intendebat, vt suprà dictum est *nu.* 49. ex D. Aug. *lib.* 1. *contra Cresconium c.* 31. *& epist.* 103. vbi ait circumcisionem à Samaritano collatam fuisse validam non minus, quàm nunc sit baptismus ab Hæretico collatus; Cùm ergo ex opere operantis gratiam non conferret, sequitur eam contulisse ex opere operato, siquidem alius modus non datur in productione gratiæ, nisi vt intuitu meriti suscipientis, vel ministrantis, aut virtute ipsius Sacramenti conferatur.

Confirmatur, quia si mediante opere tali, vel suscipientis, vel ministrantis deleretur originalis culpa, & gratia conferretur, iam circumcision non esset illud, quo tolleretur peccatum, sed potius opus meritorium contrà Patres citatos id circumcisioni tribuentes, & non merito operantis.

Respondent, quod licet circumcisio gratiam non conferret ex opere operantis, adhuc tamen dici non posse, quod eam propriè conferret ex opere operato, & virtute propria, vt modo confert baptismus, quem medium operandi modum ab opere operantis, & opere operato distinctum varijs modis explicare conantur. Nam aliqui dicunt, non adhuc propria vi, & ex opere operato gratiam contulisse, quia requirebatur tanquam conditio, sine qua non conferretur gratia, non verò tanquam causa, quæ illam conferret. Quæ explicatio iam suprà sub eodem *numer.* 53. reiecta est, quia si ad eius positionem gratia conferebatur, & culpa originalis delebatur nullo mediante merito, neque ex parte ministrantis, neque ex parte suscipientis, parum refert, vt eam contulisse dicatur ex opere operato, quod eam conferret, vel per modum causæ, vel per modum conditionis, dummodo efficaciter, & infallibiliter eam conferret. Tùm quia id gratis omninò dicitur, nam verba Patrum relata tam manifestè causalitatem gratiæ tribuunt circumcisioni, & remedio legis naturæ, quàm baptismo. Tùm tandem, quia neque isti Auctores satis inter se conueniunt in explicando, qua ratione circumcisio non fuerit propriè causa gratiæ, sed tantùm conditio, & singulos modos id explicandi esse vanos ostendit Auersa *quæst.* 70. *sect.* 3.

75 Alij dicunt non fuisse datam gratiam in circumcisione, neque in Sacramento legis naturæ ex opere operato, quia non dabatur adultis, non dabatur ex institutione, sed solùm extraordinaria liberalitate Dei ob extremam paruulorum indigentiam, quibus aliter subueniri non poterat, ità Coninchius, Caspensis, Bonacina, & alij pro secunda opinione relati ab initio quæstionis n. 44. Sed hoc quoque merum effugium est, quamuis enim verum sit quicquid virtutis erat in circumcisione, & in Sacramento legis naturæ, fuisse ex Dei institutione, sicut etiam modò est in Sacramentis nouæ legis; & rationem huius institutionis fuisse eximiam Dei liberalitatem, & extremam paruulorum necessitatem adhuc tamen negari non debet ob id Sacramenta illa gratiam contulisse ex opere operato, nam dari gratiam ex opere operato dicitur ad differentiam alterius modi quo datur gratia ex opere operantis, hoc est, ex proprio merito ipsius operantis; Cùm ergò ex dictis in Circumcisione gratia daretur secluso quocunque merito, tam ex parte suscipientis, quàm ex parte ministrantis, & præcisè ex statuto Dei ad exhibitionem talis signi; planè fateri tenemur gratiam in circumcisione datam fuisse ex opere operato; dare enim gratiam ex opere operato nil aliud est, quàm eo ipso, quod Sacramentum recipitur, gratiam conferre præciso quocunque operantis merito, vt explicat Doctor *d.* 1. *q.* 6. *lit. K.* nuncupatur enim Sacramentum à Theologis opus operatum, quatenus Sacramenta sunt ex Christi meritis vel præuisis, vel exhibitis quasi opus operatum secum habentia gratiam debitam meritis Christi ex institutione diuina.

Alij dicunt, circumcisionem non contulisse gratiam ex opere operato, quia circumcisio non attingebat gratiam physicè, vt faciunt Sacramenta nouæ legis, sed efficiebat, vt causa moralis, qua ad illius præsentiam, & applicationem Deus gratiam infundebat; ità Soto, Cabrera, & alij Thomistæ. Sed neque hæc responsio satisfacit, quia vt infra patebit, neque Sacramenta nouæ legis gratiam efficiunt physicè, sed tantum moraliter, vt dispositiones Deum necessitantes ex diuina institutione ad gratiæ infusionem; Tum quia vt Sacramentum gratiam efficere dicatur ex opere operato, sufficit quod eam non conferat intuitu meriti operantis, siuè postea illam physicè efficiat, siuè moraliter; si ergo circumcisio gratiam conferebat excluso quocunque merito operantis, iam eo ipso conferebat ex opere operato, siuè illam physicè, siuè tantùm moraliter efficeret. 77

Alij tandem rem ità declarant, quod per circumcisionem, & Sacramentum legis naturæ conferebatur quidem gratia non ex opere operantis; non tamen adhuc ex opere operato, sicut nunc in baptismo; & differentiam præcipuè in hoc ponunt, quia baptismus confert gratiam ex vi passionis Christi iam exhibitæ, tanquam ex vi pretij iam soluti; sed circumcisio conferebat solum intuitu passionis Christi posteà exhibendæ; ità Suarez *disp.* 10. *sect.* 2. & Amicus *disp.* 4. *sect.* 1. & alij Moderni. 78

Sed neque id impedit, quin circumcisio dici possit gratiam contulisse ex opere operato cum omni proprietate, vt dicitur de Sacramentis nouæ legis; quia passio Christi futura non minorem habuit valorem apud Deum, quàm habuerit exhibita, vndè etiam antequam exhiberetur, dignissima erat, vt eius intuitu gratia hominibus daretur; ideoque tàm gratia, quæ olim dabatur hominibus, siuè per contritionem; siuè per Sacramenta, quàm quæ nunc datur, tota quanta est datur ex valore passionis Christi vel præuisæ, vel exhibitæ à Deo acceptatæ. Atque ideò, vt benè discurrit Auersa loc. cit. non ob id negari debet datam fuisse in circumcisione gratiam ex opere operato, nisi fortè per opus operatum intelligatur passio Christi iam peracta, quia sic dici deberet olim datam fuisse gratiam ex opere operando; At iuxtà verum, & proprium loquendi modum per opus operatum non intelligitur passio Christi peracta, sed Sacramentum ipsum, quatenus constitutum ex pacto, & promissione Dei; & ideò negandum non est etiam olim per antiqua Sacramenta gratiam fuisse datam ex opere operato cum omni proprietate. Concludendum est itaque circumcisionem, sicut & remedium legis naturæ vim habuisse iustificandi infantes per modum causæ moralis conferendo gratiam ex opere operato, sicut nunc baptismus; & nullum ex modis adductis iuuare ad constituendum verum, & proprium discrimen inter vim circumcisionis, & baptismi ad conferendam gratiam, & ad concilianda Patrum, & Conciliorum testimonia, quæ in oppositum solent adduci; quia si ea quid probarent, potius absolutè probarent à Sacramentis antiquis nullam fuisse gratiam collatam; quarè cum id minimè probent, vt ex rationum solutione constabit, nec etiam probant collatam non fuisse ex opere operato. Quia si aliqua productio gratiæ per

per aliquod Sacramentum est infallibilis, & semper secluso quocunque opere ex parte operantis, nec tamen per hoc sequitur, quod causetur gratia per illud Sacramentum ex opere operato; ergo non habemus sufficiens fundamentum, quo asseramus Sacramenta nouæ legis gratiam causare ex opere operato, posset enim quis dicere, quod causent eo modo, quo isti Recentiores loquuntur de circumcisione.

79 Tertiò dicendum est, ad constituendum verum discrimen inter vim circumcisionis, & baptismi ad conferendam gratiam, tam in circumcisione, quàm in communi remedio legis naturæ fuisse collatam solùm primam gratiam sanctificantem, qua, scilicet, primò remitterentur peccatum, vndè si applicabantur homini iam prius iustificato, non habuisse vim conferendi augumentum gratiæ, vt facit baptismus. Ità Scotus *d.* 1. *q.* 6. *cit. L.* vbi ad explicanda Patrum testimonia, qui circumcisioni vim conferendi gratiam negare videntur, vt pateat in quo sensu hoc dixerint, inquit hoc posse tripliciter intelligi; Vel quia paruam gratiam contulit circumcisio respectu baptismi, cuius ratio assignabitur inferiùs. Vel quia non contulit gratiam; vt dispositionem immediatam ad gloriam, quia non aperuit ianuam, quod tamen non fuit ex defectu eius, sed quia fluxit tempore, quo pretium non adhuc erat solutum. Vel tertio modo non contulit gratiam, quia non vniuersaliter cuicunque suscipienti, siquidem ex diuina institutione non habuit vim augendi gratiam, quando illam inueniebat prius collatam in aliquo gradu; & in hoc sensu explicat mentem Magistri, qui hoc discrimen posuit inter circumcisionem, & baptismum, quod in baptismo quantumuis quis esset anteà iustificatus, nouum gratiæ augumentum recipit; in circumcisione verò remittebatur duntaxat peccatum per collationem primæ gratiæ; Quod probat exemplo Abrahæ cui iam iustificato circumcisio nouam non attullit gratiam, nihil, inquam, gratiæ contulit per modum Sacramenti, siuè virtute operis operati; credit tamen, quod ei gratiam contulerit per modum meriti, seù virtute operis operantis, quia actus circumcidendi se ex obedientia Dei, & charitate procedens ei fuit meritorius, sicut & immolatio Isaac.

80 Hanc totam doctrinam recipit, & plausibiliter approbat Auersa *loc. cit.* quam etiam ratione probat, quia intantùm concedimus per circumcisionem gratiam fuisse collatam, inquantùm necessitas cogit ob remedium originalis peccati in paruulis, quibus aliter subueniri non poterat; Quando ergo inueniebatur peccatum remissum, & gratia collata, expedit non ampliare effectum, & vim illius antiqui Sacramenti; Hoc suadet ex remedio legis naturæ antè circumcisionem, quod non alia ratione à Patribus, & Theologis admittitur, nisi necessitate cogente, & ob extremam infantium indigentiam, quibus non potest aliter subueniri, qua necessitate seclusa, tale remedium in lege naturæ inductum non esset, cùm alioqui in Scriptura expresè non inueniatur; nulla ergo ratio suppetit, qua dicamus etiam post primam gratiam collatam remedium illud vim habuisse illam augendi; & ità pariter de circumcisione discurrendum erit, cùm iam dixerimus ab initio articuli circumcisionem non maiorem vim sanctificandi habuisse, quàm remedium illud in lege naturæ, quod etiam post institutam circumcisionem in lege scripta pro fœminis remansit, & perseuerauit.

81 Quod si obijcias ex hac doctrina sequi circumcisionem non fuisse propriè Sacramentum, quia non est certum gratiæ signum, cùm non semper habuerit collationem gratiæ concomitanter ex vi operis operati, vt patet de Abrahamo, cui gratiam non contulit, quia eum inuenit iam iustificatum. Negat Doctor consequentiam, & ait satis ad hoc fuisse, quod significauit gratiam tunc fieri, si non esset obex, vel tunc inesse, sicut si B. Virgo in conceptione filij sui fuisset in summa plenitudine gratiæ, ad quam Deus disposuit eam peruenturam, si postea fuisset baptizata, nullam ibi gratiam de nouo recepisset; tamen baptismus non fuisset signum falsum, & incertum, quia gratiam significaret vel tunc fieri, vel prius datam tunc inesse.

ARTICVLVS QVARTVS.

Explicantur testimonia Scripturæ, Patrum, & Conciliorum in oppositum.

IN oppositum adduci solent plurima Scripturæ, Patrum, & Conciliorum testimonia, ad quorum solutionem tenentur non solùm Auctores secundæ sententiæ ex tribus iam citatis ab initio quæstionis *num.* 44. qui nobiscum in puncto principali conueniunt, quod circumcisio gratiam causauerit in remissionem peccati originalis, licet negent eam causasse ex opere operato; sed etiam Auctores primæ, qui dicebant circumcisionem fuisse purum signum populi Iudaici distinctiuum à cæteris nationibus, nullo autem modo gratiæ causatiuum, nec peccati originalis deletiuum. 82
Tenentur quidem ad horum omnium solutionem Auctores secundæ sententiæ, quia testimonia adducenda, si quid probant, nedùm probant circumcisionem non fuisse causam gratiæ ex opere operato, vt illa secunda opinio asserit, sed absolutè probare videntur nullo modo in circumcisione fuisse collatam gratiam. Tenentur etiam ad eorum solutionem Auctores primæ sententiæ, quia licet negent circumcisionem gratiam sanctificantem contulisse; adhuc tamen cum communi Theologorum concedunt Sacramentum in lege naturæ à Deo institutum in remedium culpæ originalis vim habuisse gratiam conferendi, qua talis culpa remittetur; debent ergò & ipsi explicare, quomodo ab illa vniuersali propositione Patrum, & Conciliorum, quod antiqua Sacramenta non conferebant gratiam, excipiendum sit Sacramentum legis naturæ, nam eadem ratione, qua ipsi ab illa vniuersali propositione tale Sacramentum legis naturæ excipient, excipiemus & nos circumcisionem in lege scripta; & sicut ipsi dicere solent Sacramentum legis naturæ ab illa vniuersali propositione excipi debere, quia est Sacramentum necessitatis; eadem ratione nos quoque excipiemus circumcisionem in lege scripta, quia erat Sacramentum necessitatis pro masculis, vel saltem conueniemus in excipiendo Sacramentum contrà originale, & erit posteà lis quodnam illud fuerit, & nostræ huic disceptationi non officient Conciliorum, vel Patrum dicta, vel si nobis, & illis; vt eleganter notauit Brancatus *disput.* 5. *art.* 2.

Prima obiectio ex Scriptura.

Primò itaque obicitur auctoritas Apostoli in quibusdam locis generalibus, vbi negasse videtur vniuersaliter antiquis Sacramentis, & antiquæ legi vim iustificandi, ità enim frequenter loquitur Apost. Paulus in Epist. ad Romanos, & ad Galatas docent legem, & opera legis, eiusque ritus, & cæremonias non fuisse ideonea ad iustificandum, & saluandum, ità ad Rom. 3. *ex operibus legis non iustificabitur omnis caro coram illo*, & ad Galat. 3. *in lege nemo iustificatur apud Deum*, vbi sub nomine legis comprehendit omnia antiquæ legis Sacramenta, quæ rursus *cap.* 4. appellat *infirma & egena elementa*, & ad Coloss. 2. *dicuntur vmbra futurorum bonorum*, quo loquendi modo frequenter alibi vtitur. 83

Respondeo, quod in lege veteri præter circumcisionem erant alia plura Sacramenta minus propriè dicta, vt inquit Doctor *q.* 6. *lit. I.* vt oblationes hostiarum, esus Agni Paschalis, purificationes, consecrationes, & similia, quæ vtique gratiam non causabant, tanquam signa efficacia respectu gratiæ, eo modo, quo expositum est in definitione Sacramenti magis propriè dicti; sed tantùm in illis conferebatur gratia per modum meriti; & de his præsertim loquitur Apostolus in illis locis generalibus, & de ipsa Mosaica lege; sub quibus proindè includere non intendebat remedium legis naturæ, neque circumcisionem, inquantùm erat quædam determinatio illius communis remedij pro populo hebreo; præsertim quia, vt notat Doctor q. cit. ab initio, circumcisio non erat Sacramentum legis Moysis, quia fuit data Patribus ante legem Moysis per 400. annos, vndè Paulus loquitur de Sacramentis legis Mosaycæ, non legis naturæ; Quia tamen circuncisio posteà inserta est, & confirmata in lege Moysis, ideò Apostolus interdum etiam de ipsa circumcisione, vt inter Sacramenta legis Mosaycæ incerta, dixit vim iustificandi non habuisse, quantum, scilicet

scilicet, ex vi ipsius legis scriptæ, ex vi enim talis legis aliud munus non habuit, quam consignare populum, vt à cæteris nationibus distingueretur: vim autem iustificandi habuit quatenus remedium legis naturæ, vt ait Doctor *q. 6. §. hic supponendum*; Quod verò Sacramenta legis Mosaycæ dicantur vmbræ futurorum bonorum, nihil officit, aliud enim est dicere Sacramenta illa fuisse vmbras, & fuisse abroganda; aliud dicere, quod gratiam non conferebant; primum verificatur de omnibus, non secundum, & cùm Apostolus primùm asserit, etiam circumcisionem comprehendit, at cùm dicit secundum, circumcisionem includere non intendit.

84 Deindè obijcitur auctoritas Apostoli in illis locis in quibus specialiter de circumcisione loquitur, & vim iustificandi eidem negare videtur; nam ad Roman. 3. sic de circumcisione loquitur; *Quid ergo amplius Iudæo est, aut quæ vtilitas circumcisionis? multum per omnem modum; primum quidem; quia credita sunt illis eloquia Dei*, vbi primum non ponitur in ordine ad secundum, sed absolutè, idest, potissimum, adeo quod summa circumcisionis vtilitas erat, quia Hæbreo populo datæ fuerunt Scripturæ, idest, reuelationes, & promissiones Dei; non ergo circumcisio vim iustificandi habebat, quia sine dubio hæc fuisset longè maior vtilitas, & excellentia. Præterea ad Galatas *cap.* 5. & 6. dicit circumcisionem nihil valere, & 2. ad Corinth. 7. nihil esse, quæ dici non potuissent, si circumcisio gratiam conferebat.

Respondetur in primo loco Apostolum solùm docere voluisse, vt hic notat Auersa, nihil plus vtilitatis per circumcisionem allatum fuisse Iudæis, quod non heberent cæteræ nationes, nisi sacrarum Scripturarum documenta, quia nimirum aliæ quoque nationes remedium habebant æquiualens quantum ad iustificationem, qui sensus ex ipso contextu deducitur; non enim ibi absolutè quærit quid vtilitatis per circumcisionem allatum sit Iudæis, sed comparatiuè loquitur dicens, *quid amplius?* hoc est, quid plus ipsis Iudæis, quàm alijs circumcisione non vtentibus; Et hæc expositio melior est illa, ac textui conformior, quam affert Brancatus dicens Apostolum ibi loqui de circumcisione, quando iam erat abrogata, itaut sensus sit, *Quid amplius Iudæo est?* quasi dicat, nunc nihil illi remansit, *&* *quæ vtilitas circumcisionis?* idest, ex hoc tempore nihil prodest Iudæo; est inquam, nostra expositio melior, quia illi interrogationi respondens Apostolus immediatè subdit, *multum per omnem modum*, non respondet ergo quod *nihil* prodesset tunc temporis, de quo loquebatur, sed quod *multum*, & ideò loquitur de circumcisione mortem Christi præcedente, & illa particula *amplius*, vt dixi, non respicit tempus, sed est comparatiua Iudæorum ad Gentiles; & hic sensus clarè deducitur ex discursu capitis secundi, in quo comparationem faciebat inter Gentiles, & Iudæos, dicens ità illos sicut istos, potuisse mandata seruare, & saluari, & consequenter *cap.* 3. interrogat, *Quid ergo amplius Iudæo est?* & concludit Iudæos in hoc pręstasse Gentilibus, quod illis credita sint eloquia Dei, quia habebant Scripturas, & claras Dei reuelationes. Verum tamen est, quod in alijs locis ad Galat. & ad Corinth. Paulus præcipuè locutus est de circumcisione post mortem Christi, quando iam cessabat, & abrogata erat, & ideò coniunctim dixit in Christo nec circumcisionem, neque præputium aliquid valere sed nihil esse.

Secunda Obiectio ex Patribus.

85 Secundò obijcitur auctoritas multorum Patrum dicentium circumcisionem fuisse institutam, non ad gratiam conferendam, vel iustificandum à peccatis, sed solùm ad consignandum peculiarem Dei populum, & ad præsignanda, & figuranda mysteria gratiæ; Ità Iustinus Martyr, Crisostomus, Cirillus, Eusebius, Epiphanius, Origenes, Damascenus, Atanasius, Cyprianus, Ambrosius, Hieronymus, Anselmus, Tertullianus, Isidorus, & alijs inter quos Iustinus Martyr in Dialogo cum Triphone apertiùs loquitur duplicem afferens rationem. Prima est, quia cùm Abraham nondùm esset circumcisus, propter fidem, qua Deo credidit, iustificatus est, & benedictionem accepit; circumcisionem verò accepit, non ad iustificationem, sed tantummodo in signum. Altera est, quia cùm fæmineum genus carnalem circumcisionem assumere non queat, satis ex eo apparet, eam datam esse in signum, non ad iustitiam; quicquid enim ad iustitiam, & virtutem pertinet, etiam fæminis Deus dedit.

86 Respondet Scotus loc. cit. Patres fuisse ità locutus triplici de causa superiùs assignata sub numero 49. primò quia paruam gratiam conferebat circumcisio per comparationem ad baptismum; Deindè quia non contulit gratiam, vt dispositionem immediatam ad gloriam, eo quod ianuam Regni Cœlorum non aperuerit. Et tandem, quia gratiam non conferebat vniuersaliter omni suscipienti; quandoquidem non conferebat gratiam, nisi ad remittendum peccatum, nec vim habebat augendi gratiam, quando illam inueniebat prius collatam in aliquo gradu, vt supra explicatum est; & ipse Doctor declarat exemplo Abrahæ superius adducto. Verùm quia relati Patres interdum absolutè dixerunt, circumcisionem fuisse institutam tantùm ad figurandum, & consignandum, non verò ad sanctificandum. Ideò addendum est sensum, & intentionem illorum Patrum fuisse, circumcisionem, prout fuit inserta, & confirmata in lege Moysis, non habuisse virtutem iustificandi, quantum, scilicet, ex vi ipsius legis scriptæ, quasi tunc incipiret remedium salutare habens vim sancticandi animam, quod antea non extaret; sed quantum ex vi legis scriptæ nihil noui circumcisionem attulisse, nisi figurare, & consignare; Cœterum sicut anteà non negarunt præextitisse remedium in lege naturæ pro paruulis salutare, ità nec ei denegare voluerunt eam vim sanctificandi, quam commune illud remedium habebat, & quam circumcisio in se includebat, quatenus erat quædam determinatio illius communis remedij in populo hæbreo; quam doctrinam insinuauit Doctor cit. sub A. cùm inquit, quod autem Deus voluerit remedium illud contra originale, nempe circumcisionem, instituere antè legem Moysi, *arguit, quod non sit præcisè remedium huiusmodi legis*, hoc est, non habens virtutem sanctificandi ex vi ipsius legis scriptæ. In hoc igitur sensu locuti sunt Patres citati, quia directè scribebant contrà Iudæos, qui suam spem totam in circumcisione ponebant, vt erat peculiaris cæremonia illius legis distinguens illam nationem à cæteris, sub qua ratione dicebant illi Patres, quod circumcisio nullam habebat vim specialem sanctificantem, qua carerent aliæ nationes; quia illam non habebat, nisi quatenus inclubebat remedium legis naturæ, & erat ipsius expressiuum, quod cæteris nationibus erat commune, vndè in circumcisione non aliter remittebatur peccatum, quam in Sacramento legis naturæ, nec per alium effectum, nec per aliud causalitatis genus, nec per ipsam vberior gratia, vel perfectiori modo collata fuit; & ideò Patres inculcabant, quod Iudæi non adeò de circumcisione gloriari debebant, vt erat peculiaris cęremonia suæ legis, quia sub hac præcisa ratione nullam specialem vim sanctificandi habebat, solùm instituta fuit ad consignandum specialem Dei populum, & à cæteris nationibus distinguendum, & hic est germanus, & planus eorum Patrum sensus.

87 Et hęc expositio est melior, & verbis Patrum conformior, quam dicere cum Suarez, Poncio, Fabro, & alijs, illos esse locutos quoad scopum principalem, non quoad secundarium, etenim principaliter circumcisio instituta fuit, vt signum distinctiuum, quo pacto non sanctificabat, nisi eo modo, quo cætera illius legis Sacramenta minus propriè dicta. Nam præterquam quod sine fundamento dicitur, quod hic fuerit finis, & scopus principalis illius institutionis, vt dictum est suprà sub numero 73. Patres citati dicunt quod circumcisio, vt spcialis cæremonia Iudaica, nullo modo instituta fuit ad gratiam conferendam, vel sanctificandum à peccatis, sed solùm ad consignandum peculiarem Dei populum, quo absoluto loquendi modo excludunt ab ea vim sanctificandi, tam primariò, quàm secundariò. Quod si quis Patrum illorum hanc nostram expositionem non admitteret, vt fortè est de Iustino Martyre, qui cæteris apertiùs pro opposita parte stare videtur; tunc discedendum est ab illis, & standum cum Augustino, Gregorio, & alijs Patribus pro nostra parte citatis, qua ratione etiam communiter receditur à glossa, quæ super illud ad Rom. 4. de Abrahamo *recepit signaculum*, &c. negat in circumcisione esse infusam gratiam, sed tantùm peccata dimissa, quod etiam sine fundamento dicitur, quia de potentia ordinaria peccatum absque gratia non dimittitur. Est etiam hæc expositio melior, quàm illa Hiquæi

4.dist.1.q.6.n.12. vbi contendit Apostolum locis citatis in prima obiectione, & Patres citatos in hac secunda, locutos esse de circumcisione pura, vt est quoddam carnale signum, seclusa fide ex Christo, & per Christum; nam certum erat apud Hebræos signum Circumcisionis nihil valuisse, nisi fieret cum protestatione fidei Mediatoris, & ideò verisimile non est Apostolum, & Patres de circumcisione locutos fuisse in eo sensu, in quo nulla potest esse dubitatio, quod gratiam non conferret.

88 Ad primam rationem ex Iustino Martyre adductam patet ex dictis *nu.79.* ideò per circumcisionem Abraham iustificatum non fuisse ab originali, quia iam supponebatur iustificatus per fidem, hoc est per sacramentum legis naturæ, quod erat protestatio fidei; & ideò Abrahę fuit tantum in signum, vel signaculum, quo sensu locutus est Apost. ad Rom.4. dum inquit quod signaculum accepit circumcisionis; multò enim tempore anteà sacramentum contra originale Abraham susceperat, quia nimirum in tempore senectutis præceptum circumcisionis habuit; & ideò à personali, & indiuiduali Abrahæ circumcisione consequentia vniuersalis non rectè deducitur. Ad aliam rationem, posset in primis argumentum retorqueri, quia indè pariter sequeretur, Susanna, Rebeccam, Iudith, Annam, & alias sanctas legis scriptæ fœminas, ipsam quoque Dei genitricem Mariam, non fuisse de corpore Ecclesiæ, & membra, vel partes populi electi, quod visibile, & sensibile erat, cum fæminæ non haberent signum distinctiuum populi electi ab alijs sectis; gratis ergo concedimus circumcisionem non fuisse remedium vniuersale, sed tantum pro masculis, & quando aderat opportunitas absque alio impedimento: pro fæminis verò placuit Deo, vt adhiberetur illud idem remedium, quod erat in lege naturæ, vndè nihil eis defecit, quod ad iustitiam, & virtutem pertineret; quomodo autem ex vi circumcisionis viri etiam fæmina à cæteris sectis distingueretur, iam suprà declaratum est *nu.70.* quia nimirum, cum finis saltem inadęquatus circumcisionis fuerit notare, & signare populum Dei, & principalior Reipublicæ pars in maribus consistat, quia sunt principalior sexus, & caput alterius, ideò Deus non nisi pro illis circumcisionem instituit; pro fæminis autem voluit adhiberi idem remedium, quod erat in lege naturæ.

89 Dices, etiam pro masculis voluisse Deum seruari remedium legis naturæ ad expiationem peccati originalis, alioqui circumcisio vsque ad octauum diem dilata non fuisset, cum posset infans intrà hoc tempus mori: Neq; Hebræi eam dimisissent toto tempore, quo fuerunt in deserto: ergò ne dicamus Hebræos tunc temporis remedio suæ salutis caruisse, dicendum est circumcisionem fuisse institutam tantum in signum notans, & distinguens populum Hebraicum à cæteris nationibus.

Respondetur negando assumptum: ad primam probationem dicendum ideò iussisse Deum vsque ad octauum diem à natiuitate infantis circumcisionem differri, quia cum esset remedium adeò asperum, non expediebat anteà adhiberi infantibus etiam in periculo mortis constitutis, nec proindè erant sufficienti remedio salutis tunc temporis destituti, quia in casu necessitatis valebat illis commune remedium legis naturæ, sicut per se valebat fæminis. Ad aliam probationem variæ sunt solutiones, sed magis arridet, quā insinuat Alensis *q.4.memb.3. art.2.* non solum ex Dei dispensatione, sed etiam speciali iussione fuisse prætermissam in deserto circumcisionem in pœnam Hebræorum, qui increduli fuerant exploratoribus terræ promissæ; nec enim credibile est populum toto tempore vidente, & conueniente Moyse in ea communi, & publica omissione mansisse. Et quia congruum non videtur toto eo temporis spatio Hebræorum filios omni fuisse remedio destitutos pro expiatione originalis culpæ, satis verisimile est populum pro eo tempore in communi vsu legis naturæ relictum fuisse, sicut antè institutam circumcisionem, itaut etiam absque necessitate possent paruuli communi remedio iustificari, vt inquit Auersa *cit. sec. 2.* dum enim pro tunc cessauit obligatio circumcisionis, consequenter intercessit vsus communis remedij.

Tertia Obiectio ex Concilijs.

90 Tertiò obijcitur ex Concilijs, nam Florentinum *sess. vlt.* ad Armenos in decreto fidei inquit; nouæ legis sacramenta multum differunt à Sacramentis legis antiquæ, hæc enim non causabant gratiam, sed solum per passionem Christi dandam figurabant; nostra verò & continent gratiā, & dignè suscipientibus eam conferunt. Et Tridentinum *sess.7.can.2.* ait, si quis dixerit nouæ legis sacramenta à sacramentis legis antiquæ non differre, nisi quia sunt cæremoniæ aliæ, & alij ritus externi anathema sit.

Respondetur ex doctrina Scoti *q.6.cit.I.* quam etiam recipit, & approbat Auersa *loc. cit.* Concilium Florentinum esse locutum de sacramentis Mosaycę legis, atq; impropriè dictis, atq; ideò sub ijs circumcisionem non comprehendisse, quia antè legem Mosaycam per multos annos instituta fuit; vndè Paulus etiam dicit circumcisionem non fuisse ex lege, sed ex Patribus, ideoque securè dici potest non fuisse saltem præcisè veteris legis sacramentum, nec sub illius legis sacramentis per se includi, atque ità neque cum eis connumerari debere, nisi veluti per accidens, quatenus in lege Moysis inserta fuit, & confirmata, alioqui de se erat sacramentum, & remedium legis naturæ, inquantùm erat quædam determinatio illius remedij in populo Hebræo. At instant Aduersarij, quia Concilium loquitur in eo sensu, quo locuti sunt Patres, & D. Paulus, at isti, quando loquuntur generaliter de Sacramentis veteris legis etiam circumcisionem includunt. Hoc tamen omninò falsum est, cùm enim Concilium nominando sacramenta antiquæ legis, legem acceperit eo modo, quo Paulus, nempè pro lege scripta, de qua Iudæi immeritò præsumebant; planè non intellexit de antiquiori remedio legis naturæ, ac proindè nec etiam de circumcisione, quatenus erat determinatio quædam eius remedij, nec enim plus negare voluit circumcisioni, quàm communi remedio, cuius fuit determinatio quædam in populo Hebræo; falsum est insuper Apostolum, & Patres eodem modo locutos fuisse de circumcisione, & alijs sacramentis veteris legis, iam enim suprà ostensum est ex Aug. Gregorio, & alijs Patribus, imò & ex communi Ecclesiæ sensu, circumcisionem peccatum originale deleuisse, & fuisse remedium contrà illud, quod cæteris cæremonijs Mosaycis, vel legis naturæ non competebat. Et hæc rursus responsio alijs præferri debet explicationibus, quas afferunt Auctores secundæ sententiæ, dicentes adhuc seruari differentiam inter sacramenta veteris, & nouæ legis, quam exigit Concilium, quia hæc causant gratiam physicè, illa verò solum moraliter causabant, vel quia hæc causant gratiam ex opere operato, non autem illa; vel quia hæc causant gratiam, vt veræ causæ; illa verò per modum puræ conditionis, qua posita ponebatur gratia, iuxtà varios dicendi modos superius relatos *n.75.* & seq. Hæ siquidem explicationes, & aliæ consimiles verbis Concilij minimè quadrant; non enim solùm dicit, quod sacramenta antiqua gratiam non causabant, sed vlterius addidit, quod eam solum figurabāt dandam esse; ergo si Concilium de ipsa quoque Circumcisione id intellexisset, vt Auctores illi contendunt adhuc Concilio non fieret satis dicendo, per Circumcisionem non fuisse collatam, gratiam physicè, se moraliter, non ex opere operato, &c. nam absolutè negat Concilium antiqua sacramenta gratiam iustificantem contulisse, & contrà Concilium esse dicere, quod circumcisio aliquo modo gratiam contulisset, quia hoc non esset solùm figurare gratiam dandam in futuro per nostra sacramenta; Cùm ergò Concilium absolutè negauerit in sacramentis antiquæ legis datam fuisse gratiam, planè sub eis non intellexit antiquum remedium paruulorum comprehendere, atq; adeò neq; circumcisionem, inquantùm erat in populo Hebræo quædam illius communis remedij determinatio.

Ad Testimonium Tridentini eodem modo responderi potest; præterquamquod intentum Concilij in eo Canone 91
fuit Hæreticorum quorundam errorem damnare, qui nostris sacramentis vim conferendi gratiam ex opere operato negantes ea faciebant paria eum sacramentis Mosayeæ legis quæ esse virtute vacua supponebant; Tùm quia quamuis Baptismus, & Circumcisio conuenire dicantur in vi conferendi gratiam ex opere operato, adhuc aliæ remanent differentiæ præter illud, quod importent alios, & alios ritus externos, siquidem vt Doctor aduertit *loc. cit.* & Auersa cum ipso, Baptismus confert maiorem, & vberiorem gratiam, ianuam regni cæelestis aperit; dat semper gratiam, quando obicem non inuenit etiam in adultis; & auget gratiam, quando illam in anima inuenit; per se remittit etiam actuale peccatum, ac totam pœnam; imprimit denique spiritualem characterem; & alia habet, quibus adhuc à Circumcisione valdè distat.

Quar-

Quarta obiectio ex rationibus.

92 Quartò obijcitur ex rationibus, quia si sacramenta veteris legis iustificabant ex opere operato, frustrà fuisset aduentus Christi, & nouorum sacramentorum institutio. Tùm 2. quia circumcisio non aperiebat ianuam regni; ergo non dimittebat peccatum, nec gratiam dabat, quia habenti gratiam patet regnum Cœlorum. Tùm 3. quia si circumcisio ex opere operato gratiam conferebat, & non ex opere operantis, idem esset, quod conferre gratiam, non ex merito ministri, sed ex sola institutione Dei, qua facto exhibito promissa est iustificatio; atque ità circumcisio facta ab infideli intentione faciendi id, quod faciebat Iudæorum synagoga, gratiam contulisset; at hoc est falsum, quia multi Gentiles circumcisione vtebantur, qui tamen non iustificabantur, eo quia sine fide signo illo exteriori vtebantur, vt latè refert Epiph. *hæresi* 30. & Orig. *lib. 2. in ep. ad Rom.* Tum 4. quia si circumcisio in remedium peccati originalis instituta esset ex illo Gen. 17. hoc vtique de masculis vniuersaliter intelligendum esset, tam paruulis quàm adultis; ex quo sequeretur adultos tunc iustificatos fuisse per circumcisionem, sicut nūc per baptismum ex opere operato, itaut cum sola attritione recipientes circumcisionem iustificarentur. Tùm tandem, quia si admittitur circumcisionem fuisse Sacramentum gratiam conferens ex opere operato, deberet id pariter concedi de alijs sacramentis legis scriptæ, cùm non sit maior ratio de hoc, quam de alijs.

93 Respondetur negando consequentiam, non enim frustra Christus est mortuus, siquidem illa sacramenta efficaciam habebant ex passione Christi futura, quæ præcessit in acceptatione diuina, vndè circumscripta Christi morte, ac eius meritis futuris, nullam gratiam contulissent. Ad 2. inquit Doctor, ideò circumcisionem ianuam non aperuisse, estò gratiam contulerit, quia concurrit tempore, quo pretium per mortem Christi nondum erat solutum; vndè post solutum pretium potuit alicui ianua aperiri, qui non fuisset baptizatus, sed solùm circumcisus; sicut etiam si quis baptizatus fuisset, & defunctus ante solutionem pretij in morte Christi factam, ianuam Cœli ingressus non esset.

Ad 3 concedo totum, non enim necesse fuit fidem ministri circumcisio applicari, sed Synagogæ, ac legis Moysi, vt dictum est supra nu. 49. alioquin valdè incertus fuisset effectus illius remedij, & valdè dubia salus infantis, nequibat enim esse certitudo, quod fides parentum, aut ministri esset viua, quomodo requiritur, vt detur gratia ex opere operantis, atque ideò semper fuisset remedium incertum; Vndè minister infidelis puerum circumcidens, si facere intendisset, quod Deus instituerat per illam cæremoniam sacram, validè circumcidebat, ita quod peccatum originale deleretur ex D. Aug. iam citato *ad Crescon.* c. 31. Ad probationem minoris, dicendum est præter vsum, & actionem externam circumcisionis vtique necessariam fuisse applicationem, & protestationem fidei, hoc tamen intelligendum non est de fide illius, qui erat minister, de qua nulla poterat extare certitudo; sed de fide totius Ecclesiæ, vndè in ministro necessaria erat intentio faciendi, quod Deus instituerat in circumcisione; & per illam cæremoniam externam; & ideò si gentes infideles hanc intentionem habebant; eorum paruuli a peccato originali liberabantur, & gratiam consequebantur, vt hic aduertunt Suarez, Auersa, Morandus, Rada, Faber, Hiqueus, Brancatus, & alij ex nostris.

94 Ad 4. non desunt concedentes remedium legis naturæ, & circumcisionem habuisse vim iustificandi, non solùm paruulos ab originali, sed etiam adultos ab omni peccato etiam actuali, vt nunc facit baptismus; vndè Cabrera *qu. 62. art. 6. diff. 1.* defendit adultos habentes peccata mortalia potuisse eum sola attritione per vim talis remedij iustificari, & saluari, quod etiam ex nostris concedit Arct. *q. 6. art. 11. in fine.* Probabilius tamen est iuxtà dicta *num. 79. & seq.* nec remedium legis naturæ, nec in specie circumcisionem habuisse vim iustificandi adultos à quocunque peccato, sed tantum paruulos ab originali, & adultos non nisi per actum perfectæ dilectionis Dei, aut contritionis iustificari potuisse, itaquod in circumcisione non dabatur gratia adultis nisi fidem habentibus in dilectionem Dei, seù contritionem peccatorum, ita Suarez, Vasquez, Lugo, Coninchius, Auersa, & plures alij ex nostris; & videtur fuisse mens Scoti *q. 6. cit.* vbi inquit, quod licet Abraham fuerit circumcisus, non fuit tamen in alia circumcisione iustificatus vltra meritum suæ fidei, & obedientiæ, quod etiam non obscurè deducitur ex Paulo ad Rom. 4. vbi hoc sensu dicit Abraham non fuisse iustificatum in circumcisione, sed ex fide, accepisse autem circumcisionem in signum, & signaculum iustitiæ fidei; Si ergo Abrahæ in circumcisione non fuit datum augmentum gratiæ vltrà eius meritum, certum videtur neque alijs adultis fuisse hoc modo datum gratiæ augmentum, quando contingebat eos circumcidi iam iustificatos, per viuam fidem; Neque per circumcisionem datam fuisse adultis primam gratiam, nisi per contritionem dispositis, nec ratione illius fuisse datam maiorem primam gratiam, quàm ipsi contritioni responderet. Et quamuis Doctor *loc. cit.* dicat circumcisionem non habuisse vim augendi gratiam, quandò illam inueniebat in certo quodam gradu, quo loquendi modo insinuare videtur, potuisse circumcisionem gratiam augere in adultis ex opere operato vsque ad certum gradum, non tamen vltra illum. Hoc tamen nec assertiuè, nec absolutè dixit, & longè probabilius est dicere, circumcisionem non habuisse vim augendi gratiam, quandocunque illam inueniebat in quocunque gradu, vt suprà dictum est *n. 79. & seq.*

Ad vltimum, tenentur omnes ad eius argumenti solutionem, siquidem ab omnibus pro statu legis naturæ sacramentum ad deletionem originalis culpæ admittitur; dicendum itaq; ab Augustino, Gregorio, alijsque Patribus pro nostra sententia citatis illud solum Sacramentum pro vtraque lege admitti, quia est Sacramentum simplicis necessitatis in remedium paruulorum, quibus alio modo subueniri non poterat; & quia neutra illarum legum fuit lex gratiæ, proptereà Deus in illis alia non concessit Sacramenta gratiam ex opere operato conferentia, siquidem solius legis gratiæ hoc speciale priuilegium esse debebat. 95

QVÆSTIO TERTIA.

An Sacramenta noua legis constent rebus, & verbis, tanquam materia, & forma, & vt ex partibus componentibus.

PRoponitur hæc quæstio de Sacramentis nouæ legis, quia vt communiter Teologi docent, vetera Sacramenta solis rebus constabant, non verbis, vt constat ex sacra Scriptura, vbi nulla fit verborum mentio, quando ritus illorum sacramentorum proponitur, ex quo constat in administratione illorum nulla fuisse verba præscripta; cuius rationem reddunt, quia vetera sacramenta gratiam obscurius significabant, quàm noua, atque ideò opus non fuit, quod verbis constarent, quæ expressius significant, quàm res. 96

Pro intelligentia verò quæsiti aduertendum est ex Scoto *4. dist. 3. quæst. 2. §. hic primo*, quod propriè loquendo de forma, prout est altera pars compositi, forma sacramenti est ipsa relatio signi, qua formaliter est tale sacramentum; & materia est totum fundamentum illius relationis; verumtamen si in fundamento isto sint plura, ex quibus aliquo modo fit vnum sacramentum, quæ non omninò æqualiter se habent, sed alterum sit quasi præuium, & determinabile, alterum quasi posterius, & determinatio præcedentis; primum potest dici quasi materia per quamdam similitudinem ad materiam, & alterum forma; materiæ enim est præcedere, & determinari, formæ autem sequi, & determinare; similiter illud, quod est principalius, & actualius potest dici forma respectu potentialioris, & quod est spiritualius potest dici forma respectu eius, quod est minus spirituale. Ex qua Scoti doctrina colligitur, quod sacramentum dupliciter considerari potest, vel vt est quoddam totum ex rebus sensibilibus, & relatione signi constans; vel ex parte fundamenti, in quo fundatur relatio signi, vt est quoddam compositum ex aliquibus rebus, & verbis, quarum primum dicitur materia, alterum forma, non propriè, sed metaphoricè ob proportionem iam à Doctore explicatam; Sacramentum primo modo consideratum est compositum physicum, & accidentale, cuius forma est relatio signi, alia verò sunt fundamentum, verè enim à relatione signi afficitur illud subiectum, sicut quælibet relatio subiectum, in quo fundatur, informat. Secundò verò modo consideratum est compositum

tum morale, & artificiale, siquidem ex beneplacito illa duo sunt assumpta, scilicet, res, & verba, vt fundamentum relationis signi, & vnum non informat, vel subiectat alterum, quarè malè Nugnus *3.p.qu.60.art.6.diffic.2.* putauit hanc quoq; compositionē esse physicam, quia ad talem compositionem non sufficit, partes esse physicas; sed requiritur ipsam quoque compositionem esse aliquo modo physicam, nimirum aut per realem vnionem, aut continuationem, aut contiguationem partium in ordine ad certam figuram componendam, quarum compositionem nullam habent res, & verba sacramentorum, vt ex dicendis patebit.

97 Quamuis autem hæc Scoti doctrina quibusdam Thomistis non placeat, præsertim Soto *4.d.3. q.1. art.3.* vbi renuit relationem signi posse dici formam sacramenti, attamen à Recentioribus communiter recipitur, qui duplicem compositionem in sacramentis distinguunt, alteram materialem, alteram Sacramentalem; illa fit ex rebus, & verbis, præsupponiturque ad sacramentalem; hæc verò ex rebus, & verbis, tanquam ex subiecto, & significatione sacramentali, tanquam forma; nam compositio ex rebus, & verbis, tanquam ex materia, & forma ad compositionem sacramentalem comparatur, vt materia, quia ad illam comparatur, vt quid determinabile ad vltimum determinatiuum: tam enim res, quàm verba sunt ex se indeterminata ad significandam practicè animi sanctitatem, cuius significatio est vltima forma sacramentalis Sacramentum constituens in ratione sacramenti formaliter. Quod clarè deducitur ex cæteris compositis artificialibus, nam in cathedra, v. gr. forma ligni, quæ est partialis, & non vltima, se habet simul cum materia prima, vt materia respectu formæ totalis, & vltimæ, quæ est figura cathedræ; vniuersaliter enim figura est vltima forma artificialis constituens opus in esse operis artificiosi formaliter. Sic igitur etiam in Sacramento, quod est compositum quoddam morale, & artificiale datur duplex forma, scilicet, partialis, & totalis; partialis sunt verba, & totalis est significatio, ità tamen vt materia simul cum forma partiali se habeat, vt materia, respectu formæ totalis, scilicet, significationis; quæ consurgit ex institutione diuina; ità Suarez, Coninch. Amicus, & alij passim.

Quando igitur in proposito quæritur, an sacramentum constet rebus, & verbis, tanquam materia, & forma, non est sermo de sacramento quoad esse suum totale, quod ex materiali, & formali resultat, sic enim quodlibet dicitur ex materia, & forma propriè dicta compositū ex Scoto *loc. cit.* nam forma est ipsa relatio signi, quæ formaliter sacramentum in esse sacramenti constituit, & materia est totum fundamentum illius relationis; Sed est sermo de sacramento quoad suum esse partiale ex parte fundamenti, in quo fundatur relatio signi, seù quoad suum esse materiale tantum, seù pro denominatio, quale est compositum morale ex rebus, & verbis; & quæstio est, an in quolibet sacramento res, & verba ita adinuicem coniungantur, vt partes illius intrinsecæ, & essentiales censeantur. Et quæstio est non solum de sacramentis, quæ in vsu consistunt, & in fieri, qualia sunt omnia præter Eucharistiam, sed etiam de ipso Eucharistiæ sacramento, quod habet modum permanentis, ac veluti etiam in facto esse consistit.

98 In qua controuersia tres sunt sententiæ, duæ extremæ, & tertia veluti media; Prima extrema est Durandi *4.d 1.q. 3.* asserentis non omnia sacramenta constare rebus, & verbis, quod non tantum asserit de Eucharistia, quæ habet modum permanentis, sed etiam de Matrimonio, & Pœnitentia, quæ in vsu consistunt, siquidem matrimonium solis verbis contrahi potest consensum de præsenti exprimentibus; ac etiam pœnitentia perficitur solis verbis confitentis, & absoluentis absque vllis rebus. Secunda sententia extrema inter Recentiores communis omnia sacramenta nouæ legis, siuè in fieri consistant, siuè in facto esse, affirmat constare ex rebus, & verbis, tanquam materia, & forma, ac partibus intrinsecè, & essentialiter sacramentum constituentibus, nec vllum aut solis rebus, aut solis verbis constare; vndè etiam in Eucharistia præter aggregatum ex speciebus, & corpore, ac sanguine Christi Domini etiam ipsa verba consecratoria ad hoc sacramentum essentialiter, & quidditatiuè constituendum, tanquam partem illius intrinsecam, & essentialem concurrere opinantur, ità Suarez, Valentia, Nugnus, Lugo, Auersa, Caspensis, & alij Recentiores pro se Alensem citantes, Io. Maiorem, Riccardum, & alios antiquiores, quatenus dicunt, sacramentum hoc in speciebus consecratis positum esse quorum præcipuum fundamentum est Concilij Florentini auctoritas in litteris vnionis, vbi habetur, *omnia Sacramenta tribus perfici, rebus, tanquam materia, verbis, tanquam forma, & intentione ministri.* Tertia tandem sententia veluti media asserit omnia sacramenta, quæ in vsu consistunt, componi ex rebus tanquam ex materia, & verbis tanquam forma; negat tamen de Eucharistia, quæ habet modum permanentis; ità Scotus *4. d.8. quæst.1. ad 3. & quæst.2. A.* vbi inquit, verba consecrationis neque sacramenti Eucharistiæ intrinsecam formam esse, neque de illius essentia, quamuis forma sacramenti Eucharistiæ dicantur, quatenus sunt forma consecrationis; ità etiam Scotistæ omnes Faber, Rada, Aretinus, Hiqueus, Centinus, Brancatus, Gauatius, & præter Scotistas Bellarminus, Vasquez, Coninchius, Meracius, Becanus, Amicus, Morandus, & alij Recentiores.

ARTICVLVS PRIMVS.

Resoluitur Quæstio.

PRimò dicendum est omnia nouæ legis sacramenta rebus, & verbis constare, vel formaliter, vel saltem æquiualenter. Hæc est communis contrà primam sententiam; & habetur expressè in Concil. Florentino in litteris vnionis, vbi postquam enumerauit septem nouæ legis sacramenta, subdit, *hæc omnia Sacramenta tribus perficiuntur, rebus tanquam materia, verbis, tanquam forma, & persona Ministri cum intentione*; Et quidem etiam in Scriptura quibusdam sacramentis res, & verba assignantur; nam de baptismo habetur Matth. 28. *baptizantes eos*, ecce res, scilicet, ablutionem, *in nomine Patris, & Filij, &c.* ecce verba. Deindè in Eucharistiæ institutione legimus Christum accepisse panem, & dixisse illa verba, *hoc est Corpus meum*; De extrema vnctione Iacobi 5. *vngentes eos Oleo sancto in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum.* Ratio congruentiæ assignatur communiter, quia ad præsentem statum gratiæ requirebatur significatio sacramenti facilior, & magis aperta; atque ideo præter res sensibiles, quæ non nisi valdè obscurè poterant esse signa, requirebatur etiam verba, per quæ significatio magis determinaretur; vtique enim facilius, & clarius in baptismo, verb grat. percipitur mundatio à labe peccati, si præter ablutionem materialem, & corporalem, addantur etiam verba *ego te baptizo, &c.* Ratio tandem à priori huius Institutionis fuit Christi voluntas, qui cum multis modis hæc Sacramenta instituere potuisset, maluit hoc modo pro sua inscrutabili sapientia instituere. 99

Appositè autem dixi sacramenta nostra constare rebus & verbis vel formaliter, vel saltem æquiualenter; nam aliqua si non in toto rigore, saltem æquiualenter constant rebus, & verbis, vt Matrimonium, & Pœnitentia; in Matrimonio enim semper verba interueniunt, vel formaliter, vt cum expressè pronunciantur à contrahentibus, aut saltem æquiualenter, vt cum per signa, & nutus notificantur; cum enim matrimonium contractui ciuili sæpè natura sit addictum, noluit illud Deus mutare, sed solum ad sacramenti rationem eleuare, quarè sicut in contractu nutus, & signa rationem habent verborum; ità etiam quatenus habet rationem Sacramenti. Sacramentum quoque pænitentiæ constat ex dolore pænitentis, & contritione, quæ res quædam sunt, & licet contritio non fiat sensibilis, nisi per verba; non tamen sequitur non esse partem sacramentalem à verbis condistinctam; quia licet à verbis accipiat rationem sensibilis, quæ est conditio ad sacramentum requisita, & quamlibet ipsius partem; non tamen ab illis vim causatiuam accipit, & practicè significatiuam gratiæ, quam ex se habet, posita sensibilitate à verbis desumpta, vt conditione sine qua non; qua ratione Tridentinum *sess. 14. cap.3.* inquit de materia huius Sacramenti loquens, quod sunt eius quasi materia ipsius pænitentis actus, contritio, confessio, & satisfactio. Sic pariter inquiunt communiter Summistæ cum Siluestro, & Nauarro in sacramento matrimonij formam eius esse verba ipsorum contrahentium, v. gr. *accipio te in meum, vel in meam,* materiam verò, & quod locum rei tenet, esse consensum ipsorum, qui est vera res verbis illis expressa, & sensibilis facta, neque enim inconuenit, vt vna pars Sacramenti sit sensibilis per aliam. 100

Ve-

Verum quamuis hæc doctrina sit communiter recepta, aliquam tamen patitur difficultatem, quia si in his sacramentis Pœnitentiæ, & Matrimonij materia, & quod habet locum rei, secundum se sensibilis non est, sed tantum per verba, quibus pænitens sua peccata confitetur, & contrahens suum exprimit consensum, iam tota materia sensibilis reducitur tandem ad sola verba; vel saltem in ipsa materia, quæ tenet locum rei, includerentur ipsa verba, & per consequens illud non tam esset materia, & teneret locum rei, quàm totum compositum ex materia, & forma, seu ex rebus, & verbis.

Confirmatur, quia esse sensibile per aliud ad materiam sacramenti sufficere non videtur, quoniam quod est sensibile solùm per manifestationem, & ratione alterius, non est verè sensibile, vndè si Angelus per vocem manifestetur, non propterea diceretur sensibilis, sed sola vox; talia autem sunt consensus contrahentium in matrimonio, & actus pænitentis in confessione; hæc enim in seipsis non sentiuntur, sed verba tantùm illorum manifestatiua, aut alia signa externa verbis æquiualentia; ergo iam in his sacramentis res semper consisteret in verbis.

102 Clarius itaque his difficultatibus occurrendum est, quod cùm Concilia, & Patres dicunt in sacramentis præter verba requiri res, aliud docere noluerunt, quàm quod præter verba, quæ sunt forma, & à Ministro prolata, requiritur aliud, quod dicitur res, hoc est, contradistinctum ab eo, quod locum formæ tenet, & ab eo aliquo pacto determinabile: quod autem hoc aliud, quod habet rationem materiæ, & tenet locum rei, sint verba, vel actiones alterius potentiæ, parum refert: atque ità in sacramento Pœnitentiæ confessio ipsa externa, siuè verbis, siuè nutibus, vel alijs signis exterioribus facta est vera res sacramenti pœnitentiæ contradistincta à verbis à ministro prolatis; Et sic pariter dici posset in sacramento matrimonij, consensum contrahentium signo aliquo sensibili sufficienter expressum, vt continet mutuam corporum traditionem, esse materiam, & tenere locum rei, vt autem continet eorundem corporum mutuam acceptationem, esse formam. Vel clarius forma sunt verba exprimentia consensum contrahentium, res autem est traditio, seu translatio potestatis in corpora, verè enim transfertur dominium, & corpora traduntur, atque ità datio corporum est materia, & tenet locum rei in Sacramento matrimonij, vt expressè innuit Doctor *4.d.26.q.1.* sub P. Nec obstat, quod opponit Cardin. de Lugo, in sacramentis semper interuenire debere materiam eorum realiter, matrimonium verò fieri aliquando inter absentes per procuratorem; sufficit enim, vt inquit Poncius hic *q.3.* quod in hoc sacramento interueniant corpora contrahentium æquiualenter, nempè per procuratorem; Et hanc eandem doctrinam in sacramento matrimonij approbat quoque ex nostris Brancatus *disp.2.art.1.* vbi alias excludit instantias, Cardin. de Lugo, & Faber *disp.9.cap.2.* & fuit etiam sententia Vasquez dicentis materiam in sacramento matrimonij esse ipsos contrahentes, vt dicetur *disp.7.q.2.art.1.*

103 Sed dices Concil. Florent. *loc. cit.* distinguere materiam à Ministro Sacramenti, dicit enim sacramenta tribus perfici, rebus, tanquam materia, verbis, tanquam forma, & persona Ministri cum intentione, vbi ponit Ministrum, tanquam distinctum à materia; cùm ergo in sacramento matrimonij ministri sint ipsi contrahentes, non poterunt ipsimet esse materia.

Respondeo, instantiam vrgere quoque communem sententiam statuentem consensum contrahentium esse rem, & materiam huius Sacramenti, nam ille consensus internus est intentio celebrandi illud sacramentum, cùm minister huius sacramenti sint ipsi contrahentes, Concilium autem distinguit materiam ab intentione ministri; Dicendum itaque quod quando Concilium inquit, sacramenta tribus perfici, non debet hoc intelligi de tribus, quæ semper debeant realiter distingui; sed sufficit interdum, quod formaliter solùm, vel virtualiter distinguantur, vt hic notant Poncius, Orlandus, & alij Recentiores; Nec refert, quod in alijs sacramentis res, & verba, materia, & minister realiter distinguantur; sicut enim hoc Sacramentum est ab alijs distinctum, ità etiam potest habere materiam diuersæ rationis quoad omnia. Et sic pariter tenendo consensum contrahentium esse materiam huius sacramenti, dicendum est ad instantiam, quod consensus ille, quatenus est consensus dandi alteri coniugi potestatem suprà suum corpus, rationem habet materiæ; quatenus verò est intentio faciendi, quod facit Ecclesia, est intentio Ministri.

Secundò dicendum est, res, & verba, quæ dicuntur materia, & forma sacramentorum, semper esse partes intrinsecas 104
sacramenti consistentis in fieri, hoc est omnium, excepta Eucharistia, & vtraque esse fundamentum relationis signi, quam sacramentum pro formali importat. Hæc etiam est communis, quibusdam Scotistis exceptis opinantibus non in omni sacramento etiam in vsu consistente res, & verba esse partes intrinsecas; est tamen Scoti expressè *4.dist.8.quæst.1.sub H.* vbi de sacramento Eucharistiæ loquens inquit, quod non est hic aliud, tanquam materia, aliud tanquam in forma sicut est in alijs, cuius ratio est, inquit, quia istud est permanens, & ideò non possunt aliqua verba ad eius essentiam pertinere; & in quocunque alio sacramento, isto excepto, inquit distingui materiam, & formam, & signum visibile dici esse materiam, verba vero formam; concedit ergo Doctor in quocunq; alio Sacramento, isto excepto, quod modum permanentis habet, fundamentum signi esse res, & verba, & vtraque ad essentiam sacramenti pertinere, vt eius partes intrinsecas. Ratio autem sumitur ex analogia ad compositionem naturalem, in qua partes illæ per modum materiæ, & formæ concurrere dicuntur, quæ sunt essentiales, & intrinsecæ composito, vna per modum determinabilis, alia per modum determinatiui; sed in sacramentis nouæ legis in vsu consistentibus tam res, quam verba, se habent vt partes intrinsecæ, & essentiales signi sacramentalis, res quidem, vt quid determinabile, verba vero, vt quid determinatiuum; ergo &c. Minor probatur, vtraque enim necessaria sunt, & neutra sufficiunt ad fundandam significationem sacramentalem, siquidem in sacramento baptismi, v.g. nec ablutio sine verbis, nec verba sine ablutione sufficerent ad internam animæ ablutionem significandam, ablutio namque sine verbo *baptizo* indifferens est ad humectationem, frigefactionem, & ablutionem significandam, & verbum *baptizo* sine ablutione est falsum.

Respondent Scotistæ citati præsertim verò Faber *disp.9.* 105
cap.2. negando minorem, quia Sacramenta aliqua interdum in sola materia, & aliquando in sola forma habent totam significationem, v.gr. per solam ablutionem in baptismo significatur ablutio a peccato, quæ fit in anima, qua ratione inquit Scotus *4.d.3.q.1.* D. relationem signi fundari in sola ablutione. Et per sola verba absolutionis à Sacerdote prolata intelligitur remissio peccatorum, quæ fit in sacramento pœnitentiæ, vt ait Doctor *d.14.q.4.* vndè concludit Faber de mente Doctoris res, & verba non semper concurrere, vt partes intrinsecas sacramenti, nam quandoque sola materia est intrinsecum fundamentum, & forma est sola circumstantia; aliquando forma est intrinsecum fundamentum, & materia est circumstantia necessaria ad illud fundamentum, vt possit fundare relationem signi.

Sed hæc solutio non satisfacit, quamuis enim aliquando 106
per aliquod illorum, nempè per res, verba, aliqualis habeatur significatio, non tamen facilis, & ea claritate, qua in vtroque simul habetur, quo facto statum præsentem decet; Tùm quia id significat, tanquam pars sacramenti, quod concurrit ad causandum, sed non tantum causat res, & verba, sed vtrumque simul; Et quidem Doctor in primo loco citato, licet vtramque partem doceat teneri posse de sacramento baptismi, scilicet, relationem signi fundari in sola ablutione, & quod in vtroque, scilicet, ablutione, & verbis, tamen hoc secundum dicit esse verius; Et in secundo loco quamuis dicere videatur sacramentum pænitentiæ esse absolutionem propterquod velle videtur, quod sola absolutio sit integrum fundamentum, & actus pœnitentis sint quid prærequisitum; hæc tamen mens eius non est, vt etiam Faber fatetur *loc. cit.* quia pœnitentiam definiens, ait, quod est *absolutio hominis pænitentis*, vndè actus pœnitentis, quoque agnoscit esse partem illius sacramenti, & cum absolutione constituere integrum fundamentum relationis signi, neque aliter potest dici post Conc. Trid. *sess.14.cap.3.* & denique pro hac parte clarius loquitur *dist.8.quæst.1.sub H.* vt visum est, quàm pro opposita in alijs locis, & ideò hanc partem, vt probabiliorem, & magis de mente Doctoris tenet quoque Brancatus *disputat.2. art.2.*

Et planè hanc partem esse probabiliorem omninò negari 107
non potest, quia in sacramentis, quæ in vsu consistunt, verè tam res, quam verba sunt instituta à Deo, vt de necessitate,

sitate, & substantia sacramenti, & vtraq; significationem habent sacramentalem, & vis conferendi gratia in vtraque parte coniunctim existit; ergò Sacramentum directè, & essentialiter vtramque partem includit. Tùm quia licet Sacramentum non sit quid per se vnum ad instar compositi physici, & substantialis; tamen est quid per se vnum morale, & vnum artificiale, vt v.g. domus, nauis, & similia; & res se habent, vt quid indeterminatum, ac proindè habens rationem materiæ; verba autem, vt quid determinans, ac proindè habens rationem formæ; ergò dici potest, ac debet totum sacramentum vtramque partem importare in recto, tanquam quid compositum artificiale ex vtraque. Nec dici potest, vt innuebat Faber, alterutram in quibusdam sacramentis concurrere, vt conditionem requisitam, vel circumstantiam necessariam, non verò, vt partem intrinsecam, sicut intentio conficiendi in Ministro, & suscipiendi in recipiente est conditio requisita, non autem pars essentialis, & intrinseca sacramenti. Non, inquam, dici potest, quia huiusmodi intentio non est de essentia sacramenti, cum se teneat ex parte causæ effectiuæ, & subiectiuæ, quæ sunt causæ extrinsecæ; at res, & verba sunt de intrinseca, & essentiali constitutione sacramenti, vnum per modum materiæ; aliud per modum formæ.

108 Sed est communis obiectio, quod si res, & verba sunt materia, & forma sacramentorum, & per modum partium intrinsecarum, debent esse simul in eodem tempore, vt possint vnum efficere compositum; at in sacramento pœnitentiæ confessio, & contritio potuit præcessisse per horam, & posteà sequi absolutio; neque est necesse, vt dum Sacerdos profert formam, pænitens perseueret in actu contritionis; & matrimonium, quia est quidam ciuilis contractus, potest etiam peragi inter absentes, & tamen sunt sacramenta; ergo res, & verba nequeunt semper concurrere, vt partes essentiales, & intrinsecæ ipsorum.

Respondeo simultatem materiæ, & formæ sumi debere iuxtà naturam compositi; si compositum sit physicum, debent simul esse physicè; si morale, moraliter; vndè in proposito cum sacramentum sit compositum morale, non physicum, satis erit, si moraliter simul iudicentur esse, etsi physicè aliqua mora intercedat: Vndè inquit Doctor 4. d. 6. q. 3. infrà B. quod inter materiam, & formam sacramentorum talis simultas requiritur, qualis requiritur in actibus humanis, noluit enim Christus nos obligare ad tam subtilem simultatem, quam vix posset homo percipere, vel seruare; Quarè ibi reijcit sententiam Glossæ *cap. Detrahe causa* 1. q. 1. quæ requirit in sacramento baptismi non tantum physicam, sed etiam mathematicam simultatem inter vltimam prolationem formæ, & materiam; & inquit sufficere simultatem inter aliquam partem prolationis formæ, & materiæ, vt vel incipiat forma, antequam desinat materia, vel contrà incipiat materia antequam absoluatur forma; Nec illa mathematica simultas vltimi instantis prolationis verborum, & ablutionis est necessaria; nam Apostoli, inquit Doctor, baptizantes tria millia vno die Actum 7. non semper cum vltima syllaba formæ asperserunt, itaquod tunc aqua tetigerit baptizatum; Vbi tamen notandum est, quod quamuis Doctor hanc simultatem materiæ, & formæ in sacramento baptismi aliquo modo physicè explicet, id tamen non tanquam necessarium ad sacramenti validitatem, sed tantum ad melius esse intelligit, & ad maiorem certitudinem, scrupulosque tollendos; & Doctor ibi non est locutus vniuersaliter de simultate materiæ, & formæ in omnibus sacramentis, sed in specie de Sacramento baptismi; alioquin loquendo in vniuersum tenet sufficere moralem simultatem, vt expressè illis verbis significat, *quod requiritur simultas talis, qualis requiritur in actibus humanis*; Vndè perperam ex hoc loco deducunt Recentiores quamplures, quod Scotus inter materiam, & formam sacramentorum simultatem temporis physicam requirat; cum potius expressè oppositum doceat, inter materiam, & formam non requiri simultatem illam physicam rigorosam, sed talem, qualem in actibus humanis est reperire, qua est simultas moralis, vt ipsi dicunt, & rationem reddit, quia noluit Christus nos obligare, ad tam subtilem simultatem, quam vix posset homo percipere vel seruare.

109 Sufficit ergò tanta coniunctio, seu propinquitas temporis inter res, & verba, quanta moraliter requiri videtur ad verificandum sensum verborum applicationem materiæ determinantem; quod totum prudenti iudicio, & humano more æstimandum est, sicut fieri solet in alijs similibus humanis rebus, & negotijs; & ratio est, quam innuit Doctor cit. quia ea simultas in materia, & forma sacramentorum sufficit, quæ requiritur, & sufficit in actibus, humanis, in quibus sacramenta Deus instituit; in his autem physica simultas rigorosa non est necessaria, vt experientia constat. Quoniam verò sacramenta ex diuersis actibus humanis constant, quorum alij maiorem simultatem, alij minorem postulant ex sua natura, non potest vna certa regula in omnibus assignari, sed singularum operationum, quibus sacramenta constat, est perpendenda natura, & iuxtà earum diuersitatem poterit maior, aut minor temporis propinquitas esse necessaria, & sufficiens. Vndè in sacramento pœnitentiæ, & matrimonij maior distantia admitti potest inter accusationem pœnitentis, & absolutionem Sacerdotis, quia peragitur per modum iudicij, in quo accusatio præsupponitur absolutioni, & maior etiam inter consensum vnius, & alterius coniugis, quàm in alijs sacramentis Baptismi, Confirmationis, Ordinis, Eucharistiæ, & extremæ Vnctionis, cùm enim hæc perficiantur per pronomina demonstratiua, & de præsenti, maiorem postulant simultatem inter res, & verba. Quamuis autem, vt dicebam, non possit in omnibus vna certa regula assignari; in praxi tamen hoc semper in omnibus est obseruandum, vt materia, & forma sacramenti taliter coniungantur, quod sine periculo, & dubio, sed modo certo, & tuto sacramenta administrentur; qua ratione Doctor *loc. cit.* in sacramento Baptismi requirit physicam simultatem saltem inter aliquam partem prolationis formæ, & materiæ, vt vel incipiat forma antequam desinat materia, vel contrà incipiat materia, antequam absoluatur forma; quam Scoti opinionem in praxi seruandam esse consulit Amicus *disp. 2. sect. 3.* ad maiorem certitudinem, scrupulosque tollendos in exercitio baptismi; sed de hoc vide *disp. seq. q. 3. art. 2.*

Tertiò dicendum est, materiam, & formam sacramentorum nouæ legis fuisse determinatas ex institutione Christi quoad substantiam, ità quod si aliæ substantiæ ponantur, non fiet sacramentum. Hæc etiam est communis, & deducitur ex Scoto 4. d. 3. q. 2. & in primis constat ex Scriptura, vbi loguntur res, & verba à Christo determinata pro sacramentis, vt patet in institutione Baptismi, & Eucharistiæ. Deindè ex Concil. Florent. *loc. cit.* vbi singulis sacramentis determinatas formas, & materias assignauit, & ex Trident. *sess. 3. can.* 1. vbi docet sacramenta nouæ legis fuisse à Christo Domino instituta, & *sess.* 10. *cap.* 20. asserit Ecclesiam non habere potestatem circa substantiam sacramentorum. Item ex constanti, & perpetua Ecclesiæ traditione, quæ semper res, & verba determinata docuit requiri ad sacramenta. Demum probatur ratione, quia sacramenta sunt à Deo instituta, vt instrumenta ad causandam gratiam; cum ergo solus Deus possit esse auctor gratiæ, solus ipse poterit esse instrumentorum gratiæ principalis institutor, & auctor; ac proindè ea instrumenta pro libito variare, & mutare non licebit, & cōsequenter res, & verba sacramentorum certa, & determinata esse debent; Quæ doctrina est Scoti *4. d. 1. q. 3. lit. D.* vbi inquit, quod cùm signum acceptum in definitione sacramenti habeat duo, scilicet, quod si signum practicum, & quod signet practicè, & efficaciter; quantum ad huiusmodi signum potuit à creatura institui sacramentum, non autem quantum ad certitudinem effectus signati: solus enim Deus potest sic sacramentum instituere. 110

Sed est rursus communis obiectio de sacramento Matrimonij, quia ante Concil. Trident. matrimonia clandestina erant valida, post illud verò non sunt valida; ergo Ecclesia mutauit materiam sacramenti matrimonij. Item de sacramento pœnitentiæ, cuius materiam Ecclesia mutare videtur, & restringere; Sacerdos enim virtute Ordinis potestatem habet consecrandi, & absoluendi à peccatis; Ecclesia autem quædam peccata reddit inhabilem materiam absolutionis, dùm ea aliquando reseruat Episcopis, & Papæ. Tandem de sacramento Ordinis, cuius materiam, & formam de facto Ecclesia mutauit, quia olim Sacerdotium conferebatur per solam manuum impositionem cum verbis proportionatis: modò autem Ecclesia latina Sacerdotium confert per traditionem panis, & vini cum determinatis verbis; Græca verò Catholica per impositionem manus super caput ordinandi cum alijs verbis non habentibus idem significatum cum Latinis: ergo facta fuit, vel fieri potest ab Ecclesia aliqua variatio circa materiam, & formam sacra- 111

men-

mentorum, neq; ista fuerunt à Christo determinata in omnibus sacramentis.

Respondetur negando consequentiam, quia materia huius sacramenti, quod Christus instituit ad significandam gratiam, est verus, & legitimus contractus; quoniam verò humana potestas variare potest ea, quæ spectant ad validitatem contractus, ideò potuit Ecclesia mutare conditiones, & circumstantias huius contractus, sicut & aliorum, requirens ad eius validitatem solemnitatem illam, quæ anteà necessaria non erat, nempè præsentiam Parochi, & testium; vndè licet Ecclesia facere non possit, quod verus, & legitimus contractus non sit materia Sacramenti matrimonij, & validum sacramentum; potest tamen facere, vt ille, qui anteà erat contractus legitimus, & verus, deinceps non sit legitimus, & verus nouis institutis legibus, & solemnitatibus. Ad 2. de Sacramento pœnitentiæ, negatur assumptum, ad eius probationem dicendum, quod sicut Doctor iuris Canonici ex vi doctoratus accipit potestatem ferendi sententiam in causis Ecclesiasticis, si habet iurisdictionem, quam non fert, nisi ei delegentur subditi, seù causæ; sic pariter sacerdos ex vi Presbyteratus facultatem habet absoluendi ab omnibus peccatis eos, in quos habet iurisdictionem; Quoniam verò subditorum assignatio ad summum Pontificem spectat, cui commissæ sunt oues ideò si nullum habet subditum, nullum absoluere potest, non defectu potestatis, quam habet veluti in actu primo ex vi ordinis, sed iurisdictionis; & si aliquem absoluere potest hoc nequit nisi in causis sibi delegatis, non verò in alijs, qualia sunt peccata reseruata.

112 Ad 3. de Sacramento Ordinis, dicendum materiam, & formam huius Sacramenti, eo modo quo à Christo instituta fuit, non posse mutari; at Christus non instituit specificè, & in indiuiduo, sed solùm genericè in aliquo sensibili signo, quo denotaretur tradi aliqua potestas ordinato; Vnde, quia tam Ecclesia Græca, quàm Latina confert ordinationem per signum sensibile, & verba, quæ Sacerdotij traditionem optimè significant; ideò vtraque validè conficit, & seruat, formaliter loquendo, materiam, & formam à Christo institutam, licet materialiter signis diuersis vtatur; Quod enim Græci per manus impositionem hoc faciant, Latini verò per alicuius instrumenti traditionem, hoc totum materialiter se habet, ac veluti per accidens, cum tam manus impositio, quam libri, vel calicis traditio sint sensibilia signa, quæ potestatem ordinatis tradi significant; Et quidem sicut supra diximus de sacramento paruulorum in lege naturæ, quod erat necessaria ex Dei institutione protestatio fidei, sed ministrorum arbitrio relicta est protestandi formula; Et in lege noua communiter dicitur Sacramentum matrimonij in signo sensibili fuisse institutum à verbis, & nutibus præscindente, & hominum arbitrio fuisse determinationem relictã, vt etiam docet Doctor *4.d.26.q.vn.M.* Ita pariter dici potest in proposito de sacramento Ordinis, quod pro eo statuerit Deus signum sensibile indifferens pro materiali, determinatum tamen pro formali, scilicet, quoad significationem, vt nempè significatiuum esset collationis potestatis alicuius. Hanc totam communem doctrinam, & responsionem adhibet quoque & approbat Brancatus *disp.2.art.3.* vbi occasione huius argumenti concedit, quod remanente signo generico à Christo instituto, possit sub tali genere Ecclesia determinare sibi speciem, vel indiuiduum talis signi, & quod ità factum sit de sacramento Ordinis, quia Christus Dominus non in aliqua determinata, & indiuidua rerum serie instituit materiam, & formam ordinis, sed in aliquo tantùm sensibili generico signo, quo denotaretur tradi aliqua potestas ordinato; Vndè mirum est, quomodo hanc eandem doctrinam posteà non recipiat inferius *disp.4.art.4.* loquens de sacramento paruulorum in lege naturæ, quod mordicus negat potuisse sic institui in aliquo signo sensibili generico fidei protestatiuo.

113 Quartò tandem dicendum est, determinationem factam institutione diuina de rebus, & verbis Sacramentorum, latitudinem aliquam habere, intrà quam potest aliqua variatio reperiri absque præiudicio validitatis sacramenti. Hęc est etiam communis, & declaratur, nam Christus instituit, v.g. pro Eucharistia panem de tritico, & vinum de vite; potest autem intrà latitudinem huius panis talis variatio reperiri, quod sit ex vna, vel alia specie tritici, quod sit azimus, vel fermentatus: & intrà latitudinem vini, quod sit album, vel rubrum, purum, vel limphatum; Quamuis, inquam, aliqua istorum censeantur specie substantiali physica differre, adhuc tamen totam hanc latitudinem, intrà determinationem materiæ à Christo factam, sub arbitrio Ecclesiæ, & ministrorum ipse reliquit, itaut talis materiæ variatio sacramentum non irritet, dummodò vinum sit de vite expressum, & panis non ex alio genere frumenti, quam ex tritico. Sic pariter in forma sacramentorum aliqua consimilis reperitur latitudo intrà determinationem verborum à Christo factam, quamuis enim verba determinauerit quantum ad sensum, quem reddere debent; non tamen determinauit, vt hoc vel illo idiomate proferantur, vndè mutatio vnius vocis in aliam eundem sensum retinentem non inualidat sacramentum, vt si forma alicuius sacramenti proferatur Hebraicè, vel Syriacè, Gallicè, vel Hispanicè, imò etiam si quis dimidiam formã dicat latinè, & dimidiam lingua vulgari; Non tamen valeret, si quis voces nouas vellet ad libitum confingere, eisque significatum imponere, oportet enim vti vocibus, quæ apud aliquam nationem sunt in vsu.

Ex quo sequitur mutationem essentialem, & substantialem tam in materiam, quam in forma sacramentum irritare, 114
non tamen accidentalem, vt communiter Theologi docent, & Scotus præsertim *4.d.3.q.2.* & *d.8.q.1.* & alibi, ratio est, quia sola accidentalis mutatio non variat rei substantiam, at mutata substantia, vel essentia rei iam non manet eadem res vndè mutatio essentialis materiæ, vel formæ in sacramentis facit, quod nec res, nec verba sint illa, quæ sunt à Christo instituta, atque ità sacramentum inualidat. Vt autem cognoscatur, quæ mutatio sit essentialis, & quæ accidentalis, hæc regula generalis est obseruanda; quod tunc mutatio substantialis censeatur, quando secundum prudentem æstimationem non manet amplius eadem res in substantia, nec in verbis eadem significatio, itaut illa mutatio, quæ destruit sensum verborum à Christo institutum, est substantialis, quæ verò non destruit, censetur accidentalis; mutatio namque substantialis ex genere suo facit aliud secundum essentiam, accidentalis autem facit alterum, quæ omnia quia clara sunt, & absque controuersia, apud summistas videnda pertranseo.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quid sit dicendum de Sacramento Eucharistiæ.

IAm diximus art. præced. quantum ad compositionem ex rebus, & verbis vt ex materia, & forma, tanquam partibus intrinsecis, diuersam esse rationem sacramenti Eucharistiæ, eo quod sit permanens, à cæteris, quæ sunt successiua, & consistunt in fieri: qua ratione Doctor in *4.d.8.q.1.* ex instituto docet sacramentum hoc consistere in speciebus consecratis, & in solutione ad 3. inquit non habere aliqua verba pro forma, quia tunc non esset sacramentum permanens, cum verba non possint esse, nisi successiuè; ipsa tamen consecratio consistit in fieri, & ideò requirit aliquam formam verborum, sed ista non est forma sacramenti, sed consecrationis sacramenti, & pro tanto illa dici possunt verba sacramentalia, quia ad sacramentum pertinent, tanquam forma consecrationis eius, quæ consecratio est inceptio sacramenti, sed non dicuntur sic sacramentalia, sicut verba baptismi, illa enim sunt sacramentalia, quia forma sacramenti; Si autem omninò quæras, quæ sit forma huius sacramẽti; inquit, quod ipsæ species visibiles sunt materia, idest, proximum fundamentum relationis significationis, & ipsa significatio est ibi formale. Et si quæras rursus, quodnam est in hoc fundamento, tanquam materia, & aliud tanquam forma; Respondet, quod non est hic aliud tanquam materia, & aliud tanquam forma, sicut est in alijs, cuius ratio est, quia istud est permanens, & ideò non possunt aliqua verba ad eius essentiam pertinere; vndè tandem concludit in solutione ad quartum vtramque speciem panis, & vini esse signum vnius rei, scilicet, corporis Christi. 115

116 Ex qua doctrina dicendum est, quod estò verba consecratoria possint dici forma sacramenti Eucharistiæ, quatenus sunt forma consecrationis, propriè tamen loquendo non sunt pars intrinseca, & essentialis illius, vt euenit in cæteris sacramentis, quæ in vsu consistunt. Hæc conclusio, vt dixi ab initio quæstionis, est omnium Scotistarum duobus exceptis, Ferchio, scilicet, *in sua Epitome Theologica 4.dist.8.* vbi ait Sacramentum Eucharistiæ constare ex ma-

ex materia,& forma,cuius materia est panis,& vinum aqua mixtum, forma sunt verba consecrationis ; & Poncio *disp.* 44.q.1.vbi inquit,hanc non posse esse quæstionem,nisi de nomine, nam Scotus, qui negat verba consecratoria esse de constitutione huius Sacramenti, loquitur de illis secundum esse physicum , & negat in hoc sensu ad hoc sacramentum intrinsecè spectare, quod quidem certum est, quia manet hoc sacramentum post verba illa physicè transacta: Alij verò existimantes verba esse de intrinseca huius sacramenti constitutione,non loquuntur de illis secundum esse actuale physicum; sed secundum esse reale, quod aliquando habuerunt,& manet semper moraliter, quamdiù species manent; hoc autem non videtur negari à Scoto, qui cùm ponat species consecratas esse hoc sacramentum,inuoluit in hoc consecrationem,sine qua non essent consecratæ.

117 Sed re vera hi Scotistæ sensum quæstionis eludunt , sic discurrendo,& decidendo quæsitum; Poncius quidem,quia quando Scotus negat verba esse de intrinseca huius sacramenti constitutione,non tantum de illis loquitur secundum esse actuale physicum, de quo nullum poterat esse dubium, sed etiam secundum esse reale, quod aliquando habuerunt, & secundum moralem permanentiam , vt ex dicendis constabit; Tùm quia negat Doctor verba esse de intrinseca huius sacramenti constitutione in eo sensu, quo concedit esse in alijs quæ in vsu,& fieri consistunt ; at in his concedit esse non semper per simultatem physicam inter res, & verba, sed vt plurimum per moralem, qualis reperitur in actibus humanis, vt constat ex dictis nu.108. ergo negat verba esse de intrinseca sacramenti constitutione etiam per moralem permanentiam, & non tantùm physicam. Ferchius quoque omninò extrà Chorum cantat, quando enim quæritur in disputando de sacramentis quænam sit materia spectans ad essentiam alicuius sacramenti,nunquam est sermo de materia remota,nam materia remota nullius sacramenti essentiam ingreditur, vt notat Amicus *disp.*15. *sect.*1. ab initio, sed sermo est de materia proxima, quæ in proposito sunt species ipsæ consecratæ, remota verò substantia panis, & vini; Et quandò Concilium Florentinum, quod pro se Ferchius adducit, inquit materiam Sacramenti Eucharistiæ esse panem,& vinum, hoc eatenus dicit,quatenus sunt materia consecrationis , quæ est inchoatio sacramenti Eucharistiæ; dixerat enim prius loquens de sacramentis in genere, *omnia tribus necessariò perfici, rebus, tanquam materiam, verbis,tanquam forma, & Ministro*, ex quibus colligitur solùm illa tria esse necessaria ad fieri cuiuslibet sacramenti, & hæc tria vtique etiam concurrunt ad fieri sacramenti Eucharistiæ,quod est consecratio; quarè quandò in illo §. *quintò Ecclesiasticorum*, ait, *hæc omnia tribus constant* sensus est, quod non potest fieri sacramentum, nisi per verba, & res, quod de omnibus est verum , & in hoc sensu fatemur Eucharistiam in suo fieri habere res, & verba ; at non est necessarium,vt in facto esse hæc adsint; Quarè quod ait Ferchius ad summum probat panem,& vinum esse materiam consecrationis, verba verò formam ; & intantùm hæc dici posse materiam, & formam Sacramenti Eucharistiæ, quatenus sunt materia,& forma consecrationis, quod gratis in assertione posita fatemur ; & absolutè id asseri nequit, quia sic innueretur in Eucharistia vnà cum corpore, & sanguine Christi substantiam panis,& vini remanere, quod est hæreticum.

118 Itaque tantum abest, vt ex verbis Conc. Florent. *loc. cit.* probetur opposita sententia, quod potius euidenter deducitur nostra, nempè Sacramentum Eucharistiæ non constare verbis consecratorijs, vt forma intrinsecè constituente , dùm ibi docet per verba Saluatoris hoc sacramentum confici, vt notant Vasques *disp.*166. Amicus *disput.*15.*sect.*1. & alij Iuniores; inquit enim , *verba consecrationis esse quibus hoc conficitur Sacramentum, Sacerdos enim in persona Christi loquens hoc conficit Sacramentum*, & sic etiam loquitur Ambrosius lib.1. de his, qui initiantur *Sacramentum, quod accipis, Christi sermone conficitur*; ergo ex Concilio, & Patribus hoc sacramentum potius est effectus verborum, quàm constitutum ex ipsis, non enim dixit *ex verbis constitui* , sed *confici*, quod habitudinem causæ efficientis importat, non formalis ; vndè consecratio requiritur, tanquam actio, qua conficiatur hoc sacramentum quasi effectiuè,non verò tanquam pars intrinseca ipsius; Et licet verba appellet formam huius sacramenti,intelligit de forma,qua efficitur, non qua constituitur.

Confirmatur, quia eodem modo ibi ait Concilium panem azimum esse materiam huius sacramenti; cùm tamen certum sit non esse partem eius intrinsecam, siquidem substantia panis per vim huius sacramenti potius excluditur.

Respondet Poncius negando consequentiam cum eius 119 probatione, nam licet illis verbis etiam effectiuè introducatur corpus Christi sub speciebus, hoc non impedit, quo minus verba intrinsecè constituant sacramentum ; sicut licet per verba, quæ sunt forma baptismi, producatur gratia, hoc non impedit, quo minus intrinsecè constituant Baptismi Sacramentum. Addit Auersa *q.*1. de Sacramento Eucharistiæ *sect.*8. hoc, quod dixit Concilium , per verba consecrationis confici hoc sacramentum, quia Sacerdos loquens in persona Christi conficit, idem est, ac si dicatur, sacramentum Baptismi, Pœnitentiæ, aut aliud confici suis verbis, quia Minister loquendo conficit Sacramentum , quod sanè debet intelligi verbis ipsis intrinsecè constitui sacramentum, & Ministrum loquentem esse causam effectiuam, inquantum verba profert ; Dixit etiam Concilium panem esse materiam, idest, remotam referendo ad substantiam panis, vt ex veritate ipsa misterij constat ; sed non sic nomine formæ potest intelligi forma remota, aut causa effectiua, sic pariter discurrit Lugo *disp.*1. de Eucharistia *sect.*4.

Verùm non est par ratio de Eucharistia, & cæteris sacra- 120 mentis, & latum patet discrimen ex multis capitibus ; cætera namque sunt entia successiua, ideoque à verbis causari possunt, non tantùm in genere efficientis causæ, sed etiam formalis ; at Eucharistia est ens permanens, & ideò licet ab eis pendere possit in genere causæ efficientis, non tamen formalis, quia nequit ens permanens constitui ente successiuo ,tanquam forma intrinseca ; Deinde quia Eucharistia nullum complementum in esse sacramenti à verbis consecratorijs accipit in genere causæ formalis ; sicut alia sacramenta ; ergo nequit ab eis pendere, nisi in genere causæ efficientis ; probatur assumptum, nam vt arguit Amicus , Eucharistia in esse Sacramenti adæquatè constituitur per esse signum nutrimentalis gratiæ, hoc autem habent species panis, & vini, vt continent corpus, & sanguinem Christi, & quidem independenter à verbis consecratorijs in genere causæ formalis, & dependenter solùm in genere efficientis ; & ratio est, quia idem foret sacramentum , si alio modo , quàm per verba consecratoria institutum fuisset ; ergo verba non complent hoc sacramentum formaliter in ratione Eucharistici sacramenti, sed tantùm ad id effectiuè concurrunt, formaliter enim id habent ratione continentiæ corporis, & sanguinis Christi. Nec tandem satisfacit,quod vltimò addebat Auersa ad confirmationem , imò Caspensis *tract.*21. *disp.*1.*sect.*5.estò sit oppositæ sententiæ , fatetur quod si præcisè standum esset in Concilium, videtur necessariò asserendum, quod nos dicimus, quia vbi non est materia intrinsecè componens, neque potest esse forma intrinseca ; at nulla assignatur à Concilio materia componens pro Sacramento Eucharistiæ ; ergo forma , quam assignat per contrapositionem ad præfatam materiam , non est forma componens, & intrinseca, sed tantùm transiens, & extrinseca, sicut substantia panis, & vini est materia pariter transiens,& extrinseca.

Deindè probatur ratione à Scoto insinuata, quam etiam 121 adhibet Amicus *loc. cit.* & latè prosequitur Gauatius noster *disp.*1.de Sacramento Eucharistiæ *q.*4. *cap.*1. Eucharistia est Sacramentum permanens,vt constat ex Trid. *sess.*13. *can.*7. ergo nequit constitui ente successiuo, tanquam forma intrinseca ; Consequentia probatur, quia ens permanens perseuerat successiuo corrupto ; at nulla res potest essentialiter, & intrinsecè constitui per formam corruptam, aliàs integra rei natura perseuerare posset eius essentiali forma corrupta.

Respondent primò Recentiores quamplures cum Suarez,verba consecrationis, quamuis physicè transeant , moraliter nihilominus permanere, peracta consecratione, & propterea posse quodammodo materiam informare,& partem intrinsecam sacramenti dici; quæ fuit responsio Aureoli 4.*d*.8. *q*.1. vbi inquit post consecrationem manere verba virtualiter, sicut manet offensa, vel opus studiosum in mente Dei,& hominum. Dicunt itaque verba consecrationis dupliciter accipi posse, primò prout sunt in seipsis successiua, quatenus proferuntur à Sacerdote; secundò prout

manent moraliter in speciebus consecratis ad modum, quo benedictio, vel consecratio Ecclesiæ, calicis, vel aquæ benedictæ dicuntur manere in illis; primo modo sumpta verba consecrationis non pertinent intrinsecè ad Sacramentum Eucharistiæ, benè tamen secundo modo sumpta; Vndè res successiua, qua talis non potest esse forma rei permanentis, tamen res, quæ physicè successiua est, sed moraliter permanens, potest optimè esse forma rei permanentis. Quarè in forma ad argumentum respondent diuersam esse rationem de composito physico, & morali; quoad informationem compositi physici, & naturalis requiritur physica coexistentia partium componentium, non tamen ad constitutionem compositi moralis; Vndè licet anima, quæ est forma physca, cùm non existat physicè, non possit esse forma compositi naturalis; verba tamen consecrationis possunt esse forma huius sacramenti, quod est compositum morale, quia etsi verba physicè non existant, existunt tamen moraliter; Ità Rex dicitur habere dignitatem, & auctoritatem permanentem, quamuis institutio, & electio eius fuerit quid successiuum, & totaliter transierit quoad esse physicum, quia adhuc moraliter manet in mente Dei, & hominum.

122 Hanc solutionem impugnat Gauatius loc. cit. quia falsum est verba consecratoria moraliter manere; Sacerdos enim absoluta consecratione non amplius censetur verba pronunciare, quod tamen necesse esset, vt verba consecratoria moraliter manerent; & quando etiam concederetur verba moraliter hoc modo perseuerare, & hac ratione partem intrinsecam sacramenti esse, saltem hoc sequeretur absurdum, quod si peracta consecratione moreretur Sacerdos, non permaneret amplius idem numero sacramentum, tunc enim verba illa, nec physicè, nec moraliter existerent. Tùm quia nulla simultas moralis assignari potest inter species sacramentales, & verba tot diebus antè prolata; nam simultas moralis est inter illa, quæ parum physicè distant; quæ verò maximè distant, cuiusmodi sunt verba consecratoria, & species sacramentales, nullam simultatem moralem habere possunt; & eo magis, quod si species consecratæ vsque ad diem iudicij durarent, vsque ad illum diem veram, & integram rationem sacramenti haberent; videatis quæso qualis simultas moralis inter illa reperiri posset? sic etiam discurrere videtur Brancatus *disp. 2. art. 2. in fine.*

123 At hæc impugnatio parum vrgere videtur, quia vt verba consecratoria moraliter perseuerare dicãtur, minimè opus est, vt Sacerdos illa semper pronunciare censeatur, sed sufficit quod maneant in mente Dei, & hominum, qui verba illa audierunt, imò si Sacerdos post prolatam formam verborum cum debita intentione super debitam materiam retractet actum, non fiet irritum sacramentum, sed adhuc perseuerat; vndè neque sequitur inconueniens illud, quod si peracta consecratione moreretur Sacerdos, non permaneret amplius idem numero sacramentum, siquidem verba ab ipso prolata adhuc in mente Dei, & hominum perseuerarent. Tùm quia falsum est, quod simultas moralis sit tantùm inter illa, quæ parum physicè distant, quia coniunctio moralis vtriusque partis sacramentum componentis non semper, & in omni occasione, & in quolibet sacramento requirit eandem propinquitatem, aut coniunctionem inter existentiam physicam vtriusque partis; nam vt suprà diximus, maior propinquitas requiritur inter partes baptismi, quàm inter mutuum consensum contrahentium matrimonium, in quo potest esse mora vnius diei, vel plurium; ideòque non mirum, quod in partibus componentibus ea sacramenta, quæ consistunt in vsu, moralis earum coniunctio ad sacramentum requisita multò maiorem petat propinquitatem inter existentias physicas vtriusque partis, quàm petat Sacramentum Eucharistiæ, quod non consistit in vsu, sed permanens est. Tùm quia in permanentia morali aliorum actuum humanorum hæc simultas moralis minimè est necessaria, vt nimirum sit inter illa, quæ parum physicè distant; alioquin Rex, vel Pontifex triginta ab hinc annis electus, nunc verè Rex non esset, nec eius regia dignitas perseueraret, quia nimis physicè ab eius institutione distaret; sicut ergò eius regia dignitas, & auctoritas adhuc perseuerare dicitur, quia non obstante tanta physica distantia, adhuc eius institutio manet in mente Dei, & hominum; ità eadem ratione verba consecratoria verè moraliter permanere dicerentur in speciebus consecratis, quia permanerent in mente Dei, & hominum saltem per traditionem, etiamsi vsq; ad diem Iudicij durarent.

124 Potius ergo ea responsio reijcienda est; Primò, quia in communi modo loquendi ea tantùm dicuntur per modum habitus moraliter perseuerare, quorum retractatio pendet à voluntate nostra, vt patet de consensu liberè à nobis elicito, qui moraliter perseuerare censetur, quamdiù à nobis non retractatur, ità enim interpretatiuè videmur velle, & quasi illum continuatè elicere; hic autem modus permanentiæ moralis in præsenti locum non habet, quia vt dicebamus, etiamsi Sacerdos post prolatam verborum formam, actum retractaret, non ob id fieret irritum sacramentum. Deindè, quia etiamsi hic locum haberet ea verborum permanentia moralis, non adhuc sufficit ad constituendam huius sacramenti veritatem; quia transactis verbis non dicitur manere Eucharistia tantùm moraliter in mente Dei, vel hominum, vti manere solent actus humani physicè corrupti; sed verè, & physicè manet independenter à cognitione Dei, vel hominum. Denique quia vt suprà dicebamus, etiam admissa hac permanentia morali verborum, nullum complementum ab ea accipit hoc sacramentum in genere causæ formalis, quia in esse Eucharistiæ adæquatè constituitur per esse signum nutrimentalis gratiæ, hoc autem habent species panis, & vini, vt continentes corpus, & sanguinem Christi, in genere causæ formalis independenter à verbis consecratorijs, vndè hoc sacramentum quoad totam suam entitatem intrinsecam maneret, idem, vt notat Vasquez, si Deus sine verborum prolatione poneret corpus Christi sub speciebus panis eo modo, quo nunc est; ergo verba non complent hoc sacramentum formaliter in ratione talis sacramenti, quia si ità complerent illud, sublata forma tolleretur compositum ex tali forma resultans; probatur assumptum, nam rationem Eucharistici sacramenti habet ex eo, quod est cibus, & potus spiritualis animæ; hoc autem formaliter habet per ipsas species panis, & vini, vt continentes corpus, & sanguinem Christi; quod adhuc haberet, si alio modo, quam per verba consecratoria institutum fuisset; igitur solæ species panis, & vini, vt continentes corpus, & sanguinem Christi, habent integram, & completam rationem Eucharistici sacramenti.

125 Nec quidem satis rationabiliter negat Card. de Lugo, si Deus poneret corpus Christi sub speciebus panis sine verborum prolatione, futurum idem Sacramentum Eucharistiæ, & idem signum sensibile gratiæ, quod nunc est, cùm in tali casu gratiam non significaret per verborum prolationem, sed per aliquid aliud; quia species modò non significant corpus Christi sensibiliter, nisi prout cum talibus verbis. Hoc, inquam, non benè negatur, quia in eo casu remaneret idem signum, & idem significatum, ergò idem sacramentum; nec refert, quod tunc gratia non significaretur per verborum prolationem, sed per aliquid aliud; siquidem illa verborum prolatio est causa efficiens instrumentalis, non autem ratio formalis constituens illud sensibile in esse signi, nec aliquo pacto fundans significationem, & propterea adhuc idem signum sensibile remaneret, quia ex sola diuersitate causarum, efficientium effectus essentialiter non distinguuntur, vt dictum est in Physicis.

126 Hinc patet exempla illa in responsione adducta, de aqua benedicta, & Ecclesia consecrata ad rem non esse, quia earum sanctitas est purè moralis, ac proindè illam aliundè habere non possunt etiam in genere causæ formalis, quàm à benedictione, & consecratione moraliter in ipsis permanente iuxtà datam explicationem; at species consecratæ longè maiorem habent sanctitatem sibi intrinsecam physicam, & realem, nimirum ipsam continentiam corporis, & sanguinis Christi; vndè non dicuntur sacræ, vel consecratæ formaliter à verbis, sed à corpore, & sanguini Christi, per cuius vnionem redduntur formaliter sacræ; nec dicuntur formaliter sacræ, vel consecratæ, quasi earum consecratio maneat moraliter tantùm in mente Dei, vel hominum, quo pacto tantùm aqua dicitur benedicta, & Ecclesia consecrata per consecrationem physicè transactam; sed dicuntur sacræ, & consecratæ transactis verbis independenter à cognitione Dei, vel hominum, vt continentes corpus, & sanguinem Christi, & independenter à verbis, tanquam à forma realiter denominante, licet dependenter ab eis, tanquam à causa efficiente.

127 Respondent secundò alij, manere verba consecratoria

quoad

quoad denominationem, quatenus denominant species cõsecratas, ac proindè verba consecratoria non esse formam inhærentem, sed solùm denominantem hoc sacramentum; quemadmodum esse cognitum essentialiter constituitur ex obiecto, & cognitione, vt forma non inhærente, sed extrinsecè denominante; Sicut ergo Rex, inquit Poncius, habet denominationem, & auctoritatem permanentem, quamuis institutio ipsius fuerit quid successiuum, & totaliter transierit quoad esse actuale physicum eius; ità sacramentum hoc etiam in esse sacramenti est quid permanens, quia permanet illud, quod denominatur sacramentum cum illa denominatione, licet non permaneat forma, qua denominatur, sed transierit quoad esse physicum, & fuerit quid successiuum quoad suam entitatem.

At neque hæc solutio vim argumenti eneruat, quia falsũ est sacramentum hoc includere denominationem à verbis præteritis, vt formale complementum sui, siquidem cùm ab eis solùm in genere causæ efficientis pendeat, vt dictum est ex Concil. Flor. & cùm nullus effectus formalem denominationem suæ causæ efficientis includat, non poterit hoc sacramentum includere denominationem à verbis consecratorijs formaliter, & intrinsecè, hoc est, tanquam formam illud complentem in ratione sacramenti, alioquin species consecratæ solam denominationem extrinsecam importarent, sicut esse visum in pariete, vndè non verba ipsa, sed sola extrinseca denominatio à verbis derelicta esset forma huius sacramenti, quod est absurdum.

128 Exemplum verò illud de obiecto cognito ait Gauatius petere principium, illudque ità retorquet, ità se habent verba consecratoria ad species consecratas, sicut se habet cognitio ad obiectum cognitum, sed cognitio non est pars intrinseca obiecti cogniti, nam esse cognitum est effectus derelictus in obiecto ab actu cognoscendi, tanquam à causa efficiente; ergo nec verba consecratoria sunt pars intrinseca specierum consecratarum. Cæterum falsum omninò est esse cognitum in obiecto deriuari à cognitione, vt à causa efficiente, & non formali; omnes enim dicunt esse cognitum in obiecto esse effectum cognitionis ad illud terminatæ in genere causæ formalis, non verò efficientis: neq; hinc sequitur cognitionem ipsam esse debere partem intrinsecam obiecti cogniti, quia cognitio non dicitur forma inhærens obiecto, ad quod terminatur, sed solùm extrinsecè denominans, vndè esse cognitum essentialiter constituitur ex obiecto, & cognitione, vt forma non inhærente, sed denominante. Potius ergò dicendum est, non esse parem rationem de obiecto cognito, quia cognitum formaliter includit cognitionem; vt formam formaliter tribuentem esse cognitum; Eucharistia verò solùm connotat verba, vt causam efficientem sui, & nullum complementum in esse sacramenti accipit à verbis in genere causæ formalis, sicut obiectum accipit à cognitione in ratione cogniti. Sicut nec etiam exemplum de Rege à Poncio adductum est ad rem, quia dignitas, & auctoritas Regis non dicit quid reale physicum in ipso, sed tantùm morale, nec attendi potest in ipso, nisi penes eius institutionem physicè transactam, & moraliter perseuerantem in mente Dei, vel hominum; at sanctitas Eucharistiæ est physica, & realis per realẽ, & physicam continentiam corporis, & sanguinis Christi sub speciebus, quam non habent dependenter à verbis consecratorijs, nisi in genere causæ efficientis.

129 Respondet tertiò Card. de Lugo *sect. 4. cit.* Sacramentum Eucharistiæ permanere quidem, transactis verbis, quoad id quod dicit in recto, non verò quoad ad id, quod dicit in obliquo; sufficit autem manere id, quod includitur in recto, vt dicatur perseuerare sacramentum; sicut nunc etiam dicitur permanere domus antiqua, licet modò non existat id à quo domus denominatur antiqua, scilicet, durationes annorum præteritorum; quarè cùm Eucharistia solum significet in recto corpus Christi sub speciebus consecratis, licet verba consecrationis transierint, verum est manere Eucharistiam, quia manet corpus Christi sub speciebus consecratis, sicut dicimus esse in Ecclesia aquam benedictã, licet non sit ibi benedictio, quia, scilicet, est ibi id, quod significatur in recto.

Hanc rursus solutionem Gauatius refellit, quia ad hoc, vt remaneat album, vt album, & sub ratione albi, non sufficit remanere rectum totius illius concreti, hoc est subiectum, quod erat album, sed remanere debet ipsum totum accidentale quoad omnem partem; ergò pariter in proposito, vt dicatur remanere sacramentum sub ratione sacramenti, non sufficit remanere tantùm quoad id, quod dicit in recto, sed etiam quoad aliam partem, quam dicit in obliquo. Exemplum de aqua benedicta ait principium petere, nam ob eandem rationem, obquam dicimus verba consecratoria non esse partem intrinsecam sacramenti Eucharistiæ, pariter dicendum est benedictionis actionem non esse partem intrinsecam aquæ benedictæ. Hæc tamen solutio reijcitur ibidem ab eodem Card. de Lugo, vbi inquit, quod quidam effectus formales postulant ex se formam præsentem, vt esse album, non enim potest quis esse albus, nisi ab albedine sibi præsenti; alij verò non postulant formam præsentem, vt esse cognitũ, vel amatum, non enim requiritur, quod hic, & nunc sit pręsens amor, vel cognitio; potest siquidem obiectum denominari amatum, vel cognitum à cognitione etiam præterita, & absenti; sic itaque in proposito (inquit Lugo) denominatio specierum consecratarum potest prouenire à verbis præteritis, sicut denominatio obiecti cogniti à cognitione præterita, quia solùm significat species illas esse, super quas prolata sunt verba consecrationis, ad quam denominationem satis constat actualem præsentiam verborum non requiri.

130 Meliùs ergo impugnatur allata solutio, quia verbis transactis remanet verum, & integrum Eucharistiæ sacramentum, quarè opus est remanere quoque omne id, quod est de intrinseca eius constitutione, atque ideò si verba non manent, consequens est, vt non sint pars intrinseca, & essentialis illius. Nec verum est, sufficere, quod remaneat illud, quod sacramentum importat in recto, vt integrum perseuerare dicatur, etiam si corrumpatur quod importat in obliquo; Nam etiamsi hoc importetur in obliquo, si tamen est pars eius intrinseca, & essentialis, omninò manere debet, vt verum, & integrum sacramentum perseuerare dicatur; sicut patet de animali, quod licet animam importet in obliquo, & non in recto, quia non benè dicitur, homo est anima, sed ex anima, & corpore constat, tamen anima destructa nequit in esse animalis perseuerare. Exempla de domo antiqua, & aqua benedicta ad rem non sunt, quia nec antiquitas in domo, nec benedictio in aqua aliquid reale, & physicum importat, vt dictum est n. 126. at verba consecratoria aliquam realem, & physicam sanctitatem causant efficienter in speciebus consecratis, nempè realem, physicam continentiam corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini; atque ideò illi sunt effectus formales de numero eorum, qui non postulant formam præsentem, sicut esse cognitum, & amatum; at sanctitas Eucharistiæ est de numero illorum effectuum formalium, qui postulant ex se formam pręsentem, qua formaliter in esse tali constituatur, quæ in proposito est vera, & realis continentia corporis, & sanguinis Christi sub speciebus, quæ habetur dependenter à verbis consecratorijs solùm in genere causæ efficientis, non autem formalis; hæc itaque sola est de ratione formali, & intrinseca sacramenti Eucharistiæ non autem verba præterita, aut denominatio consecrationis ab eis deriuata.

131 Dices, species panis, & vini continent corpus, & sanguinem Christi, quatenus sunt consecratæ, sed sunt formaliter consecratæ per verba consecratoria; ergo verba consecrationis formaliter integrant rationem sacramenti huius nutrimentalem gratiam significantis. Resp. negando minorem, non enim species dicuntur sacræ, vel consecratæ formaliter à verbis, sed à corpore, & sanguine Christi, per cuius vnionem redduntur formaliter sacræ; adhuc tamen verum est, quod talem consecrationem habent quoque dependenter à verbis in genere causæ efficientis; Quod sit contentas species sacramentales non tantùm ex hoc capite dici sacras, & consecratas, scilicet, ex vnione earum cum corpore, & sanguine Christi, sed etiam per denominationem formalem deriuatam à verbis iam prolatis; licet hoc Amicus negare videatur, quia nullus effectus includit formalem denominationem suæ causæ efficientis: ego tamen non repugno; hoc nihilominus admisso, nihil contrà assertionem nostram concluditur, quia Eucharistia nullum complementum in esse sacramenti in genere causæ formalis accipit à verbis consecratorijs per talem denominationem in species deriuatam, alioquin complementum huius Sacramenti in sola extrinseca denominatione sita esset, nec eius sanctitas esset physica, & realis intrinseca, sed tantùm moralis, & extrinseca, qualis est sanctitas aquæ benedictæ, & Ecclesiæ consecratæ, quod est falsum, vt constat ex dictis.

ARTICVLVS TERTIVS.

Recentiorum fundamenta soluta.

132 IN oppositum Primò arguit Cardin. de Lugo sec.4. cit. ex Concilio Florent. in decreto Eugenij, vbi de omnibus Sacramentis dicitur, quod materia, & forma perficiuntur; & infrà specialiter de Sacramento Eucharistiæ dicit formam illius esse verba consecrationis; ex quo colligitur verba esse de intrinseca ratione, & compositione Eucharistiæ, non aliter ac formam aliorum sacramentorum. Nec valet, inquit, solutio superius num. 117. insinuata, verba consecrationis esse quidem formam Eucharistiæ in fieri, non autem in facto esse. Quia verba non sunt forma productionis Eucharistiæ, cùm nullo modo ipsam componant, ergo non possunt hac ratione dici forma Eucharistiæ. Nec etiam valet alia solutio insinuata nu. 118. verba consecrationis dici à Concilio formam Eucharistiæ non intrinsecam, sed extrinsecam, quatenus est forma conficiens Eucharistiam, non autem illam intrinsecè constituens. Quoniam, prçterquamquod efficiens improprijssimè dicitur forma, non potest forma, vt forma, alium modum concurrendi habere, nisi intrinsecè cõponendo, nec potest habere alium effectum, nisi compositum ex ea resultans; ergò cùm verba consecrationis sint verè formæ Eucharistiæ, vt Conc. definit, nec esse est, quod illam intrinsecè componant, alioquin eius forma non erunt. Nec tandē valet alia consueta Scotistarum responsio, in hoc differre Eucharistiam ab alijs sacramentis, quod cætera consistunt in vsu, & sunt successiua, ideoq; posse ex verbis constitui, tanquam ex forma intrinseca, vt enim entia successiua componant vnum, satis est, quod in aliqua sui parte conueniant; at Eucharistia consistit in esse permanenti, & habet esse Sacramentum post transacta verba. Non valet, inquit, quia quicquid sit de ratione discriminis, Concilium loquitur in vniuersum de omnibus sacramentis, & omnia dicit perfici materia, & forma, quod in speciali probat de Eucharistia dicens verba esse eius formam; ergo hæc exceptio est contrà mentem Concilij.

133 Respondeo primam solutionem esse admittendam, quia re vera Concilium ibi enumerat ea, quæ ad fieri sacramentorum requiruntur, non autem quæ intrinsecè illa componunt, vt patet ex eius verbis *loc. cit.* relatis; non enim dicit sacramentum quodlibet ex illis constare, sed dicit perfici; alias sequeretur etiam constare ex persona Ministri, siquidem eodem modo loquitur de Ministro, vt de materia, & forma, ait enim *his tribus perfici*, itaut sensus sit ad conficiendum quodlibet sacramentum tria requiri, materiam formam, & Ministrum, quæ in confectione etiam Eucharistię assignantur. Ad huius solutionis impugnationem concedo verba non esse formam consecrationis, quasi propriè ipsam cõponant; ex quo solùm sequitur non esse eius formam physicè, & rigorosè, cũ quo tamē stat, quod possint dici forma metaphoricè, & proportionaliter, quatenus respectu panis, & vini, quæ ibi assignantur pro materia consecrationis, habent rationem spiritualioris, perfectioris, & determinãtis.

134 Altera quoq; solutio sufficiens est; sicut enim Concilium panem, & vinum absolutè vocat materiam sacramenti, quãuis non sint nisi materia consecrationis; sic pariter verba ex eo quod sunt forma consecrationis, poterunt pari ratione dici forma Eucharistiæ; Et sicut, cùm dicit materiam eius esse panem, & vinum, non intellixit materiam intrinsecè componentem, quia hoc sacramentum ex pane, & vino non componitur, tanquam ex materia, cùm sit necesse panem, & vinum destrui; sic pariter nomine formæ intelligere non debuit formam intrinsecam, sed extrinsecam, hoc est, quę extrinsecè requiritur ad hoc sacramentum efficiendum; Ad huius verò solutionis improbationem, dico assumptum esse verum de forma rigorosè accepta, non verò de forma similitudinariè tantùm, & impropriè sumpta, & absolutè negandum est verba consecrationis ad sacramentum Eucharistiæ concurrere in genere causæ formalis, cùm potius concurrant solùm in genere causæ efficientis, vt dictum est. Neque Concilium appellat verba forma Eucharistiæ, nisi quatenus dixerat esse formam consecrationis; Ex qua doctrina stabilitur tandem etiam tertia solutio, quia Concilium dixit omnia sacramenta perfici rebus, & verbis, velut materia, & forma, non autem propriè constare, vt ex partibus intrinsecis, & essentialibus, & verba dixit esse formam Eucharistiæ, quatenus sunt forma consecrationis.

Secundò arguit ratione, nam species panis, & vini constituuntur formaliter in ratione sacramenti per verba consecrationis, prout sic enim habent integram, & completam significationem sensibilem gratiæ nutrimentalis; qualis requiritur ad sacramentum Eucharistiæ; ergo verba ipsa se habent, vt forma intrinseca hoc sacramentum constituens; Probatur assumptum, quia species prout contradistinctæ à verbis, nec significant de se præsentiam corporis Christi, nec gratiam, nec ad hoc significandum sunt institutæ, nec ad hoc excitant mentem videntis, nisi sciamus esse consecratas, seù super illas prolata esse talia verba; vt sic enim iam habent significationem, & institutionem requisitam; ergo species non constituunt sacramentum, nisi prout cum verbis consecrationis.

135 Respondet Gauatius ad rationem sacramenti Eucharistiæ ipsam quoq; consecrationem concurrere, non tanquam aliquid de intrinseca ratione sacramenti, sed tanquam aliquid necessariò prærequisitum, vel tanquam conditionem sine qua non. Quæ solutio non omninò satisfacere videtur, alioquin ità pariter dici posset, vt arguit Poncius, quod paries non constituatur formaliter visus per visionem, nec res aut signum in esse talium per institutionem; sed quod visio, & institutio sint quædam necessariò prærequisita, & conditiones sine quibus non, quod omninò irrationabiliter diceretur. Melius ergo negatur antecedens cum eius probatione, nam species panis, & vini sunt signum nutrimentalis gratiæ, qualiter ad sacramentum hoc requiritur, vt continentes corpus, & sanguinem Christi, independenter à verbis, vt à forma formaliter denominante, licet dependenter ab ipsis, tanquam à causa efficiente; Vndè negatur etiam species panis, & vini supposita consecratione, non significare præsentiam corporis Christi, & ad hoc mentem non excitare, siquidem species illæ ex institutione diuina habent, vt post cõsecrationem significent corpus Christi ibi realiter contineri.

136 At contra hanc solutionem replicat Orlandus *disp.* 1. q. 4. quia species non continent corpus Christi, nisi quatenus sunt consecratæ, sed vt consecratæ important verba consecrationis, tanquam formam; ergo si prout continens corpus Christi, habent significationem requisitam ad rationem huius sacramenti, hoc habent per ipsa verba formaliter; Minor probatur, quia quod aqua sit benedicta, Ecclesia consecrata, vel calix benedictus intrinsecè prouenit à forma consecrationis, vel benedictionis, quibus consecrata, vel benedicta fuerunt; pariter ergò quod species sint consecratæ intrinsecè prouenit à verbis consecrationis, atque ità intrinsecè etiam pertinebunt ad rationem Sacramenti Eucharistiæ.

Ad hanc instantiam iam diximus suprà n. 131. negandam esse minorem, non enim species dicuntur sacræ, vel consecratæ formaliter à verbis, sed à corpore, & sanguine Christi, per cuius vnionem redduntur formaliter sacræ; ad probationem minoris iam n. 126. negata est paritas de aqua benedicta, & Ecclesia consecrata, quia sanctitas aquæ benedictæ, & Ecclesiæ consecratæ est purè extrinseca, & moralis ex actione præterita benedictionis, & consecrationis adhuc moraliter permanentis deriuata; at sanctitas sacramēti Eucharistiæ non est purè moralis, & extrinseca, sed intrinseca realis, & physica, atque ideò species non tantùm consecratæ dici debent virtute verborum adhuc moraliter permanentium, sed per corpus, & sanguinem Christi, quod realiter, & physicè sub se continent, quo pacto longè melius explicatur augusta sanctitas huius sacramenti.

137 Tertiò arguit Caspensis, quia ad omnia Sacramenta, quæ de facto sunt instituta, ità essentialiter requiruntur verba, vt sine illis impossibile sit fieri aliquod illorum; sed nullus effectus potest essentialiter pendere ab aliqua causa secunda præterquam à Deo; ergo verba in Sacramento Eucharistiæ non solùm efficienter concurrunt, sed etiam in genere causæ formalis. Confirm. quia de facto non instituit Christus aliquid aliud præter verba consecrationis, per accidentia panis fierent signa sensibilia præsentiæ Christi, & gratiæ nutrientis; sed sic est, quod ratio signi sensibilis non potest esse à verbis in genere causæ efficientis; ergo est in genere causæ formalis; Minor probatur, quia cùm ratio illa signi sensibilis sit extrinseca quædam denominatio ex ipsis verbis desumpta, non potest esse à verbis in genere causæ efficientis, sicut denominatio visi à visione in genere causæ efficientis non est; causalitas ergo verborum pertinet

etiam

etiam ad genus causæ formalis. Denique species non habent à verbis in genere causæ efficientis, quod sint consecratæ, quo pacto tantùm sunt signum gratiæ nutrientis; ergo habent in genere causæ formalis, atque ita forma, à qua species habent, quod sint consecratæ, sunt verba; probatur assumptum, quia consecratum non dicitur efficienter à consecratione, sed formaliter, at consecratio non distinguitur à verbis ipsis consecrantibus, quia consecratio intrinsecè residet in verbis consecrantibus, vt in subiecto, extrinsecè autem denominant rem, quæ dicitur consecrata; sicut visio intrinsecè inest potentiæ visiuæ, extrinsecè autem denominant parietem visum.

138 Respondetur, argumentum probare duntaxat verba essentialiter requiri ad fieri omnium sacramentorum, & consequenter etiam ipsius Eucharistiæ, non autem ad factum esse, in quo sensu agitatur hæc quæstio. Ad Confir. negatur minor, cùm expressè Concil. Florent. dicat hoc Sacramentum dependere à verbis in genere causæ efficientis, vt dictum est *nu.* 118. ad probationem minoris negandum est rationem illius signi sensibilis, seù sensibilem illam significationem dicere solam extrinsecam denominationem à verbis desumptam, dicit enim prætereà veram, & realem continentiam corporis Christi, & sanguinis sub speciebus, atq; ideò licet in ratione denominationis extrinsecæ dependeat à verbis in genere solùm causæ formalis; in ratione tamen continentiæ, & vnionis realis cum corpore, & sanguine Christi à verbis dependet in genere causæ efficientis; imò Gauatius *loc. cit.* contendit etiam esse visum, & esse cognitum esse effectus in obiecto derelictos ab actu videndi, & cognoscendi, tanquam à causa efficiente. Ad vltimum iam dictum est, species non dici formaliter à verbis consecratas, sed à corpore, & sanguine Christi, per cuius vnionem redduntur formaliter sacræ, licet hoc habeant efficienter à verbis; Quod si contendas etiam esse formaliter consecratas per denominationem extrinsecam à verbis iam prolatis in species deriuatam; hoc enim gratis admisso nihil contrà nos concluditur; quia Eucharistia nullum complementum in esse Sacramenti recipit à verbis consecratorijs in genere causæ formalis per talem extrinsecam denominationem in species deriuatam, vt declaratum est *n.* 131. sed tantum in genere causæ efficientis.

Quartò tandem arguunt Suarez, & alij, quia verba consecrationis determinant species ad significandum; ergo habent rationem formæ, cuius proprium est determinare. Confirm. quia negari non potest, quod verba significationem Sacramentalem non habeant; ergo vel sunt Sacramentum, vel saltem pars Sacramenti Eucharistiæ, probatur assumptum, quia verba consecrationis significant Corpus Christi esse præsens; Tandem nulla est repugnantia, quod verba prolata vicantur forma Eucharistiæ, & illam constituant, cùm sacramentum sit aggregatum quoddam artificiale ex rebus, & verbis; ergo ità asserendum est, ne dicamus hoc Sacramentum forma carere contra Conc. Florent.

139 Respondeo, verba consecrationis determinare species ad significandum non formaliter, sed efficienter, quatenus verba sunt quibus Sacerdos corpus Christi sub speciebus adducit, quo peracto species ex institutione diuina Corpus Christi significant ibi contineri; formaliter autem Sacramentum Eucharistiæ, seù sensibile illud determinatur per habitudinem signi ad signatum. Ad Confirmationem, verba consecrationis habent significationem sacramentalem, non quidem formaliter, sed per modum actionis; habent enim causalitatem, efficaciamque moralem, quæ in hoc consistit, vt ad eorum prolationem Deus ponat Corpus Christi sub speciebus, ideoque effectiua dicuntur corporis, & sanguinis Christi; & ista dicitur significatio effectiua, seù per modum actionis; at præter istam alia quoque admitti debet significatio, quæ Eucharistiæ competat in esse quieto, cùm sit Sacramentum permanens, quæ licet à verbis quoque dependeat in genere causæ efficientis, non tamen formalis. Ad vltimum negatur assumptum, implicat namque inquit Doctor, in terminis aliquid esse formam, & partem intrinsecam siuè naturalem, siuè artificialem alicuius compositi existentis, dùm ipsum non existit; verba autem physicè transierunt, & licet quandam moralem permanentiam habere possit, hæc tamen non sufficit ad veritatem Eucharistiæ saluandam, siquidem tale Sacramentum non tantùm moraliter permanet post verborum prolationem, sed etiam physicè independenter à cognitione Dei, & hominum. Neque inconueniens est dicere, hoc sacramentum in facto esse forma carere, sed forma, per quam efficiatur, Concilium enim Flor. non ait omnia Sacramenta materia, & forma constare, sed perfici, ad quod verificandum sufficit, si ad fieri illius concurrat aliquid, quod habeat rationem materiæ, & formæ, quod etiam de Sacramento Eucharistiæ verificatur; sed de hoc rursus redibit sermo inferius *disp.* 3. *de Eucharistia q.* 1.

QVÆSTIO QVARTA.

An Sacramenta noua legis physicè, vel moraliter causent gratiam.

FAmosa hæc inter Thomistas, & Scotistas controuersia supponit contra recentiores Hæreticos Sacramenta nouæ legis conferre gratiam iustificantem, non tantùm fidem excitando in suscipiente, sed per se, & propriè ex diuina institutione; tùm quia Scripturæ testimonia id clarè demonstrant, dùm per Sacramenta præter fidem remissionem peccatorum nobis promittunt, ac animæ salutem, quæ non nisi per gratiam iustificantem obtineri potest; tùm quia infantibus verè; realiter Sacramentum baptismi exhibetur, in quibus tamen actus fidei non excitatur; tùm tandem, quia alioqui Sacramenta non plus valerent, quàm prædicatio Euangelij, aliaq; externa signa, quibus in audientium, & videntium animis fides excitatur. Et quoniam, vt supra diximus n. 41. ex Scoto 4. d. 1. q. 6. K. dupliciter gratia obtineri potest; vno modo ex opere operantis, idest, ex opere proprio, prout habente rationem meriti, seù dispositionis, & valoris moralis, inquantùm est ab ipso homine ex auxilio Dei operante. Alio modo ex opere operato, hoc est, ex opere quatenus exterius exercetur, prout signum à Deo institutum; itaut si ille, cui tale signum applicatur, ex parte sua non mereatur, nec aliquam ponat dispositionem ad gratiam saltem de congruo, adhuc gratiam consequatur ex vi talis applicationis, vt contingit in paruulis; Quod si aliquam ponat dispositionem ex parte sua, non solùm recipiat gratiam tali dispositioni correspondentem, sed aliam quoque statutam ex pacto, & instituto Dei ratione talis signi exhibiti, quam adhuc consequeretur, si talis dispositio non præcederet, ex sola, & præcisa talis signi exhibitione. Hic rursus contrà eosdem Sectarios supponimus Sacramenta nostra gratiam conferre ex opere operato, hoc enim etiam eadem sacræ Scripturæ testimonia demonstrant, quæ hanc vim singulis tribuit Sacramentis, tùm quia alioqui ex opere operantis potest, & solet homo gratiam consequi, vel eius augmentum per alios quoque virtutum actus; vndè non esset quicquam proprium, & peculiare sacramentis sic gratiam conferre; quæ vis gratiam conferendi talibus signis rerum, & verborum non vtique conuenit ex natura rei, sed ex mera voluntate Dei, & Christi instituentis, vt talia signa hominibus conceduntur, quibus hoc modo gratiam diuinam obtinere possent. 140

Cùm autem Sacramenta hoc modo dicuntur conferre gratiam, dici omninò debent hac ratione causare gratiam, & esse causa gratiæ, non quidem in eo sensu, vt sint causa principalis, cùm enim gratia sit sublimis quædam diuinæ naturæ participatio, solus Deus esse potest causa principalis, & auctor gratiæ; sed dici debent causæ instrumentales, quatenus talia signa sensibilia suprà omnem eorum virtutem, & extrà omnem naturæ ordinem assumuntur à Deo ad conferendam gratiam; Sed quoniam duplex occurrit modus, quo dici possunt sic instrumentaliter gratiam conferre; Vnus itaut sacramentum per veram, & propriam efficientiam ex ipsa Sacramenti substantia directè, & immediatè emanantem per verum, & physicum influxum producat in anima gratiam, quo pacto anima per oculum, verbi gr. tanquam per instrumentum actum visionis efficere dicitur. Alter modus est, itaut gratia à solo Deo immediatè producatur, & ad præsentiam, & exhibitionem ipsius Sacramenti, tanquam signi ab ipso instituti, in animam infundatur, quæ actio gratiæ productiua non ab ipso Sacramento directè, & immediatè egrediatur, sed à solo Deo ad exhibitionem Sacramenti; qui modus causandi solam dicit causalitatem moralem. Quæstio præsens inquirit, an Sacramenta sint causæ instrumentales gratiæ primo modo, hoc est physicæ, ita quod verum, & realem influxum exhibeant, quatenus in virtute Dei agentis principalis, ad 141

ad huiusmodi effectum producendum mouentur, & exhibentur; an verò sint tantùm causæ instrumentales secundo modo, hoc est, purè morales, tanquam ipsum Deum ad eorum exhibitionem mouentes, & determinantes ad productionem physicam, & realem gratiæ, ita ut ipsa Sacramenta realiter physicè non influant, sed solus Deus agat ad differentiam causæ instrumentalis physicæ, quæ & ipsa physicè effectum attingit, licet in virtute principalis agentis, eo modo quo dictum est in Physicis.

142 In hac celebri controuersia duæ sunt sententiæ; Prima est Thomistarum asserentium sacramenta per physicam efficientiam, & causalitatem gratiam conferre, quos plures sequuntur Recentiores, Suarez, Valentia, Meracius, Bonac. Orlandus, Baldius, & alij, qui tamen etsi conueniant in hoc, quod sint causæ physicæ, discrepant tamen in modo huius physicæ causalitatis. Aliqui enim dixerunt sacramentum immediatè efficere dispositionem quandam in anima præuiam ad gratiam; Alij verò dixerunt sacramentum per modum causæ physicæ efficere, vt homo sit gratus Deo, non verò efficere ipsam gratiam secundum se; Alij tandem communis, & frequentius dicunt sacramentum immediatè efficere ipsam gratiam in anima; sed hic tertius communior, & frequentior dicendi modus in duos alios explicandi modos subdiuiditur; Aliqui enim dicunt sacramentum in se recipere virtutem quandam à Deo superadditam, qua per modum instrumenti eleuatur ad producendum gratiæ effectum, & in hoc sensu Thomistæ Dominicani communiter intelligunt, & explicant mentem D.Th. *q.62. art.1.* & 4. vt Caietanus, Nugnus, Cabrera, Pesantius, & alij ex familia D.Thomæ. Alij verò dicunt sacramentum absque alia virtute superaddita per suam solam entitatem à Deo assumi, & eleuari ad attingendam effectiuè gratiam; ità Suar. hic *disp.* 9. cum alijs Recentioribus, qui rebus omnibus creatis potentiam tribuunt obedientialem intrinsecam actiuam, vt possint hoc modo in genere efficientis causæ assumi, & eleuari à Deo ad quemcunq; effectum supernaturalem producendum.

143 Opposita sententia docet esse tantùm causas instrumentales morales, quæ fuit omnium ferè antiquorum Theologorum, Scoti, D.Bon. Riccardi, Durandi, Alensis, & aliorum, qui licet, & ipsi discrepare videantur in modo explicandi hanc moralem causalitatem, est tamen diuersitas in nomine tantùm, at in modo loquendi, non in re, quamuis enim aliqui dixerint causare per modum conditionis, aliqui per modum causæ sine qua non, omnes tamen in re idem significare voluerunt, excludere nimirum causalitatem physicam, quæ tamen efficientia melius explicatur nomine causalitatis moralis, vt communiter loquuntur Recentiores hanc sententiam, vt longè probabiliorem sequentes, Vasquez, Salas, Bernal, Coninchius, Lugo, Pasqualigus, Becanus, Caspensis, Auersa, Amicus, Morandus, & nostrates communiter Faber, Centinus, Rada, Aretinus, Poncius, Brancatus, & alij passim, qui per causam moralem eam intelligunt, quæ ità se habet respectu productionis rei, quam causare dicitur, vt quamuis actionem vllam physicam non habeat, nec sit dispositio physica connaturaliter productionem illius effectus exigens; ità tamen se habet, vt ratione positionis ipsius causa illum effectum physicè producens, determinetur ex positione ipsius ad eum producendum, quem aliàs non produceret; Qui modus causandi optimè dicitur, & explicatur nomine moralis causalitatis ob proportionem, quam habet cum causatione morali, quam habent consulentes, suadentes, iubentes, & similes, qui dicuntur moraliter causantes illum effectum, quem alter physicè producit, cui consulunt, iubent, &c. quatenus mouetur ab ipsis ad effectum producendum, & propterea meritò communis hominum existimatio illis cum omni proprietate productionem illius effectus attribuit, qua ratione dicunt Iudicem occidere reum morti ab ipso adiudicatum; Vndè quamuis sacramenta nullam habeant physicam actionem respectu productionis gratiæ, quia tamen ad eius productionem mouetur propter applicationem sacramentorum, iure merito talis productio ipsis quoque tribui potest, ac debet, velut causis moralibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Sacramenta sunt causæ morales tantùm gratiæ, non physicæ.

HÆc assertio statuitur cum secunda sententia, quam ex professò docuit Scotus 4. *d.1. qu.4.* & 5. *ad primam ergo quæstionem*, vbi postquam probauit contra Thomistas sacramenta non efficere gratiam, neque dispositionem aliquam ad gratiam præuiam per aliquam actionem propriè dictam, quæ à Recentioribus dicitur causalitas physica; vt deindè saluet hoc nihilominus non obstante, sacramenta esse causam gratiæ, non tantùm per accidens, sed aliquo modo per se, & quod per sacramenta habetur gratia, sicut Sancti loquuntur, hoc breuiter ex eo suadet, quod omnis dispositio necessitans ad formam, quæ non sit ratio receptiui, potest dici quodammodo causa actiua, siuè causa instrumentalis respectu formæ; quam propositionem probat exemplo meriti, nam absolutè conceditur ab omnibus, quod merita sunt causa instrumentalis respectu præmij, & quod per merita acquiritur præmium, & tamen meritum non causat actiuè præmium in se, hoc est, physicè non efficit ipsam beatitudinem, nec aliquam dispositionem mediam, sed solummodò ipsamet est præuia dispositio ad præmium, non tamen sicut ratio receptiui, quia non est dispositio præuia disponens passum ad recipiendam formam, sed potius disponens, & mouens agens ipsum principale ad effectum gratiæ producendum; quarè cùm hæc causalitas meriti respectu præmij non sit materialis, nec ad aliud genus causæ reduci melius possit, quàm causæ efficientis, non quidem principalis, sed instrumentalis; ideò communiter meritum respectu præmij censetur causa moralis, & in hoc sensu communiter dicere solemus merita efficere hominem beatum, & Deo gratum, per quem loquendi modum vtique non intendimus, quod physicè causent beatitudinem, vel gratiam, sed quod sint dispositiones Deum ex pacto suo necessitantes ad causandam gratiam, vel beatitudinem in merente; Cùm igitur dicat Doctor in hoc sensu duntaxat sacramentum, seù sacramenti susceptionem esse dispositionem ad gratiam, planè per hoc innuere voluit causalitatem tantùm moralem ergà ipsam exercere, & nullatenus physicam illis conuenire. 144

Hinc concludit, quod sacramenta respectu gratiæ non habent propriam causalitatem, siuè actionem propriè dictam, sed solùm sunt dispositiones immediatæ, & proximæ, quibus positis causatur effectus signatus, nempè gratia, quæ creatur à Deo, quomodo dici possunt causæ instrumentales non principales, & sic Sancti intelliguntur, quando asserunt sacramenta gratiam causare; nam sacramentum, vel sacramenti susceptio est dispositio necessitatis ad effectum signatum per sacramentum, non quidem per aliquam formam intrinsecam, per quam necessariò causaret terminum, vel aliquam dispositionem præuiam, sed tantùm per assistentiam Dei causantis illum effectum, non necessariò absolutè, sed necessitate respiciente potentiam ordinatam; disposuit enim Deus vniuersaliter, & de hoc Ecclesiam certificauit, quod suscipienti tale sacramentum ipse conferret effectum signatum; Ità Doctor sub lit. E. quibus verbis in sacramentis non aliam causalitatem respectu gratiæ agnoscit, quam moralem, vt constat ex allata descriptione moralis causalitatis, vt à physica distinguitur; pluribus autem rationibus id probat Doctor loc.cit. quę hic examinandæ sunt, & ab occursibus Aduersariorum vindicandæ, quibusque singuli reijciuntur modi superius relati oppositam sententiam defendendi.

Primò itaque probatur conclusio nostra ostendendo improbabilitatem primi modi, quo dicebant Capreolus, Ferrariensis, & quidam alij Thomistæ sacramenta gratiam physicè causare, quatenus immediatè efficiunt dispositionem quandam in anima præuiam ad gratiam. Cùm enim ex vna parte vellent sacramenta per veram efficientiam, & physicam causalitatem ad causandam gratiam influere; Et ex alia parte supponerent gratiam per creationem fieri, & hanc esse opus Dei ità proprium, vt nulla creatura assumi possit nec etiam, vt instrumentum ad creandum, ideò cogitarunt sacramenta dispositionem quandam in anima efficere ad quam gratia consequeretur, quam dispositionem dixerunt esse, vel characterem, vel in eius defectu ornatum

natum quendam animæ, qui etiam habitualiter animæ insit. Sed hoc omninò gratis dicitur, & sine vllo prorsus fundamento, licet enim in adultis requiratur dispositio moralis penes actus proportionatos elicitos; hæc tamen habitualis dispositio ad gratiam, quam in proposito fingunt Thomistę, ad illum effectum deseruire non potest, ad quem inuenta
144 est, quia vt specialiter arguit Doctor *4.d.1.q.4.§.contra istam opinionem*, si gratiæ iustificans, dicitur fieri per creationem, vt ipsi concedunt, sequitur etiam hanc ipsam dispositionem ad gratiam per creationem fieri debere, quia ipsa quoque forma supernaturalis esset, & omnis forma talis æquè non est educibilis de potentia naturali subiecti recipientis; si igitur hac ratione non potest sacramentum immediatè gratiã efficere, eadem ratione nullam aliam qualitatem supernaturalem poterit immediatè efficere. Deindè hæc ipsa habitualis qualitas in anima se habens per modum dispositionis ad gratiam, vel ità concurreret ad gratiæ productionem, vt effectiuè ipsam producat, & attingat; & sic eadem recurrit difficultas, quomodo res aliqua creata gratiam efficere possit, si gratia fit per creationem; Vel solùm dispositiuè se habet, itaut gratia immediatè solùm a Deo fiat, vt præfati Thomistæ intendere videntur; & tunc ab initio præstabat dicere absque tali ornatu medio gratiam à Deo infundi ad exhibitionem ipsius sacramenti. Tùm tandem, quia hæc alia qualitas ad gratiam præuia est omninò superflua, nec ad gratiæ productionem exigitur, vt constat in eo, qui extra sacramentum iustificatur, hic enim gratiam, vel gratiæ incrementum accipit absque vlla præuia qualitate disponente; Et character in sacramentis, quibus imprimitur, nullatenus ad hoc minus ponitur, vt animam ad gratiam disponat, vt infrà suo loco patebit; Vide Doctorem *loc. cit.* & Aretinum ibi *art.4.*

146 Secundò probatur ostendendo improbabilitatem secundi modi dicendi, scilicet, sacramentum per modum causæ physicè efficere, vt homo sit gratus Deo, nõ verò efficere ipsam gratiam secundum se; itaut attingat solam gratiæ vnionem cum anima, non gratiam; quo modo homo generans hominem efficit vnionem inter corpus, & animam, quæ tamen à solo Deo immediatè creatur, quo pacto discurrunt Soto, Ledesma, & alij Thomistæ. Hoc, inquam, etiam sine fundamento asseritur, vt fusè ostendit Suarez disp. 9. sec. 1. nam forma, quæ in suo esse ex natura sua pendet à subiecto, non potest ab aliquo agente effectiuè subiecto vniri, nisi eadem actione fiat ipsa forma ab eodem agente, & ratio est, quia per actionem illam ità vnitur subiecto suo, vt ab illo pendeat in suo esse, atque ideò eadem actione, qua vnitur, recipit suum esse; Sed gratia est forma; quæ in suo esse ex natura sua à subiecto dependet, quia est forma accidentalis, & omnis talis ex natura sua pendet à subiecto tã in fieri, quàm in esse; ergo non potest ab aliquo agente animæ vniri, nisi à quo in esse producitur, atque adeò sacramenta ad vniendam animæ gratiam eleuari non possunt, quin simul ad ipsam gratiam efficiendam eleuentur, quarè si gratiam ipsam efficere nequeunt, vt præfati Thomistæ concedunt, ergo nec illam animæ vnire poterunt. Vndè patet exemplum adductum de animę productione, ac eius vnione ad corpus simile non esse, quia gratia est forma accidentalis animæ inhærens, quarè dici non potest ab vna causa effici ipsam gratiã, & ab alia eius vnionem, & inhærentiam; Tùm quia homo non dicitur causa generans, & efficiens hominem ex eò prę- cisè, quod animam vniat corpori, sed quia estò animam non producat, producit tamen formam corporeitatis, vel mixtionis, quæ est dispositio necessariò ex natura rei connexa cum vnione animæ ad corpus; At præfati Thomistæ nihil antecedens ipsam gratiam ponunt produci à sacramentis per modum dispositionis ad illam, siquidem ipsi quoque impugnant primum dicendi modum, qui fingebat dispositionem illam characteris, vel ornatus.

147 Respondent, quod estò hoc sit verum considerato modo connaturali productionis talis formæ, nempè gratiæ, quæ est forma accidentalis; non tamen repugnare Deum se solo prius producere gratiam, deindè verò illam vnire per sacramenta.

Sed contrà, quia esto hoc à Deo effici possit, non tamen sine speciali miraculo, scilicet, quod forma natura sua pendens à subiecto fiat sine dependentia ab illo. Tùm quia illo etiam miraculo posito, necessarium adhuc esset, quod agens vniens talem formam subiecto attingeret quoque entitatem ipsam, seù existentiam talis formæ; & ratio est, quia omnis forma informare debet subiectum modo sibi connaturali, cum enim informatio sit actus intrinsecus, & formalis, nec suppleri, nec variari potest, si forma semper in se sit eiusdem rationis; anima ergo, quæ ex natura sua est forma à subiecto independens, ex se habet talem informandi modum, vt ratione illius non sustentetur à materia in suo esse, sed solum illi vniatur ad componendum vnum totum: at verò gratia, & omnis alia forma, quæ natura sua à subiecto pendet, quod informat, ex natura sua etiam postulat talem informandi modum, quo inhæreat subiecto, seù ab illo in suo esse sustentetur, & ideò necesse est, vt agens, quod huiusmodi modum vnionis attingit, attingat etiam ipsum esse talis formæ, vt ex professò dictum est *disp. 2. Phys. qu.7. art. 1.* Ex quo rursus patet discrimen inter huiusmodi formam, & animam rationalem, quod anima, quæ prius natura creatur, quam vniatur modo ibidem declarato, per solam actionem creatiuam accipit esse, per actionem verò vnitiuam solùm recipit vnionem, & informationem, itaut illa actio vnionis non attingat ipsum esse, seù existentiam animæ; at verò gratia, & quælibet alia forma à subiecto dependens, etiamsi fingamus miraculosè prius independenter à subiecto creari, tamen cum subiecto vnitur, necesse est, vt hoc fiat per actionem, & efficientiam, quæ non solam vnionem attingat, sed etiam entitatem, seù existentiam formæ.

Denique etiam admisso, quod hi Thomistæ prætendunt, 148
sacramenta, scilicet, attingere vnionem gratiæ cum anima, non ipsam gratiam, adhuc hoc non sufficit, vt sacramentum dicatur vera causa physica gratiæ, nam etiam homo, estò concedatur attingere vnionem cum corpore, nõ propterea dicitur causa physica animæ; Tùm quia si semel sacramenta ponuntur physica instrumenta, potius ponenda erunt immediate productiua gratiæ, quam vnionis, hoc enim modo melius saluetur, quod sint physica instrumenta gratiæ, & absolutè loquendo nulla est repugnantia ex parte termini, cùm enim gratia sit forma accidentalis, probabilius est educi de potentia obedientiali animæ, quàm creari, vt dixi *disp. 2.q.5.ar.2.* & rursus *lib. 2. sentent. disp.* [illegible] *2.* Hic tamen aduertendum est, quod quando hic dicimus formam, quæ in suo esse ex natura sua pendet à subiecto, non posse ab aliquo agente effectiuè subiecto vniri, nisi eadem actione fiat ipsa forma ab eodem agente; hoc planè non intelligimus in sensu Suarez, & aliorum Recentiorum, quasi actio eductionis aliud non sit formaliter, quam eius cum materia vnio. Hoc enim falsum est, vt ostendimus *disp.2. Phys. cit. q.5. art.2. num. 146. & art.3. n.154.* sed ita intelligendum est, quod talis forma eadem actione, & ab eodem agente dicitur vniri, & produci, quia iuxtà naturam suam ità produci postulat, vel ipsum idem agens producendo vniat, & vniendo producat: licet enim hoc fiat actionibus distinctis, sunt tamen ità connexæ, vt ab eodem agente, à quo forma materiæ vnitur, ab eodem etiam agente producatur; vndè iuxtà etiam hanc nostram explicationem procedit argumentum allatum contrà Thomistas.

Tertiò probatur ostendendo vlterius impossibilitatem 1[illegible]
tertij modi communioris Thomistarum, qui dicebant sacramentum immediatè efficere ipsam gratiam in anima, recipiendo in se virtutem quandam à Deo superadditam, qua per modum instrumenti eleuatur ad producendum effectum gratiæ, quo modo loquuntur Thomistæ iam citati *nu. 142.* Hunc enim dicendi modum ex instituto reijcit Doctor *cit. 4.d.1.q.5. §. Contrà opinionem istam*, quia gratia est adeò sublimis, & excellens diuinæ naturæ participatio, vt non videatur possibilis vlla virtus creata illius physicè effectiua; aut enim virtus hæc esset corporea, inquit Scot. vel spiritualis, non primum, quia virtus corporea non sufficit ad producendam formam taliter spiritualem, & supernaturalem, nam ad hunc ita erit improportionata, sicut ipsa sacramenti substantia, quod est corporeum; Neque secũdum, quia virtus spiritualis in subiecto corporeo collocari nequit cui tanquam accidens inhæreat, aut enim esset ibi indiuisibiliter, idest, tota in toto, & tota in qualibet parte, aut diuisibiliter, idest, tota in toto, & pars in parte: non primo modo, quia inter omnes formas materiam perficientes sola intellectiua ponitur talis: nec secundo modo, quia tunc extenderetur per accidens in subiecto, quod est contrà rationẽ virtutis spiritualis. Nec sufficit, quod aiunt Thomistæ ex Diuo Thoma art.4. ad 3. virtutem spiritualem non posse quidem esse in subiecto corporeo permanenter, posse tamen esse instru-

strumentaliter, & transeunter, sicut in ipsa sensibili voce est quædam virtus spiritualis ad excitandam hominis mentem. Non sufficit, inquam, nam est eadem repugnantiæ ratio, quod accidens spirituale esse in subiecto corporeo nequeat siuè per modum formæ permanentis, siuè transeuntis; quapropter falsum supponit exemplum illud, ait Scotus, de sermone sensibili, etenim neque in sensibili voce est subiectiuè aliqua spiritualis virtus, sed tota vis humanæ vocis ad excitandam hominis mentem est humana impositio, & institutio: ex quo tantùm deduci potest, vt paritas teneat, sacramenta quoque virtutem suam habere ex diuina institutione, & ordinatione, quæ quodammodo ipsis sacramentis applicatur.

Confirmatur, quia cùm in sacramentis communiter multa verba requirantur, vel in qualibet syllaba esset eadem omninò virtus, vel in alia; & alia esset alia, & alia virtus; si primum, iam idem accidens numero migraret de subiecto in subiectum, maneretque suo deficiente subiecto; si secundum, ergo sacramentum in tota oratione consistens, non haberet vnam virtutem, quia cum syllabæ sint plures, & adeò diuersæ, consequenter, & virtutes, quæ sacramentum vnum simpliciter efficere nequeunt.

150 Respondent Thomistæ qualitatem illam esse indiuisibiliter in subiecto, quo pacto dicunt posse in quolibet materiali aliquod spirituale produci.

Ad Confirm. dicunt, quod estò plura sint in sacramento, materia, scilicet, & forma, imò multæ partes in materia, & in forma, adhuc tamen vna esset virtus, quæ maneret in vltima syllaba destructis alijs. Sed prima responsio facilè reijcitur ex dictis disp. 12. Metaph. q. 7. vbi latè ostendimus contrà Recentiores quosdam, nec de potentia Dei absoluta posse accidens spirituale in subiecto corporeo recipi, & subiectari; & nonnullas Poncij euasiones præclusimus, quibus hoc nititur tueri contrà expressam nostri Doctoris mentem, quem ibi pluribus locis citauimus. Neque etiam alia responsio ad Confirm. subsistit, quia sacramentum non est solum verbum, nec rectè pars aliqua vltima verbi, vel actionis dici potest sacramentum, quia nulla pars siuè essentialis, siuè integralis est suum totum, & hæc præsertim in toto integrali verificantur; ergò si in illa parte vltima tantùm talis illa virtus, vel qualitas resideret, non propriè dici posset esse in sacramento; & huius doctrinæ inanitas adhuc euidentius paulò infra constabit.

Respondent proindè alij, virtutem quam habent sacramenta efficiendi gratiam, non esse qualitatem sacramentis inhærentem, & in illis permanentem, sed esse motum quendam virtuosum, & artificiosum, quem Deus imprimit sacramentis, & per quem illa eleuat ad supernaturalem effectum, & hunc motum vocant instrumentariam virtutem; ità Soto, Caietan. & quidam alij Thomistæ, qui non aliter suam probant sententiam, quàm ex exemplo instrumentorum artis, quæ ab artifice humano eleuantur per motum artificiosum ad proprium effectum perficiendum, non repugnat autem Deum simili modo operari.

151 At neque hæc responsio satisfacit, quæritur enim quid sit hic motus artificiosus, vel enim est aliquid reale receptum, & impressum sacramentis inhærens, & tunc explicare tenentur, an sit quid spirituale, vel corporale, & tunc redeunt argumenta contra priorem responsionem facta; & rursus vel est quid imperfectius, vel saltem non est aliquid perfectius virtute illa supernaturali, quam alij Thomistæ ponebant, quarè si illa gratiam efficere non poterat, tanto minus motus hic virtuosus, vel artificiosus, quicquid enim esse fingatur, semper quid imperfectius erit, quam qualibet qualitas; & ideò natura sua non poterit esse virtus ad supernaturalem effectum producendum. Si verò hic motus artificiosus nihil est reale in sacramentis impressum, & receptum, quod sit veluti principium gratiam efficiendi, sed solùm sit supernaturalis Dei actio, eiusque concursus; planè hoc modo non explicatur, quo pacto sacramenta sint causæ physicè instrumentales gratiæ sanctificantis, quia per illum motum tantum intelligeretur Deus gratiam efficere, tanquam per actionem propriam, vel concursum suum; non autem intelligeretur, quod per illum sacramenta gratiam efficiant, quandoquidem motus ille non esset actio illorum, sed Dei. Neque exemplum ab instrumentis artificialibus deductum quadrat ad propositum explicandum de sacramentorum actiuitate in ordine ad gratiam causandam, quia vt inquit Doctor 4. *dist.* 1. q. 5. F. artificum instrumenta non sunt propriè actiua, & vt ab artifice mota nihil efficiunt propriè, & per se quod illorum formam, & virtutem superet; serra namque, inquit Doctor, non habet in se, nisi quantitatem, figuram, & motum localem, de quibus omnibus patet, quod non sunt formæ actiuæ: vnde concludit, quod per eiusmodi instrumenta solum fit applicatio, vel expulsio corporis ab hoc loco, & alterius introductio ità ordinatè fiat, vt indè diuersæ figuræ resultare possint, per quas res artificiosæ constituuntur. Ex quo tandem sequitur motum huiusmodi artificiosum non esse rationem, & principium agendi, sed tantùm applicationem principalis agentis, & conditionem requisitam, vt possit per instrumentum aliud corpus, hoc vel illo modo mouere; & ideò ex huiusmodi instrumentis, ac eorum modo operandi argumentum sumi non potest ad instrumenta supernaturalia, eorumque virtutem explicandam; De instrumentorum verò actiuitate ex instituto tractauimus *disp.* 7. *Phys. qu.* 5. *& lib.* 1 *sent. disp.* 1. *qu.* 1. *art.* 6. vbi ostendimus, nec omne instrumentum actiuum esse, nec quod actiuum est, attingere posse terminum principalis agentis.

Quartò probatur insuper ostendendo impossibilitatem alterius modi dicendi Recentiorum, qui dicebant sacramentum absque alia virtute superaddita per solam suam entitatem assumi, & eleuari à Deo ad attingendam effectiuè gratiam mediante potentia obedientiali actiua rebus omnibus creatis indita, quibus assumi, & eleuari possunt a Deo, tanquam instrumenta physica, ad quemcunq; effectum supernaturalem producendum sibi omninò improportionatum: quam potentiam obedientialem actiuam dicunt non esse rem aliquam superadditam, sed esse ipsammet entitatē rei, quæ hoc ipso, quod creata est, & primo agenti subordinata, est in potentia obedientiali actiua, vt efficiat quicquid non implicat contradictionem respectu illius; Reijcitur, inquam, hic dicendi modus, quia non datur in rebus, nec dari potest actiuitas obedientialis ad effectus qui sunt suprà earum naturam, & ad quos res ipsæ ex se non habent proportionem aliquam saltem inchoatam, vt latè probatum est *disp.* 7. *Phys. qu.* 6. *art.* 9. cum Scoto 4. *d.* 1. *qu.* 1. §. *ad quæstionem ergo*, vbi ait, quod etsi posset Deus absolutè creare frigus, non tamen per calorem, ità quod calor sit in aliquo ordine causa actiua respectu frigoris; qua ratione dicebamus consequēter *lib.* 1. *sentent. disp.* 6. *q.* 6. nec per talem potentiam obedientialem actiuam posse oculum eleuari ad videndum sonum, vel saporem, nec auditum ad audiendum colorem, quia ad tales actus huiusmodi potentiæ nullam prorsus habent proportionem ne quidem inchoatam, & remotam: ergo hac eadem ratione impossibile videtur sacramenta per potentiam obedientialem actiuam assumi posse, & eleuari a Deo, tanquam instrumenta physica, ad producendam effectum supernaturalem sibi omninò improportionatum, qualis est gratia est adeò sublimis, & excellens diuinæ naturæ participatio, vt non videatur possibilis vlla virtus creata physicè illius effectiua etiam instrumentaliter per actiuitatem obedientialem sicut nec videtur possibilis aliqua talis virtus effectiua vnionis hypostaticæ, aut luminis gloriæ. Qualiter autem hæc potentia obedientialis actiua admittenda sit in creaturis ad quosdam effectus naturam earum excedentes cum speciali auxilio Dei declaratum est *disp.* 7. *Phys. cit. nu.* 132. *&* 1. *sent. disp.* 6. *q.* 6. de quo etiam videri possunt, quæ diximus *lib.* 2. *sent. disp.* 1. *q.* 1. *art.* 4. 152

Confirmatur vlterius, quod nec virtute superaddita, nec sine illa per solam potentiam obedientialem actiuam, fieri possit, vt sacramenta physicè gratiam producant, quia in sententia Thomistarum, ac etiam Scotistarum, gratia, & alij habitus supernaturales per creationem producuntur; at creatura creare nequit nec principaliter, nec instrumentaliter, vt ex instituto diximus *lib.* 2. *sent. disput.* 1. *quæst.* 1. ergo &c.

Responsiones Aduersariorum ad hoc argumentum, eiusque confirmationem locis citatis singillatim explosæ sunt, ibique videndæ in hoc siquidem puncto ab alijs Scotistis dissideo potentiam obedientialem actiuam omninò negantibus, solamque passiuam admittentibus; etenim in rebus creatis præter potentiam obedientialem passiuam, actiuam quoque admitto, licet non in quolibet ad quodlibet, in quo etiam tantum sensu eam admittunt Vasquez 3. *p. disput.* 132. *nu.* 95. Coninch. *de sacramentis q.* 62. *ar.* 4. *dub. vn.* Auersa 1. *p. qu.* 68. *art.* 2. & alij Recentiores. Aliud verò argumentum ex eo deductum, quod gratia per creationem producatur, licet 153

cet communiter Scotistæ teneant absolutè concludere, ego tamen censeo ad hominem solùm concludere, & in hoc sensu à Scoto vrgeri 4. *d.* 1. *q.* 5. §. *Contrà istam opinionem*, vt ostendi *disp.* 3. *Phys. qu.* 5. *art.* 2. vbi simpliciter, & absolutè loquendo probabilius esse dixi, non solùm actus supernaturales, sed etiam habitus educi de potentia subiecti, quam rursus doctrinam contrà Recentiores quosdam Scotistas in eam inuectos defendi *lib.* 1. *sent. disp.* 6. *qu.* 2. *art.* 3. & *lib.* 2. *disput.* 1. *q.* 2. quibus in locis ostendo nullam rationem hactenus à Scotistis pro parte opposita adductam intentum concludere; Et quidem illa, quam nuper ad hoc idem adducit Brancatus, vt omnium validissimam, *disp.* 8. *art.* 4. *nu.* 64. ex Fabro 4. *sent. disput.* 2. *cap.* 3. mihi videtur omnium imbecillima. Ratio autem est talis, formæ quæ educuntur, & generantur, virtualiter continentur in virtute causæ, seu subiecti, ex quo educuntur, sed nullum imperfectius continet virtualiter perfectius; ergo gratia, quæ est habitus supernaturalis secundum substantiam, de potentia animæ educi nequit, quæ est naturalis secundum substantiam, alias in ea virtualiter contineretur; maiorem dicit esse euidentem, quia effectus quilibet continetur in virtute causæ, à qua potest habere esse; cùm enim nemo det, quod non habet, saltem virtualiter debet causa continere effectum, & per virtutem, quam habet, dare illi esse.

154 Hæc inquam, ratio est inualida prorsus, si enim quid probaret, concluderet etiam nullam formam substantialem de potentia materiæ educi posse, cùm enim substantialis forma longè perfectior sit, quam materia prima, in ea virtualiter contineri nequibit, quia nullum imperfectius continet virtualiter perfectius, & consequenter de eius potentia educi nequibit, quia formæ, quæ educuntur, continentur virtualiter in virtute causæ, seu subiecti, ex quo educuntur. Hoc autem constat omninò falsum esse, & ideò absolutè neganda est illa maior, quando enim dicere solemus effectum in sua causa virtualiter contineri, & in virtute suæ causæ, hoc propriè, & in rigore loquendo verificatur solùm in genere causæ efficientis, vt euidenter constat ex probatione illius maioris, quam Brancatus adducit; non autem verificatur de causa materiali, in qua propriè loquendo effectus dicitur potentialiter contineri, non autem virtualiter; virtus enim, & continentia virtualis actiuitatem sonat, & indicat, non verò passiuitatem, qualis est continentia potentialis, qua subiectum dicitur continere formas ex eo educibiles, quatenus ab eo, vt recipiente, & sustentante pendent in suo esse, fieri, & conseruari, quam dependentiam à subiecto habent omnes formæ accidentales, eo ipso quod accidentales sunt, siuè sint ordinis naturalis, siuè supernaturalis, supernaturalitas enim siuè sit secundum substantiam, siuè secundum modum, non tollit à formis supernaturalibus accidentalitatem, atq; ideò suaptè natura alium modum productionis non exigunt, quam per dependentiam à subiecto in suo esse, fieri, & conseruari, qui modus productionis earum supernaturalitati nequaquam præiudicar, vt latè probatum est locis omnibus citatis; Maneat ergo argumentum illud ex creatione gratiæ deductum non nisi ad hominem contrà Thomistas concludere.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Aliæ Rationes Doctoris ad idem.

155 QVintò vlterius probat Doctor *loc. cit.* 4. *d.* 1. *qu.* 1. §. *Contrà istam opinionem*, quod etiamsi possibilis esset modus ille causalitatis, quem Thomistæ art præced. fingebant, adhuc sacramentis de facto, prout sunt instituta, attribui non debet, nec conuenire potest; nam per sacramenta, quæ in fieri consistunt, & successiuè exercentur, gratia producitur, quando non existunt, etenim in fine infunditur nempè post peractum totum sacramentum, & quando nihil eius amplius existit, ergò nequeunt esse causæ instrumentales physicæ; consequentia probatur, quia nihil potest physicè causare, etiam per modum instrumenti, nisi actu existat, siquidem ex dictis in physicis actualis existentia est conditio simpliciter necessaria ad physicam causalitatem, siuè principalem, siuè instrumentalem; probatur assumptum, quia gratia producitur in instanti vltimo, in quo iam non est sacramentum, cùm enim hoc sit ens successiuum, excepta Eucharistia, v. gr. prolatio verborum, vel motus localis ablutionis in baptismo debet desinere per primum non esse, in quo verum est dicere, cum sit instans extrinsecum, nunc non est forma illa integra, sed immediatè antè fuit, hoc est toto tempore ab inceptione prolationis, vsque ad illud instans; ergò non potest physicè produci gratia à sacramento, quod iam non est.

Confirmatur, quia vel Sacramenta, quæ in fieri consistunt, gratiam producunt, quando non sunt, vel quādo sunt; si primum, habetur intentum; si secundum, ergò gratia producitur in tempore, cùm enim Sacramenta, quæ in fieri consistunt, & in vsu, sint entia successiua, non habent esse, nisi in tempore.

Respondent primò aliqui, sacramentum causare gratiam per vltimam sui partem, secundum quam verè existit, in virtute cæterarum partium permanentium. Sed contrà, quia vt constat ex Physicis, in successiuis non est assignabilis vltima pars, sed quacunque assignata alia adhuc est assignabilis; ergo nequibit in sacramento, quod est ens successiuum, vltima pars assignari, secundum quam, vt completum in suo esse, gratiam causet. Tùm quia, vel agunt primæ partes, vel non; si primum, ergo quando non sunt, siquidem completo tantum toto sacramento gratia producitur; si secundum, ergo non est sacramentum, quod gratiam producit, quia vt inquit Doctor, in tali oratione sacramentali nulla syllaba ponit sacramentum, sed tota oratio. Tum etiam, quia non minus pendet Sacramentum à primis partibus, quàm ab vltimis, præcipuè in ratione significationis; ergo non est maior ratio, cur agat vltima pars, quàm cæteræ. Tùm deniquè quia, vt inquit Doctor, non apparet, quid communicent cæteræ partes vltimæ, vt vice ipsarum agat, si enim dicatur vltimam agere in virtute præcedentium, sicut vltima gutta in virtute omnium præcedentium causat lapidem 8. *Phys.* Hoc nihil est, nunquam enim in talibus vltimum completiuè causat effectum in virtute præcedentium, nisi quia præcedentia dereliquerunt aliquam dispositionem præuiam ad illum terminum; hic autem syllabæ præcedentes nullam dispositionem talem relinquunt antè vltimam; ergo &c. præstat ergò dicere totum sacramētum adæquatè, & actualiter secundum omnes suas partes per modum moralis causæ concurrere, quatenus ad eius exhibitionem Deus ipse immediatè gratiam infundit.

Respondent proindè alij, & est communior responsio cū Suarez *disp.* 8. *sec.* 2. sacramentum causare gratiam in vltimo instanti, quo perficitur, in quo causatur instans indiuisibile, quod est terminus vltimus sacramenti, quo solùm producto censetur sacramentum in esse completo; vndè negant gratiam produci in vltimo instanti, in quo non est sacramentum, quia quamuis sacramentum, excepta Eucharistia sit ens successiuum, tamen in illo vltimo instanti datur adhuc aliquid sacramenti, scilicet, vltimum terminatiuum intrinsecum illius, nam sicut in linea datur punctum, quod vltimò terminat intrinsecè lineam, sic etiam in motu successiuo, quarè in illo instanti existit sacramentum, prout terminatum, consumatum, & completum, & operatur per aliquid sui. Ex quo pariter ad Conf. dicunt, sacramenta causare gratiam, quando sunt vltimò consumata, & perfecta, ac proindè causare illam in instanti vltimo sui esse, cui indiuisibile sacramenti coexistit, ac per consequens dici debere sacramentum causare, quando existit, licet enim in eo instanti non existat, quatenus successiuum præcisè, existit tamen in eo, quatenus est consumatum, & perfectum quoad suam significationem. 157

Sed in primis errat hæc solutio in principijs Philosophiæ docentis successiua desinere per primum sui non esse, quatenus valet dicere, modò non est, immediatè anteà erat, vndè assignari non potest vltimum esse entis successiui, nec eius vltimum indiuisibile, sicut assignatur punctum in linea, eo quod sit ens permanens. Tùm quia quando etiam hoc indiuisibile terminatiuum daretur etiam in successiuis, sicut datur in permanentibus, hoc non est pars sacramenti, successiuorum enim partes sunt diuisibiles, quarè sicut hæc causalitas nequit conuenire alicui parti in virtute præcedentium, vt iam probatum est, tantò minus poterit indiuisibili attribui. Tùm quia plerumque contingit non coniungi simul vltimum terminum actionis sensibilis, & prolationis verborum, sed potius alterutrum solum reperiri, materia enim quandoque applicatur antè formam, vt cum fit ablutio, & posteà dicitur, ego te baptizo, & cùm quis peccata confitetur, & posteà Sacerdos inquit, ego te absoluo, & ratio est superius 158

perius allata, quia sacramentum est compositum morale, quod non exigit rigorosam partium coexistentiam; cum ergo indiuisibilia terminatiua actionis sensibilis, & prolationis verborum non coexistant in his casibus, tunc vel sola materia, vel sola forma sacramenti per vsum vltimum indiuisibile concurreret ad causandam gratiam, non autem totum Sacramentum; vel gratia bis produceretur, semel per indiuisibile terminatiuum materiæ, & rursus per indiuisibile formæ; ergo sine sufficienti fundamento tota Sacramenti actiuitas, & operatio reducitur ad illum vnicum, & vltimum terminum indiuisibilem, qui re vera non datur in successiuis, ac etiam si daretur, non esset sacramentum, sed indiuisibile sacramenti; vnde si partes sacramenti quoque ad causandam gratiam concurrunt, non nisi moraliter concurrere possunt, quia in eo instanti non existunt.

Respondent Recentiores cum Suarez *cit.* totũ sacramentum causare physicè gratiam per illud vltimum suum indiuisibile, quia in eo instanti licet non existant omnes partes, existit tamen in eo sacramentum, quatenus est consumatum, terminatum, & perfectum quoad significationem vndè non illud indiuisibile, sed totum sacramentum dicitur causare, quando illud indiuisibile existit, sicut totus globus per solum punctum dicitur tangere planum, & totus homo dicitur videre, licet solum videat per oculum.

159 Hæc tamen solutio, si benè perpendatur, seipsam destruit, hoc enim discrimen ponunt Philosophi inter ens permanens, & successiuum, quod successiua tunc dicuntur existere, quando actu fiunt; quando verò facta sunt, non censentur amplius existere, quia eorum esse in fieri præcisè consistit; permanentia verò è contrà, quando fiunt non censentur existere, sed tantùm quando facta sunt, quia habent totum suum esse simul; dicere ergo sacramentum, quod est ens successiuum, in illo vltimo instanti intrinseco, quod omninò irrationabiliter ei assignant, existere, non quatenus successiuum, sed quatenus consumatum, & perfectum quoad suam significationem, est idem, ac si dicatur, existere, quando non amplius existit, siquidem hæc est natura entis successiui, quod quando factum est, completum, & consumatum, tunc non amplius existere dicitur, sed potius est destructum, quia eius esse consistit in fieri, non verò in facto esse. Quod si dicatur, censeri in eo instanti existere sacramentum totum, prout completum, & perfectum non quidem quoad suam significationem: Hoc etiam nihil iuuat, quia significatio sacramentalis est quid morale, & totum esse physicum pertinet ad esse materiale, esse autem morale non potest physicè operari: & cùm hæc significatio non fundetur in illo solo indiuisibili tunc existenti, sed in omnibus partibus successiuis, quæ fluxerunt, non poterit sacramentum totum dici gratiam physicè producere, sed ad summum indiuisibile illud Sacramenti, quia hoc solùm existit in eo instanti, in quo producitur gratia.

160 Neque exempla adducta sunt ad rem, sed potius ad oppositum, intantùm enim sphæra dicitur planum in puncto tangere, & homo per oculum videre, quia dùm oculus videt, homo existit, dùm punctum tangit planum, globus existit: alioquin si Deus sphæram, & hominem destrueret, & solum punctum relinqueret, & oculum, nec homo per oculum diceretur videre, nec sphæra planum tangere per punctum, quod patet in Eucharistia, vbi substantia panis destructa non potest dici subiectum qualitatis, aut alterius accidentis fundati in quantitate, per hoc quod existit quantitas illius panis; Tùm quia licet indiuisibile terminatiuum quantitatem complere dicatur, non tamen semper ei tribui possunt effectus quantitati conuenientes, non enim indiuisibile illud facit extensionem, vel impenetrabilitatem, & alia, quæ sunt effectus quantitatis illi conuenientes ratione suarum partium; talis autem est in proposito effectus significandi, & causandi gratiam, non enim illi soli vltimo indiuisibili effectus isti conueniunt, sed toti sacramento prout omnes suas partes includit. Tùm tandem quia Deus non mouetur ab illo indiuisibili, aut aliqua parte sacramenti tunc existente, ad concurrendum cum potentia ipsius obedientiali ad producendam gratiam, aut ad illi dandam qualitatem supernaturalem gratiæ productiuam; si enim existeret tale indiuisibile non præmissis alijs verbis, non sic concurreret; ergò mouetur ab alijs quoque verbis præcedentibus, & ab ablatione iam peracta, à quibus constat moueri non posse, nisi moraliter, atque ità solùm moraliter ad gratiæ productionem concurrere, quia quod non existit, nequit physicè aliquid causare.

Respondent tandem alij Thomistæ, vt causalitatem physicam Sacramentorum defendant in ordine ad gratiam, supernaturaliter saltem non implicare causam non existentem eleuari ad producendum physicè effectum, dummodò tamen immediatè antè productionem effectus extiterit; potest enim in tali casu concurrere physicè, & realiter ad talem productionem, etiamsi in instanti, vel tempore productionis non existat; Imò quidam Thomistæ contendunt id etiam viribus naturæ contingere posse. Hæc tamen solutio communiter reijcitur etiam ab Aduersarijs; iam enim ostendimus *disp. 7. Physic. quæst. 4. artic. 1.* existentiam ità esse necessariam causæ efficienti ad causandum, vt neque naturaliter, neque supernaturaliter aliquid non existens ad productiones alicuius effectus physicè concurrere possit; & ità ex instituto docuit Doctor *2. d. 2. quæst. 10. & 4. d. 1. quæst. 5. cit.* vbi ex hoc principio deducit moralem causalitatem sacramentorum respectu gratiæ, quia cum sint successiuè, & in continuo fieri, gratia verò causetur in vltimo instanti, in quo verba non sunt, requiritur physicè in gratiam influere; Ideoque Recentiores alium modum adhibent respondendi, quod Sacramenta gratiam causent physicè per aliquam vltimam sui partem tunc existentem, quando gratia producitur, vel saltem per aliquod indiuisibile; & hoc quidem, vt hoc principium saluent, quod causa efficiens physica tunc necessariò existere debet, quando physicam causalitatem exercet, quia nemo dat, quod non habet, ideoque non habens existentiam actualem, nequaquam effectui poterit eam tribuere; Quod quidem principium nequeunt negare Thomistæ, vt satis constat ex Physica *loc. cit.* vbi eorum euasiones omnes sunt præclusæ, & argumenta soluta.

Sextò probatur, nam sæpè sacramenta gratiam causant, quando non sunt; ergò causæ gratiæ physicæ esse nequeunt, 16
quia quando sacramentum non est, non potest physicè causare; Assumptum constat primò in sacramentis, quæ operantur recedente fictione; nam quando recedit fictio sacramentum non est, & tamen tunc producitur gratia, & cum physicè produci nequeat, dici debet produci moraliter. Deindè euidentius constat in sacramento matrimonij, quando contrahitur per procuratorem, nam tunc producitur gratia in contrahentibus, quando in ipsis non est amplius materia, & forma sacramenti; est enim materia, & forma matrimonij per procuratorem peracti consensus principalis contrahentis consensu, & verbis procuratoris, tanquam conditione sine qua non, manifestus, & alteri coniungi notificatus; non autem consensus ipse procuratoris per ipsius verba expressus; alioquin idem non esset matrimonium, quod inter præsentes, & absentes celebratur; Cùm ergò sæpè accidat, vt consensus principalis contrahentis desierit esse, quando procurator verba absoluit, quibus illum notificat, planè nequibit sacramentum in tali casu gratiam physicè producere, sed tantùm moraliter.

Respondent aliqui tunc sacramenta producere gratiam physicè per characterem, vel ornatum, ab ipsis relictum, tanquam per sui semen. Sed hoc non satisfacit, quia talis ornatus à sacramentis derelictus est omninò fictus, vt constat ex superius dictis, & character quamuis à quibusdam sacramentis imprimatur, hic tamen est effectus Sacramenti, atque ideò satis impropriè effectus sacramenti pro ipso sacramento sumitur. Tùm quia secundum multos, non omnia sacramenta, qua obice sublato reuiuiscunt, characterem imprimunt; Tùm tandem, quia quando etiam Deus posset vti charactere ad producendam gratiam, quod tamen in nostra præsertim sententia esset valdè difficile, quæ illum statuit esse formam relatiuam, forma verò relatiua ens absolutum, qualis est gratia, causare non potest; hoc, inquam, admisso, adhuc tamen de facto character de se ad hunc effectum non est ordinatus, sed solùm, vt signet eos qui Christianæ Militiæ sunt adscripti; & omninò per accidens est, quod non habeat adiunctam gratiam ratione obicis; ergò ineptè dicitur in illis casibus à charactere per sacramentum relicto gratiam produci physicè. Nec etiam satisfacit, quod dicunt ad exemplum matrimonij, gratiam in eo casu causari in contrahentibus per verba procuratoris, in quibus consensus contrahentium moraliter perseuerat. Non, inquam, satisfacit, quia verba procuratoris ad materiam, & formam sacramenti non spectant, sed solus consensus principalium contrahentium, verba verò illius sunt sola conditio: ergò dici nequit matrimonium physicè aliquid operari per verba procuratoris,

tan-

tanquam per aliquid sui; Tùm quia si in verbis procuratoris consensus contrahentium moraliter solum perseuerat; iam nequit matrimonium, quod in tali consensu consistit, agere per physicam actionem procuratoris, sicut nec mandans dicitur physicè agere per physicam actionem mandatarij, sed tantùm moraliter.

263 Respondent proindè alij concedendo matrimonium in tali casu solùm moraliter gratiam causare, ac etiam interdum alia sacramenta gratiam non causare physicè, sed tantùm moraliter, quando scilicet, sacramentum propter obicem non dedit gratiam, quam dat posteà ablato obice, tunc enim sacramentum cum iam non existat, non potest physicè, sed tantùm moraliter causare; negant tamen id semper contingere, quando sunt omnia ad physicam causalitatem requisita, cùm talis modus causandi nostris sacramentis negari non debeat. Sed neque id satisfacit, quia Patres, & Concilia eodem modo, & eadem phrasi loquuntur de sanctificatione sacramentorum, siuè sanctificent reuiuiscendo, siuè primò suscepta, & eodem modo dicunt gratiam tunc fieri à baptismo preterito, sicut quando fit à baptismo præsente: ergo idem modus operandi, & gratiam producendi debet in illis saluari, & sine vllo fundamento dicitur, quod in primo casu intelligi debeant, & explicari de sola causalitate morali, in secundò verò de causalitate physica, cum Patres, & Concilia nullum tale discrimen etiam à longè insinuent, imò expressè dicant baptismum præteritum recedente fictione ità verè, & propriè gratiam causare in suscipiente, sicut primò susceptum sine fictione. Tùm quia si semel concedunt in primo casu causalitatem moralem sufficere ad saluādum, quod sacramenta sint veræ causæ gratiæ: iam destruitur, & concidit præcipuum oppositæ sententiæ fundamentum, quod est per causalitatem solam moralem non saluari veram, & propriam sacramentorum causalitatem in ordine ad gratiam, vt patebit art. seq. & præstabit solam moralem causalitatem in omni casu illis tribuere, quàm aliquandò physicā, siquidem hæc grauissimas patitur difficultates, neque defendi potest, nisi recurrendo ad argutias, & subtilitates philosophicas, vt constat ex solutionibus præcedentis argumenti, quibus exponere dogma fidei de sacramentorum causalitate in ordine ad gratiam planè non expedit: magis enim illud pertinet ad nostras imaginationes, & argutias, quàm ad sacramentorum dignitatem.

264 Septimò probatur ratione, quam Recentiores appellant à priori, quia sacramenta, quatenus talia, sunt aliquid morale; ergo sunt tantùm causæ instrumentales morales; consequentia patet, quia modus operandi sequitur modum essendi, ac ei conformatur: probatur assumptum, quia sacramenta, quatenus talia, dicunt significationem, & partialem formæ, & totalem ex materia, & forma, at prædicta significatio est quid morale tantùm, cùm totam suam vim habeat, non ex natura rei, sed ex diuina institutione: ergò sacramentum, vt tale, est quid morale.

Confirmatur, quia sacramentum causat, quod significat, & intantum causat, inquantum significat practicè ad differentiam signi prognostici tantùm, vt inquit Doctor 4. *d.* 1. *q.* 2. *D.* ergo eo pacto causat, quo significat: sed significat tantum moraliter, ergo tantum moraliter causat. Denique totum quod aiunt Concilia, & Patres de sacramentorum causalitate respectu gratiæ, optimè saluatur per causalitatem tantum moralem: cum ergo hæc sit facilior explicatu, & longè minores patiatur difficultates, quàm physica, frustrà, & sine necessitate ad hanc recurritur, vt ait Doctor 4. *dist.* 1. *quæst.* 5. §. *Contrà istam opinionem*, quartam deducēdo rationem: probatur assumptum, quia nil aliud dicunt, quam quod sacramenta causent simpliciter gratiam: hoc autem totum benè saluatur per solam moralem causalitatem, quod enim aliquem effectum moraliter causat, etiamsi in illum physicè non influat, adhuc dicitur illum simpliciter causare absq; vllo addito; hoc patet de fine, & causa exemplari, quæ licet physicè non influant in effectum, adhuc tamen illum simpliciter causare dicuntur; & Iudex per sententiam dicitur occidere reum, licet in occisionem physicè non influat; & merita dicuntur simpliciter causa augmenti gratiæ, & gloriæ, quamuis illud non causent, nisi moraliter; ergo quamuis sacramenta moraliter taliter: ergo quamuis sacramenta moraliter tantum gratiam causarent, adhuc simpliciter eam causare dicerentur, atque ità adhuc saluaretur totum, quod dicunt Concilia, & Patres de eorum causalitate respectu gratiæ.

Respondet Orlandus *tract.* 6. *disp.* 4. *quæst.* 6. quod quamuis sacramenta formaliter, prout important rationem signi ad placitum ex institutione diuina, sint entia moralia; pro materiali tamen, scilicet, vt includunt res, & verba, sunt quid physicum, & reale, atque ità possunt physicè eleuari, vt sint physica instrumenta gratiæ. Ad Confirmationem pariter inquit, sacramenta causare gratiam, vt sunt signa practica, non reduplicatiuè, sed specificatiuè, hoc est, res illæ, in quibus est ratio signi, causant physicè gratiam, neque causant illam secundum esse morale reduplicatiuè sumptum, sed solùm specificatiuè, scilicet, illud, quod includit hoc esse morale, est physicè productiuum gratiæ.

Hæc tamen solutio non satisfacit, quia totum esse physicum, quod in sacramēto reperitur, pertinet ad eius esse materiale, stando enim in rigore locutionis quod præcipuum formale, & essentiale est in sacramento, est purum ens morale, & hoc est, quod præcipuè significatur nomine sacramenti, à quo posteà denominatur accidentaliter, tanquam à forma accidentali totum illud, quod physicum est in sacramento. Et quidem omninò falsum est, sacramenta causare gratiam, vt sunt signa practica, non reduplicatiuè, sed specificatiuè, sic enim nec aliter, nec alio modo diceretur causare gratiam, quàm dicatur Policletus musicus ædificare, dicitur enim, vt musicus ædificare, sumendo particulam vt specificatiuè, non reduplicatiuè, itaut sensus sit, Policletus, qui est Musicus, ædificat; at sacramenta causant gratiam, vt sunt signa practica, non specificatiuè tantùm in sensu iam explicato, alioquin omninò impropriè gratiam causare dicerentur, sed reduplicatiuè, eo modo quo diceretur Policletus Musicus canere, quod vtique illi, vt musico, dicitur reduplicatiuè conuenire, & non specificatiuè tantùm; tunc enim particula vt reduplicatiuè sumitur, quando reduplicat rationem, cur prædicatum insit subiecto; ità autem res se habet in proposito, quod sacramentum intantùm causat, inquantùm practicè significat reduplicatiuè loquendo, quia illa practica significatio ex diuina institutione est præcisa ratio, cur dicatur sacramento conuenire causalitas erga gratiam: ergò sacramenta causant gratiam, vt sunt signa practica, non tantùm specificatiuè, sed præsertim reduplicatiuè loquendo, Demum potest existere totum esse physicum absque sacramento, vt si quis abluat, & simul proferat verba sine intentione faciendi, quod facit Ecclesia, & Christus instituit, & tunc non causabitur gratia; ergo causatur solùm ex vi talis institutionis, & consequenter ex vi solùm esse moralis, quod sacramentum importat. 165

166 Respōdetur rursus Orlandus *loc. cit.* quod quamuis possit existere totum esse physicum absque sacramento, tamen ex hoc non infertur, solùm causari gratiam ex vi solius esse moralis; sed tunc illud esse physicum non assumitur à Deo, tanquam instrumentum ad producendam gratiam, nisi includat illud esse morale, quod est necessarium ad rationem sacramenti; vndè illud, quod gratiam producit, neque est solum esse morale præcisè sumptum, neque esse physicum sine esse morali, sed illud esse physicum prout includit hoc esse morale. Cæterum hæc responsio concedit, quod præcedens negabat, si enim esse physicum sacramēti, quod spectat ad materiale, non causat gratiam, nisi prout includit hoc esse morale, ità quod hoc esse morale est illi ratio causandi gratiam; iam sacramenta gratiam causant, vt signa practica, nō tantùm specificatiuè, sed etiam reduplicatiuè loquēdo, quia esse signum practicum, quod est esse morale, est ratio cur sacramento pro materiali, & quoad esse physicum considerato, conueniat causare gratiam; atque ideò causalitas illa nequit esse, nisi tantùm moralis, quia ratio causandi, & causalitas inter se proportionari debent; Quarè gratis concedendum est, illud quod gratiam producit, vt quod, non esse duntaxat illud esse morale præcisè sumptum, quod est formalē sacramenti, neque esse physicum sine esse morali, quod spectat tantùm ad materiale; sed esse illud esse physicum, prout includit hoc esse morale, nempè verba, & ablutio prout includunt significationem practicam gratiæ; Cùm hoc tamen stat, quod ratio producendi gratiam est solum illa significatio, ex diuina institutione; vndè esto sacramentum etiam quoad suam physicam entitatem consideratum dicatur, vt quod, causare gratiam; quia tamen hoc ei non conuenit, nisi ratione talis esse moralis, illius nempè practicæ significationis, talis causalitas nequit esse nisi moralis: causalitas enim proportionari debet, non cum eo, quod dicitur causare, vt quod, sed cum causante, vt quo, hoc enim est ratio, & virtus ipsa

ipsa causandi, quæ denominat causans, vt quod, simili omninò denominatione, & modo causandi.

167 Octauò probatur auctoritate Scripturæ, Conciliorum, & Patrum efficientiam gratiæ tribuentium immediatè, & proximè ipsi Deo, per ministerium tamen, & exhibitionem ipsius sacramenti; ità enim significat sacra Scriptura, cum dicit *saluos nos fecit per lauacrum regenerationis*, & rursus, *mundans eam lauacro aquæ in verbo vitæ*. Hoc idem expressit Concilium Moguntinum sub Paulo Tertio celebratum anno 1549. loquens enim cap. 11. de sacramentis nouæ legis, & eorum efficacitate in gratia conferenda ait, *non esse ritus simplices, sed sacrosancta signacula, & efficacia signa, quæ ritè ea suscipientes, gratiam eis conferendo, sanctificant: gratiam verò sacramentalem non ex ipsa externarum rerum virtute, nec ex merito Ministri, sed ex interna, & diuina operationis virtute æstimandam esse*, quibus verbis exprimit Concilium gratiam nobis per sacramenta collatam, non externo symbolo sacramentali tribuendam esse, sed internæ virtuti, & operationi diuinæ. Hoc idem tandem Patres quoque innuunt, dùm dicunt in sacramentorum susceptione Deum solum esse, vel Spiritum sanctum, qui animam sanctificat, mundat, & saluat, dùm exterius sacramentum perficitur; elementum lauare extrinsecus, Deum verò mundare intrinsecus: & tandem sacramentum significare visibiliter, quod Deus agit inuisibiliter; quo quidem loquendi modo satis apertè Patres significant, non ipsum sacramentum per modum causæ Physicè gratiam efficere, sed Deum ipsum immediatè ad exhibitionem sacramenti. Ità Cyprianus serm. de baptismo, vbi loquens de remissione peccatorum, quæ fit per baptismum inquit, *remissio peccatorum, siue per baptismum, siuè per alia sacramenta donetur, propriè Spiritus Sancti est, & ipsi solo huius efficientiæ priuilegium manet*, & paulò infrà, *propria sibi omnipotentia Dei hunc retinet effectum*. Sic etiam loquitur Ambrosius *lib. de dignitate Sacerdotali cap. 5. Homo manum imponit, & Deus largitur gratiam*. Sic Hieronymus *in 4. cap. Isaiæ. Homo tantum aquam tribuit, Deus autem Spiritum Sanctum*. Sic tandem August. *epist. 23. ad Bonifacium, aqua exhibens forinsecus Sacramentum gratiæ, & Spiritus operans intrinsecus beneficium gratiæ, regenerant hominem Christo*. Cùm igitur hæc, & similia Patrum testimonia de causalitate morali intelligi nequeant, alioquin nullo pacto sacramenta gratiam conferrent, intelligi debet de causalitate physica, quæ ex sola virtute diuina procedit.

Respondent Aduersarij hoc loquendi modo, Scripturam, Concilia, & Patres docere voluisse, Deum solum, non autem ipsum sacramentum, esse causam principalem nostræ sanctificationis, ac proindè negasse tantùm sacramentis causalitatem causæ principalis physicæ, non verò instrumentalis; cui solutioni ex nostris acquiescens Brancatus vltrò fatetur relatas auctoritates non vrgere, nec minus contrà nostram militare sententiam, quàm oppositam, si enim rigorosè sint sumendæ illæ particulæ *solùm*, *tantum*, non est maior ratio, cur à Patribus eo loquendi modo excludatur à sacramentis causalitas instrumentalis physica, quàm moralis: cùm ergo moralis per nos non excludatur, sic pariter neque physica instrumentalis, cùm de vtraque sit par ratio.

168 Sed planè testimonia Patrum adducta, si benè ponderentur, plus demonstrant, & intendunt, quam Aduersarij dicant, dicunt enim Deum nedùm esse causam gratiæ principalem, sed etiam immediatam; & sacramentum non physicè, & directè efficere gratiam, sed solùm concurrere significando, & materialiter corpus attingendo, Deum verò ipsum interius gratiam in anima operari, & hoc quidem expresè innuit Concilium Moguntinum citatum; imò & Tridentinum *sess. 6. cap. 7.* vbi assignans causas nostræ iustificationis, quæ fit per baptismum, efficientem assignat solum Deum, meritoriam Christum, instrumentariam baptismum; cùm igitur efficientem solum Deum assignet, signum est Baptismum ab omni genere physicæ causalitatis excludi, non tantùm principalis, sed etiam instrumentalis. Neque est par ratio de causalitate physica instrumentali, atque morali, adeò vt si illa excludatur à sacramentis ex modo loquendi Patrum, etiam & ista excludi debeat; nam agere, & efficere prius dicuntur, & magis propriè de causa physica, tam principali, quam instrumentali, quàm de morali. Cùm igitur ex modo loquendi Patrum aliquam debeamus saluare causalitatem in sacramentis respectu gratiæ, ac etiam simul solum Deum illam efficere ac intus in anima operari propriè, & immediatè, potius excludenda videtur à sacramentis omnis physica causalitas, tam principalis, quàm instrumentalis, & soli Deo tribuenda, & sola pro sacramentis retinenda moralis. Tum quia causa physica, etiamsi solum sit instrumentalis, adhuc propriè dicitur efficere, & producere suum effectum, vt calamus scribere, serra secare, gladius scindere, & vulnerare; dum ergo Patres absolutè loquuntur, & particulis exclusiuis vtuntur dicentes solum Deum gratiam efficere, hoc ipso loquendi modo non tantùm causalitatem physicam principalem, sed etiam instrumentalem à sacramentis excludunt. Tùm tandem, quia satis per se compertum est solũ Deum esse causam gratiæ principalem, & solum Deum esse illius Auctorem, nec opus fuit, vt Patres vnanimiter id nobis explicarent, cùm res sit de se nota, de qua nunquam quis dubitauit; cùm ergo dicunt solum Deum gratiam efficere, & intus in anima operari ad exhibitionem sacramenti, non verò sacramentum ipsum, planè omne genus physicæ causalitatis, siuè principalis, siuè instrumentalis excludere intendunt.

Postremò idipsum probat specialiter Doctor de sacramẽto Eucharistiæ *§. est contrà istam opinionem*, quia verba consecrationis, vel saltem species consecratæ panis, & vini, quæ sunt sacramentum Eucharistiæ, causant corpus, & sanguinem Christi ibi, quia hic est primus effectus, & primum signatum in sacramento Eucharistiæ, si enim à nemine susciperetur, adhuc esset verum sacramentum, & completum; Sed talis causalitas nequit esse, nisi moralis, quia non verba consecrationis, sed virtus Dei infinita transubstantiat panem, & vinum in corpus, & sanguinem Christi actione physica, ergo &c. 169

Respondent aliqui gratis concedendo verba consecrationis physicè causare transubstantiationẽ, quod deducunt ex Ambrosio *4. de sacramen.* vbi comparat illa verba verbo Dei creantis omnia, fiat lux, *si enim*, inquit, *tanta vis est in sermone Domini Iesu, vt inciperent esse, quæ non erant, quantò magis operatorius est sermo Dei, vt quæ erant in aliud commutentur?* cùm ergo verbum, quo Deus creauit omnia, physicè id egerit sic pariter consecratio physicè transubstantiationem causabit; sicut ergo dicunt posse Deum creaturis vti ad creandum, ità pariter inquiunt posse illis vti ad annihilandum, & consequenter vti verbis consecrationis ad destruendam panis, & vini substantiam, & conuertendam in corpus, & sanguinem Christi.

Hæc tamen solutio nullatenus subsistere potest; nam creatura neque instrumentaliter ad creationem physicè cõcurrere potest, vt dictum est *lib. 2 disput. 1.* & tanto minus ad annihilationem, quoniam annihilatio non est actio positiua, sed tantum diuini concursus subtractio, quo rem aliquam in esse conseruabat; at nulla creatura aliam conseruat in esse neq; principaliter, neq; instrumentaliter, cùm potius quælibet intrinsecè tali egeat cõseruatione; & hoc præsertim nequaquam dici potest de verbis consecrationis respectu substantiæ panis, & vini, quæ suum esse habebant multo tempore anteà quam fieret consecratio. Neq; locus Ambrosij est ad rem, quia vt notat Poncius *disp. 41. q. 7.* non loquitur vbi de verbis vocalibus, quibus Sacerdos vtitur in consecratione; sed de verbo Domini Iesu, quæ voluit transubstantiare, quotiescunq; fieret consecratio vocalis à Sacerdote, quod Domini verbum est ipsamet diuina volitio, quę potest vocari verbum ipsius, ac volitio, qua voluit Deus creare mundum, potest vocari verbum: & hoc Domini verbum physicè ad transubstantiationem concurrere verum est, sed nihil ad rem; Quod si contendas Ambrosium loqui de verbis vocalibus, quibus vtitur Sacerdos in consecratione, tunc dicendum est non comparare illa quoad omnia verbo, quo Deus ipse mundum creauit, quod verbum est ipsa diuina volitio: sed tantum quoad hoc, quod sicut verbum, quo Deus omnia creauit, fuit tam operatorium, ac efficax, vt ad illa omnia creanda sufficiens fuerit; ità verba consecrationis à Sacerdote prolata ità sunt operatoria, ac efficacia, vt ijs positis, necessariò ponatur transubstantiatio; licet non eodem modo, nec eodem efficacitatis genere, alioquin illa similitudo non esset, sed identitas; similitudo namq; semper in aliquo deficit: quarè non sequitur, quod si priora verba causant physicè, etiam posteriora sic causare debeant. 170

Resp. proindè alij gratis concedẽdo verba consecrationis physicè

physicè transubstantiationem non causare, sed Deum ipsum substantiam panis, & vini annihilare, & adducere, seù reproducere corpus Christi sub illis accidentibus consecratis; dicunt tamen sacramentum ipsum Eucharistiæ concurrere, sicut alia, ad productionem gratiæ in suscipiente, imò perfectiori, & connatur aliori modo, cum habeat esse permanens, & non successiuum, sicut alia.

171 Sed neque hæc solutio satisfacit, quia vt in argumento dicitur, Eucharistiæ sacramentum, etiamsi à nullo sumatur, est verum, & completum sacramentum; ergò habet suum principale significatum, etiamsi gratiam non causet; cùm igitur tunc habeat esse significatiuum, etiam suum terminum, seù rem significatam efficere debet alioquin nec sacramentum esset signum efficax, nec eius significatio esset practica, sed purè speculatiua; aut igitur efficit transubstantiationem panis, & vini in corpus Christi physicè, aut moraliter; non primum, vt aduersarij sic respondentes concedunt; ergo secundum, Tùm quia falsum est etiam posse sacramentum Eucharistiæ physicè gratiam ipsam producere, præsertim in sententia Aduersariorum dicentium consecrationem ità esse de essentia huius sacramenti, sicut sunt ceteræ formæ respectu aliorum sacramentorum; nam quando gratia causatur in sumente Eucharistiam, non adest entitas formæ consecratiuæ quoad vllam sui partem, aut etiam indiuisibile, siquidem potest hodie fieri consecratio hostiæ, quæ non nisi post multos dies sumatur; Nec valet recurrere ad permanentiam moralem, tùm quia id supra refutatum est *quæst. 3. artic. 2.* tùm quia quomodocunque hæc explicetur, semper est insufficiens ad causalitatem physicam exercendam, quia ad hanc necessariò exigitur existentia, & permanentia causæ physica, & non moralis tantùm; non ergo potest etiam in Aduersariorum principijs sacramentum Eucharistiæ gratiam physicè causare.

172 Concludendum est itaque sacramenta esse instrumenta moralia gratiæ, quatenus à voluntate Christi assumpta sunt vt instrumenta suæ passionis, cum qua moraliter coniuncta diuinam mouent voluntatem ad gratiam dignè suscipientibus conferendam; Quoniam vt benè discurrit Amicus *disput. 4. sec. 11.* & nos iam latè diximus in physicis, duo ad instrumentalem causalitatem sunt necessaria, instrumentum ipsum, & virtus aliqua causatiua in ipso à virtute principalis agentis condistincta, alioquin eleuari non posset, vt vnà cum principali agente effectum causaret; quemadmodum enim *loc. cit.* diximus, eleuatio non ponit, sed supponit virtutem in instrumento saltem incompletam, & inchoatam, quæ cum principale agente effectum concausare debet, eleuatur verò, & completur per associationem cum virtute principalis agentis; alias si nulla vis causatiua saltem inchoata in instrumento supponeretur, sed tota vis causatiua esset in principali agente, tunc quodlibet instrumentum assumi posset ad quodlibet agendum, quod in artificum instrumentis constat esse omninò falsum; nec verè, & propriè diceretur instrumentum reipsa causare, & ad talem effectum concurrere, sed per meram denominationem extrinsecam ab extrinseca causalitate principalis agentis desumptam, quod ad rationem instrumenti non sufficit propriè dicti, vt patet ex Physicis *disp. 7. q. 5. & lib. 2. dispur. 1. q. 1. art. 4.*

173 In proposito igitur virtus principalis meritoria in sacramentis est passio Christi, vt docet Ambros. *lib. 4. de sacramen. cap. 4.* & definit de Tridentin. *sess. 6. cap. 7.* quæ virtus ob infinitam suam dignitatem, & valorem coniuncta moraliter ex institutione Christi cum ipsa actione sacramentali, complet inchoatam illius bonitatem, vt vnà cum meritis Christi mouere valeat voluntatem Dei ad gratiam dignè suscipientibus conferendam; adeoquod virtus hæc inchoata in sacramento debet esse aliqua bonitas, seù honestas moralis; ratione cuius sit aptum meritoriè mouere diuinam voluntatem ad gratiam producendam, nihil enim diuinam voluntatem meritoriè mouere valet, nisi bonitas, seù moralis honestas; tùm quia causalitas moralis est per modum actionis impetratoriæ, quæ essentialiter in aliqua bonitate, & honestate morali fundatur; Omnis itaque sacramentalis actio, vt sit valida debet ex Christi institutione habere obiectum honestum, propter cuius honestatem saltem implicitè, & virtualiter fieri debet, omnis enim talis actio à Christo est ordinata ad sanctificationem subiecti, cui sacramentum ministratur; vndè vt sacramentum sit validum, debet habere Minister voluntatem saltem implicitam, & virtualem faciendi per sacramentum, quod Christus, vel Ecclesia facere intendit; In hoc igitur sensu actio omnis sacramentalis, etiam à malo Ministro exercita, & ob prauum finem, dicitur habere obiectum honestum, propter cuius honestatem saltem implicitè fieri debet; & talis honestas sufficit ad moralem causalitatem instrumentalem, quoniam ad causalitatem instrumenti obedientialis sufficit quæcunque virtus eiusdem generis saltem inchoata cum virtute principalis agentis, atque ità in sacramentis ad causalitatem moralem per modum instrumenti obedientialis sufficit quæcunque morales bonitas, vt cum bonitate principalis mouentis mouere valeant ad effectum producendum. Neque hæc bonitas actionis sacramentalis tollitur per malitiam Ministri, vel prauam eius intentionem, nam licet hæc inficere valeat actionem sacramentalem, quatenus est actio priuatæ personæ, non tamen vt est actio publicæ personæ à Christo institutæ; potest siquidem vna, & eadem actio ab eadem persona priuata ob malum finem exercita esse mala, & simul ab eadem, vt publica persona ob honestatem obiecti implicitè saltem, & virtualiter elicita, esse bona, vt pluribus exemplis ostendi potest. Hæc itaque est bonitas, seù moralis honestas actionis sacramentalis, saltem incompleta, & inchoata, in qua fundatur causalitas moralis sacramentorum, quæ per modum inchoati meriti simul cum meritis passionis Christi mouere Deum valeat ad gratiam conferendam dignè suscipienti.

Ex quo patet quamplures nostræ sententiæ Auctores moralem causalitatem in sacramentis non saluare, dùm nullam in actionibus sacramentalibus moralem bonitatem requirunt, sed sufficere aiunt, vt per modum chirographi merita Christi contineant pro nobis exhibita, ad quæ respiciens Deus, quoties illa per sacramenta, tanquam per chirographum præsentamus, gratiam nobis conferat, & peccata condonet; vel per modum crumenæ pretium nostræ redemptionis continentis. Non, inquam, sic discurrendo moralem causalitatem in sacramentis reipsa saluant, vt aduertit idem Amicus *loc. cit.* sic enim non essent veræ, & propriæ causæ morales gratiæ, sed puræ conditiones, & mera signa passionis Christi rememoratiua, sicut chirographum, aut regiæ litteræ continentes maiorum merita in Regis obsequium exhibita, non sunt causæ Regem mouentes ad præmium dandum, sed puræ conditiones, & signa rememoratiua laborum in Regis obsequium impensorum, qui tantùm Regem mouent ad dandum præmium; sicut pariter non crumena, cui ab istis comparatur actio sacramentalis, sed pecunia cui passio Christi assimilatur, in crumena contenta liberat à captiuitate, quæ doctrina adhuc magis patebit in obiectionem solutione *artic. sequen.* 174

ARTICVLVS TERTIVS.

Fundamenta Thomistarum euertuntur.

IN oppositum Thomistæ obijciunt Primò, quia Scriptura, Patres, & Concilia veram causalitatem tribuunt sacramentis respectu gratiæ, hoc autem verum non esset, nisi causarent physicè. 175

Confirmatur, quia nulla esset differentia inter Sectarios huius temporis, & Catholicos, etenim etiam illi dicebant ad præsentiam sacramenti Deum producere gratiam. Demum nulla quoque esset differentia inter sacramenta veteris legis, & nouæ, nisi penes cæremoniam, quod tamen damnat Trident. *sess. cit. can. 2.*

Respondeo Aduersarios etiam teneri ad solutionem argumenti, cùm ipsi quoque concedant sacramenta verè, & propriè causare gratiam interdum, quando nullo modo existunt, neque secundum se totum, neque secundum aliquid sui, & tamen dicunt in eo casu gratiam causare moraliter, & non physicè, vt dictum est in deducenda sexta ratione *num. 163.* ergò ex eo, quod verè, & propriè dicantur gratiam causare, non sequitur, quod causent physicè: atque ideò ad argumentum negatur minor, quia causalitas moralis est vera, & propria causalitas, vt constat ex septima probatione *num. 164.* qua ratione Arist. *2. Phys. & 5. Metaph.* inter causas efficientes moralem quoque numerauit, quam dixit in eo consistere, quod moueat, & inducat ad agendum volun-

voluntatem agentis rationalis, & hanc causam moralem absolutè causam vocauit, & sine vllo addito; quod etiam suadet communis loquendi modus, eadem enim simpliciter, & absolutè, ac sine vllo addito de causa morali pronunciamus, sicut de physica, dicimus enim Iudicem reum occidisse, D. Martinum tres mortuos suscitasse, & similia; sic pariter Scriptura, & Patres eundem loquendi modum vsurpant de causis, quas constat solum moralem vim in suos effectus habere, dicunt enim merita, & opera bona causare gloriam, saluare hominem, & Christum esse causam meritoriam nostræ iustificationis, meritum autem, & causa meritoria non est, nisi causa moralis; Sic etiam eodem modo dicunt sacramenta causare gratiam, mundare animam, sanctificare quo pariter aiunt mortem Christi, ac eius passionem mundare, sanctificare, & tamen certum est passionem, & mortem hæc non efficere physicè, sed moraliter tantùm; Dùm ergo sacramenta dicuntur conferre gratiam, mundare à peccatis, animam iustificare, optimè intelligi potest, & sine vlla improprietate in sensu moralis causalitatis.

Ad Confirmationem negatur consequentia, quia Sectarij dicebant sacramenta esse tantùm nuda signa fidem excitantia, qua mediante gratia infundebatur, at nos cum cęteris Catholicis docemus sacramenta immediatè causare gratiam ex opere operato, tanquam veras causas morales. Ad vltimum negatur etiam consequentia, quia sacramenta veteris legis non nisi ex opere operantis veram gratiam causabant, & legalem solùm ex opere operato; & quamuis etiam circumcisio veram sanctitatem causaret ex opere operato, erat tamen adhuc notabilis differentia, vt dictum est suprà *q. 2.*

176 Secundò vrget quidam Doctor Parisiensis apud Poncium *disp. 41. q. 7.* & Baldius *lib. 3. qu. 3. diffic. 1.* ex precibus, quibus vtitur Ecclesia Sabbato sancto in consecranda aqua baptismali, & feria quinta in Cęna Domini in consecratione Olei; in illis enim dicitur, quod aqua fæcundetur arcana admixtione numinis Spiritus sancti, virtutem Spiritus sancti in aquam descendere, vt totam eius substantiam fæcundet regenerandi effectu, & aqua ipsa dicitur reddi efficax purificandis mentibus. Deindè petit Ecclesia in consecratione olei, vt Deus illi vnguento, vt illius creaturæ pinguedinem sanctificare dignetur, & sancti Spiritus ei admiscere virtutem, quæ omnia denotant aliquam physicam virtutem aquæ, & oleo infundi, qua physicè gratiam producant. Confirmatur, quia alioquin Patres non deberent adeò magnificare omnipotentiam, & misericordiam diuinam in his sacramentis ostensam, nisi physicè eleuarentur ad gratiam producendam; non enim multum est moraliter tantùm esse causas gratiæ. Deniq; ad maiorem Dei misericordiam spectat, & ad magis magnificandam Dei omnipotentiam, quod sacramenta gratiam physicè causent, & non moraliter tantum; ergo ità dicendum est, quia decet nos in hoc fateri, Deum fecisse, quod maius est.

Respondetur, preces illas in consecratione aquæ baptismalis, & olei ab Ecclesia, adhiberi, non tanquam necessarias, vel vtiles, vt aqua in baptismo gratiam sanctificantem conferat, quandoquidem id habeat ex institutione diuina, alioquin Ecclesia non magis orare deberet, vt aquæ infunderetur, quàm verbis, cùm hæc quoque sint de essentia baptismi; sed adhibentur maioris solemnitatis gratia, & ad exaggerandam virtutem, quàm habet aqua ex institutione diuina quarè per virtutem sanctificationis, qua fæcundatur aqua baptismalis, intelligi debet virtus moralis, quam ex institutione diuina habet in baptismo ad conferendam gratiam, vt benè discurrit Poncius *loc. cit.* Ad Conf. negatur consequentia, adhuc enim rationabiliter Patres, & meritò in sacramentis diuinam omnipotentiam admirantur, ac misericordiam, quomodo Deus infallibiliter alligauerit se rebus adeo infirmis, vt ad præsentiam earum det gratiam, ac ipsarum intuitu, qua ratione etiam admirantur homines, quod Sancti mortuos resuscitent, estò id physicè non faciant. Ad vltimum, omnipotentia Dei magnificanda est in eo, quod est possibile, nec repugnantiam inuoluit ex parte rei, sacramenta verò physicè gratiam efficere iam probatum est à parte rei implicare, quæ impossibilitas nullam ponit in Deo imperfectionem, sed solùm implicantiam ex parte obiecti; Et quando id etiam possibile esset, non adhuc opus esset vim sacramentorum talem statuere sufficit enim, vt sint talia, quod per ea detur nobis gratia, vt habeamus hæc certa media, per quæ gratiam consequamur, quod sine physica causalitate meliùs, & faciliùs intelligi potest; Et tandem absolutè loquendo falsum est præstantiorem esse modum causalitatis physicæ, quam moralis, præstantior enim est hic modus causandi, quàm ille, nedum quando causa moralis potest habere locum per modum imperij, sed etiam quando exercetur per modum actionis impetratoriæ, sic enim causare solet per intrinsecam bonitatem, vndè non quodlibet ens aptum est hanc exercere causalitatem, sed solùm quod aliquam moralem continet honestatem; causa autem physica per virtutem physicam causat, quæ etiam in ente imperfectissimo reperiri potest.

Tertiò arguunt, quia non repugnat res, & verba per mo- 177
dum instrumenti physici eleuari ad gratiam producendam; sicut enim datur in rebus potentia obedientialis passiua in qualibet creatura ad recipiendum quicquid Deus voluerit, sic etiam & actiua, quia hoc spectat ad totalem subiectionem creaturæ ad Deum, & ideò D. Aug. 3. *de Trinit. cap. 9.* & *22. de Ciuit. Dei cap. 9.* inquit Deum de creaturis posse facere aliud, quam earum facultates petant naturales. Confirmatur, quia de facto leuatur ignis ad torquendos spiritus, vt physicum Dei instrumentum; ergo sic pariter de facto sacramenta physicè animas sanctificant. Denique etiam Christus de facto per suam humanitatem, tanquam per instrumentum coniunctum physicè in nobis causat gratiam; ergo eandem physicè etiam producit per sacramenta, tanquam per instrumentum separatum, quia instrumentum causæ principali conformari debet.

Respondetur negando assumptum cum eius probatione, falsum enim est dari in omnibus creaturis potentiam obedientialem passiuam ad quodlibet recipiendum, vt constat ex Physica, non enim Angelus recipere potest albedinem, vel calorem; & ad totalem subiectionem creaturæ ad Deum spectat quod agant, quando voluerit, & quomodo voluerit, id tamen ad quod habent virtutem saltem inchoatam; & August. intendit posse vtique facere de creatura aliquid supra eius naturalem facultatem, hoc est illam excedens, non tamen illi repugnans, modo iam declarato loco citato. Et quando etiam concederetur assumptum de potentia passiua, adhuc de actiua negari deberet, quia communiter dicitur ad agere plus requiri, quam ad pati, quæ doctrina satis constat ex dictis in deducenda quarta ratione sub *num.* 152. Ad Confirm. negatur assumptum, falsum siquidem est ignem infernalem spiritus torquere actione physica, & per modum physici instrumenti, vt dictum est *lib. 2. sent. disp. 3.* Ad vltimum negatur pariter assumptum, nam humanitas Christi solum moraliter, & impetratoriè miracula patrabat, licet differenter à Sanctis, vt fusè dictum est *lib. 3. sent. disp. 2. quæst. 8.* vndè potius sumitur argumentum à pari pro nostra sententia; & quando etiam concederetur assumptum de humanitate Christi in virtute vnionis hypostaticæ, non propterea tribui deberet sacramentis, quæ tali vnione carent.

Quartò arguunt ex absurdis, quia alioquin non verifica- 178
rentur sacramentorum formæ, *ego te baptizo, ego te absoluo*; etenim si solus Deus in baptizato, & confitente gratiam produceret, solus Deus, non baptizans, & absoluens à peccato mundaret, & ab eodem pœnitentem absolueret. Deindè, si sacramenta non causarent physicè gratiam, sed solus Deus ad eorum præsentiam, non essent magis causa gratiæ, quam verba malefici habentis pactum cum Dæmone sunt causa effectus mirabilis, quem Dæmon operatur, ad eorum prolationem, nam etiam verba malefici sunt causa tantùm moralis talium effectuum, quos Dæmon ad præsentiam talium verborum operatur. Denique si sacramentum solùm moraliter concurrit, sequitur non transcendere rationem signi; sicut qui affert denarium plumbeum accipit centum libras & ordinatione Regis; hoc autem est contra Concilia, & Patres, qui vltrà rationem signi nostris sacramentis addunt rationem causæ, & per hoc ea distinguunt à sacramentis veteris legis.

Respondetur negando consequentiam, nam ad verificandas sacramentorum formas sufficit causalitas moralis, sicut cum omni veritate dicitur Christi passio, & eius sanguis nos à peccatis liberare, & pecunia nos à captiuitate redimere, quamuis id non faciant, nisi moraliter; & sicut in opposita sententia adhuc illa verba verificantur, quamuis Sacerdos non sit causa principalis gratiæ, per hoc præcisè, quod vt Christi Minister sacramenta conficit, & ministrat,

per

per quæ homo sanctificatur; ità pariter in nostra sententia adhuc verificabuntur, quia re vera est Minister sacramenti, quod per modum causæ moralis gratiam confert, per quam homo sanctificatur. Ad 2. tenetur & ipsi quoque Aduersarij respondere in casu, quo sacramenta gratiam causant recedente fictione, cùm in tali casu fateantur, & ipsi, non nisi moraliter gratiam causare, nec tamen puto eos in tali casu concessuros non alio modo sacramenta causare gratiam, quàm maleficia; negatur itaque consequentia, quamuis enim verba magica, & sacramentalia in eo conueniant, quod neutra influunt physicè in effectum operandum, adhuc tamen valdè differunt in virtute, illa enim nituntur pacto cum Dæmone, qui sæpè fallit fidem venefico datam, vndè verba illa propriè ex se non mouent Dæmonem, sed sunt mera conditio, qua posita Dæmon propter alia motiua ad operandum excitatur, ideoque propriè non sunt causa moralis talium effectuum, quia de ratione causæ moralis, vt condistinctæ à pura conditione, est mouere agens principale ad effectum causandum propter intrinsecam virtutem in se existentem; at verba sacramentalia nituntur promissioni Dei, quæ deficere nequit, & habent intrinsecam virtutem ad mouendum Deum, eo quod sint verba, & operationes Christi.

179 Ad 3. negatur etiam sequela, quia signum nullo modo est causa significati, sed potius è contra, vt patet de igne, & fumo, sacramenta autem non solum sunt signa gratiæ, sed etiam causæ, nam pura signa nullo pacto mouent, ne incompletè quidem, voluntatem principalis agentis, vti mouent sacramenta voluntatem Dei ob intrinsecam bonitatem moralem ex obiecto honesto saltem implicitè intento refusam, quatenus sunt verba, & operationes Christi, quam bonitatem necessariò requirunt, vt sint valida, vt dictum est n. 173. qua ratione dicebamus ibi hanc moralem motionem non saluare, quia ea tantùm causare dicunt ad instar chirographi, aut regiarum literarum, vel crumenæ pretium continentis; chirographus enim propriè non est causa, nec conditio solutionis, sed merum signum debiti contracti; & idem est de denario plumbeo, hic enim est signum duntaxat voluntatis, & ordinationis Regis, qui ordinauit dari pecuniam argenteam tale signum habenti, vndè neque ille est causa, neque conditio in rigore solutionis, quia etiam absque illo Rex debet, & obligatur ad soluendum, si aliundè constaret debitum; quarè denarius plumbeus non facit, vt Rex debeat, sed vt constet de debito; sacramenta autem nostra non sunt mera signa, nec conditiones, sed causæ, quia ipsa habent in se id, quod mouet Deum ad producendam gratiam, sunt enim actiones, & operationes Christi; quarè sicut preces Christi mouebant Deum ad operanda miracula, sic operatio sacramentalis habet eandem vim, siquidem omnia nouæ legis sacramenta à quocunq; Ministro fiant, fiunt nomine Christi, qui operatur per illum Ministrum, & vtitur illis rebus, & vocibus ad loquendum cum Deo, & petendum effectum sacramentalem; Et hæc est intrinseca illa honestas, quam diximus actiones sacramentales habere, & propter quam mouent diuinam voluntatem ad gratiæ productionem, nisi enim Minister, quicunque ille sit, habeat voluntatem saltem implicitam, & virtualem faciendi per sacramentum, quod Christus fecit, & Ecclesia facere intendit, sacramentum est nullum.

180 Dices, Christus ante mortem suam non solùm posuit merita, sed applicuit illa determinatè pro gratia danda per sacramenta, & meruit determinatè, quod daretur gratia in sacramentis, & hoc stabiliuit cum Deo; ergò non oportet modo actionem sacramentalem denuò mouere Deum, sed sufficit illi reuocare in memoriam pactum suum, seu satis est ponere sacramentum, quæ est conditio, sub qua fuerat stabilita gratia danda hominibus; ergo sacramenta concurrunt ad gratiæ productionem, non denuò mouendo Deum, & obligationem inducendo ad gratiam dandam, sed vt eam conferat ratione primæ institutionis, & promissionis, atque ita concurrunt solùm reuocando in memoriam Dei promissum, ac debitum, sicut concurrit nummus plumbeus, vel chirographus. Confirm. quia repugnat, quod detur gratia ex vi pacti præcedentis, & quod detur intuitu ipsius sacramenti, si enim mouetur Deus à pacto anteà inito cum Christo: ergò non mouetur à sacramento, nisi, vt à conditione.

Resp. concesso antecedente negando vtramque consequentiam, quando enim aliquid ab initio ità institutum est, vt ad positionem eius aliquis sequatur effectus, ac eius intuitu a Deo producendus, licet positio talis rei causet recordationem promissi, non tamen ad eum effectum concurrere dicitur, vt signum purè rememoratiuum, sed vt id, etiam, cui promissum est aliquid, de quo plura possunt afferri exempla; sic actioni meritoriæ à Deo promissum est præmium, & quando ipsa ponitur causat recordationem promissi, nec tamen dicitur causare præmium, vt signum purum rememoratiuum, & per modum puræ conditionis, sed vt motiuum ad dandum præmium, & vt id, cui promissum est aliquid; sic etiam positio satisfactionis, licet causet recordationem promissæ condonationis non tamen est purum signum rememoratiuum, sed etiam motiuum illius, & id, cui condonatio debetur; ità ergò in proposito sacramenta sunt talia opera, quibus promissi sunt aliqui effectus, nempè gratia à Deo producenda ad eorum positionem, non vt per signa purè rememoratiua, sed etiam vt per motiuum gratiam conferendi; adeo quod gratia datur à Deo non tantùm per sacramenta, sed etiam propter illa, tanquam propter motiuum. Ad Conf. negatur assumptum, repugnare nimirum, quod detur gratia ex vi pacti precedentis, & quod detur intuitu ipsius sacramenti, quia vt inquit Card. de Lugo *disp. 4. sec. 5. n. 92.* pactum precedens, & priora merita possunt non esse motiuum immediatum, sed mediatum, volitionis, qua in executione datur gratia; iuxta quam doctrinam dicendum est, quod posito pacto Dei cum Christo iam inito de gratia conferenda per sacramenta, collatio gratiæ habet pro motiuo immediato sacramentum, seù petitionem præsentem Christi per suum Ministrum; pro motiuo autem mediato pactum præteritum, ex vi cuius obligatur Deus ad habendum alium actum, qui habeat pro motiuo immediato sacramentum.

Quintò arguunt, quia in sacramentis videtur esse peculiaris ratio, propter quam non possint esse causæ morales, 181
nihil enim in illis est, quod habeat vim causandi moraliter; Vel enim mouerent Deum ad operandum per aliquam honestatem moralem in ipsis existentem; vel per modum meriti, vel per modum impetrationis; At nihil horum dici potest, & primò quod non moueant Deum per aliquam honestatem indè patet, quia effectus sacramenti potest dari à Deo sine honestate actionis conferentis, aut recipientis sacramentum, vt patet quando paruulis iustificatur per baptismum, in cuius administratione peccat ille, qui baptizat; deindè nulla potest assignari ratio meriti, vel orationis in sacramento, quatenus præcisè sacramentum est.

Respondent passim Auctores nostræ sententiæ, quod moralis ratio causandi in sacramentis non est aliqua honestas moralis, sed significatio supernaturalis, quam habent ex institutione diuina; Deus enim ex libera sua voluntate instituit, vt quando sacramentum adhibetur homini debito modo, tunc infallibiliter significet præsentem gratiam in tali homine; Vndè fit, vt quando debito modo applicatur alicui sacramentum, Deus non possit non producere gratiam, quia alioqui significatio præsentis gratiæ, quam ipse semel instituit, efficeretur falsa, quod est impossibile, nam impossibile est Deum mentiri, aut fallere; hoc igitur sensu dicunt significationem illam, quam Deus instituit, esse rationem mouendi Deum ad producendam gratiam.

Verùm sic dicendo, non saluatur moralis causalitas in 182
Sacramentis, imot eorum intuitu gratia conferatur, nec poterunt dici veræ, & propriæ causæ gratiæ, vt hactenus explicatum est, sed puræ conditiones, & mera signa rememoratiua passionis Christi, & pacti cum ipso initi de conferenda gratia per sacramenta intuitu meritorum eius; sicut chirographum, aut regiæ litteræ non sunt causæ Regem mouentes ad præmium dandum, sed puræ conditiones, & signa rememoratiua laborum impensorum in Regis obsequium, qui tantum Regem mouent ad præmium retribuendum; Est igitur necessaria in ipsa actione sacramentali ad saluandam veram, & propriam causalitatem moralem aliqua bonitas, seù moralis honestas, quæ simul cum morali honestate, & bonitate operum Christi Deum meritoriè moueat ad gratiam conferendam, sicut explicatum est suprà *num.* 173. aliqua inquam, bonitas in qua fundari possit causalitas moralis sacramentorum, & quæ per modum inchoati meriti simul cum meritis Christi Deum ad gratiam retribuendam mouere valet; cùm enim actio sacramentalis, vt doctè discurrit Amicus cit. debeat esse instrumentum passionis Christi, cumque passio Chri-

sti sit principalis causa in ratione meriti, etiam actio sacramentalis debet esse causa instrumentalis in ratione meriti, alioqui non conueniret instrumentum cum sua causa principali. Honestas autem actionis sacramentalis in eo consistit, quod ex institutione Christi ordinata est ad sanctificationem subiecti, cui sacramentum confertur, nisi enim minister voluntatem habeat implicitam saltem, & virtualem faciendi per sacramentum, quod Christus, vel Ecclesia facere intendit, sacramentum est nullum; Neque hæc bonitas tollitur per prauam Ministri intentionem, vt loco citato dictum est, nam licet praua eius intentio actionem sacramentalem inficiat, quatenus est actio priuatæ personæ, non tamen eam inficit, vt est actio Ministri Christi, & personæ publicæ à Deo institutæ; neque inconuenit vnam, & eandem actionem, & ab eadem persona priuata ob malum finem exercitam esse malam, & simul ab eadem, vt publica persona propter honestatem obiecti implicitè saltem, & virtualiter elicitam, esse bonam; sicut vna, & eadem actio externa tribuendi eleemosynam, vt ab hero imperata ad finem bonum, est honesta, & meritoria; vt executioni mandata à seruo ob malum finem est mala, & demeritoria; Ità, inquam, in proposito vna, & eadem sacramentalis actio, vt assumpta, & imperata à Christo ob finem bonum est honesta, & meritoria coram Deo; vt autem executioni mandata à Ministro ob prauum finem est mala, & demeritoria.

183 Sextò arguunt, quia sic explicando moralem sacramentorum causalitatem, videtur sequi sacramenta non esse causas morales instrumentales gratiæ, imò potius principales; nam in genere physico illa est causa principalis, quæ per propriam, ac sibi innatam virtutem operatur; instrumentalis verò, quæ non operatur per virtutem propriam sed aliundè acceptam; sacramenta autem causant moraliter mouendo Deum ad dandam gratiam per virtutem propriam, scilicet, quatenus sunt operationes Christi per suos Ministros; quarè licet ipse Minister possit dici instrumentaliter concurrere, quia operatur per virtutem, & auctoritatem, non propriam, sed Christi, cuius est minister: sacramentum tamen, quod ex se continet, & habet esse operationem Christi, videtur concurrere, & mouere per virtutem propriam, & per consequens non instrumentaliter, sed principaliter, cum tamen à Trident. *sess.6. can.7.* baptismus appelletur causa instrumentalis, & non principalis nostræ iustificationis.

Respondetur, ex doctrina iam tradita de instrumentorum actiuitate *disp.3. Phys. q.5.* ex Scoto 4. *d.1. q.1.* & 5. optimè declarari, quomodo sacramenta sint causæ morales instrumentales, non verò principales gratiæ, diximus enim ibi instrumenta esse, quæ operantur non per virtutem sibi propriam, sed ab extrinseco acceptam in actuali motione à principali agente, sic calamus operatur per impulsum à Scriptore, acceptum, malleus, vel serra per impulsum ab artefici; vel si operatur per virtutem aliquam sibi propriam, & sibi conuenientem in esse quieto antè omnem motionem alterius agentis, hæc tamen virtus non est completa, & sufficiens, ne quidem in ordine suo, alioquin esset causa partialis principalis, & non instrumentalis tantum, sed inchoata, & imperfecta, & quæ compleri debet per eleuationem factam à principali agente à quo ad effectum causandum assumitur. Instrumentum ergo morale seruata proportione erit illud, quod operatur non physicè, sed moraliter, & quidem non per virtutem propriam, sed ab extrinseco acceptam; quod aptè declaratur exemplo Vice Regis, qui est causa moralis, & operari dicitur, vt instrumentum Regis, non verò vt causa principalis, quia nimirum virtus, qua mouet subditos, & auctoritas, qua operatur non est illius propria, sed sibi à Rege communicata; Vel si instrumentum habet aliquam virtutem propriam, cum hæc sit admodum imperfecta, & incompleta, indiget eleuari, & compleri per associationem cum virtute principalis agentis, sicut serra ob suam acutiem habet aliquam virtutem ad scindendum lignum, sed hæc compleri debet, & eleuari per motionem, & impulsum à principali agente impressum; Sic igitur in proposito sacramenta causæ morales instrumentales dicuntur, quia virtus quam habet baptismus, verbi gratia ad mouendum Deum, & ad causandam gratiam, non est propria ipsius baptismi, sed illi ab extrinseco communicata, scilicet, à Christo, qui sibi substituens hunc hominem, vt Ministrum in ordine ad hanc actionem, fecit quod hæc actio sit actio ipsius Christi, & quod hic homo sit instrumentum Christi, quod quidem non habet hic homo, vel actio ex se sed ab extrinseco ad delegatione facta per Christum, vt eleganter discurrit Card. de Lugo *loc. cit.*

Dices, si actio sacramentalis habet moralem bonitatem, 184 & valorem ex voluntate Christi illam instituentis, & ordinantis ad bonum finem, ergò ex se non habet, vndè Deum moueat etiam instrumentaliter ad gratiam conferendam; sed tota vis causatiua erit in sola causa principali agente, atque ità instrumentum verè, & propriè non dicetur agere, nisi tantum extrinsecè ab extrinseca causalitate principalis agentis, quod ad verum, & proprium instrumentum sufficere non videtur. Tùm quia etiam sic discurrendo sacramenta ad summum essent quidem instrumenta respectu Christi, à quo habent illam virtutem, non verò essent instrumenta Dei, non enim operantur, vt sunt actiones Dei, sed, vt sunt actiones Christi, atque ità dici nequibit Deum vti sacramentis, quasi instrumentis ad dandam gratiam, aut per sacramenta, tanquam per instrumenta illam nobis dare.

Respondetur, quod licet actio sacramentalis moralem habeat bonitatem, & valorem ex voluntate Christi efficienter in sensu iam declarato, ac etiam formaliter completiuè; inchoatiuè tamen sit etiam à voluntate Ministri, vt personæ publicæ, quæ saltem implicitè debet obiecti honestatem intendere, & hæc est honestas inchoata, quæ requiritur in actione sacramentali, vt à Ministro procedit, quæ postea completur a virtute principali meritoria, quæ est passio ipsa Christi.

Ad Confirmationem respondetur sacramenta dici posse instrumenta, tum Christi, tùm Dei; dicuntur instrumenta Christi quatenus ab eius institutione auctoritatem acceperunt, & vim mouendi Deum, vt potè quæ censentur actiones ipsius Christi; dicuntur verò instrumenta Dei, quia Deus ipse est principale agens, qui prius mouit humanitatem Christi ad hoc, vt his Ministris, & his actionibus suam communicaret auctoritatem: & præterea dicuntur instrumenta Dei, quatenus habent à Deo infallibilitatem illam in causando, nam licet ex voluntate Christi vim habeant, & auctoritatem ad mouendum Deum, quatenus voluit illas esse actiones suas, seù nomine suo exercitas, posset tamen Deus non concedere gratiam, etiam posita illa actione nomine Christi: nunc autem ex voluntate Dei habent efficaciam infallibilem ex promissione diuina, vnde ex hoc etiam secundo capite dici possunt, ac debent sacramenta operari per virtutem sibi à Deo tributam, ac proindè operari, vt instrumenta ipsius: quem quidem dicendi modum immeritò inficiatur Card. de Lugo *loc. cit.* & absque sufficienti ratione, vt eum legenti constabit.

Postremò Baldius *supra cit. lib.3.* Catholicæ Monarchiæ 185 *qu.3. diff.1.* arguit specialiter pro sacramento Eucharistiæ, nam Christus Dominus Io.6. ait, *caro mea verè est cibus*: ergò caro ipsius sub speciebus consecratis sumpta producit physicè gratiam, & consequenter idem est de cæteris sacramentis, nam idem est modus conferendi gratiam omnium sacramentorum: consequentia prima probatur, quia intantum caro Christi verè est cibus, inquantum imitatur conditionem cibi corporalis, itaut sicut hic verè, & propriè dat vitam corporalem, caro Christi verè, & propriè det vitam spiritualem, quæ in gratia sanctificante consistit: ergò sicut cibus corporalis dat physicè vitam corporalem, ipsam physicè conseruando, ità caro Christi physicè dat vitam spiritualem gratiæ sanctificantis.

Confirmatur, quia Aug *trac.27.* Io: Atanas. *lib. de Incarnatione Christi*, & Damascen. *lib.4. de fide cap.14.* explicantes illud *caro non prodest quicquam* declarant quomodo caro Christi in sacramento altaris dat vitam, idest confert gratiam, & aiunt, quod non nudè sumpta, sed quatenus diuinitas per illam, tanquam per organum quoddam operatur spiritualem nutritionem in suscipientibus Eucharistiam: quo loquendi modo clarè innuunt carnem Christi esse viuificatricem ex coniunctionem ad Verbum physica efficientia. Denique si Cyrillus existimasset carnem Christi Domini sumptam in sacramento Eucharistiæ habere tantùm virtutem moralem gratiam conferendi, frustrà *lib.4. in Ioan. cap.14. & 23.* niteretur id explicare tot exemplis tam studiosè petitis à rebus naturalibus physicè agentibus, & frustrà diceret, *quomodo autem id fiat, nec mente intel-*

intelligere, nec lingua dicere possumus, sed silentio, atque firma fide suscipimus, nam illa moralis efficientia, & intellectu, & explicatu est facillima, nemo enim tam rudis est, qui non putet fuisset Deo facillimum pacisci cum Christo, vt sacramenta ab eo instituta haberent vim illam moralem applicandi virtutem diuinam ad producendam gratiam; sic etiam arguit ad verbum apud Poncium Doctor ille Parisiensis supracitat. vndè opus est alterum ab altero transcripsisse.

188 Respondetur negando consequentiam, ad cuius probationem concesso antecedente rursus negatur consequentia, cùm enim causa moralis sit verè, & propriè causa in communi modo loquendi, vt suprà ostensum est, vt caro Christi sub speciebus consecratis sumpta verè, & propriè det vitam gratiæ, sufficit quod eam det moraliter modo iam explicato; & minimè opus est, analogiam corporis Christi, & carnis eius, quatenus est cibus, cùm cibo corporali in causatione physica fundari, sed sufficit, quod fundetur in vera collatione vitæ, itaut sicut cibus corporalis vitam corporalem verè confert,ità caro Christi verè conferat spiritualem; nec quid plus probat argumentum.

Ad Confirmationem dico ad omnes illas auctoritates verificandas sufficere, quod ab vnione cum Verbo caro Christi receperit viuificam virtutem conferendi gratiam, quod autem conferat physicè, minimè ad id verificandum necessarium esse, quandoquidem hoc totum adhuc verum esset, etiamsi virtutem tantùm moralem haberet, neque id mirum esse debet, quia ipsa Christi humanitas estò physicè, & hypostaticè vnita Verbo, moraliter tantùm, & non physicè miracula patrabat, vt suprà dictum est in solutione ad tertium num. 177. Ad vltimum iam supra dictum est *in solutione ad* 2. cur Patres tot faciant admirationes in exaggeranda sacramentorum virtute quoad gratiam conferendam; quamuis enim virtus illa sit moralis duntaxat, & hæc etiam sit facilis intellectu; adhuc tamen valdè arduum est, ac omnem humanam excedens capacitatem, quod Deus rebus adeò infirmis, qualis est materia, & forma sacramentorum, suam omnipotentiam alligare voluerit, & propterea fide tantùm creditur, quod eam causent, siuè physicè causent, siuè moraliter. Denique, vt inquit Poncius cit. quando etiam ex Patribus, & Concilijs specialiter constaret de Eucharistia, quod gratiam physicè conferret, non propterea id de alijs quoque sacramentis concedendum esset, quia cætera sacramenta successiuè existunt, at sacramentum Eucharistiæ est permanens, & caro Christi existit, sub speciebus, quando gratia confertur: & ideò quando etiam de sacramento Eucharistiæ id concederetur, adhuc de alijs negari deberet ob disparitatem iam assignatam.

QVÆSTIO QVINTA.

Quid sit character, & in quo subiecto proximè imprimatur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Status quæstionis aperitur.

189 VT hic omnes notant, character est nomen græcum idem significans, quod latinè sonat signum, nota, vel sigillum alicui rei impressum, & affixum, vndè pecudes, quæ igne inuruntur, characterem habere dicuntur; tribus autem de causis res aliqua signari solet; primò, vt cognoscantur, & ab alijs distinguantur, quo pacto viri aliqui facinorosi signari dicuntur, & oues charactere Domini sui; Secundò, vt in maiori pretio res habeatur, quo pacto pecunia sigillo regio est obsignata; Tertiò tandem, vt ad aliquod officium deputetur, quo pacto milites charactere militari signantur. Ad hunc igitur modum signum, & nota quædam spiritualis animabus nostris à Deo est impressa, qua ab alijs hoc signo carentibus distinguimur, & qua etiam veluti milites Dei, & Christi ad spiritualem militiam, & Dei cultum, ac Religionis Christianæ statum consignamur, & deputamur, hoc inquam, sigillum, & hæc spiritualis nota dicitur character, ità de nomine characteris disserit Scotus *4. dist. 6. q. 9. §. de primo*.

Vt autem in hac materia de charactere certa ab incertis, & communiter concessa à controuersis secernamus; Primò certum est inter Catholicos aliqua sacramenta hunc characterem imprimere, vt de fide definitum est in Concil. Trid. sess. 7. aduersus Caluinum, & alios nostri temporis Nouatores, quod expresè colligitur ex quibusdam Scripturæ locis, vt ad Eph. 1. *in quo credentes signati estis*, & 2. Corint. 1. *qui vnxit nos Deus, signauit nos*, & ad Eph. 4. *nolite contristare Spiritum sanctum, in quo signati estis in diem redemptionis*, quem locum intelligi Hieronymus de charactere baptismali; Ratione etiam suadetur, quia tria tantùm sacramenta iterari non possunt, vt colligitur ex communi Ecclesiæ traditione, & Hæretici ipsi fatentur, nempè Baptismus, Confirmatio, & Ordo; hoc autem minimè verum esset nisi characterem imprimerent, nam ex sola characteris impressione Trident. *loc. cit.* illa tria sacramenta probat iterari non posse, & alioqui nulla ratio esset, cur iterari non possent, vt alia sacramenta; ergo ex non iteratione, tanquam ab effectu, quod characterem imprimant, optimè colligitur. Rursus hoc probat Scotus *4. d. 6. q.* 10. eleganti congruentia ex politia humana deducta *§. sed restant sub. lit. I.* nam sicut qui in Familia Principis benè disposita, vel exercitu benè ordinato ad diuersa applicantur officia, diuersis notis, ac insignibus notari solent, quibus eorum munus cognoscatur, & ab alijs discernantur; ità in exercitu, & Familia Christi diuersi sunt hominum ordines, singuli proprijs characteribus notati, quibus eorum munus cognoscatur, & discernantur ab alijs; nam per Baptismi characterem homo adscribitur familiæ, & militiæ Christi, & ab omni alio extrà hanc familiam distinguitur; per characterem Confirmationis deputatur homo, tanquam Christi miles ad certamen spirituale ad profitendam fidem, & pugnandum strenuè contrà fidei persecutores; Et tandem per characterem ordinis deputatur homo, tanquam Christi Minister, ad sacramenta dispensanda, & varias actiones sacras obeundas iuxtà ordinum diuersitatem; hac igitur ratione valdè congruum est, vt per tria illa sacramenta diuersi imprimantur characteres iuxtà graduum, & munerum diuersitatem.

Ex quo rursus deducit Doctor rationem, cur alia sacramenta præter hæc tria characterem non imprimant; nullus enim habet determinatum gradum in familia Regis, quia comedit, vel bibit; nec quia post offensam Domini reconciliatur sibi; nec quia multiplicat personas in illa politia; nam isti actus communes esse possunt omnibus in quocunque gradu, sed alium gradum habet aliquis, quando recipitur in familia Domini; alium quando vlterius proficit, & constituitur miles ad defendendam Rempublicam; alium, quando constituitur, vt supremus sub domino ad constituendum alios in gradibus determinatis; Sic in proposito alia sacramenta, vt Eucharistia ad nutritionem spiritualem ordinata, matrimonium ad procreationem corporalem, pœnitentia ad reconciliationem, in nullo certo gradu constituunt in Ecclesia, imò possunt esse communes omni membro Ecclesiæ in quocunque gradu; atque ideò nulla est ratio, vel congruitas, cur hæc sacramenta characterem imprimant, sicut illa tria. Et hinc tandem deducit Doctor rationem, vel congruitatem, cur illa tria sint irreiterabilia, non sic alia, quia sicut in politia humana non congruit illas tres dignitates iterari, scilicet, receptionem in familia: promotionem ad militiam; & prælationem ad doctrinam; benè tamen iterari possunt nutritio, & procreatio, & reconciliatio; ità in proposito tria illa sacramenta iterari non decet, alia autem iterantur, & non iterandis gradus initerabilis acquiritur, qui character dicitur, in iterandis autem non; Et hac ratione, & congruitate omnes alij Theologi passim vtuntur ad hoc suadendum, quarè concludit Card. de Lugo *disp. 6. nu. 9.* hanc esse vnicam rationem, quæ supposita Christi institutione nobis per Concilia tradita possit afferri ad ostendendum aliqua sacramenta characterem imprimere, & aliqua: non ideoque alias omnes ab alijs ad hoc inductas soluit, vt insufficientes.

Conueniunt insuper Theologi in hoc, quod character producatur à sacramento eo modo, & eo tempore, quo producitur gratia sanctificans, si non adsit obex: Ratio est, quia character est effectus sacramenti secundarius, sicut gratia est primarius, ideoque produci debet ex opere operato, & tunc quando sacramentum censetur completum, vt de gratia iam dictum est. Cum hoc tamen discrimine, quod gratia si adsit obex, non producitur, producitur tamen cha-

character, quia ipse non ponitur directè ad sanctificandum, sicut ponitur gratia; vndè quando adest obex character nihilominus à sacramento producitur, gratia verò solùm quando ablato obice sacramentum reuiuiscit. Ex quo deducitur ad productionem characteris nullam requiri dispositionem, qualis requiritur ad productionem gratiæ, sed solùm quod sacramentum debito modo conficiatur, hoc est, cum debita materia, & forma, & intentione Ministri. Et hinc tandem deducitur characterem animæ inesse indelebiliter, cuius rationem innuit Doctor *loc. cit. §. ad quæstionem*, quia quicquid corrumpitur, vel corrumpitur ex defectu subiecti, vel conseruantis, vel ratione contrarij oppugnantis; at ex nullo capite ex enumeratis corrumpi potest; non quidem ex primo, cum eius subiectum sit anima, quæ est immortalis; non ex secundo, quia conseruatur à Deo; nec denique ex tertio capite, quia nullam formam physicè contrariam habet, nec etiam moraliter, si enim vllã talem haberet, maximè esset peccatum, constat autem eum manere in peccatoribus ex auctoritate Patrum, & Conciliorum Florentini, & Tridentini; quarè sequitur esse indelebilem, & à parte post æternum; Hoc autem intelligi non debet in ordine ad potentiam absolutam, quasi nequeat eum Deus destruere, quando vult, sicut destruere potest ipsam animam, & Angelum; sed intelligi debet de potentia ordinaria ob rationem adductam, quia nimirum subiectatur in anima nec vllam habet formam physicè contrariam, nec moraliter; Et rursus cum dicimus peccatum non ei moraliter, vel demeritoriè contrariari: sicut contrariatur gratiæ, hoc non debet intelligi, quasi id ei conueniat ex natura sua, sed solùm ex ordinatione diuina; absolutè enim loquendo posset aliquod peccatum ità mereri, vt auferatur character, sicut aliquod meretur, vt auferatur fides, vel spes, & quodlibet morale, vt auferatur charitas, quarè quod per nulla auferatur character ex sola Dei voluntate ortum est.

193 Conueniunt tandem etiam in hoc Theologi, paucis quibusdam exceptis, characterem non esse ens rationis, vt quidam dixerunt, quorum doctrinam esse ridiculam, ait Poncius *disput.* 41. q. 8. quomodo enim sacramenta imprimerent ens fictitium, aut quomodo ens fictitium esse posset signum distinctiuum famulorum Christi? aut potest ne habere apparentiam vllam, quod aliquis intellectus debeat fingere aliquid in baptizato, vt baptismus imprimat characterem, aut si non fingat; baptismum non impressurum characterem?

Sed planè, quando Auctores illi dixerunt characterem esse ens rationis, non loquebantur de ente rationis pro formali, quod fingitur ab intellectu, nec habet, esse nisi per eius operationem; sed tantùm de ente rationis pro materiali, quales esse dicuntur denominationes extrinsecæ, & morales, quæ suo modo dantur à parte rei absque vlla tali intellectus fictione; Hoc totum patet ex Durando, cui præsertim illa adscribitur opinio 4. *dist.* 4. *quæst.* 2. vbi ait characterem esse relationem quandam rationis, siuè extrinsecam denominationem, sicut in pecunia nulla est absoluta qualitas, vel relatio realis, per quam constituatur in ratione pretij, sed solùm est relatio rationis ex institutione regis. Hoc igitur tantùm modo affirmant Auctores illi characterem esse relationem rationis, per quam homo ex institutione diuina ad sacras actiones dicitur deputatus; quarè sicut de facto à Rege deputantur Præsides, & Gubernatores per solam Principis deputationem, & ipsi sic deputati manent hac sola relatione rationis, siuè extrinseca denominatione, & ita in lege veteri sola consecratione Sacerdotis manebat ipse ad cultum Dei deputatus sine impressione alicuius entitatis realis spiritualis; ità pariter inquiunt in lege gratiæ potuisse homines ad diuinum cultum consignari, & deputari per solam extrinsecam denominationem sine impressione alicuius entis realis.

194 Cæterùm neque in hoc sensu dici potest character esse ens rationis, nam iuxtà modum loquendi Conciliorum, & Patrum character dicitur imprimi animæ nostræ, & esse sigillum spirituale ei impressum, quod neque in relationi in hoc sensu, neque extrinsecæ denominationi conuenire potest, imprimi enim propriè loquendo est formæ realiter inhærentis, non enim propriè dicitur visio imprimi obiecto, quod extrinsecè denominat. Tùm etiam quia impressio characteris est actio realis iuxtà modum loquendi eorundem Patrum, & Conciliorum, ergo character est res aliqua verè, & realiter existens, non verò sola rationis relatio, aut extrinseca denominatio; cum sit effectus per realem actionem productus. Vndè non ità à Deo ordinatus ex character in lege gratiæ, vt Theologi illi discurrebant de Gubernatore per solam Principis institutionem deputato, & de Sacerdote veteris legis per solam extrinsecam; sed sicut olim voluit per circumcisionem sensibili signo suum populum à reliquis discernere; ità nunc suos famulos, ac milites spirituali signo in anima impresso ab alijs discernere voluit, vt sic discreti ab Angelis dignosci possent, quo etiam ad aliquot actus diuini cultus deputarentur; quæ etiam forma intrinsecè animæ impressa ex diuina institutione significat ita characterizatum esse aptum ad efficiendum, vel recipiendum huiusmodi actus, scilicet, ad recipienda, vel administranda sacramenta. Ex qua doctrina reijcitur etiam doctrina Scoti 4 *d.* 1. *quæst.* 4. *art.* 2. vbi probabile putat characterem non esse formam verè, & realiter distinctam ab anima, sed potius esse tanquam modum in re. Hoc enim non minus Concilijs contradicit, quam assertio Durandi, si enim est idem realiter cum anima, sicut hæc sacramentum non producitur de nouo, ità neque quod est sibi realiter identificatum; imò neque Scotum puto in hoc sensu id pronunciasse, sed tantùm innuere voluisse characterem non à parte rei distingui à suo subiecto, vt rem à re, sed vt modum à re; Quod nec etiam benè diceretur eum potius putandum sit ita se habere, sicut se habet ipsa gratia in anima, eodemque pacto esse formam verè, & realiter ab anima distinctam, vt rem à re.

Verùm, quamuis Theologi passim in hoc conueniant, quod character est ens physicum reale ab anima realiter distinctum, adhuc tamen in multis alijs discrepant. Primò enim disputant, an sit forma aliqua absoluta de genere qualitatis, an potius forma realis relatiua, & quamuis communior affirmet esse formam absolutam de genere qualitatis, & eidem Scotus quoque noster subscribat, 4. *d.* 6. *cit. qu.* 10. addit nihilominus probabiliter quoque defendi posse esse formam relatiuam extrinsecus aduenientem à Deo immediatè causatam in anima suscipientis, quia per hoc etiam saluantur omnes conditiones characteris; & quia character est signum, signum autem essentialiter dicit respectum ad rem signatam. Secundò tenendo cum communiori, & probabiliori sententia, quod sit forma de genere qualitatis, adhuc dissensio est, sub qua specie collocari debeat; quidam enim antiquiores dixerunt sub nulla ex quatuor assignatis ab Arist. contineri, eò quod sub illis locantur solùm qualitatis acquisitæ, non infusæ. Alij reponunt sub quarta specie, quia character est figura quædam, ita Marsilius, & Riccardus, & quidam alij Nominales, quibus subscribunt ex Recentioribus Cartagena *disput.* 5. *de sacramentis diffic.* 2. *cap.* 4. & Salas p. 2. *tract.* 2. *disp.* 8. *sect.* 3. eò quia character configurat nos Christo. Alij dixere spectare ad tertiam qualitatis speciem, quia character est veluti passio, vel passibilis qualitas; ità Altisiodorensis; & alij veteres, quos sequitur hic Card. de Lugo *disp.* 6. *sec.* 3. Thomistæ passim locant illum sub secunda specie, quæ est potentia, & ita defendunt Caiet. Nugnus, Valentia, Henriquez, & alij. Quidam dixerunt spectare ad primam speciem, quia se habet tanquam dispositio, & habitus, & hoc defendunt Suarez, Vasquez, Coninch. Bellarmin. cum Alensi, & D. Bon. Scotus tandem inquit *loc. cit.* quod si teneatur characterem esse qualitatem ad aliam speciem spectare non potest, quàm ad primam, vel secundam.

Deindè, quamuis etiam Theologi passim conueniant, quod vnum ex potissimis prædicatis characteris sit esse signum, & sigillum quoddam spirituale designans subiectum, & segregans ab alijs, qui illud signum non habent, vndè designat, & notat domesticos Christi per baptismum; milites Christi per Confirmationem, & Ministros Christi per Ordinem; quamuis, inquam, omnes in hoc conueniant, adhuc tamen disputant, an character sit signum, aut sigillum hæc omnia naturaliter significans, vel solùm ad placitum, & ex institutione diuina; primum asserunt Salas, Card. de Lugo, Amicus, & alij quidam; oppositum tamen docet communis opinio, tam Veterum, quàm Recentiorum. Rursus contendunt aliqui esse merum signum absque vlla prorsus actiuitate, & potentia causandi, vt Vasquez, Caspensis, & alij quidam. Alij verò communiter in charactere agnoscunt potentiam, & virtutem aliquo modo ordinatam ad aliquos effectus aliquo modo causandos; qui

qui rursus inter se sunt diuisi, quidam enim volunt hanc potentiam esse physicam, itaut characteri conueniat ex natura sua physica, vt Lugus iam cit. Alij verò communiter asserunt esse moralem duntaxat, & ex institutione diuina; ità Suarez, Bellarminus, Amicus, Auersa, Morandus, & alij passim. Denique disputant, in quo subiecto proximè imprimatur character, tanquam in immediato subiecto, an, scilicet, in essentia, & substantia ipsius animæ, vel potius in potentijs eius intellectu, aut voluntate; Thomistæ quamplures illum in intellectu reponunt, vt Caietanus, Capreolus, Soto, Nugnus, Ledesma, & alij; Scotistæ verò passim in voluntate reponunt cum Scoto 4. d. 6. q. 11. Alij tandem communiter in essentia; & substantia animæ immediatè, vt Recentiores passim.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Resolutio quæstionis quoad primam partem.

197 Sententia Scoti in hac controuersia de charactere, nec à Thomistis, nec à Scotistis benè refertur, cùm tamen clarissimè loquatur 4. d. 6. *cit.* q. 10. Thomistæ namque communiter ità illum referunt, vt absolutè, & assertiuè docuerit characterem esse formam realem relatiuam, non verò absolutam; imò aliqui Scoto imponunt, quod dixerit characterem esse relationem rationis, vt Vasquez 3. *part. disput.* 34. *cap.* 2. Augustinus Bernal, & alij Recentiores per relationem extrinsecùs aduenientem intelligentes denominationem extrinsecam; cùm tamen Doctor *loc. cit.* apertè dixerit characterem esse formam physicam, & realem, & vtramque partem probabiliter defendi posse, quod nimirum sit forma absoluta de genere qualitatis, vel relatiua realis de numero earum, quæ dicuntur relationes extrinsecus aduenientes, quas admitti debere latè probauimus in logica, & tales esse diximus vltima sex prædicamenta ex Scoto pluribus in locis. Scotistæ verò passim vtique Doctorem citant in hac re problematicum, characterem, scilicet, esse, vel formam realem absolutam vel relatiuam extrinsecus aduenientem; addunt tamen probabilius ab eo censeri, quod sit forma realis relatiua, quarè hanc partem præsertim defendunt, vt magis de mente Doctoris, ità Faber, Centinus, Brancatus, & alij in 4. sentent. Verum si Doctor attentè legatur *loc. cit.* quamuis problematicè teneat, quod si forma absoluta, vel relatiua, quia non potest vna, vel altera pars euidenter conuinci, nunquam tamen dicit probabilius esse, quod sit forma relatiua; imò potius oppositum insinuat, nempè probabilius esse, quod sit forma absoluta, quam partem proindè, vt probabiliorem, tuentur omnes Scotistæ veteres Mairon 4. d. 7. q. 5. *art.* 10. Bassolius d. 6. q. 3. *art.* Rubion d. 7. q. 2. *art.* 2. Vorrilon d. 3. q. 3. Nicolaus de Orbellis d. 6. q. 7. & ex Recentioribus Aretinus, & Hiqueus 4. d. 6. q. 10. Poncius *disp.* 41. q. 8 & alij.

198 Primò itaque dicendum est, probabiliter defendi posse, characterem esse formam realem relatiuam de numero earum relationum, quæ in Schola nostra extrinsecùs aduenientes appellari solent; probabilius tamen esse formam realem absolutam de genere qualitatis. Hæc conclusio est veterum Scotistarum *loc. cit.* & quoad primam partem probatur à Doctore *loc. cit.* sub lit. A. sicut non sunt ponenda plura sine necessitate, ità quandò aliquid ponitur præcisè propter aliud, non est ponendum perfectius, quam requiratur ad illud aliud, illa enim perfectio vlterior frustrà poneretur, sed propter ea omnia, ob quæ ponitur character, non est necesse, quod sit perfectio absoluta, quia possunt saluari dicendo, quod sit forma relatiua; ergo superfluè, & sine causa ponitur absoluta; minor patebit soluendo rationes, inquit Scot.

Quoad alteram partem, Poncius, & Aretinus eam probare nituntur validis rationibus, & efficacibus; sed benè inquit Bassolius *loc. cit.* nec efficaci ratione, vel cogente auctoritate probari posse, quod character sit forma absoluta, nam ad ea omnia, quæ characteri adscribuntur, saluanda sufficeret forma aliqua relatiua, vt patebit soluendo rationes pro ista parte, quæ conuincentes, & efficaces à Recentioribus censentur; Subdit tamen Bassolius, adhuc conuenientius esse, quod ponatur forma absoluta, tùm quia hoc magis est consonum intentioni Doctorum, & communiter loquentium de charactere, & dignitate sacramenti, vel characteris; Tùm quia multò facilius, & conuenientius, & manifestius saluantur illa, quæ attribuenda sunt characteri ponendo, quod sit aliquod absolutum, quam quod sit respectus vt ex dicendis constabit.

Secundò dicendum est, characterem non esse signum naturaliter significans aliquem esse Christi famulum, aut militem eius, vel potestatem illam, quam habent ordinati, sed merè ad placitum, & ex institutione diuina. Hæc conclusio est contra præfatos Recentiores, & Scoti *quæst.* 10. *cit.* infrà lit. D. dùm inquit, quod relatio signi non est, nisi relatio rationis, loquendo de signo instituto ad placitum, cuiusmodi est character respectu suscepti sacramenti; eamque sufficienter suadet ratio, quam pro ea adducit Cardinalis de Lugo *disp.* 6. *sec.* 3. & Amicus *disp.* 6. *sect.* 6. nec sufficienter soluunt quia nimirum replicari nequit, quomodo possit character illa omnia naturaliter significare, nisi quatenus esset eorum naturalis repræsentatio, vel formalis, qualis est species expressa, & ipsa rei cognitio, vel virtualis, sicut est species impressa rei, cuius est species; sed character neque est species expressa, neque impressa seruitutis Christi, aut militiæ ipsius, quia paruulis baptizatis nulla talis infunditur cognitio, vel species; ergo character nequit esset repræsentatio, vel similitudo intentionalis eorum; Sed neque etiam potest esse similitudo realis, vel aliquam similitudinem obiectiuam cum illis habere, sicut habet imago cum re, cuius est imago, aut vnus homo cum alio homine, nam explicari nequit, quomodo talis qualitas spiritualis, qualis est character similitudinem habeat realem, vel obiectiuam cum Christo, vel seruitute, & militia ipsius, aut cum potestate, quam habebant ordinati, ergo, &c. 199

Respondent præfati Auctores, characterem non esse repræsentationem formalem, qualis est cognitio, nec virtualem, qualis est species impressa, sed obiectiuam, quatenus ipsa cognita ducit in cognitionem rei repræsentatæ; non propter similitudinem, aut conuenientiam entitatiuam, quam habeat cum re repræsentata; sed propter ordinem intrinsecum, quem habet ad ipsam significandam; Sic enim videmus aliqua esse signa naturalia obiectiua, quæ absque similitudine repræsentant naturaliter; tales sunt gemitus, & lachrymæ, quæ absque vlla similitudine entitatiua cum dolore interno, eum naturaliter significant, quia ex natura sua sunt instituta ad illud significandum; sic etiam risus absque vlla similitudine cum gaudio interno, illud naturaliter, & obiectiuè significat, & sic vniuersaliter loquendo quæuis proprietas cognita ducit in notitiam abstractiuam naturæ, cuius est proprietas.

Sed neque in hoc sensu posse characterem significare naturaliter Christi seruitutem, vel militiam eius, aut potestatem illam, quam habent ordinati, probatur ex eisdem exemplis adductis; intantùm enim lachrymæ significant ex natura sua dolorem, & dicunt ordinem intrinsecum, vt ducant in cognitionem ipsius, inquantùm procedere solent naturaliter à dolore, aut à causa inferente dolorem, aut ab aliquo cum illa causa coniunctio, vel cum ipso dolore, & sic est de risu respectu gaudij interni; adeout nulla qualitas, quæ non sit species impressa, vel expressa alicuius rei, nec similitudinem habeat entitatiuam cum illa, potest dicere talem ordinem intrinsecum, vt in eius cognitionem ducat nisi ex natura sua habeat aliquam connexionem cum illa per modum causæ, aut effectus, vel proprietatis ipsius, vt patet de fletu, & risu respectu interni doloris, & gaudij; Sed character talem connexionem naturalem habere nequit cum seruitute, & militia Christi, quam significat, neque cum potestate illa, quam habent ordinati, siquidem neque est causa, neque effectus, neque proprietas, aut accidens connaturale illorum; ergo neque talem ordinem intrinsecum dicit ad illa, vt in eorum cognitionem nos ducat per modum signi naturalis, & naturaliter significantis; Maior patet, probatur minor, nam potestatem, quam habet ordinatus ad absoluendum à peccatis vtique habet à voluntate diuina, quam posset etiam non habere simpliciter, & absolutè loquendo, quamuis characterem reciperet, quia nulla talis qualitas creata excogitari potest, quæ naturalem habeat connexionem cum actu libero diuinæ voluntatis talem potestatem ordinato tribuentis, & conferentis; cùm hæc potestas sit moralis, vt dicemus, & nullam prorsus connexionem, aut affinitatem habeat ex natura rei cum qualitate, quam character importat, per modum causæ, aut effectus, vel proprietatis ipsius, qualem habere videmus risum cum gaudio interno, fletum cum dolore. Quarè con- 200

clu-

cludendum est hanc configurationem, vel similitudinem, quam dicitur habere character sacramentalis cum Christo, non habere ex natura sua, sed ex mera voluntate extrinseca Dei, vt Suarez fusè docet *3.p.to.3. disp.11.sec.2. & 3.* & alij passim.

201 Tertiò dicendum est, characterem non esse merum, & nudum signum Christo conformatiuum, & configuratiuum absque vlla prorsus actiuitate, & potentia causandi, imò potius habere virtutem, & potentiam aliquo modo ordinatam ad quosdam effectus aliquo modo causandos. Hæc est contra quosdam Auctores *nu.196.* relatos, qui dicunt characterem non infundi, vt sit principium operandi, vel alicuius operationis, sed ordinatur ad esse, sicut gratia habitualis, sanitas, & pulchritudo non sunt operatiua, neque principium operandi, sed ordinantur ad esse; sic character benè disponit animam in ordine ad se, non tamen est qualitas operatiua; Oppositum tamen manifestè deducitur ex modo loquendi Patrum, qui in charactere aliquam virtutem agnoscunt ad quosdam operandos effectus, ità Ambrosius, Nazianzenus, & alij; & Cathechismus Romanus de sacramentis in genere loquens de Sacramento Confirmationis inquit, charactere per ipsam impresso nos velut Christi milites, contrà nobis insitum hostem, & spiritualia nequitiæ in cælestibus armari, atque instrui; armari autem charactere virtutem quandam characteris, & efficacitatem significat ad agendum, & resistendum.

Solùm potest esse difficultas, an hæc potentia, & virtus characteris ad quosdam effectus producendos sit virtus quædam physica, & ex natura rei conueniens, an potiùs moralis, eique conueniens tantùm ex institutione diuina; quod sanè longè probabilius censeo, vt dicam conclusione sequenti; imò hoc tantùm significare voluisse censeo Auctores pro opposita sententia suprà relatos, qui aiebant characterem esse merum, & nudum signum absque vlla actiuitate, & potentia causandi; Et quidem Caspensis pro ea sententia relatus ità se explicat *tract. 20. disp.4. sec.1. in fine,* vbi notat, quod character potest dupliciter considerari, & in esse physico, & in esse morali; primo modo tantùm habet benè disponere animam in ordine ad se; secundo verò modo disponit ad rectè suscipienda, vel conficienda, & ministranda sacramenta, quapropter inquit, licet character in esse physico non sit potentia receptiua, vel actiua; vtrumque tamen habet in esse morali, quatenus reddit nos idoneos, vt aliqua sacramenta suscipiamus, vel conferamus, quia sine charactere baptismi nullum sacramentum validè recipitur; & sine charactere sacerdotali nullus validè administrat sacramentum pœnitentiæ, vel Extremæ Vnctionis; vndè tandem concludit, quod licet in esse physico dici possit character esse in prima specie qualitatis, in esse tamen morali pertinet ad secundam; quarè circa hanc conclusionem nulla remanet difficultas, sed tantùm an virtus, & potentia characteris censenda sit physica, vel moralis duntaxat.

202 Quartò dicendum est, characterem non esse potentiam propriè, & physicè actiuam, aut passiuam, neque habere ex natura sua physica vllam rationem potentiæ respectu illorum effectuum, qui communicantur ijs, qui eo insigniuntur, sed solùm esse moralem quandam potestatem, & habilitatem. Ità Doctor *qu.10. cit. infrà E.* vbi explicans, quo sensu sit vera hæc propositio, quod character est potestas aliqua, vt potè character baptismi est potentia passiua, per quam homo fit capax aliorum sacramentorum; character ordinis est potentia quædam actiua ad multos actus sacros in Ecclesia: hanc, inquam, explicans propositionem inquit, quod si accipiatur potestas simpliciter ad aliquem actum, qui sine illa potestate simpliciter non posset haberi, sic negat characterem esse potestatem; nam baptizatus in nullum actum simpliciter potest, in quem non posset non baptizatus, & hoc siuè loquendo de actu, in quem potest actiuè, siuè de actu, quem potest quodammodo ab alio recipere, ità enim posset non baptizatus inungi chrismate, sicut baptizatus, & ità posset abluere, sicut baptizatus; Si autem loquamur de potestate non simpliciter, sed ministeriali, hoc est per quam aliquis fit conueniens, & legitimus Minister alicuius principalis agentis, & sine illa non esset conueniens Minister; in hoc sensu concedit characterem esse potestatem, quod est dicere esse potestatem moralem, non physicam; Scotum sequuntur Suarez *disp. 11.sect.3.* Bellarm. *lib.2. de sacramentis cap.19.* Coninch. *q.63. art.2.* Auersa *q.63. sect.3.* Pasqualig. *disp.64. sect.2. & 3.* & alij communiter.

Et facilè suadetur, quia character in aliquem effectum physicè non influit, sed tantùm moraliter, quatenus est quoddam signum ex diuina ordinatione ad hoc institutum, vt qui illo fuerit insignitus, aptus sit, & habilis ad ea munera exercenda, quæ reperiuntur in receptione, vel administratione sacramentorum; quod declaratur discurrendo per tria sacramenta characterem imprimentia; nam per baptismi characterem fidelis est aptus ad recipienda cætera sacramenta; per charactem Confirmationis ad tuendam fidem, & per characterem Ordinis ad conferendos ordines, & ministranda sacramenta; ergo character est qualitas disponens ad aliquos actus recipiendos, & efficiendos; hoc autem loquendo de potentia physica verificari non potest, quia hi characteres physicè indifferenter se habent, & vt aiebat Doctor anima æquè physicè potest cætera suscipere sacramenta, siuè habeat baptismi sacramentum, siuè non; totum ergò prouenit ex institutione diuina quatenus per ea factum est, vt nemo recipere possit vllum sacramentum, nisi baptismo supposito, neque ex officio administrari, aut confici sacramenta, nisi ab habente characterem ordinis. 203

Confirmatur, quia sufficienter declarari non potest, quem effectum character per modum causæ physicæ producat, neque quam formam in se per modum subiecti, seù potentiæ subiectiuæ, & passiuæ recipiat, & præsertim in sententia nostra docente sacramenta esse causas duntaxat morales, non physicas gratiæ. Hoc autem è contrà facillimè declaratur per moralem causalitatem, quatenus per baptismum, eiusque characterem homo redditur moraliter capax, & habilis ad validè, & licitè alia sacramenta suscipienda, & per sacramentum Ordinis, eiusque characterem redditur moraliter aptus, & habilis ad conficiendum, alijsque ex officio suo dispensandum sacramenta. Vndè character est quædam potestas spiritualis, & supernaturalis partim actiua, partim passiua, & quidem character baptismi est potestas moralis passiua, quia hominem ad omnia alia sacramenta suscipienda aptum reddit, & sine ipso nulla aliorum sacramentorum susceptio est legitima, & rata; Character Ordinis est actiua potestas ad ministranda alijs sacramenta; character tandem Confirmationis, quia & actiuus est, & simul passiuus, per modum vtriusque potestatis explicari potest; actiuæ quidem, quatenus hominem constituit strenuum fidei propugnatorem; passiuæ verò, quia hominem præparat ad alia sacramenta suscipienda, licet non de necessitate, vt baptismus, sed de congruentia, & decentia quadam. Ex quo tandem deducitur potestatem, quam habent baptizatus, confirmatus, & ordinatus esse quid morale, scilicet, exigentiam assistentiæ diuinæ ad ei cooperandum in quibusdam effectibus; characterem verò esse quid physicum disponens moraliter, ac mouens Deum ad huiusmodi assistentiam.

Denique quod character non sit principium physicum aliquid agendi probatur ratione, veluti à priori, in sacramentis Confirmationis, & Ordinis; Nam character ordinis non est principium actiuum materialis actionis ipsius sacramenti, siquidem hæc sufficienter fit, & exercetur ab imaginatione, & potentia externa vngente, vel abluente, vel pronunciante formam; neque est principium valoris, pretij, vel fructus talis actionis sacramentalis, quia hic non habet principium physicum in Ministro, sed tota efficacia est à Deo sacramenta ipsa eleuante ad producendam gratiam: Et hoc adhuc magis elucet in charactere Confirmationis, hic enim non est principium physicum confessionis fidei coram Tyranno, quæ est actio huius characteris propria, hic enim actus fidei vltrà auxilium Dei, & habitum fidei, & fortitudinis alio principio physico non eget, siquidem contingere potest, vt non confirmatus maiori auxilio Dei suffultus firmiori constantia fidem confiteatur, quàm confirmatus: ergo characteres Ordinis, & Confirmationis non sunt alicuius actionis specialis physicum principium, & ex natura sua, sed tantùm morale, & ex institutione diuina modo iam explicato; nempè quod character dicitur habere rationem potentiæ, seù potestatis solùm secundum moralem quandam considerationem, quatenus, scilicet, est signum ex diuina ordinatione ad hoc institutum, vt qui eo fuerit insignitus aptus ad tale ministerium censeatur; Et hoc est, quod dicebat Scotus supracit. quod licet character esset re- 204

relatio, & non forma absoluta, adhuc tamen rationem potentiæ ministerialis habere posset, quia non oportet, vt talis potentia verè influat in actum, sed vt sit veluti conditio requisita à principali agente in Ministro, vt eius actione, tanquam instrumento vtatur.

205 Quintò dicendum est, quod si character ponatur accidēs absolutum, vt probabilius esse diximus, reponi potest in secunda qualitatis specie, vt est potestas quædam spiritualis ad aliquid agendum, vel recipiendum, character quidem baptismi ad recipiendum; Ordinis verò, & Confirmationis ad agendum. Conclusio est Doctoris *loc. citat.* §. *ad quæstionem*, postquam alias superius *num.* 195. relatas reiecit sententias de hac re, in qua, scilicet, qualitatis specie reponendus sit character; Et facilè probatur ex dictis, quia potentia, quæ est secunda species qualitatis importat essentialiter qualitatem, quæ sit principium alicuius operationis; sed character est qualitas ex diuina institutione ordinata ad aliquam operationem, ordinatur enim ad cultum Dei, qui in sacramentorum receptione, vel administratione exercetur, nam character baptismalis, vt dictum est, reddit hominem habilem, & idoneum ad omnia recipienda sacramenta, & eorum effectus, itaut sine tali charactere neque vera sacramenta reciperentur, neque effectus illorum. Character Ordinis dat facultatem homini, vt diuersa munera ipsorum ordinum exerceat, & ministret; Character denique Confirmationis hominem ordinat ad hoc, quod fidem coram Tyranno confiteatur quasi ex proprio officio, & munere; ergo character in secunda specie qualitatis reponi potest.

Sed dices, qualitas secundæ speciei debet esse principium physicum alicuius operationis, sed character non est principium physicum alicuius actionis; nam vt supra dictum est in probatione præcedentis conclusionis, siuè loquamur de confessione fidei, ad quam ordinatur Confirmatio, siuè de quacunque alia actione, ad quam ordinatur sacramentum ordinis, æquè benè quoad physicam substantiam fieri potest à non habente characterem, ac ab habente illum, dummodò enim quis habeat fidem, & auxilium Dei necessarium, poterit fidem profiteri sine Confirmationis charactere, & sine charactere ordinis efficere omnes operationes sensibiles, quas exercent verè ordinati; & si enim ad hoc, quod tales operationes sint actiones sacramentales, diuina requiratur institutio, tamen totum physicum, quod illæ habent, sine tali institutione potest fieri; ità arguit Suarez *disp.* 11. *sec.* 3. *cit.*

206 Ob hanc rationem Aretinus 4. *d.* 6. *qu.* 10. *artic.* 6. inquit, quod character propriè, & essentialiter non potest in specie potentiæ constitui, cùm non sit potentia physica actiua, vel passiua, atque adeo nec propriè potentia, quia nulla est verè potentia; nisi quæ reipsa, ac physicè ordinatur ad aliquem actum, vndè concludit collocari propriè in prima qualitatis specie, vt habitus. Hoc sentit Hiquæus ibidem in Commentario, quia character est potestas solùm moralis, & non principium physicum sui actus, magis videtur attendus in prima specie, quia constat esse per modum habitus difficulter mobilis, & indelebilis. Alij verò Recentiores inquiunt, quod licet qualitates secundæ speciei, quas nouit Arist. semper sint principia physica operationum; hoc tamen non est necessarium, quia ratio essentialis istius secundæ speciei solùm est, quod sit proximum principium operationum, siuè physicum, vt potentiæ naturales, siuè morale, vt character, qui est principium morale influens in actiones illas, quæ reperiuntur in susceptione, vel administratione sacramenti; Alij dicunt, quod secunda species qualitatis potest dupliciter explicari, vel itaut solam physicam potentiam importet, vel vt etiam moralem complectatur, hoc secundo modo character ad eam pertinet, sed primo modo non pertinet. Vt tamen saluemus; quod inquit Doctor *loc. cit.* quod si ponatur character accidens absolutum, potest poni in secunda specie qualitatis, vel etiam in prima, melius erit hac vti distinctione, quod character potest dupliciter considerari, & in esse physico, & in esse morali, primo modo tantùm habet benè disponere animam in ordine ad se; secundo verò modo disponit ad rectè suscipienda, vel conficienda, & ministranda sacramenta; & sic dici potest, quod character in esse physico est in prima specie qualitatis per modum habitus, quia est qualitas de difficili mobilis, & indelebilis; in esse verò morali pertinet ad secundam; & sic intelligendus est Doctor, cùm characterem in vtraque specie reponit. Primo modo consideratus pertinet ad primam speciem, quia ità spectatus est quædam forma supernaturalis perficiens, & disponens animam, non in ordine ad aliquam operationem physicè eliciendam, sed in ordine ad esse simpliciter, ornans, & obsignans illam, vt quicunque sit eo insignitus, statim ex pacto, & institutione diuina ad sacras operationes exercendas fiat habilis eo modo, quo quis stemmate, vel titulo aliquo ex Principis deputatione insignitus, statim ad præstantissimas Principis legationes obeundas habilis euadit; Secundo verò modo consideratus, scilicet, secundum moralem potentiam, induit nouum conceptum, secundum quem pertinet ad secundam speciem; Quod verò in alijs speciebus qualitatis impertinenter reponatur, probat Doctor ipse satis dilucidè *loc. cit.* adeout maiori explicatione non sit opus. Interim videantur, quæ de hoc puncto diximus *disp.* 7. *log.* q. 3. *art.* 3. declarando species qualitatis.

ARTICVLVS TERTIVS.

Soluuntur Obiectiones contrà præcedentem doctrinam.

IN Oppositum Primò objiciunt Thomistæ, characterem nullatenus poni posse formam realem relatiuam, quia mutatio esse non potest, nisi ad formam absolutam 5. Physic. 10. sed ad solum characterem, est mutatio, vt patet de ficto, in quo causatur character tantùm, & non gratia, ergo &c. Tùm secundò, quia character est fundamentum multarum relationum, scilicet, assimilationis, distinctionis, & huiusmodi, sed relatio non est fundamentum relationis, quia tunc daretur processus in infinitum, ergo &c. Tùm tertiò, relatio non est principium agendi, vel patiendi; sed character est potestas, & principium agendi, vel recipiendi aliquid in Ecclesia, putà conuenienter ministrandi, vel recipiendi aliqua sacramenta, ergo &c. Tùm quartò, in quolibet sacramento suscepto habetur in anima aliqua relatio de nouo; ergo si character non est, nisi relatio, sequitur per quodlibet sacramentum imprimi characterem. Tùm quintò, character est dispositio ad gratiam; sed gratia est forma absoluta, ergo & character, quia dispositio videtur esse eiusdem generis cum forma, ad quam disponit. Tùm sextò, character est principium assimilandi baptizatum Christo, vel alteri baptizato, sed similitudo est vnitas fundata in qualitate, ergo &c. Tùm septimò, quod verè, & propriè dicitur imprimi, est verè, & propriè aliquid absolutum, quia respectus, quicunque sit, non dicitur propriè imprimi; sed iuxta Ecclesiæ determinationem character verè, & propriè imprimi dicitur, ergo &c. Tum octauò, omnis relatio præsupponit fundamentum, ex quo resultat, sed non potest assignari fundamentum aliquod, ex quo resultet talis relatio, ergo &c. Minor probatur, quia in primis anima non est tale fundamentum, quia ex illa non resultat character, cùm à Deo infundatur, & alioqui omnis anima haberet characterem; neque etiam est tale fundamentum gratia, charitas, fides, aut alia virtus, quia sine omnibus his potest dari character. Tùm nonò, si character est relatio, assignari debet terminus huiusmodi relationis; at hic assignari non potest, si præsertim ponatur relatio realis, vt fusè probat Suarez *loc. cit.* Tùm denique, quia si character est relatio, non posset assignari, quomodo inter se differrent characteres diuersorum sacramentorum, quia essent omnes sub vna specie relationis, nec sufficienter explicari ad quod prædicamentum spectet. 207

Respondet ad hæc omnia Doctor *loc. cit. at.* Ad primum inquit, quod ad respectum intrinsecùs aduenientem vtique non est mutatio primò, sed solùm præsupposita mutatione in subiecto, vel extremo penes aliquid absolutum, & de tali respectu loquitur Arist. *cit.* 5. *Physic.* sed ad respectum extrinsecùs aduenientem, qualis debet poni character si sit relatio, vtique potest esse mutatio primò, vt patet de motu ad Vbi, & fusè suo loco declaratum est in logica stabiliendo relationes extrinsecus aduenientes contra dicteria Aduersariorum. Ad secundum negat minorem, quia vna relatio realis benè potest esse fundamentum alterius sicut super vnam relationem fundatur similitudo ad aliam eiusdem speciei; nec sequitur ex hoc processus in infinitum, quia aliqua tandem est relatio vltima; in qua datur status, neque potest in ea fundari alia relatio realis, & est ita *quo*, vt non 208

possit

possit esse *quod* sicut suo loco etiam dictum est in logica; De relationibus verò rationis vtiq; concedi potest processus in infinitum absque absurditate vlla, quia quælibet relatio, siuè realis, siuè rationis potest vlterius fundare aliam rationis. Ad tertium inquit, quod character propriè loquendo non est potentia actiua, vel passiua, hoc est physicè, quia fine charactere absolutè loquendo posset habens illum agere, vel recipere quicquid agit, vel recipit cum eo; sed pro tanto dicitur potestas, quia habens ipsum ex ordinatione diuina est idoneus administrandum aliquid, vel suscipiendum, & de tali potestate non oportet, quod sit forma absoluta, sicut patet etiam in rebus humanis. Officialis enim potestatem habet exequendi officium sententiando; & talem nullam formam ex hoc recipit absolutam, imò nec aliquam formam realem, sed solummodo ità eum constituit voluntas instituentis. Ad 4. inquit, dato etiam antecedente, quod in quolibet Sacramento aliquis respectus acquiratur sequens actionem, vel passionem cuiuslibet sacramenti, non tamen esset talis respectus, qualis character poneretur secundum conditiones characteris superius enumeratas; sicut si ponitur forma absoluta, non est quæcunque forma absoluta causata à Deo in anima in susceptione Sacramenti initerabilis.

209 Ad 5. negat Doctor characterem esse propriè dispositionem ad gratiam quasi aliquam causalitatem habeat respectu illius; & rursus negat dispositionem esse semper eiusdem generis cum forma, ad quam disponit, siquidem calor est dispositio ad formam substantialem ignis; & tamen est de genere qualitatis; inquit ergò posse dici dispositionem ad gratiam characterem, quatenus est forma prior, & imperfectior recepta in suscipiente sacramentum initerabile; talem autem formam esse relatiuam non inconuenit, quia imperfectior est, quam absoluta præcedere etiam potest, quia neque inconuenit interdum ad actionem agentis aliquam relationem præsupponi debere; experimur liquidè de facto nos interdum alicui nobis coniuncto beneficium conferre, & affini, quod vtique alteri tali relatione carenti non conferremus. Ad 6. respondet, idem simile, & æquale posse sumi dupliciter, vno modo propriè, & presè, alio modo communiter, & fusè; priori modo quid reperitur in solo genere substantiæ, æquale in genere quantitatis, & simile in genere qualitatis, at posteriori modo in omni genere inuenitur idē, simile, & æquale, hoc enim modo possunt habentes relationes vnius speciei dici similes secundum vnitatem specificam vnius relationis, sicut habentes vnam formam substantialem secundum speciem possunt dici similes secundum substantiam. Ad 7. quo vtitur Aretinus ex nostris ad probandum characterem esse formam absolutam, dico hoc argumento vtique efficaciter probari characterem non esse relationem rationis, vel puram denominationem extrinsecam, quia Concilia dicunt characterem imprimi in anima suscipientis; imprimi autem propriè est formæ realiter inhærentis, siuè sit absoluta, siuè relatiua, non enim propriè dicitur visio imprimi obiecto, quod extrinsecè denominat; quarè absolutè loquendo neganda est maior, nam sigillum, & eius figura, quæ meram relationem dicit, vt diximus in logica declarando quartam qualitatis speciem, cum omni proprietate in cera imprimi dicitur, & in tabula; præterquamquod, cùm Patres, & Concilia dicunt characterem imprimi per quædam sacramenta, impressio sumitur, vt idem sonat, quod collatio.

210 Ad 8. respondet Doctor lit. I. fundamentum characteris proximum esse ipsam nudam animam, siuè essentiam, siuè potentiam, vt dicemus sequen. artic. quia respectus extrinsecus adueniens fundari potest supra fundamentum, ex cuius principijs nullatenus egrediatur, nec fundamentum eius proximum determinari oportet aliquo modo ex ratione sua propria, quia tunc non esset respectus extrinsecus adueniens, sed præcisè determinatur ad illum ab ipso agente, vt dictum est in logica declarando naturam relationum extrinsecus aduenientium. Ad nonum dicendum est characterem habere pro termino Christum sub ratione capitis, & peculiaris Domini, nam per characterem in baptismo impressum adscribitur homo particulariter in familia Christi; per characterem confirmationis refertur eidem per modum militis eius in defensionem fidei; Et per characterem tandem ordinis Christo refertur, quia est peculiariter deputatus ad actus introductionis aliorum in familiam, & in gradus familiæ Christi. Ad vltimum denique respondet Doctor, quod sicut si character poneretur forma absoluta, distinguerentur characteres seipsis formaliter, causaliter verò, & extrinsecè à sacramentis, à quibus imprimerentur; ità si ponatur respectus, distinguerentur formaliter seipsis, licet ab extrinseco per alia possent extrinsecè distingui; Fateor tamen difficillimum esse explicare, ad quod prædicamentum relatio ista pertineat, & assignare quidnam respiciat ex natura sua, tanquam terminum, nam Christus sub ratione capitis, & peculiaris Domini videtur terminus eius, vt est signum ad placitum, pro quo nodo soluendo plura habet Brancatus *disp.9.art.3.* quæ tamen non plenè satisfaciunt, & ideò probabilior est altera pars problematis, quod character sit forma absoluta.

Secundò arguunt Scotistę Recentiores probando characterem probabilius poni formam relatiuam, quam absolutam; nam Concilia, & Patres characterem signum appellant; sed ratio signi est relatiua; ergo ratio characteris relatiua est, & in relatione consistit. Tùm secundò, quia relatio serui ad Dominum est relatio prædicamentalis; sed per characterem baptismi, verb. gratia refertur baptizatus, tanquam seruus ad Christum; ergo est relatio prædicamentalis. Tùm tertiò forma absoluta accidentalis quæcunque est delebilis à subiecto, in quo est; sed character est simpliciter indelebilis, ergo &c. Tum quartò si character esset forma absoluta, cùm non sit substantia, vel quantitas, deberet poni qualitas; sed hoc dici non potest, ergo &c. Probatur minor, quoniam qualitas suscipit magis, & minus, at character non est intensionis capax, quia tunc vnus diceretur magis Christianus, & magis Sacerdos, quàm alter; Et omnis qualitas habet aliquem effectum realem; character verò nullum talem effectum realem habet. Tùm tandem, quia sicut non sunt plura ponenda sine necessitate rationis, vel fidei sequenti fidem, vel rationem; ità nec ponendum est aliquid esse perfectius sine necessitate fidei, vel rationis; sed nulla apparet necessitas nec fidei, nec rationis, quod character ponatur aliquid absolutum, vt patuit soluendo rationes in oppositum adductas à Thomistis, ergo &c. 211

Respondetur ad primum, quod sicut causa aliquando sumitur formaliter pro relatione causæ ad effectum, aliquādo verò materialiter pro ipsa entitate causæ, quæ est fundamentum talis relationis, quo sensu dicimus ignem esse causam caloris, naturam esse principium motus, & quietis; ità signum dupliciter sumi potest; primò formaliter pro ipsa relatione signi, deindè materialiter pro fundamento proximo talis relationis; Quando itaque Concilia, & Patres characterem signum appellant, loquuntur de signo in hoc secundo sensu, scilicet, de fundamento relationis signi, quamuis enim character sit entitas absoluta, est tamen adhuc fundamentum relationis signi, eo modo quo hæreda suspensa est signum vini venalis, & verba sunt præcisè inuenta, vt sint signa conceptuum, & tamen nemo dicit hæc esse relationes, licet prout signa, connotent relationem. 212

Ad secundum si quid concluderet, probaret characterem esse relationem intrinsecùs, & non extrinsecùs aduenientem, vt probabiliter ponitur à Scoto, quia relatio seruituris est intrinsecùs adueniens; dicendum igitur, quod propriè loquendo character non constituit seruum Christi, sed solùm ostendit hominem eo signatum esse talem; sicut etiam in humanis signatur seruus, vel miles charactere aliquo, qui eum non facit seruum, vel militem, sed solùm ostendit eum esse talem.

Ad tertium æquè probaret characterem non esse respectum prædicamentalem, quia hic quoque à suo fundamento deleri potest, constat autem ex dictis suprà in hac quæstione *num.* 192. characterem dici indelebilem tantùm de potentia Dei ordinaria ob rationes ibi adductas, non autem de potentia absoluta.

Ad quartum negatur minor, ad primam probationem concedunt quamplures characterem non esse intensionis, & latitudinis gradualis capacem, & esse qualitatem in indiuisibili consistentem, nec repugnare putant qualitatem, quæ non sit intensionis capax, vndè volunt characterem esse in omnibus æqualem, ità Suarez, Cardinalis de Lugo, Poncius, & alij in præsenti; Vasquez verò ait characterem vtique de facto esse in omnibus æqualem, an verò ex natura sua sit capax intensionis, inquit non posse nobis constare, Verum dari posse qualitatem intensionis incapacem non satis mihi probabile videtur, cùm hæc sit eius passio; 213

vndè

vndè si character est qualitas, erit quoq; ex natura sua intensionis capax; adhuc tamen dicendum est de facto non dari characteres magis, vel minus intensos, licet absolutè loquendo sint talis intensionis capaces, sed in omnibus, & singulis quoad latitudinem gradualem esse æquales, quia secundum omnes gradus, quos habent, à Deo ordinantur ad denominandum indiuisibiliter hominem Christianum, vel Sacerdotem, vel confirmatum. Imò etiamsi concederetur dari de facto characteres magis, vel minus intensos, vt quibusdam placet, & quoad gradus inæquales; adhuc in præstanda denominatione Christiani, Sacerdotis, vel Confirmati æquales poni deberent, quia denominatio Christianitatis, vel Sacerdotij consistit in indiuisibili, cùm ius eorum sit æquale, quod benè declarat Brancatus noster *disp. 9. art. 2.* exemplo Equitum Sancti Iacobi, vel Sancti Ioannis, qui per crucem albam, vel rubram in tali militia consignantur, neque enim ex hoc quod quis crucem magis albam, vel rubram à Præfecto Equitum obtineat, sequitur quod dici debeat magis Eques. Ad alteram probationem eiusdem minoris, negatur characterem non deseruire subiecto, cui inest, in ordine ad aliquem effectum realem, deseruit enim ad determinandum intellectum eius, qui ipsum videt, ad eius cognitionem, & ad distinguendum habentem ipsum ab eo, qui ipsum non habet. Ad vltimum, licet non appareat necessitas simpliciter ad ponendum characterem esse aliquid absolutum, maior tamen congruentia est ad saluandum quæcunque de ipso dicuntur, si ponatur importare aliquid absolutum, quàm relatiuum; & licet saluari possint omnia de ipso, etiamsi ponatur relatio; non tamen ità conuenienter, & euidenter secundum intentionem communiter loquentium de charactere, vt constat ex dictis.

214 Tertiò arguunt contra secundam conclusionem Lugo, & Amicus probando characterem esse signum naturaliter significans, non autem merè ad placitum, & ex institutione diuina; hoc enim magis videtur iuxtà mentem Patrum, & Theologorum, qui per illam rationem signi, & sigilli explicant naturam characteris, nam si ex sola Dei institutione habet significare, oportet illam qualitatem aliam ex se habere naturam, & munus, quarè non benè explicaretur eius natura per significationem, quam accidentaliter, & extrinsecè habet; imò ad id munus significandum potuisset eodem modo assumi quælibet alia qualitas, vel habitus, nam ex institutione quælibet res potest esse signum potestatis, vel sacramenti accepti. Tum secundò, quia absque vllo fundamento diceretur character esse qualitas supernaturalis, si enim non significaret gratiam, vel potestatem illam ex natura sua, sed ex institutione, non minus posset id habere qualitas naturalis. Tum tertiò, quia non repugnat dari talem qualitatem, quæ ex natura sua significet, & designet domesticos, vel milites, vel Ministros Christi; si autem talis ponatur de facto, explicatur optimè effectus formalis characteris, qui est forma de se formaliter signans, & sigillans tale subiectum cum tali respectu ad Christum. Tum quartò, quia si character non haberet ex se hanc vim configurandi, & assimilandi nos Christo, non esset maior ratio, cur Deus ad talem effectum potius vteretur charactere, quàm quauis alia qualitate, sicut ob eandem rationem docent communiter Theologi, gratiam habitualem suaptè natura esse iustificatiuam subiecti, quia alioqui non esset maior ratio, cur Deus ad iustificandos homines adhiberet talem formam, & non aliam. Tùm tandem, & ait Amicus esse rationem à priori, quia Deus, vt inductione constat, semper operatur effectus per causas secundas modo connaturaliori; connaturalior autem modus est, vt character non ex extrinseca voluntate, & beneplacito Dei, sed ex natura sua configuret, & assimilet nos Christo; ergo si talis naturæ character est possibilis, de facto concedendus est.

215 Respondetur ad primum negando assumptum cum eius probatione, nam quando Patres per illam rationem signi, & sigilli explicant characterem, planè naturam characteris indicare non intendunt, sed munus ad quod à Deo est institutum; vndè etiamsi entitati illi, quæ est tale signum, accidentaliter conueniat, quod sit signum, hoc munus præsertim explicare debuerunt; adhuc tamen verum est Patres indicasse quoq; naturam characteris per quædam prædicata ipsius naturalia, dùm dixerunt esse aliquid indelebile animæ impressum, & similia, quæ illi ex natura rei conueniunt. Ad secundum negatur rursus assumptum, quamuis enim absolutè loquendo potuisset Deus hoc facere per qualitatem ordinis naturalis; congruentius tamen id fecit per qualitatem ordinis supernaturalis, siquidem esse indelebile signum, & significare gratiam, & potestatem illam, & cætera huiusmodi supernaturalia, congruentius conuenit qualitati supernaturali, quàm naturali, semper enim Deus operatur effectus per causas secundas modo connaturaliori. Ad tertium negatur etiam assumptum, talis namque repugnantia iam sufficienter est assignata in probanda secunda conclusione *n. 200.* Ad quartum negatur denuò assumptum, iam enim assignata est congruentia, cur Deus ad talem effectum potius vtatur charactere, quàm quauis alia qualitate; negatur etiam gratiam esse suaptè natura iustificatiuam subiecti, exigentia namque gratiæ, vt habens eam iustificetur, est moralis, non physica, vt latè explicatum est *lib. 2. sentent. disput. 7. quæst. 1. artic. 1. nu. 14.* vbi etiam *numer. 16.* declarauimus, cur hoc non obstante Deus hanc formam potius deputauerit ad hos effectus supernaturales præstandos, quam aliam qualitatem, si eos non præstat ex natura rei. Ad vltimum concessa maiori negatur minor, & repugnantia iam assignata est in probanda secunda secunda conclusione.

Quartò arguunt contrà quartam conclusionem Lugo, 216 Bernal, & alij Thomistæ probando characterem habere rationem potentiæ physicæ erga suos effectus, & non moralis tantùm; quod probant ex modo loquendi Patrum, qui in charactere aliquam virtutem agnoscunt ad suos effectus operandos. Tùm 2. ratione, deseruit enim character in ordine ad Angelos, vt viso charactere specialem curam habeant illuminandi, protegendi, & gubernandi, quos vident habere signum Dei in frontibus suis, vt inquit D. Basilius; mouetur etiam Deus ab eo charactere viso ad conferenda auxilia, & gratias in ordine ad actiones illas, ad quas per tale sacramentum destinatur specialiter homo, & in hoc sensu dicitur homo armari, & instrui charactere, quatenus character mouet Deum ad dandam illuminationem, & arma spiritualia; Tùm tertiò, quia potest etiam dici potentia physicà in ordine ad resistendum, quia exigit, quod tentationes internæ, & externæ vel impediantur, vel minuantur, quos effectus licet non operetur physicè, tanquam causa efficiens physica, operatur tamen per exigentiam physicam, qua illos exigit per modum quasi causæ formalis physicè. Tùm quartò, quia Sacerdos mediante charactere actiuè, & physicè absoluit, & Eucharistiam consecrat; ergò est potentia actiua physica. Tùm tandem, quia illa dicitur potentia physica, qua sublata actus redditur nullus, & qua posita actus est efficax; Sed ablato charactere vanè recipiuntur, & traduntur sacramenta, vt constat ex dictis; ergò character est potentia physica.

Respõdetur auctoritates Patrum à Lugo adductas de potestate morali posse intelligi, cùm enim non determinent de qua potestate loquantur physicanè, vel morali, tam benè de morali intelligi possunt, quàm de physica. Ad secundum negatur characterem ex natura sua physica habere vim mouendi Deum, & Angelos ad illa auxilia præstanda, mouet enim solùm, quatenus est signum ex instituto, vt suprà declaratum est, eo modo quo hædera vim habet mouendi homines ad vinum emendum, vbi vini venalis signum est institutum. Ad tertium dicendum est, per ipsum characterem significari solùm, quod aliquis sit famulus, vel miles Christi, aut habens potestatem ordinatorum, non autem per illum constitui formaliter talem; quod si quis contendat per characterem non solum hæc significari, tanquam per nudum signum, sed etiam constitui formaliter talem; sicut sacramentum non solùm significat, sed etiam causat gratiam cum hoc discrimine solùm, quod sacramentum sit causa efficiens, character verò causa formalis tantùm; adhuc dicemus hoc concesso non habere characterem esse causam talem ex natura sua physica, sed ex instituto, & ordinatione Dei, & consequenter non erit, nisi causa formalis. Ad quartum patet solutio ex dictis suprà de Sacramentorum causalitate, vbi ostendimus, neque Sacramenta, neque eorum Ministros esse causas physicas gratiæ, sed tantùm morales. Ad vltimum negatur maior, quia illud etiam conuenit potentiæ morali. 217

Quintò arguunt, contrà quintam conclusionem, quod 218 non benè character ponatur in secunda qualitatis specie, quia sub hac specie Aristot. solùm locat potentias naturales, & congenitas, non autem ab extrinseco infusas; Deindè character non est physica potentia, sed tantùm moralis, vt dictum est, qualis est Regia, vel Papalis, in hac autem specie so-

solùm locantur potentiæ physicæ. Demum character baptismi ad nullam ordinatur actionem, sed solùm ad receptionem Sacramentorum; sed ad qualitatem de secunda specie non sufficit, quod ordinetur ad recipiendum, quia debet esse potentia actiua, non passiua.

Respondet Doctor, quod estò Philosophus ibi non loquatur, nisi de potentia naturali exemplificando, tamen potentia supernaturalis si est absoluta, & accidentalis, & spiritualis, benè potest pertinere ad idem genus intermedium sub qualitate cum potentia naturali, sicut & habitus supernaturalis ponitur pertinere ad idem genus intermedium cum habitu naturali. Ad secundum constat ex dictis suprà *numer.* 206. accedit posse etiam characterem dici potentiam physicam respectu quorundam actuum, quatenus, scilicet, causat notitiam Christiani, vel Sacerdotis, aut confirmati in intellectu proportionato, scilicet, Angelico, vel humano separato, & physicè distinguit habentem ipsum ab eo, qui ipsum non habet, vt patet ex dictis *numer.* 213. Ad tertium licet per characterem baptismalem solùm ordinetur homo ad receptionem sacramentorum, potest tamen hæc ipsa ratione dici, quod ordinetur ad aliquam actionem, & operationem, quatenus sacramentorum susceptio multas inuoluit operationes; siquidem cum talis susceptio voluntaria esse debeat, debet pariter eo ipso inuoluere aliquem voluntatis actum; quarè character baptismalis reddit hominem aptum, & idoneum ad huiusmodi actiones exercendas, quatenus vtiles sunt ad receptionem sacramentorum, & fructus eorum.

219 Postremò arguunt, quod neque in prima specie benè reponatur character in esse physico consideratus, vt dictum est in eadem quarta assertione, non enim benè dicitur habitus, quia deberet esse causa aliquorum effectuum, qui tamen non assignantur; nec etiam benè diceretur dispositio, siquidem non assignatur ad quid disponat, non enim disponit ad gratiam, quia hæc immediatè recipitur in anima, neque ad alios effectus. Deindè, quia melius poneretur in tertia specie, nam character est quoddam lumen spirituale animæ, ergò pertinet ad tertiam speciem, sicut ad illam pertinet lumen corporale. Tandem quia non minus benè pertineret ad quartam, nam character est quædam figura spiritualis; ergo ad eam pertinet, ad quam spectat figura corporalis.

220 Respondet Doctor, quod potest in prima specie reponi sub habitu, quatenus est de difficili mobilis, & haberet suos effectus, tùm in genere causæ formalis, quatenus configuraret, signaret, & sigillaret; tùm etiam in genere causæ efficientis saltem moralis, quia exigeret moraliter determinata auxilia, & adiutoria, vt suprà declaratum est; potest etiam reponi sub dispositione, quatenus disponit ad gratiam per modum formæ præuiæ ob perfectionem gratiæ, quo pacto forma prior, sine qua non reciperetur posterior, dicitur dispositio ad illam, vt dictum est *disp. 7 log. quæst. 3. artic. 3. num.* 119. Ad 2. solet responderi qualitates tertiæ speciei debere esse corporeas, & sensibiles, ac proindè characterem ad hanc speciem pertinere non posse; Sed quia loc. cit. quasdam etiam spirituales qualitates ad tertiam speciem pertinere diximus, potius dicendum est ideò characterem ad eam speciem non pertinere, quia ratio qualitatis tertiæ speciei, vt ibi dictum est, consistit in hoc, quod perficiat subiectum in ordine ad seipsum per modum cuiusdam ornatus, & perfectionis ipsius, non in ordine ad aliquam operationem; ideoque cum character sit spiritualis quædam potestas ad operationem ordinata, non erit qualitas tertiæ speciei.

Ad 3. inquit Doctor rationabiliter hoc asseri non posse, quia nihil collocatur in genere per proprietates metaphoricas sicut est ista characteris in anima, alioquin Christus esset verè in genere substantiæ inanimatæ, quia dicitur petra; tùm quia secundum communem sententiam cùm figura sit modus quantitatis, propriè non dicitur figura, nisi solùm corporea, & ideò cùm character sit forma quædam spiritualis, ad quartam speciem qualitatis pertinere non potest.

ARTICVLVS QVARTVS.

Resolutio Quæstionis quoad alteram partem.

Altera pars quæstionis erat, quodnam sit subiectum characteris & vt constat ex ipso quæsiti titulo, quæstio non est de subiecto remoto, quia hoc solùm potest esse homo, qui solus est sacramentorum capax, & effectuum ipsorum, inter quos est character; sed tota difficultas est de subiecto proximo, & immediato, quod appositè addo, quia loquendo de subiecto proximo, vt à remoto condistinguitur, certum est tale subiectum esse animam, sic enim definitur in Concilio Florentino in decreto fidei, & Trid. *sess. 7. can. 9.* dum dicitur, *Si quis dixerit in tribus sacramentis Baptismo, scilicet, Confirmatione, & Ordine non imprimi characterem in anima, anathema sit*; Quia tamen in anima distinguimus essentiam, & duas potentias, scilicet, intellectum & voluntatem, quæstio est inter Theologos, vbinam proximè, & immediatè subiectetur character, an in ipsa animæ substantia, an in aliqua ex eius potentijs; Et quidem cùm anima sit spiritualis, atque indiuisibilis substantia, & omnes eius potentiæ sint idem realiter cum illa, vt in lib. de Anima contrà Thomistas sancitum est, certum est ipsam totam esse characteris subiectum inhæsionis; vndè in sententia nostra non est tanta difficultas in hoc puncto, quanta est in sententia Thomistarum potentias animæ realiter ab ipsa distinguentium; siquidem apud nos hæc sola remanet difficultas, an character subiectetur in anima sub ratione formali animæ, an potius sub ratione formali intellectus, vel voluntatis; cum alioquin gratis fateamur eãdem realiter formam esse animam secundum vnam formalitatem, & considerationem, intellectum secundum alteram, & voluntatem secundum aliam. 221

Quamuis autem Poncius ex nostris hac ratione difficultatem hanc paruipendat *disp. 41. q. 8. in fine*, imò dicat probabilius videri, quod character subiectetur in anima sub ratione animæ, quandoquidem non sit principium vllius operationis intellectus, aut voluntatis, & non magis exigat auxilia conferri vni ex illis potentijs, quàm alteri; Nihilominus à sententia Doctoris recedendum non est, & dicendum cum ipso *4. d. 6. qu. vltima*, characterem immediatè subiectari in voluntate, seù subiectari in anima sub ratione formali voluntatis; quod ibi probat ratione satis euidenti, quia si character est signum, vel fundamentum obligationis animæ ad Deum, rationabile est, quod ponatur in illa potentia, cuius est primò obligari, vel esse rationem obligandi: talis autem est voluntas, quia præcisè per eius actum aliquis se obligat principaliter; illa enim, quæ concurrunt ibi ex parte intellectus, vel alterius potentiæ in homine, non sunt, nisi quædam preambula ad firmum velle, quod est rationabiliter proponere, vel vouere, vel quædam signa manifestatiua illud esse firmum. 222

Respondent Aduersarij negãdo characterem esse signum obligationis, & voluntatem esse potentiam, in qua contrahitur obligatio, quo etiam dato non benè adhuc deducitur consequentia, quia non oportet signum obligationis poni semper in voluntate, sed ibi, vbi videri possit, vt contingit in signo seruis imposito, quod magis habet locum in charactere sacramentali, qui non semper suscipitur liberè, vt constat in infantibus baptizatis, & confirmatis, & qui possent etiam ordinari antè vsum rationis.

Hanc tamen euasionem benè præcludunt nostri Faber, Brancatus, & alij, irrationabiliter enim omninò negatur signum militiæ Christianæ, & adoptionis in Christi familiam esse signum obligationis, & non inducere obligationem, vt constat de signo seruis imposito, quod planè obligationem seruitutis inducit; Et adhuc irrationabilius negatur voluntatem esse potentiam, per quam contrahitur obligatio; etenim homo nõ obligatur, nisi per voluntatem, qua ab homine seclusa, planè foret homo obligationis incapax, & quamuis necessarium non sit poni semper signum obligationis in voluntate, vt constat de signo seruis imposito; certè rationabilius, & congruentius videtur ponendum esse tale signum in potentia obligationis contractiua, quàm alibi, quando commodè id fieri potest, & si posset Dominus mancipium suum in voluntate ipsa signare, vtique id faceret; quia ergò est in libera Dei potestate characterem imprimere, vbi sibi libuerit, planè congruetius erit, quod in vo- 223

lunta-

luntate ponatur, quæ est regina potentiarum, & potentia obligationis contractiua, & principium omnis actus meritorij. Nec suffragatur, quod de infantibus baptizatis addit Cardinalis de Lugo; quia possunt infantes obligari voluntate Fratrum, & Curatorum; alias Adamo peccante posteri non coruissent, neque votum publicum à Magistratu, & Communitate contractum solui deberet à plebe, & satisfieri, quæ omnia constar esse falsa.

224 Deindè idem probat Doctor alia ratione satis probabili, quia dispositio, & forma, ad quam est dispositio, ponuntur in eodem subiecto; ergò cùm gratia, & charitas ponantur in voluntate, tanquam in subiecto, sequitur characterem quoque debere in voluntate locari, tanquam in proximo, & immediato subiecto, cùm sit dispositio ad gratiam sacramentalem.

Respondent rursus, negando gratiam esse in voluntate, vel esse idem cum charitate, vel characterem esse dispositionem ad gratiã, & licet esset dispositio, posse esse adhuc in diuerso subiecto, vt actus fidei disponit ad actum charitatis, qui est in voluntate, & actus supernaturales disponunt ad gratiam, quæ est in essentia animæ; & ratio est, quia istæ sunt dispositiones morales, non verò ex natura rei, de quibus tantùm verificatur dictum illud, quod forma, & dispositio ad illam ponuntur in eodem subiecto. Sed gratiam non esse virtutem à charitate distinctam, & immediatè subiectari in voluntate iam ex professo docuimus *lib. 2. sent. disp. 7. de iustificatione qu. 6. artic. 2.* Et quando Doctor inquit characterem esse dispositionem ad gratiam, planè non intelligit esse dispositionem necessariam, & ex natura rei, itaut gratia nequeat sine charactere produci, quia tunc necesse esset omnia sacramenta imprimere characterem, cùm omnia conferant gratiam; sed intendit tantùm characterem esse dispositionem gratiæ *in illis* sacramentis, qua characterem imprimunt, & hoc ex institutione diuina, quæ in huiusmodi sacramentis voluit formam imperfectiorem ipsam gratiam præcedere, quod congruum fuit propter peculiarem gratiæ excellentiam per illa sacramenta collatæ, & naturam illorum sacramentorum; & licet character non sit dispositio ex natura rei ad talem gratiam, sed tantùm moralis, & ex voluntate Dei sic ordinantis, adhuc probabilius est, & congruentius, quod ponatur in eodem subiecto cum forma, ad quam est dispositio.

225 Denique probari potest, quia etiamsi character non sit potentia physica, aut physicè operatiua, est tamen potentia moralis reddens homines aptos, & idoneos ad exercendos actus pertinentes ad recipienda, vel ministranda sacramenta, qui actus immediatè, & principaliter exercentur à voluntate, siquidem per actus sacramentales debitum honorem Deo reddimus, qui est actus Religionis, quæ est virtus ad voluntatem pertinens, cùm sit pars iustitiæ, quam omnes Theologi docent in voluntate collocari.

Respondent actus huiusmodi exerceri immediatè ab intellectu, & voluntate medijs auxilijs, quæ Deus confert ad tales actus; huiusmodi verò auxilia pertinent ad intellectum, & voluntatem, & præcipuè ad intellectum, à quo incipit sancta cogitatio, seu gratia excitans, quæ est primum auxilium, atque ità concludunt characterem, si in potentiis animæ collocetur, vel in vtraque adæquatè collocari debere vel præcipuè in intellectu; nam character ordinatur ad efficiendam fidei professionem per susceptionem, vel administrationem sacramentorum, vel confessionem fidei coram infidelibus, atque ideò statui debet in eodem subiecto, in quo est fides, nempe in intellectu.

226 Cæterum non posse characterem in vtraque potentia collocari ex eo constat; quia nõ componitur ex duabus partibus, neque potest vna simplex, & indiuisibilis qualitas in duplici subiecto immediatè distrahi; sed vel in substantia ipsa animæ immediatè reponi debet, vt aiunt Recentiores, vel in altera ta ntùm potentia; & probabilius est hanc esse voluntatem, quàm intellectum, licet enim character ad efficiendam fidei professionem ordinetur, quæ est actus intellectus; adhuc tamen potius in voluntate poni debet, quam in intellectu, quia ab ea oritur voluntas credendi, & protestatio fidei, & ea voluntate posita sequitur necessario assensus, vel professio externa fidei; vndè protestatio fidei est actus à voluntate imperatus, sicut & ipse assensus internus, neq; alio modo potest esse actus humanus, & meritorius, vt enim inquit Augustinus, *cætera potest homo nolens, credere vero non nisi volens*, quarè omnis fidei assensus necessario à voluntate dependet, in qua præcedere debet pia credibilitatis affectio, vt dictum est *lib. 3. sent. disp. 6. qu. 8. & 9.* Cùm igitur primùm principium actus credendi sit voluntas, ac etiam omnis moralitatis, & meriti, in ea potissimum requiritur auxilium ad volendum efficaciter assensum, vel protestationem, & consequenter in ea potissimum quoque statui debet dispositio ad tale auxilium, qualis dicitur esse character.

Sed vrges; antecedenter ad imperium assensus, & protestationis fidei requiritur consideratio obiectorum fidei; & consequenter antè huiusmodi imperium indiget intellectus auxilio ad considerandum obiecta, quæ voluntati proponit, & posteà ad assentiendum; ergò character, qui ex institutione diuina affert ius ad talia auxilia habenda, potiùs in intellectu collocandus est, quam in voluntate, vel in vtraque potentia.

Resp. gratis concedendo intellectum indigere auxilio ad contemplationem obiectorum fidei, & eorum assensum; cæterum cùm assensus, qui ab intellectu producitur, à voluntate imperari debeat, vt sit humanus, & meritorius, ac pariter continuatio, & perseuerantia, & reflexio ad eadem obiecta prius cognita; character ius afferens ad auxilia pro his actibus necessaria conuenientius in voluntate videtur collocandus, tanquam in potentiarum regina, & in principio imperatiuo actuum, qui ab alijs efficiuntur potentijs. 227

In oppositum arguunt, Primò, quia character principaliter ex sua ratione, & quidditate habet consignare animam, sed hoc non tam pertinet ad potentias, quam potius ad essentiam animæ & ipsius substantiam, ergo &c.

Confirmatur, quia etiamsi habitus acquisiti, vel infusi non recipiantur immediatè in anima, sed in potentijs, non debet id de charactere affirmari, nam habitus dantur ad cooperandum cum tali potentia; character verò cùm non sit qualitas operatiua, sed data potissimum ad perficiendum, & ornandum subiectum, non procedit in illo eadem ratio, quæ in habitibus acquisitis; vel infusis. Demum, character quatenus dicitur potestas, se habet quasi potentia, sed potentiæ sunt in essentia animæ immediatè; ergò character potiùs est in essentia animæ quàm in potentijs.

Respondetur argumentum vrgere Thomistas potentias animæ realiter ab ipsa distinguentes, non verò contrà Scotistas, qui eas cum animæ substantia realiter identificant, & ideò si aliquam consignat character potentiam, opus est, vt eo ipso substantiam quoque animæ consignet, cum qua realiter est eadem.

Ad Confirm. negatur characterem esse nudum signum datum præcisè ad perficiendum, & ornandum subiectum; quamuis enim non sit potentia physica, aut physicè operatiua, est nihilominus potẽtia moralis reddens homines aptos, & idoneos ad exercendos actus pertinentes ad recipienda, vel ministranda sacramenta, qui actus ad Religionem spectant, cùm per eos debitum honorem, & cultum Deo reddamus, ideòque cùm talis virtus ad voluntatem spectet, congruentiùs character in ea collocabitur, qui in eius actus inclinat, quàm in intellectu, vel in nuda animæ essentia. Ad vltimum, potentiæ animæ naturales vtique immediatè in animæ substantia subiectantur, vel potius sunt idem cum animæ essentia, character verò est supernaturalis potentia moralis, quæ se habet veluti habitus, vt suprà dictum est, atque ideò in potentia est collocandus.

Deindè arguunt Thomistæ, quod character sit potius in intellectu, quàm in voluntate; nam character ordinatur ad protestandam fidem, sed fides est in intellectu, ergo etiam character. Confirmatur, quia character est lumen quoddam spirituale, vt constat ex modo loquendi Patrum, sed lumen debet esse in intellectu, vt illum illuminet, ergo &c. Tandem character est quoddam signaculum, quo insignitur anima ad suscipiendum, vel tradendum alijs ea, quæ pertinent ad diuinum cultum; sed diuinus cultus consistit in actibus intellectus, & voluntatis, & præcipuè in actibus intellectus, ex quo incipiunt omnes aliæ operationes; ergò dicendum est characterem esse in his potentijs, & præcipuè in intellectu. 228

Respondeo argumentum potius probare oppositum, quod nempè character sit in voluntate, à qua oritur voluntas credendi, & profitendi fidem, vt dictum est supra num. 226. tum quia operationes sacramentales, ad quas character inclinat, licet fidem præsupponant in operante, non tamen sunt fidei, sed religionis protestationes, quæ est habitus volun- 229

voluntatis; tùm tandem quia neque actus ipse fidei est moralis, & meritorius, nisi à voluntate sit imperatus; & multò minus protestatio fidei, quæ fit per actus sacramentales, siquidem non ab intellectu, qui alijs potentijs imperare non potest, sed à voluntate sola imperatur.

Ad Confirmationem character dicitur lumen metaphoricè solùm, non verè, & propriè, quatenus, scilicet, sigillando tale subiectum indicat illud deputatum esse per tale signum Christi domesticum, vel Militem, vel Ministrum, quo pacto etiam character serui alios illuminat, vt illum agnoscant esse seruum, nec tamen recipitur in intellectu serui; cùm igitur character sit signum, quod alijs manifestat statum meum, non ob id opus est, vt recipiatur in intellectu meo; potest etiam dici lumen, quatenus affert titulum, & ius morale ad diuinas illustrationes habendas in ordine ad exequendum tale, vel tale munus, & neque ex hoc capite opus est, vt recipiatur in intellectu. Ad vltimum, hoc etiam, potius probat oppositum, nam si character ad actus cultus, & religionis est ordinatus, huiusmodi actus primò, & per se à voluntate causantur, siuè elicitiuè, siuè imperatiuè, & actus ipse fidei non est moralis, nec meritorius, nisi à voluntate imperatus, vndè patet omninò falsam esse minorem, vt constat ex dictis num. 226. & virtus Religionis ad voluntatem pertinet, non ad intellectum, cùm sit pars iustitiæ, vt dictum est *lib.3.sent. disp.7.* non igitur character est in intellectu, quia licet cultus Dei sit protestatio fidei, non tamen formaliter spectat ad voluntatem, sicut virtus Religionis, quæ habet pro obiecto, & exercitio suo cultum Dei, non est in intellectu, sed in voluntate. Dices, character est signaculum fidei Christianæ, ergo est in intellectu, vbi est fides. Nego consequentiam, nam etiam Crux in Equite est signum Christianæ militiæ manibus exercendæ, & tamen Crux manibus non imponitur, sed in pectore geritur; sic ergò pariter poterit esse character signaculum fidei Christianæ, quæ est in intellectu, licet ipse non sit in intellectu.

230 Hic disputari solet, an sacramenta veteris legis characterem impresserint, & communis opinio negat eo nixa fundamento quod omnia illa sacramenta à ratione veri sacramenti defecerint; Scotus verò è contrà 4. *dist.6. quæst.9.* in solutione primi concedit impressum fuisse characterem per Circumcisionem, quæ fuit verum sacramentum legis scriptæ, vt constat ex dictis superiùs *quæst.* 2. & sequuntur omnes Scotistæ, vno excepto Hiqueo, qui ibidem in Commentario oppositum iudicat probabilius, & magis de mente Patrum; hoc autem probat Doctor, quia Circumcisio in lege scripta ità erat ianua salutis, sicut baptismus in noua, & ita distinguebat familiam Dei, & Messiæ, quem circumcisi credebant aliquando venturum, sicut modò baptismus; & ità per Circumcisionem ex opere operato cōferebatur gratia, sicut modo per baptismum, vt dictum est *quæst. 2. cit.* quarè sicut baptismus his de causis characterem imprimit, ita à pari dici potest impressum fuisse per Circumcisionem; Et hoc idem, & eadem ratione affirmari potest de remedio legis naturæ contrà originale, quod etiam perseuerauit in lege scripta quia alias fœminæ non æquipatarentur masculis in donis supernaturalibus, si per circumcisionem collatus fuisset character, & non per ipsum.

Sed vrgent, quia alioquin circumcisus non esset baptizandus, quod est falsum, quia neminem excepit Christus, cùm dixit, *nisi quis renatus fuerit ex aqua &c.* sequela probatur, quia duo accidentia eiusdem rationis nequeunt esse simul in eodem subiecto, & baptismus nihil causaret, quia inuenirent causatum.

Confirmatur, quia per circumcisionem non adscribebatur aliquis in familiam Christi, sicut fit per baptismum; ergò non debet characterem imprimere, sicut baptismus. Tandem quia Patres Græci non tribuunt Circumcisioni aliam obsignationem, quam externam, quam recipiebant, inquit Chrisostomus, more pecudum, & per hoc opponunt eam baptismo, qui dat internam.

231 Ad primam negat Doctor consequentiam, & ad probationem inquit, quod posset concedi illum characterē à Circumcisione impressum esse eiusdem rationis cum charactere baptismi, ac etiam alterius rationis; si concedatur fuisse eiusdem rationis, dici posset, quod non imprimeretur character in circumciso baptismum suscipiente, quia tale subiectum nō esset in potentia ad talem formam, sed in actu seruandum illam; neque id esset absurdum, quia baptismus natus est causare in subiecto capaci, cuiusmodi non esset iam habens characterem; sicut si baptismus inueniret gratiam summam, vt fuit in Beata Virgine, inquit Doctor, quod non causaret aliam, neque ob id esset falsum signum, quia significaret gratiam præsentem, & causatam; Si verò dicatur characterem Circumcisionis differre à charactere baptismi, sicut imperfectum à perfecto, sicut gratia baptismi, differt à gratia Circumcisionis, tunc circumcisus posteà baptizatus nouum characterē non susciperet, sed per baptismū in eo perficeretur character Circumcisionis anteà impressus. Ad Confirm. negatur antecedens, quia adscribebantur circumcisi in familiam Dei, & Messiæ, qui est Christus, quem credebant aliquandò venturum, vt dictum est. Ad vltimum ex Patribus respondet ipse Hiqueus hanc partem sustinendo, quoad differentiam obsignationis inductam inter Circumcisionem, & baptismum, magis ipsos intendere illam signationem, quæ est per gratiam, quam probabant contrà Iudæos, non datam fuisse in Circumcisione, sicut modò datur per baptismum, eo modo, quo explicauimus suprà *quæst.2.cit.num.86.*

QVÆSTIO SEXTA.

An potuerit homini, vel Angelo communicari potestas instituendi sacramenta.

232 Certum est inter Catholicos omnia sacramenta nouæ legis fuisse à Christo Domino immediatè instituta, ità enim definitum fuit in Conc. Trident. *sess.7. can. 1. de sacramentis in communi,* vbi habet, *Si quis dixerit sacramenta noua legis non fuisse omnia à Iesu Christo Domino nostro instituta, anathema sit.* Hoc autem ità intelligi debet, vt Christus Dominus, qua Deus, tanquam causa principalis, & qua homo tanquam causa immediatè determinans signa illa sensibilia septem, & tanquam merens, vt Deus ijs mediantibus concurreret ad conferendam gratiam efficaciter, & infallibiliter, instituerit immediatè omnia nouæ legis sacramenta. Ex quo infertur solum Deum esse causam principalem effectus interioris sacramenti, scilicet, gratiæ, & characteris; Christum verò, vt hominem, esse causam principalem meritoriam illius effectus, efficientem verò ministerialem ex commissione Dei; Et denique Ministrum esse causam instrumentalem, & ministerialem, quatenus conferendo sacramenta ex institutione, & commissione Christi, applicat suscipienti merita ipsius, & virtutem diuinam eis annexam, quæ interius operatur illos effectus.

Quando itaque hic quæritur, an creaturæ possit communicari potestas instituendi sacramenta, non est quæstio de potestate illa principali, & excellenti, quæ conuenit Deo ratione Deitatis, & quam habuit Christus ratione Deitatis; hæc enim eo modo, & cum ea independentia, & superioritate, & auctoritate, quæ est in Deo, non potest vllo modo creaturæ communicari; Quarè Theologi omnes fatentur implicare, Deum creaturæ communicare potestatem, qua instituat sacramenta tanquam causa primaria effectus eorum, nimirum, vt vis moralis, quam habent sacramenta producendi gratiam, primariò, & principaliter nitatur virtute, & auctoritate illius creaturæ; quia aut talis creatura deberet virtute sua physicè tunc producere interiorem sacramenti effectum, aut saltem suo imperio ad hoc diuinam applicare virtutem, veluti sibi subiectam, quorum vtrumque manifestè implicat. Quæstio igitur est de potestate ex commissione, seu ministeriali, & participata, quam habuit Christus, inquantùm homo seu humanitas Christi Domini, an, scilicet, illa possit alteri puræ creaturæ communicari, siquidem quoad hoc eadem est difficultas de humanitate Christi, nulla enim ratio repugnantiæ afferri potest in ordine ad alias naturas creatas, quæ non procedat etiam respectu humanitatis Christi. 233

In qua controuersia duæ sunt oppositæ sententiæ; Prima negatiua, quam defendit Scotus 4. *dist.2. quæst.1. & dist.1. q.3.* Gabriel, Durandus, Vasquez *disp.135. cap.2.* Altera affirmatiua, quam dicunt fuisse D. Thomæ *q.64. art.4.* & sequuntur Suarez *disp. 12. sec. 2.* Card. de Lugo *disp. 7. sec. 2.* Amicus, Caspensis, Auersa, Orlandus, & alij Recentiores passim, qui tamen omnes aduertunt controuersiam hanc esse potius de nomine, quàm de re eo; quod Auctores vtriusque senten- 234

sententiæ in hoc conuenire videntur, quod possit vel potuerit Deus alicui puræ creaturæ communicare potestatem ad designandam aliqualem rem, vel materiam sensibilem, vt sit signum gratiæ, imò & causa ipsius, ac per consequens, vt sit sacramentum: in hoc enim nulla cernitur repugnantia, quia potest Deus alicui dicere, si tu volueris, quod aliqua signa sensibilia significent, & conferant gratiam infallibiliter, ego id totum pono in tua voluntate, & potestate, & volo, quod dent gratiam; Et planè hoc rationabiliter ab vllo negari posse videtur, quia potest Deus sua libera voluntate, & promissione obligare se alicui ad concurrendum cum signis, & rebus ab ipso institutis, sicut modò concurrit cum sacramentis a Christo institutis, siquidem in hoc nulla prorsus apparet repugnantia; Cùm, inquam, Auctores vtriusque sententiæ in hoc conueniant, remanet sola difficultas, an hic homo ratione talis potestatis diceretur simpliciter instituere sacramenta, quod prima sententia affirmat, & secunda negat, quam proindè dicunt esse de sola voce quæstionem, quid nimirum significetur per institutorem, & auctorem sacramentorum; quamuis Brancatus noster *disp.7. art.3.* contendat esse quæstionem etiam de re.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæstionis Resolutio negatiua.

235 IN hac controuersia Poncius ex nostris *disp.41.q.6.* existimat dicendum esse, quod neque à Deo solo instituerentur sacramenta in tali casu, neque ab homine solo, sed ab vtroque, sed à Deo magis principaliter, quia neque volitio diuina sufficeret, vt baptizatio illa conferret gratiam, nisi institueretur ab homine; neque ab institutione hominis sola haberet id facere, nisi præcessisset voluntas illa diuina; ergo vt baptizatio illa esset sacramentum, requiritur & voluntas diuina, & institutio hominis, & consequenter nec Deus est sola causa, nec homo, sed vterque integrat causam totalem; sed quia Deus est, qui dat efficaciam conferendi gratiam; & quia est etiam, qui dedit auctoritatem homini instituendi, quæ vellet signa, ipse sine dubio ex duobus est causa maximè principalis. Verùm hic dicendi modus cum Recentiorum sententia prorsus coincidit, nam ipsi quoque dicunt, quod in eo casu licet primus Auctor institutionis sacramentorum esset Deus, secundarius tamen, & delegatus esset creatura, dependenter à qua Deus efficaciam daret signo ab ipsa instituto, quia non solum instituere dicitur, qui propria auctoritate, & à se rem statuit, atque incipit, sed etiam qui communicata sibi potestate rem inchoat, & contendunt institutionem possibilem fieri à creatura modo explicato esse in rigore, & propriè institutionem sacramentorum: ità Amicus *loc. cit. num.* 19. & Card. de Lugo *num.* 24.

236 Dicendum tamen est, quod siuè hæc sit quæstio de nomine, & modo loquendi, siuè etiam de re, in eo casu quo Deus sua libera voluntate, & promissione obligaret se alicui ad concurrendum cum signis, & rebus ab ipso determinatis, ipse solus propriè loquendo dicendus esset eorum sacramentorum Auctor, & Institutor, non autem creatura; ità quod non potest Deus alicui creaturæ communicare potestatem instituendi sacramenta propriè, & completè, sed quælibet institutio, quæ fieret à creatura, esset impropria, & incompleta. Ità colligitur ex Scoto *cit.4.d.1.q.3. §. de secundo dico,* & probatur Primò ex doctrina eius ibidem, illius propriè est sacramentum instituere, cuius est non tantùm signum imponere, sed etiam efficaciam illi ad producendum id, quod significat conferre, sed solus Deus potest efficaciam conferre ad producendum id quod sacramentum significat; ergò solus Deus potest propriè loquendo sacramentum instituere; Maior probatur, quia in his duobus sacramentum essentialiter consistit, vt sit signum aliquod ad significandam perfectam animi sanctitatem, & vt simul annexam habeat infallibilem certitudinem de significato ponendo; Minor quoque probatur, nam dare efficaciam sacramento ad producendum id, quod significat, est sacramento assistere ad gratiam significatam infallibiliter ponendam; cùm igitur solus Deus sit Auctor gratiæ; nec possit ab vlla creatura ad eam infallibiliter causandam induci, solius Dei erit efficaciam sacramento conferre, & consequenter sacramentum propriè instituere.

237 Respondent distinguendo minorem cum eius probatione, quod solius Dei est conferre efficaciam sacramento primaria, & principali auctoritate; id autem facere potestate secundaria, delegata, & ex commissione Dei, potest etiam creaturæ conuenire, quod sufficit, vt dicatur verè, & propriè sacramentum instituere; quia non solùm instituere dicitur, qui propria auctoritate, & à se rem statuit, atque inchoat; sed etiam qui communicata sibi auctoritate rem statuit, & incipit; ità autem eueniret in casu posito, quod Deus creaturæ committeret, vt libera sua voluntate non modò certa signa statueret, sed etiam efficaciam daret, non quidem primaria potestate, sed secundaria, & delegata, itaut omnibus, & nullis alijs signis Deus efficaciam tribueret, quàm quæ talis creatura libera sua voluntate determinaret; itaque ratio Scoti concludit solùm, nullam creaturam virtute propria, & primaria posse instituere sacramenta, cæterum non probat, quod ei competere nequeat ex commissione Dei, & potestate delegata.

238 Hæc tamen responsio argumentum non soluit, quia licet institutio ad significandum simpliciter possit committi creaturæ, non tamen institutio ad certè, & efficaciter significandum, quæ significatio præcipuè est de essentia sacramenti; quia talis institutio non potest fieri, nisi per determinationem diuinæ voluntatis ad assistendum signo producendo effectum signatum, hæc autem determinatio non potest fieri, nisi a Deo: vndè si Deus determinaret se generaliter ad assistendum cuicunque signo per creaturam instituto, & creatura aliquod signum institueret; adhuc institutio illius signi, quatenus certum, & efficax, non est à creatura, sed ex generali determinatione diuina, atque ità solus Deus propriè diceretur illius sacramenti institutor, & auctor, non autem creatura; Dices, determinationem illius signi, etiam quatenus certum, & efficax, esse à creatura, non quidem potestate primaria, & principali, sed secundaria, & delegata. Sed Contrà, quia si talis reuelatio fieret à Deo cum manifestatione obligationis suæ potestatis cuicunq; signo sensibili à creatura determinando; iam illa efficacia signi à creatura determinandi esset totaliter à Deo, neque vlla efficacia expectaretur à creatura, sed sola determinatio signi sensibilis, cui Deus iam obligauit efficaciam, & infallibilem assistentiam ad producendum id, quod significat; ergò licet institutio illius signi sensibilis, vt sic, esset à creatura; tamen in ratione signi certi, & efficacis, quod est de essentia sacramenti, esset solùm à Deo, atque ideò solus Deus illius sacramenti diceretur institutor, & auctor, non autem creatura.

239 Deindè si allata responsio valeret, sequeretur de facto Patres antiquos in lege naturæ, in quorum libertate fuit instituere hoc, vel illud signum originalis peccati deletiuum fuisse illius sacramenti institutores. Respondet Cardin. de Lugo dupliciter posse Deum se habere in delegatione facienda, primò applicando efficaciam signo, quod homo designauerit; secundò dando homini potestatem, vt ipse faciat signum illud efficax; in primo casu non communicat potestatem, sed relinquit homini meram designationem, qui non est actus potestatis; at in secundo communicat potestatem; Primus modus non sufficit, vt homo dicatur instituere sacramentum, sic enim de facto sacramentum Eucharistiæ institutum est in vino albo, vel rubro, Sacerdos autem designans rubrum, non dat illi signo efficaciam, hanc enim Christus dedit; sed solùm eligit hanc potius materiam ex duabus, quibus Christus sub disiunctione imposuit significationem; Sic in sacramento legis naturæ iam erant plures materiæ, seu actiones humanæ sub disiunctione impositæ à Deo ad significandam gratiam, quarè qui vnam ex illis exercebat, non imponebat illi significationem, sed eligebat vnam ex actionibus habentibus iam ex Dei institutione vim significandi; at verò in secundo casu relinqueretur homini, non solùm electio materiæ, sed etiam communicatio efficaciæ, & impositio significationis.

240 At neque hæc responsio satisfacit, quia nequit Deus dare homini potestatem, vt ipse faciat signum impositum efficax, sed tantùm applicare efficaciam signo, quod homo designauerit; ergo &c. probatur assumptum, quia nulli creaturę potest communicari potestas transferendi primò res materiales de ordine naturali in ordinem signi certi, & efficacis; hanc namque certitudinem, & efficaciam præstat solùm Deus ipse per determinationem suę voluntatis assistendi infallibiliter signo sensibili ab homine imposito, & talis determinatio diuinę voluntatis præcedit impositionem signi sen-

sibilis ab homine ponendum: ergo à Deo solo talis efficacia procedit, & non à creatura, quæ tantum signum imponit, cui Deus iam promisit infallibiliter assistere; ergo propria, & rigorosa institutio illius signi, quatenus certi, & infallibilis, quo tantum modo induit rationem sacramenti, ad solum Deum spectat, non verò ad creaturam. Confirmatur clarissimis exemplis, nam si Princeps mihi diceret, quemcunque ex plebe designauetis, volo vt statim sit adscriptus in numerum Senatorum, & Nobilium, si ego eligo Petrum, vel Paulum artificem, institutio Petri in Senatorem, & Nobilem, planè ab ipso Principe recognosci debet, & non à me, ob determinationem ab ipso factam adscribendi in numerum Senatorum quemcunque ex plebe ego designauero; Sic pariter si Confessarius pœnitentiam imponat alicui, vt psalmum vnum recitet de psalterio, quem magis libuerit, certè institutio talis pœnitentiæ, vel satisfactionis Confessario adscribi debet, & non pœnitenti; iam enim talis institutio ab ipso Confessario facta censetur, & à pœnitente sola expectatur electio huius, vel illius psalmi recitandi, & itá discurrendum est de omnibus iurisdictionibus, in quibus institutio fieri potest. Nulli ergò creaturæ dari potest auctoritas, vt ipsa faciat signum sensibile efficax in effectione gratiæ, quia hoc esset facere creaturam Deum; sed tantum creaturę communicari potest facultas eligendi quodcunque signum sensibile voluerit, cui Deus promittat infallibilem suam assistentiam in effectione gratiæ.

241 Confirmatur tota hæc doctrina, quia etiamsi Rex potestatem condendi leges Duci delegaret; adhuc propriè, & in rigore Rex, non autem Dux dicitur legislator; ergò à pari etiamsi Deus potestatem condendi sacramenta creaturę delegaret modo iam explicato, adhuc non Creatura, sed solus Deus diceretur sacramentorum institutor, & Auctor propriè loquendo.

Respondet Amicus *loc. cit.* negando consequentiam, nam potestas leges ferendi est propria Regis incommunicabilis subdito, potestas autem instituendi sacramenta non est itá propria Dei, vt nequeat creaturæ communicari; cuius discriminis ratio est, quia potestas leges ferendi est potestas obligandi subditos in ordine ad bonum commune, solus autem Princeps talem habet potestatem, vndè à quocunque leges condantur, aut promulgentur, semper illæ vim obligandi sortiuntur à voluntate, & imperio Principis, nec possunt ab alio, quam ab ipso Principe vim obligandi obtinere; at verò sacramentum instituere est instituere signum causatiuum gratiæ, non implicat autem creaturæ communicari potestatem instituendi signum causatiuum gratiæ, nam vt dicatur creatura sacramentum instituere, sufficit vt sit causa signi, & gratiæ per signum importatæ, cum sacramenta instituere non sit aliud, quam esse causam sacramentorum, atqui potest creatura esse causa saltem moralis signi, & gratiæ per signum sanctificatæ.

242 At certè paritas assumpta de potestate condendi leges, & instituendi sacramenta omninò est admittenda, si enim potestas condendi leges ideò nequit subdito communicari, & delegari, quia a quocunque leges condantur, vel promulgentur, semper illæ vim obligandi sortiuntur a voluntate, & imperio Principis, nec possunt ab alio, quam ab ipso Principe vim obligandi obtinere; hac eadem prorsus ratione, neque potestas sacramenta instituendi poterit à Deo creaturæ communicari, & delegari, quia in institutione sacramenti præter electionem illorum signorum requiritur in eis efficacia, quam non omnis, qui signa elegit, dare potest, sed solùm qui signa transfert de ordine naturali ad sacramentale, quod importat actum voluntatis efficacem faciendi tale signatum, quod nullus facere potest, nisi Deus; & sicut leges a quocumque condantur, vel promulgentur, semper illæ vim obligandi sortiuntur a voluntate Principis, & imperio, nec possunt ab alio, quam ab ipso Principe vim obligandi obtinere; ita pariter a quocunque signa illa sensibilia eligantur, semper illa vim, & efficaciam conferendi gratiam a voluntate, & imperio Dei sortiuntur, nec possunt ab alio, quam ab ipso Deo talem vim obtinere; Quarè sicut Rex, quando Duci potestatem condendi leges delegat, adhuc propriè, & in rigore loquendo Rex ipse, & non Dux dicitur legislator, Dux verò potius præco, & promulgator legis; ita pariter in proposito, si Deus determinaret se generaliter ad assistendum cuicumque signo per Petrum, v. gr. instituto, & Petrus aliquod signum institueret; adhuc institutio illius signi, quatenus certum, & efficax, non est à Petro, sed ex generali determinatione diuina, atque ita solus Deus diceretur verè, & propriè sacramenti Institutor, & Auctor; Petrus verò esset in eo casu præco, & promulgator noui sacramenti.

Denique nostram assertionem probat Vasquem *loc. cit.* 243 ratione veluti à priori; nam instituere propriè est rem primò statuere, & incipere; ergo ei soli conuenire potest sacramentum instituere, cui conuenire potest illud primò statuere, vel incipere; hoc autem soli Deo conuenire potest, non creaturæ, ergo &c. Minor probatur, nam implicat communicari creaturæ potestatem primo statuendi, vel incipiendi sacramentum, nam quæcunque potestas instituendi sacramentum creaturæ communicaretur, illa à Deo necessariò communicaretur; ergo non creatura, sed Deus, qui primò per talem potestatem creaturæ communicatam sacramentum inchoaret, sacramentum instituere diceretur.

Confirmatur, quia creaturæ alia potestas communicari non potest, quam impetrandi, vt Deus det efficaciam signo a se posito; hoc autem necessariò supponit in Deo decretum, quo statuit, vt cuicunque signo ab homine posito, ipse efficaciam daret, adeoque non creatura, sed Deus diceretur sacramenti institutor.

Respondent negando maiorem, quia non solùm institue- 244 re dicitur, qui propria auctoritate, & à se rem statuit, atque incipit, sed etiam qui communicata sibi potestate rem inchoat, sicut Ecclesia dicitur in rigore, & cum proprietate cæremonias, & ritus instituere, licet id non faciat, nisi ex potestate, quam à Deo accepit; itá homo ille posset similiter dici instituere sacramenta, licet id faceret ex potestate sibi prius à Deo tradita, atque itá creatura potestate sibi à Deo communicata posset in genere causæ moralis secundæ primò sacramenta instituere, & hoc sufficit, vt dicatur sacramentorum institutrix.

Ad Confirmationem concedunt creaturę aliam potestatem communicari non posse, quam moralem impetrandi efficaciam sacramentis, & negant hoc non sufficere, ad causam institutionis sacramentorum; Nec refert, quod hæc potestas supponat in Deo decretum de institutione sacramentorum, nam supponit decretum, non absolutum, sed conditionatum, & dependens à voluntate creaturæ, si hoc, vel illud sensibile signum ordinare voluerit, hoc enim modo tota efficacia sacramenti penderet ex voluntate talis creaturę instituentis huiusmodi signum.

Verùm, quamuis concedamus institutiones quasdam fie- 245 ri posse per potestatem ab alio dependentem, & ad hoc, vt aliquis dicatur simpliciter institutor, non semper opus sit, quod nullo modo acceperit ab alio potestatem id faciendi; vt constat in allato exemplo de institutione rituum, & cęremoniarum in Ecclesia, quia ad hanc, & similes institutiones non requiritur omnipotentia; attamen in institutione sacramentorum, ad quam exigitur omnipotentia, illa conditio necessariò requiritur, nam talem efficaciam illis signis dare nequit, nisi Deus; Nec Creatura, cui Deus subijceret suam omnipotentiam in illa hypotesi, tale esse dare, vt aiunt Aduersarij, quia dare esse efficax sacramentale rei naturali est morale in eo, cui datur, quia nihil physicum ob id ponitur in signo sensibili, qua ratione diximus suprà sacramenta esse signa moraliter efficacia; in eo tamen, qui talem dat efficaciam, est aliquod physicum, & voluntatem supponit omnipotentem. Et quamuis decretum, quo Deus assistere decreuit signis à creatura impositis, non sit absolutum, sed conditionatum, & quodammodo à voluntate illius creaturæ dependens, si nempè hoc, vel illud signum ordinare voluerit; non ob id sequitur totam efficaciam sacramenti à voluntate creaturæ pendere tale signum instituentis; quia licet tunc creatura determinaret signum, non tamen ipsa daret illi efficaciam hoc est, certitudinem, & veritatem significationis, sed hanc haberet ex voluntate, & promissione diuina purificata conditione; atque ideò solus Deus diceretur illius sacramenti Institutor, & Auctor; Sicut si testator instituat hæredem illum, quem Petrus nominauerit ex filijs suis, quamuis hoc decretum non sit absolutum, sed conditionatum, & dependens à voluntati Petri, & nominatione ab ipso facienda, non ob id Petrus posteà nominans vnum ex filijs suis, dicitur propriè illum instituere hæredem, sed tantùm designare, quem testator instituerat vagè.

A R-

ARTICVLVS SECVNDVS.

Satisfit Obiectionibus.

246 IN oppositum arguunt Primò, quia institutio sacramenti nihil aliud est, quàm impositio alicuius rei sensibilis in signum efficax gratiæ; sed purus homo posset ex potestate sibi delegata à Deo instituere aliquam rem sensibilem signum efficax gratiæ; ergò posset sacramentum instituere, licet dependenter à voluntate diuina sibi delegante, & tradente talem facultatem; & hoc non esset tantum determinare materiam sacramenti, & signi, vt ait Scotus; sed verè illud instituere, quia à propria voluntate hominis dependeret impositio signi sensibilis gratiæ, à qua tale signum haberet certitudinem, & efficaciam gratiæ, licet cum dependentia à voluntate diuina. Confirmatur, quia Christus, vt homo, non aliter habuit potestatem instituendi sacramenta, & tamen verè dicitur sacramentorum institutor; ergò potest Deus hanc potestatem alicui creaturæ communicare.

247 Respondeo negando minorem, quamuis enim posset homo ex potestate sibi à Deo delegata instituere aliquam rem in ratione signi sensibilis, & practici, non tamen in ratione certi, & efficacis ad conferendam gratiam, vndè solùm sequitur potuisse Deum communicare creaturæ potestatem instituendi sacramenta quantùm ad determinationem rerum, & verborum, in quibus consisteret, non verò quantùm ad virtutem conferendi gratiam; & falsum omninò est quod in eo casu à voluntate hominis tale signum instituentis haberet illud signum certitudinem, & efficaciam gratiæ dependenter à voluntate diuina: nam talis efficacia simpliciter, & absolutè loquendo à voluntate diuina attendi debet, cùm ipsa sola transferat signa illa sensibilia de ordine naturali in ordinem signi certi, & efficacis, atque ideò ipsa sola dicitur sacramenti institutrix; vt euidenter constat in exemplo allato de testatore hæredem instituente vnum ex filijs Petri; & ab ipso Petro nominandum, hac enim non obstante delegatione Petro facta, adhuc testator propriè, & non Petrus dicitur hæredem instituisse.

Ad Confirmat. negatur consequentia, Christus enim nedùm est homo, sed etiam Deus, & ideò fuit vera, & completa causa sacramentorum institutiua, quia non solùm signa practica determinauit, & nedùm per humanitatem meruit, vt Deus certitudinem daret, & efficaciam signis à se impositis, sed dedit certitudinem eo ipso, quod signa determinauit.

248 Secundò arguunt, quia necessarium non est, vt in eo; qui instituit hoc sacramentum, sit hæc potestas omninò independens à superiori voluntate, & quasi in primo gratiæ Auctore sed satis est, quod tota sacramenti efficacia pendeat ex voluntate creaturæ instituentis huiusmodi signum, quia hæc potestas, quam dicimus communicari posse creaturæ ad instituendum sacramentum, non est primaria, sed secundaria, & delegata; ergò ad illam satis est, vt effectus gratiæ sit etiam positus in voluntate eius, saltem ex delegatione, & commissione.

Confirmatur, nam rem instituere abstrahit à primario, & secundariò instituente, sicut causare abstrahi à causare per modum causæ primæ, & secundæ: tam enim causare dicitur causa secunda virtute sibi à Deo communicata, quam prima virtute propria: sed instituere sacramenta est esse causam sacramentorum: atqui creatura potestate sibi delegata esset vera causa moralis sacramentorum; ergo verè, & propriè esset causa institutrix eorum.

249 Respondetur satis constare ex dictis, talem potestatem secundariam, & delegatam instituendi sacramenta creaturis communicari non posse, quia creaturæ alia potestas communicari non potest, quam merendi, vel impetrandi, vt Deus det efficaciam signo à se posito, hoc autem, vt suprà declaratum est, necessariò supponit in Deo decretum saltem conditionatum, quo statuit, vt cuicunque signo ab homine posito ipse efficaciam daret: ideoque non creatura, sed Deus solus diceretur sacramenti institutor; Tum quia in tali casu creatura ad summum esset causa moralis sacramenti, quod non sufficit, vt dicatur illius institutrix: nam merens, vel impetrans à principe, vt eius intuitu modium frumenti tanti valeat, non ob id rectè diceretur tale pretium instituisse, sed Rex, vel Princeps: Dices in tali casu creatura haberet in sua potestate voluntatem Dei saltem moraliter quia decretum Dei conditionatum de conferenda infallibiliter gratia, si creatura tale signum posuerit, pendet à voluntate creaturæ; ergo verè, & propriè diceretur Auctor illius sacramenti, & Institutor; sicut qui per ignem siluam comburit, dicitur Auctor combustionis.

250 Respondeo negando consequentiam cum eius probatione, quia comburens syluam physicè vtitur igne, non moraliter; creatura autem in casu posito moraliter tantum vteretur voluntate Dei, quatenus Deus illi promisit assistentiam de conferenda gratia, si hoc, vel illud signum posuerit; quarè sicut consulens homicidium, vel precibus impetrans non dicitur illius Auctor, nisi moraliter; sic in proposito creatura ad summum moraliter diceretur illius sacramenti Auctor, non autem verè, & propriè, nec aliud conuincunt rationes Aduersariorum. Ad Confirmationem negatur assumptum, nam instituere ex vi ipsius nominis dicit primò rem statuere, & inchoare, vt dictum est *num.* 243. at causare ex vi nominis non dicit causare per modum causæ primæ, & virtute independenti, sed abstrahit, atque ideò vtrique causæ indifferenter conuenire potest verè, & propriè; qua propter causa secunda respectu suorum effectuum dicitur causa physica, vera, & propria; at creatura respectu institutionis sacramenti diceretur tantùm causa moralis, quod non sufficit, vt dici possit sacramenti institutrix, vt patet in exemplo allato de impetrante à Principe, vt modium frumenti tanti, vel tanti vendatur quamuis enim Petrus, qui à Principe tale pretium impetrauit, sit eius causa moralis, non tamen dicitur illud instituisse.

251 Tertiò arguit Card. de Lugo destruendo fundamentum nostræ sententiæ, quod erat tale, sacramentum instituitur per potestatem, & efficaciam, quam habet ad causandam gratiam, ergo ille solum dici potest instituere sacramentum in ratione sacramenti, qui dat illi talem efficaciam, hanc autem solus Deus potest dare, & non homo, ergo &c. At hæc ratio, inquit ipse, non concludit, quia in prędicto casu homo etiam communicaret sacramento illam efficaciam, supponimus enim, quod Deus dedisset auctoritatem homini, vt sua voluntate posset obligare Deum ad dandam gratiam cum talibus signis; hæc autem obligatio Dei est efficacia, quam habet sacramentum, atque ideò homo, qui in eo casu causaret hanc obligationem in Deo, causaret etiam sacramentum in ratione efficacis. Quarè inquit dupliciter posse Deum se habere in delegatione facienda, primo applicando efficaciam signo, quod homo designauerit; secundo dando homini potestatem, vt ipse faciat signum illud efficax, in primo casu non communicat potestatem; sed relinquit homini meram designationem, qui non est actus potestatis, & in hoc tantum sensu inquit argumenta nostra concludere; at in secundo communicat potestatem.

Confirmat hanc differentiam exemplo, nam Episcopus potest præcipere alicui sub excommunicatione, vt faciat, quod illi Petrus præceperit, in quo casu non dat Petro facultatem præcipiendi sub excommunicatione, sed ipse Episcopus imponit excommunicationem subdito non facienti, quod Petrus designauerit; alio autem modo se habet Episcopus, quando dat alicui facultatem, præcipiendi sub excommunicatione, tunc enim hic delegatus non solum potest designare materiam præcepti, sed etiam imponere censuram, quæ adhuc non erat imposita. Ità ergo in proposito, si Deus ipse imponat significationem, & efficaciam illis signis, quæ homo elegerit, non instituit sacramenta ipse homo, sed solum designat materiam, quam Deus sub disiunctione iam instituit; si verò Deus det homini facultatem imponendi significationem, & efficaciam aliquibus signis, tunc homo exercet actum potestatis, & instituit verè illa sacramenta ex delegatione Dei.

252 Respondeo, iam suprà num. 240. ostensam esse impossibilitatem illius secundi modi, in quo Deus deleget creaturę potestatem, vt ipsa faciat signum illud efficax, tantum enim applicare potest efficaciam signo, quod homo designauerit, non autem facere, quod homo ipse det efficaciam, quia hoc esset facere creaturam Deum; Et supposito etiam, quod Deus dedisset homini auctoritatem, vt sua voluntate possit obligare Deum ad infallibiliter assistendum signis à se positis; non ob id sequitur quod dici possit causare sacramentum in ratione efficacis, & illud propriè instituere, vt constat in exemplis superius addactis; nam si militi, qui se bene gessit in bello, det Rex auctoritatem petendi quicquid

quicquid voluerit, & obliget se dare quicquid petierit; si petat, & obliget Regem, vt filij eius in numerum Senatorum, & Nobilium adscribantur, planè talis institutio à Rege recognosci debet, & non à milite, cui non alia potestas communicata fuit, quàm impetrandi, quod obtineret quicquid à Rege peteret, non autem instituendi, & adscribendi filios suos in numerum Senatorum, & Nobilium, quia talis auctoritas, & potestas solum apud Regem residet.

253 Ad Confirmationem negatur paritas, potest enim vtique Episcopus dare alicui facultatem præcipiendi sub pœna excommunicationis; si ille sit iurisdictionis Ecclesiasticæ capax, ac nequit Deus delegare facultatem creaturæ, vt det efficaciam signis sacramentalibus, quia vt sæpè dictum est, creaturæ alia potestas communicari non potest, quam impetrandi, vt Deus det efficaciam signo à se posito, quæ potestas in creatura non est, nisi moralis; in eo autem qui dat talem efficaciam signis sacramentalibus est aliquod physicum & importat voluntatem tunc efficacem pro omnibus partibus temporis, in quibus illa signa ponentur, ac si tunc essent posita, vt supra dictum est n. 245. quarè cum hæc potestas sit physica, nec principaliter, & excellenter, nec ex commissione, & per delegationem creaturæ conuenire potest, sed soli Deo; vnde sicut ipse solus dicitur gratiæ Donus, & auctor, ità etiam sacramentorum institutor.

254 Quartò vlterius arguit idem Auctor, quia ad hoc, vt aliquis dicatur aliquid instituere, non requiritur, quod nullo modo acceperit potestatem ab alio id faciendi, nec quod alius saltem in communi non habuerit decretum aliquod circa rem illam, sic enim communiter S. Benedictus dicitur Institutor, & auctor sui ordinis, ac regulæ, licet Deus prius fuerit auctor illius consilij; & S. Franciscus, vel S. Ignatius dicuntur auctores suarum regularum, licet vterque ad eas regulas stabiliendas potestatem acceperit à summo Pontifice; potuisset ergo aliquis dici auctor, & institutor sacramentorum, certà Deo potestatem accepisset id faciendi.

Respondetur negando paritatem de institutione Religionum, & sacramentorum, etenim in institutione sacramenti præter signorum electionem, requiritur in eis efficacia, quam non omnis, qui signa eligit, dare potest, sed solum qui est auctor gratiæ; & ad Religionis institutionem nil aliud requiritur, nisi determinatio cuiusdam peculiaris modi viuendi, quam viuendi formam Religionum fundatores ex Euangelio hauserunt, sibique & sectatoribus sequendam, & obseruandam determinarunt, & à Pontificibus solam, vt confirmandam, & approbandam postularunt; ideoque ipsi verè, & propriè suorum Ordinum fundatores, & auctores dicuntur, non autem Pontifices.

255 Quintò tandem arguit auctoritate Ecclesiæ, quæ loquens de institutione Eucharistiæ in hymno festi Corporis Christi inquit *dedit fragilibus corporis ferculum*, &c. *sic sacrificiũ istud instituit*, &c. vbi idem, qui protulit illa verba *accipite, & bibite*, dicitur instituisse sacrificium, & sacramentum; certum est autem, quod illa verba protulit, vt homo, & nequeunt intelligi de Christo, nisi vt homine, sacrificium enim, vt sacrificium, debuit ab ipso offerri, vt homine, nam vt Deus non poterat illud offerre; tùm quia si hæc ab ipso facta fuissent, vt Deo, non nominaretur præcisè Christus, sed tres personæ Trinitatis. Confirmat id Suarez ex Aug. *tract.* 5. in Ioan. vbi dicit, potuisse Christum dare potestatem alicui seruo suo, vt daret baptismum suum, tanquam vice sua, & transferre à se baptizandi potestatem, & constituere in aliquo seruo suo, & tantam vim dare baptismo translato in seruum, quantam vim haberet baptismus datus à Domino.

256 Respondeo, Eucharistiam posse dupliciter considerari, & in ratione sacramenti, & in ratione sacrificij, hoc secundo modo vtique fuit à Christo instituta, vt homine, at sub ratione sacramenti fuit à Christo instituta, vt Deo, atque in hoc sensu intelligenda sunt verba Ecclesiæ loc. citat. neque fuit opus ibi nominari personas Trinitatis; nunquam enim in sacra Scriptura inuenitur, quod tota Trinitas nominetur, vt principium alicuius operis ad extrà, sed semper Deus; *in principio creauit Deus, dixit Deus, vidit Deus*, &c. neque vllum adduci potest Scripturæ, vel Patrum testimonium, quod institutio Eucharistiæ fuerit facta à Christo, vt homine, quoad efficaciam, nisi meritoriè.

Ad Confirmationem nil aliud voluit August. illis verbis significare, nisi quod Christus, vt Deus, potuit alicui homini ità se obligare, & eius voluntati suam omnipotentiam subijcere, vt quibuscunque signis ab eo ponendis dare efficaciam voluerit; vel quod Christus, vt homo, potuit alteri mereri auctoritatem faciendi in baptismo, & cæteris sacramentis, quod ipse faciebat, non autem potestatem simpliciter instituendi sacramenta.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Quæ, & qualis esse debeat intentio Ministri ad sacramenti valorem requisita.

DVo quærit hæc quæstio, & duo supponit; nimirum primò supponit cum Scoto 4. *dist.* 6. *quæst.* 5. & est communis sententia, de facto, & lege ordinaria solum hominem viatorem esse legitimum sacramentorum Ministrum, nam ex institutione particulari cuiuslibet sacramenti constat potestatem illam solis hominibus viatoribus esse collatam, ijs enim dixit *baptizate omnes gentes*, dum instituit baptismum; *hoc facite in meam commemorationem*, dum instituit Eucharistiam, *& quorum remiseritis peccata*, dum instituit pęnitentiæ sacramentum; de possibili tamen inquit Doctor, & ex priuilegio particulari potest sacramentorum esse Minister quilibet ratione vtens, siuè sit Angelus, siuè anima separata, siuè homo beatus, siuè damnatus: qui quidem Minister nullam habet causalitatem in gratiam, quæ producitur per sacramentum, nisi quatenus habet intentionem, & adhibet materiam, & formam, quæ materia, & forma, supposita Ministri intentione, est causa moralis proxima, & totalis gratiæ per sacramentum collatæ. Vndè alterum, quod supponit hæc quęstio, est quod pręter materiam, & formam sit necessaria intentio Ministri, ad valorem sacramenti, vt docet Doctor *loc. cit.* quod quidẽ primò sancitum est in Conc. Flor. in decreto ad Armenos, cùm inquit, *Hæc omnia sacramenta tribus perficiuntur, scilicet, rebus, tanquam materia, verbis, tanquam forma, & persona Ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia*; & posteà in Trid. *sess.* 7. *c.* 11. cùm ait, *si quis dixerit in Ministris, dum sacramenta conficiunt, & conferunt, non requiri intentionẽ saltẽ faciẽdi, quod facit Ecclesia, anathema sit.* 257

Ex quo deducit Card. de Lugo *disp.* 2. *sec.* 7. prædictam intentionem esse per se partem intrinsecam sacramenti, eo quod illa ablata, & manentibus omnibus alijs, non remanet essentia sacramenti, & Concil. Flor. simul cum materia, & forma posuit intentionem Ministri: Cæterùm non est à cõmuni modo loquendi recedendum, quod intentio prædicta non est per se pars intrinseca sacramenti, vt sunt materia, & forma, sed se tenet ex parte causæ efficientis sacramentum, tanquã conditio simpliciter necessaria, nam certè necessaria est quoq; certa potestas, & iurisdictio in quibusdã sacramentis, & in adultis necessariò requiritur intentio suscipiendi sacramentũ, & tamen hæ non dicuntur partes sacramenti intrinsecæ, sed tantùm conditiones quædã necessariæ ex parte causæ efficientis. Et quidem Conc. Flor. simul cum materia, & forma personam quoque Ministri habentis intentionem nominauit, quæ tamen persona non vtique ponitur tanquã pars intrinseca sacramenti, sed tanquam causa effectiua, quarè sic etiam se habebit intentio, vndè sublata intentione tollitur sacramentum, non quia sit pars ipsius intrinseca, sed quia tollitur causa, seu conditio necessaria ex parte causæ efficientis ad ponendum sacramentum. 258

Difficultas autem est, quę, & qualis esse debeat hæc intentio; *quæ* significat obiectum, quod intenditur, vel intendi debet; *qualis* autem appellat modũ intentionis, quæ requiritur, an, scilicet, debeat esse actualis, aut virtualis, aut habitualis, absoluta, vel conditionata &c. Itaq; cum duo sint in quolibet sacramento consideranda, nimirum entitas realis sensibiliũ actionum, & formalis ratio sacramenti circà substantiã intentionis, præcipua difficultas est, an sufficiat in Ministro intentio faciendi illã actionẽ externã eo ritu, quo ab Ecclesia præscribitur: an potius vlterius requiratur, intentio faciendi, quod facit Ecclesia saltẽ inconfuso, aut iussit Christus aut faciendi sacramentũ: Sectarij nostri temporis dixerunt non requiri in Ministro intentionem de formali ipsa ratione sacramenti, atq; ideò etiãsi per locũ exerceantur actiones illæ reales, valere sacramentũ, quibus ex Catholicis cõsensit Catherinus opusc. de intentione Ministri, vbi ait sufficere intẽtionẽ exercendi actiones illas reales sine alia intentione de formali ra- 259

li ratione sacramenti, etiamsi illæ actiones exerceantur per iocum. Alij quoq; Catholici, vt Palud. Sylu. Salmer. Scrib. & alij quos citat Card. de Lugo loc. cit. & nouissimè sequitur Pasqual. *disp. 72. sec. 4.* dixerunt esse satis ad valorem sacramenti intentionem primo modo, vndè putant confici validè sacramentum, etsi Minister intendat non conficere, dummodò intendat facere, & faciat illum actum exteriorem iuxtà ritum Ecclesiæ, quia eo ipso fit, quod intendit Ecclesia; quarè iuxtà hos Doctores nequit fieri ex ioco, vel contemptu externè, quia tali modo non esset iuxtà ritum Ecclesiæ, in quo discrepant hi Theologi à primo modo dicendi Sectariorum, qui dicebant quocunque modo, & quacunque intentione fierent actiones illæ externæ, validè confici sacramentum. Communis tandem Catholicorum sententia est ad valorem sacramenti non sufficere intentionem primi generis; sed esse necessariam quoque intentionem secundi generis; hoc est, ad conficiendum sacramentum non sufficere solam intentionem de exercendis realibus actionibus sacramenti eo ritu, quo ab Ecclesia sunt præscriptæ; sed requiri etiam intentionem de conficiendo sacramento formaliter sumpto, siuè de exercendis actibus externis, quatenus sacramentales sunt, ità Scotus *cit. 4. d. 6. q. 5.* D. Bon. *di. 6. art. 3. quæst. 1.* Alensis *quæst. 8. membr. 3. art. 1.* & alij Scholastici passim, tum veteres, tùm Recentiores.

ARTICVLVS PRIMVS.

Resoluitur quæstio quoad primam partem.

260 Ex modò dictis in declarando statu quæstionis satis constat Catholicos omnes in hoc conuenire, quod intentio Ministri est necessaria, & quod in conficiendis sacramentis intendat facere, quod facit Ecclesia. Verùm quia hoc dupliciter contingere potest, vno modo materialiter solum, vt quando solum verba profert, & res apponit, nullo actu interiori præsupposito in sua voluntate, quod facere velit, quod Christus instituit; alio modo etiam formaliter, vt quando non solùm profert verba, & res apponit, sed interius quoque habet actum voluntatis, quo mediante vult facere actiones sacramentales, vt tales sunt; Quando dicimus ex parte Ministri necessariam esse intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, per hanc intentionem non intelligitur sola intentio facinedi meram actionem externam eo ritu, quo est ab Ecclesia præscripta, quasi materialiter sumptam; sed intentio conficiendi illam, quatenus est sacramentum, quod est dicere requiri intentionem explicitam, vel implicitam conficiendi verum sacramentum, & faciendi, quod Christus instituit; adeoquod non sufficit prior illa intentio materialiter, vt validum conficiatur sacramentum, sed requiritur intentio illa formalis faciendi, quod Christus instituit, vel Ecclesia intendit, vel quod alij Ministri Christi intendere solent.

261 Conclusio sic explicata probatur primò ex definitionibus Conciliorum iam adductis requirentium ad valorem sacramenti intentionem faciendi id, quod facit Ecclesia; hæc autem intentio non est facere duntaxat actiones externas sacramentales à Christo Domino institutas, quasi materialiter sumptas, sed est etiam intentio illas faciendi formaliter, prout sunt sacramenta, ergò, &c. probatur minor, quia cùm Concilia definiunt, esse necessariam intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, damnant errorem Hæreticorum dicentium, quantumuis iocosè, aut per ludum ministretur forma, aut materia sacramenti, vera confici sacramenta, vt patet ex Trid. *sess. 14. c. 6. & can. 9. de pœnit.* vbi inquit, quod si Sacerdos non seriò, sed ioco absolutionis verba proferat, absolutio non valet, quod etiam prius sanciuit Concil. Const. *sess. vlt.* & contra hunc errorem dicunt Concilia requiri in Ministris intentionem faciendi, id quod facit Ecclesia; sed qui iocosè, aut per ludum sacramenta ministrat, verè haberet intentionem faciendi res externas, in quibus materialiter sacramentum consistit; alia ergò intentio requiritur à Concilijs, scilicet, faciendi sacramentum formaliter, vt tale.

Resp. Auctores secundæ opinionis, intentum Concilij Tridentini fuisse damnare Hæreticorum errorem, qui nec etiam externam apparentiam intentionis requiri dicebant, volentes valere sacramentum, quamuis minister ostenderet, & diceret, se non seriò, sed delusoriè agere; at Minister exercendo actiones externas grauiter, & absq; ioco externo, facit, quod facit Ecclesia; non tamen ille, qui proferret verba cum irrisione, & ioco externo, tunc enim non faceret, nec vellet facere, quod facit Ecclesia.

Verumtamen si verba, & sensus Concilij benè ponderentur, satis apparet voluisse internam quoque intentionem requiri, ac proindè si hæc desit in mente, sacramentum non valere, quamuis hic defectus non appareat exterius; Tùm quia si voluntas requisita faciendi, quod facit Ecclesia, est sola voluntas faciendi exterius rem seriò, quia hoc est, quod exterius facit Ecclesia; ergo si quis puerum moribundum baptizaret, prolata secretò forma, & abluendo exterius puerum, simulans se illum ob alium finem lauare, non faceret validum sacramentum, quia hæc actio exterior non esset sacra, & sacramentalis, qualis est actio Ecclesiæ, sed profana, & naturalis appareret; Et si quis haberet verum animum baptizandi puerum, sed fingeret exterius se iocosè verba proferre, ne a circumstantibus agnosceretur Christianus, & diceret *hoc modo faciunt Christiani, & abluunt hoc modo, & dicunt, Ego te baptizo* &c. verum baptismum non conferret, quia non faceret actum externum grauiter, & seriò, vt facit Ecclesia; valdè autem durum esset dicere in his casibus paruulo verum baptismum non conferri, quia verum animum habet internum conferendi; per intentionem ergò faciendi, quod facit Ecclesia, intelligitur intentio faciendi sacramentum, vt tale. 262

263 Deindè probatur ratione, quam Doctor insinuat *loc. cit. dist. 6. q. 5.* in corpore quæstionis, actus sacramentalis non est purus actus naturalis, sed actus humanus, non enim baptismus est pura balneatio cum verbis, sed actus Ministri exercentis signum Dei: habens autem aliquem actum humanum intendit finem illius actus, vt humanus est; ergò cùm finis actus sacramentalis a Christo ordinati sit alius præter lotionem, & omnem actum externum, hunc finem debet habere exercens sacramentum, atque ideò alia intentio necessaria est præter intentionem actionis externæ; Verum tamen est potuisse sic quoque sacramenta à Christo institui, vt in Ministro sufficeret intentio solius actionis externæ, potuit enim dupliciter sacramenta instituere; primo determinando solam externam cæremoniam, & dando illi vim conferendi gratiam, quotiescunque, & quomodocunque adhibita fuerit, sine vllo ordine ad intentionem Ministri; secundò potuit instituere dirigendo totam institutionem primario ad Ministros, & dando illis potestatem efficiendi sacramenta; de facto autem hoc posteriori modo facta est institutio sacramentorum à Christo, vt patet de institutione Eucharistiæ Luc. 22. *hoc facite in meam commemorationem*, & de institutione sacramenti pœnitentiæ Io. 2. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*; quarè ità Christus sacramenta instituit, vt debeant procedere ex potestate data Ministris, tanquam propriæ eorum actiones, itaut Ministri dicantur baptizare, confirmare, peccata remittere, &c. ergo ex vi illius institutionis ad conficiendum sacramentum requiritur intentio Ministri, quia illa moralis potestas data est Ministro, vt ea more humano vtatur, hoc est, operari censeatur ex potestate sibi data; non posset autem ità operari, nisi voluntatem habeat conficiendi id, quod ipsi per illam potestatem concessum est, nempè sacramentum conficiendi; ergo debet intendere, & velle conficere sacramentum iuxtà potestatem sibi a Christo concessam; vide alias rationes apud Hiqueum in *4. d. 6. q. 5.* in Comment.

Sed adhuc restat difficultas, quodnam sit obiectum formale intentioni Ministri, cùm enim ex dictis constet in faciente sacramentum requiri intentionem operandi, & faciendi, & probatum sit hanc intentionem habere posse pro obiecto actum illum externum, quem facit Ecclesia, sed hoc non sufficere ad valorem sacramenti, etiamsi seriò, & non iocosè actio illa externa fiat, sed vltrà actionem illam aliquid aliud intendi debere; adhuc declarandum restat, quid sit hoc aliud, quod Minister Ecclesiæ debet intendere, hoc enim erit obiectum intentionis ad valorem sacramenti requisitæ, & quia communiter dicitur intendi debere, quod facit Ecclesia, concluditur intentionem Ecclesiæ esse obiectum intentionis Ministri, ideoque declarandum est, quænam sit hæc Ecclesia cuius intentio debet esse obiectum intentionis Ministri, an vniuersalis, vel particularis, & præterea quid talis Ecclesia explicitè intendat in effectione sacramentorum, quod saltem implicitè debeat quoque à Ministro intendi, vt verum conficiat sacramentum, de qua re Brancatus *disp. 3. art. 2.* plu- 264

plures refert dicendi modos, quos singillatim examinat, & refutat.

265 Verùm quia inter omnes dicendi modos probabilior est, quem Doctor in hac ipsa quæstione docet, vt fatetur Caspensis hic *disp.5.sec.6.* ideò breuiter dicendum est, obiectum, seù finem intentionis necessariò requisitæ ad valorem sacramenti, si de vniuersali, seù implicito sit sermo, esse intentionem Ecclesiæ, vt clarè deducitur ex definitionibus Conciliorum iam adductis docentium in Ministro esse necessariam intentionem saltem faciendi, quod facit Ecclesia; obiectum verò, seu finis proximus, & immediatus intentionis Ecclesiæ, est ratio formalis sacramenti, & ideò diximus suprà ad conficiendum sacramentum non sufficere solam intentionem de exercendis realibus actionibus sacramenti, sed vlterius requiri intentionem de conficiendo sacramento formaliter sumpto, siuè de exercendis actibus externis, quatenus sacramentales sunt, ratio enim formalis sacramenti est obiectum, seù finis proximus intentionis Ecclesiæ; quarè volens efficere sacramentum, si explicitè intendit, quod Ecclesia, intendit media illa actione externa facere signum sacrum à Deo institutum, quæ est ratio formalis sacramenti; Hoc totum significauit Doctor *q.5.cit.* dùm inquit, quòd Minister dici potest intendere, vel actum illum, quem exercet, vel finem propter quem talis actus est exercendus, quem ait duplicem esse vnum principalem, & remotum, vtpote quod baptizatus fiat filius regni, qualis fieri non potest, si non habet gratiam, alium proximum, & minus principalem, vt, scilicet, baptizatus fiat Christianus, siuè membrum Ecclesiæ militantis, & vtrumque finem potest aliquis intendere in vniuersali, vel in particulari; & subdit, quod intentio finis vltimi nullo modo requiritur in baptizante, quia Paganus nullo modo intendit ordinare illum, quem baptizat ad vitam æternam, requiritur tamen intentio, inquit respectu finis proximi, & hoc vel in particulari, vel in generali, in particulari, vt si intendat istum intrare legem Christianorum seruandam: in generali, si intendit facere circà illum, quod Christiani facere solent circà suos. Ità discurrit Doctor *loc. cit.* quibus verbis non solùm insinuat ad valorem sacramenti requiri in Ministro intentionem faciendi verum sacramentum, seù quod idem est, faciendi id, quod facit Ecclesia; sed vlterius significat opus non esse intendere, quod facit Ecclesia Romana, sed quod facit vera Ecclesia, quæcunque illa sit, seu quod Christus instituit, vel quod faciunt Christiani, ista enim in idem recidunt; & ratio est, quia Hæretici huiusmodi intentionem non habent, imò neque Græci ad Romanam Ecclesiam specialiter aspiciunt, & tamen verè baptizant, ergo &c.

266 Sed quæres, quid si aliquis intendat facere, quod facit aliqua Ecclesia particularis, & falsa, vt Geneuensis, vel Anglica, & intendat non facere, quod facit Romana Ecclesia? Plura ad hoc dubium habes apud Caspensem *loc.cit.* & Poncium *disp.41.q.5.* sed breuiter dicendum, quod etiam in tali casu validum conficeret sacramentum, quia intentio faciendi sacramentum, scilicet, baptismum, continetur in illa intentione generali faciendi, quod facit Ecclesia Christi; licet enim Ecclesia Geneuensis, vel Anglica, vt particularis erret, & sit veræ Ecclesiæ contraria; non tamen est illi contraria in illa generali intentione, quæ pro obiecto habet Ecclesiam Christi, imò in isto obiecto cum ea conuenit, atque ideò sic baptizans habet sufficientem intentionem conficiendi sacramentum; Et hoc etiam asserendum est in casu, quod hæreticus ille Geneuensis velit sequi intentionem suæ Ecclesiæ, & intendat non facere, quod facit Romana Ecclesia, eo enim ipso, quod intendit facere, quod facit Ecclesia sua particularis, intendit facere, quod facit Ecclesia Christi vniuersalis, quia suam Ecclesiam putat illius esse membrum, licet fallatur in cognitione veræ Ecclesiæ; non tollit autem valorem sacramenti error Ministri circà Ecclesiam, sed defectus intentionis, quæ in prædicto casu non deficit.

267 At instat Poncius *loc.cit.* hæreticum in tali casu non conficere sacramentum, quia si habeat voluntatem absolutè faciendi, quod facit illa Ecclesia falsa, per illam voluntatem retrahitur voluntas, quam habuit faciendi, quod facit Ecclesia vera; & formalis, ac expressa nolitio conformandi se cum Ecclesia Romana excludit illam virtualem intentionem inclusam in voluntate faciendi, quod Christus præcipit, & intendit.

Respondeo cum Caspensi *loc.cit.* hoc minimè obstare, quin adhuc verum conficiatur sacramentum, quia cùm hæc nolitio, & contraria voluntas oriatur ex ignorantia Ministri existimantis aliud esse, quod Christus præcipit, ab eo quod Romana Ecclesia præcipit, & intendit; non destruit illam voluntatem faciendi, quod Christus præcipit, atque adeò neque voluntatem faciendi sacramentum; vndè talis intentio propriè, & formaliter primæ intentioni non est contraria, sed solùm materialiter, nam intendens facere, quod Christus præcipit, necessariò etiam intendit facere, quod Ecclesia Romana facit, cùm vnum, & idem sit; Quod si non vult id, quod Ecclesia Romana vult, ideò est, quia existimat esse diuersum ab eo, quod Christus præcipit; validitas autem sacramenti, vt diximus, non tollitur ex errore Ministri circa Ecclesiam, sed ex defectu intentionis, quæ in prædicto casu non deficit.

Obiectiones solutæ.

Sed Contrà necessitatem intentionis iam designatæ plura obijci solent. Primò, quia hinc sequeretur baptismata ioco data, & à pueris, ac ebrijs ministrata nulla esse, quia fuerunt sine præfata intentione hoc autem falsum est, quia pueri per iocum baptizati à puero Athanasio, vt ritè baptizati habiti sunt ab Alexandro Patriarcha Alexandrino, & teste Augustino *tract.5. in Ioan.* baptismus ab ebrioso datus validus est, vt constat *ex cap. Baptismus de consecratione.* Et *lib.7.de Baptis.cap.53.* non audet definire, an baptismus per iocum collatus sit validus, sed dicit expectandam esse Dei reuelationem. Secundò sequeretur sacramenta nostra incerta esse, ac dubia, quia non possumus esse certi de intentione Ministri, cùm hæc nobis non constet. Tertiò sequeretur, malitiam Ministri alteri nocere posse, quoad salutem animæ, vt si Minister baptizans puerum intentionem non haberet illum baptizandi, quòd nimis durum videtur. Tandem sequeretur, quod baptizans, vel absoluens, v.g. fœminam, quam putat esse virum, vel Petrum, quem putat esse Franciscum, non conficere verum sacramentum, cum non sit illa persona, ad quam ferebatur intentio Ministri; sicut in matrimonio, si sit variatio, & error in persona, deest intentio, & consensus, & ideò nullum est matrimonium. 26

Respondetur ad primum, quod licet Diuus Augustinus *lib.7.de baptis.contrà Donatistas cap.13.* & habetur *cap.Solet de consecrat. d. 4.* proponens quæstionem de baptismo per iocum collato, an valeat, illam insolutam relinquat, & dicat in tali casu debere peti à Deo ieiunijs, & orationibus; quid faciendum sit: Scholastici tamen sequentes Hugonem de Sancto Victore dicunt dupliciter aliquid posse per iocum fieri, vno modo itaut in re de qua loquimur, animus iocandi feratur in substantiam sacramenti, & ità fit, quando actio illa externa, verb.gr. ablutio, & prolatio verborum fit solùm animo iocandi, aut simulandi; & in hoc casu dicunt sacramentum esse nullum ex defectu debitæ intentionis: alio modo itaut animus iocandi non feratur in substantiam sacramenti, sed solùm in illam actionem externam, aut aliquid aliud, quia nimirum verè Minister, dùm facit illam actionem externam, habet intentionem faciendi in ipsa id; quod facit Ecclesia, sed vult etiam eandem actionem ordinare ad animi oblectationem, vel etiam ad peiorem aliquem finem, & in hoc casu dicunt sacramentum esse validum, quia tunc verè intendit sacramentum conficere, licet propositam sibi habeat oblectationem, tanquam finem externum illius actionis, sicut si Sacerdos verè intendat absoluere confitentem à peccatis, sed ob finem quæstus faciendi; in casu autem allato in argumento, sicut & in alijs similibus, qui referri solent, facta est ablutio externa ab Athanasio, dùm erat puer, hoc secundo modo, quia verè voluit baptizare, licet acceperit illam actionem pro materia Ludi, & oblectationis, quod clarè colligitur ex Auctoribus hanc historiam referentibus, qui scribunt Athanasium, non quosuis pueros, sed solùm Cathecumenos baptizasse, & omnes Ecclesiæ cæremonias adhibuisse, & ideò pueri illi, vt ritè baptizati habiti sunt à Patriarcha Alexandrino, quia habuit sufficientia signa ad colligendum ibi fuisse debitam intentionem, non autem quia existimauerit solam intentionem faciendi externam actionem esse sufficientem. 269

Quandò verò Augustin. *tra. 5. in Ioan.* inquit baptismum ab ebrioso datum esse validum, inquit Doctor *4.dist. 6. q.5.* in fine

in fine vbi per ebriosum non intelligere ebrium actualem, sed qui assuetus est inebriari dicens malam illam consuetudinem non reddere baptismum inualidum; quandò tamen est actualiter ebrius, non valet, quia impeditur vsus rationis, & intentionem habere non potest; Denique quamuis *lib. 7. de baptism. cap. 53.* dixerit se de hac re dubitare, quia in nullo Concilio res adhuc fuerat definita; nunc tamen dubitare non licet, quia definita est in Concil. *loc. cit.* & anteà in Florentino in instructione Armenorum.

270 Ad secundum negatur sequela, loquendo de certitudine morali, quæ ad nostram sufficit iustificationem, & salutem, vt patet ex illo ad Philippens. 2. *Cum timore, & tremore salutem vestram operamini*, vndè argumentum probat tantum nos non habere certitudinem metaphysicam, & speculatiuam, quæ quidem non est necessaria, non autem probat de certitudine morali, quæ sufficit ad pacandos animos; sicut hac morali certitudine quiescit filius credens fermè esse talis patris filium, cum tamen facilè posset fieri ex leuitate matris, vel tentatione, aut alia occasione, quod esset alterius patris filius. Dices, hac ratione non voluisse Christum, vt passim docent Patres, & Concilia, sacramenta dependere à sanctitate, aut fide Ministri, quia nempè multi redderentur perplexi de valore sacramenti; ergo magis id congruit, ne dependerent etiam ab eius intentione. Negatur paritas, quia status Ministri quoad probitatem, & fidem minus certus est, neque de ea potest esse tanta certitudo moralis, sicut de intentione, de qua ipse Minister potest certitudinem physicam habere, non autem de sua probitate, & fide, & multò facilius est Ministrum habuisse intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, seu quod idem est, faciendi verum sacramentum, quàm ipsum esse iustum, & sanctum, & ideò decuit valorem sacramenti ab intentione Ministri dependere, non sic à sanctitate.

271 Ad tertium dixerunt aliqui Deum in tali casu supplere defectum occultum intentionis Ministri conferendo effectum sacramenti, & gratiam puero, ne pereat, ità Alensis 4. p. q. 8. membro 30. quem sequuntur Valentia Syluester, Angelus, & alij Summistæ; At alij Theologi magis communiter id non admittunt, & gratis concedunt Ministrum in illo casu puero nocere remouendo ab illo remedium salutis, quia nempè non habetur vllum in Scriptura, vel Patribus fundamentum ad dicendum in defectu Sacramenti Deum supplere, & infundere gratiam absque medijs ordinarijs; & licet videatur iniustum hominem hoc remedio priuari absq; sua culpa, tamen id non est in Deum refundendum, à quo sufficienter prouisum est hominibus modo illo accommodato, sed in ministrum iniquum, qui remedium non applicuit sicut neque in Deum refunditur perditio puerorum in vtero Matris absque baptismo decedentium; ita Cabrera, Caspensis, Auersa, Diana, & alij passim, qui putant Deum ità rigorosè alligasse virtutem suam sacramentis, vt aliter in eo casu non prouideat ad salutem, neque gratiam iustificationis infunderet. Sed optimè hic inquit Hiqueus 4. d. 6. q. 5. in fine neutram partem firmum habere fundamentum, quod enim vrgent isti. *Nisi quis renatus fuerit* &c. vbi baptismi necessitas denotatur, intelligi potest in reipsa, aut in apparentia, & in foro Ecclesiæ suscepti, quando vitium intentionis exterius non proditur: & quod illi præsumunt de salute sic baptizati multùm quidem diuinæ congruit misericordiæ, & in eam sententiam Augustinus *loc. citat.* valdè propendet; nec deest congruentiam, vt Deus causa principalis instituens, & causans hominum salutem medio Sacramento, in eo casu, quo sacramentum absque vlla suscipientis culpa, sed solùm conferentis fit nullum, sua diuina misericordia defectum suppleat in his, quæ ad salutem sunt necessaria; Sed neque ex alia parte adest fundamentum conuincens ità fieri; quarè concludit Hiqueus totum esse Dei prouidentiæ, & dispositioni secretæ reseruatum.

272 Ad quartum, negatur sequela cum eius probatione, quia regulariter loquendo in illis casibus Minister habet intentionem conferendi sacramentum personæ præsenti, licet falsò existimet esse virum, vel Franciscum, hoc quidem omninò accidentarium est sacramento; Nec valet paritas assumpta de Matrimonij sacramento, hoc enim interueniente personarum errore vtique nullum est, cum enim sit contractus quidam, cuius materia sunt ipsa corpora, quorum dominium mutuò traditur, intentio contrahentis limitatur ad hanc personam in particulari cum aliarum exclusione, sicut in alijs contractibus contingit, non sic in sacramento baptismi, vel pœnitentiæ; Quod si ponatur casus, quod Minister velit huic determinatæ personæ, verb. grat. fœminæ sacramentum conferre cum aliarum exclusione, quod regulariter loquendo fieri non licet, vtique in tali casu concedendum est nullum esse sacramentum.

Deindè arguitur ratione veluti à priori, positis partibus essentialibus compositi ponitur compositum; sed solùm res, & verba sunt partes essentiales sacramenti, non autem intentio Ministri, ergò hæc non requiritur, minor patet ex dictis *num.* 258. & rursus probatur, quia sacramenta sunt sensibilia, ergo non includunt intentionem, quæ non est sensibilis.

Confirmatur, quia quodcunque signum quoties in re ponitur, etiamsi absque intentione significandi ponatur, semper est signum, & significat; sed res, & verba sunt signum gratiæ, & sacramentum; ergo quoties ponuntur, etiamsi absq; intentione ponantur, sunt sacramentum. Denique actio egrediens ab aliquo nomine alterius non depēdet ab intentione particulari eius, à quo egreditur, sed illius, cuius nomine fit; sed baptizatio, v. g. fit à Ministro nomine Christi; ergo non dependet ab intentione particulari Ministri, sed ab intentione Christi, quæ semper adest; Et hoc est argumentum, quod sub alijs verbis conficitur à Doctore *loc. citat.* quod Minister se habet, vt causa instrumentalis respectu sacramenti; ergo inquantum agit, vt instrumentum respectu causæ principalis, non requiritur in eo alia intentio diuersa ab ea, quæ est causæ principalis, per quam dirigitur, & assumitur ad suum finem. 273

Respondetur, quod licet solùm res, & verba sint partes essentiales sacramenti, intentio tamen est conditio simpliciter necessaria ex parte causæ efficientis sacramentum, vndè licet sacramentum non includat intentionem, tanquam partem, quia neq; est materia, neque forma illius, includit tamen, tanquam conditionem, sine qua non significaret practicè gratiam; eo modo quo dicimus; quod totum physicum licet solùm materiam, & formam includat, vt partes eius essentiales, adhuc tamen includit vnionem quoque vt conditionem simpliciter necessariam, quia materia, & forma non sunt partes eius essentiales, nisi quatenus vnitæ; sic in proposito res, & verba sunt partes essentiales sacramenti, non quomodocunque considerata, sed quatenus sacramentalia, non sunt autem talia nisi quatenus ponuntur, & proferuntur ab habente intentionem faciendi, quod facit Ecclesia. 274

Ad Confirmationem patet per idem, quia res, & verba sunt signum gratiæ, & sacramentum, non quomodocunque sumpta, sed cum intentione prolata; id enim est sacramentum, quod a Christo assumptum est in sacramentum, & eo modo, quo ab ipso est institutum; Christus autem res, & verba assumpsit cum intentione faciendi sacramentum, ideoque ista deficiente illa non sunt sacramentum, nisi merè materialiter. Ad vltimum maior est vera, quando ille, cuius nomine fit actio, ad valorem illius particularem intentionem in Ministro non requirit; quando autem eam requirit, vt in proposito falsa est, Christus namque voluit, vt Minister haberet quoque intentionem particularem; Ad argumentum verò, vt a Doctore conficitur, dicendum est, quod licet Minister respectu effectus sacramenti, scilicet, gratiæ sit purum instrumentum in eius productione; respectu tamen ministerij, & confectionis sacramenti, & ablutionis, qua etiam ablutio sacramentalis est, non est mera causa instrumentalis, sed etiam principalis, & se habet, vt causa secunda, vt declarat Doctor *quæst. cit. §. patet ergo.*

Dices, ratio sacramenti, scilicet, significatio gratiæ ex sola Christi Domini impositione dependet, non autem ex voluntate, & intentione Ministri; ergo si Minister faciat res externas à Christo institutas, in quibus sacramentum consistit, verum conficiet sacramentum, etiamsi illud conficere non intendat. 275

Respondeo, quod estò sacramentorum significatio ab institutione Christi principaliter proueniat; quia tamen noluit Christus rebus, & verbis sacramentorum significationem gratiæ concedere, nisi fiant à Ministro verum sacramentum facere intendente; ideò instrumentaliter saltem, & ministerialiter etiam procedit ab intentione Ministri. Dices rursus, licet Minister nolit causare effectum sacramenti non potest sacramenti efficaciam impedire; ergo neque signi-

significationem impedire poterit, licet intentionem significandi non habeat. Negatur paritas, quia significatio est ipsa sacramenti essentia, ideoq; non potest velle sacramentum, quin eo ipso velit significationem; effectus verò, seù res significata non est essentia sacramenti, ideoque potest aliquo modo Minister velle sacramentum, quin velit effectum. Dices tandem, si quis vellet conficere verum sacramentum, & non dare effectum illius, adhuc nihilominus effectum sacramenti conferret; ergò pariter si quis vellet res externas conficere à Christo institutas, adhuc verum conficiet sacramentum, etiamsi illud conficere non intendat. Negatur etiam paritas, quia in voluntate faciendi res externas à Christo institutas præcisè, & materialiter sumptas, non includitur intentio verum sacramentum conficiendi, neque ex natura rei, cùm illa ex natura sua sacramentum non sint; neque ex Dei institutione, vt supradictum est; at in voluntate faciendi verum sacramentum, includitur saltem implicitè voluntas dandi effectum illius ex diuina institutione.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Resoluitur Quæstio quoad alteram partem.

276 IAM suprà diximus ab initio quæstionis triplicem esse posse Ministri intentionem in sacramentis exercendis, actualem, habitualem, & virtualem, quæ est veluti media inter illa duo membra, vt ait Doctor *4. dist. 6. quæst. 6. A.* quatenus est imperfectior prima, & perfectior secunda; Actualis intentio est actus elicitus circa obiectum, vel fine intentum, vndè actualis intentio Ministri est, cùm actu cogitat, & formaliter de conficiendo sacramento, dùm conficitur.

Habitualis autem intentio, inquit Doctor, est habitus causatus ex actibus operandi inclinans habentem ad eosdé specie, vel genere actus; vndè talis intentio in Ministro est habitualis facilitas, seù promptitudo ad efficiendum sacramentum ex actuali intentione relicta, quæ nullo modo remanet neque actu, neque virtute, vt de intentione virtuali dicemus, eo pacto quo est in dormientibus, & ebrijs. Recentiores verò habitualem intentionem etiam extédunt ad intentionem merè præteritam, non retractatam per actum contrarium, quæ quidem non est causa effectus; vt si quis semel intendat actum temperantiæ, quem nunquam retractet, dicitur hic habere intentionem temperantiæ habitualem, quod si aliquando virtutem acquirat temperantiæ, nec recordetur voluntatis præteritæ, dicunt talem actum præteritum, & non retractatum, non esse causam temperantiæ acquisitæ, nec ad eum concurrere; imò Poncius q. 5. præter hanc aliam habitualem attentionem non agnoscit.

277 Cæterum nec Scotus, nec alij antiquiores hanc intentionem habitualem præcisè in actu præterito non retractato consistentem satis approbarunt, cùm enim actus præteritus nec secundum suam entitatem, nec secundum aliquid sui maneat, non videtur quo pacto habitualiter permanere dici possit; alioquin omnes actus volendi præteriti, & non reuocati ab initio vsque ad finem vitæ habitualiter permanere dicerentur, quod est falsum, & contrà communem omnium existimationem; nam vt benè discurrit Brancatus *disp. 3. art. 3.* ad hoc vt aliqua forma in aliquo subiecto habitualiter permanere dicatur, siuè physicè, siuè moraliter; opus est, quod in eo subiecto, vel habitum aliquem relinquat, vel saltem obligationem aliquam sequentem ad illam formam; quo pacto actus contrahendi vniuersaliter loquédo, vt votum, promissio, donatio, emptio, venditio, &c. postquam facti sunt, moraliter permanere dicuntur, quatenus ex eis transactis manet ius, & obligatio in ordine ad potestatem aliquam tale ius, & obligationem exigentem, & per eam dicitur habitualiter permanere; non quidem secundum aliquod esse physicum, sed tantum morale, quo quidem modo Scotus explicat permanentiam peccati habitualis *4. d. 14. quæst. 1.* sed actus volendi præteritus, & non reuocatus nullo ex his modis in voluntate manet, non quidem physicè per aliquem habitum relictum, vt Recentiores concedunt; nec etiam moraliter, quia nullum ius, & nulla obligatio ex eo præterito in voluntate consurgit; ergò nec physicè, nec moraliter potest dici habitualiter permanere iuxtà communem loquendi modum de permanentia habituali. Tùm denique quia quoad hoc intentio habitualis à virtuali nó differret, nam hæc quoque est actus præteritus, cuius operans non recordatur, quando agit, non igitur habitualis intentio ità explicari debet, quemadmodum faciunt Recentiores, vt ille intentionem habitualem habere dicatur, quando prius habuit voluntatem aliquid faciendi, & eam nunquam reuocauit, qua ratione habitualiter permanere censeatur, donec reuocetur; sed ità vt sit promptitudo quædam acquisita per actus præcedentes, qualis etiam in dormientibus esse potest, vt explicat Doctor *loc. cit.* Adhuc tamen verum est Doctorem agnouisse quoque, & aliquando admisisse illum modum intentionis habitualis, scilicet, *4. d. 4. q. 4. H.* vbi ait, quod potest aliquis iudicari habitualiter consentiens, si aliquando habuit consensum actualem non interueniente dissensu.

Virtualis intentio dicitur illa, qua operans virtute actualis intentionis prius habitæ actualiter facit omnia, quæ facit, tanquam ex radice, ità quod illa intentio actualis fuit principium ordinatum ad omnes istos actus, & habet in se virtualiter intentionem propriam cuiuslibet istorum actuum; sicut intentio finis habet in se virtualiter intentionem propriam cuiuscunque ordinati ad finem, & pro tanto manente intentione cuiuscunque ad finem ordinati, manet ista intentio actualis prima virtualis in omnibus istis; quod explicat Doctor exemplo facientis iter ad D. Iacobum in Galitia, hoc enim modo intendens illuc ire, ex intentione huius finis ordinat multa alia necessaria ad illum finem, exequens autem illa ordinata non semper cogitat de D. Iacob, nec de reuerentia eius; semper tamen meretur, quia vel habet semper intentionem eorum, quæ sunt ad illum finem; cuius est illa prima intentio; vel habet actus aliquos sequentes ex illis intentionibus, licet cum illis actibus concurrant aliqui actus distrahentes ab intentione illa prima, & ab intentionibus proprijs eorum, quæ sunt ad illum finem. 278

Sed tota difficultas intentionis huius consistit in explicádo, quomodo possit aliquis effectus, qui modo est, reduci in illam intentionem primam, sicut in causam, si nunc non est ista intentio, neque aliqua alia imperans istum actum; externa namque actio non solum in fieri, sed etiam in conseruari pendet ab intentione, seù voluntate interna; ergò sicut externa actio inchoari non potest sine actuali intentione, ità neq; conseruari, & perfici, explicandum est ergò, quomodo intentio actualis, quæ iam præterijt, duret in suo effectu. Ob hoc argumentum dixerunt aliqui actualem intentionem relinquere post se virtutem actiuam, quæ sit principium actionis externæ. Verùm difficile est explicare quæ & qualis sit ista virtus, & in quo subiecto recipiatur. Richardus, vt refert Doctor, dixit esse qualitatem quandam, seù dispositionem, ac veluti impetum; qui vi actualis intentionis imprimitur exterioribus organis potentiæ motiuæ, & durat cessante actuali intentione, sicut in lapide proiecto imprimitur aliquis impetus ab actione proijcientis, per quem impetum effectiuè continuatur motus lapidis etiam cessante actione proijcientis. Hoc breuiter reijcit Doctor, quia mirum videtur, quomodo voluntas possit esse virtus factiua causans talem formam, vel qualitatem impressam in ista potentia organica; & mirum etiam, quod si eam causaret, quomodo, & vndè paulatim deficeret. 279

Huic difficultati occurrit Doctor dupliciter, primò inquit dici posse, quod in appetitu sensitiuo, siuè phantasia est aliqua dispositio, secundum quam mouet cessante actu voluntatis imperantis eis; Hæc autem dispositio, inquit Hiquæus, non est alia, quàm actus ipsarum potentiarum, ad quem applicantur ex imperio voluntatis per subordinationem ad ipsam; manente appetitu applicato manet etiam potentia motiua applicata, & sic sequitur motus in actionem externam, & hæc sufficit ad eius continuationem sine vlla qualitate impressa à voluntate, quam responsionem amplectitur Coninchius hoc loco *qu. 46. art. 2. dub. 2.* cum aliis Recentioribus. Hæc tamen solutio non omninò satisfacere videtur, quia talis, & tanta mentis distractio esse potest, vt etiam imaginationem diuertat; vel si adest motus imaginationis, concedi quoq; potest, ac debet adesse aliquis motus, & actus rationis, quia vniuersaliter loquendo actus externi, & imperati in homine non videntur fieri posse ex solo motu, & imperio partis sensitiuæ absque motu, & imperio partis intellectiuæ. 280

Hæc

Hac de causa Auersa, Card. de Lugo, & alij dicunt, permanere aliquem saltem tenuem, & confusum actum in intellectu, & voluntate hominis relictum ex virtute actus perfecti antecedentis; permanere, inquam, absque reflexione, qua homo aduertat ad talem actum, & absque expressa consideratione effectus secuti, sed quantum sufficit ad continuationem actus externi ex præuia deliberatione; quod declarant exemplo laborantis in vinea ob mercedem. Sed in primis non video, quo fundamento id dicatur, si semel conceditur talem actum in potentia intellectiua esse adeò tenuẽ, & confusum, vt ab operante percipi nequeat; planè si operãs talem actum in se non experitur, omnino irrationabiliter asseritur talem actum adesse. Tùm quia hoc semel concesso, iam cessaret quæstio de intentione virtuali, imò hæc esset impossibilis; quia semper adesset aliqua actualis intentio, quamuis tenuis, & confusa.

281 Potius ergo huic difficultati occurrendum est cum Scoto in secunda solutione, & dicendum voluntatem habere ordinatè suas volitiones in ordine ad finem, primò intentionem, postea electionem, tandem vsum, & executionem per media ordinata, quando plura sunt, quibus correspondent actus potentiarum inferiorum cum eodem ordine; potest ergò distrahi voluntas ab actuali volitione finis, sed perseuerare in ipsa volitio respectu aliorum, hic & nunc cum præscripto ordine, & sic continuatur intentio eius virtute in volitionibus subordinatis, ad quas sequuntur actus imperati aliarum potentiarum; quod declarat ibidem Doctor in fine quæstionis exemplis ex naturalibus deductis, quia proiecto lapide in aqua primus circulus est causa secundi circuli, & sic deinceps, non tamen semper manet primus, quamdiu cæteri; ità etiam vniuersaliter in motu proiectorum prius cessat pars motori propinquior, quam remota; sic ergo pariter illa prima intentio, quæ est causa istius vltimæ volitionis, dicitur virtualiter in ista vltima perseuerare, quamuis operans distractus sit, & alia cogitet; quia voluntas supposita notitia prius habita, ista exequitur obiecta ordinatè volita, & has volitiones prius volitas absque alia noua, vel continuata intellectus cognitione, vt fusè prosequitur Brancatus *loc.cit.* quam solutionem sequitur Suarez *disp.* 13. *sect.* 3. cum alijs Recentioribus, & magis declarat Aretinus *disp.6.quæst.6. art.*2.

282 Denique addi solet intentio interpretatiua, & est, quando quis vult aliquid tantum in causa, vt qui se inebriat præuidens pollutionem, vel homicidium secuturum, tunc dicitur indirectè, & interpretatiuè velle effectum, quem ex tali causa volita præuidet secuturum; Ad euitandam verò vocum, & terminorum confusionem hic aduertendum est interpretatiuam hanc intentionem interdum etiam virtualem appellari solere, quia est membrum illius, intentio namque virtualis communissimè sumpta, vt etiam sub se interpretatiuam comprehendit, diuiditur in directam, & indirectam, quæ interpretatiua dicitur; directa est, quando actualis intentio, quæ præcessit, habet pro obiecto effectum ipsum prius cognitum; indirecta verò, seu interpretatiua est, quandò actualis præcedens non habet pro obiecto effectum ipsum, sed causam eius; & hæc est intentio interpretatiua, quæ à virtuali distinguitur iam declarata, quia hæc est intentio indirecta, illa verò directa; his prænotatis.

283 Primò dicendum est, intentionem interpretatiuam, prout à virtuali distinguitur iam declarata, non sufficere ad validitatem Sacramenti. Hæc est communis, & ratio est, quia ad Sacramenti confectionem requiritur voluntarium directum, nec sufficit indirectum, Christus enim instituit, vt Minister intendat formaliter facere Sacramentum, quod ipse instituit; vndè non baptizaret, qui præuidens se in somno baptizaturum, & in somno posteà debitam materiam, & formam super certam personam applicaret; neque consecraret Sacerdos, qui præuidens se in ebrietate verba consecrationis prolaturum, voluntariè se inebriaret, & in ea ebrietate super debitam materiam verba consecrationis proferret; quia talis voluntas, & intentio non est humana, & libera secundum se, qualis esse debet actio sacramentalis; sed tantùm est libera, & humana in causa, quod non sufficit, quia etsi ex voluntate indirecta procederet, non tenderet directè in materiam, & formam sacramentorum; alioquin sequeretur Christum voluisse suum sanguinem dispẽsari etiam posse per ebrios, & amentes medijs sacramentis, quod nullo modo credendum est.

Dices, in suscipiente sacramentum sufficit intentio interpretatiua, & in causa, vt si quis amens, qui prius habuit intentionem baptizandi baptizetur, tenet sacramentum; ergo etiam sufficiet in Ministro. Confirmatur, quia talis voluntas, & intentio sufficit ad merendum, & demerendum, vt si quis præuidens se in ebrietate occisurum inimicum, & posteà voluntariè inebriatus illum occidit, est homicida, & vt talis punitur, & si quis volens propter Christum occidi, si posteà martyrium patiens ob pœnarum acerbitatem in phrænesim incidat, dicitur verè martyr; ergo talis quoque intentio ad sacramentum efficiendum sufficiens erit, quia non maior intentio requiritur ad sacramentum, quàm ad actionem meritoriam, vel demeritoriam.

Respondeo negando consequentiam, est enim discrimen, quia cum intentio ex parte suscipientis requiratur solùm, tanquam dispositio, seu conditio, per quam suscipiens intelligatur non repugnare sacramento, non est ex parte ipsius necessaria vlla alia actio humana, vt patet in paruulis; at verò cum ex parte Ministri intentio requiratur, vt principium actionis sacramentalis, debet hæc humano modo fieri, & esse religiosa, & sacra in suo genere, quod fieri non potest per solam intentionem interpretatiuam; ideoque maior intentio requiritur in baptizante, quàm in suscipiente baptismum, qui non facit, sed tantùm recipit sacramentum, plus autem vniuersaliter loquendo requiritur ad faciendum quam ad patiendum. Ex quo etiam patet solutio ad aliud negando paritatem, quod enim martyrium etiam ratione carenti suum tribuat effectum per solam voluntatem in causa, ideò est, quia voluntas suscipiendi martyrium non se habet ad illud, vt causa efficiens, sed tantum, vt disponens, sicut voluntas ad suscipiendum sacramentum; Et quamuis homicidium in ebrietate secutum, ei qui se voluntariè inebriauit, imputetur tanquam proprius effectus, non tamen illi imputatur, vt effectus humano modo ab ipso operatus, sed solùm interpretatiuè, quia moraliter ità se gessit, ac si humano modo operasset; ex quo patet discrimen inter intentionem requisitam ad merendum, & demerendum ex vna parte, & ad sacramentum efficiendum ex alia; nam vt intentio Ministri sit sufficiens ad sacramentum, comparari debet ad illud, vt causa ad effectum; vt verò actus sit meritorius, vel demeritorius, necesse non est, vt comparetur tanquam causa ad effectum bonum, vel malum, sed satis est, si terminetur, tanquam ad obiectum honestum, vel inhonestum; ex quo fit, vt actus per solam voluntatem in causa possit esse meritorius, vel demeritorius, quia potest voluntas in causa per modum actus terminari ad obiectum honestum, & inhonestum. 284

Secundò dicendum est, ad valorem sacramenti solam habitualem intentionem iam explicatam non sufficere; ità Doctor *loc.cit.* & est communis, & probatur, quia si intentio habitualis explicetur pro habitu derelicto ex actibus præcedentibus, vt nos explicuimus, hanc planum est non sufficere, quià potest esse in dormientibus, hi enim multa aliquando faciunt ex habitu, quæ tamen neque ad præmium, neque ad pænam deputantur, quia sine deliberatione fiunt; si verò explicetur habitualis intentio cum Recentioribus pro actu præterito, & non retractato; nec etiam hoc modo sumpta est sufficiens: quia intentio ad conficiendum sacramentum requisita debet esse causa influens in eius confectionem, non enim requiritur omninò per accidens, aut concomitanter, sed est per se requisita; sed intentio merè habitualis in hoc sensu nullo modo potest esse causa confectionis sacramenti, neque influere in illam; ergo sufficere nequit; maior patet, probatur minor, quia talis intentio neque manet in seipsa, quia iam præterijt; neque in aliquo effectu indè secuto, quia vt supponimus, nulla actio ad sacramentum ordinata fuit orta ex tali intentione, aliàs iam non esset intentio merè habitualis, sed virtualis; cùm ergo sacramentum, & eius effectio nec immediatè, nec mediatè ex tali procedat intentione, nam adhuc sacramentum conficeretur, etiamsi non præcessisset illa voluntas, quæ dicitur habitualiter permanere; dicendum est talem habitualem intentionem nullo modo sufficere. 285

Dices, talis intentio sufficit, vt applicetur sacrificium Missæ pro aliquo, ergò pariter sufficiet, vt conficiatur sacramentum, probatur assumptum, quia quando quis promittit dicere missam pro aliquo singulis anni diebus, & statuit id facere, etiamsi singulis diebus de hoc non cogitet, nec actu velit, aut etiam virtualiter, dicere missam pro ipso, satisfacit

facit obligationi, modò non retractauerit illam voluntatem, sed non habet diebus illis, quibus de hoc non cogitat, aliam intentionem, quàm habitualem, ergo similis voluntas habitualia, dùm non reuocatur, sufficiet ad valorem sacramenti, licet non sit causa ponendi posteà talem actionem.

286 Respondet Vasquez *disp.38.cap.6.* negando antecedens, quod tamen alij communiter concedunt, & est magis communi praxi conforme, alioqui plures Sacerdotes non satisfacerent obligationibus contractis; & negant consequentiam, & Card. de Lugo *disp.8.sec.6.* disparitatem assignat satis congruam inter applicationem missæ, & intentionem conficiendi sacramentum; quod qui applicat sacrificium futurum pro alio, in illo ipso instanti, quo applicat, facit quod requiritur, vt sacrificium prosit ipsi, quando ponetur, etiamsi tunc, quando ponitur, nullam talem habeat intentionem etiam virtualiter, & nihil aliud fiat præter positionem ipsiusmet sacrificij, quæ positio non dependet ab illa volitione præterita; & quod hoc fieri possit, ità declarat, nam sicut possunt aliqua ex nunc donari sub conditione, si crastina die in meam venerit potestatem, qua conditione cras posita, voluntas præterita transit in absolutam, & habet effectum; sic dicendum videtur de fructu sacrificij, cuius Sacerdos est quasi dominus, & dispensator ex Christi commissione; poterit ergò donare, vel dispensare illum fructum sub conditione, si ponatur sacrificium, quæ voluntas habebit effectum posita conditione, cùm sit legitimi dispensatoris, & non retractata; sed confectio sacramenti dependet ab intentione, non procedit autem ab intentione habituali, vt suprà probatum est, sicut nec Missæ celebratio prouenit à voluntate illa, quam heri quis habuit illam dicendi ad intentionem alterius, quàmuis ab illa proueniat, quod prosit illi; Sed melior quoque disparitas desumitur ex doctrina suprà tradita num.277. quod vt aliqua forma habitualiter permanere dicatur vel physicè, vel saltem moraliter, opus est quod in eo subiecto vel aliquem relinquat habitum, vel saltem obligationem aliquam sequentem ad illam formam, quo pacto actus contrahendi vniuersaliter loquendo etiam præteriti moraliter permanere dicuntur, quia obligationem relinquunt; & ità est in proposito de Sacerdote, qui promittit dicere missam pro aliquo singulis anni diebus, quia talis promissio obligationem relinquit, ratione cuius habitualiter permanere dicitur in genere moris, ideoque talis intentio habitualis sufficit, vt applicetur singulis diebus sacrificium missæ pro illo; At non sic est de intentione iamdiu præterita de conficiendo sacramento, & non retractata, quia hæc nec physicè permanet nec in seipsa, nec in aliquo effectu ab ipsa secuto; nec etiam moraliter, quia nulla ex tali intentione præterita orta est obligatio; ideoque intentio habitualis nullo modo dici potest.

287 Tertiò dicendum est intentionem actualem esse quidem sufficientem, imò sufficientissimam ad valorem sacramenti, non tamen esse necessariam; Conclusio est communis, & quidem quoad primam partem satis de se patet, quia actualis intentio inter omnes est perfectissima in ratione intentionis, & ità sine dubio sufficientissima est; Quoad alteram partem est etiam certa, quia vt ait Doctor, Deus non obligauit hominem ad impossibile, vel nimis difficile, sed moraliter impossibilis est continuata attentio in aliqua actione, quia vt ait Augustin.3. *de lib.arb.* non est in potestate nostra, quin visis tangamur, & experientia docet obiectum sensibile ob concomitantiam, & connexionem appetitus sensitiui cum intellectiuo voluntatem distrahere, & rationem.

Confirmatur, quia non maior intentio requiritur in actionibus sacramentalibus, quàm in alijs actionibus moralibus, & meritorijs; sed ad omnes actiones humanas, & contractus exercendos non necessariò requiritur actualis intẽtio, sed sufficit virtualis, communis enim modus agendi in hominibus hic est, & hoc modo validi sunt contractus omnes, & omnes actus humani, & hoc sufficit, vt oratio vocalis sit meritoria, ergo &c.

288 Quartò dicendum est, solam virtualem intentionem superius declaratam esse sufficientem, & necessariam ad conficiendum verum sacramentum; ita Doctor *loc. cit.* & est communis, quia aliàs esset moraliter impossibile vera sacramenta conficere, nam moraliter impossibile est, quod semper habeatur intentio actualis, vt dictum est, ergò si virtualis non sufficeret, quæ mediat inter actualem, & habitualem, vt perfectior ista, & imperfectior illa, moraliter esset impossibile conficere vera sacramenta, quando occasio postulat, quod satis absurdum esse de se patet.

Hic autem duplex occurrit difficultas. Prima est, quomodo ex illa voluntate, quæ dicitur virtualiter permanere, proueniant omnes actiones subsequentes, in quibus, vel ratione quarum dicitur virtualiter permanere, cùm actu non sit; v.g. Sacerdos volens missam celebrare exit è cella, pergit in Sacristiam, induit se sacris vestibus, & vadit ad altare, vbi sine vlla memoria illius intentionis amplius, quia distrahitur, inchoat, & prosequitur missam cum tali distractione, quomodo ergò omnes illæ actiones ab illa volitione proueniunt? Altera difficultas est, quanto tempore possit hæc virtualis intentio durare, & quæ conditiones requirantur, vt censeatur adhuc esse virtualis intentio, & non habitualis tantùm.

Ad primam difficultatem dicendum est intentionem præteritam, & non reuocatam duplicem esse posse, vel dupliciter contingere posse, primò itaut nullam habeat influxum in administratione, & confectione sacramenti v.g. si hodie applicem sacrum crastinum pro tali defuncto, quæ voluntas nullo modo est causa, quod ego cras faciam sacrum & ideò hæc intentio dicitur merè habitualis; sic pariter si die externa, vel altera præcedenti infantem baptizare proposui, & oblata occasione hodie, vel cras illum baptizo nil amplius de hoc cogitando, hæc pariter censetur intentio merè habitualis nullum habens influxum, nec physicum, nec moralem in huius sacramenti administratione. Alia verò intentio est, quæ habet influxum saltem remotum in sacramenti confectione, vt cùm Sacerdos intentione celebrandi se in Ecclesiam confert, se præparat ad celebrandum, sacras induit vestes, & missam celebrat, tunc etiamsi in recitando missam distractio contingat ab illa prima voluntate, adhuc tamen prior illa voluntas manet in mente in primo illo effectu, & ex illo deriuatur in subsequentes ratione connexionis, quam habent, eo modo quo explicatum est supra num.281. ac proindè, quamuis illa prior actualis intentio toto tempore sacri non duret, quia tamen manet in virtute in omnibus actibus sequentibus ex illa prima intentione, ideò verè sacramentum perficitur; & verum est dicere, quod hic effectus præsens ab illa prima voluntate, ortum habet, in quo differt à voluntate merè habituali, quæ ita est præterita, vt nullum influxum habuerit in effectum præsentem. 289

Ad aliam difficultatem respondet Suarez *cit. sec.3. §. quo circa dicendum*, vt illa prima intentio durare dicatur, & perseuerare in actibus subsequentibus opus esse, vt ex vi præcedentis actualis intentionis moueatur homo ad efficiendas aliquas actiones de se ordinatas ad sacramentum conficiendum, & contineat; nam si per actionem disparatam interrumpat, tenetur iterum nouam habere actualem intentionem, alioquin si tali pacto conficiat, sola habituali intentione confecturum, quæ non sufficit, vt si quis habens intentionem conficiendi sacramentum Baptismi, ex hac intentione moueatur è cella, & accedat ad Ecclesiam, & cætera præparet; si omnes sint actiones continuatæ, durat virtualis intentio, quia omnes sunt actiones ordinatæ ad id, quod actualiter intendebat; sed si intermediet tractando aliquod aliud negotium, & posteà reassumat; dicunt exigi nouam intentionem actualem, quia virtualis iam cessauit per illam interruptionem, quem dicendi modum sequi videntur Vasquez, Coninchius, Becanus, Meracius, Caspensis, Molfesius, & alij Recentiores dicentes, quod si interrumpantur actiones procedentes ex vi actualis intentionis, censeri quod cessauerit etiam virtualis intentio. 290

Verùm, quamuis hic dicendi modus sit tutior, tamen est adeò rigorosus, vt in pluribus casibus dicendum esset Sacerdotes sacramenta non conficere, sæpè enim accidit, vt intendens aliquod sacramentum conficere, & hac de causa ad Ecclesiam accedens, aliquod incidenter occurrit negotium, cui incumbit, & posteà absque nouo actu accedit ad sacramentum conficiendum; Mitius ergo cum Doctore dicendum *loc.cit.* intentionem virtualem semper adesse, quando præcessit actualis intentio, nec reuocata fuit, & solùm tantùm temporis fluxerit, quod moraliter censetur ab actuali processisse, licet interim aliqua actione disparata interrumpatur; vndè inquit Doctor, quod si quis intendat ire ad Sanctum Iacobum, licet non semper cogitet de Sancto Iacobo, & eius reuerentia; dùm tamen exercet actiones ad talem finem ordinatas semper meretur, quia ex actuali procedere 291

cedere censentur, licet cum illis actibus concurrant aliqui actus distrahentes ab intentione illa prima, & ab intentionibus eorum, qui sunt ad illum finem; Vndè paulò infrà inquit, ex his concludo, quod sufficit in baptizante intentio virtualis, hoc est, quod aliquando habuerit intentionem actualem, ex qua descendit nunc verè actus baptizandi, sinè in isto actu habeat intentionem actualem, vel aliquam ex ea descendentem, siuè non; intelligo autem, inquit, quod descendit ille actus absq; omni motu voluntatis contrario, quod etiam explicat exemplo Sacerdotis volentis celebrare; Quæ doctrina valdè probabilis est, & multos sedans scrupulos, nec destituta ratione, quia interruptio, vt sic, non officit, quin censeatur intentio virtualis durare; alioquin quælibet etiam modicissima obstaret, vt si quis dùm sacras induit vestes ad celebrandum, breuem excipiat nuncium de aliqua re, quod nimis durum esset asserere; nam non obstante tali interruptione, si Sacerdos ille interrogetur, cur vestes induat sacras, respondebit adhuc, quia statuit missam celebrare, ergo signum est, quod non obstante tali interruptione prædictæ actiones fiunt ex vi actualis intentionis, quæ præcessit, quod non accidit, quando intentio est merè habitualis; quem dicendi modum amplectitur Morandus *tract. 1. de sacram. in genere q. 19.* cum alij Recentioribus, Reginald. *in praxi Confess. tom. 2. lib. 26. cap. 5.* & alij Summistæ.

292 Quintò tandem dicendum est, ad efficiendum sacramentum necessariam esse intentionem absolutam, neque sufficere conditionatam, nisi talis sit, quæ statim transeat in absolutam. Hæc etiam est communis, & ratio primæ partis est, quia intentio pro conficiendo sacramento debet esse efficax, at sola absoluta est efficax, non verò conditionata, ergo illa est necessaria; probatur etiam, & explicatur quoad alteram partem, quia conditio apposita intentioni, vel est de futuro, vel præterito, vel præsenti; si est de futuro, vt v.g. absoluo te, si cras restitutionem feceris, non conficit sacramentum, ratio est, quia talis conditio de futuro suspendit intentionem præsentem, & facit, quod tunc Minister intentionem non habeat, quia intentio, quam habet, dependet ab illa conditione futura; sed ad sacramenta conficienda requiritur intentio de præsenti, quia requiritur intentio influens in administrationem illorum, vel actualis, vel saltem virtualis; Si verò intentio est de præterito, vel de præsenti, opus est, vt vel omninò destruat intentionem, vel vt illam relinquat absolutam, & efficacem; nam si conditio illa nec fuit, nec est, iam destruit intentionem, quia voluntas sub conditione, non posita conditione, nulla est. si verò conditio illa vel fuit, vel est, iam intentio transit in absolutam, quia voluntas sub conditione, posita conditione, fit absoluta. Vndè quando quis alterum baptizat sub hac conditione, si non es baptizatus, ego te baptizo, illa conditio vel est adimpleta, vel non; si non est adimpleta, destruitur intentio ob rationem allatam; si verò est adimpleta, intentio transit in absolutam, & ità conficit sacramentum; & hac de causa iura consulunt, quod si sacramenta fiunt sub conditione, hæc conditio sit de præterito, vel de præsenti, non verò de futuro, nam adimpleta conditione, conficitur sacramentum; non adimpleta verò, non conficitur, quia statim intentio destruitur.

Dices, quod si sacramentum conficiatur sub conditione de futuro, etiamsi tunc non fiat, quia non adest intentio, fiet tamen posteà, si conditio apposita impleatur. Respondetur nec etiam postea fieri, quia ad conficiendum sacramentum vltrà Ministri intentionem requiritur materia, & forma sacramenti; ac posteà cùm impletur conditio, licet intentio adesset, non tamen adest materia, & forma sacramenti, quippe quæ iam præterijt, & ideò nec anteà, nec post fit sacramentum.

QVÆSTIO OCTAVA.

An in statu Innocentiæ fuerint aliqua sacramenta, vel saltem fuissent, si perseuerasset.

293 Circà primam quæstionis partem non est magna difficultas, loquendo enim de facto, & de statu innocentiæ, in quo fuerunt nostri primi parentes Adam, & Eua, est ferè communis opinio nullum fuisse tunc institutum sacramentum, aut traditum Adamo in statu illo, quatenus breui tempore antè lapsum durauit; & facilè suadetur, quia nullum de facto iudicium extat ratione, vel auctoritate fundatum alicuius sacramenti, quod in eo statu primis parentibus datum fuerit, quia cum tempus illud breuissimum fuerit, itaut sacramentorum vitii locus vix esse potuerit, non erat cur Deus vllum sacramentum pro tunc instituerit, & planè de statu innocentiæ tot rationes, & congruentiæ non procedunt, quot spectant ad statum naturæ lapsæ, pro sacramentorum institutione, vt notat Doctor *4. d. 1. q. 3. art. 3.* dum inquit pro statu innocentiæ non fuisse congruum institui sacramentum, sicut post lapsum; quia etsi tunc homo potuerit ex sensibilibus cognoscere intelligibilia, tamen nullum sensibile fuit necessarium, tanquam conferens ad salutem, remouendo aliquod impedimentum salutis, vt, scilicet, dici possit propriè medicina; quæ ratio Doctoris fundamentum habet in communi Sanctorum Patrum consensu existimantium occasione peccati, & in eius remedium sacramenta instituta fuisse, ex quo consequenter deducere licet in statu innocentiæ antè peccatum nullum fuisse institutum sacramentum, hoc enim sine vllo prorsus fundamento fingeretur, cum neque ex Scripturæ testimonio, aut Patrum, neque ex traditione Ecclesiæ constet vllum tale sacramentum fuisse institutum, prout hic de sacramentis agimus.

Solùm de matrimonio potest esse aliqua dubitatio, quia verè antè peccatum Adam, & Euæ, coniugium celebratum fuit, & Apostolus ad Ephes. 5. propter illa Adami verba, *hoc nunc os ex ossibus meis* &c. dixit, *sacramentum hoc magnum est in Christo, & in Ecclesia*, qua nixus auctoritate Alensis *4. part. q. 1. memb. 2. art. 1.* asserit matrimonium in statu innocentiæ verè fuisse sacramentum, inquit enim matrimonium duplici ratione posse dici sacramentum, vel quatenus significat gratiam perficientem, vel quatenus significat gratiam reparantem, priori modo sumptum sacramentum ait benè institui potuisse antè lapsum, & tale inquit fuisse matrimonium in statu innocentiæ quem mordicus sequitur Catharinus tract. de matrimonio *q. 3.* quod etiam sensisse videtur Hugo *lib. 1. de sacr. cap. 12. & 13.* 294

Hanc difficultatem tangit Doctor *loc. cit.* quam remittit inferius resoluendam, nempè *4. d. 26. q. 1. §. de primo*, vbi inquit lit. K. non posse dici, quod sacramentum matrimonij sit institutum in statu innocentiæ Genes. 2. quia omnia sacramenta habent efficaciam à passione Christi exhibita, vel præuisa; si autem status innocentiæ stetisset, passio Christi non fuisset exhibita, nec præuisa; & subdit in matrimonio esse rationem contractus, rationem matrimonij, & rationem sacramenti, & secundum illa duo prima fuisse à Deo institutum matrimonium in statu innocentiæ, quod innuit Christus Matth. 19. *quod Deus coniunxit, homo non separet*, quia approbauit contractum illum matrimonialem; tamen in ratione sacramenti fuit à Christo institutum; & ad testimonium Pauli adductum inquit, intelligi debere de sacramento latè accepto, idest, pro signo rei sacræ, cuius tamen non est causa, vel signum aliquod efficax, & prout sacramentum significat *mysterium*, eo quod illud matrimonium fuit aliquale signum futuræ desponsationis Verbi cum natura humana, & Christi cum Ecclesia; vndè cùm nulla sanctitas tunc causata fuerit in illius matrimonij virtute, non potuit habere veram, & propriam sacramenti rationem, prout hic de eo agimus; qua solutione passim vtuntur Recentiores omnes; Et tandem si matrimonium illud fuisset verè, & propriè sacramentum à Deo institutum in statu innocentiæ, perseuerasset etiam posteà in statu naturæ lapsæ, & legis Mosaycæ, quod omnes negant; perseuerasset, inquam, etiam in Mosayca lege, quia nulla ratione constat, aut auctoritate, quod posteà fuerit abrogatum; idem clarius habet Doctor *4. d. 39. q. 1.* infrà A. quod matrimonium non esset sacramentum, etiamsi status innocentiæ durasset.

Circà alteram quæstionis partem est maior difficultas, an, scilicet, aliqua fuissent sacramenta in statu innocentiæ, si perseuerasset Adamo non peccante; & quidem quæstio mouetur de facto, & non de possibili, quia omnes admittunt non repugnare, quod etiam in eo statu aliqua sacramẽta fuissent, imo & aliquas congruẽtiæ rationes suppetere, vt tunc etiam instituerẽtur; nam status ille, quamuis perfectissimus, adhuc tamen cognitionem habuisset spiritualium à sensibus dependentem, & per consequens adhuc sacrorum symbolorum sensibilium capax fuisset, per quorum notitiam in abstractam, & obscuram latentium mysteriorũ cognitio- 295

gnitionem homines duci potuissent; & planè sicut contrà perfectionem status illius de facto non fuit, vt primi nostri parentes dependenter ab abstinentia vnius pomi sensibilis iustitiam originalem conseruarent, tam pro se, quam pro posteris; ità neque contrà eiusdem status perfectionem fuisset dependenter à signis sensibilibus notitiam rerum diuinarum accipere, nec non eiusdem iustitiæ accrementum. Et hoc totum est de mente Doctoris *loc. cit.* vbi absolutè non negat congruentiam instituendi sacramenta pro eo statu, sed collatiuè tantùm cum statu lapsus, dùm inquit non fuisse congruum in statu innocentiæ sacramenta institui, *sicut post lapsum*, vbi constat particulam illam *sicut* esse collatiuam, ac proindè non excludere quamcunq; congruentiam pro statu innocentiæ, sed solùm tantam, quanta est in statu naturæ corruptæ; Vndè quando Scotus affirmat cognitionem tunc etiam ex sensibilibus fuisse, congruentiam assignat parem pro eo statu, & pro statu post lapsum; & cùm deindè negat sensibile illud potuisse dici medicinam, in hoc assignat disparitatem congruitatis pro isto, & illo statu; Ex quo liquido constat Doctorem aliquam quoque congruentiam agnouisse pro instituendis sacramentis in statu innocentiæ. Est ergo sola difficultas, an de facto in eo statu fuissent sacramenta, non enim hoc ipso, quod aliquid conueniens est, futurum est, quia cùm futuritio à diuina pendeat voluntate, etiamsi in eorum institutione maxima appareret conuenientia, non ob id affirmare possumus, ea in statu innocentiæ futura; licet enim nonnullæ congruentiæ afferri possint, tamen illæ non conuincunt, quod Deus deberet illis moueri; Itaque quæstio est quid probabilius conijci possit ex congruentijs, quæ pro vna, vel altera parte solent adduci.

296 In hac controuersia tres sunt sententiæ, duæ extremæ, & vna media; Prima sententia extrema absolutè affirmat futura fuisse in eo statu sacramenta etiamsi Verbum incarnatum non fuisset, ità Centinus ex nostris *disp. 1. de sacramentis in genere cap. 2.* & Morandus cum quibusdam alijs Recentioribus. Secunda sententia extrema absolutè negat futura fuisse sacramenta in eo statu, siuè incarnatum, siuè non incarnatum fuisset Verbum, ità Caietanus, Valentia, Vasquez, Becanus, Amicus, Caspensis, Meracius, Auersa, & ex nostris Hiqueus, Poncius, Faber, ac alij Recentiores citantes plures antiquiores. Tertia tandem sententia media affirmat futura fuisse in eo statu sacramenta, supposito quod in eo statu futura adhuc esset incarnatio Verbi, negat autem tali hypoteti non concessa, ita Suarez, Baldius, Coninchus, Cardinalis de Lugo, Nugnez, & ex nostris Aretinus, Rada, Brancatus, & alij Recentiores.

ARTICVLVS PRIMVS.

Resolutio Quæstionis negatiua.

297 Dicendum est cum secunda sententia, quod quantum coniectare licet ex congruentis, quæ pro vtraque parte adduci solent, verisimilius est, quod si status innocentiæ durasset, nulla fuissent in eo sacramenta instituta, siuè Verbum fuisset incarnatum, siuè non. Ità clarè ex Scoto deducitur *loc. cit.* cùm inquit, quod quamuis in statu innocentiæ posset esse profectus instructionis, & scientiæ ex sensibilibus, hoc tamen non sufficit ad sacramenti institutionem, cùm ibi nullum esset impedimentum salutis, quod remoueri deberet per medicinam, & quod matrimonium non esset sacramentum etiamsi status innocentiæ durasset.

Primò autem probatur, quod nulla fuissent in eo statu sacramenta supposita sententia, quod Adamo non peccante Verbum non esset incarnatum; de facto enim omnia sacramenta sunt à Christo Domino instituta in remedium naturæ infirmæ, & in gloriam, & exaltationem ipsius Christi; ex Scoto *4. d. 26. cit.* ergo negata hypotesi incarnationis Verbi, nulla fuissent sacramenta ex his, quę de facto sunt instituta; Consequentia probatur, nam quod fuissent, vel non fuissent instituta, deduci debet ex decreto, quo de facto sunt à Deo instituta; at hinc potius deducitur oppositum, siquidem vi præsentis decreti Deus sacramenta instituit, vt instrumenta passionis Christi in remedium naturæ infirmæ, & pariter in gloriam, & exaltationem ipsius Christi; at perseuerante innocentiæ statu, & Verbo non incarnato, omnia hæc motiua cessarent, ergo &c.

Respondet Morandus *tract. 2. de sacram. in genere quæst. 7.* quod esto Verbum non esset incarnatum, Adamo non peccante, non per hoc tamen cessasset conuenientia sacramentorum, quia hæc non consideratur penes Christum, sed statum ipsum, & conditionem hominum, qui in illo vixissent; & gratis concedit, quod tunc non fuissent sacramenta eiusdem rationis, ac modo, & quod non niterentur in meritis Christi, neque illum vllo pacto significarent, sed immediatè ipsum Deum respicerent.

Hæc tamen solutio valdè friuola est, hic enim sermo est 298
de sacramentis, quæ modò extant, & sunt signa sensibilia gratiam conferentia ex opere operato, & non de sacramentis alterius rationis, alioquin quæstio ad litem reduceretur de nomine, quid nempè intelligendum sit nomine sacramenti; infrà autem ostendemus institutionem sacramenti in hoc sensu non fuisse conuenientem statui, & conditioni hominum, qui in statu innocentiæ vixissent, quia facilè poterant ob perfectionem illius status, & naturæ integritatem gratiam, & eius augmentum acquirere proprijs actibus cum alijs diuinis auxilijs, ac per consequens illi statui non conueniebat, quod in eo esset instrumentum causans gratiam ex opere operato, quale est sacramentum, prout de eo hic loquimur; adhuc tamen concedimus sacramenti institutionem etiam in hoc sensu non esse ita contrà perfectionem, & conditionem illius status, quasi implicet contradictionem Deum in eo statu sacramenta instituere; & solùm asserimus non fuisse illi statui congruam, & proportionatam, vt enim pluribus in locis docet Aug. de natura, & gratia c. 48. & de corrept. & gratia c. 10. & seq. de Ciuit. *lib. 14. cap. 26.* & alibi frequenter, non habuissent homines in illo statu difficultatem rectè operandi, neque errorem in cognoscendo propter iustitiam originalem, hæc enim duo secuta sunt peccatum, tanquam pœna; vndè sine adminiculo vllo gratiæ per sacramentum in recipiendæ facilè potuissent se conseruare, & proprijs actibus cum gratia Dei elicitis habitualem gratiam augere vsque ad terminum magnitudinis in via requisitum; ergo tali conditioni status sacramenta non congruebant, quia in eo gloriæ assecutio posita erat in meritis liberi arbitrij cum gratia Dei actuali, quæ potestatem dabat operandi, & consequenter alia media erant superflua.

Secundò probatur, quia loquendo de facto, & de statu 299
innocentiæ, in quo fuerunt primi nostri parentes, nullum fuit institutum sacramentum, vt fert communis opinio, & suprà probatam est ab initio quæstionis; ergo neque institutum fuisset, si posteà perseuerasset; probatur consequentia, quia confirmatio posterorum in eo statu à perseuerantia primorum parentum dependebat, vndè potius congruum videbatur, quod pro eorum perseuerantia Deus aliquod sacramentum institueret, quo facilius adiuti diabolicæ tentationi resisterent, quàm pro posteris; cùm ergo hoc non obstante non instituerit illud pro eis, verisimile est, quod neque pro istis instituisset, si status innocentiæ perseuerasset.

Respondent, quod à principio status innocentiæ instituisset Deus sacramenta, nisi præuidisset paruam illius durationem; Quod si durasset, verisimile est, quod sacramenta instituisset, quia status diuturnus perfectior quoad gratiam, qualis tunc fuisset, si durasset, exigit institutionem mediorum proportionatorum statui, quibus gratia perfectius augeatur, cuiusmodi sunt sacramenta. Contrà, imò hac ratione verisimilius videtur, quod de facto etiam debuisset sacramenta instituere, quibus adiuti primi parentes facilius tentationi esus pomi resisterent, & statum innocentiæ pro se, & posteris conseruarent; res tamen ità se habet, quod antè præuisionem casus primorum parentum, decreuit illis dare quæcunque ad eum statum pertinebant, prout ab ipso institutus fuit, & de facto dedit eis, & omnia, & quantum sat erat ad resistendum diabolicæ tentationi; neque ob præuisionem casus eorum abstulit eis priuilegium aliquod, vel adiutorium, quod ad perfectionem illius status pertineret; quarè ex modica illius status duratione solùm à posteriori deduci potest; quod pro eo non fuerint sacramenta instituta, non verò à priori.

Confirmatur, quia vt notat Caspensis, per se loquendo non fecit Deus illum statum, vt per diem duraret, vel sex horas, sed per multum tempus; nam quantum est ex se constituit Adamum in statu innocentiæ, vt statum illum sibi, & posteris conseruaret; quarè cùm in prima illius status cōstitutione aliquod sacramentum non fuerit institutum, deducen-

cendum est, quod neque institutum fuisset, si durasset; quia decretum, quo de facto Deus statum innocentiæ constituit, non fuit ad modicum tempus per se, & ex primaria Dei intentione determinatum, & contractum; sed per se loquendo ad statum tetendit per multum temporis duraturum; cùm ergò de facto ex vi talis decreti nullum sacramentum fuerit institutum, consequenter idem est asserendum, si status innocentiæ durasset.

300 Tertiò probatur, quia cessante motiuo institutionis sacramentorum, cessat quoque eorum institutio; sed in statu innocentiæ nullum fuisset motiuum, propter quod de facto instituta sunt sacramenta, ergo &c. Minor probatur, quia motiuum, propter quod instituta de facto sunt sacramenta, fuit ad subueniendum naturæ infirmæ humanitatis nostræ, quæ per peccatum sauciata ad missam sanitatem acquirendam, & recuperandam aliquo indiguit efficaci remedio; at in statu innocentiæ tale motiuum cessasset, quia natura humana iustitiæ originalis ope fuisset perfectè sana, ergo nulla fuissent tunc instituta sacramenta.

Respondent, quod licet in statu innocentiæ natura humana non fuisset infirma, sicut modò per peccatum sauciata; adhuc tamen homines in eo statu peccare poterant, imò & de facto aliqui peccassent, sicut de facto peccarunt primi parentes; fuisset ergò necessarium homini aliquod remedium pro peccato saltem, quod potuit committere; adæquatum namque motiuum institutionis sacramentorum dicunt non fuisse ad resurgendum à peccato, & gratiam recuperandam, sed adiutorium, ne homo cadat, vel vt resurgat; & ad recuperandam gratiam, vel eam conseruandã, & augendam; nec nostra sacramenta omnia ad iustificationem primam sunt instituta, cùm id muneris baptismus duntaxat, & pœnitentia obtineant, cætera verò gratiam augeant; ad hoc ergò saltem valdè contulissent sacramenta etiam in statu innocentiæ, cùm gratiam causent ex opere operato, quæ est magna perfectio, & excellentia in sacramentis; & indiguissent aliquo sacramento, quo munirentur ne peccarent, vel à peccato resurgerent, vt possent finaliter stare; quarè si propter peccatum, vel potentiam ad peccandum asseritur congruentia sacramentorum, iam in statu innocentiæ aderat motiuum instituendi sacramenta.

301 Verùm quamuis homines etiam in statu innocentiæ potentiam ad peccandum habuissent, non tamen ità facilem, vt modò in statu naturæ lapsæ, nam tunc fuissent creati in gratia, & fomitem non habuissent, quia hic est effectus peccati, liberum etiam arbitrium, vires integras, & inoffensas habebat, & prætereà homines prædiii erant dono iustitiæ originalis, quæ potentias inferiores superioribus subdebat; & ideò non aliquo sacramenti adiutorio indigebant ad cauendum à peccato, & perseuerandum in bono; quia sacramenta modò non præseruant à peccato, nisi conferendo gratiam, & peccati fomitem mitigando, ac fortitudinem præstando libero arbitrio, ac propter nullum istorum sacramenta in statu innocentiæ necessaria fuissent; ità significauit Doctor 2. *d*. 20. *q*. 1. in solutione ad 1. vbi loquens de hominibus in statu innocentiæ, si durasset, inquit cum Anselmo, quod mirabiliter fuissent adiuti filij, ne peccassent, tum propter iustitiam originalem, tùm propter sollicitam doctrinam parentum, qui filij si habuissent victoriam de prima tentatione, sic fuissent confirmati in gratia, sicut primus parens, si primæ tentationi restitisset, & victoriam habuisset; ità Doctor; quibus verbis expresè docet alia via præseruandos fuisse homines in statu innocentiæ à peccato, quam per sacramenta; vnde miror, quomodo Brancatus noster *disp*. 4. de sacram. *art*. 2. ex hoc loco deducat ad mentem Doctoris homines in statu innocentiæ indiguisse sacramentis, ne peccarent; hoc siquidem neq; per somnium indicauit Doctor *loc. cit.* sed potius oppositum, cùm dicit, quod mirabiliter fuissent adiuti, ne peccarent, tùm propter iustitiam originalem, tùm propter sollicitam parentum doctrinam. Et licet in sacramento ipso perfectio sit & magna ipsius excellentia, quod gratiam causet ex opere operato, hæc tamen est perfectio supplens imperfectionem, quia supponit imperfectionem status hominis, in quo gratia causatur, supponit siquidem infirmitatem eius ad consequendam gratiam per proprios actus ad quam difficultatem supplendam instituta sunt sacramenta, quæ illam causent ex opere operato; In statu autem innocentiæ talis difficultas non obstabat, nam facilè poterant homines proprijs actibus gratiæ augumentum acquirere, vt suprà declaratum est cum D. Aug. ac proindè eminentiæ status illius conueniens non videtur, quòd in eo esset instrumentum ex opere operato gratiam causans, quia in eo statu tanta necessitas non erat talis instrumenti, quanta est in statu naturæ lapsæ.

An verò in eo statu aliqui de facto peccassent mortaliter, 302
vel saltem venialiter, aliqui vtrumque negant cum D. Tho. *p*. 2. *q*. 89. *art*. 3. aliqui vtrumque concedunt, etiam ex nostris, quod non satis consonat Doctori *loc. cit.* vbi sequi videtur sententiam Anselmi *lib*. 1. *Cur Deus homo*, quod si vicissent primi parentes, sibi, & posteris meriti essent in effectu confirmationem, itaut amplius non peccarent mortaliter, quam tamen sententiam limitat Doctor, vt intelligenda sit de filijs post primam tentationem deuictam, fore vt confirmarentur in gratia, quod rationi satis consonum videtur, quia filij Adæ non fuissent melioris conditionis, quam primi eorum parẽtes, ac proindè licet fuissent producti in gratia, tamen non statim in ea confirmati fuissent, sed postquã primam tentationem vicissent, & poterant peccare antè cõfirmationem, sicut de facto peccauit Adam; imò neq; hæc confirmatio ex Doctore ibidem tolleret peccandi potentiã, sed ità per eam prouideretur, vt talis potentia nõ reduceretur ad actum loquẽdo de peccato mortali, siquidem peccatum mortale cum statu innocentiæ videtur omninò incompatibile; Concedit tamẽ Doctor, quod aliqui peccassent venialiter, quia cum peccatum veniale stet cum gratia, statui innocentiæ repugnare non videtur, vt ex professo dixi *lib*. 2. *disp*. 4. *q*. 3. *art*. 1. ex peccato autem veniali, aut potestate ad ipsum non colligitur sufficiens motiuum instituendi sacramenta, quia nec etiam de facto in statu naturæ lapsæ instituta sunt sacramenta primariò ad effectum deletionis peccati venialis, atq; ideò etiam in statu innocentiæ sufficiebant alia remedia, quibus etiam de facto in statu naturæ lapsæ extrà sacramentum deletur. Sed dato etiam, quod in eo statu aliqui peccassent mortaliter, adhuc non deducitur sufficienter necessitas, vel congruitas, quod pro istis fuissent sacramenta instituta, sed satis, & superabundè ijs quoq; prouisum fuisset de opportuno remedio illi statui magis proportionato, nempè per internos actus contritionis, & amoris Dei super omnia, & cum vberioribus auxilijs ad hos actus excitantibus, & promouentibus, vti de facto primis parentibus prouisum fuit post eorum peccatum; tùm quia sacramenta sunt signa, & remedia communia instituta pro tota republica, & non pro vno, vel altero singulari tantùm.

Quartò, quia aliqui contendunt saltẽ causa instructionis 303
potuisse in statu innocentiæ sacramentum institui, vt ex sensibilibus homines intelligibilia cognoscerent, quod illi statui non repugnat, quia tunc temporis etiam homines æquè, ac nunc naturaliter haberent, vt in suis actionibus animo, & corpore vterentur; probatur neque ex hoc capite rectè deduci posse institutionem sacramentorum pro eo statu; vt enim rectè hic Caspensis discurrit, licet in natura corrupta, in qua potentiæ cognoscitiuæ propter peccatum obtenebratæ sunt, & vulneratæ, conueniens fuerit, vt de supernaturalibus instrueremur per signa sensibilia mysteria supernaturalia obscurissimè significantia, quia sic congruebat naturam corruptam, & infirmam sanare, regere, & illuminare; nihilominus statui innocentiæ, qui perfectissimus erat, modus ille obscurus significandi, & ænigmaticus non conueniebat, tunc enim natura humana longè maioribus gaudebat priuilegijs, & longè perfectiorem habebat cognoscendi modum, ac denique clariorem habebat de supernaturalibus mysterijs notitiam; & hoc voluit significare Doctor *loc. cit. q*. 3. *art*. 3. cum inquit, quod pro statu innocentiæ non fuit congruum institui sacramentum, sicut post lapsum, quia etsi tunc homo potuerit ex sensibilibus cognoscere intelligibilia; tamen nullum sensibile fuit necessarium tanquam conferens ad salutem, remouendo aliquod impedimentum salutis, vt scilicet dici posset propriè medicina.

Tandem alia quædam argumenta pro nostra sententia 304
Faber adducit *lib*. 4. *disp*. 4. *c*. 3. quæ re vera intentum non probant, vt notat Centinus *loc. cit.* inquit enim sacramenta ad nostram iustificationem esse instituta, iustificare autẽ est facere de iniusto iustum, atq; ideò sacramentum necessariò supponit peccatum, & in eius remedium institutum est; Item inquit, quod scopus sacramentorum est sanctificare, non augere gratiam, at sacramenta, si fuissent in statu innocentiæ, non sanctificassent, sed gratiam auxissent; atq; ideò frustrà fuissent. Hæc, inquã, argumenta non concludunt, nõ quidem primum, quia falsum est omnia sacramẽta instituta esse

esse ad primam iustificationem, cùm solùm baptismus, & pœnitentia ad hoc munus sint ordinata; Neque etiam secundum, falsum enim est scopum sacramentorum esse sanctificare dando primam gratiam, non verò eam augere, quoniam alia quinq; sacramenta præter baptismum,& pœnitentiam, non sanctificant per se loquendo causando primam gratiam,sed eam augendo; sacramenta itaq; sunt modò homini necessaria ad gratiam consequendam,accidit autem,vt gratia, vel mundet à peccato, & sic iustificet, vel inueniat sine peccato, & solùm vel simpliciter, vel magis sanctificet, & ad hoc dicunt Aduersarij congrua fuisse in statu quoque innocentiæ sacramentorum institutionem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Obiectiones solutæ.

305 IN oppositum obijcitur Primò, quod institutio sacramentorum pro statu innocentiæ non est contrà debitum ordinem,& perfectionem illius status, & ex alia parte poterat sacramentum ordinari ad maiorem, & perfectiorem gratiã obtinendam absq;eo,quod talis gratia sit sanans,aut præseruans à peccatis,cùm non tantùm, vt medicina sint sacramẽta instituta, imò aliqua sacramenta nouæ legis habent fines tales,vt etiam in statu innocentiæ possent deseruire,vt patet de Sacramento Confirmationis,& Matrimonij; ergo quãuis in statu innocentiæ non fuerit peccatum, potuit adhuc Deus aliquod sacramentum pro eo statu instituere. Conf. quia tunc non fuissent homines deterioris conditionis,quã sint nunc; quoad susceptionem, & augumentum gratiæ, & gloriæ, sed nunc homines non solùm habent media suscipiendi, & augendi sibi gratiam, & gloriam per internos virtutum actus, sed etiam per externa symbola sacramentalia, ergo sic etiam fuisset in statu innocentiæ, si durasset. Demum adhuc homines in gratia geniti potuissent in eo statu peccare, sicut peccarunt primi parentes, non obstante, quod fuerint in iustitia originali à Deo creati; ergo congruum esset, quod Deus instituisset remedium contrà peccatum, quod poterat committi; Consequentia probatur; quia prouidus medicus non solùm medetur præsentibus infirmitatibus, sed etiam remedia parat præseruantia ab illis, quæ timentur; sed Deus est prouidissimus, & prudentissimus omnium; ergo debuit ante peccatum præstare hominibus Sacramentorum remedia,quibus à culpa, quam poterant committere, præseruarentur.

306 Respondetur gratis concedendo sacramentorum institutionem non esse contrà debitum ordinem, & perfectionem status innocentiæ, itaut repugnet Deum in eo statu sacramenta instituere;sed intantum dicimus esse contrà ordinem illius status,quatenus pro eo talis institutio conueniens non fuit ob rationes adductas; nec etiam congruum fuit in eo statu aliquod sacramentum poni pro augumento gratiæ, quia ob perfectam naturæ sanitatem;& ope originalis iustitiæ poterant homines illud acquirere proprijs actibus,quod modò ità facilè nequeunt ob naturæ infirmitatem iam peccato contractam. Ad Conf.non ob id fuissent homines in statu innocentiæ deterioris conditionis, si sacramentis caruissent,quam sint nunc; quia ob donum originalis iustitiæ nullam haberent rectè operandi difficultatem, sicut nunc patiuntur ob vulnus naturæ peccato contractum; ideoq;sine vllo gratiæ sacramentalis adminiculo, facilè potuissent se in gratia conseruare,& proprijs actibus illius augumentum acquirere. Imò non desunt,qui dicunt,quod licet status ille hunc nostrum superasset quoad naturæ integritatem,& subordinationem appetitus inferioris cum superiori, & superioris cum Deo reliquasq; animi, & corporis perfectiones; quoad gratiam tamen, & dona, quæ per sacramenta, tanquam per quosdam canales ex ipso passionis Christi fonte, in nos deriuantur, hic noster status superat illum; cùm in hoc Euangelico statu longè vberiora habeamus dona,quàm homines habuissent in illo; nam in hoc, & vberiora, & efficaciora habemus per Christum auxilia, quàm in eo statu habuissemus,vt notat Aug. locis suprà citatis, quo alludit illud, quod Ecclesia canit, *O felix culpa* &c.& ità præsertim discurrit Amicus *disp*.3. *sect*.1. Ad vltimum satis constat ex doctrina tradita superius n.301.cui etiam addi potest, quod medicinam præseruatiua non datur, nisi hominibus ad aliquam infirmitatem dispositis,vt ab ea præseruentur; in statu autem innocentiæ nulla fuisset dispositio ad peccatum, quia liberi arbitrij vires integræ erant, vt suprà dictum est.

307 Secundò obijcitur, quia homo constans ex anima,& corpore decet,vt per corporalia,& sensibilia deducatur ad spiritualia; sed hæc ratio militat in homine etiam in statu innocentiæ constituto, quia etiam tunc in sui cognitione dependeret à sensibus;ergò etiam tunc eius naturæ conueniens esset, vt ad percipienda spiritualia per sensibilia eleuaretur. Conf.ob perfectionem præsentis status legis Euangelicæ est maximè conueniens sacramentorum institutio; ergò etiam in statu innocentiæ,quia esset status perfectior,& adhuc Viatorum. Tandem in eo statu homines essent capaces augumenti gratiæ,ergo conueniens esset,vt via faciliori, & expeditiori ad illud ducerentur, quę est per sacramenta; nã quamuis homines in gratia omnes futuri fuissent, & Deo accepti per gratiam,vel iustitiam originalem;ex hoc duntaxat elicitur, sacramenta primam gratiam conferentia nulla futura in eo statu fuisse; at sacramenta gratiam augentia nullo incommodo negare conuincimur, maximè cum augumentum gratiæ perfectissimum illum statum deceat.

308 Respond.negando minorem,vt satis constat ex quarta ratione pro nobis adducta n.303. Ad Confirmationem negatur consequentia, imò quia status ille perfectior erat,non ei conueniebat sacramentorum institutio, nec talibus egebat adiutorijs; Et quamuis magna perfectio sit in sacramentis gratiam conferre ex opere operato, hæc tamen est perfectio supplens imperfectionem,quatenus supponit in homine vulnerato per peccatum infirmitatem naturæ ad consequendam gratiam per proprios actus, & ex opere operantis, vt dictum est suprà n.301. Ad vltimum negatur consequentia,iam enim suprà dictum est, quod ope iustitiæ originalis potuissent homines proprijs actibus cum auxilio Dei elicitis, & ex opere operantis augumentum gratiæ acquirerè absque vllo sacramentorum adminiculo,& hæc via augendi gratiam hominibus in eo statu fuisset æquè facilis, & expedita, ac modò fit nobis per sacramenta; & opera quibus homines illius status meritoriè suam gratiam auxissent, essent illi proportionatissima, quandoquidem nullam difficultatem habuissent benè operandi, quam modo nos habemus, & sacramentis egemus ad eam tollendam, quæ gratiam conferunt ex opere operato.

309 Tertiò obijcitur, status diuturnus perfectior quo ad gratiam,qualis esset status innocentię,exigit institutionem mediorum illi statui proportionatorum, quibus gratia perfectius augeatur, & facilius reparetur,si aliquandò amitteretur; at talia media sunt sacramenta, ergo &c.minor probatur,quia vt media sint conuenientia prædicto statui pręfatis modis, debent esse signa sensibilia, nam debent esse signa proportionata homini,qui est corporeus, & debent conferre gratiam,vel illam augere ex opere operato, quia iste modus agendi est perfectior, quàm agere ex opere operantis; ergò debet competere statui perfectiori, vt constat ex perfectione nostri status suprà statum legis Mosaycæ, ob quam nostra sacramenta agunt ex opere operato,cùm vetera agerent ex opere operantis;sed status innocentiæ est perfectior nostro statu;ergò ei competeret, vt homines vterentur medijs agentibus ex opere operato. Conf.quia in eo statu fuissent sacrificia per cultum sensibilem, cùm hæc sint de iure naturæ, quod in omni statu viget; ergo pari ratione potuerunt esse sacramenta. Denique posita hypotesi,quod Christus in statu innocentiæ incarnatus fuisset, è dignitate ipsius adhuc esset,quod per sacramenta, tanquam per instrumenta, sua merita hominibus communicaret, sicut nunc maxima dignitas Christi est,vt sacramenta gratiam conferant ex meritis ipsius vltrà meritum operantis.

310 Respondetur negando minorem, nam vt suprà dictum est, opera quibus homines illius status gratiam suam augerent ope iustitiæ originalis, & aliorum auxiliorum,essent illi statui proportionatissima, quia difficultatem non haberent benè operandi, quam nos patimur ob naturæ infirmitatem,nec ignorantiam vllam positiuam rerum, quarum notitia ad eos spectaret;quarè tam facilè, & vtile ipsis esset, quod ex opere operãtis gratia sua augeretur,quàm ex opere operato per aliquod signum sensibile;& longè perfectior esset hic modus augendi gratiam ex opere operantis,quàm per signa sensibilia ex opere operato,quia hic modus augẽdi gratiam imperfectionẽ, & infirmitatem supponit in natura, cui gratia confertur, vel augetur per susceptionẽ sacramenti,vt dictum est suprà n.301. Verum tamen est, quod si gratia conferenda esset, & augẽda per cooperationem alterius, vt con-

vt contingit in statu naturæ lapsæ magis conueniens esset statui hominum viatorum, vt id fieret mediantibus signis sensibilibus, quę gratiam conferrent ex opere operato, & hac ratione sacramenta nostræ legis superant sacramenta legis Mosaycæ, quia illa gratiam conferebant, excepta circumcisione, ex opere operantis, nostra verò eam conferunt ex opere operato.

Ad Conf. negant aliqui assumptum, quia tunc finis sacrificij sensibilis tolleretur, cùm Dei cultus tam internus, quàm externus per actus animæ, & corporis sufficienter, & perfectè haberi posset sine sacrificio sensibili; tum quia ibi sacrificium expiatorium non fuisset necessarium, quia non foret peccatum; impetratorium verò fieri potuisset per orationem mediante fide, spe, & charitate, sit etiam sacrificium laudis fieri potuisset sine oblatione rei externæ, & sensibilis; Sed quicquid sit de hoc, adhuc concesso antecedente potest negari consequentia, & paritas, quia in hoc sacramentum distinguitur à sacrificio, vt illud sit in ordine ad sanctificationem institutum, sacrificium verò in ordine ad diuinum cultum, qui adhuc in eo statu fuisset; nullus autem sanctificatione indiguisset, quia omnes essent in gratia creati. Dices, si fuissent in eo statu sacrificia, ergo etiam Sacerdotes, qui non solùm fuissent à reliquis externo aliquo signo discreti, sed interno etiam aliquo stemmate, vel charactere consignati, vt nunc sunt in lege Euangelica. Resp. quod estò fuissent Sacerdotes publico ritu, & cæremonia eligendi, non tamẽ fuissent interno aliquo stemmate, vel charactere consignati, sed tales essent quales fuerunt Sacerdotes legis Mosaycæ. Ad vltimum dico, quod estò fuisset illa cõmunicatio aliqua Christi dignitas etiam in statu innocentiæ, hæc tamen non fuisset per sacramenta, cùm hæc de facto sint instituta, vt remedia naturæ infirmæ, quæ ratio in statu innocentiæ cessaret, sed suppleta fuisset alio modo illi statui magis proportionato, nam potuisset Christus adhuc sua merita hominibus communicare per vberiora auxilia, & illustriores mentis excitationes, vt ea communicauit Angelis; & hæc communicatio naturæ sanæ vtique magis proportionata fuisset vtpotè quæ connaturalius mouetur ad incrementum vitæ spiritualis per operationes vitales internas, quàm per adiutoria externa, vt discurrit Amicus *loc. cit.*

311 Quartò obijcitur, quod in statu innocentiæ, si durasset, saltem Eucharistiæ sacramentum institutum fuisset, cùm hoc sit maximè expetibile, & non ordinetur principaliter ad tollendum peccatum, sed ad augendam, & conseruandam gratiam; at tunc esset ista causa, ergò esset hoc sacramentum, consequentia patet, quia posita causa principali ponitur effectus, licet aliæ causæ non apponantur. Confirmatur, nam motiuum principale instituendi hoc sacramentum fuit singularis amor, quo Christus dilexit homines, vt constat ex illo Io. 13. *Cùm dilexisset suos, qui erant in Mundo, in finem dilexit eos*: at non minori amore Christus dilexisset homines in statu innocentiæ; ergò tunc etiam fuisset sacramentum hoc in signum sui amoris erga homines. Denique manente eodem motiuo manet idem decretum; at idem motiuum amoris Christi ergà homines in hoc sacramento instituendo in statu innocentiæ mansisset; ergo idem quoque mansisset decretum; ità arguit Suarez *disp. 3. sec. 3.* vbi probabile putat futurum quoque fuisse sacramentum Ordinis propter connexionem, quàm habet hoc sacramentum cum Eucharistia.

312 Resp. motiuum propter quod de facto Eucharistiæ sacramentum est institutum, non solùm fuisse ad vtilitatem nostram, nimirum ad augendam, & conseruandam gratiam, sed etiam honorem, & cultum Dei, vt enim docet Concil. Trid. sess. 22 *cap.* 1. Eucharistia non solùm instituta est, vt sacramentum, sed etiam vt sacrificium, vt colligitur ex verbis Christi Lucæ 22. *Hoc facite in meam commemorationem*, & quidem principalius, cùm principalior sit ratio sacrificij in Eucharistia, quod immediatè Deum respicit, quàm ratio sacramenti, quod immediatè respicit homines; at hæc ratio sacrificij in statu innocentiæ cessasset, quia in eo statu Christus venisset in carne impassibili, & consequenter non fuisset Deo oblatus in sacrificium, quod essentialiter requirit ipsius victimæ oblatæ mactationem; non igitur fuisset in eo statu hoc sacramentum, cùm sit expressa repræsentatio sacrificij cruenti Christi Domini. Dices, etiamsi in statu innocentiæ cessasset hoc motiuum, nempè ratio sacrificij, ob id non conuincitur cessare quoq; rationem sacramenti, quia potuit de facto Christus propter singula motiua ad illud instituendum sufficienter moueri, atque ità cessante vno motiuo in statu innocentiæ, potuit aliud manere Christum sufficienter mouens ad hoc ipsum sacramentum instituendum. Resp. concedendo non posse euidenter demonstrari, quod cessante ratione sacrificij, cessaret etiam ratio sacramenti ob rationem allatam, probabiliter tamen ex eo deduci potest, quod cùm ratio sacrificij in hoc sacramento sit principalior, ipsa cessante, cessaret etiam ratio sacramenti, quæ est minus principalis.

313 Ad Confirm. concedo motiuum instituendi sacramentum Eucharistię de facto fuisse singularem Christi amorem ergà homines, hoc tamen nedùm non fuit præcisum, & adæquatum motiuum, sed nec etiam principalius; hoc enim fuit singularissimus affectus honorandi hoc sacrificio æternum Patrem; vndè quamuis in statu innocentiæ mansisset motiuum amoris ergà homines, quod est minus principale; quia tamen non mansisset motiuum diuini cultus, & honoris ergà Deum, quod fuit motiuum principalius, quo Christus est motus ad huius sacramenti institutionem, probabilius deducitur non fuisse in statu innocentiæ hoc sacramentum instituendum. Ad vltimum negatur in eo statu mansurum fuisse idem motiuum adæquatum institutionis huius sacramenti; mansisset enim solùm inadæquatum, & partiale huius sacramenti, & quidem minus principale. Dices, saltem instituendum fuisse, vt manifestarentur diuina attributa, vt Charitas Dei, Bonitas, & Omnipotentia, quæ maximè in hoc sacramento elucent, vt Patres docent. Respondetur, diuina attributa sufficienter in rerum creatione manifestata fuisse, & in multis alijs gratiæ operibus, & tandem in beatitudine post vitam clarius manifestabuntur, & ideò opus non fuisset, vt etiam in Eucharistiæ mysterio manifestarentur.

314 Quintò tandem, nonnulli Scotistæ discurrentes de sacramentorum institutione, sicut de Incarnationis mysterio sic arguunt ex Scoto pluribus in locis ordinatè volens, sicut Deus primò vult seipsum, deindè beatitudinem creaturis, denique ea, quæ sunt ad finem, & inter ea primò vult illa, quæ sunt promixiora fini, veluti est gratia, & omnia ea, quæ sunt ordinata ad ipsam beatitudinem consequendam; at nemo negare potest sacramenta non esse ordinata ad salutem hominis viatoris, seù non esse in ordine illorum, quæ sunt ordinis gratiæ, non verò illorum, quæ sunt ordinis naturæ; quæ autem sunt ordinis gratiæ præcedunt in intentione diuina, quæ sunt ordinis naturæ; ergò clarè deducitur præuisionem institutionis sacramentorum præcedere præuisionem peccati; & ità permanente statu innocentiæ ex præuisione præhabita antè peccatum fuissent nostra sacramenta à Deo instituta. Conf. quia ex Scoto 3. *d.* 7. *qu.* 3. §. *sed hinc sunt duo dubia* quotiescunq; ad institutionem, & positionem alicuius in esse plura motiua concurrunt, quorum vnum se habet, vt magis principale, alterum vero, vt minus principale; sublato minus principali, adhuc ponitur in esse ob primum solum motiuum, vt patet de Incarnationis mysterio; quia enim Incarnatio habuit pro motiuo eiusdem excellentiam, & sanctitatem, & pariter subleuationem hominis à peccato, non existente hoc secundo motiuo, adhuc Verbum carnem assumpsisset, licet non passibilem; Cùm ergò diuina sacramenta duo habeant motiua institutionis ipsorum, scilicet, subleuationem hominis à peccato, & collationem gratiæ ad reddendos homines Deo obsequiosos, & magis feruentes in operibus propriam salutem spectantibus; non debemus negare primo motiuo sublato, & remanente secundo necessariam non fuisse sacramentorum institutionem, licet tunc non se haberent, vt medela. Deniq; Scotus *loc. cit.* loquens de Christi incarnatione inquit, non esse verisimile, tantum bonum fuisse ità occasionatum, & volitum propter minus bonum, scilicet, in remedium peccati; ergo pariter rationabile non videtur sanctitatem, & excellentiam sacramentorũ solùm esse ordinatã, & volitam occasione peccati, ità quod ea sublata, è medio tollatur etiam sacramentorum institutio.

315 Resp. ex Incarnationis mysterio non benè argumenta deduci pro sacramentorum institutione, neque omnimodam interea currere paritatem, quia Incarnatio, eiusque decretum quoad substantiam est à peccato independens, & tantùm quoad modum dependens, vt dictum est *lib. 3. disp. 4. q. 1. art. 1.* at sacramentorum institutio, nedum peo modum remedij à peccato subleuantis, sed etiam in ratione signi gratiam conferentis ex opere operato, in quo eius essentia consistit, infirmitatem naturæ humanæ supponit ad consequen-

dam gratiam per proprios actus; & quamuis hic modus conferendi gratiam sit perfectissimus, hæc tamen excellentia in sacramentis est perfectio supplens imperfectionem, vt declaratum est suprà num. 301. ideoq; decretum institutionis sacramentorum non est ita à peccato independens, sicut decretum Incarnationis quoad substantiam; Quando autem dicitur in argumento ea, quæ sunt ordinis gratiæ, præcedere in diuina intentione, quæ sunt ordinis naturæ, dico id non esse absolutè intelligendum, sed modo iam explicato *loc. cit.* alioquin passio Christi Domini, cùm ad ordinem gratiæ pertineat; peccati præuisionem præcederet; sicut ergo hoc non obstante passio Christi fuit à peccato dependens, quia supponit vulnus naturæ per eam sanandum; ità sacramentorum institutio, quæ à Patribus dicuntur manasse à latere Christi; supponunt naturæ infirmitatem ex modo conferendi gratiam ex opere operato, vt explicatum est. Ad Conf. negatur rursus paritas, quia excellentia, & sanctitas mysterij Incarnationis est à peccato independens omninò, non sic excellentia sacramentorum in conferendo gratiam ex opere operato, quia talis operandi modus importat perfectionem supplentem imperfectionem, quatenus à Deo est institutus ad succurrendum infirmitati naturæ, quę per peccatum vulnerata non amplius valens erat acquirere gratiam proprijs actibus, & ex opere operantis, sicut fuisset in statu innocentiæ. Ad vltimum etiam neganda est paritas ex eadem doctrina, quia excellentia mysterij Incarnationis quoad substantiam est omninò à peccato independens, & ideò tantum bonum non debet poni occasionatum, & volitum propter minus bonum; at excellẽtia, & perfectio sacramentorum, nedùm per modum remedij à peccato curantis, sed etiam in ratione signi gratiam conferentis ex opere operato est perfectio supplens imperfectionem, quatenus talis operandi modus supponit naturæ humanæ infirmitatem, & in eius adiutorium est institutus, alioquin minimè necessarius, si status innocentiæ perseuerasset, & ideò non dedecet hoc bonum ponere aliquo modo occasionatum.

316 Hæc mihi videtur germana, & genuina huius Controuersiæ decisio, quamuis plures Recentiores Scotistæ oppositum sentiant, quando docuerunt Scotistæ antiquiores *4. dist.* 1. q. 3. vt videre est apud Tataret. Antonium Andream, & alios; & quamuis Doctor in eo loco possit in vtramque partem trahi, quia collatiuè loquitur de statu naturæ lapsæ, & innocentiæ quantum ad sacramentorum institutionem; tamen 4 *d.* 39. *q.* 1. *infrà A.* adeò clarè loquitur, vt nullam prorsus patiatur explicationem, dùm inquit, quod omnibus contractibus matrimonij præcedentibus legem euangelicam non fuit annexum sacramentum propriè dictum, nec fuisset annexum contractui in statu innocentiæ, si semper in illo mansisset, sicut dictum est suprà *dist.* 26. Hæc Doctor ibidem, quibus verbis explicat mentem suam fuisse in ea *d.* 26. *q.* 1. quod si status innocentiæ permansisset, non fuissent in eo sacramenta vlla instituta.

QVÆSTIO NONA.

An sacramenta æqualiter dispositis possunt gratiam conferre inæqualem.

317 SVpponit quæstio sacramenta adultis applicata rationem vtentibus requirere aliquam dispositionem actualem in illis, vt patet de baptismo ex illo Marc. vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*, vbi ponitur actus fidei, vt præuia dispositio ad effectum baptismi recipiendum; loquor autem de adultis, & ratione vtentibus, quia certum est alioquin sacramenta paruulis, vel amentibus applicata aliquam non requirere dispositionem ad hoc, quod illis gratia conferatur, quia tales non sunt talis dispositionis capaces, nec obicem peccati ponere possunt. Quæstio autem non est de sacramentis diuersæ rationis, v. g. de baptismo, pœnitentia, &c. Sed de sacramentis eiusdem ordinis, & rationis, vndè sensus est, an plures, v. g. suscipientes baptismum, Eucharistiam, aut ordinem cum æqualis dispositione æqualem necessariò gratiam suscipiant, vt tantam habeat Petrus, cum baptizatur, quantam Paulus, ità quod nequeat habere maiorem, supposito quod æqualem habeant dispositionem.

318 Et quidem in hac quæstione concedunt omnes sacramenta eiusdem rationis inæqualem conferre gratiam pro inæquali recipientis dispositione, itaut maior gratia conferatur magis disposito, & minus disposito minor; sic enim expressè docet Trident. *sess.* 6. *cap.* 7. dùm inquit, recipere nos gratiam, & iustitiam, secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, & secundum propriam vniuscuiusque dispositionem, & cooperationem; & ratio deducitur ex perfectissima Dei prouidentia, eiusque iustitia distributiua; quemadmodum enim maiori contritioni, & dispositioni extra sacramentum maior quoque gratia correspondet; ità maiori attritioni, quæ in sacramento locum supplet contritionis, maior quoque gratia correspondere debet, quatè sola restat difficultas, an sacramenta eiusdem rationis cum æquali dispositione suscepta æqualem necessariò conferant gratiam, ità quod alter suscipientium nequeat habere maiorem. Affirmatiuam sententiam tenent communiter Thomistæ, & Recentiores omnes, vt Suarez, Vasquez, Cardinalis de Lugo, Coninchius, Amicus, Baldius, Morandus, Orlandus, Becanus, Caspensis, Auersa, & alij passim. Negatiuam verò tribuunt Nominalibus quibusdam, & Scoto 4. *d.* 4. *q.* 7. sed falsò, quia vt notant Faber, Centinus, Aretinus, Brancatus, Hiqueus, Poncius, & alij Scotistæ, Doctor ibi loquitur de possibili, & non de facto vt mox patebit, & ideò nos quoque quæstionem proposuimus de possibili, & non de facto, quia de facto nulla est quæstio.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæstionis Resolutio.

ASserit itaque Doctor loc. cit. quod gratia, quæ datur in baptismo, & sic in alijs sacramentis semper est æqualis, quantùm est ex parte ipsius sacramenti, in paruulis, vel adultis æquè dispositis; verumtamen de possibili, & ex speciali priuilegio posse vni communicari maiorem, quàm alteri, ex triplici capite, ex speciali nimirum Dei beneuolentia, qui est causa principalis; Secundò ex speciali passionis Christi applicatione, qui est causa meritoria; tertiò tandem ex merito Ministrorum, & adstantium, qui ex opere operantis, & de congruo possunt suscipienti aliquem gratiæ graduum mereri; ità expressis verbis Doctor 4. *d.* 4. *quæst.* 7. §. *sic ergo*, vbi assertionem probat quoad singulas partes. 319

Primò quoad primam partem, quod nimirum de facto gratia, quæ datur in sacramento ver. gr. baptismi sit semper æqualis inæqualiter dispositis, quantùm est ex parte ipsius sacramenti, probat, quia Deus aliquam gratiam disposuit regulariter conferre cum isto signo, ità quod nulli minorem, & ista potest dici conferri virtute baptismi, quia virtute veritatis huius signi, & sicut determinatio ista vniuersalis quantum ad illum gradum est vniformis, ità & effectus æqualis; ità Doctor loc. cit. ex quibus verbis mens eiusdem colligitur esse, quod Deus de facto gratiam sacramentalem determinauit ad certum, & determinatum gradum, ita quod nulli suscipienti baptismum, ver. gr. conferatur vnquam maior, vel minor gradus gratiæ, & ille confertur semper ex vi sacramenti illud sine obice suscipienti, & ex vi eiusdem nunquam maior confertur, vel minor; sed omnibus æqualis; & ratio est, quia quodlibet sacramentum habet definitum effectum ex certa lege, & promissione Dei, vt docet Concil. Trid. *sess.* 7. *can.* 7. de sacramentis in genere, & ideò hic effectus ex parte sacramenti semper esse debet æqualis; sicut enim sacramentorum significatio debuit esse determinata pro singulis, ità & eorum efficientia quantum est ex parte sacramenti. 320

Secundò probat Doctor, quod loquendo de possibili, & ex speciali priuilegio potest Deus ex primo capite, nimirum ex speciali Dei beneuolentia aliquibus in baptismo, & sic in alijs quoque sacramentis, maiorem gratiam conferre, quam alijs, quia Deus prædestinauit diuersos electos ad diuersos gradus gloriæ, & hoc antè determinationem huius signi ad tantam, vel tantam gratiam conferendam; at ordinato ad maiorem gloriam rationabiliter potest maior gratia conferri; ergò posset Deus in determinando veritatem, seù certitudinem huius signi disponere conferre alicui suscipienti præcisè illam gratiam, quæ requiritur ad certitudinem signi, & alicui maiorem, quem prædestinauit ad maiorem gloriam; sed ille vlterior gradus non confertur virtute baptismi, sed speciali Dei beneuolentia. Deindè probat hoc 321

hoc idem augmentum gratiæ ex secundo capite posse prouenire, nimirum ex speciali passionis Christi applicatione, qui est causa meritoria; quamuis enim passio Christi, quoad sufficientiam æqualiter sit Deo oblata pro omnibus quoad sufficientiam; potuit tamen Christus illam efficacius offerre pro prædestinatis ad maiorem gloriam, vt maior gratia illis conferatur in sacramentorum susceptione; vt enim constat ex dictis *lib. 3. disp.* de Scientia Christi, ipse nouit omnia, vel saltem noscere potuit, quæ Deus scientia visionis, & per consequens nouit electos, & ad quantam gloriam essent electi; ergo potuit suam passionem efficacius offerre pro ordinato ad maiorem gloriam, quam pro ordinato ad minorem.

Respondent Thomistæ, ex inæquali duorum prædestinatione solùm inferri, quod aliqui gradus gratiæ ex decreto illo dandi sint vni, & non alteri, sed hoc non probat fieri per sacramenta; & infert, solùm, quod iste finaliter decedet in maiori gratia, quam poterit acquirere vel ex maiori sacramentorum frequentia, vel vsu virtutum; licet enim Deus vnum prædestinet ad maiorem gratiam, quàm alium, tamen eam illi non confert regulariter, nisi per media consentanea ad hunc effectum ordinata, hoc enim pertinet ad suauem Dei prouidentiam; & ideo si Deus aliquem ad maiorem gloriam prædestinauit, quàm alterum, non permittet illum mori antè vsum rationis, sed quousque suis meritis possit augmentum illud sibi mereri; ità Suarez *t. 3. disp. 7. sec. 5.* cum alijs Recentioribus.

322 Verùm licet hæc doctrina valeat de lege communi, & ordinaria, non tamen de lege speciali, & potentia absoluta, quo sensu loquitur Doctor, nam absolutè loquendo, & ex speciali priuilegio potuit decernere Deus dari alicui paruulo maiorem gratiam, & potuit decernere illud medium esse baptismum; sicut enim extrà baptismum de facto infantibus æquè dispositis inæqualem contulit gratiam, vt Io. Baptistæ, & Hieremiæ in vtero sanctificatis; ità pariter non repugnat ex speciali priuilegio eandem inæqualitatem conferre in baptismo.

Confirmatur, quia prædestinatio antè merita ad diuersos gloriæ gradus, & gratiæ potest etiam infantibus competere, dictum enim Apostoli Corint. 15. *sicut differt stella à stella in lumine, ità & Beati in claritate* de omnibus Beati indiscriminatim intelligitur, & non de solis adultis; cùm ergò ex duobus infantibus sine merito decedentibus possit vnus esse alio gratior, & beatior, neque hanc gratiæ inæqualitatem ex proprijs meritis haberent, sed solùm ex meritis Christi; sequitur euidenter hanc inæqualitatem esse possibilem, & nullo prorsus respectu habito ad dispositiones proprias in causam principalem, & meritoriam extrinsecam absque vllo inconuenienti posse refundi, vt Doctor aiebat; etenim absolutè loquendo nihil Deum alligare potest, vt hoc potius modo quàm illo operari debeat.

323 Tertiò hoc idem probatur à simili, quia nullum est inconueniens in baptismo vltra effectum ordinarium, & principalem, qui est certæ gratiæ collatio, quam Deus dare decreuit in tali sacramento, alios effectus per accidens, & concomitantes ex speciali eius beneuolentia baptizato conferre, vt extinctionem, vel diminutionem fomitis, auxilia gratiæ, & gratias gratis datas, imò hoc Deus solet aliquando efficere, vt de Sancto Nicolao refert Doctor *loc. cit.* & concedit D. Thomas *3. p. q. 69. ar. 8.* si ergo potest in sacramento baptismi hæc inæqualitas dari quoad effectus concomitantes in infantibus, itaut non proueniat ex virtute baptismi, sed ex speciali Dei beneuolentia; idem pariter dici poterit de effectu principali, qui est gratia gratumfaciens; probatur consequentia, quia magis extraordinarium videtur dare illos effectus mediante sacramento, qui per ipsum regulariter non conferuntur, quam quod effectus ordinarius eius detur intensior, & perfectior.

Confirmatur, quia Conc. Trident. assignans causas intensionis, & maioritatis gratiæ, quæ per sacramenta confertur, duas assignat, alteram ex voluntate Spiritus Sancti, qui partitur mensuram singulis prout vult, alteram secundum propriam cuiusque dispositionem, sic enim habet *sess. 6. c. 7.* loquens de gratia sanctificante per sacramenta collata, *iustitiam in nobis recipientes secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis prout vult, & secundum propriam cuiusque dispositionem, & cooperationem, &c.* non ergò solam ponit dispositionem pro mensura quantitatis gratiæ per sacramentum conferendæ, sed etiam voluntatem Dei, & specialem eius beneuolentiam, quia duas assignat mensuras inæqualitatis gratiæ per sacramenta collatæ, & voluntatem Dei, & propriam dispositionem; Vndè tantùm abest, vt hic Concilij locus, quem vrgent Aduersarij, contra nos militet, quod potiùs expressè stat pro nobis. 324

Quartò probat tandem Doctor etiam ex vltimo capite posse vni maiorem gratiam communicari, quàm alteri in susceptione sacramenti, nimirum ex merito Ministrorum, & adstantium, qui ex opere operantis, & de congruo possunt suscipienti aliquem gratiæ gradum mereri; vndè inquit, quod aliquando datur, vel saltem dari potest maior gratia vni paruulo, quàm alteri in baptismo propter maiorem deuotionem actualem Ministri baptismi, vel assistentium, vel parentum ipsis paruuli; vndè probabiliter infert Doctor effectum illum, quo Sanctus Nicolaus Mirensis Episcopus adhuc infans bis in hebdomada vna tantùm contentus erat lactatione, fuisse ex peculiari gratia illi à parentibus impetrata: & hoc facilè probatur, nam preces, & merita Ministri, & aliorum possunt alijs mereri gratiam, & alia bona extrà sacramentum; ergò possunt eandem gratiam mereri in susceptione sacramenti; consequētia patet, quia nec Minister ministrando, nec suscipiens recipiendo sacramentum fit deterioris conditionis; quarè si Minister potest extrà sacramentum maiorem gratiam impetrare suscipienti, poterit etiam in ipsa sacramenti susceptione; antecedens probatur ex auctoritate, & vsu Ecclesiæ docentis, & adhortantis fideles ad orandum pro peccatoribus, & colligitur ex Epist. Iacobi dicentis *Orate pro inuicem, vt saluemini,* si ergo mutua oratio potest ad salutem iuuare, iuuabit etiam consequenter ad gratiam, cum salus sine gratia non detur; ergò orationes iustorum peccatoribus gratiam promerentur, atque ità Patres communiter docent, quod preces Sancti Stephani conuersionis Diui Pauli meritoriæ fuerunt. Verùm tamen est, quod hoc meritum Ministri, & aliorum esset tantùm de congruo, & non de condigno, ex cuius motiuo Deus daret in sacramento vberiorem gratiam, quam aliàs regulariter non conferr; neque vllum est inconueniens per actus honestos in gratia factos posse aliquem de congruo mereri alteri aliquem gratiæ gradum, quamuis enim Theologi negent posse purum hominem alteri de condigno primam gratiam mereri, id tamen concedunt loquendo de merito de congruo, vt videre est apud Alensem *3. part. quæst. 69. membr. 5. artic. 2.* D. Thomam *part. 2. quæst. vlt. artic. 6.* D. Bonauent. *2. dist. 27. artic. 2. q. 1.* & alios Antiquiores; Quod autem contra hoc afferri solet à Recentioribus ex eo, quod communiter dicitur sacramentum non dependere à malitia, vel bonitate Ministri, intelligitur quantùm ad substantiam sacramenti, effectum, & fructum eius ordinarium; hoc autem non obstat, quin adhuc Deus adijcere possit ex liberalitate aliquid ob impetrationem aliorum.

Respondent Suarez, Amicus, & alij Recentiores negando 325 posse Ministrum siuè in sacramentorum administratione, siuè extrà, gratiam sanctificantem alicui immediatè impetrare, sed solùm impetrare posse aliquem motum voluntatis, cuius infantes sunt incapaces; Vndè licet verum sit posse aliquem alteri primam gratiam mereri, hoc tamen non ità intelligendum est, vt immediatè possit alteri mereri primam gratiam, vel aliquem eius gradum, sed quatenus potest ei mereri bonum motum liberi arbitrij, vel applicationem sacramenti, quia Deus de lege ordinaria, non nisi illis duobus modis gratiam conferre solet; quod si aliter alicui gratiam sanctificantem conferret, esset miraculosa collatio; sic etiam discurrit Vasquez *disput. 135. cap. 4.* vbi ait ad summum concedi posse Ministrum, vel assistentes impetrare posse aliqua gratiæ auxilia, protectionem Dei, non autem gratiam iustificantem, quam cum Dominico de Soto *4. dist. 6. quæstion. 1.* fatetur impossibile esse vnum posse pro alio mereri, nisi merendo, vt is bonum aliquem animi motum habeat, meritò cuius iustificetur, vel eius iustificatio crescat.

Cæterum quamuis hæc doctrina modo communis sit, & 326 plausibilis inter Recentiores, nullum tamen fundamentum habet præter hoc, quod nullus præter Christum potest alteri mereri gratiam iustificantem de condigno, quod tamen fundamentum parui est momenti, quia nos non asserimus vnum posse alteri gratiam mereri de condigno, sed tantùm de congruo; & hoc ipsum sentit Caietanus 3. part. *quæst. 64. art. 1. ad 2.* vbi loquens de gratia sanctificante concedit posse maiorem impetrari per Ministrum, & cum

Scoto

Scoto adnotat illum gratiæ gradum, qui additur ex merito, vel impetratione Ministri non esse propriè effectum sacramenti ex opere operato, sed concomitanter dari cum effectu sacramenti: atque ità effectus sacramenti formaliter, vt sic, non augetur.

Confirmatur; quia via ordinaria conferendi alicui salutem, quæ solum per gratiam sanctificantem habetur, non solum est motus bonus internus cum auxilio diuino, & sacramentum, sed etiam oratio alterius iusti iuxtà illud Iacob cit. *Orate pro inuicem, vt saluemini*, & rursus, *multum valet deprecatio iusti*; item Matth. 9. *videns Iesus fidem illorum* nempè supponentium paralyticum de tecto, *dixit, confide fili, remittuntur tibi peccata tua*, vbi notat glossa, *quantum valet apud Deum fides propria, apud quem sic valuit aliena, vt intus, & extrà sanaret hominem*; certum ergò est in sacra Scriptura orationem iusti posse impetrare, & de facto aliquando impetrare salutem alteri ex misericordia Dei; at impetrare salutem est impetrare gratiam habitualem, & sanctificantem, nam sine illa obtineri non potest; ergo etiam oratio iusti inter media ordinaria computari debet impetrandi alteri gratiam sanctificantem, ideoque collatio gratię per tale medium miraculosa non est.

327 Denique Scotus non dicit *loc. cit.* dari effectum sacramentorum nomine Ministri, neque orationem Ministri esse meritoriam de condigno talis effectus; aut ad eum concurrere ex opere operato, quia totum hoc Christo competit, & puræ creaturæ competere non potest; sed solùm asserit actus Ministri posse impetratoriè concurrere ad aliquem gradum gratiæ dandum suscipienti intuitu bonitatis Ministri; vndè monet optandum magis esse sacramentum à bono, quam à prauo Sacerdote ministrari, vt eius precibus incrementum gratiæ infans consequatur; at planè negari nequit Deum moueri posse ad talem effectum intuitu orationis probi Ministri saltem de congruo; Et planè si semel conceditur merita Beatæ Virginis fuisse de congruo causam accelerationis Incarnationis Verbi, quæ omnium gratiarum fuit origo; vtique etiam absque scrupulo concedi potest opera viri sancti, & probi Ministri facta in gratia posse de congruo alteri mereri aliquem gradum gratiæ, neque in oppositum auctoritas, vel ratio conuincens adduci potest, vt mox patebit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Obiectionum solutio.

328 IN oppositum obijciunt Recentiores probando sacramenta necessariò æqualem conferre gratiam æqualiter dispositis, & ex nullo ex capitibus assignatis posse conferre inæqualem. Primò ex Concil. Trid. *sess. 6. cap. 7.* vbi sancitum est gratiam dari *secundum propriam vniuscuiusque dispositionem, & cooperationem*; sicut ergo magis dispositis maior gratia datur per sacramentum, & minus dispositis minor, ità æqualiter dispositis æqualis gratia dari debet.

Confirmatur; quia quodlibet sacramentum habet ex sua institutione effectum gratiæ definitum, & determinatum à Deo; ergo stante æquali dispositione ex parte recipientis sacramentum, stabit etiam æqualitas gratiæ; antecedens patet, quia ad Dei prouidentiam spectat, vt sicut sacramentorum significatio est determinata, ita etiam efficientia, & causatio determinata sit; Consequentia verò probatur, quia quando ex parte agentis, & ex parte passi est æqualitas, non est vnde proueniat inæqualitas effectus. Tandem, si dicas illam inæqualitatem à voluntate Dei prouenire, & speciali eius beneuolentia, hoc non benè dicitur, quia non est affirmandum Deum conferre aliquem gradum gratiæ iustificantis, siuè per sacramenta, siuè extrà nisi de tali voluntate constet, vel per auctoritatem, vel per solidum fundamentum rationis: aliàs posset quis dicere, cuicunque operi Deum tribuere quodcunque præmium quantumuis magnum, & æquè merentibus tribuere inæqualia præmia: sed neque ex auctoritate, neque ex aliqua solida ratione id constat, sed totum oppositum, scilicet, Deum æqualiter dispositis æqualem tribuere gratiam per sacramenta, ergo &c.

329 Respondeo ex eo Concilij loco potius oppositum deduci, quia non solam dispositionem assignat pro mensura quantitatis gratiæ conferendæ, sed etiam voluntatem Dei, vt suprà notatum est n. 323. absolutè tamen dicendum est Concilium loqui de facto, & de eo, quod contingit de lege communi; nos autem cum Scoto loquimur de possibili, & de eo quod contingere potest ex speciali priuilegio: non enim Doctor sustinet de facto hanc positionem de inæqualitate prouenire, & parte causæ principalis, aut meritoriæ, sed de possibili; an autem de facto ità sit, inquit dubium esse: ità apertis verbis se explicat sub lit. C. cùm inquit *dubium est de facto, sed possibilitas est ostensa:* Aduersarij autem arguunt contra Doctorem, ac si de facto assereret æqualiter dispositis sacramenta gratiam conferre inæqualem ex speciali Dei beneuolentia, vel speciali applicatione passionis Christi, vel ex merito, & probitate Ministri.

Ad Confirm. dicendum gratiam per sacramentum significatam esse determinatam, vt declarat Doctor *loc. cit.* lit. A. quatenus Deus disposuit gratiam regulariter conferre cum tali signo, itaquod nulli minorem: non tamen ità determinatam, quin possit crescere secundum mensuram effectus, prout Spiritus sanctus patitur dona, prout vult, quemadmodum loquitur Conc. Trid. loc. cit. neque id efficaciam, & certitudinem sacramentorum minuit, sed potius ampliat. Et cùm dicitur, quod quando ex parte agentis, & passi est æqualitas, est etiam æqualitas effectus; optime occurrit Hiquæus *4. d. 4. q. 7. n. 10.* cæteris paribus id concedi posse: sed non est æqualitas ex parte passi, vt consideratur in ordine electionis: neq; sacramentum operatur solùm ex virtute limitata ad hunc, vel illum gradum, sed prout mouetur, & applicatur à causa principali, nunc æqualiter, nunc perfectius, prout vult: & cuius virtus non est alligata sacramentis nisi vt ad gradum inferiorem effectu ordinario refertur: ad perfectiorem autem ex beneuolentia particulari referri potest. Ad vltimum, procedit ratio, perindè ac si Scotus id assereret de facto, & de lege communi, & ordinaria, tunc enim pro ea auctoritate extare deberent; at hoc non asserit Doctor, nisi de possibili, & secundum legem specialem: & pro nostra assertione sic explicata extat auctoritas Conc. Trid. loc. cit. & militant rationes superius allatæ.

Secundò obijciunt, si sacramenta possunt inæqualem gratiam æqualiter dispositis conferre, vel ille excessus proueniret à sacramento, vel non: primum dici non potest, quia cum sacramentum sit signum practicum, deberet significare illum excessum, quem certè non significat, æquè enim est signum sensibile gratiæ in omnibus; Neque potest dici secundum, quia hoc repugnat legi communi Dei, qui non vult dare gratiam, nisi propter merita, vel sacramenta, & alias, ex voluntate sua maius præmium vni, quam alteri, & quidem dormienti sine sacramento dare posset ob æqualia merita, nam dicere possemus, quia hic est electus ad maiorem gloriam, Deus præmiat in eo abundantius æqualia merita, quam in alio. 330

Respondeo vtrumque dici posse, nempè excessum illum, qui aliquando esset in sacramento supra mensuram dispositionis, prouenire à voluntate Dei particulari, mediante tamen sacramento, & adhuc causaretur ab eo per modum signi practici, quia hoc nil aliud importat, quam quod causet id, quod significat, estò determinatè non significet hunc, vel illum gratiæ gradum: sicut campana adhuc benè dicitur esse signum lectionis, licet determinatè non ostendat, quanta sit futura, num longa, vel breuis, & hædera adhuc habet rationem signi, quod hic vendatur vinum, licet determinatè non ostendat quod sit album, vel rubrum; Et quamuis Doctor dicat loc. citat. illum vlteriorem gradum non dari virtute sacramenti, sed ex speciali beneuolentia Dei, id intelligendum est, vt hic notat Hiquæus, iuxtà antecedentia verba, vbi dicit Deum ex voluntate vniuersali disposuisse dare gratiam regulariter mediante hoc signo certo in determinato gradu, itaut nulli minorem: & illa, inquit, dici potest conferre virtute sacramenti, & hoc modo æqualem esse virtutem sacramenti in omnibus, & in hoc sensu dicit gradum illum excedentem conferri ex speciali Dei beneuolentia, & non virtute sacramenti, quia nempè sacramentum, vt habet efficaciam, & assistentiam Dei, vt signum certum, ex voluntate vniuersali tantùm, non extenditur eius virtus, aut significatio vltra illum gradum. Attamen, vt subest etiam voluntati speciali Dei, causat illum gradum excedentem etiam ex opere operato, alioquin si gradus ille a solo Deo produceretur, non mediante sacramento, merè concomitanter se haberet ad effectum sacramenti, nec sic esset locus quæstioni propositæ, an sacramenta æqualiter dispositis possint gratiam conferre inæqualem, quia talis gradus excedens non produceretur virtute sacramenti, sed merè concomitanter

ex

ex particulari voluntate Dei. Posset etiam dici excessum illum non prouenire à sacramento, sed ex speciali beneuolentiâ Dei, & ex motiuo prædestinationis, nam absolutè loquêdo sic Deus facere potuisset, quia diuina virtus non est alligata sacramentis; regulariter tamen, & de lege communi non perducit Deus prædestinationem ad effectum, nisi per media ordinaria, & statuta, nempè sacramenta, & opera; quamuis aliquos præter legem iustificauerit in vtero, vt effectum prædestinationis sortirentur, qualis erat illa gratia; neque id propriè contrà legem ordinariam fuit, sed suprà illam actum est, quod per media eius haberi poterat in diuerso infantis statu; Verum est tamen, quod stante inæqualitate graduum beatitudinis, & gratiæ habendæ, congruentius est, vt in sacramentis illam Deus conferat, quàm extrà, & præsertim in sacramento baptismi, quod est aliorum ianua; & cùm dicitur, quod posset Deus ex motiuo prædestinationis ad maiorem gloriam abundantius in vno, quàm in alio æqualia præmiare merita; quid sit respondendum mox patebit.

331 Tertiò arguunt ex absurdis; Primò enim sequitur, habentem minora merita posse consequi maiorem gloriam, quam qui habet maiora, & præstantiora merita, dummodò habeat maiorem gratiam ex speciali Dei beneuolentia, quia gloria confertur secundum mensuram gratiæ. Deindè sequitur, duos infantes ex hac vita decedere posse in gratia inæquali, & sic possent habere gloriam inæqualem, quod est absurdum, quia Paradisus domus iustitiæ est, vbi redditur cuique secundum opera sua. Demum sequeretur, Deum dormienti posse infundere illam gratiam ex sua beneuolentia, & sic eum saluare absque meritis, & absque sacramento baptismi; hoc autem est tollere meritorum, & sacramentorum necessitatem, quod temerarium est, & contra Scripturam dicentem, quod redder vnicuique secundum opera sua, & vnusquisque recipiet, prout gessit, siuè bonum, siuè malum.

332 Respondent communiter Scotistæ illud non esse absurdum loquendo de potentia Dei absoluta, & ex lege speciali, quo sensu loquitur Doctor; gratiæ enim largitor nemini iniuriam inferret, si alijs iuxta merita, alijs iuxta suam beneuolentiam præmium impertiret, sicuti nemini iniuriam facit, quod vnum prædestinet ad maiorem gloriam, quam alterum, neque ob id adesset personarum acceptio, quia hæc in gratuitis non datur, diceret enim illis, quod habetur Matt. 20. in parabola laborantium in vinea *tolle quod tuum est, & vade*: de lege autem communi, & ordinaria loquendo vtique esset absurdum, quia modo Deus non confert alicui gratiam maiorem quam alteri, præcisè ex causa principali, & meritoria, quæ est passio Christi, circumscripta omni differentia ex parte suscipientis, vt indicauit Doctor *loc. citat.* quando dixit, Deum regulariter non conferre maiorem gratiam vni, quam alteri absq; omni differentia extra causam principalem; Addendum tamen est cum Hiqueo argumentum seipsum destruere, quia vberior gratia actualis, & habitualis in adulto ad perfectionem operis proximè ordinatur, sicut perfectiora media ad perfectiorem finem; sicut ergo prædestinatus adultus ad gloriam maiorem, requirit etiam perfectiora opera; sic vberior gratia, quam mediante sacramento reciperet, non esset otiosa, sed reduceretur ad actum meriti, ad quem proximè ordinatur; & sicut gloria in iustificato non est ex sola gratia, sed etiam ex operibus per gratiam factis quo abundantius ei prouidetur de gratia, ita abundantius prouidetur de operibus proportionatis.

Ad 2. dico pariter argumentum seipsum destruere, quia loquitur de infantibus, quibus non correspondet gloria ex proprijs meritis, sed tantùm ex meritis Christi, vnde si argumentum valeret, sequeretur nullum infantem saluari posse, quia nullus decedit cum operibus; Itaque loquendo de paruulis decedentibus antè vsum rationis dico nullum absurdum esse, si dicimus, quod haberent gloriam perfectiorem ratione gratiæ perfectioris iuxta tenentes eos fuisse electos ad maiorem gloriam. Ad vltimum dico argumentum concludere de potentia ordinaria, non vero absoluta, sicut hic loquimur, nam absolutè loquendo posset Deus sic facere, attamen de communi lege; & regulariter, prædestinationem ad effectum non producit, nisi per media ordinaria, & statuta, nempè sacramenta, & opera.

333 Quarto tandem arguunt neque illam inequalitatem posse ex tertio capite prouenire, itaut melior Minister sacramentum administrans faciat vt tale sacramentum habeat maiorem virtutem ad sanctificandum, quia hoc est contra communem doctrina Patrum negantium maiorem efficaciam sacramentis propter maiorem bonitatem ministrorum; nam sicut hostia consecrata à meliori sacerdote non est melius sacramentum, sic nec baptismus collatus à meliori ministro, omnia enim sacramenta habent virtutem, & efficaciam suam à Christo, non à Ministris, qui non sua virtute operantur, sed vt instrumenta Christi. Confirmatur, quia si quis posset alteri gratiam mereri, vel eius augmentum, aut hoc esset de condigno, aut saltem de congruo; non primum, quia hoc solum competit Christo ex gratia capitis; neque secundum, alioquin ergo possem mereri gratiam alicui non contrito; item quod paruulus saluaretur absque baptismo, item quod paruuli ante vsum rationis in gratia crescerent, quæ omnia sunt absurda, & côtrà iustitiam Dei, quæ secundum Apostolum reddet vnicuique secundum opera sua. Tàdem mereri alteri immediatè gratiam, vel augumentum ipsius est proprium Christi, quia cum gratia sit principium gloriæ, & gloria non detur, nisi ex meritis proprijs, aut Christi, nemo poterit immediatè illam alteri mereri; possumus ergo solum impetrare, vt Deus in adultis excitet aliquem motum bonum, quo sibi vel de congruo primam, vel de condigno secundam gratiam mereantur, non autem ipsam gratiam sanctificantem immediatè.

Respondetur ex dictis suprà *n.* 324. in fine illud commune dictum SS. Patrum efficaciam nempè sacramenti non 334
dependere à bonitate ministri; intelligi quoad substantiam sacramenti, effectum, & fructum eius ordinarium, quem habet annexum ex opere operato; vnde verum est sacramentum quoad hoc non esse melius, & efficacius propter meliorem ministrum, nempè ex opere operato, hoc tamen non obstat quin adhuc dicit possit melius ex opere operantis, negari enim nequit actionem sacramentalem probi Ministri esse ex hoc capite meliorem actione improbi; qua ratione Sanctus Thomas 3. *par q.* 82. *art.* 6. docet missam boni Sacerdotis esse meliorem, & magis fructuosam, quàm mali Sacerdotis, licet sint æqualiter validæ, & fructuosæ quoad sacramentum, & orationes, quas proferunt, vt Ministri Ecclesiæ.

Ad Confirmationem concedo iustum, & sanctum posse deuotione sua alteri mereri primam gratiam vel saltem eius incrementum de congruo, siquidem hoc loco non de prima gratia loquitur Doctor, sed de eius incremento, vndè ad tuendam eius opinionem non est opus; id de prima gratia tueri: sed sufficit, quod habita prima gratia per sacramentum possit iustus illi mereri ex suis operibus, & deuotione augmentum gratiæ; Cûm verò id impugnatur per sequelam illorum trium absurdorum, nego primam sequelam; adultus enim eo casu esse ex parte sua indispositus, & incapax gratiæ; vt verò iustus possit eam alteri de congruo mereri, requiritur, quod in suscipiente non sit indispositio, vt docet D. Thomas *p.* 2. *q.* 114. *art.* 6. Negatur etiam secunda sequela, quod posset iustus mereri, paruulum sine baptismo saluari, quia iam extat præceptum, quod quilibet baptizetur, si possibilitas adest; Quod si ponatur casus, quod mors infantis instet, nec adsit baptizandi commoditas, si sanctus pro illo oraret, dicunt Faber, Centinus, & alij Scotistæ, quod fortè saluari posset, quia præceptum ex impossibilitate impletionis non obligaret infantem, & alia remedia tunc temporis adhiberi non possent, & ratio est, quia meritum de congruo enim innititur iustitiæ, sicut meritum de condigno, sed misericordiæ; non esset ergo inconueniens, imò diuinæ misericordiæ maximè consentaneum, quod Deus per orationem iusti, ex misericordia, non ex iustitiæ debito moueretur ad dandam illi infanti primam gratiam, cui baptismus applicari non potuit.

Tertia sequela nihil infert absurdi, posse nimirum paruulorum gratiam ex precibus Ministri, vel parentum augeri, 335
quandoquidem de facto videmus Ecclesiam in collatione baptismi pro ipsis orare, quod vtique non faceret, si preces illæ nullo modo eis prodessent; post susceptum verò baptismum non consueuit orare pro illis, quia recepto baptismo sunt in statu gratiæ, à quo dilabi non possunt antè vsum rationis, ideoque nostris non egent orationibus sicut adulti; Quando verò Apostolus inquit, Deum vnicuique redditurum secundum opera sua, loquitur de adultis, non de infantibus, & loquitur de merito de condigno, non de congruo, de quo tantùm nos loquimur, cùm dicimus vnum posse alteri

teri

teri mereri gratiam, vel saltem eius augmentum. Ad vltimum tandem satis constat ex dictis *num.* 326. proprium esse Christi Domini alijs mereri gratiam sanctificantem de condigno ex gratia capitis, & incrementum eius; neque nos asserimus posse iustum alteri gratiam mereri hoc modo, sed tantum de congruo, quod nullum est inconueniens, quia meritum huiusmodi non innititur iustitiæ, sicut meritum de condigno, sed misericordiæ. Dices, ergò meritum illius iusti excederet meritum Christi, Christus enim non promeruit nobis aliquam gratiam iustificantem immediatè, nisi promerendo auxilia, quibus illam mereremur, vel instituendo sacramenta ad illam. Negatur consequentia cùm eius probatione, tum quia meritum Christi pro alijs est de condigno, meritum verò iusti tantum de congruo; tùm quia falsum est Christum non promeruisse nobis aliquam gratiam iustificantem immediatè, & eius augmentum, vt satis constat ex dictis *lib. 3. sent. disp.* de Merito Christi.

QVÆSTIO DECIMA.

In qua breuiter expediuntur quædam aliæ difficultates.

336 IN hac Disputatione de sacramentis in genere quædam aliæ quæstiones proponi solent, quæ potius spectant ad peculiares tractatus de sacramentis in specie; hic solùm tres, vel quatuor tangemus, quę maiorem videntur habere connexionem cum hoc tractatu de sacramentis in genere, & articulis sequentibus breuiter resoluentur.

ARTICVLVS PRIMVS.

An sacramenta causent aliam gratiam, quam sanctificantem: & an eam conferant in voto tantum suscepta.

337 QVoad primam difficultatem, quamuis fusè ab aliquibus examinetur, dicendum est breuiter cum communi sententia, nullam gratiam conferri per sacramenta à gratia habituali distinctam, præter auxilia aliqua particularia, quæ Deus decreuit dare tempore opportuno recipientibus debitè sacramenti, nisi ponant obicem. Conclusio deducitur ex Scoti principijs, nam postquam *in 4. dist. 1. quæst. 4. &* 5. docuit sacramenta conferre gratiam habitualem, seù sanctificantem; agens postea de sacramentis in particulari, aliquos peculiares effectus singulis assignat, & gratias distinctas ab illa communi, quam omnia causant, quæ non important, nisi prædicta auxilia; agens enim de baptismo inquit per gratiam nos regenerari, per Confirmationem verò nos roborari ad confitendam cõstanter Christi fidem; per Ordinem dari gratiam dignè exequendi potestatem, & ministerium, & sic de alijs; vndè concluditur, quod gratia quam singula sacramenta addunt supra communem gratiam, quam omnia conferunt, consistit in auxilijs actualibus ad fines speciales iuuantibus, ob quos singula sacramenta sunt instituta.

338 Et probatur, quia his auxilijs homo indiget, & hæc maximè opportuna sunt ad proprios fines singulorum sacramẽtorum, vt patet discurrendo per singula, nam per Confirmationem specialiter conferuntur auxilia ad fortiter in fide perseuerandum aliquo specialiori modo, quam possent moraliter id facere per gratiam receptam beneficio baptismi, & pœnitentiæ; per sacramentum Eucharistiæ conferuntur subsidia ad perseuerandum in gratia, & quibus fiat, vt non sentiamus tam magnas iræ, inuidiæ, & luxuriæ tentationes, quàm alias experiremur; Per sacramentum Ordinis dantur auxilia ad dignè adimplenda ministeria sacra; Per sacramẽtum Matrimonij ad sustinenda eius onera, & rectè prolem educandam. Per extremam vnctionem conferuntur auxilia quibus infirmus resistat tentationibus in extremo vitæ occurrentibus, & quibus sanitatem recuperet, si magis ad bonum animæ conducat; & hæc tota est D. Bernardi doctrina serm. de Cœna Domini, vbi inquit, Eucharistiam nobis tribuere, vt non sentiamus vehementes tentationes inuidiæ, luxuriæ, iræ. Per baptismum tota pœna remittitur. Per pœnitentiam in temporalem commutatur. Per Confirmationem datur robur ad resistendum tentationibus infidelitatis. Per matrimonium adiutorium ad piè degendam vitam coniugalem; ita discurrit ibi D. Bernardus.

Itaque gratia sacramentalis differt à gratia communi ha- 339
bituali ab omnibus sacramentis causata per ordinem ad peculiares effectus sacramentorum ad quos præstandos gratia ipsa communis ordinatur per specialia Dei auxilia in singulis sacramentis collata, quam doctrinam tradidit etiam D. Bonauent. 4. *dist. 1. artic. 1. quæst. 6. & 7. artic. 2. quæst. 2.* & in hoc sensu dici solet singula sacramenta conferre aliquam specialem gratiam, ratione cuius inter se distinguuntur, quatenus quodlibet sacramentum confert peculiarem gratiam ex vi sua distinctam à gratia alterius ratione peculiaris effectus. Verum tamen est, quod in communi modo loquendi gratia sacramentalis est quæcunque gratia, quæ per sacramenta confertur, vndè quia gratia sanctificans per singula confertur, vocari potest gratia sacramentalis quatenus per sacramenta confertur; & quia præterea alia gratiæ actualis auxilia per diuersa sacramenta conferuntur, illæ etiam gratiæ sacramentales dici possunt, & debent.

Quoad secundam difficultatem, an sacramenta gratiam 340
conferant in voto tantum suscepta, Baldius in sua Catholica Monarchia *lib. 3. quæst. 3. diffic.* 3. asserit sacramentum, vt est tantum in voto gratiam causare ex opere operato; quod probat, quia in noua lege quod sacramentum tantum in voto conferat ex opere operato gratiam, facit ad dignitatem sacramentorum nostræ legis, & eius commendationem; ergo talis modus conferendi gratiam debet in illis admitti; consequentia patet, probatur assumptum, nam est communis Theologorum sententia, quod adulti iustificantur per baptismum in re, vel in voto, & similiter per pœnitentiam, cum sacramentum suscipi non potest; at sacramentum in re susceptum confert gratiam ex opere operato, licet sit dispositio ex parte suscipientis; ergò per sacramentum in voto confertur gratia ex opere operato simul cum illa dispositione suscipientis. Confirmatur, quia in probabili sententia ea, quæ supplent vicem baptismi in adultis, cùm actu baptizari nequeunt vt est martyrium, & perfecta ad Deum conuersio, habent vim iustificandi ex sacramento, quod est in voto, & desiderio, deriuatam, itaut Christus per sacramentum vtroque modo susceptum operetur; ergò debent, præstare totum id, quod præstaret sacramentum in re susceptum; ergò ex opere operato, quia stant loco sacramenti in re. Tandem, quia si ille iustificatur ex opere operantis ex sola contritione, & non ex vi sacramenti; ad quid habere ex præcepto votum sacramenti, itaut absque tali voto tempore nouæ legis contritio non iustificet?

Dicendum tamen est cum communi nullum sacramen- 341
tum gratiam conferre ex opere operato, nisi actu susceptum; & hoc expressè colligitur ex Scriptura in qua promissio conferendi gratiam ex opere operato semper fit sacramentis actu susceptis, vt *qui baptizatus fuerit, qui manducat meam carnem, quorum remiseritis peccata vngẽtes oleo*, &c. Imò hoc idem colligitur ex vi vocis opere operato nam opus operatum nil aliud significat, quam externam actionem sacramenti, vt applicatam ex debita intentione, & institutione Christi subiecto obicem non ponenti; at nulla actio exterior sacramentalis interuenit in tali voto sacramentorum, quæ tunc applicetur habenti tale votum, & desiderium.

Respondet Baldius, sacramentum, quod est in voto quatenus apprehẽsum à desiderante esse opus operatum, quod vi desiderij applicatur, si non in re, saltem in voto; nam sacramentum, quod apprehenditur, & est obiectum talis desiderij, est quid externum, vt per se patet, & in voto applicatur de facto, & licet non sit præsens secundum esse reale, sed tantùm secundum esse apprehensum; tamen aliquando erit, vel poterit esse, & cùm sacramenta gratiam causent morali modo in probabiliori sententia, idcircò absentia sacramenti, seù actus sacramentalis non impedit quo minus conferatur gratia ex opere operato virtute illius sacramenti in voto.

Hæc tamen responsio tota in verbis consistit, & seipsam 342
destruit, quomodo enim sacramentum, quatenus apprehensum est quid externum; & quomodo applicatur de facto, si solùm habetur in voto, & in desiderio? planè sacramentum gratiam conferre ex opere operato est illum conferre ex opere, seù actione sacramentali, prout exterius

exer-

nis signum institutum à Deo, non autem apprehenditur; itaut etiamsi ille, cui tale signum non mereatur ex parte sua, adhuc gratiam contingit in paruulis. Confirmatur, quia si tantum suscepta gratiam cōferrent adhuc alios quoq; conferrent effectus, quos con- reipsa suscipiuntur, cùm non sit maior ratio de altero; hoc autem falsum est, quia baptis- susceptus planè characterem non imprimit, pœnam, imò nec gratiam confert, si solo vo- suscipiatur, vti illam confert reipsa susceptus, gratiam conferri intuitu solius contritionis, propositum suscipiendi baptismum tempore op- portuno; nec denique reliqua sacramenta iustificant attri- tos, bona fide putantes se contritos, voto tantum suscepta.

343 Nec rationes in oppositum vrgent; Ad 1. negatur assumptum, imò si sacramenta voto tantum suscepta gratiam conferrent ex opere operato, sicut quando reipsa suscipiuntur, id potius esset in detrimentum dignitatis sacramentorum nostræ legis; etenim si tota sacramentorum gratia ex solo voto illorum posset haberi, mera ceremonia esset postea illa actu suscipere, & non nisi præcepti seruandi causa ad illa accederimus; ad probationem assumpti, quando Theologi dicunt adultos per baptismum iustificari in re susceptum, vel saltem in voto; hoc planè non asserunt, quasi eodem modo gratiam conferant in voto suscepta, ac in re, nempe ex opere operato; sed quia contritio, ad cuius intuitum, & mensuram datur gratia extrà sacramentum includit propositum sacramenta suscipiendi tempore suo; & in hoc sensu loquitur etiam Triden. *sess. 13. cap. 8.* cùm inquit, Eucharistiam in voto susceptam suum fructum, & vtilitatem conferre; debet enim intelligi de fructu, & vtilitate non quidem respondente sacramento ex opere operato, sed merito, & voto operantis.

344 Ad Confirmationem dico, ea quæ supplent vicem baptismi in adultis, cùm actu baptizari nequeunt, vtique habere vim iustificandi ex sacramento, quod est in voto deriuatam, quatenus si tunc iustificari volumus, tenemur actum contritionis elicere, qui illius propositum includat; vndè sacramentum in voto susceptum dicitur iustificare, non quia vt sic susceptum gratiam conferat ex opere operato; sed quia contritio, ad cuius intuitum, & mensuram datur gratia, propositum includit suscipiendi sacramentum ad gratiam concurrit, non causatiuè, sed terminatiuè, vt concurrunt cætera obiecta honesta; Dices Martyrium in adultis gratiam conferre ex opere operato, & non nisi virtute baptismi, quem habent in voto. Negatur hoc assumptum quoad secundam partem, si enim martyrium gratiam confert ex opere operato, vt fert communior opinio, hoc habet ex singulari priuilegio etiam independenter à baptismo in voto, vt patet de Innocentibus quos Ecclesia colit, vt Martyres, hoc tamen interest inter martyrium adultorum, & paruulorum, quod illud necessario consensum adulti requirit, non secus, ac sacramentum baptismi; vt gratiam conferat; hoc autem, vt gratiam infanti conferat, nullum requirit consensum nec infantis, cuius capax non est, nec alterius personæ, sicut nec baptismus.

345 Ad vltimum dico, quod sicut in lege gratiæ non sunt superflua sacramenta in ordine ad conferendam gratiam sanctificantem, quamuis etiam extrà sacramenta possit homine ex opere operantis talem gratiam adipisci, ità neque in contritione superfluit votum sacramenti, quando re ipsa suscipi non potest, quia per virtutem sacramentorum solet Deus abundantius gratiam elargiri, ac etiam talia auxilia, quæ dare non solet intuitu solius contritionis sine voto sacramenti, & ex solo opere operantis vnde propositum suscipiendi sacramenta tempore suo, quod debet ex præcepto esse contritioni annexum in lege noua, tantum abest, vt virtutem contritionis in se diminuat; vt potius absque vlla proportione ampliauerit, quam fuerit tempore legis antiquæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An omnia sacramenta vim habeant conferendi primam gratiam.

346 QVoad præsentem difficultatem, dixerunt aliqui Theologi, quod quando omnia sacramenta dicuntur gratiam conferre, hoc debet intelligi de prima gratia sanctificante, & non de solo augumento gratiæ quod dari solet homini in statu gratiæ iam existenti; Quapropter dicunt etiam sacramenta nouæ legis secundum rationem genericam essentialiter habere, vt primam gratiam conferat; sed tamen diuersa sacramenta in sua ratione specifica, alia habere, vt conferant primam gratiam, alia verò augmentum gratiæ tantum; quare ad propositam difficultatem dicunt omnia sacramenta ex sua ratione generica habere vim conferendi primam gratiam; quædam tamen ex sua ratione specifica talem vim non habere, sed tantum vim conferendi augumentum eius, & talia sunt sacramenta viuorum, vt sunt Confirmatio, Eucharistia, & extrema Vnctio, quæ ità dicuntur, quia instituta sunt ad iuuandos illos qui supponuntur iam viuere vita spirituali per gratiam. Hic dicendi modus non placet, quia in bona logica differentia adueniens generi debet illud perficere, & non destruere; ergo repugnat omnia sacramenta secundum rationem genericam habere vim conferendi primam gratiam, quibusdam verò id repugnare secundum rationem specificam, & differentiam ipsam; Tùm quia sacramenta non habent vim ad gratiam conferendam, nisi ex Christi institutione; at Christus nullam fecit genericam sacramentorum institutionem, sed omnia secundum rationem specificam instituit; ergò si ratione specificæ institutionis non omnia sacramenta primam gratiam conferunt, neque id habebunt secundum rationem genericam.

Dicendum est itaque non omnia sacramenta habere 347
ex se, & ex vi suæ institutionis primam gratiam conferre, sed quædam principaliter instituta esse ad primam gratiam conferendam, siue iustificationem à peccato; quædam verò per se, & principaliter instituta ad conferendam secundam gratiam, seu gratiam in augmento, atque ita sacramenta in communi, seu secundum rationem genericam instituta esse ad conferendam gratiam absolutè abstrahendo à prima, & secunda gratia. Ita Scotus 4. d. 25. q. vn. vbi de extrema Vnctione inquit, nullum esse dignè capacem eius, nisi sit in gratia, & addit nullum sacramentum præter baptismum, & pœnitentiam esse remedium acquirendi gratiam, sed augendi, & idem habet 4. d. 9. q. vn. loquens de sacramento Eucharistiæ. Conclusio est communis in omni schola, quæ sic probatur, & declaratur, nam quædam sacramenta per se, & principaliter sunt instituta ad delendum peccatum originale, vel actuale, vt baptismus, & pœnitentia, quæ proindè ex vi sua, & propria institutione habent conferre primam gratiam, ideoque communiter sacramēta mortuorum appellari solent, quia nimirum sunt instituta ad præbēdam vitam spiritualem ijs, qui spiritualiter per peccatum mortui erant. Alia verò sunt sacramenta per se, & principaliter instituta ad roborandam magis animam, vt Confirmatio ad perficiendam animam, non enim corroboratur, nisi quod prius esse habet; & Eucharistia ad reficiendam eandem per modum cibi spiritualis; ideoque dici solent sacramenta viuorum, quia supponunt per se loquendo, & iuxtà suam institutionem animam esse in gratia; ex quo fit, vt volentes ad hæc sacramenta viuorum accedere debent esse ità dispositi, vt saltem in sua conscientia, & existimatione supponantur esse in statu gratiæ, quod non requiritur in accedentibus ad sacramentum baptismi, vel pœnitentiæ, quæ dicuntur sacramenta mortuorum.

Addendum tamen est, per accidēs, & indirectè fieri posse 348
vt sacramenta instituta ad conferendā primam gratiam, conferant augmentum gratiæ, & è contrà illa, quę sunt instituta ad augmentum, conferant aliquando etiam primam gratiam; Ratio est, quia contingere potest ex vna parte, vt accedens ad baptismum, vel pœnitentiam supponatur esse in gratia per actum perfectæ contritionis, in quo sanè casu hæc duo sacramenta, alioquin per se ad primam gratiam conferendam instituta, conferent secundam, seu augmentum gratiæ, ità Scot. *4. dist. 4. q. 6.* Ex alia verò parte potest etiam è contrà accidere, vt aliquis habens aliquod mortale oblitum, putans tamen bona fide se esse in gratia, accedat cum attritione ad sacramentum aliquod viuorum, & tunc ex virtute talis sacramenti, alioquin ad solum gratiæ augmentum conferendum instituti, recipiat primam gratiam, & iustificetur à peccato; Ratio est, quia sacramenta omnia ex se vim habent conferendi gratiam obicem non ponentibus ex Trid. *sess. 7. can. 6. & 7.* sed homo bona fide accedens, & cum tali saltem dispositione, cum qua per aliquod sacramentum gratiam recipe-

cipere valeat, iam non ponit obicem, qualiter se habet homo inculpabiliter ignorans se esse in statu peccati, sed tamen reuera attritus de peccatis, quæ habet, cum qua attritione recipere vtique gratiam per sacramentum baptismi, vel pœnitentiæ; ergò etiam dici debet recipere primam gratiam in tali casu per sacramenta viuorum modo inferius explicando.

349 Specialis tamen difficultas est de sacramẽto Eucharistiæ, an valeat primam gratiam conferre, & peccatum mortale remittere saltem per accidens, & indirectè modo iam explicato, in qua non solùm inter se diuisi sunt Recentiores, sed etiam Nostrates de mente Doctoris altercantes *4. dist. 9. qu. vn.* Negatiuam partem defendunt Vasquez, Meratius, Lugo, Morandus, & alij Recentiores, & ex nostris Centinus *disp. 3.* de Confirmatione, & Gauatius fusè, & pro nostris *disp. 12. de sacrament. Euchar. quæst. 1. cap. 2.* Affirmatiuam verò tuentur alij communiter tum Thomistæ, quàm Scotistæ, vt Caiet. Capreol. Soto, Suarez, Valentia, Coninchius, Petantius, Siluius, Nugnus, Caspensis, Orlandus, Amicus, Pasqualigus, Aueria, Baldus, & Summistæ passim Diana, Palaus, Bonacina, & ex nostris Poncius, Hiqueus, Brancatus, Rada, Aretinus, & alij antiquiores; Et hæc quoque mihi amplectenda videtur, vt communior, & magis pia, ac magis de mente Doctoris *loc. cit.* vbi §. *de secundo dico*, in fine habet hæc formalia verba, *imò si quæ alia peccata lateant, per istud sacramentum etiam remittuntur*, quæ verba nimis patenter eludere videtur Gauatius *disput. cit. num. 51.* dùm inquit verba illa non esse Scoti, sed addita, non enim nouum est in litera Scoti multas additiones inueniri, quæ non sunt Scoti. Hæc inquam, est mera illusio, & nugæ, nam ità dici posset de quacunque alia Scoti auctoritate adducta, & licet in litera Scoti nonnullæ sint additiones, istæ tamen à Marginista signari solent, vt tales, quod in prædicta auctoritate non inuenitur.

350 Dicendum est itaque etiam hoc sacramentum in aliquo casu, & per accidens posse primam gratiam conferre, & remissionem peccati mortalis suscipienti ipsum; casus autem ità communiter proponi solet ab Auctoribus nostræ sententiæ, quando nimirum aliquis ad communionem accederet cum attritione, & ex obliuione inculpabili confessionem omitteret alicuius peccati mortalis; at benè Poncius hic notat *disp. 44. quæst. 10.* casum hunc non esse sufficientem ad propositum, nisi aliqua alia circumstantia addatur; nam qui præpararet se ad communionem confitendo peccata, quę in mentem venirent, & de his sufficientem attritionem haberet, potius dicendus esset recipere primam gratiam mediante sacramento pœnitentiæ, quod per se ad hoc est ordinatũ, quàm virtute Eucharistiæ per se institutæ ad conferendum tantùm gratiæ augmentum, vt benè instat Centinus *loc. cit.* Quarè casus directè faciens ad propositum esset, inquit Põcius, quando quis oblitus se commisisse peccatum vllum mortale ad hoc sacramentum accederet sine confessione, vt in Sacerdotibus contingere potest, qui non semper confitentur, dùm celebrare volunt, nisi sint sibi conscij peccati mortalis; vbi sæculares confessionem præmittere solent, antequam ad communionem accedant.

351 Probatur itaque conclusio, quia in casu posito Sacerdos ille bona fide sumens Eucharistiam, nullam habens conscientiam peccati mortalis, & putans inuincibiliter se esse in gratia, eo quod facto diligenti examine nullius peccati recordatur; vel si recordatur non habet copiam Confessoris, habet actum, quem putat contritionis, cùm re vera non sit nisi attritio, ille, inquam, cum tali dispositione sumens Eucharistiam verè accedit dignè, & sine obice: ergò verè recipit gratiam huius sacramenti; Consequentia probatur, quia ex Triden. cita. omnia sacramenta semper gratiam conferunt omnibus illa dignè suscipientibus, & sine obice; in casu autem posito ille tollit obicem peccati per actum attritionis, quem re vera habet, qui actus sufficiens est cum sacramento reipsa suscepto ad gratiam recipiendam. Neque dicas hunc recepturum gratiam, & remissionem peccati mortalis ex vi contritionis, & ex pœnitentia interiori, seu pœnitentia in voto, cuius merito reconciliatur Deo, non autem per sacramentum Eucharistiæ. Hæc, inquam, euasio non satisfacit, quia supponimus in casu posito illum non accedere ad sumptionem Eucharistiæ cum actu vero contritionis, sed cum actu, quem putat contritionis, cùm re vera non sit, nisi attritio, hoc est, accedere cum attritione putata contritione; hæc autem attritio non sufficit ad gratiam recipiendam cum sacramento tantum in voto, sed reipsa suscepto; & ideò hæc peccati remissio in casu posito non potest haberi virtute sacramenti pœnitentiæ, quod habetur tantùm in voto, sed sacramenti Eucharistiæ, quod reipsa suscipitur. Non ergò hęc virtus negari debet huic sacramento non ponentibus obicẽ, & accedentibus bona fide, sicut accedunt pręcipuè illi, qui suorum peccatorum immemores post diligentem eorum discussionem accedunt cum attritione supernaturali, vel etiã si sint memores peccatorum, accedunt cum attritione existimata contritione; nam si accederent cum attritione cognita, vt tali non dignè accederent, sed peccatum sacrilegij committerent.

352 Confirm. quia hoc peculiariter spectare videtur ad huius sacramenti excellentiam, & dignitatem, vt talem effectum sortiatur aliquãdo saltem in ijs, qui bona fide accedunt, nec vllum gratiæ impedimentum ponunt; Et quidem si hoc priuilegium alijs sacramentis conceditur, planè sacramento Eucharistiæ denegandum non est, in quo substantialiter, & realiter Christus Dominus continetur auctor, & fons omnia gratiæ. Imò id satis expressè videtur innuere Trid. *sess. 13. can. 5.* cum inquit, *si quis dixerit vel præcipuum fructum huius sacramenti esse remissionem peccatorum, vel ex eo non alios effectus prouenire, anathema sit*: quibus verbis absolutè non negat remissionem etiam peccatorum esse huius sacramenti fructum, sed tantùm negat esse præcipuum, & principalem, tacitè concedens esse eius effectum saltem secundarium, & per accidens, quod etiam indicat Ecclesia in illa oratione *sit nobis ablutio scelerum, sit remissio omnium delictorum*.

353 Resp. huiusmodi accedentem ad Eucharistiam attritum ponere obicem ob peccatum commissum, quamuis enim attritio de peccatis cõmissis tollat obicem respectu sacramenti baptismi, & pœnitẽtiæ, quæ ad deletionem peccati mortalis sunt instituta, ad hæc enim sufficit attritio; non tamen respectu sacramenti Eucharistiæ, quod ad augendam gratiam, nõ verò ad delendum peccatum est ordinatum, ad hoc enim dignè suscipiendum necesse est recipientem, vel per sacramentalem confessionem, vel ad minus per contritionem esse extrà statum peccati, & in gratia. Ad Conf. aiunt ad productionem primæ gratiæ non satis esse, quod in hoc sacramento contineatur auctor omnis gratiæ, sed insuper attẽdendus est modos, quo illud instituit, vt causatiuum gratię, cùm nullum sacramentum illam causet supra sui institutionem; at hoc sacramentum est institutum tantùm, vt sacramentum viuorum, quia institutum est per modum refectionis. Ad auctoritatem Conc. Trid. dicunt illum locum, vel intelligendum esse de Eucharistia, vt sacrificium est, quomodo vtique impetrat remissionem peccatorum mortalium, vel de eadem, vt sacramentum est in ordine ad peccata venialia, seù ad prauos effectus, qui remanent post peccata.

354 Hæc tamen solutio non satisfacit, quia idem est obex respectu gratiæ, & omnium sacramentorum, nempè peccatum, quod actu committitur; vel quod cognitum non retractatur, sed de eo habetur complacentia in receptione sacramenti: at in casu posito recipiens Eucharistiam nec actu peccatum committit, nec sibi complacet de præterito, cùm illud inuincibiliter ignoret, & bona fide accedat putans se innocentem; ergò sic accedens ad Eucharistiam nullum ponit obicem, nisi prorsus materialem; Quod si sit memor peccatorum, nec copiam Confessoris habeat, supponimus, quod accedat cum attritione existimata contritione, non autem cognita, vt tali, nam vtiq; simplex attritio, & cognita, vt talis, non est sufficiens dispositio ad recipiendum Eucharistiæ sacramentum. Neq; valet solutio ad Conf. nam etiam baptismus, & pœnitentia sunt per se instituta ad causandam primam gratiam; & tamen hoc non obstante conferunt augmentum gratiæ ijs, qui in gratia accedunt ad illa, & sine peccato, & hoc asserunt quoq; Aduersarij ex hoc solo motiuo, quod sacramenta semper causant gratiam in non ponente obicem; at idem motiuum est in casu nostro de sacramento Eucharistiæ; sicut ergò illa sacramenta nata sunt primam gratiam conferre ex primaria eorum institutione, & hoc non obstante sæpè etiam conferunt augmentum gratiæ per accidens ex statu accedentis in gratia, & iustitia, sic etiam non obstante huius sacramenti institutione ad dandum augumentum gratiæ, solùm, non autem primam gratiam, poterit in casibus adductis saltem per accidens, ratione, scilicet dispositionis recipientis, primam gratiam, & remissionem peccatorum mortalium causare.

355 Respondet Gauatius *loc. cit. cap. 3.* cum Card. de Lugo negando

Quia sacramenta mortuorum intantum pos- [illegible] conferre augumentum gratiæ, inquantum [illegible] respondet ex eorum institutione, nem- [illegible], & gratiam conferre non ponenti obi- [illegible] viuorum, præsertim Eucharistia, cùm [illegible] ad delendum peccatum mortale, sed so- [illegible] gratiam, nempè ad nutriendam animam [illegible] de Eucharistia, nunquam possunt primâ [illegible] & peccatum mortale delere. Verùm hoc [illegible] dicitur, quod, scilicet, Eucharistia ad hûc [illegible] sit instituta, & quod alios effectus non pos- [illegible] habere, vt inquit Card. de Lugo disp. 12. de Eu- char. sect. 10. quamuis enim hoc sacramentum ex vi suæ institutionis, & ex primaria intentione Dei, & Christi solùm sit ordinatum ad dandum gratiæ augumentum; secundaria tamen intentione institutum quoque fuit ad dandam aliquando primam gratiam, & remissionem peccati mortalis per accidens, scilicet, in casibus positis, quando nimirum quis accedit ad hoc sacramentum credens inuincibiliter se peccato mortali carere, & aliàs habet attritionem de commissis. Nec tandem valet explicatio allata Conc. Trid. vt enim constat ex verbis eius citatis, loquitur ibi de Eucharistia, non tantùm vt sacrificium, sed præcipuè, vt sacramentum; Et Ecclesia in oratione citata inquit hoc sacramentum remissionem conferre obicem non ponentibus, non tantùm venialium, sed vniuersaliter omnium delictorum.

Obiectiones Solutæ.

356 IN oppositum obijciunt. Primò, quia non est tribuendum sacramentis, quod ex sacra Scriptura, vel Ecclesiæ definitione, aut Patrum traditione non constat, cùm tota sacramentorum efficacitas ex sola voluntate Dei dependeat; sed quod Eucharistia conferat in aliquo casu primam gratiam, aut remissionem peccati mortalis non constat ex aliquo ex prædictis fundamentis, ergo &c. Tùm 2. quia hoc sacramentum ex vi suæ institutionis solùm est institutum ad dandum gratiæ augumentum; ergò in nullo casu primam gratiam conferre potest; probatur consequentia, quia quando alicui causæ per se competit aliquem effectum producere, non potest neque per accidens producere contrarium. Tùm 3. quia si hoc competeret Eucharistiæ, vel alijs sacramenti viuorum, vel competeret per se, vel per accidens; non primum, quia aliàs semper competeret; neque secundum, quia competeret præter Christi intentionem. Tùm 4. hoc sacramentum fuit institutum per modum cibi, & potus, ac proindè non pro mortuis, sed pro viuis; ergo sicut cibus corporeus nequit causare generationem, vel resurrectionem viuentis, sed tantum conseruationem, & augumentum eius; ità neque cibus spiritualis, quale est hoc sacramentum, poterit causare generationem, aut resurrectionem spiritualem hominis sed tantum augumentum vitæ spiritualis. Tum 5. quia prima gratia differt à secunda, quia inuoluit remissionem peccati: ergò non possunt neque per accidens ad illam se extendere sacramenta viuorum, sicut nec visus potest per accidens ad obiectum intelligibile se extendere. Tùm 6. quia ex nostra opinione sequitur Eucharistiam non tantum esse sacramentum viuorum, sed etiam mortuorum, ac proindè confunditur distinctio illa ab omnibus recepta de sacramentis viuorum, & mortuorum. Tùm tandem, quia si hoc sacramentum causat primam gratiam in accedente cum attritione putata contritione, causaret etiam in accedente cum attritione cognita, quod est falsum; probatur sequela maioris; ideò causat cum attritione putata contritione, quia sacramenta sunt instituta ad causandam gratiam in non ponentibus obicem; sed hoc totum habetur, quamuis attritio non putetur contritio, si aliud non obstet, vt patet in sacramento baptismi, & pœnitentiæ, ergo &c.

357 Respondetur negando minorem, nam quod sacramentum Eucharistiæ primam gratiam conferat, & peccati mortalis remissionem, colligitur [illegible] probabiliter, tùm ex testimonio Concil. Trid. citato, tùm ex verbis Ecclesiæ in quadam oratione relatis n. 352. tum ex multis Patribus, qui loquentes de sacramento Eucharistiæ dicunt conferre remissionem peccatorum, cui accedit & sententia communior Doctorum sic tenens, quæ non est parui momenti, & facit hanc sententiam probabiliorem. Ad 2. sicut baptismus, & pœnitentia, quamuis ex primaria institutione vim habeant primam gratiam conferendi, ex secundaria tamen vim habent etiam cōferendi augumentum gratiæ in quibusdam casibus; ità è contrà pariter dicendum est de hoc sacramento, quod ex secundaria Dei intentione vim habeat conferendi per accidens primam gratiam in quibusdam casibus; & sicut Aduersarij dicunt diuinam bonitatem congruere, vt baptismus etiam in iustificato, & obicem non ponente causet effectum suum; ità nos etiam dicimus eandem diuinam bonitatem congruere, vt homini de aliquo peccato inculpabiliter oblito, & bona fide accedenti Eucharistia gratiam conferat; imò hoc magis necessarium est humanæ naturæ in tali casu, quia remaneret sine remedio, quam asserere baptismum, & pœnitentiam habere posse effectum suum in iustificato, quia in tali casu tanta necessitas non adest, quarè ad argumentum negatur consequentia cum probatione, quia quando etiam esset verum in naturalibus, quando alicui causæ competit per se producere effectum suum, nō posse neque per accidens producere contrarium, quod tamen non conceditur; in supernaturalibus tamen, & moralibus potest id euenire; neque productio primæ gratiæ est effectus contrarius productioni secundæ propriè loquendo.

Ad 3. dicimus hunc effectum Eucharistiæ competere per accidens, non quia fortuitò, & absque consilio diuino, sed quia ei non competit ex vi suæ institutionis, & ex primaria Dei intentione, sed tantùm secundaria, & quia regulariter hunc effectum non facit. Ad 4. hoc est discrimen inter Eucharistiam, & cibum corporalem, quod hic vitam non habet in semetipso, ideoque nequit vitam tribuere, nisi quatenus per actionem viuentis in substantiam aliti conuertitur; at Eucharistia habet in se vitam, & virtute sua propria conuertit in se manducantem, non è contrà, vt inquit Augustinus, *crede, & manducabis me, non me conuertens in te, sed te conuertens in me*; ac proindè non est mirum, si non tantùm possit vitam spiritualem animæ conseruare, sed etiam in aliquo casu eam aliquando primò conferre. Ad 5. negatur paritas, quia visibile, quod est obiectum proprium visus, essentialiter differt ab intelligibili, quod est obiectum intellectus, at prima gratia non differt à secunda intrinsecè, & essentialiter in ipsa gratiæ entitate, sed extrinsecè ratione connotati; prima enim dicitur, quia aliam non supponit, secunda verò, quia aliam supponit; sicut primus calor dicitur, qui primò introducitur in subiecto, & secundus, qui alium supponit in subiecto, licet alioquin omnes sint homogenei, & eiusdem rationis, & qui modò est secundus potuerit esse primus, si primò introductus fuisset in subiecto, & è contrà; Nec refert, quod prima gratia dicatur peccati remissiua, quia hoc non est peculiare gratiæ, quæ dicitur prima, sed commune omni gratiæ habet enim hoc quælibet gratia ex hoc, quod est amicitia, & filiatio Dei adoptatiua. Ad 6. negatur consequentia, nā quemadmodum etiam per Aduersarios baptismus, & pœnitentia, quamuis per se sint sacramenta mortuorum, adhuc possunt esse viuorum in aliquo casu, absque confusione illius distinctionis, quia hoc eis conuenit tantùm per accidēs; ità in proposito eadem ratione non confunditur illa distinctio, qua dicimus Eucharistiam esse per se, & ex primaria institutione sacramentum viuorum, & tantum per accidens mortuorum modo iam explicato. 358

Ad vltimum negatur sequela maioris ad probationem dico hoc esse discrimē inter Eucharistiam ex vna parte, & baptismum, ac pœnitētiam ex alia quod hæc duo cùm ex sua ratione specifica sint ordinata ad remittenda peccata mortalia, vt quis dicatur bona fide ad illa accedere, satis est, si habeat attritionem; At Eucharistia, quia id habet ex ratione tantum generica, non autem specifica, vt quis ad eam bona fide dicatur accedere, non satis est habere attritionem, sed necessaria est contritio, vel in re, vel in prudenti existimatione, vndè in recipiendis illis duobus sacramentis potest quis accedere cū conscientia peccati mortalis, non autē in sumptione Eucharistiæ, ad nullū tamen ex illis potest quis accedere cum affectu peccati mortalis. Dices, ignorantia non facit hominem magis dispositum ad effectum gratiæ, sed quando quis putat se esse contritum, cùm sit attritus, hoc oritur ex ignorantia; ergo nō est magis dispositus, quàm ille, qui est tantùm attritus, & cognoscit se esse attritum, at hic non est sufficienter dispositus ad effectum Eucharistiæ; ergò nec ille. Resp. quod licet ignorantia non faciat hominem magis dispositum positiuè, facit tamen negatiuè, nimirum vt accedat minus indispositus, quia excusat illum à peccato actuali, ne indignè accedat ad hoc sacramentum. Dices cum Gauatio, si dignè accedit ad sacramentum: ergo dignus est, & consequenter præsup- 359

ponitur in gratia. Negatur consequentia, quia dignè accedit ad sacramentum negatiuè tantùm, quatenus ignorantia excusat eum à peccato, non autem positiuè.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quæ sacramenta sint necessaria necessitate medij, quæ vero præcepti.

360 DVplicem solent Theologi præsertim Recentiores distinguere necessitatem respectu salutis, seù vitæ æternæ, vnam medij, alteram præcepti, vt dixi *lib. 3. sent. disp. 6. de Virtutib. Theolog. q. 15.* illum dicunt necessarium necessitate medij, quod secundum legem ordinariam ita necessarium est, vt sine illo salus obtineri non possit, & cuius prætermissio, etiamsi ex ignorantia, vel obliuione prætermittatur, salus non obtinetur; huiusmodi est gratia iustificans, hæc enim est medium necessarium ad consequendam beatitudinem secundum legem Dei ordinariam. Necessarium verò necessitate præcepti dicitur illud quod oblata opportunitate necessariò præstandum est ad salutem obtinendam, nisi fortè prætermittatur ex ignorantia, vel impotentia, vel obliuione, nam quod sic prætermittitur, non imputatur ad culpam, & consequenter non impedit gloriæ consecutionem, modò necessarium tantum necessitate præcepti.

Tota itaque huius quæstionis difficultas consistit in recta intelligentia, & explicatione præfatæ distinctionis etenim nonnulli ex nostris hac præsertim de causa eam omninò damnant, & respuunt; primò tanquam prorsus incognitam antiquis Scholarum proceribus, scilicet, Diuo Thomæ, & Scoto, qui de sacramentorum necessitate loquentes illam in necessitatem simpliciter, & ad benè, seù melius esse diuiserunt, nec aliam agnouerunt necessitatem, Deindè, quia membra huius distinctionis nullo modo sunt inter se contradistincta; cum enim omne medium ad salutem sit etiam præceptum, & omne præceptum sit medium ad salutem consequendam, consequenter fit nihil esse necessarium necessitate medij, quod etiam non sit necessitate præcepti necessarium, & è contrà; ità Brancatus *disp. 6. de necessitate sacramentorum art. 2.* & antè ipsum Vulpes *to. 2. p. 3. disp. 35. art. 3.* quibus obiectionibus iam satisfactum est *loc. cit.*

361 Verum cum hæc distinctio iam sit in omnibus Scholis plausibiliter recepta, non est sine graui ratione, vel auctoritate reijcienda, & præsertim, quia falsum est huiusmodi distinctionem fuisse Scholarum proceribus incognitam, fuit enim optimè nota primis S. Theologiæ Magistris Alexandro Alensi, D. Thomæ, D. Bonauenturæ, & Scoto, vt ex professò ostendit Ganatius noster *disp. 10. de necessitate Eucharistiæ cap. 1.* Tum quia illa distinctio in necessarium simpliciter, & secundum quid absolutè sumpta, & prout sonat ex ipsa terminorum intelligentia non quadrat in proposito ad explicandam sacramentorum necessitatem ad salutem; quia necessarium simpliciter ex vi vocabuli importat necessitatem ex natura rei, & physicam; at nullum sacramentum hoc modo necessarium est ad salutem, sed tantum ex institutione diuina; quapropter Brancatus *loc. cit.* inquit per necessitatem simpliciter in præfata distinctione non debere intelligi necessitatem ex natura rei, & physicam, sed tantùm ex suppositione legis, & moralem; quod quidem videtur vocabulorum abusus, quia necessarium simpliciter, & necessarium ex suppositionem in communi modo loquendi sunt membra contradistincta omninò, adeout, quod est necessarium ex suppositione tantum, dicitur necessarium secundum quid tantum, & non simpliciter. Tum tandem quia etiam in hoc sensu explicata necessitate simpliciter, adhuc illa diuisio non est adæquata, & sufficiens pro omnibus sacramentis, nam Eucharistia non est necessaria simpliciter ad salutem, vt omnes concedunt, quia paruuli de facto absque hoc sacramento saluantur; nec est necessaria tantum secundum quid, hoc est, ad benè esse, quia est necessaria necessitate præcepti, tam diuini, quàm Ecclesiastici, vt posteà dicemus.

362 Respondet Brancatus *art. 2. cit. in fine*, non teneri fideles ad Eucharistiam diuino præcepto, sed ecclesiastico tantum, & semel in anno; data enim opportunitate posset quis extra casum legis, vel ex deuotione, vel ex alio motiuo non sumere illam, dummodò non contemnat, at data opportunitate nullo ex motiuo potest relinquere baptismum, nec adultus pœnitentiam, si sit in peccato. At licet hæc responsio saluet Eucharistiam non esse necessariam simpliciter ad salutem, sicut est baptismus pro omnibus, & pœnitentia pro adultis; non tamen saluat esse necessaria tantum secundum quid, vt dici solet de Confirmatione, & extrema vnctione; nam si quis tempore Paschatis non communicat, mortaliter peccat, & damnatur, si impœnitens moriatur: qui verò in articulo mortis, etiam habita opportunitate, extremam vnctionem non suscipit, non peccat mortaliter, si non adsit contemptus; imò si aliud non adest impedimentum, saluatur: ex quo igitur capite procedit, vt ex omissione Eucharistiæ deperdatur gratia, si non sumitur tempore debito, non autem ex omissione extremæ Vnctionis? certè non ex alio capite, nisi quia Eucharistia est necessaria pro opportunitate temporis necessitate præcepti diuini, & Ecclesiastici, non autem extrema Vnctio.

Denique falsum est membra illius distinctionis necessi- 363
tatis medij, & præcepti penitus coincidere, licet enim non distinguantur, tanquam duo membra penitus disparata: distinguuntur tamen, veluti includens, & inclusum, quod sufficit, ne penitus conuertantur, & quidem quod non conuertantur, ex eo constat, quia vt modò dicebamus, Eucharistia non est necessaria necessitate medij ad salutem, est autem necessaria necessitate præcepti; & sacramentum baptismi, licet sit omnibus necessarium necessitate medij, non solùm adultis, sed etiam paruulis, non tamen vniformiter, illis enim necessarium est necessitate, tam medij, quam præcepti, istis verò necessitate medij tantum, quia paruuli non sunt præcepti capaces, vndè media ad salutem simpliciter necessaria licet sint præcepta respectu illorum, qui sunt præcepti capaces, non tamen respectu omnium, infantes enim non tenentur præcepto baptismi, nec damnantur ob transgressionem præcepti, sed propter culpam originalem, quæ remanet non deleta; ergo necessitas medij, & præcepti non conuertuntur.

Dices, ipsa obseruatio præceptorum Dei est medium ad salutem necessarium, ergo necessitas præcepti non differt à necessitate medij, sed prorsus coincidunt, quia omnia media necessaria ad salutem sunt præcepta, & è contra ipsa præceptorum obseruatio est medium ad salutem necessarium.

Respondeo cum Vasquez, Becano, Caspensi, & alijs, quod esto generatim loquendo præceptorum, obseruatio in communi modo loquendi dici soleat quoddam medium ad salutem necessarium, quatenus qui non obseruat præcepta, saluari non potest, attamen quando speciatim est sermo de necessitate medij, quatenus distinguitur à necessitate præcepti, certum est præceptorum obseruantiam non esse necessariam necessitate medij; & ratio est, quia hoc propriè vocatur necessitate medij necessarium, quod positiuè, siuè per positiuum influxum concurrit ad salutem, quo pacto gratia præueniens, baptismus, dolor de peccatis, & similia positiuè concurrunt ad iustificationem; Obseruatio autem præceptorum præcisè sumpta, quatenus talis est, non concurrit positiuè, sed negatiuè, quia solum efficit, ne impediatur, aut deperdatur iustificatio; Vndè quæ obligant in ratione præcepti, solùm negatiuè concurrunt ad finis supernaturalis consecutionem, & per modum remouentis prohibens, v. gr. auditio sacri in die festo intantum est necessaria ad salutem, inquantum peccatum mortale impedit assecutionem vitæ æternæ, & auditio sacri remouet peccatum, quod committeret, qui sacrum non audiret; Quod si obseruatio præcepti interdum est meritoria augmenti gratiæ, hoc non habet ex se, qua talis est, sed quatenus in homine iusto coniuncta est cum gratia, & charitate.

Hinc deducitur potiorem modum explicandi vtramque 364
necessitatem esse, quem iam tradidimus *lib. 3. disp. 6. qu. 15. cit.* vt communiorem in Scholis, quod nempè illud est necessarium necessitate medij, quod est omninò per se necessarium ad gloriæ consecutionem, ideoque ab antiquioribus Theologis necessarium simpliciter appellabatur, sic status gratiæ dicitur necessarius ad gloriam, quatenus sine illa de lege Dei ordinaria gloria nullo modo potest obtineri. Necessarium verò necessitate præcepti solum est necessarium quasi per accidens, quia tantum se habet, vt remouens prohibens, quatenus, scilicet, præceptum implendo tollitur peccatum, quod gloriæ consecutionem impedire poterat destruendo statum gratiæ, qui est simpliciter ad eam necessarius; Ex quo dicebamus aliud subindè inter illas duas necessitates oriri discrimen, quod necessarium

pri-

... ideò est necessarium in ordine ad salutem, ut ... non possit, etiamsi adsit ignorantia inuincibilis, ... potentia, ut dicebamus de baptismo respectu ... penitentia respectu adultorum. Quod verò secundo modo duntaxat, cum sit solùm ... necessarium, si prætermittatur ob ignorantiam, ... potentiam, non impedit gloriæ consecutionem, ... casu non imputatur ad culpam, verbi gratia ... solùm est necessarium necessitate præcepti, ... ieiunet, vel ob impotentiam, vel ob ignorantiam præcepti inculpabilem, excusabitur à peccato, ac ... consecutionem non impediet.

Dices: ignorantia inuincibilis cuiuscunque obiecti semper ab omni culpa excusat; sed dari potest ignorantia inuincibilis omnium sacramentorum; ergò excusaret ignorantem à culpa ... & ideò penes excusationem à culpa non bene videntur discriminari necessitas præcepti à necessitate medij.

Respondent nonnulli negando minorem, quod dari possit ignorantia inuincibilis omnium sacramentorum, quia sufficienter lex Christi est promulgata; sed quia hoc difficultate non caret, quicquid sit de minori, neganda est vltima consequentia; qui enim inuincibiliter necessitatem medij ignorans non damnaretur ob eius omissionem, sed ob peccatum, quod per tale medium delendum erat; vndè qui omitteret baptismum verbi gratia siuè ob ignorantiam inuincibilem, siuè ob aliam impossibilitatem, damnaretur, non quidem ob transgressionem præcepti, aut omissionem talis medij culpabilem, sed propter culpam originalem, quæ ob omissionem baptismi remaneret.

365 Hac præmissa doctrina pro terminorum declaratione, & modo loquendi, ad quæstionis resolutionem descendimus, & dicimus cum Scoto pluribus in locis, quædam sacramenta esse simpliciter omnibus necessaria iuxtà modum loquendi veterum Scholasticorum, vel esse necessaria necessitate medij iuxtà modum loquendi Recentiorum, vt baptismus; quædam verò esse simpliciter necessaria, non tamen omnibus, vt Pœnitentia, quæ solis adultis peccatoribus est necessaria, quædam tandem simpliciter necessaria toti Ecclesiæ communitati, non determinando personas, sed vagè, vt Ordo, & Matrimonium; cætera autem non esse simpliciter necessaria, quia sine illis saluantur innumeri, vt sine Confirmatione, & extrema Vnctione, quæ vtilia quidem sunt, & Communitati, & particularibus, sed nullis simpliciter necessaria, cùm solum obligent ad non contemnendum, vt inquit Doctor *4. dist. 7. q. 2.* Declaratur, & probatur assertum per singulas partes, nam sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ ad primam gratiam conferendam sunt instituta, baptismus quidem simpliciter pro culpa originali delenda in omnibus, sacramentum verò pœnitentiæ pro actuali delenda in adultis, si post susceptum baptismum illos peccare contingat; sed gloria haberi nequit sine prima gratia; ergò hæc duo sacramenta sunt necessaria simpliciter, seù necessitate medij præfato modo explicata.

366 Dices, si quis antè susceptum baptismum eliciens actum contritionis, aut dilectionis Dei super omnia moriatur, saluabitur, & idem dicendum de eo, qui post susceptum baptismum peccasset; ergò hæc sacramenta non sunt simpliciter necessaria, seù necessitate medij. Respondeo illos in prædictis casibus saluari, quia prædicta sacramenta habent in voto, & desiderio suscipiendi, & susciperent de facto, si possent; sic enim disposuit suauis prouidentia Dei, vt cùm prædicta duo sacramenta sint simpliciter necessaria, quando nequeunt suscipi in re, sufficiant in voto, vel in aliquo æquiualenti, si votum non habet locum, vt in paruulo, cui sufficit martyrium, si baptismum suscipere nequit, quod baptismus sanguinis dici solet. Dices, dato casu, quod aliquis hæc sacramenta inuincibiliter ignoraret, tunc vtique illa in voto habere nequibit, habere siquidem in voto aliquam supponit illius cognitionem, quod dicitur haberi in voto. Respondeo admisso illo casu, quem aliqui negant, quod si ille benè moraliter viueret, & legem naturæ seruaret, Deum per Angelum, vel alio modo illum instructurum, vt ait Doctor *q. 1. prolog. de enutrito in syluis*; Vel quod ille prædictorum sacramentorum votum haberet saltem implicitè, quatenus promptum est ad exequendum, quicquid Deus præciperet, alioquin perfectum contritionis actum non haberet, aut dilectionis Dei super omnia; siquidem qui efficaciter vult aliquid, eo ipso supponitur omnia velle, quæ sunt sibi connexa, explicitè quidem, quæ nouit esse annexa, implicitè verò, quæ ignorat; hoc enim exigit natura connexorum.

Dices rursus, non minus in contritione, vt sit medium iustificans, inuoluitur votum restituendi, & quodcunque aliud præceptum adimplendi, quam baptismum recipiendi; ergò si necessarium necessitate medij est id, quod in re, vel in voto ad iustificationem requiritur, non minus restitutio, ieiunium, & huiusmodi, quàm baptismus, & pœnitentia erunt necessaria necessitate medij; Consequentia patet, quia baptismus dicitur necessarius necessitate medij, quia sine ipso in re, vel in voto non potest haberi gratia iustificans. Hanc difficultatem ait Gauatius *disp. 10. cit. qu. 1. art. 1. n. 74.* non esse parui momenti, & varias Recentiorum adducit solutiones, quas ibidem reijcit; breuiter tamen dicendum est, quod licet ad illud, quod dicitur necessarium necessitate medij requiratur, quod sine ipso, vel in re, vel in voto salus obtineri non possit; hoc tamen non sufficit; sed vlterius requiritur, quod per se, & positiuè in iustificationem influat modo iam explicato *n. 363.* & non tantùm per accidens, & per modum remouentis prohibens; quod in proposito de restitutione, ieiunio, & alijs præceptis minimè verificatur; sicut enim restitutio in re, vel ieiunium non concurrit ad iustificationem, vt medium positiuè influens, sed tantùm, vt remouens prohibens, nempè peccatum, quod ex transgressione præcepti restitutionis contraheretur; sic nec votum eius positiuè concurrit, siuè vt medium quo ad iustificationem, & ideò ad argumentum neganda est consequentia cum eius probatione, tanquam insufficienti, quam responsionem pro huius difficultatis solutione coactus est Gauatius ipse adhibere in fine *art. cit.* quamuis eam paulò suprà confutasset *n. 78.* 367

Deindè, quod quædam sacramenta sint toti Ecclesiæ Communitati simpliciter necessaria vagè non determinando personas, vt sacramenta Ordinis, & Matrimonij satis de se constat; quia nequeunt homines salutem consequi, nisi aliqua sacramenta recipiant; hæc autem nequeunt confici, & ministrari, nisi à Sacerdotibus, & personis Deo sacratis; ergo simpliciter est necessarium sacramentum Ordinis, per quod homines fiunt Dei Ministri. Sic etiam de sacramento Matrimonij discurrendum est, quia in tota Ecclesia propagatio generis humani debet dari, ad quod extat præceptum naturale; contractus autem Matrimonij ad esse sacramenti à Christo est eleuatus in lege noua; ergo etiam sacramentum Matrimonij est simpliciter necessarium in Ecclesia Dei vagè, & indefinitè, ita vt aliqui ex tota Communitate debeant illa sacramenta sumere, licet nullus in particulari teneatur. 368

Quod verò sacramenta Confirmationis, & extremæ Vnctionis non sint necessaria necessitate medij, neque præcepti; patet, quia cùm sint sacramenta viuorum, & instituta ad dandam secundam gratiam, seù gratiæ augumentum, apertè deducitur non esse necessaria necessitate medij, quia augumentum gratiæ non est medium ad salutem simpliciter necessarium, cum sine illo salus haberi possit. Neque etiam sunt necessaria necessitate præcepti, quia de illis nullum extat præceptum, vt ait Doctor *loc. cit. d. 7. q. 2.* sed solum obligant ad non contemnendum, quarè ad summum dici possunt necessaria necessitate secundum quid, hoc est, vtilia; cùm enim per ipsa conferatur gratia, & sint instituta ad particularem finem in salutem hominis viatoris, non est dubitandum quin sint maximè vtilia, & proficua ad eandem salutem obtinendam. 369

Deniq; Eucharistiæ sacramentum est necessarium duntaxat necessitate præcepti, vt constat ex Trid. *sess. 13. can. 9.* vbi damnatur quicunque dixerit homines non teneri ex præcepto sanctæ Ecclesiæ in festis Paschalibus communicari, statim ac ad vsum rationis peruenerint. Est tamen inter Theologos contentio, an præceptum de communicando sit Ecclesiasticum tantum, an etiam diuinum. Et hoc secundum valdè probabilius videtur, vt fusè Gauatius *disp. 10. cit. q. 2.* & expressè tenet Scotus *4. dist. 13. q. 2.* quia Christus Io. 6. expressè dicit se velle sumi in Eucharistia à quolibet Christiano illis verbis, *nisi manducaueritis carnem filij hominis, non habebitis vitam in vobis*, vbi loquitur Christus de manducatione, & potatione vera, reali, & sacramentali; & cùm non loquatur de necessitate medij, quia hoc est sacramentum viuorum, sequitur quod de necessitate præcepti sit intelligendus; Ecclesia verò tantùm præscripsit tempus, 370

in quo fideles communicari debent semel in anno, scilicet, in festo Paschatis.

Instabis hoc sacramentum esse necessarium etiam necessitate medij, & simpliciter, quia sicut se habet cibus corporalis, & materialis ad vitam corporalem; ità panis Eucharisticus ad vitam spiritualem; sed cibus corporalis est simpliciter necessarius ad vitam corporalem; ergò & spiritualis ad vitam spiritualem. Confirm. quia Eucharistia in aliquo casu confert primam gratiam, quando, scilicet attritus bona fide accedit communicaturus ignorantia peccati obliti ad Eucharistiam, vt constat ex dictis artic. præcedent. ergo est etiam necessaria necessitate medij, nam quæ conferunt primam gratiam sunt hoc modo necessaria, vt dictum est.

Resp. Eucharistiam non comparari cibo materiali quoad necessitatem vitæ simpliciter, alioquin in omni ætate, & tempore sumenda esset, quod tamen Ecclesia notat, sed tantùm quoad augumentum vitæ, & eius conseruationem; quarè cùm hic cibus spiritualis ad alendam vitam gratiæ ordinetur, quæ non nisi per actionem malam deperditur, quæ sit libera, non erit necessarius, sicut cibus materialis. Ad Conf. concesso antecedente negatur consequentia, quia vt esset necessaria necessitate medij, deberet per se, & ex primaria sua institutione ordinari ad primam gratiam conferendam, quod est falsum; quia hanc conferre nequit, nisi per accidens, & ex secundaria tantum institutione, vt patet *art. cit.* & hæc sufficiant de sacramentis in genere.

DISPVTATIO SECVNDA DE BAPTISMO, ET CONFIRMATIONE,

QVÆSTIO PRIMA.

Quo tempore fuerit institutus Baptismus, & quando cœperit esse sub præcepto.

1 SVPPONIT quæstio baptismum fuisse verè, & immediatè ab ipso Christo Domino institutum, vt ex verbis ipsius deducitur expressè Ioan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu sancto, non potest introire in regnum Dei*, & Matth. 28. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*; & quærit de tempore, quo fuerit institutus, an antè, vel post passionem, & resurrectionem ipsius; Prima sententia affirmat post passionem, & resurrectionem institutum fuisse, quando Apostolis dixit *loc. cit.* Matth. *Euntes docete omnes gentes baptizantes eos*, &c. pro quo plura extant Patrum testimonia Leonis Papæ, Tertullian. Teophil. Chrisost. Rupert. & aliorum, quam proindè secuti sunt Alensis, Albertus, Mairon, Canus, & alij antiquiores. Secunda sententia iam ferè communis in Scholis oppositum docet, baptismum, scilicet, fuisse à Christo institutum antè ipsius passionem, licet adhuc de tempore non conueniant, quo antè suam passionem Christus hoc sacramentum instituerit.

2 Deinde supposito, quod baptismus fuerit ante Christi passionem institutus, vlterius quæritur, an eo ipso cœperit obligare statim, ac fuit institutus, an potius solùm post Christi resurrectionem; & quamuis etiam omnes in eo conuenire videantur, quod baptismus obligare non cœpit antè Christi mortem, sed tantum post eius resurrectionem, discordant tamen in assignando tempus institutionis post mortem, D. Th. 3. *p. q. 66. & p. 2. q. 103. art. 3. cum suis discipulis*, docet baptismum fuisse sub consilio vsque ad passionem, & posteà statim sub præcepto. Scotus verò cum suis, quem sequitur Suarez cum alijs Recentioribus 3. *p. tom. 3. disp. 27. sect. 4.* docet baptismum non obligasse ante solemnem eius promulgationem in die Pentecostes, & prius fuisse sub consilio postea sub præcepto, ità 4. d. 3. q. 4.

ARTICVLVS PRIMVS.

Decidatur quæstio quoad primam partem.

3 DIcendum est baptismum fuisse à Christo institutum antè mortem, licet certum tempus assignari non possit, in quo fuerit facta talis institutio. Ità Scotus *loc. cit. ab initio quæstionis*, vbi Faber, Hiquæus, Aretinus, Centinus, Poncius, Brancatus; & cæteri Scotistæ, ac Recentiores passim. Hanc conclusionem probat Doctor ex ipsa Euangelica narratione Ioan. 3. vbi cùm expressè legatur Christum antè suam passionem per discipulos baptizasse, nulla est ratio negandi baptismum fuisse antè eius passionem institutum. Nec valet expositio Patrum pro opposita sententia citatorum dicentium, Apostolos tunc baptizantes non dedisse illum baptismum, qui est sacramentum nouæ legis; sed vel eundem, quem dabat Io. Baptista, vel alium, qui esset solùm figura, & quasi inchoatio baptismi à Christo instituendi. Non valet, inquam, hæc expositio, quia, vt inquit Scotus *loc. cit.* & prænotauit August. *ep.* 108. & Tolet. in *cap. 3. Io. annot. 32.* videntes discipuli Ioannis discipulos Christi baptizantes conquesti sunt apud Ioannem, quod ausi sint baptizare; si autem baptizassent baptismo Ioannis, nullam habuissent causam querelæ, quod Apostoli baptizassent baptismo Christi; ergò Apostoli non dabant baptismum Ioannis, sed alium omninò diuersum à Christo institutum, quam Scoti rationem latè prosequitur Suarez *disp. 19. sect.* 1. Nec etiam benè dicitur, illum baptismum fuisse quidem a Christo institutum antè passionem, non tanquam verum, sed solùm tanquam figuram, ac veluti inchoationem baptismi posteà instituendi. Etenim conueniens non erat, vt Christus ipse, in cuius aduentu vmbræ, & figuræ omnes cessare debebant, vteretur baptismo, qui esset solùm vmbra, & figura veri sacramenti; tùm quia baptismus ille dabatur in Spiritu sancto, vt ipse Ioannes Baptista attestabatur; ergò gratiam conferebat, & verum erat sacramentum.

Confirmatur ex congruentia ab August. allata *loc. cit.* 5
cum enim in vltima Cœna Apostoli fuerint Sacerdotes instituti, & sacramento Eucharistiæ refecti, supponi debet iam eos fuisse baptizatos, & factos habiles, & idoneos per ianuam sacramentorum ad prædicta sacramenta recipienda, *quomodo enim*, inquit Augustinus, *poterant Eucharistiam accipere nondum baptizati?* & planè, cùm hoc sacramentum ad reliqua omnia sit ianua, & sine quo iuxta legem à Deo statutam nequeunt aliorum sacramentorum effectus participari; congruum fuit, vt institueretur antè sacramentum Eucharistiæ, & Ordinis, quæ duo sacramenta in vltima Cœna ex Trid. *sess. 22. can.* 2. instituta fuere. Et quidem est mera euasio quorundam dicentium Christum in vltima cœna cum suis discipulis dispensasse, vt in illis Baptismi sacramentum ad cætera non supponeretur. Hoc inquam, sine vllo prorsus fundamento dicitur, cùm nihil cogat id affirmare; & cùm videamus hunc ordinem etiam in cæteris sacramentis seruatum fuisse, nam prius fuerunt Apostoli ad Sacerdotium ordinati per illa verba, in eadem vltima cœna, *Hoc facite in meam commemorationem*, quam potestatem absoluendi à peccatis acceperint, cùm hanc solum post resurrectionem acceperint à Christo quando eis dixit, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, sine vllo fundamento diceretur in baptismi institutione seruatum non fuisse.

Quod verò nequeat assignari ex Scriptura certum, ac determinatum tempus, quo ante mortem Christi baptismus fuerit institutus, probat Doctor refutando singulos dicendi modos; Quod enim communiter dici solet, fuisse propriè institutum, quando Christus in Iordane à Ioanne baptizatus est, non sufficienter probat, quia Christus Dominus

izatus baptismo suo, sed baptismo Ioannis; Doctor, tunc aquam dedicauit ex contactu carnis, tanquam sui baptismi idoneam quidem non in eo sensu est intelligendum, æ carnis tunc Christus aliquam virtutem communicauerit aquis; sed illa sanctificatio aliud ratio, seu designatio, qua Christus ordinauit aquam, tanquam sui baptismi idoneam materiam, dici potest fuisse institutum per verba illa Nicodemo Io. 3. nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. quo-præceptum omnibus necessarium, & so-lemne baptismi sacramentum, decens non erat priuata persona, & eo vel maximè, quia per talis baptismi institutio promulganda non erat Doctor, quod licet institutio baptismi fuerit Christi, tempus tamen præcisum, & de-terminatum in Euangelio non legitur.

Respondet Vasquez disp. 140. cap. 6. id expressè ex Euangelio colligi, quia cum Io. Baptista Christum baptizaret secu-ndum, & diceret, ego debeo à te baptizari, & tu venis ad me Christus replicauit, sine modo, quasi diceret, nunc me baptiza, quia postmodum ego te baptizabo; vndè colligitur, quod Christus immediatè post Ioannem baptizauit, atque adeò tunc suum baptismum instituerit.

Cæterum neque ex factis, neque ex verbis Christi apud Iordanem constat tunc præcisè fuisse ab eo institutum baptismi sacramentum, neque hoc in Euangelio narratur;

6 Nec verba illa sine modo conuincunt Christum immediatè post baptizasse Ioannem, atque adeò constituisse, & contra-lisse suum baptismum; quia verisimile est Christum præsen-tibus alijs, & præsertim Ioannis discipulis fuisse ab eo bapti-zatum in Iordane; si autem Christus tunc reciprocum baptismum Ioanni tribuisset, nullum adesset fundamentum querelæ discipulorum Ioannis de baptismo ministrato à Christo, vel eius discipulis, cum iam vidissent ipsum Ioannem à Christo baptizatum. Hinc Suarez disput. 19. sec. 2. Coninch. quæst. 66. art. 1. & alij Recentiores inquiunt verba illa sine modo non esse cum tanto rigore accipienda, vt in eo temporis articulo baptismus fuerit à Christo perfectè, & adequatè institutus, quia tunc non adhuc Christus suam inchoauerat prædicationem, nec discipulos habebat, quibus talem institutionem notificaret; sed cum Scoto debere intelligi tunc fuisse quodammodo inchoatam, & præsignatam baptismi institutionem, non quod tunc facta fuerit talis institutio, sed dedicata baptismi materia in contactu suæ sanctissimæ carnis. Accedit, quod Augustinus serm. 2. Dominicæ infrà octauam Epiphaniæ, in longè diuerso sensu verba illa sine modo interpretatur; commemorauerat enim Ioannes auctoritatem, & potestatem Christi, qui suum baptismum daturus erat in Spiritu Sancto, & in se ipso nullo indigebat baptismo, vndè hanc commemorationem redarguens Christus inquit *sine modo*, quasi dicere vellet inquit Augustinus, *sic decet nos omnem implere iustitiam*. Quamuis ergo per sanctificationem illam aquarum etiam tunc directè aquas instituisset, tanquam materiam huius sacramenti; hoc tamen non sufficit, vt dicatur adæquatè, & perfectè hoc sacramentum tunc institutum; quia non constat ex Euangelio tunc determinasse formam, quod necessarium esset, vt sacramentum baptismi tunc censeatur institutum.

7 Respondent, tunc non tantum designatam fuisset baptismi materiam per aquarum sanctificationem, sed etiam designatam fuisse formam, nam vox Patris audita est, filius apparuit, & Spiritus Sanctus in forma columbæ, & effectus eius, qui est dare gratiam, seu Spiritum Sanctum, nam tum Cœli dicuntur aperti, & Spiritus Sanctus in ipsum descendit; nil ergo tunc defuit ad huius sacramenti institutionem quia tunc sacramentum censetur perfectè institui, quando determinatur materia, forma, & effectus ipsius. Sed falsum est tunc designatam fuisse formam baptismi, quia vox illa tunc audita nihil habet conuenientiæ cum verbis ad formam baptismi requisitis, nec illa verba à Christo prolata fuere, qui tamen formam baptismi instituit. Accedit illam manifestationem in Iordane factã tantùm Ioanni patuisse, & non alijs, ideoque priuata fuit, & non publica manifestatio, qualis ad institutionem sacramenti requirebatur; Tandem esto nihil designatum fuerit sacramentum baptismi, in baptismo Christi in Iordane, tam quoad materiam, quàm quoad formam; tamen hoc satis non fuit ad propriam sacramenti institutionem, sed debuissent exprimi verba, quæ adhiberi debent ad formam sacramenti, quod factum non fuit; Quarè concludendum est non fuisse baptismum institutum, quando Christus fuit à Ioanne baptizatus; neque quando dixit Nicodemo *Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu Sancto*, sed aliquantò post baptismum ipsius in Iordane, & antequam mitteret discipulos ad baptizandum, quamuis cum baptizatus fuit in Iordane, designauerit aquam, tanquam materiam, ex qua fieret hoc sacramentum.

Denique Centinus ex nostris, vt aliquid noui in hac materia proferret *disput.* 1. de sacramento baptismi *cap.* 1. *numer.* 26. inquit, quod quamuis præcisa dies, ac tempus institutionis baptismi ex Scripturis patenter non eliciatur, verisimile tamen videri hoc sacramentum fuisse institutum, quando Christus Nicodemum est allocutus Ioh. 3. Et subdit rationem Scoti non vrgere, quod scilicet, verisimile non est tantum sacramentum fuisse coram persona priuata institutum, quæ etiam illum promulgare non debebat. Nam in primis quomodo priuatam personam audebimus appellare Nicodemum, si erat ex Pharisæis Princeps Iudæorum? nec verisimile est tunc Apostolos abfuisse cum essent Christi individui comites, quare non concedit sermonem Christi cum Nicodemo in conclaui factum fuisse nullo alio præsente. Cæterum absque vllo fundamento hoc dicitur à Centino, quia sermo ille Christi habitus cum Nicodemo fuit per modum simplicis prædicationis, & eruditionis in lege noua de necessitate baptismi ad salutem; non autem per modum institutionis eius, quia ibi nulla præscribitur baptizandi forma, nec verba exprimuntur necessaria ad tale sacramentum conficiendum; Et rursus absque vllo fundamento rationem Scoti est aspernatus, nam cum de nocte Nicodemus Christum adierit, vt legitur in Euangelio, signum est ad eum accessisse, vt personam priuatam, non publicam, & priuatum voluisse cum Christo habere colloquium nullo præsente vt hoc Iudæis celaretur, quorum erat Princeps; Quod verò subdit Centinus hoc non vacasse misterio, venit enim de nocte, vt inquit August. quia & ipse in tenebris erat nescius regenerationis per hoc lauacrum; parum ad rem nostram facit, quia cum hic quæratur tempus, & hora institutionis baptismi, standum est in sensu litterali, & frustra ad mysticum sensum fit recursus. 9

In Oppositum obijci solent testimonia Patrum pro opposita sententia adductorum asserentium baptismum institutum fuisse post Christi resurrectionem, quando Matth. vlt. dixit discipulis, *euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine* &c. ergo si ex aliquo Euangelij loco colligenda est baptismi institutio, maximè ex isto colligi debet, quia in nullo alio Euangelij loco traditur expressè forma baptismi. Confirmatur quia baptismus statim ac fuit institutus, conferebat gratiam, sed non conferebat gratiam antè passionem, vt colligit Chrisostom. hom. 18. in Ioan. ex illis verbis *cap.* 7. *nondum spiritus erat datus, quia nondum Iesus erat glorificatus*, ex quo deducitur nondum fuisse datam gratiam Spiritus Sancti ex opere operato per aliquod sacramentum antè passionem, & resurrectionem Christi. Tandem hoc idem probatur ratione, quia baptismus est institutus in symbolum mortis, & sepulturæ Christi iuxtà illud ad Romanos 6. *quicumque baptizati sumus in Christo Iesu, in morte ipsius baptizati sumus*: igitur non debuit antè passionem Christi institui. 9

Respondent aliqui, quibus ex nostris subscribit Centinus *loc. cit.* Patres pro alia sententia citatos locutos esse, non de institutione primaria baptismi sub certa forma, ac materia; sed de institutione obligatiua, quatenus, scilicet, post Christi mortem cæpit necessarium esse baptisma, ita vt baptismus ante passionem non obligauerit esto ante passionem fuerit institutus; Sed si verba eorum accuratè perpendantur quæ passim à Recentioribus referuntur, talem explicationem non admittunt. Vndè præstat dicere cum alijs citatos Patres re vera in ea fuisse sententia, ob quorum auctoritatem opposita sententia nulla est censura digna; Neq; ob id nostræ sententiæ probabilitas minuitur, nã D. August. expressè, & plures alij Patres, quos citant Suarez *disp.* 19. *sec.* 2. & Vasquez *disp.* 140. *c.* 2. pro nostra sunt sententia, cui etiam expressius fauent Scripturarum testimonia. Ad rationẽ ab eis Patribus adductã, quod forma baptismi non legatur tradita Apostolis antè passionẽ, sed tantum post Matt. vlt. dixerũt aliqui Chri- 10

stum quidem antè passionem suum instituisse baptismum, cum tamen non fuisse collatum sub eadem forma, sed sub nomine Christi, vt intelligerent se esse illum venturum, in cuius nomine Ioannes baptizabat, & idem videtur dicere Glossa illius capitis.

11 Sed hoc sine vllo dicitur fundamento, quia tunc fuisset planè aliud baptisma, siquidem aliam formam essentialem habuisset; neque hoc vllum habet in Scriptura fundamentum, nec decens erat ab initio institutionis vt dispensationibus; nec tandem vlla est ratio cur non fuerit tunc collatum sub eadem forma, sub qua iam confertur; Quarè præstat cum alijs dicere hoc argumentum, quod forma baptismi non legatur tradita Apostolis antè passionem, non valere, cum sit ab auctoritate negatiua; sufficit enim, quod legamus baptismum antè passionem fuisse ab Apostolis collatum, vt etiam credamus formam præcisam fuisse illis à Christo præscriptam, quam postea post resurrectionem præcepit eis, vt prædicarent, & sub ea baptizarent præcepto publico; & quidem rationabiliter, quia post resurrectionem cæpit baptismus obligare sub præcepto, cùm antea esset tantum sub consilio; ex quo non sequitur tunc etiam primum, fuisse institutum, plura enim multo tempore antè instituuntur, quam promulgentur. Hinc egregiè D. Bonauentura dixit 4. d. 3. q. 1. quod Christus non solum instituit baptismum, sed etiam insinuabit, antequam institueret, ac denique institutum illum stabiliuit, & approbauit; insinuauit quidem, quando fuit à Ioanne baptizatus in Iordane; instituit verò, quando ipse, & discipuli eius baptizabant; confirmabit denique & approbauit post resurrectionem, quando dixit Apostolis Matth. vlt. *euntes docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti.* Quamuis ergò in nullo alio loco, expressiùs tradatur forma baptismi, quàm in hoc loco, sufficienter tamen colligitur ex *cap. 3. & 4.* Ioan. baptismum fuisse institutum ante Christi passionem, & etiam formam eius traditam.

12 Ad confirmationem negatur minor, ad probationem dicendum est auctoritatem illam iuxtà communem aliorum expositionem intelligi debere de plenitudine gratiæ, & visibili Spiritus Sancti communicatione, quæ vtique non nisi post Christi resurrectionem data fuit; non verò de inuisibili communicatione, quæ per dona charitatis, & gratiæ conferri solet; cum aliundè ex Euangelio constet etiam antè passionem datam fuisse gratiam per Christum, ipsis nimirum Apostolis, & Magdalenæ, & alijs, quibus peccata fuere dimissa; & datam etiam fuisse gratiam per aliquod sacramentum antè passionem scilicet per Eucharistiam in vltima cœna; sic igitur per baptisma, quo Christus antè passionem per discipulos baptizabat, verè collata fuit gratia, tùm virtute præcedentium meritorum Christi, tùm etiam futuræ passionis iam à Deo præuisæ, & acceptatæ, quod si Cœlum tunc non aperiebat, hoc ab extrinseco venit, eo quod pretium nostræ salutis nondum omninò persolutum erat, vt inquit Doctor, non verò ab intrinseco, quasi hoc sacramentum omnem vim intrinsecam non haberet ante passionem, quam postea habuit. Ad vltimum negatur consequentia, nam etiam Eucharistia in ratione sacrificij ad repræsentandum cruentum Crucis sacrificium est instituta; & nihilominus antè illud instituta fuit, sic ergò pariter baptismus etiam si in simbolum mortis, & sepulturæ Christi institutus esset, nil obstat quin minus antè ipsius mortem institui potuerit, cum possit signi institutio anticipari ad rem futuram significandam, respectu cuius dicitur signum prognosticum, & cum iam facta est, & præterita, dicitur rememoratiuum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quæstionis Resolutio quoad alteram partem.

13 QVoad alteram quæstionis partem, in qua quærebatur, quando baptismus cæperit esse sub præcepto. Dicendum est, non statim, ac fuit institutus, cæpisse esse sub præcepto, nec statim post Christi mortem, aut eius resurrectionem, sed obligationem eius generaliter & quoad omnes incæpisse post sufficientem, & solemnem Euangelij promulgationem vniuerso mundo factam; Ità Scotus cum suis 4. d. 3. q. 4. quem sequuntur Recentiores passim, & probatur quoad omnes, & singulas partes.

Primò quidem, quod non cæperit esse sub præcepto statim ac institutus fuit, concedunt etiam ipsi Thomistæ, & probat Doctor *loc. cit.* nam licet antè mortem Christi fuerit institutus; non fuit tamen hominibus tunc propositus, vt medium ad salutem necessarium, quia præceptum eius non fuit eo tempore latum; neque enim nobis traditum est nec scriptum antè Christi mortem, & resurrectionem, sed tantum post, cùm dixit Matth. vlt. *euntes docete omnes gentes baptizantes eos &c.* Et quamuis anteà Nicodemo dixerit, *Nisi quis renatus fuerit* &c. Non est verisimile baptismum ab eo tempore fuisse necessarium, quo Christus hæc verba protulit; tùm quia illa non protulit, tanquam legem concedens, vel promulgans, in priuato colloquio sermonem habens, vt inquit Doctor; tum quia illis verbis non indicauit Christus, quid iam tunc necessarium esset ad salutem, sed quid suo tempore futurum erat necessarium, vndè verba illa supponunt præsens tempore, quo talis renascendi modus fuerit hominibus præscriptus; & per illa potius explicauit necessitatem baptismi futuram, quam dederit formale præceptum. Accedit ratio generalis ex debita dispositione diuinæ prouidentiæ desumpta, quia credibile non est Christum voluisse homines obligare eodem tempore duplici lege alioquin non iugum suaue, sed onus intolerabile fuisset hominibus impositum, qui eodem tempore fuissent ad onera veteris, & nouæ legis adstricti; lex autem vetus obligauit, & durauit saltem vsque ad mortem Christi, quia vt inquit Doctor lex vetus mala non erat, sicut idolatria, & ideò non debuit subitò repelli, sed debuit sinagoga cum honore sepeliri, vt ostenderetur fuisse bona pro tempore suo.

Secundò probat, quod neque cæperit esse sub præcepto statim post Christi mortem, vel eius resurrectionem, vt dicunt Thomistæ, quia baptismus antè Christi mortem statim post eius institutionem non fuit sub præcepto, sed tantum sub consilio, quia lex euangelica, quæ est perfectissima, non debuit præcipitanter imponi; sed prius per consilium ad eius obseruantiam debuerunt homines allici, vt postea exercitatis posset sub præcepto imponi; si ergò post eius institutionem non statim fuit sub præcepto, ità nec statim à morte Christi cæpit esse sub præcepto, sed tantum sub consilio; Consequentiam probat Doctor, quia nullus aliter se habet nunc, quam prius ad aliquam legem, vel præceptum, nisi quia aliter sibi est promulgatum; sed à passione Christi statim Euangelica lex, & baptismi præceptum, non fuit aliter promulgatum, ac antè Christi mortem, ergò respectu eius non aliter se habuerunt homines, quàm antè Christi mortem; Maior patet, quia lex, vel præceptum obligare non incipit ante sufficientem eius promulgationem, quia hoc est de intrinseca ratione legis obligantis, vel saltem necessaria conditio ad eius obligationem, vndè apud Iurisperitos commune est axioma quod *lex non obligat nisi promulgata*, & hanc promulgationem aiunt tantam esse debere, vt sit solemnis, adeòut non sit satis, vt in vna, vel altera Regni parte fiat, vt vniuersum Regnum in obligationem inducat; Minor probatur, quia in passione Christi tantum abest, quod publica quædam, ac solemnis Euangelij facta fuerit promulgatio, vt Apostoli eius præcones futuri ob metum Iudæorum tunc temporis latitarent; vndè post Christi mortem, eiusque resurrectionem vsque ad Pentecosten nulla talis promulgatio legitur facta, sed Christus toto eo tempore priuatim tantum Apostolos instruebat, qua ratione, & quo modo post acceptum Spiritum Sanctum in die Pentecostes Euangelium promulgare deberent, imò eis prohibebat, ne prius illud promulgarent, vt habetur Actorum 1. *& conuescens præcepit eis ab Hierosolimis ne discederent, sed expectarēt promissionem Patris*, &c. neque Apostoli vsque ad illum diem publicè prædicauerunt iuxta illud quod legitur Lucæ 24. *vos autem sedete in ciuitate, donec induamini virtute ex alto*.

Respondent Soto, Medina, & alij Thomistæ distinguendo maiorem, si enim ità intelligatur, vt Scotus intelligere videtur, quod nullus antè promulgationem legis aliter se habet ad legem quantum ad vinculum obligandi, est falsa; nam statim ac lex à Principe proponitur, obligat; si verò intelligatur, quod nemo constituitur in culpa, antequam legem sciat, si per ipsum non steterit, quo minus illam audiret, est vera illa maior, quia illi, qui de lege nihil audierunt, eam non seruantes non peccant, non ex eo, quod non sint ligati, sed ex ignorantia inuincibili, qua à

culpa

Quarè dicuntur Scotum grauissimè hic sse videtur, legem nunquam subditos obli- inum in notitiam illorum venerit, quod dunt; quia lex obligare tunc primum publico edicto illam in sua Curia profert, qui eam legem ignorant, excusentur eam cusantur enim non quia lex non obliget, ntiam, quæ si est inuincibilis à peccato is excusat.

15 or illa Doctoris benè intelligatur vera est sensu, quod nempè nullos antè legis pro- aliter se habet ad eam etiam quoad vinculum anteà se habuerit; neque enim Scotus hoc Thomistæ imponunt, quasi voluerit pro- necessariam ad hoc vt obliget, esse mani- legi, vt ad notitiam vniuscuiusque in particu- talem, sed solùm asseruit promulgationem legi ne- vt obliget, debere esse solemnem; & hoc, adeout non sufficiat, vt in sola Curia Regis pu- promulgari debere per omnes Regni partes moraliter peruenire ad notitiam cuiuscunque; vndè lex promulgata in Curia Principis li- particulari; vim obligatiuam habeat, veluti in actu primo, tamen quempiam in actu secundo, nisi præfato modo fuit; quod adeò verum est, vt etiam Caie- tanus ipse fateri coactus sit, quod si noua lex promulgetur in principali vrbe Regni, v. g. Romæ, nec Curia Romana procuret, vt promulgatio ad cæteras quoque ciuitates feratur, accusari nec apud Deum, nec apud homines possunt ab- sentes nescij; igitur vt lex vim habeat obligandi debet esse solemniter promulgata, tali nempè modo, vt moraliter lo- quendo ad aures subditorum eius notitia peruenire potuerit & gratis concedimus non debere esse tantam, vt vnicuique singillatim ad aures fieri debeat, vt præfati Thomistæ Sco- to imponunt; sufficit enim, vt publica habeatur per publicos præcones legis promulgatio, vt moraliter loquendo, vel in omnium notitiam præcepta deueniant, vel deuenire possint; & hæc est promulgatio solemnis, quæ requiritur ad hoc, vt lex vel præceptum obliget, vt declarat Doctor in hac quæstione art. 2. quem sequuntur Recentiores om- nes.

16 Tertiò probatur, obligationem baptismi generaliter, & quoad omnes incæpisse post sufficientem, & solemnem Euangelij promulgationem Orbi vniuerso factam; ità enim expressè Concil. Trid. docuisse videtur sess. 6. cap. 4. vbi de iustificatione loquens vocat eam, translationem peccatoris de statu peccati ad gratiam, *quæ quidem translatio*, inquit, *post Euangelium promulgatum sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest*, vbi nocanda sunt illa verba *post Euangelium promulgatum*, ait enim Concilium neminem sine baptismo iustificari posse, non statim post mortem, vel resurrectionem Christi, sed post Euangelium promulgatum; ergò ex Concilio antè Euangelij promulgationem, & præcepti de baptismo per aliud medium iustificari poterant nempè per circumcisionem, & solum post solemnem Euangelij promulgationem incæpit obligatio baptismi.

Nec respondere valet cum præfatis Thomistis Concilium tantum requirere hanc promulgationem, vt possit ignorantia tolli, qua homines à baptismi susceptione excusabantur non autem ad inducendam eius obligationem, quæ statim post Christi mortem incæpit. Hæc enim expositio est omninò præter Concilij mentem eo loco, vbi minimè docere intendit, qua ratione homines peccent non suscipiendo baptismum, sed qua ratione absque illo iustificari nequeant, siuè eius obligationem ignorent, siuè non.

17 Sed vrget adhuc non leuis difficultas, quandonam facta fuerit sufficiens, & solemnis Euangelij promulgatio ita vt cæperit omnes obligare, & an fuerit facta simul apud omnes gentes, vel potius successiuè, & aliquo temporis tractu. Dicunt aliqui factam fuisse in die Pentecostes, quia eo tempore Apostoli prædicauerunt varijs linguis omni nationi, quia ergo illi promulgationi intererant homines ex omni ferè natione quæ sub Cœlo est, vt patet Actorum 2. verisimile est illam promulgationem fuisse vniuersalem, & solemnem; & etiam hinc deducerunt vno eodemque tempore cæpisse vbique habere vim suam legem nouam, sicut eodem tempore pro toto Terrarum Orbe fuit abrogata lex vetus, itaut desierit obligare, & hoc tempus dicunt fuisse diem illum Pentecostes, nam videtur omninò certum, illos qui tunc intererant illi promulgationi, cùm statim redirent in patriam suam, hoc totum alijs nationibus significasse, nec amplius obligatos fuisse seruare legis cæremonias. Tum quia si non ità dicamus, sequitur hactenus nullum potuisse statui tempus in quo per totum Orbem cæpisset esse ità Baptismus necessarius, imò fortè nec iam esset, quia recenter planè Euangelium fuit primò promulgatum in India occidentali, nec antè præcedens sæculum vnquam quidquam de eo fuerat auditum; Et probabile est iam adhuc aliquas esse nationes, ad quas nondum præcones Euangelij penetrarint, Baptismum autem aut nondum esse, aut recèter cæpisse ità esse toti terrarum Orbi necessarium, videtur expressè repugnare Concil. Trid. *loc. cit.* ità discurrit Coninchius *quæst. 68. art. 2. dub. 2.* & sequitur ex parte Pontius *disp. 42. quæst. 2. num. 9.* vbi ait post promulgatum Euangelium in die Pentecostes euacuatam fuisse penitus Circumcisionem, & remedium legis naturæ statim in toto mundo quantum ad vtilitatem; licet nullibi obligarentur ad baptismum accipiendum, antequam sufficienter proponeretur ipsis eius necessitas; nisi enim dicimus aliquod fuisse tempus determinatum, in quo simul, & semel vniuersaliter debebat abrogari circumcisio quantum ad vtilitatem ipsius, sequeretur, quod etiam hodiè in partibus aliquibus Orbis, ad quas nunquam Euangelium peruenit, nec mentio de baptismo, non esset baptismus necessarius necessitate medij, quod est contrà omnes.

Scotus tamen *q. 4. cit. §. quantum ergo*, quamuis concedat in die Pentecostes nouam legem propriè obligare cæpisse, quia tunc incæpit solemnis promulgatio Euangelij, & Apostoli cæperunt publicè Euangelium prædicare; negat tamen in illa die simul, & semel omnes obligasse gentes vbique Terrarum; sed inquit, quod in die Pentecostes misso Spiritu Sancto solemniter prædicauerunt, & appositæ sunt animæ in illo die circiter tria millia, & baptizati sunt Actorum 2. Indè autem ad alias Ciuitates secundum ordinem cuilibet loco, vel genti erat tempus, in quo ibi publicè, & solemniter prædicabatur lex euangelica, ita quod tempus non incæpit simul apud quoscunque, sed de Sion exibat lex, & verbum Domini de Ierusalem iuxta prophetiam Isaiæ, & quibusdam incæpit tempus obligationis ad mensem post Pentecosten, & aliquibus ad annum, aliquibus ad decem annos, & sic deinceps, sicut eis prædicabatur; ità discurrit Doctor *loc. cit.* itaut non potest certa regula temporis designari pro singulis locis, sed debet res moraliter æstimari, sicut in promulgatione humanarum legum, nempè vt intercedat tempus moraliter requisitum, quo diffundi possit notitia legis; & hoc ipsum ostendunt, & fundant congruentiæ ex Doctore superius allatæ, quia lex noua non debuit temerariè, & præcipitanter induci, hoc enim esset contra suauem Dei prouidentiam, & inducere onus graue, & non leue; Vndè si in legibus humanis saltem præceptiuis post earum promulgationem in Metropoli antequam per totam prouinciam obligent, sufficiens tempus assignari solet, quo publicari possint, tanto magis in lege Dei ità factum esse putandum est, qui magis infirmitati nostræ compatitur. 18

Respondent nonnulli ex Aduersarij id contingere in humanis legibus, quia potestas legislatoris à populo dependet, & ex acceptatione populi vim leges humanæ desumunt, non autem ità est de potestate Dei, & lege diuina; qua ratione etiam dicunt aliqui diuinam legem non exigere promulgationem, vt obliget. Sed hoc omninò falsum est, & irrationabile, quia lex diuina ad impossibile obligare non potest: ergo vt obliget hominum communitatem debet prius intimari, & obligari, antequam sit regula faciendorum, & prædictum spatium exigit lex ipsa naturalis, & hominis conditio, qui ad nihil obligari potest, nisi supposita sufficienti notitia, etiam per diuinam legem: sic expressit Apostolus ad Romanos 10. *Quomodo credent ei, quem non audierunt, quomodo audient sine prædicante? quomodo verò prædicabunt, nisi mittantur? sed dico, numquid non audierunt? & quidem in omnem terram exiuit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Vndè falsum est, hoc tantùm in humanis legibus contingere, eo quod ex acceptatione populi vim obligandi desumant, imò neque in ijs hoc vniuersaliter verificatur, quia sæpè talis potestas à populo non dependet, vt si iure belli, aut alio titulo oneroso in seruitutem redactus est, vel quando potestas le- 19

legislatoris immediatè à Deo deriuatur, & non à populo, vt est pontificia potestas. Ex hac sententia quantum ad obligationem, & promulgationem successiuam legis nouæ est expressa D. Bernardi *epist.* 77. eamque supponit Trident. *sess.* 6. *cap.* 4. dicens baptismum promulgato Euangelio fuisse necessarium; quam etiam sequuntur Suarez *loc. cit.* & *lib.* 10. de legibus *cap.* 4. Bonacina *disp.* 2. de baptismo q. 2. *punc.* 2. Aversa q. 98. *sec.* 8. & 9. & quot quot promulgationem legis requirunt in prouincia necessariam esse, vt lex obliget, quod perindè dicendum est de lege noua, quia vt inquit Doctor, de Sion exibit lex, & verbum Domini de Ierusalem Isaiæ 2. vndè concludit, quibusdam præceptum Euangelij, & baptismi post mensem, alijs post annum, alijs post decem annos incæpisse. Et Aversa loc. cit. sect. 9. in fine ad vniuersalem, & completam Euangelij promulgationem tempus designat triginta circiter annorum; Alij verò apud Bonacinam putant vniuersalem obligationem cæpisse paulò post excidium Ierusalem, quod accidit anno quadragesimo post Christi passionem, quo tempore Apostoli obierant & Euangelium iam totu Orbe prædicauerant; Et hoc etiam Doctor approbare videtur q. 4. cit. cum loquens de cessatione legalium infrà M. inquit; Vel potest aliter dici, quòd Deus per Apostolos vel successores eorum determinato tempore simpliciter prohibuit legalia seruari, licet de hoc non habeamus in Scriptura, quia historia Scripturæ non durat vsque ad illud tempus: istud autem est probabile, quia Ecclesia tenet quod hæresis est dicere, legalia currere cum lege euangelica, vt habet extrà de baptismo, & eius effec. cap. *Maiores* ità Doctor.

20 Ex hac doctrina patet quid sit dicendum ad fundamentum Coninch. & Poncij; negatur enim ex nostra sententia sequi; nullum hactenus potuisse statui tempus, in quo per totum Orbem baptismus cæperit esse necessarius, & fuerit euacuata Circumcisio; nam etiam in nostra sententia tempus huiusmodi est assignatum, licet non ità determinatum, vt in eo simul, & semel apud omnes nationes euacuata fuerit circumcisio, & baptismus cæperit esse necessarius, sed successiuè per aliquem longum & notabilem temporis tractum, itaqood tale tempus non incæpit simul apud omnes: Vnde neque ex nostra sententia sequitur, etiam hodiè in partibus aliquibus Orbis, ad quas nunquam Euangelium peruenit, baptismum non esse necessarium necessitate medij; vt enim supradictum est, adhoc vt aliqua lex obliget, & censeatur sufficienter promulgata, minime opus est, quod omnibus, & singulis notificetur, sed sufficit talis promulgatio, vt lex illa possit ad talem locum peruenire, licet de facto non peruenerit; sed euangelium & per Apostolos, & per eorum successores ità sufficienter est promulgatum per se loquendo, vt potuerit ad omnium hominum notitiam peruenire, vt constat ex dicto Apostoli ad Roman. *in omnem terram exiuit sonus eorum* &c. dixi autem *per se loquendo*, quia si ad aliquos non peruenit, hoc est per accidens, nempè propter quorundam ignorantiam, qui putabant fieri non posse transitum ab vno Emispherio in aliud, vndè difficillimum, & ferè impossibile videbatur prædicationem Euangelij ad nouum Orbem Indorum peruenire posse; at ea, quæ sunt per accidens non veniunt consideranda ad statuendam legis obligationem; à sufficienti ergo Euangelij promulgatione facta per totum Orbem modo iam declarato baptismus omnes cæpit obligare nationes, & apud omnes esse necessarius necessitate medij: Quod si aliqui legem euangelicam adhuc inuincibiliter ignorant, non sequitur baptismum etiam apud eos non esse sub præcepto, sed tantùm sub peccatu non teneri ad eius obseruantiam, nullus enim sub præcepto tenetur ad id, quod inuincibiliter ignorat, & a peccato excusat inuincibilis ignorantia legis; & potest hic casus contingere in Terris adhuc non cognitis, cum quo tamen stat præceptum baptismi etiam ibi currere ob sufficientem promulgationem legis Euangelicæ iam factam, quod si non obseruant, non peccant, non ex defectu obligationis, sed ob ignorantiam inuincibilem, à qua detinentur.

21 Deus, dato ergo huiusmodi casu, quem dari posse concessimus *lib.* 3. *disp.* 6. de Virtutibus Theologicis *nu.* 397. infideles illi nullum remedium haberent ad salutem, atque ità Deus eos sine remedio reliquisset, quod diuinæ misericordiæ consentaneum non videtur.

Respondet Faber *lib.* 4. *disput.* 10. *num.* 35. quod si quis modò esset Iudæus, qui inuincibiliter legem ignoraret Euangelicam, haberet legem Moysis, & remedium eius; & si esset Gentilis, vt modò multi sunt, haberet remedia legis naturæ; in hoc enim casu inquit remansisse legem Moysis pro Iudæo, & legem naturæ pro Gentili, quia lex non obligat, nisi promulgata sufficienter. Verum sic respondendo non sumus in casu proposito, in quo supponimus legem Euangelicam esse sufficienter toto Orbe terrarum promulgata, licet per accidens ab aliquos non peruenerit, quod non officit sufficientiæ, & solemnitati promulgationis illius; minimè autem asserendum est, post sufficientem Euangelij prædicationem perseuerasse sacramenta, vel remedia legis veteris, vel legis naturæ, itaut in aliqua Prouincia, quantumuis remota, in qua nihil auditum sit de Christo, sufficiant ad iustificationem siuè paruuli, siuè adulti; quia per sufficientem Euangelii promulgationem iam factam lex vetus euacuata est toto terrarum Orbe, & lex naturæ, & eius remedia post talem sufficientem promulgationem Euangelij nullam habent vim ad iustificandum, quod si aliquos hæc promulgatio non peruenit, id est per accidens, quod proindè non impedit eius obligationem.

Respondendum est igitur iuxtà dicta superius *disput. præ-* 22
ced. numer. 366. & fusiùs adhuc *lib.* 3. *disput.* 6. *num.* 397. & 398. & 414. & 435. quod licet post generalem Euangelij promulgationem non remanserit aliud remedium pro originali præter baptisma, quod apud omnes nationes est necessarium necessitate medij, vt dictum est *disput. præced. quæst. vlt. artic.* 3. adhuc infideles illos saluari posse, si naturæ legem seruauerint, quia credibile est seruanti legem naturæ Deum daturum lumen, & speciale auxilium, quo se valeat ad ipsum conuertere, & tali modo prouisurum vt haberet baptismum vel in re, vel in voto saltem implicitè, modo iam explicato disp. præced. *numer.* 366. & posset etiam alio modo saluari à Deo sine sacramentis, quia diuina virtus absolutè loquendo sacramentis non est alligata, quæ responsio consonat dicto Apostoli ad Roman. 2. *gentes, quæ legem non habent, naturaliter ea, quæ legis sunt, faciant*, vt notat Doctor 2. dist. 28. in solutione ad primum principale; de paruulis verò eorum infidelium dicendum est, vt dici solet de ijs, qui moriuntur in vtero matris etiam inter fideles, & absque commoditate baptismi; adulti pariter qui damnantur, non damnantur ob omissionem baptismi formaliter sumptam, eo quod ignorantia inuincibilis præcepti suscipiendi baptismum eos à tali peccato excusat; sed propriè loquendo damnantur propter originale peccatum, cuius remissionem non acceperunt defectu baptismi eis non applicati, tanquam vnici remedij per nouam legem subrogati loco remedij legis naturæ, & scriptæ; & pariter damnantur propter peccata actualia contrà legem naturæ commissa, non verò propter infidelitatem, quia eorum infidelitas est negatiua tantùm, quæ non est peccatum iuxtà illud Pauli ad Rom. 10 *quomodo credent ei, quem non audierunt*, quæ etiam fuit doctrina D. Thomæ 2. 2. *quæst.* 10. *art.* 1.

ARTICVLVS TERTIVS.

Obiectiones Thomistarum solutæ.

IN Oppositum contrà nostrum assertum, quod baptismi 23
obligatio non cæperit immediatè post Christi mortem, vel eius resurrectionem, sed tantùm post solemnem, & sufficientem Euangelii promulgationem arguunt Thomistæ. Primò ex illis verbis Ioan 19. *Consummatum est*, quibus verbis Christus iam moriturus apertè designauit veterem legem in sua morte habituram esse consummationem; consummatio autem legis veteris consistit, & in inchoatione legis nouæ & in abolitione legis antiquæ.

Confirmatur ex pluribus sacræ Scripturæ testimoniis, quæ significant legem veterem in Christi morte expirasse, vt Roman. 7. vbi Paulus per Christi mortem nos à peccato, & iugo legis proclamat exemptos, & rursus Hæb. 7. docet legem fuisse translatam translato sacerdotio, & reprobatum fuisse præcedens mandatum. Denique arguunt ex Patribus, inter quos præcipuè Aug. & Hieronymus in eo conuenisse videntur epist. 19. quod lex vetus expirante Christo expirauit, & noua incæpit.

Respondet Doctor *loc. cit.* sub N. quod verbum illud 24
Christi

Christi in Cruce, *Consummatum est*, intelligi debet de his, quæ scripta sunt de filio hominis iuxtà illud Lucæ 18. ecce ascendimus Ierosolymam, & consummabuntur omnia, quæ scripta sunt per Prophetas de filio hominis; Vel si illud referatur ad antiquam legem, sic debet intelligi, consummatum est, tanquam in causa, nam mors Christi causa erat confirmationis legis Euangelicæ, sed illa confirmata non fuit, tanquam necessaria ad obseruandum antè prædicationem eius publicam, quæ non incæpit in passione, sed in Pentecoste, tempore enim intermedio sederunt Apostoli in cœnaculo uerum solemniter, vel publicè prædicantes; ita Scotus, ex qua doctrina colligitur, quod legem Christi incæpisse in passione, vel in morte Christi potest dupliciter intelligi, vel ità quod lex euangelica tunc incæperit quoad necessitatem obseruationis, vt Thomistæ intelligunt, & hoc modo est falsum; vel quod in morte Christi incæperit, tanquam in causa, à qua habebat efficaciam, & valorem, & hoc modo verum est legem Christi in eius morte, & passione incæpisse. Ad Confirm. respondet Doctor per idem, quod in morte Christi causaliter expirauit lex vetus, licet non pro tunc, sed pro tempore publicationis huius causæ, & legis Euangelicæ; Et sic explicandus est Paulus ad Roman. 7. quod intellexit mortem Christi fuisse causam institutionis euangelicæ legis, & liberationis à lege veteri, sed non dicit in ipso passionis articulo obligationem ad nouam incæpisse, & liberationem à veteri; & sic pariter explicandus est ad Hæb. 7. quod mors Christi fuit causa translationis Sacerdotij, & in ipsa morte Christi facta est huiusmodi translatio causaliter, non autem formaliter, & actualiter quantum ad obligationem nouæ legis.

Ad vltimum, August. & Hieron. in eo tantùm conueniunt, quod mors Christi causa fuit cessationis legis veteris, & incæptionis nouæ; non tamen conueniunt de tempore incæptionis obligationis; imò *Aug. ep. 19. cit.* expressè docet cessasse legalia, & cæpisse obligationem nouæ legis, quando fides post mortem, & resurrectionem Christi est reuelata, hoc autem factum est per Euangelij promulgationem; & hoc modo solui possunt aliæ quædam rationes, & auctoritates à Thomistis adductæ pro sua opinione, quæ videri possunt apud Fabrum, & Aretinum in præsenti.

25 Secundò arguunt, ex Diuo Paulo ad Hæb. 9. vbi inquit, quod Christus Sacerdos in æternum se obtulit Patri, & in Cruce sanctificatos consummauit, & condito nouo testamento virtutem veteris abrogauit, quia duo testamenta simul manere non poterant; ergò euacuato tunc priori testamento cæpit statim nouum obligare sub præcepto. Confirmatur ex verbis Apostoli ibidem cùm inquit, *nouum antiquauit prius, quod autem antiquatur, & senescit, prope interitum est*; ergo facto iam nouo testamento in morte Christi, statim cessauit antiquum; Tandem in morte Christi ablatum est antiquum sacrificium; ergò lex vetus ex tunc cessauit quoad obligationem, & noua incæpit; ità vrgent Vasquez *par. 2. disp. 181. cap. 1.* Salas *disp. 23. sec. 5.* Lorca *disp. 54.* Valentia *q. 7. punct. 7.* & alij.

Respondeo gratis concedendo Christum in sua morte nouum testamentum cõdidisse, negatur tamen statim obligasse sub præcepto, quia leges non obligant, nisi promulgentur, imò hoc Christi testamentum non fuit totum antè mortem completum, sed post eius resurrectionem antè ascensionem, vt hic Bancatus notauit *disp. 13. art. 1.* nam lex de sacramento pœnitentiæ, quæ in nouo testamento præcipua est, post eius resurrectionem condita fuit, vt habetur Ioan. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, &c.* & institutio Petri in suum Vicarium post mortem eius facta est antè ascensionem, quando dixit Ioan. vlt. *pasce oues meas*; testamentum autem vim obligandi non habet, nec transferendi dominium nisi postquam perfectum est, & completum, nec non & apertum, & promulgatum.

Ad Confirmationem dico ex illis verbis potius oppositum deduci, non enim dicit Apostolus, quod antiquato veteri testamento statim interierit, sed paulò post, nempè post promulgationem antiquationis illius; non enim dicit, quod facto nouo testamento, & veteri antiquato, hoc statim interierit, sed ait, quod *senescat, & propè interitum est*.

Ad vltimum negatur assumptum, nisi intelligatur causaliter, & inchoatiuè, non enim statim, ac Christus nouum instituit sacrificium, cæpit antiquum esse malum, sed tantùm post promulgationem factam legis de nouo sacrificio.

26 Tertiò tandem arguit Bonacina *disp. 2. quæst. 2. punct. 2.* obligationem baptismi statim incæpisse post Christi passionem etiamsi Euangelium non esset omnibus promulgatum saltem respectu eorum, quibus pro tunc baptismus fuerat promulgatus; quia in morte Christi cessauit lex vetus, & incæpit noua; ergo hæc tunc obligare cæpit respectu eorum, quibus sufficienter erat promulgata; cum enim non statim post Christi mortem obligauerit omnes vniuersaliter, eo quod non esset adhuc completè promulgata sequitur obligasse saltem respectu eorum, quibus iam fuerat promulgata; sicut patet à simili in legibus Principum, qui prius obligant commorantes in Vrbe, in qua leges promulgantur, quam commorantes in vicis.

27 Respondeo, fortè hoc totum concedi posse, nec esse contra mentem Doctoris, quando enim inquit baptismum non obligasse, nisi post sufficientem Euangelij promulgationem, loquitur de obligatione generali, & quoad omnes, non autem de particulari, & quoad aliquos; etenim adhuc hoc concesso stat nostra conclusio, legem veterem post Christi passionem non obligasse omnes, vt Thomistæ contendunt, cùm non obligaret eos, quibus lex noua non erat sufficienter promulgata; vndè iuxtà hunc dicendi modum diceretur lex vetus in morte Christi cessasse actualiter quoad eos, qui nouam non ignorabant; quoad eos verò, qui nouam ignorabant, non cessasse, nisi post sufficientem promulgationem. Verùm quia Doctor *quæst. 4. citat. §. quantum ergo* duo tempora distinguit; primum in quo baptismus erat tantum sub consilio, & hoc durasse ait à principio, ex quo prædicabatur Euangelium, & baptismus per Christum, vel per Apostolos, vsque ad prædicationem solemnem, & autenticam eiusdem post ascensionem Christi; & secundum tempus, quo erat sub præcepto, quod incæpisse dicit in die Pentecostes in Hierusalem, quia vsque ad illum diem Apostoli non prædicauerunt publicè iuxta illud verbum Christi, vos autem sedete in illa Ciuitate, donec induamini virtute ex alto, & in die Pentecostes misso Spiritu sancto solemniter prædicauerunt; hac de causa dicendum puto prædicationem Euangelij post Christi resurrectionem, & antè diem Pentecostes, obligationem non induxisse sub præcepto respectu auditorum, quia non erat prædicatio solemnis, & autentica; sed tantum in die Pentecostes, in quo incæpit secundum tempus baptismi. Et tunc temporis valet allata similitudo in argumento adductâ de legibus Principum, quæ prius obligant commorantes in Vrbe, in qua leges promulgantur, quam commorantes in vicis; ità enim inquit Doctor, quod hoc secundum tempus non incæpit simul apud quoscunque, sed de Sion exibat lex, & verbum Domini de Hierusalem iuxtà Isaiæ prophetiam, & quibusdam incæpit tempus secundum ad mensem post Pentecosten; & aliquibus ad annum, aliquibus ad decem annos, & sic deinceps, sicut eis prædicabatur.

28 Hic disputari solet de necessitate baptismi, de qua iam suprà egimus disputat. præcedent. artic. 3. vbi diximus esse omnibus hominibus necessarium, non tantùm necessitate præcepti, sed etiam medij; illud enim sic dicitur necessarium, sine cuius causalitate, sinè concursu salus haberi non potest, id autem dicitur necessarium necessitate præcepti, sine quo peccatum caueri non potest; vndè prior necessitas finis consecutionem directè respicit, posterior verò respicit tantùm impedimenti ablationem, scilicet, peccati ex dictis *loc. citat.* cùm ergo sine baptismo salus obtineri nequeat, vtpotè medio directè ad eius consecutionem concurrente per positiuum influxum, consequenter dicendum esse necessarium omnibus necessitate medij, & non tantùm præcepti.

QVÆSTIO SECVNDA.

Quid sit Baptismus, & in quo eius essentia consistat.

29 Baptismus secundum vim græci vocabuli lotionem, immersionem, seù lauacrum importat, & hoc vocabulum ex vsu omnium Patrum, & Theologorum impositum est ad

ad significandum aliquod sacramentum speciale legis Euangelicæ, quod consistit in quadam ablutione facta sub certa verborum forma significante ablutionem animæ à peccato; Definitur autem à Magistro *sent. 4. dist. 3. quod sit ablutio corporis exterior facta sub præscripta forma verborum* quam definitionem examinat Scotus *ibid. quæst. 1.* dicens, quod de fundamento signi per hoc sacramentum importati duplex est opinio; prima asserit aggregatum ex verbis, & ablutione esse significationis fundamentum, idest, hoc aggregatum est id, quod significat animæ ablutionem; at secunda opinio dicit, quod fundamentum significationis est sola ablutio exterior, non nudè sumpta, sed vt comitata verbis cum debita intentione prolatis, idest ablutio exterior sic comitata est id, quod significat ablutionem animæ interiorem; atque ità iuxtà primam opinionem aggregatum ex verbis, & ablutione est baptismi sacramentum, verba autem, & ablutio sunt sacramenti partes, at iuxtà secundam sola ablutio exterior est sacramentum, verba verò nec sunt sacramentum, nec sacramenti pars, sed solum necessariò comitantur id quod est sacramentum; Et subinfert Doctor harum opinionum primam esse veriorem, & probabiliorem, quia si verba non essent fundamentum significationis, vel pars fundamenti; non possent esse signum, neque pars signi, atque adeò non viderentur necessaria ad baptismum, quia cum baptismus sit signum, illud tantùm est de eius ratione, quod est signum, vel pars signi; Tùm quia prima opinio conformior videtur dicto Augustini, dùm inquit, *accedat verbum ad elementum, & fit sacramentum*, igitur ex verbis, & elemento, quo fit ablutio, constat sacramentum baptismi, tanquam ex partibus.

30 Hoc stante inquit Doctor, quod si de essentia baptismi directè sit solum ablutio, non autem verba, sed hæc per modum tantùm conditionis se habeant, vt docet secunda opinio, siuè si sacramentalis significatio directè in sola ablutione resideat, bona esset definitio Magistri; At si verba etiam directè sint de essentia baptismi, & fundamentum adæquatum sacramentalis significationis sit prolatio verborum, & ablutio simul, vt prima opinio tenet; tunc non benè eo modo definiretur baptismus, ponendo in definitione directè solam ablutionem, & indirectè verba; vndè tenendo hanc viam, quam dicit esse probabiliorem, quod verba quoque directè sunt de essentia baptismi, & pars fundamenti significationis eius, ait baptismum sic definiri posse, quod *est sacramentum ablutionis animæ à peccato consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis facta in aqua ab alio abluente, & in verbis certis simul ab eodem abluente cum debita intentione prolatis*. Hanc Scoti definitionem carpunt Soto *4. dist. 3. articul. 1. quæst. 1.* Valentia *tom. 4. disput. 4. quæst. 1. articul. 1.* Auersa *quæst. 66. sec. 3.* & alij Thomistæ, vt comitatam, & inuoluentem particulas, & conditiones superfluas, nempè vt ablutio sit hominis aliqualiter consentientis facta ab alio, & vt verba cum intentione debita proferantur; Quia sicut in definitione sacramenti in communi non oportebat ponere has conditiones, quæ se tenent ex parte recipientis, aut conferentis sacramentum; & licet sint necessariæ, tamen sunt velut extrinsecæ, & non tanquam per se inclusæ in ipsa substantia sacramenti, ità etiam non debent in definitione, baptismi per se apponi; ac præterea hoc ipso, quod baptismus dicitur esse sacramentum, & regenerare hominem, in hoc inuoluuntur omnes conditiones, quæ ad vim, & valorem sacramenti communiter requiruntur.

31 Verum, vt constat ex Logica, definitioni relationis in cõcreto addere conditiones, & rationes fundandi, non est contra artem definiendi relationes, nec contrà naturam definitionis datæ per additamentum, quæ specifica, & propria exponit, & conuertitur cum definito; definitio autem baptismi à Doctore data non aliud comprehendit, quàm fundamentum, & terminum, & rationes fundandi essentialiter requisitas, sine quibus significatio sacramentalis non subsisteret; ergò vt conuertatur cum definito, & sit propria, necessariò addi debent, tam ex parte subiecti, quàm prædicati, specificationes ad hoc requisitæ.

Confirmatur, quia vt benè discurrit Hiquæus *4. dist. 3. q. 1.* in fine, si sumamus definitionem à Magistro traditam, vt sonat, non soli baptismo sacramentali competit, quia si quis baptizaret canem, vel aliud animal, vt malefici quandoque faciunt, cum præscripta verborum forma, non esset ablutio baptismalis, quamuis esset exterior corporis ablutio cum præscripta verborum forma; rectè ergò ponitur in ea definitione, quod sit *ablutio hominis*; Præterea si inuitus baptizaretur, non esset baptismalis ablutio, ergò benè additur *aliqualiter consentientis*; Item si à se ipso fieret hæc ablutio, non esset baptismalis; ergò rectè additur *ab alio facta*; si esset in alio liquore, non esset baptismalis; rectè ergò additur *in aqua*; si ioco, & sine intentione fieret, neque esset baptismalis; rectè ergò additur *cum debita intentione*; atque ideò definitio illa nullam continet particulam superfluam; Et licet definitio breuis esse debeat, adhuc tamen debet esse definiti sufficienter expressiua, & cum ipso conuertibilis; Neque desunt definitiones Baptismi à Recentioribus allatæ, quæ sunt longiores nostra, & magis comittæ, qualis est quam affert Amicus *disp. 11. sec. 2.* & alij cum ipso, quod est *symbolum sensibile constans ex aqua naturali tanquam ex materia remota, & ablutione, tanquam ex materia proxima, & forma expressiua tùm actionis Ministri in baptizandum, tùm trium diuinarum personarum in vnitate essentiæ collatiuum gratiæ regeneratiuæ*.

32 Hæc igitur baptismi definitio à Scoto tradita est vera, & propria eius definitio, vtporè data per omnes causas, tùm physicas, tùm metaphysicas iuxtà Arist. monitū; cùm enim dicitur, *est sacramentum* per hanc particulam assignatur genus metaphysicum, est enim baptismus sacramenti species; cùm dicitur, *ablutionis animæ à peccato*, per hoc cum cæteris particulis sequentibus indicatur eius differentia ab alijs sacramentis; cùm additur, *consistens in ablutione hominis aliqualiter consentientis*, indicatur materia proxima cum subiecto; cū dicitur *facta in aqua* indicatur materia remota; cùm tandem additur, *in certis verbis simul ab eodem abluente cum debita intentione prolatis*, assignatur forma, & intentio in Ministro requisita; Quarè datur per omnes causas, per efficientem, scilicet, cum intentione; per finalem, scilicet, ablutionem animæ à peccato; per materialem, nempè ablutionem, & verba; & tandem per formalem, scilicet, significationem; ac etiā per subiectiuam cum suis dispositionibus, idest hominem aliqualiter consentientem; datur ergo per omnes causas, tùm physicas, tùm metaphysicas, atq; ideò cùm explicet essentiam baptismi, tam physicam, quàm metaphysicam, omnibus numeris absoluta censeri debet; vt autem eius essentia physica magis pateat, materia, & forma baptismi sequentibus articulis ex professo est declaranda.

ARTICVLVS PRIMVS.

De materia remota, & proxima sacramenti baptismi.

33 PRimò statuendum est, solam aquam simplicem, naturalem, & elementarem esse legitimam materiam remotam sacramenti baptismi; Ita de fide definitum est in Concil. Florent. & Trident. *sess. 7. can. 2. de baptismo*, & habetur ex pluribus Scripturæ locis, *nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*, Ioan. 3. *Ecce aqua quid prohibet me baptizari*, Actorum 8. *mundans eam lauacro aquæ*, ad Eph. 5. Nec aliter potest probari conclusio inquit Scotus *4. dist. 3. quæst. 3. §. hic dicendum*, nisi ex voluntate Christi instituentis aquam veram, & naturalem pro materia baptismi, vt patet Ioan. 3. & Matth. 3. subdit verò huius institutionis apertas esse congruentias, quia aqua est frigida, fluida, lucida, necessarij, & communis, quæ proprietates illi humori conueniunt, in quo debet fieri baptismus, quia est ad reprimendum æstum concupiscentiæ, adflectendum rigorem inobedientiæ, & illustrandam claritatem fidei, ad introducendum in viam salutis, & hoc sacramentum est commune omnibus, & cùm sit sacramentum necessitatis, in ea materia debuit institui, quæ vbique reperiatur. Quandò autem dixit Ioan. Baptista Matth. 3. venturum Dominum, qui baptizaret in Spiritu Sancto, & igne, non de materia huius sacramenti loquitur, nec ignis ibi capitur propriè, sed metaphoricè, quatenus significat, quod baptismus Christi conferat ignem charitatis, & gratiæ, quem baptismus Ioannis conferre non valebat. Hinc sequitur pro huiusmodi materia baptismi sufficere omne genus naturalis aquæ, siue ea sit maris, siuè fluuij, paludis; putei, fontis, pluuiæ, aut ex niue, & glacie resolutæ, & denique quamcunque elementarem aquam, quæ non sit substātialiter immutata; & hanc ità necessariam esse, vt non sufficiat quicunque

alius

…mnis aptus ad lauandum, & quamuis similis … vt fusè tradit Doctor loc. cit. & alij Theologi.

34 Secundò dicendum est, materiam proximam huius sacramenti esse ablutionem aquæ; ità communi Theologorum doctrina, estque res de se clara, nam ipsum Baptismi nomen propriè dicit ablutionem, nec baptizatur quis, nisi dum abluitur; … intelligitur ablutio hic, inquit Doctor loc. citat. non tamen sicut aqua dicitur lauare corpus quasi formaliter, sed sicut homo dicitur lauare corpus cum aqua, quia propriè & actiuè, nam solus contractus corporis ab aqua, quæ est quasi ablutio formalis, non est instituta tanquam signum, vel pars signi, sed ipsa lotio effectiuè facta ab aliquo abluentes; nec oportet, quod sit ibi ablutio, vt importat motionem sordium à corpore per contactum aquæ, sed sufficit lotio in communi dicta corporis ab aqua alio hoc agente, quod nihil aliud est, nisi quod oportet illum contactum corporis ab aqua fieri ab alio causante illum contactum. Ex quo deducitur hanc ablutionem consistere in contactu successiuo corporis, & aquæ, vel, scilicet, corpore per aquam traducto, vt si fieret per immersionem eius in aquam, vel aqua fluente per corpus, vt si fieret per aspersionem, vel infusionem aquæ super corpus; quare si corpus existeret immotum intrà aquam, aut aqua circa corpus immota, non diceretur corpus ablui effectiuè ab alio, sed tantum per aquam formaliter, nec id ad baptismum sufficeret; requiritur ergo contactus successiuus per modum fluxus; & requiritur etiam, quod sit immediatus, idest, quod immediatè tangat corpus; vndè non sufficeret circà vestes, aut si quis ablueretur corio inclusus. Quid verò dicendum sit de infante pelle secundina contecto Summistæ disputant, alij affirmantes, alij negantes esse benè baptizatum cum ea pellis nullomodo sit pars corporis; attamen vt inquit Auersa q.64. sec.4. si vestis, aut membrana illa esset adeo subtilis, vel porosa, vt aqua ad ipsum corpus permearet, & circà illud flueret, tunc validus esset baptismus; aut si res esset dubia, deberet sub conditione repeti.

35 Tertiò, quia ablutio potest considerari ex duplici capite, & quatenus actiuè exercetur ab eo, qui abluit, & quatenus passiuè recipitur in eo, qui abluitur, quæstio est an ablutio, quæ est materia proxima huius sacramenti, sit ablutio actiua, vel potius ablutio passiua; Suarez, Soto, Valentia, & alij dicunt essentiam baptismi consistere in ablutione passiuè sumpta, quia constat ablutionem habere rationem sacramenti, quatenus in baptizato suscipitur. Tannerus verò to.4. disput.4. quæst.1. dub.2. & alij dicunt ablutionem potius, prout est actiuè à Ministro abluente constituere rationem sacramenti; quia prolatio verborum vtique prout est actiuè à proferente constituit sacramentum, ergò similiter abluto, quem etiam dicendi modum Auersa q.6. sec.3. tribuit Scoto 4. dist.3. quæst.3. § *hic dicendum*. Coninch. verò, Vasquez, & Abra, quos refert; & sequitur Auersa *loc. cit.* asserunt ablutionem secundum vtrumque respectum, scilicet, & quatenus receptam in baptizato, & quatenus exercitam à baptizante esse substantialiter de ratione baptismi; quia pariter de necessitate baptismi est, vt aliquis abluat, & aliquis abluatur; ergò pariter penes vtrumque respectum debet ablutio esse de ratione baptismi; Denique Baldus q. 2. de baptismo dist. 1. inquit, quod licet in collatione baptismi intercedat actio, & passio, tamen in eis ratio baptismi non consistit, sed in applicatione aquæ corpori baptizandi, quæ applicatio formaliter consistit in nudo, & solo tactu.

36 Dicendum est ablutionem, quæ est materia proxima huius sacramenti, non esse ablutionem actionem, sed ablutionē passionem; ita Doctor 4. d.6. q. 2. *sub D.* quod ibi probat, quia si baptismus esset ablutio, quæ est actio, sequeretur, quod si Minister simul, & eadem aspersione plures baptizaret, esset ibi vnicus tantùm baptismus, quia esset vnica tantū actio, quod est falsum; & è contrà, si duo actiuè baptizarent vnum hominem, sequeretur plura ibi esse sacramenta, quia ibi plures interueniunt actiones, quod etiam est falsum, quia homo ille vnum tantum susciperet baptismum, sicut vna est tantùm ablutio passiua.

Confirmatur, quia baptizatus propriè suscipit sacramentum, suscipit autem ablutionem tantùm passiuam, & non actiuam, nisi ponantur idem realiter. Deniq; quia si baptismus in ablutione actiua consisteret, etiam Minister sacramentum reciperet, quia in sententia nostra, vt dictum est in Physicis, actio est in agente, tanquam in subiecto, non autem in passo, actio enim denominat subiectum, in quo est, denominat autem agens, & non passum.

37 Neque Doctor oppositum docuit loc. cit. *dist.3. quæst.3.* siquidem ibi docet solum ablutionem pro contactu, quasi effectiuè, non formaliter, esse materiam proximam huius sacramenti; cæterum an hæc ablutio effectiuè sumpta sit in agente, vel in recipiente, nec verbum quidem; & quando ibi dicit, quod materia huius sacramenti proxima est ablutio effectiua, non formalis, debet ità exponi, hoc est, ablutio facta ab aliquo abluente, non enim ipsa ablutio passiua simpliciter sumpta, quam Doctor ablutionem formalem appellat, sed ablutio effecta ab aliquo abluente est materia baptismi proxima. Neq; rationes pro alijs opinionibus vrgent, quia distinctio illa actionis, & passionis, quæ cadit in ablutionem, non cadit ità commodè in verborum prolationem, hæc enim ità exercetur à proferente, vt non recipiatur in suscipiente, sicut recipitur ablutio; Et quamuis de necessitate baptismi pariter sit, vt aliquis abluat, & aliquis abluatur, non sequitur penes vtrumque respectum dici debere ablutionem de ratione baptismi ob rationes adductas: Quod tandem Baldus aiebat, applicationem aquæ corpori baptizandi, in qua ratio baptismi consistit, in nudo, & solo contactu consistere, non autem in actione, & passione, licet istæ interueniant, hoc totum, inquam, sine vllo fundamento dicitur; successiuus enim tactus tangentis haberi non potest sine tacto, aliquod enim tangitur; ergò contactus iste sine actione, & passione concipi nequit, sicut neque ablutio actiua sine abluto concipi potest; ergò nequit applicatio aquæ corpori in contactu consistere, quin eo ipso actionem, & passionem inuoluat.

38 Quartò, quia vt suprà innuimus, ablutio dupliciter exerceri potest, vt passim Theologi docent, vno modo per aspersionem, seu effusionem aquæ in corpus, alio modo per immersionem corporis in aqua; & consuetudo Ecclesiæ vtrumq; modum in diuersis locis obseruat, & in praxi seruanda est consuetudo cuiusque loci: dubitari solet, num vbi posterior modus abluendi solet obseruari, sit de necessitate, & valore sacramenti, vt post immersionem sequatur emersio: vel etiam valeat baptismus: si projciatur, & submergatur infans in puteum, vel flumen cum prolatione verborum. Communis opinio tenet, non esse de necessitate sacramenti emersionem, sed valere baptismum factum per projectionem, & illam immersionem puram sufficere, & esse verè, & propriè ablutionem baptismo idoneam, quamuis illicitam, iniquam, & mortiferam, dummodò proferatur integra forma antè mortem infantis: ità communiter Recentiores, Suarez, Vasquez, Nugnus, Coninch, Laiman, Bonacina, Hurtad. Caspensis, Valentia, Surianus, Diana, Ledesma, Auersa, & alij passim; quorum fundamentum est, quia illa immersio verè, & propriè est ablutio, si enim infans pollutus sit sordibus, & sic immergatur, mundabitur absque dubio; abluetur ergò, & consequenter baptizabitur, quia ad baptismum sufficit ablutio, si cætera adsint.

Confirmatur, quia si super infantem in cuna iacentem superinfundat quis tantam aquæ copiam, vt eum cooperiū relinquat: vtique verè baptizat, si cætera adsint, ergo similiter, si illum proijciendo submergat: Nec obstat, quod ille, qui sic baptizat, occidat, & animum occidendi habeat, dummodò simul habeat animum baptizandi: sicut si quis aqua feruida, & venenata baptizaret infantem animo simul eum occidendi, vtique perficeret sacramentum. Denique quia quamuis in tali casu sequatur submersio, & mora infantis, nihilominus infans potest verè dici ablutus, & baptizatus, quia baptismus non ordinatur ad vitam corporis, sed animæ. Vndè si Sacerdos mergat Cathecumenum in fontem, ex quo eum casu extrahere nequeat, sed submergatur, modò adsit intentio baptizandi: & cætera adsint, verè baptizat: ità præsertim arguunt Suarez *disp.20. sec.3.* & Vasquez *disp.45. cap.3.*

39 Opposita sententia est Scoti *4. dist.4. q.3. sub A.* vbi in quodam corollario dicit, quod si paruulus esset proiectus de ponte, non esset baptizatus, quia hoc modo non est ad vitam ordinatus, sed ad mortem: quæ etiam communis fuit apud Antiquos Riccard. Paludan. Marsil. Holcot, Aliacens. Silvest. Armil. & alios, hanc tenent Scotistæ omnes tam Veteres, quàm Recentiores Poncius, Centinus, Aretinus, Hiquæus, & alij, vno excepto Brancato, qui *disput. 12. art. 3.* ait locum modò citatum habendum esse pro extrà, licet

pro

pro tali non sit signatus, & in hac re standum esse doctrinæ, quam inferius habet *d.* 5. *q.* 3. vbi quærens, an si sit periculum vitæ corporalis suscipientis, possit baptizari, respondet sub A. quando adsunt signa certa mortis, v.g. si non adsit aqua, & non possit baptizare puerum, nisi de ponte propellat, nullo modo debet propellere, quia peccabit mortaliter occidendo, & quilibet tenetur magis vitare peccatum mortale in seipso, quàm quærere salutem proximi, quia ordinata charitas magis est ad seipsum: ità Doctor ibidem, vbi vt patet, dicit quod non debet hoc facere, at non dicit, quod non validè faceret, imò supponit, quod validè faceret, cùm inquit, quemlibet teneri magis peccatum vitare in seipso, quàm quærere salutem proximi: & non licere sic baptizare, quia committeret homicidium, & non potest cum suo peccato cauere damnationem proximi: Si autem Scotus teneret submersionem non esse baptismi materiam, dixisset statim non licere, quia nihil faceret: & sic melius deterruisset ministrum a submergendo, quia frustraretur suo fine, & esset homicida, at Scotus hoc tantùm secundo motiuo deterret, quod, scilicet, esset homicida, illam verò sequentem Scoti responsionem, quod, scilicet, talis proiectus non esset baptizatus, quia immersio debet esse cum emersione, & ablutio debet esse ordinata ad vitam baptizati, non ad mortem, ait esse doctrinam Riccardi, vt notatur à Marginistis, quapropter concludit & cæteros Scotistas in hoc esse deceptos, & Recentiores Scotum citantes pro hac opinione.

40 Cæterum verisimilius est hunc solum Scotistam esse deceptum in Scoti intelligentia, quàm cæteros omnes, quia plus vident oculi, quàm oculus; Et quidem Scoti sententia in hoc puncto potius attendi debet ex primo loco à nobis adducto *d.* 4. *q.* 3. quàm ex secundo *d.* 5. *q.* 3. quia in hoc secundo loco non agit de hoc puncto, an infans de ponte proiectus esset verè baptizatus; sed dato quod esset verè baptizatus, quærit an in tali casu deberet quis ministrare baptismum, & inquit, quod non; quia peccaret mortaliter, & esset homicida; vnde patet ibi Scotum tantummodo loqui de debito ministri, non verò de valore sacramenti, & quicquid sit de hoc, scilicet, de valore sacramenti, inquit quod etiam supposita sacramenti validitate, non debet quis in tali casu sacramentum ministrare, quia peccaret mortaliter, & esset homicida: Et quidem mouendo tale quæsitum, debebat Scotus suppositionem facere de sacramenti validitate, an, scilicet, data hac hypotesi, deberet in tali casu quis sacramentum ministrare, quia hac hypotesi negata, frustrà tale quæsitum moueretur, an in eo casu posset quis licitè sacramentum ministrare; de se enim pateret hypotesi illa non admissa, licitè id fieri non posse, quia vltrà peccatum homicidij inualidum esset sacramentum. Imò hoc etiam aliud motiuum de inualiditate sacramenti tangit Doctor in sequenti responsione, quam Brancatus à margine motus inquit esse Riccardi, appositè inquam, eam doctrinam adducit, quæ tunc temporis communior erat, quia vltrà certitudinem peccati committendi in tali casu, dubitari etiam potest cum fundamento de validitate sacramenti; cùm ergò certum sit peccatum ex parte Ministri, neque certus sit fructus, aut valor baptismi respectu infantis, sed omninò dubius ob controuersiam in hoc puncto de sacramenti validitate vertentem, tollitur ex hoc motiuum de salute certa infantis, ac proindè illius actionis in praxi, à qua & diuinum præceptum de non occidendo absterrere debet, & periculum ipsum de nullitate sacramenti, vt ibi Hiqueus aduertit; ex quo patet Doctorem ex vtroque motiuo ministrum absterrere à tali actione, & non ex vno tantùm, vt dicebat Brancatus.

41 Hæc igitur est vera, & germana Scoti sententia in primo loco citato, scilicet, 4. *d.* 4. *q.* 3. quam ibi inter alios Scotistas egregiè defendit Hiqueus, & probatur ratione Doctoris ibidem quia ablutio baptismalis ordinatur ad vitam, & non ad mortem per se loquendo: nec verisimile est Christum pro materia huius sacramenti materiam ordinasse, quæ ex natura sua est ordinata ad mortem corporalem, qualis est submersio; Nec respondere valet æquiuocationem committi, quia vita ad quam ordinatur baptismus est vita animæ, & non corporis. Quia non intelligit Doctor ablutionem baptismalem ordinari ad vitam corporalem in eo sensu, quo interpretatur Suarez, & Vasquez, sed intelligit institutionem diuinam limitasse pro materia huius sacramenti talem ablutionem, quæ ex natura sua, & per se sit compatibilis cum vita corporali, nec verisimile esse pro materia huius sacramenti assumpsisse ablutionem, quæ ex natura sua sit ad mortem corporalem ordinata, & hoc per ordinari ad vitam intelligit Doctor; hoc enim ad suauem eius prouidentiam spectat: & Christus sacramentorum institutor sic sacramenta instituit, vt per virtutem, quam corporaliter per materiam sensibus conferunt, arguamus insensibilem gratiam, quam conferunt animæ; Vndè sicut in aqua hoc sacramentum est institutum, quia sicut corporaliter maculas abluit; ità & spiritualiter, sic pariter si materia huius sacramenti vitam spiritualem præstare debet, hoc per fomentum corporalia innuere debet; in casu autem posito tantum abest, vt ablutio vitam corporalem iuuet, & foueat, quod potius ex natura sua eam destruit; Et planè cùm videamus hoc modo Christum materiam aliorum sacramentorum instituisse, scilicet, cum quadam proportione vitæ corporalis ad spiritualem, sic enim panem, & vinum materiam Eucharistiæ decreuit, vt indicaret sic animam spirituali illo cibo foueri, quemadmodum visuali pane, & vino fouetur corpus; & oleum materiam extremæ Vnctionis instituit, vt sicut oleo athletæ vngebantur, vt fortius pugnarent, sic nos dimicaturi cum morte, sicut vngimur in corpore, sic gratia Dei vngeremur in anima; ità inquam, pariter de sacramenti huius materia est discurrendum: ideoq; cum submersio non vitam, sed mortem pariat corporalem, non est censenda apta huius sacramenti materia, qua vita designari debet, non interitus, vt benè discurrit Centinus *disp.* 3 *c.* 2.

Deindè talis submersio infantis in flumen, vel puteum propriè, & secundum communem loquendi modum non dicitur ablutio, etenim in communi modo loquendi id ablui dicitur, & lauari, quod vel non totum immergitur, vel immersum emergitur statim: nec lapis, quem Aduersarij in exemplum adducunt, in profundum putei, vel fluminis deiectus rigorosa significatione dicitur ablutus, sed madefactus ex aqua per submersionem; Tùm quia ablutio baptismalis proportionem habet cum sola ablutione sordium salua substantia rei ablutæ, in hac enim designatur proportio similitudinis materiæ baptismi cum effectu spirituali, seu ablutione animæ: sed proiectio infantis in flumen secundum communem vsum loquendi non censetur ablutio à sordibus, sed mersio infantis, quæ ex natura sua ordinatur ad mortem eius, non autem ad ablutionem, per quam sordes tollantur salua substantia, & vita baptizati: non ergò censenda est idonea baptismi materia. Tandem etiam si immersio posset dici ablutio, non tamen est talis, quæ instituta est materia baptismi, hæc enim non debet ablutionem comprehendere, quæ per se, & vbique est nociua, mortifera, & peccaminosa, quia id planè derogaret, non solùm personæ baptizandæ, & Ministro, sed etiam sacramento, & cultui Religionis; qua ratione quamuis confessio sit materia sacramenti pœnitentiæ, & quamuis confessio per literas ad naturam actus iudicialis sufficeret, in quo institutum est tale sacramentum; adhuc tamen inualida talis confessio censetur, nec sacramenti institutio ad eam extenditur, quia præiudicat reo, ac fini, & reuerentiæ Sacramenti; vide alias rationes apud Hiqueum. 42

Hinc patet ad fundamentum oppositæ sententiæ, negatur enim submersionem infantis in puteum, vel flumen esse verè, & propriè ablutionem & mundationem à sordibus; quià ex natura actionis ordinatur ad mortem infantis, non autem ad ablutionem, per quam tollantur sordes salua substantia, & vita baptizati. Ad Confirmationem, ex eadem doctrina negari potest verè baptismum conferri etiam in illis casibus, siquidem ablutio, quæ est materia baptismi, talis esse debet, vt ex natura sua ad mortem baptizandi non ordinetur, hoc enim magis congruum est diuinæ institutioni, & ablutioni visuali, seu consuetæ, & morali, vt ait Hiqueus; vel etiam casus de aqua feruida, & venenata; si placet, admitti potest cum validitate sacramenti, quia si sequitur deinde mors infantis, hoc non est ex natura talis ablutionis in aqua, sed ex qualitate accidentali ipsius aquæ. Ad vltimum, licet baptismus non ordinetur ad vitam corporis sed animæ; tamen neque per se ordinatur ad mortem corporis, sic autem ordinaretur, si sub materia eius comprehenderetur ablutio ex natura sua ad necem hominis ordinata, qualis est submersio: quarè in hoc sensu dici potest baptismus etiam ordinatus ad vitam corporis, quatenus pro eius materia instituta est talis ablutio 43

quæ

sua compatibilis sit cum vita corporali; Ca- quo non posset minister Catechumenum ex, vel flumine ad rem non est, tunc enim vesset, quia per accidens sequeretur tunc mors m ex defectu virium; non autem per se, & vt euenit in casu submersionis, de qua est

Quarto principaliter, quia baptismalis ablutio etiam alio excepit ceteri, nempè per aspersionem, seù effusionem aquae in corpus, qui modus baptizandi vt pluri-
44 mum in Ecclesia seruatur, certum est apud omnes non oportere ablutionem fieri in toto corpore, aut maiori eius parte, aliquin nullus baptismus nunc perfectius esset, quia regulariter in solo capite datur; non enim est verisimile, inquit Scotus 4. d. 4. q. 3. §. *ad quaestionem*, quod in die Pentecostes, quando baptizati sunt tria millia ab Apostolis Actuum 2. quod quilibet quantum ad totum corpus suum lauaretur aqua, sed praecisè quantum ad faciem aspergendo, vel quantum ad caput perfundendo. Sed dubitatur, quam corporis partem necesse sit aqua perfundere, vt valide conferatur baptismus; Vasquez, Henriquez, Kellisonus, Diana, Caspensis, Meratius, & plures Recentiores, quos iste refert, dicunt simpliciter, & absolutè loquendo validum esse baptismum ablutâ quacunque corporis parte etiam minima; Ratio ipsorum est, quia sicut homo dicitur tangi, & vulnerari, in quacunque parte tangatur, & vulneretur; ità etiam dicitur ablutus, in quacunque corporis parte abluatur; tùm quia anima rationalis est in qualibet parte; ergo quacunque corporis parte ablutâ etiam minima, verè denominari potest totus homo ablutus, & effectus baptismi etiam in anima recipi potest. Imo aliqui dicunt ad valorem baptismi sufficere, si aqua solos capillos attingat, & per eos defluat, etiamsi cutem non attingat; quia capillos quoque putant animatos anima rationali; vel saltem computantur, tamquam corporis partes, & sumuntur, vt vnum totaliter cum corpore.

45 Opposita sententia docet talem baptismum non esse tutum, & nullam esse certitudinem, quod baptismus datus in aliqua minima corporis parte valeat; & propterea sic baptizatum in casu necessitatis iterum esse rebaptizandum sub conditione; ità Doctor *loc. cit.* vbi dicit, quod si appareat ex vtero Matris caput infantis, & in ea corporis parte baptizetur; si puer nasceretur, & ex vtero matris exiret, non oporteret ipsum rebaptizare, quia illa censetur pars hominis praecipua, vt potè in qua viget omnis sensus; at si appareat tantùm pars minus principalis, scilicet, manus, vel pes, illa est baptizanda, quia ibi est tota anima, licet non omnis sensus, sicut in capite; & si hoc minus sufficeret, vt esset simpliciter baptizatus, vndè si nasceretur postea viuus, esset sub conditione rebaptizandus, vt habetur *extra de baptismo, & eius effectu cap. de quibus*; ità ibi Doctor, vbi vt patet in exemplum partium minus principalium non adducit partes minimas, vt digitum, vel auriculam, sed manum, vel pedem, quare si de his ità dubitat, vt repetendum sub conditione censeat esse baptismum, tanto magis credendum est hoc idem de minimis partibus asseruisse; ità etiam D. Thomas cum suis, Suarez, Valentia, Coninch. Nugnus, Auersa, Bonacina, Siluester, Armilla, Tabiena, Rosella, & alij Summistae, estque communior opinio; Ratio est, quia hoc sacramentum sicut est summè necessarium, ità cùm maxima securitate tradendum est, ne periculo exponatur anima infantis, & propterea monemur textu citato *extra de baptismo* &c. & in Rituali Romano, in praedictis casibus, vbi perplexitas securitati praestat, iterandum esse sub conditione baptismum; si autem validus esset baptismus in praefatis casibus sine vlla haesitatione, vt opposita opinio videtur asserere, vtique baptismus iterandus non esset, dùm enim validus est baptismus, is planè iterari non potest; sed quia dubium est, ob certitudinem, & securitatem remedij tantae necessitatis, debet quaecunque maior cautela, quae opportuna sit, adhiberi.

46 Nec ratio in oppositum vrget, quia licet anima sit in qualibet corporis parte, & quamuis iuxtà communem loquendi modum dicatur homo vulneratus in quacunque corporis parte vulneretur, etiam minima; non tamen in communi modo loquendi verè, & propriè dicitur ablutus per lotionem cuiuscumque minimae particulae illius; & ideò si solus pes, aut digitus abluatur, non videtur validus baptismus, cùm per eiusmodi partis ablutionem non videatur homo sufficienter denominari ablutus, estò in casu necessitatis administrandus sit baptismus in qualibet parte, etiam in solo digito, si nequeat in capite baptizari, vt supra dictum est; Verum est tamen, hanc quaestionem esse potius de nomine, quàm de re, quia vt notat Auersa, nec Auctores primae sententiae ità validum putant huiusmodi baptismum, vt negent transacta necessitate, debere posteà in alia parte principali sub conditione repeti ob dubium, quod anteà non valuerit; Nec Auctores secundae sententiae putant esse ità inualidum, quin adhiberi possit, ac debeat in casu necessitatis in quauis minima parte ob aliquam probabilitatem, & spem, quod valeat; Vndè omnes in hoc conueniunt, quod ob summam huius sacramenti necessitatem debet in casu necessitatis quodcumque remedium adhiberi, & tentari, in quo sit aliqua spes, & probabilitas vtilitatis; & ob certitudinem, & securitatem remedij tantae necessitatis, adhiberi debet omnis maior cautela, quae opportuna sit, & possibilis.

Quantum autem ad id, quod de capillis dicebatur, Bonacina *disp. 2. qu. 2. punc. 3.* plures alios citans existimat baptismum non sufficere, si aqua, & ablutio solùm capillos attingat, eo quod capilli verè non sunt pars hominis, nec informantur anima rationali, sed sunt superfluitates, & excrementa quaedam, & consequenter capillis aqua dilutis, & aspersis, non potest homo dici ablutus; Caspensis verò *disp. 1. de baptismo sect. 2.* inquit, quod si pili, capilli, & vngues non ponantur partes integrales humani corporis, eorum ablutio, nisi caro tingatur aqua, non erit congrua baptismo; si autem verè, & propriè, vt ipse probabilius putat, sunt humani corporis pars integralis, eorum ablutio erit idonea baptismo, si sufficiat ablui per exiguam humani corporis partem, Vndè quia nos quoque *disp. 1. de Anima q. 9. art. 2.* probabile esse diximus pilos, & capillos esse animatos, huic secundo dicendi modo videmur adstringi; adhuc tamen primo libentius subscribimus, quia ad veritatem baptismi opus est, vt aqua corpus, & carnem tangat iuxtà illud August. *hom. 80. in Ioan. Quae est ista virtus aquae, vt corpus tangat, & cor abluat*; cùm igitur capilli non sint verè, & propriè corporis partes, sed potius ornamentum, eorum praecisa ablutio non erit materia baptismi idonea. 47

Postremò, quaeri solet, an sufficiat quaecumque modica aquae quantitas, vtpote aliqua gutta ad valorem baptismi; 48
Negant aliqui, vt Bonacina, Granad. Layman, & alij Recentiores, quibus subscribit Centinus ex nostris; Et ratio est, quia ad baptismum requiritur contactus successiuus, & tanta aquae quantitas, qua possit homo denominari ablutus; Ex quo infert Bonacina *loc. cit. n. 18.* inualidum esse baptismum, quando quis vna, vel duabus, aut tribus aquae guttis aspergitur, eò quod non possit sic dici homo simpliciter ablui. Affirmant alij, dummodò tamen gutta aquae fluat, ac extendatur per aliquas corporis partes, alioquin si in aliqua parte sisteret, & non flueret, verè non ablueret, ità Vasquez, Henriquez. Meratius, Caspensis, Auersa, qui alios citant; ideoque Bonacina dixit *loc. cit.* paucas guttas non sufficere, praesertim si persiliant, & non fluant per corpus; & hac eadem ratione tenet Centinus guttam aquae pro materia baptismi non sufficere, quia illa non fluit abluendo, sed plerumque in rotunditatem versa deriuatur corpori haerens; Ex quo constat hanc quoque esse potius litem de nomine, quam de re; Neque enim Auctores primae opinionis negant paucas aquae guttas ad baptismum sufficere, si per partem corporis fluant; Neque Auctores secundae opinionis affirmant esse materiam sufficientem, si persistant, & non fluant per corpus; Secundus tamen dicendi modus conformior Doctori videtur *dist. 4. cit. q. 3* dùm ait in die Pentecostes fuisse homines circà ter mille baptizatos, non quod in toto corpore, vel maiori parte fuerint abluti, sed praecisè quantùm ad faciem aspergendo, vel quantum ad caput perfundendo; quibus verbis innuit Doctor partem illius multitudinis fuisse singillatim per sufficientem aquae copiam super caput effusam baptizatam; partem verò pro temporis angustia per aspersionem aquae in facies eorum per guttas aquae, quae tamen fuerint sufficiens baptismi materia; & quidem cùm hoc sit sacramentum necessitatis, dicendum est modicam aquam sufficere, quanta satis est ad abluendum, vel tangendum corpus successiuè per aliquas partes.

ctè, & explicitè; sed aiunt sufficere expressionem indirectam, & implicatam, vt constat ex rationibus, quas adducunt; ergo reipsa opiniones istæ conueniunt, & solùm in modo loquendi discrepant.

54 Quintò præterea docet Scotus loc. cit. & est communis sententia Theologorum, paruis quibusdam Veteribus exceptis, ad valorem baptismi necessariam esse expressionem, & inuocationem Sanctissimæ Trinitatis sub vnitate Deitatis, quod significatur illo verbo *in nomine*; ac etiam expressam diuinarum personarum inuocationem per nomina tres diuinas personas exprimentia; & hoc patet ex institutione à Christo facta Matth. vlt. *baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*; Ex quo deducitur eum inualidè baptizare, qui hac forma vteretur, ego te baptizo in nomine Christi, aut qui diceret in nomine trium personarum, aut in nomine Sanctissimæ Trinitatis; ratio est, quia hæc forma non exprimit tres Trinitatis personas, quarum explicita expressio necessaria est ad valorem baptismi, & non sufficit implicita.

Dices ab initio nascentis Ecclesiæ administratum fuisse ab Apostolis baptismum in nomine Iesu Christi, vt habetur pluribus in locis actuum Apostolorum. Respondet Doctor, id fuisse permissum à Christo Domino speciali dispensatione, vt magis eo tempore Christi nomen innotesceret, nobis tamen permissum non esse, eo quod cessauerit causa baptizandi, hoc modo; illa namque dispensatio fuit concessa ad tempus, & modo reuocata est per Concilia statuentia præcisam formam in qua fiat expressa inuocatio Trinitatis, vt per Florentinum, & Tridentinum, quæ post Scotum sunt celebrata; & hæc etiam fuit responsio Alensis 4. p. q. 8. *memb.* 3. *art.* 3. Riccardi *d.* 3. *q.* 2. *art.* 3. Sancti Thomæ *q.* 66. *art.* 6. D. Bon. *d.* 3. *q.* 2. *in sol. ad* 2. & aliorum antiquorum, ac proindè communis est in schola Scoti, & D. Thomæ.

55 Cæterùm Bellarminus, Suarez, Vasquez, Coninch. Auersa, & alij Recentiores, ac Summistæ probabilius censent nunquam administratum fuisse baptismum in nomine Christi, quod pluribus auctoritatibus probare conantur; Et quando in Actis Apostolorum legitur, baptismum in primitiua Ecclesia administratum fuisse in nomine Christi; sic explicant, quod Apostoli dederint baptismum Christi, hoc est institutum à Christo, & cuius auctor fuit Christus ad differentiam baptismi Ioannis, & quod baptizauerint in merito, & in fide, & in virtute Christi; Alij dicunt, Apostolos baptizasse cum expressa inuocatione Sanctissimæ Trinitatis facta speciali mentione Iesu Christi in secunda persona hoc modo, *Ego te baptizo in nomine Patris, & Iesu Christi filij eius, & Spiritus Sancti*. Verùm si propterea, quod hæc particula *in nomine* idem significa, quod in virtute, vel auctoritate, non potest ex illis locis colligi, quod baptismus daretur ab Apostolis sub hac forma, *in nomine Christi*, sequitur, quod neque ex verbis Matth. vlt. *baptizantes eos in nomine Patris*, &c. colligi posset baptismum esse sub illa forma conferendum, quia illa particula, *in nomine*, hìc, & ibi eodem modo interpretari potest; Tùm quia Nicolaus Papa primus, vt refertur *de Consecrat. dist.* 4. ex illis locis colligit Apostolos baptizasse sub illa forma, in nomine Iesu Christi; Tùm tandem quia, quandò Scriptura loquitur de sacramentis non solùm debemus intelligere, quod verba, quæ ibi ponuntur, sunt forma sacramenti, sed etiam quod nulla alia verba sunt forma, nisi aliud ex traditione Apostolorum Ecclesia acceperit. Sed de hac re videantur Scotistæ nostri Faber *in* 4. *disp.* 8. *cap.* 3. Brancatus *disp.* 12. *art.* 5. Aretinus *in* 4. *d.* 3. *q.* 2. *art.* 10. Hiqueus ibidem, qui latè hanc materiam tractant, & Recentioribus occurrunt, vno excepto Centino illis adhærente *disp.* 4. *cap.* 3.

56 Sextò vlterius quæri solet, an baptismus collatus sub hac forma exprimendo Trinitatem personarum sub alijs nominibus, scilicet, *genitoris, geniti, & procedentis ab vtroque*, sit validus; & Theologi nonnulli affirmat esse validum, quia hæc nomina videntur synonima saltem quoad principale significatum cum Patre, Filio, & Spiritu Sancto, quia in idem recidunt Pater, & Genitor; Filius, & Genitus; Spiritus Sanctus, & procedens ab vtroque vnde illa mutatio non est substantialis, sed accidentalis; ità Caietanus, Victoria, Caspensis, & alij Recentiores probabilitem putant. Scotus tamen loc. cit. sub H. apertè docet nec licitè, nec validè posse sic Trinitatem inuocari, quia non seruaretur forma à Christo instituta; & ratio est, ait Doctor quia sicut Deus dederat Iudæis nomen diuinam essentiam significans sub propria ratione, scilicet *Tetragammaton*, ita Christus dedit Ecclesiæ nomina personas diuinas significantia sub proprijs rationibus, & sub illis inuocari debent in exercitio baptismi, & talia sunt hæc nomina Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, illa verò nomina Genitor, Genitus, & ab vtroque procedens, non significant, diuinas personas sub proprijs rationibus, sed tantum earum notionem, & originationem. Ex quo patet falsum esse, quod illa nomina sint synonima propriè loquendo, quià verba illa dicuntur synonima, quæ eandem rem significant, & sub eadem ratione; at diuersa sunt significata illorum nominum, quia Pater, Filius, & Spiritus Sanctus significant propriam eorum rationem personalem; at Genitor, genitus, & ab vtroque procedens significant eorum notionem, & originationem; & idem docuerunt S. Thomas *qu.* 66. *art.* 5. *ad* 7. S. Bon. 4. *d.* 3. *qu.* 3. *art.* 2. Alensis q. 8. *memb.* 3. *art.* 3. & hæc est communis apud Recentiores, & Summistas; Vndè sustinentes opinionem oppositam, quia nostra est communissima; dicunt nulli licere à consueta forma discedere; & addunt, quod si contingat aliquem fuisse baptizatum sub ea forma, genitoris, geniti, & ab vtroque procedentis, iterum baptizandum esse sub conditione; ità Caspensis *disp.* 1. *de baptismo sec.* 3. *in fine*, & alij qui dicunt eam sententiam esse tantum speculatiuè probabilem, non tamen in praxi ponendam.

Postremò quæri solet, an baptismus sit validus, quando administratur cum aliqua verborum mutatione; circa cuius quæsiti solutionem varias assignat regulas Scotus *loc. cit.* generalis autem regula hæc est, & ab omnibus communi calculo recepta, quod quando contingit substantialis mutatio in verbis, vt si verba assumerentur sensum distinctum importantia à sensu, qui continetur sub verbis formæ; tunc inualidum censeri debet sacramentum; si verò mutatio sit tantùm accidentalis, tunc validum adhuc est sacramentum, vt satis constat ex regulis generalibus assignatis *disp. praeced. de sacramentis in genere*. 57

QVÆSTIO TERTIA.

An possint plures eundem hominem baptizare, & vnus plures.

QVamuis soli Presbytero ex officio, ex vi ordinis, & consecrationis ministrare baptismum incumbat; & Diacono etiam ex vi ordinis, & commissione Presbyteri, & Parochi, in casu tamen extremæ necessitatis pueri periclitantis quæuis persona humana rationis particeps, vir, aut fæmina fidelis, aut infidelis etiam licitè baptizare potest, dummodo possit alium abluere, & legitimam formam proferre cum debita intentione faciendi, quod facit Ecclesia, vt docet Scotus 4. *d.* 6. *q.* 1. & licet antiquis temporibus multis etiam Ecclesiæ Patribus hæc res fuerit sub dubio; modò tamen absque erroris periculo negari non potest cùm id fuerit expressè definitum ab Innocentio Tertio in Concilio Lateranensi *cap. Firmiter de summa Trinitate, & fide catholica*, & ab Eugenio Quarto in suo decreto fidei; Cuius rei congruentia est maxima huius sacramenti necessitas, ob quam oportuit validè à quauis persona humana habente prædicta requisita validè ministrari posse. Hoc itaque supposito, tanquam de fide, quæritur modo, an plures ministri validè possint simul vnum baptizare; & an idem minister possit validè plures simul baptizare, quod sequentibus articulis resoluendum est. 58

ARTICVLVS PRIMVS.

Resoluitur Quæstio quoad primam partem.

HOc quæsitum resoluit Doctor 4. *d.* 6. *q.* 2. vbi ab initio distinguit pluribus modis contingere posse, quod plures simul eundem baptizent Primus est, si plures simul, & eodem tempore corpus abluant, & debitam formam cum debita intentione proferant; Secundus, si plures simul id faciant, sed vno prius altero; vel abluente, vel formæ prolationem absoluente. Tertius, vno tantùm abluente, & altero formam proferente, putà si vnus sit mutus, & tantùm abluat, 59

abluat, alter sit brachij mutilus, & verba tantùm proferat. Quartùm tandem addunt alij, si plures abluant, & simul hanc formam proferant, *Nos te baptizamus in nomine Patris &c.*

Primò itaque dicendum in primo casu baptismum validum esse; ità Scotus *loc. cit. §. de primo*, consentiunt Alensis, D. Thomas, D. Bon. Ricardus, & cæteri antiquiores, quos passim sequuntur Recentiores, id probat Doctor, quia in tali casu verisimile non videtur factum vnius irritare factum alterius, non enim ille habet actionem contrariam irritantem alterius opus, sed omninò similem; sed si vnus tantùm minister faceret, & administraret baptismum, esset verum sacramentum; ergò & si alius idem faciat, & administret sacramentum, factum alterius validum erit; Confirmatur quia possunt simul plures Sacerdotes eandem hostiam consecrare, recenter enim creati Sacerdotes simul cum Episcopo verè consecrant; ergò à pari si plures baptizent, verum, & validum sacramentum conferunt. Denique in isto casu concurrunt omnia necessariò ad baptismum requisita, nam singuli applicant integram formam, & materiam independenter ab alio, ergo si singuli debitam habeant intentionem, vt supponitur, verum conficient sacramentum.

60 Sed hìc emergit difficultas, an in præfato casu conferatur vnus, vel multiplex baptismus. Respondet Brancatus *disp. 15. art. 5. nu. 52.* si plures prædicto modo ministrant baptismum, vt quilibet totam formam, & totam materiam circà vnum subiectum simul applicent, non esse vnum baptismum, seu vnum sacramentum, sed plura, quam assertionem ait esse Scoti *d. 6. q. 2.* sub G. & Basolij *ibidem art. 3.* & probat quia in tali casu sunt plura signa sensibilia instituta in sacramentum baptismi, sunt enim plures ablutiones, plures formæ, pluresque intentiones; ergo plures baptismi; consequentia patet, quia ad multiplicationem numericam prædicatorum quidditatiuorum multiplicantur numero constituta per illa; ità etiam discurrit Suarez *3. p. disp. 23. sec. 3.* cum quibusdam alijs Recentioribus.

Verùm quàm falsò citetur Doctor pro hac sententia satis constat ex his quæ ibi habet sub lit. D. vbi ait, quocunque ergo modo dicatur de actione non ponitur plures esse baptizationes passiuas, sed vnicam, ex quo deducit corollarium, quod sacramentum baptismi magis est baptizatio passiua, quàm actiua, quia plurificata baptizatione actiua non plurificatur passiua, nec baptismus, quia passiua est vna; ità Doctor ibi; quem locum Brancatus iam suprà adduxerat *disp. 12. art. 2. num. 15.* ad probandum ablutionem, quæ est materia proxima baptismi, non esse ablutionem actionem, sed passionem, quod etiam ibi probat quia si duo actiuè abluerunt vnum hominem, quia vna passiua ablutio, vnum susciperet sacramentum; hæc sunt eius formalia verba; vndè non video, qua consequentia hic dicat, quod essent duo. Neque magis fideliter Basolium refert, inquit enim ibi, quod licet in præfato casu essent plures ablutiones actiuæ, ac etiam passiuæ, posset dici, quod essent ibi plures baptismi materialiter tantùm, sed vnus esset formaliter, quia in omnibus istis fundatur tantùm vnus respectus rationis, qui est signi ad gratiam signatam, etiam vnus numero, hoc enim non repugnat in respectibus rationis; ità discurrit ibi Basolius; Sed quod magis in hoc Auctore admireris est, quod pro hac opinione citet Scotum *d. 6. q. 2.* sub G. eo quod ibi hæc habeat verba Doctor, *posset tamen magis concedi, quod sunt plures baptismi, tenendo illud, quod dictum est, quod sacramentum baptismi est baptizatio passiua &c.* fateor hæc verba esse formalissima Scoti, sed ibi loquitur Doctor in casu opposito, quod vnus ablueret plures, vt etiam cæcutienti patere potest legendo litteram Scoti, non autem in casu nostro, quod plures vnum baptizent.

61 Rursus, quia Doctor in hoc puncto mouet difficultatem lit. B. quod non potest idem effectus produci à pluribus causis totalibus; sed quilibet ministrorum in hoc casu est causa totalis baptismi, ergo &c. maior patet ex Physicis, minor probatur, nam quilibet minister ponit omnes partes, quæ baptismum constituunt; ergo quilibet eorum est causa totalis, aliud enim non requiritur ad totalitatem causæ, nisi vt ponat totum esse effectus. Respondet Brancatus concedendo totum argumentum, nempe sacramentum ab illis pluribus factum non esse vnum, nam sunt plura baptismata. Verùm quia adhuc vrget difficultas, quia ministri nedùm sunt causam eorum sacramentorum, sed etiam effectus eorum, nempè gratiæ, & characteris, quos producunt in anima, & hæc gratia, quæ producitur est vna, sicut & character in anima baptizati; ergo adhuc sequitur, quod plures causæ eundem causarent effectum. Respondet rursus, sacramenta, eorumque ministros esse causas duntaxat morales respectu illorum effectuum, qui effectiuè, & physicè sunt à solo Deo, vt à causa principali; & nullum esse inconueniens plures morales causas totales simul concurrere ad eundem numero effectum, vt patet de duobus consilijs vni datis, à quibus quis mouetur ad faciendum vnum numero actum; & de duobus precantibus, vel duobus meritis, à quibus præmians indistinctè mouetur ad dandum idem numero præmium, quod singulis deberetur; ità discurrit sub *n. 60. & 63.*

At statim infrà num. 65. eandem replicans difficultatem, quod vel illa plura baptismata essent causæ totales, vel partiales; non secundum, quia quodlibet eorum haberet quicquid requiritur ad totalitatem causæ, neque primum, quia eadem absurda, quæ sequuntur de pluribus causis totalibus physicis respectu eiusdem effectus, sequuntur etiam de moralibus. Respondet secundum se esse totales; cùm verò sic vniuntur, cùm habeant suum esse integrum sacramenti, euadunt partiales, & quodlibet eorum est partiale motiuum Dei, vt ponat gratiam vnam numero. Vbi noua apparet contradictio huius Auctoris in eadem pagina, nam supra dixerat illa plura baptismata esse causas totales respectu gratiæ, quia hoc non repugnat in causis moralibus; & paulò post dicit esse causas partiales; Neque solus hic Scotista ità confusè loquitur in hac materia, sed etiam Centinus *disp. 5. cap. 2. artic. 1.* vbi tandem his argumentis prostatus concludit nullum in tali casu fieri baptismum. Rubeus verò noster *part. 2. controu. 15.* more suo planè intelligibilia dicit; Hiquæus tandem in præsenti valde hæsitat de mente Doctoris, & in eadem opinionem inclinare videtur, quod essent plura baptismata. 62

Vt autem in hoc puncto dicam, quid sentio, planè mihi non videtur hæc quæstio tanti esse momenti, & quodcunque dicatur facilè admitti posse, nempè quod essent vnum vel plura baptismata; quod obuio exemplo declarari potest de ramo viridi tabernæ appenso pro venditione vini; si enim non vnus tantùm appenderetur ramus sed plures, si quæratur an in tali casu essent plura signa venditionis vini, vel vnum; & si concedantur esse plura an singula mouerent totaliter ad emptionē vini, vel solùm partialiter, planè in tali casu parum refert, si hoc vel illo modò dicatur; possunt enim dici plura signa, quia non repugnat plura signa esse imposita ad idem numero significandum; & possunt etiam dici vnum signum, quia non repugnant eandem numero relationem rationis suprà diuersa numero, ac etiam specie fundamenta fundari, vt dictum est disp. præced. q. 1. explicando rationem sacramenti in communi; vndè ratione vnitatis significationis, & significati plures illi rami appensi vnum duntaxat signum venditionis vini constituerent formaliter, nec essent plura, nisi materialiter; Si etiam ponerentur esse plura signa, si dicantur omnia, & singula esse causas totales, vel partiales venditionis vini, vtrumq; etiam benè diceretur; primum quidem benè diceretur, quia facillimè intelligitur in causis moralibus poni vnum effectum ex pluribus causis totalibus, vt ex pluribus meritis, seù merentibus, aut petentibus, ac specialiter ex pluribus signis in idem tendentibus; Secundum etiam benè diceretur, quia licet quilibet ramus tabernæ appensus posset esse causa totalis venditionis vini, & motiuum totale, si solus exponeretur; tamen si cum alijs simul exponatur, potest dici causa partialis, & motiuum partiale, quia homo transiens, & plures illos ramos videns expositos ad indicandam vini venditionem, non debet moueri potius ab hoc ramo, quam ab illo, & consequenter dicendum esset, quod singuli essent tantum causa partialis, & partialiter mouerent hominem ad vini emptionem. 63

Sic ergo pariter dici potest in proposito de illis pluribus ablutionibus, & verborum prolationibus in casu posito, quod plures simul, & semel baptizarent eundem potest enim dici duplex baptismus, si duo baptizarent, si quidem est duplex opus totale, & perfectum cum reali, & adæquata distinctione, vnus tamen, & idem esset effectus ab vtroque productus, nempè vnus character, & vna numero gratia, & non maior, quàm dum vnus solus minister baptizat, dici 64

etiam

etiam potest duplex significatio, & duplex vis causatiua talis effectus; quamuis enim res significata, & causata sit vna, & eadem, tamen optimè potest esse duplex eius signum, duplex causa, & sic duplex significatio, & vis causatiua moralis; Duplex tandem etiam dici potest causa totalis, vel partialis; cùm enim in causis moralibus facilè intelligatur poni vnum effectum ex pluribus causis totalibus, vt dictum est potest vtraque causa poni totalis; siquidem cùm Deus sua institutione promiserit ad exhibitionem talis signi talem conferre effectum, quandocunque contingat plura simul talia signa in ordine ad idem subiectum à pluribus exhiberi, virtute talium signorum suam adimplet promissionem, & confert promissum effectum, & à singulis totaliter mouetur. Potest etiam quælibet dici causa partialis, quia licet quilibet minister esset causa totalis si solus faceret, quod facit; tamen quia Deus non debet potius moueri per factum vnius, quàm alterius, præstat dicere, quod moueatur per factum vtriusque, & consequenter vtrumque esse causam partialem tantùm mouendi Deum, qui solus est causa physicè gratiam producens, & characterem; vt Poncius adnotauit *disp.42.q.5.n.21.*

65 Adhuc tamen præstat dicere cum Doctore *loc. cit.* lit. D. si plures eundem baptizent, vnum esse baptismum, & non plures, quia sacramentum baptismi magis est baptizatio passiua, quàm actiua; in casu autem posito licet sint plures baptizationes actiuæ, vnica tamen est passiua, sicut vnus tantùm est baptizatus; & si actio ponatur in agente siuè absolutum siuè respectus ad passum, falsum est diuersis actionibus semper passiones correspondere diuersas. Quod si contendas propositionem hanc esse vniuersaliter veram, quod cuilibet actioni correspondet sua passio, atque ideò si ibi sunt plures baptizationes actiuæ, erunt quoque plures passiuæ, ac consequenter plura baptismata. Tunc dicendum cum Bassolio *loc. cit.* hinc sequi tantùm esse plura baptismata materialiter, sed esse adhuc vnum tantùm formaliter, quia in omnibus istis baptizationibus passiuis fundatur vnus tantùm respectus rationis, qui est signi ad gratiam signatam, etiam vnus numero, quod benè possibile est in respectibus rationis, vt suprà dictum est; quam rationem latè prosequitur, & declarat Vasquez *disp.148. c.2.* vbi vnitatem baptismi in tali casu ex vnitate significationis deducit, quæ est formalitas sacramenti; cùm enim in diuersis rebus vna tantùm numero significatio reperiatur, vnum numero sacramentum erit; in proposito autem plures illæ ablutiones, & prolationes à diuersis vnam gratiam, & vnum characterem significarent, ac proindè significatione vna vnum sacramentum esset. Denique hoc idem confirmat Amicus *disp.11. de Baptismo sect.4.* nam omnes illæ ablutiones, & prolationes ad vnum effectum in anima baptizandi causandum ordinantur, in ordine ad quem omnes illæ ablutiones, & prolationes numericam vnitatem accipiunt; non secus, ac multæ particulæ consecratæ ab eodem sumptæ non sunt plura, sed vnum sacramentum per ordinem ad vnam refectionem spiritualem, ad quam mediante vna comestione illæ ordinantur. Et hoc est, quod iam pridem diximus *disp.8. physic. q.3. art.2. n.68.* in hoc proposito; Deum instituisse ad exhibitionem talis signi inducere in baptizato effectum supernaturalem, siuè hoc exhibeatur ab vno Ministro, siuè à pluribus, quia id non importat in signato respectu signi physicam, & essentialem dependentiam, quam tantum negamus in effectu ad plures causas totales, & sacramentum vnum æquè constitui ex ablutione, & verbis ab vno, vel pluribus prolatis, quia ad vnitatem sacramenti non videtur necessariò requiri ablutio, & prolatio verborum ab vno tantum Ministro; & hanc sententiam, vt Scoti genuinam, defendunt Faber, Poncius, Aretinus; & alij Scotistæ passim, ac Recentiores quamplures.

66 Secundò principaliter, in secundo casu iam posito ab initio articuli, si plures vnum baptizent ità, vt vnus alterum præueniat in absoluenda forma cum appositione materiæ, fatentur omnes baptismum à primo collatum esse validum, & ab ipso solùm conferri, altero nihil efficiente. Ratio, qua omnes vtuntur, hæc est, quia subiectum semel baptizatum incapax est vlterioris baptismi, cum hoc sit de numero sacramentorum irreiterabilium; ergo quicquid posteà fit ab alio Ministro abluente, & verba proferente irritum est, ac inane.

Confirmatur, quia si post consummatum vnum baptismum alter Minister baptismum alium inchoaret, vtique nihil faceret, quia subiectum iam redditum est incapax noui baptismi per susceptionem prioris; ergò eadem ratione, quamuis suum baptismum simul inchoauerit, antequam subiectum esset baptizatum; tamen si in instanti, in quo illum erat perfecturus, sentit se præuenium ab alio, & subiectum inuenit iam baptizatum, non poterit illud perficere; quia subiectum non est amplius illius perfectionis capax. Ex quo sequitur solùm primo modo validum esse baptismum à pluribus collatum, si nempè duo ità sacramentum baptismi ministrent, vt ambo simul abluendo expleant formam; Sed quamuis etiam in eo casu validè conferrent, non tamen licitè, tùm quia contrà consuetum Ecclesiæ morem baptizarent, tùm quia periculo iterandi baptismum se exponerent, ac proindè peccarent, & puniri possent; periculum autem est, quia tanta moralis simultas in proferendo, & abluendo verba formæ cum infusione materiæ valdo difficilis est, nec semper possibilis, sed alter alterum præuenire potest facillimè, quo casu iteraretur baptismus, vt supradictum est.

Quid dicendum sit in tertio casu.

Tertiò prætereà dubitatur, an in tertio casu ab initio 67 articuli proposito baptismus valeat à pluribus collatus, nempè si vnus Minister adhibeat materiam, & alter formam, ille aquam infundendo, & iste verba proferendo; Quidam Antiquiores, quibus consentit Caietanus *3.p.q.67. art.6.* talem baptismum valere dixerunt, si forma proferatur ritu Græcorum, baptizetur seruus Christi; vel etiamsi formæ Latinorum inhærendo dicatur in plurali; Nos te baptizamus.

Ratio est, quia hi duo homines haberent, vt supponimus, intentionem baptizandi, & applicarent veram materiam, & veram formam; ergò nihil deesset ad veritatem baptismi; probatur consequentia, quia solùm obstare posset, quod ibi non est integer Minister, nisi compositus ex duplici persona, sed hoc impedimentum nullum esse videtur, nam in Matrimonio duo contrahentes sunt Ministri vnius sacramenti; & in pœnitentia pœnitens est, qui exhibet materiam; Sacerdos verò, qui induit formam.

Confirmatur, quia hic modus baptizandi interdum esse potest necessarius, vt si infans sit in extrema necessitate, & mortis periculo constitutus, & tantùm adsint duæ personæ, quarum altera loqui non possit, nec altera abluere, baptismus autem est sacramentum maximæ necessitatis; ergo in sua institutione etiam huiusmodi ministerij modum debuit comprehendere; qua ratione Suarez *disp. 23. sect.3.* Fernandez *de sacrament. baptism. part.5. dub.9.* & quidam alij Summistæ, licet absolutè validitatem huius sacramenti approbare non audeant, admittunt tamen in præfato necessitatis casu posse conferri baptismum tali modo, propter aliquam spem, si fortè valeat; deberi tamen sub conditione iterari, si posteà possit, ità etiam Amicus *disp. 11. sect. 4.*

Communis tamen sententia oppositum docet, talem 68 nempè baptismum non valere, ac etiam in casu necessitatis, si conueniant mutus, & mancus, non posse puerum baptizare, itaut mutus lauet, & mancus verba proferat, ità Alensis, Diuus Thomas, Diuus Bonauentura, & Scotus noster *loc. cit. §. de secundo liter.* E. quod probat ibi Doctor, quia actus ille esset contrà Christi institutionem, qui sic instituit baptismum, vt ab vnico Ministro vtraque actio prodiret, scilicet, abluendi, & verba proferendi, vt ex illis verbis colligitur, *baptizantes eos in nomine* &c. hoc enim ità intellexit, vt idem ipse Minister actum ablutionis exerceat, & verba ipsa proferat. Deindè probat etiam, quia baptismus ille sub nulla forma valeret, non quidem sub forma inter Latinos consueta, dicendo, *ego te baptizo*, quia si mancus hanc formam proferat, falsum diceret, cùm ipse non baptizet, sed mutus, & consequenter nequit esse conueniens forma sacramenti. Idem est si diceret, *Nos te baptizamus*, quia cùm ab vno solo baptizetur, propositio etiam falsa est. Nec tandem valeret sub forma Græcorum, quia adhuc sub ea forma sic debet exprimi actus, vt notetur esse ab eo Ministro, qui verba profert, vt dictum est quæst. præced. num.51. Et Græca illa oratio non est pura deprecatio, sed efficax optatio, quasi diceretur,

per actum istum [illegible] *me fit, baptizetur ille*; ergò mancus formam tantùm proferens, & non abluens, veram formam non seruaret dicendo, *baptizetur seruus Christi*, quia esset oratio falsa, cùm actus abluendi à proferente non exeat.

69 Respondet Caietan, quod si verbum, *baptizare*, accipiatur, vt idem sonat, quod *lauare*, vtique fallum diceret ille mancus, quia non abluit, sed si accipiatur, vt idem sonat, quod tradere sacramentum, verum diceret, quia esset sensus, ego trado tibi sacramentum baptismi; addunt alij, quod si per verbum, *baptizare*, non denotetur actus abluendi corporaliter, sed actus abluendi spiritualiter, nec etiam in hoc sensu esset oratio falsa. Sed hæc solutio non sufficit, quia licet in communi modo loquendi Italico verbum, *baptizare*, significet tradere hoc sacramentum alteri; tamen apud Latinos verbum hoc *baptizo*, vt assumitur in forma huius sacramenti, minimè significat, ego trado tibi sacramentum baptismi, sed potius, ego te lauo lotione hac, quæ est materia baptismi; imò adhuc etiam in priori sensu esset oratio falsa, & forma falsa, quia illam proferens non traderet baptismum Cathecumeno, sed formam duntaxat recitaret altero aquam ministrante; traditio autem baptismi non est per formam solam, sed etiam per materiam. Nec etiam alia responsio satisfacit, quia forma in hoc sacramento assumpta verificatur cum suo significato humano antecedenter ad significationem spiritualem quæ in ea fundatur; igitur ablutionem corporalem per se primò significat qui illa verba profert, *ego te baptizo*, & ideò esset oratio falsa, quia mancus ille non abluit corporaliter, in qua lotione corporali fundatur spiritualis lotio animæ.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ negatur consequentia cum eius probatione, quia ad veritatem baptismi requiritur integer Minister, itaut actio lauandi ab eodem prodeat, qui profert verba formæ, vt constat ex ipsa Christi institutione; nec valet paritas de matrimonio assumpta, quia ob specialem illius sacramenti rationem cùm sit mutuus contractus inter virum, & fœminam, duo contrahentes sunt eiusdem sacramenti simul Ministri, & receptores; Et similiter ob specialem iudicij rationem, quam importat pœnitentiæ sacramentum, vnus est, qui se accusat, & alius, qui absoluit, in quo adhuc fieri non potest, vt vnus peccata audiat, & alter absoluat, sed idem debet esse Minister confessionem audiens, & absolutionem impendens; Ad casum verò necessitatis, qui fingebatur, aliter prouideri posset, vt vnus, & idem verba proferret, & aquam infunderet, vt etiam Caietanus ipse fatetur, nimirum si mancus ab alio brachijs integro vas aquæ suprà caput acciperet, & Cathecumenum abstergeret modica tacta capitis inclinatione, vel meliùs, & faciliùs sumeret aquam in ore, & indè Cathecumenum abstergeret, immediatè post, vel antè verba proferendo, vel alio simili modo.

Quid dicendum sit in quarto casu.

71 Quartò tandem dubitatur, an validus sit baptismus à pluribus collatus in quarto casu iam posito ab initio articuli, nempè si plures Cathecumenum abluant, & simul hanc formam proferant, *Nos baptizamus in nomine, &c.* in qua quæstione tres sunt opiniones, duæ extremæ, & vna media. Prima sententia extrema absolutè affirmat talem baptismum esse validum, nam ab omnibus Theologis communiter conceditur posse plures Ministros eodem tempore vnum hominem baptizare, si vnusquisque aquam infundens dicat, *Ego te baptizo in nomine Patris &c.* sed quando plures ad baptizandum concurrunt, melius, & conuenientius, eorum pluralitas exprimitur per hanc formam, *Nos te baptizamus*, quàm per illam, *Ego te baptizo*, nam per eam non significatur plurium Ministrorum conuentus, qui ad vnum baptizandum concurrunt, sed potius vnius tantùm Ministri persona. Conf. quia hæc propositio, *nos te baptizamus*, æquiualet istis singularibus ego te baptizo, & ego te baptizo; sed si quilibet Ministrorum diceret in singulari, ego te baptizo, verus esset baptismus; vt suprà dictum est in primo casu; ergo quamuis dicatur in numero plurali, nos te baptizamus, adhuc verus erit baptismus; ità tenent plures antiquiores Marsilius, Riccardus, Maior, Paludanus, Durandus, & Caietanus.

72 Alia sententia extrema, quæ communis est, absolutè negat talem baptismum esse validum, nam qui baptizarent dicendo, *Nos te baptizamus*, mutarent formam à Christo institutam, ac proindè nullum efficerent sacramentum, eo quod mutata forma, quæ ad essentiam sacramenti pertinet; ipsum sacramentum perfici non potest; ità Alensis, Diuus Thomas, Diuus Bonauentura, & Recentiores passim Vasquez, Coninchius, Caspensis, Surianus, Bonacina, Ledesma, & Centinus ex nostris. Tertia tandem sententia media distinguit, & inquit, quod si Ministri dicentes, *Nos te baptizamus*, habeant talem intentionem, vt nullus eorum per se totum baptismum conferat; sed omnes simul, ita vt nullus sine alio baptizet, ita quod forma faciat sensum complexiuum illi intentioni accommodatum qua intendunt solùm partialiter baptizare; sacramentum nullum est; quia illa intentio est contrà significationem, & veritatem formæ, nam per eam significat, qui eam profert, se applicare omnia necessaria ad baptismum conficiendum, scilicet, ablutionem integram, & integram formam, & baptizare independenter ab alio. Si verò Ministri dicentes, *Nos te baptizamus*, habeant intentionem, quod vnusquisque eorum per se, & independenter ab alio totum conferat baptismi sacramentum, tanquam si ipse esset solus, itaut proferant talem formam in sensu copulatiuo cum recta intentione integrè baptizandi, verè baptizant; quia tunc quilibet habet intentionem ad baptismum sufficientem; Nec refert, quod eam explicet numero plurali, quia si aliquis Episcopus ob dignitatem personæ diceret baptizando Nos te baptizamus, adhuc verus esset baptismus; Et ità putant conciliari posse sententias extremas, cùm enim illa propositio duplicem possit habere sensum iam explicatum, alterum complexiuum, & alterum copulatiuum, affirmatiua sententia loquitur in sensu copulatiuo, negatiua verò in sensu tantùm complexiuo; ità Suarez, Auersa, & alij Recentiores, & Aretinus ex nostris *dist. 6. q. 2. art. 3.*

Scotus de hoc puncto non loquitur; verum tamen iuxtà eius doctrinam & veritatem, sententiam negatiuam absolutè tenendam censeo; ita quod si duo baptizarent dicentes, Nos te baptizamus, neque in sensu complexiuo, neque in sensu copulatiuo sacramentum efficeretur; quia in vtroque sensu daretur in forma variatio essentialis; nam forma baptizandi ex suo modo significandi significat baptismum ab vno Ministro causari, cùm sit hæc, ego te baptizo, & consequenter significat ab illo causari adæquatè, & independenter ab alio; at hæc forma, nos te baptizamus, licet significet me baptizare, significat tamen me baptizare cum alio, & inadæquatè; ergo habet modum essentialiter diuersum ab eo, qui fuit institutus à Christo; Nec sufficit dicere argumentam valere, si talis forma proferatur, & intendatur in sensu complexiuo, non autem copulatiuo. Nam quando vterque dicit *nos* significatur tunc per eam particulam pluralis numeri, quod ab vtroque complexim administretur baptismus, & sic à quolibet partialiter, non totaliter; ac etiam in sensu copulatiuo indicatur, quod vnus baptizat cum alio, & dependenter ab eo; ergo in neutro sensu efficitur sacramentum. Nec dicas parum referre, quod vterque baptizantium formam explicet in numero plurali, quia loqueretur in eo sensu, quo Episcopus diceret baptizando, Nos te baptizamus, sic enim illa particula, estò in plurali prolata, numerum significat singularem, cùm vnus solus baptizet. Ne, inquam, id dicas, gratis enim concedimus propositionem illam posse ab vno solo proferri baptizante ob dignitatem personæ, quam sustinet, vt solent primates, & magnates dicere. Nos volumus, nos dicimus; in hoc autem sensu non agitatur hæc quæstio, sed in sensu proprio, quod particula *nos* significet numerum pluralem, & conuentum plurium ad vnum, & eundem baptizandum; ex quo patet mediam sententiam futili nixam esse fundamento.

Ad fundamentum verò affirmatiuæ sententiæ facilè occurritur; gratis enim concedimus verum esse baptismum à pluribus collatum dicente vnoquoque, ego te baptizo, quia per hanc formam non conuentus plurium, sed vnusquisque vt integer Minister designatur, & totalis, ac ab alio independens; at dicendo, nos baptizamus, ex vi propositionis indicatur sensus complexiuus, vel plurium copulatiuus, indicans vtrumque partialiter ad baptismum concurrere, quod est contrà eius institutionem; qua ratione diximus etiam in primo casu, quod plures eundem bapti-

baptizarent vnoquoque dicente *ego te baptizo*, probabilius esse singulos illorum esse causam integram, & totalem sacramenti, quia in causis moralibus, & instrumentalibus non repugnat dari plures causas totales eiusdem effectus, actio namque & effectus non multiplicatur ex pluribus causis instrumentalibus, etiamsi essent causæ totales, sed ex principali.

Ad Confirmationem negatur maior, nam sicut dicit Priscianus illud pronomen, *Nos*, non geminat singulare suum, vt dicatur *ego*, & *ego*, sed *ego*, & *tu*, vel *ego*, & *ille*, & ideò hæc propositio, *Nos te baptizamus*, non resoluitur in has duas, *Ego baptizo*, & *Ego baptizo*, sed in has, *ego baptizo*, & *ille baptizat* &c. & ideò si dicatur, *Nos baptizamus*, aliquid dicitur, quo forma variatur, & quidem essentialiter, vt suprà dictum est.

75 Dices, si duo Iudices in aliqua causa delegati æqua lance iudicium ferret, optimè dicerent, *Nos decernimus*, *aut statuimus*, imò melius, quàm si aliter ab altero seiunctus diceret, ego decerno, ego statuo; ergo idem dici potest in hoc sacramento.

Negatur paritas, quia duo Iudices, si vt duo iudicant, rectè dicunt, *Nos decernimus*, quia potestas in solidum est eis collata, alioquin non rectè iudicarent, nam in eo casu est in vtriusque potestate simul, & coniunctim illa verba proferre ex delegatione; in administratione verò baptismi nulli cum alio hæc baptizandi potestas in solidum collata est, sed vnicuique Ministro totaliter, & independenter ab alio; Vndè si plures vnum baptizarent cum tota forma; & materia à singulis applicata, & vnus ità se haberet, vt non intenderet facere, nisi alij faciant, & dependenter ab eis, ipse nihil facit, nec sacramentum, nec eius effectum, neque alij, si eodem modo intendant, sed ille solùm qui intenderet absolutè, & independenter ab alio sacramentum conficere; & ratio est, quia sacramentum dependet essentialiter à materia, & forma, & intentione absoluta Ministri, neque aliud externum expectat, à quo compleatur, & ideò qui cum ea conditione, & dependentia ab alio baptizaret, nihil faceret.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Altera pars quæstionis deciditur.

76 Altera pars quæstionis erat, an è contrà vnus Minister posset validè simul, & semel plures baptizare hac forma *Ego vos baptizo*, cui quæsito respondet Doctor *distin.6. quæst.2.§. de tertio membro*, posse absque difficultate fieri, vt è conuersò vnus Minister simul baptizaret plures effundendo in illos aquam, & dicendo, *Ego vos baptizo*, non enim est contrà baptismi institutionem plures simul baptizari ab vno, imò fundari videtur in illis verbis, *Baptizantes eos &c.* & ità credibile est, vt Doctor suprà dixerat, Apostolos tria millia hominum baptizasse in die Pentecostes, vt habetur Actorum 2. vndè inquit, quod in casu necessitatis, quod singulos singillatim baptizando aliqui periclitarentur, non solum esse validum, sed etiam licitum: extrà verò casum necessitatis, quamuis esset validum, tamen esset illicitum, & graue peccatum, quia esset contrà ritum Ecclesiæ in re graui.

77 Quærit verò Doctor, an in tali casu esset vnus baptismus vel plures pro numero eorum, qui baptizantur; & ratio dubitandi est, quia non est, nisi vnica forma, nam verba tantùm sunt semel, & ab vno prolata; Et resoluit esse plura baptismata, & sacramenta pro numero eorum, qui baptizantur, & ratio est, quia plures sunt baptizati, & per consequens plures baptizationes passiuæ, atque ideò plures baptismi, quia sacramentum baptismi præsertim in baptizatione passiua consistit; Ad rationem verò in oppositum dicit, quod non oportet ad plurificationem alicuius omnia, quæ sunt in illo plurificari, sed sufficit aliquod eorum plurificari ad hoc, quod totum plurificetur, & illa etiam forma non est simpliciter vna, quia ly *vos* includit singulare pluries geminatum, vndè forma, seù verborum prolatio esset saltem virtualiter, seù æquiualenter multiplex, quasi diceretur, ego baptizo te Petre, baptizo te Paule, & sic de singulis; Et tandem plures sunt effectus, nempè distincti in singulis, qui baptizantur, gratia, scilicet, & character, quarè vis quoque significatiua, & causatiua talis effectus se habet, vt multiplex, quam doctrinam communi calculo amplectuntur Recentiores passim Vasquez, Hurtadus, Coninchius, Auersa, Bonacina, Surianus, Baldius, Caspensis, & alij passim.

Sed hic occurrit non leuis difficultas, quia in isto casu accidere posset expleta pronunciatione formæ à Ministro ob distantiam alicuius ex baptizandis aquam ad eum pertingere, quo supposito non esset baptizatus, quia non simul cum forma materiam reciperet. Pro cuius difficultatis intelligentia, & solutione recurrere oportet ad solutionem illius quæsiti, an Minister tam simultaneè debeat cum applicatione materiæ formam proferre, vt vnam prius altera explere nequeat, de quo agit Doctor 4. *dist. 6. quæst. 3.* vbi reiecta sententia Glossæ cap. *Detrahe causa 1. quæst. 1.* quæ in sacramento baptismi requirebat non tantùm physicam, sed etiam mathematicam simultatem inter vltimam formæ prolationem, & materiam, inquit sufficere simultatem inter aliquam partem prolationis formæ, & materiæ, vt vel incipiat forma, antequam desinat materia, vel contrà incipiat materia, antequam absoluatur forma, nec illam mathematicam vltimi instantis prolationis verborum, & ablutionis esse necessariam, quia Apostoli baptizantes tria hominum millia in die Pentecostes Actorum 2. non semper cum vltima syllaba formæ asperserunt, itaquod tunc aqua tetigerit Cathecumenum; Vndè concludit Doctor inter applicationem materiæ, & prolationem formæ talem simultatem requiri, qualis requiritur in actibus humanis, noluit enim Christus non obligare ad tam subtilem simultatem, quam vix posset homo percipere, vel seruare; ex quo patet quid sit dicendum ad propositam difficultatem. 78

Verùm hæc Scoti sententia de simultate requisita inter materiam, & formam sacramentorum reprehenditur, vt adhuc nimis rigorosa à Suarez 3. *part. tom. 3. disput. 2. sect. 2.* & Vasquez 3. *part. disput. 148. cap. 7.* quia impossibile est Apostolos in illa die Pentecostes saltem moraliter ità tot hominum millia baptizasse, quin forma esset completa, vel ablutio illa antè inchoationem ablutionis, hæc antè inchoationem formæ. Deindè quia sacramentum pœnitentiæ penitus contrarium demonstrat, non potest enim dari absolutio, nisi confessione transacta. Tandem, quia actiones morales sacramentorum non egent tanta metaphysica simultate materiæ, & formæ, ad tollendos scrupulos de eorum veritate, qui frequenter acciderent; Quarè concludunt hanc simultatem inter materiam, & formam sacramentorum non debere esse physicam, vt Scotus velle videtur, sed moralem, & talem, vt si etiam aliqua inter rem, & verbum sacramenti interponatur mora, itaut etiam altero expleto inchoetur aliud, veritas adhuc perseueret sacramenti; quod declarant exemplo de eo, qui dicit, en bibo, & statim bibit, & de eo, qui dicit, en osculor Crucem, & protinus osculatur, qui dicuntur simul dicere, & facere, etiamsi illi duo actus loquendi, & bibendi nequeant simul exerceri in eodem tempore, vel instanti, illa enim censetur simultas saltem moralis, licet non sit physica. 79

Circa Scoti mentem in hoc puncto Scotistæ non conueniunt, quidam enim verba Doctoris accipiunt in eodem rigore, quo à præfatis Recentioribus intelliguntur, ità Centinus *disput. 6. cap. 4.* vbi ait simultatem inter res, & verba ad valorem sacramenti necessariam talem esse debere, vt vnum incipit, antequam totaliter aliud perficiatur, siuè verbum antè expletionem ablutionis, siuè ablutio antè expletionem totalem verborum; Ita etiam Aretinus *distinct. 6. quæst. 3.* quia Scotus dicit tunc iudicari simultatem inter factum hominis, & illius verbum, quando incipit vnum, antequam totaliter finiat aliud, verbi gratia, si quis hanc orationem proferat, *facias hoc*, & fricet barbam, siuè incipiat actum suum antè prolationem, siuè è conuersò, dùm tamen vnum non finiatur completè antè inceptionem alterius, dicetur, ille simul dixit hoc, & fecit hoc; Vndè subdit non valere exempla allata à Recentioribus, quia in eis non potest esse maior simultas, non enim dùm quis dicit, en bibo, bibere potest, quia illi duo actus non possunt esse simul in eodem instanti, & ideò illa simultas satis est, vt dicatur simul dicere, & facere, etsi prius dicat, quàm faciat: at in proposito nostro actus prolationis verborum, & ipsa actualis ablutio possunt esse simul pro eodem tempore, atque adeò non erit verum dicere, quod sint simul, si prolatio verborum sit finita ante ablutionem, vel è conuersò. Ità tandem Brancatus *disput. 15. artic. 6. num. 75.* 80

num. 75. vbi ait simultatem requisitam inter materiam, & formam baptismi talem esse debere, vt saltem quando applicatur vna non sit totaliter expleta, & è contra, itaut in aliquo tempore saltem pars vnius simul existat cum parte alterius, quod probat, quia materia, & forma baptismi sunt fundamentum significationis, ergò aliquo modo debent esse simul, & coexistere, nam si aliter declaretur earum simultas, puta per immediatam successionem, non erit coexistentia, sed successio, vel comitantia, quia vna alteri succederet, seu illam comitaretur.

81 Confirmatur, quia nisi talis simultas, & coexistentia dicatur necessaria, sequitur formam esse falsam, quia nisi coexistat ablutio parti saltem formæ, sed vel antè, vel post falsum diceret Minister, se baptizare, quia vel baptizasset, vel esset baptizaturus; ergo simultas coexistentiæ requiritur.

Cæterum iam diximus *disp. praeced. q.* 3. *nu.* 108. perperam ex hoc loco deduci, quod Scotus inter materiam, & formam sacramentorum simultatem physicam temporis requirat; cùm potius expresè oppositum doceat, nempè inter materiam, & formam sacramentorum non requiri simultatem illam physicam rigorosam, sed talem, qualis in actibus humanis reperiri solet, quæ est simultas moralis, & rationem reddit, quia noluit Christus nos obligare ad tam subtilem simultatem; Et hoc idem hic sentit Hiqueus, quod etiam confirmat ex eo, quod Doctor anteà docuerat *d.* 3. *qu.* 2. §. *de secũda variatione, vers. de interpositione*, &c. vbi inquit Doctor sufficere ad connexionem verborum formæ, in ratione veri signi continuitatem requisitam ad actus humanos, vndè si aliquis dicens, *Baptizo te*, interponat hoc verbum *tacete*, vel *recedite*, & prosequatur formam in reliquis, donec absoluit, non impeditur continuitas eius ad sensum sacramentalem requisita; Sed non maior, subdit Hiqueus, requiritur propinquitas formæ ad materiam, vt fiat totum signum sacramentale, quàm vnius partis formæ ad aliam, vt similiter seruetur sensus sacramentalis; sed hæc non est physica, sed moralis, & humano modo considerata alias etiam syncopans, aut singultiens, aut suspirans non posset validè proferre formam per suspiria, vel oscitantiam ad modicum interruptam, quod est falsum; ergò etiam similis vnio, & cõtinuitas inter formam, & materiam sufficiunt de mente Doctoris; Et quamuis Doctor hanc simultatem materiæ, & formæ in sacramento baptismi aliquo modo physicè explicet; id tamen non tanquam necessarium ad sacramenti validitatem, sed tantùm ad melius esse intelligit, & ad maiorem certitudinem scrupulosque tollendos, vt iam dixi *loc. cit.* Vndè Scotus ad excludendam Glossatoris opinionem dicit, quod est valdè notandum, sufficere ad simultatem, vt vna actio incipiat, antequam terminetur alia; non verò dicit hoc esse omninò necessarium, & per se requisitum; nam ratio prius ab ipso adducta docet sufficere propinquitatem moralem, & humanam, per quam materia, & forma ad idem referantur per modum vnius signi. Et deniq; impugnando *lit.* B. Glossatorem affert historiam Actorum 2. quod Apostoli baptizantes tria millia eodem die non semper cum vltima syllaba formæ asperserunt, ità quod tunc aqua tetigerit baptizatũ, &c. at in hoc casu aspersio potuit præuenire formam, aut subsequi; vndè mirum est, quomodo Suarez ex hac Apostolorum historia ab ipso Scoto prius adducta deducat inter ablutionem, & verborum prolationem sufficere moralem simultatem, & velit Doctorem physicam simultatem necessariò exigere ex eodem motiuo.

82 Quarè, vt inquit Hiqueus, melius Dominicus Scoto mẽtem Doctoris intellexit, quem & ipse sequitur *d.* 3. *quaest. vn. ar.* 8. non requiri necessariò physicam simultatem, sed sufficere continuationem moralem iuxtà naturam cuiuscunque actionis, & modum enunciandi formæ; & sufficere illam simultatem inter ablutionẽ, & verba, qua humano more aliqua dicuntur simul esse facta; vndè inquit, quod quamuis verba essent omninò finita, si protinus ablueretur puer, verè esset baptizatus; quia tunc humano more verba, & ablutio dicerentur esse simul, sicut quando quis vas ori admouens dicit, en bibo, & continuò bibit, censetur id simul dicere, & facere, quamuis verba sint iam finita, quando bibit; Et immeritò hoc exemplum carpitur à Centino, quia qui dicit en bibo, & protinus bibit, vel falsum dicet, vel denotabit se iam non bibere, sed velle bibere; Hoc enim totum gratis ab eo dicitur, siquidem more humano loquendo, & moraliter ille censetur simul id dicere, & facere; planè simile exemplum est, quod affert Doctor ipse, dùm inquit, si quis dicat hanc orationem *facias hoc*, & fricet barbam, siuè incipiat actum suum ante prolationem siuè è conuerso, dicetur ille simul hoc dixisse, & fecisse, quod vtique non est intelligendum physicè, se moraliter, & humano modo. Nec refert disparitas ab Aretino allata, quod illi duo actus dicendi, & bibendi non possunt esse simul pro eodem instanti, & ideò illa simultas satis est, vt dicatur ille simul dicere, & facere estò prius dicat, quam faciat; at in proposito actus prolationis verborum, & ipsa ablutio possunt esse simul pro eodem tẽpore, atque adeò non erit verum dicere, quod sint simul, si prolatio verborum sit finita ante ablutionem, vel è conuerso. Non refert, inquam, quia licet prolatio verborum, & ipsa ablutio possint esse simul pro eodem tempore; tamen, vt inquit Doctor, noluit Christus nos obligare ad tam rigorosam & physicam simultatem: Quarè licet in hac materia omnis diligentia sit adhibenda, vt deuotè sacramentum exerceatur; tamen ad submouendos scrupulos, & pericula, quæ de valore sacramenti possent oriri, si simultas physica, & rigorosa esset necessaria, præstat dicere cum communi, quod sufficiat moralis simultas iam explicata; quod nimirum quamuis verba essent omninò finita, si immediatè post abluatur puer, vel è conuersò, verè esset baptizatus. Quod appositè dico ad euitandas quorundam Summistarum nenias, qui disquirentes quanta possit intercedere morula inter verborum prolationem, & materiæ appositionem; dicunt eam admitti posse, in qua oratio Dominica recitari queat, ità inter alios Fernandez *disput. de sacram. in genere tract.* 6. *dub.* 2. quam opinionem, vt nimis laxam etiam Diana ipse reprehendit *tr.* 4. *de sacram. resol.* 6.

Neque vrgent rationes in oppositum à Brancato allatæ; 83 gratis enim concedimus materiam, & formam baptismi aliquo modo debere simul esse, & coexistere; negamus tamen hanc simultatem, & coexistentiam semper, & necessario debere esse physicam, & pro eodem tempore; sufficit enim immediata successio vnius ad aliud, nimirum ablutionis ad prolationem verborum, vel è contrà; hæc enim immediata successio vnius ad aliud, licet non sit physica ambarum coexistentia; censetur tamen humano modo coexistentia moralis, vt patet in exemplis allatis.

Ad Confirmationem negatur consequentia, quod esset falsa forma, nisi pars saltem vnius physicè coexisteret parti alterius; etenim ad formam verificandam sufficit immediata successio vnius ad aliud sine notabili mora interposita, data enim illa immediata successione prolationis verborum ad ablutionem, vel è conuerso, verè dicitur ille humano modo loquendo simul dicere, & facere, vt constat ex ipso exẽplo à Doctore allato. Vrgebis dictum Augustini, *accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum*, ergo aliqua coniunctio, ac si multas intercedere debet inter vtrumque, & non sufficit successio. Respondeo ad dictum Augustini verificandum sufficere successionem vnius ad aliud, non quamcunque, sed immediatam, & hanc dici posse simultatem, & coexistentiam amborum saltem moralem.

Sed vrgebis adhuc, nulla oratio verificatur, nisi eius significatum ponatur in tempore consignificato; sed tempus consignificatum per orationem, quæ est forma sacramenti, non extenditur extrà tempus præsens prolationis verborũ; ergò intrà tempus prolationis verborum oportet significatum orationis verificari. Confirmatur, quia nisi tempus præsens consignificatum terminaretur simul cum prolatione verborum, nulla esset certitudo quantum hoc tempus præsens durare deberet, vndè posset quis semel dicto, *ego vos baptizo*, per integrum diem effundere aquam super singulos baptizandos. 84

Respondeo hæc argumenta pariter concludere etiam contra modum simultatis, vt tutiorem, à Doctore assignatum, vt nempè sit talis, quod quando applicatur materia, non sit totaliter expleta forma, & è contrà, itaut in aliquo tempore saltem pars vnius simul existat cum parte alterius, etenim si in fine ablutionis Minister incipiat formam ità quod sola verba, *ego te*, coexistant fini ablutionis, & immediatè post finitam ablutionem sequatur verbum *baptizo* nõ verificabitur oratio, quia iam terminata est ablutio; Et pariter si in fine prolationis, verborum minister incipiat abluere ita quod prima pars ablutionis coexistat vltimæ parti prolationis, tunc posset deindè per integrum diem aquam effundere suprà singulos baptizandos; Quare ad argumentum neganda est minor, nimirum tempus præsens per orationẽ consignificatum, quę est forma sacramenti, non se extendere

re

re extrà tempus prolationis verborum, cùm enim verba ad significandas actiones, & passiones more humano exercendas sint imposita, non sunt adeò rigorosè accipienda, vt per tempus præsens solùm illud intelligatur, in quo immediatè res significata coexistit, sed habet latitudinem, vt per tempus præsens non solùm illud intelligatur, quod existit nunc, sed quod vel immediatè, aut paulò post succedit, vel quod immediatè, aut paulò antè præcessit, vt patet in exemplis allatis, vndè cum dico *sileo*: & immediatè post taceam, verum dico, etiamsi terminus per verbum significatus, nempè silentium, non ponatur intrà tempus præsens consignificatum, sed in tempore immediatè sequenti.

Ad Confirmationem conceditur nullam haberi posse physicam certitudinem de latitudine temporis, & moræ post verborum prolationem: potest tamen haberi certitudo quædam moralis, quæ ex natura actionis, negotiorum, interruptionis, aliarumque circumstantiarum iudicanda est; Qua de causa etiam Auctores docentes ad validitatem huius sacramenti sufficere moralem simultatem materiæ, & formæ, concludunt ad maiorem certitudinem, scrupulosque tollendos, optimum esse consilium, & in praxi seruandum esse modum simultatis à Scoto assignatum, vt tutiorem, vt nempè interueniat physica simultas saltem inter aliquam partem prolationis formæ, & materiæ, vt vel incipiat forma, antequam desinat materia, vel è contra incipiat materia, antequam absoluatur forma.

QVÆSTIO QVARTA.

An liceat infidelium infantes inuitis parentibus baptizare.

85 ANtequam ad resolutionem propositæ quæstionis deueniamus, aduertendum est, nomine infidelium hic intelligi solos non baptizatos, non autem Hæreticos, & Apostatas, qui à fide defecerunt: cùm enim isti adhuc in sua apostasia manent Ecclesiæ subiecti, sicut ipsi ad fidem seruandâ cogi possunt, ità & eorum filij ipsis etiam renitentibus, siquidem ratione parentum quoad spiritualem salutem manent semper Ecclesiæ subiecti. Porrò huiusmodi infideles, vel sunt subditi Principibus Christianis, vel non; si eis non sunt subiecti quoad ciuilem potestatem ferè omnes conueniunt non licitè eorum infantes contrà eorum voluntatem baptizari, & hoc etiam concedit Scotus 4. *disp. 4. quæst. 9.* vbi ab initio quæstionis ait rationem quandam Ricardi concludere de persona priuata quacunque quod non posset paruulos inuitis parentibus baptizare, non tamen concludere de Principe; cui in regimine Reipublicæ tales sunt subditi; quibus verbis innuit Doctor suam sententiam inferiùs explicandam intelligere tantùm de filijs infidelium, qui subditi sunt Principibus Christianis. De quibus rursus est distinguendum, vel enim subduntur potestati Principum Christianorum tanquam ciues, vel tanquam serui, & emptitij, sicut mancipia; & si hoc secundo modo sunt subiecti passim etiam conueniunt eorum filios licitè posse ipsis inuitis baptizari, quod constat ex continua praxi, filij namque Turcarum, & Maurorum, qui iusto bello capti serui fiunt Christianorum, contrà parentum voluntatem baptizantur a Dominis, & ratio est, quia iustè potest Dominus filios serui vendere, eosque ab eius potestate abstrahere, ergo absque periculo apostatandi illos baptizare potest.

86 Est ergo sola controuersia de filijs infidelium Christianis Principibus ciuiliter subiectorum, an licitè inuitis parentibus baptizari possint; & controuersia est de posse licito, idest, an licitè fiat, si baptizentur, non autem de posse valido, quia etiam omnes concedunt, quod si baptizarentur inuitis parentibus, adhuc essent validè baptizati; quia infantes huiusmodi capaces sunt baptismi, & possunt eis applicari omnia ad eius valorem requisita, nempè materia, & forma cum debita intentione; facta igitur tali applicatione essent validè baptizati, nil enim aliud ad baptismi validitatem requiritur; siquidem non requiritur proprius consensus, quia non est possibilis in ea ætate; neque parentum, vel aliorum, quia in his, quæ ad iustificationem spectant, voluntas parentum non censetur voluntas filij; vndè in tali casu sufficeret fides Ecclesiæ, quæ administrat sacramentum, quo mediante infantem sibi incorporat; Remanet igitur sola quæstio, an licitè in tali casu infidelium infantes baptizari possint contrà eorum voluntatem; Negat D. Thomas 2. 2. *quæst. 10. art. 2.* & *3. p. quæst. 68. art. 10.* cum suis sectatoribus, & est communis Recentiorum sententia, ità Suarez, Vasquez, Amicus, Auersa, Caspensis, Surianus, Baldius, Coninchius, & Summistæ passim; quia hoc non esset sine parentum iniuria, & hoc esset contrà naturale ius, quod parentes habent in proprios filios. Affirmat verò Scotus *4. dist. 4. quæst. 9.* quibusdam cautelis adhibitis infrà declarandis, & sequuntur Scotistæ veteres. Mairon, Bassolius, Rubion, Tataretus, ac etiam Recentiores Faber, Poncius, Hiqueus, Centinus, Brancatus, Aretinus, & alij Nostrates passim.

ARTICVLVS PRIMVS.

Affirmatiua sententia statuitur.

AFfirmatiuam sententiam, vt probabiliorem, ac magis piam docet Scotus *loc. cit.* nimirum licitè posse Principes Christianos infidelium infantes eis subditorum baptizare ipsis inuitis, si præcaueri potest, ne occidantur à parentibus, ne baptizentur, & sit aliqua certitudo, quod tales infantes sint religiosè educandi; quibus cautelis adhibitis eandem sententiam amplecti videntur, licet profiteantur à Scoto dissentire quamplures Recentiores, & præsertim Vasquez *disp. 155. cap. 3. num. 29.* & Surianus *lib. 3. de baptismo c. 13.* vbi dicunt licitè baptizari posse infidelium infantes ipsis inuitis, & contradicentibus, quando iure, vel facto ità à cura parentum extrahantur, vt nulla spes remaneat, quin eorum potestati, & gubernationi subijciantur, ne irreuerentia fidei accidat ob apostasiam, pro qua sententia Surianus citat, non tantùm Vasquez loc. cit. sed etiam Catherinum, Soto, Caietan. Paludan. Victoriam, Durandum, & Henriquez; Sed his quoque cautelis adhibitis asserit Scotus sententiam affirmatiuam, non aliter, nec alio modo, nimirum, si præcaueri possit, ne à parentibus occidantur, & religiosè educentur, ne irreuerentia accidat fidei ob apostasiam: quarè velint, nolint, Recentiores isti, & alij, sic loquentes in Scoti sententiam relabuntur. 87

Hanc verò sententiam sic explicatam probat Doctor, quia nulla fit iniuria parentibus, si ipsis inuitis authoritate Principum, quibus sunt subditi, baptizentur eorum filij; nam quamuis parentes dominium super filios suos habeant, nihilominus maius dominium habet Deus; cùm ergo Deus velit paruulos baptizari, quia vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem veritatis venire, & Apostolis præcepit, Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos, &c. nulla fit iniuria parentibus, si contrà eorum voluntatem baptizentur, atque ideò licitè ex hoc capite fieri potest. 88

Confirmatur, quia quando dominia sunt subordinata parendum, est dominio superioris, contempto præcepto inferioris si illi contradicit; quod fusè probat Doctor ex doctrina Augustini; cum ergo Deus, qui est Dominus vniuersalis secundum legem naturalem, & euangelicam, omnium paruulorum, præcipiat eos per baptismum sibi consecrari, quamuis Pater infidelis, qui est Dominus particularis, velit oppositum, Princeps, qui est Minister iustitiæ, & habet potestatem coactiuam respectu subditorum ad defensionem innocentis, quia gladium Dei portat, poterit illos à parentibus auferre, & Deo consecrare per baptismum. Denique si Principes Christiani, non possent infidelium infantes eis inuitis baptizare, hoc ideò esset, quia parentes habent ius naturæ, vt prohibeant baptismum filiorum suorum, quo non debent, nec possunt priuari sine iniustitia: sed parentes non habent tale ius in filios, quia ius naturale non est contrarium iuri diuino, nec eius impeditiuum, siquidem gratia naturam non destruit, sed perficit; & parentes tenentur iure diuino suos paruulos baptizare, & permittere, vt à fidelibus baptizentur, & consequenter non habent ius naturæ ad eorum baptismum prohibendum; ergo Principes Christiani possunt infidelium infantes iustè, & licitè baptizare contrà eorum voluntatem: hoc est vnicum Scoti fundamentum, cui conantur Aduersarij multipliciter occurrere, quorum solutiones ad amussim singulas hic referre placet, & reijcere.

Primò respondet Caietanus cum cæteris Thomistis voluntatem diuinam adimplendam esse seruato ordine naturæ, 89

turæ, & iure naturali: vndè quia est contrà ius naturæ auferre filium à Patre, ideò infantes infidelium ipsis inuitis licitè baptizari non possunt, quamuis sit voluntas diuina, quod baptizentur; Sed falsitas huius solutionis patet ex modò dictis, nempè ex subordinatione iuris parētum in filios ad ius, quod habet in ipsos Deus, contrà quod nec iustè, nec licitè fit vsus domini inferioris; vndè Pater non habet ius nutriendi filium contrà ius diuinum.

Confirmatur, quia id non solùm in præiudicium iuris diuini resultaret, sed etiam ipsius filij, cui Pater non solùm ex præcepto diuino, sed etiam naturali, non secus ac de alimentis, tenetur prouidere de remedio ad salutem necessario; cùm ergò Princeps potestatem habeat coactiuam ad defensionem innocentis, alioquin non rectè consisteret politia inter homines a Deo constituta iustè, & licitè potest parentibus infantem eripere, ne morte spirituali pereat sine baptismo, quia nullum est ius parentis in filium in præiudicium salutis eius, & fidei, ac institutionis diuinæ. Tandem non obstante iure naturæ, quod habent parentes in filios, si vellent ipsos occidere potest, & debet Princeps eos liberare à manibus eorum ne occidantur; si ergo potest occisionem infantis vindicare quantùm ad vitam corporalem, poterit à fortiori vitam eius spiritualem defendere, quia hæc potior est.

90 Secundò respondet Vasquez *loc. cit.* cum alijs, quod licitè defenduntur infantes, & separantur a parentibus, quando iniusta vis ipsis infertur in rebus debitis iure naturæ, eo quod defensio hæc locum habeat solum contra vim, & fraudem iuri naturæ manifestè repugnantem; Parentes autem infideles non permittentes suos filios baptizari non inferunt eis talem iniuriam, neq; abutuntur patria potestate propriè contra legem naturæ, sed contra legem fidei, & contra pietatem non lumine naturali cognitam, sed solo lumine fidei notam.

Sed neque hæc solutio subsistit, quia ius naturale contra legem fidei non obligat, quicquid enim iure naturali conceditur in Decalogo continetur, & ad præcepta virtutum reducitur, quæ omnia lege fidei confirmantur; ergò pietas, in qua fundatur omne ius parentis in filium ratione propagationis non obligat contra finem ipsius, qui est cultus Dei, & recta prolis educatio ad salutem ordinata; atq; ideò nullum ius concedit parenti in filium contra debitum pietatis, qua tenetur filio salutem non tantum corporis procurare, sed etiam animæ, quæ per baptismum acquiritur; Quamuis autem hæc præcepta parentibus non sint nota lumine naturali, ijs tamen sufficienter propositis tenentur amplecti illa, nec amplius de ignorantia prætendere possunt, iuxtà illud Lucæ 12. *famulus cognoscens voluntatem Domini sui, & non faciens eam vapulabit multis*, & Matth. vlt. *Docete omnes gentes &c. qui non crediderit condemnabitur*, sed infideles sub Principe Christiano, & inter Christianos degentes ignorantiam fidei, & Baptismi prætendere nequeunt, vt praxis docet, coguntur namque in pluribus locis verbum Dei audire, & misterium, ac necessitatem baptismi, vt patet de Iudæis Romæ degentibus; ergò tales tenētur præcepto naturali filio prouidere de baptismo, & consequenter nullum ius habent educandi filium contra præceptum fidei in perniciem, & damnationem eius.

91 Tertiò Respondet Suarez 3. *p. tom. 3. disp. 25. sec. 3.* & cum eo Amicus *disp. 11. de baptismo sec. 7.* Principes temporales non habere auctoritatem corrigendi, & moderandi ea, quæ sunt supernaturalia, sed solum ea, quæ pertinent ad naturalem iustitiam, & honestatem: potestas enim politica est ab hominibus proximè, ac ideò per se, & directè non potest ea excedere, quæ sunt luminis naturalis, at lex baptismi, & eius obseruatio supernaturalis est, & ideò ad sæcularum potestatem non pertinet cogere ad eius obseruationem; vndè si liceret baptizare filios infidelium inuitis parentibus, hoc ad summum pertineret ad potestatem spiritualem Ecclesiæ, quæ immediatè data est a Deo. Sed neque hæc solutio satisfacit, quia Princeps sęcularis potestatem habet puniendi, & corrigendi parentes infideles, si in alijs virtutibus malè educant filios contra legem naturalem; ergò habet quoque potestatem corrigendi errorem in Religione, qui in publicum detrimentum redundat, cùm nihil magis sit de lege naturali, quàm cultus Dei verus, nihilque magis conducat ad pacem publicam, & Reipublicæ profectum; & quamuis Princeps sæcularis potestatem directam non habeat in ordine ad spiritualia, habet tamen indirectam, quando error in detrimentum communis vtilitatis vergit: & ideò cum hoc rectum, & iustum iudicatum est a potestate spirituali, potest Princeps temporalis executioni hoc mandare, vt minister potestatis spiritualis, quia vt dicebamus etiam ipse gladium Dei portat: & saltem ad Ecclesiam, & eius spiritualem potestatem pertinebit procurare, vt infantes Infidelium baptizentur.

Quartò Respondet Amicus *loc. cit.* pertinere ad Ecclesiam procurare, vt infideles eorumque infantes baptizentur, sed modo a Christo præscripto, lex autem Christi est, vt omnes tam adulti, quam non adulti baptizentur: sed liberè, vel propria libertate, vt adulti, vel dependenter a libertate parentum, vt infantes, vt seruetur naturalis ordo a Christo præscriptus. Sed quamuis hoc totum sit verum de adultis, hæc tamen ratio cessat omninò in paruulis, qui libertatis vsu carent: ergo ex religione licitè potest Princeps impedire, ne tales in infidelitate crescant cum Deus libertatem paruuli non exigat: Et frustra recurritur ad libertatem parentum, quia vt idem Amicus *sec. illa 7.* ab initio arguebat contra Durandum, Paludanum, & alios, falsum est validitatem, & conuenientiam baptismi paruulorum pendere a voluntate parentum, vel eorum, quorum curæ commissi sunt, cum nullum huius rei possit sufficiens assignari fundamentum; vel enim esset ex propria institutione huius sacramenti: & hoc non, cum enim sit sacramentum paruulis ad salutem summæ necessarium debuit ab omni extrinseco parentum consensu esse independens, ne defectu talis consensus sæpè frustraretur salus: Vel esset ex aliqua Ecclesiæ auctoritate, & hoc non, quia nulla talis assignari potest; Vel colligeretur ex praxi Ecclesiæ, & hæc potius est in contrarium, quia nunquam consueuit rebaptizare infantes contra volũtatem parentum baptizatos. Vel tandem ex paritate consensus, qui in adultis requiritur. Et neq; ex hoc colligi potest, quia cum adultis sit sui iuris in ordine ad salutem æternam, quam Deus non decreuit adultis dare, nisi liberè cooperantibus necessario ad eorum baptismum proprius requiritur ipsorum consensus; Infantes verò, cùm non sint sui iuris, in ordine ad ea, quæ ad æternam eorum salutem spectant, debuerunt vtique ab alterius voluntate pendere; sed hæc non necessario debet esse parentum; quia in his, quæ ad iustificationem spectant, voluntas parentum non censetur voluntas filij, nisi in iure ciuili ad aliquos effectus ciuiles à voluntate Reipublicæ pendentes; sed sufficit vel Ecclesiæ voluntas vt suprà dictum est; vel voluntas vniuersalis Christi, qua statuit, vt quocunque baptismus huiusmodi paruulis conferatur, cum intentione faciendi, quod ipse fecit, & statuit; illis prodesset ad salutem; etenim sicut sola Adami voluntas sufficiens fuit, vt omnes ab eo descendentes generarentur peccatores; ita sola voluntas Christi sufficiens fuit, vt omnes regenerarentur iusti, cum non minus efficax sit Christi meritum ad iustificandum, quàm Adami demeritum ad damnandum, vt benè discurrit Amicus loc. cit.

Quintò Respondent alij, non esse contrà ius paternum baptizari infantem ipso inuito, sed esse contrà ius paternum separationem infantis ab eo, quæ tamen necessaria foret ad euitandum Apostasiæ periculum, cùm ad vsum rationis peruenit. Sed in primis falsum est talem separationem infantis esse necessariam ad euitandum apostasiæ periculum, nam absque vlla separatione infantis posset ei prouideri apud parentes relicto donec vsum rationis attingat: & tunc absque eorum iniuria talis separatio fieri potest, quia tunc eis non subest in his, quæ ad salutem spectant: Deindè, vt arguit Hiquæus *4. d. 4. q. 9.* si non est contra ius paternum infantem eis inuitis baptizare, minus erit contrà idem infantem baptizatum separare, si statim sit necessaria talis separatio, vt v. g. ad euitandam infantis occisionem, vel aliud malum, quia suscepto baptismo iam transit in ius ecclesiæ, & præualet valor fidei, & sacramenti: Consequentia patet, quia accessorium sequitur naturam principalis; ergò si iure sit baptismus infanti parentibus inuitis, idem quoque de separatione dicendum erit, cùm ratione baptismi nouus acquiratur titulus infanti, & Ecclesiæ contrà parentes. 93

Sextò tandem Respondent alij, quod etiamsi concedatur hoc fieri posse absque vlla parentum iniuria, adhuc tamen licitè non fieri, quia dato quoque casu, & seruatis omnibus cautelis etiam à Scoto assignatis, adhuc tamen sine aliquo scandalo fieri non posset; & ideò in nullo casu ipsis inuitis est licitum: ad minus enim sic faciendo redderetur fides odiosa apud infideles, qui similiter eadem violentia vterentur circa infantes fidelium, quos rapiunt. 94

Sed

Sed hoc quoque sine vllo dicitur fundamento; quia in primis ex parte infantis nullum scandalum esse potest, sed potius maxima ædificatio, cùm eius saluti rectè prouideatur, quod si scandalum contingat ex parte parentum, hoc sanè, vt inquit Hiqueus, nequit esse, nisi Pharisaicum, quia iam supponuntur dati in reprobum sensum; Et quod etiam additur de odio fidei apud infideles, parum valet, quia apud eos iam in sua infidelitate obduratos vix sic faciendo potest fides reddi magis odiosa, quàm modo fit artificio Dæmonis; & denique casus noster intelligitur practicandus, quando absit periculum maioris damni, vt docet Doctor in cautelis ab ipso assignatis.

95 Postremò probatur nostra conclusio ex concessis ab ipsismet Aduersarijs, qui in nonnullis casibus concedunt posse infidelium infantes inuitis parentibus baptizari, in quibus currit eadem difficultas de læsione patriæ potestatis, quam contra nos vrgent in proposito. Primò enim concedunt filios Hæreticorum, & Apostatarum inuitis parentibus baptizari posse, cùm ratione baptismi suscepti Ecclesiæ sint subiecti; ex quo sic argumentor, baptismus, siuè fides suscepta non aggrauat legem naturæ, neque præiudicat iuri parentum in filios, quia fides confirmat legem naturalem, ac proindè non tollit ius parentum in filios, aliàs essent peioris conditionis in hoc fideles, quàm infideles, & Iudæi, sed filij hæreticorum secundum Aduersarios inuitis parentibus baptizari possunt auctoritate Principum, & Ecclesiæ; ergo pari ratione infidelium subditorum filij poterunt auctoritate Principis baptizari inuitis parentibus sine præiudicio iuris paterni. Secundò concedunt filios infidelium Principibus Christianis seruiliter subiectorum licitè baptizari posse inuitis parentibus: sed seruitus politica non magis inducit potestatem in Dominum in præiudicium potestatis paternæ, quàm præceptum diuinum naturale, quo tenentur parêtes prouidere filijs de necessarijs ad salutem; seruitus enim non est inducta iure naturali, sed iure politico, aut gêtium, quorum neutrum præiudicare potest iuri naturali, quod est reliquorum fundamentum, si ergò Principes possunt absque præiudicio patriæ potestatis filios auferre à seruis suis infidelibus, & ipsis inuitis baptizare, vel si seruitus præiudicat potestati paternæ in filios, vt eo inuito baptizari possint, idem dicendum erit de filijs infidelium ciuiliter subiectorũ, quod præceptum Dei, & iuris naturalis quo Pater tenetur filijs de educatione necessaria ad salutem, præiudicat eidem potestati paternæ, quia hoc strictius obligat in ordine ad Deum, & ad ipsum infantem, quàm titulus seruitutis in ordine ad Dominum politicum.

96 Rursus concedunt Aduersarij in extrema necessitate, ac certo mortis periculo posse infantem infidelium ipsis inuitis baptizari; sed hoc esset falsum, si potestas paterna præiudicaret necessitatis infantis, & præcepto charitatis, quo alius in extrema necessitate constituto subuenire debet; si ergo Princeps potest in probabili mortis periculo infantibus infidelium subuenire per remedium baptismi etiam inuitis parentibus, idem quoque dicendum erit in nostro casu; Nec valet dicere in eo casu, scilicet, mortis periculo cessare patriam potestatem, quia mortis periculum non tollit ab eo tale ius, sed perseuerat etiam supra cadauer; ergo si in eo casu nullum sequitur absurdum ex violatione talis iuris ob solum charitatis motiuum, idem quoque dicendum erit in nostro casu; Demum concedunt etiam Aduersarij, quod filius perueniens ad vsum rationis potest inuitis parentibus baptizari, si ipse consentiat, quia in his, quæ salutem concernunt, non subest Patri, quando proprij consensus ipse est capax; sed vsus rationis in filio nihil derogat patriæ potestati; quia in omnibus reliquis est illi subiectus, saltem quandiù est impubes; ergò ideò ad ea, quæ salutem concernunt, non ei subest, quia in fauorem fidei, & salutis à potestate paterna eximitur, quando his repugnat, & ideò quando etiam est infans patriæ potestati non subijcitur in præiudicium fidei, & propriæ salutis.

97 Ex quibus omnibus deducere licet, vt optimè deducit Hiqueus *loc. cit.* ius parentis in filium nullum esse in præiudicium salutis eius, & fidei, ac institutionis diuinæ, ac proindè, posse Principem sine læsione iuris patriæ potestatis eo inuito filium eius baptizare; Vndè aliud est parentes habere ius in filium infantem, & aliud est prædictum ius cum circunstantijs iam explicatis subsistere; Et quidem Aduersarij ipsi in quæstione de legis naturalis dispensatione passim concedunt materiam eius accedente noua circumstantia ità variari, vt desinat obligare, vt pluribus exemplis constat; quia non vrget præceptum naturale de non auferenda re aliena inuito domino, quando præualet extrema necessitas: non ligat præceptum de restitutione debiti, quando vrget necessitas grauissima debitorem; non tenet obligatio contractus matrimonialis inter infideles quæ est iuris naturalis, altero coniugum ad fidem conuerso, in præiudicium fidei, & religionis, quando subest tale periculum; non vrget ipsa subiectio filij parentibus, quando ad vsum rationis peruenit, cum periculo subuersionis propriæ, & sic in multis alijs, quæ sunt de lege naturæ; Quamuis ergo parentes ius habeant in filios, illud tamen non extenditur ad materiam in quauis circumstantia, quæ eam omninò mutat, qualis est quælibet ex dictis; vndè contendit Doctor patriam potestatem non ità esse intelligendam, quasi extendat se contrà potestatem Dei in eundem infantem, neque in præiudicium ipsius infantis, neque fidei, & cultus diuini, quia est potestas subordinata; nec tenet contrà potestatem superiorem, nec contrà ius tertij ipsius, scilicet, infantis, nec tenet contrà debitum fidei, & cultus diuini, quod strictius ligat, nec tandem tenet vniuersaliter contrà iustitiam.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Soluuntur Obiectiones, & quid dicendum de infidelibus adultis resoluitur.

IN oppositum Primò obijciunt; lex diuina non aufert ius naturæ, sed illud confirmat, quia est auctor vtriusque; 98
sed de iure naturæ filius est sub cura parentum, & est aliquid illorum antequam ad vsum rationis perueniat; ergo fit contrà ius naturæ, si infans à cura illorum auferatur, & aliquid de eo ordinetur ipsis inuitis; atque ideò non potest quis licitè filium baptizare inuito parente, quia illicitum est quicquid fit contra ius naturæ. Confirmatur, quia baptizare filios eorum est ipsos sub trahere à potestate ipsorum; sed hoc licitè fieri non potest, sicut non possunt auferri ab infidelibus ipsis inuitis alia bona, quæ possident, & quorum habent dominium. Demum voluntas Patris censetur voluntas filij, donec caret vsu rationis; ergo si non vult Pater Filium baptizari, censetur & filius noluisse.

Respondeo hanc rationem, cui adeò fidunt Thomistæ, ab iniuria parentibus facta desumptam leuis esse momenti, vt etiam fatetur Vasquez *disp. 155. cit. cap. 2.* quarè nisi aliud obstaret, ratione illius iniuriæ, quæ fieret parentibus, non esset vetitum eiusmodi paruulum illis inuitis baptizari; quamuis enim subtrahere infantem à cura parentum sit contra ius paternum; tamen aliquid circa filium facere secundum fidem nostram, quod Pater non facit nec permittet fieri, cũ tamen facere deberet, aut permittere, contra ius patriæ potestatis censeri non debet, inquit Vasquez; quia ad hoc patria potestas, quæ est diuinæ potestati subordinata, non se extendit, vt declaratum est *nu. 97.* Addit Aretinus *4. dist inct. 3. quæst. 9. art. 1.* quod quamuis iure naturæ prolis educatio parentibus competat, tamen quando Pater malè vtitur iure suo, & proli iniuriam facit, potest iustissimè suo iure priuari, & proles ab eo auferri; sicut quamuis maritus iure diuino habeat ius suprà corpus vxoris, quando tamen malè vtitur iure suo, potest Iudex iustè vxorem protegere, atque eam à mariti potestate liberare; Sed melius ait Faber *disput. 15.* in tali casu propriè loquendo Patrem non amittere ius in filium per abusum patriæ potestatis in cura filij, sed potius quod nullum habet ius in filium, nec vllam potestatem in tali casu, quo contra facit legi diuinæ, quia ad hoc patria potestas non se extendit, vt suprà dictum est. Ad Confirmationem dicendum cum eodem Fabro, quod licet Pater habeat potestatem in filios, hanc tamen limitatam habet, & diuinæ potestati subordinatam, ita quod non est omninò dominus filii, vt est bonorum temporalium; & ideò in his, quæ sunt contrà ius diuinum paterni iuris explicatiuum, non habet ius in filium, noster autem casus est de iis, quæ sunt contrà ius diuinum, & ideò in hoc casu non habet potestatem in filium, nec illi fit iniuria, vt fieret in ablatione bonorum temporalium, in quibus habet absolutam potestatem; Quibus etiam addendum est, quod etiam alia bona possunt ei auferri, quando cum illis bonis vellet alios damnificare, & sic etiam possunt ei auferri filii, quia maximum damnum eis infert, dum baptismum prohibet, qui est illis ad salutem maxi-

maximè necessarius; & sicut iustè possunt ei bona auferri; si peruersè illis vtatur in damnum tertij; sic etiam priuari potest iure, quod habet in filios, si eo vtatur in eorum perniciem.

99 Ad vltimum iam supradictum est voluntatem Patris censeri voluntatem filij in iure ciuili tantum ad aliquos effectus ciuiles à voluntate Reipublicæ pendentes, & in his, quæ ad humanum victum spectant, & vitam corporalem non autem in his, quæ spectant ad salutem, & vitam spiritualem, vndè si filius infans, vel impubes obligaretur à Patre ad onus temporale seruiendi, vel soluendi, in adulta ætate, teneretur stare illi obligationi; at si obligaretur ad sequendam sectam Mahometi, vel alicuius Hæretici, non teneretur. Dices, sicut adulti ordinantur in Deum per propriam voluntatem, ità paruuli ordinantur in Deum per voluntatem parentum; ergò sicut infertur vis ad credendum adulto, qui contrà voluntatem propriam baptizatur ità infertur vis paruulo, qui contrà voluntatem Patris baptizatur; cùm enim habeat ius impeditum, & remotum, nec proprium possit præbere consensum, reputatur voluntas parentum tanquam eius propria; vndè sicut creditur tunc temporis paruulum velle ordinari in Deum, & velle baptismum, quando Pater eius vult ipsum baptizare; ità tunc temporis credendum est paruulum non velle ordinari in Deum, & non velle baptizari, quando Pater non vult eum baptizari.

Respondeo, si interpretari licet voluntatem infantis præsentem, vel futuram, illa interpretanda est, quæ ad eius salutem, & vtilitatem tendit, non quæ ad eius ruinam, & perniciem; vndè tunc credendum est voluntatem paruuli consentire cum voluntate parentis, quando parens illud vult, quod paruulo est vtile, & ad salutem necessarium; hoc enim est, quod vellet infans, si ad vsum rationis perueniret, nec vllo errore esset detentus; & è contrà tunc credendum est paruulum non consentire cum voluntate Patris, quando Pater ei denegat, quod est vtile, & ad salutem necessarium; quando enim non constat de opposito, semper in partem meliorem voluntas infantis est interpretanda, vt benè discurrit Aretinus *loc. cit.* quia filius portare non debet iniquitatem Patris, nec ei subesse quoad hoc; & si filius quando ad vsum rationis peruenit, non est in potestate Patris, quoad ea, quæ sunt salutis, quando obest; tantò minus bonitati diuinæ congruum erat sub eius potestate iniqua eum constituere, quando caret vsu rationis; & sibi subuenire non potest.

100 Secundò obijciunt, si inuitis parentibus baptizarentur infantes, vel fieret iniuria sacramento, vel ipsis parentibus; nam aut tales infantes baptizati relinquerentur sub cura parentum, atque hoc modo esset euidens periculum, & ferè moralis certitudo apostasiæ infantium, cum in adultam ætatem peruenerint, tùm propter affectum ergà parentes, tùm propter ignorantiam misteriorum fidei; Aut statim baptizati subtraherentur à potestate parentum; hoc autem est contrà naturale ius, quod habent parentes erga filios, quod ius parentum noluit Christus per legem baptismi violari; cuius euidens signum est, quod nunquam hactenus id Ecclesia tentauit, cùm tamen sæpè commoditatem habuerit, & de facto habeat baptizandi infantes Iudæorum, quorum parentes multi subsunt potestati ciuili Ecclesiæ; & hac præsertim ratione vtuntur Vasquez, Amicus, Caspensis, Surianus, & alij Recentiores, quæ ratio fuit Riccardi.

101 Respondeo negando consequentiam, quia nec fieret iniuria sacramento, neque parentibus; si enim primo modo ponatur casus, quod infans baptizatus relinquatur sub cura parentum infidelium, licet adsit manifestum apostasiæ periculum, adhuc tamen baptismus non esset omninò frustra, ac illi inutilis, adhuc enim valdè illi deseruiret, si moreretur, antequam ad vsum rationis perueniret, vt facilè contingere posset; vndè videtur, quod saltè hac de causa posset licitè infantibus infidelium ministrari baptismus ob hanc solum vtilitatem, non obstante quod etiam contingere potest quod illam non adferat casu, quo non moriatur, antè apostasiam vt Poncius aduertit *disp.42.q.6.nu.* 37. vbi addit, quod etiam post apostasiam posset illi vtilis esse, quia talis apostasia non esset ei peccaminosa, & culpabilis, nisi sufficienter ei proponerentur misteria nostræ fidei, atque ideò potest ei proficere, quosque mortaliter peccaret, vndè si post apostasiam multis annis viueret cum inuincibili ignorantia misteriorum nostræ fidei sine peccato mortali, vitam consequeretur æternam ratione baptismi suscepti, quæ sanè est valdè considerabilis vtilitas; Si verò secundo modo ponatur casus, quod infans baptizatus a cura parentum abstrahatur, vt melius factum putat Doctor, dum supponit in cautela ab ipso assignata, quod tales infantes sint religiosè educandi; nulla etiam fit iniuria parentibus, quia non habet ius ex natura, aut ex alio capite in filios ad perniciem ipsorum, nec corporalem, nec spiritualem; Imò potius de lege naturæ tenentur baptismum filijs prouidere, si cognoscerent esse medium ad eorum salutem necessarium, vti credendum est de infidelibus Ecclesię, vel Principibus Christianis subiectis, quibus misteria nostræ fidei supponuntur sufficienter proposita ob continuam cum Christianis consuetudinem.

Ex eo autem, quod Ecclesia, quæ tenetur prouidere de medijs ad omnium salutem necessarijs, nunquam talem baptizandi modum præceperit, aut consulerit; non benè deducitur, quod sit illicitus, sed solum quod non sit expediens ob periculum æqualium, aut maiorum malorum, quæ ex tali præcepto prouenire possent, vel consilio de hac re; vt enim inquit Apostolus 1. Corint. 6. multa licent, sed non omnia expediunt; vndè quamuis hic baptizandi modus per se sit licitus, per accidens tamen non expedit, quia non ita facile occurrunt cautelæ illæ à Scoto assignatæ, & propter multa inconuenientia, & scandala, quæ interdum sequerentur ob illarum cautelarum defectum; & id etiam aliquando factum est, vt colligitur ex *cap. de Iudæis dist.* 45. & quamuis posteà prohibitum sit in Concilio Toletano 4. factum tamen non damnat, vt illicitum, imò Principem Assebutum, qui hoc fecit, commendat Concilium titulo Religiosissimi Principis, vt notat Doctor *loc. cit.* sed deinceps id prohibuit propter inconuenientia, quæ indè sequebantur, & ne exosa fides fieret, & tãquam violenta eius susceptio existimaretur, ideoque ab hoc modo baptizandi abstinet Ecclesia, quia non ita facile occurrunt cautelæ illæ à Scoto desideratæ; Habemus etiam exemplum sæculo præterito Ferdinandi Catholici, & aliorum Regum Hispaniæ, qui Mauros, & Iudæos, ad baptismum compulerint, inter quos non est dubium plures fuisse inuitos ad baptismum proprium, & filiorum, quod tamen factum Ecclesia non damnauit, sed approbauit; Et Ioannes Boterus in sua Historia *par.* 3. *lib.* 2. testatur præfatos Reges de consilio peritorum in hoc secutos esse peculiarem Scoti Doctoris nostri opinionem. 102

Tertio obijciunt, Principes temporales potestatem non habent ad ea, quæ sunt supernaturalia, sed solum ad ea, quæ pertinent ad naturalem iustitiam & honestatem, sed suscipere baptismum est opus ad supernaturalia, pertinens; ergo potestati non subest Principum temporalium. Confirmatur quia in Concil. Tolet. cit. improbatur factum Principis Assebuti, qui Iudæos quosdam sibi subditos ad suscipiendum baptismum coegerat; vndè prohibuit deinceps vim inferri Iudæis his verbis Can. 56. *De Iudæis autem præcipit Sancta Synodus nemini ad credendum vim inferri*: ergo non licet inuitis parentibus etiam ciuiliter subiectis eorum filios baptizare. Denique dicit Apostolus 1. Corint. 5. *quid ad nos de his, qui foris sunt, iudicare?* quasi dicat Prælati Ecclesiæ solum habent spiritualem potestatem super fideles; sed paruuli infidelium sunt extrà Ecclesiam ergò; Ecclesia licitè eos baptizare non potest, & tantò minus id procurare Principes sæculares. 103

Resp. ex dictis *nu.* 91. quod licet Principes temporales potestatem non habeant directam in ordine ad spiritualia, habent tamen indirectam, quando error vergit in detrimentum Reipublicæ: & constat ex communi praxi quod Principes Ecclesiastici, & seculares ex eorum permissione, & commissione puniunt infideles publicè Deum blasphemantes, & Iudæos sortilegos, & periuros, debent enim inter cætera illæsum seruare ius Dei, quia ad hoc præsertim ordinatæ sunt a Deo potestates. Ad Confirmationem loquitur ibi Concilium de adultis, nos autem hìc loquimur de infantibus, qui nec inuitè, nec voluntariè in tali casu baptizarẽtur, sed negatiuè se haberent; illi enim propriè vis infertur, qui cogitur facere contrarium, quod ipse vellet; at infans, qui contrà voluntatem Patris baptizatur, nõ cogitur facere oppositum, quod ipse vellet, nam si haberet vsum rationis, nec esset errore detentus, credendum est, quod vellet baptismũ quia sibi ad salutem est necessarius. Ad vltimum, illis verbis innuit tantùm Apostolus Ecclesiam non habere potestatem super

super infideles ad coercendum, & expugnandum illos ratione infidelitatis; non negat tamen habere potestatem ad liberandum innocentem ab eorum potestate, & tyrannide; ideoq; cum paruulus sit innocens, potest Ecclesia eius liberationem procurare à parentibus infidelibus, consecrando illum Deo per baptismum.

104 Quartò tandem obijcitur, quia si benè ponderentur rationes à Scoto adductæ in fauorem infantium, non solum probant de infantibus parẽtum infidelium Principibus Christianis ciuiliter subiectorum, sed etiã infidelium nullatenus subiectorũ; quos tamen ab initio quęstionis diximus non licitè, baptizari posse parentibus inuitis. Imò ratio à Scoto adducta ex motiuo Religionis desumpta, nedũ probat de infantibus, quod baptizari debeant inuitis parentibus, sed etiam de adultis, quod cogi possint ad baptismũ suscipiendũ quia inquit teneri Principes zelare Dei cultũ supremũ, quia maxima fit irreuerentia Deo, cùm nomen eius tota die vel dicto, vel facto blasphematur, & eius lege publicata permittitur sectã eorum augeri, qui eũ sunt blasphematuri; Vndè cócludit Doctor his verbis; Imò quod plus est crederem religiosè fieri, si ipsi parentes cogerentur minis, & terroribus ad suscipiendum baptismum, & ad conseruandum posteà susceptũ, quia estò, quod ipsi non essent verè fideles in animo; tamen minus malum esset eis, non posse impunè legem suam illicitam seruare, quàm posse liberè eam seruare; item filij eorum, si benè educarentur, in tertia, & quarta generatione essent verè fideles, ita Doctor *l. cit.* At periculosam inquiunt Thomistæ, esse hanc assertionem, & in Ecclesia nouam, quia fides est voluntaria & ideò nemo cogi debet ad credendum, nam hoc est contrà naturam fidei, & Christus præscribens modum promulgandi legem suam, non dixit, vt minis, & terroribus inducerentur gentes ad credendum, sed docendo, & persuadendo; ait enim prædicate Euangelium, & docete omnes gentes, qui crediderit, idest, sponte sua, saluus erit.

105 Respondeo non deesse Scotistas indifferenter asserentes posse licitè baptizari infantes quorumcunque infidelium siuè subditorum Principibus Christianis, siuè non, parentibus inuitis, quia saltem indirectè videtur Ecclesia hanc potestatem habere ipso iure naturæ, quia potestas defendendi innocentes omnibus est iure naturæ concessa; sed si infantes sunt innocentes, & summam iniuriam à parentibus patiuntur, & maximum detrimentum, dum eis impediunt baptismum ad eorum salutem necessarium; ergò licet eos defendere, & iure eripere, si opus fuit, de potestate parentum, vt securè baptizentur; Verùm Doctor hoc tantum asserit de infantibus infidelium Christianis subiectorum siquidem infideles huiusmodi inter Christianos degentes ignorantiam fidei, & baptismi prætendere nequeunt, & ideò cum sub nullo specioso prætextu abutantur iure naturali, quod habent in filios, in perniciem, & damnationem eorum, meritò tali iure priuari possunt, & licitè ab eorum educatione filios remouere; At infideles Christianis non subditi, neque cum eis consuetudinem habentes ignorantiam fidei, & præcepti baptismi prętendere possunt; & fortè etiam inculpabiliter putare se obligatos non esse ad profitendam fidem baptismi; & infidelitatem suam esse meliorem, quàm veram fidem; ideoque cum non ita manifestè, & culpabiliter abutantur patria potestate in filios, sicut abutuntur infideles Christianis subiecti, ac inter eos degentes; non videntur ità licitè priuari posse iure naturali, quod habent in filios, sicut isti; neque manifestam, & sibi notam faciunt filijs iniuriam, sicut isti; ideoque rationes à Doctore allatæ euidentius concludunt intentum de filijs infidelium Christianis subiectorum, quam de alijs.

106 Ad id tandem, quod additur de adultis infidelibus, quod in aliquo casu cogi possint ad baptismum suscipiendum, nego hoc nostræ fidei alienum quamuis enim via ordinaria, & à pietate nostræ fidei alienum, quamuis enim via ordinaria, & vsitata promulgandi diuinam legem, ac nostræ fidei dogmata sit talis, qualis effertur à Thomistis; hæc tamen non excludit, nec prohibet viam extraordinariam inducendi gentes ad credendum interdum per terrores, & minas, quando id occasio postulat ad maius malum euitandum. Et hoc etiam euidenter colligitur, ex Scripturis; Deus enim in forma Patris familia vocauit liberè ad cœnam illam magnam seruos suos; sed alios renuentes contempsit, alios verò induxit per *compelle intrare*; Et hoc idem insinuat D. Paulus ad Timot. dùm inquit; *Prædica verbum, insta opportunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia, & doctrina*. Hinc D. August. ad Vincentium epist. 42. loquens de quibusdam legibus imperialibus contrà Hæreticos publicatis ait. Harum legum terror, quibus promulgandis Reges seruiunt Domino in timore, ita profuit, vt nunc alij gratias agunt Domino, quod vincula nostra disrupit, & ad pacis vinculum transtulit, & quamuis August. hic de Hæreticis loquatur; eadem tamen quoad hoc est ratio de Iudæis.

Quando autem inquit Doctor posse licitè in aliquo casu terroribus, & minis infideles compelli ad fidem, intelligendus est de minis, & terroribus in materia ciuili, & exilio; non autem de minis, quæ tendunt ad mortem, vt hic aduertunt Aretinus, & Hiqueus; hoc enim prohibuit Concil. Toletanum cit. cap. de Iudæis d. 45. loquitur enim ibi de terroribus, & minis, quibus tormenta succedunt, & mors corporalis; non autem priori modo, nam, vbi detrimentum publicum vrget, & periculum vel proditionis, vel rebellionis, aut etiam subuersionis fidelium, rectè prior necessitas ipsis potest imponi, & hunc modum practicauit Ferdinandus Hispaniarum Rex, vt habetur L. Cunctos C. de sum. Trin. qui Mauros, & Iudæos, qui non baptizarentur, iussit è Regno discedere, cuius exilij timore quamplures baptismum susceperunt, inter quos non est dubium fuisse multos inuitos ad baptismum, vt supradictum est; Quod autem in adductis casibus ad maius malum euitandum licitè possint, non tantùm Apostatæ, sed etiam Infideles ad baptismum cogi, probat Doctor 4. *d.* 4. *q.* 4. sub D. quia est regula communiter recepta, quod in casu angustiæ, & necessitatis de duobus malis minus est eligendum ad vitandum maius, quando vtrumque euitari non potest ex *d.* 13. *cap. duo mala*; cùm ergo hæc sint duo mala cogere infideles ad baptismum, & permittere eos impunè gentilitatis ritus, vel alterius sectæ seruare; vtique re benè perpensa minus malum est primum, quàm secundum; actus enim suscipiendi baptismum, & fidem nostram ex suo genere bonus est, & licitus, imò & debitus, & solum in tali casu necessitatis redditur malus ex circumstantia, quia receptio baptismi libera esse deberet, & voluntaria, non coacta; è contra verò seruare gentilitatis ritus, vel Mahometicæ legis malum est ex genere, & maximum peccatum, quia post sufficientem Euangelij promulgationem tenetur vnusquisque legem nostram amplecti, & baptizari; ergo Principes Christiani in tali casu, si cogant infideles sibi subditos ad fidem recipiendam minus malum eligent, quam si iniquos permittant seruari ritus Deum blasphemando, & legem Christi contemnendo; & minus malum est infideli, quod inuitus seruet legem Christianam, quam quod impunè permittatur agere contra eam; quia vniuersaliter loquendo (inquit Doctor) minus malum est inuitum aliqua bona facere, & mala fugere, quàm liberè, & impunè mala agere, & bona dimittere; ex qua doctrina facilè soluuntur quæcumque contrà hanc assertionem solent vrgere Thomistæ, quibus ex professò occurrunt Faber *disp.* 16. *cap.* 2. & Centinus *disp.* 6. *cap.* 2. *art.* 2. 107

QVÆSTIO QVINTA.

Quæ dispositio ex parte recipientis necessaria sit in adultis ad validitatem Baptismi.

EX dictis in fine præcedentis articuli, quod, scilicet, in quibusdam casibus possunt infideles adulti terroribus, & minis compelli ad baptismum suscipiendum, noua insurgit difficultas, an tales adulti in eo casu verum reciperent sacramentum; & ratio dubitandi est, quia ad validitatem baptismi necessarius est ex parte adulti baptizandi aliquis voluntarius consensus, quo velit baptismum suscipere, nullus enim adscribitur familiæ Christi inuitus, vt habetur c. 23. Prou. vbi Deus prius exigit cor ab eis, qui suæ familiæ sunt adscribendi dicens *fili præbe mihi cor tuum*, nolens aliquem omninò inuitum suæ familiæ adscribi; & hoc etiam certum ex praxi Ecclesiæ, quæ nunquam adultum baptizat nisi prius illum interroget, an velit, & respondeat, velle, aut saltem sibi constet, quod anteà baptismum petierit, quod etiam docuit Innoc. Tertius cap. *Maiores* de baptismo, & eius effectu; vndè posteà etiam Paulus V. in suo Rituali 108

de Adultorum baptismo monet non nisi volentem esse baptizandum, amentes verò, qui lucida habent interualla, esse baptizandos, dùm mentis sunt compotes, vt suum possint præbere assensum; Et hoc tandem colligitur ex verbis Christi Marci vltim. dùm loquens de baptismo adultorum inquit, *qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit*; quæ auctoritates non solùm probant requiri consensum baptizandi ad recipiendum effectum baptismi, qui est ipsa gratia regeneratiua cum remissione totius culpæ, & pœnæ; sed etiam ad validitatem ipsius baptismi, quatenus est symbolum sensibile imprimens in anima characterem collatiuum gratiæ regeneratiuæ; hæc autem communis doctrina Patrum, Conciliorum, & Scholasticorum iam dictis repugnare videtur, quod in aliquo casu possint infideles adulti terroribus, & minis cogi ad suscipiendum baptismum, nam in eo casu verum non reciperent sacramentū, cū supponantur accedere inuiti.

ARTICVLVS PRIMVS.

Resolutio Quæstionis.

109 HAnc difficultatem tractat Scotus ex instituto 4. *dist.* 4. *quæst.* 4. vbi quærit an dultus non consentiens possit effectum baptismi recipere; eamque resoluit per distinctionem, quod non consentiens potest intelligi, vel contrariè vel negatiuè tantùm; hoc secundo modo negat tantùm actualem consensum, primo verò modo ponit actualem dissensum, & patet hæc distinctio, quia non est idem non velle, & nolle; dissentire contrariè rursus potest contingere dupliciter, vel contrariè simpliciter, vel contrariè secundum quid tantùm, quod explicat Doctor declarando, quid sit velle aliquid simpliciter, & quid velle secundum quid, ille vult simpliciter, qui actualiter eligit aliquid, vt fugiat aliquod incommodum, quod si aliter euitare posset, vtique illud non vellet; sic proijciens merces in mari ad euitandam mortem ex procella imminentem, dicitur velle illam proiectionem simpliciter, licet secundum quid illam non vellit, si nimirum posset aliter vitam saluare; simpliciter ergò volens proijcit, & secundum quid nolens, hoc est, sub conditione nolens, quia nollet, si posset alio modo saluare vitam; sic igitur in proposito, baptizari simpliciter non consentit contrariè, qui absolutè baptizari non vult producendo positiuum actuum nolitionis baptismi; secūdum quid autem contrariè non consentit, qui vellet non baptizari, si posset euitare incommodum, quod sibi timet euenturū non suscipiendo baptismū, & quia illud effugere non valet, nisi baptizetur; ideò vult baptizari; Vt si quis Princeps alicui infideli sibi subdito intimaret, vt baptismum susciperet, alioquin tormenta subiret, vel exilium à regno, & ille ne tale incommodum pateretur, in baptismū consentiret, vellet simpliciter baptizari, sed dissentiret secundum quid, quia si posset aliter incommodum illud euadere, non consentiret; His declaratis.

110 Primò dicit Doctor, adultum ratione vtentem, & contrariè simpliciter dissentientem non validè baptizari, quod probat, quia Deus per Sapientem dicit Prou. 23. *Fili præbe mihi cor tuum*, nolens aliquem omninò inuitum familiæ suæ adscribi; suscipiens autem baptismum adscribitur per hoc familiæ Christi; & subdit, quod si talis non consentiens hoc modo reclamat signo exteriori suum manifestans dissensum, non cogetur ab Ecclesia ad legis Christianæ obseruantiam; si verò non reclamat, cogetur, quia Ecclesia iudicat de manifestis, & quia tacet præsumitur cōsentire, vt patet de reg. iuris in 6. qui tacet consentire videtur. Neque inquit Doctor, in hoc argui potest Ecclesia, quod isti nolenti simpliciter, & tamen nō reclamanti fiat iniuria; minus enim malum est sibi, quod inuitus feruet legem Christianam, quàm quod impunè permittatur agere contrà eam, quia minus malum est inuitum aliqua bona facere, & mala fugere, quam liberè, & impunè mala agere, & bona dimittere.

111 Secundò dicit, quod si dissensus ille sit tantùm secundum quid, simpliciter verò consentiat, sacramentum est validū, si nimirum baptizari consentit eo modo, quo Ecclesia facere intendit, scilicet, si consentiat non tantùm in illam ablutionē, tanquam in quoddam lauacrum, sed in ablutionem eo modo, quo illam intendit facere Ecclesia, quod probat, quia talis consentit simpliciter, & est simpliciter volens, licet secundū quid sit nolens, nam qui vult aliquid, vt aliquod incommodū effugiat, simpliciter vult illud, licet secundum quid sit nolens, vt explicatum est exemplo proijcientis merces in mari, quomodo verò aliquis consentire possit in eam ablutionem suscipiendam eo modo, quo confertur ab Ecclesia, & tamen nollet, si posset euadere tormenta, quia non credit baptismū aliquid valere aptissimo exemplo declarat Doctor; vt si aliquis non credens verba incantationis posse habere aliquem effectum, se tamen incantari permittat, hoc est, consentiat Incantatorem verba incantationis suprà se proferre ea intentione, qua solet ea dicere, dùm incantationem efficit, dicens in corde suo, valeant quantum valere possunt; eiusmodi homo verè diceretur incātatus; & si talis incātatio super aliquē diceretur consecratio Diabolo, ille foret, & censeretur Diabolo consecratus; sic ergò pariter, qui consentiret se baptizari, & formam verborum suprà se proferri eo modo, quo intendit Ecclesia, dicens in corde suo, valeant hæc verba cum ablutione, quantum valere possunt, esset verè baptizatus, & Deo consecratus.

Et de coactione in hoc sensu, inquit Doctor, locutum esse 112 Concilium Toletanum 4. c. 56. relatum in cap. Maiores extra de baptismo, & eius effectu; in quo etsi moneat non esse amplius Iudęos ad fidem cogendos, subdit tamen eos, qui antea ad fidem suscipiendam coacti fuerant, cogendos esse, vt eam retinerent, & seruarent, qui tamen non ità coactè ad fidem venisse intelligendi sunt, vt nullo ipsorum consensu baptizati fuerint, sed vt *loc. cit.* Innocentius Tertius declarat, vi quidem, aut metu coacti; propria tamen voluntate saltem conditionata ad euitanda supplicia, quamuis non absoluta, & spontanea voluntate baptismum susceperint; Vndè tandē præcitatum caput his verbis concludit. *Tum ergò characterē sacramentalis imprimit operatio, cùm obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem*; cui doctrinæ Scoticæ ad verbum subscribit Amicus cum alijs Recentioribus *disp.* 11. de Bapt. *sec.* 6. ex quo sequitur, quod consensus vi, vel metu hoc modo extortus non impedit sacramenti receptionem, quia ille consensus hoc modo extortus est simpliciter, & absolutè voluntarius, & tantùm secundum quid inuoluntarius, ergò sufficit ad valorem baptismi, atque ideò talis baptismus censetur in prædictis decretis imprimere characterem indelebilem, ratione cuius, qui sic baptizatus est subditus manet iurisdictioni Ecclesiæ, & ad fidem seruandam cogi potest. Ex quibus tandem infert Scotus quod quia simpliciter dissentiens non recipit sacramentum, vndè cessante tali dissensu si posteà consentiret simpliciter, esset baptizandus; qui verò simpliciter consensit, licet secundum quid dissenserit, verè baptizatus censendus est, & cessante dissensu illo secundum quid non est iterum baptizandus, quia verū recepit baptismi sacramentum; tales autem sunt, qui coacti terroribus, & minis baptismum suscipiunt, alias non suscepturi. Dices, volens per vim, & metum non contrahit in matrimonio, ergo neque in baptismo, qui est matrimonium quoddam spirituale animæ cum Deo iuxtà illud, *desponsabo te mihi in fide*. Resp. per baptismum potius adoptari hominem in filium Dei, quam contrahi matrimonium, in adoptione autem licet nullum actum habeat adoptatus, solius adoptantis sufficit actus; atque ideò non est simile de matrimonio, & baptismo; de quo vide Scot. 4. *dist.* 29. *q. vn. D.*

Hanc eandem doctrinam ex nostris iam antea docuerant 113 Alensis 4. p. q. 8. *memb.* 7. *art.* 2. & D. Bon. 4. *dist.* 3. *art.* 2. q. 1. licet sub alijs terminis, dixerunt enim duplicem esse coactionem; alia est sufficiens, quam proindè nonnulli absolutam appellant, & talis esset, si aliquis manibus pedibusque ligatis immergeretur; alia est inducens, quam alij vocant conditionalem, vt si quis minis, & terroribus ad baptismum induceretur, itaut magis vellet se sacramento Ecclesiæ subijcere, quàm mortem, vel exilium subire; qua præmissa distinctione inquiunt, quod si quis coactione sufficienti, vel absoluta baptizaretur, quātumuis abluens eum baptizare intendat, & debitam seruet verborum formam, nec rem, nec characterē suscipit sacramenti, & constat ex *cap. Maiores* suprà relato, quia nullo modo fuit in eo cōsensus, seu voluntas, imò fuit omninò repugnans Si verò coactione inducenti, vel conditionata baptizetur, vtpotè si minis & flagellis ad baptismum inducitur, itaquod magis vult se sacramento Ecclesiæ subijcere, quā mortem, vel exilium pati, si intendat, quod circa eū fiat, tam exterius, quam interius illud, quod circà illos, qui simpliciter, & voluntariè baptismū suscipiunt, ministerialiter facit Ecclesia, verè recipit sacramentum baptismi, vt constat ex eodem *c. Maiores*, vbi dicitur, quod is, qui minis, & terroribus ad baptismum trahitur illudque suscipit, ne detrimentum incurrat, talis, characterem suscipit Christianitatis impres-

impressum; quia talis coactio est solum inducens, & conditionata, non absoluta, & sufficiens, & talis consensus est simpliciter, & absolutè voluntarius, & solùm secundum quid inuoluntarius; cui dicendi modo subscribunt Aretinus *d. 4. q. 4. art. 4.* & Centinus *disp. 6. c. 2. art. 2.*

115 Tertiò dicit Doctor, quod adultus ratione vtens non consentiens solum negatiuè si tamen virtualiter consentit, aut saltem habitualiter, verum sacramentum baptismi suscipit; v. g. adultus, qui non consentit, nec dissentit actualiter, quia est distractus à consideratione baptismi; consensit tamen virtualiter, quia quando veniebat ad Ecclesiam, vt baptismum susciperet, volebat baptizari; aut saltem habitualiter, quia prius habuit voluntatem baptismi, & post talem consensum, non habuit dissensum contrarium, verum suscipit sacramentum. Primum probat Doctor, quia Deus neminem obligat ad impossibile vel nimis difficile in statu huius vitæ; sed non distrahi actualiter, vel semper de baptismo cogitare, dùm suscipitur, est nimis difficile, quia non est in potestate nostra, quin visis tangamur, vt ait Aug. *de lib. arbit.* ergò sufficit consensus, & volitio virtualis ad verè suscipiendum baptismi sacramentum; sicut Sacerdos in consecrando Eucharistiam verè consecrat distractus, dùm tamen prius induendo se intenderit celebrare Missam secundum morem Ecclesiæ, vt dictum est *disp. præc. de sacr. in genere q. 7.* loquendo vniuersaliter de intentione Ministri ad sacramenti valorem requisita. Alterum quoq; probat Doctor, quod nempè sufficiat consensus habitualis, quia talis consensus habitualis sufficit homini, qui postquam habuit assensum, incidit in amentiam; ergò etiam sufficit vtenti ratione; assumptum probatur, quia alioquin non posset baptismus conferri amenti, qui antè amentiam illum petiuit, vt docuit Innocentius Tertius *cap. Maiores* de baptismo, & eius effectus, & Paulus V. in suo Rituali de Baptismo Adultorum definiuit, Consequentiam probat Doctor, quia vtens ratione non est deterioris conditionis, quam sit amens propterea quod ratione vtatur; ergo si talis consensus habitualis sufficit amenti, sufficiet etiam adulto ratione vtenti.

116 Quartò tandem inquit Doctor; quod si daretur adultus ratione vtens, qui merè negatiuè se haberet ad baptismum, omninò non consentiens, neq; dissentiens, tam actualiter, quam habitualiter, non reciperet sacramentum baptismi; quod probat, quia oportet hominem ratione vtentem, & ad hoc sacramentum accedentem, aliquam ad illud habere deuotionem, ad hoc vt illi valeat, aliter videretur illud contemnere; Conf. quia non sufficit sola negatio resistentiæ, seu negatiua permissio, sed requiritur positiuus consensus saltem virtualis, vel habitualis, siquidem negatio resistentiæ, seu negatiua permissio, non est consensus, quem Ecclesia in adultorum baptismo requirit, sed potius negatio consensus; Adhuc tamen verum est huiusmodi negatiuam permissionem sufficere; vt baptizatus in foro externo maneret Ecclesiæ subiectus, à qua cogi posset ad fidem seruandam; Hunc tamen casum, inquit Scot. videri difficilem, præcipuè si talis adultus prius aliquando de baptismo cogitasset, quoniam, vel tunc placuisset sibi baptizari, vel non, imò displicuisset, & secundum illum modum iudicaretur talis habitualis consensus in posterum; Et hæc est communis opinio, quam tenent Suarez, Vasq. Card. de Lugo, Amicus, Faber, Centinus, Aretinus, Hiqueus, & alij Recentiores passim, & fuit etiam D. Th. *3. p. q. 68. art. 7.*

117 Oppositum tamen huius asserti tenet Caiet. ibidem, qui docet solùm requiri ad valorem baptismi, quod ille, qui baptizatur, non habeat voluntatem contrariam, etiamsi non habeat, vel habuerit vnquam voluntatem baptismi recipiendi, vt si aliquis Gentilis, qui nunquam cogitauit de baptismo, & proindè nunquam cogitauit velle suscipere baptismum, vel non velle, si dormiens baptizetur, tenet Caietanus eum esse verè baptizatum, neque cùm expergiscitur esse baptizandum, si consentiat in baptismum; Hoc autem probat ex verbis iam relatis Innocentij Tertij in dicto Cap. *Maiores de Baptismo*, qui solùm videtur petere ad valorem Baptismi, quod adultus non habeat voluntatem contrariam, & repugnantem; sic enim post longam disputationem concludit. *Tunc characterem sacramentalis imprimit operatio, quando obicem contrariæ voluntatis non inuenerit*; ergo si neutram habet voluntatem, baptismus erit validus. Deindè quia Concilium Florentinum in decreto vnionis docet sacramenta tribus perfici, materia, forma, & intentione Ministri, in quibus non numerauit intentionem suscipientis.

Rursus, quia in paruulis inuenitur baptismus validus absq; eorum consensu; ergo & in adulto esse posset, quia sacramentum semper eisdem partibus constare debet. Tandem dari solet extrema vnctio ijs, qui rationis vsum subito morbi impetu perdiderunt, nec antea sacramentum illud petierunt; ergò idem dici debet de baptismo.

Respondeo, imò Innocentium *loc. cit.* potius nobis fauere, quam Caietano, semper enim ibi exigit consensum positiuum ad valorem baptismi, saltem virtualem, vel habitualem; loquitur enim ibi de amentibus, & dormientibus, & inquit, quod si illi habebant voluntatem suscipiendi baptismum, antequam dormirent, vel in amentiam inciderent, sunt verè baptizati; vndè per verba iam relata tunc characterem imprimi, *cùm obicem voluntatis contrariæ non inuenit obsistentem*, aliud innuere non voluit, nisi requiri, vt suscipiés non dissentiat contrariè simpliciter, quamuis dissentiret secundùm quid iuxtà doctrinam Scoti allatam; alioquin sibi contradiceret, siquidem in fine capitis negaret necessitatem consensus positiui in suscipiente ad valorē sacramenti, quam anteà exigebat in eo, qui dormit, vel in amentiam incidit, antè somnum, & amentiam: Vndè Pontifex non ponit casum Caietani, scilicet, quod ille baptizandus, nec assentiat, nec dissentiat; sed quod non dissentiat actualiter, & consentiat virtualiter, vel saltem habitualiter; Cur autem non meminerit tertij status, eorum nempè, qui prius neutram voluntatem habuerunt: Suarez, & Lugo dicunt, ideò hoc fecisse, quia moraliter loquendo adultus, qui non consentit positiuè, sed sistit in actu neutro, resistere censetur, & inuitus pati; Vel potius cum Doctore dicendum huius tertij status Pontificem non meminisse, quia casus ille rarissimus est, & valdè difficilis, vt contingat; nunquam enim baptizatur adultus, dùm dormit, aut non explorato prius eius cōsensu; si autem in amentiam incidit, rarissimum est, quod prius non habuerit, vel voluntatem baptismi, vel aliā contrariam, & ideò casus esse voluntatis in statu neutro rarissimus est, vt Doctor dicebat, ideoq; eius non meminit Pontifex *loc. cit.*

Ad 2. dico Concilium ibi tradere generalem doctrinam sacramentorum, & decernere necessaria ex parte ministrātis in vnoquoq; sacramento, quæ certè sunt solùm materia, forma, & intentio Ministri; de suscipiente verò, & eius intentione non loquitur, cùm non sit vniuersaliter requisita in omni sacramēto, vt patet in Eucharistia, in qua ex vi sacramenti non requiritur suscipiens; imò nec in ipso baptismo semper est necessarius suscipientis consensus, vt patet in paruulis, & ob id Concilium regulam generalem non tradidit, quod ad quodlibet sacramentum requiratur suscipientis intentio; Et quamuis consensus baptizati requiratur in adultis, planè non requiritur ex parte sacramenti, sed potius ex parte subiecti, vt sit capax salutis, & remedij ad salutem ordinati ex lege vniuersali consensum requirente in eo, qui est illius capax, sicut est adultus ratione vtens. Dices, hoc sacramentum potius in ablutione passiua situm esse, quam in actiua, vt dictum est in superioribus, ergo non minus intentio suscipientis, quam agentis, & ministri requiritur ad eius valorem. Negatur consequentia concesso assumpto, quia passiua illa ablutio intantùm est sacramentum inquantum à ministro intendente cum debita forma est elicita; non autem inquantùm in subiecto volente recipitur. 118

Ad 3. negatur paritas de adulto, & paruulo, & falsum est consensum requiri ex parte sacramenti, cùm potius requiratur ex parte subiecti, quando rationis vsum habet, vt sit capax salutis, & remedij ad salutem ordinati, vt modò dictum est; cur autem magis hic consensus requiratur in adulto, quam in paruulo, iam dictum est *q. præc.* Ad vltimum, negatur paritas de baptismo, & extrema vnctione; catholicè enim viuentes, catholicè etiam velle mori censentur, & proindè ex illa generali, & habituali voluntate moriendi in Ecclesiæ, & fidei gremio præsumuntur ab Ecclesia velle in extremis sacramentum illud suscipere; cæterum accedentes ab baptismum, cùm sint infideles, non censentur velle se permittere baptizari, & Ecclesiasticis refici sacramentis, nisi aliquo modo votum suum aperiant. Dices, ergo ex simili voluntate generali poterit homini in tali articulo constituto exhiberi absolutio sacramentalis, licet nulla signa doloris exhibeat, aut eiusmodi absolutionem proxime petierit; sequela probatur, quia ad absolutionem in tali articulo impēdendam, vt habetur in Rituali Romano Pauli V. & est sententia communis, non exigitur, quod explicitè confiteatur, sed sufficit, quod voluntatem confitendi indicauerit; hanc 119

autem voluntatem censetur habere omnis Catholicus non minus, quam extremæ vnctionis.

Resp, negando paritatem, de sacramento pœnitentiæ, & extremæ vnctionis, quia sacramentum illud, vt suo loco dicemus, continet iudicium, in quo Sacerdos, vt Iudex, sententiam profert, ad quod requiritur, quod accusator, vel reus causam ad iudicium detulerit, quod Iudex ex se inchoare non potest, sed ad instantiam partis; ideoq; ad sacramentum pœnitentiæ requiritur voluntas magis propinqua, & specialis, quàm ad extremam Vnctionem. Vndè pœnitens debet se explicitè accusare, quando potest; quando autem adest impotentia, vt in articulo mortis, debet saltem officium Iudicis implorare ostendendo voluntatem confitendi; per hoc enim iam inchoat iudicium eo modo, quo potest; & in hoc consistit discrimen pœnitentiæ à sacramento extremæ vnctionis, & alijs similibus, ad quorum valorem sufficeret voluntas interna, etiamsi exterius non iudicaretur, vt benè aduertit Card. de Lugo *disp.9.* de sacramentis *sec.7.*

120 Hic tamen aduertendum est, quod iam diximus *disput.* præcedent. de sacramentis in communi *quæst.7. art.2. num.* 284. & 285. discrimen esse inter intentionem requisitam in Ministro, & in suscipiente sacramentum; etenim in isto sufficit sola intentio habitualis, idest, voluntas præterita sacramenti suscipiendi non reuocata, etiamsi non sit causa ponendi sacramenti; in illo autem requiritur ad minus attentio virtualis, quæ sit causa operationis sacramentalis, quia in Ministro requiritur intentio, quæ faciat illum operari nomine Christi, ad quod oportet operari ex tali intentione; quæ ratio non procedit de suscipiente. Ex his tandem deducitur esse omninò falsum, & chimericum, quod dixit Brancatus *disp.14. art.2. n.18.* quod etiam repetit *n.23.* in fine articuli, quod baptismus datus nolenti sit verus baptismus, & propriè sacramentum, licet non ligans, seù imprimens characterem, ideoq; teneretur iterum ad baptismum; vndè infert, quod si de baptismo non ligante sit sermo, nulla prorsus requiritur voluntas positiua, aut negatiua, quod etiam asserit de baptismo iterato, quem dicit esse verum baptismum, & propriè sacramentum, quia nihil deficit ad eius veritatem, sed non esset sacramentum ligans, seù imprimens characterem.

121 Hoc inquam, est omninò falsum, & hactenus inauditum in scholis, quia omnes requirunt in adulto ratione vtente aliquam dispositionem ad validitatem, & veritatem sacramenti, adeo quod si sit indispositus, & omninò nolens, non solùm dicunt, quod non recipit characterem, sed etiam quod omninò nullum est sacramentum, quia consensus ille, & illa volitio se tenet ex parte materiæ remotæ, sine qua non sufficit materia proxima, materia enim remota baptismi respectu adulti est homo adultus consentiens: Et planè distinctio illa de baptismo ligante, seù imprimẽte characterem, & non imprimente, non est minus fictitia, & chimerica; quia baptismus definitur, quod sit symbolum sensibile imprimens in anima characterem collatiuum gratiæ regeneratiuæ; vndè quamuis baptismus separari possit ab effectu gratiæ, non tamen ab impressione characteris, siquidem eo ipso, quod est verus baptismus, est etiam characteris impressiuus, & si character non imprimitur, signum est Ministrum non confecisse sacramentum, & quidem hoc omnes de baptismo iterato fatentur, quod si Minister rebaptizaret iam anteà baptizatum, nihil omninò ageret, neque sacramentum conficeret, sed sacrilegium committeret; illa ergò distinctio de vero baptismo imprimente characterem, & non imprimente, omninò implicat, quia si non imprimitur character, nullum conficitur sacramentum, vt omnes dicunt de baptismo iterato. Hinc optimè dicit Becanus *c.11.* de sacram. in specie *n.2.* quod ad consequendum characterem non requiritur alia dispositio in adultis, quàm quæ requiritur ad valorem baptismi, nempè voluntas suscipiendi baptismum, quia baptismus, inquit, non potest esse validus, quin conferat characterem, hac enim de causa iterari non potest, atque ideò non requiritur maior dispositio ad characterem, quàm ad valorem sacramenti.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quæ dispositio recipientis requiratur in adultis ad effectum baptismi consequendum scilicet gratiam.

122 IAm ab initio quæstionis baptismum distinximus ab effectu ipsius; baptismus enim est ipsum symbolum sensibile imprimens in anima characterem collatiuum gratiæ regeneratiuæ; effectus verò est ipsa gratia regeneratiua cum remissione totius culpæ, & pœnæ; quamuis enim character quoque sit baptismi effectus, is tamen sequitur substantiam sacramenti, eiusque valorem necessariò, vt modò contra Brancatum dicebamus, non autem efficaciam: proindeque quotiescumq; sacramentum est validum, characterem imprimit, alioquin reiterari posset. Vndè baptismus potest separari à suo effectu principali, qui est gratia, eius efficaciam sequente, quia potest quis accedere cum dispositione sufficiente ad baptismum, eiusque valorem, & non ad effectum baptismi, qui est gratia, & hoc respectu adultorum, quia respectu paruulorum eadem est dispositio ad validitatem, atque ad effectum baptismi; vel potius nulla talis requiritur dispositio; sed sufficit capacitas physica, vt ait Doctor *dist.4.q.4.A.* & docet Trid. *sess.7.c.13.* & *14.* quia paruuli sunt incapaces dispositionis moralis; & idem est iudicium de adultis amentibus, & perpetuò furiosis, nam neque in his aliqua requiritur dispositio moralis ad baptismum, vel eius effectum. In hac igitur quæstione sermo est de adultis ratione vtentibus, & de dispositione morali in eis requisita ad receptionem effectus sacramenti, qui est gratia, quam paucis, sed prægnantibus verbis resoluit Doctor *4.dist.4.* ab initio §. *Respondeo* vbi infrà A. loquens de ficto, & incapaci effectu baptismi, nempè iustificationis, quæ fit per gratiam, habet hæc verba; Alio modo potest aliquis esse fictus ostendendo se esse dispositum ad sacramen tum, & tamen non est dispositus interius, vel quia non habet rectam fidem; vel quia habet aliquod peccatum mortale tunc in actu, vel præteritum, de quo nullo modo atteritur, vel conteritur: hæc Doctor ibi, ex quibus verbis clare deducitur, quæ dispositiones de mente eius requirantur in adultis ad recipiendum baptismi sacramentum, & eius effectum, scilicet, gratiam.

Primò itaque exigitur fides ex Scot. *loc.cit.* vt constat ex illo Matt vlt. *docete omnes gentes, qui crediderit, & baptizatus fuerit, &c.* & sufficit, quod hæc fides sit actualis, nec necessaria est habitualis, nam antè iustificationem in baptismo receptam non datur in recipiente fides habitualis, simul enim dantur in effectu baptismi tres virtutes Theologicæ; fides ergo, quæ est dispositio ad fidem habitualem, actualis esse debet, quia actus disponunt de congruo ad iustificationem, quæ per habitus fit infusos, vt dictum est *lib.2.disp.* de Iustificatione; Et non solùm requiritur fides implicita de veritate Christianæ Religionis, sed etiam fides explicita de præcipuis fidei mysterijs, quorum capaces sunt Cathecumeni, ad minimum autem de Trinitate, Incarnatione, & æterna vita, vt dictum est *lib.3.disp.* de fide, qua de causa præmitti solet idonea Cathecumenorum antè baptismum instructio; notant tamen Diana *part.5.tract.3. resol.20.* & alij Summistæ quod vrgente mortis periculo, vt in naufragio, vel simili, licitè posset, ac deberet suscipi, & præberi baptismus cum instructione tunc possibili. Ex quo etiam deducitur hanc fidem esse debere supernaturalem, vt innuit Scotus *3. dist. 23.q.vn. F.* tùm quia est de obiecto supernaturali, tum quia est à principio supernaturali, fit enim Spiritus sancti adiutorio, vt docet Tridentinum *sess.6. can.3.* tùm tandem quia fides illa ad iustificationem, & gratiam disponit, ideoque supernaturalis esse debet, & donum à Deo datum; & quidem hominem ex naturalibus actibus posse se ad gratiam disponere, & iustificationem, fuit Semipelagianorum error; Hæc autem omnia dependent ex superius dictis *lib.3. disp.6.* de fide, vbi *quæst.6.* egimus ad assensus fidei supernaturalitate, & *q.16.* vbi declaratur quorum obiectorum fides explicita sit necessaria ad salutem adultorum. 123

Secundò, si contingeret hominem adultum ad baptismum accedere sine peccato mortali cum solo originali, quamuis non esset illi necessaria pœnitentia aliqua ad recipiendum effectum sacramenti, idest, iustificationem, & gratiam; adhuc tamen non sufficeret illa dispositio, quæ est necessaria ad veritatem sacramenti, hoc est, voluntas suscipiendi baptismum, & faciendi, quod facit Ecclesia, de qua in præcedenti articulo; sed cum fide iam explicata requireretur voluntas, ac propositum profitendi, & seruandi legem Christi; Ratio est, quia pœnitentia est de peccatis commissis ab ipso pœnitente, & ideò cum adultus ille propria voluntate non peccauerit ex hypotesi, quod cum solo originali ad baptismum accedat, nõ requiritur in ipso pœnitentia, & detestatio peccatorũ, quando suscepturus est baptismum; sed sufficit 124

propo-

propositum seruandi legem, & obediendi Deo cum voluntate suscipiendi baptismum, & fide; & ratio est, quia Deus non iustificat adultum, nisi consentientem, vt constat ex dictis *art. praeced.* & sicut in eo, qui peccauit, requiritur prioris vitæ detestatio, & propositum rectè viuendi in futurum; ità in eo, qui propria voluntate non peccauit, requiritur ad minus aliqua voluntatis conuersio ad Deum, vel saltem ad obedientiam eius, vel obseruantiam mandatorum ipsius, & propositum non peccandi in futurum, quia hæc non exigitur tantùm ratione peccati commissi, sed per se ad instituendam nouam vitam, & conuenienter amplectendam ipsam iustitiam; ità passim discurrunt Recentiores, Suarez, Nugnus, Auersa, Henriquez, Aretinus, Surianus, Bonacina, & alij communiter; Quod autem casus iste sit possibilis, vt homo in adulta ætate constitutus peccatum originis tantum habeat, ex eo patet, quia opus non est, vt hac ætate adulta adueniente, vel iustificationem accipiat, vel in peccatum actuale mortiferum prolabatur, vt iam contra Thomistas ostendimus *lib.* 2. *disp.* 4. *q.* 4. & latè probat Vasquez *disp.* 158. *cap.* 1. *num.* 2. & fusius *p.* 2. *disp.* 149. *cap.* 2. Et quia cum peccato originali posset adultus ille aliquod veniale habere annexum sine vllo mortali, addendum est, quod neque in tali casu pro dispositione ad baptismum recipiendum requireretur pœnitentia venialium, quia nempè sola venialia non impediunt receptionem gratiæ iustificantis, & remissionem mortalium, vt notat Auersa *qu.* 68. *sect.* 5.

125 Tertiò in adultis, qui cum peccato originali aliquod mortale coniunctum habent, necessaria est aliqua pœnitentia, ac displicentia peccatorum commissorum; ita colligitur ex Doctore *loc. cit.* & est de fide, vt expressum est Actorum 2. *pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisq; vestrum in remissionem peccatorum*, & hæc necessitas, & obligatio pęnitentiæ antè baptismum ad dignam, & salutarem eius susceptionem definita fuit in Concil. Cartaginensis 4. *c.* 85. & nuper in Trid. *sess.* 6. *c.* 6. *de Iustificatione*, vbi dicuntur peccatores disponi *per eam pœnitentiam, quàm antè baptismus agi oportet*; & eadem est frequens doctrina Patrum. Neque obstat auctoritas Augustini *lib.* de vera, & falsa pœnitentia *c.* 8. vbi inquit, quod *pœnitentia non est necessaria baptizandis, sed baptizatis*, per hoc enim solum innuere voluit, baptizandis non esse necessariam pœnitentiam, quando non habent mortale peccatum cum originali coniunctum, vt suprà dictum est; quando autem illud habent, declarat necessariam esse pęnitentiam dicens paulò infrà, *sine pœnitentia nullis prosuit baptismus, qui peccauit, & proptereà Cathecumenos docent, vt pœniteant.*

126 Quartò, dubium est, an hæc pęnitentia debeat esse positiua, vel sola negatiua sufficiat, idest, vt homo non habeat complacentiam suorum peccatorum, & voluntatem perseuerandi in illis; Et hoc secundum tribuitur Caietano 3. *p. q.* 86. *art.* 2. *dub. vlt.* ac etiam Doctori nostro 4. *d.* 14. *q.* 4. §. *quantum ad* 3. *sub lit. D.* vbi ait non requiri, nisi voluntariam susceptionem baptismi sine fictione, hoc est, cum intentione suscipiendi, quod confert Ecclesia, & sine actu, vel voluntate peccati mortalis; Et quamuis inferius videatur exigere aliquem motum voluntatis in displicentiam peccatorum, dicunt ibi loqui de sacramento pęnitentiæ, in quo aliquid maius requirit. Sed optimè ab hac calumnia Scotum vindicant Vega *lib.* 9. *in Trident. cap.* 5. *& lib.* 13. *c.* 33. *&* 34. Corduba *lib.* 1. *Theol. q.* 2. Suar. *disp.* 28. *sect.* 1. *concl.* 2. & Vasquez *to.* 2. *in* 3. *p. disp.* 158. *c.* 1. vbi ait Scotum nunquam dixisse posse consequi iustificationem peccatorum in baptismo absque vllo dolore, sed posse fieri absque dolore propter Deum, idest, absque contritione, supposita tamen attritione, quæ sicut sufficit ad validitatem pęnitentiæ, ità sufficere potest ad validitatem baptismi; Et quidem si attente Doctor legatur *d.* 4. *q.* 5. §. *respondeo*, vbi de hac re agit ex professò, planè agnouit actum pęnitentiæ, & displicentiæ de peccatis ad consequendam peccatorum remissionem etiam in sacramento; expressè enim dicit *fictè* accedere ad recipiendum baptismi effectum, qui accedit cum peccato mortali, vel actu præsente, vel præterito de quo nullo modo vel atteritur, vel conteritur. Neque contrarium docuit *dist.* 14. *cit.* nam etiam ibi in peccatore ab baptismum accedente semper requirit ad consequendum sacramenti effectum, quod non sit actu, vel voluntate peccatum mortale sed quamdiu peccatum prius commissum non displicet, potest saltem dici esse in voluntate, quamuis non sit in actu; & solùm intendit non requiri talem, & tam perfectam pęnitentiam, sicut extrà sacramentum; & expressè exigit ibi quemdam attritionis motum, inferiorem tamen illi actui, quo homo iustificari deberet extrà sacramentum, quem etiàm vocat attritionem; de quo videndus est Hiqueus *d.* 4. *q.* 5. *in Commentario n.* 4. *& seq.* Et quidem requiri pęnitentiam propriè positiuam per veram, scilicet, detestationem antecedentium delictorum, & propositum amplius non peccandi, indicat apertè Conc. Trid. *loc. cit. sess.* 6. *c.* 6. vbi plures positiuos actus peccatoris exposuit, quibus ad iustificationem mediante pęnitentiam disponatur; & *sess.* 4. *c.* 1. docet pęnitentiam esse necessariam ijs, qui volunt ablui sacramento baptismi, & explicans, quæ sit illa pęnitentia inquit, *vt peruersitate abiecta, & emendata tantam Dei offensionem cum peccati odio, & pio animi dolore detestarentur.* Quod si Doctor alibi aliquandò dicat absolutè gratiam baptismi recipere, qui obicem non ponit, ibi per obicem non solùm intelligit peccatum actuale, aut præteritum, quod actu placet, sed etiam eorum impęnitentiam, vt notat Rada *controu.* 4. *art.* 3. *concl.* 3.

Sed dices, si pęnitentia requiritur, ergò baptismus non iustificat ex opere operato, consequentia patet, quia ablato actu pęnitendi non habetur iustificatio, aliud enim non est iustificari ex opere operato, nisi non requiri opus operantis. 127

Confirmatur, quia aliquod esse debet discrimen inter dispositionem requisitam extrà sacramentum, & in sacramento, minor enim sufficit in sacramento, quod iustificat ex opere operato; ergò cùm dispositio extra sacramentum requisita ad iustificationem positiua esse debeat, sufficiet in sacramento negatiua.

Respondeo, si hæc difficultas vrgeret, faceret etiam pro sacramento pęnitentiæ, quod ad consequendam iustificationem per ipsum non requiratur actus pęnitentiæ virtutis ex parte peccatoris, alioquin sacramentum illud non iustificaret ex opere operato, sed operantis; isti ergo actus pęnitentiæ virtutis, scilicet, attritio, vel contritio, qui aliud non sunt nisi detestatio, & odium peccati à Deo, prærequiruntur, tùm in susceptione baptismi, tùm etiam pęnitentiæ, veluti dispositiones morales ad iustificationem; non verò tanquam causæ illius effectiua; neque merentur de condigno gratiam, & iustificationem, quia imperfecti sunt, & ad eam improportionati, alioquin gratia, & donum non esset; sed sunt tantùm dispositiones ad eam de congruo, vt dictum est *lib.* 2. *disp.* 7. *de Iustificatione*, ideoq; non iustificant impium ex opere operantis; Itaq; sunt quædam dispositiones à Deo prærequisitę, vt sacramentum obicem non inueniat; obicem namq; videtur homo ponere ad culpæ deletionem, si eam non detestaretur, cùm sacramentũ ponitur; & quia actibus illis non tribuitur iustificatio, sed sacramento, quia non sunt dispositiones, nisi de congruo, ideò sacramentum dicitur iustificare ex opere operato, non autem ex opere operantis.

Ad Confirmationem dicendum, verum discrimen inter dispositionem requisitam in sacramento, & extrà sacramentum non esse, quod hæc esse debeat positiua, & illam esse negatiuam sufficiat; sed quod licet vtraque debeat esse positiua, tamen non oportet in sacramento esse perfectam contritionem, sicut extra sacramentum esse debet, vt magis constabit ex dicendis.

Quintò dicendum est, ad effectum baptismi consequendum, scilicet, gratiam necessariam non esse pęnitentiam, quæ sit vera, vel saltem putata contritio, sed sufficere attritionem, etiam cognitam vt talem, quæ nempè vel ex consideratione turpitudinis peccatorum, vel ex metu gehennæ, vel ex ammissione gloriæ cælestis exoritur; Ità Doctor *loc. cit.* 4. *d.* 4. *quest.* 5. ab initio, vbi dicit accedentem ad baptismum debere esse de peccatis commissis, vel contritum, vel saltem attritum; Et est contrà quamplures Theologos asserentes ad suscipiendum baptismum perfectam contritionem prærequiri, quæ sit dolor de peccatis propter Deum summè dilectum, nec sufficere attritionem, quæ, scilicet, sit dolor de peccatis, vel propter turpitudinem eorum, vel propter gehennæ metum, quorum tamen aliqui limitant dicendo sufficere, si quis bona fide putet se habere contritionem perfectam, cum reuera non habeat nisi attritionem. Nostra tamen conclusio communis in Schola, quam tenent Suarez, Vasquez, Coninch. Auersa, Surianus, Becanus, & alij morales Auctores tractando de baptismo & pęnitentia, & probant aliqui, vt Brancatus noster, ex Trid. 128

seß.6.c.6. vbi agens de præparatione ad iustificationem inquit, *Deum tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea moventur aduersus peccata per odium, ac detestationem, hoc est, per eam pœnitentiam, quam antè baptismum agi oportet*, vbi inquit Brancatus *disp.14. art.3.* nullum habetur verbum de contritione; imò dici odium, & detestationem sufficere; igitur contritio non est semper necessaria, sed sufficit attritio; sic etiam discurrit Centinus *disput.6.cap.2.art.3. n.180.*

129 Verùm ex hac auctoritate potius oppositum deducunt Aduersarij, quia Concilium ibi describens dispositionem præuiam ad iustificationem post alios actus inquit, *Deum, tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersus peccata per odium, ac detestationem, &c.* ergò Concilium requirit pœnitentiam, quæ fit ex motiuo dilectionis Dei, hæc autem est perfecta contritio; vndè absolutè negant ibi nullam fieri mentionem de contritione. Sed si rectè hæc auctoritas ponderetur, nec pro nobis facit, nec pro illis, quia Concilium ibi indefinitè loquitur de dispositione ad iustificationem, & sic etiam generaliter intelligit detestationem peccati, & dilectionem Dei abstrahendo à perfecta, & imperfecta, inferius posteà *sess.14.* in speciali definiturum, quænam dispositio requiratur ad iustificationem extrà sacramentum, & quę in sacramento sufficiat; vndè *c.1.* sessionis illius 14. loquens de pœnitentia indifferenter, prout contritionem, & attritionem comprehendit, dixit necessariam fuisse omnibus hominibus etiam illis, qui sacramento baptismi ablui vellent; & *c.4.* loquens de contritione inquit, *fuit autem quouis tempore hic contritionis motus necessarius, & in homine post baptismum lapso*, quibus verbis non obscurè indicauit antè baptismum contritionis motum non esse necessarium; Et tandem in eodem *c.4.* ad comparandum iustitiam cum sacramento pœnitentiæ significat contritionem non esse necessariam, sed attritionem sufficere, ergò multò magis sufficit in baptismo, cùm facilius remittantur peccata per baptismum, quàm per sacramentum pœnitentiæ.

130 Confirmatur euidenti ratione, quia baptismus eo fine à Christo institutus est, vt per eum remittatur originale peccatum, & alia actualia, si adsunt, atq; ita per eum renascatur homo, & vitam accipiat spiritualem, vndè dicitur primum sacramentum mortuorum; ergò ex vi institutionis suæ habet conferre primam iustificationis gratiam, & primò peccata delere; hanc autem non conferret, si necessaria esset vera contritio, quia sola contritio sine sacramento sufficiens est ad hunc effectum conferendum, vt suo loco infrà dicemus; atque ità frustrà institutus esset baptismus, si inueniret adultum semper iustificatum, quam rationem latè prosequitur Rada *loc. cit.*

Respondent, frustrà institutum non fuisse baptismum, quia contritio illum effectum non confert, nisi quatenus includit votum baptismi. Sed Contrà, quia vt benè instat Becanus, contritio non magis includit votum baptismi, quàm restitutionis, aut alterius præcepti obligantis, is enim verè conteritur, qui dolet se offendisse Deum, & habet generale propositum seruandi deinceps omnia diuina præcepta occurrentia, non solùm baptismi, sed etiam restitutionis, & alia omnia; sicut ergo non censetur contritio conferre gratiam vi restitutionis, aut alterius præcepti, ità nec vi baptismi, quia est par ratio quantum ad hoc; vt adhuc magis explicabitur infrà *quæst.6. art.2. n.159.* quo autem sensu adhuc specialius dicatur homo iustificari per baptismum in voto, quàm per quæcunque alia præcepta in voto dicemus infrà *quæst.7. art.2. n 175.* Deinde si ab baptismum requireretur contritio, nullum beneficium in lege gratiæ fuisset hominibus allatam virtute baptismi; imò peioris modò esset conditionis, quam in antiqua lege; illi siquidem sola contritione iustificabantur, nunc autem in lege Euangelica præter contritionem sacramentis indigeremus, nec contritio valeret sine sacramento. Beneficium autem, quod nos accepimus in lege Euangelica ex sacramentorum institutione, est hoc, quod licet ex peccato mortali oriatur obligatio pœnitentię, & talis pœnitentiæ, qua homo peccati remissionem consequatur; hæc tamen obligatio post sacramentorum institutionem ad perfectam contritionem non restringitur, sicut erat in lege veter, sed adimpleri potest per susceptionem sacramenti cum sola attritione, & hoc ad peccati remissionem sufficit, qua ratione dici solet hominem per sacramenti susceptionem fieri ex attrito contritum, idest, adimplere eandem obligationem, & eandem peccati remissionem consequi, quæ in lege veteri soli contritioni reseruata erat.

Ex qua doctrina soluitur præcipuum oppositæ sententiæ fundamentum, quod est; Quia ex peccato ipso suboritur obligatio perfectæ pœnitentiæ, quæ non est, nisi contritio; hæc autem obligatio non est extincta per institutionem baptismi; ergo peccator baptismum suscepturus adhuc tenetur conteri. Soluitur, inquam, hoc fundamentum, quia licet per baptismi institutionem talis obligatio ex peccato suborta non sit totaliter ablata; est tamen mitigata, quia vbi antea in lege veteri hæc obligatio ad perfectam contritionem præcisè restringebatur; modo in lege Euangelica per susceptionem sacramenti cum sola attritione potest adimpleri, quia ad remissionem peccati sufficit sola attritio cum sacramento, cuius virtute homo dicitur fieri de attrito contritus. Hic verò aduertendum est cum Suarez, Vasquez, & alijs, hanc attritionem, quę ad fructum sacramenti est necessaria debere esse veram, & realiter existentem; vndè qui cum putata, seù existimata attritione ad baptismum accederet, sufficientem, ac necessariam dispositionem non haberet, de quo vide Radam *contr.4.cit. art.3. in fine.*

Dices, homo per peccatum mortale auertit se à Deo, tanquam ab vltimo fine; ergo ex natura rei hoc peccatum tolli non potest, nisi se iterum ad Deum conuertat, vt ad vltimum finem; hoc autem non potest fieri sine amore Dei, qui includit contritionem. Respondeo si argumentum vrgeret, conuinceret etiam necessariam esse contritionem ad comparandam iustitiam cum sacramento pœnitentiæ, quod estò Faber concedat tum de pœnitentia *disp.17. cap.1.* tanquam de mente Doctoris, sicut etiam anteà dixerat *disp.16. cap.3. n.69.* attritionem notam non esse satis pro susceptione baptismi, sed attritionem, quæ dicitur putata contritio, requiri; hoc tamen omninò falsum est, & alienum à mente Doctoris, vt ostendit Centinus *loc. cit.* & nos infrà dicemus *disp.* de pœnitentia; & pro nunc sufficiat auctoritas Tridentini superius adducta *sess.14. cap.4.* vbi ad comparandam iustitiam cum sacramento pęnitentię docet contritionem non esse necessariam, sed attritionem sufficere, quod etiam anteà docuit Scotus *4.dist.14. q.1. X.* Ad argumentum itaque dicendum est, habitualem auersionem, de qua hìc est sermo, & quæ propriè tollitur per baptismum, actualis enim non tollitur per baptismum sed potius eius effectum impedit, sufficienter tolli per habitualem conuersionem ad Deum, quæ habetur per gratiam. Imò loquendo etiam de conuersione actuali, qua actu proprio voluntatis homo creaturam negligit, & Deum vult, potest dari hæc conuersio in Deum absque contritione, sed sola attritione; quod euidenter colligitur ex Trident. *sess.6. cap.6.* vbi loquens de dispositione ad iustificationem sic loquitur; & dùm peccatores se esse intelligentes à diuinæ iustitiæ timore vtiliter concutiuntur, ad considerandum Dei misericordiam se conuertendo, illumque tanquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem; Hæc sunt verba Concilij, quibus expressè duplex ad Deum conuersio innuitur, vna per eius dilectionem, quæ est contritio, alia per detestationem, & odium peccati timore iustitiæ & hæc est attritio. 131

Sexto tandem, ad explicandum vlterius, qualis esse debeat hæc interior pœnitentia, quæri solet, an hæc pœnitentia debeat esse supernaturalis, & ex supernaturali motiuo, vel sufficiat qualiscumque etiam purè naturalis, & ex motiuo merè humano; Hoc secundum affirmant Soto *lib.2.* de natura, & gratia *c.15.* Cano. *de pœnit. c.3.* & alij, quibus subscribit Aretinus *dist.4. q.4. art.3.* & Rada iudicat probabilem *contr.4. art.3.* in fine, licet probabilius censeat oppositum. Fundamentum est, quia vt sic dispositus non ponit obicem sacramento in ordine ad gratiam, quia non habet voluntatem alicui peccatum adhærentem, nam talis actus sufficit ad excludendum complacentiam, & voluntatem peccandi; at sacramentum dat gratiam non ponenti obicem. Confirmatur quia minor dispositio requiritur ad gratiam cum baptismo, quàm cum pœnitentia, vt Trid. significat *sess.16. cap.1.* vbi ait hac de causa sacramentum pœnitentiæ à Patribus appellari magis laboriosum quàm baptismum, quia maior dolor requiritur in eo, quàm in baptismo; sed in sacramento pœnitentiæ sufficit attritio supernaturalis; ergo in baptismo sufficiet naturalis; 132

Quod

Quod autem in hanc sententiam traxit quosdam etiam ex nostris est famosus Scoti locus 4. d. 14. q. 2. M. vbi expresse docere videtur hominem ex naturalibus habere posse attritionem moraliter circumstantionatam omnibus circumstantijs, & per hanc disponi ad sacramentum pœnitentiæ; verba Doctoris sunt; peccator in peccatis existens potest ex naturalibus cum communi influentia considerare peccatum commissum, vt offensiuum Dei, & vt contrà legem diuinam, vt auersiuum à Deo, vt impeditiuum præmij, & inductiuum supplicij, & illud detestari sub aliqua istarum rationum; & paulò post inquit, quod iste motus dicitur attritio, & meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis; si ergò talis actus pro dispositione ad sacramentum pœnitentiæ inseruire potest, quod est magis laboriosum; tantò magis ad sacramentum baptismi.

133 Communis tamen, & longè verior sententia oppositum docet, nempè pro dispositione ad baptismum suscipiendum requiri talem pœnitentiam, quæ sit actus supernaturalis, nempè ex viribus gratiæ, & motiuo aliquo supernaturali elicitus; quæ etiam, paucis quibusdam exceptis communis est in schola nostra, & ex illo principio generali deducitur, quod tradi solet in materia de gratia, & iustificatione contrà Semipelagianorum errorem, non posse hominem naturæ viribus se ad gratiam præparare, atque disponere, nec prodesse quemcunque actum nisi ex auxilio gratiæ, & motiuo fidei elicitum, quod expresse sic in generali decreuit Concil. Trident. *sess. 6. de Iustificatione can. 3. Si quis dixerit sine inspiratione, & adiutorio Spiritus Sancti hominem credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit*; Ac etiam expresse deducitur ex pluribus Sacræ Scripturæ sententijs necessitatem pœnitentiæ supernaturalis ad gratiam consequendam significantibus; quas in casum exponere, vel potius extorquere conatur Aretinus *loc. cit.* dicens illas interpretari posse, necessariam esse pœnitentiam supernaturalem ad gratiam, & peccatorum remissionem consequendam, si eam non suppleat sacramentum, vel qualemcumque si suppleat; Hæc inquam, expositio prorsus vana est, quia principium illud, quod homo naturæ viribus non potest se ad gratiam sufficienter disponere, ac præparare, prout assumitur, & explicatur à Concil. Trident. *sess. 6. &* 14 pluribus in locis, vniuersaliter intelligitur, non solùm ad consequendam gratiam iustificationis extrà sacramentum, sed etiam per sacramentum, sicut semper exigitur ipsa fides ordinis supernaturalis.

134 Neque hoc catholicum, & ortodoxum principium negauit vnquam Doctor, vt ei quamplures imponunt parum in eius lectura versati, imò nil frequentius inculcat, quàm ad verè, & fructuosè pœnitendum requiri auxilium gratiæ Dei, vt in 1. *d. 44. q. vn. vers. aduertendum tamen est*, vbi ait omnem peccatorum, dùm est in via, posse esse non peccatorem, quia potest Deus eum sua gratia præuenire; & 2. *d. 7. q. vn. art. 2. vers. secundum hoc ergo*, dicit gratiam specialem requiri ad bonam volitionem, & in eo consistere obstinationem reproborum Angelorum, quod Deus eos deserat, & nolit eis dare illam gratiam benè volendi, & à peccato resiliendi, quam gratiam, quia paratus est dare homini peccatori, quamdiù est in via, ideò talem docet posse semper pœnitere pro statu isto, & 4. *d. 20. q. vn.* cùm fructuosa pœnitentia opus sit non hominis, sed Dei, posse Deum quandocumque vult, sua misericordia illam inspirare; & *d. 22. q. vn. art. 2. in fine*, ait Deum propter merita mortificata dare gratiam ad citius resurgendum à peccato. Tandem alibi sæpè docet non posse creaturam intellectualem sibi relictam disponere se ad formam supernaturalem, vt patet 2. *d. 9. q. 2. vers. contrà quartum articulum*; quod in particulari affirmat de fide infusa *quol. 14. art. 1.* & de charitate infusa *quol. 17. art. 1.*

135 Neque oppositum docere voluit *loc. cit. 4. d. 14. qu. 2. M.* nam explicans ibi, quomodo homo ex puris naturalibus cum communi influentia attritionem concipere possit, quæ accedente sacramento pœnitentiæ fiat contritio, sitque proxima dispositio ad iustificationem, ait; posse hominem ex naturalibus cum communi influentia considerare peccatum commissum, vt offensiuum Dei, & vt contrà legem diuinam, & vt auersiuum à Deo, & vt inductiuum pœnæ, & impeditiuum præmij; at iuxtà eius doctrinam q. 1. Prologi homo non scit præmia, & supplicia æterna, nisi per supernaturale lumen fidei; neque scit ad veram, & fructuosam pœnitentiam peccatum detestari debere, in quantum est Dei offensiuum, vel auersiuum à Deo; ergò Doctor *in 4. d. 14. cit.* per naturalia non excludit auxilium supernaturale; Vt autem intelligatur phrasis, & modus loquendi Doctoris ibi recolendus est locus modo citatus *quol. 14. art. 1.* vbi docens non posse hominem sibi relictum disponere se ad fidem infusam sic loquitur; *sed vltrà istam fidem acquisitam habemus fidem infusam, & ad istam habendam licet possit homo ex naturalibus se disponere; non tamen ex naturalibus intrinsecis, nec etiam concurrentibus quibuscumque causis naturaliter motiuis intellectus ad eam potest attingere, quia illam solam Deus infundit*; Ex hoc itaque loco constat, quo sensu dixerit in 4. *d. 14. q. 2.* posse hominem *ex naturalibus* ad gratiam se disponere, intelligitur enim, vt ipse hic exponit *non de naturalibus intrinsecis*, idest naturæ viribus sibi relictis, sed extrinsecè motis, & adiutis à Deo, tanquam gratiæ auctore; talia enim gratiæ auxilia indicare voluit, cùm dixit, *ex naturalibus cum communi influentia*, hoc est, cum auxilio generali, quo vocantur omnes homines, & sufficienti, quod datur omnibus viatoribus quantum ex Deo est; vndè nomine influentiæ generalis non intelligit concursum generalem ordinis naturæ omnibus causis secundis communem, sed influentiam generalem ordinis gratiæ auxiliorum sufficientium, quæ sunt omnibus communia, ad differentiam specialium, & efficacium, quæ prædestinatis dari solent; & ità passim Scotum exponunt Nostrates, Faber *tom. de pœn. disp. 14. cap. 2.* Vulpes *tom. 2. 1. part. disp. 38. art. 7. & dispu. 45. art. 2.* Centinus *disp. 6. cit. de baptismo cap. 3. art. 3. in fine*, Vega q. 11. *de Iustificatione*, Smisinch, *trac. 3. disp. 6. de Prouidentia Dei q. 6. n. 324.* Hiribarnes *tom. 2. in 4. d. 14. disp. 6. sect. 14.* Brancatus *disp. 14. de baptismo art. 3. in fine*; & in hunc sensum Scotum intelligunt, nedùm Recentiores Scotistæ, sed etiam Antiquiores, Delphinus opusc. de Iustificatione, Lichetus 1. *d. 17. q. 2.* Tataretus 4. *d. 14. qu. 2. pag. 224. col. 1.* & alij passim; Sed de hoc rursus ex professo dicemus infrà *disp. 5. quæst. 4.*

Ratione etiam probari solet hæc sententia, quod attritio in adultis requisita ad suscipiendum baptismum debet esse 136
supernaturalis, ex illo principio, quod inter dispositionem, & formam introducendam debet esse proportio; quarè cùm gratia sit supernaturalis forma, attritio etiam debet esse supernaturalis, vt sit sufficiens dispositio ad eam. Sed quamuis hæc ratio sit satis familiaris, & frequens in hac sententia; non tamen mihi videtur satis efficax; quia posset quis occurrere ex doctrina Scoti 4. *d. 1. qu. 5.* hanc rigorosam proportionem vtique esse debere inter formam, & dispositionem proximam, non tamen inter dispositionem remotam, qualis est attritio respectu gratiæ. Alia ratione probat Brancatus *art. 3. cit. concl. 8.* quia si ea attritio esset naturalis, nihil esset in tali actu, ad quod superandum esset aliquid necessarium supra naturam; ergo debet esse supernaturalis; consequentia patet, eatenus enim datur auxilium supernaturale in intellectu, & voluntate ad aliquem actum faciendum, quia adest aliquid superandum, vel ex parte motiui, vel principij, vel circumstantiarum, quod à natura non potest superari. Sed huic rationi obstat argumentum, quo vtitur Doctor 1. *d. 17. q. 2. & quol. 17. art. 3.* ad probandum actum fidei infusæ, & dilectionem Dei supernaturalem idest ex gratia elicitam esse supernaturales tantùm secundum modum, quia quoad substantiam sunt eiusdem omninò rationis, & speciei cum actu credendi, & diligendi naturali, & ex viribus naturæ elicito; alioquin si essent alterius rationis, adeo quod ex proprijs viribus homo non posset tales actus quoad substantiã attingere, posset cognoscere se esse in gratia, ex promptitudine, scilicet, & facilitate, quam in seipso experiretur credendo, & diligendo Deum; atque ita in proposito ex facilitate, vel difficultate superanda posset quis dignoscere, an dolor de peccatis conceptus sic naturalis, vel supernaturalis, quod concedendum non est, vt diximus *lib. 3. disp. 6. qu. 6. & 7.* quapropter hoc assertum melius probari nequit, quàm auctoritatibus Scripturę, Patrum, & Conciliorum, ex quibus vim sumere potest prima ratio desumpta, ex proportione dispositionis ad formam.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ positum sub *num.* 132. respondetur requiri talem actum attritionis ad suscipiendam gratiam in baptismo, quo excludatur complacentia, & peccandi voluntas, per modum dispositionis sufficientis ad iustificationem, quam proportionem non habet, nisi 137
actus

actus supernaturalis, vt decreuit Trident. *loc. cit.* Ad Confirmationem concedo minorem dispositionem requiri ad gratiam cum baptismo, quàm cum pœnitentia; & ad consequendam plenam remissionem; sed minoritas ista non consistit in eo, quod in baptismo sufficiat attritio naturalis, vbi in sacramento pœnitentiæ exigitur supernaturalis, sed in hoc, quod illa quæ in baptismo sufficit ad delendam culpam, simul etiam sufficit ad remittendam totam pœnam, quod in Sacramento pœnitentiæ non contingit, in quo licet deleatur culpa, adhuc tamen remanet satisfacienda pœna; Vndè adulto baptizato nulla iniungi debet ex necessitate pœnitentia, aut satisfactio pro peccatis, neque permutari pœna æterna in temporalem, quia gratia, & merito Christi ità in baptismo omnia nobis remittuntur, vt nec pœna, nec culpa à nobis luenda remaneat, sed denuò geniti absque dolo, & macula in nouam vitam intramus iuxtà illud Apostoli ad Heb. 6. *consepulti sumus cum Christo, & parauit nobis vitam nouam.*

QVÆSTIO SEXTA.

An baptismus sine debita dispositione susceptus conferat suos effectus saltem postea à homine se disponente.

138 SOlet hæc quæstio proponi sub alio titulo, an baptismus suum producat effectum recedente fictione, & ità proponitur à Scoto 4. d. 4. q. 5. & alijs antiquioribus; & fictio hic non sumitur pro ea, quæ excludat intentionem suscipiendi sacramentum, quo pacto baptismus non esset validus, sed solùm pro indispositione effectum baptismi impediente, quando aliàs sacramentum est validum, sumpto nomine ex Sapientiæ 1. *Spiritus Sanctus disciplinæ effugiet fictum*; & difficultas non est de charactere, hic siquidem imprimitur semper in anima, nec vlla suscipientis indispositione impediri potest, quandocumque sacramentum est validum, sed est de gratia iustificante, & remissione peccatorum; & alijs effectibus hinc dependentibus; Vnde procedit difficultas, quandò sacramentum integrum suscipitur quoad essentialia, tamen sine effectu ob indispositionē suscipientis, quia non accedit legitimè dispositus, & ideò effectum eius non recipit; an in eo casu sublato obice, & accedente dispositione, quam suscipiens omiserat, sacramentum gratiam producat.

139 Et quamuis aliqui voluerint, vt Canus *in relectione de Pœnit. part.* 3. hominem bona fide ad baptismum accedentem, putando se esse dispositum, quamuis re vera debita dispositione careat; adhuc totum eius effectum recipere, & tunc solum baptismum suo effectu frustrari, quando scienter; & culpabiliter ab homine indispositо suscipitur; Satis tamen constat ex dictis *q. præced. art.* 2. baptismum sine debita dispositione susceptum non conferre tunc gratiam cum alijs effectibus consequentibus, & attritionem, quam diximus esse necessariam dispositionem pro legitima baptismi susceptione, debere esse veram, ac realiter existentem; ideoque sufficientem, ac necessariam dispositionem minimè habere, qui cum putata, seù existimata attritione ad baptismi sacramentum accedit; & ratio est, quia necessitas huius dispositionis nō est tantùm præcepti oriens ex obligatione, sed etiam medij oriens ex ratione ipsa iustificationis, & institutione Dei; sed in his, quæ ad salutem sunt necessaria necessitate medij, non sufficit ad salutem existimatio, si re vera non exhibeantur; quid enim prodest quod, quis existimet se absolui à Sacerdote, si re vera ille non est sacerdos; ergo non proderit existimatio attritionis, si in re non existat, quia ad hunc effectum non videtur minus necessaria attritio in ordine ad baptismum, quàm contritio in ordine ad remissionem peccatorum actualium extra sacramentum; quarè etiamsi homo in tali casu sua bona fide excusetur à transgressione præcepti, & noua culpa ob ignorantiam inuincibilem, tamen ex defectu medij necessarij non iustificatur, vt notat Rada *controu.* 4. *ar.* 3. *in fine.*

140 Itaque obex gratiæ duplex esse potest, primus quasi negatiuus, vt cum quis ad sacramentum indispositus accedit hoc tamen inuincibiliter ignorat, & ideò non peccat, licet ob defectum dispositionis requisitæ effectum sacramenti non recipiat; Alter est omninò positiuus, v. g. quando quis actualiter peccat in ipsa sacramenti susceptionē, vt si sciens se esse in peccato mortali sacramentum suscipit. Vel loquendo iuxtà phrasim antiquorum, fictio, quæ effectum sacramenti impedit, duplex esse potest; vna sine peccato, quæ tunc accidit, quando quis absque idonea dispositione ad baptismum accedit bona fide credens se esse sufficienter dispositum, vel putans hanc non esse necessariam; altera cum peccato, & tunc accidit, quando quis sciens se esse in peccato mortali absque debita dispositione doloris de suis peccatis ad sacramentum accedit, vel cum complacentia alicuius peccati mortalis distincti, de quo nullum habet dolorem, sed potius complacentiam; vt puta si quis accedens ad baptismum habeat septem peccata mortalia, & de sex habeat attritionem, vel contritionem, de septimo nequaquam, quia v. g. est in Concubinatu, nec vult concubinam dimittere, quod est exemplum à Doctore allatum *loc. cit.* & iuxtà hanc distinctionem resoluenda est proposita quæstio, licet Doctor non loquatur, nisi de fictione secundi generis, qua ratione dicit cum Augustino sine vera pœnitentia tolli non posse.

ARTICVLVS PRIMVS.

Deciditur Quæstio.

PRimò dicendum est, si baptismus fuerit susceptus cum primo obice negatiuo, vel cum prima fictione, quæ est sine peccato sortiri posteà suum effectum in tali homine se disponente per solam attritionem, nimirum tunc gratiam infundi, peccatum originale remitti, nec non & peccata omnia tam mortalia, quàm venialia baptismum antecedentia, & condonari debitam pœnam, & quidem hoc totum haberi virtute baptismi præteriti; quamuis enim, quando obex, & fictio remouetur per sufficientem dispositionem, iam reipsa non sit baptismus, sed transiuerit; hoc tamen minimè obstat, quia talis effectus principaliter pendet à Deo, & pendet à baptismo effectiuè, tanquam ab instrumento morali, quod potest moraliter operari, etiamsi physicè non sit præsens. In hac conclusione omnes ferè conueniunt, quod quando obex est tantùm negatiuus, sola sufficiat attritio, licet enim D. August. mox citandus dicat non sufficere, non loquitur in hoc casu, sed de obice positiuo, vt ex eius verbis patebit imò de eo casu tantùm disputarunt antiqui, quarè non est mirum, si non dixerint attritionem sufficere. Ratio est, quia in eo qui fictè accedit ad baptismum sine actuali peccato, sufficienter tollitur fictio per solam attritionem, si post susceptum baptismum non peccauit mortaliter; ergo iam relinquitur locus baptismo, vt suum possit producere effectum; Consequentia patet, quia in tali casu non opus est sacramento pœnitentiæ, cum supponamus omnia peccata antè baptismum esse perpetrata; assumptum probatur, quia attritio sufficiens est dispositio in ipso baptismo, vt constat ex quæst. præced. ergò etiam post baptismum, si nullum intereà accesserit peccati impedimentū; tùm quia fictio de qua agimus, in sola carentia dispositionis consistit; ergò posita dispositione tollitur fictio, in casu autem nostro non opus est alia dispositione, quàm attritione, ergò hac posita tolluntur omnia peccata vi solius baptismi. 141

Secundò dicendum est, quod si baptismi sacramentum fuerit susceptum cum obice positiuo, & cum secunda fictione, quæ est cum peccato, tunc necessaria est contritio, vel attritio simul cum sacramento pœnitentiæ ad tollendam talē fictionem, & ad hoc, vt baptismi sacramentum suum producat effectum. Hæc etiam conclusio est ferè communis paucis quibusdam exceptis, qui dicunt hominem in tali casu gratiam posteà recipere virtute nouæ contritionis, vel sacramenti pœnitentiæ, non autem prioris baptismi; Fundamentum præcipuum est auctoritas D. Aug. *lib. 1. de baptismo contra Donatistas cap. 12. & lib. 3. cap. 13. & lib. 6. capit. 5.* quæ inserta est in iure his verbis. *Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cùm illa fictio veraci confessione recesserit, quæ corde in malitia, vel sacrilegio perseuerante, peccatorum ablutionem non sinebat fieri*; ità habetur *de Consecrat. d. 4. cap. 42.* quam auctoritatem Scotus adducit ab initio quæstionis cit. & licet in calce quæstionis in tertio dicendi modo ab ipso adducto pro solutione huius difficultatis ità eam explicet, vt solùm ratione nouæ pœnitentiæ, & contritionis valere incipiat baptismus ad salutem; & intantùm 142

valere

valere dicatur, non quod ipse peccata iam commissa remittat recedente fictione; sed quia adimpleuit præceptum, quæ adimpletio, ipsi non valet ad salutem, nisi per pœnitentiam, & sit filius regni, & amplius non alligatur præcepto baptismi; ac etiam quia reddit subiectum capax, & dispositum respectu pœnitentiæ, per quam remittuntur, & dependet hoc sensu remissio peccatorum à baptismo etiam in fictione suscepto. Quamuis, inquam, sic explicet Doctor Augustini verba in illo tertio dicendi modo, quia tamen primus ab eo assignatus est communior, & probabilior, ac ei magis adhæret, vt ibi notant Aretinus, Bassolius, Faber, Cétinus, & alij Scotistæ illa explicatio non est omninò admittenda, estò eam approbet quoque Vasquez *disput.* 159. *cap.* 4. quia si benè perpendantur Augustini verba *loc. cit.* conceptis, & prægnantibus verbis significat baptismum recedente fictione valere etiam ad remittenda peccata præcedentia, & conferendam iustificationis gratiam, vt latè ostendunt Coninch. *quæst.* 62. *ar.* 1. *dub.* 5. & Lugo *disp.* 9. de Sacramentis in communi sec. 3. & alij Recentiores passim. Tùm quia eo modo, quo explicat Doctor in illo tertio dicendi modo, valebat Baptismus etiam ex tunc, quandò indigne susceptus fuit, tunc enim impletum fuit baptismi præceptum, & subiectum redditum fuit capax aliorum sacramentorum, & respectu pœnitentiæ dispositum; at Augustinus *loc. cit.* dicit baptismum tunc incipere valere ad salutem, quando homo posteà disponitur, & recedit fictio, quod planè aliter intelligi non potest, nisi quia tunc confert salutarem suum effectum.

143 Qua etiam ratione neque valet aliorum expositio, quod Augustinus intelligat tunc baptismum valere solùm ad remittendum totum reatum pœnæ, quod non potest pœnitentia, supponendo remissionem culpæ fieri per actum perfectæ contritionis, vel attritionis cum sacramento pœnitentiæ; itaut baptismus deseruiat solùm ad plenam remissionem pœnæ, non verò ad remissionem culpæ, vel infusionem gratiæ, quam etiam expositionem approbat Vasquez *loc. cit.* Non inquam, hæc expositio admitti debet, quia Augustinus non solum adscribit baptismo præterito remissionem pœnæ temporalis, sed etiam salutem, remissionem peccatorum, & vitam, & absolutè docet valere ad salutem, & remissionem peccatorum, & ita absolutè debet intelligi de collatione gratiæ, & remissione culpæ; sic enim loquitur lib. illo 1. de baptismo cap. 12. non iterum baptizandus est, quia ipsa reconciliatione, & pace præstatur, vt ad remissionem peccatorum eius iam prodesse incipiat sacramentum, quod acceptum in schismate prodesse non poterat. Et *lib.* 3. *cap.* 13. Tunc incipit valere idem baptismus ad dimittenda peccata, cùm ad Ecclesiæ pacem venerint. Et *lib.* 6. *cap.* 5. Et ideò si ab illa peruersitate correptus venerit ad catholicam pacem, sub eodem baptismate, quod acceperat, etiam peccata dimittuntur. Ità Augustinus *loc. cit.* quibus verbis ore rotundo docet baptismum recedente fictione posteà conferre non solam pœnæ temporalis remissionem, sed salutem animæ, hoc est, vitam.

144 Deindè probatur ratione, quia baptismus debet aliquando suum effectum habere, si tollatur obex fictionis, aut impedimenti, alias non possent peccata antè baptismum fictè susceptum commissa per se vnquam deleri; non enim deleri possunt per pœnitentiam per se loquendo, & multò minus per alia sacramenta, nam pœnitentia per se non, respicit, tanquam proprium obiectum; nisi peccata post baptismum commissa, aut quæ comittuntur in ipsa baptismi susceptione, vt omnes fatentur.

Respondent, non esse necessarium, quod peccata commissa, antè baptismum fictè susceptum per se tollantur, sed sufficere quod per se, vel per accidens tollantur per aliud sacramentum, quod in casu esset pœnitentia; quam solutionem approbat Poncius *disp.* 41. *qu.* 10. *concl.* 4. vbi inquit quantum ad vtilitatem nostram parum referre, quod peccata antè baptismum commissa tollantur per baptismum, vel pœnitentiam, dumodò ablata fictione remittantur; & quod seclusa communi Theologorum auctoritate, existimaret posse dici, quod non sit baptismus, qui confert gratiam recedente fictione, sed pœnitentia; vndè concludit, quod baptismus valet recedente fictione quantum ad hoc, quod gratia, quæ præstaretur per ipsum, nisi adesset fictio, conferatur per pœnitentiam ablata fictione, quod tamen non fieret per ipsam, nisi precessisset baptismus, qui in re, vel voto est necessarium ad salutem. Sed hæc solutio non satisfacit, quia neque contritio, neque pœnitentia sacramentum totam pœnam condonat, nec per se, nec per accidens; sed hoc tantùm conuenit baptismo; ergò cum baptismus iterari non possit, dicendum est peccata iam cōmissa ex vi præcedentis baptismi dimitti recedente fictione, cùm hic effectus baptismi aliundè seppeliri non possit; Tùm quia, vt arguit Isambertus, nulla peccata per accidēs remittuntur, aut per concomitantiam vi alicuius sacramenti, aut actus peccatoris, nisi in voto saltem implicito illius sacramenti, ad quod per se spectat tollere illa peccata; sed in pœnitentia non continetur votum vllo modo sacramenti baptismi, ad quod per se spectat tollere peccatum originale, & alia antè baptismum commissa; ergò pœnitentia non potest tollere peccata antè baptismum contracta; & quidem omninò gratis ait Poncius in maiori huius argumenti principium peti, hoc enim probare tenebatur.

Tertiò dicendum, quod esto in casu proposito præcedentis asserti peccata baptismum præcedentia tollantur vi baptismi præcedentis sublata fictione per contritionem, vel pœnitentiam; ipsa tamen fictio, & sacrilegium per ipsam commissum in susceptione baptismi non tollitur in virtute baptismi, sed virtute contritionis, vel pœnitentiæ. Hæc etiam assertio est Scoti *loc. cit.* in qua omnes conuenire videntur; & primò probatur ex Concil. Trident. sess. 6. can. 14. vbi asseritur peccata post baptismum commissa non posse per baptismum deleri, sed per pœnitentiam, deindè probatur ratione, nam cùm peccatum in ipsa baptismi receptione, commissum, & post ipsam susceptionem perseuerans sit posterius baptismo saltem natura, quia est sacrilegium cōmissum ob indignam baptismi susceptionem, non potest delere, nisi per sacramentum pœnitentiæ, vel per contritionem; ergò posita contritione, vel attritione cum sacramento pœnitentiæ directè deletur peccatum in susceptione baptismi commissum. Tùm etiam quia, vt inquit Doctor, tale fictionis peccatum per se, ac directè opponitur ipsi baptismo, & eius effectui, est enim formaliter iniuria, & irreuerētia in sacramentum, & est impedimentum baptismalis effectus; ergò per ipsum baptismum auferi nequit, sed alio adæquato remedio tolli debebit, qua fictione sublata totum suum effectum baptismus habebit quoad reliqua peccata ipsum præcedentia. 145

Sed Dices, tale fictionis peccatum inter peccata baptismum præcedentia computari debere, quia consistit in voluntate suscipiendi baptismum indignè; talis autem voluntas suscipiendi baptismum prior est ipsa baptismi susceptione; ergo per baptismum remitti poterit. Respondeo negando assumptum, nam si talis voluntas antè susceptionem baptismi cessaret, tunc vtique ad peccata baptismum præcedentia pertineret, & virtute baptismi deleretur; at non sic contingit in casu nostro, in quo supponimus ex tali voluntate sequi sacrilegam baptismi susceptionem; & sic pertinere debet ad peccata baptismum subsequentia; & ratio est, quia baptismus prius natura characterem confert, quàm gratiam sanctificantem, siquidem ad imprimendum characterem illas non requirit dispositiones, quas exigit ad gratiam: atque ideò quando quis obicem ponit gratiæ baptismali per sacrilegam fictionem, iam intelligitur charactere baptismali signatus; ergò talem sacrilegium, prout reipsa fit, ab homine baptizato fieri censetur, ac proindè clauibus Ecclesiæ subiecto; atque ità peccatum tale, vel per sacramentum pœnitentiæ tolli debet, vel extrà sacramentum per contritionem; Vndè fatendum est, quod si quis antecedenter animum habuisset fictè, & indigne sacramentum suscipiendi, sed antè actualem susceptionem resipiscens se disponere curaret, & in ipso actu bona fide susciperet, tunc sanè baptismus haberet etiam vim delendi peccatum illud fictionis mente antecedenter commissum, & non opere consummatum in actu susceptionis, vt benè discurrit Auersa *q.* 69. *sec.* 3. nec tale peccatum esset posteà Ecclesiæ pedibus subijciendum; at quando completur, & consumatur peccatum reipsa indignè sacramentum suscipiendo; tunc non remittuntur virtute baptismi, sed pœnitentiæ, & ità est in casu nostro. 146

Hanc rationem impugnat Poncius *loc. cit.* nam falsum est, quod peccatum fictionis sequatur impressionem characteris, quandoquidem reperiatur in eo, qui accedit ad sacramentum, & ob ipsum fiat, vt sacramentum non sortiatur effectum gratiæ; quod non esset verum, si non præcederet collationem sacramenti, & impressionem characteris. At hæc obie- 147

obiectio procedit, tanquam si nos loqueremur de prioritate temporis, at nos loquimur de prioritate naturæ, nam potest baptismus considerari in priori signo naturæ, tanquam validus in substantia, & in posteriori quodam signo, tanquã conferens suum effectum; peccatum autem fictionis, de qua hic loquimur, vt diximus ab initio quæstionis non impedit substantiam, & validitatem baptismi, loquimur enim in casu, in quo nihil desit ad baptismi valorem; sed impedit solùm effectum baptismi in posteriori signo, supponẽs validitatem in priori, & tunc consummatur; Quodammodo ergò consequitur ad validitatem baptismi, atque ideò se habet, sicut alia peccata consequentia, quæ diximus non deleri per baptismum, sed per pœnitentiam; Quod si hæc ratio non placet Poncio, aliam quoque iam ex Scoto adduximus, quam ipse approbat, ideò peccatum fictionis non tolli per baptismum, quia licet præcedat baptismum, adhuc tamen ad sacramentum pœnitentiæ per se spectare videtur, quia per illam directè impeditur effectus baptismi, & habetur in actuali eius susceptione, iuxtà quam doctrinam solui etiam potest obiectio adducta sub *num.* 146.

148 Quartò; si contingat concomitanter committi aliquod peccatum in ipsa actuali susceptione baptismi, vt si actu tunc quis habeat voluntatem furandi, aut fornicandi, aut odij, vel inuidiæ &c. quæri etiam solet, num remittendum postea sit virtute baptismi recedente fictione, an potius virtute contritionis, vel pœnitentiæ, sicut dimittitur ipsa fictio; & quidem quæstio est, si talis voluntas, vel complacentia de obiecto prauo duret vsque ad vltimum instans susceptionis baptismi inclusiuè, & non vlterius; quia si actualiter perseueret finito baptismo, iam computabitur inter peccata baptismum consequentia, atque ità per pœnitentiam, vel contritionem dimittetur, & non virtute baptismi. D. Thomas *art.* 10 ad 2. Caietanus ibidem, & passim alij Thomistæ docent peccata actualia baptismum concomitantia modo iam declarato, sublata fictione tolli per ipsum baptismum, vndè hanc ponunt differentiam inter fictionem sacrilegam, & alia actualia peccata concomitantia, quod fictio non tollatur per baptismum, sed per pœnitentiæ sacramentum, aut contritionem, reliqua verò per baptismum; Ex quo inferũt, quod non sit opus reliqua peccata confiteri, sed solam fictionem, ac proindè sufficere, si quis dicat se fictè, & indignè baptismum suscepisse, non addendo in eodem baptismi momento actuale odium habuisse, vel concupiscentiam; ità Caiet. ibi, Siluius, Nugnus, Baldius, Cabrera, Auersa, Villalobos, Diana, & alij Summistæ.

Fundamentum est, quia Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 2. sola peccata post baptismum commissa decernit debere subijci clauibus Ecclesiæ, atq; adeò non remitti virtute baptismi; sed peccata, de quibus est sermo, sunt baptismum concomitantia, & in eius actuali susceptione commissa, non verò post baptismum; ergò virtute baptismi remitti debent. Quod etiam ratione suadetur, quia talis est institutio baptismi, & tam ampla virtus eius, vt ad omnia peccata antecedentia, & concomitantia delenda se extendat; & solùm peccata consequentia, & peccatum ipsum fictionis, quod ei directè, & formaliter opponitur, & quodammodò etiam consequitur, subijciuntur alteri distincto Pœnitentiæ sacramento; ità arguit Auersa *q.* 6 9. *sec.* 3.

149 Dicendum tamen est cum Scoto *loc. cit.* infra D. etiam peccata baptismum concomitantia modo prædeclarato virtute contritionis, vel pœnitentiæ dimitti, sicut dimittitur ipsa fictio, non virtute baptismi; quod etiam tenent Coninch. *q.* 62. *art.* 1. *dub.* 6. Caspensis *disp.* 6. *de sacramentis in genere sect.* 2. & alij Recentiores; & probant ratione ab eodẽ Scoto insinuata, communiter enim ab omnibus conceditur ideò indignam baptismi susceptionem non posse postea per ipsum dimitti, quia directè impedit effectum eius, ac ei irreuerentiam infert; non enim probabile videtur sacramentum esse institutum ad remittendum illud peccatum, quod eius vim eneruat, effectum impedit, eique directè opponitur, & irreuerentiam infert; vndè neque pœnitentia tollit peccatum in actu pœnitentiæ commissum, hoc enim beneficio priuatur, qui ei iniuriam infert, sicut qui violat Ecclesiam, priuatur beneficio immunitatis Ecclesiasticæ; sed alterum peccatum sacrilegæ fictioni coniunctum in casu posito eodem modo virtuti baptismi opponeretur, eius effectum impediret, & iniuriam inferret; ergò per ipsum remitti non potest, minor probatur, quia indigna susceptio sacramenti ideò eius virtutem directè impedit, quia debitæ dispositioni directè repugnat; atqui quoduis aliud peccatum mortale durans in susceptione sacramenti, vsque ad vltimum eius instans debitæ dispositioni directè repugnat, imò ad ipsam sacrilegam fictionem attinet, quia omne peccatum, quod fit contrà dignam sacramenti receptionem, integrat fictionem; ergò pariter impedit eius virtutem, ac proindè eius virtute remitti non potest.

Ex hoc sequitur tam ipsam baptismi indignam susceptionem, quam aliud quodlibet peccatum, quod eodem instanti, quo baptismus completur, & perficitur, adhuc committitur, posteà speciatim in confessione explicandum esse, quia per baptismum remitti nequeunt; quod etiam suadet Coninch. quia cùm suscipiens eodem instanti, quo baptismus perficitur, censeatur baptizatus, censetur etiam Ecclesiæ subiectus, itaut pro eo instanti non possit dici absolutè non subiectus; atque ideò cùm eius peccatum adhuc eo instanti duret ex suppositione iam facta, confessioni submitti debet, quia omne peccatum à subiecto Ecclesiæ commissum subiacet clauibus, & est materia absolutionis, vt docet Trid. *sess.* 14. *cap.* 2. Ex quo patet ad fundamentum aliorum; peccata enim baptismum concomitantia inter peccata ipsum consequentia computari debent, sicut computatur ipsa fictio ob rationem allatam in probanda conclusione; Et Concilium per peccata post baptismum commissa omnia illa intelligit, quæ contra distinguuntur à peccatis antè baptismum commissis, non autem ab eis, quæ in ipsa baptismi susceptione committuntur cum eius iniuria, ideoque hæc quoque sub illis comprehenduntur. Ad rationem negatur assumptum; & si peccatum ipsum fictionis, quod in ipsa sacramenti susceptione committitur, ideò non per baptismum remittitur, sed per pœnitentiam; quia ei directè, & formaliter opponitur, ac eius impedit effectum; idem pariter iudicium fieri debet de alijs tunc temporis commissis, quia & ipsa eius virtuti opponuntur, & effectum impediunt, & ad ipsam sacrilegam fictionem pertinent, quia omne peccatum, quod fit contrà dignam sacramenti receptionem, integrat fictionem. 150

Quintò ex hac doctrina patet recta intelligentia casus, 151
quem ponit Doctor *loc. cit.* quod si baptizatus antè baptismum commisit septem peccata mortalia, & venit ad baptismum de sex attritus, septimum autem actu placet, vel de eo nullo modo atteritur, licet recedente fictione illa sex, de quibus est attritus, virtute baptismi reuiuiscentis remittantur tamen, quia illud septimum fuit causa fictionis in susceptione baptismi, ideò rationabile est quod respectu eius non habeat baptismus efficaciam, sed respectu aliorum, quia ipsum formaliter impediuit effectum baptismi, alia non; Et tunc illa propositio, inquit Doctor, peccatum mortale post baptismum non deletur, nisi per pœnitentiam, debet intelligi de peccato commisso post baptismum, vel omninò inhærente, sic, scilicet, quod de ipso nec fuerit contritio, nec attritio in baptismo, nec post baptismum; ità Doctor *qu.* 5. *cit.* infrà D. Vbi quando illud septimum peccatum vocat inhærens, non loquitur de inhærentia habituali eo modo, quo infuit antè baptismum, sed de inhærentia actuali per complacentiam inquantum dedit causam fictioni per talem perseuerantiam, & in hoc sensu intelligit Doctor illud septimum esse causam fictionis, seù indignæ receptionis sacramenti; illud ergo sic animo continuatum fit actuale in eo instanti recepti sacramenti, & sic non spectat ad baptismum, sed ad pœnitentiam, quia vt suprà dictum est, omne peccatum, quod fit contrà dignam receptionem sacramenti concurrit ad integrandam fictionem; Et hanc esse veram istius textus intelligentiam Hiqueus deducit ex Reportatis 4. *d.* 4. *q.* 7. §. *ad quæstionem* in solutione ad primam obiectionem, vbi ait Doctor; dico, quod fictus potest habere multa peccata, & non propter quodlibet est fictus, quia de multis potest habere displicentiam continuando tantum vnum, & oportet habere pœnitentiam de illo vno peccato, sicut de omisso post baptismum, & alia delentur per baptismum; ità Doctor ibi, vndè patet, quod peccatum illud septimum v. g. adulterium, in quo baptizandus actualiter complacet, est peccatum baptismi receptionem concomitans, cùm Doctor illud durare supponat vsq; ad instans, in quo consummatur baptismus inclusiuè, atque etiam post baptismum perfectum; quamuis enim adulterium illud quoad actum, seù quoad subtractum non duret, sed transierit; permanet tamen quoad voluntatem, & complacẽtiam, atque ideò inter peccata concomitantia, vel etiam subsequentia baptismum compu-

computari debet, & consequenter per pœnitentiam delendum, non per baptismum.

152 Hinc cessat instantia, quam vrget Suar. *to. 3. disp. 28. sec. 5.* contrà præfatam Scoti doctrinam, quia ex ea sequitur aliquod peccatum antè baptismum commissum esse necessariò confitendum; dicit enim Scotus quod si aliquis quando baptizatur, habet complacentiam alicuius peccati antè baptismum commissi, illud peccatum posteà non deletur recedente fictione per baptismum, sed per pœnitentiam, quoniam illud peccatum baptismi effectum impediuit; ergo in Scoti sententia aliquod peccatum antè baptismum commissum est necessariò confitendum. Cessat inquam, hæc instantia ex allata declaratione, nam in peccato antè baptismum commisso, v.g. adulterio, duo possumus considerare, primò ipsum actum peccaminosum adulterij iam commissi, in quo homo dicitur esse habitualiter, quousque sibi dimittatur, & hic baptismum non impediuit, ac propterea confessioni non subijcitur; deindè considerari potest complacentia de illo actu præterito, quam ille habuit, & hæc fuit fictio, quæ effectum baptismi impediuit, quæ postea per baptismum non deletur, sed per pœnitentiam, & ideò est confitenda; quarè quando Doctor inquit, peccatum illud septimum, v.g. adulterij, non deleri per baptismum, quia fuit causa fictionis, sed per pœnitentiam, non loquitur de peccato ipso adulterij, sed de eius complacentia, quam habuit in receptione baptismi, vsque ad vltimum instans; & quando illud septimum peccatum appellat *omnino inhærens*, intelligit de inesse, & inhærere per continuationem, & voluntarium consensum, non autem per solam maculam habituale, quia sic etiam reliqua sex peccata inhærent antè, & post baptismum in eo casu susceptum; neque peccatum vllum dat causam fictioni, nisi medio libero consensu voluntatis peccati, ex quo oritur positiua fictio, vel obex ad fructuosam sacramenti susceptionem, & hoc etiam modo hunc Scoti textum exponit Aretinus *d. 4. cit. q. 5. art. 3. in fine*.

153 Sextò tandem dicendum est sacramentum baptismi reuiuiscens quandoque gratiam conferre, vt causam totalem, quandoque verò, vt partialem tantum; quando reuiuiscit per solam attritionem per ablationem obicis negatiui tantùm, tunc solus totam gratiam confert, vt satis constat ex dictis in prima conclusione sub *num.* 141. quia in eo casu nihil est aliud, quod possit gratiam causare: quando verò reuiuiscit per sacramentum pœnitentiæ in ablatione obicis positiui, vt in casu secundæ conclusionis sub num. 142. simul natura cum eo confert gratiam, vt causa partialis, & quidem maiorem, quam vnumquodque seorsim per se conferret, quia vtrumque sacramentum habet vim causandi certam gratiam, nec vnum alterius vim impedit; ità Doctor quæst. 5. cit. lit. D. vbi ait, quod ad iustificandum fictum post fictionem concurrunt pœnitentia, & baptismus, vt partiales causæ, quarum quælibet respicit obiectum suum, baptismus enim respicit originale, & actualia, siuè propria ante eius susceptionem commissa; pœnitentia verò omnia alia, quæ fuerunt causa fictionis, vel post baptismum commissa; Et ratio est, quia tunc nec baptismus potest gratiam conferre se solo cum peccata post se commissa remittere nequeat; nec pœnitentia potest peccata delere antè baptismum commissa, quia ei non subiacent; & cùm ex alia parte nequeat gratia infundi sine peccatorum remissione, nec vnum peccatum possit sine alio remitti, sequitur neutrum sacramentum posse habere effectum sine alio, sed suum effectum conferunt simul dependenter a se mutuo, seu cum mutua dependentia vnius ab alio, sicut duo idem leuant pondus, quod neuter seorsim leuare poterat.

Quandò autem hæc duo remedia in eodem instanti temporis simul suum operantur effectum, non est hic exquiren-
154 dus ordo prioritatis naturæ in causando, quodnam, scilicet, eorum prius causet, nam sunt causæ morales, & motiuæ, à quibus mouetur Deus simul ad causandam gratiam baptismalem, & pœnitentialem in eodem signo, non solùm temporis, sed etiam naturæ; etenim si vnum antè aliud suum conferret effectum, idest, gratiam iustificationis, & peccatorum remissionem, quæ ei subijciuntur; omninò eo ipso alia etiam peccata remitterentur, quia intelligi nequit in aliquo signo quædam peccata remitti per infusionem gratiæ, & non alia; nec specialiter intelligi potest prius per pœnitentiam remitti peccata post baptismum commissa, & in ipso baptismo quàm virtute baptismi peccatum originale, & actualia antè ipsum commissa; quarè præstat dicere simul ordine naturæ omnia peccata deleri, & ambo remedia simul suum conferre effectum; Et quamuis gratia per ea sacramenta collata omnibus peccatis æqualiter repugnet, totaque ad vtroque sacramento conferatur, licet non totaliter; adhuc tamen dici potest aliqua peccata per vnum sacramentum remitti, & alia per aliud, vt puta commissa post baptismum, vel in baptismo per pœnitentiam: commissa verò anteà virtute baptismi; & ratio huius facilè ex principijs nostris deducitur, quia nimirum gratia non habet per se, & ex natura sua vim remittendi peccata, vt dictum est *lib. 2. disp. 7. de Iustific.* sed tantùm ex Dei instituto, qui per eiusdem gratiæ infusionem intendere potest quædam peccata remittere, quatenus ea ab vno sacramento producitur, & alia quatenus producitur ab alio, prout cuique sacramento vim Deus indidit. Neque hoc vllum est inconueniens, quia pariter dicimus eundem charitatis actum totum à potentia produci, & totum ab habitu, licet non totaliter, & à potentia habere, quod sit liber, & ab habitu, quod sit supernaturalis; quam Scoticam doctrinam adamussim amplectuntur Suarez, Lugo, Amersa, Coninck. & alij Recentiores, licet repugnet Vasquez *disp. 160. num. 24.* vbi contendit non simul natura per vtrumque remedium gratiam conferri, sed prius conferri per consequens remedium, quo, scilicet, aufertur fictio, quæ impediebat vim, & effectum antecedentis remedij, cui art. seq. occurrimus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Instantiæ Vasquez contra allatam doctrinam excluduntur.

Contrà præcedentem doctrinam pluribus instat Vasquez *disput. 159. cap. 3.* Primò, quia in casu posito vtrumque 155
sacramentum simul concurrere non potest, priùs enim concurrit pœnitentia, per quam aufertur obex, & fictio, quæ effectum baptismi impediebat; ergò prius tollitur per sacramentum pœnitentiæ peccatum fictionis, atque adeò indirectè alia omnia, quia gratia cum omnibus est æquè incompossibilis, antequam baptismus operetur: atque ità gratia per sacramentum pœnitentiæ data delet omnia peccata, quædam per se, vt fictionem, quæ ad materiam pœnitentiæ per se spectat: alia verò, quæ præcesserunt baptismum per accidens; ergò ad remissionem eorum nihil facit baptismus; quia nullum inuenit in posteriori signo naturæ operans, quod remittat.

Resp. hanc non esse nouam difficultatem, sed eam sibimet Doctorem iam anteà obiecisse, & soluisse, lit. D. quando dixit, quod pœnitentia vera perfectè Deo reconciliat, & per consequens nullum peccatum relinquit: sed tamen non omne, quod in fuit per se curat, sed tantùm illud, quod est obiectum pœnitentiæ; non ergo per virtutem pænitentiæ dimittuntur hic omnia peccata, sed dimittuntur partim per pænitentiam, partim per aliam causam scilicet, baptismum, & sic non habetur dimidia venia peccatorum, sed tota à Deo, non tamen tota per pænitentiam, quia non oportuit de omnibus, quæ inerant peccatis, pænitere: ità Doctor, quibus verbis non intendit, quod prius gratia pænitentialis infundatur, per quam præcisè fictio remittatur, mox in posteriori naturæ signo gratia baptismalis subsequatur ad remittenda reliqua peccata, quæ ad pænitentiam non spectant, hoc enim benè impugnatur per argumentum ex natura gratiæ deductum, quæ habet remissionem annexam cuiusque peccati damnationem inferentis: Sed ità debet intelligi, vt constat ex dictis n. 154. quod applicatio pœnitentiæ sacramento in vltimo instanti prolationis verborum simul datur gratia pænitentiæ, & baptismi virtute vtriusq; sacramenti; vt enim dictum est *loc. cit.* quando duæ causæ ità concurrunt, vt vna in causatione sui effectus ab altera dependeat, neutra prius causat, sed vtraq; simul, ità autem causant in casu nostro Pænitentia, & Baptismus, quia dependentia est mutua in eo casu, & causalitas simultanea, & hoc est, quod intendit Doctor, dùm dicit loc. cit. in pœnitentia omnia remitti, non tamen virtute solius pænitentiæ, sed etiam baptismi; Vndè quando applicatur pænitentia, Deus mouetur, & à pænitentia præsenti, & à baptismo præterito ad infundendam totam gratiam, quæ tota simul infusa ob vtrumque sacramentum omnia expellit peccata illius pœnitentis, vnumquodque quæ ad se spectant, vnde neque per baptismum solum tolluntur, neque per solam pænitentiam, sed per vtrumque simul.

Dices,

156 Dices, prius natura tollitur fictio, quam baptismus operetur, sed non tollitur, nisi per gratiam pænitentialem, ergo prius natura hæc infunditur, quam baptismus suum possit habere effectum, & consequenter per pænitentiam omnia remittuntur peccata, quædam directè, & per se, quædam indirectè, & per accidens. Resp. fictionem effectum baptismi impedientem sumi posse dupliciter, vel formaliter, & hæc est ipsa culpa, vel materialiter, & hæc est indispositio, seu carentia dispositionis debitæ ad remissionem omnium peccatorum mortalium; prior fictio tollitur per gratiam, hæc autem posterior tollitur per ipsam dispositionem requisitam, quæ vel est contrario extrà sacramentum, vel attritio cum sacramento pænitentiæ; Quando ergò dicitur in instantia non conferri gratiam per baptismum, nisi remota fictione; hoc verum est sumendo fictionem, non formaliter pro ipsa culpa, sed materialiter pro indispositione, seu carentia debitæ dispositionis, quæ remouetur per ipsam dispositionem, quæ est pænitentia; nam eo ipso, quod intelligitur posita attritio cum sacramento pænitentiæ, intelligitur subiectum sufficienter dispositum ad remissionem omnium mortalium; hoc autem totum intelligitur in aliquo priori signo, antequam sacramentum pænitentiæ operetur, prius enim est poni sacramentum pænitentiæ, quàm operari, vt benè in hac re discurrunt Lugo, & Auersa, atque ideò in eo priori signo intelligitur iam ablatus obex baptismi, antequã sacramentum pænitentiæ operetur, & deindè in posteriori signo naturæ ambo sacramenta simul operantur, & simul conferunt effectus gratiæ, qui tollit fictionem formaliter sumptam, scilicet, culpam, non solùm per virtutem pænitentiæ, sed etiam per virtutem baptismi, vtpotè iam non impediti; quarè pro signo subsequenti vtrumque sacramentum simul gratiam operatur, & remissionem peccatorum neutrum enim inuenit vlla peccata remissa, sed solùm inuenit ablatum obicem ad eorum remissionem.

157 Secundò arguit, explicari non posse, quomodo posteà ablato obice in posteriori signo naturæ baptismus concurrat simul cum sacramento pænitentiæ ad peccatorum remissionem; cùm enim per sacramentum pænitentiæ peccata aliqua tollantur directè, & alia omnia indirectè, non videtur restare peccatum, quod per baptismum tunc remittatur cùm illud ipsum iam sit ablatum indirectè per sacramentum pænitentiæ, & gratiam illius sacramenti; è contrà verò neque videtur peccatum, vllum remitti posse directè tunc per sacramentum pænitentiæ, quia illud peccatum remissum est indirectè per gratiam, quam confert baptismus, & ità nihil restat amplius remittendum per sacramentum pænitentiæ, nam quod attinet ab ablationem peccati, parum refert quod remittatur directè, vel indirectè, cùm vtroque modo auferatur omninò peccatum, & nihil ex ipso maneat, quod per illud sacramentum auferri possit.

Respondet Lugo *disp.9. sect.3. num.39.* vtrumque sacramentum concurrere ad tollenda peccata, sed non eodem modo, nam baptismus tendit, directè ad tollendum originale, & actualia commissa antè baptismum, vel simul cum baptismo; indirectè autem tollit etiam cætera, eo quod gratia opponitur cum omnibus; è contrà sacramentum pænitentiæ confert directè ad tollenda peccata post baptismum commissa, & indirectè tollit originale, & alia actualia peccata; neque est inconueniens, quod singula peccata tollantur per illa duo sacramenta eo duplici modo, & titulo; quæ fuit doctrina Paludani *4.d.4.quæst.5.* & explicant exemplo absolutionis sacramentalis, quæ directè remittit peccata in confessione explicata, & indirectè alia inculpabiliter oblita. Sed hic modus dicendi non placet, quia tunc dicuntur aliqua peccata indirectè remitti, quando non aliter directè remittuntur, vt constat in exemplo allato de remissione indirecta oblitorum per absolutionem sacramentalem; sed in nostro casu verè omnia directè remitti possunt, & de facto remittuntur, virtute, vnius vel alterius sacramenti; Neque exemplum adductum est ad rem, intantùm enim peccata oblita per absolutionem sacramentalem remitti dicuntur, quia per se instituta est, & per se valet ad illa etiam remittenda, quatenus in vniuersum eadem confessione inclusa intelliguntur, vt loquitur Trident. *sess.14. cap.5.* & per se apta sunt, si in mentem veniant subiici clauibus: at in casu nostro, nec baptismus institutus est, aut valet ad remittenda peccata post ipsum commissa, nec absolutio sacramentalis est per se instituta, aut valet ad remittenda peccata antè baptismum commissa, cùm non sint apta subiici clauibus; Quapropter præstat dicere cum Scoto *loc.cit.* quando vtrumque sacramentum concurrit, scilicet, baptismi, & pænitentiæ, & quando vtraque peccata simul iunguntur, tam scilicet, commissa post baptismum, quàm anteà, vnumquodque gratiam conferre, & remittere directè peccata sibi subiecta, quæ semel sic remissa, non indigent alia remissione indirecta.

158 Tertiò rursus arguit Vasquez, quia quicquid sit, quando fictio tollitur per attritionem, & sacramentum pænitentiæ: quando tamen tollitur per contritionem, negari non potest, quod contritio directè auferat omnia peccata, antequam baptismus operetur eorum remissionem, nam contritio ex sui natura pugnat æquè cum omnibus peccatis, & non potest dici magis opponi directè posterioribus, quàm prioribus, quia æqualiter opponitur omnibus; ergo ea omnia directè aufert, siuè per seipsam, siuè per gratiam annexam; atque ità nihil restat, quod baptismus præteritus directè auferat, cum iam inueniat per contritionem directè ablata peccata etiam antè baptismum commissa.

Respondet etiam ad hoc, & benè Lugo loco citato idem argumentum fieri posse, quando habetur contritio illo ipso instanti, quo perficitur sacramentum baptismi, vel pænitentiæ, nam etiam tunc ponitur contritio directè pugnans cum peccatis: ergò se sola, vel per gratiam annexam, quam secum affert, tollet directè ea peccata, ac per consequens tunc sacramentum baptismi, vel pænitentiæ non conducet ad operandam peccatorum remissionem, quæ omnia inueniunt iam directè remissa; Et tamen etiam in tali casu nemo dicit sacramentum baptismi, aut pænitentiæ non operari remissionem peccatorum, & ratio est, quia contritio non est forma se ipsa iustificans, aut peccatum expellens, vt dictum est *lib.2. disput.7.* de Iustificatione, & rursus dicemus infrà disputat. de pænitentia, sed est dispositio quædam, quæ ex Dei misericordia acceptatur ad hoc, vt ipse Deus homini contrito peccata dimittat; Vndè licet pro aliquo priori signo intelligatur iam posita contritio, pro illo tamen signo nondùm intelligitur remissum, vel ablatum peccatum, sed solùm posita dispositio proxima, quæ se sola etiam sufficeret ad impetrandam peccati remissionem; Et quia in eodem signo intelligitur positum etiam sacramentum, ideò effectus remissionis peccati, qui ponitur in signo sequenti non minus à sacramento prouenire poterit, quàm à contritione, cum vtraque illa causa pro signo præcedenti præintelligatur cum actiuitate ad illum effectum, qui proindè in signo sequenti intelligi nequit magis ab vna procedere, quam ab alia. Idem igitur, inquit Lugo, est in nostro casu dicendum, quando sacramentum baptismi tempore præcessit, & posteà per contritionem tollitur eius obex; nam tunc etiam non intelligitur prius posita contritio, quàm sacramentum ablato obice: sed vtrumque intelligitur simul, cùm per ipsam contritionem formaliter auferatur obex, qui non est aliud, quàm carentia dispositionis debitæ ad remissionem peccati: non itaque inuenit baptismus reuiuiscens peccatum remissum, quando operatur, sed solùm inuenit contritionem pro eodem signo, in quo reuiuiscit, & simul cum contritione in posteriori signo subsequenti operatur gratiam iustificantem, & peccati remissionem.

159 Quartò vrget vlterius Vasquez, quia vt Augustinus, cuius doctrinæ præsertim tota innititur doctrina de reuiuiscentia baptismi ablato obice per pænitentiam, hoc priuilegium, & hanc efficaciam baptismo præterito tribueret, debuisset habere fundamentum aliquod traditionis, aut definitionis, aut Scripturæ, aut rationis, quod tamen ad talem efficaciam baptismo ex opere operato tribuendam, nullum prorsus extat.

Respond. quod licet solius Augustini auctoritas, quæ fundatur in benigna interpretatione diuinæ misericordiæ, ad hoc asserendum sufficeret, tamen non solus Augustinus, & in vniuersum Scholastici omnes docuerunt baptismum recedente fictione ad salutem valere, sed plures alij Patres, quorum testimonia verbatim adducunt Lugo, & Hiqueus, & alij Recentiores passim. Neque etiam Augustinus id sine vrgenti ratione asseruit in doctrina sacræ Scripturæ, & traditione Ecclesiæ fundata: vt enim constat ex locis supracitatis, motus est ad hanc efficaciam baptismo tribuendum ex eo, quod baptismus in re, vel in voto ad peccatorum remissionem necessarius est necessitate medij, quæ antè ipsum sunt commissa, & ad expiationem quoq; peccati originalis; cum ergò baptismus ille ro-

le reiterari non possit, consequens est, vt virtute baptismi præteriti auferantur posteà peccatum originale, & alia peccata ante ipsum commissa, quando fuerit obex ablatus.

Sed hanc quoque rationem improbat Vasquez, vt prorsus inanem, quia dum quis dicitur iustificari per votum sacramenti, non ità intelligi debet, quasi hoc votum influat in iustificationis effectum, præter vim ipsius contritionis, in qua dicitur includi; sed solum quia stante obligatione, includitur sacramentum, omninò in contritione includitur votum recipiendi illud; quod experimur in pœnitentiæ sacramento, hoc enim necessarium est in re, vel in voto ad remissionem peccati mortalis post baptismum commissi, & tamen quandò aliquis per actum contritionis extrà sacramentum iustificatur, in quo continetur votum implicitum sacramenti, non concurrit ipsum sacramentum, aut votum ipsius tribuens aliquam efficaciam contritioni, quam ipsa non habebat antè sacramenti institutionem, & quam non haberet, etiamsi sacramentum institutum non esset; sed dicitur sacramentum necessarium in re, vel in voto, quia nisi de facto fuerit susceptum, necessarium est ad veram contritionem propositum suscipiendi illud, alioquin non erit vera contritio, cum non includat propositum seruandi omnia præcepta, quorum vnum est de suscipiendo sacramento. Hoc autem non habet locum in proposito de baptismo, quando iam receptum fuit sacramentum, & non debet, nec potest iterum recipi; quarè concludit dici debere remissionem originalis, & aliorum peccatorum præcedentium baptismum, non posse obtineri nisi vel in baptismo, vel in voto baptismi, vel post susceptum baptismum.

160 At planè communis loquendi modus Patrum est, vt remissio huiusmodi peccatorum non concedatur, nisi per baptismum in re, vel in voto, & ità loquitur Trident. *sess. 6. cap. 4. & cap. 6.* dicit requiri votum, seu voluntatem suscipiendi baptismum, & *sess. 14. cap. 1. & 2.* materiam circà quam baptismi inquit esse peccata antè baptismum commissa, commissa verò post baptismum esse materiam pœnitentiæ; Quarè cum pœnitentia non possit in virtute baptismi illa peccata ante baptismum commissa remittere, quia non est talis subordinatio eius ad baptismum, fatendum est vel baptismum ipsum in re susceptum, talem conferre effectum, vel contritionem eius votum inuoluentem, hoc est, desiderium, & propositum illud suscipiendi; quamuis etiam verum sit, quod dicebat Vasquez, hoc votum per se non habere alium influxum præter vim ipsiusmet contritionis; Quando ergò iam susceptum fuit ipsum sacramentum, atque ideò non potest iterum suscipi, nec haberi votum suscipiendi, necessariò dicendum est per illud ipsum iam præteritum talem effectum obtineri posse, statim ac fuerit sublata fictio, qua anteà fuerat impeditus.

Confirmatur, quia Christus inter remedia nostræ salutis sacramenta instituit, quibus per se ex opere operato remitti possint omnia peccata, & originale, & actualia, & quidem pro remissione actualium post baptismum commissorum instituit pœnitentiæ sacramentum; pro originali verò, & actualibus antè baptismum commissis ipsum baptismi sacramentum; igitur cum hoc sacramentum ex sui institutione iterari non possit, & non nisi cum certa dispositione subiecti adultis conferat iustificationis effectum, consequenter dicendum est, ita instituisse, vt si quando ob indispositionem suscipientis frustretur suo fine, illum posteà sortiri possit recedente obice, & homine se disponente. Nec valet dicere cum Vasquez, illa peccata remitti per accidens per gratiam, quæ datur in pœnitentia, quæ per se quidem remittit fictionem, per accidens verò quicquid repugnat gratiæ, quale est originale, & reliqua quæ antecedunt baptismum. Non valet, inquam, quia Concilium *loc. cit.* docet necessitatem baptismi, vt est medium in re, vel in voto requisitum ad iustificationem; cum ergò dicat originale non remitti, nisi per baptismum in re, vel in voto, supponit nullum aliud medium remanere pro eius remissione, aliàs possent alia quoque media excogitari, quæ in tali casu valeant, vt verb. gr. circumcisio, vel remedium legis naturæ, quod non alia ratione negatur, nisi quia hæc efficacia soli baptismo tribuitur in re, vel in voto, tam à Scriptura, quam à Concilijs, & Patribus, ac proindè quodcumque aliud remedium excluditur, quàm rationem latè prosequitur Hiqueus.

161 Quintò arguit, quia recedente fictione iam baptismus non est, sed transijt, ergò non potest aliquid in anima causare, & per consequens nec aliqua peccata delere recedente fictione.

Confirmatur, quia si recedente fictione baptismus deleret peccata ante illum commissa, & sacramentum pœnitentiæ peccata post baptismum commissa, sequeretur dimidi veniam peccatorum, nam neutrum sacramentum tribueret perfectam veniam peccatorum, sed dimidia haberetur ab vno, & dimidia ab altero.

Respondeo patere ex superius dictis, quod sacramenta dicuntur causare gratiam, non vt causæ physicæ, sed ea ratione, qua mouent Deum, vt causæ morales ad producendam gratiam; baptismus itaque quando receptus fuit, obligauit Deum ex pacto, ad hoc, quod gratiam conferret sublata fictione, atque in hoc sensu gratia, quam Deus confert ablata fictione, dicitur esse effectus baptismi iam præteriti in genere causæ moralis; quod sic declarat Doctor infrà lit. C. sicut enim Deus signo suo nempè sacramento, primò astitisset ad causandum, vel dandum effectum eius, idest, gratiam, quando sacramentum suscipiebatur, nisi fuisset impedimentum, idest, fictio in suscipiente; ità paratus est semper post signi, idest, sacramenti susceptionem assistere ei, qui illud suscepit, ad causandum effectum eius, quando cessat impedimentum; atque adeò ablata fictione baptismus eundem habet effectum, quem habuisset, nisi fictio fuisset apposita.

Ad Confirmationem negat Doctor sequelam, quia etiam in tali casu habetur à Deo tota venia peccatorum, & non dimidia, licet non tota per baptismum, nec tota per pœnitentiam, sed partim per vnum, partim per aliud sacramentum; vndè aliud est neutrum sacramentum per se habere vim remittendi omnia peccata; aliud tunc haberi dimidiam peccatorum remissionem; primum verissimum est, quia non ad omnia peccata delenda quodlibet sacramentum ordinatur; alterum verò falsum est, & impossibile, quia implicat vnum mortale sine alio remitti; & ideò in eo casu nec pœnitentia delere potest peccata post baptismum commissa sine baptismo remittente peccata antè ipsum patrata; neque è contrà baptismus delere potest peccata antè ipsum commissa sine pœnitentia delente peccata baptismum subsecuta; vndè ambo sacramenta simul delent peccata, quæ ad se pertinent, cum mutua dependentia vnius ab alio, vt declaratum est *num. 154.* nam baptismus simul cum contritione, vel pœnitentia concurrit ad producendam gratiam omnium illorum peccatorum remissiuam; eandem enim gratia, vt remissiua peccatorum antè baptismum est à baptismo; vt remissiua peccatorum post baptismum est à pœnitentia, vel contritione.

Sextò tandem arguitur, quia si baptismus haberet suum effectum gratiæ recedente fictione, sequeretur maiorem habere gratiā fictum pænitentem, quam si sine fictione baptismum suscepisset; sed hoc est falsum, quia prodesset ei fictio, & ex fictione commodum reportasset; sequela probatur, quia si non fuisset fictus, & post baptismum debitè susceptum similia peccata commisisset; & pæniteret de illis, non consequeretur tantam gratiam, quantam modo recipit, quia fuit fictus, quandoquidem consequeretur præcisè illam gratiam, quæ virtute pœnitentiæ conferri solet; ille verò, qui fuit fictus, vltrà gratiam virtute pęnitentiæ collatam, aliam quoq; consequeretur virtute baptismi. Conf. quia nullum peccatum, quod post baptismum inest homini, potest absq; pœnitentia deleri, (quæ est secunda tabula post naufragium) sed alia quoque peccata etiam antè baptismum commissa cum fictione susceptum insunt homini ficto post baptismum; ergo hæc quoq; peccata non nisi per pœnitentiam deleri possunt, atque ità baptismo reuiuiscenti ablacta fictio, ne nihil delendum remanet. 162

Respondet Doctor infrà lit. E. negando consequentiam, quinimò accedens ad baptismum cum fictione maximum ex tali fictione reportaret incommodum, & detrimentum, nam toto illo tempore post fictionem vsque ad pœnitentiam esset filius Diaboli, & gehennæ, & omnia opera eius sunt nullius valoris: si autem non fuisset fictus, fuisset filius Dei, & regni quoadusque peccaret mortaliter, & opera eius bona fuissent meritoria augumenti gratiæ, & gloriæ, atque ità maiorem gratiam haberet, quàm sit illa, quam consequitur, dùm de fictione pænitet, tam virtute baptismi; quam pœnitentiæ; Aliam quoque addit Doctor solutionem, quæ dependet ex dictis *libr. 2. disputat. de* *iusti-*

Iustificatione in quæstione de meritorium reuiuiscentia.

Ad Confirmationem, inquit Doctor ibidem quod illa maior, scilicet, nullum peccatum, quod post baptismum inest homini, potest absque pœnitentia deleri, debet intelligi de peccato commisso post baptismum, vel omninò inhærente, idest, quod de ipso nec fuerit contritio, nec attritio, in baptismo, nec post baptismum; vbi Doctor non loquitur de inhærentia habituali peccati, eo modo quo insuit antè baptismum, sed de inhærentia actuali per complacentiam, hoc est, de inhærentia per continuationem, & voluntarium consensum, non autem per solam maculam habitualem, quia sic etiam reliqua antè baptismum commissa inhærent antè, & post baptismum cum fictione susceptum, vt declaratum est supra *num.* 151. peccata autem antè peccatum commissa, quæ causam fictioni non dederunt, insunt, & inhærent homini etiam post baptismum, quousque tollatur fictio, inhærentia sola habituali, & per maculam habitualem, non autem per continuationem, & complacentiam, & ideò malè deducitur, quod non possint, nisi per pœnitentiam deleri.

ARTICVLVS TERTIVS.

An cætera sacramenta gratiam conferant recedente fictione.

163 HIc quæri solet, an etiam cætera sacramenta gratiam conferant recedente fictione; vel hoc sit peculiare Baptismi priuilegium; in qua difficultate dici potest tot esse sententias, quot capita, adeout Amicus *disp.* 4. *de sacram. in communi*, & Lugo *disput.* 9. sex de hac referant sententias; nam alij hoc affirmant de solo baptismo; alij de omnibus in vniuersum: alij de quibusdam alijs sacramentis vltrà baptismum, sed non de omnibus, & præsertim de pœnitentia, quam putant informem dari posse, sicut datur baptismus, nam in ea opinione de pœnitentia informi peccata fictè confessa non tenemur amplius confiteri, cùm semel validè clauibus subiecta sint; ergo ne remaneant sine vllo sacramenti remedio perpetuò irremissibilia, debent virtute præteritæ confessionis, cùm primum recedit fictio, remitti.

Communior, ac probabilior sententia est hoc priuilegium conuenire omnibus sacramentis characterem imprimentibus, ac proindè non solùm baptismo, sed etiam Ordini, & Confirmationi concedi debere, quæ nullo modo iterari possunt; quod præsertim ex nostris docuerunt Bassolius, Poncius, Brancatus, & alij Recentiores, & colligunt ex Scoto 1. *distinction.* 1. *quæst.* 5. §. *contrà istam opinionem, vers. quartò arguitur in fine*, vbi negat per alia sacramenta imprimi ornatum characteri similem, quia aliàs recedente fictione causarent suum effectum, scilicet, gratiam, cùm remaneret dispositio ad eam; & probant, quia non alia ratione hoc conceditur baptismo, nisi quia imprimit characterem, qui est dispositio ad gratiam ex Dei institutione, eamque operatur recedente fictione; ergo cùm etiam Ordo, & Confirmatio characterem imprimant, idem de ipsis asserendum erit; Sed quamuis hæc ratio sit probabilis, non tamen omninò conuincit, nam quod hæc quoque sacramenta iterari non possint, id non probat, nisi baptismo, cuius tantùm gratia est ad salutem necessaria, & per aliud sacramentum suppleri non potest, vt visum est suprà: horum verò sacramentorum gratia nec est ad salutem necessaria, cùm non sit ad remissionem peccatorum mortalium per se ordinata; & per alia sacramenta haberi potest; Neque character est dispositio adeò necessariò causatiua gratiæ, vt impedimento remoto statim gratiam causet; & hoc etiam negat ipse Doctor *dist.* 4. *quæst.* 5. *infra C*, de charactere ipsius baptismi, dùm inquit; Nec oportet dicere characterem in ficto aliquid operari, sed solùm quod Deus ex eadem pactione assistit etiam posteà ei, qui baptismum suscipit, ad causandum effectum, quando obex tollitur; hæc Scotus, quibus innuit characterem, licet sit dispositio ad gratiam, tamen in rigore loquendo non esse formam, ex qua proximè conferatur gratia, sed hanc conferri immediatè per ipsum baptismum; non enim se habet sicut naturalis forma, quæ si aliquando impediatur ab aliquo suo effectu inducendo; statim posteà tali impedimento remoto producit effectum suum, sed sufficit solus influxus moralis, qui æquè benè potest haberi ex ipso baptismo præterito, inquantùm ob illius exhibitionem Deus ex pacto, & promissione sua ablato obice gratiam infundit; & hoc etiam modo character ipse dici potest se habere, tanquam forma, vel dispositio moralis.

Confirmatur, quia potior ratio, cur baptismus inter alia sacramenta hoc habeat priuilegium conferendi gratiam recedente fictione, non est, quia characterem imprimat, sed quia est medium ad salutem necessarium, scilicet, ad remissionem originalis culpæ, & peccatorum mortalium antecedentium; quarè cum semel susceptus iterari non possit, ne præcludatur via salutis, necessariò dicendum est eundem baptismum cum obice susceptum, habere posteà vim remittendi illa peccata ablato obice, atque adeò conferendi gratiam iustificantem; & hæc est ratio, quam Doctor adducit 4. *dist. citat. quæst.* 5. *sub lit. B.* Hæc autem ratio non procedit de Confirmatione, & Ordine, quamuis characterem imprimant, quia nec sunt sacramenta necessaria ad salutem, nec per se instituta ad peccatorum remissionem. 164

Hac de causa Auersa *quæst.* 72. *sec.* 4. & alij nituntur id probare alia peculiari ratione, quia nempè Confirmatio est medium valdè vtile, & opportunum ad roborandum animam in fide, ad superandas tentationes, & persecutiones contrarias, & est per se instituta ad conferendum vigorem spiritus, veluti perfectæ ætatis; Cùm ergò semel suscepta non possit iterùm suscipi, si tunc non contulit talem effectum, & nunquam amplius conferre possit, fraudabitur homo penitus tali subsidio; quarè multò magis congruum diuinæ pietati, & Christi institutioni erit dicere, talem esse vim huius sacramenti, vt posteà remoto obice valeat quoque suum conferre effectum. Verùm si hæc ratio valeret, æquè probaret de omnibus alijs sacramentis etiam characterem non imprimentibus; nam Matrimonium, verbi gratia dignè susceptum habet vim conferendi non tantùm gratiam, sed etiam peculiare auxilium ad onera matrimonij sustinenda; cum ergo iterari non possit antè mortem vnius ex coniugibus, si ab initio talem effectum non contulit, quia aliquis coniugium matrimonium in peccato contraxit, durante illo matrimonio toto illo tempore fraudabitur homo penitus tali subsidio.

Itaque illa ratio si quid probat, solùm probat de gratia sacramentali, non autem habituali, omnia nimirum sacramenta recedente fictione operari saltem gratiam sacramentalem, quod est satis probabile; hæc enim, vt dictum est disput. præced. consistit in quibusdam auxilijs ad finem sacramenti melius consequendum ordinatis, quæ cùm sint propria vniuscuiusque sacramenti, non possunt haberi saltem cum ea certitudine, infallibilitate, & abundantia per alia sacramenta; quarè probabile est, vt recedente fictione, & gratia habituali recuperata per alia sacramenta, conferantur virtute sacramenti iam præteriti; vt si quis matrimonium in peccato contraxit, gratiam non accepit; condonato verò posteà peccato per confessionem, vel contritionem, & gratia habituali recuperata eius virtute, confertur posteà illi virtute præteriti matrimonij peculiare auxilium ad onera matrimonij sustinenda. Imò dicunt aliqui, quod estò hæc sacramenta gratiam habitualem non causent ablato obice, causant tamen gratiam sacramentalem, nedùm ablato obice, sed etiam eodem durante; & ratio, est quia sacramentalis gratia non est gratum faciens, neque oppositionem habet cum peccato, & ideò potest stare cum mortali; alioquin ablata ab aliquo gratia habituali per peccatum, hic etiam amitteret gratiam sacramentalem, quę in auxilijs specialibus consistit ad finem cuiusque sacramenti ordinatis; & sic existens in mortali auxilia non haberet ad validè consecrandum, absoluendum, ad prædicandum fidem coram Tyranno, ad patienter ferendum onera matrimonij; hoc autem asserere nimis durum videtur, ac nimis coarctare immensam Dei beneficientiam, & pietatem; Ità Brancatus *disput.* 11. *articul.* 4. cum alijs, quod etiam videtur satis probabile, si enim Deus infixo in limo profundi peccatorum auxilia gratiæ non denegat, nec etiam fortè denegabit ei, qui aliquod sacramentum suscepit, licet indignè. 165

De sacramento Matrimonij, & extremæ Vnctionis hoc idem asserunt alij, quod, scilicet, gratiam conferant ablato obice, & ferè eadem ratione, quia hæc etiam aliquo modo sunt irreiterabilia, licet characterem non imprimant; nam Matrimonium iterari nequit antè mortem vnius ex coniugibus, nec extrema Vnctio in eadem infirmitate iterari potest; 166

cest; vndè de his dicunt esse eandem rationem quoad hoc, ac de alijs tribus characterem imprimentibus. Sed inprimis hæc duo sacramenta sunt simpliciter iterabilia, quod illis tribus characterem imprimentibus nullo modo conuenire potest; Et quidem extrema Vnctio etiam in eadem infirmitate iterari potest, vt notat Brancatus loco citato, & nos suo loco dicemus, si enim finis huius sacramenti est reliquias peccatorum ab ægroto abstergere, dato casu, quod infirmitas duret per annum, fitque ter in periculo vitæ, planè irrationabiliter huic ægro adiutorium illud abstersiuum denegaretur. Deindè dato etiam, quod hæc sacramenta sint aliquo modo irreiterabilia, iam diximus etiam in sacramentis simpliciter irreiterabilibus, qualis est baptismus, non esse irreiterabilitatem solam præcipuam rationem, cur sacramentum ablato obice gratiam conferat, sed quia cum irreiterabilitate est medium ad salutem simpliciter necessarium, quod de his duobus sacramentis affirmari potest.

167 Denique de Eucharistia omnes ferè conueniunt semel cum obice susceptam peccati mortalis, gratiam posteà non conferre ablato obice, qua de causa dixit Apostolus eam indignè suscipientem, & in peccato iudicium sibi manducare; & quidem maxima irreuerentia Christo Domino exhibita sub sacratis speciebus contento merita exigere videtur, vt tale sacramentum ab initio indignè susceptum, nec tùm, nec posteà ablato obice gratiam conferat; præsertim cùm possit iterum dignè sumi in ordine ad consequendam similem gratiam, qualem conferret, nisi fictio adesset. De Pœnitentia verò negat expresè Doctor loco citato 4. *distinct.* 1. *quæst.* 5. posse gratiam conferre ablato obice, vbi in fine illius §. *contrà istam opinionem*, inquit, quod in fictè pænitente cessante fictione nihil est, quod sufficiat ad effectum veræ pœnitentiæ; alioquin non oporteret talem fictè confessum de eisdem peccatis aliàs confiteri. Neque fundamentum oppositæ sententiæ relatum ab initio quæsiti *numer.* 163. est alicuius momenti, quia vt fusius dicemus infrà *disput.* de Pœnitentia, falsum est dari posse informem, sicut dari potest baptismus, quia in pœnitentia non potest dari fictio, quæ impediat gratiam, & simul non impediat validitatem ipsius, sicut de baptismo contingere potest; confessio enim ex celatione alicuius peccati scienter dimidiata non est valida, nec pars sacramenti pœnitentiæ, hæc enim manifestationem axigit omnium peccatorum pęnitentis, & eam ità dimidians tenetur iterum omnia confiteri, quia ex defectu materiæ sacramentum non fit, vt loco citato dicemus; confessio enim non integra ex certa malitia non est materia valida pœnitentiæ.

168 Dices, non minus necessaria est pœnitentia post peccatum personale, quàm baptismus post originale, sicut enim ad remissionem huius requiritur baptismus in re, vel in voto, ità ad remissionem illius pœnitentia in re, vel in voto; ergo sicut ob hanc necessitatem baptismus recedente fictione causat suum effectum; ità quoque pœnitentiæ sacramentum.

Respondetur negando consequentiam, quia pœnitentia iterari potest, non verò baptismus, atque ita duplici necessitati sufficienter à Deo prouisum est, sed diuersimodè, in casu fictionis; nam necessitati gratiæ baptismalis prouisum est in tali casu conferendo illam virtute baptismi recedente fictione, necessitati verò gratiæ pœnitentialis prouisum est instituendo pœnitentiæ sacramentum iterabile.

Dices è contrà, nullum sacramentum fictè susceptum gratiam conferre recedente fictione, quia opera mortua nunquam per pœnitentiam viuificantur; atqui sacramentum indignè susceptum est opus mortuum: ergo numquam reuiuiscere potest.

Respond. ex Doctore loco citato aliud est loqui de sacramento indignè suscepto, & aliud verò de indigna eius susceptione; hæc quidem, vt est opus hominis, est opus mortuum, atque etiam mortiferum, ideoque reuiuiscere nequit; ipsum tamen sacramentum est opus Christi in se viuum, & sanctum; & ex meritis Christi habet vim sanctificandi, quam statim exerit ablato impedimento; ideoque recedente fictione per pœnitentiam, cùm baptismus susceptus non fuerit opus mortuum, quia fuit opus Dei, & Christi Domini, & non nostrum, per ipsum baptismum delentur omnia peccata antè ipsum commissa; fictio autem ipsa, quia non præcessit, sed fuit cum baptismo, deletur per pœnitentiam, & confessioni subijcitur, ac satisfactioni, sicut alia peccata baptismum subsequentia.

QVÆSTIO SEPTIMA.

An sacramentum baptismi per contritionem, & martyrium suppleri possit.

CElebris est diuisio illa baptismi apud Patres, & Scholasticos in baptismum fluminis, seù aquæ, quod solum est propriè sacramentum, de quo agimus in hac Disputatione; Flaminis, qui etiam contritionis baptismus appellatur, & est perfecta in Deum conuersio includens votum baptismi fluminis. Et Sanguinis quod est martyrium pro Christo perpessum. De primo dicitur Ioan. 3. *Venit Iesus in terram Iudeæ, & baptizabat*. De secundo legitur Actorum 1. *Vos autem baptizabimini Spiritu sancto non post multos hos dies*. De tertio Marci 10. *Potestis bibere calicem, quem ego bibiturus sum, & baptismo, quo ego baptizor, baptizari?* Hinc tamen non sequitur, vt notat Glossa *cap. baptismi vicem de Consecrat. distinct.* 4. tria esse baptismata sacramenta, quia baptismus fluminis tantùm est propriè sacramentum, qui est vnicus in essentia, & specie atoma iuxtà illud Pauli ad Ephes. 4. *Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma*, quem locum de vnitate specifica interpretatur ibi Chrysostomus; reliqua verò duo non sunt propriè sacramenta, quia vt Glossa loquitur, non fiunt accedente verbo ad elementum, sed vicem tantum sacramenti supplendo per cordis contritionem, vel sanguinis pro Christo effusionem, quia sic inquit glossa, mundatur homo à peccatis per pœnitentiam, vel sanguinis effusionem, sicut per lauacrum baptismi; Quæritur ergo in præsenti, quomodo vterque baptismus, scilicet; flaminis, & sanguinis, de quibus etiam loquitur Scotus 4. *dist. inst.* 4. *quæst.* 3 §. *Dicitur*, possit supplere vicem sacramenti, nempè baptismi fluminis conferendo gratiam. 169

ARTICVLVS PRIMVS.

Qualiter suppleri possit sacramentum baptismi per contritionem.

PRimò dicendum est, baptismum in re non esse adultis simpliciter necessarium ad consequendam primam gratiam, & remissionem peccatorum, sed sufficere contritionem in se votum baptismi continentem. Hæc est communis inter Catholicos, & ex Scotus deducitur 4. *dist.* 4. *quæst.* 6. *ab initio*. Et probatur in primis ex illis Scripturæ locis, in quibus promittitur iustificatio, & peccatorum remissio hominibus verè pœnitentibus, vt Ezech. 18. *si egerit pœnitentiam impius, vita viuet, & non morietur; & cum auerterit se impius ab impietate sua, animam suam viuificabit*, ex his, inquam, & similibus Scripturæ locis constat perfectam contritionem esse sufficientem, & vltimam dispositionem ad gratiam sanctificantem, quæ contritio vtique haberi potest ab homine adulto antè realem baptismi susceptionem, cum voto tamen suscipiendi; & hoc constat ex Actorum 10. vbi legitur Cornelium Centurionem antè baptismi susceptionem fuisse iustificatum, & alios quoque super quos dicebatur Spiritus Sanctus cecidisse, antequam baptizati essent. Quod autem ait Brancatus *disput.* 13, *art.* 5. non benè ex *loc. cit.* assertum hoc probari, quia in his, & similibus Scripturæ locis non fit mentio, voti baptismatis, quod tempore Ezech. necessarium non erat; parum vrget, quia per hoc tantum probare intendimus perfectam contritionem esse sufficientem dispositionem ad gratiam, & posse haberi antè susceptionem baptismi. 170

Deindè probatur ex Concil. Trid. *sess.* 6. *cap.* 4. vbi ait post euangelium promulgatum neminem transferri, à statu peccati ad statum gratiæ sine lauacro regenerationis, & eius voto; Translatio, inquit, ab eo statu, in quo homo nascitur filius primi Adæ in statum gratiæ, & adoptionis filiorum Dei post euangelium promulgatum sine lauacro regenerationis, aut eius voto fieri non potest; Quibus verbis 171

apertè supponit iustificationem fieri non solum per baptismum fluminis, sed etiam flaminis, qualis est contritio votum baptismi includens, & hoc sensu exponit illud Io. 3. *nisi qui renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto*. Rursus probatur ex definitione Ecclesiæ, & Patrum doctrina, quorum testimonia citantur apud Gratianum de *consecrat. d.* 4. per plura capita; & præsertim *cap. ad apostolicam* de Presbytero non baptizato habetur posse hominem saluari per baptismum in voto; ex patribus verò præclarum inter alia est D. Bernardi testimonium *epist.* 77. vbi exponens illud Marci vlt. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, saluus erit; qui verò non crediderit condemnabitur*, obseruat satis acutè ideò non reperi, *& qui non baptizatus fuerit*, quia nempè fides cum alijs conditionibus etiam sine reali susceptione baptismi, potest interdum ad salutem sufficere. Tandem probatur ratione, quia Deus in lege noua per sacramentorum institutionem viam salutis non coarctauit, aut præclusit, quin etiam per proprios actus ex opere operantis iustificari possent, & saluari, vt in lege antiqua fiebat; quarè sicut homo baptizatus moraliter peccans per actum contritionis, & votum sacramenti pœnitentiæ iustificari potest antè realem eius susceptionem; sic pariter per eundem actum iustificari potest votum baptismi includentem antè realem eius susceptionem.

172 Secundò dicendum est licet regulariter loquendo votum baptismi esse debeat explicitum; tamen in aliquo casu sufficere votum baptismi in actu contritionis inclusum, & non necessario requiri explicitum, sed implicitum sufficere; Hæc etiam est communis, & probatur eam explicando, nam votum baptismi potest esse duplex explicitum, & implicitũ; explicitũ est, quando adultus non solùm de suis peccatis contritionem habet cum proposito generali seruandi deinceps omnia, & singula præcepta, sed etiam cum speciali proposito baptismum suscipiendi, quod haberi non potest sine fide, & cognitione baptismi. Implicitum verò est, quod in ipsa contritione, & generali proposito omnia mandata seruandi continetur, & hoc dicimus ad iustificationem sufficere, quod indicauit Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 4. vbi dicit perfectam contritionem esse sufficientem dispositionem ad gratiam, in ea autem includitur votum baptismi saltem implicitè, quia includitur propositum seruandi omnia mandata, & adimplendi omnia ad salutem necessaria, ac etiam alia quadam peculiari ratione posteà explicanda *num.* 175.

Neque placet, quod dicunt aliqui sufficere quidem implicitum baptismi votum in ijs, qui notitiam baptismi non habent, alijs verò talem notitiam habentibus non sufficere, sed necessarium esse votum explicitum, quia qui habent baptismi notitiam, tenentur quamprimum possunt illum suscipere, atque ideò habere expressum propositum suscipiendi. Et adhuc magis displicet, quod ait Brancatus *art.* 5. *cit. num.* 46. vbi contendit vniuersaliter, & sine vlla exceptione tale votum baptismi debere esse explicitum. Displicet inquam, quia vt benè instat Becanus *cap.* 10. *quæst.* 10. sicut carens notitia baptismi excusatur ab expresso voto propter ignorantiam quod Brancatus omninò negare non potest; ità eiusdem notitiam habens propter actualem inconsiderationem ab eiusdem voti expressione poterit excusari; fieri enim potest, vt aliquis nihil de baptismo cogitans ad contemplationem diuinæ bonitatis, & suorum peccatorum detestationem subitò excitetur, & ex illa consideratione ad veram dilectionem, & contritionem moueatur, & planè in tali casu sine expresso baptismi voto vtique iustificabitur. Confirmatur, quia si prædicta de causa, nempè quia habet notitiam baptismi, tenetur quis habere expressum illius votum, quia qui talem habet notitiam tenetur illum suscipere, quam primum potest; sequeretur quod eodem modo teneretur pariter habere expressum propositum restitutionis, & singulorum præceptorum Dei; qui enim notitiam eorum habet, tenetur ea seruare, quàm primum potest, hoc autem est falsum, quia quamuis Cathecumenus ad aliquam teneatur restitutionem, non tamen tenetur expressè tale propositum restituendi habere, quando iustificatur; sed sufficit generale propositum omnia mandata seruandi, siquidem ex vi talis propositi perseuerantis, sequetur suo tempore restitutio, & aliorum præceptorum obseruatio.

173 Tertiò dicendum est, quod esto perfecta animi contritio vicem baptismi supplere possit quoad remissionem peccati tam originalis, quam personalis, nec non quoad gratiæ infusionem; non tamen in omnibus, nec eodem omninò modo supplere potest; Hæc etiam est communis, & probatur eam explicando; nam in primis non semper vices baptismi supplet quoad pœnæ relaxationem, quamuis enim suppleat quoad æternæ pœnæ condonationem, non tamen quoad totius temporalis pœnæ relaxationem, nam sæpè contritio illius perfectionis gradum non attingit, quo contritus mereatur totius pœnæ temporalis condonationem; cum enim pœnæ temporalis condonatio, in quam virtutute iustificationis commutatur æterna, fiat in contritione per modum condignæ satisfactionis; quando contritio non attingit talem gradum perfectionis, vt sit satisfactio adæquata pro tota pœna temporali, in quam æterna est commutata, planè in tali casu vicem non supplet baptismi quoad totius pœnæ relaxationem. Deindè nunquam supplet, imò nec supplere potest quoad characteris impressionem, hic enim non nisi à sacramento imprimitur; alioqui qui sola contritione semel iustificatus fuit, non amplius teneretur, imò neque posset sacramentum suscipere baptismi, cùm hoc ab habente characterem suscipi non possit, ratione cuius iterari non potest; Ex quo sequitur, quod si sola iustificatus contritione decederet absque baptismo, & posteà ad vitam reuocetur, illum teneri ad baptismum suscipiendum, quia in illo contritionis actu votum saltem implicitum habuit suscipiendi baptismum, quoties commoditas se offerret, quæ obligatio per mortem non extinguitur in eo, qui ad vitam reuocatur; qua ratione etiam Cathecumenus per martyrium iustificatus, si post mortem denuò reuiuisceret, teneretur ad baptismum suscipiendum, vt aduertit Amicus *disp.* 12. *sec.* 1. Denique quamuis perfecta contritio in adulto vices baptismi suppleat in gratiæ collatione, non tamen eodem modo, quia sacramentum baptismi gratiam confert ex opere operato, & homo per contritionem iustificatus absolutè dicitur ex opere operantis iustificari, non autem ex opere operato, quamuis contritio votum baptismi includat, nullum enim sacramentum gratiam confert ex opere operato, nisi actu, & reipsa susceptum, vt dictum est *disp.* 1. *de sacramentis in genere qu.* 10. *art.* 1. *num.* 341.

Quartò tandem ex dictis infertur, quod si quis citrà mortis articulum veram habeat fidem, & contritionem, antequam copiam habeat, & commoditatem baptismum suscipiendi, ex tunc iustificabitur, licet posteà teneatur procurare, & baptismum suscipere opportuno tempore; si verò morti propinquus, non possit antequam decedat baptismum consequi, habeat autem perfectam contritionem, seù Dei dilectionem, ac votum suscipiendi baptismum saltem implicitum, & virtuale per generale propositum adimplendi omnia, quæ sunt ad salutem necessaria; hic omninò in virtute talis contritionis saluabitur, & iustificabitur, & hæc ipsa interior contritio cum voto sacramenti appellatur Baptismus, & proprio vocabulo dicitur baptismus Flaminis, ad differentiam Baptismi Fluminis, hoc est, aquæ. 174

In oppositum vrgeri possunt quædam Patrum testimonia asserentia omninò ad salutem requiri baptismum fluminis, nec sufficere internam hominis dispositionem iuxtà illud Io. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua*, vbi sine dubio Christus de solo aquæ baptismo loqui videtur. Accedit etiam ratio non spernenda, quia si baptismus non est necessarius, nisi in voto, & sufficit etiam votum implicitum in contritione inclusum, vt supradictum est, iam non esset magis necessarius, quàm aliorum præceptorum obseruatio, quia vtique necessarium est votum omnia mandata seruandi, alioquin perfecta contritio non esset; hoc autem modo non plus dici deberet homo per baptismum in voto iustificari quam per quæcumque alia præcepta in voto.

Respondetur auctoritatem illam Io. 3. *nisi quis renatus* &c. explicari à Trid. *sess.* 6. *cit. cap.* 4. de necessitate baptismi in re, vel in voto, itaut non sit sufficiens interna dispositio, nisi sit perfecta continens votum baptismi, sicut oportet, & ità sunt etiam intelligenda loca Patrum, vel etiam explicari possunt de necessitate baptismi in re ad perfectam, & completam peccatorum remissionem, non solum quoad culpam, sed etiam quoad totam pœnam, quia contritio, vt diximus, non semper supplere potest baptismi vices quoad totius pœnæ relaxationem. Ad rationem plures plura dicunt ad ponendum aliquod discrimen inter votum baptismi, & propositum seruandi alia præcepta. 175

Alij

Alij verò gratis concedunt nullum inter hæc esse discrimen, & contritionem non magis includere votum baptismi quàm restitutionis, aut alterius præcepti obligantis, atque ideò sicut contritio non censetur gratiam conferre, vi restitutionis, aut alterius præcepti, ità nec vi baptismi; ità Becanus *c. 11. de sacramentis in specie q. 9. num. 7.* Sed planè negari non potest, quin specialiori quodam modo dicatur homo iustificari per baptismum in voto, quam per quæcumque alia præcepta in voto, & ideò inter hæc duo aliquod discrimen assignari debet; sicut à pari extrà sacramentum pœnitentiæ dicitur homo iustificari posse à mortalibus per contritionem perfectam, non vtrumque, sed vt tale sacramentum, in voto, vel votum talis sacramenti includentem, sic enim loquitur Trident. *sess. 14. c. 4. si contritionem perfectam esse contingat, hominemque Deo reconciliare, priusquam hoc sacramentum actu suscipiatur, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam*; Quarè dicendum puto cum Auersa *quæst. 66. sect. 2. in fine*, quod quamuis verum sit ad iustificationem esse pariter necessarium hoc propositum generale seruandi alia præcepta eamque obtineri per hoc votum, & propositum in perfecta contritione, vel dilectione Dei inclusum, specialiter tamen baptismus dicitur necessarius, & homo specialiter dicitur iustificari per baptismum in voto, quàm per votum cuiuscumque alterius præcepti, quia Baptismus institutus est, non solùm tanquam necessarius necessitate præcepti, sed etiam necessitate medij, vt dictum est suprà, hoc est tanquam medium per se ordinatum ad salutem; Et quia votum seù voluntas, & propositum fertur in vnumquodque obiectum, sicut est, ideo fertur in baptismum, non solum tanquam impositum sub obligatione præcepti, sed tanquam in medium etiam institutum ad iustificandum ab originali, & actualibus antè baptismum commissis; & hac de causa specialiter dicitur homo iustificari in voto baptismi, vel per baptismum in voto potius quam per votum restitutionis, vel alterius præcepti; & idem dicemus de sacramento pœnitentiæ pro iustificatione à mortalibus post baptismum commissis *disp. 5. de pœnit. q. 5. art. 3.*

176 Deindè arguit Brancatus *loc. cit. disp. 13. art. 5. n. 46.* contra nostrum secundum assertum, probans votum baptismi, vt suppleat baptismum in re, debere esse explicitum, & non sufficere implicitum; quia ex Trid. requiritur votum baptismi; ergò explicitum; probatur consequentia, vult Concilium declarare necessitatem baptismi, & subiectionem ad eum post Euangelij promulgationem; ergò votum eius explicitum desiderat, alioquin intentum suum non haberet Concilium in extollenda baptismi necessitate. Confirmat id ex verbis iam Concilij relatis *sess. 14. cap. 4.* vbi loquens de necessitate pœnitentiæ, & eius supplemento dicit, si contritionem perfectam esse contingat, & hominem Deo reconciliare priusquam hoc sacramentum actu suscipiat, ipsam nihilominus reconciliationem ipsi contritioni sine sacramenti voto, quod in illa includitur, non esse adscribendam; ergò si vltrà charitatem perfectam per Concilium requiritur aliquid aliud, votum implicitum in charitate contentum non sufficit.

Respondeo negando consequentiam tam principalis argumenti, quàm probationis eiusdem; nam maior necessitas voti baptismi ad iustificationem requisita extrà sacramentum, quàm voti cuiuscumque alterius præcepti, non debet attendi penes hoc quod votum baptismi esse debeat explicitum, cæterorum verè implicitum sufficiat, nam perfecta contritio est sufficiens dispositio ad gratiam, & in ea includitur votum baptismi, quia includitur propositum seruandi omnia præcepta, & adimplendi omnia necessaria ad salutem; vt ex Concil. colligitur loco citato, quæ sanè inclusio non est, nisi virtualis; maior ergò necessitas voti baptismi ad iustificationem requisiti extrà sacramentum, quàm voti cuiuscumque alterius præcepti, attendi debet ex capite paulò suprà assignato, quia scilicet Baptismus institutus est, non solùm tanquam necessarius necessitate præcepti, sed etiam necessitate medij modo iam explicato. Ad Confirmationem patet per idem, Concilium enim *loc. cit.* intantùm specificat iustificationem adscribi debere contritioni perfectæ, vt includit votum sacramenti pœnitentiæ, inquantum hoc sacramentum est ad iustificationem necessarium non tantùm necessitate præcepti, sed etiam necessitate medij, & ideò specialiter in contritione extrà sacramentum votum eius exigitur, licet sufficiat implicitum, & virtuale.

Postremò Brancatus *loc. cit. concl. 3.* contrà id, quod suprà asseruimus ex communi omnium sententia baptismum flaminis esse contritionem perfectam arguit probans cum voto baptismi sufficere attritionem ad gratiam consequendam in supplementum baptismi, quia ad suscipiendum baptismum in re sufficit adulto attritio ex Trid. *sess. 6. cap. 6.* ergò etiam ad baptismum flaminis, vel desiderij; probatur consequentia, non enim in alio votum supplet baptismum, nisi quia hoc non existente possibili, homo vult illum efficaciter; ergò ijs omnibus, quæ in baptismo in re requiruntur, positis cum efficaci eius voto supplentur vices baptismi in re. Confirmatur quia ex nullo Scripturæ, aut Conciliorum loco deducitur necessitas contritionis semper cùm est impossibilitas baptismi; ergò non debet homo ad hanc ligari, sed sufficit attritio; consequentia probatur, quia non debet homo obligari, seù onerari, nisi à lege hoc præcipiatur. Demum suppletio baptismi in re sufficienter habetur, si votum eius habeatur; ergo eædem prorsus dispositiones in hoc, & illo requiruntur; sed ad baptismum in re sufficit contritio, vel attritio; ergò etiam ad alium. 177

Respondeo hunc Auctorem in hoc asserto, nedum communi sententiæ repugnare, sed etiam sibi ipsi; nam in communi omnium sententia, & est doctrina Concil. Trid. *sess. 14. cap. 4.* in hoc differt perfecta contritio ab imperfectà, quæ dicitur attritio, quod perfecta contritio est sufficiens dispositio ad gratiam, & sufficit ad iustificationem extrà sacramentum, dummodo sacramentum includat in voto, non sic attritio; & hoc ipsum fatetur Auctor ille pluribus in locis, sed præsertim *disput. 11. art. 5. concl. 2. n. 65.* vbi ait, quod quando quis accedit ad sacramentum cum fictione, ad tollendam fictionem non sufficit attritio extrà sacramentum, sed requiritur contritio cum sacramento pœnitentiæ in voto, & reddit rationem, quia attritio sola extrà sacramentum non est medium suscitandi mutuum à peccato, hoc enim est speciale priuilegium contritionis perfectæ ex Concil. *loc. cit. sess. 14. cap. 4.* vbi docet contritionem perfectam, quam ibi declarat, hominem Deo reconciliare etiam prius quam sacramentum actu suscipiatur, licet cum voto sacramenti; illam verò contritionem imperfectam, quæ dicitur attritio, quamuis sine sacramento pœnitentiæ per se ad iustificationem perducere peccatorem nequeat, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pœnitentiæ impetrandam disponere; quam Concilij doctrinam nequit hic Auctor dissimulare: quia eam verbatim adducit in probatione suæ secundæ conclusionis; Vndè non video qua consequentia asserat posteà in *conclus. 3.* sufficere attritionem cum baptismo in voto ad iustificationem adulti, & ad supplementum baptismi in re; & planè apud omnes Patres, & Scholasticos per baptismum flaminis, seù pœnitentiæ intelligitur perfecta dispositio interna fidei, & contritionis, seu dilectionis Dei super omnia cum voto sacramenti; nec vllus, quod viderim, asserit ad baptismum flaminis sufficere solam attritionem cum voto sacramenti; nam baptismum flaminis adminus peccatum originale tollere debet, quod sine infusione gratiæ fieri nequit, ad hanc autem consequendam sola attritio etiam cum voto sacramenti non est sufficiens dispositio ex Concilio loco citato.

Accedit, quod hic Auctor volens in eodem articulo primam suam probare conclusionem sub *n. 45.* quæ erat, quod in adultis necessitas baptismi, si adsit impossibilitas huius in re, potest suppleri per votum eius, sic arguit à pari, non minus est medium necessarium pœnitentia ad salutem post peccatum hominis baptizati, quam baptismus post peccatum hominis non baptizati, sed votum pœnitentiæ supplet vicem eius, si adsit impossibilitas ex Trid. *sess. 14. cap. 4.* ergo &c. tunc subsumo, at votum pœnitentiæ non supplet vicem eius, si adsit sola attritio de peccatis, sed tantùm si adsit perfecta contritio, vt ibi declarat Concilium ore rotundo; ergo sic pariter dicendum in proposito de voto baptismi. Et planè miror, quod cum huic Auctori sit familiare in quolibet articulo contrà singulas conclusiones iam positas pro decisione, quæstionis, quantumuis communiter concessas, aliquas proponere instantias; in præfato articulo contrà hanc conclusionem tertiam, quæ ab omnibus negatur, quod ad supplementum baptismi in adultis sola attritio sufficiat cum voto eiusdem, 178

nullam prorsus proposuerit instantiam; Quamuis enim sub n.52. instantias proponat contrà tertiam conclusionem; hoc tamen per errorem dictum est, quia instantiæ ibi propositæ vrgent contrà quartam conclusionem, quæ erat, quod adultus potest supplere necessitatem baptismi fluminis per martyrium, dummodò adsit impossibilitas.

Neque rationes pro ea tertia conclusione adductæ vllius sunt momenti; Ad primam nego consequentiam tam principalis argumenti, quàm probationis eiusdem, cuius etiam probationis negari potest antecedens, quia votum baptismi non supplet defectum eius in re quomodocumq; elicitum, sed associatum cum contritione perfecta de peccatis præteritis ex Concil. *loc. cit.* Ad Confirmationem negatur assumptum, quod ex nullo Scripturæ, aut Conciliorum loco deducatur necessitas contritionis semper, cùm est impossibilitas baptismi; apertè enim deducitur ex Trident. *loc. cit.* ac etiam idem coniicitur ex omnibus illis Scripturæ locis, quibus verè pœnitentibus promittitur peccatorum remissio; indè enim constat solam perfectam contritionem esse sufficientem, & vltimam dispositionem ad gratiam sanctificantem, quorum locorum quædam adducuntur ab eodem Concil. *loc. cit.* quæ contritio haberi sine dubio potest antè realem baptismi susceptionem, cum voto tamen suscipiendi. Ad vltimum negatur omninò easdem sufficere dispositiones ad gratiam consequendam cum sacramento in re, & cum sacramento in voto, quia ex doctrina Concilij *loc. cit.* ad consequendam gratiam cum sacramento reipsa suscepto, vtique sola attritio sufficit, quia gratiæ consecutio non adscribitur virtuti attritionis, sed sacramenti reipsa suscepti; non sic ad consequendam gratiam extrà sacramentum cum solo ipsius voto, quia in tali casu gratiæ consecutio non adscribitur sacramento, cum reipsa non suscipiatur; sed perfectæ dispositioni ad gratiam, quæ non est sola attritio cum voto sacramenti, sed vera, & perfecta contritio cum voto eiusdem ex Concilio ibidem; nam ille actus vim sacramenti supplet, qui est sufficiens seipso facere, quod faceret sacramentum ipsum, si susciperetur, hic autem non est actus attritionis, sed contritionis, nam hic tantùm extrà sacramentum iustificat iuxtà Tridentinum ibidem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Qualiter suppleri possit sacramentum baptismi in adultis per martyrium.

190 AFfirmant passim Sancti Patres, & Theologi omnes baptismum adultorum suppleri posse per martyrium, quando adest baptismi impossibilitas, ita Alensis *qu.* 8. *memb.* 9. *art.* 4. D. Thomas *q.* 66. *art.* 11. D. Bon. 4. *dist.* 4. *art.* 1. *q.* 2. & Scotus 4. *dist.* 4. *q.* 6. *ab initio, & dist.* 14. *q.* 1. *sub lit. V.* quod probant ex illo Matt. *qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam,* & alijs Scripturæ locis, & pluribus Patrum testimonijs; Itaque tota difficultas est de modo, an scilicet, sicut Baptismus ex opere operato tollit totam culpam, & pœnam sic etiam martyrium vi sua præter meritum patientis gratiam conferat, quod dico ad tollendam quæstionem de nomine, nam aliqui hoc etiam concesso, adhuc negant martyrium hoc facere ex opere operato quia gratiam non confert, prout est opus ministri necem inferentis neque ex vi institutionis suæ sicut sacramenta, quia ad hoc à Christo non est institutum.

Prima sententia affirmat; martyrium nullam gratiam conferre adultis ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis, nec dare vllum gradum gratiæ præter eum, qui respondet merito charitatis ipsius Martyris, atq; adeò seclusò merito, seù dispositione charitatis, vi sua sine speciali priuilegio non sufficere ad supplendam vicem baptismi aquæ; vndè consequenter dicunt martyrium non esse sufficiens ad remittenda peccata mortalia, aut etiam originale, nisi à virtute charitatis imperratum; nam hæc sola sufficiens est ex opere operantis saltem dispositiuè peccata remittere iuxta illud Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum:* ità tenet Alensis *loc. cit.* vbi apertè negat martyrium posse adulto conferre primam gratiam, qui sanè consequenter loquitur, cùm ibidem neget posse martyrium dare infantibus effectum gratiæ; ità etiam D. Bonau. *loc. cit.* vbi negat posse baptismum sanguinis conferre gratiam gratum facientem, aut culpam mortalem remittere; Paludanus 4. *dist.* 4. *q.* 3. *art.* 1. & alij antiquiores, quam sententiam, tanquam inter veteres communem, ac etiam inter Patres defendit Vasquez *disp.* 153 *cap.* 3. Secunda sententia docet martyrium ex singulari priuilegio, & speciali promissione Christi habere vim conferendi primam gratiam, & consequenter ad instar sacramenti martyrem iustificare ex opere operato, itaut si quis ad martyrium accedat, adhuc in peccatis existens tamen sine affectu ad aliquod peccatum, & cum fide, & dilectione inchoata, & pœnitentia saltem imperfecta, qualis requiritur etiam antè baptismum aquæ, is virtute martyrij ex opere operato iustificabitur, atque saluabitur, hoc est vi sua præter meritum patientis ad vitandam de nomine quæstionem; ita Scot. *loc. cit. dist.* 4. *q.* 6. vbi dicit, quod si baptismus sanguinis sit completus, martyr moritur, & euolat in Cœlum, nec tenetur ad baptismum aquæ; idem tenet Faber *disp.* 11. *de pœnitentia cap.* 2. & etiam colligitur clarè ex alio *loc. cit.* 4. *dist.* 14. *q.* 1. *sub V. § sed nec debet requiri,* quem præter Scotistas passim sequuntur Recentiores, Vega, Bellarminus, Suarez, Henriquez, Valentia, Toletus, Coninch. Lessius, Tanetus, Amicus, Auersa, Bonacina, Becanus, Baldius, Surianus, qui alios citant.

Dicendum est iuxtà hanc secundam opinionem martyrium gratiam conferre ex opere operato, vel illam in iusto vltrà meritum operantis augendo, vel in peccatore interdum primam conferendo. Ratio conclusionis sumitur ex promissione Christi, qui voluit hoc speciale priuilegium ijs concedere, qui pro ipso moriuntur, vt non minus in sanguine suo, quam in aqua baptizari possint, vt ex eius verbis colligitur Matth. 10. *qui me confessus fuerit coram hominibus; confitebor ego eum coram Patre meo,* & Marci 8. *qui perdiderit animam suam propter me, & Euangelium, saluam faciet eam,* quæ verba iuxtà Augustini interpretationem 13. *de Ciuit. Dei c.* 7. specialem continent promissionem factam ijs, qui vitam pro Christo, eiusque doctrina exponunt; vbi inter cetera sic habet; Quicumque etiam non percepto regenerationis lauacro pro Christi confessione moriuntur, tantùm ijs valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerentur sacro fonte ipsius baptismatis, nam qui dixit, *nisi quis renatus fuerit ex aqua,* etiam dixit, *qui me confessus fuerit coram hominibus* &c. Et rursus, *qui perdiderit animam suam propter me, inueniet eam:* ergo si baptismus vim habet omnem culpam, & pœnam tollendi, eo quod sit sacramentalis, seù mistica configuratio mortis Christi, vt habetur Rom. 6. multò magis martyrium illam vim habebit, cùm sit realis conformatio cum Christo moriente; quo argumento vsi sunt Clemens *l.* 5. *Constit. apostolic. c.* 7. Cyprianus *ep.* 37. Tertullianus *in Apologetico circa finem,* & alij Patres. 181

Neque dicas, hanc efficaciam remittendi peccata, & gratiam conferendi ab his Patribus tribui Martyrio ratione charitatis, à qua procedit. Quia expresè illam tribuunt ratione promissionis à Christo factæ; siquidem eodem modo ait in martyrio remitti delicta ratione illius generalis sententiæ, & promissionis, *qui me confessus fuerit,* &c. sicut in baptismo ratione illius dixit, *Nisi quis renatus fuerit, &c.* si igitur ex diuina promissione hos effectus martyrium causat: non ergò ex natura actus, à quo imperatur; Tum quia in hoc sensu promissionem Christi Patres intelligunt, vt etiam ad paruulos extendatur, qui non loquendo, sed moriendo Christum confitentur, vt de Innocentibus Ecclesia canit; & cùm non possint proprijs actibus gratiam ex opere operantis acquirere, liquido constat eis per martyrium gratiam ex opere operato conferri; & consequenter tam illi Patres, quam Ecclesia colens illos, vt beatos, supponunt in martyrio vim aliquam iustificandi à peccatis reperiri independenter ab actu Martyris, ex lege, & promissione diuina ei communicatam. 182

Nec rursus dicas cum quibusdam martyrium quidem ità ex lege, & promissione diuina iusticare paruulos, non tamen adultos, Nam, vt ait Amicus *disp.* 12. *sect.* 3. nullum prorsus fundamentum habemus excludendi adultos à tali virtute, & promissione, nec vllam habemus Ecclesiæ definitionem, aut Patrum auctoritatem, ex qua etiam à longè deduci possit, martyrium non iustificare adultos, sicut iustificat infantes ex opere operato, & promissione diuina. Imò potius verba illa, *qui me confessus fuerit,* &c. primariò dicta sunt de adultis, qui non solùm opere Christum confiteri valent, sed etiam verbis, & ore; Sicut ergo ex illis verbis,

Nisi

Niſi quis renatus fuerit colligit Eccleſia communicatam eſſe baptiſmo virtutem iuſtificandi à peccatis omnes indifferenter, ſiuè infantes, ſiuè adultos; ſic etiam ex illis alijs verbis, *qui me confeſſus fuerit*, colligit martyrio communicatam eſſe virtutem iuſtificandi à peccatis, & eodem modo, non tantùm infantes, ſed etiam adultos, de quibus primariò illa verba dicuntur.

183 Deindè probatur ex modo loquendi Patrum de virtute, & energia Martyrij, & baptiſmi ſanguinis, quorum verba afferunt Suarez, Amicus, Surianus & alij Recentiores, nam aliqui dicunt martyrium ſuccedere loco baptiſmi, & ex ſacris ſcripturis deducunt martyrium eoſdem effectus producere, quos baptiſmus aquæ producere ſolet, ità Clemẽs Papa, Cyprianus, & Tertullian. *loc. cit.* & libro de baptiſmo *cap.16.* vbi loquens de martyrio inquit, *eſt baptiſmus, qui lauacrum regenerationis non acceptum refert, vel perditum reddit* & Proſper *in lib.ſent.149. qui non percepto*, inquit, *regenerationis lauacro pro Chriſti confeſſione moriuntur, tantum eis valet ad abolenda peccata, quantum ſi abluerentur fonte baptiſmatis*, at baptiſmus aquæ gratiam confert ex opere operato, ergò etiam baptiſmus ſanguinis, alioquin non perfectè illi ſuccederet quoad omnia, nec eoſdem produceret effectus, quos ille producere ſolet; Imò Patres dicunt martyrium quoad virtutem, & efficaciam baptiſmum aquæ longè antecellere, ità Cyprianus *cit. epiſt. ad Iubaianum verſus finem*, vbi ait *Numquid poteſt baptiſmus maior eſſe, aut potior, quàm confeſſio, & paſſio*; & Clemens Papa *loc.cit.* vbi martyrium in comparatione baptiſmi aquæ veriorem appellat baptiſmum ex eo, quod baptizati baptiſmo fluminis in figura tantùm conſepeliuntur Chriſto in morte, martyres verò ſeipſa Chriſto commoriuntur, & ità loquũtur quamplures alij Patres; hoc autem verum non eſſet, ſi martyrium gratiam conferret tantùm ex opere operantis, nam baptiſmus gratiam confert, non tantum ex opere operantis, ſed etiam ex opere operato. Rurſus dicunt Patres martyrium omnem prorſus pœnam remittere, & martyrem poſt ſuſceptionem martyrij ſtatim ad vitam æternam peruenire, vndè Aug. *ſerm.17. de verbis Apoſt.* ait, *iniuriam facit Martyri, qui orat pro martyre, cuius nos debemus orationibus commendare*, & ſic etiam loquitur Innocent. Tertius *cap. cum Marthe de Celebrat. Miſſarum*; ſed hanc totius pœnæ remiſſionem non poteſt Martyrium, niſi ex opere operato conferre.

184 Nec dici poteſt, quod charitas martyrio coniuncta hæc obtinere meruerit, vel patientia in pœnis tolerata, quia dando vitam dat martyr maximum quod hic dare poteſt bonum, vt ait Vaſquez *loc. cit.* Nam ſæpè martyrium quoad acerbitatem pœnarum adhuc non eſt proportionatum pœnæ, quam martyr ob præcedentia peccata contraxit; ſiquidem, vt notat Bellarm. *lib. 1. de Baptiſ. ca.6.* martyres quamplures antè martyrium fuerant ſceleſtiſſimi homines; & innumera peccata perpetrauerant, pro quorum expiatione pœna nimis leuis erat mors, quæ capitis obtruncatione ſtatim perficitur; vndè ex ſe talis tolerantia non poterat omnem pœnam peccatis debitam dimittere, neq; vitæ profuſio, quod eſt maximum bonum, quod hic dare poteſt; quia poteſt dari caſus, quod martyrium ſubeat, vel in ætate decrepita, vel corporis ſalute omninò deſperata; ſi ergò tota pœna eſt martyri dimiſſa, hoc planè fuit virtute martyrij.

185 Deniq; hæc ſententia probatur ratione, quia iuxtà communem omnium ſenſum tria ſunt baptiſmata fluminis, flaminis, & ſanguinis, vt dictum eſt ab initio quæſtionis; at ſi martyrium ſuam efficaciam iuſtificandi homines à peccatis ſortiretur à ſolo actu charitatis, à quo procedit, non diſtingueretur à baptiſmo flaminis, ſed hæc duo baptiſmata in vnum coinciderent, nam etiam baptiſmus flaminis vim iuſtificandi à peccatis habet ab actu charitatis, vel contritionis. Nec dicere poſſunt Aduerſarij baptiſmum ſanguinis per ipſum opus externum mortis à baptiſmo flaminis diſtingui. Quia hoc opus externum nihil conducere poteſt ad remiſſionem peccatorum in eorum ſententia; neq; ex opere operato, vt ipſi concedunt; neq; ex opere operantis, quia nolunt opus externum vllam addere bonitatem, vel meritum actui interno. Conf. quia contingere poteſt caſus, quem ponit Doctor 4. d. 14. *cit. qu.1.* ſub V. quod aliquis inopinatò ad martyrium rapiatur pro fidei defenſione, & ſtatim exponatur arctiſſimo martyrio, & neceſſitetur toto corde ad inſiſtendum circà actus diſtrahentes à cogitatione de peccato commiſſo, itaut de illo elicere nequeat actum contritionis perfectum, ſed tantùm imperfectum; tunc quæro, aut in tali caſu iſte ſaluabitur cum ſolo attritionis actu, vel non; hoc ſecundum nimis durum eſt aſſerere, & diuinæ clementiæ diſſentaneum, quia iſte fecit, quantum moraliter potuit in tali preſſura; ſi primum, habetur intentum, nempè martyrium ex attrito reddere martyrem contritum, atque ità gratiam ex opere operato conferre.

Hinc igitur concludendum eſt, martyrium ex ſe, & ex propria efficientia dimittere peccata, totamque pœnam pro ipſis peccatis debitam, & primam gratiam infūdere ex opere operato, & hanc moraliter conferre, non phyſicè, quatenus Deus intuitu martyrij, quod eſt optimum opus, eique gratiſſimum, hanc gratiam confert ad inſtar ſacramentorum ob ſpeciale priuilegium, peculiaremq; promiſſionem, quam fecit Chriſtus verbis illis, *qui perdiderit animam ſuam propter me, inueniet eam*; Neque ob id eſt ſacramentum, quia ſacramentum eſt actio quædam ſacra, ac ſancta ad cultum veri Dei ordinata, & à Chriſto inſtituta; martyrium verò, dùm ex impietate Tyranni prouenit, nedùm ſacra actio non eſt, imò potius ſacrilega, & impia, qua ſerui Dei crudeliter necantur, & Deus ipſe grauiter offenditur; Sed quando dicimus martyrium gratiam cõferre ex opere operato, non ob id negare intendimus, quod maior, ac feruentior charitas martyris maiorem, & vberiorem gratiæ infuſionem conſequi mereatur, quàm gratiam ex opere operãtis poſſumus nuncupare, putà ſi martyr antequam ad martyrium procedat, ſit in gratia, tunc enim omnes actus charitatis, & amoris ergà Deum, & omnes actus patientiæ, & fortitudinis in tolerandis tormentis pro fide, gratiæ augumentum promerentur, & in hoc caſu martyrium gratiam confert ex opere operato, & ex opere operantis. 186

Soluuntur Obiectiones.

In oppoſitum Primò obijciunt illa Chriſti verba, *Niſi quis renatus fuerit* &c. vbi ſermo eſt dumtaxat de baptiſmo aquæ, & non ſanguinis; & ad ſummum verba illa ad baptiſmum flaminis extendi poſſunt, vbi eſt ſacramentum in voto; ergò non niſi in virtute charitatis, & conſequenter ex opere operantis, poteſt martyrium vices baptiſmi ſupplere. Conf. ex illo Pauli 1. ad Cor. 13. *ſi tradidero corpus meũ itaut ardeã, charitatem autẽ non habuero, nihil mihi prodeſt*, vbi expreſsè Apoſtolus docet nihil martyrium ad ſalutem prodeſſe ſine charitate, quod non eſſet, ſi ad inſtar baptiſmi ex opere operato gratiam conferret, & martyrem vi ſua ex attrito contritum faceret. Demum pro ea ſententia plures adducunt Patres, ſed præcipuè Bernardum *ep.77.* vbi antè medium docet martyrem, non tam morte prò Chriſto toleratã, quam fide, & charitate qua illam tolerat, à peccatis iuſtificari, quæ charitas etiam ſine martyrio ad iuſtificandum ſufficeret. 187

Reſp. illis Chriſti verbis proponi quidem ſacramenti neceſſitatem per ſe loquendi, non excludi tamen alterius remedij ſufficientiam, nempè martyrij ex priuilegio ſpeciali ſupplentis vicem ſacramenti, quod martyrij priuilegium ſatis conſtat ex alijs Chriſti verbis, *qui confitebitur me coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo*, & ex ſenſu Eccleſiæ, ex Sanctorum auctoritatibus iam allatis. Ad Conf. plures ſententiæ noſtræ ſectatores locum illum explicant de charitate concomitanti, ſeù conſequenti, non autem de actu charitatis martyriũ præcedente; quæ expoſito ex ipſo contextu colligitur, vbi eodẽ modo ad mortis perpeſſionẽ requirit charitatem, quo illam ad fidem, & ſcientiã exigit; at planè opus non eſt, vt charitas fidem præcedat, & ſcientiam, ſed ſatis eſt, vt comitetur; quarè ſenſus Apoſtoli eſt, nihil in hac vita eſſe ità arduum, & perfectum, quod poſſit hominẽ ſaluare, ſi charitas abſit; Alij reſpondent non dixiſſe Apoſtolum, ſi martyrium ſubiero, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodeſt; ſed dixiſſe, *ſi tradidero corpus meũ itaut ardeam*, quod valdè conſiderandum eſt, quia hoc etiam pluribus modis abſq; martyrio contingere poteſt, vt ſi quis ſponte ſua corpus flammis excruciet, vel ex vana gloria, aut alio motiuo humano, non autem propter Deum, mortem tolerare ſit paratus, aut alio conſimili modo, tunc enim diceretur corpus ſuum tradere ſine charitate, & verè martyr non eſſet. Ad vltimum dico imò D. Bern. in ea Epiſtola noſtræ fauere ſentẽtiæ, cùm ibi expreſsè doceat martyrium quoad meriti cumulum longè ſuperare baptiſmum aquæ, quod fieri non poſſet, niſi aliquem gradum gratiæ conferret maiorem,

rem, quàm ex solo actu charitatis sit debitus; ità autem ibi loquitur, quia vt notat Amicus, totus ibi Bernardus erat in confutando quorundam errorem, qui negabant ad salutem sufficere cötritionem quantumuis perfectam, copia baptismi deficiente; vndè vt hunc errorem reijciat, ait ipsum quoque martyrium opus adeò gratū Deo, merito interioris fidei, & contritionis fieri acceptum, qui actus ex se absq; sanguinis effusione, vel aquæ profusione, quando in re haberi non potest, sunt ad salutem sufficientes; Quarè mirum esse non debet, si Bernardus ad hunc errorem validius confutādum, contrariam supponat de martyrio sentētiam, estò minus probabilem; nā m iuxtà regulam Scoti 2. *dist.* 33. *qu. vn. sub lit. C.* ex D. Bonau. desumptam, frequenter Sancti extinguendo contra se hæreses pullulantes excessiuè locuti sunt declinando ad aliud extremum, quia via deueniendi ad medium est aliqualiter vltrà medium procedere ad extremum 2. Ethic. & tandem, quando etiam D. Bernardus, vel alius Pater illius esset opinionis, parum refert, quia plures adhuc Patres extant pro nostra iam citati.

188 Secundò arguunt, quia si martyrium gratiam confert præterquam ex opere operantis, dici debebit conferri ex opere operato, quarè esset nouum, ac distinctum sacramentum, quod vtique admittendum non est.

Confirmatur, vel adultus sustinens martyrium tenetur habere votum baptismi fluminis, vel non; si non, ergo non est ad martyrium dispositus, quia talis dispositio haberi nequit, nisi per voluntatem obseruandi legem Euangelicam, cuius ianua est baptismus, si sic, ergò iustificatur per votum baptismi, & contritionem, non verò per martyrium. Tandem, si martyrium supplet baptismum gratiam conferendo, & peccata delendo ex opere operato, & vi propria; ergo esset liberum homini alterutrum suscipere, quod est falsum, quia Christus absolutè dixit, *nisi quis renatus fuerit* &c. Consequentia patet, quia quando duo media ad aliquem finem ordinata in virtute æquiualent, possunt ambo cum libertate exerceri.

Respond. non deesse, qui concedant martyrium vi sua præter meritum operantis gratiam conferre, & adhuc negant hoc facere ex opere operato, quia nimirum gratiam non confert, prout est opus ministri necem inferentis, nec ex vi institutionis suæ, sicut sacramenta, quia ad hoc à Christo non est institutum, vt diximus ab initio articuli; Sed cum de re iam constet, etiam hic modus loquendi displicere non debet, quod gratiam conferat ex opere operato, non tamen per modum sacramenti; hoc enim est signum gratiæ consistens in aliquo actu à Deo instituto, & ex ratione sua petit à Ministro sanctè exerceri, quæ conditiones martyrio conuenire non possunt, vt dictum est *nu.* 186. Vndè fatendum est, non omne medium gratiam conferens ex opere operato esse sacramentum, quia reperitur hoc aliud medium eodem modo gratiam conferens ex priuilegio speciali, vt probatum est.

Ad Confirmationem dico ex Scoto *d.* 4. *quæst.* 6. teneri ad votum illud, si recordetur, quia per martyrium ab obseruantia legis non eximitur, nec à voluntate seruandi eam, vndè inquit Doctor, quod si Martyr superuiuat, tenetur ad baptismum in re, quia non est exemptus ab obseruantia diuinæ legis; si verò non recordetur, ait Doctor *dist.* 14. *quæst.* 1. *lit. V.* in tali casu solum martyrium sufficere, & votum baptismi implicitum, & virtuale; Quod si antè passionem velit martyr explicitè baptizari, & non possit, vtique in hoc casu per votum baptismi explicitum, quod dicitur baptismus flaminis iustificabitur antè martyrium, & ex opere operantis, sicut & alij qui cum solo voto decedunt; adhuc tamen ex opere operato per martyrium habebit augmentum gratiæ, & ius ad maiorem gloriam. Ad vltimum negatur consequentia, cuius probatio valet, quando illa duo media æquè primò æquiualent, non verò si vnum æquiualeat tantùm in alterius defectu, vt est in proposito de martyrio, quod supplet baptismi vices, quandò hic in re suscipi non potest; nam de baptismo est præceptum commune, de martyrio verò in casu tantùm fidei confitendæ, ideoque obseruantia baptismi non est libera.

189 Tertiò obijciunt, voluntas efficax martyrij, & martyriū actu susceptum quoad essentialia non differunt, quia actus exterior nullam nouam bonitatem addit actui interno, in quo solo tota bonitas moralis formaliter saluatur; ergò si martyrium sufficiens ad hominem sine contritione iustificare; sufficiens quoque erit efficax eius voluntas absque martyrio actu suscepto, atque ità poterit peccator sola efficaci voluntate suscipiendi martyrium absque contritione à peccatis iustificari.

Confirmatur, quia mors patienter pro Christo tolerata ab Hæretico, vel Schismatico non sufficit ad remissionem peccati hæresis, vel schismatis, quamdiù in eis perseuerat, vt ait Aug. lib. 1. de baptismo contrà Donatistas pluribus in locis; ergo neque sufficiens erit alia peccata remittere, quamdiu peccator in eis manet; tamdiu autē peccator in eis manet, quamdiù de illis vel extrà sacramentum non conteritur, vel cum sacramento baptismi, aut confessionis non atteritur. Tandem si quis mortem pro Christo subeat antè baptismum, non iustificatur sine voto baptismi, si baptismum reipsa suscipere nequit; ergo nec post baptismum, si post baptismum aliquod mortale commisit, absque voto sacramenti pœnitentiæ, si reipsa sacramentum pœnitentiæ suscipere non potest; quia non minus vnum sacramentum, quàm aliud, est ad salutem necessarium; atqui votum baptismi, vel pœnitentiæ est contritio; ergo sine contritione, aut saltem attritione simul cum sacramento baptismi, vel pœnitentiæ, martyrium hominem non iustificat.

Respond. negando assumptum quoad secundam partem, quod actus exterior nouam bonitatem non addat actui interiori, vt dictum est *lib. 2. disput. de actibus humanis*, ex Scoto *quodlib.* 18. & quando etiam id cöcederetur, adhuc negari debet aliquam gratiam ex priuilegio speciali actui externo respondere non posse, quæ actui interno non respödeat, nam de facto actui externo martyrij secundum omnes correspondet aureola, quæ non respondet interno; sicut ergò actui externo suscipiendi baptismum ex lege, & promissione Dei peculiaris gratia respondet, quæ non respondet soli internæ volūtati illud suscipiendi, ita martyrio reipsa suscepto peculiaris gratia correspondet ex pacto, & lege Dei, quæ non respondet actui interno, & voluntati efficaci illud subeundi; hæc enim promissio facta est à Christo Matth. 10. non quidem volenti coram hominibus illum confiteri, sed actu confitentibus, dixit enim, *qui me confessus fuerit*, non autem, *qui me confiteri voluerit*. 190

Ad Confirmationem negatur consequentia, etenim, vt inquit Amicus, hæreticus, quamdiù in hæresi perseuerat, veram fidem non habet, sine qua impossibile est Deo placere, peccator autem, estò gratiam Dei non habeat, potest tamen peccata commissa per supernaturalem attritionem retractare, & per opus priuilegiatum martyrij gratiam consequi, sicut cum dispositione eiusdem attritionis mediante alio sacramento eam potest adipisci; quo pacto etiam hæreticus ipse, qui pro aliquo vero fidei articulo à Tyranno occideretur, si resipisceret à Deo illuminatus, & suis erroris pœnitentiam ageret, cum sola attritione ex vera fide infusa procedente, vi martyrij iustificaretur. Ad vltimum negatur paritas, quia martyrium gratiam confert ex opere operato ad instar sacramenti baptismi, vel pœnitentiæ, ac proindè martyrem iustificandum actum contritionis non requirit, sed tantùm attritionis actus sufficit, quæ cum opere ipso externo martyrij primam gratiam confert; at votum sacramenti baptismi, vel pœnitentiæ gratiam tantùm confert ex opere operantis, & ideò vouentem, vel desiderantem baptismum, aut pœnitentiam non iustificat saltem dispositiuè, nisi perfectam cordis contritionem includat.

Quartò obijciunt; si tempore martyrij se offerat commoditas baptismi ei, qui baptizatus non est, aut sacramenti Confessionis ei, qui conscientiam habet peccati mortalis, tàm ille tenetur ante martyrium baptizari, quàm hic confiteri; ergò deficiente copia sacramenti vterque tenetur de peccatis commissis conteri, quia vterque tenetur voto supplere virtutem sacramenti, quo eget; neuter autem sacramenti virtutem supplere potest actu attritionis, sed contritio requiritur; nam ille actus virtutem sacramenti supplet, qui seipso sufficiens est facere, quod faceret sacramentum ipsum, hic autem non est actus attritionis, sed contritionis, nam hic tantùm extrà sacramentum iustificat ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 4. Confirm. quia per martyrium non potest gratia conferri in ipso mortis instanti, quia tunc homo primò non est; nec anteà, tùm quia nondum consummatum est, tùm quia quocumque alio posteriori instanti antè mortem potest homo denuò peccare, aut saltem diutius in vita manere; at absurdum est inueniri martyrem viuum, aut 191

etiam

etiam impium; ergo martyrium vi propria gratiam conferre nequit, ſed tantùm per actum contritionis præcedentem. Denique Vaſquez impugnatis aliorum rationibus arguit, quia non niſi diuina voluntate, & conceſſione mors pro Chriſto tolerata talem vim habere potuiſſet remittendi peccata, & conferendi gratiam ex opere operato: ſed de hac Dei voluntate nobis non conſtat, nec ex Scriptura, nec ex Eccleſiæ definitione, aut traditione: ergò non debet hæc vis per ſe tribui martyrio, ſed tantùm dilectionis affectus, quo mortem quis ſubit, poterit eum iuſtificare, & ſaluare, ex opere, ſcilicet, & merito operantis.

192 Reſpond. conceſſo antecedente, negando conſequentiam quantum eſt ex vi diſpoſitionis ad martyrium requiſitæ; & ad probationem conſequentiæ conceditur per ſolum attritionis votum extrà ſacramentum vim, & effectum ſacramenti ſuppleri non poſſe quantum ad gratiæ collationem; negatur tamen non poſſe ſimul cum martyrio ſuppleri, quia cum martyrium ex diuina promiſſione annexum habeat priuilegium conferendi gratiam ex opere operato, vt ſuprà probatum eſt, poterit vna cum attritionem primam gratiam conferre, ſicut facit ſacramentum cum ſola attritione faciendo de attrito contritum. Ad Confirmationem varij ſunt modi dicendi, quo tempore conferatur gratia martyrij; quidam dixerunt hominem accipere gratiam martyrij, cùm firmiter deliberat mortem pati pro Chriſto, & ità indicauit Caiet. 2. 2. *quæſt.* 124. *art.* 2. *ad* 1. Sed certè præter voluntatem etiam efficacem ipſum opus extremum expectari debet, non enim ſola voluntas ſufficit ad recipiendam martyrij gratiam, ſed realis executio requiritur, & per talem voluntatem ad ſummum dici poteſt quis Martyr deſiderio, vt dicitur de Patre noſtro Sancto Franciſco, non autem Martyr abſolutè. Alij dixerunt gratiam conferri in eodem mortis inſtanti, quia putant tale etiam inſtans ad hanc vitam pertinere, tanquam eius terminum, licet extrinſecum. Sed neque hoc benè dicitur, quia vltimum inſtans vitæ hominis iuxtà communem Philoſophorum eſt inſtans extrinſecum, in quo valet dicere, nunc non eſt homo, ſed immediatè antè fuit; atque ita iuxta hunc dicendi modum, homo gratiam acciperet, quando non eſt, & talis poſſet fieri beatus, qui toto vitæ ſuæ tempore gratiam non habuit, ſed ſemper in peccatis fuit toto tempore vitæ ſuæ, quod eſt abſurdum.

193 Præſtat itaque dicere cum communi gratiam martirij conferri in aliquo inſtanti determinato antè mortem, nimirum quando homini iam ſunt lethalia vulnera inflicta, vt dicatur conſtitutus in articulo mortis naturaliter iam ineuitabilis, quia nimirum tunc martyrium, licet non totaliter conſummatum, tamen coram Deo habetur pro completo; nam quando Martyr lethalia vulnera recipit, dicitur mortuus in cauſa, & ſecundum naturæ ordinem mori debet, non ob aliam cauſam, niſi quia talia vulnera eſt paſſus, vndè congruum eſt, vt eo tempore martyrij effectum conſequatur; ità Vega, Valentia, Suarez, Amicus, Auerſa, Henriquez, Coninchius, Bonacina, Surianus, & alij Recentiores, & hoc idem ſupponit Doctor *diſt.* 4. *q.* 5. cùm inquit, quod ſi baptizatus baptiſmo ſanguinis ſuperuiueret, teneretur ſuſcipere baptiſmum fluminis; in quo caſu etiam ſupponit huiuſmodi hominem Martyris coronam non amiſſurum, quod colligitur ex ſenſu Eccleſiæ feſtum Sancti Ioannis Euangeliſtæ celebrantis ſub titu Martyris, qui in feruentis olei balneo immerſus à morte præſeruatus fuit; ac etiam diuinæ prouidentiæ valdè conſentaneum videtur, quod Deus in tali caſu eum in gratia confirmaret, quem miraculosè detinet, ne gloriam conſequatur, quam infallibiliter hic, & nunc conſecuturus erat; confirmaret, inquam, illum in gratia pro toto ſequenti tempore vitæ ſuæ, ne detrimentum patiatur ex incolumitate ſibi miraculosè conſeruata, vel reddita, dum ipſe alacriter ſe expoſuerat morti pro Chriſto, & ſic paſſim diſcurrunt Auctores iam citati; & hoc totum ſupponit etiam Doctor loc. cit. vbi tandem etiam aduertendum eſt hoc idem quoque argumentum de infantibus ab Herode occiſis confici poſſe, nam iſti quoque gratiam debuerunt accipere peccati originalis delectiuam in aliquo inſtanti antè mortem.

Ad vltimum patet ex ſuperiùs dictis ſufficienter nobis conſtare de hac diuina voluntate, & conceſſione in fauorem, & priuilegium martyrij, ex traditione, & exiſtimatione Patrum, & Eccleſiæ, & ex ipſa Scriptura, ſiquidem docuimus hoc priuilegium fundari præſertim in illa promiſſione à Chriſto facta Math. 10. *Qui me confeſſus fuerit coram hominibus, confitebor, & ego eum coram Patre meo.*

Sed hic ruſus grauis inſurgit difficultas, quia cùm hæc profeſſio facta non ſit antiquis Martyribus ante aduentum Chriſti, vt fuerunt ſeptem pueri Machabæi, quos Eccleſia colit, vt Martyres, quia pro legis obſeruantia mortem ſuſtinuerunt: non potuit in illis martyrium gratiam conferre ex ſpeciali hoc priuilegio, ſed ex merito dumtaxat operantis; imò cùm eadem ſit ratio de martyriò poſt aduentum, & paſſionem Chriſti, ac anteà videtur dicendum nunquam gratiam contuliſſe, niſi ex merito operantis; aſſumptum probatur, quia cùm priuilegium ex conceſſione Principis pendeat, quæ antè promulgationem nulli dat ius eo fruendi, non potuit antè promiſſionem à Chriſto promulgatam ſuum effectum operari in Martyribus legis antiquæ. 194

Reſpond. non ſolùm poſt aduentum, & mortem Chriſti, ſed etiam anteà, martyrium hanc vim habuiſſe, quia non minus martyrium Machabæorum exaggeratur à Patribus, quàm aliorum Martyrum poſt Chriſti aduentum, vt patet ex Greg. Nazianz. *or.* 22 *quæ eſt de Machabæis*, quos ait fuiſſe Chriſti paſſioni conformes, & in fide illius conſecutos eſſe iuſtitiam, & effectos niue candidiores, quo verbo ſignificat remiſſionem totius culpæ, & pœnæ; ex quo etiam deducitur ratio huius aſſertionis, etenim cauſa, cur hoc priuilegium fuit martyrio conceſſum, eſt quia martyrium eſt perfecta, & realis configuratio cum morte, & paſſione Chriſti; hæc autem cauſa non requirebat mortem, & paſſionem Chriſti actu exhibitam, vt Deum moueret ad concedendum martyrio hoc priuilegium, ſed ſat erat præuiſam eſſe futuram, vt conſtat de martyrio Io. Baptiſtæ, quod Chriſti mortem, & paſſionem præceſſit; ità cum Suarez diſcurrit Amicus loc. cit. vbi etiam addit decens fuiſſe ad honorandam mortem, & paſſionem Chriſti, vt ipſius intuitu adhuc futuræ Deus hoc priuilegium omnibus concederet, qui ſaltem propter implicitam eius fidem, morte patienter tolerata, realiter ſe conformaturi eſſent cum futura morte, & paſſione eiuſdem; Vnde ad rationem in oppoſitum inquit Amicus hoc priuilegium martyrio conceſſum fundari quidem in illa Chriſti promiſſione, non quæ tunc primum inſtituta eſt, ſed quæ tunc primum ore Chriſti explicata fuit, cùm anteà etiam fuerit, vel per traditionem, vel per diuinam inſpirationem; Quod autem dicitur de priuilegio; valet de illo, cuius effectus pendet ex vſu priuilegiati, non de eo, cuius effectus pendet ex ſola voluntate priuilegiantis, quale eſt priuilegium martyrij, cuius effectus pendet ex ſola voluntate Dei illum liberaliter conferentis.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quæ diſpoſitio requiratur ad martyrium in adultis.

QVæſtio eſt de homine exiſtente in peccato mortali, quæ, & qualis diſpoſitio requiratur in ipſo, vt proſit illi martyrium ſine baptiſmo, in qua tres ſolent referri opiniones, duæ extremæ, & vna media: Prima opinio extrema requirit veram contritionem, & dilectionem Dei ſuper omnia perfectam; ita tenent, qui art. præc. putabant martyrium gratiam non conferre ex opere operato, ſed ſolum ex opere, & affectu patientis, vndè inferunt, quod ſicut peccator extrà martyrium non poteſt iuſtificari ſine contritione, niſi ſacramentum ſuppleat, ità nec in martyrio, pro qua opinione citantur etiam Canus, Bannes, & Vaſquez. Secunda opinio extrema eſt ſufficere voluntatem patiendi pro Chriſto, nec opus eſſe contritione, etiamſi homo ſuorum recordetur peccatorum, quia voluntas moriendi pro Chriſto eſt quædam virtualis dilectio Dei ſuper omnia; pro qua citantur Vega, Soto, & quidam alij: Tertia opinio media eſt, martyrium non requirere perfectam contritionem, ſed attritionem ſufficere, ſi homo ſit conſcius peccati, quia ad baptiſmi effectum conſequendum non ſufficit voluntas ſuſcipiendi baptiſmum, ſed etiam requiritur attritio, ergo idem eſt martyrio, ſi verò per obliuionem, & inaduertentiam peccatorum non elicit actum attritionis, eo quod tunc temporis totus detineatur in expellendo mortis metu, ait ſufficere voluntatem ſubeundi mortem pro Chriſto etiam ſine omni attritione formali de peccatis præteritis: & hæc 195

& hæc fuisse videtur sententia Scoti 4.d.14.q.1. propè finem quæstionis sub lit.V. quam tenent Faber *disp.11. de pœnitentia cap.2.* Aretinus 4. *dist.14. quæst.3. art.4.* Hiqueus ibidem, & alij Scotistæ, ac Recentiores passim Suarez, Coninch. Amicus, Auersa, Becanus, Bonacina, Surianus, qui alios citant.

196 Primò itaque pro resolutione quæsiti dicendum est martyrium requirere veram, & catholicam fidem in homine ex parte intellectus; ita D. Augustin. *lib.1. de Baptismo cap.* ... *lib.3.cap.16.& lib.4.cap.17.* & deducitur, tum ex generali doctrina de necessitate fidei, quia sine fide impossibile est placere Deo; tùm etiam ex conditione ipsa martyrij, de cuius ratione est, vt moriatur homo pro vera fide nimirum fide diuina, & infusa, qualis non est, nisi fides catholica; quarè si infidelis, vel hæreticus occidatur etiamsi pro defensione, & confessione alicuius articuli veri, quem credit, non propterea est Martyr, nec gratiam martyrij consequitur; Sufficiet autem mortem subire, vel in defensionem veritatis nostræ fidei, vel etiam aliarum virtutum, quatenus in Deum referuntur, & sunt veritatis nostræ fidei protestatiuæ; nam generaliter loquendo omnia virtutum opera, secundum quod referuntur ad Deum, sunt quædam fidei protestationes: quicumque enim vult potius morti se exponere, quam aliquo peccato Deum offendere, vel ab actu virtutis tunc exercendæ desistere, iam facto ipso protestatur tantùm esse debere obsequium creaturæ in Deum, vt omnibus alijs spretis etiam propriæ vitæ præferri debeat; vndè omnium virtutum opera possunt esse causa martyrij, & sic Ioannes Baptista fuit verè Martyr, quia in odium virtutis, & veritatis, quam liberè, & impauidè prædicabat, fuit ab Herode occisus: vt notat Auersa *q.70. sec.6.ex* D.Thoma 2.2.q.124.*art.3.*

197 Secundò ex parte voluntatis martyrium in adultis requirit, tanquam necessariam dispositionem, piam voluntatem tolerandi mortem pro diuina gloria; dico autem in adultis, quia hæc voluntaria acceptatio martyrij non requiritur in infantibus vsu rationis carentibus, vt constat de Sanctis Innocentibus, qui verè Martyres fuerunt, vt dicemus artic. sequent. quamuis per voluntarium consensum martyrij passionem non acceptauerint; Quod autem in adultis talis voluntas sit necessaria ex eo constat, quia Deus non saluat nolentes, sed volentes, & vt inquit D.Augustin. non saluat nos sine nobis, hoc est, sine nostro consensu, & voluntate; tùm quia sicut in adulto requiritur ad minus intentio suscipiendi baptismum, vt sacramentum sit validum; ità etiam requiritur in adulto suscepturo Martyrium; Deindè talis voluntas pia esse debet, hoc est, honesta, & ex motiuo supernaturali: nam si fiat propter vanam gloriam, vel aliud humanum motiuum, non meretur illa mors martyrij nomen, quia talis actus neq; est actus virtutis, neque fortitudinis, nec religionis, aut alterius virtutis. Quod etiam esse debeat ex supernaturali motiuo ex eisdem deducitur principijs, nam aliàs homo ille non pateretur, vt Christianus, sed vt Philosophus, & consequenter non pateretur, aut moreretur pro Christo, aut defensione Fidei, & Religionis Christianæ. Denique sufficit, vt hæc voluntas sit antecedens, & non retractata; vndè qui semel habuit voluntatem subeundi mortem pro Christo, nunquam illa retractauit, si in somno propter Christum occidatur, vel in odium fidei: si careat peccato mortali, vel antè somnum de eo saltem attritionem habuerit, consequitur effectum martyrij sicut etiam effectum baptismi consequeretur: & ratio est, quia præcedens voluntas non retractata moraliter perseuerare censetur; & actus attritionis præcedens tollit obicem effectus martyrij: è contra verò, qui nunquam voluntatem habuit moriendi pro Christo, si in somno pro Christo occidatur, etiamsi iustus sit, non consequitur effectum martyrii, nec per talem mortem gratiæ augmentum acquirit.

198 Tertio, vt martyrium primam gratiam conferat ex opere operato, necessaria est aliqua pęnitentia, & dolor supernaturalis de peccatis commissis. Ratio est, quia nil magis, & frequentius in sacra Scriptura inculcatur, quàm hìc dolor de peccatis commissis ad veniam impetrandam, vnde Concil. Trident. *sess. 14. cap.4.* definit hunc dolorem quouis tempore fuisse necessarium ad impetrandam peccatorum veniam; & constat à paritate sacramenti Baptismi, & Pęnitentiæ, quæ quamuis per se primò sint instituta ad remittenda peccata, & primam gratiam conferendam ex opere operato: ad hoc tamen requirunt de peccatis commissis aliquem supernaturalem dolorem, vt de pœnitentia definit idem Concil. *loc. cit. & de Baptismo, sess.6.cap.6.* ergò à fortiori martyrium quoque hunc dolorem requiret, quod non est primò, & per se institutum ad peccata delenda, sed hoc habet ex adiuncto priuilegio: Vndè qui habet alicuius peccati complacentiam, & si martyrium patiatur, nullam consequitur veniam, de quo vide Aretinum *loc.cit.*

Quarto, dolor de peccatis cum martyrio ad iustificandum requisitus per se non est contritio, sed sufficit attritio. 199
Conclusio est Scoti loc.cit. & sequitur ex præcedenti articulo, vbi probatum est martyrium ex promissione Dei, & singulari priuilegio primam gratiam conferre ad instar sacramenti baptismi, & ex attrito reddere martyrem contritum; cum ergo martyrium habeat eandem vim cum baptismo, sicut hic contritionem non requirit, vt gratiam iustificantem conferat, ità nec martyrium, Tùm quia si contritio esset necessaria, nunquam martyrium primam gratiam conferre posset, quam tamen baptismus conferre potest, atque adeò eandem vim haberet cum baptismo. Dixi contritionem non esse per se requisitam cum martyrio ad iustificandum, fortè enim per accidens ratione alicuius præcepti tempore martyrii occurrentis, poterit Martyr eo tempore obligari ad actum contritionis eliciendum: Dicunt enim quamplures præceptum contritionis maximè in articulo mortis obligare, eo quod in articulo mortis homo semper teneatur tutiorem viam ad salutem amplecti: sed qui subiturus est martyrium, est in periculo mortis; ergò tunc ratione talis præcepti tenebitur actum contritionis elicere, quarè si voluntariè omittit, peccat mortaliter.

Verùm an in articulo mortis teneatur homo conari ad actum contritionis eliciendum, eo quod in eo puncto teneatur tutiorem viam salutis amplecti: in præsenti differendum non est, sed ad Disputat. de Pęnitentia differendum, 200
Nobis pro tunc sufficere debet, quod etiam hoc concesso, nihil ex hoc sequitur contrà assertionem nostram, nam data ea opinione, non sequitur contritionem requiri in mortis articulo, tanquam necessariam dispositionem ad tollenda præterita peccata per martyrium, de quo puncto est nostra difficultas; sed solùm tanquam opus necessarium ad vitandum nouum peccatum contrà præceptum contritionis, quod tunc obligare supponitur, non quidem propter fidei confessionem, sed generatim propter mortis periculum, ex quacumque causa id procedat; quo etiam pacto si passurus martyrium verb.grat. teneatur ad restitutionem pecuniæ, vel famæ obligatur hoc statim facere si possit; & similiter tenetur baptizari si possit, & nondum sit baptizatus, & conscius sibi peccati mortalis, tenetur confiteri, si possit; non propriè, vt ad martyrium se disponat, sed vt præceptum impleat baptismi, & confessionis; alias peccaret mortaliter.

Quintò tandem, quamuis per se sit necessaria formalis pęnitentia peccatorum antè martyrum, tamen si ex accidenti contingat hominem excusari à culpa omissionis huiusmodi, 201
vel propter naturalem inaduertentiam, & obliuionem peccatorum; vel quia ex nimio timore mortis tunc menti non occurrerent, & per tempus non vacaret illa diligentius considerare; vel etiam si menti occurrerent, propter subitam mortem, qua à Tyranno præueniretur, non posset contrà illa formalem detestationem concipere: probabile est in his, & similibus casibus solam voluntatem moriendi pro Christo esse sufficientem dispositionem ad obtinendam veniam peccatorum, & gratiam ex priuilegio martyrii. Hanc docet Doctor loc.cit. quem sequuntur Recentiores passim, & probat, quia nullus excluditur à regno Cœlorum, qui facit illud, quod est simpliciter necessarium, & sibi possibile: sed est possibile aliquem vsque ad instans aliquod existentem in peccato mortali, ab eo instanti necessitari deinceps ad toto corde insistendum circà actus distrahentes à cogitatione de peccato commisso, vtpotè exposito martyrio arctissimo, ergo &c. & planè, vt inquit Amicus casum Scoti proponens, quis hunc, qui ex ardenti amore charitatis mortem propter Christum oppetiit, in æternum damnabit, eo quod subita morte à Tyranno præuentus, formalem detestationem suorum peccatorum, quæ tunc menti occurrebant, formare non potuerit?

Confirmatur, quia licet ad martyrium per se requiratur dolor formalis de peccatis commissis nihilominus probabile est

est ex accidenti sufficere virtualem, qui clauditur in voluntate suscipiendi martyrium, & mortem sustinendi pro Christo; nam si volenti mori pro Christo peccata occurrerent, vtique illa detestaretur, & hæc voluntas dicitur attritio virtualis, quia continet aliquo modo peccatorum detestationem, & amorem Dei, nam illa voluntas videtur esse talis, ex qua sequeretur actualis dolor, si peccatum memoriæ occurreret; Et sicut ad delenda peccata extra sacramentum per se quidem requiritur dolor formalis, & tamen in aliquo casu sufficit virtualis, vt quando ignorantia interuenit, vel inaduertentia inculpabilis; tunc enim si aliquis eliciat actum dilectionis Dei super omnia ignorans, vel non aduertens se esse in peccato, dicitur ratione dilectionis Dei habere virtuale odium, seu virtualem peccati dolorem; ità in martyrio, quamuis per se loquendo dolor formalis requiratur de peccatis commissis; tamen ex accidenti probabile est sufficere virtualem, vt benè Bonacina discurrit *disp. 2. q.1.punc.1.* Denique communis Ecclesiæ ritus hoc idem confirmat, nam nulla inquisitione facta de vita, & moribus, aut pœnitentia de peccatis commissis fideles omnes, quos constat voluntariè passos esse pro Christo, vt martyres celebrat, & cunctis fidelibus, vt tales venerandos, & colendos proponit; neque exequias vllas, aut suffragia pro ipsis, sicut pro alijs mortuis fieri permittit; ergo sola voluntas patiendi pro Christo posita in effectu iuxta sensum Ecclesiæ Martyribus sufficit, vt intelligantur gratiam, & palmam martyrij consecuti: Et hoc censetur speciale priuilegium martyrij suprà sacramentum, quod alioqui sine præuia attritione formali non iustificat, quia est medium commune, & ordinarium, ac proindè non nisi iuxtà communem, & ordinariam regulam confert gratiam.

203 Sed Contrà præcedentem doctrinam arguunt Auctores primæ opinionis necessariam esse contritionem, & dilectionem Dei super omnia perfectam in adultis ad consequendam martyrij gratiam; quia martyrium includit in se actum perfectissimum charitatis, à quo effectus omnes martyrij procedunt, sic enim plures Patres verba illa Christi interpretantur Ioan.15. *maiorem dilectionem nemo habet, quam vt animam suam ponat quis pro amicis suis*. Deindè quia nullibi in Scriptura extat talis promissio, quia Lucæ 12. & alibi, vbi promittitur salus Martyribus, promittitur solùm ijs, qui perdunt animam propter Christum; atqui illi soli dici possunt perdere animam propter Christum, qui mortem subeunt ex amore Christi; ergò martyrium includit actum amoris. Denique ex Trid.*sess.6.cap.4.* homo ante baptismum à peccatis non iustificatur, nisi aut lauacro regenerationis, quòd fit per baptismum, aut eius voto; post baptismum verò non nisi pœnitentiæ sacramento, vel eius voto: ergo martyrium per se hominem non iustificat nisi vel in voto baptismi, si baptizatus non est, vel in voto sacramenti pœnitentiæ, si baptizatus est; hoc autem votum includit actum contritionis perfectum ex Conc.ibidem, & *sess.14.c.4.*

204 Respondeo negando assumptum, quia indè sequeretur martyrium paruulorum imperfectè, & analogicè tantum esse martyrium respectu martyrij adultorum, quia hoc essentialiter aliquam essentialem perfectionem includeret, à qua propriè haberet, quod sit martyrium, quam illud non includit; sensus autem verborum Christi Io. 15. est, regulariter quidem martyrium solere ex perfecta dilectione, & charitate procedere, siuè ex suo genere, & abiecto hoc esse opus eximiæ charitatis, & inter opera, quæ homo exercere potest ex motiuo charitatis, hoc esse excellentissimum; absolutè tamen loquendo, & in rigore exerceri potest sine motiuo charitatis, etiamsi fit ex motiuo virtutis; potest enim esse ex solo motiuo fortitudinis, vel fidei, aut spei, aut alterius virtutis, vndè Math.28. Christus ipse excitans suos ad fortiter subeundum martyrium ait, nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere, sed potius timete eum, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam; hoc autem motiuum timoris gehennæ non est perfectæ contritionis, sed attritionis, & similiter *vers.*33. excitat eos ad idem martyrium subeundum spe gloriæ; ideoque similibus cogitationibus sæpè sancti se excitabant, vt notat Coninch.*cit.* quæ sanè fuissent vanæ, si non potuissent esse Martyres, nisi mortem subijssent ex amoris affectu.

Ad Confirmationem negatur minor ob eandem rationem, quia vt dixi ad subeundum martyrium non semper est necessarium expressum, & formale motiuum amoris Christi, & absolutè loquendo quilibet dicitur mori propter Christum, quantum sufficit ad rationem martyrij, qui in odium fidei, aut Christi occiditur, modò saltem voluntatem non habet ità à Christo auersam, vt gratiæ obicem ponat, alioquin infantes dici non possent propter Christum pati, quod falsum esse ostendemus art.seq.

Ad vltimum, si argumentum valeret, absolutè probaret baptismum nullatenus per martyrium suppleri posse, nec pœnitentiam, nec in infantibus, nec in adultis, quod patet esse falsum; quarè dicendum est Concil.loc.cit.ageret solùm de remedijs ad iustificationem ordinarijs, non autem de extraordinarijs, quale est martyrium; vndè nec ibi mentionem facit de iustificatione infantium per sanctificationem in vtero matris, vel per mortem in odium Christi passam, cùm tamen etiam per hæc media infantes ab originali iustificari valeant, licet non regulariter; alia argumenta contrà hanc doctrinam art.præc.soluta sunt.

Deindè obijciunt contrà id, quod diximus in aliquo casu solam voluntatem moriendi pro Christo esse sufficientem dispositionem ad veniam peccatorum obtinendam, & gratiam martyrij consequendam; quia talis nuda voluntatis suscipiendi baptismum non sufficit peccatori sine formali contritione, vel saltem attritione annexa, etiamsi non aduertat se esse in peccato; ergò nec nuda voluntas suscipiendi martyrium pro Christo erit sufficiens absque contritione, vel saltem attritione formali. 205

Respondeo negando paritatem, hoc enim est speciale priuilegium martyrij supra sacramentum, Patres enim non solùm tribuunt martyrio æqualem virtutem baptismo, sed etiam longè maiorem, vt constat ex dictis, & ratio est, quia voluntas moriendi pro Christo est multò nobilior, & excellentior, quàm sola voluntas suscipiendi baptismum, qui quoniam est medium commune, & ordinarium ad gratiam consequendam, proindè non nisi iuxtà communem, & ordinariam regulam confert gratiam cum contritione annexa, vel saltem attritione obicem peccanti auferente, & eius complacentiam: Verum quamuis voluntas moriendi pro Christo sit multò nobilior, & excellentior, quàm sola voluntas suscipiendi baptismum, & quamuis sit virtualis quædam dilectio Dei super omnia, quia per illam pluris facit Deum homo, quàm seipsum, & propriam vitam suam, non ob id est sufficiens dispositio pro gratia martyris consequenda in quocumque casu, vt contendebat secunda opinio ab initio art. citata, sed tantùm in casibus, iam à nobis insinuatis in vltima conclusione sub num.201. Etenim in aliis casibus repugnat hominem habere actum dilectionis Dei super omnia formalem, vel virtualem, & peccata memoriæ præsentia non statim detestari, si potest, etenim si potest, & actu illa statim non detestatur, signum est à posteriori, illum non habere verum actum dilectionis Dei super omnia, nec formalem, nec virtualem, quia talis actus statim tollit malum ab amico, in quem super omnia fertur amore amicitiæ.

ARTICVLVS QVARTVS.

An baptismus infantium possit per martyrium suppleri.

Sententia negatiua tribuitur Alensi 4.*p.q.*22.*memb.*5.*art.*1. Adriano *in* 4.*q.vlt.de de Baptismo*, Armacano *lib.*8.*de q. Armen.c.*37. & D.Bon.4.*d.*4 *in* 2.2.*p.dist.art.*1.*quæst.*2. vbi tamen apertè id non docuit, nec in eius libris hæc sententia reperiri potest, prout contestantur Suarez *disp.* 29. *sec.* 1. & Vasquez *disp.*183.*c.*8. & alii Recentiores: cuius sententiæ vnicum fundamentum est, quia infantes censet esse prorsus martyrii incapaces, cùm sit actus virtutis fortitudinis, cuius paruuli non sunt capaces. 206

Communis, & vera sententia est affirmatiua docens infantes esse martyrii capaces, seu baptismi sanguinis, quam tenet expressè Doctor 4.*d.*4.*q.*3.§.*dicitur*, vbi docet etiam infantes, qui in vtero cum ipsa matre propter Christum trucidantur, consequi eundem fructum martyrii, quem consequuntur, qui exclusi ab vtero matris eodem titulo trucidantur, quod probat, quia si quis persequitur matrem grauidam, eadem de causa persequitur paruulum in vtero eius, ergo si mater occiditur pro iustitia, similiter & paruulus, si autem paruulus occideretur extrà vterum, haberet baptismus sanguinis, si pro iustitia, vel fide occideretur etiam non baptizatus: ergo eodem modo rationabile est,

est, quod Deus non contemnet eum pro simili causa in vtero matris passum; hæc Doctor *loc. cit.* quo discursu supponit de infantibus ab vtero materno exclusis nullum esse dubium, quin sint martyrij capaces; Hoc autem præsertim probari solet ex traditione Ecclesiæ, & SS. Innocentium exemplo, quos Ecclesia, tanquam Martyres colit, & passim apud Patres pro Martyribus habentur, vndè inquit August. 3. *de lib. arb. cap.* 23. *Non frustrà infantes illos, qui ab Herode occisi sunt, in honorem Martyrum receptos commendat Ecclesia*, & ità eos appellant Chrysostomus, Cyprianus, Bernardus, Hilarius, Hieronymus, Beda, & alij Patres, quorum verba passim referunt Recentiores.

207 Respondent Primò, quod licet Ecclesia habeat Innocentes pro Sanctis, non tamen pro veris Martyribus, quia non sunt voluntariè passi pro Christo. Sed Contrà, quia non tantùm relati Patres eos, tanquam Sanctos, & veros Martyres declarant, sed etiam ipsa Ecclesia in eorum officio, in hymno enim inquit, *Saluete flores Martyrum*, & rursus in oratione, *Deus cuius præconium Innocentes Martyres, non loquendo, sed moriendo confessi sunt*. Tùm quia nulla potest assignari causa, cur habeat illos Ecclesia pro Sanctis, nisi solum martyrium; ac proindè si non essent veri Martyres, nec verè essent Sancti; voluntaria autem acceptio martyrij licet necessariò requiratur in adultis, vt suprà dictum est, non tamen in infantibus vsu rationis carentibus: eo quod plus requiritur ab eo, qui est sui iuris, & libertatis, quàm qui libertatis vsum non habet: vndè sicut baptismus absque actu interno adultum non iustificat, qui tamen iustificat infantem absque vllo actu; ità quoque martyrium, quod baptismo succedit, licet absque actu interno adultum non iustificet, iustificat tamen infantem, nec est maior ratio de vno, quàm de alio.

208 Respondent Secundò falsum esse, nullam posse assignari causam, cur habeat illos Ecclesia pro Sanctis, nisi solum martyrium, nam potest assignari Circumcisio, per quam primam gratiam acceperunt, & ab originali mundati sunt: quarè fuerunt sanctificati per circumcisionem. Sed hæc quoque solutio communiter reijcitur, vt manifestè contrà sensum Ecclesiæ, quia non omnes illi infantes circumcisi fuerunt; constat enim ex Euangelico textu occisos esse omnes à bimatu, & infrà, quotquot erant in Bethleem, & finibus eius, atque ideò plures antè octauum diem sunt occisi, imò non pauci eodem ipso die, quo sunt nati; & verisimile est fuisse etiam occisos plures infidelium filios; cum ergo omnes indiscriminatim, vt adorandi proponantur, nequit sola circumcisio assignari, vt causa sanctificationis, & adorationis eorum. Tùm quia præcipua, & principalis causa, ob quam regnum cæleste obtinuerunt, & vt Sancti, & veri Martyres ab Ecclesia venerantur, est mors in odium Christi ab Herode illata, & ab ipsis patienter tolerata, vt constat ex hymno, quem in eorum festo canit Ecclesia: sed hæc mors communis fuit, & æqualis, tam circumcisis, quam incircumcisis, ergo &c. Tùm tandem quia relati Patres, & præsertim D. Leo *serm.* 1. *de Epiphania ante finem*, clarissimis verbis ostendunt SS. Martyres Innocentes, non ratione Circumcisionis, sed ratione mortes Martyrij ad palmam gloriæ cælestis peruenisse.

209 Respondent tandem, eos non virtute martyrij, sed ex speciali priuilegio illis facto saluos factos fuisse, quod confirmant testimonio B. Laurentij Iustiniani, qui sermone de festo SS. Innocentium causam salutis eorum non refert ad ipsorum mortem pro Christo passam, sed ad misericordiam Dei; Sed neque hæc responsio, vel potius euasio subsistit, nam Ecclesia, & Patres citati neque in Circumcisionem, neque in aliquod aliud priuilegium speciale illis infantibus factum refert eorum salutem, sed in martyrium, quod subierunt, nec de eorum Circumcisione fit quidem verbum, sed tantum de morte, & martyrio; neque enim ab Ecclesia dicuntur Innocentes Christum confiteri, quia circumcisi sunt; sed quia mortui sunt propter Christum: ergò id sufficit ad salutem quibuscumque infantibus, quia est eadem omnium quoad hoc conditio. Neque allatum B. Laurentii testimonium contrariæ fauet sententiæ, cùm ibidem de Innocentibus dicat, quod *nec corde credebant ad iustitiam, nec ore confitebantur ad salutem, & tamen martyrij adepti sunt palmam*; intantùm autem eorum salutem non tantùm refert ad ipsorum mortem, sed etiam in Dei misericordiam, non quia nullo habito respectu ad ipsorum mortem pro se passam, illos Deus coronauerit, sed quia præ aliis, qui diù in certamine pugnarunt, gratis quodammodo hi coronati videntur, cùm vix nati martyrij palma sint coronati, vt expresse ex eodem textu colligitur.

Hic tamen aduertendum est, quod quando dicimus Ecclesiam, & Patres causam salutis Innocentium referre in mortem ipsorum pro Christo passam, non verò in Circumcisionem; non ob id negare intendimus, quod qui ex eis circumcisi fuerunt, non fuerint etiam per Circumcisionem sanctificati, sed solùm, quod præcipua, & principalis causa sanctificationis eorum ab Ecclesia, & Patribus refertur in mortem ipsorum pro Christo passam; Vndè consequenter fatendum est maiorem gratiam consecutos fuisse infantes, qui circumcisi necati sunt, quàm qui non circumcisi, vt hic aduertit Amicus, quemadmodum maiorem vtique gratiam consequeretur infans, qui post baptismum martyrium pro Christo subiret, quàm qui antè baptismum, siquidem qui circumcisus, vel baptizatus mortem pro Christo suffert, duplicem consequitur gratiam Circumcisionis nempè, vel baptismi, & posteà martyrij. 210

Sed quamuis hæc ratio ab exemplo Innocentium deducta, qui Martyres ab Ecclesia dicuntur, sit apud omnes plausibilis, & ab omnibus recepta eam tamen, tanquam esset solius Vasquez, reiicit vt inualidam Brancatus noster *disp.* 13. *art.* 6. quia illa coniectura, quod aliqui ex illis non essent circumcisi, est sine fundamento, quia Herodes ideo pueros occidit, vt inter eos inueniretur Messias regnaturus, ex Magorum dictis, à quibus acceperat eos aduenisse ad adorandum natum Regem; at Magi ex longissimis Orientis regionibus venerunt, multumque tempus in itinere insumpserant: vndè conicere potuit Herodes multis antè diebus, & fortè mensibus natum Regem ab eo odio habitum; ergò non est verisimile præceptum occisionis fuisse vsque ad infantes octo, vel decem dierum extendendum. Tùm quia diceret quis in tali casu necessitatis fuisse illis applicatum remedium, vel circumcisionis, si poterat accelerari in necessitate, vel legis naturæ, quo fortè in tali casu vtebantur. Tum tandem dici posset incircumcisos, si qui essent, non computandos inter Martyres, quod tamen ipse asserere non audet. Deindè ait Patrum auctoritates adductas, præsertim verò D Leonis serm. 1. & 2. de Epiphania, & D. August. cit. nihil prorsus ad rem facere, nisi in commendationem illius martirii scilicet quod nihil iniquum operantes martyrium passi sunt, sed nullum habent verbum de paruulis non baptizatis, aut incircumcisis, neque afferunt martyrium eis profuisse loco baptismi, aut circumcisionis: concludit nullum Patrum, quos vidit, id clarè dixisse præter Bernardum *serm.* 66. *in Cant.* dicentem; *meritò Ecclesiam præsumere non solum paruulis baptizatis in sua fide salutem, sed etiam interfectis pro Christo infantibus, coronam Martyrij*. Denique id ipse probat ratione, quia paruuli sunt capaces baptismi in deletionem originalis: ergo etiam martyrii, consequentia probatur, quia adultus patiens martyrium consequitur effectus illius, non ex opere operantis, sed operato, licet aliqua dispositio in eo requiratur, sicut etiam in baptismo; ergò cùm hoc opus operatum etiam paruulo applicetur, cùm in hoc nulla requiratur dispositio, sicut nec etiam in baptismo, suum effectum ei conferet.

Cæterum omninò falsum est, quod illa coniectura, quod aliqui ex illis infantibus non essent circumcisi, sit sine fundamento, siquidem vt suprà dictum est, fundatur in Euangelico textu dicente, occisos esse omnes à bimatu, & infrà sine vlla specificatione, vel limitatione istius inferioritatis ad bimatum; & occisos esse quotquot erant in Bethleem, & finibus eius sub tali inferioritate: cùm ergo euangelicus textus ità absolutè loquatur, & sine vlla exceptione, fundatissima est coniectura, quod multi ante octauum diem fuerint occisi, & non pauci eo ipso die, quo nati sunt, & sine vllo fundamento asseritur oppositum. Imò hoc totum clarissimè, & ore rotundo asserit S. Leo ipse serm. 1. de Epiphania, ex quo dicebat nihil ad rem colligi, sic ergò ibi loquitur de Herodis edicto. *Necari omnes Bethleem paruulos iubet, & quoniam quem metuat, nescit infantem, generalem sententiam in suspectam sibi tendit ætatem: sed quos Rex impius eximit mundo, Christus inserit Cælo, & quibus nondum sanguinis sui impendit redemptionem, iam martyrij tribuit dignitatem*. Hæc ibi S. Leo quibus non tantùm docet illos infantes fuisse martyrii corona decoratos, sed simul omnes Bethleemiticos infantes hanc digni- 211

dignitatem fuisse consecutos, nam omnes fuerunt de mandato Herodis occisi; videat modo Brancatus, an verisimile sit præceptum occisionis infantium ab Herode mandatum fuisse vsque ad infantes octo vel decem dierum extendendum; ergò non tantùm circumcisi fuere martyrij corona decorati, sed etiam incircumcisi; neque in illis nempè circumcisis causa eos colendi est sola sanctitas in Circumcisione collata, sed dignitas, & corona in martyrio donata; Alias duas euasiones, quas addit, fatetur & ipse nullius esse momenti, dum ait posse dici in tali casu necessitatis fuisse incircumcisis applicatum remedium circũcisionis antè octauum diem; vel incircumcisos inter Martyres non esse computandos; nam dubitatiuè, & cõditionatè loquitur, si poterat accelerari circumcisio in tali casu necessitatis, & addere poterat, si sæuitia, & barbaries satellitum hoc permisisset; & fatetur se non tenere incircumcisos, si qui essent, inter Martyres non esse computandos; hoc inquam, rationabiliter fatetur, quia oppositum ab omnibus censetur temerarium, & erroneum, quia Ecclesia omnes infantes de mandato Herodis occisos indescriminatim proponit adorandos, & omnium passio colitur, quæ si nihil ipsis gratiæ, & sanctitatis contulisset, non esset materia cultus specialis.

212 Neque etiam illa sua ratio ex paritate baptismi desumpta ab omni censura est libera, cùm inquit, quod sicut opus operatum baptismi applicatum paruulo suum confert effectum, quia in eo nulla requiritur dispositio; itá opus operatum martyrij, si paruulo applicetur, suum producet effectum ob eandem rationem; sic enim discurrendo supponere videtur, quod martyrium gratiam conferat prout est opus ministri necem inferentis, ac veluti ex institutione diuina, eo modo quo sacramenta gratiam conferre dicuntur, quod suprà *num.* 186. falsum esse diximus, quia sacramentum est actio sacra, & sancta, & ad cultum Dei ordinata, & à Christo instituta vndè applicata paruulo suum confert effectum actiuè, quatenus à Deo eleuatur ad causandam gratiam; non sic autem actio martyrij, quæ potius de se est actio impia, & sacrilega, vndè non confert gratiam actiuè sacramentorum more, sed tantum passiuè, quatenus patienti martyrium promisit Deus ex speciali priuilegio gratiam conferre; & licet gratis concedamus, quod gratiam confert ex opere operato, non tamen actiuè sacramentorum modo, vt in ratione adducta significatur saltem in modo loquendi, sed tantùm passiuè modo iam declarato.

213 In oppositum arguitur Primò, quia martyrium est actus virtutis, nempè fortitudinis elicitiuè, & charitatis imperatiuè, sed infantes nullũ virtutis actum elicere possunt, cùm vsum rationis non habeant, ergo &c. Confirmatur, quia in martyre debet esse fides, & confessio, ac intentio suscipiendi martyrium; sed in infantibus hæc locum non habent, nam cùm vsu rationis careant, sicut nec malum respuere, itá nec bonum eligere sciunt. Tandem, quando etiam martyrij essent capaces, tamen martyrium sine baptismo illis prodesse non potest iuxtà regulam generalem *Nisi quis renatus fuerit*; nec iuuat dicere sufficere tali casu baptismum saltem in voto, quia id locum habet in adultis tantum, non in infantibus.

Respondeo martyrium dupliciter considerari posse, vel quoad ad actum virtutis internum, vel quoad opus mortis externum, & quidem tantæ est excellentiæ, vt vim habeat non solùm saluandi eos, qui actus interioris virtutis sunt capaces, sed etiam qui sunt capaces solùm exterioris operis mortis, & hoc ex speciali priuilegio propter physicam, & realem conformitatem, quam habet cum passione, & morte Christi, quod ex illa vniuersali promissione à Christo facta deducitur, *qui me confessus fuerit*, quæ etiam ad infantes extenditur ex communi sensu Ecclesiæ, & Patrum; licet enim infantes Christum nequeant ore confiteri, saltem opere ipsius mortis confiteri possunt iuxtà illud *non loquendo, sed moriendo confessi sunt*, quamuis ergò infantes quoad actum virtutis internum non sint martirij capaces, sunt tamen capaces quoad actum externum mortis. Ad Confirmationem patet per idem, quia licet in infantibus esse nequeat fides, & confessio cordis, & oris, potest tamẽ esse morti, & operis, qua ratione de Innocentibus dicitur, quod non loquendo, sed moriendo confessi sunt; & quidem ad baptismum non minus fides, & confessio requiritur, quàm ad martyrium, vbi defectus ætatis, & impossibilitas non excusat, iuxtà illud Matthęi, *qui crediderit, & baptizatus fuerit saluus erit*, vndè Aug. *lib.* 4. contrà Donatistas *cap.* 24. vt riusque necessitatem ostendit, at infantes, & à fide cordis, & à confessione oris excusat ob defectum ætatis, pro quibus alij proindè spondent, & respondent in baptismo, sed in martyrio ait eorum sanguinem, & mortem substitui confessioni oris, & fidei cordis, vndè dicuntur non loquendo, sed moriendo Christum confiteri. Ad vltimum per illam regulam generalem insinuatur absoluta necessitas baptismi fluminis, quando adest possibilitas; attamen non excluditur in aliquo casu speciale priuilegium baptismi sanguinis, seù martyrij per illa Christi verba publicatum, *qui me confessus fuerit*, quæ quidem confessio non tantum verbo fieri potest, sed etiam facto, & opere, & ideò non tantùm in adultis, sed etiam in infantibus potest locum habere.

Petes, an baptismus infantium alio adhuc modo præter martyrium suppleri possit. Caiet. 3. *par. quæst.* 68. *artic.* 2. *& artic.* 11. dixit in necessitate suppleri adhuc per fidem parentum infantibus applicatam per signum Crucis cum inuocatione Trinitatis, & hoc etiam modo succurri posse infantibus in vtero Matris existentibus. Communis tamen sententia tam Patrum, quam Conciliorum, & Scolasticorum docet excepto martyrio, non dari aliud remedium pro paruulis supplens vicem baptismi in casu impotentiæ, adeout Caietani opinio omissa est iussu Pij V. in Cõmentarijs Romæ impressis, & facilè deducitur ex ijs, quæ in Scriptura habentur de necessitate baptismi, vt Io. 3. *Nisi quis renatus fuerit &c.* quæ est regula generalis quoad omnes, quibus baptismus in re, vel in voto, aut certè æquiualens, aut baptismus sanguinis, aut flaminis applicari nequit, eamque perpetuò supponit Augustinus contrà Pelagianos, & præsertim de bono perseuerantiæ *cap.* 12. ostendit hoc votum, & desiderium, & fidem parentum nihil prodesse paruulis; Et denique Trid. *sess.* 5. *cap.* 3. docet excepto casu martyrij, non posse paruulis subueniri, nisi per meritum Christi applicatum per baptismum, & idem habet *sess.* 6. *cap.* 4. 214

Sed dices, fides non fuit maioris efficaciæ in veteri testamento, quàm in nouo, sed in veteri testamento sufficiebat fides parentum applicata paruulis per aliquod signum externum; ergo etiam hoc in nouo sufficit. Respond. fidem parentum applicatam paruulis in veteri testamento suffecisse ad salutem non tam ratione fidei, quàm ratione sacramenti; sola enim fides sine externo sacramento sufficere non poterat, vndè sacramentum erat causa iustificationis, fides autem parentum se habebat per modum dispositionis; vndè sicut in veteri testamento sufficiebat sacramentum fidei, etiam & modo sufficit; hoc solùm interest, quod sacramentum fidei non fuerit tunc determinatum ad certum signum externum pro omnibus vtriusque sexus, præsertim in lege naturæ, nunc autem determinatum est ad ablutionem aquæ cum certis verbis. Vndè quia in lege naturæ sacramentum originalis culpæ deletiuum fuit exterior fidei protestatio à parentibus facta, vt notat Doctor 4. *d.* 1. *q.* 7. ideò semper paruulis proderat, quod si hanc facere non potuissent, quia muti, vel ignorantes illam, estò internam fidem pro paruulis applicassent, nihil tamen eis prodesse poterat, sed sine remedio remansissent, & sic etiam de Circumcisione dicendum.

Dices rursus, votum baptismi sufficit adultis; ergò cùm infantes sint proprij voti incapaces, saltem votum parentũ illis sufficere debet, nam, vt dici solet voluntas Patris pro voluntate filij habetur, & reputatur. Resp. negando consequentiam, ad probationem dicendum, illud commune dictum verificari solum in ijs rebus, in quibus Pater est caput filij, non autem in ijs, in quibus se habet, vt priuata persona, & sunt eiusdem ordinis: sic autem res se habet in iustificatione, & rebus ad salutem spectantibus, quod filius, & Pater sunt eiusdem ordinis, nec vnus est caput alterius; sed omnium caput est Christus, cuius omnes, & singuli sunt membra iuxtà illud Apost. Rom. 12. *Multi vnum corpus sumus in Christo, &c.* Plura alia hic tractari solent de Baptismo, quæ potius spectant ad Theologiam moralem, & quæstiones circà casus Conscientiæ, ac proindè pro sequenti Tomo reseruo, qui totus erit de Casibus conscientiæ, & vltimus totius Theologici cursus, si Deo placuerit. 215

QVÆSTIO OCTAVA.

De sacramento Confirmationis.

216 DE fide est Confirmationis sacramentum esse vnum ex septem nouæ legis sacramentis; ità definitum est in Concil. Florent. in decreto de vnione Armenorum §. *secundum*, & posteà in Trident. *sess. 7. can. 1. de sacramentis in genere*, & *Can. 1. de Confirmatione*, quæ veritas manifestè etiam ex Scriptura deducitur Actorum 8. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum Sanctum*, vbi Eugenius quartus in Florent. cit. per manus impositionem intelligit chrismatis vnctionem, & per accipere Spiritum Sanctum intelligit donum gratiæ sanctificantis; ex quo loco euidenter colligitur hoc sacramentum esse à baptismo condistinctum; ait enim sacer textus de Apostolis loquens. *Qui cùm venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum Sanctum nondum enim in quemquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini Iesu*. Et hoc idem probatur pluribus, & expressis SS. Patrum testimonijs Dionisij, Clementis Rom. Vrbani primi, Origenes, Tertuliani, Cypriani, Paciani, Augustini, Gregorij, & aliorum, quorum verba passim Recentiores referunt.

217 Nec obstat, inquit Scotus 4. *d. 7. quæst. 1.* infra C. quod ex nullo sacræ Scripturæ loco institutio huius sacramenti possit expressè, & efficaciter deduci, supponitur enim institutum esse à Christo, licet tempus, & modus huius institutionis in Scriptura non legatur fortè quia historiographi scripturam vsque ad tempus illud non produxerunt; nec est improbabile inquit Doctor, multa esse tradita auctoritatiuè à Christo Ecclesiæ per Apostolos, quæ tamen in Scriptura non legimus, vt dicit Damascenus 4. *lib. cap. 4.* & plura de fide credimus, quæ ex Scriptura non constant, sed ex perpetua Ecclesiæ traditione iuxtà illud Pauli 2. ad Tessalon. 2. *Tenete traditiones, quas didicistis, siuè per sermonem, siuè per epistolam nostram*; huius autem sacramenti institutio ex perpetua Ecclesiæ traditione nobis constat, quam nobis scriptam plures Pontifices reliquerunt, & Patres, quos latè referunt Recentiores Bellarminus, Suarez, Amicus, & alij. Quamuis autem ex Scriptura non constet de tempore, & modo institutionis huius sacramenti, communis tamen, & satis probabilis opinio est, quod in nocte Cœnæ fuerit à Christo Domino institutum, in qua Christus Apostolos instruxit de hoc, & alijs sacramentis ministrandis; quam sententiam expressè tradidit Fabianus Papa epist. 2. cap. 1. dum ait: *In illa die Dominus Iesus postquam cenauit cum discipulis suis, & lauit eorum pedes, sicut à sanctis Apostolis prædecessores nostri acceperunt, nobisque reliquerunt, chrisma conficere docuit*; vbi per chrisma sacramentum Confirmationis intelligitur, quod totum posteà confirmauit Catechismus Romanus de sacramento confirmationis. Vbi tamen aduertendum est, quod licet ea nocte Apostolos docuerit Chrisma conficere, satis tamen rationabile est nemini eorum tunc temporis datam esse potestatem conferendi hoc sacramentum, quia nondum Apostoli in vltima cæna instituti erant Episcopi, ad quos tantùm spectat hoc ministrare sacramentum; sed Christum eam Apostolis contulisse post resurrectionem Io. 20. cùm dedit eis plenariam potestatem Ordinis sacerdotalis, & Episcopalis quando dicit, *accipite Spiritu Sanctum &c.* de quo plura videri possunt apud Brancatum *tom. 3. disp. 1.* Centinum *disp. 1. cap. 1.* & Aretinum 4. *d. 7. q. 1. art. 1.* & 2. Restat ergo vt videamus, quæ sit essentialis materia, quæ essentialis forma, & qui idoneus Minister huius sacramenti, quod articulis sequentibus expediemus ex doctrina Scoti *loc. cit.* 4. *d. 7. quæst. 1.* vbi breuiter, sed exactè totam hanc resoluit quæstionem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæ sit essentialis materia huius Sacramenti.

218 IN hac quæstione conueniunt Catholici omnes materiã huius sacramenti remotam esse chrisma, hoc est, oleum balsamo mixtum, & ab Episcopo consecratum; materiam verò proximam esse vnctionem Chrismatis hanc autem vnctionem fieri debere ad figuram crucis in fronte hominis baptizati cum impositione manus Episcopi; ita Scotus *loc. cit.* ab initio quæstionis, quod totum definitum fuit in Concil. Florent. *cit.* & licet non habeatur in sacris litteris expressum, tamen traditione ipsa Ecclesiæ, & praxi satis constat, quæ etiam sufficit ad reddendam rem, tanquam de fide certam; Et quidem tantum attinet ad materiam proximam, quod in vnctione consistat, nomen ipsum Chrismatis ostendit, quo hoc sacramentum solet etiam communiter appellari, nam Chrisma græcè est, latinè vnctio, & Paulus 2. ad Corint. 1. inquit, *qui confirmat nos Deus, & vnxit nos*. Ratione etiam explicat Doctor *q. cit.* in fine conuenientiam materiæ remotæ, quià nimirum chrisma habet similitudinem cum effectu huius sacramenti, oleum enim nitorem habet, & supereminet cæteris liquidis, & est materia proxima incendij; per primum significat castitatem, vel munditiam; per alia duo significat charitatem; & balsamum, quod habet bonum odorem, significat bonam famam iuxtà illud 2. Corint. *Christi bonus odor sumus*, balsamo etiam corpora mortuorum cõdiuntur, ne putrefiant, ideò significat incorruptionem; per illam ergo materiam scilicet, Chrisma confectum ex oleo, & balsamo significatur, quod confirmatus debet habere munditiam, & charitatem, & bonam famam, quia sine istis non est multum autentica confirmatio fidei christianæ. Sed pro maiori huius rei notitia restant aliquæ difficultates enucleandæ, in quorum solutione non omnes conueniunt.

Prima Difficultas est, an manus impositio sit materia ad hoc sacramentum requisita, quoniam Apostoli, vt ex eorum Actis colligitur, dùm confirmabant, manus imponebant, quia dabant Spiritum Sanctum, & baptizatos confirmabãt super eorum capita manus imponentes; vndè hoc sacramentum ab antiquis vocabatur sacramentum impositionis manuum. 219

Quidam antiquiores dixerunt solam Episcopalis manus impositionem esse materiam essentialem huius sacramenti, quod probant ex facto Apostolorum, qui vt legitur Actorum 8. & 19. per solam manuum impositionem hoc sacramentum ministrabant, nulla mentione facta de chrismate, aut alia materia; ergo sola manuum impositio est essentialis materia huius sacramenti; Consequentia patet, quia neque Apostoli potuissent absque essentiali materia hoc sacramentum conficere, cum essentialis sacramentorum materia ab Apostolis non pendeat, sed à Christo, qui potestate excellentiæ materiam, & formam omnium sacramentorum instituit; ergò si Apostoli sola manuum impositione vsi sunt ad hoc sacramentum conficiendum, sola manuum impositio est essentialis materia illius.

Dicendum tamen est, nullam manuum impositionem ab ea condistinctam, quæ requiritur in ipsa sacri chrismatis vnctione, & esse essentialem huius sacramenti materiam; Ità Scotus *loc. cit.* in solutione ad primam obiectionem sub lit. C. & fundamentum habet in Concil. Florent. vbi Eugenius Quartus in decreto vnionis Armenorum dicit, *loco illius manus impositionis Apostolicæ dari nunc in Ecclesia Confirmationis sacramentum* hoc est, sacri chrismatis vnctionem, vndè in Pontificali Romano huius manus impositionis nulla prorsus fit mentio præter eam qua chrismatis vnctio in modum Crucis applicatur in fronte confirmandi, & eadem planè veritas ex ritu græco colligitur, in qua etiam præter chrismatis vnctionem nulla alia manus impositio adhibetur. 220

Ad fundamentum oppositæ sententiæ de facto Apostolorum ab initio nascentis Ecclesiæ Bellarm. *lib. 2* de sacramento Confirmationis *c. 9.* cum Thoma Valdensi inquit Apostolos etiam tunc temporis in conferendo hoc sacramento semper vsos fuisse chrismate, ac proindè illam manuum impositionem semper coniunctam fuisse cum chrismatis vnctione, quia qui eo fidelem vngit, hoc ipso super eum manum imponit, quod probat, quia negari non potest Apostolos vsos fuisse chrismatis vnctione vt Dionisius, & Clemens Rom. testantur; tùm quià eiusdem vnctionis meminerunt antiquissimi Patres, tamquam rei per traditionem acceptæ; tùm tandem quia apud Patres idem est sacramentum chrismatis, & impositionis manuum, quod enim in vno loco appellant chrisma, in alio vocant manuum impositionem; & hanc solutionem, & explicationem facti Apostolorum ait Hiqueus 4. *d. 7. q. 1. in Commentario n. 75.* esse alijs præferendam, veluti quæ maiorem dat efficaciam argumentis, quibus contrà hæreticos probari solet veritas huius sacramenti ex Scriptura, & Patribus, ideoque videtur

videtur magis sequenda, quia neque ratio, neque auctoritas Scripturæ, aut Patrum aliud cogit; Quod enim in Actis non legatur aliud, quàm manus impositio ab Apostolis facta, nequit hoc interpretari exclusiuè ad materiam, & formam à Christo institutam, alioquin infirmatur fundamentum probandi ex Scriptura hoc sacramentum, quod est inconueniens. Et quidem hæc quoque explicatio mihi valdè placeret, nisi obstaret auctoritas Concil. Florent. in decreto suprà citato, dùm ait loco manus impositionis, qua vtebantur Apostoli successisse in Ecclesia Cõfirmationẽ, hoc est, chrismatis vnctionem; etenim his verbis, vt notat Amicus *disp. 13. sec. 2.* apertè significat Concilium, aliam fuisse manus impositionem, quam tunc Apostoli adhibebant, ab ea, qua nunc vtitur Ecclesia, alioquin non benè diceretur loco illius nunc succedere chrismatis vnctionem, quia vt vna res propriè alteri dicatur succedere, debet esse diuersa ab ea, cùm nulla res sibi succedere dicatur.

221 Præstat itaque respondere cum Scoto *loc. cit.* hoc fecisse Apostolos ex singulari dispensatione, & speciali Christi priuilegio, pro eo solùm tempore, quo Spiritus Sanctus suprà fideles sub visibilibus signis descendebat, ac proindè tunc non erat necessaria sensibilis materia sacramentalis; Quãdo verò huiusmodi visibilia signa cessatũt, vsi sunt Apostoli chrismate in huius sacramenti collatione; quam etiam expositionem dedit D. Thomas *q. 62. art. 2.* & vt meliorẽ amplectitur Amicus loco citato. Neque oppositum conuincunt Bellarmini rationes, probant enim tantùm aliquando vtiq; Apostolos adhibuisse chrismatis vnctionem in huius sacramenti collatione, quod vltrò concedimus, præsertim quando signa illa visibilia cessarunt, vt inquit Doctor, quibus Spiritus Sanctus visibiliter in confirmatos descendebat; probabile enim est non toto tẽpore Apostolorum durasse modum illum dandi Spiritum Sanctum confirmatis visibiliter, & cessantibus talibus miraculis debuerunt Apostoli materiã adhibere iam à Christo institutam; Et vlterius addendum est, quod quando manuum impositione vtebantur, non erat sacramentum, sed ex speciali dispensatione eo modo conferebant rem huius sacramenti scilicet Spiritum Sanctum: quando verò vtebantur vnctione Chrismatis, & conferebant gratiam Spiritus sancti, tunc confirmatio illa erat sacramẽtum: & licet manuum impositio à SS. Patribus Confirmatio appelletur, & sacramẽtum; non tamen erat verum sacramentum, sed sic appellabatur, quia rem Sacramenti Confirmationis conferebat, sicut & Confirmatio nostra à SS. Patribus manuum impositio appellatur, quia eundem confert effectum, quem illa manuum impositio conferebat, quod totum benè notauit Faber *disp. 27. cap. 2.* ex qua doctrina etiam satisfieri potest Coninchio oppositum sentienti *q. 72. art. 3. dub. 2.* de quo fusè Centinus *disp. 2. cap. 2.*

222 Secunda difficultas est, an materia Confirmationis sit chrisma ex oleo, & balsamo compositum; quamuis enim cõcedant omnes ex his duabus partibus oleum quidem esse simpliciter de necessitate huius sacramenti, oleum inquam, commune, & naturale de oliuis expressum, quod simpliciter in communi vsu appellatur oleum; aliqui tamen dixerunt, quod balsami admixtio est quidem de necessitate præcepti, non tamen de necessitate sacramenti, & solum ex præcepto requiri balsamum in materia Confirmationis, quod quidem aliqui volunt esse diuinum, alij verò Ecclesiasticum, & explicant eo modo, quo in sacramento Eucharistiæ commixtio aquæ in calicem est de præcepto; ità quod si Episcopus confirmet adhibendo solum oleum à se benedictum absque vlla balsami mixtione, sacramentum quidem valeat, licet ipse peccet; sicut in consecrationis Calicis requiritur quidem ex præcepto aqua vino mixta, tamen solum vinum est materia sufficiens ad validitatem consecrationis, & sacramenti; ità Caietanus, Nauarrus, Victoria, Valentia, Soto, Barbosa, Couarruias, Baldius, & ex nostris Ferchius, & alij quamplures.

Fundamentum est, quia Innocentius Tertius *cap. Pastoralis extra de sacramentis non iterandis*, interrogatus, an sacramentum Confirmationis in solo oleo collatum sit validum, respondet in talibus nihil esse iterandum, sed cautè supplendum, quod incautè fuerat omissum; si autem balsamum esset materia essentialis Confirmationis, debuisset totum sacramentum in eo casu iterari; Deindè quia Eugenius Quartus in suo decreto in Concil. Florent. ità dixit aquam debere vino admisceri in sacramento Eucharistiæ, sicut balsamum oleo in Confirmatione; sed hoc non obstante vinum sine aqua est materia sufficiens in Eucharistia, ergò sic pariter oleum in Confirmatione sine balsamo. Rursus materia sacramẽti debet esse clara, & certa, de qua nemo dubitare possit, vt patet in materia Eucharistiæ, Baptismi, extremæ vnctionis, & aliorum sacramentorum, at difficile est inuenire verum, & genuinum balsamum, imò multi putant nusquam iam verum repetiri, siquidem iam olim Plinius lib. 12. naturalis historiæ notauit, in vno tantùm, vel altero loco Orbis reperiri scilicet Iudæa, & Mesopotamia; hoc saltem ex omnium sententia certum est, illud facillimè adulterari solere. Denique materia sacramentorum debet esse communis, & facilis, nec constitui debet in liquore pretioso, & raro, qui nõ facilè inuenitur, cuiusmodi est balsamum; imò in primitiua Ecclesia vix credi potest pauperrimos tunc discipulos commoditatem balsami habuisse ad huius sacramenti vsum.

Communis tamen sententia, à qua recedendum non est docet essentialem huius sacramenti materiam non esse simplex oleum, sed cùm balsamo mixtum; Ità expressè D. Bon *d. 7. p. 1. q. 2.* Alensis, D. Thomas, & Doctor loc. cit. dum ait materiam remotam huius sacramenti esse chrisma compositum ex oleo oliuarum, & balsamo, & hoc quidem de necessitate sacramenti, vt explicant ibi Faber, Hiqueus, Poncius, Centinus, Brancatus, & alij Scotistæ passim cum omnibus ferè Recentioribus; nec aliud post Florent. Concil. sustineri posse videtur, cùm absolutè doceat loc. cit. materiam huius sacramenti esse chrisma ex oleo, & balsamo confectũ, Nec explicari potest Conciliũ de necessitate præcepti quoad balsamum, non verò de necessitate sacramenti; Nam sic dicendo reuocari posset in dubium materia cuiuslibet sacramenti ex pluribus constans, qui etiam an oleum saltem oliuarum sit necessarium, quia aliud sufficeret, vel nullum prorsus, sed solum balsamum; Tum quia Concilium ibidem materiam non necessariam, sicut & formam declarat, tamquam talia, vt v. g. quod mixtio aquæ in calice sit tantùm de præcepto Ecclesiastico; quod consecratio in pane azimo, vel fermentato perinde facit ad substantiam sacramenti Eucharistiæ, & materiam eius; quod siuè quis vtatur in baptismo forma Latinorum, aut Græcorum, validè baptizat. Dum autem assignat materiam sacramenti Confirmationis loquitur absolutè, & sine vlla limitatione asserens esse chrisma ex oleo, & balsamo compositum; ergò intelligit de materia necessaria necessitate sacramenti; Vndè omnino falsum est eodem modo locutum esse Concilium de mixtione aquæ cũ vino in calicis consecratione, & mixtione balsami cum oleo in Confirmatione; nam loquendo de materia Eucharistiæ vinum de vite absolutè dicit esse materiam, cui posteà addit ratione misterij aquam debere misceri, quæ verba denotant solùm vinum esse materiam & posteà addendam esse aquam veluti de necessitate præcepti; materiam verò Confirmationis ait esse non oleum cui admisceretur balsamum, sed chrisma ex oleo, & balsamo confectum.

Confirmatur ex Concil. Trid. *sess. 7. can. 2. de Confirmatione*, vbi supponit materiam huius sacramenti esse chrisma, quod vtique significat compositum ex oleo, & balsamo; licet enim Chrisma græcè quodcumque significet vnguentum, & quamcumque vnctionem, ex vsu tamen Patrum, ac Doctorum Ecclesiasticorum pro composito ex oleo, & balsamo vsurpatur, & in hoc etiam sensu Concil. Trid. illud vsurpat, vt Romanus Catechismus exponit in eo loco; & quidem tale esse Chrismatis significatum apud Patres pluribus Patrum testimonijs demonstrat Hiqueus loc. cit. Quod etiam ratione suadetur, quia si chrisma vnguentum non significaret ex oleo, & balsamo compositum, sed oleum purum, & simplex, non magis hoc sacramentum, quàm extrema vnctio Chrisma appellari deberet, quia etiam materia extremæ vnctionis est oleum. 223

Ad fundamentum oppositæ sententiæ benè respondent nostræ Sectatores, nequaquam Innocentium intelligere potuisse confirmationem solo oleo collatam fuisse validam, & non iterandam, sed solam vnctionem balsami supplendam; quia ad minus propter rei incertitudinem debebat in tali casu confirmatio sub conditione iterari, & præsertim quia ipse dixerat *de vnctione cap. vnico*, chrisma, quod ex oleo fit, & balsamo, esse huius sacramenti materiam; & quamuis opinio opposita probabilis esset, quia tamen materia sacramentorum non pendet ex opinione Doct. sed ex Christi institutione, debebat omninò in eo casu saltem sub conditione confirmatio iterari; Intelligit ergò Pontif. vt colligitur ex illa particula *cautè* non iterandam sacramenti solemnitatem ad euitandum scandalum, sed esse sup- 224

plendum priuatè, dando sacramentum de nouo quoad substantialia, quod alias fuit dubium, vel potius nullum. Ad 2. negatur maior, vt constat ex dictis in probatione nostræ sententiæ. Ad 3. dicendum pro materia huius sacramenti sufficere quodlibet balsamum, siuè perfectum, quale dicitur esse Syriacum, siuè imperfectum, quale reputatur Indicum, vbi nascitur in magna copia; hoc enim quoq; sufficit ad huius sacramenti materiam, vt patet ex declaratione Pauli Tertij, & Pij Quarti; & parum ad hoc refert, quod sit eiusdem, vel alterius speciei cum Syriaco sicut nec refert de diuersis vini speciebus pro materia Eucharistiæ, nam ad materiam consecrationis calicis sufficit vinum in genere, licet calore, vel alijs accidẽtibus vnum cum alio non conueniat. Ad vlt. opus non fuit materiam huius sacramenti esse ità obuiam, & communem, vt est materia aliorum, quia non est tantæ necessitatis ad salutem sicut alia, siquidem non est necessarium necessitate medij, vt baptismus, & pænitentia, neq; necessitate præcepti, vt Eucharistia; & cùm balsamum in modica quantitate sufficiat, facilè haberi potest præsertim Indicum, quod in magna copia ex India defertur; imò & Apostoli eorum paupertate non obstãte, ac primi fideles in tam modica portione balsamo Syriaco vti poterunt, & maximè in Palestina, vbi hic liquor abundat, vel saltem tunc temporis abundabat; vide apud Cent. *disp.1.c.2.*

226 Tertia difficultas est, an Episcopalis benedictio chrismatis ingrediatur essentialem materiam huius sacramenti. Negant aliqui asserentes consecrationem Episcopi esse necessariam necessitate tantùm præcepti, non verò sacramenti; quod probant, tùm quia hæc chrismatis benedictio est aliquod sacramentale ab Ecclesia institutum, sicut est benedictio aquæ baptismalis; tùm quia eodem chrismate ab Episcopo benedicto inungitur baptizandus, & confirmandus; sed respectu baptizandi est pura cæremonia ab Ecclesia instituta; ergo etiam respectu confirmandi; vndè deducunt, quod sicut respectu baptizandi sufficeret chrisma à simplici Sacerdote benedictum, ità respectu confirmandi; hanc sententiam docent Paludanus, Capreolus, Caietanus, Soto, Palatius, Valẽtia apud Amicum *disp.13.sec.2.cit.* pro qua etiam Scotum nostrum citat *4.d.7.q.1.* paulò post initium; sed falsò omninò, quia ibi expresè oppositum docet; postquam enim ab initio quæstionis dixerat materiam remotam huius sacramenti esse chrisma compositũ ex oleo oliuæ, & balsamo, & sanctificatũ specialiter ab Episcopo; paulò infrà vrget contra hãc obiectionem, quæ est in ordine secunda ex tribus ab ipso allatis, quæ talis est, non oportet chrisma esse consecratum, quia nec in baptismo necessaria est aqua consecrata, sufficit enim quęcumq; aqua; Et respondet sub lit. D. quod Christus contactu suæ carnis mundissimæ omnem aquam consecrauit in vsum baptismi; non sic autem materiam illam confirmationis, & ideò requiritur hîc specialis consecratio, & sanctificatio, quod etiam est rationabile magis, hîc, quam ibi; quia baptismus est sacramentũ necessitatis, & ideò potest à quocũq; Ministro conferri, & rationabile est, quod in aqua non consecrata, alioquin materia conueniens nõ posset esse communis, & impediretur salus multorum: hæc ibi Doctor, quibus expresè constat falsò pro hac sententia citari.

227 Communis sententia docet consecrationem Episcopi esse necessariam necessitate etiam sacramẽti, & materiam essentialẽ adęquatã huius sacramẽti esse chrisma ab Episcopo cõsecratum saltem, tanquã ab ordinario consecrante, itaquod si simplex sacerdos attentet crisma consecrare, nihil facit; ità Faber, Aretinus, Hiqueus, Poncius, Centinus, Brancatus, & alij Scotistæ passim cum tota Recentiorum caterua; Et quidem quod chrisma debeat esse consecratum constat ex Flor. cit. in prædicto decretò de vnione Armenorum, vbi disertis verbis ait materiã huius sacramenti esse chrisma per Episcopum benedictum; constat etiam ex communi Ecclesiæ praxi, & Patrum hoc chrisma appellantium sacrum, ac sanctum vnguentum, est autem sacrum, ac sanctum Episcopi benedictione; Hoc idem probat Catechismus Romanus ratione iam ex Scoto insinuata his verbis: Consecratur autem crisma solemnibus cæremonijs ab Episcopo, ità enim Saluatorẽ nostrum decreuisse in extrema Cœna, cum chrismatis conficiendi rationem Apostolis commendaret, Fabianus Pontifex tradidit, quia in plerisq; alijs sacramentis Christus ità eorum materiam instituit, vt sanctitatem quoq; illi tribuerit, non solum enim aquam elementum baptismi esse voluit, sed cũ ipse baptizatos est, effecit, vt ea deinceps vi sanctificandi prædita esset: quoniam igitur Dominus hanc confirmationis materiam vsu ipso, & tractatione non sacrauit, necessarium est, vt sanctis, & religiosis precationibus consecretur; ità Catech. Rom. & est, quod Scotus dicebat *loc. cit.* quod Christus contactu suæ carnis mundissimæ omnem aquam consecrauit in vsum baptismi, nõ sic autem materiam confirmationis. Quod autem hæc chrismatis consecratio fieri debeat ab Episcopo, tanquam ab ordinario consecrante, docet idem Conc Flor. & Catech. Rom. dùm inquit, *Neque enim ad alium ea confectio, nisi ad Episcopum pertinere potest, qui eiusdem sacramenti ordinarius Minister est constitutus:* vndè Conc. Tolet. 8. hanc consecrationẽ chrismatis Presbyteris expresè prohibet, & idẽ habetur Can. *Presbyter 26.q.6.*

Ex qua doctrina facilè dicitur oppositæ sententiæ fundamentum, assignando disparitatem de benedictione chrismatis, & aquæ baptismalis; ideò enim benedictio aquæ baptismalis, sicut etiam benedictio chrismatis, quo baptizandi vnguntur, est sacramentale quoddam, quia talis benedictio non fuit à Christo instituta, sed ab Ecclesia ordinata, & consequenter sine illa validus esse potest baptismus; at benedictio chrismatis, quo vngitur confirmandus, est ab ipso Christo instituta, vt constat ex Concilijs, & Patribus citatis, & ideò sine ipsa validum esse nequit confirmationis sacramentũ; Neq; nouũ est, vt quod est substantiale respectu vnius sacramenti, possit esse accidentale respectu alterius; nam inuocatio sanctissimæ Trinitatis est essentialis formæ baptismi, nõ sic in alijs sacramentis; & aqua essentialis est in baptismo, accidentalis verò materiæ calicis, vt notat Amicus *loc. cit.*

Duæ aliæ difficultates.

Quarta Difficultas est, an saltem per dispensationem Põtificis possit chrismatis consecratio simplici Sacerdoti committi. Negant Suar. Coninc. Barbosa, Baldius, Auersa, & alij quã plures, ac etiam ex nostris Poncius, & Faber *l. cit.* fundamentum est, quia benedictio facta ab Episcopo est de essentia huius sacramenti, vt dictum est, & de iure diuino, vt indicat Fabianus Papa cit. qui testatur Christũ in vltima cęna Apostolos docuisse chrisma conficere: si ergò chrismatis cõsecratio de iure diuino ad solum Episcopum pertinet, non potest Papa hanc potestatem extendere ad simplicem Sacerdotem. 228

Confquoniam Concilia, & Canones, vt modò vidimus, consecrationem chrismatis prohibent presbyteris, & Catech. Rom. inquit, *Neq; ad alium ea confectio, nisi ad Episcopum pertinere potest.* Denique quia etiamsi aliquando dispensatum sit in huius sacramenti administratione, nunquam tamen dispensatum legitur in eiusdem materiæ consecratione; vndè Concil. Florent. supponit vtique aliquandò dispensatum fuisse in ministro huius sacramenti, nunquam tamen dispensatum, aut dispensari posse in materiæ consecratione, sic enim loquitur, *legitur aliquando per Apostolicæ sedis dispensationem ex rationabili, & vrgente causa simplicem sacerdotẽ chrismate per Episcopũ confecto hoc administrasse Confirmationis sacramentũ,* vbi quamuis concedat dispẽsatum aliquando fuisse per simplicẽ sacerdotem, hoc sacramentũ administrari, non tamen cõcedit hoc ipsũ administrari potuisse chrismate ab ipso Sacerdote confecto, sed à solo Episcopo.

Opposita sententia docet iure diuino vtiq; solum Episcopum posse ordinariè verum chrisma conficere, nihilominus tamen posse summum Pontificem hanc potestatem simplici Sacerdoti delegare ità Caiet. Victoria, Soto, Valẽtia, Amicus, & alij Recentiores, & hæc dubio procul fuit Scoti sententia *l. cit.* vbi initio quæstionis dicit, chrisma debere esse specialiter ab Episcopo consecratũ, vel ab alio cuius talis sanctificatio poterit committi, quam ibi sequuntur Aretinus, Hiqueus, Brãcatus *t.2.disp.2.art.3.* & alij Scotistæ, vt germanam Scoti sententiam; Probatur efficaciter, quia non potest sufficiens ratio reddi, cur summus Pontifex potuerit aliquãdo in casu necessitatis administrationem huius sacramenti simplici Sacerdoti committere, vt testatur Florentinum citatum, & non possit eiusdem materiæ consecrationem committere, cùm maius sit illud, quam hoc. 229

Respondet Faber negando maius esse concedere facultatem simplici Sacerdoti, ministrandi hoc sacramentum, quã conficiendi chrisma, quia materia sacramenti debet esse inuariabilis, benedictio autem Episcopi est de essentia huius materiæ, & ideò variari non potest, non ità est de ministro, quia in alijs sacramentis præter Ministrum ordinarium potest sacramentum quandoq; ab alijs ministrari, vt patet de baptismo, in quo tamen materia, & forma est inuariabilis.

Sed

Sed hæc responsio principium petit, & supponit, quod controuertitur, & est in quæstione, nimirum benedictionē Episcopi esse de essentia, tanquam ministri essentialis consecrantis; hoc enim est, quod in præsenti quærimus, an solus Episcopus sit Minister essentialis consecrans, itaut alteri talis consecratio committi nequeat, an verò Minister duntaxat ordinarius, & quidem quando in solutione præcedentis difficultatis diximus *num.* 227. benedictionem Episcopi esse necessariam necessitate etiam sacramenti, declarauimus ibi chrisma debere esse consecratum ab Episcopo saltem, tanquam ab ordinario consecrante, non autem tanquam à consecrante essentiali; Neque benedictio olei propriè loquendo est materia huius sacramenti, sed tantùm chrisma hoc est oleum cum balsamo mixtum, vt dictum est in solutione secundæ Difficultatis *num.* 223. sed benedictio olei est tantùm dispositio, & dedicatio materiæ. Et hinc deducitur maius esse absolutè loquendo concedere facultatem ministrandi hoc sacramentum, quàm conficiendi chrisma; nam potestas dispensandi, seù delegandi facultatem ministrandi sacramentum includit potestatem etiam dispensandi, & delegandi facultatem benedicendi crisma, sicut potestas in finem includit potestatem in medium; etenim consecratio chrismatis est propter vsum eius in sacramento, ideoque hic est altior, quia immediatius ad sanctificationem accedit, & effectum sacramenti, benedictio autem olei est tantùm dispositio, & dedicatio materiæ, vt dicebamus.

230 Respondent alij, quod in facultate ministrandi hoc sacramentum legimus aliquando fuisse dispensatum, non autem in facultate benedicendi chrisma; Sed neque id sufficit, hoc enim non probat potestatis defectum in Ecclesia, & eius capite, sed negationem duntaxat facti, sicut ergò sola facti negatio non arguebat defectum potestatis in supremo Ecclesię capite, antequam fuisset in Ministro huius sacramenti dispensatum; ità neque modo sola facti negatio in dispensatione consecrationis materiæ defectum potestatis in summo Pontifice arguere debet. Accedit nec leue fundamentum dispensationis etiam in hoc aliquando factæ ex Concilijs haberi; nam in Toletano Primo cap. 20. habetur *in aliquibus locis, vel prouincijs Presbyteri dicuntur chrisma conficere, placuit ex hac die nullum alium nisi Episcopum chrisma conficere*; vbi vt patet, loquitur Concilium non de administratione huius sacramenti, sed de consecratione duntaxat materiæ; Nec valet quorumdam responsio Concilium hoc factum non approbasse, sed potius redarguisse, quia prohibuit; Nam eo ipso, quod factum irritum non declarat, nec repetendam esse Confirmationem ex tali chrismate factam, iam supponit cùm legitima primum auctoritate consuetudinem illam fuisse in eas prouincias inductam, quam deinceps legitima de causa abrogat; quod si putasset Episcopalem consecrationem ad validitatem sacramenti essentialiter requiri, diligenter prouidisset, vt confirmati chrismate per simplicem Sacerdotem benedicto, iterum confirmarentur, ne perpetuò fructu huius sacramenti destituerentur.

231 Deindè potissimum auersæ sententiæ fundamentum est, quia Concilia, & Canones declarant hanc esse propriam Episcopi functionem, & prohibent illam à Presbyteris esse exercendam; sed non solùm id afferunt de confectione chrismatis, sed etiam de eius ministerio in sacramento, vt constat ex dictis; ergo si ex Florentino, & Pontificum facto hoc sufficienter interpretatur, vt Concilia, & Canones prædicti prohibentes, vel afferentes non licere ministrari Chrisma à simplici Sacerdote, intelligantur de administratione ministri duntaxat ordinarij, non autem essentialis; & secundum facultatem, quam habet Minister ordinarius, non verò in casu dispensationis, & delegationis per Ecclesiam factæ; planè sic etiam poterunt intelligi, & interpretari commodè de consecratione chrismatis à simplici Sacerdote non facienda; Denique Ministerium sacramenti magis est determinatum diuina institutione, quantùm ad materiam formam, & ministrum, quàm benedictio chrismatis; quia hæc non habet determinatam formam, aut ritum, nisi ab Ecclesia, & diuersa est secundum diuersum Ecclesiarum ritum; materia verò, & forma determinata sunt à Christo, sicut & minister ordinarius, nempè Apostoli, & eorum successores, vt Patres, & Concilia testantur; ergò magis congruit potestatem esse in Ecclesia denegandi facultatem benedicendi chrisma, quam ministrandi hoc sacramentum, quæ est superioris ordinis, & magis determinata.

Ad fundamentum Aduersariorum patet ex præcedenti doctrina, iam enim dictum est, quo sensu benedictio facta ab Episcopo sit de essentia huius sacramenti, nimirum tanquam ab ordinario consecrante; non autem tanquam à consecrante essentiali, & Fabianus Papa loc. cit. dixit vtique Christum in vltima cęna Apostolos docuisse chrisma conficere; non tamen dixit per dispensationem Summi Pontificis simplici Sacerdoti committi non posse, vt chrisma conficiat. Ad Conf. ex eo, quod Concilia, & Patres chrismatis consecrationem simplici Sacerdoti prohibeant, non benè deducitur, hanc potestatem ei communicari non posse nec etiam per Summi Pontificis dispensationem, sed solùm quod illi ordinario iure non competat, & ità se declarat Catechis. Rom. *loc. cit.* dùm inquit; *Neque ad alium ea confectio, nisi ad Episcopum pertinere potest, qui eiusdem sacramenti ordinarius Minister institutus est.* Ad vltimum falsum est nunquā dispēsatum fuisse in consecratione materiæ, vt constat ex Conc. Tol. cit. Nec obstat, quod Florentinum dicat aliquando ex concessione Sedis Apostolicæ simplicem Sacerdotem hoc sacramentum ministrasse, sed ex chrismate ab Episcopo consecrato; hoc enim non probat, quin etiam eidem committi possit ex eadem auctoritate facultas conficiendi chrisma; licet non fuerit hæc facultas concessa in eo casu, de quo ibi loquitur, quando nimirum à B. Greg. Papa facultas administrandi hoc sacramentum Presbyteris Sardiniæ concessa fuit; nimirum quia non expedit concessionem extendere contrà iura nisi inquantum causa, & casus necessitatis exigit eam extendi; congruum autem non erat in eo casu extendi, quia Sardinię Presbyteri, cōmodè ex Vrbe, aut ab alijs locis vicinis chrisma consecratū quotannis habere potuerūt. 232

Quinta tandem, & vltima difficultas est, an sit de essentia propinquæ materiæ Confirmationis, quod vnctio, & consignatio fiat in fronte confirmandi, diximus enim ab initio articuli cum Scoto, & alijs materiam proximam huius sacramenti esse vnctionem chrismatis, & hanc vnctionē fieri debere ad modum Crucis in fronte confirmandi; Et quidem vnctionem esse huius sacramenti proximam materiam passim omnes concedunt, quia in omnibus sacramentis quę in vsu consistunt, proxima materia est actualis applicatio materiæ remotæ circa suscipientem; & quia materia remota Extremę Vnctionis est oleum benedictum, proxima materia eiusdē est vnctio olei in præcipuis sensibus infirmi applicata; & quia materia Baptismi remota est aqua, proxima materia eiusdem est actualis ablutio baptizandi: Ità igitur in proposito, quia materia remota Confirmationis est chrisma proxima materia eiusdem erit vnctio chrismatis in fronte confirmandi; Sola itaque remanet difficultas, an sit necessarium non tantum necessitate precepti, sed etiam sacramenti, quod talis vnctio, & consignatio fiat ab Episcopo in fronte confirmandi. Nonnulli dixerunt hoc esse necessarium tantum necessitate præcepti Ecclesiæ, non sacramenti, & consequenter quocumque loco, vel parte corporis fiat vnctio, factum tenere, licet peccet sic administrans, sicut baptismi ablutio, licet ordinariè fiat in capite baptizandi, potest tamen fieri in alia corporis parte, saltem principali, & præsertim in casu necessitatis; ità Ledesma *q. 27. art. 9.* 233

Communis tamen, & vera sententia docet, de necessitate huius sacramenti esse, quod vnctio fiat in fronte confirmādi; quāuis enim hoc non explicetur in forma, traditio tamē, & vsus docet id esse necessarium, nō solum necessitate præcepti, sed etiam sacramenti; & ità expresè docet Doctor in hac ipsa quęstione ab initio, vbi in definitione Confirmationis ponit hanc particulam, quod sit vnctio hominis viatoris facta in fronte, nihil autem in definitione datur, nisi quod censetur esse essentiale; & ità ibidem docent Faber, Aretinus, Hiqueus, & alij Scotistæ, & Antiquiores, ac Recētiores passim; Hoc autem constat ex perenni vsu, & praxi Ecclesię fundata in auctoritate Patrum, & Conciliorum; & huius rationē assignat Eugenius Quartus in decreto fidei in Florent. cit. dicens. *Ideo in fronte, vbi verecundiæ sedes est, confirmandus inungitur, ne Christi nomen confiteri erubescat, & præcipuè Crucem eius, quæ Iudæis est scandalum. Gentibus autem stultitia secundum Apostolus, propter quod Crucis signo signatur*, quibus vltimis verbis indicat, quod etiam signatio in figura Crucis est eodem modo necessaria, propter quod etiā hæc particula à Scoto in definitione Confirmationis inseritur; voluit enim Christus regio signo Crucis, tanquam militari nota suos Athletas insignire, vt omni erubescentia deposita, libera fronte illum coram hominibus profiterentur. 234

Dices, antiquitùs iuxta consuetudinem, & ritum Ecclesiæ Orientalis confirmandus non solùm vngebatur in fronte, sed etiam in oculis, naribus, ore, & auribus, vt habetur apud Cyrillum Hierosolimit. *cathec.3. & apud 6.* Synodum generalem Can.95. Resp. quod licet tunc temporis iuxtà ritum Ecclesiæ Orientalis vnctio fieret etiam in alijs corporis partibus, sola tamen vnctio frontis erat essentialis, reliquæ verò adhibebantur, tanquam cæremoniæ accidentales; vndè etiam tunc temporis, vt referunt Patres, prima vnctio fiebat in fronte, tanquam essentialis, in alijs verò partibus accessoriè fiebat ad maiorem expressionem effectus sacramentalis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quæ sit essentialis forma huius sacramenti.

235 Scotus *loc. cit. d. q.1.* ab initio inquit, quod forma huius sacramenti est talis. *Signo te, vel consigno te signo Crucis: confirmo te chrismate salutis, vel sanctificationis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti.* Et hanc esse sufficientem formam est de fide ex Florentino, ex Pontificali Rom. & ex communi Patrum, & Theologorum, & etiam habetur ex Ritualibus antiquissimis, quos citant Alcuinus, & Almarinus, qui floruerunt octingentis ab hinc annis, vndè de eius sufficientia dubitari non potest, cùm Ecclesia in doctrina sacramentorum errare nequeat, vt notat Doctor *d.6. q.9.* de charactere ex *cap. Ad abolendum de hæreticis*; & eius sufficientia patet, quia exprimit materiam proximam, & remotam art. præc. declaratam, causam instrumentalem, & principalem, & denique subiectum, & effectum huius sacramenti, vt patet discurrenti per singulas particulas, & declarat Doctor *loc. cit.* sed hic quoque occurrunt aliquæ difficultates explicandæ.

236 Prima difficultas est, an omnia hæc verba sint essentialia, itaut nulla forma sufficiat, quæ in sensu huic formæ non æquiualeat quoad omnia verba eius. Communior opinio affirmat, esse de essentia huius sacramenti, vt omnia dicta verba, vel ijs æquiualentia saltem implicitè in forma ponantur; quod probant, quia Florentinum formam huius sacramenti recensens omnia illa verba ponit, cùm exprimere non soleat, nisi essentialia; vndè sequitur necesse esse, vt exprimatur primò persona confirmanda; deindè actus confirmantis, vt ab eo procedens, vt suprà dictum est de baptismo; & tandem: vt exprimatur causa principalis, scilicet, tres personæ Trinitatis; debet enim initiandus in vtriusque sacramenti susceptione explicitè confiteri præcipuum mysterium fidei, quam in primo suscipit credendam, & in secundo confitendam, & propugnandam; ideoque & cruce exterius, & charactere interius, tanquam signo Christi militari signatur, & instar Athletæ exterius chrismate, interius Spiritus sancti robore vngitur; Volunt insuper essentiale esse expressè ponere illa verba *signo Crucis, & chrismate salutis*, quia sicut essentiale est exprimere distinctè mysterium Trinitatis, ità videtur essentiale exprimere ipsum signum militare, quo confirmandus insignitur, vt magis ipsius menti imprimatur, & explicitè protestatur, quod Crucem non erubescat; requiruntur etiam alia verba *Chrismate salutis* ad expressionem materiæ remotæ; ità Suarez, Coninchius, Auersa, Aretinus, Centinus, Caspensis, Baldius, Isambertus, & alij Recentiores passim; Vndè dicunt non sufficere si dicatur *Confirmo te in nomine Patris* &c. neque *Consigno te in nomine Patris* &c. neque *Consigno, & Confirmo te in nomine Patris* &c. sed exprimi debere, & signum Crucis, & Chrismæ salutis: ità etiam Brancatus *to.3. disp.1. art.13.*

237 Dicendum tamen est in hoc sacramento non exigi essentialiter, nisi vt exprimatur in forma eius causa principalis, actus confirmationis, seù Ministri, vt applicatur ad personam, cui confertur, ideoque sufficere si dicatur; *Consigno te in nomine Patris*, &c. vel *Confirmo te in nomine Patris* &c. Ità Hiqueus *loc cit. 4. dist. 7. q. 1. num. 67.* quem sequitur Poncius *disp.43. quæst.2.* & tenet etiam Amicus *disp.13.* vbi postquam sententiam communem explicuit, quam anteà ipse quoque sequebatur, addit, quod postquam in formam Græcorum incidit, eamque diligenter examinauit, non amplius communi sententiæ assentiri potuisse; Ratio est, quia forma, qua Græci vtuntur, hæc est, *Signaculum doni, vel donationis Spiritus sancti*, in qua subintelligitur verbum imperatiuum *accipe, vel donetur tibi*, hæc autem forma Græcorum habetur in Concilio Constantinop. *can. 7.* & refertur à Cardinali Bessarione in tract. de Eucharistiæ sacramento, & traditur à sexta Synodo Generali Can. 95. his verbis, *Sancto primum chrismate inungentes, & frontem, & oculos, & nares, & os, & aures, consignantes autem dicimus, Signaculum doni Spiritus sancti*, nec vllus vnquam Græcos reprehendit propter vsum huius formæ, aut de ea dubitauit antè hæc tempora, vt ostendit Amicus loc. cit. cùm tamen plures dubitauerint de forma, qua vtuntur in baptismo; Quinimo Clemens VIII. in Bulla vnionis inter Græcos, & Latinos specialiter huius formæ meminit, eamque vt validam supponit, & denique refert Amicus controuersiam hanc decisam esse Romæ à noua Congregatione erecta ab Vrbano VIII. super Euchologium examinandum; dùm enim Examinatores venerunt ad discussionem formæ huius sacramenti, qua Græci vtuntur, censuerunt illam esse validam, ac proindè nihil in ea immutandum, sed imprimendam, vti hactenus fuit; Constat autem in hac forma Græcorum, quæ valida supponitur, tantam expressionem non reperiri, sicut in forma præmissa Ecclesiæ Romanæ, quamuis ergò denotatio signi Crucis, & vnctionis in figura Crucis sit de essentia formæ huius sacramenti; modus tamen exprimendi explicitè vtrumque & seorsim, quæ fiunt per modum vnius actionis, non est de eius essentia; vndè isti formæ Græcorum æquiualere videtur illa, quam dicebamus quoque esse sufficientem *Confirmo te in nomine Patris*, &c. quæ etiam sufficiens iudicari debet, quia habetur ad verbum in antiquo Ordinario Romano, quod habetur tom.8. Bibliothecæ Patrum. Itaque cùm non constet de forma determinata essentiali huius sacramenti dicendum est quamcumque sufficere, quæ conueniat in sensu cum illa, qua vtitur Ecclesia Latina, vel Græca ad validitatem sacramenti.

Secunda Difficultas est, an inuocatio Trinitatis explicita requiratur ex necessitate sacramenti. Affirmant Theologi superius adducti, quia Concilium Florentinum, Catechismus Romanus, & Pontificale Romanum videntur id supponere in forma præmissa, & eadem congruentia est, sicut in baptismo, in cuius forma illa inuocatio explicita requiritur; Confirmatio namque est perfectio baptismi secundum Patres. Amicus autem è contrà dicit huiusmodi expressionem neque in forma Latina esse essentialem, neque necessariam necessitate sacramenti, sed tantum necessitate præcepti, alioquin non posset Ecclesia Latina permittere, vt Græci hoc sacramentum administrent absque expressa inuocatione diuinarum personarum, vti non permittit, vt absque expressa earumdem inuocatione administretur sacramentum baptismi; & in hoc sensu explicat auctoritatem Concil. Florentini, Catechismi, & Pontificalis Romani talem expressam inuocationem requirentium, vt nempè hanc requirant tantùm sub præcepto, non verò vt necessariam necessitate sacramenti; Ex quo infert in forma Latina hoc sacramentum perfici antè expressionem diuinarum personarum, cùm talis expressio in forma huius sacramenti non sit necessaria essentialiter, sed tantùm ex præcepto. 238

Verùm hoc gratis omninò dicitur, quia in forma Latina inuocatio illa expressa diuinarum personarum est omninò essentialis, & necessaria necessitate sacraméti, quia nulla est alia particula formæ, quæ denotet causam principalé huius sacramenti; iam autem dictum est in hoc sacramento necessario exigi, vt in forma eius causa principalis exprimatur; & quidem hæc sufficienter exprimitur in forma Græca, nimirum in inuocatione explicita Spiritus Sancti cui effectus huius sacramenti appropriatur; vndè non absolutè dicimus in forma huius sacramenti essentialiter requiri inuocationem explicitam trium personarum, alioquin forma Græcorum valida non esset, cum ibi non fiat explicita inuocatio trium personarum, sed tantùm explicita Spiritus Sancti: sed dicimus id requiri in forma latina, quia nulla est alia particula formæ, quæ nec quidem implicitè, & virtualiter causam principalem denotet huius sacramenti; ideoque falsum est illud allatum ab Amico, quod in forma latina hoc sacramétum perficiatur antè expressionem diuinarum personarum. Quarè concludendum est ad validitatem formæ huius sacramenti satis esse, quod sufficienter explicetur eius causa principalis, siuè id fiat per inuocationem explicitam trium personarum, vt contingit in forma latina, siuè per explicitá tantùm Spiritus sancti, cui effectus huius sacramenti appropriatur, vt in Græca; & ità discurrit etiam Hiqueus *loc. cit.* 239

Ad fun-

240 Ad fundamentum oppositæ sententiæ dicendum Concilium Florentinum, Cathecismum, & Pontificale Romanum requirere; tanquam essentialem, inuocationem explicitam diuinarum personarum, in forma Latina, de qua loquuntur, quia nulla est alia particula illius formæ, quæ denotet causam principalem; hoc autem non dixerunt de forma huius sacramenti absolutè loquendo, quia in forma Græca non inuenitur talis explicita inuocatio, sed tantùm implicita per inuocationem tantùm Spiritus sancti, quam tamen non damnant, vt inualidam; Nec est eadem ratio de forma Baptismi, & Confirmationis, vt assumitur, quia cùm per Baptismum homo primò renascatur ad fidem, debet ipsius principale mysterium ei explicitè proponi, vt credendum; In Confirmatione autem, cum homo iam ad fidem renatus supponatur, & per explicitam diuinarum personarum professionem in baptismo emissam ad Religionem Christianam intelligatur admissus, non est amplius earundem diuinarum personarum expressa professio necessaria. Neque Patres eodem modo loquuntur de forma Baptismi, & Confirmationis quantum ad inuocationem explicitam Trinitatis, quia illam necessariam esse docent ibi, non autem in proposito; nam in forma Græca quam Patres non damnant, non inuenitur explicita talis inuocatio Trinitatis, sed implicita per inuocationem tantum Spiritus Sancti.

241 Tertia tandem Difficultas est, an Apostoli in confirmandis fidelibus hanc formam adhibuerint; Aliqui affirmant Apostolos nunquam sine hac forma confirmasse fideles, etiam tunc cum per simplicem manum impositionem sine chrismate confirmabant; Sed hoc prorsus irrationabiliter dicitur, fuisset enim tunc falsa forma, non enim cum virtute dicere poterant *Confirmo te chrismate*, dùm chrismate non vtebantur; Tùm quia in Actibus Apostolorum solum legimus, quod quando manus imponebant super fideles, orabant pro illis, ex quo deduci non potest, eos fuisse vsos præscripta verborum forma iam assignata, vel alia ei in sensu æquiualente, sed sola deprecatione pro suo arbitrio, & Spiritus sancti instinctu.

Hæc difficultas resoluenda est iuxta iam dicta de vnctione præc. art. si enim cum Vualdensi, & Bellarmino *cit. num.* 220. dicamus Apostolos in conferendo hoc Sacramento sẽper chrisma adhibuisse, & illam manuum impositionem semper cum chrismatis vnctione fuisse coniunctam, consequenter dicendum est eãdem formam adhibuisse, vel aliam omninò huic similem, & in sensu æquiualentem; vnde quando dicitur Act. 8. quod *orauerunt pro illis* dicendum est, vel per hoc non significari verba formæ, sed præambulam orationem, formam autem comprehendi sub manuum impositione; nam etiam modò, vt patet ex Pontificali Romano, Episcopus bis imponit manum homini confirmando, semel cùm super eum manus extendit, & orat; & iterum cùm signat eum in fronte, & vngit; Vel dicendum est formam ipsam posse orationis nomine significari, non quia deprecatiua tantùm sit, sed quia virtualem orationem continet, quatenus diuinæ virtuti, & promissioni innititur, vt notat Aretinus *loc. cit.* & per consequens iuxtà hunc dicendi modum dici debet Apostolos semper hanc formam adhibuisse, vel aliam omninò consimilem, & æquiualentem, quia semper in confirmando chrismate vtebantur.

242 Si verò dicamus Apostolos non semper vsos fuisse chrismate in confirmandis fidelibus iuxtà dicta superius *num.* 221. tunc consequenter dicendum, non semper hanc formam adhibuisse, sed tunc tantùm, quandò chrismate vtebantur in confirmatione; & ratio est ibi insinuata, quia quãdo primo modo confirmabant, nempè per simplicem manuum impositionem sine chrismatis vnctione, tunc verum non conficiebant Sacramentum, quia non aderat debita materia, & forma, sed tantùm ex speciali dispensatione eo modo conferebant rem huius sacramenti, scilicet, Spiritum sanctum; Quandò verò vtebantur vnctione chrismatis, tunc verum sacramentum conficiebant, atque adeò hanc formam adhibebant, vel aliam omnino consimilem, & in sensu æquiualentem; Quod dico, quia ex Scripturis non constat de determinata forma essentiali huius sacramenti, atque ideò sufficere debet quæcumque conueniat in sensu cum illa, qua vtitur Ecclesia Latina, vel Græca, & quæ significet illam vnctionem per chrisma fieri ad significandum, quod baptizatus, qui confirmatur, consignetur, & confirmetur in Militem Christi, & sine dubio talis forma ex Apostolorum doctrina manasse credendum est, perpetua enim praxi, & consuetudine Ecclesiæ seruata est, cuius nullum aliud initium potest excogitari, quod apertissimum signum est primæuæ traditionis Apostolicæ; nec mirum si non habetur scripta, & expressè in sacris litteris exarata, nam & alia plura sunt, quæ cùm scripta non fuerint, tamen perpetua Ecclesia traditione seruata sunt.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Ministro huius Sacramenti.

Dixerunt aliqui à recta semita aberrantes, non solum Episcopum, sed omnem Sacerdotem esse idoneum huius Sacramenti Ministrum, posseque illud tam licite, quam validè ministrare; Alij verò putarunt Episcopum esse quidem necessarium huius sacramenti Ministrum, sed sola necessitate præcepti non autem sacramenti, atque ideò simplicem Sacerdotem absque vlla dispensatione, aut concessione speciali confirmantem, peccare quidem, sed conficere validum sacramentum. 243

De fide tamen est ordinarium huius Sacramenti Ministrum esse solum Episcopum, quod sub his terminis definitum est in Concil. Trident. *sess. 7. can.* 3. de Confirmatione, dùm inquit. *Si quis dixerit sanctæ Confirmationis ordinarium Ministrum non esse solum Episcopum, sed quemuis simplicem Sacerdotem, anathema sit*; Quod etiam anteà indicauerat Concil. Florent. in decreto Eugenij, & colligitur ex pluribus alijs decretis, quæ referuntur de Consec. d. 5. Et non tantùm est ordinarius, ac necessarius Minister necessitate præcepti, sed etiam sacramenti, itaut si simplex Sacerdos propria auctoritate illud conferre tentet, nihil efficiet, quia cùm ex institutione Christi ordinarius Minister ipsius sit solus Episcopus, à quocunque inferiori collatum erit inualidum; Quæ veritas fundamentum habet in Scriptura, nam soli Apostoli in Actis imponebant manus, & dabant Spiritum sanctum, quod erat Confirmationis Sacramentum, quia soli Apostoli tunc temporis erant Episcopi, vnde Act. 8. missi sunt Petrus, & Ioannes, vt per impositionem manuum darent Spiritum Sanctum ijs, quos Philippus in Samaria baptizauerat, & Act. 19. Paulus ipse Apostolus manus imponebat illis, quos alij baptizauerant quod non alia ratione factum censetur à sacris Doctoribus, & Patribus, nisi eo quod Apostoli, non solùm, quia erant Sacerdotes, sed maximè, quia erant Episcopi, debebant hoc Sacramentum ex Christi institutione proprijs manibus conferre; Propterea Concil. Trid. sess. 23. cap. 4. inter alias functiones proprias Episcoporum, quarum functionum potestatem reliqui Sacerdotes inferioris ordinis nullam habent, ponit hanc, scilicet Confirmationis sacramentum conferre; Ex quo sequitur à quolibet Episcopo etiam hæretico, & degradato hoc sacramentum collatum esse validum; & ratio est, quia ad hoc sacramentum ministrandum non requiritur nisi debita materia, & forma à Ministro habente ordinem Episcopalem ministrata; sed per hæresim, vel degradationem Episcopus ordinem Episcopalem non amittit, cùm hic à Christo pendeat, qui per nullum peccatum tollitur, aut impeditur, quo minus validè, estò non licitè, Episcopales exerceat functiones, vt habetur ex eodem Trid. sess. 7. can. 12. de Sacramentis in genere; talis enim functio est actus Ordinis, nec pendet à Iurisdictione, vt validè fiat, de quo plura vide apud Brancatum nostrum *tom. 3. disp. 2. artic.* 5.

Supposito igitur solum Episcopum esse huius sacramenti ordinarium Ministrum, & necessarium non tantùm necessitate præcepti, sed etiam sacramenti, vt de facto supponit Doctor in hac quæstione, dùm ab initio inquit, quod huius sacramenti Minister est Episcopus, adhuc restat difficultas, an saltem per dispensationem, & ex commissione Summi Pontificis possit hoc sacramentum conferri à simplici sacerdote; In qua controuersia tres solent referri opiniones, duæ extremæ; & vna media; Prima extrema negat absolutè hoc ministerium posse vlla ratione simplici Sacerdoti committi, pro qua citati solent Durandus, Maior, Adrianus, Alphonsus de Castro, Petrus, Soto, Couarruuias, & alij; quorum fundamentum est, quia ex Conc. Florent. nouæ legis sacramenta tribus perfici dicuntur, quę sunt inuariabilia, vt potè constituta ex institutione diuina, materia, forma, & Ministro, quorum si aliquid desit, sacra- 244

cramentum non perficitur, quia ex diuina institutione sunt de eius substantia, atque adeo nec summus Pontifex potest aliquid ex his tribus immutare; cùm ergo statutum sit solum Episcopum ex Christi institutione esse huius sacramenti Ministrum, neque ex huius auctoritate poterit hoc ministerium alteri inferiori committi; Confirmatur, nam collatio huius sacramenti, vel est actus essentialis pendens à charactere Episcopali, vel non; si secundum, nulla est ratio, cur dicamus hoc ministerium esse proprium Episcopi ex ordinario iure diuino, si primum iam non poterit ille actus committi ei, qui characterem Episcopalem non habet, quia non potest actio esse absque principio, à quo essentialiter pendet; hac enim ratio consecrare corpus Christi committi non potest ei, qui characterem sacerdotalem non habet, aliàs posset hoc quoque ministerium committi non sacerdoti. Alia Opinio extrema contendit hanc facultatem non solùm simplici Sacerdoti posse committi, sed etiam Diacono, ac inferioribus Clericis; imò hanc dispensationem aliqui adeò ausi sunt extendere, vt dixerint hanc facultatem posse etiam laicis committi, & non solùm ex auctoritate summi Pontificis, sed etiam solius Episcopi, pro qua opinione citatur Panormitanus cum summa Rosella, & Angelica, verbo Confirmatio.

245 Media sententia, quæ est communis, & vera, tùm Veterum, tùm Recentiorum concedit posse per dispensationem ac delegationem specialem summi Pontificis tantùm Sacerdotem non Episcopum validè, & licitè hoc sacramentum administrare; quæ fuit Alensis, D. Thomæ, D. Bonauenturæ, Riccardi, & Scoti in hac quæstione sub lit. B. vbi dicit, quod Minister huius sacramenti est Episcopus, vel alius, cui poterit committi; & ità tenent Scotistæ passim, præsertim verò Faber *disp. cit.* Aretinus *d.7. cit. qu.1. art.13*. Centinus *disp.3*. Brancatus *disp.2. art.2*. Hiqueus ibidem in Commentario, vbi sub *num.45*. benè aduertit Scotum in hac sententia neque fuisse dubium, vt ait Auersa, neque obscurum, vt dicit Suarez, neque sibi contrarium, vt ait Soto, clara enim sunt verba ipsius *loc. cit.* dùm inquit *Minister est Episcopus, vel alius cui committi poterit*, quibus verbis significat Ministrum ordinarium huius sacramenti esse Episcopum, extraordinarium verò eum, qui committi posset, nempè Sacerdotem; quia alteri vel etiam Diacono tale munus non potest committi etiam à summo Pontifice.

Fundamentum huius sententiæ est factum D. Gregorij Papæ *lib.6. epist.66*. & refertur (*cap. Peruenit. d.95*. qui tandem permisit, & concessit presbyteris Sardiniæ confirmare, quam dispensationem significauit Eugenius Quartus in Concil. Florent. *cit.* dicens, legitur aliquando per Apostolicæ Sedis dispensationem ex rationabili, & vrgente causa simplicem Sacerdotem, chrismate per Episcopum confecto hoc administrasse Confirmationis sacramentum; Quam D. Gregorij concessionem licet aliqui varijs modis exponere conati sint, præsertim quod indulserit, solùm, vt oleo, & non chrismate linirent frontem; tamen cùm Pontifex loquatur de vnctione chrismatis in fronte, loquitur expresse de hoc sacramento; & ideò Doctor in solutione tertiæ obiectionis, in qua hoc D. Gregorij factum adducit, hanc expositionem referens optimè dixit, quod hæc glosa repugnat litteræ; Et ob exemplum D. Gregorij alij etiam Pontifices interdum pro remotis regionibus eandem potestatem Sacerdotibus concesserunt, vt passim referunt Doctores nostræ sententiæ sequaces; Et quidem hac tempestate sacra Cardinalium Congregatio Interpretum Concil. Trid. sess. 7. declarauit, posse ex priuilegio summi Pontificis hoc sacramentum etiam ab Abbatibus quibusdam ministrari, & plures euasiones pro facto D. Gregorij excludit Brancatus *loc. cit. tom.3. disp.2. art.2*.

246 Addit Hiqueus nec opus esse pro defensione huius communis sententiæ recurrere ad solam dispensationem à D. Gregorio factam, quia vt ipse demonstrat ex multis Patribus, consuetudo antiqua fuit Ecclesiæ Orientalis approbata in Florentino, & Canonibus Concil. Nicæni, raro, aut numquam Confirmationis sacramentum ab Episcopis ministrari, quia conferebatur simul cum baptismo, qui à solis sacerdotibus ministratur; hæc autem consuetudo, retento eo ritu conferendi Confirmationem simul cum baptismo, qui antiquissimus fuit, conueniens imò & necessaria erat, quia soli Episcopi non poterant sufficere baptizandis, neque proindè etiam Confirmationi dandæ, si simul cum baptismo ex vsu dari debuit, vndè prudenter putat Hiqueus hunc ritum tunc temporis in Oriente consuetum dandi Confirmationem simul cum baptismo, originem fuisse illius dispensationis ab initio factæ cum Sacerdotibus in Ecclesia Orientali. Ex his itaque patet solùm Sacerdotibus, & solùm à Summo Pontifice posse hoc ministerium delegari; & nullum est fundamentum, nullum exemplum, aut indicium ad hanc facultatem vlteriùs extendendam, vt secunda opinio contendebat, quæ proindè vlteriori confutatione nō indiget. Sed tota difficultas communis sententiæ consistit in explicando, quomodo possit, vel potuerit Pontifex ea quæ sunt Episcopi propria iure diuino conferre simplici Sacerdoti, cùm Minister spectet ad essentialia sacramenti, vt prima sententia vrgebat; nisi enim hoc totum demonstretur fundari in ipsamet Christi institutione, sententia nostra defendi nequit, quia non potest Summus Pontifex dispensare in ijs, quæ sunt de substantia sacramentorum.

Faber *disp.27. cap.2. num.32*. pro difficultatis solutione duo inquit in sacramento confirmationis esse consideranda; primum est consecratio chrismatis, quam suprà dixerat à solo Episcopo fieri posse, & non à simplici Sacerdote, & hoc iure diuino, & hunc actum ait competere Episcopo ex vi ordinationis Episcopalis; alter actus est collatio huius sacramenti, quorum duorum actuum priorem putat esse præstantiorem, quia ille constituit materiam huius sacramenti, nec potest simplici Sacerdoti conuenire neque ex dispensatione Papæ; vndè deducit essentialius esse in hoc sacramento chrisma ab Episcopo consecratum, quàm qualitatem Ministri, quia ille est inuariabilis de iure diuino, hæc non; Hoc supposito inquit potestatem conferendi Confirmationem in Episcopo non esse potestatem ordinis, sed iurisdictionis, & esse ordinariam in Episcopo, delegatam in Sacerdote; non potest tamen extendi ad Diaconum, & alios inferiores, & Laicos, quia ex institutione diuina est ordinatum, ne transferatur ad alios inferiores; & ratio congrua est, quia sicut solus Sacerdos habet directam potestatem in corpus Christi verum, ità habet directam potestatem super Corpus Christi misticum ad remittendum peccata, & ministranda alia sacramenta, atque ideò ad illum solum debuit extendi. Quod autem hæc potestas in Sacerdote conferendi Confirmationem sit iurisdictionis, & non ordinis, ex eo probatur, quia potestas ordinis non potest tolli, nec impediri, ne effectus fiat, si attentet quis habens talem auctoritatem; at à Sacerdote talis potestas conferendi chrisma auferri potest, imò si attentet, sine commissione nihil facit, ideoque talis potestas in eo est solùm iurisdictionis, non verò ordinis. 247

Verùm in hoc discursu aliqua assumuntur, quæ non concedimus; & in primis f lsum est consecrationem chrismatis esse actum præstantiorem collatione huius sacramenti, neque ex dispensatione Papæ posse simplici Sacerdoti conuenire, vt ostensum est superius n. 229. Deindè falsum est potestatem conferendi Confirmationem in Episcopo non esse potestatem ordinis, sed solius iurisdictionis; quia si ità est, tam benè poterit summus Pontifex dispensare cum Laico baptizato, vel alio inferiore ipso presbytero, vt validè confirmet; nec vlla potest assignari ratio, cur dicere debeamus hoc ministerium esse ità proprium Episcopi, vel Sacerdotis ex ordinario iure diuino, vt nulli inferiori competere possit ex dispensatione Pontificis, quia in vtroque est potestas iurisdictionis, & non ordinis; Et ratio congruitatis à Fabro adducta, cur tale ministerium extendi nequeat ad inferiores Sacerdotibus, quia sicut solus Sacerdos habet directam potestatem in corpus Christi verum, ità ipse solus habet directam potestatem super corpus Christi misticum ad ministranda sacramenta; hæc, inquam, ratio potius est ad oppositum, nam manifestè demonstrat hanc potestatem in Sacerdote habere aliquod fundamentum in ordine Sacerdotali, ratione cuius Sacerdos directam habet potestatem in corpus Christi verum, atque ideò neque talis potestas in eo erit ità purè iurisdictionis, vt etiam aliquo modo non sit ordinis saltem remotè, vt posteà declarabimus. 248

Confirmatur, quia si hæc potestas conferendi Confirmationem in Episcopo non est ordinis Episcopalis, sed solius iurisdictionis; ergo sacramentum hoc ab Episcopo hæretico, & degradato collatum non erit validum, quia per degradationem ablata est ei potestas iurisdictionis; at tale sacramentum adhuc esse validum omnes cōcedunt, etiam ipse Faber, si cum debita intentione, forma, & alijs requisitis fiat, quoniam Episcopus per degradationem non amittit characterem,

rem, nec ordinem; ergò hæc potestas in Episcopo est ordinis, & non purè iurisdictionis.

249 Respondet Faber, quod hæc potestas in Episcopo duobus modis considerari potest, vel vt est separata à potestate conficiendi Chrisma; vel vt est coniuncta cum illa, & facit vnam integram potestatem conficiendi hoc sacramentum Confirmationis; hoc secundo modo est potestas ordinis, nec potest tolli ab Episcopo, & sequitur characterem; sed primo modo non est potestas ordinis Episcopalis, sed iurisdictionis; Cùm enim Episcopus sit Maior, & Dux in Ecclesia, ad ipsum pertinet conferre hoc sacramentum inferioribus, & sibi subditis: ideò hic actus illi competere videtur ratione superioritatis, & iurisdictionis, & sic iure à Summo Pontifice potest facultas huius actus delegari, & committi simplici Sacerdoti, & facere illum, veluti Episcopum quoad hunc actum superioritatis, & iurisdictionis. Sed hæc quoq; solutio non sufficit, & potius est ad oppositum; quia hæc potestas conferendi confirmationem nunquam in Episcopo potest esse separata à potestate conficiendi chrisma, sed semper est illi coniuncta, & solùm in simplici Sacerdote potest inueniri separata ab illa; ergo talis potestas in Episcopo erit potestas ordinis, & sequens characterem Episcopalem, quia semper coniuncta est in eo cum potestate conficiendi chrisma.

250 Itaque præstat dicere cum Suarez, Coninchio, Aretino, Hiqueo, & aliis, hanc facultatem conferendi Confirmationem conuenire Sacerdoti, cui committitur, non ex sola iurisdictione delegata, neque ex solo ordine, sed ratione vtriusque competere capacitatem confirmandi Sacerdoti, cui committitur, & confertur præfata potestas; ordinis quidem remotè, & inchoatè; proximè autem ratione concessionis quasi reducentis potestatem remotam in actum, qua de causa nequit committi non Sacerdoti, neque Sacerdos sine tali concessione quidpiam validè faceret; Nec Pontifex tali commissione mutat essentialia huius sacramenti, quia essentialis huius sacramenti minister, non est solus Episcopus, sed hic, vel simplex Sacerdos habens talem Pontificis commissionem; Episcopus quidem tanquam ordinarius Minister de iure diuino, simplex verò Sacerdos cum tali dispensatione, tamquam extraordinarius; Et quidem cùm hoc pendeat solùm ex institutione diuina, rectè intelligi potest, vt notat Aretinus, Christum instituisse, vt Sacerdoti simplici ex vi suæ ordinationis non daretur potestas proxima, & in actu primo completo ad conferendum hoc sacramentum, sed hæc daretur soli Episcopo per consecrationem eius; & nihilominus simul voluisse Christum, vt Sacerdos ex vi suæ ordinationis esset in potentia remota talis facultatis capax, itaut adiuncta commissione, vel delegatione Pontificis posset hoc sacramentum conferre; in hoc enim modo institutionis nulla est repugnantia, imò summa congruentia, ne in absentia Episcopi careant fideles aliqua via, & potestate obtinendi hoc sacramentum, & habendi sufficientem eius Ministrum.

251 Hinc patet ad fundamentum primæ sententiæ, quia Summus Pontifex in hoc casu nec dispensaret in iure diuino, neque Christi Domini institutionem immutaret de ministro huius sacramenti, quia essentialis huius sacramenti minister, vt diximus, non est solus Episcopus, sed hic, vel simplex Sacerdos habens talem Pontificis dispensationem; vndè Christus Episcopum determinauit tantùm in Ministrum ordinarium, simplicem verò Sacerdotem in extraordinarium, dummodò ad id habeat specialem à Papa commissionem; & hæc determinatio pro simplici Sacerdote in Ministrum extraordinarium tam ex Tridentino, & Eugenij decreto, quàm ex ipsa praxi Ecclesiæ nobis innotescit. Instabis, ab initio articuli dictum esse Episcopum esse huius sacramenti Ministrum necessarium, non tantùm necessitate præcepti, sed etiam sacramenti: ergò est essentialis eius Minister, adeout sine ipso tale sacramentum fieri nequit. Negatur consequentia, non enim absolutè diximus Episcopum esse huius sacramenti necessarium Ministrum necessitate sacramenti, sed esse Ministrum ordinarium tali necessitate necessarium, cum quo stat adhuc, vt ex Pontificis dispensatione possit esse alter huius sacramenti Minister extraordinarius absque integritatis sacramenti præiudicio: quando enim alicuius sacramenti dantur duo Ministri, vnus ordinarius, & alter extraordinarius, ordinarius non est vi sacramenti necessarius simpliciter, & absolutè loquendo, sed tantùm iure diuino ordinario; cùm quo stat, vt Summus Pontifex possit ex vrgenti causa, quando non potest adesse ordinarius Minister, extraordinarium substituere; Scio hac de causa aliquos Recentiores nolle Episcopum appellare Ministrum Confirmationis necessarium necessitate sacramenti, sed tantùm necessitate iuris diuini, & ità præsertim loquitur Baldius q. 2. difficult. 1. sed est discrimen tantùm in modo loquendi: aliqui verò vt Suar. Aretinus, & alij illum appellant Ministrum Confirmationis necessarium necessitate sacramenti, non quidem simpliciter, & absolutè loquendo, quasi sit Minister essentialis, sed necessarium ministrum ordinarium, seù de iure ordinario diuino.

Ad Conf. concedo ministerium Confirmationis non esse tantùm actum iurisdictionis, vt dicebat Faber, sed etiam ordinis: & quidem in ratione Ministri ordinarij ordinis, & characteris Episcopalis, ità vt illud hoc modo reliqui ordinum inferiorum validè exercere non valeant, scilicet, in ratione Ministri ordinarij: in ratione verò Ministri extraordinarij est actus etiam characteris Sacerdotalis, supposita tamen Summi Pontificis declaratione: itaut Sacerdos per suum characterem secundum se, & simpliciter spectatum remotam habeat potentiam ad id munus obeundum, quæ postea fiat proxima, & completa per supradictam Pontificis commissionem, & dispensationem, vt conditionem omninò essentialem: sicut per iurisdictionem ab Episcopo acceptam Sacerdos efficitur idoneus Minister sacramenti pœnitentiæ, qui anteà non erat: & sic etiam per potestatem ordinis recipit Sacerdos simplex talem commissionem: posteà verò per eandem potestatem conficit sacramentum Confirmationis, & talis commissio se habet, vt conditio requisita, vel potius vt complementum potestatis sacerdotalis, sicut simplex Sacerdos, qui non est confessor ordinarius, per potestatem ordinis recipit ab Episcopo potestatem ad absoluendum à peccatis: atque ità, vt quis sit Minister ordinarius Confirmationis, requiritur absolutè character Episcopalis: vt autem sit tantùm extraordinarius, sufficit Sacerdotalis cum prædicta Pontificis deputatione characterem sacerdotalem complente per modum conditionis essentialis ad id præstandum requisitæ. Cùm tandem inferebatur ex hoc sequi, quod tam benè poterit Pontifex cum quolibet alio ad Sacerdotem inferiori dispensare, vt validè confirmet. Negatur consequentia, quia principium morale remotum administrandæ Confirmationis, est solus character Sacerdotalis, & ideò quilibet inferior tali ordine carens ad hoc munus eleuari non potest: siquidem non decet, vt qui potestatem sacramentalem super verum corpus Christi non habet, potestatem habeat super corpus Christi misticum, eo quod hæc secunda potestas in illa prima fundatur, & ex illa oritur, & ideò qui non est Sacerdos, nullum potest conficere sacramentum præter baptismum ob summam eius necessitatem. Alia plura disputari solent de necessitate, & efficacia huius sacramenti, quæ quia facilia sunt omittimus, & videri possunt apud Brancatum nostrum *tom. 3. disp. 3.* vbi fusè de hoc agit, & plura patent ex dictis *disput. 1. quæst. 10.* 252

DISPV-

DISPVTATIO TERTIA
DE VENERABILI EVCHARISTIÆ
SACRAMENTO.

QVÆSTIO PRIMA.

An Eucharistia sit Sacramentum, & in quo eius essentia consistat.

1 VCHARISTIA, quo præsertim nomine hoc augustissimum sacramentum appellari solet, idem latinè sonat, quod *bona gratia*, vel quia Christum gratiæ Auctorem realiter continet, vel quia futuram gloriam significat, vndè & futuræ gloriæ pignus dicitur: vel tandem quia in memoriam passionis, & mortis Christi in gratiarum actionem consecratur, vt plures Patres docent; Rationem autem nominis huius, vt est in vsu Ecclesiæ, & Sanctorum Patrum ità assignat Doctor 4. *d.* 8.*quæst.*1. abinitio *Eucharistia est sacramentum corporis Christi, & sanguinis veraciter contenti sub speciebus panis, & vini post consecrationem factam à Sacerdote sub verbis certis cum debita intentione prolatis ex institutione diuinà veraciter significans corpus Christi, & sanguinem sub eis realiter continere*; in qua definitione *sacramentum* genus definiti denotat, nempè relationem signi in recto; *corporis, & sanguinis* terminum talis relationis, seù significatum; *sub speciebus panis, & vini* denotat materiam conuersionis, & fundamentum proximum talis relationis; *post consecrationem* indicat actionem sacramentalem; *à Sacerdote* ministrū idoneum talis sacramenti; *certis verbis* formam consecrationis; Et tandem *ex institutione diuina veraciter significans* modum significandi.

2 Deindè addit hoc esse sacramentum nouæ legis quod fuit à Christo Domino institutum in vltima cœna, vt habetur Lucæ 22. vbi dedit auctoritatem Apostolis hoc sacramentum conficiendi dicens, *hoc facite in meam commemorationem*;& hoc quidem certum est de fide,tùm ex communi, & perpetua Ecclesiæ traditione, tùm ex pluribus Concilijs, vbi hæc veritas definita est, & denique in Tridentino *sess.6.can.* 1.*& sess.*13.*per totam*, estque veritas adeò manifesta, vt neq; Heretici nostri temporis hoc sacramentum negare ausi fuerint, quamuis de alijs variè loquantur, vt notat Bellarmin. *lib.*2.*cap.*24. Congruitatem autem, & conuenientiam institutionis huius sacramenti deducit Doctor, tùm ex fine cultus,& religionis circà Christum,congruum enim fuit Christum esse nobiscum in tali signo sensibili, vt magis excitetur quilibet ad reuerentiam, & deuotionem ergà Christum; tùm etiam ex necessitate ipsius sacramenti, quia congruum fuit, vt post generationem spiritualem, quæ fit in baptismo, & post augumentum,seù robur, quod in Confirmatione acquirimus ad confessionem, & defensionem fidei, daretur nobis nutrimentum spirituale sub similitudine nutrimenti corporalis,quod præcipuè consistit in pane, & vino; ex quo tandem deducitur esse etiam sacramētum ab alijs diuersum, quia habet materiam,& formam ab alijs diuersam,& diuersum modum significandi gratiam, quam confert; nam si esset aliqua difficultas diuersitatis eius à cæteris sacramentis, præsertim esset de confirmatione; at in Confirmatione patet dari augumentum gratiæ per modum roborantis ad pugnam spiritualem;& datur sub chrismate,vt insinuetur,non quidem alere ex propria institutione, sed hominem vngere, & confortare ad luctam spiritualem;Eucharistia verò datur nobis ad nutriendam,& augēdam vitam animæ,& ideò sub specie cibi corporei est instituta, vt insinuetur eosdē effectus causare in anima,quos cibus naturalis in corpore causat.

Verùm quia ad hoc sacramentum perficiendum multa concurrunt, nempè panis, & vinum, vt materia remota; verba consecratoria, actio transubstantiatiua panis,& vini in corpus, & sanguinem Christi, quæ consecratio dicitur; quia per eam species consecrantur, quæ huius sacramenti sunt proxima materia; species ipsæ panis, & vini iam consecratæ, quæ sunt accidentia illa post consecrationem manentia à subiecto separata; corpus, & sanguis Christi, quæ sub illis speciebus consecratis realiter continentur; item sumptio illarum specierum, & corporis, ac sanguinis Christi sub illis contenti: ac denique gratia sacramentalis, quæ nobis media tali sumptione confertur; Cùm, inquam, hæc omnia ad hoc sacramentum perficiendum concurrant, quæritur in quibus ex istis omnibus essentia sacramenti Eucharistiæ intrinsecè consistat; & quidem, vt certa ab incertis separemus, certum est in primis panem, & vinum huius sacramenti essentiam non ingredi; nam materia remota nullius sacramenti essentiam ingreditur; Neque gratiam sacramentalem, quæ nobis media sumptione confertur, quia hæc potius est effectus sacramenti, & ad summum solum concurrit, vt terminus significationis sacramentalis. Nec tandem ipsam sumptionem,quia antè illam sacramentum est essentialiter integrum,vt habetur ex Tridenr. *sess.*13. *cap.* 3.& probatur ex verbis consecrationis, quæ antè sumptionem proferuntur, & in instanti terminatiuo prolationis suam habent veritatem; atque ideò antè illam datur verum sacramentum; tùm quia hoc sacramentum non reputatur tale solùm, quando sumitur, & est in ore suscipientis; sed etiam quando seruatur in sacrario, defertur ad infirmos, & in processionibus circumfertur, & vt tale adoratur: quarè sumptio neque est sacramentum, nec pars essentialis ipsius, sed tantùm conditio necessariò requisita,vt sacramentum operetur, & gratiam conferat, quia per sumptionem species sacramentales nobis applicantur; ex quo patet error Hæreticorum asserentium Eucharistiæ sumptionem esse hoc sacramentum,vt refert Castro *de hæresibus, verbo Eucharistia hæresi* 11.& hoc totum docuit Doctor *q.*1.*cit.infrà lit. D.*vbi inquit,quod vsus huius sacramenti non est sacramentum, sed quædam dispositio sacramentalis,seù via, qua hoc sacramentum applicatur membro Ecclesiæ. 3

Dubitatur itaque de cæteris ad hoc sacramentum perficiendum concurrentibus,in quibus eorum essentia huius sacramenti consistat, quia in re varij sunt modi dicendi, qui reducuntur ad quatuor principales. Prima opinio asserit sacramentum Eucharistiæ non esse aliud, quàm actionem sacramentalem consistentem in consecratione materiæ, seù in actione illa mirabili, qua conuertitur panis in corpus Christi,& vinum in sanguinem eius, quæ ideò dicitur consecratio, quia per illam species consecrantur hoc est,sacræ,& venerandæ fiunt continentes rem sacratissimam scilicet corpus, & sanguinem Christi; tribuitur Marsilio, Gabrieli, & Caietano *q.*63.*art* 6.& Cardinalis de Lugo *disp.*1. *sec.*6. & Bernal *disp.*24.*sec.*2.probabiliter tuentur actionem transubstantiatiuam, qua ponitur corpus Christi sub speciebus loco panis,& ex vi cuius desinit esse substantia panis, non esse omninò à ratione intrinseca sacramenti Eucharistiæ excludendam. Secunda Opinio asserit sacramentum Eucharistiæ supponere in recto pro aggregato,vel composito ex speciebus, & verbis consecrationis, tanquam pro integro, & proximo fundamento relationis significationis sacramenti per hoc sacramentum importatæ; connotare tamen essentialiter corpus, & sanguinem, tanquam terminum illius relationis: & aliqui volunt hæc etiam importari in recto; ità Valentia, Nugnus, Suarez, Caspensis, Orlandus, Baldius, Auersa, & alij Recentiores. Tertia Opinio affirmat sacramentum 4

mentum Eucharistiæ essentialiter constare ex speciebus consecratis, & ex corpore, & sanguine Christi, nec formaliter verba consecrationis includere, itaut ad essentiam, & substantiam huius sacramenti vtrumque pertineat; ità Victoria, Vasquez, Coninch. Amicus Card. de Lugo, Morandus, & alij quamplures. Quarta demum sententia docet, corpus, & sanguinem Christi, quæ in hoc sacramento continentur, non illud constituere essentialiter, nec totaliter, nec partialiter, sed essentialiter consistere in speciebus sacramétalibus, hoc est, significantibus corpus, & sanguinem Christi sub illis realiter, & substantialiter contineri; & hæc fuit sententia, nedùm Scoti *loc. cit.* sed etiam Alensis *quæst.* 10. *memb.* 3. *art.* 3. D. Thomæ 3. *p. quæst.* 74. *art.* 1. D. Bon. *dist.* 9. *p.* 2. *art.* 1. *quæst.* 2. & aliorum antiquiorum, quam sequuntur Scotistæ passim, tùm veteres, tum recentiores Mairon, Bassolius, Tataretus, Antonius, Andreas, Rada, Faber, Gauatius, Brancatus, Aretinus, Hiqueus, Poncius, Hiribarnes, & alij ex nostris, solo Centino excepto, qui *disp. de Eucharistia num.* 15. cum Thomistis arbitratur sacramentum hoc essentialiter consistere in aggregato ex speciebus, & corpore, & sanguine Christi, & cum Cardinali de Lugo inquit contrà communem aliorum eiusdem opinionis corpus, & sanguinem Christi importari, in rectò, & species in obliquo, vel pro connotato.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæstionis Resolutio.

5 PRo resolutione quæstionis. Primò Dicendum est consecrationem sumptam pro actione consecratiua, seù pro mirabili illa actione, qua panis, & vinum conuertuntur in corpus, & sanguinem Christi, nec esse sacramentum Eucharistiæ, nec aliquid ad illud essentialiter spectans. Conclusio est *Scoti loc. cit.* & est communis contrà primam sententiam, & facilè probatur primò ex illo generali principio iam superius statuto *disput.* 1. *quæst.* 3. *art.* 2. quod sacramentum Eucharistiæ est res permanens, & non in solo vsu consistit, vt cætera sacramenta, quemadmodum docet Trident. sess. 13. can. 7. cum ergò consecratio hoc modo sumpta non sit res permanens, quia est actio quædam instantanea, sequitur necessario, quod neque in ea hoc sacramentum essentialiter consistat, nec sit aliquid ad illud essentialiter spectans, quia res permanens nequit constitui ente successiuo, tanquam per formam intrinsecam. Confirmatur, nam in nulla re, quæ producitur causa efficiens, & efficientia ipsa, seù productio ad illius intrinsecam constitutionem spectare dicuntur; sed consecratio, vt hic de ea loquimur, est actio transubstantiua, quæ est ipsamet productio Eucharistici sacramenti; ergò ad eius intrinsecam constitutionem spectare nequit. Denique consecratio est via ad sacramentum, vt inquit Doctor, ponendo corpus Christi sub speciebus, & non est sensibilis, sed inuisibilis productio, sacramenti, sicut spiritualis actio, qua per formam verbi gratia baptismi efficitur gratia in anima, ergo consecratio sumpta pro actione nec est sacramentum, nec pars sacramenti.

Respondet Bernal *disput.* 14. *cit. sec.* 2. §. 4. physicam consecrationem non solum esse viam ad hoc sacramentum constituendum, & actionem illius productiuam, sed etiam esse vnionem, & nexum accidentium panis, & vini cum propria Christi substantia, atque ideò est huic sacramento intrinseca, & essentialis non minus, quàm vnio nectens animam rationalem cum materia est essentialis homini, & vnio nectens albedinem cum subiecto est intrinseca, & essentialis albo; Et cùm dicebatur actionem hanc esse insensibilem atque ideò ad rationem sacramenti pertinere non posse, quod debet esse sensibile, inquit non omne, quod est essentiale sacramento, debere esse per se ipsum sensibile, vt ferè omnes docent de contritione in penitentia, & Christo in Eucharistia, sed sufficere, quod sit sensibile per aliud, quo pacto actus internus contritionis in sacramento Pęnitentię sit sensibilis per externam confessionem, & Christus in Eucharistia per species; similiter ergò hæc vnio sensibilis dici potest per species.

6 Sed in hac responsione plura falsa supponuntur; nam in primis supponitur inter species, & corpus Christi præter realem, & sacramentalem relationem præsentialitatis dari aliam physicam, intrinsecam, & formalem vnionem, quod nos omninò negamus cum Doctore *dist.* 10. *quæst.* 6. *concl.* 4. vbi docet inter species, & corpus Christi nullam physicam vnionem reperiri, nec formalem, nec effectiuam, sed solùm realem & inseparabilem præsentiam qua Christus est indissolubiliter præsens speciebus, quæ indissolubilis præsentialitas non ab aliqua formali vnione physica, & reali ortum habet, sed à diuina voluntate duntaxat, quæ decreuit corpus Christi tamdiù esse speciebus præsens, quamdiù illæ durant, & conseruantur, vt inferius suo loco dicemus. Tùm quia quando etiam præter realem præsentiam, & intimam, qua Christi corpus, & species connexa dicuntur, daretur alia vnio physica, & realis illis similis, qua materia, & forma in composito, vniri dicuntur: falsò adhuc supponitur consecrationem ipsam, quæ est actio transubstantiua transiens esse talem vnionem, nam potius esset actio talis vnionis, & nexus productiua, non autem ipsa vnio, vndè potius vnitio dici deberet, quàm vnio, vnitio enim est actio, cuius terminus est vnio. Rursus falsò etiam supponitur vnionem esse de essentia compositi substantialis, vel accidentalis, cum potius sit conditio necessario præequisita ad compositi constitutionem, de cuius essentia sunt tantùm suæ partes constitutiuæ, vt constat ex dictis in Physica. Denique admissa tali vnione, qualem prætendit respondens, inter species, & substantiam corporis Christi, adhuc falsum est hanc vnionem fieri per species sensibilem, sicut & corpus Christi, quantum sufficit ad rationem sacramenti Eucharistiæ, quia visis speciebus nec corpus Christi videtur, nec eius vnio cum illis, sed visis illis adhuc creditur ibi esse corpus, & sanguinem Christi, & esse speciebus vnitum; ergo nullum istorum fit sensibile per species; probatur consequentia, illud enim dicitur per se sensibile, quod sui ipsius speciem immittit in sensum immediatè; sensibile verò per aliud dicitur illud, quod intantùm sentitur, inquantùm illud aliud immittit in sensum etiam aliquo modo speciem istius, & mediante illo aliquo modo sub sensu cadit; sed audita consecratione, & visis accidentibus panis, & vini, hæc nullo modo speciem sensibilem immittunt corporis, vel sanguinis Christi, nec vnionis eorum cum accidentibus consecratis, ergo hæc non fiunt sensibilia per species, quantum sufficit ad rationem sacramenti, quod est signum sensibile; nam eadem species, & eodem omninò modo, quo causabatur antè consecrationem in visu, vel tactu, causatur etiam posteà; & eodem omninò modo sensus se habent in cognitione corporis Christi, & vnionis eius cum accidentibus panis, & vini antè consecrationem, & post consecrationem.

Neque exemplum de Contritione, quæ vt dicatur pars sacramenti Pœnitentiæ, sufficit, quod sit sensibilis per externam confessionem, est ad rem, imò potius ad oppositum; nam hoc modo benè dicitur Contritio fieri sensibilis per aliud, nempè per externam confessionem, quia in confessione datur hoc aliud immittens speciem illius in sensum, & aliter se habet sensus post illud aliud causans contritionis speciem, quàm anteà; nam confessio talibus affectibus, & signis externis fletus, vel doloris circumstantionari potest, vt immittat speciem interni doloris, & detestationis in sensum qui proindè aliter se habet percipiendo confessionem cum talibus affectibus, quam sine eis, at nihil tale reperitur in speciebus Eucharisticis post consecrationem, quod faciat sensibiliter attingere præsentiam, & vnionem corporis, & sanguinis Christi cum illis, sed eodem modo prorsus se habet in cognitione in ordine ad illa tam ante consecrationem, quàm post, quod totum benè notauit Brancatus *disp.* 17. *art.* 2. ergò omninò dispar est ratio de contritione in sacramento pœnitentiæ, & corpore Christi in Eucharistia, ac eius vnione cum speciebus; quomodo autem contritio sit pars pœnitentiæ, & quomodo requiratur ad hoc sensibilitas, per se, vel per aliud dicemus suo loco disp. sequenti de penitentia. 7

Secundò Dicendum est, quod neque verba ipsa consecrationis, seù forma verbalis consecrationis spectat ad intrinsecam, & essentialem huius sacramenti constitutionem conclusio est Doctor *loc. cit.* contra secundam sententiam, quam nedùm Scotistæ tuentur, sed etiam Neoterici quamplures, Bernal *disp.* 24. *sect.* 2. §. 1. Amicus *disp.* 15. *sect.* 1. Coninch *q.* 7. *art.* 1. Morandus *tract.* 3. *q.* 1. & alij; & probatur ex iam dictis *disp.* 1. de sacramentis in genere *q.* 3. *art.* 2. ex eodem generali principio, quod sacramentum Eucharistiæ est permanens: ergo nequit intrinsecè, & essentialiter per 8

ver-

verba constitui, quæ transeunt facta prolatione, & remanente sacramento, sed tantùm extrinsecè, & efficienter. Responsio autem Aduersariorum, quod forma consecrationis, licet physicè transeat, adhuc tamen moraliter permanet in speciebus consecratis, tamquam in effectu, sicut consensus matrimonialis hoc modo permanere dicitur, quamuis physicè transierit, latè reiecta est *loc.cit.* & adhuc vlterius reijcitur, quia moralis existentia non est existentia physica, & sacramentalis, seù signi sensibilis, quia tale est, alioquin forma collati baptismi, & absolutio præterita sacramentalis sic etiam dici possent existere, quia perseuerat eorum effectus scilicet gratia, vel character; hoc autem falsum est loquendo de existentia earum sacramentali, alioquin dici posset etiam sacramentum baptismi adhuc permanere, sicut dicitur Eucharistia permanere facta consecratione; ergò talis existentia moralis formæ consecrationis non sufficit, vt dicatur Eucharistia permanere quantum ad rationem sacramenti sensibilem, & permanentem.

9 Confirmatur, quia signum practicum, quod hoc sacramentum essentialiter constituit, tale esse debet ex ratione sua, vt sit applicabile ad effectum sanctificationis per gratiam, eamque possit causare applicatum personæ, in qua causat sanctitatem; sed hoc conuenire nequit formæ verborum, quæ transit, neque ad modum, quo hoc sacramentum sanctificat per modum nutrimenti continentis cibum, & potum; ergò forma verbalis Eucharistiæ non est sacramentum ipsum, aut aliquid constitutiuum eius. Neque exemplum adductum de consensu matrimoniali, qui permanere dicitur moraliter, licet physicè transierit, est ad rem; quia solùm permanere dicitur in habitu, & in vinculo, quod ex lege inducitur, nec manere dicitur in seipso, sed in suo effectu; & hoc etiam modo reliqua sacramenta, quæ in vsu consistunt, in suo effectu manere dicuntur, quamdiu effectus manet; at hæc non est existentia sacramenti in seipso, hæc enim debet esse physica, & realis, vt sufficiat ad vsum, & applicationem & efficaciam eius, quæ quidem existentia est successiua, si sacramentum est transiens, & in vsu solo consistens; vel est tota simul, si est permanens, vt est Eucharistia, vt benè aduertunt Hiqueus *in Comment.* 4. *d.* 8. *quæst.* 1. & Coninchius *qu.* 73 *art.* 1. Denique causa efficiens sacramenti nequit esse pars essentialis eius, quia causa efficiens est extrinseca rei, cuius est causa; sed verba cõsecrationis sunt causa efficiens sacramenti Eucharistiæ, vt habetur in Concil. Florent. ab Eugenio Quarto §. *Tertium de Eucharistia*, ergò verba ad hoc sacramentum spectare nequeunt, vt pars essentialis eius.

10 Respondet Caspensis *disp.* 1. *sec.* 3. non repugnare rem aliquam simul esse causam formalem, & efficientem eiusdem compositi, vndè licet Sacerdos conficiat verbis Eucharistiam, potest tamen Eucharistia includere verba, tamquã formam, quia etiam Sacerdos sua benedictione conficit aquam benedictam, & tamen aqua benedicta, vt benedicta, includit, tamquam formam, ipsam benedictionem; quæ etiam fuit responsio Card. de Lugo, quam explicat exemplo nutritionis, nam pars illa compositi humani, quæ de nouo acquiritur per nutritionem, habet pro forma animam rationalem, quæ etiam est causa efficiens principalis illius nutritionis, & illius compositi partialis, quod per nutritionem producitur; sic igitur verba ponunt efficienter corpus Christi sub speciebus, & simul sunt causa formalis illius compositi, quod resultat ex speciebus, & ex eisdem verbis; ità Lugo disp. 1. de sacramento Eucharistiæ *sec.* 4. *n.* 57. Verùm absolutè negandum est, non repugnare aliquam simul esse posse causam formalem, & efficientem eiusdem compositi, quia tunc idem esset causa sui ipsius efficiens, quod absolutè repugnat; consequentia probatur; quià in tantùm aliqua dicitur causa efficiens alicuius compositi substantialis, inquantum formam producit in materia; quarè si eadẽ esse potest causa formalis, & efficiens respectu eiusdem compositi, idem diceretur esse causa efficiens sui ipsius; Neque exempla adducta sunt ad rem, non quidem illud de aqua benedicta, quia benedictio passiua in aqua, est aliquid morale, non physicum in aqua, & benedictionem illam passiuam in aqua concipimus, vt distinctam à benedictione actiua. Et pars illa compositi humani, quæ de nouo aggeneratur per nutritionem, non habet pro forma solam animam rationalem, sed nouam formam mixtionis, quam nos statuimus in animatis vltrà animam, & quia anima rationalis, est indiuisibilis, hac parte corporis producta, ad eam informandam de nouo se indiuisibiliter extendit.

Ait tamen Doctor q. 1. cit. lit. H. quod quamuis verba consecrationis non sint pars intrinseca, & essentialis sacramenti Eucharistiæ, nihilominus dici possunt forma illius, quatenus sunt forma consecrationis, & idem replicat infrà q. 2. A. dum ait, quod nulla verba sunt forma Eucharistiæ, nec de essentia eius, sed verba aliqua sunt forma consecrationis eius; Quod autem verba consecratoria dici possint forma sacramenti Eucharistiæ in hoc sensu, quatenus nimirum sunt forma consecrationis eius deducitur ex Concil. Florent. *loc.cit.* cùm enim iam dixissent omni nouæ legis sacramenta tribus perfici, materia, forma, & ministro; posteà loquens de sacramento Eucharistię dicit materiam eius esse panem, & vinum, formam autem verba, quibus conficitur sacramentum; sed panis, & vinum sunt materia, non sacramenti Eucharistiæ, vt satis de se constat, sed consecrationis; eius ergò verba quoque erunt forma Sacramenti, quatenus sunt forma consecrationis. Ex qua doctrina facilè conciliari possent prædictæ sententiæ, vt inquit Hiqueus *loc.cit.* dicendo Eucharistiam dupliciter considerari posse, vel duplicem haberi rationem, aliam in fieri, & sic constitui intrinsecè per formam verborum; aliam in facto esse, & vt est sacramentum permanens, & sic forma eius sunt species sacramentales; & ad rationem superius allata, qua probatum est consecrationem non esse signum sacramentale, quia non potest applicari ad causandam gratiam proximè, sicut applicantur species sacramẽtales, dici potest, quod proximè causat gratiam subsistentem, remotè verò gratiam sanctificantem eo modo, quo diximus disp. præced. baptismum causare gratiam fictione recedente, quod sufficit ad efficaciam ipsius sacramenti saluandam in eo casu, etiam in ordine ad effectum gratiæ, vt ibi dictum est; Sed de hoc videantur, quæ dicta sunt *disp.* 1. *de sacramentis in genere q.* 3. *art.* 2.

Tertiò Dicendum est, species panis, & vini pertinere ad rationem essentialem huius sacramenti; ità Doctor *loc. cit.* & est communis Theologorum contrà Vualdensem tom. 2. de sacramentis cap. 21. vbi inquit, quod sacramentum Eucharistiæ propriè loquendo, & pro quo supponit in recto hæc vox, *Eucharistia*, est corpus, & sanguis Christi, quatenus sub speciebus sensibilibus continetur; ipsas autem species sensibiles panis, & vini ait appellari sacramentum Eucharistiæ impropriè, & figuratè, quatenus signant corpus, & sanguinem Christi, quod est verè, & propriè sacramentum, sicut vrina vocatur sana, quia est signum sanitatis, quæ est formaliter in animali, & homo pictus dicitur homo, quia est figura veri hominis; ità discurrit Vualdensis *loc.cit.* cuius præcipuum fundamentum est testimonium Augustini, Ambrosij, & aliorum Patrum, qui corpus, & sanguinem Christi sub speciebus sacramentalibus contentum Eucharistiæ sacramentum appellant quæ opinio ab omnibus vt temeraria reijcitur, quia est contrà omnium Theologorum sententiam in re grauissima, & doctrinæ Ecclesiæ, & Conciliorum parum consentanea; nam Concil. Trid. *sess.* 13. *cap.* 3. dicit esse commune Eucharistiæ cum cæteris sacramentis, quod sit symbolum rei sacræ, & inuisibilis gratiæ visibilis forma; at hæc sententia docet è contrà hoc sacramentum esse inuisibilem gratiam visibilis formæ; Item docet ibidem omne sacramentum nouæ legis essentialiter, & in recto pro eo supponere, quod est signum sensibile; corpus autem & sanguis Christi, vt sub speciebus continentur, non sunt signum sensibile. Tandem docet ibidem in hoc sacramento Eucharistiæ contineri realiter corpus, & sanguinem Christi, quæ locutio verificari nequit in hac sententia asserente sacramentum Eucharistiæ supponere in recto pro corpore, & sanguine Christi; tunc enim sensus esset, in corpore, & sanguine Christi contineri corpus, & sanguinem Christi, qui sensus est ridiculus, & nullus, ergò hæc sententia cum Concil. Trid. doctrina manifestè pugnat. 12

Neque Patres, quando corpus & sanguinem Christi sub speciebus contentum appellant Eucharistiæ sacramentum, species hoc modo loquendi excludere voluerunt à ratione sacramenti, sed tantùm innuere Christum realiter in sacramento Eucharistiæ contineri, & sub speciebus sacramentalibus, parùm curantes an importet, vel componat essentialiter sacramentum, nec ne; neque enim eorum intentum erat explicare, in quo formaliter sita sit ratio, & essentia sacramenti huius, sed solùm docere, quod in Eucharistia continentur sacramentaliter corpus, & sanguis Christi; Vndè 13

Vndè sacramentum Eucharistiæ appellant corpus, & sanguinem Christi figuratè per figuram Metonymiam, secundum quàm nomen contenti tribuitur continenti; & ità præsertim rem explicuit D. August. *ep.23.* vbi ità loquitur. Si enim sacramenta quandam similitudinem earum rerum, quarum sacramenta sunt, non haberent, omninò sacramenta non essent, ex hac autem similitudine plerumq; etiam ipsarum rerum nomina accipiunt, sicut secundum quendam modum sacramentum corporis Christi corpus Christi est, sacramentum sanguinis Christi, sanguis Christi est, ità ille.

Sed Dices, Patres, non tantùm dicunt sacramentum Eucharistiæ esse corpus, & sanguinem Christi, sed etiam esse panem vitæ, & cibum animæ, quomodo loquendi vsus est Christus Io.6. *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*; sed esse cibum spiritualem animæ, non speciebus sacramentalibus, sed sanguini, & corpori Christi propriè competit, ergo &c. Resp. Patres carnem accipere pro ipso sacramento Eucharistiæ carnem Christi realiter continente, eo modo quo idem sacramentum appellatur ab eis corpus, & sanguis Christi, itaut sensus sit sacramentum carnis meę verè est cibus ratione, & virtute carnis meæ, quam continet; qua ratione hæc propositio, sacramentum Eucharistiæ est cibus animæ, magis propria est quam illa, corpus Christi est cibus animæ, quia sacramentum Eucharistiæ est id, quod cibat animam, corpus autem, & sanguis Christi sunt *quo*, quatenus habent rationem formæ, & virtutis cibatiuæ, eo modo quo magis propria locutio est dicere homo intelligit, quam dicere, anima intelligit, quia homo est, qui intelligit, anima verò qua intelligit; adhuc tamen, quia corpus, & sanguis Christi realiter sunt virtus sacramenti Eucharistiæ, idcircò sine vlla etiam improprietate dicitur, quod caro, & sanguis Christi est cibus animæ iuxtà illud Io.6. caro mea verè est cibus &c.

14 Quartò Dicendum est corpus, & sanguinem Christi, quæ continentur in sacramento Eucharistiæ, neque totaliter neque partialiter hoc sacramentum constituere, itaut vtrumq; complectatur, & species sacramentales, & corpus, ac sanguinem Christi, & supponat pro aggregato ex vtroq; Conclusio est Scoti *loc. cit.* in solutione ad 3. contra tertiam sententiam, quæ est communis inter Neotericos, nobis tamen consentit Caspensis *disp.1. sect.2. n.16.* quam probant aliqui Scotistæ, quia ex Trid. cit. in hoc sacramento corpus, & sanguis Christi realiter continentur; ergo solæ species, sub quibus continentur, erunt essentialiter sacramentum, non vero corpus, & sanguis Christi, quia non potest idem esse sui ipsius continens. Sed benè aduertit Gauatius, quod licet hæc ratio probet corpus Christi non constituere hoc sacramentum totaliter, quam proindè adhibuimus ad probandam conclusionem præcedentem contrà Vualdensem, tamen non probat, quod illud non constituat per modum partis, siquidem anima in homine continetur, quem tamen cõstituit per modum partis essentialis.

15 Proindè probari solet, quia de ratione sacramenti est, quod sit signum sensibile, sed vt loquitur Trid. inuisibilis gratiæ visibilis forma; sed corpus, & sanguis Christi, vt in Eucharistia existunt, non sunt signa sensibilia, & visibilia, ergo &c. Respondent Aduersarij corpus, & sanguinem Christi esse sensibilia per aliud, scilicet per species, sicut contritio, quæ est pars sacramenti pęnitentiæ, dicitur sensibilis per confessionem; & hanc sensibilitatem per aliud inquiunt sufficere corpori Christi, vt sit pars sacramenti Eucharistiæ. Sed hanc quoque rationem Gauatius censet inualidam, non quidem ob solutionem allatam, quia eo modo, quo alicui definitio competit, conuenit & definitum; si igitur corpus, & sanguis Christi per accidens tantùm sunt signum sensibile, per accidens etiam ad rationem sacramenti spectabunt, & extrinsecè, non verò intrinsecè, & essentialiter; Sed ex eo censet inualidam, quia necessarium non est, quod definitio per se competat cuilibet parti definiti, sed satis est, quod adæquatè, & totaliter de toto definito per se verificetur, homo enim v.g. essentialiter est substantia corporea, nec tamen propterea sequitur, quod anima, quæ spiritualis est, & incorporea, non possit esse illius pars intrinseca, & essentialis.

16 Cæterum per hoc nec bene refellitur Aduersariorum responsio, nec sufficienter ostenditur inualiditas rationis adductæ; Quia negant Aduersarij, quod sit de ratione sacramenti, vt sit signum sensibile per se quoad omnem sui partem, sed aiunt sufficere ad sacramentum, vel sacramenti partem, quod sit sensibile per accidens, quod probant exemplo contritionis; vndè hoc stante non benè deducitur, quod corpus, & sanguis Christi solum per accidens ad rationem sacramenti spectabunt, quia non præiudicat rationi sacramenti, quod aliqua eius pars sit tantùm per accidens sensibilis, seu per aliud. Neque per instantiam à Gauatio adductam de anima rationali, quæ est spiritualis, & adhuc est pars hominis, ostenditur sufficienter imbecillitas rationis adductæ; quia non est de ratione hominis, quod eius forma sit corporea, sicut de ratione sacramẽti est, quod singulæ eius partes sint simpliciter sensibiles, & præsertim forma, quæ in omnibus alijs sacramentis est signum sensibile simpliciter; si ergo corpus Christi esset pars intrinseca huius sacramenti, vel esset materia vel forma, non materia, vt constat, neque etiam forma, quia hæc esse debet signum sensibile simpliciter, vt patet in alijs omnibus sacramentis, corpus autem Christi non est signum sensibile simpliciter.

Itaque dicendum est rationem allatam esse sufficientem, & Aduersariorum solutio iam superius reiecta est *num.6.* & 7. quia falsum est corpus Christi in Eucharistia fieri sensibile per species eo modo, quo ad rationem sacramenti requiritur; dato enim, & concesso etiam ad sacramentum sufficere, vel partem sacramenti aliquam, quod sit sensibilis per accidens, hæc tamen sensibilitas, vt supra dictum est, & notat etiam Caspensis *loc. cit.* talis esse debet, vt proueniat ex aliquo signo ex natura rei significante, neque sufficit ad sacramentum, quod sit tantum sensibile per aliquod signum exterius, quod ex institutione Christi tantum, & supposita fide illud significet; Vndè concesso etiam, quod contritio sit pars sacramenti pęnitentiæ, de quo dicemus *disp. seq.* adhuc non est similis ratio, nam actus interior voluntatis potest esse sensibilis ratione alicuius signi exterioris ex natura rei illum significantis, dolor enim internus per signa externa significari solet ex natura rei, vt dictum est *n.7.* at corpus Christi non sit sensibile in Eucharistia hoc modo, canit enim Ecclesia, *& si sensus deficit, sola fides sufficit*, quod si alio modo sit sensibile, vt Aduersarij contendunt, quia tamen hæc sensibilitas per aliud non est ex natura rei, sed solùm ex institutione Christi supposita fide, non potest esse sacramentum, neq; pars sacramenti.

Denique probatur, quia corpus, & sanguis Christi non sunt signum, sed significatum in Eucharistia, species enim, seu accidentia illa consecrata significant ibi esse corpus, & sanguinem Christi; ergò non sunt sacramentum, nec ad rationem sacramenti intrinsecè, & essentialiter spectant, quod est essentialiter signum; Consequentia patet, quia implicat idem esse simul signum, & signatum, hoc enim est illius correlatiuum, & correlatiuum non est de essentia relatiui, propterea in eius definitione ponitur tantùm, tanquam additum; tum quia signum non cõstituitur essentialiter à signato, tãquam à tota essentia sua, vel eius parte, vt patet in alijs sacramentis, baptismus enim non constituitur per gratiam, quam significat, tanquam partem sui, vel totam essentiam. Probatur assumptum ex Trid. *sess.13. cap.8.* vbi inquit, *commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris sacramentis symbolum esse rei sacræ, & inuisibilis gratiæ formam visibilem*, quibus verbis expresse distinguit Concilium symbolum, & formam visibilem à gratia, & re inuisibili, quia Christus in Eucharistia non est symbolum, aut forma visibilis sui ipsius, neque partialiter integrat tale symbolum, sicut nec vnum correlatiuum est de constitutione, aut integritate intrinseca sui correlatiui; ergo Concilium loquitur de ipsis speciebus præcisè, distinguens signatum, & signum permanens, formam visibilem, & gratiam inuisibilem à se inuicem sicut in alijs sacramentis distinguuntur. 17

Respond. Lugo, & alij omne illud, quod à Christo institutum est pro signo practico gratię, debere intrinsecè pertinere ad sacramentũ; cùm igitur corpus Christi habeat practicè significare gratiam, ideò licet sit res sacramenti, non obstat, quo minus sit etiam pars eius intrinseca; & quamuis implicet idem respectu eiusdem esse simul signum, & signatum, benè tamen respectu diuersorum potest idem habere simul rationẽ signi, & signati; vnde corpus Christi respectu specierum habet rationem signati, quia species sunt signum corporis Christi, non speculatiuum dumtaxat, hoc est repræsentans corpus Christi, sed practicum, idest, efficaciter, & practicè significans sub illis realiter corpus Christi cõtineri; respectu verò gratiæ sanctificantis nobis conferendæ in sacramenti sumptione ipsum quoq; corpus Christi habet ratio-

tionem signi practici, & efficacis, ideoque hac ratione spectat intrinsecè cum speciebus ad rationem sacramenti. Verùm hæc solutio vim argumenti non tollit, quia sacramentum est id, quod à Christo instituitur pro signo practico gratiæ, quæ est primarium illius significatum; huiusmodi autem non est gratia accidentalis, quam significat corpus Christi, sed est gratia subsistens, quæ est ipse Christus, hoc enim est primarium significatum sacramenti Eucharistiæ, vt docet D. Thomas *q.73. art.1. ad 3.* nam primaria consideratio huius sacramenti est esse permanens, ac proindè Trid. hanc differentiam eius statuit ab alijs *cap.3. cit.* vndè in hac solutione fit transitus à gratia subsistente, cuius hoc sacramentum est signum, ad gratiam accidentalem.

18 Quintò dicendum est, sacramentum Eucharistiç essentialiter, & in recto solas species importare, & pro illis supponere, connotare tamen adhuc corpus, & sanguinem Christi sub ipsis contenta. Ità Scotus *loc. cit. sub lit. G. §. si autem quæras,* vbi dicit, quod Eucharistia supponit tantum pro speciebus, quatenus continent corpus, & sanguinem Christi; & est communis in Schola nostra; Probatur ex pluribus testimonijs, quę rationem sacramenti solis speciebus attribuunt, canit enim Ecclesia in sequentia Missæ, *fracto demum sacramento, ne vacilles, sed memento tantum esse sub fragmento, quantum toto tegitur,* fractio autem est specierum, non contenti, vt patet ex sequenti, *signi tantum fit fractura, qua nec status, nec statura signati minuitur:* item in Collecta Missę in plurali hoc sacramentum nominatur iuxtà pluralitatem specierum *sacramenta, quæ sumpsimus,* quo modo etiam plures loquuntur Patres; Item in *cap. Berengarius* dicitur post consecrationem non solum manere in altari sacramentum, sed etiam ipsum Christum; Deniq; Innoc. III. *cap. Cùm Marthæ* de celebratione Missarum, docet tria in hoc sacramento esse necessariò distinguenda; Vnum quod tantum est sacramentum, alterum, quod est sacramentum, & res; tertium, quod est res, & non sacramentum; & primum ait esse species panis, & vini; secundum, corpus, & sanguinem Christi, tertium deniq; gratiam sanctificantem, quę homini datur in actuali sumptione; At in alijs sacramentis id, quod est res, & sacramentum simul, non est sacramentum simpliciter, aut pars essentialis sacramenti, vt patet in Baptismo, Confirmatione, & Ordine, character enim baptismalis, qui est res, & sacramentum in baptismo, non est sacramentũ baptismi, nec pars eius essentialis; ergo corpus, & sanguis Christi, cum sint res, & sacramentum simul in Eucharistia, non sunt simpliciter sacramentum Eucharistiæ, nec pars eius essentialis.

Resp. rursus Card. de Lugo, species non ideò dici sacramentum tantum, quia ipsę solæ sint sacramentum, sed quia non habent aliud munus, quam sacramenti, nõ enim significantur, sed significant; & licet in Baptismo, Confirmatione, & Ordine illud, quod est res, & sacramentũ, nempè character, non sit pars intrinseca sacramenti, illa tamen nõ est regula vniuersaliter vera, nam in sacramento pęnitentiæ contritio secundum probabilem opinionem dicitur res, & sacramentum, & tamen est pars intrinseca sacramenti; Addunt alij ex hac auctoritate potius oppositum deduci, quia à propositione de prædicato copulato ad quamlibet partem illius est bona consequentia, vt in hac Petrus est albus, & sapiens; ergo est albus, ergo est sapiens; si ergo corpus Christi est res, & sacramentum; benè sequitur esse sacramentum.

19 Hæc responsio non satisfacit, imò potius argumentum confirmat, nam si species dicuntur sacramentum, quia significant, & non significantur, hinc deducitur ipsas solùm esse sacramentum, non autem corpus Christi, quia de ratione sacramenti est significare, & non significari; tum quia ipsæ solæ corpus Christi practicè significant, atque ideò in ipsis tantùm hoc sacramentum essentialiter consistit, hoc enim est primarium huius sacramenti significatum; quod autem etiam corpori Christi conueniat esse signum gratię sanctificantis, quæ nobis confertur in eius sumptione; probat solùm impropriè, & in lata significatione dici posse sacramentum, quia sacramentum in esse tali propriè specificatur in ordine ad significatum primarium, non autem secundarium, qualis est in hoc sacramento gratia sanctificans; esse enim signum gratiæ sanctificantis extrinsecè, & per accidens competit sacramento Eucharistię, cuius essentia in esse permanenti consistit, & non in vsu; Et instantia de Contritione parum vrget, quia non est minor difficultas, an ipsa sit pars intrinseca, & essentialis sacramenti pœnitentiæ, quam corpus Christi sacramenti Eucharistiæ; tùm quia vt supradictum est *n.7. & 16.* maior est ratio, & congruentia, cur contritio ponatur pars intrinseca sacramenti pœnitentiæ, quàm corpus Christi sacramenti Eucharistiæ.

Ad id, quod addebatur ab alijs optimè occurrit Caspensis *loc. cit.* non benè ex hac auctoritate deduci corpus Christi esse propriè, & simpliciter sacramentum, quia arguitur à dicto secundum quid ad dictum simpliciter, nam esse rem, & sacramentum est esse sacramentum secundum quid tantum. Neq; enim facienda est vis in nomine sacramenti, vt hinc inferamus rationem sacramenti illi simpliciter conuenire; hoc enim nomine vtimur ob vocabulorum penuriam, & ideo adiungimus nomini sacramentum *res* ad denotandum hoc esse medium quoddam inter sacramentum tantùm, & rem tantùm; medium verò licet vtriusque extremi naturam participet; non tamen eam participat simpliciter, & secundum totam suam rationem vt si medium aliquem colorem, quod proprium nomen non haberet, appellaremus album, & nigrum simul, indè non posset colligi simpliciter, & in rigore, ergo est albus, ergò est niger; ità discurrit Caspensis *disp.1. cit. sect.2. n.24.* quæ doctrina est valdè notanda in hoc puncto ad tollendas de nomine lites, ad quod frequenter reducuntur quæstiones à Recentioribus motæ.

Altera pars asserti, quod scilicet saltem de cõnotato, & in obliquo corpus Christi ad hoc sacramentum pertineat, quatenus scilicet est obiectum specierum, & terminus continétię earũ, est adeo clara, vt si benè intelligatur, ab vllo negari possit, quod etiam ex Scotistarum doctrina scitè declarat Caspensis ibidem, obiectum enim, vel terminus cuiuscumq; relatiui siuè prædicamentalis, siuè transcendentalis, comparatur ad ipsum, tãquam forma, quia ab illo suam speciem sumit; verùm huiusmodi forma non est intrinseca, cùm plerũq; sit in subiecto distincto, neq; etiam ingreditur constitutionẽ rei in recto, nec in recto prædicatur de constituto, non enim dicimus, scientiam esse suum obiectum, sed solùm dicere ordinem ad ipsum obiectum, vbi obiectum prædicatur in obliquo, ex quo prouenit, vt relatiuum nunquam supponat pro obiecto, vel termino, sed tantùm connotet illud in obliquo; cùm ergò sacramentum Eucharistiæ, sicut & alia, sint in genere signi; signum autem dicat ordinem ad signatum; & specialia sacramenta penes hoc distinguantur, quod ordinem dicunt ad specialia, & diuersa signata formaliter; opus est, vt ipsum signatum in quolibet sacramentum habeat rationem formæ extrinsecæ, à quo extrinsecè specificetur eo modo, quo relationes, & relatiua à suis terminis specificari dicuntur; Cùm ergò in hoc sacramento principale signatum sit corpus, & sanguis Christi, quæ post consecrationem per species repræsentantur, sequitur hæc aliquo modo, népè pro connotato, & in obliquo ad sacramenti essentiam pertinere, & sacramentum ab eis extrinsecè specificari; & quod dicitur de hoc sacramento, inquantùm est signum quoddam, potest ac debet dici de eodem, inquantum continet corpus, & sanguinem Christi, nam continens etiam dicit ordinem ad contentum. Quamuis autem hac ratione dicamus corpus, & sanguinẽ Christi esse connotatum essentiale huius sacramenti, non propterea dicimus pertinere propriè ad essentiam huius sacramenti; non enim approbamus doctrinam quorundam Recentiorum dicentium non repugnare aliquid esse connotatum, & adhuc ingredi formalem rei constitutionem; imò dicimus hoc repugnare in terminis, quia non potest se habere tantùm connotatiuè id, quod rẽ constituit, secundũ primarium eius conceptum, cum semper primarius rei cõceptus presupponatur ad esse connotatiuũ. 20

Sextò tandem Dicendum est, dato etiam, quod sacramẽtum Eucharistię essentialiter cõsisteret in aggregato ex speciebus, & corpore, ac sanguine Christi, non adhuc in recto corpus Christi importaret, & species pro connotato, sed è contrà; Et quidem quod etiam hoc admisso, non adhuc importaretur corpus Christi in recto; sed tantùm in obliquo probat Gauatius *loc. cit.* decem auctoritatibus expressissimis Conciliorum, & Patrum, qui corpus Christi prædicant de Eucharistia in obliquo tantùm, & non in recto; quæ apud ipsum videri possunt *disp.1. cit. q.3. n.46.* & seq. Quod si interdum alij Patres dicunt sacramentum Eucharistiæ esse corpus, & sanguinem Christi in recto, vt contendunt Vasq. *disp.167. cap.5.* & Card. de Lugo *disp.2. sect.3.* hoc nos turbare non debet, quia vt dictum est suprà *n.13.* eorum intentum fuit tantùm docere veram, & realem corporis, & sanguinis Christi existentiam sub speciebus; non enim inter eos fuit vnquam altercatio scholastica de partibus huius 21

sacra-

sacramenti constitutiuis, sed tantùm de vera, & reali existentia corporis Christi in Eucharistia, quam Hæretici negabant. Quod verò admissa ea sententia adhuc species importarentur in recto probatur, quia valet hęc prædicatio, species consecratæ sunt sacramentum Eucharistiæ, & è conuersò Eucharistia est species panis, & vini consecrata; Confirmatur quia speciebus consecratis competit integra, & perfecta definitio Eucharistiæ; ergò illis etiam in recto competit definitum per locum Topicum; probatur assumptum; quia species istæ, vt inquit Doctor, sunt signum sensibile gratiam subsistentem ex institutione diuina efficaciter significans, hæc autem est ratio huius sacramenti, vt dictum est ab initio quæstionis; Tandem locis supracitatis *cap. Ego Berengarius*, & *cap. Cum Marthæ*, species sacramentales appellantur in recto sacramentum, & sic passim loquuntur Patres, & fideles, dùm aiunt in Altari sacramentum exponi, cùm exponuntur species sacramentales, vndè non video, qua ratione dixerint Card. de Lugo, & Centinus noster, si vsus loquentium spectetur, magis videri corpus, & sanguinem Christi importari in recto, quàm species.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Aduersariorum rationibus occurritur.

22 IN oppositum obijciunt Primò probando verba ipsa consecrationis, seù formam verbalem consecrationis spectare ad intrinsecam, & essentialem huius sacramenti constitutionem; illud enim est sacramentum, vel de essentia sacramenti, quod est signum, seù effectiuum sui signati; sed hoc magis competit formæ verbali, quàm speciebus, quæ non efficiunt sacramentum, aut rem sacramenti, quæ est præsentia sacramentalis, ergo &c.

Confirmatur, quia nulla est repugnantia dicere quod verba prærequisita dicantur forma Eucharistiæ, & illam constituant; licet enim physicè pertransierint, adhuc tamen moraliter manent in ipsis speciebus consecratis, tanquam in suo effectu; sic enim forma baptismi dicitur esse, quando etiam vltima eius verba proferuntur, & continuari materiæ, quamuis materia non sit hic, & nunc physicè, sed antecessit; vel subsequitur; & quamdiù manet aliqua pars sacramenti, dicitur ipsum sacramentum esse; ergò pariter in proposito sufficit, quod species maneant, quamuis forma præcesserit, vt dicatur ipsa forma manere, vel saltem sacramentum manere constans tali forma. Denique si verba consecrationis non sunt forma huius sacramenti, dicendum erit hoc sacramentum forma carere, quia alia congruentius assignari non potest; atque ità malè diceretur quodlibet sacramentum materia, & forma constare.

23 Respondet Doctor *dist. 8. cit. quæst.* 1. in solutione ad 2. maiorem sic debere intelligi, quod sacramentum sit signum vel significans aliquid fieri per ipsum, vel aliquid esse per ipsum; & hoc secundo modo species sunt signum præsentiæ corporis Christi in Eucharistia; nam essentia sacramenti consistit in hoc, quod veraciter significet id, quod figurat; & quia aliqua sacramenta significant fieri aliquid per ipsa, illa nimirum, quæ consistunt in vsu, hæc vtique debent suo modo efficere, quod figurant; sacramentum autem Eucharistiæ, cùm sit permanens, significat veraciter subesse, quod figurat, vndè opus non est, vt ipsum efficiat corpus Christi præsens, sed sufficit, si ostendat ipsum esse præsens, & eius essentia sufficienter saluatur in ratione signi veracis corporis Christi ibi existentis; Imò quia virtus conseruatiua reducitur ad idem genus, ad quod spectat consecratiua, & conuersiua, quia species consecratę per assistentiam Dei habent virtutem conseruatiuam sui signati præsentis, tamdiù enim manent, quamdiù conseruantur; sicut ex efficacia verborum, & consecrationis per assistentiam Dei fit pręsens Christus sub speciebus, ità ex efficacia specierum cum eadem assistentia conseruatur præsens; quarè sicut verba consecrationis sunt signum effectiuum pręsentiæ Christi sub speciebus, ità species sunt signum efficax continuatę pręsentiæ illius sub ipsis; vndè in hoc sensu potest negari minor, quia licet species præsentiam corporis Christi non efficiant, illam tamen efficaciter conseruant, quæ virtus conseruatiua reducitur ad effectiuam sicut rei productio, & conseruatio eundem important respectum essentialiter pro principali significato, & solùm quoad connotata differunt, vt docet Doctor quolib. 12. & quidem si argumentum valeret, probaret species ad hoc sacramentũ essentialiter non pertinere.

Ad Confirmationem negatur assumptum, implicat enim in terminis aliquid esse formam siuè naturalem, siuè artificialem rei existentis, dùm ipsum non existit, cùm forma quæcumq; propriè dicta det esse rei, illudque in esse constituat; & iam superius *n. 8.* sufficienter ostendimus illam moralem permanentiam formæ verborum in speciebus consecratis, tamquam in suo effectu, ad hoc non sufficere, quia moralis tantùm existentia non est existentia physica, & sacramentalis, seù signi sensibilis, qualis requiritur ad constituendum sacramentum sensibile permanens, sicut est Eucharistia. Ad illud, quod de baptismo affertur, negatur paritas, nam baptismus est sacramentum successiuum, & in fieri consistens, nõ verò permanens, & ad existentiam successiui sufficit vtiq; vt aliqua eius pars existat, quia aliter existere nequit, vndè baptismus componitur ex successiuis partibus tamquam ex materia, & forma, inter quas continuatio moralis sufficit, sicut integrant vnum tantùm mortale, & ex instituto; at Eucharistia est sacramentum permanens, & consequenter exigens, vt secundum omnes suas partes simul existat, atq; ideò in aliquo successiuo consistere nequit, nec tamquam totali, nec tamquam partiali constituente. 24

Ad vltimum, inquit Doctor *loc. cit. ad* 3. istud sacramentum non habere aliqua verba pro forma, quia tunc non esset sacramentum permanens, cum verba non possint esse sine successione, possunt tamen dici forma consecrationis, quia ipsa consistit in fieri, non autem ipsius sacramenti; Quod si quæras, quænam igitur erit forma sacramenti; respondet, quod ipsæ species visibiles sunt materia, idest proximum fundamentum relationis significationis, & ipsa significatio est ibi formale, sicut in alijs sacramentis; sacramentum enim hoc, sicut & alia sacramenta, componitur ex re significante, & significatione, cùm enim habeat veram rationem sacramenti, participat veram rationem signi, quod importat vnum de materiali, & est entitas illa sensibilis, cui conuenit significatio, & alterum de formali, quod est ipsa significatio; Et si quæras quodnam est in hoc fundamento, tamquam materia, & aliud, tanquam forma; respondet Doctor, quod non est in hoc sacramento aliud tamquam materia, & aliud tamquam forma, sicut est in alijs; & ratio est, quia istud est permanens; & ideò non possunt aliqua verba ad eius essentiam pertinere; alia argumenta contra hanc partem vide soluta *disp.* 1. *q.* 3. *art.* 3. vbi ex instituto agitur de hoc puncto.

Secundò obijcitur probando corpus, & sanguinem Christi essentialiter hoc sacramentum constituere, species verò se habere tantùm concomitanter; sacramentum namque Eucharistiæ est id, quod à Christo institutum est per modum cibi, & potus spiritualis animæ ex Trid. *sess.* 13. *cap.* 2. sed esse cibum animæ spiritualem, non speciebus sacramentalibus, sed corpori, & sanguini Christi propriè competit iuxtà illud Io. 6. *caro mea verè est cibus* &c. Confirmatur, quia idem est sacramentum Eucharistiæ, & sacrificium altaris; vt sacrificium non consistit in speciebus, sed in corpore, & sanguine Christi, quod enim offertur in altari est illud idem, quod fuit oblatum in Cruce, licèt differenti modo; ergo species sacramentales non sunt sacramentum, sed ipsum Christi corpus. Demum sacramentum debet esse signum gratiæ sanctificantis, sed species nec efficiunt, nec significant gratiam, sed corpus Christi iuxtà illud Io. *qui manducat me, ipse viuet propter me*; ergo hoc solùm est sacramentum. 25

Respondetur ex dictis sacramentum Eucharistię dupliciter cõsiderari posse, vel quoad esse permanens, hoc est, quoad esse suum quidditatiuum, & essentiale; alio modo quoad vsum, & sumptionem eius; primo modo consideratũ falsum est, quod hoc sacramentum sit cibus animæ spiritualis, corpus enim Christi non est cibus animæ spiritualis in actu secundo, nisi in vsu sacramenti, & in hoc sensu loquitur Conciliũ, loquitur enim de altero fine institutionis huius sacramenti, qui in sumptione habetur; Eucharistia verò est sacramentum, quia permanens est antè vsum, & sumptionem; & quidem in ipsa sacramenti sumptione falsum est gratiam physicè à corpore Christi causari, nihil enim physicè operatur in gratię productione, sed illam causat, vt causa meritoria sicut in alijs; & cum corpore Christi hoc modo gratiam causante etiam species illam causant, cum applicãtur, seù sumuntur, vniuersaliter enim verum est sacramenta nouę legis efficere gratiã, quam significant ex Trid. sess. 7.

can.6.7. & 8.quarè corpus Christi in sumentibus hoc sacramentum gratiam causat meritoriè, & moraliter mediante applicatione ipsius sacramenti, nempè specierum, vndè tam corpus Christi, quàm species sunt causæ instrumentales morales eiusdem gratiæ; & sacramentum est id, quod cibat animam sub figura panis, & vini, corpus autem Christi est, *quo*, vt dictum est supra *n.*13. vndè malè negant aliqui species vllam habere efficaciam respectu gratiæ sanctificantis, vt notat Hiqueus in Comment. in fine quæstionis 1. *d.*8. ideoque ad argumentum neganda est minor; cum enim in Eucharistia sub speciebus panis, & vini, corpus, & sanguis Christi realiter contineantur, qui sumit species consecratas, sumit Christum, tanquam cibum animæ spiritualem, vndè dicitur cibus ratione sacramenti, & sacramentati simul, quod adhuc magis declarabitur infrà *n.*30.

26 Ad Confirmationem negatur idem esse in Eucharistia sacramentum, & sacrificium simpliciter, & absolutè loquendo, vt colligitur ex Trid. *sess.*22. *c.*1. sacramentum enim est rei sacræ signum, quod non nisi de speciebus verificari potest; at sacrificium si sumatur pro ipsa actione sacrificandi est oblatio alicuius hostiæ, circà quam sacerdos aliquam exercet ceremoniam sacram; si verò accipiatur pro re oblata, quæ dici solet hostia sacrificium in Eucharistia non supponit pro speciebus sacramentalibus, sed tantum pro corpore, & sanguine Christi, prout sub eis continetur, vt deducitur ex Trid. *loc.cit.* vbi ait, quod Christus in vltima cœna corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini obtulit Deo patri; ità etiam notauit Aretinus *dist.* 8. *quæst.* 1. *art.*5.

Ad vltimum idem respondet ibidem non defuisse Theologos graues, qui dixerunt hoc sacramentum esse omninò alterius rationis à cæteris sacramentis, eo quod cætera sacramenta formaliter, & principaliter significant gratiam sanctificantem animam; hoc autem sacramentum de formali, & principali significato non importat gratiam formaliter sanctificantem, sed corpus, & sanguinem Christi; Cæterùm multò doctius inquit, dicitur esse commune huic sacramento, cum cæteris de formali, & principali significato importare gratiam sanctificantem, itaut eadem ratione generica cum cæteris sacramentis sit signum rei sacræ sanctificantis animam. Verùm hoc non est de mente Doctoris, qui *quæst.*1. *cit. sub lit. D.* expresè inquit quod licet gratia inhærens causetur etiam à sacramento Eucharistiæ, vt modò dictum est, hæc tamen non est primum eius significatum, sed tale significatum est gratia subsistens idest corpus Christi sub speciebus; vndè hanc præcipuam differentiam ibi ponit huius sacramenti à cæteris, quod alia sacramenta primò, & principaliter significant gratiam accidentalem inhærentem suscipienti; illud autem significat gratiam subsistentem scilicet verum corpus Christi ibi existens; quam doctrinam posteà confirmauit Trid. *sess.*13. *cap.* 8. cùm dixit; ***Commune hoc quidem est sanctissimæ Eucharistiæ cum cæteris sacramentis symbolum esse rei sacræ, & inuisibilis gratiæ formam visibilem***; verùm illud in ea excellens, & singulare reperitur, quod reliqua sacramenta tunc primum sanctificandi vim habent, cùm quis illis vtitur; at in Eucharistia ipse sanctitatis author antè vsum est; ità Concilium ibidem; Gauatius verò *disp.*1. *q.*7. *in fine*, ad hoc idem argumentum dicit maiorem vniuersaliter loquendo de sacramentis esse falsam, quod scilicet sacramentum debeat semper esse signum gratiæ sanctificantis, sufficit enim, quod sit signum vel gratiæ sanctificantis, vel subsistentis, sacramentum autem Eucharistiæ est signum gratiæ subsistentis. At neque hoc benè dicitur, quia quodlibet sacramentum vniuersaliter loquendo debet esse signum gratiæ sanctificantis aliquo modo, & hoc quidem commune est etiam sacramento Eucharistiæ cum cæteris, vt modo dictum est ex Tridentino; Quarè potius dicendum est, vtique sacramentum debere esse signum gratiæ sanctificantis, non tamen semper opus est, quod hæc gratia sit eius significatum primarium, & principale, sed sufficit, quod sit secundarium; & ità est in proposito de sacramento Eucharistiæ, quod licet primarium eius significatum sit gratia subsistens, in quo à cæteris distinguitur sacramentis, secundarium tamen est quoque gratia sanctificans, quod est sibi commune cum alijs.

27 Tertiò obijciunt probando sacramentum Eucharistiæ essentialiter in vtroq; consistere, nempè in aggregato ex speciebus, & corpore Christi; nam sacramentum Eucharistiæ adoratur à Fidelibus adoratione latriæ; non potest autem hæc adoratio debitè speciebus sacramentalibus adhiberi seorsim sumptis; ergo vel exhibetur corpori, & sanguini Christi seorsim, vel speciebus cum corpore, & sanguine simul; atque adeò vel Eucharistia supponit tantùm pro corpore, & sanguine Christi, quatenus continentur sub speciebus, vel saltem pro aggregato ex vtroque, confirmatur quia hoc sacramentum est cibus sacramentalis animæ; sed neque species seorsum, nec corpus, & sanguis Christi seorsum sunt cibus sacramentalis animæ, sed vtrumque simul; nam virtus refectiua, quæ inest Eucharistiæ, non competit illi ratione specierum, sed ratione corporis, & sanguinis Christi; quod autem hæc refectio fiat sacramentaliter, non prouenit ex corpore, & sanguine, sed ex speciebus sensibilibus ergò quod Eucharistia sit cibus animæ sacramentalis ex vtroque simul habetur. Tandem plures Patres dicunt Eucharistiam esse ex duobus compositam, nempè speciebus, & corpore Christi, vt habetur in *cap. Hoc est de consecr. d.*2. vbi dicitur, *sacrificium Ecclesiæ duobus confici, duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi sanguine.*

Respondet Gauatius vtique adorationem latriæ non deberi speciebus secundum se, & ratione sui, sed quatenus Christum realiter, & substantialiter continent, adeò quod non sacramentum, sed Christus in sacramento adorari debet. Sed falsò omninò dicitur hoc sacramentum adorari non deberi cultu latriæ, hoc enim expresè docet Tridentinum ibidem à Gauatio adductum *sess.*13. *cap.*5. dum inquit; nullus itaq; dubitandi locus relinquitur, quin omnes Christi fideles pro more in Catholica Ecclesia semper recepto latriæ cultum, qui vero Deo debetur, huic sanctissimo Sacramento in veneratione exhibeant; ergo sacramento quoque, & non tantùm Christo in ipso existenti, debetur latriæ cultus; Imò non solum corpori Christi in hoc sacramento existenti, sed etiam ipsismet speciebus adoratio latriæ, vt hìc notat Caspensis, & ex loco citato Tridentini deducit, vbi notanda inquit esse illa verba, ***huic Sacramento sanctissimo***, quæ de speciebus ipsis consecratis sunt intelligenda; vndè non solùm Christus in hoc sacramento existens adoratur latria, sed etiam species ipsum continentes; sicut adoratur Crux, & Imago Christi, & potiore iure, quia Imago repræsentat nobis Christum solum obiectiuè præsentem; species verò consecratæ repræsentant corpus Christi etiam realiter præsentem, ac proindè cùm simul vnitæ sint Christo, simul obijciuntur adorandæ eodem prorsus actu, quo Christus adoratur; quod etiam docet Hiqueus *q.cit. in fine*, quia ad adorationem latriæ sufficit repræsentatio, & tactus, vt patet in Cruce, & Imaginibus; at in venerabili sacramento includitur realiter Christus, & demonstratur præsens; Hìc tamen recolendum est ex dictis *lib.*3. *sent.* de adoratione Imaginum, quod sicut cùm adoratur Imago, totum illud, quod est in Imagine, pertinet ad obiectum materiale adorationis; ita quod ipsa imago formaliter sumpta est illa, quæ adoratur, ratio tamen formalis sub qua adoratur, est ipsa res per imaginem repræsentata; ità in præsenti cum adorantur species sacramentales totum illud, quod pertinet intrinsecè ad sacramentum Eucharistiæ, se tenet ex parte obiecti materialis ipsius adorationis, Christus autem realiter contentus sub speciebus est formalis ratio obiecti adorationis, vt hic quoque Aretinus aduertit. 28

At replicat Coninch. *q.*73. *art.*1. *dub.vn.* non sufficere, quod species sub se Christum contineant, vt adorari debeant adoratione latriæ, nam etiam sub illa habitudine consideratæ, prout distinctæ sunt à Christo non debent adorari latria; sed indè tantùm sequitur quod Christus sub ijs existens possit adorari latria; sicut ex eo, quod Christus sit in Ciborio, non sequitur ipsum Ciborium posse adorari latria, sed Christum in eo existentem ità adorari debere; Respondet Gauatius instantiam hanc de Ciborio ad rem non esse vti re vera non est, quia inter Ciborium, & sacramentum non datur illa sacramentalis, & inseparabilis vnio ex pacto diuino, qualis reperitur inter species consecratas, & corpus Christi sub illis substantialiter contentum; Sed quamuis hæc responsio sit optima, minimè tamen Gauatio necessaria erat, qui immediatè antè admiserat, non sacramentum, sed Christum in sacramento adorari debere; hoc autem est, quod ibi contendit Coninch. ipsas species etiam cum illa habitudine consideratas, prout distinctæ 29

stinctæ sunt à Christo, non debere adorari latria quia nec Imagines, nec Crux Christi, nec res vlla à Deo distincta sic adorari potest, sed solus Deus; ex quo postea deducit ipsum sacramentum, quod tali modo est adorandum, non constitui in esse sacramenti per solas species, & illam habitudinem. Sed hæc doctrina de Imaginum adoratione à nobis non admittitur *lib.3.sent.disput.2.q.10.* vbi ostendimus Imagines esse propriè adorationis capaces, licet vtique verum sit nunquam Imaginem licitè, & religiosè adorari posse, quin simul aliqua adoratione adoretur exemplar, vt ibi dictum est *nu.* 241. quapropter dicebamus ibidem adorationem Imaginis esse respectiuam, exemplaris verò absolutam sub *n.* 256. licet ergo verum sit species seorsum adorari non posse, nisi simul cum ipsis Christus directè adoretur, falsum tamen est etiam cum illa habitudine consideratas, prout distinctæ sunt à Christo adorari non posse adoratione latriæ, nec Imaginem, nec Crucem Christi sic adorari posse, sed solum Deum; cultus ergo latriæ debetur speciebus, quia per eam habitudinem Christum includunt, & per concomitantiam Deitatem, & ob eius præsentiam hanc eandem rationem motiuam cultus assignat Concilium Trid. *loc. cit.*

30 Ad Confirmationem iam dictum est suprà *n.* 25. huic sacramento competere esse cibum animę sacramentalem quoad vsum, & sumptionem eius, non autem quoad esse permanens, quod est esse suum essentiale, prout à cæteris secernitur sacramentis, sic enim solùm habet rationem signi, & abstrait à ratione cibi sacramentalis; Vt autem rectè intelligatur, quo sensu hoc sacramentum in vsu rationem habeat cibi sacramentalis; notandum est in Eucharistia vnum reperiri cibum sensibilem, & sunt accidentia panis, & vini, quæ sensibiliter manducantur & bibuntur; & alios duos insensibiles, quorum vnus est corpus, & sanguis Christi, quæ sub illis sensibilibus sumuntur, alter verò est gratia, qua anima cibatur, & nutritur spiritualiter, & producitur in sumptione sacramenti; Species ergò sacramentales sunt cibus sensibilis, & continent vtrumque alium cibum insensibilem, & indiuisibilem, corpus quidem Christi actualiter, & realiter, gratiam verò virtualiter, & causaliter, vt benè hîc Brancatus aduertit; Quandò ergo dicitur, quod cibus sacramentalis animæ, quale est hoc sacramentum, non sunt solæ species, verum est de cibo insensibili, non verò de sensibili; & cùm hinc deducitur solas species hoc sacramentum non constituere, sed simul cum corpore Christi; negatur consequentia, quia de ratione sacramenti Eucharistiæ est, vt sit cibus sensibilis continens alios duos insensibiles, vnum actualiter, & realiter, scilicet, corpus Christi, alium virtualiter, & causaliter, scilicet, gratiam, neque ex hoc benè deducitur etiam corpus Christi esse partem essentiæ sacramenti, quia est cibus spiritualis animæ, nam hoc etiam sequeretur de gratia, quæ est alter cibus spiritualis animæ; sed solùm deduci potest vtrumq; cibum in speciebus contineri, vnum actu, alterum virtute, & species vtriusque cibi esse significatiuas, itaut vnum sit significatum primarium, scilicet, corpus Christi, alterum verò secundarium, scilicet, gratia.

Ad vltimum, quando Patres dicunt sacramentum Eucharistiæ duobus constare, scilicet, ex visibili elementorum specie, & ex inuisibili corpore, & sanguine Christi, hoc modo loquendi nil aliud docere prætendunt, quam quod cum speciebus est etiam simul corpus, & sanguis Christi, nihil curantes quam faciant compositionem, & an vtrumque sit de essentia huius sacramenti, quia de hoc puncto non disputabant cum Hæreticis, sed tantùm de intima Christi præsentia sub speciebus, quam illi negabant; Locus verò illius capituli, *Hoc est*, non est ad rem, quia ibi loquitur de sacrificio missæ, & loquitur de compositione sacrificij, in quo offertur Christus sub speciebus, & non de compositione sacramenti; imò potius est ad oppositum, quia extremis verbis illius Capituli habetur, sacramentum Eucharistiæ esse species, corpus verò Christi esse rem sacramenti, vt suprà relatum est.

31 Quartò arguunt ad idem; hoc sacramentum est formaliter sensibile per species; & corpus Christi est formaliter causatiuum gratiæ nutrimentalis; sed hæc duo sunt de essentia huius sacramenti; ergo essentialiter constituitur ex vtroque.

Confirmatur, non potest negari quin sacramentum sit vnum quid ex speciebus, & corpore Christi habens ineffabilem vnitatem; ergo illud vnum aliquo vno vocabulo in Ecclesia significatur, & istud vocabulum non est aliud, quàm sacramentum Eucharistiæ. Tandem illud est sacramentum Eucharistiæ; quod per se primò fit consecratione sacramentali, at per consecrationem neq; sunt, vel fiunt species seorsum sumptæ, neque corpus, & sanguis Christi seorsum, sed quoddam compositum ineffabile ex vtroque; ergo vtrumque est de eius essentia.

Respondetur negando maiorem quoad secundam partem, quia corpus Christi in Eucharistia eodem modo se habet ad causationem gratiæ, sicut in alijs sacramentis, & solæ species sensibiles, cùm sumuntur, causant gratiam moraliter per modum sacramenti, sicut signa sensibilia aliorum sacramentorum; Christus autem se habet in causatione gratiæ in hoc sacramento, sicut in alijs, nimirum meritoriè, vt homo; efficienter, & physicè, vt Deus.

Ad Confirmationem, negatur inter species, & corpus Christi præter realem, & sacramentalem relationem intimæ præsentialitatis dari aliam physicam, intrinsecam, & formalem vnionem, vt patet ex dictis suprà n. 6. & adhuc constabit magis ex dicendis inferiùs suo loco; vndè solum per modum continentis, & contenti dici possunt vnum, non verò per modum partium constituentium.

Ad vltimum dico, quod licet per consecrationem non fiant species nudè, & absolutè sumptæ, quia sic iam præerant absolutè loquendo; fiunt tamen vt consecratæ, & continentes corpus, & sanguinem Christi, vt fundant relationem signi ad corpus, & sanguinem Christi, tanquam signatum sub illis contentum, & in hoc sensu dicitur fieri sacramentum Eucharistiæ per consecrationem.

At replicat Coninch. *loc. cit.* contrà hanc solutionem, quia cùm illa habitudo etiam secundum Scotum sit quædam relatio, non potest propriè dici confici, cùm ad relationem non detur actio, sed ipsa resultat posita præsentia Christi per consecrationem; quod maximè verum est secundum mentem Concil. Florent. & Patrum, qui dùm dicunt hoc sacramentum confici consecratione, loquuntur de reali confectione qualis non datur ad ens rationis, aut morale, qualis est illa habitudo. Deindè, quia tunc saltem panis nullo modo posset dici materia, ex qua hoc sacramentum conficitur, quia nec species, nec illa habitudo possunt vllo modo dici ex pane confici; & tamen panis non alia ratione dici potest materia huius sacramenti, nisi quia est materia, ex qua conficitur. 32

Respondet ad hanc instantiam Gauatius *loc. cit.* sed aliquantulum obscurè, quarè clarius dicendum est in huius sacramenti productione duas relationes interuenire, prima est continentiæ, ac intimæ præsentiæ corporis Christi sub speciebus peracta consecratione, & hæc omninò realis est, ac physica, quia corpus Christi est verè; & realiter præsens sub speciebus, & hæc esse potest terminus actionis, & motus iuxta Scoti doctrinam, quia est relatio extrinsecus adueniēs; alia est relatio rationis, ac veluti ens morale, quæ post præsentiam Christi sub speciebus insurgit in illis ex institutione diuina, & est habitudo illa signi sensibilis ad corpus Christi sub eisdem contentum, qua habitudine ratio formalis sacramenti Eucharistiæ consistit; instituit enim Deus species panis, & vini, vt post consecrationem illis assistat ad efficiendam, & conseruandam præsentiam corporis Christi; quarè supposita tali institutione, & facta cōsecratione, tales species sunt signa sensibilia efficaciter significantia corpus Christi sub eis realiter contineri, & hæc vtiq; non est terminus alicuius physicæ actionis, cùm sit ens rationis, vel morale, sed in speciebus insurgit ex diuina institutione, statim ac per transubstantiationem corpus Christi fit præsens speciebus, & iste respectus rationis fundatur in speciebus, vt iam realiter, & physicè sub se continentibus Christi corpus; vndè immediatus consecrationis terminus est relatio realis actiuæ continentiæ, quàm fundant species ad corpus Christi ipsis intimè præsens, mediatus verò insurgens in eisdem ex institutione diuina est illa habituto signi sensibilis ad signatum, & species sub his respectibus, vno reali, & altero rationis, est integrum sacramentum.

Ad Confirmationem respondetur, panem eatenus dici materiam Eucharistiæ, inquantùm est materia consecrationis, per quam transubstantiatur in corpus Christi, & ex pane dicitur fieri corpus Christi, non tanquam ex subiecto, sed tamquam ex opposito corrupto, seu tamquam ex termino à quo, vt inferius suo loco dicemus.

3 Quintò tandem contrà vltimam conclusionem positam sub n. 21. aliqua loca Patrum adduci solent, in quibus prædicatur de hoc sacramento in rectò corpus, & sanguis Christi, quæ testimonia ibidem sunt explicata, ac etiam sub n. 13. Imò ex illis nonnulla sunt rectè interpretanda, ne in errorem nos ducant, vt aduertit Card. de Lugo *disput. 7. sec. 8. nu. 128.* nonnulli enim Patres dicunt; quod panis fit corpus Christi, vinum fit sanguis Christi, panis est corpus Christi, quæ propositiones non habent sensum proprium, sed improprium, ideoque sunt explicandæ hoc modo; panis fit corpus Christi, idest, de pane fit corpus Christi, vel panis conuertitur in corpus Christi, aut corpus Christi succedit pani sub eisdem accidentibus; & rursus quando dicunt, quod panis est corpus Christi, sensus esse debet; quod continetur sub specie panis, est corpus Christi; si enim intelligerentur, vt proferuntur, ex vi sermonis indicaret substantiam panis in Eucharistia manere simul cum substantia corporis Christi, qui manifestus est error.

QVÆSTIO SECVNDA.

An hoc sacramentum sit vnum, vel plura.

34 HÆc quæstio, quæ magis est de nomine, & de modo loquendi, quàm de re, agitatur tam de vnitate, vel pluralitate specifica, quàm numerica; cùm enim constet hoc sacramentum confici sub duplici specie, scilicet, panis, & vini, quæritur an sit vnum, vel potius plura specie sacramenta, sub specie panis, & sub specie vini; & cùm etiam constet toties confici in distinctis formulis panis, & potionibus vini, quæritur an sit vnum, vel plura numero sacramenta in pluribus hostijs consecratis, & pluribus vini potionibus. Quoad primam quæstionis partem nonnulli Antiquiores apud Suarez *disp. 39. sec. 3.* nempè Aureolus, Maior, & Gabriel simpliciter affirmarunt esse plura Eucharistiæ sacramenta; vnum verò secundum quid; siue plura specie infima; vnum verò specie subalterna, seu genere proximo; quibus ex nostris adhæsit Gauatius *disp. 2. q. 1. vbi concl. 4.* asserit sacramentum Eucharistiæ non esse vnum vnitate specifica specie athoma, sed subalterna, licet adhuc velit propriè, & simpliciter vnum esse sacramentum, quæ duo an sint consequenter dicta, examinabimus infrà. Communis tamen sententia tùm Veterum, tùm Recentiorum affirmat Eucharistiam absolutè, & simpliciter esse vnum sacramentum vnitate specifica in specie athoma integra, & perfecta, quæ fuit expressa Scoti sententia *4. d. 8. q. 1.* & omnium Scotistarum Gauatio excepto. Quoad alteram quæstionis partem idem Suarez *loc. cit.* tres refert dicendi modos; Primus est, tot esse sacramenta numero distincta, quot sunt species, seu hostiæ consecratæ diuisæ, & discontinuæ. Secundus asserit vnitatem huius sacramenti numericam non pendere ex physica continuatione, sed ex morali coniunctione specierum, itaut omnia illa, quæ per modum vnius proponuntur, vel tribuuntur, vnum sacramentum censeantur, etiamsi non sint continua physicè. Tertius tandem dicendi modus est totum hoc sacramentum esse vnum numero, & omnes species consecratas vbicumque, & quomodocumque sint, esse vnum numero sacramentum; quem vltimum dicendi modum Suarez laudat, vt magis probabilem, & theologicum, & dignitati huius sacramenti magis consentaneum, ac proindè sequuntur Recentiores non pauci; vt Cardinalis de Lugo, Isambertus, Orlandus, Baldius, & alij.

ARTICVLVS PRIMVS.

Resolutio quæstionis de Vnitate specifica.

35 PRimò Dicendum est, sacramentum Eucharistiæ propriè, & simpliciter loquendo esse vnum sacramentum. Hoc assertum est commune, & ait Gauatius videri de fide, habemus enim ex determinatione Ecclesiæ septem dumtaxat esse sacramenta nouæ legis; at si hoc sacramentum non esset vnum sacramentum, sed duo simpliciter, vnum verò secundum quid, non septem, sed octo essent nouæ legis sacramenta. Accedit hoc sacramentum, & à Concil. Trid. & à Catechismo Romano enumerari, vt vnum, sic enim loquitur agens de sacramento Eucharistiæ, *non plura, sed vnum sacramentum Ecclesiæ auctoritate docti confitemur*, ac etiam denique Patres de Eucharistia semper loquuntur, tanquam de vno sacramento, ità discurrit Gauatius cit. quæ est communis probatio Recentiorum pro hac conclusione.

At miror, quomodo Gauatius his argumentis vtatur, quæ postea dissoluit in eadem quæstione cap. 2. dùm eisdem Recentiores probare contendunt Eucharistiæ sacramentum esse vnum vnitate specifica infima, & athoma, & nō tantùm subalterna, vt ipse statuerat cap. 1. soluit, inquam dicens Patres, & Concilia, dùm hoc sacramentum dicunt esse vnum, intelligendos esse de vnitate specifica specie subalterna, non verò athoma, quia etiam sacramentum Ordinis numeratur vt vnum sacramentum, & tamen non habet vnitatem specificam specie athoma, sed subalterna, quæ postea sub se continet septem ordines specie diuersos; Neque ex hoc sequitur, inquit, Ecclesiæ sacramenta esse plura septem; illa enim diuisio sacramenti in septem sacramenta non est diuisio in species athomas, neque in species subalternas, sed in quædam propinquius contenta sub sacramento, inter quæ aliqua habent vnitatem specificam specie subalterna, vt Ordo, Extrema Vnctio, & in proposito nostro Eucharistia; quædam vnitatem specificam specie athoma, vt sacramentum Baptismi, Confirmationis, Pœnitentiæ, & alia, non enim eadem est ratio de omnibus sacramentis.

Sed planè si allatæ rationes, & testimonia benè probant Eucharistiæ sacramentum propriè, & simpliciter loquendo esse vnum, probant æquè benè hoc sacramentum esse vnum vnitate specifica athoma, & non tantùm subalterna; & si allatæ solutiones sufficienter argumenta illa dissoluunt, quando eisdem Recentiores probare contendunt sacramentum Eucharistiæ esse vnum specie athoma, & non tantùm subalterna, sufficienter etiam illa dissoluent, vt afferuntur ad hanc conclusionem probandam, quod, scilicet, sacramentum hoc sit vnum simpliciter, & non tantùm secundum quid. Ratio est, quia per vnitatem specificam simpliciter alia non intelligitur, quàm vnitas specifica athoma, & per vnitatem specificam secundum quid non intelligitur, nisi vnitas specifica subalterna; quamuis enim homo, equus, & leo conueniat in ratione animalis, tanquam generis proximi, vel speciei subalternæ, adhuc tamen dici debent plura simpliciter animalia, & vnum tantùm secundum quid, quia vnitas generica etiamsi generis proximi est vnitas tantum secundum quid; si ergò species panis, & vini in Eucharistia essent duo sacramenta ità specie diuersa, vt nullam haberent vnitatem integritatis, ratione cuius vocari possunt vnum sacramentum specie athoma, sed tantum subalterna, vt vult Gauatius; possent simpliciter, & absolutè vocari duo sacramenta, & ità vocari deberent, non verò vnum simpliciter; conuenientia enim in ratione generica etiam generis proximi non obstat, quo minus species sic in ea conuenientes possint, ac debeant dici plura simpliciter; & ideò Gauatius non videtur consequenter locutus, dùm in prima conclusione asserit sacramentum Eucharistiæ propriè, & simpliciter loquendo esse vnum sacramentum, & posteà in quarta conclusione dicit, hoc sacramentum non esse vnum vnitate specifica specie athoma, sed subalterna tantum; & quidem auctores primæ sententiæ intantùm dicunt hoc sacramentum esse plura simpliciter, & vnum tantum secundum quid, inquantum aiunt esse plura sacramenta specie infima, & vnum tantùm specie subalterna, seu genere proximo.

37 Secundò Dicendum est, hoc sacramentum simpliciter, & absolutè debere dici vnum, non vnitate simplicitatis, & indiuisibilitatis, sed vnitate integritatis, & perfectionis. Hæc conclusio est Scoti *loc. cit. sub lit. D.* & omnium Scotistarum, ac etiam Recentiorum, quam ibi probat, & declarat Doctor dicens corpus Christi posse dupliciter considerari; primò strictè, vt includit solùm partes animatas, cuiusmodi non est sanguis, & alij humores, licet sint potentia proxima, vt animentur, & in carnem animatam conuertantur, & hoc modo corpus est essentialiter aliud à sanguine; ideoque dari potest proprium signum significans corpus hoc modo sumptum, prout à sanguine contradistinctum. Alio modo corpus potest accipi latè, prout includit omnia illa, quæ pertinent ad totum corpus organicum, scilicet partes animatas, & inanimatas, vt humores, & spiritus, & hoc modo sanguis est aliquid corporis sic sumpti, & corpus sic sumptum est vnum vnitate integritatis, & dari potest aliquod signum tali vnitate vnum, quod tale

corpus

corpus integrum significet; atque ita signum proprium corporis primo modo sumpti, quales sunt species panis, & signum proprium sanguinis, quales sunt species vini, possunt esse vnum signum corporis secundo modo sumpti, vnum, inquam, vnitate integritatis, non autem indiuisibilitatis; cum enim signatum sit vnum vnitate integritatis, non indiuisibilitatis, eadem pariter vnitas est adscribenda signo, vt sacramento, nempè ipsis speciebus panis, & vini, & per consequens dicendum est non plura, sed vnum esse sacramentum Eucharistiæ in hoc sensu. Congruum autem fuit inquit Doctor, hoc sacramentum habere talem vnitatem integritatis, & non indiuisibilitatis, quia est ad completam animæ nutritionem institutum, quæ significatur per completam corporis nutritionem; completa autem corporis nutritio fit ex aliquo vnitate integritatis, non vnitate indiuisibilitatis scilicet ex alimento, non enim nutrit sufficienter cibus sine poto, nec è contrà. Ex quibus patet hoc sacramentum non esse vnum vnitate indiuisibilitatis, siquidem duas habet partes, ex quibus integratur, scilicet speciem panis, & vini, id autem quod est simplex, aut indiuisibile non habet partes, vt constat in angulo, & puncto; sed tantum esse vnum vnitate integritatis, qui in se includit duo signa particularia, quæ primò significant duo propria significata, & proxima scilicet corpus, & sanguinem Christi, & duo remota scilicet cibationem, & potum spiritualem.

38 Itaque sicut in rebus physicis plures substantiæ diuersæ speciei possunt concurrere ad vnam substantiam vnius speciei etiã athomæ integrandã, vt patet de carne, ossibus, & neruis ad constitutionem corporis humani vnius speciei athomæ concurrentibus; ità pariter in præsenti species panis, & vini concurrunt ad componendum totum integrale sacramentum per modũ partium distinctæ speciei, quia re vera forma, & materia corporis est tam distinctæ speciei à forma, & materia sanguinis, quam à materia, & forma cuiuscumque alterius sacramenti; & prætereà in ratione signi formaliter sunt instituta ad significanda signata omninò diuersa, loquendo de significatis tam proximis, vel primarijs, quam remotis, vel secundarijs: etenim quando consecratur panis ex vi verborum continetur, & ponitur ibi tantùm corpus Christi primo modo sumptum, & ex concomitantia solùm ponitur ibi sanguis, quia verum Christi corpus sine sanguine non reperitur; similiter dùm consecratur vinum, ex vi verborum est sanguis Christi, & corpus per concomitantiam, vt notat Doctor 4. d. 10. q. 4. ad 2. Et præterea sunt instituta ad significandam, & communicandam gratiam secundum diuersissimam considerationem, species enim panis significant gratiam, vt remotum, & secundarium signatum, quatenus habet proportionem aliquam cum cibo, & species vini significant gratiam, quatenus habent proportionem cum potu, quæ omnia arguunt specificam eorum distinctionem etiam in ratione signi ob specificam diuersitatem significati vniuscuiusque tam primarij, quam secundarij. Et quidem quando dicimus vtramque speciem habere se tanquam partem integralem huius sacramenti, non in eo sensu intelligendum, est vt illud integrent tantùm secũdum aliquam perfectionem debitam, non tamen essentialem, sicut pes, & manus, hominem integrare dicuntur; sed in eo sensu, vt sint partes integrantes illud essentialiter, ita quod qualibet earum deficiente, desinat esse hoc sacramentum quoad suam integritatem essentialem: Vndè species panis, & vini sunt partes essentiales materiæ huius sacramenti itaut ex vtraque specie integretur materia essentialis eius, & ex partialibus formis, quibus consecratur panis, & vinum, integretur vna integra forma essentialis. Ex quo sequitur, quod quando Doctor in hac quæstione docet, quod caro, & sanguis Christi pertinent ad integritatem huius sacramenti, non loquitur de quacumque integritate, sed de integritate essentiali, vt etiam notauit Aretinus *d. 8. quæst. 1. art. 2.*

39 Dices, ergo in neutra harum specierum saluabitur essentia huius sacramenti, quod est falsum, si enim sub vtraque specie seorsim totus, & integer sumitur Christus, verumque sacramentum, ergo sub vtraque specie sumitur simpliciter sacramentum, atque ità in vtraque simpliciter saluatur essentia sacramenti: idque expresè docuit Trident. *sess. 21. cap. 1.* vbi dicitur *sub altera tantùm specie totum, atque integrum Christum, & verum Sacramentum sumi.* Hac ratione Gauatius cit. ait cautè legendum esse Aretinum *cit. concl. 2.* vbi docet in neutra harum specierum nempè panis, & vini saluari simpliciter essentiam sacramenti Eucharistiæ. Sed re vera, quamuis ità loquatur Aretinus concl. 2. attamen statim concl. 3. declarat, & asserit quamlibet speciem huius sacramenti seorsum consideratam esse simpliciter sacramentum, quia quælibet earum seorsum considerata est signum rei sacræ simpliciter nos sanctificantis, nam species panis est signum gratiæ sanctificantis nos per modum cibi spiritualis, quæ sanctificatio est sanctificatio simpliciter; & species vini est signum gratiæ sanctificantis nos per modum spiritualis potus, quæ est etiam sanctificatio simpliciter; ergò quælibet species per se sumpta est simpliciter sacramentum, nam simpliciter competit illi sacramenti definitio.

Respondeo itaque in vtraque specie seorsim saluari essentiam huius sacramenti materialiter, & implicitè, non verò formaliter, & explicitè, vt requiritur ad complementum, & integritatem essentiæ huius sacramenti; cùm enim sub qualibet specie sit totus Christus, vt animam spiritualiter reficiat, quemadmodum definit Trident. *loc. cit.* habetur integrum sacramentum quoad rem significatam scilicet Christum, & perfectam refectionem; non tamen quoad modum significandi, & ex vi sacramenti, seu formaliter, quia tali pacto sub speciebus panis continetur tantùm corpus, seù caro Christi, & per modum cibi, & sub speciebus vini continetur ex vi verborum sanguis Christi, & per modum potus. Nec aliud intendit Trident. loco citato dicens contrà Hæreticos necessariam non esse communionem sub vtraque specie, quià communicantes sub vna tantum specie nihil minus suscipiunt, nec minus reficiuntur spiritualiter, quam communicantes sub vtraque cùm in qualibet ipsarum sit totus Christus licet non quoad modum significandi; Neque per illam particulam *verum sacramentum* intendit Concilium alteram speciem per se sumptam esse absolutè integrum Eucharistiæ sacramentum quoad essentiam; non enim inquit sub altera tantùm specie totum, atque integrum sumi sacramentum, sed ait sumi *totum atque integrum Christum, & verum sacramentum*, quibus verbis disertè discernit inter veritatem, & integritatem, aut totalitatem sacramenti, & ait sumi in altera specie totum, & integrum Christum, non tamen totum, & integrum sacramentum, adhuc tamen verum sacramentum, eo quod communicantes sub vna tantum specie nihil minus suscipiunt, nec minus reficiuntur spiritualiter, quàm communicantes sub vtraque cùm in qualibet ipsarum sit totus Christus, quantum attinet ad rem significatam, licet non quoad modum significandi: Quomodo autem vnam tantum accipiens speciem tantùm recipiat, sicut qui duas, & tam perfectè reficiatur quoad rem, licet non quoad modum, exemplo satis accommodato declarat Caspensis citat. sicut si aliquis inquit, comedat fructum panis, & bibat vas vini per se, & alius in eadem quantitate sumat panem, non per se, sed vino tinctum, itaut totum illud vas exhauriat, quoad rem alimenti, & quoad fructum manducationis non erit differentia inter istos, si cætera sint paria, sed tantùm erit differentia quoad modum; Eodem modo qui sumit Eucharistiam tantùm sub specie panis, nequit dici potasse sanguinem Christi, neque qui sumit tantum sub specie vini, dici potest manducasse carnem eius, quamuis in vtroque habeatur totus effectus refectionis; & conuiuij, licet non ex vi significationis sacramentalis. Neque vllum est inconueniens alteram speciem seorsum sumptam in hoc sensu non esse integrum sacramentum: nam etiam in c. *Comperimus* cuius verba refert Aretinus loc. cit. duæ species Eucharistiæ per se, & seorsim sumptæ appellantur sacramenta non integra in sensu iam explicato.

Tertio dicendum est, hanc vnitatem sacramenti Eucharistiæ tam ex vnitate rei contentæ deduci posse, qui est Christus sub vtraque specie contentus, quam ex vnitate finis, ad quem ex institutione Christi ordinatur scilicet ex integritate vnius refectionis spiritualis, quæ debet fieri per cibum, & potum proportionaliter ad corporalem refectionem; melius tamen ex primo capite desumi, & magis à priori, quàm ex secundo. Conclusio est Scoti loco citato, & quoad primam partem patet, quia ibidem Doctor ex vtroque capite vnitatem huius sacramenti assignat, primo quidem ex vnitate corporis Christi sub vtraque speciei contenti, & deindè ex vnitate refectionis spiritualis, ad quam hoc sacramentum ordinatur: cum enim Eucharistia, quatenus constat ex duabus speciebus, hanc integram refectionem & significet, & efficiat, erit simpliciter vnum sacramentum, sicut & ipsa refe- 40

refectio quatenus fit ex cibo, & potu, est simpliciter vna refectio.

Quod autem melius ex primo capite, & magis à priori deducatur hæc vnitas, quam ex secundo capite, quo passim vtuntur Thomistæ, & Recentiores, probatur, quia sacramentum Eucharistiæ formaliter acceptum est relatio quædam signi ad corpus Christi, vt ad signatum; cùm ergo relationes suam vnitatem, & distinctionem specificam, nedùm à fundamento, sed principalius à termino desumant: aptius vnitas huius sacramenti deducitur ex vnitate corporis Christi sub vtraque specie contenti, quàm ex vnitate refectionis spiritualis, qui est finis, ad quem ex Christi institutione hoc sacramentum ordinatur; Hæc igitur ratio magis à priori ostendit, quomodo hoc sacramentum sit vnum, nimirum quia corpus, & sanguis Christi faciunt vnum totum perfectum organicum, & hoc modo signa, & signata sunt vnum tantùm, quia licet signa sint duo indiuisibiliter, tamen simul sumpta integrant vnum signum perfectum, & totale; & licet signata sint duo indiuisibiliter, sunt tamen vnum signatum perfectum, & integrum scilicet corpus perfectum; & completum Christi; Confirmatur, quia vt dictum est quæst. præced. duplex in hoc sacramento significatum reperitur; vnum primarium, & essentiale, & est corpus, & sanguis Christi; alterum secundarium, & accidentale, & est gratia sanctificans animam spiritualiter nutriens, quia in ipsa actuali sumptione corporis, & sanguinis Domini spiritualiter reficitur; ab illo igitur congruentius, & magis à priori vnitas Eucharistiæ, per se petenda est, quàm ab hoc secundo.

41 Respondent Vasquez *disp.* 168. *cap.* 1. Amicus *disp.* 15. *sec.* 2. & alij Recentiores malè ex hoc capite vnitatem huius sacramenti desumi, nam vnitas signi non est desumenda penes rem indirectè, & concomitanter, sed per se, & directè significatam: cùm igitur sanguis indirectè tantum, & concomitanter importetur per species panis, & corpus per species vini; non oportet vnitas huius sacramenti ex vnitate rei contentæ desumi, quia hæc vt directè significata ex vi verborum non est eadem in vtroque signo; probatur assumptũ, nam ab eo desumenda est vnitas signi, à quo signum per se, specificatur, specificatur autem à termino per se importato, nam hoc tantùm inuariato manet vnitas signi, atqui variato termino indirectè significato, manet adhuc vnitas specifica Eucharistiæ; idem quippè fuisset sacramentum peractum in triduo, in quo species panis solùm continuissent corpus, & species vini sanguinem; quarè concludunt probandam esse Eucharistiæ vnitatem ex vnitate refectionis spiritualis, quam significat, seù ex vnitate conuiuij, in quo licet sint duo cibus, & potus, vnum tamen conuiuium sunt, & efficiunt, & vnam simpliciter refectionem ex cibo, & potu integratam.

Sed contrà, quia vt sæpè dictum est, nutritio, & spiritualis refectio Eucharistiæ non conuenit, nisi prout habet esse in vsu, qui ei accidentalis est, vndè nutrire, & alere est finis extrinsecus, & contingens Eucharistiæ, si enim non sumatur Eucharistia, adhuc essentia vnius sacramenti datur absque nutritione: non ergo per se, & à priori vnitas huius sacramenti à tali fine dependet, quia vnitas per se rei à fine extrinseco, & accidentali desumi non debet: Planè negari non potest, hoc sacramentum esse institutum, vt hic sit refectio spiritualis animæ; non ob id tamen dicendum est hunc esse præcisum finem, vel primarium huius institutionis, nam sunt & alij fines, vt nempè in illo adoretur, vt esset nobiscum sacramentaliter vsque ad finem sæculi, &c. atque ideò diximus hunc finem refectionis spiritualis esse secundarium, & accidentalem; Et quamuis Scotus quoque hac ratione probet sacramentum hoc esse integraliter vnum ab hoc effectu integraliter vno, ad quem etiam est institutum: declarat tamen hanc vnitatem non ab vnitate alimenti, & refectionis sumendam esse, tanquam à proprio, & principali specificatiuo, sed tanquam à fine extrinseco, & secundario; Et quamuis vnaquæque species contineat aliquid diuersum, vt directè significatur ex vi verborum: hæc tamen diuersa sunt partes vnius, sicut licet corpus, & anima sint quid diuersum, sunt tamen partes vnius ex ambobus integratis, quarè illæ species sunt signum partiale seorsum, & distributiuè acceptæ, sunt verò signum totale collectiuè sumptæ; & ita etiam se habuissent, si in triduo mortis Christi consecratæ fuissent, adhuc enim secundum se distributiuè sumptæ significassent corpus, & sanguinem Christi, collectiuè autem totum, & vnum Christum; neq; huic significationi obstaret separatio actualis sanguinis à corpore Christi in triduo, neque enim ad significandam vnionem sanguinis cum corpore Christi sunt istæ species institutæ, sed ad significandum corpus, & sanguinem siuè sint separata, siuè vnita; imò inquit Hiqueus *d.* 8. *q.* 1. *n.* 16. quod ob naturalem connexionem sanguinis cum corpore organico etiam in triduo connotatus fuisset ordo illius ad corpus, quia nequit sanguis Christi significari ex vi verborum, quin connotet hunc ordinem ad corpus, quod integrat, vel integrauit, & cui inest, vel infuit; neque actu, neque aptitudine potest esse sanguis Christi, nisi vt integrat corpus eius vel actu, vel aptitudine.

Ex qua doctrina soluit etiam instantiam adductam, quomodo corpus secundo modo sumptum ex duobus iam assignatis suprà *n.* 37. prout nimirum sanguinem etiam includit possit specificare significationem vnam integralem vtriusque speciei, si ex vi verborum neutra species continet corpus sic sumptum; quia enim ex natura rei, & connexione naturali sanguis ordinatur ad corpus, vt est pars eius, sumendo corpus hoc secundo modo, & quia significatio practica sacramenti limitatur ad modum naturalem essendi signatorum in reipsa, illumque supponit, tam ex vi institutionis, vt modò facta est, quàm ex fine: ideò non abstrahit à modo naturali essendi signatorum, vt partes sunt actu, vel aptitudine eiusdem totius; & hoc ait sufficere, vt corpus hoc secundo modo sumptum, tanquam significatum totale, & proximum, possit specificare significationem vnam integralem vtriusque speciei, etiamsi ex verborum neutra species contineat corpus sic sumptum: Vel clarius dici potest ex ipso Scoti contextu, quod licet sanguis indirectè tantum, & concomitanter importetur per species panis, & eius consecrationem, & corpus per species vini; tamen ex partiali significatione specierum collectiuè sumptarum potest vnum totale signum integrari, & vna totalis significatio, quæ directè, & per se corpus sic sumptum significet, adeout forma sanguinis integret causam totalem cum forma panis, & signum practicum ad positionem corporis Christi, seruata vnione partium animatarum, & sanguinis adinuicem, prout in reipsa supponuntur. 42

Sed hic insurgit difficultas, an hæc significatio totalis in distinctis speciebus huius sacramenti importet distinctas relationes signi, ex quibus componatur, vel potius sit vna indiuisibilis relatio in toto aggregato, vel composito; Capensis *loc. cit.* cum alijs Recentioribus ait relationem signi totalis refectionis, quæ fundatur in speciebus consecratis panis; & vini, & formis earum esse vnam numero vnitate simplicitatis, & indiuisibilitatis; sicut vnum totale ædificium adæquatè refertur vna numero relatione ad suum exemplar, & idem est de tota ciuitate sumpta, vt vna respectu Regis, aut Gubernatoris, & exercitu respectu Ducis. Negat Hiqueus *loc. cit.* quia nullum fundamentum huius significationis totalis incomplexæ ostendi potest; neque illa significatio dici potest practica, quia nec effectum habet diuersum ab effectu significationis partium, nihil enim ponitur sub speciebus, aut conseruatur præter corpus, & sanguinem primò, reliqua ad hæc per concomitantiam: vndè concludit nullam aliam dari significationem ab illa, quæ est partium, diuersam, & incomplexam, neque ex significatione partium coalescere vnam, nisi ratione proximi signati qua refertur ad tertium coalescens ex vtroque signato.

At benè respondet Suarez *cit. sec.* 3. *in fine*, hanc quæstionem quoque non posse esse nisi de nomine, nam ex vna parte negari non potest, quin significatio integra huius sacramenti componatur ex significationibus partium; componitur enim ex illis, quatenus vnaquæque significat suum peculiare signatum, tam proximum, quàm remotum modo iam explicato, & hoc voluit intendere Doctor, quando dixit hoc sacramentum esse vnum, non vnitate indiuisibilitatis, sed integritatis, vt perfectum includens plura signa partialia. Attamen etiam concedi potest in toto sacramento esse vnam totalem significationem, quæ à significationibus singulorum partium aliquo modo distinguatur, nequit enim esse vnum signum etiam vnitate integritatis, nisi etiam aliquo modo significatio sit vna vt patet de propositione, & terminis ex quibus integratur, habet enim suum proprium significatum, à significatis terminorum, ex quibus componitur, distinctum: Hæc tamen significatio totius sacramenti composita dici debet, & complexa, quia diuersis partibus constat, rei compositæ inest: & solum indiuisibilis dici potest, quatenus indiuisibiliter inest in toto complexo, ita ut nec in partibus manere possit eo modo, quo est in toto, neque 43

etiam

etiam ablato ordine debito, & connexione ipsarum partium.

44 Quartò tandem Dicendum est, vnitatem huius sacramenti non esse specificam tantùm specie subalterna, vt Gauatius aiebat, sed etiam specie infima, & athoma; ità Scotus *loc. cit.* quem ità intelligunt Scotistæ omnes, tùm veteres, tùm Recentiores Faber, Rada, Poncius, Hiqueus, Aretinus, Brancatus, & alij passim etiam extrà Scolam nostram; & claré deducitur ex iam præmissis assertionibus; si enim hoc sacramentum propriè, & simpliciter loquendo est vnum, vt dictum est conclusione prima, & tenet quoque Gauatius sequitur esse vnum vnitate specifica infima, & non tantum subalterna, vt supra deductum est *nu.* 36. quamuis enim homo, & leo conueniant in ratione animalis tanquam generis proximi, vel speciei subalternæ; adhuc tamen simpliciter dicuntur plura animalia, & vnum tantùm secundum quid, quia vnitas generica, estò sit etiam generis proximi, est, vnitas tantum secundum quid; Neque est ad rem exemplum Ordinis; quod sæpè inculcat Gauatius, qui numeratur, vt vnum sacramētum, & tamen non habet vnitatē specificam specie athoma, sed subalterna, quæ posteà sub se continet septem ordines specie diuersos, vt innuit Doctor *4. d. 24. q. vn. §. sed tunc de quarto.* Nam vtique Scotus ità ibi loquitur de Ordine dicens esse sacramentum vnum vnitate generis propinqui; at non ità loquitur de vnitate sacramenti Eucharistiæ *d.* 8. *qu.* 1. sed absolutè ait esse vnum signum, & sacramentum vnitate integritatis, non indiuisibilitatis, ita quod ex vtroque signo partiali specierum Eucharistiæ integretur vnum signum totale corporis Christi latè sumpti, prout scilicet sanguinem etiam includit; indicans hoc modo loquendi species panis, & vini non esse tantùm partes subiectiuas sacramenti Eucharistiæ, vt sic, sed esse partes integrantes integritate essentiali, quæ necessario debent esse in actu in toto, non autem subiectiuas, quæ solùm in potentia sunt in illo, quomodo loquitur de septem ordinibus in ordine ad sacramentum ordinis vt sic. Accedit neque id concedi communiter de sacramento Ordinis, imò dicunt pariter Recentiores, quod si sub Ordine vt sic plura continentur sacramenta, illa non sunt sacramenta totalia, sed partialia constituentia vnum ordinis sacramentum totale, & completum in specie infima significans gratiam necessariam ad ministrandum in Ecclesia; sed quid dicendum de vnitate sacramenti ordinis inferius suo loco patebit.

45 Deindè hoc etiam deducitur ex secunda assertione, vbi dictum est, hoc sacramentum esse vnum, non vnitate indiuisibilitatis, & simplicitatis, sed integritatis, & perfectionis; si enim species panis, & vini sunt partes integrantes Eucharistiam integritate essentiali, ergo non possunt esse partes tantùm subiectiuæ illius, quæ solùm potentia sunt in suo toto, sed debent esse integrales, quæ necessario sunt actu in toto; essent autem partes subiectiuæ tantùm; si essent sacramentum vnum specie tantùm subalterna, sicut homo, & leo sunt partes tantùm subiectiuæ animalis generis proximi; & sacramentum Eucharistiæ vt sic esset tantùm totum vniuersale respectu sacramenti corporis, & sanguinis Christi, non autem totum integrale, vt loquitur Scotus, sicut animal respectu hominis, & Leonis est totum vniuersale tantum, non verò integrale, nam totum integrale est totum actuale, & non potentiale tantùm sicut est vniuersale respectu suorum inferiorum.

Hoc tandem deducitur etiam ex tertia conclusione, vbi diximus vnitatem hanc sacramenti Eucharistiæ, tam ex vnitate rei contentæ deduci posse, qui est Christus sub vtraque specie contentus, seù eius corpus, vt etiam sanguinem includit, quàm ex vnitate finis, ad quem ex institutione Christi ordinatur scilicet ex integritate vnius refectionis spiritualis, quæ per potum, & cibum fieri debet proportionaliter ad refectionem corporalem; Sed corpus Christi latè sumptum prout etiam sanguinem includit, & cæteras partes animatas, est vnum specie infima, & non subalterna; ergo eandem quoque vnitatem præbebit huic sacramento, vt est vnum signum integrale, & totale ex speciebus panis, & vini constitutum; & quemadmodum signata specierum panis, & vini sunt duo signata partialia vnum signatum totale constituētia in vnitate speciei infimæ, & non tantum subalternæ; ità & signa. Et quemadmodum conuiuium corporale, quamuis ex cibo, & potu integretur, est vnum specie infima, quia refectio corporalis integra ex cibo, & potu constat, siquidem nec solus cibus, nec solus potus, est integra refectio, sed vtrumque simul; ità singulæ species non sunt sacramentum totale, sed solùm partiale habentes significationes partiales adinuicem ordinatas ad constituendam, & integrandam vnicam significationem totalem vnius signati speciei infimæ, quemadmodum cibus, & potus ordinata sunt ad integrandum vnum conuiuium totale, & vnam refectionem specie infima.

Denique ex allata doctrina sic arguitur, Christus has duas species instituit, vt essent partialia signa constituentia vnum signum repræsentatiuum, & corporis Christi latè sumpti, prout sanguinem includit, sub vtraque specie contenti, & vnius spiritualis refectionis, seù conuiuij; ergo ex his duabus speciebus componitur vnum sacramentum simpliciter specie athoma, quia Eucharistia non solum, vt est quid indiuiduum, & singulare; sed etiam secundum gradum specificum ex illis speciebus integratur, quia instituta est per modum conuiuij, cuius essentia integratur ex cibo, & potu. 46

Respondet Gauatius *quæst. citat. in fine*, distinguendo consequens componitur vnum sacramentum vnitate indiuisibilitatis, & specie athoma, negat; vnitate integritatis, & specie subalterna, concedit. Sed huius solutionis inanitas patet ex modò dictis, quia inferiora non sunt partes integrales vniuersalis sub quo continentur, sed dicuntur tantùm eius partes subiectiuæ, & vniuersale respectu illorum non dicitur totum integrale, quod est totum actuale, cùm suas partes integrantes actu contineat, sed dicitur totum potentiale, quia suas partes subiectiuas continet tantùm in potentia; ergò si ambæ species sacramentales integrant essentiam sacramenti Eucharistiæ, vt signa partialia, non erunt partes eius subiectiuæ tantùm, & veluti species sub genere proximo.

Cōfirmatur, quia impossibile est duas species simpliciter, & athomas constituere vnam speciem simpliciter in genere sacramenti; ergò si species panis, & vini sunt simpliciter duæ species in genere sacramenti, itaut in singulis earum simpliciter tota saluetur Eucharistiæ essentia, vt Gauatius contendit, impossibile est, quod constituant vnam speciem simpliciter in eodem genere.

Respondet rursus Gauatius *numero* 33. antecedens esse verum, accipiendo vtrobique speciem vniformiter, non difformiter: hoc est, impossibile est duas species simpliciter athomas, & specialissimas vnam speciem athomam, & indiuisibilē cōstituere; at benè possunt duæ species specialissimæ contineri quidditatiue sub vna specie subalterna; quod rursus explicat exemplo sacramenti Ordinis, quod est vnum vnitate specifica subalterna, & continet sub se septem Ordinis inter se specie athoma differentes; Sed rursus hæc solutio eadem fallacia laborat, per hoc enim, quod species panis, & vini quiddatiuè contineantur, vt duæ species simpliciter athomæ sub sacramento Eucharistiæ in communi, tanquam sub genere proximo, vel specie subalterna, non saluatur, quod re vera sint partes essentiam huius sacramenti constituentes, & integrantes, quia partes huiusmodi totum aliquod actuale constituunt, in quo actu reperiuntur; species verò, vt continentur sub suo genere proximo, dicuntur tantum partes subiectiuæ illius, non integrales, & dicuntur in eo contineri in potentia, non verò in actu; Rursus, si species panis, & vini intantùm vnum sacramentum Eucharistiæ dicuntur constituere, inquantùm sub eo continentur, tanquam sub specie subalterna; poterat Gauatius æquè benè concedere solam speciem panis esse integrum, & totale sacramentum Eucharistiæ, & non partiale tantùm; sicut de sacramento Ordinis, quia est vnum vnitate tantùm generis proximi, concedit singulos ordines sub ipso contentos esse integra, & perfecta sacramenta, non autem partialia; Cum ergò concedat solam speciem panis esse vtique verum sacramentum, non tamen integrum, & totale, sed partiale tantū, non erit sacramentum Eucharistiæ vnum dumtaxat vnitate speciei subalternæ, vel generis proximi, sicut est sacramentum ordinis respectu septem Ordinum sub se contentorum, sed etiam vnitate speciei athomæ, itaut secundum gradum specificum Eucharistia ex illis duabus speciebus integretur, vt ad suam integram, & totalem essentiam spectantibus, illasq; respiciat, vt partes ipsum actu integrantes, & non tantùm, vt partes subiectiuas. 47

AR-

ARTICVLVS SECVNDVS.

Obiectiones soluuntur.

48 IN oppositum obijciunt Aduersarij Eucharistiam non esse propriè, & simpliciter vnum sacramentum, sed plura; Primò, quia Concilia, Patres, & Ecclesia ipsa in quadam collecta Eucharistiam plura appellat sacramenta, & de ea loquitur in plurali; *Purificent nos Domine sacramenta, quæ sumpsimus*, & habetur apud Gratianum *dist.* 1. & 2. per multa capita.

Confirmatur, quia si ex vtraque specie conficitur integrum sacramentum; ergo communicantes sub vna tantùm specie, scilicet, panis, non sumunt integrum Eucharistiæ sacramentum contra Concil. Trident. *sess.* 13. *cap.* 3. *& sess.* 21. *cap.* 3. Tandem tantam gratiam conferunt solæ species panis, & æquè perfectè spiritualiter reficiunt, sicut species vini; aliàs iniuria fieret Laicis, dum speciebus vini priuantur; ergo cùm per quamlibet illarum fiat integra spiritualis refectio, singulæ erunt integra sacramenta.

Respondetur, Eucharistiam etiam ab eadem Ecclesia in eadem collecta vnum appellari sacramentum, *Præsta, vt hoc tuum sacramentum non sit nobis reatus ad pœnam*, &c. quarè interdum plura appellat; interdum vnum, plura partialia, & vnum totale ex illis constitutum, quamuis enim species panis, & vini sint plura signa, tamen ex his integratur vnum completum signum, cuius primarium, & essentiale significatum est integrum Christi corpus, vt etiam sanguinem includit, secundarium verò, & accidentale est integra spiritualis refectio ex cibo, & potu constans.

Ad Confirmationem communicantes sub vna tantùm specie sumunt totum sacramentum quoad rem significatam, & sub illa specie contentam, quia sub qualibet illarum totus Christus continetur, vt animam spiritualiter reficiat; non tamen sumunt totum sacramentum, sed partem sacramenti, quoad modum significandi, & rem immediatè significatam ex vi sacramenti, quia tali pacto sub speciebus panis Christus est tantum per modum cibi, & sub speciebus vini tantùm per modum potus, & hic est sensus Concilij *loc. cit.* vt suprà declaratum est *num.* 39.

Ad vltimum iam ibidem diximus accipientem vnam tantùm speciem tantùm recipere, sicut qui duas, & tam perfectè refici quoad rem, sed non quoad modum; quod etiam ibi declaratum est exemplo comedentis frustum panis vino intinctum.

49 Secundò obijcitur, quia licet ex parte modi significandi vnica tantum species non possit appellari integrum sacramentum, & conuiuium, tamen ex parte rei significatæ nihil ei deest quo minus integrum sit, quia res significata per speciem panis, verbi gratia, est caro Christi, caro autem Christi cùm sit viua, habet etiam sanguinem coniunctum, atque adeò ibi est integrum Christi corpus, ac per modum cibi, & potus, ergo &c.

Confirmatur, quia si istæ duæ species sunt vnum sacramentum in ratione signi, tunc etiam deberet in eis assignari vna significatio; hoc autem assignari non potest, quia in sacramento Eucharistiæ non est aliquod vnum ens, in quo fundari possit talis vnitas significationis, non ex parte materiæ, quia species panis, & vini talem vnitatem non habent nec ex parte formæ, quia sunt duæ formæ & diuersæ. Denique Eucharistia constat ex diuersis materijs, nempè pane, & vino, & diuersis formis, vt patet in illis verbis. Hoc est enim corpus meum, & hic est calix sanguinis &c. ergo non est vnum sacramentum in specie infima; consequentia patet, quia sacramenta distinguuntur per materias, & formas.

50 Respondetur negando consequentiam, quia integritas sacramenti non debet attendi ex parte rei significatæ per concomitantiam, nempè sanguinis ad corpus Christi sub speciebus panis, quia huiusmodi concomitantia per accidens se habet ad species panis considerata ratione formali huius sacramenti; integritas ergo sacramenti debet attendi ex parte signi, vt nimirum integrum modum habeat in significando, vndè sacramentum integrum est, quod ex vi propria, & per se primò totale significatum sacramenti, quod est corpus latè sumptum, & integra spiritualis refectio per modum cibi, & potus simul, significat, quod non habent solæ species panis, aut solæ species vini; vndè Diuus Bonauentura hoc totum significauit 4. *dist.* 9. *art.* 2. *quæst.* 2. quando dixit fideles in vna specie accipere totum sacramentum quoad efficaciam, non quoad significationem; quarè ex illo antecedente non benè deducitur, quod in vnica tantum specie simpliciter saluetur tota ratio huius sacramenti.

Ad Confirmationem negatur minor, quia inter materias, & formas huius sacramenti talis vnio interuenit, qualis sufficit ad vnum sacramentum componendum, non enim opus est hanc vnionem esse quasi physicam, vel pertinentem ad quantitatem continuam, sed sufficit moralis quædam vnio, seù cuiusdam ordinis, & proportionis, quantum sat est ad componendam vnam integram, vel expressam significationem; quæ in proposito interuenire potest, quia licet illæ materiæ sint inter se diuersæ, conueniunt tamen in ratione signi, cùm vna sit signum corporis, & alia sanguinis, quæ sicut sunt duo signata vnum totale integrantia, scilicet, corpus Christi latè sumptum, ità & hæc duo signa partialia vnum totale integrare possunt modo iam explicato *num.* 43. & sic etiam dicendum de formis diuersis, quod licet sint duæ partiales, integrant tamen vnam totalem.

Ad vltimum pariter dicendum est, Eucharistiam constare diuersis materijs, & formis partialibus, nō autem totalibus, & consequenter constare duobus sacramentis partialibus diuersas partiales significationes habentibus, quæ tamen vnam totalem integrent modo iam explicato, & consequenter vnum Eucharistiæ sacramentum specie infima.

Dices, quælibet species seorsim sumpta continet integram sacramenti Eucharistiæ essentiam, quia Eucharistia prædicatur essētialiter de speciebus panis, & vini seorsim sumptis; ergo quælibet species est simpliciter sacramentum totale, & consequenter Eucharistia non erit vnum sacramentum in specie infima. 51

Respondetur negando assumptum, quia sacramentum Eucharistiæ integrum est, quod ex vi propria, & per se primò totale significatum sacramenti, quod est corpus latè sumptum, vt etiam sanguinem includit, significat; tùm quia Eucharistia instituta est à Christo per modum refectionis, & conuiuij, ratio autem integræ refectionis, vel conuiuij non saluatur in solo cibo, aut in solo potu, & ideò nequit in vna sola specie integra ratio Eucharistiæ saluari; Quando autem dicebatur Eucharistiæ sacramentum de speciebus panis, & vini etiam seorsim sumptis essentialiter prædicari; Hoc in eo sensu intelligendum est, quod quemadmodum partes substantiales hominem constituentes in ratione substantiæ totalis, & completæ, vocantur substantiæ, licet partiales, ità species istæ vnum integrum sacramentum constituentes, vocari possunt, & de facto vocantur sacramenta, sed partialia.

Dices rursus, species panis seorsim sumpta appellatur à Trid. *cit. sess.* 21. *cap.* 2. verum sacramentum, dùm ait fideles sumentes speciem panis sumere integrum Christum, & verum sacramentum.

Respond. ex dictis *nu.* 39. non intendere Concilium alteram speciem esse integrum Eucharistiæ sacramentum, sed solum declarare voluit alteram speciem esse verè, & propriè sacramentum, non metaphoricè, vel figuratè tantùm, & hoc quidem cuilibet parti huius sacramenti conuenit seorsim sumptæ, quia quælibet seorsim sumpta sufficiens est ad fundandam partialem relationem signi, & causandam gratiam, vel per modum cibi, vel per modum potus.

Dices tandem, licet neutra pars includat totam rationem specificam Eucharistiæ, quælibet tamen includit totam rationem genericam sacramenti, quæ est esse signum sensibile gratiæ; vndè licet neutra seorsim sit simpliciter sacramentum Eucharistiæ, quilibet tamen erit simpliciter sacramentum. Orlandus *disputat.* 2. *quæst.* 1. negat cum Corneio assumptum, quia ratio generica non potest reperiri existens à parte rei, nisi in aliqua determinata specie, sola autem hostia consecrata, aut solus calix non includit rationem specificam Eucharistiæ, neque alterius sacramenti, ac proindè neque rationem genericam; quarè cùm Eucharistia ex ipsis speciebus componatur, dicunt non posse in sola specie panis, aut vini saluari integram rationem genericam sacramenti, sed in tota ipsa Eucharistia; sicut ratio animalis non saluatur in sola anima, neque in solo corpore, quæ sunt partes hominis, sed in solo homine.

Hæc

Hæc tamen reſponſio non placet, quia ex ea ſequitur, quod ſumens ſpeciem panis non ſolùm non ſumeret integram Euchariſtiam, ſed nec etiam, verum ſacramentum, quod directè repugnat Tridentino *loc. cit.* conſequentia patet, quia in vna ſola ſpecie concedit non ſaluari veram rationem ſacramenti; Itaque præſtat dicere, quod licet in partibus ſpeciem componentibus ſeorſim ſumptis non ſaluetur ratio generis proximi; poteſt tamen ſaluari ratio generis remoti, vt patet in allato exemplo de anima, & corpore hominem conſtituentibus, nam ratio animalis, neque in ſola anima, neque in ſolo corpore ſaluatur, ſed in ſolo homine, in quibus tamen etiam ſeorſim ſumptis ſaluatur ratio ſubſtantiæ, nam partes ſubſtantiales hominem conſtituentes in ratione ſubſtantiæ totalis, & completæ, vocantur ſubſtantiæ, licet partiales; ità ergò à pari ſpecies iſtæ integrum Euchariſtiæ ſacramentum conſtituentes, licet integram Euchariſtiæ prædicationem ſuſcipere nequeant, poſſunt tamen ſuſcipere prædicationem ſacraméti, vt ſic, & vocari poſſunt ſacramentum verè, & propriè: & licet in eis ſeorſim ſumptis tota ratio ſpecifica Euchariſtiæ ſaluari nequeat, ſaluari tamen poteſt integra ratio generica ſacramenti; & hoc magis conformatur modo loquendi Concilij citat, appellantis ſpeciem panis verum ſacramentum, ac etiam Eccleſiæ, quæ docet in ſacrario verum aſſeruari ſacramentum, & ad infirmos proceſſionaliter deferri, & ad hanc prædicationem recipiendam ſufficit, quod ſint partes aliquam ſpeciem athomam ſacramenti eſſentialiter integrantes, ſicut ad hoc, vt anima, & corpus dicantur eſſentialiter ſubſtantia, ſufficit, vt ſint partes hominem conſtituentes in ratione ſubſtantiæ totalis, & completæ; qua igitur vnitate conceptus ſubſtantia eſſentialiter prædicatur de anima, & corpore hominem conſtituentibus, ſiuè ſit vnitas generis remoti in rectà linea, ſiuè alicuius communioris etiam ad ea, quæ reductiuè tantùm in prædicamento ponuntur; eadem etiam conceptus vnitate ſacramentum, vt ſic de ſpeciebus panis, & vini prædicari poterit, ac debebit, de quo vide Aretinum *diſt.* 8. *qu.* 1. *art.* 4.

53 Tertiò arguit Gauatius *loc. cit.* probans ſacramentum Euchariſtiæ non eſſe vnum vnitate ſpecifica ſpecie athoma, ſed tantùm ſubalterna; quælibet ſpecies ſacramentalis ſeorſim ſumpta eſt ſimpliciter ſacramentum, ſuntque ambæ alterius rationis, nedùm materialiter, ſed etiam formaliter in ratione ſigni, prout fundant relationem ad diſtincta ſignata, ſignatum enim per ſpecies panis, ſcilicet, corpus Chriſti ſtrictè ſumptum eſt alterius rationis à ſanguine, qui eſt ſignatum per ſpeciem vini: ergò vt ſic conſideratæ, hoc eſt, in ordine ad ſuum immediatum ſignificatum non poſſunt habere vnitatem ſpecificam ſpecie athoma.

Confirmatur, æquè perfectum eſt ſacramentum ſe tenés ex parte ſpeciei panis, ac ſacramentum, quod in ſpecie vini fundatur, alioquin Laici ſub vna tantùm ſpecie communicantes dimidiatum ſumerent ſacramentum contrà Triden. loco citato ergò ſacramentum tam in ſpecie panis, quàm in ſpecie vini eſt ſimpliciter ſacramentum, atque ideò non ſunt vnum vnitate athoma. Demum ſacramentum Euchariſtiæ inſtitutum fuit ad completam animæ nutritionem per completam nutritionem corporis ſignificatam: ſed completa corporis nutritio nititur alimento vni vnitate generica, non ſpecifica ſpecie athoma: ergo hoc ſacramentum non eſt vnum ſpecie athoma; Minor probatur, nam ad nutritionem concurrunt cibus, & potus, quorum vterque veram habet rationem alimenti, ſuntque ambo alterius, & alterius rationis: ergo ratio alimenti prout vtrique conuenit, non habet vnitatem ſpecificam ſpecie athoma, & infima, ſed tantum ſubalterna.

54 Reſpondeo gratis concedendo ſpecies panis, & vini eſſe ſacramenta alterius rationis, nedum materialiter ſumpta, ſed etiam formaliter, & prout fundant relationem ſigni ad ſuum immediatum ſignificatum non poſſe habere vnitatem ſpecificam ſpecie athoma; cùm tamen ſic ſumpta ſint tantum ſigna partialia, dicimus ambo ſimul ſumpta conſtituere vnum ſignum totale corporis Chriſti latè accepti, prout, ſcilicet, etiam ſanguinem includit, & quemadmodum ſignata ſpecierum panis, & vini ſunt duo ſignata partialia vnum ſignatum totale conſtituentia, & quidem vnum vnitate ſpecifica athoma, vt ſuprà dictum eſt *nu.* 45. ità & ſigna; Neque repugnat ex partibus ſpecie diuerſis etiam in rebus phyſicis vnicam ſpeciem athomam reſultare, ſicut homo, qui eſt ſpecies infima, reſultat ex anima, & corpore, non ſolùm ſpecie, ſed etiam genere diuerſis; ſic etiam in propoſito quamuis ſacramenta panis, & vini ſint alterius rationis, & differant ſpecie incompleta, & partiali ordinantur tamen ad componendam vnam ſpeciem integram, & totalem, & ità ſacramentum hoc eſt vnum in ſpecie athoma ex diuerſis ſpeciebus partialibus conflatum. Ad Conf. conceſſo antecedente in ſenſu iam explicato *nu.* 50. nempè ex parte rei ſignificatæ per concomitantiam, non verò ex parte modi ſignificandi; ac etiam conceſſa prima conſequentia, negatur vltima, alioquin indè pariter inferri poſſet, quod non eſſent ſpecies panis, & vini vnum ſimpliciter ſacramentum, ſed ſimpliciter plura, quod etiam arguens negat. Ad vltimum, non video qua ratione Gauatius hoc argumento vtatur, cum ſæpiùs in ea quæſtione Aduerſarios huius arguendi modi redarguat, quia refectio ſpiritualis non eſt primarium, & eſſentiale huius ſacramenti ſignificatum, ſed tantum ſecundarium, & accidentale, cum Euchariſtiæ accommodari non poſſit, niſi prout habet eſſe in vſu, qui ei accidentalis eſt; ſed etiam hoc admiſſo, negatur minor; quia conuiuium corporale, ad cuius inſtar hoc ſacramentum eſt inſtitutum, eſt vnum in ſpecie infima, quamuis integretur ex cibo, & potu & eſt vnica refectio ſpecie athoma conſtans ex alimẽto humido, & ſicco, tanquam ex duabus partibus; & ad probationem minoris dico, quod licet ad nutritionem concurrant cibus, & potus, quorum vtrumque veram alimenti rationem habet, & alimentum reſpectu vtriuſque rationem generis habeat, & non ſpeciei; adhuc tamen conuiuium, & refectio ex vtroque conſtituta eſt vna ſpecie infima, & non ſubalterna tantum; vndè aliud eſt loqui de alimento, quod eſt commune genus ad humidum, & ſiccum, aliud verò de conuiuio ex vtroque conſtituto, ad cuius inſtar hoc ſacramentum ex inſtitutum.

Quartò rurſus arguit, quamuis idem Chriſtus ſub ſpeciebus panis, & vini contineatur, tamen ex vi verborum non 55
continetur idem, ſed ſub ſpeciebus panis continetur corpus, ſub ſpeciebus vini ſanguis; at ſacramentum Euchariſtiæ non conſtituitur intrinſecè in ratione ſacramenti per id, quod ponitur per concomitantiam, ſed per id, quod ex vi verborum ponitur; ergo cùm corpus, & ſanguis ſint entitates diuerſæ, & alterius omninò rationis, ſequitur neceſſario ſacramentum ſanguinis non eſſe vnum ſacramentum ſpecie athoma, ſed ſubalterna.

Confirmatur, quia Euchariſtiæ ſacramentum formaliter conſiſtit in practica, & efficaci ſignificatione præſentiæ corporis, vel ſanguinis Domini; ſed huiuſmodi ſignificationes ſunt diuerſæ omninò rationis, cùm ſint ad ſignata alterius rationis; ergo ſacramentum Euchariſtiæ formaliter acceptum, vt commune eſt ſacramento corporis, & ſanguinis, non eſt vnum vnitate athoma, ſed ſubalterna. Demum argui poteſt vlterius ex eius dictis. Euchariſtia prædicatur eſſentialiter de ſpeciebus panis, & vini ſeorſim ſumptis, cùm ſingulæ contineant totam Euchariſtiæ eſſentiam; cum igitur de ipſis non prædicetur, vt de indiuiduis, quia ſunt ſacramenta alterius rationis, neceſſariò de ipſis prædicabitur, vt genus proximum, & immediatum de pluribus ſpeciebus infimis.

Reſpondeo, ſi argumentum vrget, probaret rurſus ſacramentum corporis, & ſanguinis Chriſti non ſolùm non eſſe 56
vnum ſpecie athoma ſacramentum, ſed nec etiam ſimpliciter vnum, ſed ſimpliciter, & abſolutè plura, quod negat etiã ipſe arguens; quia aſſignari nequiret vnum totale, & integrum per ſe ſignificatum ex vi ſacramenti, à quo talis vnitas ſumeretur; hoc tamen vnum, & totale ſignificatum, vndè talis vnitas ſumatur, aſſignat ipſe quoque arguens, nimirum corpus Chriſti latè acceptum prout, ſcilicet, etiam ſanguinem includit; & ſicut ipſe ex hoc vno, & totali ſignificatio ait deſumi vnitatem ſimpliciter huius ſacramenti, ita nos quoque dicimus deſumi debere vnitatem ſpecificam athomam, vt conſtat ex dictis *nu.* 45. ad id verò quod ait Euchariſtiæ ſacramentum non conſtitui intrinſecè in ratione ſacramenti per id, quod ponitur per concomitantiam patet quid ſit dicendum ex iam dictis ſuprà *n.* 41. & 42.

Ad Confirmationem iam ſuprà dictum eſt in ſolutione præcedentis argumenti, quod quamuis illæ ſignificationes, & illa ſigna ſint diuerſæ rationis, quia tamen ſunt ſigna partialia, poſſunt vnum totale ſignum conſtituere ſpecie athoma, ſicut ex anima, & corpore, quamuis ſint partes diuerſæ rationis, reſultat vnũ ſpecie athoma, ſcilicet, homo; Et ſacramentum Euchariſtiæ, vt eſt commune ſacramento

mento corporis, & sanguinis, non est commune in ratione totius vniuersalis, sed in ratione totius integralis, sicut dicimus de homine respectu corporis, & animæ, ex quibus constituitur; Dices, disparem esse rationem, quia quælibet pars hominis seorsim sumpta, & independenter ab alia non est simpliciter homo; sed quælibet species seorsim sumpta est simpliciter sacramentum; ergo quamuis ex corpore, & anima specie diuersis possit constitui vnus homo vnitate specifica, non tamen ex speciebus corporis, & sanguinis, quarum quælibet est simpliciter sacramentum Eucharistiæ.

Resp. ex dictis *num.* 51. quod licet quælibet species seorsim sumpta sit sacramentum simpliciter, vt est commune genus ad omnia sacramenta, non est tamen simpliciter sacramentum Eucharistiæ, sed pars integralis illius loquendo in rigore metaphysico.

57 Hinc patet ad vltimum, falsum enim est assumptum sicut etiam falsum est in singulis speciebus seorsim sumptis totam Eucharistiæ essentiam contineri, vt patet ex ibidem dictis, ac etiam superius *n.* 39. vndè Eucharistia non prædicatur essentialiter de speciebus panis, & vini seorsim sumptis neque vt genus de speciebus, cum Eucharistia sit species infima, neque vt species de indiuiduis, cùm sint sacramenta diuersæ rationis, & ratio superius insinuata est, quia species panis, & vini sunt partes integrantes Eucharistiæ integritate essentiali, quæ necessariò debent esse actu in toto, & ideò partes illius subiectiuæ esse non possunt, quæ solùm in potentia sunt in illo, vt dictum est *n.* 45.

At replicat Centinus *disput.* 1. *capit.* 4. *numer.* 74. vnitatem integritatis sacramenti huius non esse talem, qualis est vnitas vnius habentis plures formas physicas subordinatas ad aliquod totum, & perfectum constituendum, vt est vnitas animalis, nam animal non est ens homogeneum, vt quælibet pars separata sit ipsum, sicut aqua, cuius partes segregatæ sunt pariter aqua; hoc autem sacramentum, dùm duo habet signa, & signata complentia vnum integrum signum, & signatum, si segregatim spectetur, adhuc totum est sacramentum, vndè vnitas hæc integritatis assimilanda est potius homogeneis, quàm etherogeneis. Verùm constat ex iam dictis *numer.* 38. quamlibet speciem seorsim sumptam non esse totum, & integrum sacramentum, sed solùm partiale, & inadæquatum, sicut solus cibus non est integrum conuiuium, nec solus potus, sed inadæquatè, & partialiter, vt ibi declaratum est; vbi etiam dictum est hanc vnitatem non esse integralem quomodocumque, sed integralem essentialem, itaut ambæ species integrent essentiam huius sacramenti, quæ partes rursus cum non sint similares, & eiusdem rationis, sed omninò diuersæ rationis, cùm sint ad diuersa signata partialia, ideò constitutum ex eis potius rationem habet totius etherogenei, quam homogenei; Insuper falsum est, quod assumitur de toto aquæ homogeneo, nam aqua quæ essentialiter prædicatur de singulis aquæ partibus integralibus, non est hoc aquæ indiuiduum ex illis partibus compositum, sed est aqua in communi, quæ non est totum integrale, sed vniuersale respectu partium, de quibus prædicatur.

Dices; quemadmodum ergò licet aqua in indiuiduo sumpta, vt est quid singulare ex partibus aquæ integratum non possit prædicari de partibus illis, potest tamen de illis prædicari secundum gradum specificum aquæ; ità in proposito licet Eucharistia in indiuiduo sumpta non possit de speciebus panis, & vini essentialiter prædicari, poterit tamen de illis prædicari secundum gradum specificum. Negatur paritas, quia aqua in communi, & in specie non habet partes integrales, sed tantum hæc aqua in particulari; at Eucharistia non solum, vt est quid indiuiduum & singulare, sed etiam secundum gradum specificum ex illis speciebus integratur, vt supradictum est, quia instituta est per modum conuiuij, quod essentialiter ex cibo, & potu integratur; & ideò Eucharistia nec etiam secundum gradum specificum de speciebus seorsim sumptis potest prædicari.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quid dicendum sit de Vnitate numerica.

Non minor est controuersia in hac quæstione in explicanda vnitate, & multiplicitate numerica huius sacramenti, quam fuerit de specifica, qua de causa Bernal. *disp.* 23. *sec.* 2. ait hanc non esse quæstionem de solo nomine, & modo loquendi, vt passim Recentiores scribunt, sed esse de re, cum eius resolutio pendeat ex modo constituendi hoc sacramentum, vt patet ex hactenus dictis; & quamuis etiam de modo loquendi foret, adhuc inquit in tam graui negotio contemnendam non esse, vt satis indicant Theologi Recentiores fusissima quam instituunt eius tractatione; suppositis itaq; tribus dicendi modis ab initio quæstionis relatis, hæc pars quæstionis tribus assertis est modo resoluenda, vt appareat quinam illorum sit probabilior; Et quidem quantum ad rem attinet, certum ait esse vnum Christum semper, & in omnibus hostijs consecratis, esse autem plures ipsas hostias consecratas, ipsos calices; Vndè aliqui breuiter hoc quæsitum resoluunt dicentes esse vnum sacramentum ex parte rei contentæ, esse plura ex parte specierum continentium, vt Auersa *q.* 1. *sec.* 3. & Faber *disput.* 28. *cap.* 1. vbi dicit sacramentum hoc dupliciter considerari posse, vel ratione signati, quod est corpus, vel sanguis Christi, & sic idem numero sacramentum est, quod ab omnibus sumitur; vel ratione specierum, & sic tot sunt numero sacramenta quot species numero multiplicatæ; Verùm licet hæc resolutio pro simplicibus, & idiotis sufficere possit, non tamen pro Theologis Scholasticis, qui hæc mysteria altiùs scrutari tenentur. 58

Primò itaque dicedum est, sacramento Eucharistiæ multiplicationem numericam esse concedendam, adeout non sit idem numero sacramentum, quod vbique ab omnibus fidelibus accipitur. Hæc est contrà tertium dicendi modum ab initio quæstionis relatum, quam tenent non solum Scotistę passim, vt Hiqueus, Poncius, Gauatius, Brancatus, Aretinus, sed etiam Recentiores communiter, Vasquez, Meratius, Pasqualigus, Bernal. Caspensis, Morandus, Corneio, & alij quamplures; Hanc probat Hiqueus auctoritate Ecclesiæ, quæ in sequentia Missæ pluraliter de hoc sacramento loquitur iuxtà pluralitatem specierum *sub diuersis speciebus, signis tantum, & non rebus, latent res eximiæ*; Verùm hęc auctoritas non satis vrget; quia ibi potius fit sermo de sacramento Eucharistiæ sub vtraque specie, quæ esse duo sacramenta partialia ratione principalis significati suprà probatum est, non autem est sermo de pluribus hostijs consecratis, vel pluribus calicibus; Propterea magis ad rem facit auctoritas Clementis Papæ *cap. tribus gradibus*, de Consecratione *dist.* 2. vbi dicit *tot holocausta in altari offerantur, quot populo sufficere possint*, quibus verbis docet Pontifex plura numero sacramenta à fidelibus suscipi, dùm plures sumunt hostias consecratas, sacramentum enim Eucharistiæ holocaustum est, & ait plura esse holocausta; & idem est si legatur, vt alij volunt *tanta holocausta, quanta populo*, &c. quia planè tanta, & quanta ponitur pro tot, & quot. Vndè vana est gramatica consideratio, quam super hoc facit Card. de Lugo dicens Clementem non habere tot holocausta, sed *tanta*, quæ quidem dictio solam significat magnitudinem, non verò pluralitatem; vana est, inquam, quia si quis diceret, tanti milites sunt in arce, quanti sufficiunt ad eam defendendam, vel tanti auditores sunt in templo, quanti sufficiunt ad audiendam concionem, sanè etiam rudis homo id intelligeret de multitudine, & quantitate discreta; non verò de magnitudine, & quantitate continua. Nec etiam satisfacit solutio Suarez dicentis Pontificem esse locutum de numero hostiarum, quæ consecrandæ sunt, quæ vtique plures simpliciter sunt antè consecrationem, at verò post illam recipiunt vnitatem quandam sacramentalem, eo quod in eodem corpore Christi vniuntur. Non inquam satisfacit, quia ex ipsius verbis sequentibus colligitur etiam esse locutum de numero hostiarum, seù holocaustorum post consecrationem, cùm statim post relata verba immediatè subdit, *quod si remanserint, in crastinum non reseruentur*; ergò si antè consecrationem vnitatem numericam non habent, nec etiam post habebunt. 59

Deindè probatur etiam euidenti ratione, quia sacramentum Eucharistiæ, quod in his speciebus panis sumit vnus, habet 60

bet omnia requisita ad distinctionem numericam ab eo, quod alius sumit eodem tempore sub alijs numero speciebus, aut antè centum, vel mille annos sumptum est ab alio; Tùm quia cùm sint diuersæ numero materiæ, & sæpè diuersæ numero formæ, & diuersæ numero significationes, consequens est, vt constituant diuersa numero composita, idest sacramenta. Tùm tandem quia vna particula consecrata significat corpus Christi pręsens, & est causatiua gratię per modum cibi independenter ab omni alia particula consecrata; ergò est sacramentum corporis Christi, secundum se consideratum; nec dici potest, quod sit idem numero sacramentum cum alia particula consecrata, quia vna potest in pixide conseruari, & alia corrumpi, ergo nequit dici esse idem numero sacramentum cum illa, alioquin de eodem contradictoria verificarentur, scilicet, corrumpi, & non corrumpi, recipi, & non recepi.

Respondet Orlandus ad verificanda huiusmodi contradictoria sufficere, quod illæ particulæ consecratæ sint plura sacramenta secundum quid numero diuersa, non verò simpliciter, & absolutè; quia multiplicatis speciebus non multiplicantur omnia, quibus intrinsecè hoc sacramentum constituitur, non enim multiplicatur corpus Christi, sed idem numero est in omnibus hostijs consecratis, vndè sola specierum multiplicatio infert tantùm, quod sint plura sacramenta secundum quid numero diuersa, non verò simpliciter, & absolutè; & sic etiam exponit dictum Clementis Pōtificis suprà relatum in *cap. tribus gradibus*, quod solùm innuere voluerit esse in Ecclesia plura Eucharistiæ sacramenta secundum quid numero diuersa, non verò absolutè, & simpliciter. Sed hæc solutio facilè refellitur ex dictis quæst. præc. vbi dictum est, corpus Christi intrinsecè sacramentum hoc non constituere, sed esse tantùm contentum, & significatum ab eo; cum ergo Eucharistia sit essentialiter signum sensibile continens corpus, & sanguinem Christi realiter; nil impedit hæc signa numero multiplicari, non multiplicato signato, quia plura signa possunt significare idem numero signatum, & plura verba, seù voces eandem rem; vndè sicut si plura numero ponantur signa vini vendibilis, ex hoc præcisè cresceret hoc concretum *signi* vini vendibilis, quia subiectum, & significatio multiplicarentur licet remaneret idem numero signatum; ità multiplicatis speciebus, & significationibus sacramētalibus, multiplicaretur quoque numero concretum Eucharistiæ idest sacramentum, quia concretum præsertim accidentale multiplicatur numero ad multiplicationem formæ, & subiecti, imò etiam sufficit sola multiplicatio subiecti.

61 Secundò Dicendum est, vnitatem, vel pluralitatem numericam huius sacramenti non esse desumendam ex vnitate, vel pluralitate sumentium, aut sumptionum, ita ut quot sumentes, vel sumptiones sint, tot sint sacramenta numero diuersa. Hæc assertio est contra secundum dicendi modum ab initio quæstionis relatum, quem vt alijs probabiliorem tenet Amicus disput. 15. sec. 3. in hac vero conclusione conueniunt omnes Auctores pro prima conclusione citati; Fundamentum est, quia abeo res habet vnitatem, à qua habet entitatem, vnitas enim cùm sit passio intrinseca rei, à propria, & intrinseca eius entitate sumenda est; sed antecedenter ad vsum, & sumptionem habet Eucharistia totum suum esse essentiale, quidditatiuum, & permanens, vt patet ex quæst. præced. ergò antecedenter ad sumptionem habet suam vnitatem, vel multiplicitatem numericam. Confirmatur, quia ex ea opinione sequitur numericam vnitatem in hoc sacramento per aliquid sibi extrinsecum, & accidētale compleri, nempè per ipsam sumptionem; & in illis formulis consecratis, quæ nunquam essent sacramentaliter sumendæ, nullam posse assignari numericam vnitatem; consequentia probatur, quia in ea opinione sacramentum hoc antè sumptionem est indifferens, vt sit vnum, vel plura, cum vnitatem, vel pluralitatem desumat media vna, vel pluribus sumptionibus; falsitas verò consequentiæ de se patet, quia numerica vnitas est aliquid intrinsecum pertinens ad esse substantiale rei; igitur ante sumptionem, quæ huic sacramento extrinseca est, assignari debet vnitas numerica huius sacramenti.

Respondet Amicus loc. cit. eam sententiam ità intelligendam, vt vnitas numerica huius sacramenti desumenda sit ex morali vnitate specierum cum ordine ad vnam sacramentalem refectionem, media vna sumptione morali, tanquam conditione sine qua non; contrà verò pluralitatem ex pluralitate specierum cum ordine ad plures refectiones sacramētales medijs pluribus sumptionibus moralibus; Ex qua doctrina ad argumentum cum confirmatione negat vtramque sequelam; primam quidem, quia numerica vnitas huius sacramenti non sumitur a sacramentali sumptione, tanquam à termino dante numericam vnitatem, sed tanquam à conditione sine qua substantialis terminus ipsius, qui est spiritualis refectio, non daret numericam vnitatem; Negat etiam alteram sequelam, ad cuius probationem distinguit duplicem sumptionem, exercitam, & actu positam, vel per assignationem tantùm connotatam, & ait antè sumptionem per assignationem tantùm connotatam esse vtique hoc sacramentum indifferens, vt sit vnum; vel plura non tamen post sumptionem per assignationem connotatam; vndè concludit ad vnitatem huius sacramenti non requiri vnitatem sumptionis actu positæ, sed per assignationem tantùm connotatæ; sicut ijdem cibi antè assignationem ad vnam, vel plures comestiones, sunt indifferentes ad vnum, vel plura conuiuia: post assignationem at fiūt vnum, vel plura conuiuia antè actualem comestionē.

Cæterum hæc responsio non satis sibi cohæret; primò 62 enim dicit vnitatem numericam huius sacramenti à spirituali refectione sumi debere, tanquam à termino ipsius substantiali, mediante sumptione, tanquam conditione sine qua non; Deindè dicit sumi debere, non quidem a sumptione exercita, & actu posita, sed ab eadem sumptione per assignationem tantum connotata, quæ duo sunt inter se valdè diuersa; à nullo tamen istorum rectè desumi potest, non quidem ab vnitate numerica vnius spiritualis refectionis, quia talis refectio est effectus, & quidem secundarius huius sacramenti, nam primarius est præsentia Christi, vnitas verò causæ non benè ab vnitate effectus desumitur quia vnitas prioris non dependet ab vnitate posterioris; neque etiam rectè desumitur ab vnitate numerica sumptionis sacramenti per assignationem tantum connotatæ, nam talis assignatio, licet a respondente non explicetur, tamen fieri nequit, nisi per intentionem Ministri, qua destinantur hostiæ pluribus distribuendæ, vel vni; vt propterea plures hostiæ ab vno sumendæ, vnum censeantur sacramentum; si verò dandæ sint pluribus, plura quoque sacramenta dicantur, vt explicant alij Auctores eiusdem opinionis, sed intentio Ministri nimis extrinseca est ipsi sacramento, parum enim, vel nihil conducit ad talem sacramenti vnitatem, quod Minister pluribus, vel vni tantum intendat ministrare sacramentum; alioquin si vnus Minister tres hostias intenderet vni dare, alter vero tribus; illæ tres hostiæ ex diuersa intentione, & assignatione ministrantis, vnum, & tria simul esse sacramenta; ergò antè sumptionem per assignationem tantum connotatam adhuc sacramentum est vnum, vel plura, non autem indifferens ad vtrumque, & non variatur eius vnitas, vel distinctio numerica ad variationem intentionis, vel assignationis Ministri.

Deindè probatur hoc sacramentum non multiplicari numero ex pluralitate sumentium, vel sumptionum actu positarum, vt alij loquuntur; quia vna, & eadem hostia potest à pluribus sumi, vt si aliquis hostiā iam ab alio sumptam, & eiectam post horam ob stomachi debilitatem, incorruptis speciebus sumeret, & tamen esset idem numero sacramentum; atque ità in tali casu cum pluralitate sumentium, & sumptionum staret vnitas numerica sacramenti; Potest etiam dari casus, vt quis eandem hostiam bis, vel ter sumat, vt si postquam hostiam sumpsit, illamque per tres, vel quatuor horas retinuit, & incorruptis speciebus eiecit, eandem potest iterum sumere, & nouam gratiam recipere, & tamen esset idem numero sacramentum, licet multæ sumptiones; ergò vnitas, vel pluralitas numerica huius sacramenti ex vnitate, vel pluralitate sumentium, aut sumptionum desumi nō potest, quomodocunq; id explicetur.

Tertiò Dicendum est pluralitatem numericam Eucharistiæ sumendam esse ex pluralitate numerica specierum consecratarum. Hæc est iuxtà primum dicendi modum ab initio quæstionis relatum, quæ est communior, & probabilior apud Auctores pro prima conclusione adductos: Fundamentum est, quia tota essentia sacramenti Eucharistiæ in speciebus consecratis consistit. ergò ad earum multiplicationem debent quoque sacramenta numero multiplicari, & Christus hoc sacramentum instituit in specie consecrata panis secundum se, & in specie consecrata vini secundum se, & secundum earum physicam vnitatem, quia in 63

qualibet harum specierum independenter ab altera est significatio corporis, vel sanguinis Christi, & significatio practica, vel factiua gratiæ; ac proinde plures hostiæ consecratæ, etiamsi simul consecrentur, & sumantur, adhuc sunt plura numero sacramenta, quia sunt plures numero distinctæ, & physicè discontinuatæ, & in qualibet seorsim, & ab altera independenter hoc sacramentum est institutum; & planè sicut pluralitas numerica aliorum sacramentorum desumitur à pluralitate numerica signorum sensibilium, vt patet de baptismo, confirmatione, pœnitentia &c. ex quibus constituuntur, ità pariter discurri debet de Eucharistia.

Confirmatur quia ratione discontinuitatis est in singulis speciebus distincta significatio, & distincta materia, & forma, & facta specierum discontinuatione, signata qualibet specie panis consecrata valet dicere, *hoc est signum sensibile continens corpus Christi*, sic etiam signata alia, & signatis pluribus verum est dicere, *hæc sunt signa sensibilia continentia corporis Christi*; ergò discontinuatio physica specierum sufficit ad multiplicationem numericam earum in ratione signi, & sacramenti. Nec rursus valet Orlandi solutio, hoc argumentum solùm probare ex discontinuatione physica resultare duo vel plura Eucharistiæ sacramenta secundum quid numero diuersa, non verò absolutè, & simpliciter, quia non multiplicatur corpus Christi, quod intrinsecè cum speciebus hoc sacramentum constituit. Non valet, inquam, quia vt sæpè dictum est, Christus in Sacramento Eucharistiæ reperitur tantùm, vt signatum, & realiter contentum sub specibus; plura autem signa possunt significare idem signatum, quia vnitas termini nihil facit ad vnitatem concreti relatiui, sicut duo alba ad tertium comparata non vnum, sed duo similia dicuntur, ad distinctionem siquidem, & multiplicationem concreti relatiui satis est distinctio subiecti, & fundamenti, & multiplicatio formæ denominantis; hoc autem totum habetur facta specierum discontinuatione, nam eo ipso habentur distinctæ species numero, & diuersæ numero significationes in eis fundatæ ad idem numero signatum.

64 Hic tamen aduertendum est cum Bernal, Morando, & alijs nostræ sententiæ sectatoribus, ad multiplicandum numericè hoc sacramentum formaliter in ratione integri sacramenti non sufficere multiplicationem specierum panis tantùm, vel vini tantùm, quia vt supra dictum est, prædictæ species seorsim sumptæ sunt quidem verum sacramentum, vt loquitur Concil. Trid. non tamen integrum quoad modum significandi, sed partes integrantes vnum perfectum; tunc igitur solùm habebitur multiplicatio numerica sacramenti integri formaliter, quando iuxtà multiplicationem numericam panis multiplicantur pariter species vini, ex quibus integrum coalescit sacramentum; quod si solùm multiplicentur species panis, vel solæ species vini, erit multiplicatio vtique sacramenti, sed non integri, & perfecti formaliter modo iam explicato.

ARTICVLVS QVARTVS.

Obiectione soluta.

65 IN Oppositum Primò obijcitur, quia ad multiplicationem Eucharistiæ non sufficit specierum multiplicatio, sed requiritur etiam, quod multiplicetur corpus Christi, ex quibus omnibus intrinsecè hoc sacramentum componitur; ergo per solam pluralitatem specierum non multiplicatur numero hoc sacramentum. Confirmatur, quia si idem numero corpus haberet plures albedines, non dicerentur plura alba, non ob aliam rationem, nisi quia quamuis essent plures albedines numero diuersæ, non essent tamen plura corpora, sed idem; ergò à pari, quia in pluribus hostijs esset idem numero corpus Christi, non multiplicatur numero hoc sacramentum per solam specierum multiplicationem. Denique si Verbum diuinum plures naturas humanas assumpsisset, adhuc tamen plures homines non fuisset; ergo neque plures particulæ panis, vel vini consacratæ sunt plura sacramenta; Consequentia probatur, quia in omnibus est idem numero corpus, & sanguis, sicut in omnibus illis humanitatibus idem Verbum diuinum.

Respond. negando assumptum, quia corpus Christi non est signum, sed signatum, & contentum in Eucharistia, neque habet aliquod ex prædicatis sacramenti, quia non est signum sensibile, nec gratiam causat alio modo, quàm extrà, vt constat ex dictis quæst. præced. Ad Confirmationem negatur consequentia, concreta namque adiectiua cum importent formam vt alteri adiacentem non multiplicatur, nisi multiplicato subiecto, cui adiacent; in hoc autem sacramento, non corpus Christi, sed potius species ipsæ se habent, vt subiectum significationis sensibilis sacramentaliter continens corpus, & sanguinem Christi; vndè in hoc casu habetur multiplicatio subiecti scilicet specierum, ac etiam formæ scilicet significationis sacramentalis, atque ideò necessariò sequitur multiplicatio numeralis sacramenti. Ad vltimum quicquid sit de antecedente etiam eo admisso adhuc neganda est consequentia, nam ideò in eo casu esset vnus, & non plures homines, quia cum naturis assumptis non multiplicaretur suppositum, quod in ea opinione necessarium est ad multiplicationem concreti substantiui; in proposito autem ad pluralitatem numericam sacramentorum sufficit pluralitas numerica signorum sensibilium, & significationum sacramentalium, quæ reperiuntur in pluribus hostijs consecratis solo numero distinctis. 66

Secundo obijcitur, quia sacramentum corporis Christi dicit in recto ipsum corpus Christi, sic enim loquitur Ambrosius lib. de ijs, qui initiantur *cap. 9. sacramentum, quod accipis, corpus est Christi*, & idem est de sacramento sanguinis, & in obliquo tantùm dicit species consecratas; sed corpus Christi sub omnibus speciebus est vnum numero; ergo sacramenta illa omnia sunt vnum numero; consequentia patet, quia concretum dicens vnum in recto, & plura in obliquo, non multiplicatur ad multiplicationem eorum, quæ dicit in obliquo, sed illius, quod dicit in recto. Confirmatur per Apostolum 1. ad Corinth. 10. dicentem, *Omnes vnum corpus sumus in Christo, qui de vno pane, & de vno calice participamus*: ergo si omnes fideles sunt vnum corpus numero misticum cum Christo ratione vnitatis eiusdem cibi, & potus omnia sacramenta, quæ participant sub speciebus panis, & vini sunt vnum numero sacramentum; alioquin non benè deduceret vnitatem numericam corporis ab vnitate cibi, & potus; sicut non ritè quis inferret nos idem numero corpus esse, quia de eodem alimento in specie participamus. Tandem arguunt ex D. Ambrosio, qui ex vnitate corporis Christi infert non esse plures hostias, sed vnam; ità enim discurrit super caput 10. Epist. ad Hebreos, *vna hostia, non multæ, sicut enim, quod vbique offertur vnum est corpus, & non multa corpora, ita & vnum sacrificium*, sicut igitur idem est sacrificium quoad rem oblatam, ita est idem sacramentum. 67

Respond. negando maiorem, vt satis constat ex dictis quæst. præced. imò potius res è contra se habet, quod hoc sacramentum species importat in recto, & corpus Christi tantùm in obliquo, atq; ideò numero multiplicatur ad earum multiplicationem; ad probationem maioris patet ex ibidem dictis. Patres vocare Eucharistiam corpus Christi, non quia sacramentum Eucharistiç sit propriè corpus Christi, sed eo quod contineat Christi corpus accipiendo continens pro contento, quo etiam sensu vocant calicem sanguinem Christi, cùm tamen hoc aliter verum esse nequeat, nisi quia continet sanguinem Christi. Ad Confirmationem negatur consequentia, quia Apostolus ab vnitate eiusdem corporis, & sanguinis Christi, quæ sub speciebus panis, & vini participamus, infert vnitatem numeralem corporis mistici, non autem ab vnitate sacramenti. Ad vltimum negatur consequentia, licet enim in Eucharistia sacramentum, & sacrificium sint idem materialiter, non tamen formaliter; sacramentum enim supponit pro speciebus, cum sit signum sensibile gratiæ subsistentis, & sanctificantis; sacrificium verò pro re oblata, quia consistit in oblatione victimæ, oblatio autem tùm sit actio, numericam vnitatem sumit à re oblata, quæ cùm sit vna, nempè Christus, vnum constituit sacrificium; species verò multiplicantur, & ideò ab vnitate sacrificij non benè infertur vnitas numerica sacramenti.

Tertiò arguunt ex absurdis, si enim à pluralitate specierum sumeretur pluralitas sacramenti Eucharistiæ. Primò sequeretur, quod sumens tres species, tria sumeret sacramenta, imò & Sacerdotem tres hostiæ partes sumentem tria sumere sacramenta, & si vna hostia in centum, vel mille partes diuideretur, centum, & mille sacramenta euaderent. Secundò sequeretur, quod sacerdos plures species in pixide deferens, plura diceretur deferre sacramenta, & Laicus accedens ad communionem, diceretur accedere ad sacramenta, non ad sacramentum. Denique si plu- 68

si plures species essent plura sacramenta, plures etiam gratias causarent, vel plures gratiæ gradus, etiam quando simul sumuntur, quod est falsum; Nec valet consueta responsio, in tali casu vnam tantum conferre gratiam, & eosdem gratiæ gradus, quos vna sola sumpta conferret, id tamen fieri per accidens, quia vna sumptione, & applicatione limitantur ad vnum effectum. Non valet, inquit Card. de Lugo, quando enim plures causæ applicantur per vnum applicationis actum, non cessant producere effectum quælibet suum; ergò licet plures physicæ sumptiones vnam numero facerent moralem, si tamen plures species plura essent sacramenta, adhuc plures causarent effectus; Tùm quia sumptio est solum conditio causandi in sacramento, vnde parum refert, quod sint sumptio, vel plures, dummodò plura sint sacramenta.

69 Respondeo concedendo primam, & secundam sequelam, physicè enim loquendo re vera sunt plura sacramenta, quamuis moraliter, & in communi modo loquendi dicantur vnum sacramentum; Negatur tamen tertia sequela, quia quando plures specis simul sumuntur, non conferunt nisi eandem gratiam, quam conferent singulæ, si seorsim sumerentur, & ratio est, quia tunc omnes sumuntur per modum vnius refectionis spiritualis, eo modo, quo etiam in conuiuijs corporalibus plures cibi, & plures potus materiales dicuntur vnum conuiuium, quia vnica sumptione morali applicantur ad reficiendum corpus quarè esto vnitas, vel pluralitas sumptionis nihil faciat ad vnitatem vel pluralitatem huius sacramenti in ratione sacramenti, benè tamen in ratione conuiuij. Neque huius alia ratio assignari potest, quàm diuina voluntas, quæ ità hoc sacramentum instituit, vt sumptio multarum specierum, siuè simul, siue successiuè, dummodò omnes earum sumptiones vnam facerent moralem sumptionem, vnam tantum gratiam causarent, licet quælibet ex illis nata sit ex se conferre eandem gratiam, si sola proponeretur sumenda in ea refectione; sicut si quis pluribus peccata sua confiteretur, & ab eisdem simul, aut successiuè absolueretur, vnam tantùm reciperet gratiam. Ad instantiam Card. de Lugo, licet assumptum in causis physicis verificetur, non tamen semper in moralibus, quia ad multiplicationem causæ in genere moris non sequitur necessariò multiplicatio effectus; vt si duo baptizent, vel vngant, vel absoluant, vnum effectum, non plures haberet suscipiens; ità de speciebus illis in eo casu dicendum est, quæ habent modum vnius ex vnica sumptione, estò sint physicè plures, tunc enim ad vnum effectum ordinatur in suscipiente; Et licet sumptio sit solùm conditio causandi in sacramento, adhuc multum refert, quod sint plures, vel vna, nam in moralibus attendenda est voluntas legislatoris; si enim cum aliqua conditione, & circumstantia decernat aliquid pro aliquo effectu, vel fine, illa conditio, & circumstantia determinat effectum, & finem; Quia ergò specierum sumptio pro causatione gratiæ est necessaria conditio, si est decreta quælibet sumptio, & cuiuslibet speciei, semper causabitur gratia; si verò non quælibet, & quarumlibet, sed quando habet rationem vnius, vt de facto hoc sacramentum est institutum, tunc vna causabitur gratia, vt benè discurrit Brancatus in solutione huius difficultatis disp. 17. art. vlt. in fine.

70 Quartò arguitur probando vnitatem numericam huius sacramenti non pendere ex physica continuatione, sed ex morali specierum coniunctione, nam plures contritiones, & confessiones physicæ possunt facere vnum numero pœnitentiæ sacramentum, vt si ponamus hominem accedere ad confessionem cum duplici actu doctoris, & singula peccata bis confiteri, in tali casu ex parte materiæ sunt partes, quarum singulæ sufficerent ad vnum sacramentum; ergò plures quoque sumptiones physicæ poterunt vnam moralem numero sumptionem, vnumque sacramentum facere; consequentia probatur, quia eodem modo actus isti & illi videntur se habere ad hæc sacramenta. Confirmatur ex paritate conuiuij, in quo licet de eodem cibo, puta pane, vel carne plures sumatur, vnus tamen dicitur cibus, vnaque sumptio, ex qua vnitate morali vnum dicitur conuiuium, ergò pluralitas sumptionum eiusdem cibi Eucharistici facit vnam moralem sumptionem, & vnum sacramentum, quia est vnum conuiuium, & vnam refectionem. Tandem negari non potest Sacerdotem tres partes hostiæ, quam diuidit in missa, successiuè sumentem, vnum tamen suscipere sacramentum; & quidem ista vnitas aliundè attendi non potest; nisi ab vnitate morali sumptionum, quia scilicet omnes illæ sumptiones ad vnum conuiuium ordinantur, & vnam refectionem.

Respondetur negando consequentiam; ratio disparitatis est, tùm quia Eucharistia est sacramentum permanens, reliqua vero consistunt in applicatione, & vsu, & tunc primum, & solùm habent esse; tùm quia in pœnitentia omnia illa peccata repetita sunt vna integra materia, & vnica accusatio, quæ subijcitur absolutioni; in Eucharistia verò, licet cùm plures partes specierum inuicem continuatæ consecrantur, constituant vnum numero sacramentum, vt accidebat in Pœnitentia; tamen vel si plures discontinuatæ consecrentur, vel vna consecrata diuidatur in plures, constituunt necessario plura numero sacramenta, siquidem & in qualibet ipsarum reperitur tota ratio Eucharistiæ, & applicari potest separata ab alia, & conferre gratiam numero distinctam distinctis subiectis, vel eidem diuerso tempore. Ad confirmationem negatur consequentia, quia vt dictum est suprà, in sacramento Eucharistiæ alia est ratio conuiuij, & refectionis spiritualis, quæ ei conuenit in vsu, alia est ratio sacramenti, quæ ei conuenit etiam in esse permanenti; vndè licet vnitas moralis plurium sumptionum constituar vnum conuiuium, & vnam refectionem spiritualem, non tamen vnum sacramentum; dicitur autem sumptio plurium specierum vnica communio, tùm quia vna actione morali celebrata est sine morali interruptione, tùm quia per eam vnica gratia confertur. Ad vltimum negatur assumptum, quamuis enim tunc sacerdos vnicam tantùm dicatur spiritualem recipere refectionem, adhuc tamen tria dicitur sumere sacramenta in rigore metaphysico, quia tres suscipit species distinctas, & separatas; neque id negari potest, si semel conceditur Eucharistiam esse signum sensibile, multiplicato enim signo sensibili eucharistico, multiplicatur etiam Eucharistia, sicut multiplicatis signis sensibilibus baptismalibus, multiplicatur baptismus, & sic de alijs.

Dices hinc sequi, quod in quot particulas diuideretur hostia, quam aliquis suscepit, tot etiam gratiæ portiones reciperet, quia quælibet ex illis particulis nata est ex se conferre tantam, vel tantam gratiam, si sola sumeretur. Negatur consequentia, vt enim dictum est suprà aliud requiritur ad constituendum vnum numero sacramentum, aliud ad conferendam multiplicem numero gratiam; ad primum enim satis est, quod sit diuersum numero signum, & potens sit quantum est ex parte sua conferre gratiam; ad secundum verò id non sufficit, sed prætereà requiritur diuersa applicatio moralis per diuersam actionem moralem; quarè licet quando sumuntur duæ hostiæ, sumantur duo sacramenta; tamen quia sumuntur eadem sumptione moraliter continuata, fit vt vna integra sumptio reputetur, & consequenter vnico præmio, & gratia digna; quod totum pendet ex institutione Dei, vt suprà dictum est, quia ad hoc, vt per hoc sacramentum conferatur gratia, voluit requiri, tanquam conditionem quandam, vel applicationem, talem actionem moralem.

Quintò tandem obijcitur, vnitas Eucharistiæ non est vnitas continuitatis, sed integritatis, vt dictum est, ergò ad constituendum vel vnum, vel multiplex numero sacramentum, non est recurrendum vel ad continuationem, vel ad diuisionem specierum sacramentalium. Confirmatur, quia ex speciebus panis, & speciebus vini constituitur vnum numero integrum sacramentum vt dictum est n. 64. ergò multò magis constituetur ex duabus, aut pluribus speciebus solius panis siquidem hæ magis inter se conueniunt, quam illæ. 72

Respondetur esse quidem vnitatem huius sacramenti vnitatem integritatis, sed nihil prohibet hanc sæpè multiplicari numero per solam partium discontinuationem, nam hoc videmus accidere tùm in naturalibus, vt in ligno diuiso in partes, & sic de alijs: tùm in artificiatis, & non habentibus physicam continuationem, vt in numeroso aliquo exercitu, licet enim sit vnus vnitate integritatis, tamen si in duas partes æquales diuidatur, constituuntur duo exercitus numero; item in refectione, licet enim ea continuata per longum tempus sit vnica refectio, tamen si per horam v.g. discontinuetur, moraliter censetur duplex refectio, itaut talis interruptio ieiunium impediat; itaque simili modo licet ex pluribus speciebus constituatur vna numero refectio, tamen cùm hæ sint discontinuatæ, constituunt plura sacramenta. Ad Confirmationem negatur

sequentia, sicut enim in physicis ex corpore, & anima rationali fit vna perfecta humanitas, ex duplici autem anima rationali non item, licet magis conueniant; ità licet ex speciebus panis, & vini constitui possit vnum numero sacramentum, non tamen ex pluribus speciebus solius panis; ratio disparitatis est, quia per species panis, & vini simul non multiplicatur eadem ratio idest integra ratio sacramenti expressa per modum cibi, & potus, quam simul sumptæ significant, sed potius integratur, at per plures species panis non integratur vna tertia ratio, sed eadem multiplicatur, siquidem tota ratio, quæ est in vna specie, reperitur in alia sub diuersa numero realitate.

QVÆSTIO TERTIA.

An Panis, & Vinum sit materia necessaria, ex qua conficiatur Eucharistia.

73 POstquam in præcedentibus tractatum est de materia proxima permanente, ex qua constat hoc sacramentum; nunc de remota transeunte, ex qua conficitur, est agendum, quæ duplex est, altera ex qua conficitur corpus, altera ex qua conficitur sanguis; dicitur autem materia remota Eucharistiæ panis, & vinum, quia vt suprà diximus ex Scoto 4.d.8.q.1. in eo præsertim hoc sacramentum à cæteris differt, quod vbi in fundamento aliorum sacramentorum concurrunt materia, & forma, vt partes intrinsecæ, & essentiales illa constituentes; in huius sacramenti substrato nec materia, nec forma propriè acceptæ reperiuntur; quod enim significationem Eucharisticam fundat, quæ est ratio formalis sacramenti, sunt præcisè species ipsæ sensibiles, siuè accidentia panis, & vini; vndè panis, & vinum propriè loquendo potius consecrationis materia sunt dicenda, quàm sacramenti Eucharistiæ, vt supra dictum est de verbis, quod potius sunt forma consecrationis, quàm ipsius sacramenti; quoniam tamen consecratio est inchoatio, & fieri Eucharistiæ, hac ratione panis, & vinum dici quoque possunt materia Eucharistiæ, non quidem proxima, sed remota; de qua re agemus cum Scoto *4.d.11.part.2.q.6.& 7.* breuiter tamen cùm sit res potiùs ad moralem spectans Theologiam, quàm ad scholasticam, & primò agemus de materia corporis, seù ex qua conficitur corpus, deindè de materia sanguinis. Suppono autem in præsenti ex Concilio Lateranensi, Florentino, & Tridentino à Recentioribus passim relatis materiam remotam Eucharistiæ omninò necessariam esse panem, & vinum, quod etiam constat ex perpetua traditione, & vsu Ecclesiæ, quæ nunquam in alia materia consecrauit exemplo Christi Domini, qui corpus suum in pane, & sanguinem suum in vino consecrauit, vt constat Matth. 26. Marci 14. Lucæ 22. & 1. ad Corint. 11. dicuntur autem materia huius sacramenti panis, & vinum, non quidem accipiendo materiam rigorosè pro parte intrinseca permanente in composito, sed minus propriè pro opposito corrupto, siuè pro termino à quo, eo modo quo dicimus lignum esse materiam combustionis; sic inquam, panis, & vinum dicuntur huius sacramenti materia, quatenus ex illis veluti ex terminis à quibus desinentibus, siuè vt ex terminis corruptis corpus, & sanguis Christi sub speciebus panis, & vini fiunt. Nunc igitur breuiter explicandum est, qualis debeat esse hic panis consecrandus, & quod, vel quale vinum, quod præstabimus duobus articulis sequentibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Qualis esse debeat panis consecrandus in corpus Christi.

74 MOuetur hæc difficultas, quia hoc nomen panis dicitur à pascendo, est enim cibus, qui cum alijs omnibus comedi solet; quia autem panis ex varijs rebus fieri solet, nempè ex arborum fructibus, vt castaneis, ficubus, amigdalis &c. secundò ex oleribus, & leguminibus, putà fabis, cicere, & similibus; tertiò fit ex granis, quæ sunt variæ frumenti species, frumentum enim dicitur omne granum quod habet aristas, putà tritico, hordeo, milio, auena &c. hinc oritur difficultas, an quicumque panis ex quocumque frumenti genere sit sufficiens consecrationis materia, an necessario debeat esse panis triticeus, seù ex tritico confectus.

Primò itaque Dicendum est materiam consecrationis corporis Christi necessariò esse debere panem triticeum. Hæc assertio apud omnes Catholicos est certa, & expresse deducitur ex Concil. Florent. tùm sess. vlt. antè literas vnionis, vbi interrogati Græci à Pontifice de materia Eucharistiæ respondent his verbis, de pane siue azimus siuè fermentatus fuerit, Græci non curant, dummodo ex triticeo constet, quibus acquiescunt latini; Tùm ex ipsis literis vnionis, in quibus definitur in pane triticeo conficiendum esse corpus Christi; Tùm denique in decreto Eugenij, quod habetur post sess. vlt. in qua definitur materiam Eucharistiæ esse panem triticeum, & vinum de vite, cui modicissima aqua debet admisceri. Nec sufficit, si quis dicat assignari quidem à Concilio pro materia Eucharistiæ panem ex tritico, non tamquam is solus sit materia, sed quia est materia certior, & præstantior, neque enim in dictis Concilijs est vlla particula exceptiua, ex qua colligi possit Eucharistiæ materiam ad solum panem triticeum restringi, Non sufficit inquam, tùm quia verba illa Græcorum, quæ à Concilio admissa fuere, *dummodò ex tritico constet*, habent vim excludendi alios panes, qui non sunt ex tritico; Tùm quia eodem modo in Concil. Trid. & *sess.7.can.2.* Florentino in decreto citato definitur materia baptismi esse aqua vera, & naturalis, nulla addita exclusione aquarum artificialium, quo definitur panis triticeus esse materia Eucharistiæ *loc. cit.* Item sine particula exclusiua à Concil. Trid. *sess. 14.* definitur oleum esse materiam extremæ Vnctionis, & à Concil. Flor. definitur vinum de vite esse materia consecranda in sanguinem.

Nec etiam respondere valet, Concilium Florent. verbis illis significasse solùm panem triticeum esse de necessitate 75
præcepti, non verò de necessitate sacramenti. Non valet, quia de aqua naturali, quæ à Concilijs Trid. & Florent. eodem modo definitur esse materia baptismi, dici non potest, quod sit solùm necessaria necessitate præcepti, & non sacramenti; Tùm quia eodem modo definitur ibi panis triticeus esse materiã corporis, quo vinum de vite esse materiam sanguinis; sed hæc est materia necessaria simpliciter non solùm ratione præcepti, sed etiam sacramenti; ergò & illa. Tùm quia hac solutione semel admissa, nihil certi ex Concilijs haberi posset de materia ad valorem sacramentorum necessaria, quicquid enim necessarium esse dicunt, de sola necessitate præcepti posset explicari; Tùm quia hæc censetur apostolica traditio, quam Ecclesiastica auctoritas confirmauit, vt testatur Catechismus Romanus; Ratio denique colligitur ex ipsa Christi institutione, qui hoc sacramentum constituit in pane vsuali, & cui primariò conuenit ratio huius nominis, sed panis vsualis fit ex tritico, nam omnis alius substituitur in defectum eius, & nomen panis primario conuenit triticeo, reliquis cum addito, vndè nec panis simpliciter dici solent, sed cum addito, nempè panis ordeaceus, panis ex milio &c.

Sed Dices, per hoc, quod Christus in vino albo, vel rubeo consecrauerit, non sequitur aliquod illorum esse materiam necessariam necessitate sacramenti; ergo admisso etiã, quod in pane triticeo consecrauerit, non necessariò deducitur solùm panem triticeum esse huius sacramenti materiam. Confirmatur quia institutio Eucharistiæ facta est à Christo in pane vsuali, vt facile posset ab omnibus haberi hoc sacramentum, sed panis vsualis non est tantùm triticeus, sed aliquando triticeus, aliquando hordeaceus pro regionum, & locorum diuersitate. Demum, quia *cap. Firmiter* de summa Trin. & fide catholica, & *cap. cùm Marthæ* de celebratione missarũ, & *cap. in sacramento* de consecratione *dist.2.* solùm habetur panem esse huius sacramenti materiam; & ex fide catholica, & sacra scriptura plus haberi non potest de ista materia, nisi quod sit panis de vero frumento productus; at teste Isidoro lib.17.cap.3. frumentum in plus se habet, quàm triticum, nomine enim frumenti veniunt omnia semina, quæ habent aristas, cuius vulgatæ species sunt triticum, siligo, far, spelta, & hordeum, ergò huius sacramenti materia non est ad panem triticeum restringenda; præsertim quia frumentum est vniuocum ad omnes prædictas species; ergò & panis ex ipsis confectus, sicut quia omne vinum de uite est uniuocum, quodlibet sufficit.

Respon-

76 Respondetur negando consequentia, nam tàm vinum album, quàm rubrum in communi ratione vini simpliciter, & absolutè conueniunt, at quilibet alius panis à triticeo non est simpliciter panis, sed cum addito; vndè paritas solùm in hoc valet, quod sicut ex facto Christi in consecratione calicis apertè colligitur solum vinum vitis esse materiam, siuè sit huius, siuè illius speciei; ità etiam ex eodem colligi debet panem consecrandum in corpus debere esse triticeum, siuè sit huius, siuè illius speciei tritici. Ad Confirmationem dico institutionem Eucharistiæ esse factam in pane simpliciter, & ex se vsuali, & qui absolutè, & primario est panis hominum, non autem in vsuali per accidens, quales sunt alij panes, qui ob penuriam tritici, & quasi per accidens inducti sunt in alimentum hominum; Quarè si in aliquibus regionibus non reperitur triticum; vel asportari debet, sicut ex India in Italiam asportatur balsamum ad conficiendum chrisma, & in alias regiones asportatur oleum pro extrema Vnctione, & vinum pro conficienda Eucharistia; vel certè non est facienda consecratio præsertim cùm realis Eucharistiç sumptio non sit necessaria, nisi de necessitate præcepti. Ad vltimum negatur consequentia quia quilibet alius panis à triticeo non est simpliciter, & absolutè panis, sed cum addito, vt dictum est, ideoque materia huius sacramenti, quæ est panis simpliciter, & absolutè acceptus, rationabiliter ad panem triticeum est restringenda, vt declaratum est in Concilijs Florent. & Triden. Similiter iuxta sacræ Scripturæ, & Patrum intelligentiam frumentum absolutè sumptum conuertitur cum tritico, & à quocunque grano distinguitur, quod triticum non est, atque ideò cùm iuxta Concilia, & sacros Canones materia huius sacramenti sit panis ex tritico confectus, non est ad aliquod frumenti genus amplianda, quod frumentum simpliciter, & absolutè non sit, sud solùm cum addito, cuiusmodi est quodcumque aliud frumentum, quod non est triticum; Ad consequentiæ probationem, vel absolutè negandum est frumentum esse physicè vniuocum ad omnes prædictas frumenti species, cum illa grana non dicantur frumentum, nisi cum addito; vel admissa etiam vniuocatione physica, non est tamen vniuocum moraliter, eo quod pro pane vsuali venit solus triceus, dispar autem ratio de vino, quia quodlibet vinum de vite, non solùm physicè, sed etiam moraliter, & in ordine ad humanum vsu est vniuocè vinum.

77 Ex quo facilè solui possunt quæstiones quædam de quibusdam frumentis, de quibus Doctores dubitant nùm conueniant in communi genere tritici, & ex consequenti, an sint materia apta ad consecrationem, an scilicet panis ex siligine confectus, vel ex spelta, vel ex farre sit materia sufficiens consecrationis, nam ex præmissa doctrina talis regula generalis statui potest, vt Gauatius aduertit *disp. 6. q. 2. cap. 1.* in fine, illas præcisè frumenti species materiam consecrationis panis idoneam constituere, de quibus certum est, quod sint verè species tritici; quando autem materia est dubia, debere Sacerdotem à consecratione abstinere, quia hoc sacramentum non est necessitatis. An autem confici possit in pane permixto de tritico, & alijs granis, & hæc regula generalis assignari solet vt notat Astesanus noster part. 1. suæ summæ lib. 4. tit. 9. de materia Eucharistiæ, quod aut est tanta permixtio, quod trahitur triticum ad speciem alienam, vt quia virtus extremi est prædominans, vel ad medium, vt quando est æqualis, & tunc in eo non potest confici; aut manet adhuc species panis triticei vt quando virtus tritici præponderat, & sic potest; quando autem ità sit, ex accidentibus, scilicet ex sapore præcipuè cognoci potest, quia accidentia magnam partem conferunt ad cognoscendum quod quid est.

78 Secundò Dicendum est solum panem triticeum aqua naturali confectum esse materiam huius sacramenti idoneam; Est Scoti *quæst. 6. cit.* ab initio, vbi ait ex hac etiam farina scilicet triticea aqua elementari coagulata debet panis formari, & est communis Theologorum; ratio est, inquit Doctor, quia ità supponitur panem illum fuisse formatum, quo vsus est Christus consecrando; tùm etiam quia panis communis, & vsualis, quo vtuntur homines, solum fit ex materia triticea, & aqua naturali; Ex quo infertur, quod panis confectus ex farina, lacte, oleo, aut alio simili liquore coagulata non est idonea huius sacramenti materia, quia re vera non est panis, sed aliud genus massæ, seu placentæ. Idem dicendum est, si farina sit coagulata ex aqua rosacea, aut alia simili artificiali, nam sicut necesse est, totam farinam, vel saltem maiorem eius partem esse triticeam; ità pariter opus est, totam aquam, vel saltem maiorem eius partem esse naturalem, si enim modica aliqua quantitas alterius aquæ misceatur, non mutabit substantiam, verisimile enim est hanc paruam quantitatem ab alia maiori parte conuerti, adiuncta præsertim concoctione.

Caietanus tamen *q. 74. art. 7.* affirmat panem ex aqua rosacea confectum esse materiam sufficientem huius sacramenti, quia hic panis est eiusdem speciei cum alio triticeo, siquidem aqua non permanet intrà substantiam panis, sed tota resoluitur per decoctionem; tùm quia licet aliquid maneat, tamen potissima substantia illius mixti est farina quæ eiusdem rationis manet, & in suam naturam trahit humorem illum; idem sensit Poncius ex nostris *disp. 44. q. 3. num. 21.* vbi dicit se non videre prorsus, cur talis panis non esset materia sufficiens, nam talis panis ex communi sensu est panis triticeus, nec determinatur aliud de materia, quàm quod sit talis, sine vlla mentione de aqua. Oppositum tamen sentiunt omnes, & docet Ecclesiæ vsus, nam in primis est satis probabile mixta illa specie physica, & substantiali differre, quia alterum miscibilium, nempè aqua rosacea, diuersum est ab aqua naturali, vt ex varijs qualitatibus deducitur valdè diuersis, & æquè concurrit cum alio ad mixtum conficiendum, nam in magna quantitate ponitur, & est valde actiuum. Deindè quando etiam concederetur specie physica non differre, adhuc tamen non sequitur talem panem esse sufficientem consecrationis materiam, quandoquidem identitas specifica materiæ non semper satis est ad idoneitatem materiæ consecrationis corporis; nam vt statim dicemus, massa triticea cruda, & cocta sunt eiusdem speciei, & tamen vna est consecrationi apta, altera inepta, quia vna est panis vsualis, & communis, altera non; qua etiam ratione panis ex amydo confectus non censetur materia sufficiens consecrationis, siuè distinguantur specie, siuè non, quia non est panis communis, & vsualis, vndè quamuis ista non different specie physica, morali tamen different, quia vnum est in genere assumptorum ad aliquod ad placitum significandum; aliud verò non; neque alia potest assignari ratio, sicut à pari de vocibus, & alijs signis ad placitum nequit assignari ratio, cur vnum potiùs significet aliquid, quam aliud, nisi institutio, & voluntas instituentis.

Tertiò dicendum est, vt panis ex aqua naturali, & farina tricea confectus sit apta consecrationis materia, debet 79
puro igne decoqui, itaut massa cruda, quæ vulgariter dicitur pasta, non sit sufficiens materia. Hic etiam est communis omnium sensus, solent probare Thomistæ, quia pasta, & panis specie differunt, quam probationem Doctor non recipit, probabilius enim censet specie non differre, sicut neque caro cruda & cocta videntur specie differre; quia per decoctionem pastæ in furno, ait Doctor vel alio modo ab igne, non fit nisi exhalatio aquei humoris commixti cum partibus farinæ, & hæc mixtio fit per iuxta positionem, talis autem separatio non mutat speciem, quia nec etiam mixtio; Neque ex hoc, quod pasta, & panis specie non differant, sequitur pastam quoque esse posse sufficientem consecrationis materiam; quia noluit Christus, inquit Doctor, in sacramentis suis istam subtilem disputationem de differentia specifica nobis imponere, sed quod panem triticeum vsualem haberemus communiter pro materia consecrationis, itaquod sicut ait Damascenus, illud quod communiter consueuit esse nutrimentum corporale, ipsum vel simile esset nobis sacramentum institutum spirituale; hac igitur ratione probat Doctor, & Caspensis *disp. 2. sec. 1.* & alij cum ipso pastam, seu massam crudam non esse sufficientem consecrationis materiam, quia estò accidentaliter tantùm differat à pane, & massa cocta; adhuc tamen non est panis vsualis, & ad sustentationem hominis ordinatus, in quo tantum Christus consecrauit, qua etiam ratione neque massa frixa, neque elixa est sufficiens materia, quia non est simpliciter panis communis, & vsualis, sed requiritur, vt sit tosta, & assata non calore Solis, sed calore ignis, quia hæc dicitur simpliciter panis communis, & vsitatus; Vndè quantùm spectat ad punctum præsens, parum refert, quod massa cruda specie differat à pane, vel non, quia Christus Eucharistiam instituit sub forma panis ex sua natura vsualis ad sustentandum hominem, nihil cu-

rans de differentia inter massam crudam, & panem essentiali, vel accidentali, sicut in baptismo instituit aquam, vt liquidam pro materia, non verò congelatam, esto hæc ab illa specie essentiali non differat. Itaque massa triticea ad hoc, vt sit materia Eucharistiæ, debet per ignem coqui, itaut assetur, vel torreatur, siuè deindè in furno, siuè sub cineribus vel alio consimili modo, non autem elixetur, vel frigatur, alioquin non esset verus, & vsualis panis, in quo Christus consecrauit.

80 Quartò dicendum est, loquendo de necessitate sacramenti tam panem sacramentum, quàm azimum esse materiam consecrationis sufficientem. Est communis inter Catholicos, & ità docet Scotus *loc. cit.* vbi ait simpliciter tenendum esse, quod de necessitate panis consecrabilis non est, neque vt sit azimus, neque quod sit fermentatus; Probatur ex Concil. Florent. in decreto vnionis §. 2. vbi definitur in azimo, siuè fermentato pane triticeo corpus Christi veraciter confici. Deindè quia, vt constat ex traditione Ecclesiæ, Christus instituit pro materia substantiam panis tricei azimo, & fermentato communem, sicut substantiam vini communem albo, & nigro, & quidem quod panis fermentatus sit materia sufficiens Eucharistiæ patet, quia est aptissimus ad vsum sustentandi hominem, per quem vsum effectus huius sacramenti significari debet. De pane verò azimo hoc idem efficaciter probatur ex facto Christi, qui vt constat ex Matth. 26. Marci 14. & Lucæ 22. panem, & vinum consecrauit primo die azimorum, in quo Iudęis non licebat habere apud se panem fermentatum, vt patet ex Exodi 12. & 13.

Dices Christum consecrasse in fermentato, quod pluribus Græci contra latinos demonstrare conantur; ergo hic panis est necessarius necessitate sacramenti; Deindè quia panis azimus non est panis vsualis; ergo non est materia sufficiens. *Resp.* negando assumptum, quia Christus hoc sacramentum instituit 14. die Lunæ mensis primi ad vesperam, vt proba Scotus *loc. cit.* ex contextu Euangelistarum, & collatione plurium locorum sacræ Scripturæ, & post ipsum Bellarmin. Suarez, Coninch. & alij Recentiores ex communi sensu Patrum Græcorum, & latinorum; ad vesperam autem 14. diei incipiebat vsus panis azimi; & interdictus erat omnis fermentatus; Deindè dato etiam, & non concesso assumpto, adhuc negatur consequentia, quia Christus etiam consecrauit in vino vel albo, vel rubro, & tamen neutrum horum est de necessitate sacramenti, sed vtrumque sufficiens, quia vtrumque est propriè vinum, sic igitur etiam in proposito. Ad Conf. negatur assumptum, est quidem panis fermentatus magis vsitatus, quia magis sapit gustui, vterque tamen verus panis vsualis, & tantùm accidentaliter diuersi; vterque enim farina triticea, & aqua naturali conficitur, ac puro igne coquitur, nil aliud autem desiderari videtur ad constituendum panem simpliciter, & absolutè; & quidem maior diuersitas reperitur inter vinum album, & rubrum, quàm inter panem azimum, & fermentatum, & tamen illorum vtrumque est materia sufficiens consecrationis, ità igitur etiam de pane dicendum erit.

81 Quintò tandem dicendum est, quod loquendo de necessitate præcepti tenentur Latini consecrare in pane azimo, & Græci in fermentato iuxtà diuersum ritum Ecclesiæ Latinæ, & Græcæ. Hæc etiam est communis Theologorum, & colligitur ex Flor. cit. definiente in alterutro pane, scilicet, azimo & fermentato corpus Domini conficere debere vnumquemque iuxtà ritum suæ Ecclesiæ, siuè Occidentalis, siuè Orientalis; quo loco particula illa *debere*, indicat obligationem præcepti seruandi consuetudinem propriæ Ecclesiæ, vndè Catech. Romanus dicit nulli licere priuata auctoritate, aut potius temeritate Ecclesiæ suæ ritum immutare, ex quo deducitur, quod Græcus Sacerdos non tenetur in conficienda Eucharistia conformare se consuetudini Ecclesiæ Latinæ, quia Ecclesia Latina ità concessit in Conc. Flor. cit. Hinc Recentiores quidam Scotum redarguunt, eo quod q. 6. cit. in fine dixerit Græcos fortè grauiter peccare, quia consecrando in fermentato non se conformant Ecclesiæ Petri, hoc est, Romanæ, quæ consecrat in azimo; eo quod Christus sic consecrauerit. Sed aduertere debebant Doctorem non absolutè id dixisse, sed cùm particula, *fortè*, deindè Scotum scripsisse antè tempora Concilij Florentini, quando res hæc dubia erat, & Græci consecrando in azimo pro Schismaticis habebantur; Tandem, vt hic aduertunt Hiqueus, & Gauatius, Doctor ait Græcos fortè peccare, non quia in fermentato conficiant, sed quia etiam sic consecrando de Romanæ Ecclesiæ licentia non se illi conformant, conficiunt enim in fermentato, non quia illis ab Ecclesia Romana conceditur, sed quia id necessarium putant necessitate sacramenti, culpantes Latinam, quasi erret consecrando in azimo; & hoc clarè colligitur ex ipso Scoti contextu, cùm enim in principio dubij huius errorem Græcorum retulisset dicentium necesse esse in fermentato conficere necessitate sacramenti, & propterea Latinos non conficere, dùm consecrant in azimo; hinc tandem concludit Græcos fortè peccare, non se conformando Ecclesiæ Petri; contemptum ergò hunc culpat Doctor, non verò ritum absolutè, cùm aliàs ritum Græcorum approbet in forma baptizandi docens necessitate Ministri quemlibet sequi debere suæ Ecclesiæ ritum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quod, & quale vinum sit materia sufficiens consecrationis calicis.

Primò dicendum est solum vinum de vite, esse aptam materiam ad consecrationem sanguinis Christi; est cōmunis assertio omnium Catholicorum, & Scoti *q. 6. cit. §. ad secundam quæstionem*, & ratio principalis, inquit Doctor, deducitur ex Christi institutione Matth. 26. qui cùm vinū consecrasset illis verbis, *hic est sanguis meus*, statim subiunxit verba illa, *non bibam amodo de hoc genimine vitis*, & idem habetur Marci 14. Quod si hæc verba fuerunt à Christo prolata antè consecrationem, vt quidam volunt, adhuc tamen ex ipsis eodem modo constat vinum ex vite fuisse in ea mensa propositum, & Christi verbis consecratum, & institutum ad efficiendum sanguinem Christi, vt in eum locum præsertim notarunt Chrys. *hom. 83. in Matth.* & Cyprianus *lib. 2. ep. 3.* Idem etiam definitum est in pluribus Concilijs, scilicet, in Anrelianensi 4. c. 4 Lateranensi *de summa Trinitate, & fide catholica c. firmiter* Florentino in instructione Armenorum in decreto Eugenij, *Tertium est Eucharistiæ sacramentum, cuius materia est panis triticeus, & vinum de vite*, Trid. *sess.* 13. *can.* 2. Declarat etiam Doctor hoc vinum esse debere de vua expressum, quamdiù enim liquor est in vua tantùm, habet magis rationem comestibilis, quàm potabilis; vndè mustum ex vuis maturis expressum esset quidem in rigore materia valida, quamuis aliqui de hoc dubitent, non esset tamen conueniens, donec sit purum, & sufficienter concoctum, eo quod mustum semper habet aliquam imperfectionem, & mixtionem alterius rei; in casu tamen necessitatis non esset peccatum in musto consecrare, vt patet ex *c. cum omne crimen de consecr. d.* 2. 82

Ex quo sequitur nullum alium liquorem à vino vitis esse materiam sufficientem, atq; adeò excluduntur primò vina, quæ non sunt vitis, putà ex pomis, malogranatis, moris, frumento, & similibus, quę non sunt vinū de vite, & vinum appellantur, eo quod colorem vini referant, & similitudinē, & ad modum vini conficiantur; secundò liquores aliqui, qui licet sint ex vuis, non tamen sunt vinum vsuale, putà agrestis, sapa, aquatum, acetum, si iam propriè sit acetum, tunc enim specie differt à vino, vt ex vtriusque diuersis affectionibus, & proprietatibus constat; nam si sit vinum, quod solùm incipiat acescere, esset adhuc materia sufficiens, sed non conueniens, vndè conficiens in illo peccaret; non sufficit aquatum, vel vt alij dicunt, lora, quia nec simpliciter vinum dici potest, nec vini substantiam habet, cùm fiat ex maceratis aqua vinaceis post mustum ex acinis expressum; Vbi tamen fieri solet vinum cum aliqua aquæ infusione, vel in musto, vel in racemis antequam exprimantur, ex vigore vini iudicandum est, & proportione aquæ, an talis potio vini substantiam retineat; & interdum potest esse materia dubia, quoad valorem, vel saltem illicita quoad vsum, quod quidem peritorum arbitrio discernendum est. Tertiò tandem excluditur à materia apta calicis vinum in pane imbibitum, quia tale vinum non habet rationem potus, qualis esse debet materia calicis; quamuis si post consecrationem imbibatur, conseruabitur ibi sanguis Domini, donec vini species siccentur, & simpliciter corrumpantur, quia quoad hoc plus requiritur ad consecrandum, quam quoad conseruandum; & ratio est, quia in consecratione debet verificari pronomen, quo sanguis per pronomen *Hic* demonstratur per modum spiritualis potus; facta autem semel consecratione, 83

tione talis demonstratio non est amplius necessaria, sed sufficit, si tantùm retineat species vini.

84 Secundò dicendum est, vinum quoque congelatum esse sufficientem consecrationis materiam. Hæc est contrà Alanum, Ledesmam, Armillam, Henriquez, Nugnum, & alios paucos id negantes, quia vinum dùm congelatur videtur substantialiter immutari, vel si in eadem substantia vini permaneat, tamen in tali dispositione non est materia potabilis, quarè sicut inclusum in acinis, vel in pane imbibitum non erat aptum consecrationi, ità neque gelatum: Tum quia sicut aqua congelata non est ad baptismum idonea, quia non est apta ad ablutionem; ità nec vinum congelatum ad Eucharistiam, quia non est aptum ad potum; Assertio tamen posita est communis aliorum, & probatur ex oppositis fundamentis, quia vt docet Scotus 4.d.12.qu.4. vinum condensari potest, & rarefieri subsistente Eucharistia, quia rarefactio, & condensatio substantiam vini non destruunt, sicut congelatio aquæ, olei, & cuiuscunque alterius liquoris fluxibilis non destruit præfatos liquores, vndè si post consecrationem accidat congelatio, adhuc permanet ibi sanguis Christi, vt habetur in rubrica Missalis, & similiter si vinum congelatum liquefiat, potest optimè consecrari, ex quo manifestè deducitur per congelationem vinum substantialiter non immutari, sicut nec alios liquores fluxibiles. Tùm quia vinum congelatum adhuc per se quidem, & ex natura sua est materia potabilis, licet per accidens in tali statu, & dispositione commodè potari non possit: quia etiam in tali statu licet deglutiendo potari non possit, potest tamen non potari sugendo, ac etiam si diminutum deglutiatur, potius se habet vt potus, quàm vt cibus, & magis sumitur ad extinguendam sitim, quàm famem, & hinc est, quod ità sumptum non soluit ieiunium Ecclesiasticum, quod tamen cum solueret, & hoc non alia ratione, nisi quia vua per se habet rationem cibi, vinum verò gelatum potus; Et hinc est, quod etiam in eo statu benè demonstrari potest per pronomen, *Hic*, & posset etiam benè vocari hic potus: vndè non est eadem ratio de vino gelato, & eodem in acinis incluso, vel in pane imbibito: Et tandem valdè differt à materia baptismi, ad aquam aqua gelata deseruire non potest, quia ibi materia proxima est ipsa actualis ablutio, sed hic non est ipsa actualis potatio, sed vinum per se potabile, ac demonstrabile; per quod remanent opposita fundamenta soluta; Adhuc tamen verum est, quod esto in vino gelato possit fieri valida consecratio, tamen grauiter peccaret, qui ità consecraret propter irreuerentiam, licet etiam non desinit, qui id negent vt videri potest apud Suarez *disp.45. sec.1.*

85 Tertiò Dicendum est in calice cum vino aquam esse miscendam in parua quantitate talem tamen mixtionem nõ esse necessariam necessitate sacramenti. Hæc etiam est communis inter Catholicos, & Scoti *loc.cit.* & quidem quod in consecratione calicis aqua sit apponenda, in pluribus Concilijs definitum est Toletano, Cartaginensi, Bracharensi, & in Florentino in decreto Fidei, vbi ait materiam calicis esse vinum, cui aqua modicissima admisceri debet, & tandem in Trid. *sess.22.c.7.& can.9.* quarè omnes conueniunt in nullo casu Sacerdoti licere aquam omittere; & si omittat, grauissimè peccare, ideoque si antè consecrationem aduertat, aquam non miscuisse, tenetur semper illam apponere; Quod autem huiusmodi mixtio non sit necessaria necessitate sacramenti ex eisdem etiam Conc. colligitur: consultò enim dixit Flor. *materiam esse vinum, cui aqua antè consecrationem sit miscenda*, non autem dixit esse vinum, & aquam, vel mixtum ex vino, & aqua, sed tantùm dixit vinum, vbi de sacramento Confirmationis loquens absolutè dixit materiam illius esse oleum balsamo mixtum: Accedit, quod idem Conc. præcipiens Armenis seruare hunc ritum miscendi aquam vino, ait hoc faciendum esse propter conformitatem Ecclesiæ non propter veritatem sacramenti. Idem expresse deducitur ex Trident. quod tota *sess.* 13. de hoc sacramento tractans quoad omnes sui partes, nunquam de aqua verbum facit, sed solùm posteà *sess.*22. dicit misceri debere ex Ecclesiæ præcepto: Qua de causa in regulis Missæ notatur, quod si Sacerdos post consecrationem aduertat se aquam vino non infudisse, non debere amplius infundere, & Cat. Rom. *trac. de Eucharistia*, docet, quod si aqua desit adhuc sacramentum consistit, & validum est. Denique nullum afferri potest fundamentum alicuius momenti, quod aqua sit materia necessaria consecrationis calicis, nisi quia fert traditio Ecclesiæ Christum in hunc modum consecrasse, scilicet adhibita mixtione aquæ cum vino; sed hæc ratio non vrget, alioquin si omnia, quæ tunc Christus adhibuit, essent de necessitate sacramenti, ergò etiam panis azimus, & qualitas vini albi, vel rubri essent sic necessaria; quod nemò dicit: quia Christus voluit essentialia solùm, quæ substantiam actionis concernebant, qua sacramentum corporis, & sanguinis sui instituit; in solo autem vino substantia consecrationis perfectè saluatur quia maximè aptum ad significandum per modum potus spiritualis Christi sanguinem.

Sed obijcies, Christus consecrauit vinum aqua permixtum, vt docent SS. Iacobus Apost. & Marcus Euang. in suis Liturgijs, & Clemens Papa *lib.8.Const.c.12.* & Patres communiter: sed post consecrationem dixit hoc facite in meam commemorationem; ergò instituit pro materia huius sacramenti vinum aqua permixtum; Consequentia probatur à simili, nam ex eo Doctores collegerunt panem esse necessariam materiam ad consecrationem in corpus Christi, quia Christus cùm panem consecrasset dixit, hoc facite in meam commemorationem; ergò cum post consecrationem vini aqua permixti dixerit eadem verba, debemus dicere tale vinum esse de necessitate sacramenti. *Resp.* ex superius dictis, verba illa Christi, hoc facite in meam commemorationem, referenda esse tantùm ad actionem proximam consecrandi substantiam panis, & vini, de qua actione loquuntur Euangelistæ; non autem ad actionem remotam, per quam vino admixta fuerat aqua ad hoc, vt conuersa prius in vinum deindè conuerteretur in sanguinem, de qua actione Euangelistæ non loquuntur; Ex quibus patet nullam esse necessitatem, ob quam verba illa intelligantur de remota illa actione admiscendi aquam, sicut nec ex eo, quod Christus consecrauit in azimo, vel ex vino siuè albo, siuè rubro, & non in vtroque & posteà dixit hoc facite &c. licet inferre, vel solum azimum, vel solum alterutrum vinum esse materiam sufficientem consecrationis. 86

Quartò dicendum est, prædictam aquæ mixtionem esse tantùm de necessitate præcepti, & ecclesiastici tantùm, non verò diuini. Hæc etiam est Scoti *l.c.* & magis communis Theologorum contra quosdam Recentiores dicentes, esse ex præcepto diuino: Et probatur ex eisdem Conc. iam citatis, in Flor. enim decernitur, vt Armeni debeant aquam admiscere, quia omnes Ecclesiæ ab initio hoc seruauerunt, & seruant, & inconueniens est, vt aliqua regio discrepet ab hac vniuersali obseruatione: quibus Concil. verbis satis apertè indicatur necessitatem faciendi talem admixtionem peti ex consuetudine Ecclesiæ, ac proindè præcepti Ecclesiastici cum consuetudo vim habeat legis. Deindè quia Concil. Trid. *sess.22.cit.c.7.* expressè dicit præceptum esse ab Ecclesia, vt Sacerdotes in vino consecrando aquam misceant, quo loquendi modo Conc. non obscurè indicat, non esse in Ecclesia cognitionem diuini præcepti circa hanc rem. Nec valet cum relatis Recentioribus respondere noluisse prædicta Concilia decernere, an id esset de præcepto diuino. Non valet inquam, quia vrgebat occasio, vt id decernerent, si tale præceptum adesse censuissent; Tridentinum enim in illo capite Sacerdotibus inculcat strictam obligationem huiusmodi mixtionis aquæ cum vino in consecratione calicis, vndè ad augendam obligationem vtique etiam præceptum diuinum inculcasset, si censuisset adesse; Florentinum pariter Armenos intendebat abducere ab errore consecrandi purum vinum, adducendo motiua, cur tenerentur offerre vinum aqua mixtum, inter quæ vtique diuinum præceptum præsertim proposuisset, si adesse censuisset. Denique aliundè nequit hoc diuinum præceptum deduci, nisi ex facto Saluatoris, quia scilicet, consecrauit vinum aqua mixtum, & post factum dixit, *hoc facite in meam commemorationem*: at hoc fundamentum non vrget, vt supra diximus, alioquin etiam panis azimus esset de præcepto diuino, quia Christus in eo consecrauit, & post consecrationem eadem verba dixit, sicut ergo de pane azimo præceptum huiusmodi non extat, ità neque de aqua vino miscenda; & verba illa Christi præciptiua, hoc facite &c. referenda sunt, vt diximus, ad actionem proximam tantum consecrandi substantiam vini, non autem ad remotam, per quam vino admixta fuerat aqua. 87

Sed obijciunt primò D. Cyprianus *ep. 63.* vbi expendens illa verba Christi, hoc facite in meam commemorationem, 88

qua-

qualitatem huius præcepti de aqua vino miscenda ex illis Euangelicis verbis conatur deducere, à quibus, vt ipse ait, non licet discedere. Deindè arguunt ex Conc. Cartagin. can. 24. in quo dicitur, nos esse monitos, & instructos à Christo Domino, vt calicem cum vino aqua mixto, sicut ipse obtulit, offeramus. Tandem arguunt ratione, quia Christus aquam miscuit, vt institutor, & legislator; ergo eius factum habuit vim præcipiendi.

Resp. variè explicari solere D. Cyprianum loc. cit. sed si eius verba benè perpendantur, re vera videtur verba illa, *hoc facite* &c. non solùm ad actionem consecrandi materiam sacramenti, sed etiam ad actionem miscendi aquam referre, & consequenter existimasse illam etiam fuisse à Christo præceptam; sed D. Cypriano opponimus reliquos Patres verba illa solùm referentes ad immediatam actionem consecrandi panem, & vinum, vndè etiam has tantùm substantias dicunt esse necessarias ex præcepto diuino; & quidem, si solum Cyprianum excipias, nullus est SS. Patrum, qui eiusmodi præcepti diuini mentionem faciat. Ad 2. dico ex verbis Concilij non colligi id fuisse ab ipso Christo præceptum, de multis enim rebus nos Christus instruxit; & admonuit, quæ non præcepit, præsertim cùm illa admonitio aliud non contineat, quàm quod ipse ità fecerit, & quod omnis actio ipsius sit nostra instructio, & consequenter admonitio. Ad vlt. negatur antecedens, ea enim fecit, vt institutor, & legislator, quæ sunt substantialia sacramenti, cætera nequaquam, nec quicquid Christus fecit in sacramenti huius institutione, iussit, vt deinceps Sacerdotes facerent, sed solùm quantum ad ea, quæ erant de substantia sacramenti, & ad hæc tantùm referenda sunt verba illa præceptiua, *Hoc facite*, sicut quamuis Christus consecrauit in azimo, & postea dixit, *hoc facite*, non per hoc præcepit consecrationem deinceps fieri in pane azimo, vt suprà dicebamus. Denique si Christus ipse ità iussisset, non appareret, quarè id solùm esset de obligatione præcepti, & non de necessitate sacramenti: cum ergò constet Christum hanc mistionem non instituisse, tanquam ad valorem sacramenti necessariam, vt ipsi quoque Aduersarij concedunt sequitur, vt nec etiam sub obligatione sui præcepti illam iniunxisse dicatur.

89 Quintò tandem dicendum est, hanc aquam in substantia esse debere naturalem, non artificialem, vt est rosacea, vel similis, quia illa simpliciter intelligitur nomine aquæ, & præceptum talis admixtionis potissimum est ad imitandam mixtionem à Christo factam, qui sine dubio aquam admiscuit naturalem; & in casu, quo illa deesset, nullatenus per vllam aquam artificialem suppleri potest: seù alium liquorem. Deindè huiusmodi aqua in modica quantitate adhiberi debet, nam in Conc. Flor. cit. dicitur illam esse debere modicissimam, & idem docet Ecclesiæ vsus, cui omnis Sacerdos se conformare tenetur; & ratio est, quia quælibet parua aquæ gutta, dummodò sensibilis sit, sufficit ad significationem, ad quam ritus hic deseruit; & ex alia parte, quò minor est aqua, eo commodius potest in vinum conuerti, & deindè cum ipso in sanguinem, & hæc est ratio, quam Doctor adducit *dist.* 11. *quæst.* 7. in fine, vbi ait ità modicam esse apponendam, & ità tempestiuè, vt ante consecrationem possit in vinum conuerti, quia non conuertitur in sanguinem, nisi prius sit conuersa in vinum, de quo quæst. sequenti.

QVÆSTIO QVARTA.

An aqua mista vino immediatè in sanguinem Christi conuerti possit.

90 IN hac celebri controuersia hac tempestate duplex viget sententia, Prima & quidem antiquissima negat aquam vino mistam immediatè in sanguinem Christi conuerti, & asserit mediatè tantùm conuerti, quatenus prius in vinum conuertitur per virtutem ipsius vini, ex quo sequitur conuersio eius in sanguinem; Hanc docuerunt omnes antiqui Scholastici, & Scholarum Antesignani Alensis, D. Thomas, D. Bonauentura, Scotus, cum omnibus Thomistis, & Scotistis, & sequuntur Recentiores communiter Valentia, Suarez, Vasquez, Amicus, Auersa, Orlandus, & ex nostris Aretinus, Centinus, Hiqueus, Gauarius, Brancatus, & alij quamplures. Altera sententia, & quidem nouissima, ac his temporibus inuenta dicit aquam immediatè conuerti in sanguinem, ità Aresius, Coninchius Card. de Lugo, Caspensis, Bernal, Morandus, & alij Recentiores, quibus ex parte adhæret ex nostris Poncius, qui ait probabilius esse, si auctoritatem spectes, aquam vino mixtam non conuerti in sanguinem, nisi prius conuertatur in vinum: si verò rationem spectes æquè probabile esse, quod cum vino immediatè conuertatur in sanguinem sine conuersione in vinum.

Dixi verò hac tempestate duplicem hanc sententiam vigere, nam prioribus temporibus aliæ quoque de hoc puncto extabant sententiæ modò obsoletæ, nam Innoc. Tertius *cap. Cum Marthæ de Celebratione Missarum*, tres de hac re Scholasticorum refert sententias; primam asserentem vinum, & aquam, quæ in hoc sacramento miscentur, diuina virtute mutari in sanguinem, & aquam, quæ de latere Christi profluxerunt; secundam affirmantem aquam vino mixtam transubstantiari in sanguinem prius in vinum conuersam; Tertiam docentem aquam remanere cum accidentibus vini in sanguinem non conuersam; Ex quibus tribus sententijs secundam definit esse tenendam, tanquam probabiliorem, alijs duabus reiectis; & de hac noua sententia modò à Recentioribus inuenta nec quidem verbum facit; Vndè falsum est; quod ait Brancatus *disp.* 18. *art.* 5. ab initio articuli, hanc quoque opinionem ibidem ab innocentio referri, aquam, scilicet, & vinum conuerti immediatè in sanguinem Christi; siquidem Pontifex ibidem tres solùm iam adductas memorat opiniones; & quædam alia sententia refertur ab eodem Pontifice *cap. in quadam eodem titulo*, quæ dicebat, aquam conuerti in flegma coniunctum sanguini, seù in humorem flegmaticum Christi, quia supponebat aquam illam, quæ de latere exiuit, non fuisse elementarem aquam, sed flegma; nec vnquam illius opinionis meminit, quam defendunt Recentiores citati, asserentes aquam, & vinum immediatè in sanguinem Christi conuerti; quæ proindè noua est, & his temporibus solùm inuenta.

Quoniam verò inter principes rationes, quibus *in lib. de Gen. & Cor. in quæstione de formis elementorum*, ad ostendendum primas qualitates non esse substantiales eorum formas contrà Cremoninum, ea theologica fuit ex Venerabili Eucharistiæ sacramento deducta, quoniam in hoc sacramento docemur has qualitates remanere, vbi tamen omnis substantia deperit, quam rationem adhuc magis vrgere diximus, si cum probabili sententia teneatur aquam etiam in vinum non transmutatam conuerti in sanguinem, quia tunc non sola mixti frigiditas remaneret, sed etiam elementaris aquæ; Hoc dicto Ferchius noster offensus, quod talem opinionem probabilem dixerimus; in suo libro defens. *pag.* 116. acerrimè nos redarguit, & ex instituto integram disputationem Theologicam scripsit, quam in duo capita diuisit, probans in primo capite ex auctoritatibus eam opinionem esse improbabilem, nouam, & in fide periculosam, atque suspectam, quod etiam in secundo capite decem rationibus stabilire conatur. Quoniam verò nil noui ad id ostendendum, vt ipse iactabat, profert, sed auctoritates, & rationes, quas etiam illius opinionis sectatores passim adducunt, & soluunt, præsertim Aresius, Coninchius, & Cardinalis de Lugo, nec eorum solutiones Ferchius adducit; nos in libro *Expurga tonum ab eiusdem querelis querel.* 39. ad ostendendam illius opinionis probabilitatem, & talis censuræ acritatem reprimendam, omnes, & singulas illas auctoritates, & rationes demonstramus iam anteà ab illis Auctoribus fuisse adductas, atque solutas; quorum solutiones cùm ipse nec retulerit, nec reiecerit, concludimus tandem ipsum quoque hoc procedendi modo in sua disputatione eiusdem opinionis probabilitatem tacitè falsum fuisse. Hoc, inquam, fecimus, non quia opinionem illam teneamus, & illis solutionibus acquiescamus, sed vt ostenderemus Ferchium in pugna defecisse, dùm adeò patenter Aduersariorum occursus refugit; defectum igitur Ferchij, nos in hac quæstione pro nostra tenuitate supplere tentabimus eisdem namque auctoritatibus, & rationibus communem sententiam defendemus singulas solutiones, & obiectiones Aduersariorum adducendo, & refellendo.

91

QVÆ-

ARTICVLVS PRIMVS.

Sententia negatiua statuitur.

92 Dicendum est cum prima communiori, & antiquiori sententia, aquam vino mistam non immediatè, sed tantùm mediatè in sanguinem conuerti, quatenus prius in vinum conuertitur per ipsius vini virtutem, ex quo sequitur conuersio eius in sanguinem. Conclusio est Scoti *loc. cit. dist.* 11. q. 7. in fine, dùm ait aquam ità modicam esse vino apponendam, & ità tempestiuè, vt ante consecrationem possit in vinum conuerti, quia non conuertitur in sanguinem, nisi prius sit in vinum conuersa; & est communis in vtraque schola Thomistarum, & Scotistarum. Primò itaquè probatur auctoritate Ecclesiæ, seu ratione ex ritu Ecclesiastico desumpta, qua vtitur Conc. Flor. in decreto de vnione Armenorum, & Catec. Rom. quia idcircò Ecclesia iubet, vt tam modica aqua infundatur vino, vt, scilicet, facilè eo breui tempore conuerti possit in vinum, & sic tandem conuertatur in sanguinem; alioqui si apta esset conuerti immediatè in sanguinem, non oportuisset eam sollicitè de tanta paruitate aquæ curare, quæ etiam fuit ratio Doctoris loc. cit. Nec valet dicere cum Lugo Concil. & Catec. locutos fuisse de conuersione aquæ in vinum, antequam in sanguinem, latè sumpta quoad denominationem vini prædominantis in illo composito. Non valet, quia tunc satis fuisset dicere, aquam debere esse minorem vino; cùm ergo dicant aquam debere esse modicam, quia in vinum conuerti debet, antequam in sanguinem, clarè deducitur illos fuisse locutos de vera conuersione aquæ in vinum.

93 Respondet Aresius in peculiari opusculo de hac re, vtique Conc. Flor. aliosque Patres docuisse modicissimam aquam esse apponendam, neminem tamen vnquam hanc rationem assignasse, vt aqua facilè possit in vinum conuerti, si enim hoc necessarium existimassent, addidissent etiam hanc mixtionem aquæ cum vino fieri debere multò antè consecrationem, & vinum generosum adhibendum esse, quod aquam in se conuertere posset, quæ tamen nunquam dixerunt. Sed contrà, quia vt constat ex actis illius Concilij, Pontifex eo decreto corrigere voluit, quod prouinciale Conc. Tiburiense cap. 19. statuerat, tertiam aquæ partem esse vino admiscendam: at nulla alia de causa moueri potuit Pontifex ad talem correctionem, nisi quia iudicauit aquam esse prius in vinum conuertendam, quàm in sanguinem, ac proindè præcepit modicissimam esse admiscendam, cùm facilius, certiusque sit modicissima, quàm tertiam aquæ partem in vinum conuerti. Deindè Sacerdotale tot Summorum Pontificum auctoritate approbatum, & iuxtà Conc. Trid. sanctiones auctú, & emendatum, tra. 10. primæ partis de sacram. Eucharistiæ c. 2. hoc expresè declarat his verbis, *Aqua verò quæ in calice vino miscetur, debet esse in modica quantitate, quia eam in vinum conuerti oportet.* Tandem ad hunc finem Ecclesia præcipit, vt aliquo notabili temporis spatio hæc mixtio fiat in offertorio Missæ, & nonnulli etiam propter hoc aquam miscere solent, ab initio Missæ, quod præsertim PP. Dominicani, obseruant, antè consecrationem.

94 Secundò probatur auctoritate Innocentij III. loc. cit. de celebratione Missarum c. *Cùm Marthæ* §. *quæsiuisti*, vbi vt vidimus, non solùm tanquam probabiliorem ex tribus sententijs ibi relatis illam secundam commendauit, quæ dicebat aquam prius in vinum conuerti, & indè in sanguinem: sed ne retulit quidem vllam sententiam, quæ diceret aquam immediatè in sanguinem conuerti, vt suprà dictum est; vndè statim post secundam retulit tertiam dicentem aquam in propria substantia manere; Et planè si vellet Pontifex probabilius esse aquam conuerti in vinum immediatè, vt aliqui ex Aduersarijs contendunt, potius dicere debuisset, quod nulla ex tribus relatis sententijs esset probabilis, vel probabilior, sed quarta distincta, quæ teneret, quod aqua immediatè conuertatur in sanguinem.

Respondent Pontificem illam secundam sententiam definire probabiliorem his verbis, *Verùm inter opiniones prædictas illa probabilior iudicatur, quæ asserit aquam cum vino in sanguinem transmutari*; vbi vt patet in hac sua determinatione adiungit illam rationem, ob quam Theologi secundæ sententiæ sectatores ad id sentiendum mouebantur, nempè quod aqua conuertatur prius in vinum, & posteà in sanguinem; vndè Pontifex illam secundam opinionem facit bimembrem, vt simul vtramq; contineat conuersionem mediatam scilicet, & immediatam, eamque solum approbat quatenus continet immediatam conuersionem aquæ in sanguinem. Sed planè opus non erat, quod Pontifex illam rationem secundæ sententiæ specificaret, cùm enim hæc esset præcipuum illius sententiæ fundamentum, dum declarat illam sententiam esse ex tribus relatis probabiliorem, satis constat de illa etiam esse locutum, vt tali fundamento nitebatur. Nec illam secundam sententiam potuit facere bimembrem, cùm enim nullam immediatæ conuersionis aquæ in sanguinem suprà mentionem fecerit, sed tantùm mediatæ; non potuit posteà, vt probabiliorem eam docere cuius anteà nullo pacto meminerat; Deindè si voluisset eam tantùm sententiam esse probabiliorem, quæ asserit aquam immediatè in vinum conuerti; non rectè diceret talem sententiam esse vnam ex tribus ab ipso suprà relatis, nam certè talis non esset, sed esset alia quarta sententia ab illis tribus diuersa, vt modò dicebamus; Ac tandem falsum est, Pontificem non approbasse rationem illius secundæ sententiæ, nempè aquam conuerti in sanguinem, quia prius conuertitur in vinum, eam enim sufficienter approbat lib. 4. Misteriorum Missæ c. 29. cùm inquit, quod aqua per admixtionem transit in vinum, & vinum per consecrationem transit in sanguinem, *quis enim ambigat, cum multo vino modicum infunditur aquæ*? quibus vltimis verbis approbat illius secundæ sententiæ rationem.

Respondent vlterius Aresius, Lugo, Morandus, & alij, quod quando Pontifex *loc. cit.* secundam illam sententiam refert, quam posteà approbat, *quod aqua cum vino transubstantietur in sanguinem, cum aqua in vinum transeat mixta vino*, non significari his verbis transitum naturalem, & substantialem aquæ in substantiam vini, sed solum transitum moralem iuxtà communem æstimationem, & humanum loquendi modum, ex eo quòd cum discerni amplius non possint particulæ aquæ vino permixtæ, totus potus dicitur vinum vitis. Hæc tamen expositio ipsi contextui omninò repugnat, quia Innocentius ibi apertè loquitur de illo transitu aquæ in vinum, quem aliqui Philosophorum negarunt esse possibilem, nam immediatè post verba relata subdit *licet Physici contrarium asseruerint, qui aquam in vino per artificium posse asserunt separari*: nullus autem Philosophorum fuit qui negarit aquæ particulas vino infusas moraliter; & iuxtà humanum sensum transire in vinum, quia per sensum tales particulæ discerni non possunt; loquitur ergò de transitu naturali, & substantiali aquæ in substantiam vini.

Tertiò probatur, quia ex Concilijs, & Canonibus sufficienter deducitur, materiam consecrationis in calicem esse solum vinum, aquam verò illi admisceri non vt materiam, sed solùm per modum cuiusdam ceræmoniæ ad misticam significationem tùm aquæ ex latere Christi profluentis, tùm populi cum Christo vnionis: sed non conuertitur in sanguinem, nisi materia consecrationis; vt per se patet, ergo &c. Maior probatur ex Concilio Florent. in decreto Eugenij, vbi dicitur materiam Eucharistiæ ad consecrationem sanguinis esse vinum ex vite, cui modicissima aqua admisceri debet; sed particulæ aquæ in vinum infusæ, antequam amittant naturam aquæ, & conuertantur in substantiam vini, non sunt vinum ex vite: ergo tunc huiusmodi particulæ non sunt materia Eucharistiæ: Accedit, quod cùm à Concilio vinum tantummodò prædicetur in recto de materia consecrationis, aqua verò solum dicatur admisceri debere vino, hoc ipso loquendi modo indicatur aquam non vt materiam adhiberi, sed per modum sacræ cerémoniæ.

Respondent materiam quidem per se consecrationis in sanguinem esse vtique vinum de vite duntaxat, materiam 95 tamen per accidens & ratione alterius esse etiam particulas aquæ vino permixtas, siquidem ex ipsis, & vino fit potus aptius ad nutrimentum: Concilium autem aiunt ibi loqui solùm de materia per se. Sed hoc non satisfacit, quia sicut sacramentum Eucharistiæ est per se non solum in toto sensibili, quod dicit omnes partes materiæ consecratæ: sed etiam in singulis particulis talis materiæ consecratæ: ita ratio materiæ idoneæ ad hoc sacramentum debet per se reperiri non solum in toto sensibili vini, sed etiam in singulis ipsius partibus ad hoc, vt possint in sanguinem conuerti. Deindè Concil. Trid. sess. 13. can. 2. definit facta consecratione, & cóuersione panis in corpus, & vini in sanguinem, manere solas species panis, & vini nulla facta mentione aquæ, & specierum eius: ergò vult rationem materiæ consecrationis con-

conuenire solùm vino; Et in eadem sessione can. 3. definit in sacramento Eucharistiæ sub vnaquaque specie, & sub singulis cuiusque speciei partibus facta separatione, esse corpus, & sanguinem Christi; sed sub illis particulis, in quibus non sunt qualitates, & proprietates vini, siquidem in illis non fuit substantia vini, sed solùm aquæ, si separentur ab alijs, non erit sanguis Christi, cùm non habeant proprietates vini; ergò particulæ aquæ vino admixtæ, quæ non sunt conuersæ in substantiam vini, non sunt partes alicuius speciei consecratæ, ergo nec materia consecrationis.

Respondent Coninchius probabile esse sub speciebus aquæ à vino separatis manere sanguinem Christi, quamuis, vt sic non possint consecrari; quia plura interdum requiruntur ad fieri rei, quam ad conseruari; Sed hoc manifestè repugnat Concilijs, quæ docent non nisi sub speciebus panis, & vini conseruari corpus, & sanguinem Christi; ac etiam rationi, quia solæ illæ species possunt Christum continere, ex quarum substantia sacramentum confici potest; at ex sola aquæ substantia, nequit hoc sacramentum confici: ergo sub solis speciebus aquæ nequit conseruari. Alij proindè, vt Lugo, Caspensis, Morandus, probabilius censent species aquæ separatas non continere sanguinem Christi, quia per separationem deperdunt esse species vini vsualis, & in hoc differunt à speciebus vini, quod partes specierum vini etiam separatæ retinent sanguinem Christi, quia vt sint vinum partiale, non dependent ab vnione cum partibus vini; at verò partes aquæ dependent ab vnione cum partibus vini, vt sint vinum partiale, hoc est, pars vini vsualis; & ideò ablata vnione consecrationem amittunt quia illa non est mera separatio, sed etiam destructio compositi ad materiam consecrationis requisita, ità discurrit Cardin. Lugo *disp.* 4. *sec.* 3.

96 At neque hæc responsio subsistit, nam si sub speciebus aquæ separatis ideò conseruari non potest sanguis Christi, quia non amplius habent esse species vini; ergò nec etiam sub illis, vt vnitis speciebus vini poterit conseruari, consequentia probatur, quia species aquæ, vt coniunctæ, & vnitæ cum vino non deperdunt esse species aquæ, nec acquirunt esse species vini, quia supponitur illas non esse in vinum transmutatas. Nec sufficit dicere cum Lugo, quod vt coniunctæ, dicuntur partes vini vsualis; Quia Concilia non dicunt vinum vsuale vtrumque esse materiam huius sacramenti, sed vinum de vite; cùm ergo vt coniunctæ adhuc non sint vinum vsuale de vite, non potest sub illis etiam, vt coniunctis, sanguis Christi constitui, nam vt sint vinum vsuale de vite, supponi debent in substantiam vini transmutatæ. Deindè, si sanguis Christi conseruari potest sub speciebus aquæ vino coniunctis, quia vt sic sunt partes vini vsualis, quod est materia sufficiens consecrationis; poterit etiam conseruari sub eisdem à speciebus vini disiunctis; cùm per disiunctionem à speciebus vini nullam subeant mutationem quoad vsum potus humani, neque id obstet, quin adhuc componant vnum potum vsualem humanum cum speciebus vini; hoc autem ità ostendit Amicus *disp.* 16. *sec.* 5. *nu.* 87. ponendo casum, quod species aquæ non sint continuæ, sed tantùm contiguæ speciebus vini, itaut species vini ambiant tantùm species aquæ, & non faciant cum illis vnum continuum, sed contiguum; quod facilè fiet, si aqua apposita vino congeletur, nam tunc præ duritie, & densitate non continuatur, sed tantùm contiguabitur cum vino: in tali autem casu adhuc species aquæ componunt vnum potum vsualem humanum cum speciebus vini; siquidem ad potum humano more vsuale nihil refert, quod aqua sit continua, vel contigua vino, sicut nec quod inter aquam, & vinum aliquantulum aeris intercedat, dummodo aqua à vino circumambiatur ergò iuxtà principia Aduersariorum adhuc conseruabitur sanguis Christi sub puris, & meris aquæ speciebus à speciebus vini ità disiunctis; quia in tali casu per talem disiunctionem nulla fit mutatio in aqua quoad moralem vsum potus humani, nam eodem modo in tali casu potus censebitur humano more vsualis, ac si eædem species aquæ continuarentur cum speciebus vini, sufficit enim ad hoc, vt aqua circumambiatur à vino saltem per contiguitatem.

97 Hinc valdè aduertendum est, cùm de re graui agatur, quid intelligendum veniat nomine vini vsualis, quod dicunt esse materiam consecrationis sufficientem: si enim nomine vini intelligi debet compositum illud quod nomine vini vsualis venit; ergo quamuis aquæ portio superet vini portionem, adhuc totum illud conuerteretur in sanguinem quod licet Aresius non habeat pro absurdo *sec.* 12. *ad* 8. nihilominus oppositum docent Florentinum, sacri Canones, Patres, & Ecclesiastici Doctores, dùm dicunt modicam aquam esse vino consecrabili admiscendam; Consequentia probatur, quia Arist. c. 3. suæ Poeticæ dicit, *vinum mixtum aqua, quamuis totum non sit vinum, ex consuetudine tamen appellatur vinum*, & Plutarcus in opusculo de ratione valetudinis seruandæ inquit *vinum aqua mixtum, etiamsi maior sit aqua infusa, quàm vinum, vinum tamen vocamus*, vndè iuxtà hunc dicendi modum vinum aqua mixtum, etiamsi maior sit aqua infusa, quàm vinum, adhuc esset materia consecrabilis, cùm illud adhuc vinum ex communi consuetudine vocetur; Qua de causa Concilia, & Patres non dixerunt absolutè vnum vsuale esse materiam huius sacramenti, sed vinum de vite, cui etiam admiscenda sit aqua in modica quantitate; hoc enim non impedit, quin adhuc talis potus sit vinum vsuale de vite, quia ob paruam quantitatem supponitur aqua in substantiam vini transmutari, & in hoc tantùm sensu vinum vsuale dici potest materia sufficiens consecrationis, & in sanguinem Christi ex vi illius conuertibile, non autem in latiori significatione.

Quartò probatur ex eo, quod sacramentum Eucharistiæ institutum est à Christo, non in quacumque materia, sed in cibo, & potu apto, per se ad nutriendum, & alendum corpus, vt per effectum, quem in corpore faciunt cibus, & potus corporeus, significaretur effectus spiritualis, qui ab hoc sacramento fit in anima suscipientis, vt definit Concil. Flor. in decreto Eugenij; sed sicut vinum ab omnibus ferè numeratur inter eas res, quæ nutrire possunt corpus, vt ex instituto docet Galen. *lib.* 3. de aliment. facultat. *cap.* 40. ità substantia aquæ licet possit inseruire pro vehiculo ad deferendum nutrimentum ad diuersas corporis partes, ipsas tamé nutrire non potest, quantumuis in cibo, & potu commisceatur, nisi in ipsum conuertatur vt idem Galenus docent *lib.* 4. de vsu partium *cap.* 5. ergò particulæ aquæ, antequam conuertantur in vinum neque per se, neque per accidens possunt esse materia huius sacramenti, atque ideò si antè consecrationem non conuertantur substantialiter in vinum, manebunt secundum propriam substantiam vino permixtæ. 98

Confirmatur, quia aqua vino permixta non est materia conuertibilis in sanguinem, vt etiam Aduersarij concedunt, ergo neq; vino coniuncta, si in sua natura permaneat, & in vinum non conuertatur; consequentia probatur, nam vel vini mixtio cum aqua eam corrumpit, & in se transmutat, vel non; si primum habetur intentum, quod non conuertitur in sanguinem, nisi prius in vinum conuersa, si secundum ergo, nihil acquirit aqua per mixtionem, quod antea non haberet, quare si anteà non erat materia consecrabilis, neque posteà erit talis etiam vino coniuncta.

Respondent partes aquæ ex coniunctione cum partibus vini acquirere, vt sint vinum partiale, seù vt sint partes vini vsualis, quod est materia consecrabilis: possunt autem euadere partes vini vsualis per solam iuxta positionem etiamsi in vinum substantialiter non transmutentur. Sed Contrà, quia vinum, quod est materia huius sacramenti, debet esse vinum vsuale, & humano potui consuetum, quod sit verè, & substantialiter vinum, & non vllus alius liquor tali vino permixtus, quamuis in hominum vsu, & potu soleat admisceri, vt suprà dictum est *num.* 97. & absolutè loquendo aliud dicitur simpliciter vinum, & aliud vinum limphatum; materia autem huius sacramenti est simpliciter vinum, vt docent Concilia, & Patres, hoc enim solum est, quod cedit in alimentum humani corporis, & quod est aptū ad huius sacramenti significationem. Deindè mixtio aquæ ad vinum est ex præcepto Ecclesiæ, non verò ex diuina institutione, vt suprà dictum est; ergò ratione talis mixtionis, & coniunctionis cum vino non potest aqua fieri materia immediatè in sanguinem conuertibilis: consequentia probatur, quia non potest Ecclesia decernere, ut sit materia immediatè transsubstantiabilis quod ex institutione diuina non est tale. Denique si aqua uino mista esse potest partialis materia consecrationis, Aquarij non fuissent damnandi, ut hæretici, sed monendi, ut aliam partialem materiam coniungerent, sicut fuit factum cum Armenis, qui uinum purum offerebant: cum ergo damnati sint, quia aquam consecrabant, quæ non est materia idonea consecrationis, dicendum est neque solam, neque cum uino coniunctam esse immediatè consecrabilem, & in sanguinem Christi conuertibilem.

Quin-

99 Quinto probatur, quia eodem modo asseritur à Concilijs, & Patribus vinum esse materiam Eucharistiæ in calice, ac panem triticeum esse materiam illius in hostia; sed si hostiæ aliqua pars admisceatur, quæ non sit panis tritici, sed hordeacei, vel alterius generis, illa nullo modo conuertitur in corpus Christi; nam sicut antequam pani triticeo vniretur, non erat materia ad consecrationem apta, itâ neque fit talis per hoc, quod illi vnitur, si in panem substantialiter non conuertatur; ergo similiter in calice aqua vino permixta, si prius in vinum non conuertitur, non potest in Christi sanguinem immediatè conuerti; & si antequam vino vniretur, non erat materia ad consecrationem sanguinis idonea, itâ neque talis fieri potest per solam vnionem, & iuxta positionem cum vino, sed per solam conuersionem in vini substantiam.

Respondent discrimen esse inter hanc iuxta positionem, & illam, quia hæc non confundit partes, & athomos panis hordeacei cum partibus, & athomis panis triticei, & mixtio aquæ in vinum hoc facit, quia in minutissimas partes, & quasi athomos diuiditur, & minutissimis vini partibus coniungitur, ideoque ipsa fit materia apta cum vino, non sic mica panis hordeacei cum triticeo. Sed Contrà, quia si itâ differenter fit hæc commistio vini cum aqua, vt hæc in minutissimas partes per totum vinum distribuatur, cùm partes vini supponantur esse maiores partibus aquæ, & qualitates vini longè actiuiores qualitatibus aquæ, neganda non erit destructio substantialis aquæ, & eius transmutatio in vinum; Quod si adhuc talis transmutatio substantialis negetur, redit argumentum ab initio factum, quod erit adhuc, tali commistione non obstante, materia inepta ad conuersionem immediatam in sanguinem Christi, nam adhuc in minutissimas partes diuisa, & sic per vinum distributa, remanet essentialiter aqua, quæ secundum se essentialiter non est materia calicis. Et frustrà recurritur ad vnionem, & coniunctionem cum vino: quia materia assumpta à Christo in hoc sacramento, vt in conuertibilis in eius sanguinem per consecrationem, non est talis, quia vnita cum alio, vel separata, sed talis est ex institutione diuina, oleum enim v.g. quia non est assumptum in materia baptismi, si aquæ misceatur, non ob id euadit idonea baptismi materia; sic opus bonum, vel indifferens, quia non sunt materia absolutionis, quomodocumque cum peccatis misceantur, nunquam erunt materia sacramenti pœnitentiæ; ergo sic pariter in proposito de aqua dicendum est in consecratione calicis.

100 Sextò tandem ex hoc sequitur, quod si aqua mixta vino immediatè ante verborum prolatione non est in vinum conuersa, non conuertitur in sanguinem, sed manet sub forma aquæ speciebus vini permixta; Ratio est, quia vt materia consecrari possit, & sit capax consecrationis, ab initio debet esse idonea, & præsens formæ verborum; comparantur enim verba ad materiam consecrandam, sicut agens ad passum, vndè sicut non producitur effectus, nisi præsente passo, & debitè approximato, itâ non consecratur materia, nisi præsens formæ; sed si immediatè antè prolationem formæ aqua non est in vinum conuersa, non est iuxtà nostra principia materia ad consecrationem idonea, neque debitè præsens formæ; ergò si tunc aqua non est in vinum conuersa, non conuertitur in sanguinem ex vi consecrationis, sed manet sub forma aquæ mixta speciebus vini.

Petes, an si aqua conuertatur in vinum saltem in vltimo instanti prolationis verborum, an tunc remaneat consecrata, & in sanguinem conuersa: Affirmant Vasquez, Nugnus, & alij, quia ab initio prolationis verborum adest aqua proximè disposita ad formam vini, & in fine prolationis iam est vinum, & verba consecrationis etiam pronomen, *Hic*, referuntur ad vltimum prolationis instans; Quod eo magis affirmant, si talis conuersio fiat post inchoationem consecrationis, & antè vltimum illius instans, nam tunc eo magis censetur præsens formæ verborum. Negant verò Suarez, Bonacina, Auersa, & Lugo loquendo in sententia negante conuersionem immediatam aquæ in sanguinem: Quia nempè verba sacramentalia ab initio cadunt super materiam aptam, quarè si tunc materia non sit apta nihil efficient, sic etiam ab initio cadunt super materiam præsentem, quæ proindè si tunc non sit præsens, sed interim adducatur, non valent ad sacramentum; sicut si minister inciperet baptizare, vel vngere hominem mortuum, qui interim per miraculum reuiuisceret, non per hoc sacramentum valeret; Quarè dicunt non sufficere ab initio adesse aquam proximè dispositam ad formam vini, & in medio, vel fine prolationis verborum conuersam in vinum, quia adesse debet ab initio materia apta: Nec sufficit verba consecrationis referri ad vltimum instans prolationis, quia adhuc debent ab initio proferri super materiam aptam, & præsentem. Tandem Gauatius noster *disp.6. q.6.* media graditur via, & inquit, quod si contingat aquam conuerti in vinum in illo eodem instanti, in quo vinum conuertitur in sanguinem, in tali casu non conuerteretur in sanguinem: sed quando in vinū conuertitur post inchoationem consecrationis antè vltimum illius instans, verè in sanguinem conuertitur: & eius fundamentum est, quia verba consecrationis non operantur suum effectum, nisi pro vltimo instanti prolationis, tota enim illorum practica significatio ad illud vltimum instans refertur; & quamuis materia illa, quam Sacerdos præsentem habet, in illo instanti, in quo incipit verba proferre consecrationis, secundum se totam non sit materia apta consecrationi, probabiliter tamen talis à Sacerdote putatur; igitur cùm in illo instanti, pro quo intendit illam consecrare, ac in sanguinem conuertere, hoc est, pro vltimo consecrationis instanti, sit à parte rei verè materia apta, & valida, tota verè, & realiter consecrabitur.

Præstat tamen dicere in nullo ex prædictis casibus aquam ex vi consecrationis in sanguinem conuerti: non quidem in primo casu, vt Gauatius quoque concedit, quia implicat eandem rem simul, & semel incipere, & desinere in eodem instanti: si autem aqua in instanti consecrationis conuerteretur in vinum, tunc inciperet esse vinum, & si in eodem instanti conuerteretur in sanguinem tunc desineret esse vinum, quia inciperet esse sanguis, vt etiam Gauatius discurrit *loc.cit.* Nec etiam in secundo casu, quia licet forma non operetur effectum transsubstantiandi vinum in sanguinem, nisi in vltimo instanti, quando ipsius significatio est completa; requirit tamen toto tempore materiam præsentem, quo forma profertur, alioquin non verificaretur ipsius significatio, in qua exprimitur materia præsens per pronomen *Hic*; Tùm quia tota forma indiuisibiliter sumpta est causa moralis conuersiua, dummodò tota proferatur super materiam, at nec etiam in secundo casu tota forma esset prolata supra materiam illam nouam, siuè nouiter accedentem inter consecrandum: Et quidem parum refert, quod Sacerdos etiam ab initio consecrationis probabiliter putet aquam esse iam in vinum conuersam, ac proindè esse materiam consecrationis sufficientem: non enim aptitudo, & sufficientia materiæ pendet ex probabili opinione, & existimatione Sacerdotis, & consecrantis: sed ex natura rei, vt nempè à parte rei talis sit, qualis fuit à Christo instituta. 101

Sed dices, sufficere præsentiam moralem inter materiam, & formam sacramentorum, vt patet de materia, & forma Baptismi, ac etiam aliorum sacramentorum, quæ non oportet esse simul physicè, sed tantùm moraliter præsentes: sed vinum ex aqua conuersum in fine verborum consecrationis esset moraliter præsens formæ consecrationis, quia simul esset cum aliqua parte formæ, quod sufficit ad sacramentum conficiendum, vt supra dictum est de Baptismo; ergò vi illius posset in sanguinem conuerti. Respondetur, sufficere præsentiam moralem inter materiam, & formam sacramentorum, quando materia ipsa non debet à forma transmutari, vt patet in sacramento Baptismi, & Confirmationis, aqua enim non debet à forma Baptismi transmutari, nec chrisma à forma Confirmationis, sed tantùm subiectum, hoc est, homo baptizandus, vel Confirmandus: falsa autem est maior, quando materia debet à forma transmutari, vt contingit in Eucharistiæ sacramento, in quo vinum à forma consecrationis in sanguinem Christi transmutari debet, vt benè aduertit Amicus *disput.26. sec.5. nu.94.* cùm enim forma indiuisibiliter sumpta sit causa moralis talis conuersionis, debet tota proferri super materia, quæ proindè debet ei physicè coexistere, & non moraliter tantum cum aliqua eius parte.

AR-

pore consecrationis nondùm esset in vinum conuersa, non posset verificari forma calicis, quæ est *Hic est calix sanguinis mei*, vel hic *est sanguis meus*, & de toto illo liquore, & potu, qui est in calice, verificari debet, at non verificaretur, si maneret aqua in substantia. Tandem totum illud poculum, seù liquor in calice contentus populo proponitur, vt adoretur adoratione latriæ, quare committeretur idolatria, si in aliquo casu maneret aqua in propria substantia post consecrationem; nec Sacerdos post illud assumptum poculum remaneret ieiunus, atque ideò aliam missam celebrare non posset, quando iure, aut priuilegio conceditur, vt in die Natiuitatis Domini.

106 Respondent Gauatius, Brancatus, cum alijs negando minorem etiam in illis casibus, quia si Sacerdos aduertat errorem multò antè consecrationem calicis, dubium non est intercedere tempus sufficiens ad præconuersionem aquæ in vinum; si verò aduertat immediatè antè consecrationem calicis, debet aliquantulum morari ad proferendam consecrationem; & quando Rubrica inquit in his casibus post aquæ appositionem statim consecrandum esse, ità verbum illud *statim* intelligunt, vt non sit opus recurrere ab verba, & cæremonias præcedentes ad Canonem, & solam consecrationis prolationem sufficere, hoc tamen non importat subitam actionem; Melius tamen cum Amico, & alijs negandum est non posse Ecclesiam in aliquo casu Sacerdotem obligare ad conficiendum hoc sacramentum, etiam, antequam aqua sit in vinum conuersa, quia cum cæremonia hæc de miscenda aqua vino consecrando sit ferè certa ex traditione Patrum ob factum Christi, non sit autem certum, aquam prius conuertendam esse in vinum, quàm in sanguinem, sed vtrumque sub probabili Doctorem opinione versetur, potuit Ecclesia Sacerdotem obligare ad id, quod erat certum, relinquendo disputationi Doctorum id, quod apud ipsos erat dubium, & cōtrouersum; Quemadmodum inquit Amicus, eadem Ecclesia obligat Sacerdotem ad impendendam moribundo absolutionem, qui signa tantùm dedit doloris, estò inter Doctores controuersum sit, an talis confessio facta per signa sit sufficiens materia absolutionis; Sicut igitur in hoc sacramento potuit Ecclesia in fauorem pænitentis Sacerdotem obligare ad dādam absolutionem super materiam inter Doctores controuersam; ità pariter potuit in sacramento Eucharistiæ Sacerdotem obligare ad consecrandum vinum aqua temperatum, etiam in casu, in quo probabiliter aqua non esset in vinum conuersa, vt se conformaret cum Christo, qui vsus est vino aqua temperato in huius sacramenti institutione.

107 Ad Confirmationem communiter etiam respondent, quod si in aliquo casu remaneret aqua in propria substantia, nullum esset inconueniens, quia id esset per accidens, & præter Ecclesiæ intentionem, esset autem inconueniens, si per se, & semper ita remaneret, neque etiam in tali casu falsa esset consecrationis forma, nam pronomen *Hoc*, & *Hic* solum cadunt super materiam idoneam, qualis est solus panis in consecratione corporis, & solum vinum in consecratione sanguinis, alioqui si musca cadet in calicem aut gutta mellis, opus esset illam quoque immediatè in sanguinem conuerti, ne forma consecrationis falsa redderetur. Addit etiam Gauatius falsum esse per pronomen illud *Hic* designari materiam in sanguinem conuertendam, sicut enim sensus verborum consecrationis panis non est *Hoc est corpus meum* idest hic panis, vel hæc substantia panis corpus meum, sed hoc contentum sub his accidentibus est Corpus meum ità nec in consecratione calicis sensus verborum est *Hic est sanguis meus*, idest hoc vinum, vel hæc substantia vini est corpus meum, sed hoc contentum sub his accidentibus est sanguis meus. Verùm quando hic etiam esset sensus verborum consecrationis, de quo dicemus infrà suo loco, non soluitur præsens difficultas, quia in casu quod remaneat aqua in propria substantia, dici non posset cum veritate, quod contentum sub eius accidentibus esse sanguis Christi, nam esset propria aquæ substantia, & ideò à communi solutione non est recedendum.

At hæc communis solutio Brancato non placet art. 9. cit. num. 97. quia remanente aqua in sua substantia adhuc forma consecrationis falsa esset, cum sanguis significaretur, & tamen non esset totus sanguis, sed aqua cum sanguine; Deinde, quia si verba consecrationis proferuntur solùm super liquorem, & potum, qui per se consecrabilis est tunc sic in magna copia aquę ponatur parum vini, & statim consecraretur, dicendum esset transubstantiari; & nihilominus non est materia apta; ergò materia consecrabilis talis esse debet, vt sit conuertibilis, at modicum vinum in multa aqua ideò non est conuertibile quia id, cui miscetur non est consecrabile; ergo materia consecranda debet esse tota couuertibilis, & non potest constare ex aliquo conuertibili, & alio inconuertibili; vnde concludit, quod si aqua non sit in tali dispositione, vt possit in sanguinem conuerti, neque etiam in tali casu vinum transubstantiari; & in nullo casu in consecratione vini remanere aquam in sua natura post consecrationem.

Sed hoc non benè dicitur, quia sicut granum hordei, aut auenæ si misceatur pani, non obstat eius consecrationi, etiamsi in eius substantiam non transierit, sed in propria natura permaneat, quia hæc non tribuunt denominationem toti, & pro nihilo reputantur, vt etiam concedit Brancatus in eodem art. cit. nu. 109. ità idem dicendum est modica aqua vino permixta, quod eius consecrationem non impediat, si adhuc in propria natura permaneat; Vndè neque Innocentius Tertius cap. *cùm Marthæ* hoc argumento vtitur contrà opinionem asserentem aquam vino mixtam in propria substantia remanere, quod tamen contrà eam opinionem maximam habuisset euidentiam, si vllius esset valoris; falsum est ergo materiam consecrandam debere esse totam per se conuertibilem in Christi sanguinem, & non posse constare ex aliquo per se inconuertibili, sed tantum per accidens, quandò nimirum transit in naturam alterius materiæ, quæ est per se conuertibilis, vt est vinum; quod cùm hic Auctor gratis concedat de materia consecrationis corporis, si ei misceantur aliqua grana hordei, vel auenæ, id etiam concedere debet de materia calicis; & adhuc in tali casu verificaretur forma consecrationis calicis modo iam explicato, sicut ipse concedit, quod in eodem casu verificaretur forma consecrationis corporis; Neque hinc sequitur, quod si parum vini cum magna aquæ copia misceatur, & statim consecraretur, pariter in sanguinem Christi transubstantiaretur, & fieret vera consecratio; Quia in tali casu vinum non esset materia consecrationis apta, cùm non haberet modum vini vsualis; & quando dicimus materiam per se consacrabilem, & conuertibilem in corpus, & sanguinem Christi posse in aliquo casu consecrari, etiam permixtam materiæ per se non conuertibili in corpus, vel sanguinem Christi, supponimus materiam conuertibilem esse in quantitate valdè maiori, & aliam in valdè minori, itaut illa tribuat denominationem toti, ista verò pro nihilo reputetur, nam in tali casu calix adhuc existimatur vinum, & hostia panis triticeus, illa verò alia non cadunt sub sensu.

Ad vltimum negatur dari populo occasionem idolatrandi, si interdum antè consecrationem aqua non sit in vinum conuersa, quia populo non offertur adorandum, nisi quod est adorantis capax; potest igitur totum illud poculum adorari, non secus, ac si festuca, aut gutta mellis, aut alterius liquoris caderet in calicem, quia quod adoratur est sanguis Christi, quod primum est contentum, à quo non discernitur aqua, neque cultus est falsus; quia vt inquit Scotus dist. 11. quæst. 3. simplices adorant in fide Ecclesiæ, idque illis sufficit, vt idolatriam non committant nec quipem materialem; solum enim adorare intendunt id, quod est corpus, & sanguis Christi, non autem aliam substantiam per accidens ibi adiunctam; vndè si aliquando contingit aquam non esse in vinum conuersam tempore consecrationis, idest per accidens, & quoad eam partem non proponitur calix adorandus, quia aqua nunquam est consecrationi præparata nec adorationi proposita, nisi media conuersione in vinum; Et Sacerdos post illum potum assumptum censetur adhuc ieiunus, itaut possit iterum celebrare, non solùm ob aliquam probabilitatem, quod fuisset facta conuersio, sed quia modica illa aqua, quæ ex Ecclesiæ instituto sumitur simul cum sanguine, non frangit ieiunium ab eadem Ecclesia requisitum ad iterum celebrandum. 109

Quartò; in Ecclesia est persuasio, quod post consecrationem in toto illo potu sensibili, qui continetur in calice, est sanguis, etiamsi non sit moralis certitudo, quod omnes aquæ particulæ in substantiam vini conuersæ fuerint; vndè totus ille pótus à fidelibus adoratur absque illa exceptione particularum aquæ, quæ non fuissent conuersæ; ergo debemus dicere, quod illa antecedens conuersio aquæ in 110

vinum non est necessaria ad conuersionem aquæ in sanguinem. Confirmatur, quia totum illud aggregatum sensibile ex vino, & particulis aquæ iuxta humanum, & moralem modum dicitur vinum aptum ad nutriendum corpus per modum potus; ergo totum illud aggregatum dicendum est esse materiam aptam ad consecrationem in sanguinem, etiamsi contineantur in eo aliquæ aquæ particulæ, quæ non sint in vinum conuersæ. Denique aqua etiam aliquo modo potest nutrire corpus, ergo cùm sit per modum potus, poterit esse materia ad consecrationem; consequentia patet ex dictis; antecedens probatur, quia fieri potest, vt particulæ aquæ, quæ non sunt conuersæ in vinum, quando hoc bibitur, conuertantur in ipsum in stomacho virtute partium vini, cui sunt coniunctæ.

111 Respondeo in Ecclesia esse persuasionem, quod per consecrationem totus potus ex aqua, & vino conuertitur in sanguinem, si mixtio aquæ fiat debito modo, & tempore; talis autem persuasio non excludit certitudinem moralem, quod omnes aquæ particulæ sint in vinum conuersæ, sed includit; Ad illud de adoratione iam dictum est, totum quidem potum sensibilem consecratum adorari, sed sicut is non adoratur, nisi propter Christi præsentiam, ità non nisi secundum illas partes adoratur, in quibus Christus continetur Neque verò ad hoc, vt totus potus dicatur adorari, necesse est, vt existimemus, quod in singulis illius potus particulis sit consecratio, aut præsentia Christi, sed satis est, quod credamus sub illo potu sensibili esse sanguinem Christi, sicut etiam si in calice consecrato essent aliquæ particulæ pulueris, aut gutta olei, adhuc adoraretur ille potus sensibilis, nec tamen propterea adorarentur partes inclusi pulueris & ratio est, quia solùm adoratur signum illud sensibile ex eo, quod Christum continet abstrahendo ab hoc, quod in eiusmodi signo sint vel non sint particulæ, in quibus Christus non contineatur. Ad Confirmationem verum quidem est, quod aggregatum illud ex vino, & aqua humano, & morali modo dicitur esse vinum ex vite, & esse aptum ad nutriendum; negatur tamen indè inferri posse totum illud aggregatum secundum omnes sui partes, conuerti in Christi sanguinem; nam hoc secundum non pendet ex sola morali locutione, ad quam satis est, quod fundetur in imperfecta cognitione sensuum, & in difficultate discernendi particulas aquæ admixtæ à partibus vini; sed pendet ex veritate materiæ necessariæ ad conuersionem sanguinis, quæ est substantia solius vini de vite, quod per se est materia apta ad nutriendum corpus per modum potus; quarè cùm particulæ aquæ id verè non habeant, antequam conuertantur in substantiam vini, neque seorsim à vino, neque simul cum vino conuertuntur in sanguinem. Ad vltimum dico, quod licet aqua possit per accidens nutrire, quatenus scilicet conuertitur in rem, quæ per se potest nutrire; non tamen id potest per se; illa enim tantùm corpora dicuntur per se esse apta ad nutriendum, ex quibus per actionem vitalem viuentis virtute caloris naturalis, & temperamenti stomachi potest extrahi chilus; conuersio autem illa particularis aquæ in vinum, quæ potest fieri in stomacho, non potest esse virtute actionis vitalis, caloris naturalis, ac temperamenti stomachi; sed vini permixtione, & actione naturali ipsius: quarè cùm materia ad consecrationem sanguinis sit res apta per se ad nutriendum per modum potus, manifestè sequitur aquam non esse materiam conuertibilem in sanguinem, nisi prius conuertantur in vinum.

112 Quintò, Concilia non solum dicunt materiam esse vinum, sed dicunt vinum de vite, siuè de vuis expressum, at si aqua conuertatur in vinum, adhuc non est vinum de vite, & de vuis expressum, sed alio modo genitum, & tamen propter coniunctionem cum toto vino de vite, venit etiam sub illo nomine, & recipit consecrationem; ergò similiter ipsa aqua, licet non esset in vinum conuesa, adhuc conuerteretur in sanguinem. Confirmatur quia etiamsi aliqua materia extranea misceatur pani, quia tamen illa componit vnum cibum vsualem cum pane, conuertitur in corpus Christi; ergo pari ratione, quia aqua componit vnum potum vsualem cum vino, conuertitur in sanguinem eiusdem. Tandem si gutta aquæ infunderetur in calice consecrato, illa immediatè conuerteretur in sanguinem Christi; ergò signum est aquam posse immediatè in sanguinem conuerti, etiamsi non fuerit prius in vinum conuersa.

113 Respondetur aquam in vinum de vite conuersam esse verè vinum de vite, sicut aer conuersus in ignem est verè ignis; cùm vinum ex aqua productum; media natiua virtute vini ex vite geniti, habeat veram naturam vini, ideoque esse aptam materiam calicis; alioqui vinum miraculosè productum, cuiusmodi fuit vinum ex aqua genitum in Cana Galileæ, non fuisset apta materia calicis; Vndè illa pars aquæ in vinum conuersa non dicitur vinum eo præcisè, quia totum illud poculum componit, sed quia destructa eius substantia transit verè in vinum, vndè si etiam illa vini portio conuersa separaretur ab alio vino, erit vtique per se apta materia calicis; aqua autem in vinum non conuersa non potest dici verè vinum, quamuis sit pars componens illud poculom in calice, & ideò diuersa est ratio de aqua in vinum conuersa, ac de ipsa in vinum non conuersa; Dùm autem Concilia docent materiam calicis esse vinum de vite, nolunt excludere aliud vinum, quod habeat veram naturam vini, sed solum excludere volunt omnem alium liquorem, qui veram naturam potabilis vini non habeat; vndè illas pars aquæ in vinum conuersa, licet non sit vnum ex vite productum, quia tamen conuersa est in vinum de vite, absolutè dicitur vinum de vite. Ad Confirmationem negatur assumptum, cùm sit eadem ratio de materia panis, & calicis, vt dictum est suprà in quinta ratione pro nostra opinione num. 99. vndè ex ibi dictis argumentum retorqueri potest, quod sicut aqua, vel alia substantia mixta pani non conuertitur in corpus Christi, nisi prius fuerit in panem conuersa ità nec aqua conuertitur in sanguinem, nisi prius fuerit in vinum conuersa; Ad vltimum negatur quoque assumptum, quia licet illa aquæ gutta posset ab accidentibus in vinum conuerti, nullatenus tamen in sanguinem Christi conuerteretur nec mediatè, nec immediatè, eo quod non erat præsens, quando verba consecrationis prolata fuerunt.

Sextò tandem arguunt ratione ex Philosophia deducta, 114
quia aqua non potest conuerti in vinum siquidem experientia constat aquam immissam extrahi à vino quibusdam instrumentis; Nec dicas extrahi quemdam humorem vini similem aquæ, quia talis humor à vino non extrahitur eisdem instrumentis, si aqua non sit immissa in vinum. Dindè quia vinum vites suas amittit, etiamsi paucissima aqua misceatur, & si diù quis durat immittere paulatim guttam aquæ, tandem deprehenditur non esse vinum, quod non esset ità, si aqua in vinum conuerteretur, vt patet à simili de igne. Demum, quia neque vim habet conuertendi totam aquam in se, quin saltem crassæ aliquæ particulæ maneant in vinum non conuersæ, vt constat tum de viuentibus, quæ quamuis habeant vim conuertendi alimentum in se, nunquam tamen illud totum in se conuertunt, quin semper remaneant aliquæ partes excrementitiæ, tùm etiam de ipso igne, qui quamuis sit omnium elementorum actiuissimus, nunquam tamen totam materiam combustibilem in se absumit, vt patet de cineribus, & fuliginibus, quæ post combustionem remanent.

Respondetur negando assumptum, etenim cùm vinum natura sua sit valdè actiuum, non est, cur illi hæc virtus negetur aggenerandi sibi simile, quæ alijs mixtis conceditur; vt ex instituto ostendimus in lib. de Gener. & Cor. *d.* 7. de mixtione *q.* 5. vbi ad illam experientiam diximus, posse quidem aquam vino immissam extrahi secundum substantiam suam, si extractio fiat statim ab initio mixtionis, tam enim breui spatio non potuit fieri conuersio aquæ in vinum; at post tempus ad conuersionem sufficiens, non amplius extrahi potest aqua in sua substantia sed solùm extrahitur humor quidam aqueus specie ab aqua elementari distinctus, qui vino est connaturalis, & illud substantialiter integrans, sicut etiam in alijs mixtis, & viuentibus varij humores reperiuntur elementis similes, ac proindè humor ille aqueus non tantùm à vino diluto extrahi potest, sed etiam à vino puro; quarè cùm humor ille eodem modo eruatur à vino puro, & modicè limphato, non potest concludi aquam in hoc secundo non esse in vinum conuersam. Ad Confirmationem admisso antecedente negatur consequentia, quia vt notat Doctor *dist. 19. q. vn.* B. cùm omne agens physicum in agendo debilitetur, quia à contrario repatitur, quanto magis agit conuertendo, semper debilitatur, atque tandem deficit, vt patet de calore naturali animalis, quantò enim magis cibum in substantiam aliti conuertit, tanto plus etiam virtus eius debilitatur, & tandem deficit; & affert ibi Doctor exemplum ex Arist. 1. de gener. 42. de aqua mixta vino, nam vinum primò conuertit aquam in se, toties

autem

autem potest apponi aqua quod deficiet virtus vini in conuertendo vndè secunda vice minus fortiter operatur, quàm in prima; ita quod ratio, cur vinum ob continuam mixtionem aquæ debilitatur est, quia continuò agendo repatitur à contrarijs qualitatibus aquæ, quæ paulatim vini qualitates refrangunt; tùm etiam quia, vt alij dicunt, vinum agendo subtiliores, actiuioresque spiritus amittit, quibus amissis nequit se in pristinum statum reducere, vt se reducunt alia quædam agentia naturali, quæ agendo vim actiuam non amittunt, vt est de igne.

115 Ad vltimum *disp. 7. cit. de Mixtione q. 5. nu.* 58. gratis concessimus aquam vino mixtam regulariter non conuerti in vinum ità perfectè, quia aliquæ eius particulæ impuriores, & crassiores remaneant, eo tamen minores, quo vinum est actiuius; cum quo tamen adhuc stat, quod conuertatur in vinum, secundum partes puriores, & subtiliores; Alij tamen dicunt, vt Amicus *disput. 16. cit. sec. 5. in fine*, falsum esse, non omnes partes aquæ posse in vinum conuerti nec esse eandem rationem de alijs corporibus, quæ non secundum omnes sui partes conuertuntur in substantiam agentis; nam alia corpora constant ex multis partibus crassis, & hæterogeneis, quæ difficilè conuertuntur in alterius corporis substantiam; aqua verò cum constet ex partibus tenuibus, & homogeneis, est facilè conuertibilis in substantiam alterius corporis. Horum verò dictorum vtrumque saluari potest ex doctrina Scoti proximè allata, vt dicamus prima vice, quando vino infunditur aqua, in modica quantitata, totam in vinum conuerti, & secundum omnes sui partes, tã puriores, quàm impuriores, ob maximam vini actiuitatem non adhuc debilitatem; secunda verò, & tertia vice, quia virtus vini debilitatur, non conuerti secundum omnes, sed quoad impuriores remanere; ità enim inquit Arist. *c. 1. de gen.* 42. quod dùm aqua vino infunditur, talis mixtio in principio facit vinum, in fine verò aquaticum: alias rationes naturales, quæ fieri solent contrà possibilitatem conuersionis aquæ in vinum, vide solutas *loc. cit.*

QVÆSTIO QVINTA.

De necessitate consecrationis sub vtraque specie, & conditionibus necessarijs ex parte materiæ consecrandæ.

116 QVæstio duas habet partes, in prima quæritur, qualis, & quanta sit necessitas non consecrandi vnam partem materiæ sine alia, an scilicet, hoc sit de necessitate sacramenti, vt quidem dixerunt, quorum opinionem refert Innocentius Tertius *lib. 4. de officio Missæ cap.* 23. qui putabant ambas species ità necessariò ad hoc sacramentum requiri, vt si vna absque altera consecraretur, irritum omninò, ac inualidum esset sacramentum: an potius id sit tantùm de necessitate præcepti, & rursus an Ecclesiastici tantùm, vt opinati sunt Adrianus, Maior, Alensis, Nauarrus, & alij apud Suarez *disput. 43. sec. 2.* an potius etiam diuini, vt fert communis opinio. In alia verò parte quæstionis quæritur, an materia consecrationis debeat esse præsens, & determinata ex intentione Ministri: & an exigat aliquem terminum magnitudinis, & paruitatis, nùm potius consecrari possit in quantitate quantumcumque magna, ac etiam quantumque minima, quod breuiter duobus sequentibus articulis expediemus cùm potius ad moralem Theologiam spectet, quàm scholasticam; non loquimur autem ne determinatione materiæ, vt consecratio sit licita, quia in hoc seruanda est consuetudo Ecclesiæ, sed solum adhoc, vt consecrato sit valida.

ARTICVLVS PRIMVS.

Resolutio quæstionis quoad primam partem.

117 PRimò dicendum est, non esse de necessitate sacramenti Eucharistiæ, vtriusque speciei consecrationem, scilicet, panis, & vini, itaut si in vna tantùm specie fieret consecratio, validum esset sacramentum. Conclusio est communis, quam etiam Scotus docet 4. *distinct. 8. quæst. 3. §. Respondeo*, vbi in fine inquit in hoc sacramento plures concurrere consecrationes, non quidem totales, sed partiales, itaut sit vna forma tantùm consecrationis vnitate integritatis, non verò indiuisibilitatis, quia continet in se plures formas partiales, distinctio autem (inquit Doctor) formarum illarum partialium patet, quia vna est efficax sine alia, quod manifestum est, alioquin enim fideles corpus adorantes antè consecrationem sanguinis essent idolatræ, quod falsum est; quæ fuit ratio D. Bernardi *epist. 69.* vbi hoc idem probat, quia communiter vna pars materiæ, scilicet, panis consecratur antè vinum; & statim à populo adoratur, tamquam sacramentum Eucharistiæ, antequam consecretur vinum.

Confirmatur, quia hoc significant ipsa verba consecrationis, *Hoc est* &c. cùm enim verissima sint, antequam vinum consecretur, necessariò sub accidentibus panis constituunt Christi corpus, antequam sub accidentibus vini sit sanguis. Quod etiam idem esset, si prius consecraretur vinum, quàm panis, quia vna consecratio non pendet essentialiter ab alia, cùm effectus vnius formæ non sit per se, & necessariò connexus cum effectu alterius, vndè corpus ex se potest esse separatum à sanguine, & è contrà, vt fuit in triduo mortis Christi. Tùm quia hoc proprium debitæ formæ, vt si proferatur super debitam materiam à Ministro cum sufficienti intentione, infallibiliter faciat, quod significat. Tùm denique quia species vini consecratæ conseruari possunt in facto esse etiam speciebus panis non manentibus, ac proindè potest esse sacramentum sanguinis sine sacramento corporis; ergo etiam in fieri species vini possunt fieri sacramentum independenter à consecratione specierum panis. 118

Sed obijcies primò, sub vna tantùm specie non est integrum conuiuium, quia sub vna habet rationem cibi tantùm, sub alia potus; ergo neque sacramentum, atque ideò nequit ità confici; patet consequentia ex dictis, quia hoc sacramentum est institutum per modum conuiuij, & refectionis spiritualis. Conf. quia confectio sub vtraque specie est de essentia missæ, quatenus sacrificium; Ergò Eucharistia nequit validè confici sub vna tantùm specie; consequentia probatur, quia confectio huius sacramenti non est quid diuersum à ratione sacrificij legis Euangelicæ. Tandem vtraque species panis, & vini spectat ad essentiam Eucharistiæ cùm quælibet sit pars essentialis eius; ergo nequit confici sub vna tantùm; consequentia patet, quia nulla res effici potest sine rationibus sibi essentialibus.

Respondetur, quod licet sub vna specie non sit integrum conuiuium quoad modum significandi, benè tamen quoad rem significatam, & quoad substantiam conuiuij; vndè vt Eucharistia possit validè confici sub vna tantùm specie, sufficit, vt vnaquequæ seiunctim sit integrum conuiuium quoad substantiam, & rem significatam, licet non quoad modum significandi. Ad Conf. quicquid sit de antecedente, de quo suo loco, negatur consequentia, quia sicut in Eucharistia alia est ratio sacramenti, alia ratio sacrificij; sic etiam confectio Eucharistiæ in ratione sacramenti non conuertitur adæquatè cum ratione sacrificij, ideoque potest confici sub vna tantum specie, vt sacramentum, licet non vt spectat ad rationem sacrificij. Ad vlt. negatur assumptum, quia vt constat ex dictis q. 2. de vnitate huius sacramenti panis, & vinum sunt partes integrales Eucharistiæ, non verò essentiales; quod si diximus ibi esse partes huius sacramenti integrales, non sola integritate perfectionali, sicut pes, & manus integrant hominem, sed etiam essentiali; iam declarabimus ibidem *nu. 38. & 39.* id debere intelligi quantum spectat ad modum significandi, non autem quoad rem significatam; vndè solum sequitur non posse confici sub vna tantùn specie integrum sacramentum quoad modum significandi, quod gratis concedimus, benè tamen quoad substantiam, & rem significatam, quo tantùm sensu hic asserimus validè, & integrè hoc sacramentum sub vna tantùm specie confici posse; Ex quo deducitur non esse parem rationem de partibus essentialibus alicuius sacramenti, ac de speciebus panis, & vini in Eucharistia, quæ sunt tantum partes integrales.

Dices, in sacramento extremæ vnctionis sunt etiam diuersæ formæ partiales, sicut in Eucharistia, & nihilominus nulla earum seorsim habet effectum, quousque ponatur vltima, tuncque omnes, simultate morali causant; ergò pariter in Eucharistia forma consecrationis panis non causat, quousque ponatur forma consecrationis vini. 119

Respondeo, hoc argumento nimium probari, ideoque ab omnibus soluendum esse; probat enim hostiam non esse

consecratam antè calicis consecrationem, sicut pariter non habetur effectus in extrema vnctione, nisi prolata vltima forma; vndè male Ecclesia hostiam offerret adorandam antè calicis consecrationem; Vel ergò cum Suarez *loc. cit sec.* 2. neganda est paritas de sacramento extremæ Vnctionis, & Eucharistia, quia cùm formæ extremæ Vnctionis sint deprecatiuæ, & non indicatiuæ, ideò ex vi suæ significationis, & veritatis non postulant, vt statim, & subitò conficiant validum sacramentum, sed solùm vt illud efficiant pro eo tempore, quo fuerit completum in vltima vnctione; atque ità cum vna forma partiali, & vna vnctione partiali non conficitur verum sacramentum Vnctionis; at in casu nostro de Eucharistia quælibet forma producit effectum ex vi sacramenti diuersum, & suum proprium, & cùm sit forma, non deprecatiua tantùm, vt in extrema Vnctione, sed indicatiua pro tunc prolationis, vt contineat veritatem, nequit vna in causando pendere ab alia. Vel cum Scoto 4. *dist.* 23. *ad* 2. concedenda est paritas, cùm enim extremæ Vnctionis sacramentum ex Doctore ibidem non sit vnum vnitate indiuisibilitatis, sed integritatis, siquidem integratur ex pluribus partialibus materijs, & formis, quibus propria, & peculiaria significata correspondent, vt ex ipsis formarum verbis colligitur; vnaquæque forma, quando profertur, suum habet significatum, nec necesse est, vt aliarum formarum positionem expectet.

120 Secundò dicendum est, consecrare vtramque materiam Eucharistiæ esse tantùm de necessitate præcepti, non solùm Ecclesiastici, sed etiam diuini. Hæc etiam est communis contrà Auctores citatos ab initio quæstionis, quam docet Scotus 4. *dist.* 8. *q.* 3. vbi sub lit. D. ponit casum, quod minister parans calicem Sacerdoti ex aliqua negligentia pro vino ponit aquam, & Sacerdos non aduertens, & supponens ministrum ritè omnia fecisse, procedit vsque ad perceptionem, & percipiens liquorem de calice aduertit esse aquam; & respondet, quod in tali casu tenetur consecrare sanguinem de nouo, & consecratum percipere, quod probat, quia quando sunt duo præcepta ordinata, præceptum Superioris magis ligat, nunc autem præceptum Christi, & Ecclesiæ est, quod sacramentum quando conficitur, conficiatur integrum, & inquit de ista integritate seruanda esse districtam Ecclesiæ obligationem de consecratione *dist.* 2. *cap. Comperimus*, & diuisionem prohiberi à Christo ex prima institutione huius sacramenti; quarè assertum hoc quoad vtramque partem est Doctores *loc. cit.* & quoad primam partem patet ex *cit. cap. Comperimus*, vbi dicitur non posse à Sacerdote absque grandi sacrilegio diuidi mysterium, & non sumi vtramque partem huius sacramenti. Quod alteram partem quoque probatur, nam quod ex Christi institutione pendet, de iure diuino censeri debet, sed vtramque speciem ad hoc sacramentum requiri ex Christi pendet institutione, vt inquit Doctor; ergò præceptum hoc non tantùm ab Ecclesia pendet, sed etiam à Christo, & consequenter est de iure diuino; Minor probatur ex Conc. Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. vbi ait Christum hoc sacramentum instituisse in pane, & vino, & Apostolis, ipsorumque in Sacerdotio successoribus præcepisse, vt hoc sacrificium sub earundem rerum accidentibus offerent, quod sine dubio Concilium non diceret, si Christus liberum reliquisset Apostolis consecrare in vna tantùm parte materiæ; & *sess.* 21 *cap.* 1. ait Laicos, & Clericos non conficientes hoc sacramentum nullo Christi præcepto obligari ad sumendum hoc sacramentum sub vtraque specie, quibus verbis satis apertè indicat Sacerdotes hoc sacramentum conficientes teneri ex præcepto Christi illud sumere sub vtraque specie. Tandem probatur, quia vt ex Concilio colligitur in eisdem locis, hoc sacramentum ità à Christo institutum est, vt noluerit fieri sine sacrificio corporis, & sanguinis sui; sed sacrificium corporis, & sanguinis, quod Christus instituit, non potest esse sine consecratione panis, & vini, ergo neque hoc sacramentum potest confici absque consecratione panis, & vini.

121 Sed objicies, quod licet sacramentum Eucharistiæ in quauis parte materiæ sit integrum quoad substantiam sacramenti, & rem significatam, licet non quoad modum significandi; ex alia tamen parte ipse Christus Lucæ 24. videtur consecrasse panem sine vino, dum dicitur agnitum fuisse à discipulis euntibus in Castellum Emaus, in fractione panis, vt exponit Aug. *lib.* 3 *de consensu Euang. cap.* 25.

Respondetur, verum quidem esse, in quauis parte materiæ confici totum, & integrum sacramentum modo iam explicato, non tamen sacrificium; à Christo autem præceptum est, vt hoc sacramentum non conficiatur absque sacrificio, & ex hoc præcepto oritur necessitas non conficiendi hoc sacramentum, nisi in vtraque parte materiæ. Ad illud verò, quod adducitur ex Lucæ *cap.* 24. dicendum est, quod si Christus corpus consecrauit, vel consecrauit etiam calicem, licet taceatur; vel id fecit per potestatem excellentiæ, & tanquam auctor legis, quæ duo in alijs Sacerdotibus non reperiuntur. Alij tamen Patres, & fortè probabilius, dicunt panem illum, quem Christus dedit illis duobus discipulis, non fuisse consecratum, vt notarunt Carthusianus, Iansenius, & Eusebius in eum locum, & alij; ratio est, quia nec ibi fit mentio consecrationis, aut est vllum signum ipsius; nec videtur verisimile, quod Christus voluerit dare suum corpus discipulis non satis firmis in fide, imò de ipsius resurrectione dubitantibus, & ad receptionem tanti sacramenti non dispositis.

Tertiò dicendum est, neque Pontificem dispensare posse, vt in vna sola specie consecretur. Hæc est contrà nonnullos oppositum sentientes apud Suarez *disp.* 43. *cit. sect.* 4. est tamen communis in Scholis, & sequitur ex præcedenti, quia in his, quæ sunt iuris diuini, nequit Ecclesia dispensare, quandoquidem inferior in lege Superioris dispensare non potest, vt aiebat Scotus *loc. cit.* & statutum fuit ab Vrbano II. *quæst.* 1. *cap. Sunt quidam*, & Zosimo *cap. Contrà statuta*, cùm ergo conficere sub vtraque specie sit iuris diuini, vt constat ex modò dictis, sequitur Pontificem in hoc dispensare non posse. 122

Confirmatur, quia non minus est de iure diuino integritas huius sacramenti, quàm illius materia; sicut ergo nequit Pontifex suprà materiam sacramentorum dispensare, vt quod deficiente vino alius liquor sufficiat, & deficiente pane triticeo satis sit hordeaceus; ità neque dispensare potest, vt deficiente vino in solo pane fiat consecratio, vel è contrà; Et quidem Concil. Trident. *sess.* 21. *cap.* 2. apertè declarat potestatem, quam Ecclesia habet circà sacramenta, esse solùm mutandi illa, quæ ad dispensationem sacramentorum pertinent, salua ipsorum substantia, consecratio autem sacramenti Eucharistiæ non pertinet ad dispensationem ipsius, sed ad modum constituendi ipsum, & licet consecrare in vna tantùm parte materiæ, non sit simpliciter contrà substantiam sacramenti Eucharistiæ, vt sacramentum est, & secundum rationem specificam; est tamen contrà ipsius substantiam, vt est sacrificium, ac etiam contrà rationem illam indiuidualem, quæ expressiorem significationem habet in vtraque specie, quæ in vna sola non reperitur. Tandem si posset Pontifex circà sacramentum Eucharistiæ dispensare in his, quæ Christus instituit circà illud, nulla posset assignari ratio, cur pariter dispensare non possit in sigillo Confessionis, matrimonio consummato, materia Baptismi, aliorumque sacramentorum.

Sed instant nonnulli, Primò ex eo, quod docet Trid. *sess.* 21. *c.* 2 vbi ait in Ecclesia esse potestatem, vt in sacramentorum dispensatione, salua ipsorum substantia, statuat, aut mutet, quæ suscipientium vtilitati pro locorum varietate magis expedire iudicauerit; ergò cùm consecratio in vna tantùm parte materiæ non destruat substantiam huius sacramenti, sed solùm videatur pertinere ad eiusdem sacramenti dispensationem, debemus dicere in Ecclesia esse potestatem dispensandi in hoc præcepto, vt consecratio fiat sub vtraque specie. 123

Confirmatur, quia quamuis concedatur hoc præceptum esse iuris diuini, non ob id negandum est posse Papam in illo dispensare, cùm sæpè de facto in iure diuino dispenset, vt in voto, iuramento, & alijs, quorum obligatio est de iure diuino; Demum, quia de facto Papa dispensauit, vt sub vna tantùm specie conficeretur, Volaterranus enim *lib.* 7. *Geographiæ cap.* 4. refert ab Innocentio VIII. dispensatum fuisse cum Noruegijs, vt possent in sola specie panis consecrare, eo quod non reperitur vinum in illa Prouincia, nec aliundè allatum potest conseruari ob summum frigus, sed breui tempore transit in acetum.

Respondeo, negando consecrationem sacramenti Eucharistiæ pertinere tantùm ad dispensationem ipsius, cùm potius spectet ad modum constituendi ipsum, vt dictum est in probatione conclusionis. 124

Ad Confirmationem, Pontifex dispensando in voto non dispensat propriè in iure diuino tollendo obligationem illius, sed potius in materia, circa quam est tale ius, illam auferendo,

do, vel mutando; hæc autem materia non est à Deo instituta, sed ab homine; quarè licet obligatio implendi votum durante ipso voto sit de iure diuino, & in hoc esse non possit dispensatio, nisi à Deo; ipsum tamen esse voti pendet, vt à propria causa, à voluntate hominis, qui voluit Deo se obligare, & in hoc dispensat Pontifex, quando dispensat; vel auferendo, vel mutando votum, idque facit, vt interpres, & Vicarius acceptationis voti, quod ab homine fit Deo; ex ipsa autem rei natura oritur, vt vouens, aut promittens aliquid, liberetur ab ipsa promissione, si velille, cui fit promissio, vel qui ab eo habet auctoritatem, aut remittat promissionem, aut consentiat, vt commutetur in aliqui aliud; Vndè hoc non est propriè dispensari à Pontifice in iure diuino, seù naturali, sed potius mutari quodammodo materiam iuxtà formam eius legitimæ potestatis; Sed quicquid sit de hoc, quod spectat ad materiam de legibus, negandum est absolutè parem esse rationem de dispensatione voti, iuramenti, matrimonij rati, & similium, & de ritu sacramentorum substantiali, ac eorum institutione, quia illa non sunt de iure diuino absoluto, sicut ista, sed fundato in actionibus humanis; non potest autem Papa dispensare in his, quæ sunt de iure diuino absoluto, sed tantùm in actionibus humanis fundato modo iam explicato, scilicet, per mutationem materiæ. Ad vltimum, communiter dicunt, historiæ illi fidem non esse adhibendam, ratio enim, quàm affert est falsa, quod, scilicet in ea regione vinum ob nimium frigus acescat, quod experientia constat esse falsum, siquidem nunc defacto ibi in vtraque specie consecratur; tùm quia Volaterranus non dicit fuisse permissum, vt in solo pane sine vino consecrarent, sed vt calicem consecrarent sino vino, quod est penitus incredibile, quia Papa in sacramentorum materia dispensare non potest. Solet etiam obijci, quod Ecclesia de facto dispensat, vt feria sexta Parasceues sacramentum hoc offeratur sub sola specie panis absque consecratione calicis. Sed falsum assumitur, quia in illa die non fit propriè sacrificium, cùm nulla fiat consecratio, sed sola sumptio sacramenti sub specie panis pridiè illius diei consecrati.

125 Quartù tandem ex dictis deducitur quæsiti illius resolutio, an præceptum consecrandi sub vtraque specie sit affirmatiuum, vel negatiuum; nam sub diuersa ratione vtrumque dici potest; nempè quod sit affirmatiuum, quia ex hoc præcepto Sacerdotes omnes tenentur aliquando sacrificare, quod sine consecratione vtriusque partis materiæ fieri non potest; sed quotiescumque præceptum adimpleri non potest absque aliquo certo actu positiuo, illud indubitanter est affirmatiuum, quatenus respicit talem actum, ergo &c. Quod verò etiam possit dici negatiuum patet, quia ratione ipsius est obligatio non inchoandi consecrationem ex vna parte materiæ absque voluntate, & facultate consecrandi alteram partem ad hoc, vt fiat sacrificium; ergo in hoc sensu est negatiuum: Ex quo sequitur, quod in nullo casu potest esse licitum Sacerdoti consecrare vnam partem materiæ; si antè consecrationem aduertat non esse facultatem consecrandi alteram partem; Dixi, si antè consecrationem id aduertat, quia si Sacerdos consecrato pane cognosceret in vino sibi dato ad consecrandum esse venenum, & non posse habere aliud, quod consecraret; non teneretur vinum illud venenatum consecrare, & in tali casu impotentia habendi aliud vinum esset ratio sufficiens ad ipsum excusandum. Itaque hoc præceptum potest dici virtualiter negatiuum, quod obliget semper, & ad semper, est enim de non aliter conficiendo, sicut etiam in cæteris sacramentis, etsi videantur præcepta affirmatiua de taliter conficiendo, virtualiter tamen sunt negatiua, quæ semper obligant pro omni tempore alioquin si prædictum præceptum de conficiendo sub vtraque specie sacramento esset purè affirmatiuum, non obligaret pro semper.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Resolutio quæstionis quoad alteram partem.

126 PRimò conueniunt omnes, materiam consecrandam ministro consecranti debere esse sufficienter præsentem, ad hoc vt consecratio sit valida. Ratio est, quia particulæ illæ demonstratiuæ *Hoc*, & *Hic*, quæ adhibentur in consecratione panis, & vini, si per se sumantur, & iuxtà propriam significationem, & acceptionem denotant localem præsentiam rei, quæ per tales particulas ostenditur; quæ enim à lōgè videmus, non signamus pronomine *Hoc*, sed *Illud*, vndè talis præsentia non est ad sacramentum sufficiens; duo enim materia consecranda requirit, & notitiam aliquam sensus, vt certum reddat consecrantem de qualitate materiæ; & debitam loci propinquitatem, cùm debeat à ministro consecrari, quod fieri nequit, nisi sit ipsi moraliter præsens; vndè non sumitur hic præsentia pro sola existentia rei in loco, sed pro relatione eiusdem ad cognitionem proferentis, itaut illa materia dicatur ministro presens, quæ aliqua cognitione ab ipso percipitur: neque sufficit sola cognitio intellectualis, vel imaginaria, sed requiritur, vt percipiatur aliqua notitia sensus, quia hoc sacramentum in materia sensibili perficitur per pronomen demonstratiuum *Hoc*, quod ex natura sua requirit materiam alicui sensui præsentem; Videtur quoque requiri conueniens præsentia, seù propinquitas totius materiæ secundum omnes sui partes, itaut si esset materia tam ampla, quæ incipiens coram Sacerdote protenderetur etiam per continuationem in nimiam distantiam non posset tota secundum partes quoque nimiam distantes simul consecrari, quia certè existens quis in littore maris non diceretur habere sibi præsens totum mare, & ideò consecratio non posset extendi vltrà illum terminum, intrà quem materia sit sufficientes, & moraliter præsens, vt Suar. aduertit *disp. 43. sec. 5. in fine*, Auersa *qu. 2. sec. 2. in fine*, & alij.

Non est autem necesse, vt materia percipiatur in se, sed sufficit, vt percipiatur in suo continente, vt panis in pyxide, vinum in calice etiam coopertum, vndè quod materia præsens siuè panis, siuè vini sit operta, vel non operta, nihil refert, nam demonstratio per tales particulas *Hoc*, & *Hic* iuxtà communem vsum etiam proprium refertur ad res præsentes non solùm discoopertas, sed etiam opertas; & operimentum quoties se habet per modum proximi continentis, seù cooperientis materiam consecrandam, non tollit sufficientem præsentiam; secus autem esset, si corpus, quo materia cælatur, non haberet talem habitudinem ad materiam, vt si inter materiam, & consecrantem intercederet paries, aut quid simile, tunc enim consecratio non teneret, vt docent omnes Auctores, quia non est presentia requisita; Verum autem sicut si materia sit omninò à tergo consecrantis, consecratio non tenet, vt communiter docent Scholastici & Summistę, quibus multum fauet Ecclesię consuetudo; ità si materia sit quidem à tergo, demonstretur tamen manu, vel digito, dùm profertur particula demonstratiua *Hoc*, vel *Hic*, consacratio sit valida nec ne, res est valdè dubia; ex vna enim parte videtur, quod per illud signum manus, vel digiti materia fiat sufficienter presens, & satis propriè denotetur pronomine *Hoc*, vel *Hic*, & fiat aliquo modo corā consecrante, quatenus consecrans se ad illam ex parte conuertit, & consequenter videtur, quod si consecretur, valida sit consecratio; Ex altera verò parte, cùm designatio illa materiæ præsentis non videatur fieri ex vi illius particulæ demonstratiuæ, sed etiam ratione alterius signi coniuncti, videtur posse esse aliqua ratio dubitandi, quod consecratio sit valida: Mihi tamen videtur, talem consecrationem futuram validā, quia videtur esse præsentia sufficiens, & designatio verè, & formaliter fit à particula demōstratiua, à digito verò, & manu, solùm vt à conditione sine qua non; Adhuc tamen verū est, quod qui ità consecraret, grauissimè peccaret, tùm quia se exponeret periculo non consecrandi: sed de hoc plura vide apud Gauatium nostrum *d. 7. qu. 4.* 127

Secundò conueniunt pariter omnes ad validitatem consecrationis opus esse, vt materia consecranda ex intentione consecrantis certa sit, ac determinata, ac consequenter illam solam materiam validè à Sacerdote consecrari, quam determinatè consecrare intendit. Ratio est, quia intentio ministri adeò necessariò ad fieri cuiusque sacramenti requiritur ex Concilijs Flor. & Trid. vt si illa desit, nullo modo sacramentum conficiatur; Tùm quia actiones sunt singularium, & circà singularia ex 1. Met. ergo si Sacerdos determinatam intentionem non haberet circa materiam aliquam singularem, ac determinatam, nihil efficeret: vndè non sufficit, quod materia consecranda sit Sacerdoti localiter præsens; sed etiā per eius intentionem determinari debet, vt sit hæc, vel illa. Hinc communiter notant, quod si Sacerdos, v. g. manu tenens decem hostias intendat tantùm nouem consecrare, nō determinando quas, vel intendat vnam tantū consecrare, nō determinando quā, nihil conficeret: etiamsi tota illa materia 128

sit sufficienter præsens; Ratio est, quia intentio consecrantis debet esse practica, & non tantùm speculatiua, talis autem esse non potest, nisi circà determinatam materiam, tùm quia particula demonstratiua formæ non designabit materiam, quæ consecratur, nec effectum, qui ex consecratione fit; tùm denique quia in alijs quoque sacramentis, quæ consistunt in vsu, & versantur circà subiectum sanctificandum, necesse est, vt subiectum sit certum, & determinatum ex intentione ministri, vndè si quis intenderet baptizare hominem, & non hunc hominem, nihil efficeret.

Dices, hinc sequi, quod si Sacerdos consecret existimans vnam tantum consecrare hostiam, & postea reperiat duas, nulla erit consecrata. Resp. si Sacerdos intentionem ad vnam tantùm hostiam ità coarctauit, vt omnem aliam positiuè excluserit, concedo sequelam, quod nulla erit consecrata; si verò intentionem sic coarctatam non habuerit, dico vtramque hostiam manere consecratam, & ratio est, quia intentio ministri moraliter semper supponitur esse consecrandi omnē materiam sibi præsentem, & quam ad consecrandum defert, atque ità, nisi positiuè excludat omnem aliam materiam præter eā, quam existimat solam se detulisse, omnem absolutè consecrat; nec obstat illa falsa existimatio, quod sit vna tantùm hostia, quam secum detulit ad altare; quia talis existimatio speculatiua, & priuata censetur, nec nocet intentioni practicæ, & generali Sacerdotis, quam semper habet consecrandi totam materiam, quam habet præsentem, à qua generali intentione tota illa materia præsens determinationem recipit in ordine ad consecrationem.

129 Tertiò, conueniunt rursus omnes, quamcumque minimam quantitatem sensibilem, in qua substantia panis, & vini conseruari potest, esse aptam materiam cōsecrationis. Ratio est, quia talis particula est præsens localiter, & est designabilis per particulam demonstratiuam *Hoc*, vel *Hic*, quod sufficit ad hoc, vt possit conuerti in corpus, & sanguinem Christi; tùm quia hæc particula omnes habet conditiones ad consecrationem requisitas, est enim sensibilis, quæ est præcipua sacramenti conditio, & sub ea conseruatur substantia panis, & vini, quæ est materia remota huius sacramenti; nec refert, quod sit minima dummodò sit sensibilis, nam Christus de facto extit sub quacumque minima parte hostiæ consecratæ. Nec obstat, quod non quæcunque minima quantitas aquæ ad baptismum sufficit, nec modicissima mica panis potest manducari, nec modica vini gutta potari; Nam diuersa est ratio de sacramento baptismi, & Eucharistiæ, quia per guttam aquæ non fit ablutio, quæ est materia necessaria baptismi, sed gutta vini verè est vinum, quod est materia Eucharistiæ; & satis est per se panem, & vinum esse materiam cibi, & potus, licet per accidens tam parua quantitas non possit ad vsum applicari; Ex quo sequitur, quod si panis, vel vinum sit in tam exigua quantitate, vt modo humano, & naturaliter sensibilis non sit, nulla ratione validè consecrari poterit, quia quodcumque sacramentum ex institutione diuina habet, quod sit signum sensibile, & consequenter materiam requirit, quæ sit sensibilis, atque ideò quod actu sensibile non est, validè consecrari non potest.

130 Sed objicies, quælibet pars minima panis, aut vini alijs partibus coniuncta consecrabilis est, & de facto consecratur cum alijs, ergo quælibet talis etiamsi seorsim sumptam absolutè cōsecrari poterit, quia adhuc ab alijs separata eandem entitatem, & quantitatem habet, quam habebat alijs coniuncta, & vnita Confirmatur, quia Christus conseruaretur in quauis parte etiam insensibili hostiæ consecratæ, si à toto diuideretur; ergo posset etiam in ea primò produci, nam eadem dispositio, requiritur ad conseruandum, atque ad perficiendum hoc sacramentum; antecedens probatur, quia in Florent. & Trid absolutè, & sine vlla limitatione definitur corpus Christi contineri sub singulis specierum particulis etiam separatione facta: & sicut in toto Christus conseruatur sub quauis parte etiam sensibili, ità etiam à toto separata, quia separatio non variat naturam panis.

Respondetur negando consequentiam, quod enim ex se insensibile est, fit in toto sensibile, tanquam pars eius, quia per se existens nequit immutare sensum, quem tamen immutare potest, vt vnitum alteri, potest enim cooperari alijs partibus, quia virtus vnita fortior; seorsim autem sumptum sensum immutare non potest, ac consequenter nec etiam consecrari, quia per pronomē *Hoc* sensibiliter designari non potest, quod ad materiam consecrationis requiritur,

Ad Confirmationem, aliqui negant antecedens, quia in parte insensibili separata à toto non conseruaretur forma panis visualis, qui debet esse sensibilis, quicquid sit an in ea conseruaretur panis simpliciter. Christus autem conseruaretur sub accidentibus panis quamdiu sub illis conseruatur panis visualis; in toto autem quælibet pars fit sensibilis ratione totius, cum quo continuatur, separata autem variatur quoad sensibilitatem, & hinc est, quod Christus in toto conseruatur sub qualibet parte quantumuis minima, non tamen separata, & quando Concilia dicunt Christum manere sub qualibet particula etiam separata, aiunt intelligere de sensibili, naturaliter enim conseruari non potest tam parua particula, quæ aliquo sensu percipi non possit. Alij autem admisso antecedente negant consequentiam, quia aliqua exiguntur ad fieri rei, quæ ad conseruationem necessaria non sunt, vndè licet conseruari possit Christus facta separatione sub qualibet particula, non tamen consecrari; quia in fieri necesse est materia possit demonstrari, vt consecretur, sed post consecrationem non est id necessarium, vt conseruetur, & vtraque solutio defendi potest iuxtà varietatem principiorum.

Quartò tandem, quoad quantitatem ex parte magnitudinis non omnes conueniunt, sed variæ sunt opiniones; 131
Aliqui affirmant dari terminum in quantitate quoad magnitudinem, vltrà quam nequit validè confici, quam limitationem nec etiam ex eodem fundamento deducunt. Alij è contrà absolutè negant dari vllum terminum, etiamsi in infinitum procedatur in extensione. Alij tandem negant quidem, si in infinitum fingamus panem extendi, aut vltrà sensum posse consecrari, non quidem ob excessum quantitatis, neque ex defectu potestatis consecrandi, sed ex defectu præsentiæ requisitæ; ità Suarez, Auersa, Morandus, Amicus, Poncius, Gauatins, & alij passim, & hæc opinio sicut est communior in scholis, ità etiam probabilior. Ratio est, quia ad præsentiam requisitam in re consecranda requiritur, vt res sit præsens aliquo modo practico, & moraliter, & demonstrabilis per ly *Hoc*, vel *Hic*; at si vel panis, vel vinum esset in immensa aliqua magnitudine, non diceretur tali particula demonstrari, nec esse præsens practicè, & moraliter, ergò &c. Neque enim ad hoc, vt aliquid dicatur alicui esse præsens morali modo, itaut sit propriè demonstrabile per ly *Hoc* sufficit, quod sit continuatum cum eo, quod est illi præsens, & demonstrabile, vndè videmus, quod licet aer v.g. qui est in suprema aeris regione continuetur cum eo, qui est nobis præsens; & terra, quæ est hic Meldulæ v.g. continuetur cum ea, quæ est Romæ; non tamen loquendo de aer supremæ regionis, aut de terra, quæ est Romæ, dicemus *hic aer*, vel *hæc terra*, sed potius ille aer, illa terra, non secus ac essent omninò discontinuata ab aere, & terra nobis præsenti. Et qua doctrina refellitur solutio Valentiæ, Vasquez, Caspensis, ac etiam Brancati nostri dicentium, tunc perfectum præsentiæ non posse totam materiam consecrari, quando est separata, & in diuersis locis, quod si sit continua, vel quasi continua v. g. coadunata per modum aceruí, tunc posse in qualibet quantitate consecrari, cum enim tota illa magnitudo sit quantitas vna continua ratione partium vicinarum, quæ demonstraremur per pronomen *Hoc* iam diceretur tota demonstrata; & partes illę remotæ cùm sint continuæ cum proximis, per has moraliter saltem pręsentes censeri debent.

Reijcitur, inquam, hęc solutio, quia vt materia aliqua possit validè consecrari, non est satis, quod tantùm secundum aliquam sui partem sit consecranti moraliter pręsens, sed necesse est, vt secundum omnes eius partes moralem saltem pręsentiam habeat; Nec sufficit, quod remotę sint continuæ cum proximis, vt per has saltem moraliter pręsentes censeri debeant, siquidem illa partium continuitas nihil refert per habitudinem ad humanam præsentiam, quarè partes longè distantes, quamuis sint propinquis continuæ, ità se habent in ordine ad præsentiam, sicut si essent separatæ; alioquin Roma diceretur mihi moraliter præsens, & aer qui est in suprema regione, eo quia continuantur cum terra, & aere, aquæ sunt Meldulæ. Tum quia partes illæ ideò longè distantes, quamuis cum propinquis continuatæ, non possent per pronomen *Hoc* verè, & propriè designari; sicut si quis in littore nostri maris existens diceret hęc est aqua, vtique à nullo prudente existimaretur loqui de aqua, quę est in India, licet sit continuata cum nostra, sed de illa solùm, quę ab eo ità indistans esset, vt 132

per

per pronomen *Hæc* verè, & propriè designari posset, quamuis, etiam cum parte propinquiori nullam continuitatem haberet; ergò continuitas illa non est sufficiens, vt remotissimæ partes propinquiores, quibus sunt coniunctæ, censeantur moraliter præsentes, vt requiritur ad verba consecrationis verificanda; atque ideo si materia consecrationis non haberet mensuram, & terminum determinatum in magnitudine, posset consecrari aliquod non præsens consecranti.

Respondet Brancatus noster *disp.* 18. *art.* 6. *num.* 129. negando sequelam, quia in primis euenire non potest naturaliter, vt fiat panis tantæ magnitudinis, & si fingatur panis, sicut mons magnus, vel fiat à Deo, ait quod esset moraliter præsens quoad consecrationem, sicut qui in magna planitie absolueret ab excommunicatione magnum exercitum ibi commorantem, vel populum alicuius ciuitatis, quia non requiritur physica indistantia, neque æqualis distantia omnium partium, quo etiam sensu magnus exercitus dicitur Imperatori, vel Duci præsens, non quidem physicè, sed moraliter ob continuitatem partium illi toti proportionatam; ità igitur si adeò magnus panis daretur, sicut mons, vel vinum in tanta quantitate, sicut est aqua maris, erit præsens physicè per aliquas partes scilicet propinquiores, moraliter autem per reliquas, quæ sunt remotiores.

133 Hæc tamen solutio sicut cum præcedenti omninò coincidit, ità easdem patitur instantias, falsum enim est, vt materia sit præsens, & sensibilis quantum sufficit ad consecrationem, satis esse quamcumque partium continuitatem, aliàs mihi in littore maris existenti tota Oceani aqua esset moraliter præsens, etiam quæ apud Indos existit, & si tota miraculosè in vinum conuerteretur posset à me tota illa aqua in vinum conuersa consecrari, quo nil absurdius excogitari potest; requiritur ergò talis partium continuitas, quæ sufficiat ad demonstrandum aliquid præsens per illa pronomina *Hic*, & *Hoc*; Vndè exempla adducta non sunt ad rem, quamuis enim magnus exercitus dicatur totus præsens Duci moraliter ob continuitatem partium illi toti proportionatam, non tamen est talis præsentia moralis, quæ in modo strictò loquendi sufficiat ad demonstrandum aliquid per illud pronomen *Hoc*, & quamuis dici posset, hic est exercitus Cæsaris, non tamen in eo sensu, quo verificari debet forma consecrationis, hæc enim requirit, vt materia consecrabilis sit intrà sphæram actiuitatis potentiæ sensitiuæ, quod de toto illo magno exercitu, & singulis eius partibus dici non posset; Neque etiam aliud exemplum de absoluente totum exercitum ab excommunicatione est ad rem ob eandem rationem, nam strictior præsentia moralis requiritur ad verificandam formam consecrationis per pronomen *Hoc*, quàm formam absolutionis per ly *Vos absoluo*, absolutio namque etiam absentibus impertiri potest, & ità etiam olim impertiebatur, quando licita erat confessio per epistolas: at materia consecrationis debet esse sensibiliter præsens; & per pronomen *Vos* etiam absentes designari, & appellari possunt, at per pronomen *Hoc* non nisi sensibiliter præsens potest demonstrari.

Sed Obijcies: totum vinum, quod est in dolio, censetur sufficienter præsens, vt validè consecrari possit, quamuis omnes illius partes, quæ sunt in medio, & in profundo, non videantur, sed illæ tantùm, quæ sunt in superficie; ergò vt materia consecrabilis sit moraliter præsens, & sensibilis opus non est, quod secundum omnes suas partes sit præsens, & sensibilis, sed sufficit esse talem secundum aliquam, vel aliquas sui partes, eo enim ipso, quod reliquæ partes sint illis coniunctæ, dicuntur omnes esse moraliter præsentes, & sensibiles.

134 Respondetur ex proximè dictis, ad hoc vt materia consecrabilis dicatur moraliter præsens, & sensibilis, non sufficere quamcumque partium continuitatem, sed talem esse debere, quæ sufficiat ad demonstrandum aliquid præsens per illa pronomina *Hic*, & *Hoc*, & ita solùm illæ partes, quæ sunt intrà sphæram actiuitatis potentiæ sensitiuæ, possunt dici moraliter præsentes, & sensibiles, licet ratione partium interpositarum actu non sentiantur; vndè cùm omnes partes vini in dolio existentes sint intrà sphæram actiuitatis potentiæ sensitiuæ, possunt omnes esse materia consecrabilis, & per illas partes, quæ actu videntur in superficie, possunt per pronomen *Hoc* verè, & propriè designari; non solùm enim de partibus, quæ actu videntur, sed de ijs etiam, quæ actu non videntur, propriè pronomen *Hoc*, vel *Hic* proferri potest: quia licet actu non videantur, in tali tamen indistantia sunt, vt actu videri possint, ac moraliter præsentes videnti censeantur; quod verificari nequit de omnibus partibus ingentis alicuius magnitudinis, nam remotissimæ sunt omninò extrà sphæram actiuitatis sensuum externorum; & nedùm non sunt in proxima dispositione, vt à Ministro videantur, vt de partibus vini in fundo dolij existentis dicebamus, sed ab eo & physicè, & moraliter censentur distãtes, ac proindè nec per proximiores videri, nec per pronomen *Hic*, vel *Hoc* propriè designari possunt, nec consequenter consecrari, vndè ad argumentum neganda est consequentia.

Dices, ergo si materia sit valdè distans, dummodò oculis videri possit, poterit consecrari, siquidem est intrà sphæram actiuitatis potentiæ visiuæ; hoc autem est omninò falsum, vt de se constat. Respondeo, non tantùm requiri, vt materia consecrabilis sit intrà sphæram actiuitatis potentiæ sensitiuæ, sed vlterius etiam talem distantiam requiri, vt moraliter loquendo, & secundum prudentum existimationem dicatur materia illa præsens, & quidem tali præsentia, quæ in modo strictò loquendi sufficiat ad demonstrandum aliquid per illud pronomen *Hoc*; Quando autem obiectum cernitur à longè, & in notabili distantia, in communi modo loquendi non designatur per pronomen *Hoc*, sed *illud*, ac proindè etiamsi contineretur intrà sphæram actiuitatis potentiæ visiuæ, quia distinctè etiam cernitur à longè, non tamen censeretur moraliter præsens, sed absens, & distans, nec designari posset per pronomen *Hoc*, sed tantùm *illud*. Quanta autem esse debeat hæc propinquitas, quæ sufficiat ad faciendam rem moraliter præsentem, nulla certa regula præscribi potest, & mathematica mensura definiri, sed prudenter diudicari debet iuxtà sensum, & proprietatem loquendi, de quo videri potest Bonacina *q.* 2. *punc.* 6. *nu.* 10. & 11.

Itaque concludendum est, materiam Eucharistiæ per se non habere terminum suæ magnitudinis, aut paruitatis, 135
hoc est, ex vi formæ, & potestatis, quæ est in ministro, sed tantùm per accidens, quia materia consecrabilis debet esse moraliter præsens, & sensibilis, hoc est, quæ aliquo sensu percipi possit: hæc autem petit terminum suæ magnitudinis, & paruitatis; ergò per accidens habet terminum suæ magnitudinis, & paruitatis: Minor probatur, quia potest dari quantitas aliqua panis, vel vini adeò parua, vt sit extra naturale obiectum sensus humani, etiamsi perfectissimus, & acutissimus sit; & ex alia parte, cum sensus determinatam habeat spæram suæ actiuitatis, non potest se extendere ad quamcumque maximam quantitatem; ergò vt sit moraliter præsens, & sensibilis humano modo, requirit aliquem terminum suæ magnitudinis, tam versus maximum, quàm versus minimum, & ità per accidens habet terminum tam magnitudinis quàm paruitatis; quæ est sensibilitas, & præsentia quædam moralis, quæ non habetur in quantitate quantumcumque maxima respectu omnium partium, nec quantumcumque minima; Non est autem necesse materiam consecrationis ita esse sensibilem, vt sit præsens omnibus sensibus, alioquin cæcus consecrare non posset, cuius oppositum docet Scotus de quodam Episcopo apud Amicum qui quotidiè ex dispensatione Pontificis consecrabat, sed sufficit, vt sit præsens alicui sensui, vndè sufficit notitia tactus, olfactus, gustus, ac etiam auditus, si nimirum ex relatione alterius certificaretur Minister panem, vel vinum adesse, quod vltimum an sit verum, prudentum iudicio decernendum relinquo; hoc quidem certum est, & regula infallibilis in dubio rationabili consecrationem semper esse repetendam; Qui plura de hac materia desiderat, adeat Gauatium nostrum, qui integram disputationem septimam de ea conficit.

QVÆSTIO SEXTA.

Quænam sit forma consecrationis corporis in Eucharistia.

CONueniunt omnes Catholici formam consecrationis corporis in illis quatuor verbis consistere, *Hoc est corpus meum*, ità enim docuit Apostolus 1. Cor. 11. vbi recitans, & do-

& docens formam, quia Christus consecrauit, dicit, *Hoc est corpus meum*, ità etiam docuit Conc.Florent. in decreto Eugenij, vbi in specie loquens de sacramento Eucharistiæ dicit formam huius sacramenti esse verba illa Saluatoris, *Hoc est corpus meum*, quibus hoc sacramentum conficitur, Sacerdos enim in persona Christi loquens illis verbis hoc conficit sacramentum, & idem tandem docet Trident. *sess.*13. Conueniunt etiam particulam *enim* non esse de essentia formæ consecrationis, & consequenter nec de necessitate sacramenti; sed tantum poni ad continuanda præfata quatuor verba cum præcedentibus, scilicet, *Qui pridiè* &c. esse tamen de necessitate præcepti, vndè qui eam omitteret, grauiter peccaret contrà perpetuam, & vniuersalem Ecclesiæ consuetudinem. Sola igitur difficultas est, an quatuor ista verba ad substantiam, & validitatem sufficiant sacramenti; an etiam necessaria sint verba præcedentia, *Qui pridie*, vt sacramentum Eucharistiæ conficiatur.

137 Prima sententia docet verba illa præcedentia formam consecrationis, licet non sint forma, vel pars illius, esse tamen ità necessariò requisita, vt si Sacerdos illis prætermissis consecraret, vel nihil efficeret, vel saltem dubium esset, an consecrasset, quia illa verba præcedentia sunt necessaria, tanquam conditio determinans modo sensibili prolationem formæ fieri in persona Christi; quæ opinio communiter tribuitur Scoto 4 *d.*8.*q.*2.§.*de secundo dico*, vbi habet hæc verba si quis Sacerdos inciperet sic loqui, *Hoc est corpus meum*, non prædicens verba præmissa, non est adorandum sacramentum, nisi sub conditione, si verè consecratum est; ità Doctor, quibus verbis moti Scotistæ nonnulli, hanc secuti sunt sententiam, vt eius genuinam, vt Rada 4. *part. controu.*5. *art.*3. Faber 4.*sent.disp.*33. Brancatus *disp.*19. *art.*1. & ex recentioribus sequitur Pasqualigus *disput.*95.*sec.*2. Secunda sententia est communis aliorum dicentium verba præcedentia illud pronomen *Hoc*, non esse de necessitate sacramenti, sed solùm præcepti, ac proindè si omitterentur, adhuc per illa quatuor verba, *Hoc est corpus meum*, verè Eucharistiæ sacramentum conficeretur: quamuis enim verum sit, quod illa quatuor verba absolutè prolata sine præcedentibus ex vi verborum non significant id, quod efficitur, sed corpus proferentis, quia ly *est*, vnit ly *corpus* ad eum, qui dicit *meum*; tamen si Sacerdos, cum illa verba profert, intendat corpus Christi, iam hæc non significant corpus proferentis, sed Christi; Et hæc non solùm est communis in Schola Thomistarum, sed etiam est Alensis, & D.Bonauenturæ: & Tataretus fidelissimus Scoti interpres ait Doctorem oppositum docuisse disputandi gratia, non tamen oppositæ sententiæ firmiter adhæsisse, quia ibi se remittit meliori iudicio, qua de causa plures etiam, & grauiores Scotistæ, tùm veteres, tùm recentiores, hanc secundam tuentur sententiam vt Tataretus cit. Bassolius, Hiribarnes, Aretinus, Hiqueus, Gauatius, Poncius, & alij Recentiores passim.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæstionis Resolutio.

138 IN hac quæstione dicendum puto, quod licet prima opinio sua probabilitate non careat, vt ostendunt Poncius, & Hiqueus, etiamsi secundam sequantur, hæc tamen secunda probabilior est, tùm quia communior, tùm quia Doctor ipse *d.*8.*q.cit.* quamuis *art.*2. pro prima opinione stare videatur, tamen in *art.* 3. in communem opinionem ipse quoque condescendere videtur, etenim vt notat Hiqueus ibidem, postquam in 3. illo articulo fusè differuit de sensu illius orationis in rigore logico, subiungit resolutoriè non esse necessarium, vt Minister talem sensum exquirat, aut resoluat, quis esse possit; sed sufficere proferre orationem sub ea intentione, qua Christus eam instituit proferendam, & sic erit instrumentum ponendi corpus Christi sub speciebus, cui vt à tali agente prolato assistit Deus, vt ponat effectum in vltimo instanti prolationis eiusdem; Ex quibus videtur significare, inquit Hiqueus, ad consecrationem validam sufficere, vt prolatio fiat seruata intentione proferendi formam, prout Christus instituit eam proferendam, & habere effectum, tanquam instrumentum sensibile à Christo institutum cui Deus assistit ad effectum causandum in vltimo instanti prolationis verborum; ità concludit Doctor in eo tertio articulo sub litter. Y. versic. *sic ergo breuiter*, ex quo Scoti discursu colligitur, quod quotiescumq; Sacerdos intendit proferre, & profert verba consecrationis secundum quod fuerũt à Christo instituta, sufficienter intelligitur loqui in persona Christi, & habetur totum id, quod requiritur, vt conficiatur sacramentum, scilicet, intentio debita, & instrumentum debitum, cui Deus assistit; quod etiam adnotauit Gauatius *disp.*8. *q.*3. *cap.*1. non ergo est de mente Doctoris necessariò requiri alia verba præcedentia formam ad hoc sacramentum conficiendum, sed illum dicendi modum in secundo articulo proposuit, vt probabilem disputationis gratia, non verò vt absolutè tenendum.

Probatur autem nostra conclusio; vt verba formam huius sacramenti constituentia suum sortiantur effectum, scilicet, vt ex vi ipsius ponatur corpus Christi sub speciebus panis; vtique necessarium est, vt proferantur in persona Christi, nam in consecratione Eucharistiæ verba non referuntur vllo modo ad personam Sacerdotis loquentis, sed ad Christum, in cuius persona loquitur Sacerdos, dum inquit, *Hoc est corpus meum*; sed vt hæc verba proferantur in persona Christi, non pendet ex verbis antecedentibus in Canone, sed ex intentione Ministri, quam postulat veritas ipsa formæ à Christo institutę, etenim hoc ipso, quod verba formæ proferantur, vt vera, necesse est proferri in persona Christi; ergo &c. Maior patet, probatur minor, nam quantumcumque Sacerdos verba pręcedentia præmittat, si tamen intentionem non habeat ea verba proferendi eo modo, quo Christus instituit, & efficiendi quod Christus effecit, sacramentum non conficiet, quia sine tali intentione proferendo, ea tantùm proferret materialiter, & recitatiuè, non verò formaliter, & significatiuè, vt ad effectionem sacramenti necessarium est; quod si ea verba proferat cum tali intentione, eo nempè modo, quo Christus instituit, sufficienter intelligitur ea verba proferre, non tantùm materialiter, & recitatiuè sed etiam formaliter, & significatiuè, ac proindè eo ipso in persona Christi loqueretur, & sacramentũm conficeret; ergò verba præcedentia non sufficientia, vt intelligatur Sacerdos loqui in persona Christi, sed hoc specialiter dependet ex intentione ministri, quam etiam habere potest sine prolatione verborum pręcedentium. 139

Confirmatur, quia si Sacerdos legat historiam institutionis huius sacramenti, vel in Euangelio, vel in Epistola citata D.Pauli, ac etiam proferat verba illa, *Hoc est corpus meum*, & si sensibiliter dicantur in persona Christi recitando Euangelium, vel locum D.Pauli, non est tamen satis ad consecrandum; & quidem non alia ratione, nisi quia estò illa verba referat in persona Christi, hoc tantùm facit materialiter, & recitatiuè; non verò formaliter, & significatiuè, ob defectum intentionis proferendi ea eo modo, quo Christus instituit, & efficiendi quod Christus effecit; ergò non dicitur Sacerdos induere personam Christi, & in persona ipsius loqui quatenus solùm recitat, quę Christus dixit, & fecit; sed quatenus verba profert eo modo, quo Christus instituit, & cum intentione efficiendi, quod ipse effecit: primum autem facit Sacerdos per verba pręcedentia, secundum verò per ipsa verba consecrationis cum debita intentione prolata: ergo hoc adęquatè pendet à sola intentione Sacerdotis, & Christi institutione; atque ità non per verba antecedentia sed per ipsa verba consecrationis debitè prolata intelligitur loqui Sacerdos in persona Christi: imò pręcedentia verba potius impedire videntur, quàm iuuare ad hoc, videntur enim indicare Sacerdotem recitatiuè solùm proferre totam illam historiam, quam in verbis præcedentibus recitare incępit, & narrare. 140

Denique vt constat ex Florentino in decreto vnionis Armenorum verba, quibus hoc conficitur Sacramentum, sunt verba Saluatoris, in cuius persona Sacerdos loquens hoc conficit sacramentum; at aliqua ex illis verbis, quę pręcedunt, non sunt verba Saluatoris, sed Euangelistarum; ergo ad formam huius sacramenti non pertinent, nec necessaria sunt de necessitate sacramenti, & quamuis verba illa, *accipite, & manducate* sint verba Saluatoris, Sacerdos tamen non ea profert in persona Christi, nisi tantùm materialiter, & recitatiuè, aliàs vera non essent; tùm quia verba illa significant tantùm vsum huius sacramenti, quod cum in re permanenti essentialiter consistat, ad eius essentiam, & valorem pertinere nequeunt: quarè in Lucę in Euangelio ea verba omittuntur, cum dicat, *accepto pane gratias egit, & fregit & dedit eis dicens, Hoc est corpus meum*, non est autem credibile Euangelistam Eucharistię institutionem referentem, id quod erat ad valorem formę necessarium omisisse; Et per hęc 141

haec argumenta sufficienter excluditur consueta Aduersariorum responsio dicentium nostras rationes probare duntaxat, verba illa praecedentia non esse necessaria quasi sint pars intrinseca formae, ac de illius essentia; non autem probare, non requiri, vt verba illa, *Hoc est corpus meum*, sint verba Christi, & in persona Christi prolata, quod necessario requiritur, vt sint apta forma consecrationis; Excluditur inquam, haec responsio, quia rationis allatae non tantùm probant verba praecedentia illa quatuor non esse de essentia consecrationis, sed nec etiam facere, vt forma consecrationis proferatur à Sacerdote in persona Christi formaliter, & significatiuè, quia hoc adaequatè pendet ab intentione Sacerdotis, & Christi institutione.

Respondent Scotistae oppositae sententiae, intentionem Ministri non sufficere ad faciendum, quod illa verba secundum proprietatem sermonis sint verba Christi, & proferantur in persona Christi, quoniam voluntas, & intentio proferentis non tribuit verbis vim significandi; quarè si ipsa, vt simpliciter dicta, & sine praecedentibus non significant ex vi propria corpus Christi, sed corpus proferentis; neque intentio proferentis sufficiet, vt talem vim significandi habeant: vndè si Sacerdos extrà altare haec verba proferret, *Hoc est corpus meum*, & si ea vellet in persona Christi proferre, per ea non significaretur corpus Christi, sed ipsius Sacerdotis loquentis; quarè necessario sequitur praecedentia verba esse praemittenda, vt verba consecrationis in persona Christi dicta intelligantur.

143 Sed haec solutio facilè refellitur ex dictis, quamuis enim verum sit verba illa nudè, & absolutè sumpta abstrahendo ab institutione, & praecepto Christi, non significare ex vi propria corpus Christi, sed corpus proferentis, nec censeantur ex vi verborum in persona Christi prolata; tamen si accipiantur, quatenus à Christo ad hunc effectum instituta fuerunt, vt per illa cum debita intentione prolata suprà materiam debitam Sacerdos Sacramentum Eucharistiae conficeret transsubstantiando panem in corpus Christi, hoc modo illa duo significare possunt, & cum omni proprietate sermonis; tunc enim Sacerdos in persona Christi loquitur, ideoque ly *meum*, non corpus loquentis significat, sed Christi, cuius vicem gerit: & quamuis etiam verum sit verba illa talem vim significandi à sola voluntate, & intentione proferentis habère non posse, possunt tamen eam mutuare ab institutione Christi instituentis verba illa cum intentione debita à Sacerdote prolata; vndè si Sacerdos suprà debitam materiam proferret verba consecrationis sine praecedentibus cum intentione consecrandi, verè sacramentum conficeret, & verba illa sufficienter practicè significarent panem transsubstantiari in corpus Christi; Vndè licet necesse sit ad consecrationem, quod forma proferatur in persona Christi, non tamen modo sensibili per praecedentia verba, vt contendit Pasqualigus loco citato cum nostris Scotistis oppositae sententiae; alioquin quando accideret casus, quod in eodem sacrificio sit consecranda noua hostia, non esset satis consecrationem incipere ab illis verbis, *Qui pridiè quam pateretur*, contra praeceptum Rubricae in Missali §. 3. *de defectibus*, quia ly *Qui* sine praecedentibus verbis non refert magis personam Christi, quàm alterius: tùm quia per illa verba praecedentia talis determinatio formae consecrationis fieri nequit, vt proferatur in persona Christi, quantum sufficit ad consecrationem, significant enim, vt suprà dicebamus, sacerdotem proferre verba consecrationis materialiter solum, & recitatiuè, referendo nempè praecisa verba, quibus Christus sacramentum confecit, quo modo non significant ibi esse corpus Christi; Quarè quod sit forma sacramentalis, solum facit, vt debeat esse sensibilis non autem exigit, vt sensibili modo proferatur in persona Christi: sed hoc adaequatè dependet à sola intentione sacerdotis, & Christi institutione sine qua etsi sensibiliter dicantur verba illa in persona Christi, putà recitando Euangelium, vel Epistolam Pauli vbi refertur historia institutionis huius sacramenti, non essent satis ad consecrandum.

Respondet rursus Brancatus noster loco citato negando non pendere ex verbis formam consecrationis praecedentibus, quod loquatur Sacerdos in persona Christi, sed solum ex intentione sic loquendi; nam licet ego referens aliquod dictum Dei, intendam loqui in persona Dei, illud tamen dictum non praefesert, neque significat Deum, nisi praemittam aliquod verbum quo ostendam Deum loqui verb. gr. si dicam, *Arcum meum ponam in nubibus* &c. & intendam loqui in persona Dei, qui hoc dixit; si nullum aliud verbum praemittam, verba illa intelligentur de me ex vi verborum, & non de Deo: è contra verò aliquis referens, quod dixit Pontifex, *Mea auctoritas non est ab hominibus, sed à Deo*, iam repraesentat Pontificem loquentem, & verba illa significant auctoritatem Pontificis, qui de se fuit locutus; ità Sacerdos cùm refert id, quod dixit Christus, repraesentat Christum loquentem, & sic dicentem, *Hoc est corpus meum*; si verò non refert, quod Christus fuerit locutus, verba illa intelligerentur de se, & sic ex vi sua non significarent corpus Christi, sed suum.

Sed Contrà argumentor ex communi doctrina Scotistarum, & ipsius Brancati ibidem, vbi dicit quod verba Eucharistiae non solùm repraesentare debent Christum loquentem, sed corpus Christi ex vi prolationis, quia Sacerdos proferre debet verba consecrationis, non tantùm materialiter, & recitatiuè, sed formaliter quoque, & significatiuè, quia si recitatiuè duntaxat proferret, sacramentum non conficeret, sed seclusa intentione faciendi id quod Christus instituit, per verba consecrationem praecedentia datur tantum intelligi Sacerdotem verba consecrationis proferre materialiter, & recitatiuè: non verò formaliter, & significatiuè; ergò id specialiter pendet ab intentione ministri, quatenus profert illa ea intentione, qua Christus instituit, & protulit, efficiendi, quod Christus effecit: Maior patet, minor probatur, rigorosè enim loquendo dùm Sacerdos dicit, *Accepit Iesus panem, benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens, Hoc est &c.* ly *Hic* non denotat id, quod habet in manibus ex vi praecedentium verborum, sed quod Christus habebat: non ergò per verba praecedentia, sed per intentionem debitam, supposita Christi institutione, Sacerdos dicitur in eius persona loqui: Vndè neque allata exempla sunt ad rem, sed potius ad oppositum, nam qui refert verba illa à Pontifice audita, *Mea auctoritas non est ab hominibus, sed à Deo*, solùm materialiter, & recitatiuè Pontificem loquentem repraesentaret, quod ad consecrationem non sufficit, quia verba Eucharistiae non solùm repraesentare debent Christum loquentem sed significare etiam corpus Christi sub speciebus existens ex vi prolationis; Et si quis etiam verba illa pronunciet, *Arcum meum ponam in nubibus*, praemisso aliquo verbo, quo ostendat se loqui in persona Dei; licet per hoc materialiter, & recitatiuè Deum loquentem repraesentaret, non ob id arcum in nubibus efficeret, sicut Sacerdos, verbis consecrationis corpus Christi efficit sub speciebus: quoniam verba illa non sunt à Deo instituta, vt quoties proferuntur vt vera, proferantur in persona Dei, & per ea efficiatur, quod eisdem significetur, sicut instituta sunt verba consecrationis; quarè exempla illa non sunt ad rem; & gratis concedendum est verba consecrationis praecisè non referri ad personam Christi, sed adiuncta institutione Christi, & intentione ministri, quam postulant verba ipsa prolata, vt sint vera.

Deindè probatur nostra assertio, quia nihil requiritur ad confectionem alicuius sacramenti praeter formam, & materiam essentialem, ac debitam intentionem ministri ex Conc. Florent. in decreto Eugenij ad Armenos, sed quatuor illa verba, *Hoc est corpus meum*, sunt forma essentialis, & panis super quem applicantur, est materia sufficiens, nec requiruntur aliqua verba ad significationem, vel manifestationem intentionis ministri, vt constat in alijs sacramentis, ergo nulla alia verba necessariò requiruntur. 144

Respondent Scotistae oppositae sententiae quatuor illa verba, *Hoc est corpus meum*, non esse verba consecrationis absolutè sumpta, sed tantùm quatenus sunt verba Christi; non sunt autem verba Christi, nec in persona Christi, à Sacerdote prolata, nisi praemittantur alia verba. Sed haec responsio toties repetita satis ex dictis impugnata manet, nam per verba antecedentia non loquitur Sacerdos in persona Christi, nisi merè materialiter, & recitatiuè, recitando nempè, & referendo verba, quibus Christus Sacramentum confecit quo modo prolata non significant ibi esse corpus Christi: vndè sic illa verba proferendo se habet tanquam priuata persona recitans, & referens, quod Christus dixit, & fecit: at quando profert consecrationis verba formaliter, & significatiuè, non se habet, vt persona priuata & particularis, sed induit personam Christi, quatenus illa & fecit; atque ità per verba antecedentia dicitur sacerdos proferre verba consecrationis materialiter tantùm, & recitati-

tatiuè; per debitam verò intentionem faciendi quod Christus instituit, profert illa formaliter, & significatiuè, quo pacto tantum induit personam Christi; ergò quod verba consecrationis proferantur in persona Christi vt ad consecrationem exigitur per se, & essentialiter pendet ex debita Ministri intentione, & Christi institutione; ex verbis verò præcedentibus extrinsecè solùm, ac veluti per accidens, quatenus per illa quodammodò datur intelligi Sacerdotem loqui in persona Christi; cum ergo ea, quæ rei conueniunt extrinsecè, & per accidens non possint variare, quæ ei conueniunt intrinsecè, & per se; sequitur, quod si Sacerdos omitteret præcedentia verba, & tantùm verba consecrationis proferret cum debita intentione, & vt fuerunt a Christo instituta, sufficienter adhuc intelligeretur Sacerdos loqui in persona Christi, & verum sacramentum conficeretur.

145 Postremò solet ab alijs opposita sententia impugnari cum Suarez *disp.*59. *sec.*1. ab initio exemplo aliorum sacramentorum, in quibus minister non præmittit necessariò aliqua verba, quibus sensibili modo ostendat se loqui vt ministrum Dei, non enim dicit, *Ego loquens, vt minister Dei, te absoluo* &c. ergò pariter potest etiam in hoc sacramento loqui in persona Christi, licet non explicet in actu signato per verba præcedentia, & sensibili modo. Sed vt aduertit Cardin. de Lugo *disp.*11.*sec.*3. argumentum non est efficax, quia licet in alijs quoque sacramentis minister loquatur, vt minister Christi, & Dei; voces tamen, & verba ab ipso prolata immediatè personam ministri significant, vndè in forma absolutionis in sacramento Pœnitentiæ, vel ablutionis in sacramento baptismi ly *Ego* non refertur ad Deum, vel ad Christum, sed ad ipsum ministrum, quarè posset eodem modo dicere, Ego Petrus te absoluo, vel te baptizo, quia re vera ipse est, qui absoluit, vel abluit, licet auctoritate a Deo accepta; At in consecratione Eucharistiæ verba nullo modo ad personam sacerdotis loquentis referuntur, sed ad Christum, in persona cuius loquitur; & ideò in hoc sacramento maior videtur esse necessitas id explicandi, quàm in alijs; nisi enim id explicetur, absolutè loquendo ly *meum* ad corpus loquentis referri videtur, & non ad corpus Christi; quarè recedendum non est à rationibus iam adductis, nam quædam aliæ quoque à Lugo *loc.cit.* adductæ ad hoc idem probandum non multum vrgere videntur, quas dissoluit Brancatus *loc.cit.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Aduersariorum Obiectionibus occurritur.

146 IN Oppositum vrgent Primò Scotistæ oppositæ sententiæ rationem à Scoto adductam loc.cit. quia verba sacramentalia debent ex se, & ex vi propriæ significationis, & non tantùm ex intentione ministri, significare, quod efficiunt; vt ergò efficiant corpus Christi sub speciebus, debent vi sua, & non tantùm ex intentione ministri illud significare; non possunt autem vi suæ significationis illud exprimere sine præcedentibus verbis Canonis; quia pronomen *meum* nisi connectatur cum verbis præcedentibus, quibus significatur illud proferri in persona Christi, vi sua demonstrat personam loquentis; vt si proferas hæc verba absolutè, *doctrina mea non est mea*, ex vi sermonis referuntur ad personam loquentis, quantumcumque intendas te illa proferre in persona Christi, si ea absolutè proferas sine connexione cum alijs verbis antecedentibus. Confirmatur ex D. Ambrosio lib. 3. *de sacramentis cap.* 4. vbi de consecratione Eucharistiæ loquens inquit, *quibus verbis fit attendite, quæ sunt verba Accipite, & comedite, hoc est corpus meum*; ergò necessaria sunt antecedentia verba, per quæ Sacerdos in persona Christi loquens significet corpus Christi.

47 Respondetur negando assumptum, minimè enim opus verba sacramentalia ex vi propria id significare, quod consecratione efficitur, sed satis est, vt ex institutione diuina illud significent; vndè gratis concedimus verba sacramentalia ex vi sermonis præcisè ad personam Christi non referri, sed adiuncta Christi institutione, & intentione, quam exigunt verba ipsa prolata, vt vera à legitimo ministro; potuisset enim Deus orationem aliquam non significatiuam instituere, ad cuius prolationem à ministro ipse assisteret ad causandum effectum in fine prolationis, signum euidens non necessariò requiri verba consecrationis esse ex vi propria significatiua illius, quod per consecrationem efficitur vt in solutione huius argumenti scitè Gauatius aduertit; & licet verba consecrationis nudè, & absolutè à Sacerdote prolata ad personam loquentis referantur: cum debita tamen intentione prolata scilicet eo modo, quo Christus instituit, ad corpus Christi referuntur; Neque est par ratio de exemplo adducto de doctrina Christi, siquidem verba illa, *doctrina mea* non sunt instituta à Deo, vt quoties proferuntur illa; vt vera, proferantur in persona Christi, sicut instituta sunt verba sacramentalia, vt si Rex aliqua statueret verba, quæ quoties à regio Consilio dicerentur, personam Regis repræsentarent, hoc ipso posteà, quod verba illa proferrentur à Consilio absque alijs verbis, quibus significaret se loqui in persona Regis, Consilium talia proferens verba eo ipso in actu exercito personam Regis repræsentaret ex vi præcedentis institutionis. Ad Confirmationem dico Ambrosium illa verba adducere, quia licet non sint de necessitate consecrationis, adhuc tamen sunt de necessitate præcepti, vt supra dictum est, & idem Ambrosius verba illa alibi prætermisit.

Secundò arguit Hiqueus pro opposita sententia, quam probabiliter quoque defendit; quia tam Patres, quàm Ecclesia ex vi verborum, & proprietate probant realem præsentiam corporis Christi sub speciebus: ergò forma in ea determinatione facit sensum sacramentalem, ex vi verborum; sed hæc oratio absolutè prolata ex vi verborum significat corpus loquentis non alterius; ergò nisi aliud addatur, significat corpus sacerdotis loquentis: probatur assumptum, ex eo enim, quod Christus protulit illam formam, ex vi pronominis illius intelligunt omnes eum locutum fuisse de corpore proprio, aliàs nullum fundamentum esset colligendi ex vi verborum realem eius præsentiam. Confirmatur, quia intentio non facit, vt oratio significet ex vi verborum, quòd non est nata significare; sed ex vi verborum non est nata significare, nisi corpus proferentis eam absolutè, & sine limitatione, ergo &c. Maior patet, quia oratio est significatiua, non ex beneplacito proferentis, sed ex instituto, quia est signum commune, sed ex communi instituto non significat, nisi corpus proferentis, ergo non sufficit intentio proferentis, vt aliud significet. Denique intentio est occulta, neque cognoscitur, nisi ex vi sermonis: ergò nequit limitare orationem, vt faciat alium conceptum ex vi sermonis in audiente, nisi aliàs ex communi instituto competat; & hoc videtur significare Ecclesia, dum docet de defectibus Missæ, quod in casu, quo in eodem sacrificio sit noua hostia consecranda, incipiatur rursus consecratio ab illis verbis Canonis, *Qui pridiè*, &c. quia nimirum sine illis præcedentibus verbis sacerdos non proferret verba consecrationis in persona Christi, sed propria. 148

Respondetur negando assumptum, quia neque Ecclesia, neque Patres præsentiam corporis Christi probant ex vi, & proprietate verborum consecrationis, sed ex eorum institutione à Christo facta, & intentione ministri faciendi, quod Christus instituit, ad probationem dicendum ità contigisse in consecratione à Christo facta, quia ipse fuit huius sacramenti institutor, & auctor, & ideò ly *meum* referebatur ad corpus proprium; quia etiam in propria persona loquebatur: nos autem verba illa proferimus in persona Christi, & cum intentione faciendi, quod ipse fecit, & nobis præcepit, vt faceremus in eius commemorationem, vndè non est par ratio omninò de verbis consecrationis, vt à Christo prolatis, & vt à nobis. Ad Confirmationem patet ex dictis num. 142. quod licet verba consecrationis nudè, & absolutè sumpta abstrahendo ab institutione, & præcepto Christi significent corpus proferentis, non autem Christi: tamen si accipiantur, quatenus à Christo ad hunc effectum instituta fuerunt, corpus Christi instituentis, non autem sacerdotis proferentis significant, tunc enim sacerdos in persona Christi loquitur, non verò propria; & quamuis id à sola voluntate, & intentione proferentis habere non possint per se sumpta, possunt tamen hanc vim habere ab intentione ministri, vt subest institutioni Christi. Ad vltimum constat, etiam ex dictis n.144. non requiri alia verba vltrà verba formæ ad significandam, & manifestandam Ministri intentionem, vt constat in aliis sacramentis: & quod sit forma sacramentalis, solùm facit, & infert, quod debeat esse sensibilis, non autem exigit, vt sensibili modo declaretur esse prolata in persona Christi: Neque ad hunc finem Ecclesia præcepit, vt in casu consecrandæ nouæ hostiæ in eodem sacrificio, incipiatur rursus consecratio ab illis verbis, *Qui pridie*, sed 149

vt ser-

vt seruetur ritus, quo Ecclesia repræsentat Christi actionem, & ea quæ in vltima Cæna à Christo peracta sunt in consecratione huius diuinissimi sacramenti, vt constat ex dictis nu.142.

150 Tertiò arguit Brancatus ad idem probando intentionem ministri non sufficere, vt dicatur verba consecrationis proferre in persona Christi, sed necessaria esse verba præcedentia; nam verba significare ex vi verborum aliud non est, nisi significare ex natura propria, supposita institutione primi imponentis absque respectu aliquo ad intentionem significandi, nam hoc verbum *panis* v. g. ex vi sua panem significat, & licet proferens hoc verbum *panis* intenderet significare lignum, non ob id ex vi sua lignum significaret, sed panem; ergo quacumque intentione proferantur verba illa *Hoc est corpus meum* ex vi sua aliud non significant, nisi corpus loquentis, quia ad hoc significandum sunt imposita ab instituente. Confirmatur quia si intentio proferentis saluare posset significationem verbis competentem ex propria natura, sequeretur posse aliquem in forma baptismi his verbis vti *baptizo te* & intendere baptismum alterius, & saluari significatio ex vi verborum ob intentionem dicentis. Tandem verba significant eo modo, quo à primis imponentibus sunt deputata, & instituta, neque si proferens verba illa intendat aliud significare, talia verba fient proindè significatiua illius, quod intendit: sed hæc verba *Hoc est corpus meum* sunt imposita ad significandum corpus illius, qui loquitur; ergo nulla intentio proferentis poterit ea reddere non significatiua eo modo, sed aliter.

151 Respondeo hæc, & similia argumenta supponere, quod nos dicamus significationem verborum consecrationis pendere à sola intentione ministri proferentis nudè, & absolutè sumpta, quod minimè nos asserimus, sed solum dicimus significationem verborum consecrationis pendere ab intentione Ministri, vt substat institutioni Christi; verba enim consecratoria ab intentione proferentis vim significandi non accipiunt, quis amens hoc diceret? sed ab institutione Christi instituentis verba illa cum debita intentione à Sacerdote prolata talem vim significatiuam habere: quarè concesso antecedente negatur consequentia, quamuis enim verba illa *Hoc est corpus meum* ex vi sua corpus loquentis significent, quando is loquitur in propria persona; possunt tamen significare etiam corpus alterius, quando proferens loquitur in aliena persona, vt contingit in proposito, ad hunc enim effectum à Christo instituta fuere, vt per illa cum debita intentione prolata suprà materiam debitam sacerdos sacramentum Eucharistiæ conficeret, & quidem loquens in persona ipsius, non autem propria. Ad Confirmationem patet ex eadem doctrina non enim sola voluntas loquentis, aut intentio proferentis tribuit verbis vim significandi, sed voluntas Christi instituentis verba illa cum intentione debita à ministro prolata talem vim significatiuam habere, & ita instituit formam baptismi, vt is solùm diceretur baptizari, qui aqua ablueretur à ministro formam pronunciante cùm debita intentione faciendi, quod Christus instituit. Ad vltimum patet per idem, quamuis enim verba illa sint imposita ad significandum corpus loquentis, quando ea profert in propria persona: possunt tamen significare corpus alterius etiam, si proferens loquatur in persona aliena, & cum debita intentione ab illo alio ordinata, & instituta, vt tali modo proferantur, & ad talem effectum ponendum, vt contingit in proposito nostro.

152 Quartò arguit Faber, verba consecrationis non habent vim transubstantiandi panem in corpus Christi, nisi quatenus sunt verba Christi, & in eius persona prolata: at illa non sunt verba in persona Christi prolata, nisi præcedant aliqua verba, quæ faciant hanc determinationem, nam hæc determinatio debet fieri per aliquod signum sensibile, & nullum est magis sensibile, & significatiuum, quàm verba; ergo hæc determinatio debet fieri per verba præcedentia. Confirmatur, quia certum est sacerdotem illa verba proferre materialiter, & recitatiuè, licet illa quoque dicat formaliter, & significatiuè; sed illa verba absolutè sumpta absque præcedentibus ex propria natura, & vi non habent, vt recitatiuè dicantur à Sacerdote, sed vt propria verba ministri, & significatiuè, vt patet in quacumque simili locutione, vt si dico, hæc est doctrina mea, hæc est caro mea semper istæ locutiones supponunt pro persona loquentis, & dicuntur significatiuè, non materialiter, & recitatiuè. Tandem sacramentum Eucharistiæ est simul sacramentum, & sacrificium; at de ratione sacrificij est, vt sit oblatio externa facta soli Deo, in qua aliqua res sensibilis consecratur; ergo in hoc sacramento debet esse aliqua oblatio: hæc autem non potest fieri, nisi verbis, & signis præcedentibus consecrationem rei sensibilis; ergo in hoc sacramento debent præcedere verba aliqua ipsam consecrationem.

Respondetur, negando minorem, nam sufficienter determinantur illa verba ad personam Christi quatenus proferuntur supra materiam debitam à Christo institutam, & cum intentione illa proferendi, sicut Christus præcepit, & protulit, & efficiendi, quod ipse effecit, & intentio ministri satis est, vt proferatur oratio illa in persona Christi formaliter, & falsum est determinationem istam debere fieri per aliquod signum sensibile præcedens sensibilitatem formæ, vt satis constat ex dictis. Ad Confirmationem dico, concesso etiam toto argumento nihil contrà nos concludi, non enim conficit sacerdos sacramentum, quatenus verba consecrationis profert materialiter, & recitatiuè, sed quatenus illa profert formaliter, & significatiuè, hoc est, cum intentione proferendi illa, vt sunt à Christo instituta, & efficiendi, quod ipse effecit; vndè si illa solùm formaliter, & significatiuè proferret, adhuc sacramentum conficeret. Ad vltimum, negatur minor subillata, oblationem nempè, quæ de ratione sacrificij altaris ponitur, fieri debere signis, & verbis consecrationem præcedentibus, quia sufficiens est oblatio ipsa implicitè facta per positionem victimæ in altari, præter quam quod licet de facto in Eucharistia ex institutione diuina sacramentum, & missæ sacrificium sint simul coniuncta: vnum tamen non est de ratione intrinseca alterius, & absolutè separari possunt.

Postremò arguunt, quia sine præcedentibus verbis forma consecrationis non haberet perfectum sensum; ergo illa quoque sunt necessaria, antecedens probatur, quia particula *enim* interposita continuat totam formam cum præcedentibus verbis, & facit propositionem causalem, & hypoteticam, atque ideò verum sensum non habet, nisi etiam verba præcedentia proferantur: Consequentia etiam probatur, quia si forma consecrationis debet causare, quod significat, opus est, vt sensum perfectum habeat. 153

Respondeo, particulam *enim* non esse de essentia formæ consecrationis, vt dictum est ab initio quæstionis, ac proindè absque illa posset validè consecratio fieri, vt patet ex Liturgia D Iacobi, in qua hæc particula omittitur: & quamuis in nostra ponatur, id tantùm fit ob continuationem sequentium verborum cum præcedentibus, vndè ad argumentum dicendum est, quod licet sine præcedentibus verbis forma consecrationis non haberet perfectum sensum, vt propositio hypotetica, benè tamen vt cathegorica: illa enim propositio causalis his duabus simplicibus æquiualet *Hoc est corpus meum, & ideò debetis illud comedere*, ex quo patet sensum primæ propositionis simplicis perfectum esse, quantùm sufficit, vt causare possit, quod significat; Concludendum est itaque ad validam panis consecrationem necessaria esse, & sufficere illa quatuor verba *Hoc est corpus meum*, quod probat perpetuus Ecclesiæ vsus, quæ semper eam formam adhibuit, & quia ea quatuor verba necessaria sunt, & sufficiunt ad conuertendam panis substantiam in corpus Christi, & ad significandum corpus Christi esse sub speciebus; verba autem antecedentia Canonis *Qui pridiè, quam pateretur &c.* licet ad confectionem huius sacramenti non concurrant, adhuc tamen sine peccato mortali omitti nequeunt, quia pertinent ad ritum, quo Ecclesia repræsentat actionem, & ea, quæ in vltima Cæna à Christo peracta sunt in huius sacramenti institutione.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Quænam sit forma consecrationis Calicis, seu sanguinis.

GRauior est controuersia de forma calicis, an omnia verba in ea contenta sint de essentia consecrationis, quia plura adhibentur in consecratione calicis, quàm in consecratione panis: & quidem certum est illa verba, *Hic est calix sanguinis mei*, vel ijs æquiualentia, *Hic est sanguis meus*, nam illa verba intelliguntur per figuram methonimiam pro 154

158 Primò respondet Corneius *loc. cit.* illis verbis, *hic est sanguis meus*, non significari perfectè, & completè effectum sacramentalem, quia ad id non satis est, quod significetur conuersio vini in sanguinem absolutè, sed vltrà hoc requiri, quod significetur conuersio in sanguinem, vt effusum in remissionem peccatorum, quod significari non potest sine verbis sequentibus.

Sed contrà, quia hinc sequeretur primò non tantùm esse necessaria verba illa ad consecrationem calicis, *qui pro vobis effundetur*, sed etiam illa vltima *in remissionem peccatorum*, quod negat tamen Amicus, quamuis sit eiusdem opinionis. Deindè, quia sicut in consecratione corporis non sunt essentialiter requisita illa verba, *quod pro vobis tradetur*, quibus suam passionem expressit; ità neque in consecratione sanguinis erunt necessaria illa, *qui pro vobis effundetur*; probatur consequentia ex paritate rationis, quia non minus ad sacrificium incruentum Missæ concurrit corpus, quàm sanguis Christi; & cùm hoc sacramentum quoad vtrumque sit memoriale passionis Domini iuxtà illud 1. Corint. 11. *Quotiescumque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis*, non magis debuit fieri expressa mentio passionis in forma consecrationis sanguinis, quàm in forma corporis; signum euidens ad effectum sacramentalem perfectè, & integrè significandum non requiri, quod in forma, consecrationis explicetur hoc mysterium, vt repræsentans sanguinem Christi effusum in remissionem peccatorum, sed sufficere, quod explicetur præsentia sanguinis Christi sub speciebus vini, quæ completè, & integrè significatur per illa verba, *hic est sanguis meus*, nec alia sequentia verba essentialiter ad valorem illius requiruntur, sicut nec in consecratione panis requiruntur illa, *quod pro vobis tradetur*.

159 Secundò respondet Amicus *loc. cit.* negando paritatem rationis, & ratio discriminis est, quia corpus ad sacrificium concurrit inchoatiuè tantùm, sanguis verò completiuè, nam vt ex Paulo ad Hebræos 9. colligitur, sacrificium in sanguinis effusione completur, & consummatur, igitur potius expressio sacrificio fieri debuit in sanguine, quàm in corpore, quia corpus tantùm inchoat, sanguis verò complet, & perficit sacrificium; sic etiam inquit Corneius, quod repræsentatio passionis Domini, quæ fit in hoc sacramento, perfectè, & completè consistit in effusione sanguinis, quia sanguinis effusio est passionis consummatio, & ideò in consecratione calicis posita sunt hæc verba à Christo potius, quam in consecratione corporis.

Sed contrà, quia quamuis verba illa addita sint ad declarandum fructum sanguinis Christi pro nobis effusi, non tamen ad essentiam consecrationis sunt requisita; quia non minus corpus seorsum consecratum immolationem Christi in Cruce significat, & separationem à sanguine, quàm sanguis ipse seorsum consecratus; ergo sicut hoc non obstante non sunt de essentia consecrationis corporis verba illa, *quod pro vobis tradetur*, ità neque de essentia consecrationis calicis erunt illa, *qui pro vobis effundetur*; Sufficit ergo, vt in hoc sacramento ratio sacrificij, & repræsentatio passionis Domini exprimatur per sacramentalem separationem sanguinis à corpore, quæ maior, & expressior est, quàm per verba; Eo vel maximè, quia sacrificium non constat ex verbis, sed ex rebus, atque ideò ad illud exprimendum non sunt necessaria verba, sed res sufficiunt; cùm igitur sanguinis consecratio sacramentaliter à corpore separati naturam sacrificij cruenti in Cruce peracti sufficienter repræsentet, non erunt alia necessaria verba ad illud exprimendum.

160 Tertiò respondet rursus Amicus negando assumptum, nam in reliquis sacramentis non sufficit, vt effectus sacramenti exprimatur solis rebus, sed requiritur, vt etiam exprimatur verbis significantibus idipsum, quod res repræsentant; non enim sat est ad effectum Baptismi, Confirmationis, Confessionis, & Ordinis exprimendum sola aquæ aspersio, frontis inunctio, penitentis confessio, & Sacerdotis super absoluendum manuum impositio, & sic de alijs; sed requiritur propria forma in vnoquoque sacramento id ipsum verbis significans, quod res ipsæ exprimunt; ergò nec satis erit ad sacrificium nouæ legis exprimendum sola rerum expressio, sed requiritur prætereà significatio verborum, cùm non minus significatio sacrificij, quam sacramẽti in noua lege instituta sit ad instituendos Christi fideles.

Sed contrà, quia neque in hoc sacramento talis expressio, & repræsentatio sacrificij cruenti passionis Domini fit solis rebus, sed etiam verbis, quæ sunt ipsa forma consecrationis corporis, & sanguinis nempè, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, illis enim verbis significatur separatio sanguinis à corpore; etenim in consecratione panis ex vi verborum solùm corpus Christi ponitur sub speciebus panis, & ad ipsum præcisè, & sine sanguine consideratum illa transubstantiatio terminatur; & è contrà in consecratione sanguinis ex vi verborum solus sanguis continetur sub speciebus vini, ad quem præcisè, & sine corpore consideratum terminatur illa transubstantiatio, sanguis autem præcisè acceptus denotat sui effusionem, atq; ideò redemptionem; ergo non solis rebus, sed etiam verbis fit talis expressio sacrificij cruenti, & repræsentatio passionis Christi, hæc autem sunt verba ipsa formæ, *Hic est calix sanguinis mei*, eo enim ipso, quod his verbis significatur conuersio vini in sanguinem, denotatur effusio, ac proindè redemptio; verba verò sequentia non sunt addita, vt essentialia, sed ad declarandam magis explicitè passionem, & redemptionem, quæ in illis prioribus verbis non ità explicitè significabatur.

Quartò tandem nonnulli Thomistæ videntes oppositam sententiam difficulter posse in toto rigore defendi, respondent gratis concedendo verba essentialia formæ calicis esse sola illa, *Hic est calix sanguinis mei*; reliqua tamen dicunt esse adhuc de substantia, & integritate formæ, quia ex intentione Ecclesiæ omnia concurrunt ad consecrationem; atque ideò perfici quidem posse sacramentum sine illis, tamen quando dicuntur, verè concurrere, itaut si Sacerdos habeat intentionem per illa omnia consecrandi, verè non perfici sacramentum, nisi in fine omnium; nec mirum esse debet inquiunt, quod aliquid sit de substantia, & integritate rei, non autem de essentia, nam manus, & digitus sunt de substantia, & integritate hominis, non verò de essentia; ità Soto *in 4. d. 11. q. 1. art.* quem secuti sunt alij posteriores Thomistæ; quorum fundamentum est, quia multa verba in formis sacramentorum apponi solent, quæ non sunt de essentia formæ, tamen quando dicuntur simul cum forma, euadunt partes eius, & ideò sunt sacramentaliter significatiua, idest, causant practicè effectum; vt si in forma Penitentiæ apponatur *Ego* à principio, & in fine addatur *à peccatis tuis*, vel etiam *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*, ista verba addita, siuè in principio, siuè in fine, concurrunt partialiter ad effectum causatum, & sunt partialia motiua Dei ad causandum physicè, ideoque ad formam spectant, quia quæ sunt significatiua, & causatiua, sunt forma; ergo idem dici potest de forma consecrationis calicis, quod licet non omnia eius verba sint formæ partes essentiales, quando tamen per modum vnius formæ proferuntur, euadunt sacramentaliter significatiua, & conuersiua vini in sanguinem. 161

Sed contra, quia prorsus ineptè in formis sacramentorum distinguitur id, quod est de substantia ab eo, quod est de essentia, quicquid enim necessarium est ad sacramentum perficiendum, eo ipso non solùm est de substantia formæ sacramentalis, sed etiam de essentia; & è contrà quicquid necessarium non est ad sacramentum perficiendum, non solùm non est de essentia, sed nec etiam de substantia, quia essentia, & substantia in formis sacramentorum, quæ non habent esse, nisi ex Christi institutione, coincidunt in vnum; Et licet in toto physico substantiali partes essentiales, & integrales distingui soleant, vt dicebatur de manu, & digito in homine, tamen in toto merè integrali, & quantitatiuo, sicut est oratio, & forma consecrationis, partes integrales, & essentiales coincidunt; vndè sicut si ab vna dictione auferatur pars aliqua soni, & prolationis, aufertur ab ea pars aliqua, quæ simul est integralis, & essentialis, ità si addatur; & idem dicendum de dictione respectu orationis; aut igitur prolatis primis verbis in consecratione calicis fit conuersio vini in sanguinem, vel non; si primum, ergo quæ subsequuntur non sunt necessaria; si secundum, ergo sunt necessaria non minus, quàm priora, & essentialia. Et quidem omninò vanum est dicere, ideò verba illa subsequentia dici de substantia, non autem de essentia formæ calicis, quia in arbitrio consecrantis est, vel per illa, vel sine illis conuersionem efficere; Quoniam vt verba sacramentalia efficiant, quod significant, non pendet ex intentione ministri, vel Ecclesiæ, sed Christi instituentis, nam forma sacramentorum ab alio nequit institui, & assumi, nisi à Deo; ergo nequit minister sua intentione facere formam, quæ non est forma; si ergò Christus instituit, vt per prima tantũ verba sacramẽtũ perficiatur, nõ est in potestate, vel arbitrio ministri aut Ecclesię vsq; ad extrema verba 162

conuersionem suspendere; & è contrà si Christus instituit, vt per omnia illa consecratio perficiatur, etiamsi minister intendat per sola prima verba consecrare, nihil efficiet. Vndè tandem falsum est, quod dicebatur, aliqua verba in formis sacramentorum apponi, quæ non sunt partes formæ, & tamen quando dicuntur simul cum forma, euadere partes eius; Regula enim generalis est, quod sicut illa omnia, & sola verba sunt effectiua, siuè significatiua sacramentaliter, quæ à Christo sunt ad hoc assumpta; ità omnia illa, & sola posita in vsu habent hunc effectum; & ideò quæcumque à ministro adduntur, siuè in principio eorum, quæ sunt assumpta, siuè in medio, siuè in fine, carent hac formalitate significationis sacramentalis, non enim eorum intuitu causat Deus sacramentorum effectus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Obiectiones solutæ.

163 IN oppositum arguunt primò auctores primæ opinionis probantes omnia illa verba, quæ profert Ecclesia Latina pro consecratione calicis esse de essentia formæ: nam omnia illa verba *noui, & æterni testamenti* complent cum præcedentibus vnam propositionem, cùm se teneant ex parte illius prædicati *sanguinis mei*, cuius sunt determinationes; ergo omnia pertinent ad integrandum vnum sensum, atque adeò ad integrandam vnam formam consecrationis calicis, cùm enim sine illis sensus præcedentium verborum, *Hic est calix sanguinis mei*, sit incompletus, & suspensus quousque alia verba proferantur, sine illis consecratio non fieret.

Confirmatur, quia omnia illa verba eodem ritu proferuntur à Sacerdote calicem præ manibus habente, & eisdem characteribus maiusculis in Missali notantur, nec populo proponitur adorandus, donec omnia prolata sint, & completa; signum ergo est omnia illa verba esse de essentia formæ consecrationis. Denique quia in Concilio Coloniensi, & in Catechismo Romano dicitur, omnia illa verba ad formam consecrationis sanguinis pertinere, & idem habetur in Concilio Florentino.

164 Respondetur negando omnia verba, quæ determinant prædicatum, esse de essentia formæ, alioqui in absolutione sacramentali verba illa, *in nomine Patris*, &c. quæ determinant prædicatum formæ sacramenti Pœnitentiæ, essent de essentia; sola igitur verba, quæ determinant prædicatum ad significandam conuersionem vini in sanguinem, sunt de essentia formæ calicis; vndè sicut illa verba, *pro vobis tradetur*, determinant illud prædicatum *corpus meum* in consecratione panis, & tamen ad integritatem formæ non pertinent, ità quamuis illa verba *noui, & æterni* &c. determinent illud prædicatum *sanguinis mei* in consecratione calicis, non pertinent tamen ad essentiam formæ; Et cùm dicitur, totam propositionem manere suspensam, donec omnia verba in ea contenta proferantur; intelligendum est de verbis eam determinantibus ad aliquid essentiale, non autem ad aliquid accidentale; quando enim verba sequentia non variant sensum propositionis, sed deseruiunt ad illum magis explicandum; priora verba suam veritatem habent antè prolationem posteriorem, si antè illam prolationem habent sensum perfectum, vt si quis baptizans adderet *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti ab vtroque procedentis*, effectus baptismi poneretur ante prolationem illius vocis *ab vtroque procedentis*; & si consecrans panem diceret, *Hoc est corpus meum pretiosum* consecratio fieret antè prolationem illius vocis *pretiosum*, & sic dicendum est in casu nostro.

Ad confirmationem, quod omnia verba formæ calicis eodem ritu proferantur, & notis maiusculis in Missali sint impressa, & post ea omnia prolata calix exponatur populo adorandus, & non anteà, non conuincit ea omnia esse de essentia formæ, sed tantùm esse sub præcepto sic proferenda; quia etiam particula *enim* eisdem litteris maiusculis notatur, & eodem ritu profertur, & tamen concedunt omnes non esse de essentia formæ; & in forma absolutionis eodem ritu, & tenore proferuntur illa omnia, *Ego te absoluo à peccatis tuis, in nomine Patris, &c.* & tamen hæc vltima non sunt essentialia. Ad vltimum, in eis locis omnia illa verba traduntur, non tanquam necessaria necessitate sacramenti, sed necessitate præcepti iuxta Ecclesiæ consuetudinem. Et in Catechismo non dicitur omnia illa verba esse de essentia formæ, sed in illis verbis contineri, & comprehendi formam, quod verum est, licet non omnia sint necessaria de necessitate sacramenti; Et tandem Conc. Flor. dixit formam huius sacramenti esse verba, quibus Saluator noster illud confecit, non tamen decernit, quæ, & quot sint de essentia.

Secundò arguunt, in sacramento baptismi illa verba, *ego te baptizo* totum effectum sacramenti significant, qui est spiritualis ablutio, & tamen antè prolationem illorum verborum *in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, non fit ablutio sacramentalis; & ideò sunt de essentia formæ baptismi; ergo quamuis illa verba, *Hic est calix sanguinis mei*, habeant sensum perfectum requiruntur tamen ad causalitatem, & essentiam formæ consecrationis sanguinis alia verba, quæ sequuntur, quibus explicetur beneficium passionis. Conf. quia illa vox *calix* non est necessaria, posset enim dici, *hic est sanguis meus*, & tamen de facto concurrit, vt essentialiter necessaria; ergò similiter illa verba, quamuis non compleant sensum perfectum verborum concurrunt tamen, vt essentialiter necessaria. Tandem, quia Lucæ 22. verba posteriora interponuntur prioribus hoc modo, *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*; signum igitur est, omnia illa verba pertinere ad essentiam formæ, cùm interponantur verbis significantibus conuersionem vini in sanguinem. 165

Respondetur negando antecedens, quia illa verba, *ego te baptizo*, internam ablutionem spiritualem non significant, nisi addatur expressa inuocatio Trinitatis, & ratio est, quia baptismus est ianua fidei, & legis nouæ, per quam homo incipit esse membrum Ecclesiæ, & Christi per fidem, & ideò cùm hoc sacramentum sit quædam fidei professio, consequens est, vt huius sacramenti effectus non significetur, nisi prædictis verbis, *ego te baptizo*, addantur alia, *in nomine Patris* &c. & ideò etiam ista ad essentiam pertinent; at verba illa, *Hic est calix sanguinis mei* conuersionem vini in sanguinem independenter à posterioribus significant, & ideò cùm primùm proferuntur, fit conuersio, & consecratio. 166

Ad Confirmationem negatur consequentia, quamuis enim illa vox *calix*, absolutè non sit necessaria, quia posset dici, *Hic est sanguis meus*; de facto tamen concurrit, vt essentialiter requisita, quia sine illa non explicaretur sufficienter sensus cum illo genitiuo *sanguinis mei*; requiritur enim essentialiter, vel *sanguis meus* in recto, vel aliud rectum cum *sanguine* in obliquo.

Ad vltimum dicunt Aretinus, Gauatius, & alij, quod licet à Diuo Luca interponantur illa verba *nouum testamentum*, ex hoc tamen non sequitur, quod sint de essentia formæ, quoniam ea tantùm verba sunt de essentia formæ, quæ efficiunt conuersionem, quam significant, sed solùm hæc verba *Hic est sanguis meus*, vel *hic est calix sanguinis mei*, significant conuersionem, & illam efficiunt, atque adeò solùm illa sunt de essentia formæ; tùm quia Matthæus etiam in forma calicis cum verbis prioribus coniunctionem *enim* interponit, quæ tamen in omnium sententia non est de essentia formæ.

Sed melius respondetur ex doctrina præcedentis solutionis, quod quamuis illud *nouum testamentum* non sit essentialiter requisitum, si sanguis diceretur in recto; concurrit tamen, vt essentiale in verbis illis, *hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*, quia sine illis non significaretur sufficienter sensus posito *sanguine* in ablatiuo; vndè ly *nouum testamentum* aliter se habet in forma Latinorum, qua nos vtimur, & aliter in illa, quæ legitur apud Lucam, & Diuum Paulum, quia in nostra non facit ad sensum formæ, quem supponit completum; in illa verò spectat ad essentiam formæ, quia verba illa *in sanguine meo* nullum facerent sensum nisi respectiuè ad ly *nouum testamentum*; ideò in illa forma illæ particulæ sunt essentiales, quia sine ipsis non subsisteret sensus, vt etiam hic aduertit Hiqueus, qui proindè ait, ex modo, quo vna particula construitur cum alia, quam determinat, colligendum esse, quomodo se habeat ad sensum orationis; & sicut diuersimodè posita debet ad aliud, & aliud referri, ità facit ad aliam, & aliam significationem. Vndè alia est ratio de illa particula *enim* quæ solùm coniungit illam orationem cum verbis præcedentibus; ideoque sine illa adhuc perfectus, & completus est sen-

sensus illius orationis in ratione propositionis cathegoricæ, vt supradictum est.

Brancatus *loc. cit. disp. 19. art. 2. n. 73. & sequen.* huic solutioni non acquiescit, & inquit, quod etiam sine illis verbis *nouum testamentum* significatur præsentia sanguinis, si dicatur *Hic est calix in sanguine meo*, nam perindè esset, ac si diceretur *Hic est calix sanguinis mei*, & parum referre, quod in obliquo ponatur sanguis, quia non sunt magis significatiua grammaticaliter sanguinis ista verba *hic calix nouum testamentum est in meo sanguine* quàm hæc alia *hic calix est in sanguine meo*; nam ly *nouum testamentum* non est significatiuum sanguinis, quia ad hoc significandum non est à grammaticis impositum; verba ergò, quę significant sanguinem sacramentaliter, sunt illa *hic est calix in sanguine meo* atque ideò super ista præcisè fundatur significatio sacramentalis, quarè concludit etiam in prædicta forma tradita à Luca, & Apostolo ly *nouum testamentum* non posse esse partem formæ essentialem, vel conuersiuam, quia non significat sanguinis præsentiam. Sed hæc doctrina non placet, quia est regula generalis apud Doctores, quod illæ particulę, quę interponi possunt in consecratione calicis, si tali modo inserantur, quo deseruiant ad perfectum sensum verborum, censendæ sunt de essentia, & necessitate sacramenti; talia autem sunt illa verba, *nouum testamentum*, in illa forma Lucæ, & Apostoli, *hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*, nam illis sublatis non rectus redderetur sensus dicendo, *hic calix est in meo sanguine*, sicut particula, *calix*, licet ex vi nominis non significet sanguinis præsentiam, censetur tamen cum alijs coniuncta esse de essentia formæ dicendo, *hic est calix sanguinis mei*, quia non valeret dicere, *hic est sanguinis mei*, quamuis alioqui tota essentia, & substantia formę saluetur dicendo, *hic est sanguis meus*, quia hoc modo prolatis sanguis in casu recto perfectum generat sensum conuersionis vini in sanguinem; quarè à data solutione recedendum non puto, quæ fuit Vasquez *disp. 198. cap. 4.* & aliorum; quod si illa propositio, *hic calix est in meo sanguine* sensum generaret perfectum conuersionis vini in sanguinem, vltrò concederem in prædicta forma Lucæ, & Apostoli ly *nouum testamentum*, non esse partem formæ essentialem.

168 Tertiò arguunt Auctores secundæ sententiæ probando, saltem illa verba esse de essentia consecrationis calicis, quæ vna cum vini conuersione in sanguinem, eius etiam pro nobis effusionem significant; nam sanguis Christi, est sub speciebus vini, vt repræsentatiuus sacrificij cruenti peracti in ara crucis; ergò præter verba conuersionis significatiua, necessaria sunt alia, quæ determinent formam consecratoriam ad hoc significandum; assumptum conceditur ab omnibus; consequentia probatur, ea verba sunt de essentia formæ calicis, quæ adæquatè exprimunt naturam Eucharistię; atqui natura Eucharistiæ non solùm constat ex ratione sacramenti, sed etiam ex ratione sacrificij, vt constat ex verbis Christi Lucæ 22. *hoc facite in meam commemorationem*, nequit autem exprimi natura sacrificij, nisi per sanguinis effusionem, sicut nec natura sacramenti, nisi per sanguinis præsentiam sub speciebus sensibilibus vini; vtraque igitur verba erunt de essentia formæ calicis, & quæ sanguinis præsentiam sub speciebus sensibilibus, & quæ sanguinis effusionem significant; Confirmatur quia teste Apostolo ad Hebræos 9. sacrificium in sanguinis effusione completur, & consummatur; cùm igitur vtraque ratio & sacramenti, & sacrificij ex institutione Christi sit de essentia huius mysterij, non poterit vna perfici absque alia, atque ideò vtraque verba vtrumque significantia erunt necessaria, & essentialia formæ. Tandem dici non potest, prius perfici sacramentum per vini in sanguinem conuersionem, quæ ad sacrificium præsupponitur, tùm sacrificium ipsum per verba exprimentia sanguinis effusionem; quia cum consecratio sanguinis sit effectus formæ sanguinis, includatque reipsa ex Christi institutione naturam perfecti sacrificij, non potest reipsa poni antè prolationem totius formæ, quæ perfectum sacrificium significat; ità arguit Amicus *loc. cit.*

169 Respondeo primò, negando consequentiam, & minorem probationis eius, quod scilicet natura Eucharistiæ constet ex ratione sacramenti, & etiam ratione sacrificij, quia licet de facto ex institutione diuina Eucharistiæ sacramentum, & missæ sacrificium simul coniungantur, hoc tamen non est de ratione intrinseca illius, sed separari possunt; ac proindè non requiritur essentialiter, quod in forma explicetur hoc mysterium, vt repræsentans sacrificium cruentum; alioquin neque in consecratione panis debuissent omitti verba, quibus suam passionem Christus expressit, sed sufficit ad valorem, quod explicetur præsentia corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini. Deindè dato etiam, & non concesso rationem sacrificij esse sacramento Eucharistiæ necessariò coniunctam, adhuc nego præter verba conuersionis significatiua esse necessaria alia significatiua effusionis sanguinis; sufficienter enim ponitur talis significatio, vt suprà dictum est, eo ipso quod sanguis ex vi verborum ponitur sub speciebus vini separatus à corpore, sic enim est repræsentatiuus sacrificij cruenti, vt declaratum est *n. 159. & 160.* nam hoc ipso, quod ex vi verborum significatur sanguinis separatio à corpore, significatur etiam eius effusio. Ad Confirmationem negatur rursus vltima consequentia, quia vt patet ex dictis ibidem, ad talem significationem sufficit, vt in hoc sacramento ratio sacrificij, & repræsentatio passionis Domini exprimatur per sacramentalem separationem sanguinis à corpore, quę maior, & expressior est, quàm per verba ipsa, & talis separatio etiam significatur ex vi verborum. Ad vltimum concedo assumptum, non prius perfici sacramentum, quàm sacrificium Eucharistiæ; sed nego ad perficiendam Eucharistiam etiam in ratione sacrificij esse necessaria necessitate sacramenti illa verba, *qui pro vobis effundetur*, cùm enim ex vi illorum verborum, *hic est calix sanguinis mei*, significetur sanguis, vt separatus à corpore sacramentaliter, statim per ea sola verba perficitur Eucharistia, nedùm in ratione sacramenti, sed etiam sacrificij, & alia verba adduntur ad maiorem expressionem.

Quartò præctereà arguit Amicus ad idem, non minus Eucharistia causatur à verbis formæ in ratione sacrificij, quàm in ratione sacramenti; atqui in ratione sacramenti non causatur, donec proferatur tota forma, à qua exprimitur in ratione sacramenti; ergo neque causatur in ratione sacrificij, donec proferatur tota forma, à qua exprimitur in ratione sacrificij; ergò si consecratio sanguinis, vt sacramentaliter separati à corpore, reipsa ex institutione Christi est perfectum sacrificium, non ponetur, donec proferatur tota forma illud significans. 170

Confirmatur exemplo baptismi, cuius forma, quia non solùm significat gratiam regeneratiuam, quam causat, sed etiam fidei protestationem, non solùm ad suum effectum causandum concurrit per verba exprimentia gratiam regeneratiuam, sed etiam per reliqua fidei protestationem significantia, nec antè confert gratiam regeneratiuam, quàm omnia ipsius verba etiam fidei protestationem exprimentia efferantur; ergo si effectus baptismi non ponitur in re, nisi proferatur tota forma etiam quoad verba, quæ fidei protestationem exprimunt; neque reipsa ponetur effectus consecrationis sanguinis, nisi tota forma sanguinis proferatur, etiam secundum verba, quæ naturam perfecti sacrificij exprimunt, cùm non minus hæc sint coniuncta ad perfectum sacrificium in hoc sacramento exprimendum, quàm illa ad fidei protestationem significandam. Denique quia pro consecratione calicis hæc omnia, & sola verba referuntur à singulis Euangelistis, & in omnibus approbatis Liturgijs, quas longa serie ibi refert Amicus.

Respondeo, vt ad argumentum præcedens, primò negando maiorem, quia non requiritur essentialiter, quod in forma explicetur hoc mysterium, vt repræsentans sacrificium cruentum, sed sufficit, quod exprimatur præsentia corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini; Deinde concesso toto argumento, negatur secunda consequentia, quia ob sacramentalem separationem sanguinis à corpore factam ex vi verborum, *hic est calix sanguinis mei*, ab his solis verbis antè sequentium prolationem, quæ solùm adduntur ad maiorem explicationem, causatur, & perficitur Eucharistia non solùm in ratione sacramenti, sed etiam in ratione sacrificij, non enim concipi potest talis separatio sanguinis à corpore sine eius effusione. 171

Ad Confirmationem eodem modo responderi potest, primò non requiri ità essentialiter in hoc sacramento, vt in eius forma explicetur hoc mysterium, vt repræsentans sacrificium cruentum, sicut quod in forma baptismi explicetur protestatio fidei, quæ ad essentiam illius sacramenti pertinet; Deindè concessa etiam paritate neganda est consequentia, quia fidei protestatio nullo modo per sola verba ablutionem spiritualem significantia per gratiam regene-

ratiuam, vt sunt illa, *ego te baptizo*, exprimi possunt; & ideò addi debent alia talem protestationem exprimentia, quæ sunt sequentia, *In nomine Patris* &c. at per sola illa verba *Hic est calix sanguinis mei*, natura perfecti sacrificij sufficienter exprimitur, cùm per ea significetur separatio sacramentalis sanguinis à corpore, quæ sine eius effusione concipi nequit, vnde alia non sunt necessaria, nisi ad maiorem mysterij expressionem. Ad vltimum falsum est omnia illa, & sola verba effusionem etiam sanguinis exprimentia à singulis Euangelistis referri, & in omnibus approbatis Liturgijs reperiri, nam Lucæ 22. refertur forma consecrationis illis verbis, *Hic calix nouum testamentum est in meo sanguine*; & Cardinalis de Lugo *disp.* 11. *sect.* 4. ab initio alias Liturgias refert etiam approbatas S. Ioannis Euangelistæ, Sanctorum Apostolorum, S. Eustasij, S. Ioannis Patriarchæ, in quibus hæc tantùm forma reperitur consecrationis pro pane, & vino, *Hoc est corpus meum, Hic est sanguis meus*.

172 Quintò tandem arguit ad idem Corneius; ad causandum effectum sacramentalem non sufficit, quod significetur conuersio vini in sanguinem absolutè, sed requiritur vlterius, quod significetur conuersio in sanguinem, vt effectus in remissionem peccatorum; hoc autem sine verbis sequentibus significari non potest.

Confirmatur, quia tota nostra salus pendet ex passione Christi, & sui sanguinis effusione, vt patet; ergo oportuit aliquod sacramentum institui in noua lege, in cuius forma profiteamur omnem nostram salutem ab eius passione deriuare, ergò hoc fieri debuit in hoc sacramento, quod præsertim institutum fuit in commemorationem passionis eius. Demum, quia si verba illa, *qui pro nobis effundetur*, non sunt necessaria, non apparet cur magis in consecratione calicis explicetur eius effusio in remissionem peccatorum, quàm in consecratione corporis.

Resp. ex eadem doctrina, primò negando maiorem, quod, scilicet, illa verba essentialiter requirantur ad causandum effectum sacramentalem, quia sola illa verba sufficiunt quibus absolutè significatur conuersio vini in sanguinem; deinde etiam concessa maiori, adhuc negatur minor, quia sanguinis effusio etiam sufficienter per illa sola verba exprimitur, *Hic est calix sanguinis mei*, cùm ex vi ipsorum significetur separatio sacramentalis sanguinis à corpore, quæ sine effusione concipi nequit, vt suprà dictum est.

Ad confirmationem patet per idem, inde enim solùm inferri potest aliqua ratio congruentiæ, cur in consecratione calicis explicet Ecclesia effusionem sanguinis in remissionem peccatorum, non autem quod illa verba sint essentialiter requisita, cùm per priora verba sufficienter explicetur idem sensus. Ad vltimum, plures solent à Doctoribus, & Patribus adduci congruentiæ, cur posteriora verba addantur prioribus in forma calicis, sed tres præcipuè, quas memorat Card. de Lugo loc. cit. prima est, quia in consecratione calicis Christus mentionem fecit noui testamenti, testamentum autem sanguine confirmari debuit, ideò oportuit sanguinem effusum explicare: Secunda, quia magis aptus est sanguis effusus ad repræsentandam passionem, & necem, quàm corpus, ideò Martyrum passio rubro colore celebratur; Tertia, quia nondum complete Christi mors repræsentatur, donec corpus seorsim ex vi verborum, & sanguis seorsim proponantur, tunc enim separatio vnius ab alio completè exprimitur; cùm ergò satis esset semel passionem Christi commemorare, magis congruum fuit id facere in consecratione calicis, quando iam corpus seorsim, & sanguis ex vi verborum proposita sunt, quàm in consecratione corporis, quando illa separatio nondùm completè exprimebatur.

QVÆSTIO OCTAVA.

Quomodo verba consecrationis à Sacerdote proferantur, & quid significent.

173 QVæstio duas habet partes, in prima quæritur, num verba consecrationis materialiter tantùm, & recitatiue, an formaliter, & significatiue proferantur; proferuntur verba recitatiuè, seu materialiter, quando per illa proferens non intendit asserere, vel negare, quod ipsa afferunt, vel negant, sed solùm illa referre, vt ab alio enunciata; sicut cum quis legit in Euangelio illa verba Christi ad Petrum, *Tu es Petrus, & super hanc petram* &c. ille qui recitat hæc verba, nihil significat, vel asserit, sed solum illa verba refert, quæ Christus dixit ad Petrum; Proferuntur autem verba significatiuè, seu enunciatiuè, quando per ea proferens intendi asserere, vel negare, quod verba ipsa vi suæ significationis asserunt, vel negant, vt cùm assertiuè quis enunciat *Deus est trinus, & vnus*: Quarè sensus quæstionis est, an verba consecrationis à sacerdote proferantur recitatiuè, an significatiuè, vel etiam vtroque modo simul; Mouetur autem hæc difficultas de verbis præsertim consecrationis, nam omnes in eo conueniunt verba formam consecrationis antecedentia *accipite, & manducate, & bibite ex eo omnes*, ac etiam consequentia, vt sunt illa, *Hæc quotiescumque feceritis* &c. tantùm recitatiuè à sacerdote proferri.

In qua controuersia tres sunt sententiæ duæ extremæ, & vna media; Prima extrema docet prædicta verba solùm dici à sacerdote recitatiuè, & materialiter, pro qua citantur plures antiquiores Ocham, Maior, Durandus, Salmeron, Mirandulanus, Catherinus, & alij. Secunda extrema asserit significatiuè tantùm proferri, & non recitatiuè, ità Vasquez *disp.* 200. *cap.* 2. Amicus *disp.* 24. *sect.* 4. Bernal. *disp.* 39. *sect.* 4. & alij Recentes, quæ fuit sententia Marsilij 4. *dist.* 6. *art. par.* 1. *dub.* 6. & Gabriel. *lec.* 48. in Canon. Media tandem sententia asserit vtroque modo proferri, quæ fuit sententia D. Thomæ, D. Bonauenturæ, Scoti, & omnium Thomistarum, & Scotistarum, & apud Recentiores Suarez, Lugo, Auersam, Caspens. Coninch. & alios communiter recepta.

In altera quæstionis parte quæritur, quid demonstret pronomen *hoc*, vel *hic* in forma consecrationis, & ratio dubitandi est; quia vel pronomen *hoc* in forma corporis significat panem, & tunc propositio esset falsa, quia panis non est corpus Christi; vel significat accidentia panis, & neque hoc dici potest ob eandem rationem; vel demonstrat ipsum corpus Christi, & hoc etiam dici nequit, quia quando profertur, corpus Christi non adest, cum non ponatur, nisi in fine prolationis totius formæ; Ad quam difficultatem enodandam varij sunt modi dicendi, ex quibus tres referam communiores, & probabiliores; Primus est pronomen *hoc* significare ex parte subiecti rem, & substantiam, quæ sub his sensibilibus accidentibus continetur, & latet, itaut quatenus se tenet ex parte subiecti, nec determinet substantiam panis, nec substantiam corporis Christi, sed dicat substantiam ab vtraque abstrahentem, siuè indiuiduum substantiale vagè, & indifferenter sumptum, quod posset ad vnam, & ad aliam partem determinari per prædicatum, & sic tandem per ipsum propositionis prædicatum determinetur in fine prolationis verborum. Ità Suarez *disp.* 58. *sect. vltima*, Cardinalis de Lugo *disp.* 9. *sect.* 7. Auersa *quæst.* 6. *sect.* 4. & plures alij Recentiores, qui licet non omnes vniformiter hunc dicendi modum explicent, in re tamen ipsa conueniunt per ly *hoc* designari aliquod commune corpori, & pani per modum indiuidui vagi, de quo enunciatur corpus Christi. 174

Secundus modus dicendi est, per pronomen *hoc* significari ipsum corpus Christi, itaut in principio prolationis verborum, quando ipsum pronomen profertur, non demonstret aliquid certum, sed habeat suspensam significationem, sicut terminus syncategorematicus, sed solùm significare in fine prolationis, itaut tale pronomen *hoc* accipiatur adiectiuè, & faciat conuenientiam in genere, numero, & casu cum hoc nomine Corpus; & similiter in hac oratione *Hic est calix sanguinis mei*, vel *Hic est sanguis meus* illud pronomen *Hic* accipiatur etiam adiectiuè, & ob eam causam fit generis masculini, cùm conueniat cum sanguine, neque enim est maior ratio, quarè accipiatur pronomen *hic* adiectiuè quam pronomen *Hoc*. Ità Vasquez *disp.* 201. *cap.* 4. Hurtad. *disp.* 3. *diff.* 10. Amicus *disp.* 24. *sect.* 3. Meratius *disp.* 32. *sect.* 2. Bernal. *disp.* 39. *sect.* 4. Caspensis *disp.* 7. *sect.* 7. & alij. Tertius tandem dicendi modus est Scoti 4. *dist.* 8. *quæst.* 2. *concl.* 8. & 9. vbi asserit ly *hoc* sumi substantiuè, & non adiectiuè: sicut & *hic* & non demonstrare aliquod singulare vagum commune substantiæ panis, & corporis Christi, siue substantiæ vini, & sanguinis eiusdem; sed denotare singulare, & indiuiduum entis, quod contrahitur ad corpus Christi, & non per se singulare alicuius minus vniuersalis, quam ens, vt prima asserebat sententia, ità Doctor *loc. cit.* quem sequuntur omnes Scotistæ tam veteres, quàm Recentiores, Faber,

Rada,

Rada, Hiribarnes, Aretinus, Hiqueus, Poncius, Gauatius, Brancatus, & alij.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæstionis Resolutio quoad primam partem.

175 PRimò dicendum est, verba consecrationis vtroque modo à Sacerdote proferri scilicet recitatiuè, & significatiuè; ità Scotus *loc. cit.* lit. B. & R.& omnes Scotistæ ac Recentiores citati contra duas extremas sententias superius relatas; Prima pars probatur, quia illud verbum *dicens* immediatè ponitur in Canone missæ antè verba consecrationis; ergo hæc verba proferri à sacerdote recitatiuè negari nequit, quia sacerdos expresè narrat verba illa fuisse à Christo prolata in vltima Cœna, dicit enim *benedixit, fregit, deditque discipulis suis dicens, accipite, & manducate, Hoc est corpus meum*, ergo profert illa verba recitatiuè, consequentia patet, quia aliquid recitatiuè proferri non est aliud, quàm proferri, vt dictum ab alio. Nec sufficit dicere, quod verba præcedentia solùm recitatiuè, forma verò ipsa enunciatiuè tantùm, & in persona Christi à Sacerdote proferuntur; Hoc enim sine fundamento dicitur, & contrà Canonis tenorem asseritur, quia eodem modo per participium *Dicens* continuantur verba antecedentia cum verbis ipsis formæ, cum vnus idemque Christus referatur verba protulisse antecedentia, atque ipsa verba formæ; Patet id etiam ex verbis consequentibus, quæ subiunguntur post consecrationem sanguinis *qui pro vobis, & pro multis effundetur*, quæ cum intelligantur de effusione reali, quæ in passione facienda erat, & iam semel facta est, solùm recitatiuè referuntur, prout tunc dicta à Christo, ac tandem recitat Sacerdos alia quoque Christi verba *Hæc quotiescumque feceritis, in mei memoriam facietis*. Neque planè congruum est, sensum illius narrationis, & recitationis ità concidi, & abrumpi, vt alia verba antecedentia, & consequentia, tanquam à Christo dicta referantur, illa verò intermedia *Hoc est enim corpus meum, Hic est calix sanguinis mei*, veluti præcidantur à narratione, & non referantur, tanquam dicta à Christo; verè ergò omnia illa narrantur, & referuntur, atque ità recitantur, & recitatiuè dicuntur.

Deindè probatur altera pars conclusionis ex Scoto sub lit. R. nimirum verba consecrationis à Sacerdote proferri, non tantùm historicè, & recitatiuè, sed etiam enunciatiuè, & significatiuè, quia certè Sacerdos de illa re, quàm manibus tenet, quandò consecrat, seriò affirmat esse corpus Christi, esse sanguinem Christi; Tùm quia ex mera recitatione verborum non colligitur præsentia corporis, & sanguinis Christi in Eucharistia, verba namque præcisè recitatiuè, & historicè prolata solùm referunt factum Christi, & solum significant id, quod Christus habuit in manibus post eorum prolationem esse corpus, & sanguinem suum, non autem hoc, quod Sacerdos habet in manibus esse corpus, & sanguinem Christi; vt ergò hoc colligatur, proferri debent significatiuè, & enunciatiuè. Restat ergo, vt verba consecrationis significatiuè quoque proferantur ad sacramentum efficiendum quia in formis Sacramentorum Christus verba instituit effectum sacramenti significantia, vt patet in cæteris sacramentis; Et Patres, & Concilia præsentiam corporis Christi ex significatione formæ sacramentalis colligunt, quæ efficit id, quod significat, & hac de causa dicunt tunc Sacerdotem loqui in persona Christi; cùm ergò opus sit Sacerdotem verba illa proferendo habere intentionem conficiendi, necesse est vt dicat formam, quatenus significatiua est præsentiæ corporis, ad quod planè requiritur prolatio verborum, quatenus enunciatiua, & significatiua præsentiæ corporis Christi, & non merè historicè, ac recitatiuè. Denique ex Concil. Florent. Trident. & Patribus dicitur Sacerdos in persona Christi loquens hoc conficere sacramentum; si autem hæc verba recitatiuè tantùm proferat, vtique hoc sacramentum non conficeret loquens in persona Christi, sed propria; siquidem qui tantùm recitat alterius verba, non loquitur in persona illius, cuius verba recitat, sed in propria; est enim recitatio actus ipsius recitantis, non autem eius, cuius verba recitantur, quamuis enim verba, vel gesta, quæ narrantur, & referuntur, sint alterius, actus tamen, quo illa narrantur, & referuntur, est proprius recitantis, ac narrantis.

177 Respondent Auctores primæ opinionis, dupliciter dici posse aliquem loqui in persona alterius; vno modo, vt in se eam repræsentet, & exprimat, & in ea loquatur, sicut qui in Tragædia Principis personam repræsentat, & in ea loquitur, ac si Rex ipse loqueretur; alio modo, vt loquatur locutione alterius v. g. Principis, & per eam efficiat, quicquid Princips ipse efficeret loquendo, per virtutem sibi ab eo communicatam, quo modo Minister per potestatem sibi à Principe communicatam loquendo efficit, quod Princeps ipse loquendo efficeret; & hoc secundo modo, inquiunt, non autem primo modo Sacerdotem loqui in persona Christi, dum conficit hoc sacramentum, quod vtique stare potest cum hoc, vt ea verba tantùm recitatiuè proferat, & non significatiuè. Verùm vt suprà notauimus *q. 6. art. 2. in fine nu. 145.* Patres, & Concilia peculiari modo dicunt Sacerdotem in persona Christi loqui, dùm hoc conficit sacramentum, cùm igitur certum sit Sacerdotem reliqua etiã conficere sacramenta nomine Christi, hoc est, virtute, & potestate sibi à Christo communicata, consequens est, vt Sacerdos peculiari nomine, ac titulo in hoc sacramento conficiendo in persona Christi loquatur, quo in reliquis conficiendis non loquitur; atque ideò primo modo loqui debet in solutione assignato, nõ autem secundo modo tantùm, hoc enim secundo modo loquitur in persona Christi etiam in cæteris sacramentis conficiendis; Et planè nisi loquatur in persona Christi illo primo modo, ita ut eam repræsentet, & induat, & in ea loquatur, sicut qui in Tragædia personam Regis repræsentat, & in eo loquitur; sed tantùm secundo modo, sicut dicitur loqui Minister verbum Regis per potestatem sibi ab eo communicatam; planè Sacerdote dicente *Hoc est corpus meum* ly *meum* ad corpus Ministri loquẽtis referretur, & non ad corpus Christi; quamuis enim ea verba loquatur virtute, & potestate sibi a Christo communicata, adhuc tamen ea in persona propria proferre censetur, sicut formas aliorum sacramentorum proferre solet, vt quando dicit Ego te absoluo, vel te baptizo, quia ipse re vera est, qui absoluit, vel baptizat, licet auctoritate à Christo accepta.

Secundò Dicendum est, non esse essentiale huic sacramento, quod verba consecrationis dicantur recitatiuè, necessariò tamen requiri, quod dicantur formaliter, & significatiuè. Conclusio sequitur ex dictis *qu. 6.* vbi dictum est, quod si quis prætermissis omnibus præcedentibus, & subsequentibus verbis, solum hæc verba proferret suprà legitimam materiam, & cum debita intentione *Hoc est corpus meum* adhuc verè consecraret, licet peccaret; in quo casu verba illa non recitatiuè proferrentur, quia non est aliquod verbum præcedens, quo referatur factum Christi, prout anteà gestum, quarè verba illa in tali casu purè significatiuè proferrentur; Probatur autem, quia ad essentiam huius sacramenti non aliter verba requiruntur, ac fuerunt à Christo prolata, sed à Christo fuerunt tantùm significatiuè prolata ergò talis significatio ad validitatem, & essentiam huius sacramenti sufficeret; ac per consequens quamuis verba possint simul recitatiuè proferri, ad effectum tamen sacramentalem solùm concurrunt secundum sensum significatiuum, in quo ex Christi præcepto, & institutione proferri debent, ac proindè nisi verba proferantur significatiuè, sicut à Christo prolata fuere, non conficitur sacramentum; & licet de potentia absoluta potuisset Christus efficere, quod prolatis his verbis purè recitatiuè, panis conuerteretur in corpus Christi, supposita tamen institutione illius, qua decreuit medijs verbis sacramentalibus, & eorum significatione talem conuersionem facere, omninò necessarium est, vt talia verba significatiuè sumantur; quarè includendum est sacerdotem intantùm conficere sacramentum, conuertendo panem in corpus Christi, inquantùm significatiuè illa verba profert, & non inquantùm recitatiuè refert, siuè quatenus habet intentionem illa verba dicendi, & verificandi super materiam sibi præsentem. 178

In oppositum objiciunt Primo Auctores primæ opinionis probando, quod verba consecrationis tantùm recitatiuè dicantur; quia si significatiuè proferantur, sacerdos dicendo *Hoc est corpus meum* significaret illud esse corpus suum, quod est falsum; & forma sanguinis etiam esset falsa dicendo illa verba *qui pro vobis effundetur*, quia cùm ibi sit sermo de cruenta effusione, de qua Patres communiter illum locum intelligunt, talis effusio iam facta est in Christi passione, vt ergo verificentur illa verba, debent solùm recitatiuè proferri. Confirmatur quia alia verba tam antecedentia quàm consequentia formam scilicet *accipite, &* 179

Meld. In Quart. Sentent.

tenebat & ego nunc dico super hunc panem, quem manibus teneo, in persona illis *Hoc est* &c.

Ad vltimum Brancatus *disp. 19. cit. art. 3. n. 107.* negat sacerdotem verba illa significatiuè, dicentem exuere personam propriam, & induere personam Christi, quia loquens, vt sic, ex natura rei, & locutionis repræsentat seipsum loquentem; ex verbis autem ipsis, quæ dicit, dat intelligere, an in persona sua, an in aliena loquatur, neque vnquam potest loquens propriam exuere personam in locutione, sed ex modo loquendi alium repræsentat, ex eo enim, quod loquitur propriam personam demonstrat, ità Comicus in Scæna, si repræsentat Tirannum, seipsum primò repræsentat alterius vicem gerentem. Verùm nimis audacter negatur illud assumptum, cùm passim Concilia, & Patres dicant, sacerdotem hoc sacramentum conficere in persona Christi loquentem, & vt induit personam Christi; Et quamuis sit verum, loquentem, vt sic ex natura rei & locutionis repræsentare seipsum loquentem, & solùm ex modo loquendi alium repræsentare; ob id tamen negari non debet sacerdotem loqui in persona Christi formaliter, & significatiuè, dùm hoc conficit sacramentum; illud enim tantùm verificatur de persona materialiter, & specificatiuè accepta, non verò de persona formaliter, & reduplicatiuè sumpta; & in hoc sensu Comicus Tirannum in scæna repræsentans seipsum primò repræsentat, & in persona propria loquitur materialiter, & specificatiuè tantùm, nam formaliter, & reduplicatiuè loquitur in persona Tiranni: & in eodem sensu dicendum est sacerdotem loqui in persona Christi formaliter, dùm verba consecrationis profert, & materialiter solùm loqui in persona propria; non enim repugnat, vt eadem persona materialiter sumpta eandem exerceat locutionem nomine vtriusque personæ, & propriæ illam recitatiuè referendo, & alienæ eandem assertiuè enunciando. Vndè quando dicebatur, quod loqui in persona alterius excludit loqui in persona propria, hoc etiam verum est sumendo personam formaliter, & reduplicatiuè, quia dum loquitur nomine alterius, non potest, vt sic, simul loqui nomine proprio; non autem sumendo personam materialiter & specificatiuè; Ac etiam quando dicitur, sacerdotem ita proferre consecrationis verba, vt exuat omninò propriam personam, id etiam intelligendum est, quatenus prædicta verba conficiunt, non enim conficiunt, vt dicuntur recitatiuè in persona propria, sed tantùm vt significatiuè dicuntur in persona aliena, hoc enim modo omninò induit personam Christi.

Sed instat Amicus loc. cit. quod licet non implicet, eandem locutionem recitare, vt dictam ab alio, & simul per eam in propria persona enunciare, vt patet in exemplis superius adductis, quia vterque actus scilicet recitare verba alterius, vt ab altero dicta, & simul per ea enunciatiuè asserere, quod verba ipsa significant, refertur ad eandem personam propriam; repugnat tamen eadem verba enunciatiuè efferre in persona alterius, & simul eadem recitare in persona propria, quia hi sunt duo actus, qui simul eodem tempore, & respectu eiusdem locutionis exercentur à persona propria & aliena per propriam personam repræsentata, quorum vnus naturaliter saltem excludit alterum: quia dùm loquitur persona propria nomine alterius, cessat pro eodem tempore respectu eiusdem locutionis loqui nomine proprio. Resp. ex doctrina iam allata negando id repugnare accipiendo personam materialiter, & specificatiuè, licet repugnet accipiendo personam formaliter, & reduplicatiuè, quia dùm loquitur nomine alterius, non potest vt sic, simul loqui nomine proprio; & planè non video in hoc talem repugnantiam, qualem contendit Amicus, quia dùm sacerdos verba consecrationis recitatiuè profert, non dicitur loqui in persona propria, nisi merè materialiter, nam eo tempore enunciatiuè verba proferendo substituit personam propriam loco alienæ, vndè formaliter, & propriè loquitur in nomine alterius, cuius personam induit, non autem nomine proprio, nisi merè materialiter, eo modo quo Comicus in Scæna personam Regis repræsentans dicitur loqui nomine Regis, non autem nomine proprio; non ergò illi duo actus inuicem repugnant, eadem verba enunciatiuè efferre in persona alterius, & simul eadem recitare in persona propria materialiter sumpta; sed tantum formaliter, & reduplicatiuè sumpta, vt suprà explicatum est.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quæstionis Resolutio quoad alteram partem.

VT in altera quæstionis parte, in qua maximam terminorum confusionem apud Auctores tam nostros, quàm exteros reperio, distinctè procedamus, & incerta, ac improbabilia a certis, & probabilibus secernamus; supponendum in primis est, pronomina illa *Hoc* & *Hic* in forma consecrationis non significare substantiam panis, & vini, nec etiam eorum accidentia, saltem in recto, quia nullum horum est id, de quo prædicatur corpus, vel sanguis Christi, sed pronomina illa demonstrant aliquid, de quo prædicatur corpus Christi: tum quia corrumperetur propria notio, & significatio vera, *est* nam hæc particula significare non posset identitatem prædicati cum subiecto, sed ad summum continentiam corporis, & sanguinis Christi sub illis accidentibus, essetque sensus, hoc continet corpus meum, vel in sanguinem meum. Neque demonstrare potest ly *Hoc* panem non qui permanet, sed qui conuertitur in corpus Christi, vt sensus sit, hoc transit, vel conuertitur in corpus meum, vt quidam antiquiores dixerunt, quia hic etiam dicendi modus corrumpit propriam significationem verbi substantiui *est*, quod non transitum ex vno termino in alium, sed identitatem prædicati cum subiecto propriè importat. Nec rectè alij explicarunt verbum *est* pro *fit*, vt melius hunc dicendi modum defenderent, quia cum nullum maneat subiectum pani, & corpori Christi commune, non rectè adhuc diceretur, panis fit corpus Christi, vinum fit sanguis Christi, sicut propriè dicitur lignum fit ignis, ignis fit aer, quia manet idem subiectum vtrique termino commune; Tum qnia in hac propositione *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus* ly *est* sumi debet assertiuè in propria significatione, ita quod affirmet existentiam corporis, & sanguinis Christi sub speciebus, vt docent Concilia, & Patres, alioquin si semel concedamus ly *est* admittere aliquis expositiones minus proprias scilicet *transit, fit* &c. vt reddat sensum, hoc fit corpus meum, vel transit in corpus meum, illicò referatur aditus Hæreticis interpretandi ly *est* pro *significat*, atque adeò negandi veram, & realem præsentiam Christi in Eucharistia. 187

Deindè supponendum est ex Scoto *d. 8. cit. q. 2. §. ex istis tredecim conclusionibus, & §. ad primum argumentum*, pronomina demonstratiua in formis consecrationis posita demonstrare aliquid, quod est sub speciebus in vltimo instanti prolationis, ita quod demonstratio referatur ad terminum, qui subest in fine prolationis: & ratio est, quia pronomina *Hoc*, & *Hic* id solum demonstrat, de quo cum veritate enunciari potest esse corpus Christi, vel sanguinem; sed dùm proferuntur, & citrà vltimum instans prolationis verborum, nihil sub accidentibus panis reperitur, de quo talis prædicatio verificari possit, vel enim demonstrarent accidentia, vel substantiam panis, & vini, nihil enim aliud reperitur antè vltimum instans prolationis verborum, quod possit per illa pronomina designari, & quodcumque illorum dicatur, semper forma consecrationis esset falsa, vt constat ex modo dictis: ergò non pro instanti, pro quo proferuntur, sed pro vltimo instanti prolationis demonstrant pronomina illa; Id autem oritur ex differentia, quæ inter propositionem practicam, & speculatiuam versatur, vt Doctor indicat loc. cit. speculatiua enim, cùm in sola veritatis assertione consistat, vt *Deus est æternus* non facit, quod significat, sed factum supponit; practica verò, quia ad aliquid efficiendum est ordinata, non supponit, quod significat, sed significando facit, & quoniam integra significatio non consurgit, nisi quando omnia verba sunt prolata, quia singillatim sumpta etsò partialem, & simplicem quemdam sensum habeant, non autem totalem, & completum, nisi tota propositione prolata, vt constat ex verbis incantationum ad pellenda venena; consequenter nec virtus effectiua, quæ in significatione illius propositionis practicæ reperitur, exit in actum, nisi omnium verborum prolatione peracta, tunc enim solùm intellectus dictæ significationis conceptum obiectiuum efformat: vndè quando illa pronomina in forma consecrationis proferuntur, donec tota propositio sit prolata, non demonstrant sensibiliter, quia hoc est de ratione propositionis practicæ: his præacceptis. 188

Primo Dicendum est, promina *Hoc*, & *Hic* in formis con- 189

consecrationis non adiectiuè, sed substantiuè sumi. Ita Doctor loc. cit. contra secundam opinionem ab initio quæst. citata, Et probatur primò ex Grammatica, quia pronomina demonstratiua hic, hęc, hoc, tunc adiectiuè sumuntur, quando actu alicui subiecto copulantur, vt hic calamus est obtusus, hæc pagina est alba, hoc atramentum est nigrum; substantiuè verò, quando per se ponuntur nulli substantiuo copulata, vt hic est calamus, hæc est pagina, hoc est atramentũ; cùm ergo illa pronomina in formis consecrationis per se ponantur, & nulli substantiuo actu, & explicitè copulentur substantiuè, non adiectiuè sumuntur; Deindè probatur ex logica, quia illæ propositiones, *Hoc est corpus meum*, *Hic est sanguis meus*, sunt de tertio adiacente; ergò subiectum illarum in sensu logico substantiuè sumi debet; consequentia probatur, quia prędicatum habet rationem adiacentis, & formæ apud logicum etiam quando est substantiuum; ergò subiectum ad quod refertur necessariò sumi debet substantiuè, alioquin non determinaret dependentiam prædicati, vt est forma logica; tùm quia adiectiuum adiectiuè sumptum logicè loquendo nomen non est, sed tantùm substantiuè sumptum; tùm tandem quia pronomina *Hic*, & *Hoc* adiectiuè sumpta non faciunt cathegorema, sed sincathegorema, ac proindè extrema alicuius propositionis esse non possunt. Denique probatur etiam theologicè, quoniam Trid. sess. 13. cap. 4 pronomen *Hoc*, in forma consecrationis positum explicat substantiuè, dùm inquit, *Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat, verè esse dixit*; quibus verbis illud pronomen *Hoc*, explicat per aliud pronomen *id*; sed pronomen *id*, non nisi substantiuè sumitur, vt patet in communi modo loquendi; de quo videri potest Gauatius *disp*. 8. q. 7. vbi fusè de hoc disputat.

190 Secundò dicendum est, pronomina *Hoc*, & *Hic* non demonstrare aliquod singulare vagum commune substantiæ panis, & corporis Christi, siuè substantiæ vini, & sanguinis; Ità Doctor loc. cit. concl. 10. sub lit. P. contra primam opinionem ab initio quæstionis citatam sub num. 174. & probatur, quia quodcumque singulare vagum commune corpori Christi, & alijs corporibus, aut substantijs habet se per modum superioris respectu corporis Christi; sed quod est inferius prædicatione propria, & naturali non potest prædicari de superiori, sicut non benè de animali prædicatur, quod sit homo, sed è contrà, ergo &c. Deindè illa pronomina demonstrant id, quod in vltimo instanti prolationis verborum reperitur; hoc autem non est aliquod commune pani, & corpori Christi, vel vino, & eius sanguini, sed ipsum corpus, & ipse sanguis Christi; ergò non aliquod commune illis demonstrant, sed corpus, & sanguinem Christi singulariter, & determinatè, licet non sub conceptu explicito, & expresso; Demum ex logica propositio singularis est illa, in qua subijcitur terminus singularis, vel terminus communis signo singulari determinatus; sed illa propositio, *Hoc est corpus meum*, est propositio singularis; ergò non potest habere veritatem, nisi eius subiectum singulariter supponat; dùm ergo dicimus, hoc ens contentum sub his speciebus est corpus meum, pronomen *hoc* non supponit indeterminatè, sed determinatè pro illo, cui competit prædicatum, nempè corpus Christi; sicut quando dico, hoc est album, quia hæc propositio est singularis, eius subiectum non indeterminatè, & vagè, sed determinatè supponit pro illo singulari, cui competit esse album, sic ergò dicendum est etiam in proposito.

191 Respondent Aduersarij, interdum etiam pronomina demonstratiua non demonstrare rem indiuiduam, sed communem, vt cum quis dicit, *hæc herba nascitur in horto meo*, illud pronomen *hæc* non significat hanc numero herbam, sed ei similem; poterit ergo per pronomen *hoc* demonstrari contentum in communi sub speciebus; ità quod ex parte contenti sit quasi propositio indefinita, licet ex parte specierum, in ordine ad quas fit demonstratio sensibilis, sit singularis, quia demonstratur contentum sub his numero speciebus, Verùm hoc exemplum non est ad rem, quia hæc propositio, hoc contentum sub speciebus est corpus meum, non est similis illi, hæc herba nascitur in horto meo, ostensa herba, quæ nascitur in alio, imò habent sensus valdè diuersos, quia in hac propositione *herba*, supponit pro natura generica, vel specifica; sensus enim est hoc, genus, aut hæc species herbæ nascitur in horto meo; at in forma consecrationis ly *hoc* non ità supponit, nec demonstrat aliquod fuisse corpori Christi, nec aliquod commune indifferens, & indeterminatum, sed ipsum Christi corpus determinatè; alioquin nec Patres, nec Concilia, & præsertim Trident. *loc. cit.* ex vi demonstrationis factę per illud pronomen *hoc* rectè colligerent veram, & realem præsentiam corporis Christi sub speciebus consecratis, sed aliquid simile; sicut ex vi illius propositionis, *hæc herba nascitur in horto meo*, non sequitur, quod illa eandem numero herba per illud pronomen *hæc* demonstrata sit, quæ nascitur in horto proferentis, sed tantùm alia herba consimilis; vt aduertunt Caspensis, & alia circà hoc exemplum à Dominico Soto adductum, qui videns non esse satis accomodatum, aliud commodius conatur afferre, quod etiam optimè reijcit Gauatius *disp*. 8. *quæst*. 8. *n*. 259.

Tertiò dicendum est, quod illud pronomen *hoc*, quamuis secundum rem demonstret corpus Christi, tamen secundum modum significandi, vel ex vi significationis suæ demonstrat singulare entis, & non per se singulare alicuius minus vniuersalis, quàm sit ens, itaut sit sensus, *Hoc ens est corpus meum*; ità Doctor *loc. cit. concl.* 10. sub lit. P. pro cuius declaratione præmittit *concl.* nona sub lit. O. doctrinam, quam ex instituto docuimus *disput*. 4. *log. quæst*. 1. de genere *art*. 3. vbi diximus dari indiuidua generica, de quibus genus immediatè prædicari potest, & quod in singularibus est ordo secundum ordinem vniuersalium, & quod prius vniuersale quodcunque potest intelligi descendere in proprium singulare, quàm contrahatur per differentiam aliquam ad aliquod inferius, tanquam ad speciem, vt sic habeamus ordinem istorum singularium, hoc ens, hæc substantia, hoc corpus, & sic deinceps vsque ad Sortem; itaquod ly *hoc* ex vi suæ significationis non denotat aliquam speciem particularem entis, aliàs demonstrare non posset totum genus entis, atque ideò eius proprium significatum est denotare indiuiduum aliquod indeterminatum entis, vel quamcumque rem sub determinato conceptu entis; Hoc supposito probatur conclusio, quia pronomen *hoc* est singulare determinatum; atque ideò demonstrare non potest naturam, seù substantiam communem ad panem, & corpus Christi, & cùm huic pronomini addi possit res cuiuscumque prædicamenti, vt hic homo, hæc superficies, hic color; ergò ex vi suæ significationis non significat rem determinatam alicuius prædicamenti, atque ideò absolutè loquendo non significat idem, quod hæc substantiam, vel hoc corpus, sed absolutè significat idem, quod hoc ens, alioquin huic pronomini non posset addi res cuiuslibet prædicamenti; ergò in proposito pronomen *hoc* licet significet corpus Christi secundum rem, secundum tamen modum significandi, seù ex vi suæ significationis significat singulare entis, scilicet hoc ens; Confir. quia rationabiliter de multis quæritur quid est hoc; & ità dicebant Hebræi Exod. 16. in deserto, quandò eis pluit Manna de Cœlo *Manhu quid est hoc*? non autem idem supponitur, & quæritur; igitur non supponitur per ly *hoc* hoc lignum, vel hic lapis, quia illud quæritur, nam isto responso dato est lignum, vel est lapis, quietatur animus quærentis de illo singulari; de illo ergo singulari determinato supponitur tantùm, vt est singulare entis, & quæritur aliquod speciale sub ente, & quodcumque speciale conueniens est ad responsionem, & quietandum animum quærentis; & conceptus horum singularium sunt diuersi abinuicem, quia conceptus singularis entis, quod supponitur, est certus, conceptus verò singularis magis determinati, & specialioris, quod quæritur, est dubius, non est autem idem conceptus certus, & dubius: licet ergò pronomen *Hoc* secundum rem corpus Christi significet, illud tamen diuersa ratione significat, quàm corpus Christi significet corpus Christi, nam corpus Christi significat corpus Christi, vt est singulare naturæ determinatæ, at verò pronomen *Hoc* significat corpus Christi, vt est singulare entis; & vt est pręsens, & demonstrabile, non quidem per se, sed per accidentia, sub quibus continetur; & hæc conceptuum diuersitas sufficit, ne illa propositio *Hoc est corpus meum* sit identica, sed formalis, vt constat ex dictis in logica. 192

193 In Oppositum Primò objiciunt contrà primum assertum pronomina *Hoc*, & *Hic* non substantiuè, sed adiectiuè sumi debere, quia in forma calicis ponitur pronomen masculinũ *hic est calix sanguinis mei*; ergò adiectiuè sumitur, quia adiectiuum apud Grammaticos in neutro tantùm genere sumptum substantiuatur, quia vt sic includit in se suum substantiuum, & cõsequenter etiam in forma corporis adiectiuè sumi poterit ly *hoc*, quia in genere cum prædicato concordat.

Conf.

Conf. quia si pronomina demonstratiua *Hoc*, & *Hic* in formis consecrationis substantiuè sumerentur, semper, & in quacunque lingua in neutro genere poni deberent, nec vlla habenda esset ratio prædicati, vt cum eo in genere, numero, & casu conueniret at è contrario ità ponuntur, vt huius conuenientiæ, cum prędicato in genere, numero, & casu ratio habeatur, ergo &c. Tandem pronomina *Hic*, & *Hoc* in formis consecrationis accipienda sunt in eo sensu, quo solent in alijs similibus propositionibus communiter vsurpari; at in his ordinariè adiectiuè tantùm vsurpantur, vt cum quis dicit, hoc est vinum meum, hic est Pater meus, hic est filius meus, vbi si *hic* substantiuè acciperetur, dicere possemus, Hoc est Pater meus, Hoc est filius meus, quo modo nullus nisi valdè ineptè loqueretur.

Respondet Brancatus *disp. 19. art. 4. nu. 129.* ly & *Hoc*, *Hic* substantiuè, & adiectiuè se posse habere, vel enim proferens illa pronomina enti adijcit mente retento, vel expresso, vel neutro modo concepto, aut explicato; si priori modo adiectiuè illa profert; si posteriori modò, substantiuè, sed Doctor, expressè *concl. 10. sub lit. P.* ait ly *Hoc* denotare indiuiduum determinatum entis, & substantiuè sumi debere; & falsitas huius responsionis satis constat ex dictis in probatione primæ conclusionis, tunc enim pronomina demonstratiua hic, hæc, hoc, adiectiuè sumuntur, quãdo actu alicui substantiuo copulantur, substantiuè verò, quando per se ponũtur nulli substantiuo copulata; ergo si ly *Hoc*, vel *Hic* absolutè profertur, nec actu alicui substãtiuo copulatur, substantiuè tenetur; & parum refert, quod illud substantiuum mente retineatur, nisi actu exprimatur in propositione, & illi copuletur. Dicendum ergo est in rigore logico etiam in forma consecrationis calicis ly *Hic* substantiuè sumi debere, quia masculinus etiam articulus, seù quodcunque nomen masculinum absolutè prolatum importat suum substantiuum; vt patet in diuinis ex Scoto *1. dist. 12. quæst. 1. §. iuxtà quæstionem istam*, vbi cum dicimus, Pater, & Filius sunt duo spirantes; Pater, Filius, & Spiritus sanctus sunt tres creantes, tunc adiectiua illa *spirantes*, & *creantes* substantiuè accipiuntur, quorum substantiuum est persona, vt sensus sit, sunt duæ personæ spirantes, sunt tres personæ creantes; sic etiam in Symbolo Athanasij masculinum numeratur substantiuè sumptum, non tres increati, nec tres immensi, sed vnus increatus, & vnus immensus; Id autem maximè verum est in propositione, quæ formam calicis constituit, in qua articulus masculinus ponitur, vt subiectum, quod semper substantiuè sumi debet respectiuè ad prædicatum, quod apud logicum habet rationem formæ, & adiacentis.

Ad Confirmationem negatur maior, quia vt constat ex dictis, pronomina quæcunque & adiectiua non solum in genere neutro, licet hoc sit magis vsitatum, sed etiam in masculino, & fæminino substantiuari possunt. Ad vltimum negatur minor, nam etiam in illis propositionibus, hic est Pater meus, &c. illud pronomen *hic* substantiuè tenetur; neque necesse est dicere *hoc est Pater meus*, nam pronomina demonstratiua etiam in genere masculino substantiuari possunt, licet si diceretur *hoc est Pater meus* logicè adhuc benè diceretur, estò non grammaticè. Nec valet dicere ly *hic* in ea propositione *hic est pater meus* teneri adiectiuè, quia subintelligitur homo, vt sensus sit hic homo est pater meus; Non valet, quia vt contrà Brancatum diximus, quando substantiuum tantùm subintelligitur, nec expresse ponitur, tunc pronomen demonstratiuum substantiuè accipitur alioquin assignare non possemus, quando pronomen demonstratiuum substantiuè accipiatur, vt benè discurrit Gauatius *loc. cit.*

194 Deindè arguunt contrà alias conclusiones, quia si pronomen *hoc* demonstraret rem singularem, & determinatam, vel forma consecrationis esset falsa, vel saltem non esset conuersiua panis in corpus Christi; consequentia probatur, quia si demonstrat rem singularem, vel demonstrat substantiam panis, & sic forma esset falsa, nam substantia panis, licet conuertatur in corpus Christi, nunquam tamen de ea prædicatur corpus Christi, vt sit verum dicere, substantia panis est corpus Christi, vel per illud pronomen *hoc* demonstretur corpus Christi; & tunc forma consecrationis non esset conuersiua, quia sensus illius esset corpus Christi est corpus Christi, quod verum esset absque vlla conuersione, etiamsi à Laico talia verba dicerentur; ergò demonstrat rem communem, non singularem. Confirm. quia demonstratio in forma debet esse certissima, at si pronomen hoc demonstraret indiuiduum entis, demonstratio remaneret ambigua, imò magis falsa appareret, quàm vera, quia ly *hoc ens* potest demonstrare tam accidens, quàm substãtiam, cùm vtrumque sit hoc ens, & magis appareret demonstrari accidens, cùm fiat ad sensum, quàm ad substantiam. Denique si *hoc* supponit pro singulari entis, sequitur per illud æquè demonstrari accidentia panis, & substantiam corporis Christi, atque ità forma consecrationis, vel falsa esset, vel ambigua; consequentia probatur, quia præsertim in Scoti sententia ens vniuocè conuenit substantiæ, & accidenti, quarè si ly *hoc* supponit pro singulari entis, poterit æquè benè pro vtroque supponere.

Respondeo negando consequentiam quoad vtramque partem, ad probationem concedo pronomen *hoc* non demonstrare substantiam panis, sed ex vi significationis, & secundum modum significandi demonstrat hoc ens quod secundum rem, & veritatem est corpus Christi; & nego hinc sequi formam consecrationis non esse conuersiuam, quia sensus formæ non est, corpus meum est corpus meum, vel corpus Christi est corpus Christi; sed sensus est hoc ens est corpus meum, quæ propositio facit sensum à priori diuersum, quia hoc nomen corpus meum, vel corpus Christi, significat corpus Christi abstrahendo à loco vbicumque sit; vndè propositio illa, corpus Christi est corpus Christi, est vera etiam à Laico prolata, & quamuis corpus Christi non sit sub speciebus panis; sed pronomen *Hoc* vt à sacerdote profertur super panem, non demonstrat corpus Christi, nisi sub ratione huius entis, quod sub speciebus panis continetur; ideoque hæc oratio, hoc ens est corpus meum, potest esse cõuersiua panis in corpus Christi, quia virtute eius fieri potest, vt corpus Christi fiat hoc ens, quod sub speciebus panis continetur, quod facere non potest illa oratio, corpus Christi est corpus Christi, quia corpus Christi non potest fieri iterum corpus Christi. 195

Ad Confirmationem nego minorem, quia ly *Hoc* licet non determinet corpus Christi sub conceptu formali corporis, determinat tamen sub conceptu formali entis determinati, non communis; neque sub disiunctione demonstrat huius, vel illius, sed simpliciter determinatè hoc ens singulare, nempe corpus Christi, quod tunc sub accidentibus continetur; sicut quando dico, hic currit, non supponit pro quocumque indiuiduo entis, sed pro illo determinato, cui competit tale prædicatum; ita in proposito, quando dico, hoc ens contentum sub his speciebus est corpus Christi ly *hoc ens* non supponit pro quocumq; indiuiduo entis, sed determinatè pro illo, cui competit tale prædicatum scilicet esse corpus Christi, & sic propositio non est identica, qualis hæc corpus meum est corpus meum, sed formalis, quia subiectũ aliter importat prædicatum, aliter ly corpus. Ad vltimũ nego consequentiã argumenti principalis, ac etiam probationis eiusdem, quamuis enim ens in communi sit vniuocum substantiæ, & accidenti; falsum tamen est, quod cùm dico, hoc ens est homo, vel lapis, ly *hoc ens* supponat pro aliquo communi substantiæ, & accidenti; nam lapis, & homo determinatè est substantia, & consequenter hoc ens, de quo lapis prædicatur, vel homo, non potest supponere, nisi pro singulari ente, quod est talis substantia; & sic in proposito in forma consecrationis ly *hoc ens* supponit determinatè pro tali singulari entis, quod est corpus Christi.

Rursus arguunt; si significatum per ly *Hoc* est ens, vel est ens, quod est in substantia panis, vel ens, quod est in corpore Christi; non primum, vt concessum est, neque secundum; Primò, quia tunc corpus Christi esset significatum per ly *Hoc*, quod hactenus est negatum, quia tunc esset propositio identica, & inutilis, nam ens, quod est in corpore Christi est idem realiter, & formaliter cum corpore Christi. Deindè, quia tale ens singulare, quod est in corpore Christi, quando profertur *Hoc* non adest, sed ponitur cum corpore Christi, cui est identificatum, hoc autem fit completa oratione. Tandem, quia pronomina *Hoc*, & *Hic* in forma consecrationis posita sunt relatiua ad pronomen *Hoc*, in verbis antecedentibus accipite, & comedite ex hoc omnes, bibite ex eo omnes; sed tunc non significatur corpus, & sanguis Christi, quia nondum est peracta consecratio; ergo neque significatur per ly *Hoc*, & *Hic* in ipsa forma. 196

Resp. ens significatum per ly *Hoc* esse singulare entis cõceptum à dicente, quod est vnum ex prædicatis, quæ in fine prolationis sunt in corpore Christi; Ad primam impugnationem negatur consequentia, quia corpus Christi in subie-

cto

cto per ly *hoc* ità significatur, vt non innotescat esse Christi, nisi ex prædicato, quarè importatur solùm confusè, & implicitè, quod satis est, ne propositio sit identica, nam satis est, vt subiectum implicitè, & confusè dicat, quod prædicatum distinctè explicat, alioquin propositiones omnes, in quibus prædicatum implicitè includitur in subiecto essent identicæ, quod est falsum, vt patet in propositione, in qua definitio de definito prędicatur, quæ est recta, estò prædicatum implicitè in subiecto includatur; qua doctrina estò etiam Aduersarij vtantur ad suam opinionem tuendam, quod ly *hoc* supponat pro corpore Christi confusè; melius tamen saluatur in opinione nostra, quod supponat pro singulari determinato entis, & non alicuius minus vniuersalis, quia vt inquit Doct. *loc. cit. lit. Q. concl.* 12. non est idem sensus harum propositionum, hoc ens est corpus meum, & corpus meum est corpus meum, vel corpus Christi est corpus Christi, quia licet subiectum consequentis supponat pro subiecto antecedētis, alius tamen est intellectus antecedentis, & alius consequentis, nā conceptus antecedentis potest esse certus & conceptus consequentis potest esse dubius, potest enim aliquis esse certus de singulari magis vniuersalis, & dubius de singulari minus vniuersalis, nempè certus, quod sit hoc animal, & dubius, quod non sit hic homo non potest autem idem conceptus esse certus, & dubius; longè igitur melius deseruit hæc doctrina ad euitandam prædicationem identicam in opinione nostra, quàm Aduersariorum dicentium ly *hoc* supponere pro corpore Christi, tunc enim redderet hunc sensum corpus meum est corpus meum, vel corpus Christi est corpus Christi, quæ manifestè est propositio identica.

197 Ad 2. impugnationem dicendum est, ens quod concipitur, dùm profertur ly *hoc* cùm sit illud, quod in corpore Christi existit post verborum prolationem, vtiq; non adesse, cum profertur, nec sub speciebus realiter existere, neque id requiritur ad hoc, vt significet illud, sed satis est, si mente conceptum sit singulare ens, quod existet cum corpore Christi in fine prolationis, in quo etiam instanti dumtaxat suam habet significationem completam, & distinctam, & ratio est, quam diximus supra *num.* 188. quia in huiusmodi locutionibus practicis, in quibus res, quæ significatur, non supponitur, sed fit, pronomina demonstratiua rem ad sensum in principio non demonstrant, sed tantùm in fine locutionis, quia cùm talis res vi ipsius locutionis fieri debeat, vt significatiuæ talis rei, nō potest ad sensum demonstrari antè prolationem completæ locutionis, vt patet si quis lineā, vel circulum in terra describens diceret, hæc est linea; non enim hæ propositiones in earum prolatione lineam, vel circulum ad sensum demonstrant, quando linea, vel circulus non est perfectè formatus, sed tantùm in fine, quando linea est ducta, & circulus formatus; Ad 3. impugnationem dicendum est cum Card. de Lugo *disp.* 11. *sec.* 7. *num.* 157. quod licet illa verba dicta fuerint a Christo antè consecrationem, illud tamen *hoc* non referri determinatè ad id, quod tunc erat sub accidentibus, sed ad id quod esset in fine locutionis; in quo est discrimen illorum verborum *comedite ex hoc* ab illis alijs *hoc est corpus meum*, illa enim priora non sunt assertiua, sed præceptiua; posteriora verò sunt assertiua, ad quorum veritatem requiritur, vt obiectum tale sit tunc, quale tunc affirmatur esse; vndè sensus illorum verborum est, accipite, & comedite ex hoc, quod post consecrationem accipietis, tunc enim solùm iubebantur de illo, quod erant accepturi, manducare, quod non erant accepturi, nisi consecratione peracta; vndè illud verbum *accipite*, distrahit significationem pronominis *hoc* ad id, quod erit, quando dabitur.

QVÆSTIO NONA.

De veritate, & efficacia verborum consecrationis.

198 HÆc quæstio pariter duas habet partes, in prima quæritur, an verba consecrationis sint vera in toto rigore, & ratio dubitādi est, quia copula de præsenti solùm significat tempus præsens, in quo profertur; ergò solùm pro tempore præsenti debet verificari, non verò futuro; sed quando profertur oratio tali copula de præsenti constans, nondùm est id, quod significat, scilicet, corpus Christi; hoc namque non est sub speciebus, nisi completa illa oratione, *hoc est corpus meum*; ergo quando profertur, non videtur vera absolutè, & de rigore sermonis; ob quàm difficultatem varij excogitati sunt modi dicendi ad veritatem verborum consecrationis explicandam, & tuendam. In altera verò quæstionis parte circà efficaciam verborum consecrationis dubitatur, an verba consecrationis suum effectum operentur, quatenus vera, adeout veritas formæ sit causa conuersionis panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi; vel potius è contrà conuersio sit causa veritatis; vel breuius, an verba consecrationis sint causæ conuersionis, non solùm ratione significationis, sed etiam ratione veritatis, Thomistæ communiter partem tuentur affirmatiuam, eo quia Concilia, & Patres ex veritate verborum deducunt conuersionem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi; Scotus verò 4. *dist.* 8. *quæst.* 2. *cit. non longè ante finem*, existimat verba pro illo priori esse quidem significatiua sui obiecti, non tamen vera, nec falsa, sed neutra, hoc est præscindere ab vtroque ac proindè illa verba esse causam conuersionis ratione significationis, non verò ratione veritatis, quam sententiam non solùm sequuntur Scotistæ omnes, sed etiam Recentiores ferè omnes communiter, Suarez, Vasquez, Lugo, Auersa, Caspensis, Morandus, Becanus, Bernal. & alij passim.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quomodo verba consecrationis sint vera.

DIcendum est verba consecrationis in hoc sacramento proprię, & in rigore sermonis esse vera, quando proferuntur, quamuis non nisi in vltimo instanti prolationis earum reperiatur corpus Christi sub speciebus panis, & sanguis sub speciebus vini. Hæc est communis inter Catholicos, quam veritatem in toto rigore logico demonstrat Scotus valdè subtiliter *loc. cit.* per tredecim conclusiones; Probatur, quia verba Christi loquentis necessario debent esse vera, cùm enim sit prima veritas, nec per se ipsum, nec per alium mentiri potest; sed verba consecrationis sunt verba Christi loquentis per os Sacerdotis, & affirmantis illud esse suum corpus, & suum sanguinem, quia Sacerdos conficiendo hoc sacramentum loquitur in persona Christi, ideòq; suprà diximus non tantùm ab eo recitatiuè proferri, sed etiā significatiuè; ergò necessariò debent esse vera. Deinde veritas propositionis non regulatur pro tempore, quo copula profertur, sed pro tempore, quo tota propositio absoluitur, atque ideò à tota propositione finita desumitur, sed in vltimo instanti prolationis verborum, quod est primum non esse illorum, in quo præcisè instanti verborum sacramentalium significatio intelligitur completa, res per illa significatę à parte rei existunt, scilicet, corpus Christi sub speciebus panis, & sanguis sub speciebus vini; ergo formæ illæ secundum omnem rigorem, & verborum proprietatem sunt veræ; minor est de fide, maior probatur, quia conceptus per orationem prolatam causatus non habetur, nisi in vltimo instanti prolationis eiusdem; ergò vt aliqua propositio vocalis sit vera de rigore sermonis, satis est, quod in illo vltimo instanti, in quo conceptus illius completur, significatum per eam à parte rei existat; vndè hæc oratio, *hoc est corpus meum*, non sortitur veritatem, & significationem totalem, nisi sit omninò finita, & secundum omnes eius partes completa, si enim quis hanc orationem proferret *hoc est corpus*, & non proferret *meum*, sed diceret *Petri*, certè talis oratio referretur tota ad corpus Petri; ergo eius sensus nondum determinatus est, nisi vltima quoque particula proferatur, per quam determinantur termini priores, & copula eorumdem. 199

Tandem hoc totum præsertim in propositionibus practicis verificatur, vt dictum est suprà, hoc enim specialiter in eis inuenitur, quod omninò rem, quā significant, præcedere debent, cum enim res significata per illas ex vi earumdē suum esse habeat, opus est, vt tales propositiones supponātur quoad earum completam significationem, sicut omnis causa vniuersaliter loquendo ad suum supponitur effectum; prędictæ autem propositiones formam consecrationis constituētes tàm corporis, quàm sanguinis, prout à Sacerdote proferuntur suprà legitimam materiam, & cum debita intētione sunt practicæ; ergò simul significant, & causant, atq; ideò cū suam significationem completam non habeant, nisi in vltimo instanti prolationis verborum, consequenter in eodem instanti solùm suam causalitatem exercent, & pro eodem instan- 200

instanti sunt vere. Ex quo facilè occurritur rationi dubitandi ab initio quæstionis allatæ, falsum enim est veritatem propositionis regulari pro tempore, quo profertur copula de præsenti, potius enim regulatur pro tempore; vel instanti, quo tota propositio absoluitur; vndè licet quælibet propositio siuè cathegorica, siuè hypotetica ex terminis, vel simplicibus, vel complexis componatur, & hi termini successiuè proferantur, & vt sic proferuntur etiam significent; veritas tamen, & falsitas talem significationem consequens non censetur consistere, neque intellectus illi assentitur, quousq; tota propositio sit prolata, & tunc integra propositio dicitur existere, non verò anteà, & id maximè in proposito dicendum est, cùm enim formæ consecrationis sint practicæ, & operatiuæ, totam earum veritatem referunt ad vltimum instans, in quo operantur; & tota hæc est Scoti doctrina *loc. cit. §. aliter ergo in prima concl.*

201 Sed contra hanc doctrinam instabis, pro eo, tunc oratio est vera, pro quo ipsa est, & existit, sed solum pro tempore, pro quo profertur, existit; ergo pro eo tãtum est vera. Conf. quando oratio est completa, non est, completur enim in vltimo instanti prolationis verborum, quod est primum non esse eorum, successiua namq; desinunt per vltimum instans extrinsecum, vt constat ex dictis in Physica; ergò tunc non potest subiectare veritatem, cùm tunc non sit. Tandem, quælibet dictio significat, dùm profertur, si est vox significatiua: sed ly *est* in propositione significat vnionem prædicati cum subiecto; ergo negari non potest, quod consecratio sit vera, vel falsa in progressu, quando profertur particula *est*.

Resp. Doctor *loc. cit.* quod in fine prolationis cuiuscunque dictionis per aliquid causatum in phantasia à dictione, dum profertur, intellectus in se causat conceptum aliquem dictionis, atque ità per aliquas species à singulis dictionibus derelictas, dùm proferebantur, intellectus in vltimo instanti per actum collatiuum format conceptum totius propositionis; vndè orationem vocalem verificari, quando non est, potest dupliciter intelligi, aut quando non est formaliter in se, aut quando non est in aliquo effectu sibi proprio; primo modo concedendum est orationem verificari, quando non est, non tamen secundo modo, quia in phantasia audientis, & etiam loquentis, qui seipsum audit, causatur aliquid ex prolatione singularum partium orationis, idest, species, ad quas se intellectus conuertit, & ex illis format conceptũ illius orationis; vndè licet oratio non existat formaliter in se, nisi pro tempore, quo profertur, adhuc tamen in fine prolationis dicitur existere, & remanere in aliquo effectu à se causato in phantasia audientis. Ad Conf. patet per idem, quamuis enim oratio, quando est completa, non amplius in se existat, dicitur tamen existere in aliquo effectu à se producto, scilicet in speciebus causatis; inter species autem istas, & rem expressam insurgit relatio veritatis, & sic saluatur subiectum veritatis eodem prorsus modo, quo inter rem, & orationem scriptam, quæ remanet, licet per motum fiat. Ad vltimum negatur consequentia, quia vt copula exerceat suum munus copulandi, debet intelligi cum ordine inter prædicatum, & subiectum, qui ordo nõ intelligitur in principio, vel in progressu, sed tantum in fine, quando est completa oratio, vbi enim non concipiuntur vnita, neque vnio intelligi potest, vndè quando in progressu, & prolatione propositionis profertur particula *est*, habet potius rationem verbi substantiui, vt idem sonat, quod *existit*, quam copulæ, & constituit propositionem de secundo adiacente, non autem de tertio, nisi pronunciato prædicato, quo posito statim habet rationem copulæ, & propriè vnionem significat eius cum subiecto.

202 Rursus obijcitur; significatum totius orationis constat ex significatis partium, sed partes significant, quando proferuntur, ergò oratio habet significatum suum antè terminum totalis prolationis. Conf. quia dictio idem habet significatum, tam inserta in oratione, quam in se prolata; sed si per se proferatur, statim facta prolatione eius significatum habetur; ergò similiter in oratione, quamuis aliæ adhuc non sint prolatæ.

Resp. etiam Doctor *loc. cit.* negando consequentiam, quia significatio illa partium orationis non est ratio formalis causandi conceptum totius orationis in audiente, sed tantùm quædam præambula dispositio, ad quam per collationem intellectus sequitur causatio totius conceptus ex conceptibus per partes causatis. Ad Conf. dicendum est, quod licet dictionis idem sit significatum suum incomplexum, siuè per se, siuè in oratione sumatur; aliter tamen habet illud in oratione inserta, & per se, ac solitariè prolata; hoc enim modo accepta suum statim habet significatum in fine prolationis clarum, & distinctum absque dependentia ab alio, vel ordine ad aliud; sed quando est pars orationis ipsum habet veluti in potentia, & ordine quodam cum alijs dictionibus ad vltimum instans prolationis totius orationis, in hoc enim sequitur legem, & naturam totius; & in hoc sensu dici solet, quod pronomina in forma consecrationis prolata suspensã habent suam significationem, donec tota propositio sit prolata; quod quidem intelligendum est modo iam supra explicato, quod licet termini propositionis successiuè proferantur, & vt sic proferuntur, etiam significent, tamen veritas, vel falsitas consequens talem significationem non censetur consistere, neque intellectus illi assentitur, quousq; tota propositio sit prolata.

Deniq; obijcies, difficultatem adhuc magis vrgere in formis consecrationis, quàm in alijs orationibus vocalibus, ob pronomina demonstratiua, quæ in ipsis ponuntur; quia pronomen demonstratiuum statim, ac profertur, demonstrat id in quod cadit, cùm in demonstrando id, in quod cadit, non pendeat ex intentione proferentis, sed ex propria significatione; at statim ac profertur in forma consecrationis cadit in substantiam panis præsentem, quia cum corpus Christi nondum sub speciebus existat, non potest in illud cadere, nam in eam substantiam cadit, quæ per species præsens tunc temporis demonstratur, quando profertur; sic autem dicẽdo patet orationem esse falsam, quia de substantia panis non prædicatur corpus Christi. Resp. ex dictis, non semper pronomen demonstratiuum completam habere significationem, statim ac profertur, sed interdum illam habere tãtùm in fine completæ orationis, idque non ex intentione tãtùm proferentis, sed etiam ex vi coniunctionis cum prædicato, à quo determinatur ad supponendum pro hac, vel illa re; vndè vt suprà dicebamus, si quis hanc orationem diceret, *Hoc est corpus*, & non proferret *meum*, sed adderet *Petri*, tunc talis oratio tota ad corpus Petri referretur, ideoque significatio pronominis illius determinata non est, nec sensus totius propositionis, nisi vltima particula proferatur, per quã determinãtur termini priores, & copula eorumdem; in proposito igitur, cùm significatum illius pronominis *Hoc*, dùm profertur sit indiuiduum, & singulare entis, vt dictum est *quæst. præced. art. 2.* ens, quod concipitur, dùm profertur ly *Hoc*, cùm sit illud, quod in corpore Christi existit post prolationem orationis, non existit tunc sub speciebus, sed tantùm pro illo tunc est mente conceptum. 203

Sed dices, si pronomen illud, quando profertur, nõ statim ad sensum demonstrat id, suprà quod cadit, sed tantùm id est mente conceptum, tunc demonstratio non fieret ad sensum, sed tantùm ad intellectum, quia demonstratio ad sensum non fit, nisi per rem sensui præsentem; Cùm igitur hæc demonstratio corporis Christi sub speciebus non fiat ad intellectum, sed ad sensum, debet suum significatum sic demonstrare, quando profertur, sed quando profertur, non est nisi panis, ergò non nisi panem demonstrat. 204

Respond. ad hoc, vt demonstratio fiat non tantùm ad intellectum, sed etiam ad sensum sufficere, vt res demonstrata fiat præsens sensibus in fine completæ orationis, vt patet in hac propositione, *Hoc est præceptum meum, vt diligatis inuicem*, in qua est pronomen demonstratiuum, & tamen præceptum charitatis, quod ad sensum auditus demonstratur, non nisi in fine completæ orationis sit auribus præsens; sicut etiam, quando dico *Hoc, quod iam dicam est verum*, ly *hoc* significat aliquid posteà dicendum, & non aliquid ostensum, quando prolatum est.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quomodo verba consecrationis sint efficacia, & conuersiua.

Dicendum est, formam consecrationis esse conuersiuã, seù causare præsentiam corporis, vel sanguinis Christi, inquantùm est significatiua, non verò inquantùm est vera; vndè verba consecrationis, estò sint vera in fine prolationis, non tamen sunt conuersiua, quatenus vera, sed quatenus neutra, & præcedentia veritatem saltem natura; ità Scotus *loc. cit. sub. lit. V. §. & si quæras*, cùm omnibus ferè 205

Recen-

Recentioribus extrà Scholam D.Thomæ, vt testatur Card. de Lugo *disp.11.sec.6.n.146.*& quidem quoad primam partem nulla est difficultas, quia omnia sacramenta suos effectus causant, quatenus sunt quædam signa sensibilia à Deo assumpta,& instituta, vt ad eorum positionem Deus ipse assistens ponat effectus aliquos; ergò causant,quatenus significant; tùm quia ex eo quod forma consecrationis significet corpus Christi esse sub speciebus,colligitur quod causet præsentiam eius sub illis,nam sacramenta efficiunt, quod significant,ergo vt significatiua causant.

Quoad secundam partem probat Doctor, ideò hæc oratio est vera, *Hoc est corpus meum*, quia ea expleta panis destruitur, & corpus Christi sub speciebus ponitur, in quo consistit conuersio; ergò prius natura ponitur Christi corpus sub speciebus, quàm intelligatur oratio illa veritatem habere; consequentia patet, nam causa, & omnis ratio, secundum quam causat, debet præcedere effectum saltem natura; antecedens probatur, nam ideò oratio aliqua est vera, vel falsa, quia quod exprimitur, vel significatur per eam, est vel non est à parte rei, sicut exprimitur,ex eo enim, quod res est, vel non est oratio dicitur vera, vel falsa cap.de substantia.

Confirmatur, quia in omni propositione prius natura intelligitur significatio,quàm veritas,vt patet in addiscente, prius enim aliqua conclusio non demonstrata concipitur à discipulo, & tunc quidem, vt neutra, & tamen totus per se eius conceptus percipitur, vel concipitur deindè demõstratione ad ipsam applicata, concipitur vt vera; quod adhuc magis patet in propositionibus contingentibus, potest enim aliqua talis propositio eandem retinens significationem esse modò vera,modo falsa, vt si dicatur *Petrus currit*, quæ semper idem significat, & est vera Petro currente, falsa non currente;ergò si formæ consecrationis virtus effectiua, & conuersiua conuenit ratione suæ significationis præcisè, vtique etiam ei conueniet independenter à veritate. Denique probat Doctor, quia potuisset Deus absolutè loquendo instituisse aliquam orationem non significatiuam, ad cuius prolationem à Ministro ipse assisteret ad causandum effectum in fine prolationis, ergo quamuis de facto, & quidem conuenientissimè,orationem instituere voluerit huius præsentiæ significatiuam, ipsique propositioni sic significatiuæ attribuere virtutem efficiendi eandem præsentiam significatam, dicendum tamen est hanc virtutem fuisse illi communicatam in se consideratæ, prout à veritate, vel falsitate præscindit, itaut ei talis virtus conueniat præcisè ratione significationis, & non ratione veritatis reduplicatiuè, sed tantum specificatiuè.

206 Respondent aliqui Thomistæ cum Caietano, hæc argumenta concludere de veritate speculatiua, de qua procedit Arist.dictum, ex eo orationem esse veram, vel falsam, quod res sit, vel non sit, vt per ipsam exprimitur; non autem de veritate practica, quæ cùm sit veritas in causando, non præsupponit, sed facit rem, vndè antequam res sit, veritas practica est; vndè dicunt formam consecrationis causare hoc sacramentum, vt veram practicè,non autem vt veram speculatiuè. Alij verò cum Dominico Soto contendunt, formam consecrationis præcedere, vt veram vtroque modo, tam practicè, quàm speculatiuè, præsentiam corporis Christi,& omninò causare,vt veram vtroq;modo; Nec obstare,quod vt vera præsupponat corpus Christi præsens sub speciebus,quia non implicat, vt in eodem temporis instanti forma præsupponat corpus in genere causæ obiectiuæ, & materialis,& simul ipsa præsupponatur ad corpus in genere causæ efficientis, quod varijs exemplis persuadere conantur, & ex Arist.dicente causas esse posse sibi inuicem causas in diuerso genere causæ.

Sed prima responsio non satisfacit, falsum enim est discrimen illud,quod ponitur à Caiet.inter veritatem practicam, & speculatiuam; etenim in eo conueniunt, quod vtraque consistit in conuenientia propositionis cum re, quam enunciat; & in eo tantùm differunt, quod veritas speculatiua consistit in conuenientia propositionis cum re, quam enunciat, & non efficit; practica verò in conuenientia propositionis cum re, quam enunciat, & efficit; vndè licet signum practicum sit sui significati factiuum, eius tamen veritas consistit in connexione eum suo significato præsenti, ideoque quando talem habet connexionem infallibiliter cum suo significato dicitur signum certum, & infallibile; quando verò non semper præsens habet suum significatum dicitur dubium,& æquiuocum.Nec etiam alia responsio subsistit, siquidem mutuam illam causalitatem in genere causæ materialis, & efficientis omninò reiecimus *disp.*8.Phys.*qu.*1.*art.*1.quod si quando Arist.dixit causas esse sibi posse inuicem causas solum intelligit in causa efficienti, & finali,non autem in cæteris, vt constat ex exemplis ab ipso adductis.

Respondet rursus Coninchius 3.*p. q.* 78. *art.* 5. veritatem propositionis etiam practicæ vtique pendere ab existentia rei, non tamen absolutè, & necessariò præsenti,sed vel præsenti vel præterita, vel futura, prout in propositione esse affirmatur; sicut enim veritas huius propositionis *Petrus cras curret* requirit vt Petrus cras currat,non autem hodiè, ità veritas propositionis practicæ de præsenti requirit,vt res quæ asseritur, existat quidem eodem instanti temporis, quo habet completum suum esse, sed posterius natura, quam ipsa sit quia hoc implicitè affirmat; sicut igitur relatio, quæ respicit terminum absolutè futurum, potest eo prior esse tempore; sic quæ respicit futurum posterius natura, potest eo esse prior natura, talis autem est veritas propositionis practicæ.

Cæterùm hæc quoque solutio plura continet falsa, & minimè satisfacit, si enim verum est,veritatem propositionis practicæ ab existentia rei pendere, prout in propositione esse affirmatur; cum in forma consecrationis affirmetur existentia corporis Christi sub speciebus de præsenti, non poterit,vt vera talem effectum causare,cum potius hæc veritas causetur, & desumatur ex ipso effectu actu existente, vt supra arguebatur; quarè tantùm abest, vt veritas practica talis propositionis præcedat natura realem existentiam corporis, & sanguinis Christi, quod potius res è contrà omninò se habet; vndè tria naturæ instantia distinguit Doctor sub lit. Y. in præsenti casu illo eodem instanti temporis, quo completur forma consecrationis,& est vera, quia tunc realiter existunt corpus, & sanguis Domini sub speciebus; in primo prædicta propositio est significatiua, in secundo causat, quia significando causat; in tertio tandem est formaliter vera, quia adest conformitas actualis propositionis ad rem, quam enunciat; Neque ad veritatem propositionis practicæ est satis conformitas illius ad obiectum, quod causat, antequam fit,quia quamuis fit infallibiliter exiturum, adhuc tamen re vera pro illo instanti non existit, quod significat propositio de præsenti, & non de futuro. Accedit, quod futuritio rei malè explicatur per instans naturæ, quia rei existentia mensuratur per instans temporis, non naturæ, & præteritum, præsens,& futurum designant instantia temporis non naturæ, & in eo instanti temporis quo corpus luminosum producitur,ineptè diceretur, quod in posteriori signo naturæ ab eo produceretur lumen, vel quod lumen est futurum in posteriori naturæ signo, quia existentia,& productio rei per instans temporis, non verò naturæ mensuratur, vt dictum est in Logica in Postprædicamentis; vndè in eodem instanti temporis, quo corpus luminosum producitur,supponitur etiam lumen existere, & esse productum licet illud sit isto natura prius;Denique falsum est etiam, dari posse relationem, quæ suum possit præcedere terminum, & adhuc magis absurdum quod etiam prioritate temporis illum præcedere possit,quia relatio in suo esse non tantùm à fundamento, sed etiam à termino dependet, & adhuc magis ab isto,quam ab illo, relatio quidem actualis à termino actuali, siuè actualiter existente,& relatio aptitudinalis v.g. risibilitas ab aptitudinali; ergò non solùm posterior est suo fundamento, sed etiam termino, nec aliqua relatio excogitari potest, quæ sit suo termino prior, vt dictum est *disp.*5. *Phys. q.* 2. alioquin esset relatio, vt supponitur, & non esset relatio, quia cùm hæc sit essentialiter habitudo inter duo extrema, non nisi præsuppositis extremis insurgere potest,sicut etiam vnio necessariò extrema vnienda supponit.

Respondet tandem Amicus *disp.* 24.*sec.* 5. distinguendo 207
triplicem veritatem in formis sacramentalibus, qua distinctione oppositas sententias conciliare prætendit; Prima desumitur ex pacto, & promissione Dei, ex eo enim,quod Deus promisit ad prolationem talis formæ suprà debitam materiam se producturum rem per talem formam significatam, hoc ipso forma sortita est infallibilem veritatem in ponendo suum effectum à parte rei, vt illum significat. Secunda deriuatur ex ipsa existentia effectus, non quidem existẽti,sed futura,ex eo enim quod futurus est effectus à se

causan-

causandus, prius prioritate rationis, & naturæ, forma sacramentalis intelligitur vera per conformitatem ad talem effectum à se causandum. Tertia desumitur ex ipsa actuali existentia rei productæ, in ordine ad quam forma sacramentalis acquirit nouam conformitatem practicam actualem, quàm anteà non habebat, quia nunc connotat existentiam præsentem sui obiecti, quam anteà non connotabat; Iuxta hanc distinctionem triplicis veritatis in forma sacramentali assignabilis statuit deindè Amicus tres conclusiones, quibus oppositas sententias conciliare prætendit, & concludit rationes pro nostra sententia adductas procedere tantùm de tertia veritate, quæ est veritas actualis practica desumpta ex ipsa existentia actuali rei productæ, & probare tantùm non posse formam sacramentalem causare suum effectum; veram, veritate practica desumpta ex conformitate cum existentia sui obiecti actu existentis; cum quo adhuc stat, quod possit causare suum effectum, vt vera veritate primi, & secundi generis in quo sensu explicat oppositam Thomistarum sententiam.

208 Sed neque hæc solutio, & conciliatio placet, hoc enim est facere quæstionem de nomine, & eam extrahere à proprio, & genuino sensu, in quo disputari solet; etenim hæc quæstio mouetur tãtum de veritate practica actuali desumpta ex conformitate ad rem actu existentem, quæ propriè solùm veritas appellatur; etenim vt suprà diximus veritas practica illa propriè dicitur, quæ est factiua sui significati, & consistit in conformitate, & connexione cum suo significato præsenti; vndè signum quod dicitur dubium aut æquiuocum, tale dicitur, quia non semper habet præsens suum significatum, signum verò certum, & infallibile dicitur ex coniunctione infallibili, & certa ad suum significatum. Neque enim, vt diximus, ad veritatem propositionis practicæ, de qua est quæstio, satis est conformitas illius ad obiectum, quod causat, antequam sit, quia re vera pro illo instanti non existit, quod significat propositio, esto infallibiliter sit extiturum. Quarè in eo sensu ad summum dici possunt prædictæ propositiones causare, vt veræ, veritate, quandam virtuali & radicali, quatenus scilicet, vt verba Christi per os sacerdotis prolata infallibiliter efficient, quod significant; eo enim ipso quod intelliguntur esse verba Christi, intelliguntur cum infallibilitate orta ex ipso loquente, & cum necessitate ad conformitatem cum obiecto, & cum repugnantia ad difformitatem, quæ quidem determinatio, & necessitas ponendi obiectum, seù conformitatem cum illo potest dici veritas radicalis, & antecedens ad omnem denominationem extrinsecam ab obiecto prouenientem, vt optimè adnotauit Card. de Lugo sec. 6. cit. in fine; sed de veritate hac, quæ est veluti in actu primo, hic non est quæstio, hanc enim omnes agnoscunt esse essentialem, & intrinsecam in omni cognitione diuina, & in omni actu fidei, & in omni locutione. Dei prout talis est; quarè cum verba consecrationis antecederent ad operationem sint locutio Christi, necesse est, quod pro illo priori cum hac veritate radicali, ac veluti in actu primo intelligantur. Alia vero veritas, quam Amicus etiam præcedentem assignat in forma consecrationis, quæ scilicet desumitur non quidem ex existentia effectus præsenti, sed futura in posteriori signo naturæ, præterquam quod futuritio effectus malè explicatur per instans naturæ, vt supradiximus contra Coninch. adhuc non est ad rem, quia veritas formæ consecrationis, de qua hic est quæstio, consistit in connexione cum effectu præsenti, quem effecit, non verò futura.

209 In Oppositum obijciunt. Primò quia omnis propositio eo ipso, quod est significatiua, est etiam vera, vel falsa; aut enim significat rem, sicut est, & sic est vera, aut aliter quàm sit, & sic est falsa, cùm enim hæc sint contradictoria non potest inter ea dari medium per abnegationem extremorũ pro quocunque signo siuè temporis, siuè naturæ ergo si formæ consecrationis non efficiunt conuersionem, vt veræ illam causabunt, vt falsæ, non vero vt neutræ. Confirmatur quia Tridentinum sess. 13. cap. 4. ex veritate verborum deducit conuersionem panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi, ergò efficiunt, vt veræ.

Respondeo ex Scoto lit. X. & ex iam dictis suprà numer. 205. veritatem, & falsitatem non esse de essentia propositionis, sed propriam eius passionem, vndè in illo priori naturæ, antequam fundet conformitatem, vel difformitatem ad obiectum, oratio significat non tamen verè, vel falsò, quod ex eo constat vt diximus, quia eadem numero oratio transit de vera in falsam, & è contrà per conformitatem, vel difformitatem ad obiectum, quod aliter, & aliter se habere potest, ideoque oratio secundum suam essentiam considerata abstrahit à veritate, & falsitate; & sicut homo in illo priori signo naturæ, in quo consideratur præcisè secundum sua prædicata essentialia, non intelligitur nec risibilis, nec non risibilis, quia risibilitas ei tantum conuenit in secundo naturæ signo, in quo ei conueniunt prædicata secundi modi dicendi per se; ità propositio secundum sua prædicata essentialia considerata nec intelligitur vera, nec falsa, sed ab vtroque abstrahit, & concipitur neutra, quia talia prædicata non conueniunt ei, nisi in posteriori signo naturæ, in quo ei tribuuntur prædicata secundi modi; Et ad illud, quod inter contradictoria non datur medium, iam dictum est in Logica hoc verum esse in contradictorijs complexis, non tamen in incomplexis, quando sumuntur cum aliquo sincathegoremate, vndè homo per se in primo dicendi modo nec est risibilis, nec non risibilis, nec per se est albus, nec per se non albus, quia in tali signo naturæ ab huiusmodi prædicatis omninò abstrahit, & præscindit. Ad Confirmationem dico, quando Concilia, & Patres colligunt præsentiam Christi ex veritate formæ, & vi verborum, colligunt à posteriori, non à priori; Et præsertim Trident. loc. citat. quando ex veritate formæ deducit præsentiam corporis Christi sub speciebus, potius loqui videtur de veritate practica in actu primo, & virtuali, aut radicali ex infallibili promissione Christi desumpta, quàm de formali, & actuali, de qua hic est quæstio; colligit enim conuersionem panis in corpus Christi, quia Christus verè dixit id, quod sub speciebus panis offerebat, esse corpus suum.

Deindè arguit Coninch. in tantùm formæ consecrationis suum operantur effectum, inquantum sunt verba primæ veritatis; ergo quatenus necessariò veram conuersionem efficiunt. Confirmatur quia formæ aliorum sacramentorum efficiunt suum significatum, inquantum veræ; ergò multò magis formæ huius sacramenti hoc idem efficere debent. 210

Resp. negando consequentiam; aliud enim est verba consecrationis causare conuersionem, quia sunt, verba primæ veritatis; aliud verò, quod causent vt vera, itaut ipsorum veritas sit causa conuersionis; primum quidem verum est, & vltrò concedimus, ideò enim conuersionem causant, quia dicta sunt à Deo prima veritate, & instituta ac conuersionem efficiendam; secundum verò negatur, quia vt suprà dictum est, potuisset Deus prima veritas æquè bene instituere aliquam orationem non significatiuam, ad cuius prolationem à ministro ipse assisteret ad causandum effectum in fine prolationis, & tunc adhuc esset verum dicere, quod illa verba conuersionem causarent, quia sunt verba primæ veritatis, & à Deo instituta, qui neminem decipere potest; nec tamen hinc sequeretur, quod causarent, vt vera; & tandem hoc argumentum ad summum probat de veritate radicali, & in actu primo, vt dictum est, non autem de formalis, & in actu secundo, de qua tantùm est quæstio. Ad Confirmationem specificatiuè conceditur antecedens, reduplicatiuè negatur, nam formæ sacramentorum efficiunt reduplicatiuè, inquantum significant, hoc est inquantùm continent virtute suum effectum, vt colligitur ex Tridenr. sess. 7. & veritas eorum fundatur in hac significatione practica seù in ipsa efficacia formæ.

Denique arguit Amicus, quia forma sacramentalis ex pacto, & promissione Dei habet omnimodam infallibilitatem ad causandum effectum, quem significat; sed hæc infallibilitas causandi effectum præcedit saltem natura ipsam productionem effectus; ergo forma sacramentalis causat suum effectum, vt vera, veritate sibi communicata ex infallibili promissione Dei. Deindè causat etiam vt vera veritate speculatiua desumpta ex conformitate ad effectum a se causandum, quoniam prius est effectum formæ sacramentalis esse extiturum virtute ipsius formæ, quàm actu existere virtute eiusdem formæ; ergò potest forma sacramentalis per conformitatem ad effectum à se causandum esse prius vera, quàm illum causet; igitur potest illum causare, vt vera, veritate desumpta ex conformitate ad effectum à se causandum; assumptum patet, consequentia probatur, nam posito, quod effectus formæ sacramentalis sit extiturus, forma ipsa sacramentalis in priori signo naturæ, antequam illum actu producat, habet conformitatem cum illo, quia enunciat illum causandum pro posteriori signo naturæ, atq; ità illum producit, vt vera in eo priori naturæ. 211

Resp. ex dictis negando consequentiam, quia cum eadem infallibilitate suum effectum produceret oratio quoque non significatiua, si ad tale munus fuisset à Deo assumpta, & tamen non produceret, vt vera; vndè argumentum vel non concludit, vel solùm probat de veritate virtuali, & radicali, non verò formali, & actuali, de qua est quæstio. Ad aliud dico formam consecrationis neque posse suum effectum producere, vt veram veritate illa speculatiua, quæ fingitur desumpta ex conformitate ad effectum à se causandum, & in posteriori signo naturæ futurum; quia futuritio, vel existentia rei futura non mensuratur per instans naturæ, sed temporis, & ideò cùm in eodem solùm instanti temporis, quo effectus est productus, intelligatur fundare conformitatem ad illum iam in esse positum, non potest forma consecrationis intelligi vera ea veritate speculatiua antecedenter ad eius productionem, sed tantùm in posteriori signo naturę post eius productionem.

212 Hic etiam quæri solet, an plures formæ possint simul concurrere ad eiusdem materiæ consecrationem, seù an plures Sacerdotes possint simul eandem hostiam consecrare; & est dubium nedùm de valida, sed etiam de licita consecratione; quæ quidem quæstio resoluenda est iuxtà dicta superius de baptismo *disp.2.nu.60.& 65.* in consimili dubio, an plures possint simul eundem baptizare, vbi diximus ex Scoto *dist.6.qu.2.* plures eundem baptizantes sic, quod omnes simul formam expleant, singulos verum, ac validum sacramentum conficere; ità, inquam, in proposito dicendum est, plures Sacerdotes formam consecrationis in eodem instanti simul super eandem materiam proferentes cum recta, & absoluta intentione illam consecrandi, si simul verba consecrationis absoluant, omnes verè Sacramentum conficere: sicut enim plures præfato modo eundem baptizantes validum baptismi sacramentum conficiunt, ità eadem ratione de Eucharistia discurrendum est; & sicut in eo casu diximus plures illos baptizantes concurrere, vt causas totales morales ad eundem baptismum, ità pariter in proposito dicendum est plures Sacerdotes vnam, & eandem hostiam simul consecrantes verè se habere, vt causas totales eundem effectum totaliter causantes in genere moris; quia id non importat in signato respectu signi physicam, & essentialem dependentiam, quam tantùm negamus posse in aliquo vno effectu reperiri ad plures causas totales, vt iam diximus *disp.8. Phys.q.3.art.2.nu.68.* quæ fuit doctrina Scoti *loc. cit. d. 6. quæst. 2.* vbi inquit propositionem illam, quod idem effectus nequit esse à pluribus causis totalibus, esse veram de causa formam inducente physicè, & effectiuè, sic autem formam solus Deus inducit, non Minister; quam responsionem etiam tradidit in Reportatis, vbi habet, non posse eundem effectum esse à pluribus causis totalibus formam effectiuè inducentibus, sed benè à pluribus ministerialiter tantùm agentibus, dùm tamen vna sit principalis effectiuè formam inducens; quod est ac si dixisset, non posse eundem effectum esse à pluribus causis totalibus physicè causantibus, benè tamen à pluribus moraliter tantùm causantibus, cuiusmodi sunt plures Ministri eundem hominem baptizantes, & plures Sacerdotes eandem hostiam consecrantes; Quod autem ait Rubeus noster *tom. 2. controu. 15. concl. 3.* Scotum non ità sensisse, nec illam dedisse responsionem ex propria mente; optimè refellit Gauatius *disp.2. de Missa Sacrificio qu.3. num.251.* ad quem Lectorem remitto, non enim vacat nænias Auctoris illius perpendere, præsertim cum in ea quæstione in intelligibilia dicat.

213 Quod etiam licitè possint interdum plures Sacerdotes materiam eandem consecrare, communis est sententia hac tempestate, & adeò certa, vt sine maxima temeritate in dubium reuocari nequeat propter consuetudinem, qua Ecclesia Romana vtitur cum Sacerdotibus recens ordinatis, qui omnes cum Episcopo ordinante concelebrant simul cum ipso verba consecrationis super eandem materiam proferentes, quem ritum ab omnibus Episcopis obseruari præcipitur in nouo Pontificali iussu Clementis VIII. edito; & est præsertim contrà Durandum 4. *d.13. quæst. 3.* vbi multis conatur ostendere Sacerdotes nouiter ordinatos non debere vnà cum Episcopo verba consecrationis proferre ob periculum eiusdem, quia raro, vel numquam eueniet, vt omnes simul terminent illam; ad quod inconueniens euitandum plures à Doctoribus excogitati sunt modi, qui passim à Recentioribus referuntur, & ponderantur, & videri possunt apud eundem Gauatium *q.3. cit. cap.2.* nec vlterius in hac materia pergo, cùm sit merè moralis.

QVÆSTIO DECIMA.

Quid Sacramentalis præsentia Christi in Eucharistia.

Hic supponendum est, tanquam dogma Catholicum, in pluribus Concilijs definitum Efesino, Romano, Viennensi, Constantiensi, Florentino, & alijs contrà quosdam Hæreticos antiquos, & Recentiores, cæterosque Sacramentarios sub speciebus Eucharisticis contineri verè, realiter, & substantialiter corpus, & sanguinem Christi, & non tantùm in figura, signo, & virtute, vt illi comminiscuntur detorquentes verum sensum Scripturarum, Patrum, & Conciliorum; etenim hæc catholica veritas nullam habet repugnantiam cum principijs philosophicis, vt ostendit Doctor 4. *d.* 10. *qu.* 1. ex quibus supponimus nullam esse implicantiam idem numero corpus esse in pluribus locis, & habere plures præsentias, siuè huiusmodi præsentiæ sint diuersæ rationis, scilicet, vna circumscriptiua, alia definitiua, siuè rationis eiusdem, scilicet plures circumscriptiuæ, vel plures definitiuæ, in hoc enim nullam esse implicantiam de potentia Dei absoluta iam ostendimus *disp.11. Physic.* 214

Hoc supposito triplex oritur difficultas in proposito de præsentia Christi in Eucharistia. Prima est, quod cùm duplicem præsentiam in Christo sacramento considerare possimus, vnam in ordine ad locum, in quo sunt species consecratæ; certum enim est, cùm corpus, & sanguis Christi sub illis speciebus contineantur, in eodem loco esse cum illis; alteram in ordine ad ipsas species, quibus dicitur esse præsens; est inquam, difficultas an præsentia sacramentalis Christi ad locum specierum sit alia à præsentia, quam habent species ad eundem locum; Negant enim Vasquez, Albertinus, & alij ex Recentioribus, ac etiam Poncius ex nostris; alij verò communiter affirmant; Secũda Difficultas est, an prædicta præsentia sacramentalis Christi ad locum specierum sit sola negatio distantiæ corporis Christi à speciebus, vt Nominales vniuersaliter tenent de omni præsentia locali eam explicantes per solam indistantiam, vel negationem distantiæ vnius rei ad aliam; an potius dicat modum, aut respectum quendam accidentalem, & positiuum ab ipso corpore Christi distinctum, eique superadditum, vt fert communis opinio.

Tertia difficultas est de præsentia sacramentali Christi ad species, an præter inseparabilem eorum præsentiam ex pacto diuino includat etiam aliquam vnionem physicam corporis, & sanguinis Christi sub speciebus; Negant Scotistæ, & Nominales; affirmant Thomistæ, & Recentiores, licet non eodem modo rem explicent; Aliqui enim affirmant talem præsentiam sacramentalem Christi ad species haberi per vnionem physicam formalem similem illi, quam dicebat substantia panis, & vini, cum eisdem accidentibus dempta inhærentia, ità Caiet. Soto, Bellarmin. Albertin. Pasqualig. Auersa, Orlandus, & alij Recentiores: Quidam verò negant inter corpus Christi, & species talem vnionem formalem, & physicam intercedere, & solum admittunt vnionem quandam effectiuam, seù per vim attractiuam, qua vnum trahit, & vnit sibi alterũ, sicut magnes trahit ad se ferrum, & sibi copulatum retinet; tale inquam, reale vinculum admittunt inter species, & corpus Christi per efficientiam vnius ad alterum, quod consistit in sola mutua efficientia corporis Christi in species, & specierum in corpus Christi; ità Suarez, Card. de Lugo, Beccanus, Caspensis, & alij Recentiores. Quarta tandem difficultas est, quæ sit propriè præsentia sacramentalis constituens Christum formaliter in hoc sacramento; Aliqui cum Durando 4. *d.* 10. *q.* 3. *in fine*, dicunt præsentiam Christi sacramentalem referri tantùm ad ipsas species sacramentales, non ad locum, vel spatium, in quo sunt species, & cum speciebus Christus. Alij è contrà cum Suarez *disp.* 47. *sec.*2. significant præsentiam sacramentalem Christi per se referri ad locum, seù spatium, in quo sunt species, spectareque ad prædicamentum. Vbi, & consequenter affirmant sacramentalem præsentiam variari ad motum specierum. 215

ARTI-

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæstionis Resolutio.

216 QVoad primam Difficultatem, Dicendum est præsentiam sacramẽtalem Christi ad locum specierum esse aliam à præsentia, quam habent species ad eundem locum. Conclusio est Scoti *4. d. 10. q. 6. lit. E.* vbi ait Christum in Eucharistia existentem ad duo comparari posse scilicet ad species, quibus est præsens, & ad externum corpus, seù aerem, seù aliud continens species, & in his quidem contineri, vt in loco, illis verò minimè, nisi impropriè, vt suprà dixerat *q. 1. eiusdem dist. lit. N.* ità etiam Suarez, Lugo, Meracius, Auersa, Caspensis, Morandus, & alij Recentiores; Et quidem has præsentias esse inter se distinctas, etiamsi ex præsentia ad species necessario inferatur præsentia ad locum, in quo sunt species, ex eo patet, quia vna attenditur in ordine ad spatium, seù superficiem ambientem, alia verò in ordine ad species ipsas; itaquod si desinerent species consecratæ, adhuc perseuerare posset eadem præsentia in ordine ad idem spatium, vel superficiem ambientem; quarè necessariò fatendum est esse præsentias inter se distinctas, imò & abinuicem absolutè separabiles. Confirmatur, quia præsentia sacramentalis, quam dicit Christus ad locum specierum est diuersæ rationis à præsentia ipsarum specierum ad eundem locum, hæc enim est circumscriptiua, per quam species commensurantur loco modo corporeo; illa verò est ad modum præsentiæ definitiuæ, & modo spirituali, per quam totus Christus correspondet toti spatio à speciebus occupato, & etiam totus cuilibet parti eiusdem spatij, vel corporis continentis; ergo præsentia Christi ad species est distincta à præsentia eiusdem ad locum specierum, ac etiam præsentia Christi ad locum specierum est distincta à præsentia, quam dicunt ipsæ species ad eundem locum vndè falsum est, quod ait Poncius, Christum esse in loco specierum per Vbi in ipsis subiectatum, quia tunc esset in loco circumscriptiuè.

219 Sed dices corpus Christi mouetur per accidens ad motum specierum; ergo etiam locatur per accidens per præsentiam specierũ, atque ideo sacramentalis præsentia Christi ad locum non est alia à præsentia specierum; assumptum patet, consequentia probatur, etenim ea ratione accidentia dicuntur esse in loco per præsentiam subiecti, quia mouentur per accidens ad motum eius; ergò si Christus in sacramento mouetur tantùm per accidens ad motum specierum; erit pariter in ipsarum loco per eandem præsentiam specierum. Respondeo negando consequentiam, quia sicut quæ moueri dicuntur per accidens, & secundariò, adhuc moueri dicuntur per proprium motum in se receptum, licet non primò, & per se, quia mouentur ad motum alterius; ità etiam locari dicuntur per propriam præsentiam; & ad probationem consequentiæ pariter dico omnia accidentia in subiecto moueri per proprium motum, licet non per se primò, quia mouentur ad motum subiecti, & locari propria præsentia distituta à præsentia subiecti, vt constat ex dictis in *Phys. disp. 11. num. 68.*

Quoad secundam Difficultatem, Dicendum est prædictam præsentiam sacramentalem Christi ad locum specierum esse aliquid reale positiuum de nouo superadditum, & ab ipso distinctum, & est modus quidam accidentalis respectiuus spectans ad prædicamentum Vbi. Conclusio est Scoti *loc. cit. 4. d. 10. q. 6. E.* & sequuntur communiter Theologi Suarez, Lugo, Becanus, Hurtado, Morandus, Caspensis, Corneio, Orlandus, & quicunq; contrà Nominales affirmant pręsentiam localem esse aliquid superadditum rei locatæ, quæ dicitur præsens; dependetque ex dictis *disp. 11. Phys. q. 3. art. 1.* vbi vniuersaliter statuimus præter rem locatam, & locum verè dari peculiarem modum præsentiæ localis, qui dicitur Vbi vt quid ex natura rei superadditum, quo formaliter res dicitur esse alicubi præsens localiter; Probatur autem ex eisdem principijs, quia intelligi nequit corpus Christi esse loco specierũ realiter præsens, vbi anteà non erat, nisi mutatione aliqua facta in Christi corpore illam nouam præsentiam in se recipiendo; ergo est aliquid intrinsecè illi superadditum; Consequentia probatur, quia corpus Christi esse præsens sub illis speciebus, seù in loco illarum est aliquid reale, quod anteà non erat, cum ergò non sit ipsum Christi corpus secundum se sumptum importabit necessariò aliquid reale ipsi supperadditum; Solutiones autem quę à Nominalibus ad hoc argumentum afferri solent, loc. cit. refelluntur. Conf. quia modus, quo Christus sub speciebus consecratis existit, imitatur modum, quo substantiæ spirituales dicuntur esse in loco, nam corpus Christi sub illis dicitur esse totum in toto, & totum in qualibet parte; sed illæ dicuntur esse in loco per Vbi intrinsecum ipsis superadditum, vt dictum est *lib. 2. sent. disput. de Angelis*; ergo idem dicendum de præsentia corporis Christi sub speciebus.

Ex quo infertur cum Scoto loc. cit. quem sequuntur Hurtad. Caspens. & alij Recentiores, corpus Christi habere pro loco ipsum locum specierum, quia quasi continetur. & ambitur ab ipso, licet absque diuisibili correspondentia, eo modo quo Angelus ambiri dicitur à superficie, intrà quam continetur; non tamen habet pro loco ipsas species, quia non propriè dicitur ab eis contineri, & ambiri, sicut locatum continetur à loco, sed potiùs sibi inuicem coexistunt, sicut substantia ipsa panis, & ipsæ species, adeo quod corpus Christi non est sub speciebus, sicut locatum in loco, sed potius per modum substantiæ ab ipsis occultatæ, vndè Christus continetur sub speciebus sumpto *contineri* pro occultari, & non sumpto pro ambiri; atque ideò continentia illa Christi sub accidentibus non est localis, quia localis continentia debet circumstare locatum, at Christus penetratur cum speciebus; dicitur ergò contineri idest esse sub eis, quod substantiæ etiam competit respectu accidentium, quia verè est sub illis. Addit tamen Doctor *loc. cit. d. 10. quæst. 1. K.* quod licet intima illa coniunctio Christi cum speciebus non sit respectus Vbi, quia non continetur ab eis, vt à loco, est tamen respectus reducibilis ad genus Vbi, quia magnam cum eo habet conuenientiam, neque commodius ad aliud reduci potest, quàm ad illud; Argumenta verò contra hoc assertum militantia iam pridem soluta sunt *loc. cit. disp. 11. Phys. quæst. 3.* etenim qui oppositum huius conclusionis tenent, non ideò hoc asserunt, quia de hac præsentia sacramentali Christi in Eucharistia specialem habeant difficultatem; sed quia vniuersaliter sustinent nullam præsentiam localem esse aliqud superadditum rei, quæ dicitur præsens. 219

Quoad tertiam difficultatem, Dicendum est inter species, & corpus Christi nullam physicam intercedere vnionem, nec formalem, nec effectiuam, sed solùm realem, & inseparabilem præsentiam, qua Christus est indissolubiliter præsens speciebus, quæ indissolubilis præsentialitas non ab aliqua formali vnione physica attendi debet, neque ab aliquo naturali, & necessario vinculo, sed solùm à diuina voluntate, quæ decreuit corpus Christi esse intimè pręsens speciebus quousque esse specierum retinent; ità Doctor *4. d. 10. qu. 6. concl. 4.* cum tota sua Schola; Et probatur, quia non sunt multiplicanda entia sine necessitate; nulla autem est necessitas ponendi aliam vnionem, quàm illam præsentiæ à Deo conseruatæ, quamdiù species manent, ergo &c. Minor probatur, Primò, quia Patres, & Concilia præsertim Florentinum, & Tridentinum, quę exactissimè Christi existentiam in Eucharistia declarant, alijs vocabulis non vtuntur quàm præsentiæ, vel continentiæ, ergò signum est nullam aliam vnionem inter Christum, & species esse necessariam. Deindè quia eo ipso, quod necessariò ex pacto Dei illa pręsentia conseruetur corporis Christi sub speciebus, necessariò etiam mouebitur corpus Christi motis speciebus, vt patet, & ijs monstratis potest semper verè dici, *Hoc est corpus Christi*, quia corpus Christi sub eis continetur, vt magis patebit soluendo rationes in oppositum. Tandem, quia alia vnio formalis physica non datur, nisi vel vt partium in continuo, vel vt formæ in subiecto, quorum neutrum dici potest, quia licet species, & corpus Christi compenetrentur adinuicem, non tamen continuantur; nec accidentia vllo pactu corpori Christi inhærent, vt subiecto, nec illud taliter afficiunt, non enim dicitur quantum, vel album quantitate, vel albedine panis, neque è contrà corpus Christi afficit species, cum nihil ab illo recipiant, aliter non essent ibi accidentia sine subiecto; Nec valet dicere cum aliquibus hanc vnionem esse ineffabilem, & inexplicabilẽ, quia sic eludi possent omnes difficultates circà mysteria fidei contingentes, quod est cõtrà Apostoli monitum dicentis nos esse debere paratos de illis rationem reddere quantum fieri potest ex principijs fidei. 220

Nec etiam dici potest eam vnionem esse effectiuã, vt alij comi-

comminiscuntur, qualem intercedere dicunt inter ferrum, & magnetem illud sibi copulantem; nam in primis falsum est, magnetem ferrum trahentem, aut succinum trahens paleas physicè vniri adinuicem, nisi intima præsentialitatem vocemus vnionem; Tum quia neque Patres, neque Concilia nec quidem à longè, indicarunt vim huiusmodi attractiuam neque in corpore Christi respectu specierum, neque in speciebus respectu illius, quod tamen mysterium tacere non debuissent, cùm esset valdè mirabile in Eucharistia. Tum etiam quia nullam specialem operationem facit Christus in Eucharistia, quam non exerceat in Cœlo, at in Cœlo talem vim attractiuam non habet, aliter etiam ibi species haberet sibi vnitas. Tùm tandem quia talis vnio effectiua, & attractio corporis Christi sub speciebus fit per verba consecrationis, non verò per mutuam actionem specierum, & corporis Christi adinuicem, & præterea talis attractio est moralis, & non physica, nam motus attractionis physicæ fit semper cum aliqua violentia ex Arist. 7. Phys. cap. 10. Nec dicere iuuat, in primo quidem instanti sacramentum fieri vi consecrationis; at post consecrationem per mutuam extremorum actionem vnitiuam conseruari. Non iuuat, inquam, quia decretum efficax diuinæ voluntatis est sufficiens causa talis conseruationis, nec conseruatio accidentium extrà subiectum potest physicè à corpore Christi pendere, sed tantum à Deo, siquidem nulla creatura nec principaliter, nec instrumentaliter creare potest, vt dictum lib. 2. sent. disp. 1. quæst. 1. cõseruatio verò accidentium extrà subiectum habet rationem creationis; Demum sola causalitas effectiua sufficiens non est ad denominandum Christi corpus vnitum speciebus, & species illi vnitas, causalitas enim effectiua non postulat ex vi sua vnionem effectus cum causa, alioquin posset creatura dici Deo vnita ex vi effectiuæ conseruationis ab illo.

Respondent Aduersarij propriè, & in rigore loquendo hanc vnionem esse altioris, & eminentioris ordinis, quàm sint omnes præfatæ vniones, reduci tamen ad genus vnionis accidentalis illam scilicet, quam habet subiectum cum suis accidentibus seclusà inhærentia ipsorum in illo, ac proindè necessarium non esse, vt extrema se habent tanquam actus, & potentia, cum species sacramentales non inhæreant in corpore Christi, hæc enim conditio, non videtur necessaria in omnibus vnionibus præsertim supernaturalibus, vt patet in vnione Verbi diuini cum humanitate. Nec mirum esse debere, quod hæc vnio dicatur ineffabilis, & inexplicabilis, sic enim appellatur à Tridentino *sess. 13. cap. 1.* vbi inquit, *Christum esse in hoc Sacramento ea existendi ratione, quam etsi verbis exprimere vix possumus, possibilem tamen esse Deo cognitione per fidem illustrata assequi possumus: & constantissimè credere debemus.* Tum tandem quia etiam in natura potest haberi aliquod exemplum, aut vestigium talis vnionis absque inhærentia, nam partes continui vniuntur adinuicem vnione formali, vt putæ compartes absque ratione actus, & potentiæ, & absq; inhærentia vnius in alia; & anima rationalis vnitur corpori, & tamen ei non innititur, neque inhæret, sed per se stat, quod igitur naturaliter accidit inter animam, quæ est forma substantialis, & corpus, potest fieri supernaturaliter inter accidentia, & corpus Christi.

222 Sed contrà, quia excogitabilis non est vnio physica accidentis cum subiecto seclusà inhærentia, nam forma apta inhærere, si vniatur subiecto alicui substantiali, habet quod requiritur ad inhærendum, ideoque valdè difficulter saluari potest, quod accidentia sint physicè, & formaliter vnita Christo, & tamen corpus eius non afficiant, nec illi inhæreant; licet enim actualis inhærentia in accidentibus suspendi possit, dùm separata manent, quando tamen sunt vnita, non apparet possibilitas; & est merum figmentum, quod dicunt aliqui, omnia subiecta habere quendam modum vnionis cum suis accidentibus priorem ipsa inhæsione, & hoc naturaliter; si enim naturaliter antè inhæsionem accidentia essent suis subiectis vnita, inhæsio illa omninò superflua esset; Neque ad rem facit exemplum de vnione hypostatica naturæ humanæ ad Verbum, quia cùm verbum sit entitas infinita, non potest respectu naturæ assumptæ rationem habere nec actus, nec potentiæ. Deindè satis etiam ineptè talis vnio dicitur ineffabilis, & inexplicabilis, quia nihil potest admitti, neque ei ab intellectu, tanquam vero assentiri, nisi vel euidenter in se appareat, vel ex alio naturaliter cognoscibili deducatur, vel saltem ex aliquo credito, vt dictum est *lib. 3. sent. disp. de Fide*; sed hæc vnio, quæ ineffabilis dicitur, neque in se est euidens, neque ex aliquo principio naturali concluditur, alioquin ineffabilis non esset neque ex aliquo principio credito sufficienter deducitur, ex eo enim, quod Christus credatur accidentibus præsens, non sequitur quod sit ipsis physicè vnitus, si ergò nullo ex his modis talis vnio est explicabilis, ineptè inducitur ad hoc mysterium constituendum; hoc enim ansam Hæreticis præbet negandi possibilitatem mysterij, quod mentem nostram ad has angustias adducit, vt eius possibilitatem concipere nequeat. Neque Concilium Trid. *loc. cit.* modum, quo Christus est in hoc sacramento sub speciebus contentus, absolutè appellat ineffabilem, sed dicit, quod quamuis difficile sit, & arduum verbis illum exprimere, possibilem tamen esse Deo cognitione per finem illustrata assequi possumus, quibus verbis significat ex aliquo principio credito sufficienter deduci posse. Denique falsum est in natura haberi posse aliquod exemplum talis vnionis accidentium cum corpore Christi absque inhærentia; nam hæc connexio corporis Christi cum accidentibus est omninò dissimilis vnioni partium continui, quia accidentia licet sint cum corpore Christi compenetrata, non tamen cum eo continuantur; & quod anima rationalis corpori vnita non ei inhæreat, ideò est, quia non est forma apta inhærere, si enim de se talis esset, statim ac esset illi vnita, inhæreret; & quamuis illi non inhæreat, adhuc tamen illud afficit, & denominat animatum, & se habent per modum actus, & potentiæ, ideoq; neque talis vnionis exemplum est ad rem; Et planè, cùm vnio hypostatica omnium difficilima adhuc effabilis sit, & capibilis per similitudinem ad alias quasdam vniones, vt dictum est *lib. 3. sent. disp. 1.* etiam & hæc vnio sacramentalis, si aliquid amplius importat præter intimam Christi præsentiam sub speciebus, vt Aduersarij contendunt, aliquibus exemplis explicari deberet, & suaderi; quæ cùm non adsint, potius fictitia dici debebit, & chimerica, quàm ineffabilis, & inexplicabilis.

Hanc eandem assertionem probat Card. de Lugo, alia ratione, quam etiam adhibet Brancatus noster, & aliqui putant vrgentissimam; si inter corpus Christi, & species sacramentales intercederet aliqua vera, & propria vnio physica; sequeretur vbicumque ponitur corpus Christi, poni debere species sacramentales per concomitantiam, cum quibus physicè vnitur, atque adeò in singulis hostijs, & in Cœlo deberet secum habere accidentia aliarum hostiarum, quod patet omninò absurdum esse; Consequentia probatur, quia omnis vera, & propria vnio physica ità alligat vtrumque extremum, vt exigat quantum est de se, quod vbicumque sit vnum extremum, sit etiam & aliud; hinc enim est, quod sub speciebus Eucharistiæ, vbi ex vi verborum ponitur corpus Christi, ponantur etiam per concomitantiam anima, & omnia accidentia, quæ habet in Cœlo, quia nimirum vnio physica corporis Christi cum anima, vel cum illis accidentibus petit, vt nullibi sine illis ponatur illud corpus. Hanc tamen rationem putat inualidam Orlandus *disp. 5. quæst. 3.* quia licet vnio physica naturalis exigat, quod vbicumque sit vnum extremum, sit etiam & aliud; vnio tamen supernaturalis superioris, & eminentioris ordinis, sicut est ista, hoc non exigit; vt patet in vnione Verbi diuini cum humanitate, licet enim vbicũque ponitur humanitas Christi, debeat poni Verbum diuinum, quod est illi vnitum; non tamen vbicumque ponitur Verbum diuinum, poni debet humanitas Christi, nam hic est Verbum diuinum, & non est humanitas; ità à pari, licet vbi sunt species sacramentales, ibi sit etiam corpus Christi, non tamen vbicumque est corpus Christi, debent esse species sacramentales. 223

Verùm nec rectè dicitur ab arguente, quod omnis vnio physica ità alliget vtrumque extremum, vt exigat, quod vbicumque sit vnum extremum, sit etiam & aliud: & malè etiam conceditur à respondente hoc verificari de omni vnione physica naturali, non verò supernaturali, nam vnio animæ rationalis cum corpore, & quacumque eius parte, physica est, & naturalis, & tamen non exigit, vt vbicumque sit vnum extremum, sit etiam & aliud, nam est in pede, & illi physicè vnita sine capite, & è contrà, & sic in alijs partibus; itaq; illa propositio, quando duæ res sunt inter se physicè vnitæ, vbi est vna, necesse est, & alteram esse, verificatur solùm, quando talis vnio est totalis, & adæquata, non verò quãdo est inadæquata, vt diximus *disp. 11. Phys. qu. 9.*

qu. 9. in fine, vndè Doctor 4. *d.* 10. *q.* 3. ad 3. monet hunc arguendi modum non tenere, dùm res limitata comparatur illimitatæ quoad essendum in loco; Et sicut hac ratione argumentum non vrget de humanitate assumpta, quia humanitas est inadæquatè vnita Verbo ob eius illimitationem, nec de anima rationali, quia quælibet pars corporis humani est inadæquatè illi vnita ob eius illimitationem in earum informatione; sic pariter eadem ratione dicent Aduersarij argumentum hoc in proposito non vrgere, quia licet corpus Christi secundum suum esse naturale sit limitatum quoad essendum in loco, tamen secundum esse sacramentale est illimitatum, qua de causa istæ, vel illæ species sacramentales sunt illi inadæquatè vnitæ ob talem illimitationem, & ideò opus non est, vt vbicumque corpus Christi sacramentatum reperitur, ibi etiam sint ei vnitæ omnes aliæ species sacramentales; hac igitur præcisè de causa dicendum est argumentum hoc non vrgere.

224 Quoad quartam difficultatem Dicendum est, præsentiam Christi sacramentalem per se primariò, & intrinsecè referri ad species sacramentales; concomitanter verò ad hanc præsentiam sacramentalem. Christus in sacramento habet etiam præsentiam localem ad quodcumque illud spatium in quo sacramentales specis repeTiuntur. Hæc assertio colligitur ex Scoto *loc. cit.* & est communis in Scholis; & constat ex ipsis verbis consecrationis, quibus exprimitur, & efficitur præsentia Christi in Eucharistia, non enim dicitur, *Hic*, idest, in hoc loco, sed dicitur, *Hoc est corpus meum* idest, contentum sub his speciebus; vbi expressè constat, præsentiam ex vi horum verborum expressam esse præsentiam, siuè coniunctionem corporis Christi cum speciebus, non autem præsentiam localem ad illud spatium, in quo sunt ipsæ species; Hoc idem colligitur etiam ex modo loquendi Conciliorum, & Patrum, dùm dicunt huius sacramenti misterium in eo consistere, vt ex vi verborum corpus, & sanguis Christi sub visibilibus accidentibus panis & vini contineantur, illisq; coniungantur; signum euidens, præsentiam Christi sacramentalem esse præsentiam, & coniunctionem cum ipsis speciebus, & non solam coexistentiam, & conpræsentiam localem in eodem spatio cum eis. Confirmatur, quia præsentia sacramentalis, quæ principaliter ponitur ex vi verborum, semper manet eadem, quantumcunque species sacramentales de vno Vbi ad aliud Vbi transferantur simul cum corpore Christi, nec dici potest in quocunque motu locali hostiæ exerceri nouam actionem, sicut fuit illa, quæ ab initio consecrationis facta est, ad producendam scilicet, nouam præsentiam sacramentalem; ergò hæc præsentia sacramentalis verè, & propriè loquendo est illa solùm, quę intercedit, & versatur inter Christum, & ipsas species; atque ità vnio sacramentalis qua Christus dicitur speciebus sacramentaliter vnitus, in nullo alio posita est, quàm in mutua, & reali præsentia, realique sed non mutua continentia corporis Christi sub speciebus, quibus ex infallibili diuinæ voluntatis decreto corpus Christi sit inseparabiliter, & indissolubiliter præsens, & sub quibus realiter, & substantialiter, continetur.

Altera verò pars assertionis, quod scilicet, concomitanter ad hanc præsentiam sacramentalem Christus in hoc sacramento habeat etiam præsentiam localem adquodcunque illud spatium, vel Vbi, in quo sacramentales species reperiuntur, satis de se patet, nec potest in dubium reuocari, constat enim Christum in omni illo loco, in quo sunt species, esse præsentem; & quando hostia consecrata de loco ad locum defertur, constat Christum non remanere in illo spatio, vel Vbi, in quo anteà erat, sed simul cum ipsa hostia transferri, & hoc solum significare voluerunt Concilia, & Patres, quos Suarez adducit *loc. cit.* ab initio quæstionis pro parte opposita.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Soluuntur rationes aduersa.

225 IN Oppositum contrà tertium assertum præsertim Aduersarij arguunt probando hanc pręsentiam sacramentalẽ, qua Christus est præsens speciebus, aliquam physicam, & realem vnionem includere ad illas; Primò quia sola præsentia corporis Christi ad species non est sufficiens ad saluandum omnia, quæ de ipso dicuntur in hoc sacrameto, quia de corpore Christi sub speciebus affirmatur, quod sit incompossibile cum substantia panis, & eius vnione ad sua accidentia; sed hæc incompossibilitas non potest prouenire ex mera præsentia corporis Christi, quia optimè posset poni corpus Christi, præsens sub speciebus panis, manente ipsa substantia panis, vel quia penetraretur cum illa, vel alio modo; ergo ad hoc, quod corpus Christi dicatur, quod sit incompossibile cum substantia panis, requiritur vltrà præsentiam ad species sacramentales aliqua vnio physica cum illis; & hoc est præcipuum Aduersariorum fundamentum apud Suarez *disp.* 7. *sec.* 3.

Respondeo huius fundamenti debilitatem etiam aliquos ex Aduersarijs agnouisse, vndè Orlandus quoque *loc. cit.* fatetur nihil concludere, quia licet de facto affirmetur de corpore Christi, quod sit incompossibile cum substantia panis, & eius vnione ad sua accidentia; tamen hæc incompossibilitas, sicut per Aduersarios ex mera præsentia corporis Christi prouenire non potest, quia posset poni corpus Christi præsens sub speciebus panis, manente ipsa substantia panis, vel quia penetraretur cum illa, vel alio modo; ità dicemus nos, hanc incompossibilitatem ex præcisa vnione corporis Christi cum speciebus non prouenire, quia manente substantia panis, eiusque vnione cum suis accidentibus, posset poni corpus Christi sub illis vel per penetrationem, vel alio modo, itaut etiam sit vnitum cum eisdem accidentibus; non enim implicat, corpus Christi esse vnitum cum accidentibus etiam manente vnione substantiæ panis cum illis, nam cùm hæc accidentia corpori Christi non inhæreant, quamuis sint vnita cum illo, possunt quidem inhærere substantiæ panis, & vniri vlterius cum corpore Christi sine actuali inhærentia in ipso, in hoc enim nulla cernitur repugnantia; Quod etiam ex eo patet, quia materia vnita cum sua forma potest de potentia absoluta vniri cum alia forma, vnio ergò vnius formæ non est essentialiter incompossibilis cum vnione alterius formæ, ac proindè ex præcisa vnione corporis Christi cum speciebus non colligitur omnimoda incompossibilitas illius cum substantia panis; ità instat Orlandus contra hoc commune fundamentum Aduersariorum, & optimè. Ad argumentum itaque dicendum est, de facto tantùm, vt fiat hoc sacramentum, substantiam panis repugnare cum corpore Christi, absolutè enim loquendo potuisset Deus aliter hoc instituere sacramentum, & tunc cum pane posset esse simul substantia corporis Christi; de facto igitur non ex natura rei, sed ex diuina ordinatione corpori Christi indiuisibiliter sub speciebus existenti competit expellere formaliter substantiam panis; sicut ex decreto, quo velit Deus ad præsentiam Angeli in lapide destruere formam lapidis, posito Angelo in lapide, redderetur incompossibilis illi, ideoque illum expelleret. 226

Secundò arguunt, quia si non esset aliqua physica vnio vltrà præsentiam inter corpus Christi, & species, non posset intelligi, quomodo ad motum specierum mouetur etiam corpus Christi, illud enim, quod est alicui præsens, non dicitur moueri ad motum illius, cui est præsens; aliquod ergò vinculum necessarium est inter corpus Christi, & species ad hoc verificandum. Similiter talis vnio ad hoc ponenda est; quod Christus demonstretur per species, & dicatur, *Hoc est corpus Christi*, nam licet Angelus esset intimè præsens speciebus, non possemus dicere, *Hoc est Angelus*, sicut dicimus. *Hoc est corpus Christi*; Nec iuuat dicere cum Scoto inter corpus Christi, & species esse quandam inseparabilitatem ex pacto diuino, ratione cuius omnia illa verificari possunt. Nam etiamsi Angelus poneretur localiter sub speciebus cum firma voluntate non recedendi ab eis, non adhuc cum veritate diceretur, *Hoc est Angelus*; ergo aliquid aliud habet corpus Christi respectu specierum; & huic argumento vnicè fidit Orlandus *loc. cit.* 227

Respondeo neque hoc fundamentum esse solidius præcedenti, falsum est enim antecedens cum sua probatione, plura namque ad aliorum passionem, motum, vel actionem dicuntur cum eis moueri, agere, & pati, quæ tamen non sunt eis physicè vnita, sed solùm præsentia; mouetur enim musca ad motum rotæ, cui non est physicè vnita, mouetur homo ad motum nauis, cui solùm est præsens, & non physicè vnitus; deglutitur coriandrum sacharo tectum, neq; est ei vnitum; mouetur corpus energumeni moto angelo, & alia huiusmodi, quæ tamen non sunt physicè vnita cum illis, ad quorum motum mouentur; vt ergo allata in antecedente verificentur, sufficit illa realis, & indissolubilis

bilis præsentia, qua Chistus est intimè, & indissolubiliter præsens speciebus ex decreto infallibili,& efficaci diuinæ voluntatis absque vlla alia formali vnione physica.

228 Sed instabis cum Auersa, & alijs, cùm certum sit, vbicunque collocentur species, & quocunque deferantur, ibi esse Christum, & quando manducantur, & sumuntur species, verè sum ipsum Christum; dici non potest hoc prouenire tantùm extrinsecè ex pacto, & voluntate Dei; sicut si Angelus maneret in eodem loco cum lapide, & ego moueam lapidem, & Angelus pro sua voluntate simul seipsum moueat, non autem ex colligatione aliqua cum ipso lapide; sed potius fateri oportet id intrinsecè prouenire ex aliqua colligatione Christi cum ipsis speciebus simili illi, qua substantia panis illi accidentibus colligata erat, in hoc enim sacramento succedit, & subintrat corpus Christi pro substantia panis. Tùm quia hoc non saluat, quod Sacerdos ipse moueat, & deglutiat corpus Christi, sicut non diceretur quis mouere Angelum mouendo lapidem, cui Angelus est tantùm præsens, sed tantùm esset conditio, qua posita Angelus ipse se moueret; vndè nec propriè diceretur sacerdos eleuare corpus Christi, neque illud ad infirmos deferre, aut in processione, quod est contrà veritatem, & modum loquendi sacrorum Canonum.

Respond. negandum assumptum cum eius probatione, imò dicit Doctor, quod si Angelus voluntariè se faceret præsentem lapidi, & decerneret à lapide non recedere, quousque lapis in esse lapidis permaneret, stante tali decreto non posset moueri lapis Angelo immoto, nec vnum ab alio separari posset, & vbicunque esset lapis, ibi esset, & Angelus absque vlla strictiori vnione, quàm sit intima localis præsentia ex actu suæ voluntatis orta; sic igitur in proposito posito diuinæ voluntatis decreto, quo decreuit Deus corpus Christi esse realiter, & intimè præsens speciebus, quousque permaneant, & posita tali reali, intima, & indissolubili præsentialitate, eo ipso sequitur illas species esse signum infallibile continentiæ realis corporis, & sanguinis Domini absque alia vnione magis intrinseca, & vno moto moueri & aliud. Ad Conf. inquit Deum esse, qui physicè mouet corpus Christi ad motum specierum à sacerdote factum; sacerdos autem moraliter mouet corpus Christi ad motum specierum, quia ex eadem voluntate, qua Deus voluit semper esse præsens corpus sub speciebus, sic etiam affistit, vt moueatur corpus ad motum specierum; dicitur autem Sacerdos moraliter mouere Christi, quia ponit illud, ex quo sequitur concomitanter motus corporis Christi diuina virtute; vndè ità verè, & propriè dicitur Sacerdos mouere, & eleuare corpus Christi sicut dicitur consecrare, quamuis vtrumque moraliter tantum exerceat, non actione physica, de qua solùm hìc agitur; Et hoc rursus eodem exemplo Angeli à Doctore adducto potest declarari, quia stante Angeli decreto, & proposito de continuata sui præsentia cum lapide, si lapis deorsum tendit, secum traheret Angelum quoque ad centrum, non quidem physicè, sed moraliter, & dispositiuè ex Angeli decreto; ità, inquam, in proposito corpus Christi in Eucharistia physicè, & effectiuè à Deo mouetur, Sacerdos verò, & species dicuntur illud mouere, & secum trahere dispositiuè tantùm, & moraliter, quatenus sunt tales res, quibus præsens Christi corpus semper tenere, quousque durant in esse specierum Deus decreuit, siuè sint in motu, siuè in quiete, de quo videri potest Aretinus 4. *d.* 10. *quæst.* 6. *art.* 2. & quæ dicemus intrà *quæst.* 14. *art.* 2. *numer.* 349.

Ad aliam Confirmationem argumenti principalis dicendum etiã, quod si solus Angelus esset sub speciebus, & quidẽ præsentia intima, & indissolubili manẽtibus speciebus, sicut est de præsentia corporis Christi, ijs demonstratis adhuc verè diceretur, Hoc est Angelus, quia per hoc non intelligitur aliud, quàm quod illud, quod est sub speciebus, sit Angelus; & quod contentum sub his accidentibus est Angelus, ad hoc enim satis est, quod Angelus verè, realiter sub illis accidentibus contineatur, absque alia maiori vnione; & tam potest hoc affirmari si sit solùm præsens, perindè ac si esset etiam vnitus; non enim vnio facit identitatem illam, quæ per eam propositionem *Hoc est Angelus* significari videtur, nam ex hoc quod anima sit vnita corpori, non adhuc ostenso corpore verificaretur hæc propositio. Hoc est anima; quia ergò proposito illa significat solam continentiam Angeli sub speciebus, ità verè, & propriè verificaretur per solã Angeli præsentiã, & continentiam sub speciebus, ac per vnionẽ maiorẽ.

Tertiò arguunt, accidentia Eucharistica ità fiunt accidentia Christi sacramentati, vt illum reddant sensibilem, & demonstrabilem non minus, ac prius reddebant sensibilem, & demonstrabilem panem, & vinum; sicut enim dicebatur antè consecrationem, hic est panis, hoc est vinum, ità post consecrationem dicitur, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, item vt multa subeat prædicata propria illorum accidentium, vt moueri, manducari, frangi, diuidi, & id genus alia, eo quia illæ species moueantur, manducentur, frangantur, diuidantur, &c. ergo inter Christum, & species datur stera vnio formalis, consequentia probatur, quia nullo pacto propriè loquendo saluantur prædicti effectus per solam vnionem, vel indistantiam localem vnius rei ad alteram, Confirmatur ideò talis idiomatum communicatio est vera inter Christum sacramentatum, & illa accidentia, quia succedit loco panis, & vini sub illis; ergo debet dicere illud genus præsentiæ sub illis, ratione cuius tantùm illa prædicata dicebantur de pane, & vino, non est autem alia, quàm vnionis formalis; ergò præsentia sacramentalis Christi ad species habetur per vnionem formalem, & huic argumento specialiter fidit Morandus *tract.* 3. *qu.* 10.

Respond. concesso vtroque assumpto negando consequentiam; posito enim decreto diuinæ voluntatis, quo decreuit corpus Christi esse realiter, & intimè præsens speciebus, & posita hac reali, intima, ac indissolubili præsentia, statim sequitur illas species esse signum sensibile continentiæ realis corporis, & sanguinis Christi sub eis, sicuti anteà erant signa sensibilia continentiæ substantiæ panis, & vini sub eis; ac etiam verificari de corpore Christi prædicata illa propria accidentium, ex illa siquidem intima, & indissolubili præsentia optimè fit, vt visus, tactis, motis, & fractis speciebus, dicatur etiam corpus Christi moueri, tangi, videri absque vlla alia formali vnione; & iam diximus suprà numer. 227. plura dici ad aliorum passionem, motum, & fractionem pati, moueri, & diuidi, quæ tamen non sunt physicè vnita, sed solùm intimè præsentia, quorum exempla ibi sunt allata; cui etiam accedit, quod aliqua dicuntur de Christo ratione specierum per meram terminationem, nec enim Christus, vel corpus eius frangitur, & diuiditur, sed species iuxtà illud, quod legitur in sequentia Missæ, *signi tantum fit fractura*. Ad Confirmationem, succedit vtique corpus Christi sub accidentibus panis loco substantiæ, sed non in omnibus, itaut omnia munia exerceat sub eis, quæ substantia exercebat, alioquin suppleret etiam vicem subiecti, cum non sit maior ratio de hoc supplemento, quam de alijs; dicitur ergò succedere loco substantiæ panis, quatenus constituitur intimè præsens sub illis accidentibus, sub quibus erat substantia panis, cum hoc discrimine, quod substantia panis erat eis physicè vnita, non verò corpus Christi, quia vnio accidentis ad substantiam sit per informationem, & inhæsionem; & in hac intima, & indissolubili præsentia sufficienter fundatur illa idiomatum, vel prædicatorum communicatio, vt iam declaratum est. 229

Quartò arguunt, quia si nulla admittatur vnio physica inter species, & corpus Christi sub eis contentum, non saluantur verba Damasceni *lib.* 4. *de fide cap.* 14. dicentis *Deum coniunxisse diuinitatem suam pani, & vino, & fecisse ea corpus, & sanguinem suum.* Tùm 2. quia ex *capit. Firmiter* de *summa Trinitate*, species continent ità corpus & sanguinem, ita quod ab eis nequeat separari; ergo sunt physicè vnita. Tùm 3. quia Corpus, & species vnum constituunt sacramentum; ergò inter ea vera, & physica intercedit vnio. Tùm tandem, quia Concilia, & Patres præsentiam Christi in hoc sacramento appellant singularem, & ineffabilem, quam verbis vix exprimere possumus, vt loquitur *Tridentin. sess.* 13. *capit.* 1. sed si prædicta præsentia non importaret suprà propinquitatem ad species, nisi quandam vnionem moralem ex pacto Dei mouentis corpus, & sanguinem Christi ad motum specierum, vt ait Scotus, quid admirabile diceret præsentia sacramentalis, quid verbis inexplicabile? 230

Respond. Damasceni verba optimè etiam saluari in sententia nostra, eo enim ipso, quod Christi corpus est præsens speciebus panis, & vini, verè est illis intimè, & mathematicè coniunctum, quamuis non physicè. Ad secundum negatur consequentia, damnati namque sunt perpetuò ab infernali igne detenti, & ab eo nequeunt separari, nec tamen sunt ei physicè vniti; non ergo ex eo quod species ità corpus & sanguinem Christi contineant, vt ab eis separari nequeant, necef-

necessariò deducitur aliqua vnio physica inter illa, sed solùm quod Dei decreto sunt eis indissolubiliter præsentia, quamdiu durant. Ad tertium, negatur consequentia, quia ad vnitatem sacramenti Eucharistiæ sufficit, Christum esse intimè realiter, & substantialiter speciebus præsentem, & species esse signum sensibile, & infallibile talis præsentiæ; & quamuis hoc sacramentum ex his duobus constet, scilicet speciebus, vt signo, & corpore, vt signato; negtur tamen illud esse verè & propriè compositum sic, quod inter illa aliqua vera, & formalis vnio intercedat, vndè potius faciunt vnum vnitate aggregationis, quàm compositionis, quia accidentia panis in Christo non subiectantur. Ad vltimum patet ex dictis suprà *numer.* 222. quod Concilia, & Patres præsentiam Christi in Eucharistia appellant quidem admirabilem, nam valdè admirabile est, quod corpus quantum contineatur ibi modo inextenso, & spirituali, & quod ex infallibili diuinæ voluntatis decreto sit indissolubiliter, & inseparabiliter speciebus præsens, quousque durant; non tamen appellant verbis inexplicabilem, ac penitus ineffabilem, vt inquiunt Aduersarij.

231 Quintò tandem arguunt talem vnionem poni debere effectiuam, si non potest poni formalis, quia talis vnio effectiua est possibilis, & sufficienter explicari; potest Primo autem eius possibilitatem ostendit Suarez *loc. cit.* quia species conseruantur effectiuè sine subiecto per singularem actionem, qua Deus supplet defectum subiecti; sed hanc actionem potest Deus efficere per corpus Christi, tamquam per instrumentum, cùm non repugnet; ergò possibilis est huiusmodi vnio effectiua. Deindè eius possibilitatem ostendit Lugus *disp.* 6. *sec.* 2. & Caspensis *disp.* 3. *sec.* 3. quia corpus Christi concurrit ad conseruandas species non solùm, vt causa instrumentalis, vt aiebat Suarez, sed loco substantiæ panis, quæ antea illas conseruabat, illius vices gerens, duplicem autem causalitatem exercet substantia panis circà sua accidentia, alteram materialem terminando subiectiuè inhærentiam illorum; alteram efficientem per quendam specialem modum efficientiæ, quo extrinseca agentia illa non possunt conseruare; hoc ergò secundò modo corpus Christi dicitur conseruare species, & succedere loco panis seclusa imperfectione inhærentiæ, & hanc vnionem effectiuam habet cum eis. Tandem Bernal. *disput.* 32 *sec.* 2. eiusdem vnionis effectiuæ possibilitatem declarat, quia consistit in actione quadam productiua corporis Christi sub speciebus dependenter ab illis, quæ actio est ratio, qua species vniantur cum Christo.

232 Respondetur negando minorem, quia vt dictum est *lib.* 2. *sent. disp.* 1. *quæst.* 1. repugnat creaturam assumi, vt instrumentum physicum creationis, conseruatio autem accidentium extrà subiectum se habet per modum creationis, vt suprà dictum est; Ad secundum, neque secundus ille dicendi modus sufficienter ostendit huius vnionis effectiuæ possibilitatem ob eandem rationem, quia conseruatio accidentium extrà subiectum se habet per modum creationis, & ideò corpori Christi conuenire nequit; tùm quia vt suprà dicebamus num. 221. causalitas effectiua non postulat ex vi sua vnionem effectus cum causa nisi interdum ratione causalitatis materialis annexæ, vt contingit in qualibet substantia respectu accidentium ipsam naturaliter consequentium, & ideò per se, & solitariè sumpta sufficiens non est ad denominandum corpus Christi vnitum speciebus, & species illi vnitas; tùm tandem quia falsò supponitur accidentia conseruari à corpore Christi, cùm immediatè conseruentur à Deo, neque quoad hoc corpus Christi in Eucharistia substituitur loco substantiæ panis, cùm enim conseruatio sit eadem realiter cum productione, ex Scoto quodl. 12. poterat vtique substantia panis illa accidentia conseruare, quia etiam illa primò produxit; sed corpus Christi numquam illa produxit; & ideò illa conseruare nequit, neque in hoc munere vices panis gerere. Ad tertium, nec etiam tertius ille dicendi modus sufficienter saluat huius effectiuæ vnionis possibilitatem, dùm eam constituit in actione productiua corporis Christi dependenter à speciebus; nam primò falsò supponitur Christum poni sub speciebus per substantialem reproductionem, vt patebit inferius; & etiam hoc dato, falsum esset produci dependenter à speciebus, cùm nullam causalitatem physicam circa Christi corpus exercere possint nec antè consecrationem, nec post; Et tandem data etiam huiusmodi dependentia, non adhuc ex ea sufficienter deduci potest vnio physica inter illa, quia non omne dependens in fieri ab aliquo, esto præsens, & immediatum ei, à quo dependet, est illi vnitum, vt patet de lumine respectu corporis luminosi, à quo dependet in fieri.

QVÆSTIO VNDECIMA.

Qualis sit præsentia Christi in Eucharistia, & an hæc dependeat à modo existendi naturaliter in seipso.

QVæstio duas habet partes; prima quærit quomodo possit existere Christus totus in toto, & totus in qualibet parte sacramenti, & ratio difficultatis est, quia vi huius præsentiæ corpus Christi sit indiuisibiliter præsens sub speciebus diuisibilibus, quod corpori repugnare videtur, cùm hoc sit proprium spiritus; mens enim capere nequit, quomodo Christus cum tota sui corporis mole, & magnitudine sub tam modica specierum sacramentalium mensura, imò & sub qualibet earum minima parte existere possit, vndè hæc est vna, & principalis ex præcipuis huius mysterij difficultatibus; & quamuis hæc veritas sit de fide in pluribus Concilijs determinata, & præsertim in Florentino in decreto vnionis Armenorum, & in Tridentin. *sess.* 13. *can.* 3. adeò tamen difficilis est explicatu, vt Amicus *disput.* 19. *sec.* 11. decem de hac re referat sententias, vel dicendi modos, quibus omnibus lustratis proprium aperit, quem nec sibi plene satisfacere ingenuè fatetur, quos singulos referre, & examinare nimis operosum esset, sed satis erit modum dicendi Doctoris 4. *dist.* 10. *quæst.* 1. declarare, qui sine dubio est omnibus facilior, & probabilior, vt patebit. 233

Circà alteram quæstionis partem Caiet. 3. *par. quæst.* 76. *art.* 2. contendit modum essendi sacramentalem necessariò, & intrinsecè pendere ex modo essendi naturali, itaut sine illo esse non possit, & oppositam sententiam vocat chimericam, quod etiam anteà docuerunt Paludanus, Altisiodorensis, Palatius, & alij antiquiores; quam etiam cum moderamine tamen, & distinctione tuentur nonnulli Thomistæ dicentes, dependere quidem in fieri, sed non in conseruari, hoc est non posse fieri de nouo Christum præsentem in Eucharistia, nisi supposita existentia naturali in seipso; posse tamen posteà conseruari, etiamsi ex hypotesi desineret esse in seipso. Scotus verò è cõtra docet præsentiam corporis Christi sub sacramento non dependere necessariò ab existentia suipsius sub modo naturali, sed differenter potuisse corpus Christi vnumquemque illorum modorum existendi sine alio habere, ità Doctor 4. *dis.* 10. *qu.* 4. quem sequuntur non solùm Scotistæ, sed omnes ferè Recẽtiores, Suarez, Vasquez, Coninch. Ledesma, Caspensis, Auersa, Lugo, Amicus, Becanus, & alij passim.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæstionis Resolutio quoad primam partem.

QVæstio quoad primam partem, omissis alij dicendi modis, resolui debet iuxtà dicta *disp.* 11. *Physic. quæst.* 8. *conclus.* 2. vbi statuimus posse corpus expoliari à Deo suo con naturali modo essendi in loco, & ibi indiuisibiliter poni ad modum spiritus, ità enim ex instituto probat Doctor ad ostendendam huius mysterij possibilitatem 4. *dist.* 10. *quæst.* 1. *M.* & *dist.* 49. *quæst.* 16. *C.* vbi ostendit posse Deum impedire effectum naturalem corporis replendi locum, & consequenter ipsum priuare positione de genere situs, quæ est materialis illa commensuratio totius corporis ad totum locum, & partium eius ad partes istius; eo autem ipso, quod corpus non est in loco diuisibiliter, consequenter diuina virtute manet in ipso indiuisibiliter ad modum spiritus. Non autem ob id Doctor intendit hanc sacramentalem Christi præsentiam sub speciebus constituere in sola extensionis localis negatione, vt Vasquez intellexisse videtur *disputat.* 191. *numero* 13. nam vt benè arguit Amicus *loc. cit.* ex præcisa localis extensionis negatione tantùm sequitur negatio localis diuisibilitatis, non autem positiua indiuisibilitas, quia pura negatio effectum formalem positiuum tribuere nequit; 234

quit; corpus autem Christi non tantùm est non diuisibile, sed etiam positiuè indiuisibile sub quauis specierum parte, intendit ergo Doctor hanc præsentiam sacramentalem esse modum supernaturalem corpori Christi superadditum, vi cuius totum corpus fit præsens sub quauis parte specierum, vt declarat ibidem. Sed quia dubium est, an Christus in sacramento vnam propriè habeat præsentiam, qua constituatur totus in toto, & totus in singulis partibus sacramenti, num potius plures habeat præsentias, quibus ad singulas sacramenti partes totus referatur, pro huius declaratione.

235 Secundò dicendum est Christum in hoc sacramento non habere vnam propriè præsentiam, qua constituatur totus in toto, & totus in qualibet parte sacramenti; sed esse ibi ità per totam hostiam diffusam, ac omnes eius partes per tot præsentias, quot sunt illæ partes. Conclusio est contrà Auersam *quæst.* 4. *sec.* 3. & plures alios Recentiores, & pendet ex dictis *disput.* 11. *Physic. loc. citat. num.* 118. vbi modum, quo concipi possit res corporea esse in loco indiuisibiliter, declarauimus ex opposito modo, quo res incorporea potest esse in loco diuisibili; sicut enim Angelus, licet in se sit indiuisibilis, constituitur tamen in loco diuisibili indiuisibiliter, quia tot fundat in se præsentias, quot sunt partes locis proportionales, quæ quia sunt diuisibiles ex parte loci, & ad diuersas eius partes terminatæ, ideò Angelum constituunt in loco diuisibili; & quia sunt indiuisibiles ex parte subiecti, & proindè singulæ in toto subiecto, ideò Angelum constituunt totum in toto loco, & totum in singulis eius partibus; Ità ex opposito licet corpus sit diuisibile, plures tamen præsentias fundare potest iuxtà pluralitatem suarum partium proportionalium, quarum singulæ ad idem spatium terminentur, & sic omnes eius partes erunt eidem spatio præsentes indiuisibiliter, etiam puncto, si illæ singulæ præsentiæ ad idem punctum terminari supponantur; ergo non repugnat corpus esse hoc modo in loco indiuisibiliter ad modum spiritus, cum hoc solo discrimine, quod licet præsentia corporis, & spiritus in tali casu conuenirent quoad rationem respiciendi locum indiuisibiliter, adhuc tamen differrent, quia præsentia corporis foret adhuc diuisibilis ex parte subiecti, non autem præsentia spiritus, & ratio est quia implicat subiecto diuisibili inhærere accidens spirituale, & indiuisibile; ità verbatim discurrebamus ibi de hoc puncto.

236 Sic igitur dicendum in proposito, quod quamuis concedatur Christum esse semel in tota hostia; sicut & Angelum in suo loco adæquato, & animam in corpore, quatenus non est ibi per iteratas totius sui esse replicationes, sed per vnam dumtaxat, & quasi continuam totius sui esse diffusionem; tamen non est ità semel in tota hostia constituendus, & singulis eius partibus, vt per vnicam præsentiam actualem his omnibus constituatur præsens; sed est ità per totam hostiam diffusus, & omnes eius partes proportionales per tot præsentias, quot sunt illæ partes ac etiam indiuisibilia; & ratio præcipua est, quia si per vnicam duntaxat præsentiam esset illis omnibus præsens, quotiescunque consumitur aliqua particula hostiæ, & cessat Christus esse illi præsens, desineret etiam præsentia eius ad aliàs, cùm ponatur esse præsens toti hostiæ, & singulis eius partibus per vnicam numero præsentiam; hoc autem falsum est, quia amittendo præsentiam ad hanc partem, non ob id amittit præsentiam actualem ad alias, sed semper manet eis actu præsens sine vlla penitus interruptione quousque manent; non ergò per vnicam tantùm præsentiam, sed plures constituitur sub speciebus præsens, & sub singulis eius partibus; illa verò totalis præsentia, qua Christus dicitur toti hostiæ præsens, & singulis eius partibus in eo sensu dici debet componi ex alijs præsentijs ad partes hostiæ terminatis, quatenus non est, nisi tota aggregatio illarum, ratione cuius dicitur Christus totus, & totaliter hostiæ præsens, quod nequit sibi conuenire ratione alicuius illarum singillatim, per eam enim vtique totus constitueretur in illa parte hostiæ, ad quam terminatur, non tamen totaliter, vt iam notauimus *disputat.* 11. *Phys. citat. num.* 124.

237 Dices, præsentiam vnius partis corporis Christi verb. grat. capitis non posse facere præsentes partibus loci alias partes, scilicet manum, vel pedem, sed præcisè illam partem, in qua fundatur, si enim poneret totum Christi corpus in ea parte loci, ad quam terminatur, sicut facit præsentia totalis, iam pars æquabitur toti.

Respondeo assumptum esse verum loquendo de partibus corporis, vt seruant inter se positionem de genere situs, non autem si tali sint positione denudatæ, vt euenit in casu nostro; cùm enim tunc vna pars non sit extrà aliam in ordine ad locum, præsentia vnius ad vnam loci partem potest eidem facere præsentem aliam quoque compartem, vt docet Doctor *d.* 10. *citat. quæst.* 1. *in fine in fol. ad* 3. *prin.* quod erat, tale; aut in Eucharistia est pars corporis Christi extrà partem aut non; si sic, ergò non essent omnes partes simul sub eadem parte hostiæ; si non, ergò corpus Christi ibi non erit quantum; Cui argumento respondet Doctor *loc. citat.* concedendo, quod pars est extrà partem, prout ly extrà respicit per se ipsas partes corporis, & requiritur ad positionem, quæ est differentia quantitatis; sed prout extrà pertinet ad locum, sic pars non est extrà partem, idest non est extrà illum locum, in quo est alia pars; nec ex hoc sequitur, quod totum non sit quantum, quia totum quantum habens eodem modo suas partes extrà seinuicem in toto potest habere vnicam præsentiam sui, & omnium partium ad aliquod vnum extrà indiuisibile, vel quantumcunque modicum diuisibile, ita quod non est ibi alia præsentia alij parte, & alia alij; ità Doctor ibi neque ex hoc sequitur singulas harum præsentiarum toti aggregationi illarum adæquari, & ità partem toti; quia licet singulæ illarum sint totales ex parte subiecti, quatenus per singulas totus Christus constituitur præsens; non tamen sunt totales ex parte termini, quia singulæ non terminantur ad totum locum, scilicet hostiam, sed ad singulis illius partes, ac proindè per singulas dicitur solùm totus Christus in illis hostiæ partibus, ad quas terminantur, non tamen totaliter, vt etiam dicebamus *loc. cit.*

Tertiò Dicendum est; ità totum Christum esse in qualibet parte specierum, vt nulla quantumuis minima, & minutissima excipi debeat. Ità expressè Doctor *d.* 10. *qu.* 1. *cit. in fine*, & est communior inter Recentiores, & probatur, quia substantia panis, & vini præsuit sub omni tali parte; ergo etiam substantia corporis, & sanguinis Christi post consecrationem; consequentia patet, quia corpus, & sanguis Christi succedunt loco substantiæ panis, & vini. Confirmatur, quia estò etiam non in qualibet minima parte separata conseruari posset substantia panis, atque adeò neque corpus Christi tamen sicut dum omnes partes vitæ sunt, in qualibet conseruatur substantia panis, ità post consecrationem adest tota substantia Christi. Et quo sequitur esse etiam sub omnibus accidentim partibus tam communicantibus, quàm incommunicantibus siuè tam æqualibus, quàm proportionalibus, quia sub his etiam omnibus erat substantia panis, & vini antè consecrationem. Nec refert, hinc sequi infinitas fore præsentias, quia infinitæ sunt huiusmodi partes proportionales in continuo ex dictis in Physica ia propria Disp. nam, vt dixi *disputat.* 11. *Phys. cit. quæst.* 8. *numer.* 124. hæc infinitas præsentiarum in proposito nouam difficultatem non ingerit, nec ab ea diuersam quæ fieri solet de infinitate partium continui, quarè solui debet, vt illa, alias difficultates vidi ibi solutas. 238

Dices, Christus est præsens omnibus specierum partibus etiam minimis, dummodò sint sensibiles ex Scoto d. 10. qu. 9. A. & ratio est, quia ex vi verborum ponitur sub accidentibus, & eorum partibus, & ponitur sacramentaliter; partes verò duntaxat sensibiles possunt esse sacramentales, siuè signum sensibile rei sacræ; ergo nequit esse sub omnibus proportionalibus, quarum plurimæ versus minimùm sunt insensibiles, vt patet procedendo in diuisione continui, quæ posset saltem à Deo fieri, vel ab Angelo.

Respondetur negando consequentiam, quia quælibet pars proportionalis quantumuis minima, vt alteri coniuncta est sensibilis, licet seorsum non esset sensibilis, quia neque nata terminare, neque mouere sensum, nam minimæ illæ particulæ, quando faciunt vnum inter se, aut cum alijs; fiunt sensibiles, & continent Christum, quia diuisibile additum diuisibili facit maius, & quantum quanto, vt explicatum est suprà *qu.* 5. *art.* 2. *nu.* 130. tractando de magnitudine, & paruitate materiæ consecrandæ; Et quo deducitur Christum sub omni parte sensibil hostiæ etiam minima, & consequenter nullam esse ibi partem insensibilem, vt est in toto, & componit cum alijs benè notauit Hiqueus *d.* 10. *quæst.* 9. ab initio in Commentario; extrà tamen posi- 239

posita, si sit aliqua possibilis non sensibilis, non continebit Christum, sicut neque in toto sub hac ratione insensibilis continebat Christum, sed quà sensibilis erat; Hinc patet nec rectè, nec consequenter Brancatum loqui *disput*. 20. *art*. 12. dum *concl*. 2. statuit tam corpus, quàm sanguinem Christi esse sub omnibus partibus accidentium, tam communicantibus, quàm incommunicantibus, tam diuisibilibus, quàm indiuisibilibus (quod vltimum est etiam minus philosophicè dictum si loquatur de partibus, quia in quātitate, & continuo nulla datur pars indiuisibilis, vt dictum est in Physica disp. de continuo) & posteà in *conclus*. 4. negat esse sub omnibus eorum partibus, sed tantùm sub sensibilibus, quia sub illis partibus tantùm Christus est præsens, in quibus si solitariè existerent, Christus adhuc sacramentaliter remaneret, quæ esse non potest nisi sensibilis. Hoc inquam, nec rectè, nec consequenter dicitur, quia vt dictum est, nulla pars quantumuis minima est insensibilis, vt est in toto, & componit cum alijs; tùm quia si aliqua etiam est, ibi insensibilis, etiam sub ea necessariò Christus contineri debebit, cùm ex sua conclusione prima contineatur sub omnibus prorsus accidētium partibus tam communicantibus, quàm incommunicantibus; Tùm tandem quia falsum est Christum sub illis partibus tantùm esse in hostia præsentem, in quibus si solitariè existerent, adhuc sacramentaliter esset; nulla facta mutatione præsentiæ in ipso; quia non est eadem ratio de parte in toto, & cum alia coniuncta, & extra totum, ac solitariè sumpta, nam cùm in primo statu sit semper sensibilis, potest continere Christum, non autem in secundo statu; Quando autem Concil. Florent. & Trident. dicunt totum Christum sub qualibet parte specierum consecratarum panis, & vini etiam post diuisionem, & separatione facta realiter contineri; loquuntur de parte sensibili, naturaliter enim conseruari non potest tam parua particula, quæ aliquo sensu percipi non possit; & homo nequit progredi in diuisione quantitatis, nisi in partes sensibiles, quia sic tantùm applicare potest diuisiuum eius.

240 Quartò dicendum est, si dentur indiuisibilia in continuò, vt fert communior, & peripatetica opinio, in ijs omnibus, & singulis constitui debet corpus Christi; ita Doctor *loc. cit. dist*. 10. *quæst*. 1. *in fine*, & quamuis a quibusdam pro opposita citetur sententia *dist*. 10. *cit. quæst*. 9. sub A. ibi tamen non loquitur definiendo, sed ad hominem arguendo, & non ex propria, sed ex aliorum sententia, vt etiam Gauatius aduertit *disp*. 5. *quæst*. 6. alioquin sibi expressè contradiceret; quarè Hiqueus, & Brancatus oppositum sentientes de mente Doctoris hac moti auctoritate leui nituntur fundamento; Probatur, quia ibi post consecrationem corpus Christi reperitur, vbi præfuit substantia panis, vel saltem aliquid eius; sed aliquid substantiæ panis erat sub indiuisibilibus quantitatis antè consecrationem, ergo & corpus Christi, minor probatur, quia si sub indiuisibilibus, quantitatis non essent indiuisibilia substantiæ, vt dixit Vasquez *disp*. 189. *cap*. 4. sequerentur duo inconuenientia, primum est, quod naturaliter loquendo daretur accidens sine subiecto, indiuisibile nimirum quantitatis; alterum est, substantiam panis non esse continuam, & vnitam, sed interruptam, & diuisam substantialiter non enim continuantur partes substantiæ per indiuisibilia de genere quantitatis, quia partes substātiæ materialis prius natura sunt inuicem continuatæ, quam sint subiectum quātitatis: concedendum est ergo in substantia esse quædam indiuisibilia entitatiua, quæ indiuisibilibus quantitatis correspondent, vt dictum est in Physicis.

Respondet Hiqueus 4. *dist*. 10. *q*. 9. *num*. 13. probabilius esse non admittere huiusmodi indiuisibilia substantialia, quia neque ad subiectandum indiuisibilia quantitatis sunt necessaria, cùm hæc in ipsis partibus subiectentur; neque saluari posset commodè, quomodo etiam non conueniret substantiæ per se extensio, si haberet illa indiuisibilia, quia conueniret ei definitio quantitatis, vt habere partes copulatas termino communi; sed quicquid sit, saltem indiuisibilia substantiæ non sunt substantia, sicut neque indiuisibilia quantitatis sunt quantitas, & consequenter non sunt materia cōuersionis; Addit Brancatus *disp*. 21. *art*. 12. *num*. 287. rationem esse ad oppositum, quia substantia panis non adæquatè correspondebat indiuisibilibus quantitatis, sed ratione suorum indiuisibilium; cùm igitur Christus succedit pani, quia non est in illis accidentibus per correspondentiam partium ad partes, & indiuisibilium ad indiuisibilia, sed per ordinem totius Christi ad totam speciem, & totius ad singulas partes sensibus; in hoc tantùm succedit pani, quod sicut totus erat sub totis accidentibus ità & Christus; in alijs autem modis essendi non succedit, quia est ibi sacramētaliter, & sub signo; quot ergò sunt partes, quę facere possunt singulę sacramentum, & tot sunt replicationes præsentiæ Christi sub eis.

Sed solutio Hiquei funditus labitur ex dictis *disput*. 9. 241
Phys. quæst. 1. vbi ex instituto demonstrauimus dari huiusmodi indiuisibilia substantialia, quia substantia seclusa quantitate suas habet partes entitatiuas, & consequenter ex partibus integrantibus, & extensis est composita, ac proprijs indiuisibilibus continuatis, in quibus indiuisibilia quantitatis subiectantur, non autem in partibus quantitatis, quas copulant; quia quantitas licet subiectare valeat qualitatem, non tamen aliam quantitatem, aut aliquid eius, sicut est indiuisibile ipsius; & pars lineæ quæ medio puncto, cum alia parte continuatur, non est proportionatum eius subiectum, quia est aliquo modo diuisibilis, punctum autem omninò indiuisibile; Et gratis concedimus substantiam materialem antecedenter ad quantitatem propriam habere extēsionem entitatiuam, non tamen impenetrabilem, hanc enim habet à quantitate superueniente; & ideò definitio quantitatis ei conuenire non potest, nam licet suas partes habeat termino communi copulatas, hoc tamen non habet impenetrabiliter, hoc enim modo soli quantitati conuenit habere partes suas termino communi copulatas; vt fusè ibi ostenditur; Et tandem quamuis indiuisibilia substantiæ non sint substantia in recto; ideoque nequeant esse materia conuersionis saltem concomitanter, & per necessariam consecutionem; vndè id solùm conuincit Christum non esse sub indiuisibilibus primò, & per se, non tamen excludit, quin possit esse sub illis concomitanter, & per necessariam consecutionem, quatenus talia indiuisibilia sunt partibus substantiæ coniuncta, vt termini earum communes.

Neque etiam solutio Brancati obesse potest, quia & ipse quoque *loc. cit.* in sua *concl*. 2. sub *num*. 269. in secunda parte conclusionis concedit corpus, & sanguinem Christi esse etiam sub indiuisibilibus accidentium, seù specierum, quia sunt sub accidentibus consecratis absque discontinuatione, sed per modum continui cuiusdam occupantis totas species, vt ipse loquitur; si enim non essent, in indiuisibilibus continuatiuis partium, essent sub eis modo discreto, & discontinuo, Et quia posteà *conclus*. 5. *sub num*. 273. negat Christum replicari, & esse præsentem in punctis, & indiuisibilibus; hinc ad tollendam contradictionem istarum conclusionum sub *num*. 278. declarat se in prima conclusione admittere præsentiam tamen inadęquatam Christi sub indiuisibilibus; & in quinta conclusione negare tantùm adæquatam, quàm solùm admittit in partibus sensibilibus, vbi adhuc se magis explicans inquit Christum in indiuisibilibus non habere peculiarem, & distinctam præsentiam à præsentia partium, alioquin posset in eis remanere sacramentaliter etiam post separationem; Sed nos quoque nec aliter, nec alio modo ponimus Christum præsentem sub indiuisibilibus, non quidem præsentia distincta ab ea, quæ est partium; sed eadem præsentia, quæ est ad partes, quamuis enim non repugnat corpus Christi poni in puncto, itaut dicat præsentiam propriam ad punctum; in proposito tamen id non contingit, quia præsentia Christi, qua succedit præsentiæ panis, est primò respectu totius, & partium, & sub speciebus tanquam sub signo sensibili; neque ad continuationem huius præsentiæ exigitur propria, & diuersa respectu punctorum, quia per eandem, qua est præsens partibus, est etiam præsens pūctis modo explicato. Imò in hoc sensu etiam Hiqueus *loc. cit. num*. 16. concedit Christum esse sub indiuisibilibus specierum, & quando Doctor *d*. 10. *q*. 9. *A* id negat, inquit Hiqueus in sensu iam explicato locutum esse Doctorem, nempè non esse præsens indiuisibilibus præsentia distincta ab ea, quæ est partium, sicut est sub qualibet parte præsentia propria illi parti, non autem negat esse præsens præsentia eadem, quæ est ad partes, & hoc modo conciliat oppositas sententias adductas.

Sed in contrarium objciunt, quia hinc sequeretur pos- 242
se Sacerdotem consecrare indiuisibile solum verbi gratia, si intendat consecrare solam vltimam superficiem, quæ sensibus immediatè objicitur, aut punctum, in quo hostia perfectè sphęrica tangit planum, quod est omninò absurdum. Deindè sequeretur, quod fracta hostia Christus de nouo esset sub singulis indiuisibilibus extremis de nouo resultanti-

tantibus sine noua consecratione, quod etiam videtur inconueniens. Tandem arguit Brancatus, quia hinc sequeretur posse corpus Christi remanere sub indiuisibilibus etiam facta separatione à partibus, quod est falsum, quia non potest esse sub eis sacramentaliter, idest tanquam sub signo sensibili; sequela probatur, ex hoc enim, quod partibus maneat replicatus antè separationem, sequitur quod nullo facto miraculo remaneat etiam in eis post separationem; ergo si in indiuisibilibus manet, poterit eadem ratione manere post vna præsentia non dependet ab alia.

Respondent nonnulli cum Suarez *disp.52.sec.3.* concedendo sequelam, cum nihil contradictionis in eo casu inuoluatur, quia illa vltima superficies est sensibilis, & ideo corpus Christi potest esse sub ea sacramentaliter hoc est, tanquam sub signo sensibili; Sed quamuis hoc admitteretur, adhuc restaret difficultas de puncto, in quo hostia sphærica tangit planum, quia hoc non est in se sensibile, sed tantùm quatenus partibus coniunctum; Quarè melius cum Auersa *cit.qu.4.sec.3.* neganda est sequela, quia consecratio debet esse humano modo accomodata, & cadere super materiam humano modo tractabilem, quarè solùm coniunctim cum partibus possunt indiuisibilia consecrari. Ad 2. iam diximus *disp.9.Phys.q.2.art.5.num 75.* Christum fieri de nouo sub illis indiuisibilibus absq; noua consecratione præsentem etenim ex vi præcedentis consecrationis incipit esse sub illis indiuisibilibus de nouo resultantibus, quemadmodum in pane non consecrato resultarent indiuisibilia panis; & quemadmodum sub alijs accidentibus de nouo productis in speciebus v.g. sub colore, vel calore est Christus, & sic etiam sub noua quantitate per rarefactionem inducta in opinione, quod per rarefactionem noua quantitas aquiratur. Ad vltimum, sequela teneret, si diceremus Christum esse sub indiuisibilibus propria, & peculiari præsentia distincta à præsentia partium, quod nos non asserimus; dicimus enim esse præsens indiuisibilibus eadem præsentia, quæ est ad partes, quas copulant, quæ præsentia dici potest indistantiæ, & materialis, non autem formalis, sicut contenti ad continens, aut signi ad signatum, quia non est sub eis tanquam sub signo sensibili, nisi prout coniuncta sunt partibus; vndè solùm sequitur Christum esse sub punctis eadem præsentia, qua est sub partibus quamuis etiam non repugnaret poni sub puncto, itaut diceret præsentiam propriam ad punctum, vt suprà dictum est.

243 Quintò Dicendum præsentiam Christi sacramentalem in loco specierum esse definitiuam, quatenus non est in eo circumscriptiuè, & per comensurationem ad locum specierum; Conclusio est Scoti *loc. cit.* & deducitur ex dictis *disput.11.Phys.cit.q.8.n.119.* vbi diximus modum essendi in loco definitiuè dupliciter vsurpari posse, vel vt idem sonat, quod esse in loco incircumscriptè, quo sensu appropriatur rebus incorporeis, vndè in communi modo loquendo modum essendi in loco Angelorum dicimus esse definitiuum, quatenus Angelus est totus in sua sphæra loci, & totus in qualibet eius parte; Vel accipi potest, vt vis vocabili sonat, quatenus dicit negationem cuiuscunque alterius loci, in quo sensu communis est omnibus creatis rebus, quæ ex vi potentiæ naturalis vnum certum locum sibi determinant; in quo sensu conceditur vtique nihil posse poni in pluribus locis definitiuè, quia hic est modus naturalis rerum essendi in loco, quem sibi naturaliter vendicant, & eo expoliantur statim, ac ponuntur in pluribus locis; at in primo sensu falsum est nil posse poni in pluribus locis definitiuè, & in hoc sensu dicimus præsentiam Christi sacramentalem in loco specierum esse definitiuam; Ex quo facilè soluitur fundamentum Suarez *d.48.sec.3.* vbi ait Christum non esse in Sacramento definitiuè, quia de ratione præsentiæ definitiuæ est, vt ex natura sua illi repugnet rem esse alibi, quamuis nõ respectu absolutæ potentiæ Dei; sed præsentia sacramentalis Christi dici potest talis esse, vt ei non repugnet ex natura sua Christum alibi poni, sicut alioqui id repugnat præsentiæ naturali, ergo Christus non est in sacramento definitiuè; & ità etiam loquitur D.Thomas *art.5.ad 1.* quia esse definitiuè in loco dicit esse hic, & non alibi; corpus autem Christi simul est in Cœlo, & in pluribus altaribus; & ità etiam tenet Morandus *tract.3.q.11. cum alijs*. Sed satis constat has instantias procedere accipiendo esse in loco definitiuè secundo modo, non verò primo modo, vt idem sonat, quod esse in loco incircumscriptè, & sine commensuratione ad locum; Et quidem falsum est, quod ait Morandus hanc esse vsurpationem impropriam modi essendi in loco definitiuè, licet enim vis vocabuli ità sonet scilic. negationem cuiuscunque alterius loci; attamen in communi modo loquendi in schola accipitur pro modo essendi in loco rerum spiritualium sine commensuratione ad locum, vbi esse in loco definitiuè secundo modo acceptum, vt dicit negationem cuiuscunque alterius loci, conuenit etiam rebus corporeis, quæ ex natura sua, & ex vi potentiæ naturalis vnum certum locum sibi determinant ex quo patet hanc quæstionem potius esse de modo loquendi, quam de re; Quando autem Doctor *d.10.cit.quest.1.H.* significat Christum non esse definitiuè sub speciebus, accipit esse definitiuè in loco secundo modo pro esse ità alicubi itaut non sit alibi, vt notat Brancatus *disputat. 2. articul.14. num.332.*

Sextò tandem Dicendum est, quod licet totus Christus, vt dictum est, sit sub vtraque specie, & in qualibet eius parte, 244 non tamen eodem modo est sub vna, atque sub altera secundum corpus, & sanguinem. Ità Doctor *d.10. cit. q.4.* est communis inter Catholicos, & satis patet ex dictis de forma consecrationis in superioribus, nam sub specie panis ex vi quidem consecrationis, & primario tantummodò est corpus, per concomitantiam verò, & quasi consequenter, & secundariò est ibi sanguis, & reliqua, quæ ad Christum pertinent; è contrario autem sub specie vini tantùm est sanguis ex vi consecrationis, & primario; per concomitantiam verò corpus etiam, & reliqua; & ratio huius dispositionis sumitur ex verbis consecrationis, quibus id, quod in hoc sacramento fit, significatur; Hoc autem amplius declarat Doctor *loc.cit.* dicens aliquid esse posse in Eucharistia primò, & ex vi verborum, aliquid verò concomitanter, ac veluti secundariò; sub specie panis primò, & ex vi verborum ponitur corpus Christi animabile, vel animatum, vel examine, hoc est, prout à viuo; & mortuo præscindit, quia in forma nulla fit mentio viui, aut mortui, sed corporis, quod vt sic ab vtroque statu præscindit, atque ità Sancti de hoc Sacramento loquuntur dicentes illud corpus esse in Eucharistia, quod natum est ex Virgine, pependit in Cruce, iacuit in sepulcro, & gloriosum resurrexit; Concomitanter verò est ibi omne absolutum, & omne respectiuum coniunctum cum corpore, quod absolutum, & respectiuum sit prius natura ipso Vbi; itaut sub specie panis concomitanter est anima, sangais, Verbum vnitum corpori, & animæ, est quantitas corporis, & qualitas naturalis eius, est scientia, & gratia animæ, & similia; Sub specie autem vini primò, & ex vi verborum est sanguis, concomitanter sunt anima, corpus, & Verbum, & accidentia sanguinis, ac cæterorum concomitantium.

Et hæc tota Scoti doctrina confirmata est in Concilio Trid. *sess.13.cap.3.* vbi disertè docet animam esse sub vtraque specie per concomitantiam, quod etiam euidenter ea ratione probatur, quia corpus Christi non est sub specie panis ex vi verborum viuum, vt dicebamus, alioquin etiam sanguis esset in hostia ex vi verborum, quia corpus viuum includit sanguinem, vt partem sui; Concilium autem *loc. cit.* expressè decernit sanguinem esse sub speciebus panis per solam concomitantiam, & patet ex verbis ipsius consecrationis panis, vbi nulla fit mentio de sanguine, vndè in triduo mortis Christi illorum veritas integra, & efficax fuisset sine præsentia sanguinis sub specie panis; & denique ex Concilio ibidem deducitur corpus Christi, vt est in Eucharistia, ex vi verborum non continere accidentia absoluta; dicit enim corpus esse sub specie panis, & sanguinem sub specie vini; cætera verò vi naturalis connexionis, & concomitantiæ; Vndè si quædam istorum separarentur à corpore, & sanguine, illa non essent concomitanter in sacramento, veluti in triduo Mortis, corpus fuisset sub specie panis sine anima, & sanguine fuso, quoniam hæc erant à corpore separata; Verbum autem, & accidentia vnita corpori extrà sacramentum, fuissent etiam vnita in sacramento.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Ex dictis nonnullæ Difficultates expediuntur.

PRima Difficultas est, an Christus in Eucharistia eandem retineat figuram, quam habet in Cœlo; pro cuius resolutione supponendum est ex Scoto *loc.cit. d.10.qu.1.* & est communis Theologorum doctrina, substantiam cor- 245

corpoream Christi existere in sacramento cum illa partium distinctione, & organorum dispositione, quæ corpori humano connaturalis est, & quæ conuenit ipsi Christo in se; vndè habet corpus Christi in Eucharistia omnes suas partes distinctas, & ordinatas eo modo, quo illas habet in se, itaut in eo inueniatur, distinctio capitis, pectoris, manuum, pedum, & sic omnium membrorum, & organorum, ac etiam cum eodem ordine dispositas, itaut manus sint vnitæ brachijs, non pectori, caput immediatè vnitum collo, non cruribus, & sic de omnibus, ac singulis membris; quam extensionem vocat Doctor loc. cit. partium in ordine ad se, & ait separari posse ab extensione earumdem partium in ordine ad locum, itaquod in vno etiam puncto loci existere possit totum corpus cum hac distinctione, & dispositione partium in ordine ad se. Hinc distinguit Doctor duplicem positionem; vna dicit ordinem partium in toto, altera est commensuratio partium corporis contenti ad partes corporis continentis, prima positio est differentia quantitatis, & est quantitas saltem identicè, altera verò est de prædicamento situs, & est modus quantitatiuus, quo corpus commensuratur corpori, & est respectus extrinsecus adueniente. Quia verò omne absolutum alteri absoluto comparatum potest esse fine respectu extrinsecùs adueniens, vt potè qui non necessariò sequitur extrema, vt respectus intrinsecus adueniens; ideò potest quantitas corporis Christi esse præsens quantitati panis, & modum quantitatiuum non habere, secundum quem & commensuretur; vndè licet corpus Christi in comparatione ad quantitatem hostiæ habeat respectum intrinsecus aduenientem inæqualitatis, nam maius est corpus Christi; non tamen habet respectum extrinsecum commensurationis ad quantitatem hostiæ, quia totum corpus Christi est in tota quantitate hostiæ, & totum in qualibet illius parte, quod etiam dici debet de sanguine respectu quantitatis vini secundum proportionem.

246 Sic igitur pariter distinguenda est duplex figura in corpore quanto, vt iam diximus *disp. 9. Phys. num. 15. & disp. 11. num. 122.* & colligitur ex Doctore 4. *dist. 12. quæst. 4. l.* vna intrinseca, & quantitatiua, quam alij appellant organicam, quæ fundatur in positione de genere quantitatis: altera extrinseca, & situalis, quæ fundatur in positione de genere situs: prima consistit in tali vnione, & ordine talium partium inter se, ratione cuius inter illam, & istam partem mediant plures, vel pauciores, & ratione cuius caput Christi in Eucharistia, licet spatium rotundum actu non occupet, taliter tamen habet partes vnitas, & inter se dispositas, vt postulet extensionem localem circularem: brachium verò habet partes inter se dispositas, vt postulet extensionem localem per longitudinem: Altera verò figura scilicet extrinseca, & situalis est talis dispositio partium in ordine ad locum, qua scilicet caput est sursum, pedes deorsum, manus ad altera, & sic de alijs. Quia ergo illa attenditur penes ordinem partium in toto, & ad se inuicem, ista penes ordinem partium in loco, ideò hæc est corporis accidens per accidens, ac proindè ab ipso separabilis, illam verò semper retinet etiam existens in loco indiuisibiliter; Et ideò de figura intrinseca, & quantitatiua conceditur eandem, quam Christus habet in Cœlo, etiam in Eucharistia retinere, quia licet ibi partes corporis eius sint in eandem spatij parte; habent tamen talem ordinem vnionis inter se, vt ratione illius caput sit immediatè vnitum collo, non manibus vel pedibus, & ratione cuius etiam talem exigunt localem dispositionem, si connaturali modo locentur, vt caput petat esse sursum, pedes deorsum, & sic de alijs; ita etiam discurrunt Suarez *disputat. 48. sec. 1.* Card. de Lugo *disputat. 8. sec. 2.* & alij Recentiores.

247 Sed dubium esse potest de figura situali; hæc enim videtur esse accidens independens à loco, nam potest homo diuersa loca mutare, & eandem figuram situalem retinere, sic homo sedens in lectica successiuè mutat vbicationes, & semper retinet eundem modum sessionis; videtur ergò dicendum figuram situalem esse aliquod accidens ab hoc, & illo loco independens, atque ideò quando idem corpus existens Romæ replicaretur Venetijs, posset ibi habere eandem numero figuram situalem, quam habet Romæ, licet non possit habere ibi vbicationem Romanam; & sic in proposito posset dici corpus Christi in Eucharistia habere eandem numero figuram situalem, quam habet in Cœlo, licet non vbicationem cælestem.

Respondetur ex dictis in Physica, ac etiam in logica explicando prædicamentum Situs, situm non esse aliquod accidens positiuum ab vbicationibus partium animalis, & loci distinctum hominem enim stare, vel sedere aliud non est, quàm partes animalis esse in talibus locis, & taliter inter se distantibus; Neque homo in lectica sedens dicitur propriè eandem retinere sessionem, quæ est de prædicamento situs, quando lectica mouetur; sed dicitur retinere eandem figuram quantitatiuam, ratione cuius exigit talem positionem in ordine ad locum, vbicunque ponatur, & quocunque deferatur; vt enim diximus *disp. 6. Phys. quæst. 4. art. 2. numer. 53.* figura quantitatiua dicit relationem partium corporis ad seinuicem, vt sunt ordinabiles in loco, non quidem hoc, vel illo, sed indeterminatè; quia licet partes corporis translatæ varient locum, & Vbi, eandem tamen seruant coordinationem, & proportiones ad se inuicem, vt sunt in loco v. g. palmari ordinabiles, quia non hic, vel ille locus palmaris spectat ad rationem illius figuræ, sed locus palmaris indeterminatè sumptus; Quarè ex hoc solùm sequitur Christum habere eandem figuram quantitatiuam, & organicam, quam habet in Cœlo; non tamen eandem figuram situalem, quia non habet ibi extensionem actualem localem, nec situm, quem habet in Cœlo, quia extentio actualis localis, & situs includit tales vbicationes partium in tali loco, quæ vbicationes celestes non replicantur in Eucharistia. Cautè tamen legendus est in hac materia Brancatus *disput. 21. ar. 12.* ab initio, vbi vt saluet figuram Christi in Eucharistia quantitatiuam, & organicam notat ex Scoto *4. d. 10. qu. 1. in fine*, quod corpus Christi in Eucharistia siuè sub specie panis, siuè vini, licet careat modo quantitatiuo, siuè positione situs, non tamen caret ordine quantitatis ad totum; verè enim vna pars est extrà aliam, neque putandum est partes subintrare ad inuicem, vt reducantur ad minimam partem naturalem, sed partes omnes sunt extrà alias, & caput distat à pede &c. alioquin figura careret, quæ sine tali positione non datur; ità Brancatus ibi *numer. 266.* quæ quidem est doctrina Scoti *loc. cit.* non tamen talibus verbis explicata; quia licet in corpore Christi in Eucharistia verè vna pars sit extrà aliam modo iam explicato, non tamen verè dici potest caput distare à pede, quia distantia, & propinquitas sunt differentiæ locales, & pertinent ad figuram situalem, non verò quantitatiuam præcisè sumptam, quam solam retinet Christus in Eucharistia.

Dices, quantitas non potest poni sine respectu illo, quem dicit modus quantitatiuus, quia non potest esse quantum cum alio quanto, quin illi commensuretur; ergo nequit poni corpus Christi in Eucharistia sine positione de genere situs, nec consequenter sine figura situali. Negatur assumptum ex Scoto *loc. cit.* ad probationem dicendum, quod verum est loquendo de commensuratione secundum æqualitatem, vel inæqualitatem, quæ dicunt respectum intrinsecùs aduenientem, vndè corpus Christi adhuc in Eucharistia est maius hostia; sed non de commensuratione, quæ dicitur coextentio, & importat simultatem partis cum parte, & est respectus extrinsecùs adueniens, qui non necessariò consequitur extrema; non est igitur in hoc sacramento positio, & figura corporis Christi, quæ dicit ordinem partium locati ad locum, sed totum corpus Christi est in qualibet parte hostiæ.

Secunda Difficultas est, an præsentia corporis Christi in Eucharistia sit supernaturalis secundum substantiam, vel tantùm secundum modum; primum passim docent Thomistæ, & Recentiores, secundum verò Scotistæ, quod putant Scotum docuisse *4. d. 10. quæst. 8. lit. G.* Sed pro resolutione recolendum est ex dictis *lib. 1. disp. 6. q. 2. art. 1. & lib. 2. disp. 2. quæst. 10. art. 1.* duplex genus effectuum supernaturalium à Theologis solere distingui, quidam dicunt supernaturales secundum substantiam, vt vnio hypostatica, visio beata, gratia sanctificans; & similes, talesque dicuntur, quia nullo modo à causis naturalibus fieri possunt, sed à solo Deo, vt auctore supernaturali, & suprà totius naturæ exigentiã operante; alij dicuntur supernaturales, quoad modum, quatenus nimirum eorum entitas potuit à causis naturalibus produci absolutè loquendo, licet hic, & nunc miraculosè producantur, talis est visus cæco restitutus, claudo gressus, & similes; sunt enim in sua entitate eiusdem rationis cum visu, & gressu aliorum hominum, licet hic, & nunc miraculosè producantur, quia naturaliter à priuatione ad habitum non datur regressus; quam distinctionem fusè explicuimus locis suprà citatis, vbi statuimus effectus primi generis verè, & propriè 248

propriè dici debere supernaturales, quoad substantiam, & non tantum quoad modum, vt nonnulli sunt opinati Scotistæ, qui proindè etiam vnionem hypostaticam, lumen gloriæ, & visionem beatam, & similes contendunt esse effectus quoad modum tantum supernaturales; & quidem immeritò, etenim negari omninò non potest longè aliter supernaturalem esse vnionem hypostaticam, visionem beatam, & similes, quàm visum cæco restitutum, gressum claudo, vitam mortuo, & similes. Neque talia entia secundum substantiam supernaturalia negare intēdit Doctor *loc. citat.* 4. *d.* 10. *q.* 8. *G.* in quo Scotistæ illi hallucinati sunt, sed tantùm in eo sensu, quo ponuntur à Thomistis, quasi nimirum huiusmodi accidentales formæ secundum entitatem suam absolutam, & intrinsecam rationem sint supernaturales, & ordinis diuini, vt ipsi loquuntur: nam præfata distinctio entium supernaturalium secundum rem, vel modum, inquit Doctor *loc. cit.* admittit debet tantùm relatè in ordine ad efficiens, & non absolutè secundum formalem entitatem, quia naturale, & supernaturalem non distinguunt naturam alicuius in se, sed tantùm in cōparatione ad agens, adeout supernaturale secundum substantiam dicatur illud, cuius entitas est suprà vires naturæ absolutè loquendo, & est à solo Deo producibile suprà omne debitū virtutis creatæ, vel suprà omnem naturalem eius exigentiam modo iam explicato *loc. cit.* supernaturale verò secundum modum dicatur illud, cuius entitas est suprà vires naturæ, non absolutè loquendo, sed tantùm quoad circunstantiam, quatenus fit vel post priuationem, vel contra ordinem naturæ, vndè entitas producta non excedit naturæ facultatem, sed tantùm modus, quo fit hic & nunc; ex quo patet inquit Doctor, totam hanc distinctionem per extrinseca assignari scilicet per comparationem ad agens, non autem penes intrinsecas rerum entitates.

249 Itaque loquendo in hoc sensu de supernaturalitate secundum substantiam præsentia corporis Christi in Eucharistia dicenda est sic supernaturalis scilicet secundum substantiam; ita iam statuimus *lib. 2. disp 2. qu.* 10. quod facile probari potest ex descriptione allata entis supernaturalis secundum substantiam de communi cōsensu, quia prædicta præsentia est suprà naturalem exigentiam corporis, & sanguinis Domini, & à nulla causa creata induci potest; ergo est supernaturalis, quoad substantiam, consequentia patet ex definitione iam allata entis supernaturalis secundum substantiam; probatur assumptum, quia præsentia naturalis cuiusque partis rei quantæ exigit locari distincto loco à cæteris partibus, sic enim petit modus essendi in loco circumscriptiuè, qui est proprius rerum corporearum, vt dictum est in Physica; ergo caput v. g. Christi, cùm adhuc in Eucharistia suam retineat quantitatem, exigit correspondere alij parti loci à manibus, pedibus &c. cùm ergo ex vi præsentiæ sacramentalis omnes partes corporis Christi in eodem loco ponantur, idque fit omninò suprà naturalem exigentiam eiusdem corporis, & sanguinis Christi, sequitur necessariò, quod sit supernaturalis secundum substantiam; Confirmatur, quia exigentia naturalis cuiuscunque substantiæ materialis est, vt contineatur, & subsit accidentibus suis sustentando illa per inhærentiam, nec fieri potest per naturam, vt substantia verè contineatur, & subsit accidentibus sine illorum inhærentia; sed corpus Christi continetur sub accidentibus panis per solam intimam præsentiam, & vnionem absque vlla tali inhærentia accidentium in ipso; ergo cùm hoc fit suprà naturalem eius exigentiam, erit talis continentia supernaturalis quoad substantiam, & non tantùm quoad modum.

Sed Dices, præsentia Angeli est eiusdem rationis cum præsentia sacramentali, nempè definitiua, vt à circūscriptiua condistinguitur, imò perfectior illa, quia est omninò spiritualis, & tamen est naturalis quoad substantiam, ergò etiam præsentia sacramentalis. Deindè, quia id saltem in anima Christi negari non potest, quia cùm sit natura spiritualis alium modum præsentiæ nequit exigere, quàm existere totam in toto, & totam in qualibet parte loci specierum, & consequenter eius præsentia sacramentalis naturalis erit. Tandem contendit Brancatus *disputat.* 21. *articul. vltim.* præsentiam Christi ad species formaliter acceptam esse naturalem, & solùm præsuppositiuè supernaturalem ex suppositione nimirum antecedentis miraculi; facta enim miraculosa replicatione corporis Christi, & cuiuscunque partis eius sub singulis hostiæ partibus, illi respectus præsentiæ, qui ex Christi corpore, & partium eius insurgunt, sunt formaliter naturales, quia respectus illi, supposito miraculo, exiguntur à natura, ex eaque producuntur, sicut in alijs contentis respectu continentium, & sicut alij respectus distantiæ, vel indistantiæ, & similes, qui in Christo sic replicato insurgunt; tùm quia si aliquod corpus cum sua extensione replicaretur, facta tali replicatione, respectus circumscriptiui essent illi naturales; sicut etiam si Angelus definitiuè replicaretur, respectus eius in ratione contenti essent naturales, quia in his omnibus solùm primum dicetur supernaturale.

Respondeo negādum assumptum, quia præsentia Angeli supponit subiectum indiuisibile, quod naturaliter petit totum locari in toto loco, & totum in qualibet parte; sacramentalis verò supponit subiectum diuisibile, & extensum in ordine ad se, ac proindè etiam naturaliter exigens extensionem in ordine ad locum, quam impedit prædicta præsentia ponens corpus in loco diuisibili modo indiuisibili; Quod autem angelica præsentia sit entitatiuè perfectior sacramentali parum ad rem facit, quia vt dictum est *loc. cit. lib.* 1. *d.* 6. *q.* 2. omnis substantia naturalis à toto genere perfectior est quocunque accidente supernaturali, quia ratio supernaturalitatis non attenditur penes maiorem, vel minorem perfectionem entitatiuam. Ad secundum gratis concedit Card. de Lugo *disp.* 5. *sec* 7. *numer.* 173. præsentiam animæ Christi in Eucharistia esse simpliciter naturalem in substantia, quia nil habet peculiare vbicatio animæ Christi in Eucharistia, per quod possit entitatiuè differre ab vbicatione naturali eiusdem animæ; & qui defendunt præsentiam Christi in Eucharistia esse supernaturalem, videntur solùm loqui de præsentia corporis Christi, & nihil dicunt de anima; Alij tamen adhuc etiam in præsentia animæ Christi aliquam ponunt supernaturalitatem quoad modum, quæ in hoc consistit, quod extrà sacramentum correspondet tota singulis partibus spatij, sed per distinctas corporis partes, quibus inexistit, vt forma; at in sacramento correspondet per omnes partes eiusdem corporis, quia etiam corpus est totum in toto spatio, & totum in qualibet parte spatij, & consequenter est quædam replicatio eiusdem præsentiæ ad eandem loci partem, ità præsertim Morandus *tract.* 3. *qu.* 11. Ad vltimum negatur assumptum, ad probationem dico disparem esse rationem de replicatione sacramentali corporis Christi, ac circumscriptiua corporis, vel definitiua Angeli in pluribus locis; nam si corpus cum sua extensione in pluribus locis replicaretur, facta tali replicatione, respectus circumscriptiui essent illi naturales, quia poneretur in singulis locis modo circumscriptiuo, qui est proprius, & connaturalis corporum, & sic etiam si Angelus replicaretur definitiuè in pluribus locis; respectus illi definitiui essent naturales, facta tali replicatione, quia poneretur Angelus in singulis locis modo definitiuo, qui est proprius, & connaturalis spirituum; at si replicetur corpus in pluribus locis sacramentaliter, itaut sit totum in toto, & totum in qualibet parte, non tantùm replicatio ipsa erit miraculosa, & supernaturalis, sed etiam modus, quo fit præsens pluribus locis quia constituitur in illis modo incircumscriptiuo nimirum totum in toto, & totum in qualibet loci parte; ac proindè etiam talis quælibet præsentia dici debet supernaturalis, quia ponit omnes partes corporis in eodem loco, quod est suprà exigentiam corporis.

Tertia Difficultas est, an intellectus creatus possit naturaliter videre existentiam corporis Christi, in Eucharistia; & 251
quidem non est difficultas de intellectu sensibus alligato, cùm enim in tali statu non intelligat, nisi ex sensibilibus his eodem modo sibi præsentibus, eodem etiam modo intelligit; sensibilia autem accidentia panis, & vini sunt sibi eodem modo præsentia, antequam sit ibi corpus Christi, & postea, atque ideò sicut antè non videt ibi corpus Christi, quia antè consecrationem non est ibi, ità neque post; Quarè sola difficultas est de omni intellectu, qui in intelligendo à sensibus non dependet, siuè sit angelicus, siuè animæ seperatæ, siuè hominis beati, an possit naturaliter videre existentiam corporis Christi in Eucharistia. Negant Thomistæ 3. *p. q.* 76. cum Suarez *ibi disp.* 53. *sec.* 5. & alijs Recentioribus. Affirmant Scotistæ tum veteres, tùm Recentiores cum Scot. 4. *dist.* 10. *quest.* 8. & Nominales; quam difficultatem iam anteà tractauimus *lib.* 2. *disp.* 2. *qu.* 10. sub illo titulo, An Angelus naturaliter cognoscere possit effectus supernaturales, & mysteria gratiæ; & *ibidem art.* 2. resolui-

mus

nus aliquos effectus supernaturales ad gratiæ mysteria pertinentes, supposito iam primo miraculo, quod sint à Deo producti, vt ab auctore supernaturali suprà omnem naturæ exigentiam, posse deinceps ab Angelo naturaliter cognosci distinctè, & euidenter, aliquos verò non sed solùm supernaturaliter, & media reuelatione; & inter effectus supernaturales primi ordinis existentiam corporis Christi in Eucharistia speciatim enumerauimus.

252 Itaque iuxta ibi dicta dicendum est existentiam corporis Christi posse distinctè, ac intuitiuè cognosci à quocũq; intellecto creato sensibus non alligato in intelligendo; quod probat Doctor *loc. cit.* ratione à priori, quia totum ens creatum est obiectum proportionatum tali intellectui quantum ad cognitionem tam abstractiuam, quàm intuitiuam, quod adhuc magis declarat *quol.* 14. vbi ait obiectum naturaliter intelligibile ab intellectu creato ex natura potentiæ esse quodcunque ens finitum, & limitatum, absolutum, vel respectiuum, dummodò non habeat pro termino ens infinitum, vt iam statuimus in libro de Anima declarando latitudinem obiecti adæquati intellectus creati ex natura potentiæ; Sed corpus Christi existens in Eucharistia sub latitudine huius obiecti continetur, est enim ens finitum, & limitatum, absolutum quidem, si secundum substantiam suam consideretur; respectiuum verò, si reduplicatiuè, prout in Eucharistia existens, sed illius terminus est aliquid finitum, nempè species sacramentales; cùm ergò corpus Christi etiam reduplicatiuè consideratum, vt in Eucharistia existens, limites non excedat obiecti naturaliter attingibilis ab intellectu creato ex natura potentiæ, erit etiam sub tali statu ab eo attingibile, & cognoscibile nedùm abstractiuè, sed etiam intuitiuè; etenim vt dicebam, obiectum adæquatum intellectus creati ex natura potentiæ est totum ens finitum, quod non respicit aliquid, quod excedat virtutem naturalem intellectus, sicut vnio hypostatica, vel similis ordo intrinsecus rerum, qui est ad Deum sub ratione propria, qui excedit intellectum creatum, & obiectum eius naturale motiuum, & terminatiuum, vt declaratum est *disp. 2. cit. de Angelis q.* 10. *n.* 326. existentia autem indiuisibilis Christi sub Eucharistia non est huiusmodi, quia est inter corpus Christi, & species, quorum quodlibet est contentum sub obiecto naturali intellectus angelici, & humani ex natura potentiæ.

Neque satisfacit communis, & frequens aduersariorum solutio, totam repugnantiam esse in eo, quod hæc existentia sit supernaturalis in entitate; nam vt vrgebamus loco citato, in primis hæc est manifesta principij petitio, id enim est, quod controuertitur, an supernaturalitas, quod substantiam possit semper esse ratio, cur aliquis effectus sic supernaturalis non sit naturaliter cognoscibilis ab intellectu creato, & id nos constanter negamus in quibusdam effectibus. Tum quia si poneretur à Deo idem corpus simul in pluribus locis, talis simultas naturaliter cognosceretur ab Angelis, imò & à nobis, perciperemus enim Petrum v. g. esse hic, & ibi, & tamen ea præsentiarum simultas hic, & ibi in eodem subiecto est supernaturalis quoad substantiam, cùm tota definitio talis entis supernaturalis ei conueniat; Tùm tandem quia vt arguit Doctor, supernaturalitas non variat rationem rei in se formalem, siquidem naturale, & supernaturale non distinguunt naturam alicuius in se, sed tantùm in comparatione ad agens, vt constat ex dictis num. 148. & ideò non concludit hoc, & illud esse aliud, & aliud in ratione intelligibilis: & ideò quamuis aliquod ens creatũ sit ordinis supernaturalis, non ob id subterfugit sphæram obiecti intellectus creati ex natura potentiæ; & si aliquod subterfugit, hoc non est ea ratione præcisè, quia sit ordinis supernaturalis, sed alia peculiari ratione, vt loco citato declaratum est.

253 Deindè hoc idem probat Doctor, quia intellectus angelicus potest naturaliter cognoscere non esse sub accidentibus substantiam panis, & corpus Christi esse sub eis sine suo modo quantitatiuo; ergo cognoscere potest corpus Christi ibi indiuisibiliter existere; Consequentia patet, nam ex eo præcisè, quod corpus aliquod quantum alicubi actu existens caret extensione ad locum, necessariò intelligimus ipsum existere indiuisibiliter; tùm quia si Deus supernaturaliter poneret duo corpora in eodem loco inuicem compenetrata, posset Angelus naturaliter cognoscere vtrumque esse præsens ergò pariter si Deus ponat omnes partes corporis Christi in eodem loco, potest Angelus cognoscere omnes præsentes esse ibidem: probat assumptum Doctor quoad vtramque partem quia virtus potens cognoscere obiectum, dùm est præsens intuitiuè, potest cognoscere etiam eius absentiam dùm est absens, vt patet ex 2. de Anima, quia per visum cognoscimus non tantùm lucem, sed tenebram; sed intellectus creatus ex natura potentiæ præsentiam panis cognoscere potest, quando præsens est, quia non est obiectum supernaturale; ergo etiam cognoscere potest absentiam; Item si corpus Christi esset sub speciebus modo circumscriptiuo, vtique modus sic existendi cognosceretur ab angelo, quia tam substantia corporis Christi, quàm modus sic existendi in loco sunt ordinis naturalis; ergo in casu, quod eam ibi videret non actu localiter extensam, iam eam videret huiusmodi extensione carentem, atque ideò in loco indiuisibiliter existentem.

Respondet Becanus *cap. 19. quæst. 7. in fine*, quod cognosceret corpus Christi adesse sine extensione locali, ac proindè habere quendam modum existendi indiuisibiliter, quis autem sit ille modus in particulari non cognoscit; sunt enim varij modi existendi indiuisibiliter; nam & Deus existit indiuisibiliter, in omnibus rebus, & Angelus in suo loco adæquato, & anima rationalis in corpore, & corpus Christi in sacramento; Vndè licet generali quadam ratione possit cognoscere corpus Christi existere indiuisibiliter in Eucharistia; non tamen cognoscit in particulari, qualis sit ille modus existenti, & quomodo essentialiter differat à modo existendi animæ rationalis; debet enim necessariò differre, quia aliter est spiritualis, aliter materialis, aliter indiuisibilis, alter diuisibilis, & extensus, non quidem ex parte loci, sed subiecti; Fateor Becanum plus Scoto concedere, quàm faciant alij Aduersarij, illi enim omninò negant præsentiam corporis Christi posse vllo modo ab Angelo naturaliter attingi, quia est supernaturalis in substantia, quæ responsio *disp. 6. de Angelis q. 10. cit.* fusè reiecta est; ipse verò hac Scoti ratione conuictus ingenuè concedit, quod vtique cognoscere potest corpus Christi sub speciebus existere indiuisibiliter, & sine extensione locali; negat tamen posse cognoscere in particulari, qualis sit ille modus existendi, & quomodo essentialiter differat à modo existendi animæ rationalis; Sed planè sicut primum concessit, ita etiam poterat admittere secundum: illud enim discrimen, quod ipse ait intercedere inter modum existendi animæ rationalis in corpore, & corporis Christi in Eucharistia, quod alter sit spiritualis, & indiuisibilis omninò tam ex parte spatij, quàm ex parte subiecti, alter verò sit indiuisibilis quidem ex parte spatij, non verò ex parte subiecti; hoc inquam, discrimen docet Scotus esse etiam Angelo notissimum, quia vnam præsentiam videt in re corporea fundatam nempè sacramentalem, aliam verò in re prorsus incorporea; & rursus hanc præsentiam nempè animæ rationalis ad corpus, videt esse cum vnione formali, & substantiali, non verò illam corporis Christi ad species; & ideò fatendum est Angelum etiam in particulari cognoscere posse, qualis sit ille modus existendi corporis Christi in Eucharistia, & quomodo essentialiter differat à modo existendi animæ rationalis.

Sed dices, quodcunque cognoscibile per fidem excedit quodcunque cognoscibile naturaliter; sed existentia corporis Christi in Eucharistia est tantùm per fidem cognoscibilis; ergo non naturaliter. Ad hoc iam diximus *quæst. 10. cit. art. 3.* & est responsio Scoti *ad 2. prin.* aliquid esse cognoscibile ab intellectu nostro pro statu viæ tantùm per fidem, quod tamen ab intellectu nostro separato, & tantò magis ab angelico naturaliter cognosci potest, vt accidens esse sine subiecto, corpus sine extensione, duo corpora in eodem loco penetratiuè, idem corpus in pluribus locis. quæ vtique omnia videri possunt ab Angelo sibi dimisso; imò inquit Doctor ibidem etiam à quibusdam viatoribus aliqua esse credita tantùm, quæ alijs fuerunt scita, vt vita, & mors Christi à nobis creduntur, alijs tamen tunc temporis viuentibus, & præsentibus; visa fuerunt euidenter, & non credita, habitus autem fidei, licet in vtrisque sit idem, tamen applicari non potest ad obiectum, nisi quod obscurè tantùm proponitur, vt dictum est *lib. 3. sent. disp. de Fide*; Alia argumenta ad hoc spectantia vide soluta *disp. 6. cit. de Angelis quæst. 10. art. 3.* 254

Quarta demum difficultas est, an corpus Christi sacramentaliter existens per diuinam potentiam videri possit oculo corporeo. Hanc etiam difficultatem iam ex pro- 255

fesso tractauimus *disp. 5. de Anima qu. 7. n. 237.* vbi tres retulimus sententias, duas extremas, & vnam mediam; Prima extrema asserit nedùm supernaturaliter, sed etiam naturaliter posse videri oculo corporeo, non tamen actu videri, quia Deus non vult, quæ opinio Nominalibus adscribitur 4. d. 10. Secunda extrema negat posse videri tam naturaliter, quam supernaturaliter, quam aliqui Recentiores defendunt cum alijs antiquioribus ibi citatis. Tertia sententia media docet hoc naturaliter fieri non posse, sed benè supernaturaliter, quæ est communis inter Thomistas, & Scotistas, licet non eodem modo defendant; Thomistæ namque dicunt posse oculum corporeum videre corpus Christi in Eucharistia etiam vt sub modo indiuisibili existit, quod negant Scotistæ asserentes posse tantum videri, vt à tali modo præscindit, & quatenus habet esse extensum fundamentaliter, & positionem de genere quantitatis; ità Mairon, Bassolius, Faber, Aretinus, Hiqueus, Biancatus; Alij verò Scotistæ dicunt posse vtique Deum causare visionem corporis Christi in Eucharistia existentis in oculo corporeo sumendo visionem materialiter, & pro absoluto; cęterum per illam non posse oculum corpus Christi videre, & ratio est, quia visio materialiter sumpta est forma absoluta, nempè qualitas, ergo non repugnat posse à Deo causari in potentia capaci sine respectu attingentiæ, & tendentiæ in obiectum, & sic Scotum intelligunt 4. d. 10. qu. 9. §. *ad quæstionem in prima conclusione*, ità Rada, Gauatius, & alij.

256 Itaque iuxtà ibi dicta Dicendum est naturaliter nullo modo corpus Christi posse in Eucharistia videri, supernaturaliter autem neque videri posse, vt sub modo indiuisibili existit, sed tantùm vt à tali modo præscindit, & quatenus habet esse extensum fundamentaliter, & positionem de genere quantitatis, licet neque hoc vltimum Scotus expresè asserat *loc. cit.* Hæc conclusio quoad singulas partes probatur ex dictis *loc. cit.* breuiter, & quidem naturaliter id fieri non posse ex eo probatur, quia cùm corpus Christi in sacramento non existat modo quantitatiuo, & sibi naturali, non potest sui speciem immittere immutando medium, & sensum; Nec etiam potest terminare actum potentiæ sensitiuæ corporeæ, quæ etiam in suo obiecto requirit modum existendi quantitatiuum, & corporeum sicut agens requirit in subiecto; vndè neque Christus ipse potest seipsum videre, vt in sacramento existentem, quia vltrà prędictum impedimentum oculus Christi in Eucharistia non existit ibi modo connaturali, sicut ad hanc operationem oporteret; Hoc etiam probat Doctor loco citato ab initio quæstionis §. *Contra* per quandam propositionem ex prima parte perspectiuæ desumptam, quam rationem *loc. cit.* declarauimus.

257 Quod verò nec etiam supernaturaliter possit videri oculo corporeo Christus in sacramento secundum modum quo ibi est scilicet indiuisibiliter totus in toto, & totus in qualibet parte, probat Doctor ibidem *concl. 2.* quia corpus Christi sub tali modo nequit esse terminus visionis corporalis neque per miraculum; est enim ille modus indiuisibilis, & spiritualis qui nequit contineri sub obiecto visus siquidem modus taliter existendi non est ex natura sua sensibilis, nec cogitat potest qualiter oculus corporeus corpus Christi perspiceret, vt existens indiuisibiliter in qualibet parte, tanquam infinities replicatum, idq; visu ipso discerneret; Et sicut fieri non potest etiam per potentiam Dei absolutam, vt sensus corporei spirituale obiectum attingant, ità nec fieri potest, vt oculus corporeus talem modum existendi in loco indiuisibilem, & spiritualem attingat, iste enim modus est indiuisibilis terminatiuè, quia ponit corpus Christi totum in loco, & totum in qualibet parte.

Respondet Amicus oppositum tenens *disp. 21. sec. 1.* negando consequentiam, nam licet hic modus sit indiuisibilis terminatiuè, est tamen diuisibilis subiectiuè, quod sufficit vt videri queat ab oculo eleuato, & visionem terminare à Deo causatam in ipsa; non enim est necesse, vt si talis modus videatur subiectiuè, videatur etiam terminatiuè, quia potest retinere formalitatem obiecti visibilis secundum vnam rationem & non secundum aliam; & ex alia parte nō repugnat videri diuisibilitatem subiectiuam absq; indiuisibilate terminatiua, quia potest oculus in vna, & non in alia inuenire formalitatem sui obiecti, vt si color esset in subiecto partim lucido, partim tenebroso, oculus solùm ferretur ad colorem vsque ad tenebras exclusiuè, ad reliquum verò tantùm negatiuè; ità oculus eleuatus solùm videret modum istum, vt extensum subiectiuè, non vt inextensum terminatiuè; & hoc modo conatur Scotum interpretari *loc. cit.* Hæc tamen responsio confutatione non eget, quia si quid veri continet, suadet tantùm tertiam conclusionis partem, nempè corpus Christi posse in Eucharistia videri, quatenus habet esse extensum fundamentaliter, & positionem de genere quantitatis præsciendendo à tali modo existendi indiuisibili terminatiuè, vt patebit ex mox dicendis.

Tandem quod saltem supernaturaliter eleuari possit oculus ad videndum corpus Christi in Eucharistia, vt à tali modo præscindit, & quatenus habet esse extensum fundamentaliter, & positionem de genere quantitatis, suaderi potest, quoniam extensio localis, & positio de genere situs est sola conditio extrinseca in obiecto visibili, sine qua diuinitùs non repugnat potentiam visiuam in obiectum ferri; conditio verò intrinseca, quæ redundat in rationem formalem obiecti, est extensio integralis partium in se, & cum positione de genere quantitatis, sine enim tali extensione nullum obiectum à potentia sensitiua percipi potest, siquidem cùm sit materialis, obiectum materiale, & extensum postulat saltem extensione integrali partium in se; vndè satis est, vt obiectum sit sensibile secundum se, vt ab eo possit sensatio specificari, quarè cùm corpus Christi in Eucharistia adhuc talem sensibilitatem retineat, etiamsi sit locali extensione priuatum, non implicat saltem supernaturaliter in tali statu visionem oculi corporei terminare posse: & hoc solùm probat Amicus *loc. cit.* hac enim ipsissima doctrina vtitur in suo discursu; Adhuc tamen verum est, vt *loc. cit.* dicebamus, quod estò id sit satis probabile, quia diuinæ omnipotentiæ denegari non debet, nisi quod manifestam implicat contradictionem; non tamen expressè docetur à Scoto *loc. cit. d. 10. q. 9.* ibi enim solùm asserit *concl. 1.* posse Deum talem visionem causare in oculo sine respectu præsentialitatis ad obiectum, quibus verbis potius innuit visionem materialiter sumptam, & pro absoluto posse fieri sine respectu attingentiæ ad obiectum, quo sensu locutus fuerat *q. 5. præced.* adhuc tamen ità intelligi potest, vt Amicus exponit, quod implicat videri corpus Christi, vt hic primò existens, nempè vt formaliter hic existens cum præsentia terminatiua indiuisibili; sic enim inquit Doctor, non est absolutè visibile, nec vt causatiuum visionis, nec vt terminatiuum. 258

In oppositum objiciunt Suar. *disp. 53. sec. 4.* Scotistæ alterius opinionis, & alij Recentiores quia nullum obiectum est visibile, nisi sit sensibile, & nullum obiectum est sensibile, nisi sit loco extensum, neq; hæc conditio est supplebilis à Deo, cùm se teneat ex parte obiecti formalis, quod cùm sit specificatiuum actus, est omninò insupplebile; sed corpus Christi in Sacramento existens non est loco extensum; ergo nullo modo visibile. Conf. quia terminatio visionis requirit in obiecto terminante debitam dispositionem secundum locum nempè approximationem, & distantiam debitam; sed corpus Christi, vt hic, non potest debitè approximari organo, aut debitè distare, quia non est hic localiter; ergo nequit terminare visionem. Denique vt arguit Doctor, visio corporea sit per figuram pyramidalem, cuius basis sit in obiecto, conus verò terminetur ad oculum; repugnat autem basim pyramidis fundari in obiecto indiuisibili, & inextenso, quale est corpus Christi in sacramento existens, ergo &c. 259

Respondeo ex dictis, vt obiectum possit terminare, & specificare sensationem, satis esse, quod obiectum sit sensibile in se, & extensum in ordine ad se, quam sensibilitatem, & extensionem adhuc retinet corpus Christi in Eucharistia, & nego extensionem localem esse conditionem se tenentem ex parte obiecti formalis, est enim sola conditio extrinseca ad visionem requisita, vt fit regulariter, & naturali modo. Ad Confirmat. concedo obiectum visibile non posse ab oculo corporeo percipi absque aliqua præsentia, & debita approximatione, sed nego hanc esse necessariò circumscriptiuam simpliciter, & absolutè loquendo etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam, nam sufficere potest definitiua ipsius obiecti quanti, & diuisibilis in se, qualis est præsentia corporis Christi in Eucharistia, quæ licet indiuisibilis sit terminatiuè ad locum, est tamen diuisibilis subiectiuè.

Ad vltimum ait Amicus sufficere, vt obiectum sit extensum in ordine ad se, & entitatiuè, vt terminare possit basim

sim visualis pyramidis; Sed melius iam diximus *disput.5.cit. de Anima quæst.7.* in fine assumptum valere de visione naturaliter producta ab obiecto, tunc enim immittuntur species ad modum pyramidis, vndè à Doctore adducitur ad probandum id naturaliter contingere non posse; in casu autem quæstionis visio produceretur immediatè à Deo in oculo, & terminaretur ad obiectum in se præscindendo ab esse in loco diuisibili, vel indiuisibili.

260 Deindè arguunt, quia, visio oculi corporei intrinsecè est intuitiua, at in tali casu esset abstractiua, quia præscinderet à tali modo existendi in loco, scilicet, indiuisibili. Confirmatur, quia visio cùm sit intuitiua, necessariò terminari debet ad obiectum existens, & in se præsens, ergo etiam ad modum quo existit, siuè extensè, siuè inextensè, non autem vt à tali modo præscindit, quia talis abstrahendi modus est impossibilis in cognitione intuitiua. Demum, quia, vel videretur Christus extensus, vel inextensus; non primum, quia in sacramento non est extensus: neque secundum, quia oculos non attingit inextensum.

Respond. quod non ob id cessaret cognitio illa esse intuitiua, quia adhuc terminaretur ad obiectum in se præsens, & non in specie; nec esset propriè abstractiua, quia non præscinderet ab existentia absolutè, & in se, sed impropriè, quatenus præscindit à modo existendi, vt dictum est *loco citato*.

Ad Confirmationem negatur consequentiam cum eius probatione, quia vt ibidem dicebamus, etiam naturalis visio est intuitiua, & tamen non semper terminatur necessariò ad omnem modũ obiecti, vt patet, cùm res à longè videtur, quæ non apparet sub propria figura, aut colore, vel sub motu, sed confuso modo conspicitur; tantò ergò magis de potentia absoluta dari potest visio, quę terminetur ab obiectũ in se, & in tali loco existens secundum quod habet positionem de genere quantitatis, præscindendo à modo extenso, vel inextenso essendi, in loco. Ad vltimum videretur Christus extensus in se, non autem in ordine ad locum, vndè visio illa terminaretur ad corpus Christi quantum, coloratum, & figuratum figura organica de genere quantitatis non verò ad illam replicationem, & modum replicationis sub speciebus.

261 Tandem arguunt ex absurdis, primò enim sequeretur etiam substantiam spiritualem posse videri oculo corporeo. Deindè si posset oculos eleuari ad videndum corpus localiter inextensum, posset etiam eleuari ad colorem in communi, & ad colorem punctualem. Denique sequeretur etiam cæteros sensus externos eleuari posse ad obiectum localiter inextensum.

Respondet Doctor *loc. cit.* sub A. negando sequelam, quia existentia corporis Christi in Eucharistia licet quoad aliquid similis sit existentiæ Angeli, non tamen quoad sensibile, & visibile, quia Angelus caret illis principijs, quæ requiruntur in aliquo obiecto ad actum sensationis, scilicet, quantitate, & qualitatibus sensibilibus, licet modus aliquis eis auferatur; oporteret ergo probare, inquit Doctor, quod talis modus esset simpliciter necessarius ad hoc, quod esset sensatio istorum, ità Doctor, quibus verbis non obscurè indicat probabilitatem huius tertiæ partis conclusionis.

Ad Confirmationem negatur sequela, quia color in communi est omninò extra obiectum visus, cùm enim hic sit potentia materialis, & organo materiali affixa, non nisi in hunc colorem indiuiduum, & particularem ferri potest; & color, vel lumen punctuale, inquit Doctor in sol. ad 2. non potest se multiplicare ad organum corporale, ita quod esset visibile, quia nullam habet sensibilitatem neque in ordine ad locum, neque in ordine ad se, implicat autem sensum ferri in obiectum omni sensibilitate carens. Ad vltimum negatur etiam sequela cum Amico *loc. cit.* nam reliqui sensus externi stendunt in obiecta ipsa immediatè per physicum, & quantitatiuum contactum, qui sine locali extensione fieri nequit; & licet auditus non feratur in obiectum suum per contactum physicum, & quantitatiuum, sed tantùm virtualem intentionaliter, media specie auditiua ex expressiuũ obiecti audibilis; sonus tamen, qui est obiectum formale ipsius essentialiter includit motum successiuum, & diuisibilem, qui sine locali extensione esse non potest; potentia verò visiua non percipit suum obiectum contractu physico, & quantitatiuo, sed virtuali, & intentionali media specie, & actu in seipso obiectum exprimente nullo interueniente motu successiuo, & diuisibili, vt in auditu contingit; & ideò negatur paritas quoad hoc de visu, & alijs sensibus externis; alia quædam argumenta minoris momenti vide soluta *disp.5.cit. de Anima q. 7. in fine*.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quæstionis resolutio quoad alteram partem.

PRo resolutione quæstionis quoad alteram partem, an, scilicet, præsentia sacramentalis Christi in Eucharistia dependeat à modo existendi naturaliter in seipso; ad euitandam solemnem æquiuocationem, quæ deceptus est Caietanus *3.p.q.67.art.2.* in intelligentia tituli quæstionis huius, vndè posteà occasionem sumpsit appellandi chimericam Scoti sententiam aduertendum est cum omnibus Scotistis, & Recentioribus per existentiam naturalem, vel modum existendi naturalem intelligi non debere veram, & realem existentiam ipsius Christi, per quam verè, & realiter extra suas causas existit; sed intelligi debere existentiam sub modo naturali, siuè sub modo quantitatiuo, & dimensiuo, qualem existentiam nunc debet in Cœlo, & dicitur modus existendi naturalis, quia corpori quanto est naturaliter debitus; vel vt vno verbo dicam, per modum existendi naturalem intelligitur præsentia naturalis, & dimensiua corporis Christi, prout à sacramentali distinguitur, itaut sensus quæstionis sit; an vt corpus Christi habeat præsentiam sacramentalem, necessariò præsupponatur in aliquo loco extrà sacramentum habere præsentiam naturalem, itaut ab hac naturali præsentiam necessariò dependeat illa sacramentalis, non autem est sermo de existentia naturali essentiali, & intrinseca, supra quam tales præsentiæ fundantur, vt Caietanus intellexit, & propterea Scoti sententiam appellauit chimericam, quem proindè meritò irridet Auersa *quæst.4.sec.5.* cum cæteris Recentioribus, quia nec Scotus dixit, nec cogitare quisquam poterat, Christum existere in sacramento sublata prorsus è rerum natura ipsa substantia Christi, hæc enim esset aperta contradictionis implicantia, sed id quod Scotus dicit solùm est, posse ipsam Christi substantiam existere per præsentiam sacramentalem sub speciebus panis, & vini, sublata præsentia naturali, & circumscriptiua extrà sacramentum, quod sanè nullam impossibilitatis rationem patitur, vt ex dicendis constabit. Pro resolutione igitur quæstionis sic declaratæ distinguere oportet, quidnam simpliciter in re possibile sit, & quidnam de facto institutum sit iuxtà præsentem significationem verborum, & diuinam ordinationem. 262

Primò itaque Dicendum est, de facto & iuxtà præsentem institutionem sacramenti præsentiam sacramentalem ita ex naturali secundũ diuinam ordinationem pendere, quod sine illa fieri, aut conseruari non debet. Hæc assertio est ferè communis, neque oppositum docet Scotus loco citato vbi solùm loquitur de eo, quod possibile est absolutè loquendo, supponens de facto præsentiam sacramentalem Christi in Eucharistia pendere à naturali idest supponere naturalem, quam habet in Cœlo scilicet cum suo modo quantitatiuo; Et quidem hoc indicat ipsa verborum forma, *Hoc est corpus meum*, & hæc figura loquendi in persona Christi, sub qua ritus huius sacramenti fuit institutus, indicat enim, quod præsupponatur corpus Christi esse naturaliter in seipso, & supponatur existere ipse Christus, tanquam summus Sacerdos consecrationem perficiens. 263

Confirmatur quia quando hoc sacramentum fuit institutum, corpus Christi sub speciebus positum fuit passibile, vt patet ex illis verbis, *quod pro vobis tradetur*, post resurrectionem verò ponitur impassibile, & immortale; ergò iuxtà præsentem institutionem præsentiam sacramentalis aliquo modo à naturali dependet, & eam præsupponit. Deinde de facto ex vi consecrationis tale ponitur corpus Christi sub speciebus, quale sub esse naturali reperitur; vt si viuum est secundum esse naturale, tale ponitur sub speciebus, & si esset mortuum secundum esse naturale, tale positum fuisset sub speciebus, si in triduo mortis consecratio facta fuisset; signum est igitur quod iuxtà præsentem institutionem esse sacramentale pendet ab esse naturalis eiusdem corporis Christi.

Addidimus etiam dependere in conseruari, quia non ap-

tut productum, & alibi existens, ideoque iam suprà diximus de facto, & iuxtà præsentem institutionem præsentiam sacramentalem aliquo modo à naturali pendere ex diuina ordinatione; sed si corpus Christi non præexisteret; nec fuisset anteà productum, per ipsam formam consecrationis produceretur in Eucharistia, id enim exigit veritas huius propositionis *Hoc est corpus meum*.

268 Tertiò Dicendum est, potuisse Deum antè Incarnationem. hoc est, antè vnionem humanitatis ad Verborum factam in vtero Virginis modo naturali, & circumscriptiuo sacramentum Eucharistiæ instituere. Ità Scotus *loc. cit. lit. E.* & cum ex Scotistæ omnes, ac Recentiores supracitati; & pendet ex eodem fundamento, quod existentia sacramentalis non dependet à naturali, sunt enim diuersorum ordinum, & vna non respicit aliam vt subiectum, cùm potius inuicem opponantur, sed vtraq; immediatè respicit corpus Christi, quod est ad vtramque indifferens, ac proindè sunt disparatæ sine vlla prorsus connexione, vt probatum est in præcedenti assertione; ergo potuit corpus Christi primò existere modo sacramentali, quam modo naturali; ergo institui potuisset Eucharistiæ sacramentum antè Incarnationem, hoc est, antè vnionem humanitatis ad Verbum in vtero Virginis modo circumscriptiuo, & extenso factam; Quam declarationem rursus adijcio ad excludendas Caietani instantias dicentis hanc esse alteram Scoti chimeram; nam si tunc fuisset Christus in sacramento, fuisset vtique cum corpore, & anima, & diuinitate, sicut nunc est: iam ergo tunc, facta fuisset Incarnatio Verbi diuini cum humana natura; & rursus durante sacramento, non fuisset Christus de nouo factus secundum substantiam, cùm iam suum esse substantiale præhaberet in sacramento: implicat ergò Christum existere in sacramento, antequam existeret cùm sua hypostatica vnione, in quo consistit Incarnatio. Sed ex præmissa declaratione hæc instantia cessat, quia Scotus solùm voluit, vt etiam notauit Auersa *loc. cit.* potuisse huius sacramenti mysterium fieri antè Incarnationem Verbi de visceribus Beatæ Virginis; & ità potuisse Christum prius in sacramento existere simpliciter sub modo sacramentali, & posteà naturali modo in vtero Matris concipi, & successiuè nasci, & viuere, ac tandem mori; & declarat Scotus in tali casu, quod Christo in sacramento substantialiter præextitisset, solùm potuisse de nouo fieri secundum quid est cum vnione humanitatis ad Verbum in vtero Virginali modo circumscriptiuo, & extenso facta, non autem simpliciter de nouo, siquidem iam supponebatur extare tota substantia Christi sub modo sacramentali; Vndè si per Incarnationem intelligamus coniunctionem carnis cum diuinitate simpliciter, & absolutè loquendo, vt Caietan. intellexit, vtique corpus Christi non potuit esse in Eucharistia antè incarnationem: sed solùm potuit esse in Eucharistia antè incarnationem accipiendo ipsam pro conceptione eius ex vtero Virginis, hoc est, antequam ex vtero Virginis conciperetur, sicut quilibet homo potuit formari, antequam in vtero Matris conciperetur, siuè per creationem, siuè alio modo, & ità expressè Doctor suam declarat sententiam in argumentorum solutione.

268 Sed Obijcies, impossibile est, quod aliquid incipiat esse postquam fuit; sed si Christus potuisset esse in Eucharistia ante incarnationem, posset incipere esse postquam fuit, ergo &c. maior patet, minor probatur, quia potuisset adhuc incipere esse in vtero Virginis per incarnationem Verbi, atque ita incipere esse simpliciter postquam fuit. Respondeo ex modo dictis quod accipiendo incarnationem, non pro vnione humanitatis ad Verbum, sed pro conceptione facta in vtero Virginis, opus non esset, quod corpus Christi per eam acciperet esse simpliciter, & substantiale; sed illa inceptio, seu formatio corporis Christi solùm fuisset inceptio secundum quid, quatenus corpus Christi incepisset esse sub modo naturali, seu circumscriptiuè in vtero Virginis, vndè non valet consequentia, inquit Doctor incipit esse modo naturali in vtero Virginis; ergò incipit esse, sed est fallacia à secundum quid ad simpliciter; sicut nec modò valet dicere, quod corpus Christi incipiat esse simpliciter per transubstantiationem in Eucharistia, eo quod incipit esse ibi modo sacramentali.

Dices, in conceptione Christi, prout facta est in vtero Virginis, corpus eius incæpit esse simpliciter, & non tantùm secundum quid; ergo si præcessisset in Eucharistia, & posteà formatum esset in vtero Virginis fuisset inceptio simpliciter, atq; ita incepisset esse simpliciter postquam fuit; Negat Doctor paritatem, quia inceptio simpliciter postulat, quod sit ad primum esse rei incipientis, atque in casu posito non fuisset inceptio corporis Christi secundum primum esse absolutè, sed solùm secundum primum esse secundum quid, hoc est, secundum primum esse in vtero Virginis, & sub modo naturali, & circumscriptiuo; nunc autem de facto in Incarnatione non tantùm fuit inceptio sub modo naturali, sed omninò primi esse atque ideò incepit esse simpliciter; Ex quo sequitur, quod si corpus Christi in Eucharistia præcessisset, & posteà in vtero Virginis conceptum esset, talis conceptio, & formatio esset diuersæ speciei ab illa, quæ modo facta est in incarnatione Verbi in vtero Virginis, quia hæc modò fuit actio substantialis ad substantiam corporis Christi terminata; in alio verò casu, quod corpus Christi in Eucharistia præcessisset, esset actio accidentalis, nō terminata ad substantiam corporis Christi, sed ad modum essendi accidentalem scilicet ad modum essendi in loco circumscriptiuè in vtero Virginis; sicut modo quia corpus Christi præcedit in esse naturali, ponitur in Eucharistia per actionem accidentalem, quæ ad præsentiam eius accidentalem terminatur, vt magis explicabitur infrà.

Sed contra hanc solutionem rursus instant, quia si præcederet corpus Christi in Eucharistia, & posset adhuc posteà concipi Christi corpus in vtero Virginis, vtique ex eius purissimis sanguinibus formaretur, & illi sanguines destruerentur; at destructio sanguinis necessariò est actio substantialis, quia sanguinis substantia est; ergo tunc conceptio non esset sola actio accidentalis. Confirmatur quia alioquin sequeretur in tali casu Beatam Virginem non futuram fuisse veram Christi Matrem, quia generatio est ad primum esse simpliciter, & absolutè, tunc autem ex solutione data accepisset Christus in vtero Virgini esse, sed non primum. 269

Respond. quod in eo casu destructio sanguinum vtique fuisset actio substantialis, positio autem corporis Christi in vtero Virginis esset actio accidentalis terminata ad modum essendi in eo circumscriptiuè, & localiter; sicut modò in nostra sententia desitio panis in Eucharistia est actio substantialis, positio autem corporis Christi sub speciebus est actio accidentalis terminata ad modum essendi eius sacramentalem in Eucharistia. Dices, ergò illa nō esset conceptio, & formatio corporis Christi, sed potius positio quædam in loco. Resp. concedendo non futuram in eo casu conceptionem, & formationem propriè loquendo, vt est de facto, sed diceretur conceptio, & formatio corporis propter locum, in quo fieret, quia fieret in vtero; in quo aliæ conceptiones fieri solent.

Ad Confirmationem Mairon 4. *d.* 10. *q.* 2. asserit etiam in eo casu Virginem dici potuisse Christi Matrem, quia mater administrat tantùm materiam, quam Virgo in casu administrasset, sed non futurum Christum eius filium, quia tota sanguinis substantia fuisset in ipsum transubstantiata, nec fuisset permanens. Sed præterquamquod falsum est Matrem in prolis generatione ministrare tantùm materiam, quia etiam suo modo actiuè concurrit, vt in lib. de Generatione dictum est; si semel conceditur Virginem in eo casu futuram Christi Matrem, concedi etiam necessariò debet eadem ratione Christum futurum eius filium, hoc enim petit natura, & conditio relationum mutuarum, quales sunt Maternitas, & filiatio. Vnde potius ea ratione, qua negat Christum futurum eius filium, etiam negare debebat ipsam futuram Matrem; dùm enim dicit, quod etiam in eo casu materiam administrasset, si materium accipiat propriè pro parte intrinseca compositi, & quæ in composito permaneat, falsum est; & solum impropriè verificari potest accipiendo materiam pro termino corrupto eo modo, quo Sacerdos dicitur in altari materiam administrare, ex qua veluti ex opposito corrupto conficitur corpus Christi in sacramento; ad veram autem maternitatem adminus requiritur, vt materiam administret, ex qua corpus geniti formetur, & quæ in genito, permaneat, velut pars substantiæ ipsius; at tunc sanguines Virginis, vt etiam fatetur Mairon, non minus in substantiam Christi fuissent transubstantiati, quam modò in eandem transubstantietur panis; Melius ergò cum Bassolio, quem etiam sequitur Gauauatius *disputat.* 4. *quæst.* 4. gratis concedendum est in eo casu Beatam Virginem non futuram propriè Christi Matrem, sicut nec eius formatio in vtero fuisset propriè conceptio,

ceptio, & generatio, quia per eam non acciperet esse simpliciter, & primum.

270 Quartò tandem Dicendum est, quod Eucharistia sic ex hypotesi instituta antè Incarnationem factam cum modo naturali esse eiusdem rationis cum Eucharistia, quæ nunc est, & solùm pro connotato differunt. Colligitur ex Scoto *loc. cit. sub E.* & probatur, quia identitas specifica sacramenti deducitur ex identitate signi sensibilis, & rei significatæ; in casu autem posito esset idem signum sensibile scilicet panis, & vinum, idemque significatum: scilicet corpus Christi cum omnibus perfectionibus essentialibus, & accidentalibus absolutis; ergo esset idem sacramentum; Different autem pro connotato, quia transubstantiatio in eo casu connotaret aliam actionem, quam modò non connotat, quia connotaret actionem creatiuam, vel aliam, per quam produceretur corpus Christi simpliciter in existentia substantiali; nunc autem connotat tantùm actionem adductiuam, per quam causatur præsentia Christi ad species, quia supponit Christum simpliciter esse; vndè de facto transubstantiatio est tantùm adductiua, in casu autem posito esset productiua; cæterum neque vna neque altera actio connotata est de ratione intrinseca transubstantiationis, vt præcisè est conuersio substantialis, vt patebit ex infrà dicendis; ideoque manente transubstantiatione eadem pro principali significato, vt dicit conuersionem substantialem, & manentibus eodem signo, & significato, sequitur sacramentum vniformiter se habere.

Dices, ex vi præsentis institutionis Sacerdos non potest consecrare, nisi vt minister Christi, & loquens in nomine Christi; ergo ex vi præsentis institutione prærequiritur Christus existens in rerum natura, vt verba sortiantur effectum, atque ideò vel impossibilis fuit Eucharistiæ institutio antè Incarnationem; vel si possibilis fuit, non esset sacramentum eiusdem rationis cum ea, quæ nunc est. Confirmatur, quia institutio, quæ est de facto, non connotat, neque infert actionem productiuam corporis Christi, qualis esset in eo casu, sed tantùm adductiuam, vt dictum est; ergo non esset eadem, sed diuersa institutio, variata autem institutione variatur etiam institutum, & ipsum sacramentum. Denique tunc non potuisset repræsentare mortem Christi, sicut modò, ergo non esset idem.

271 Respond. negando consequentiam, vt enim esset sacramentum eiusdem rationis cum Eucharistia de facto instituta sufficit, vt supponeretur Deus instituens illa verba sic dicenda, & cum tali pacto, vt ad eorum prolationem Deus faceret corpus Christi primò, & præsens Eucharistiæ, sic enim essent significatiua præsentiæ corporis Christi sub speciebus sicut modò; cætera verò facerent Eucharistiam illam tantùm materialiter diuersam à nostra, non verò formaliter ratione significationis, quia significatum esset idem numero nunc, & tunc; significatio autem à termino significato formaliter specificatur; potuisset itaque Deus instituere, quod Melchisedech diceret super panem verba consecrationis, & in eodem instanti prolationis verborum efficere, quod humanitas Christi acciperet esse simpliciter, essetque Verbo vnita, & constituere corpus Christi sub speciebus sacramentaliter, absque eo, quod alibi habuisset modum essendi in loco naturaliter, quia hæc nullam inuoluunt contradictionem, vt suprà ostensum est. Ad Confirmationem sequitur solùm non esse eandem institutionem extrinsecè, & pro connotato vt suprà dictum est, cum quod stat vt sit eadē intrinsecè, & pro principali significato, quantum enim spectat ad rationem, & essentiam institutionis esset eadem voluntas Dei efficax, & absoluta cooperandi sacramento, & formæ sensibilis verborum, prout significat practicè corpus Christi speciebus præsens; per hanc enim voluntatem determinatur causa principalis ad constituendum Christi corpus speciebus præsens pro vltimo prolationis verborum instanti; quod verò talis præsentia habeatur producendo Christum, vel adducendo, est extrinsecum institutioni, & significationi sacramentali, ac etiam ipsi contento, vt significatum sacramentale est, quia denotat tantùm modum agendi causæ principalis, qui non ingreditur essentiam, aut modum sacramenti, vt hic aduertit Hiqueus in suo Commentario. Ad vltimum negatur consequentia, quia hoc sacramentum non habet ex se significare determinatè mortem Christi, vt præteritam, nam in vltima Cœna habuit totam rationem, & significationem, quam modò habet, & tamen Christi mortem non significauit, vt præteritam; quarè ex se solùm habet significare mortem Christi, tali tempore exercitam, præscindendo ab eo, quod sit præterita, vel futura, & ideò etiam eodem modo antè Incarnationem mortem Christi significare potuisset, vt benè discurrit Card. de Lugo *disp. 5. sect. 8.*

QVÆSTIO DVODECIMA.

An Corpus, & sanguis Christi ponantur sub speciebus panis, & vini per veram, & propriam conuersionem substantialem, quæ sit Transubstantiatio.

HOc sacrum mysterium perficitur conuersione totius substātiæ panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi Domini, vt de fide definitum est in Concilijs Romanis sub Gregorio VII. & Nicolao III. Lateranensi sub Innocentio III. Constantiensi, sess. 8. & Trident. sess. 13. cap. 4. & can. 2. vbi eam propriè, & aptissimè Transubstantiationem appellat, contrà Hæreticos, tam Caluinistas negantes prorsus realem præsentiam Christi sub speciebus, sine qua non posset esse huiusmodi conuersio, quàm Lutheranos, qui licet admittant realem præsentiam Christi sub speciebus, adhuc tamen putant manere simul sub speciebus substantiam panis, ideoque actionem illam, per quam ponuntur sub speciebus consecratis corpus, & sanguis Christi, vocant impanationem, non autem Transubstantiationem. Ideò in præsenti quæstione explananda est Transubstantiationis huius admirabilis natura, in quo tota huius altissimi mysterij consistit difficultas; Sed quoniam Transubstantiatio species est conuersionis, omnis enim transubstantiatio est conuersio, non è contrà, cùmque nequeat perfectè speciei natura intelligi, & explicari, nisi prius intellecto genere; ideò prius erit in præsenti explicanda conuersionis natura, quæ genus est ad Transubstantiationem, vt ait *Scot. 4. d. 11. quæst. 1. F. & quæst. 2.* per totam. 272

Hic autem aduertendum est cum Scoto *quol. 10.* ab initio & iam notauimus *disput. 5. de Gener. & Corrupt. quæst. 1. art. 2. num. 314.* conuersionem in communi primò diuidi in accidentalem, & substantialem; prima est, quæ versatur inter terminos accidentales, & fit transitus de vno in aliud accidens, vt cùm frigidum conuertitur in calidum, vel contrà; Secunda est, quæ versatur inter terminos substantiales, & ex vna substantia fit transitus in aliam, vt cùm aqua fit aer, vel lignum conuertitur in ignem; Et hæc rursus duplex est, alia formalis, & partialis, in qua pars tantùm substantiæ conuertitur in aliam partem substantiæ manente subiecto communi sub eo transitu, vt cùm forma ligni conuertitur in formam ignis, quæ transformatio dicitur, quia versatur inter formas; Alia verò totalis, in qua tota substantia secundum omnes suas partes in aliam substantiam conuertitur, & hæc adhuc propriè dicitur conuersio, conuersio enim, vt sic, importat solam terminorum habitudinem abstrahendo à subiecto, vt ait Doctor *4. dist. 11. quæst. 3.* cuius nullum habere possumus in natura exemplum, quia nullum agens naturale agere potest, nisi dependenter à materia, quæ est pars substantialis compositi, ideoque conuertere nequit totam substantiam secundum omnes suas partes in aliam substantiam, quia talis actio à materia non dependeret; & hæc conuersio totalis propriè appellatur Transubstantiatio, hoc est, transitus totius vnius substantiæ in totam aliam substantiam; & talis interuenit in Sacramento Eucharistiæ, in quo tota substantia panis transit in corpus, & tota substantia vini in sanguinem Christi; Itaque hic discutiendum est, quæ & quot requirantur ad talem conuersionem substantialem. 273

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæ, & quot ad veram Conuersionem requirantur.

PRimo itaque, vt à facilioribus, & communiter concessis exordiamur, ad veram, & realem conuersionem requiritur, vt fit inter duos terminos positiuos, quorum vnus habeat rationem termini à quo, alter termini 274

mini

mini ad quem. Hic est communis omnium sensus, per hoc enim omnes passim secernunt conuersionem à simplici productione, seù creatione, & à simplici desitione, seù annihilatione, nam in creatione est quidem terminus positiuus, qui incipit, non tamen positiuus, qui desinit: & è contrario in annihilatione est terminus positiuus, qui desinit, non tamen alius, qui incipit: vterque autem requiritur in conuersione; & ità ad verbum docet etiam Doctor *4. dist. 11. quæst. 3. lit. N.* vbi ait, quod ipsa est inter terminos positiuos, ita quod nec est creatio, nec destructio tantùm, & transubstantiationem inquit esse inter terminos positiuos, qui sint substantiæ, quandoquidem superius q. 1. eam definierat esse transitum substantiæ in substantiam; Et hoc denique patet ex definitione ipsius Conuersionis iam assignatæ, quod si transitus vnius rei in aliam, per hoc enim distinguitur à creatione, quæ habet pro termino à quo negationem; & ab annihilatione, cuius terminus ad quem similiter est negatio; conuersio igitur inter duos terminos positiuos versari debet.

275 Ex qua prima conditione ad veram, & realem conuersionem requisita breuiter resolui potest illa difficultas, quam tractat Doctor *4. dist. 11. quæst. 4. §. Ad quæstionem*, & de qua Scholastici passim tot implent paginas, cùm tamen non sit, nisi pura quæstio de nomine; An per transubstantiationem vel conuersionem annihiletur panis in Eucharistia, eo quod post consecrationem nihil panis manet neq; quoad formam, neque quoad materiam, sed totum esse substantiale panis destruitur; Ex hac inquam, prima conditione deducitur, panem hac conuersione non annihilari, quia terminus per se huius conuersionis non est nihil, sed aliquid nempè corpus Christi, ergò hæc conuersio non est annihilatio, cuius terminus est nihil: antecedens patet ex modò dictis, quia hæc conuersio inter terminos positiuos versatur, cùm sit transitus quidam totalis à substantia panis ad substantiam corporis Christi; & hoc etiam non obscurè deducitur ex Scoto *loc. cit. lit. K.* vbi inquit; quod licet etiam concederetur desitionem panis secundum se consideratam esse annihilationem, adhuc tamen ista conuersio nullo modo est annihilatio, nec per eam dici potest panem annihilari, sed in aliud conuerti, scilicet in corpus Christi ibi succedens ad eius desitionem. Est autem hæc quæstio de nomine, vt dicebam, quia si per annihilationem panis, nil aliud intelligatur, quàm quod ità desinat, vt nihil eius intrinsecum, nec vlla pars eius maneat, in hoc sensu vtique dici potest annihilari, quia nihil eius substantiale manet; Si verò per annihilationem intelligatur, quod ità desinat secundum omnia ad ipsum spectantia, vt neque accidentia eius maneant, aut ità, vt neque in aliud conuertatur, vt communiter sumitur annihilationis nomen; in hoc planè sensu, qui est magis proprius, certum esse debet non annihilari, non solum, quia eius accidentia manent, sed præsertim quia substantia panis conuertitur in corpus Christi, nec desinit in purum nihil.

276 Petes, an saltem desitio panis secundum se considerata dici possit annihilatio; Scotistæ passim affirmant cum Scoto loc. cit. quod si transitus panis ab esse ad non esse secundum suam naturam, & intrinsecos, ac proprios terminos consideretur seclusis ijs, quæ ei per accidens coniunguntur, est annihilatio; quia transit panis ab esse simpliciter ad non esse, itaut nihil eius maneat; ergò talis desitio secundum se considerata est verè annihilatio, quia illa negatio, ad quam terminatur ille transitus panis, est negatio extrà genus, quæ est terminus ad quem annihilationis, sicut est terminus à quo creationis. Nec iuuat dicere illam negationem terminare illum transitum in disparato aliquo, scilicet in corpore Christi; quia positio corporis Christi cum speciebus de per accidens coniungitur cum huiusmodi transitu, & mutatione; ergo si secundum se est annihilatio, etiam cum coniunctione eius annihilatio erit, quia quod est per accidens non variat, id, quod rei per se conuenit, ità præsertim discurrit Rada *contr. 7. art. 3. conclus. 7.* & est ratio ipsius Doctoris *loc. cit. lit. C.* quam dicit esse omnibus vrgentiorem, & ob quam Scotistæ nonnulli partem affirmatiuam omninò defendunt, præsertim verò Gauatius *disp. 3. quæst. 6. cap. 2.* vbi dicit, quod licet maior pars Scotistarum opinetur Scotum in hac re problematicum fuisse, id ex eo prouenit, quia non distinxerunt inter desitionem, & conuersionem panis, quæ duo si distinxissent, vt facere debebant, nunquam negassent desitionem panis secundum se consideratam verè, & propriè annihilationem esse dicendam.

277 Verùm omninò negari nequit Scotum in hac re problematicum fuisse, siquidem *loc. cit. lit. D.* expressè, & ex instituto assignat modum, quo defendi possit desitionem panis non esse annihilationem, quia nimirum terminus annihilationis debet esse omninò purum nihil, hoc est, negatio extrà genus, scilicet extrà omne positiuum, siuè hoc sit subiectum, quod dicatur priuatum secundum illam negationem, siuè disparatum, quod includat illam negationem; in proposito autem negatio existentiæ panis est hic per se terminus desitionis, vt includitur in termino positiuo succedente, & ideò desitio panis non potest propriè dici annihilatio, de cuius ratione est, quod ad negationem extrà genus terminetur hoc est, ad negationem, quæ in nullo positiuo saluetur; Et quando dicitur per accidens esse, quod cum ista desitione panis concurrat positio corporis Christi sub eisdem accidentibus, posset enim primum separari à secundo. Estò Doctor hanc rationem existimet cæteris vrgentiorem pro alia problematis parte, non tamen dicit omninò conuincere; commodè enim dissolui potest dicendo, quod estò ex natura rei, & absolutè loquendo hæc duo non sint connexa, vt ad desitionem panis sequatur positio Christi sub eius accidentibus: de facto tamen hic ordo est statutus à Deo, vt ex vi desitionis panis incipiat esse corpus Christi sub eius accidentibus, & vt cum desitione panis, & vini coniunctum sit corpus, & sanguis Christi; vndè sicut ordo formæ ad subiectum, in quo naturaliter desinit, impedit quod eius desitio sit annihilatio, ità ordo corporis ad panem, vel sanguinis ad vinum, licet ex natura rei, & absolutè loquendo sit contingens; de facto tamen stante tali ordinatione, quod incipiat hic esse corpus Christi ex vi desitionis panis, potest aliquo modo dici per se, & impedire, quin panis, & vini desitio sit annihilatio.

Confirmatur, quia vt notat Hiqueus *distinct. 11. quæst. 4.* in fine, panis substantia desinit esse ex vi conuersionis, & non per annihilationem, vt fatetur Doctor in secunda conclusione, & consequenter negatio simpliciter essendi non inducitur per se primo, vt in annihilatione contingit, sed vt includitur in negatione, quæ afficit terminum ad quem, vt incompossibilem termino à quo conuersionis; ad annihilationem autem requiritur, vt talis negatio simpliciter inducatur primò, & per se, vt abstrahit ab omni subiecto etiam disparato, quod non inuenitur in proposito; Vndè etiam Hiqueus ibi concludit hanc quæstionem reduci tandem ad quæstionem de nomine quid nimirum importet desitio rei, quæ dicitur annihilatio; si enim extendatur ad significandam omnem desitionem totius quoad se, & inclusa, quomodocunque hæc succedat, sic desitio panis in Eucharistia vtique annihilatio dici potest, quia nihil omninò eius substantiæ manet; si verò sumatur pro tali desitione, cuius terminus est purum nihil, & negatio extrà genus, hoc est, extrà omne positiuum, siuè subiectum, quod dicatur priuatum secundum illam negationem, siuè disparatum, quod includat illam negationem, vt in rigore accipienda est ex Scoto *loc. cit. lit. D.* desitio panis in Eucharistia annihilatio dici nequit, quia negatio existentiæ panis non inducitur per se primò, nec est extrà omne subiectum, sed afficit terminum ad quem conuersionis, vt incompossibilis est termino à quo.

Et hanc eandem doctrinam affert Doctor in Reportatis 278
distinct. 11. quæst. 4. in corpore quæstionis, vbi dicit quod substantia panis non annihilatur, & quod eius desitio non est annihilatio quia creatio, & annihilatio sunt per se oppositæ versiones; igitur idem est terminus à quo vnius, & ad quem alterius; sed terminus à quo creationis est nihil, hoc est non est aliquis terminus positiuus corruptus, sed negatio mera extrà genus; igitur terminus ad quem annihilationis erit omninò non ens, vt est negatio extrà genus: sed negatio panis in conuersione est negatio in corpore Christi, & non omninò extrà genus; ità discurrit Doctor ibidem; per quam doctrinam solui possunt quæcunque afferri solent à Scotistis pro alia problematis parte: quam etiam fateor posse probabiliter defendi, quia adhuc per eam optimè saluantur omnia, quæ de hoc sacramento fides docet; licet enim dicat panem annihilari, cùm desinit: adhuc tamen admittit panem conuerti in corpus, & vinum in sanguinem, asserens metaphysicè loquendo cum conuersione posse stare annihilationem: duplicem enim transitum in pane considerat, quia duplex terminus ad quem ei succedit, vnus negatiuus, & est nihil sui, alius positiuus, & est entitas, vel positio corporis, & sanguinis Christi sub spe-

Auersa, Turrianus, Becanus, & alij cum Scoto 4. *distinct.* 11. *quæst.* 3. *ad* 1. *prin.* & *quol.* 10. H. & I. quibus in locis transubstantiationem totalem diuidit tanquam genus in tres species, scilicet in productiuam, conseruatiuam, & adductiuam, seu translatiuam; Transubstãtiatio productiua est, qua vna substantia totaliter desinit esse, & in aliam conuertitur sibi succedentem secundum nouum esse simpliciter; Conseruatiua verò est, qua vna substantia desinit esse, & in aliam conuertitur sibi succedentem, non quoad nouum esse simpliciter, sed quoad idem esse præhabitum, conseruatam tamen ex vi desitionis alterius, vt explicat Doctor quol. cit. sub L. eo nimirum modo, quo vermis desinens verè diceretur in Solem substantialiter conuersus, & Sol verè diceretur illi succedere in esse, si Deus prosequatur Solem conseruare in esse ex vi desitionis vermis, aliàs ipsum non conseruaturus; hoc enim modo potest vtique aliquid conuerti in præexistens, & admitti transubstantiatio in illud, non quidem per modum nouæ productionis, sed nouæ conseruationis in sensu explicato. Transubstantiatio tandem adductiua, seu translatiua est, quia vna substantia desinit esse, & conuertitur in aliam sibi succedentem, non secundum nouum esse simpliciter, sed secundum nouam præsentiam, vt dicemus de transubstantiatione panis in Eucharistia; Terminus ergo transubstantiationis, vt sic, est substantia absolutè, & secundum se considerata, quatenus abstrahit ab inceptione simpliciter, à conseruatione, & ab accessu, & per has diuersas rationes ad hanc, vel illam speciem determinatur; & riquiritur, vt terminus ad quem incipiat esse simpliciter, si fuerit productiua; vel vt de nouo conseruetur per habitudinem ad terminum à quo, si est conseruatiua: vel tandem, vt ex vi desitionis termini à quo incipiat esse de nouo, vbi anteà non erat, si sit adductiua, vel translatiua.

Et quidem, quod ad veram, & realem conuersionem, vt sic, non requiratur, quod terminus ad quem incipiat esse simpliciter, probari potest tam ex conuersione substantiali partiali, quàm ex accidentali; ex prima quidem, quia de facto dùm modo nutritur, verè dicitur alimentum conuerti in substantiam ipsius aliti, licet animam non fiat de nouo secundum substantiam, sed tantùm de nouo vniatur materiæ; igitur in conuersione substantiali non semper requiritur, vt terminus ad quem producatur, sed sufficit, vt tantùm succedat in munus termini à quo; Hoc idem probatur de accidentali, si enim ponatur casus, quod Deus aliquam qualitatem v. g. albedinem per se, & solitariè existentem producat sine subiecto, & postea eam ponat in subiecto nigro auferendo nigredinem ab illo; planè subiectum illud nigrum verè dicitur in album conuerti, & tamen albedo, quæ est terminus istius conuersionis, non producitur de nouo simpliciter, sed tantùm succedit in eodem subiecto in minus termini à quo, scilicet nigredinis; non ergò est de ratione termini ad quem conuersionis, vt sic, quod accipiat esse simpliciter ex vi desitionis termini à quo; sed sufficit, vt illi succedat, & aliquo modo vices, & munus illius gerat, siuè producatur secundum esse simpliciter, siuè non, vt magis infrà patebit explicando conuersionem panis in corpus Christi in Eucharistiæ Sacramento.

284 Ad rationem oppositæ sententiæ negatur paritas ex iam dictis *num.* 281. & ratio discriminis inter terminum à quo, & ad quem iam assignata est *disput.* 11. *Phys. cit. quæst.* 9. *numer.* 141. quia terminus à quo est ille, qui denominatur conuersus, & per consequens desinens in aliud; atque ideò ex parte eius requiritur desitio simpliciter: at verò terminus ad quem solùm denominatur per conuersionem succedens termino à quo; ad hoc autem non est necesse, quod incipiat habere esse de nouo, sed solùm, quod succedat termino à quo ex vi desitionis illius, quomodocunque succedat; vndè etiam ibi diximus transmutationem substantialem in hoc præsertim a transubstantiatione differre, quod illa à termino ad quem præcipuè specificatur, & denominatur, hæc verò a termino à quo; nam de termino à quo in recto dicitur conuerti in aliud, non autem de termino ad quem, vndè maior mutatio intelligitur requiri in termino à quo, quàm in termino ad quem, ideoque magis ex parte illius ratio conuersionis attendi debet; adhuc tamen etiam ex parte termini ad quem dicimus esse conuersionem substantialem, quia terminus, in quem fit conuersio, verè est substantia, licet non de nouo producatur, sed tantum de nouo conseruetur, vel adducatur ex vi desitionis termini à quo. Ad Conf. iam diximus *disput.* 11. *Phys. loc. cit.* quod sicut in transmutatione distinguitur actio transmutatiua ab ipsa transmutatione, quia transmutatio intrinsecè solùm respicit subiectum formam, & priuationem, non autem agens; ità & in transubstantiatione, vel conuersionis vnius substantiæ in aliam actio conuersiua ab ipsa conuersione distingui debet; conuersio enim intrinsecè respicit solùm substantiam desinentem, vt terminum à quo, & succedentem ex vi desitionis illius, vt terminum ad quem non autem agens; quamuis igitur conuersio vnius substantiæ in aliam verè substantialis dicatur, quia inter substantias versatur, & vna desinit simpliciter, vt terminus à quo, & alia succedit vt terminus ad quem ex vi desitionis illius; actio tamen siuè productio, quæ ibi interuenit, non est semper substantialis, sed tantùm quando transubstantiatio est productiua, & terminus eius ad quem accipit esse simpliciter: Gattatius *disp.* 3. *quæst.* 4. *cap.* 2. in resolutione huius argumenti actionem conuersiuam ab ipsa conuersione non distinguit, ideoque sicut conuersio ipsa est substantialis, ità etiam concedit actionem conuersiuam semper esse substantialem, quia ad id sufficit, quod termini conuersionis sint substantiæ, & substantialiter conuertuntur, licet id quod per eam producitur, sit accidens. Verum id probat tantùm conuersionem inter substantias semper esse substantialem, non autem actionem ipsam conuersiuam, quæ præcipuè termino producto denominatur; quarè melius est distinguere actionem conuersiuam ab ipsa conuersione, sicut actio transmutatiua distinguitur ab ipsa transmutatione, & dicere conuersionem inter substantias modo iam explicato vtique semper esse substantialem, non tamen semper actionem conuersiuam esse substantialem, nisi quando conuersio fuerit productiua, aut etiam conseruatiua, vt adhuc magis patebit art. seq. *num.* 303. vbi declarabitur, quo sensu etiam possit dici substantialis quando est adductiua.

Quartò ad veram conuersionem requiritur, vt inter desitionem termini à quo, & positionem termini ad quem sit aliqua connexio, seu ordo, itaut vna ex altera aliquo modo sequatur; Ita passim docent omnes, & ex Scoto colligitur *loc. cit. dist.* 11. *quæst.* 1. *in fine*, & hoc ipsum suadet ipsum conuersionis nomen, transire enim vnum in aliud est hoc incipere, quando illud desinit, & quia illud desinit: & si non ordinarentur adinuicem huiusmodi partiales mutationes conuersionem integrantes, vna non haberet rationem termini à quo, & alia rationem termini ad quem, & sic quando desinit formica, vel lapis, si tunc crearetur Angelus, possent dici formica, vel lapis in Angelum conuersi; requiritur ergo vt res quæ recedit, & desinit, recedat & desinat ex vi introductionis, & inceptionis alterius, & quæ accedit, & incipit, incipiat & accedat ex vi desitionis alterius. 285

Sed adhuc est difficultas, an hęc connexio debeat esse physica, & ex natura rei, an sufficiat etiam si sit tantum moralis: & quidem talem connexionem esse debere physicam affirmant Recentiores quamplures Auersa, Meratius, Pasqualigus, Morandus, & alij, talem nimirum, vt desitio vnius sit eo quod ità petat positio alterius, & non tantum per accidens, & concomitanter coniunguntur, sicut dùm lignum conuertitur in ignem, ex natura talis actionis fit, quod adueniente forma ignis desinat forma ligni, nec sufficit connexio moralis ex intentione operantis; & ratio potissima est, quia si inter terminum à quo, & ad quem satis est incompossibilitas moralis: ergò terminus à quo non desinet ex vi positionis termini ad quem, sed ex vi decreti Dei nolentis vtrumq; conseruare.

Dicendum tamen est sufficere moralem connexionem; ità colligitur ex Scoto *distinct.* 11. *quæst.* 1. *cit.* F. & *quol.* 10. *lit.* P. vt Gattatius aduertit *loc. cit.* & probatur, quia talis connexio moralis satis est, vt positio vnius dicatur esse causa desitionis alterius, & è contra, & non se habeant merè concomitanter supposito enim, quod nolit agens vnam formam introducere, nisi prius alia expellatur, etiamsi non sint ex natura sua repugnantes, stat quod positio vnius sit causa desitionis alterius. Hoc idem tenet Card. de Lugo *disp.* 7. *sec.* 7. *numer.* 118. vbi licet de facto concedat dari connexionem physicam inter desitionem panis, & positionem corporis Christi in Eucharistia; subdit tamen hanc conditionem ad quamlibet conuersionem vnius in aliud non esse necessariam, quia si Canonicus fiat Monacus, dicitur simpliciter in Monacum conuerti, & Canonicatum mutari in Monachismum, licet ex natura rei non repugnent simul in eodem homines Canonicatus, & Status Regularis, sed solum moraliter ex decreto Pontificis nolentis durare Canonicatum in Mona- 286

Monaco. Hoc etiam concedit Bernal *disput*.35. *sec*.2. §.3. vbi inquit, quod etiam in Eucharistia fiet sufficienter conuersio panis in Christi corpus, si adueniente Christi corpore Deus mera sua voluntate, & institutione destruat panem, & adueniente sanguine destruat vinum, quia ad conuersionem sufficit etiam sola moralis oppositio inter terminum à quo, & terminum ad quem; gratia enim cum peccato habituali non pugnat ex natura rei, sed ex lege Dei, præsertim in sententia nostra, quam Auctoriste sequitur, & nihilominus quando Deus gratiam sanctificantem infundit in animam peccatoris, dicitur peccatorem in virum sanctum, & iustum conuertere.

Ad rationem oppositæ sententiæ dicendum est cum Lugo *loc. cit.* quod licet terminus à quo physicè non desineret ex vi termini ad quem, desineret tamen moraliter, quia terminus ad quem, vt introductus, esset causa moralis expulsionis alterius; vndè sicut sacramenta, quamuis solùm moraliter causent gratiam, adhuc tamen simpliciter, & propriè eam causare dicuntur; ità etiam in proposito adhuc terminus ad quem diceretur propriè & simpliciter terminum à quo expellere, licet non physicè, sed moraliter; nec enim discrimen aliquod probabile afferri potest, cur causa moralis dicatur simpliciter causa, & non dicatur simpliciter alium terminum expellere; quarè concludendum est ad veram conuersionem sufficere moralem solam connexionem inter desitionem termini à quo, & positionem termini ad quem.

387 Quintò tandem communiter requirunt ad veram conuersionem, quod detur aliquid commune vtrique termino à quo, & ad quem, quod idem perseueret cum vtroque, & in ordine ad quod vterque terminus repugnet; sic enim contingere videmus in omnibus conuersionibus, quas experimur, nam forma ligni, & ignis pugnant in ordine ad eandem materiam, quæ manet sub vtraque calor, & frigus in ordine ad idem subiectum, corpus Christi, & substantia panis versantur circa eadem accidentia, & sic de alijs; ità Card. de Lugo, Morandus, Coninch. Pasqualigus, Auersa, qui dicit hunc esse communem omnium sensum. Ratio huius conditionis est apud præfatos Auctores, quia eo ipso, quod vnum conuertatur in aliud, dicitur vnum fieri ex alio, & vnum terminum formalem succedere alteri, & poni loco alterius, & supplere vicem illius; supplere autem debet esse in ordine ad aliquod tertium, cui deest terminus à quo, & cui aduenit terminus ad quem in aliquo munere, quod prior terminus exercebat circà aliquod tertium, quod idem munus exercet terminus adueniens. Confirmatur, quia de ratione conuersionis est, vt terminus à quo incompossibiliter se habeat cum termino ad quem; hoc autem saluari non potest, nisi in ordine ad aliquod tertium vtrique termino commune, quod de termino à quo ponatur in termino ad quem, siquidem repugnantia exerceri non potest, nisi circà aliquod tertium, respectu cuius incompossibiliter se habeant. Hoc idem tenet Brancatus ex nostris *disput*. 20. *art*. 2.*concl*.6. vbi ait ad quamlibet transubstantiationem requiri aliquo commune vtrique termino saltem accidentale, seu aliquod commune accidens, quod sub vtroque termino perseueret, saltem localis continentia, seù superficies continens; si enim aliquod commune non assignetur, dici poterit, quod dùm aliquid destruitur Romæ, & aliud producitur Venetijs, illud transubstantietur in hoc, quod est falsum; at si vnum succedat alteri saltem in loco, verè dici poterit vnum in aliud transubstantiari, alioquin innotescere non potest, in quo succedunt, & quomodo; sic etiam discurrit Caspensis *tract*.22. *disput*.4.*sec*.1. vbi ait in omni conuersione requiri, quod terminus ad quem sit in eodem loco, in quo erat anteà terminus à quo, non sumendo in rigore hoc, quod est esse in loco, sed latè pro eo quod est esse, vbi anteà erat terminus à quo secundum aliquem modum præsentiæ ad illum locum.

288 Dicendum tamen est ad conuersionem substantialem totalem non semper esse necessarium aliquid commune vtrique termino, respectu cuius tam id, quod desinit, quàm id quod producitur, vel adducitur, vel conseruatur sibi mutuò succedunt. Ità Doctor *quol*. 10. vt etiam Gauatius aduertit *loc. citat*. quia non minus esset conuersio substantialis, inquit Doctor, si cum substantia panis etiam accidentia conuerterentur in corpus Christi, quàm modò; quamuis enim modò in Eucharistia remaneant eadem panis accidentia, non tamen ob id dicitur panis in corpus Christi conuerti, neque est conditio ad id necessario requisita, sed omninò concomitanter, & per accidens ad conuersionem se habet, cùm potius conuersioni totali repugnare videatur; quod enim totaliter dicitur in aliud conuerti, non potest secundum aliquid sui manere in illo, in quod conuertitur, nam in conuersione totali terminus ad quem debet totaliter desinere, alioquin non totaliter transiret in aliud, si secundum aliquid sui maneret in illo. Neque etiam necessariò requiritur identitatis loci itaut ex vi conuersionis terminus ad quem sit in eodem loco, in quo anteà erat terminus à quo, & quando id fortè veritatem habere possit in transubstantiatione adductiua, vel translatiua, nequaquam tamen verificatur in productiua, vel conseruatiua; transubstantiatio enim productiua est, qua vna substantia totaliter desinit esse, & conuertitur in aliam sibi succedentem secundum nouum esse simpliciter, siuè succedat ei in eodem loco, siuè in alio; Hoc etiam patet in conuersione, vel transubstantiatione conseruatiua, etenim vt ait Doctor *quol*.10.*cit.sub L.* vermis desinens verè diceretur in Solem substantialiter conuersus, & Sol verè diceretur illi succedere in esse, vt etiam Aretinus aduertit 4.*d*.11.*quæst*.3.*art*.7. si Deus prosequatur Solem conseruare in esse ex vi desitionis vermis, aliàs ipsum non conseruaturus, hoc enim modo potest aliquid conuerti in præexistens, vt omnes concedunt, licet ei non succedat in eodem loco.

Hoc idem latè probat Rada *controu*.6. *art*.3. ex Scoto 4. *d*.10.*quæst*.3.& *d*.11.*quæst*.2. vbi docet, quod ex vi conuersionis terminus ad quem non necessariò ponitur, vbi erat terminus à quo, vndè si præcisè consideremus conuersionem panis in corpus Christi, ex vi eius non ponitur sub accidentibus panis, quia fieri posset illa conuersio in Angelum in Cœlo de nouo productum; si verò consideretur, quatenus sacramentalis est, ponitur necessariò corpus Christi sub accidentibus panis, quia habet annexam aliam mutationem, qua de non præsente fit præsens; qua ratione posteà docet Doctor loc.cit. vt posteà dicemus, terminum formalem transubstantiationis esse substantiam corporis Christi secundum suum esse substantiale antiquum, relationem verò præsentialitatis esse terminum concomitantem, & ità prægnantibus verbis docet *quol*. 10.*sub N.* vbi inquit, quod nunc substantia corporis Christi est per se terminus transubstantiationis, licet concomitetur præsentia illa, qua de nouo est præsens speciebus panis, vndè concludit, quod sine tali præsentia posset corpus Christi esse terminus conuersionis, & cum tali præsentia posset etiam esse panis non conuersus, in casu nimirum, quod corpus Christi fieret præsens speciebus permanente substantia panis, quod etiam fieri potuisse dicemus infrà cum eodem Doctore; interim de hoc videatur Rada *loc.cit.art*.3. vbi ex instituto hanc quæstionem pertractat, an ex vi conuersionis sit terminus ad quem, vbi præfuit terminus à quo.

Nec rationes in oppositum vrgent, dùm enim inductio- 289
ne probatur in omnibus conuersionibus, quæ verè conuersiones sunt, reperiri aliquod vtrique extremo commune, exempla illa procedunt de conuersionibus partialibus, in quibus vtique remanet vtique aliquid vtriq; termino commune, non autem de totabilibus qualis est conuersio Eucharistica; & quamuis in ea quoque eadem remaneant accidentia, hoc tamen merè per accidens, & concomitanter se habet ad rationem conuersionis, si enim cum substantia panis accidentia quoque desinerent, & ex vi talis desitionis corpus Christi succederet non minus diceretur panis in corpus Christi conuersus, quàm nunc. Ad aliam rationem dicendum est propriè, & in rigore loquendo assumptum illud in conuersionibus partialibus verificari, in quibus semper aliquod commune remanet vtique termino, non autem in conuersionibus totalibus; qua de causa inquit Doctor *dist*.11.*quæst*.5. quod quamuis in aliquo sensu modus ille loquendi concedi possit, quod ex pane, vel de pane fit corpus Christi; propriè tamen loquendo dicendum est, panem conuerti, siuè transire in corpus Christi, quia ex tali modo loquendi non denotatur aliquid commune manere vtrique termino, sed vnum alteri succedere ex vi desitionis illud, siuè remaneat aliquid commune, siuè non.

Ad Confirmationem inquit Doctor *d*.11. *q*.1. in solutione ad 3. maiorem verificari in mutatione propriè dicta, quia succedit in eodem susceptiuo oppositum post oppositum, est enim ibi transitus partialis, scilicet, formæ in oppositum

tum eodem subiecto manente, & ideò ibi termini illi primi sunt incompossibiles; sed non est ità in proposita de conuersione totali, vbi non est mutatio propriè dicta, sufficit enim ibi, quod esse huius termini, & illius sit repugnantia disparatè, & in ordine ad agens, qui vnum destruit ad positionem alterius, licet absolutè loquendo possint simul se compati in entitate.

Ad vltimum gratis concedo, quod Romæ destruitur transubstantiari, in illud quod Venetijs producitur, si hoc producitur ex vi desitionis illius, vt patet ex dictis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Explicatur natura Transubstantiationis panis in corpus Christi, & quis sit illius terminus formalis.

290 EXaminatis ijs, quæ ad veram conuersionem in communi spectant, examinanda nunc est natura conuersionis Eucharisticè, quæ est species illius: in qua ardua difficultate plures sunt sententiæ, quæ tamen omnes ad tres præcipuas classes reduci possunt, vt hic Gauatius aduertit; sicut enim tres possunt assignari Transubstantiationis species, scilicet, productiua, conuersatiua, & adductiua, vt iam diximus suprà *num.* 283. ità etiam variæ de hac re sententiæ ad hæc tria capita reducuntur, nam plures Theologi hanc transubstantiationem ponunt productiuam, alij verò conseruatiuam, & alij tandem adductiuam; licet non adhuc eodem modo Auctores cuiusque classis suam explicent sententiam.

Primæ Classis Auctores, qui hanc Transubstantiationem ponunt productiuam, adhuc inter se discrepant in hac re explicanda, quidam enim asserunt in ea nonam aliquam actionem substantialem interuenire ad ipsam substantiam corporis Christi terminatam, quamuis enim corpus Christi antè verba consecrationis verè, & realiter existat in Cœlo, nihilominus, vt rursus sub speciebus sacramentalibus de nouo verè, & substantialiter existat, necessaria est noua substãtialis reproductio, cùm non possit idem corpus in pluribus locis constitui, nisi per plures, & iteratas sui ipsius reproductiones substãtiales in illis, ità Coninchius, Morisanus, Bernal Morandus, Orlandus, Baldius, Pasqualigus, Arriaga, & alij Recentiores; Fundamentum est, quia hęc conuersio est substantialis, sed actio substantialis ad aliquod substantiale terminari debet, ergò per hanc actionem conuersiuam attingitur aliqua substantia, quæ esse non potest, nisi corpus Christi secundum seipsum.

291 Hic primus dicendi modus duo falsa supponit in Philosophia; primum est eundem effectum duplici actione totali produci posse, quarum quælibet sit sufficiens singillatim sumpta totum suum esse effectui conferre, quod falsum esse iam ostendimus *disp.* 8. *Physic. quæst.* 3. *art.* 2. vbi probauimus id implicare etiam de potentia Dei absoluta, & adhuc magis patet ex dictis *disp.* 5. *de Generat. quæst.* 8. vbi demonstratur rem, quamdiù existit, non posse substantialiter reproduci, qui planè videtur communis omnium sensus, vndè etiam Auctores concedentes posse eiusdem effectus dari plures causas totales, adhuc negant rem, dum existit, posse denuò fieri. Alterum, quod supponitur falsum, est idem corpus non posse in pluribus constitui locis, nisi per replicationem substantialem eiusdem idest iteratam productionem eius in illis pluribus locis; cùm potius id solùm fieri possit, ac debeat per simplicem adductionem producendo plura Vbi in eadem re, & eam accidentaliter replicando in pluribus locis, vt latè ostensum est *disp.* 11. *Phys. quæst.* 9. vbi etiam Aduersariorum euasiones præclusimus, & reprobauimus, de duplici productione prima, & secunda, & pariter de duplici esse substantiali primo, & secundo, tanquam omninò fictitias, & implicantes. Quarè nullo modo in hoc sensu admitti potest transubstantiationẽ Eucharistiæ esse productiuam, vt docet Scotus *distinct.* 11. *quæst.* 3. *N. quodl.* 18. *H.* etiam adnotauimus *disput.* 5. *cit. de Generat. quæst.* 8. vbi etiam diximus plura quoque absurda sequi in Theologia ex hac sententia, quod Christus ponatur in Eucharistia per modum nouæ productionis; sequitur enim, quod quotidiè renouaretur Christi Incarnatio, & nouo modo, quàm olim facta fuerit in vtero Virginis; Item, quod Christus, vt est in hostia non esset Filius B. Virgini, quia ad talem substantialem reproductionem ipsa nullo modo concurreret, & tandem, quod in dies Christum destrueremus, imò & annihilaremus, si corruptis speciebus sacramentalibus substantialiter desinit, ac etiam alia sequerentur absurda, vt latè prosequitur Camerarius *part.* 2. *disp. Phys. quæst.* 20. ad quem ibi lectorem remisimus. Insuper ex alio quoque capite id repugnat; etenim specialiter impossibie reputatur actionem creatiuam exerceri aliquo instrumento creato, vt iam diximus *lib.* 2. *disp.* 1. *quæst.* 1. actio autem illa, per quam Christi substantia de nouo fieret, esset suastantialiter creatio, & ad eam actionem instrumentaliter saltem concurret sacerdos verba consecrationis proferens, quia Conc. Trid. *sess.* 13. *cap.* 4. & Patres docent per consecrationem idest verborum prolationem fieri conuersionem; Quo autem pacto conuersio Eucharistica, etiamsi non de nouo ibi producatur substantia Christi, adhuc dici possit, & debeat substantialis, iam suprà explicatum est *art. præced. numer.* 284. & adhuc magis explicabitur inferiù *numer.* 303.

Alij proindè Auctores huius primæ classis hanc Eucharisticam conuersionem affirmant dici debere transubstantiationem productiuam, non quia per ipsam corpus Christi substantialiter producatur, sed quatenus per illam producitur vnio corporis Christi ad species sacramentales, quam vnionem dicunt esse modum quendam substantialem in corpore Christi, quo supplet vicem substantiæ panis sustentando accidentia eo modo, quo substantia panis illa sustẽtabat, seclusa tamen inhærentia: cum quo dicendi modo coincidit alter plurium Recentiorem dicentium terminum transubstantiationis esse corpus Christi, quatenus supplet vicem substantiæ panis, & vini sustentando accidentia, quod est munus substantiale; Vndè dicunt substantiã corporis Christi præcisè sumptam non esse terminum formalem transubstantiationis, sed vt habet modum quendam substantialem, scilicet sustentare species sacramentales gerendo officium panis, quod de nouo acquirit per actionem sacramentalem; vndè totum hoc, scilicet substantia corporis Christi sustentans species vice panis est integer, & formalis terminus transubstantiationis, & actionis sacramentalis; ità Valentia, Caspensis, Amicus, Lugus, Meracius, Monceus, & alij Recentiores, quamuis in modo declarandi adhuc aliquantulũ differant; Lugus enim contendit corpus Christi sustentare, & conseruare accidentia panis effectiuè, seù in genere causæ efficientis, Amicus verò, & alij volunt hoc munus exercere materialiter, & in genere causæ materialis præcisa imperfectione inhærentiæ. 292

Sed hic quoque dicendi modus in primis falso nititur fundamento, quia vt suprà ostensum est *quæst.* 10. *numer.* 220. in solutione tertiæ difficultatis inter species, & corpus Christi nulla physica intercedit vnio, nec formalis, nec effectiua, sed solùm realis, & inseparabilis præsentia, qua Christus est indissolubiliter præsens speciebus, quæ indissolubilis præsentia non ab aliqua vnione formali physica attendi debet, neque ab aliquo naturali, & necessario vinculo, sed solùm à diuina voluntate, quæ decreuit corpus Christi esse intimè præsens speciebus quousque esse specierum retinent, vt ibi latè probatum est; & accidentia in sacramento altaris non sustentãtur, nec conseruantur immediatè à corpore Christi nec materialiter, nec effectiuè, sed immediatè à Deo in genere causę efficientis, vt ibi etiã declaratum est n. 232. Deindè quando etiam inter species, & corpus Christi talis vnio daretur, adhuc per eam non saluaretur transubstantiatio, quam Concilia, & Patres astruunt in Eucharistia; quia talis vnio non adhuc esset substantialis, omnis enim talis vnio inter substantias versari debet, & ad vnitatem substantialem tendere; huiusmodi autem vnio corporis Christi ad species nec est inter substantias, cum sit substantiæ ad accidentia, nec est ad vnitatem substantialem, quia ex speciebus & corpore Christi vnum per se substantiale non resultat. Et quando etiam esset substantialis, non esset adhuc idoneus transubstantiationis terminus; quia terminus istius non debet esse aliquis modus substantialis, siuè vnio corporis ad species, sed ipsamet substantia corporis Christi, docent enim Concilia, & Patres in hoc sacramento fieri conuersionem totius substantiæ panis, & vini in substantiam corporis, & sanguinis Christi; vt constat ex Trident. *sess.* 13 *cap.* 4. & *can.* 2. 293

Denique probatur vniuersaliter terminum transubstantiationis esse non posse corpus Christi, quatenus supplet vicem substantiæ panis, & vini sustentando accidentia, quod est munus substãtiale; hoc enim munus supplere 294

non

non potest, nec in genere causæ materialis, nec efficientis quod sic euidenter ostendo cum Hiqueo 4. *dist.* 11. *quæst.* 1. quia nihil supplet concursum ad sustentationem accidentis, nisi subiectum, vel causa includens totum genus subiecti in alio genere, vt causa prima; sed corpus Christi, vt contentum sub speciebus, non habet rationem subiecti, itaut possit illas sustentare in genere causæ materialis, & repugnat vt habeat etiam de potentia absoluta eo modo, quo nunc est indiuisibiliter sub illis, quia accidentia extensa nequeunt, vt sic, conuenire subiecto, nisi proportionato, nimirum extenso, quale non est corpus Christi sub illo modo indiuisibiliter existendi; Sed nec etiam potest supplere vices substantiæ in genere causæ efficientis, quia corpus Christi non habet actiuitatem, seu actionem physicam, vt est sub sacramento; sicut enim propter illum modum essendi indiuisibilem nequit esse subiectum respectu actionis agentis naturalis extensi, sic etiam neque habere potest actionem propriam, quæ supponit modum quantitatiuum; neque etiam corpus Christi continet genus subiecti, sicut causa prima, aut supplere potest eius influxum; quia nulla causa in natura includit genus subiecti præter solam primam quantum ad posse supplere eius causalitatem; ergo corpus Christi in nullo genere causæ potest in Eucharistia vices gerere substantiæ panis eius accidentia sustentando, vt latè prosequitur Hiqueus *loc. citat.* vbi etiam aduertit huiusmodi modum substantialem à Recentioribus adinuentum vltra intimam Christi præsentiam sub speciebus ad nihil prorsus deseruire, nisi ad obscurandum hoc mysterium, & difficilius reddendum; difficilius enim percipitur quomodo possit corpus Christi vices substantiæ gerere sustentando eius accidentia absque vlla inhærentia; quàm ipsum corpus poni sub speciebus modo sacramentali, & non circumscriptiuè, quia hoc inuoluit solùm difficultatem illam, quomodo corpus Christi poni possit sub speciebus modo indiuisibili; at modus ille substantialis à Modernis inuentus aliàs ingerit difficultates adeò inextricabiles, vt Aduersarij illas extricare non valentes fateri cogantur talem modum sustentandi accidentia panis in corpore Christi esse ineffabilem, & inexplicabilem, quod vtique ansam præbet Aduersarijs fidei, vt plures fingant impossibilitates huius mysterij; vide Radam *controu.* 7. *art.* 2. *concl.* 6.

295 Alij tandem Auctores huius primæ Classis fatentur vtique in conuersione panis in corpus Christi præfatam actionem substantialem interuenire, cuius terminus sit substantia corporis Christi immediatè sumpta, & non aliquis modus substantialis superadditus, non quia de facto actio illa esse substantiale influat in corpus Christi, sed quia de se efficax est ad illud substantialiter producendum, si alibi non existeret, quod satis esse putant, vt hæc actio adhuc dicatur transubstantiatio; Ità Recentiores aliqui cum Soto 4. *distinct.* 9. *quæst.* 2. *artic.* 4. §. *aliter tamen arguit*, quod suadent exemplo absolutionis sacramentalis, quæ etiam quando actu non confert gratiam, nec remittit peccatum, adhuc simpliciter absolutio dicenda est, quia vim habet remittendi peccatum, quamuis de facto non remittat ob aliquod impedimentum in peccatore repertum, Et in hac opinione etiam Doctorem nostrum fuisse putauit Aretinus 4. *dist.* 11. *quæst.* 3. *artic.* 7. eo quia *quol.* 10. *lit. M.* conuersionem istam dixit esse productiuam æquiualenter, quia ipsa, quantum est ex parte sua sufficeret ad hoc, quod corpus Christi acciperet esse per eam, nisi illud præhaberet.

Hunc dicendi modum reijcit Gauatius *disp.* 3. *quæst.* 4. cit. cum Amico, Caspensi, & alijs Recentioribus, quia hinc sequeretur ex vi verborum consecrationis non fieri actu conuersionem panis in corpus Christi, vt Patres, & Concilia loquuntur; consequentia patet, nam aliud est, causam causare effectum, aliud est habere efficaciam, & virtutem ad illud causandum; primum dicit actualem influxum, secundum verò virtutem duntaxat in actu primo; ergo ad hoc, quod verba consecratoria dicantur actu conuertere, & transubstantiare panem in corpus Christi, necessariò exigitur, vt actu influant in illud; & si actu non influunt, eo quia aliqui præexistit, neque actu conuertunt panem in corpus Christi. Sic etiam arguit Caspensis *disput.* 4. *sec.* 3. quia hic non est sermo de termino, quem posset habere transubstantiatio, sed de termino, quem de facto habet; ergo si de facto hæc actio non influit in esse substantiale corporis Christi; de facto non datur transubstantiatio. Sic tandem arguit etiam Amicus *disputat.* 18. *sec.* 3. quia hæc sententia non assignat terminum ad quem conuersionis actu, sed potentia; conuersio autem cùm sit actualis, requirit terminum ad quem actu.

Hæc tamen ratio, quamuis plausibiliter ab omnibus recepta, non conuincit, quia vt iam notauimus *disput.* 5. *de Generat. quæst.* 8. *cit.* verba consecrationis directè non habent, nisi virtutem verificandi orationem consecratiuam, quam componunt; hæc autem verificatur eo ipso, quod ponitur corpus Christi sub speciebus, siuè id fiat per nouam eius productionem, siuè per simplicem adductionem, quarè indirectè solùm habent verba consecrationis virtutem producendi corpus Christi sub speciebus, quatenus si corpus Christi non esse in rerum natura, ad prolationem verborum produceretur; sed quia modò præexistit, talis virtus impeditur; Et in hoc sensu inquit Doctor *quol.* 10. *cit. M.* conuersionem Eucharisticam dici posse productiuam æquiualenter, quia quantum est ex parte sua, ipsa sufficeret ad hoc, quod terminus acciperet esse per eam, quod si non accipit; ideò est, quia iam præhabet illud esse; Nec satisfacit, quod ait Gauatius *loc. cit.* Doctorem ibi locutum esse de conuersione conseruatiua, quæ vtique dici potest productiua æquiualenter; Nam ibi Doctor absolutè loquitur de conuersione ista, quæ modo datur, siuè sit conseruatiua, siuè adductiua tantùm; nam adductiua quoque in eodem sensu, & eodem modo dici potest productiua æquiualenter; quia vt dicebamus verba consecrationis directè non habent, nisi virtutem verificandi orationem consecratiuam, quam componunt, eo ipso quod corpus Christi ponitur sub speciebus, siuè id fiat per nouam conseruationem, siuè per simplicem adductionem; Ad rationem itaque allatam neganda est consequentia, quod hinc sequatur ex vi verborum non fieri actu conuersionem panis in corpus Christi, nam Doctor ibi supponit de facto per consecrationem fieri conuersionem, vel conseruatiuam, vel adductiuam, & ad istam conuersionem posse dici productiuam æquiualenter, vt patet legenti textum; vndè ex hoc sequitur solùm non fieri conuersionem actu productiuam, quod gratis concedimus, at hinc inferre non licet nullam absolutè fieri conuersionem; sed committitur fallacia arguendo ab inferiori ad superius affirmatiuè, nam esse potest, quod fiat actu conuersio conseruatiua, vel adductiua, quæ non sit productiua, nisi virtualiter, & æquiualenter modo iam explicato; in hoc igitur sensu optimè defendi potest conuersionem Eucharisticam, quæ de facto datur, esse productiuam, non formaliter, & actualiter, sed virtualiter, & æquiualenter; & in hoc sensu etiam defendi potest actionem illam conuersiuam esse substantialem, quatenus quantum est de se, virtutem habet de nouo producendi corpus Christi, si iam non præexisteret. 296

Secundæ Classis Auctores, quorum caput est Suarez *disput.* 50. *sec.* 4. & 6. opinantur substantiam corporis Christi esse terminum formalem huius actionis conuersiuæ, quia verba consecrationis de facto re vera influunt in corpus Christi ipsum esse substantiale, & propterea hæc actio verè est substantialis; quia tamen de facto corpus Christi est præexistens, dicunt talem influxum non habere modum productionis, vel reproductionis, sed solùm conseruationis; & hoc modo etiam posset dici illa actio esse sufficiens productio termini, si alibi non esset, nunc autem de facto habet solùm rationem actionis conseruatiuæ; & hunc etiam dicendi modum, vt de mente Scoti probabilem *quol. citat.* tuentur Aretinus *loc. citat.* & Faber *disputat.* 45. *numer.* 50. & 51. 297

Sed Hunc etiam dicendi modum refellit Gauatius *loc. cit.* vt improbabilem, & à mente Doctoris alienum, tribus rationibus, quæ apud ipsum videri possunt; Sed quamuis commodè defendi nequeat eo modo, quo asseritur à Suarez *loc. citat.* vbi duas admittit actiones totales respectu eiusdem effectus; eo tamen modo, quo insinuatur à Scoto *quol.* 10. *citat. lit. L.* benè defendi potest, vt diximus *disput.* 5. *de Generat. quæst.* 8. *numer.* 185. pro quo notandum ex Scoto ibidem, vt etiam Aretinus aduertit *loc. citat.* illud dici succedere, & in aliud conuerti, quod ad desitionem alterius nouum esse recipit, aut in esse, quod habet, conseruatur, ità quod nisi aliud desineret, ipsum non reciperet nouum esse,

esse, nec in esse, quod habet conseruaretur; ex quo sequitur, de ratione successionis, & conuersionis non esse, quod succedens sit in eadem materia, sub eisdem accidentibus, vel in eodem loco, in quibus fuit id, cui succedit; vndè si Deus conseruaret Solem in Cœlo ad destructionem vermis in terra alias non conseruaturus; in tali casu Sol quantum ad esse, in quo conuersatur, succederet vermi, & vermis desinens diceretur in Solem conuerti; Hæc itaque ratione dixi *disputat. 5. de Gener. loc. cit.* quando etiam transsubstantiationem Eucharisticam ponere vellemus, non tantùm adductiuam, sed etiam productiuam, sanè non deberet poni per modo productionis, siuè nouæ reproductionis corporis Christi, sed veluti per modum nouæ conseruationis, vt explicat Doctor *loc. cit.* eo nimirum modo, quo vermis desinens verè diceretur in Solem conuerti, & Sol diceretur verè illi succedere in esse, si Deus prosequatur Solem conseruare in esse ex vi desitionis vermis, alius ipsum non conseruaturus; hoc enim modo ibi dicebamus posse vtique aliud conuerti in præexistens, & admitti transsubstantiationem in illud, non quidem per modum nouæ productionis, sed nouæ conseruationis in sensu iam explicato; sic enim non admittuntur plures actiones totales respectu eiusdem effectus, sed vnica tantùm; conseruatio enim corporis Christi, & conuersio substantiæ panis in illud in casu posito esset vna, & eadem actio in re prouenieus à Deo, licet formaliter, & secundum diuersas habitudines essent diuersæ; Ex qua doctrina soluuntur non solum rationes Gauatij, sed etiam Hiquei *loc. cit.* vbi conclus. 3. ex eo capite probat transsubstantiationem non posse poni per modum nouæ conseruationis corporis Christi in Eucharistia, quia implicat eiusdem effectus duas totales causa dari posse; Soluuntur inquam illæ rationes ex hoc principio procedentes, quia supponimus Deum in tali casu ex vi desitionis panis sub speciebus conseruare corpus Christi sub illis positum, data hypotesi, quod alias non esset ipsum conseruaturus, qua data hypotesi iam patet, quod vnica tantum esset eius conseruatio tam in esse naturali, quàm in esse sacramentali.

Dices, substantia corporis Christi non potest in Eucharistia conseruari per illam actionem, qua conseruatur in Cœlo, quia in Cœlo conseruatur naturaliter, in Eucharistia supernaturaliter, & actio, qua conseruatur in Cœlo ex natura sua requirit extensionem localem, non verò actio, qua conseruatur in Eucharistia, sed modum existendi indiuisibilem; ergo conseruari debet in Eucharistia per nouam actionem substantialem, atque ideò sunt distinctæ actiones.

Negatur assumptum, cùm enim idem omninò corpus substantialiter immutatum sit in Cœlo, & in Eucharistia, eadem quoque actione substantiali conseruatur vtrobique, non enim variatur substantialis conseruatio rei ad variationem locorum, quæ est tantùm accidentalis, sed tantum ad variationem rei conseruatæ, vel conseruantis; ad probationem assumpti dicendum, quod aliud est loqui præcisè de substantia corporis Christi, & aliud loqui de modo extenso, & inextenso, quo hic, & ibi reperitur: hæ præsentiæ diuisibilis, & indiuisibilis vtique diuersa actione conseruantur, at substantia corporis Christi in se spectata vtrobique eadem actione substantiali conseruatur.

298 Tertiæ tandem Classis Auctores opinantur conuersionem panis in corpus Christi esse transsubstantiationem, non productiuam, nec conseruatiuam, sed adductiuam, vel translatiuam, & actionem per quam Christus in sacramento ponitur, realiter, & formaliter esse actionem, per quam producitur præsentia sacramentalis Christi ad species panis, & vini, quia hoc verè est, quod fit in hoc sacramento, vt Christus, qui erat in seipso, fiat præsens ipsis speciebus, & in hoc consistit huius sacramenti mysterium; & hanc actionem vocant adductionem, quia corpus Christi non per motum localem fit præsens speciebus, sed per quandam aliam simplicem mutationem constituitur in sacramento, quia Christus nec deserit locum Cœli, sed ibi semper permanet, nec successiuè aduenit, vt fiat præsens speciebus, nec transit per medium, sed statim, & immediatè fit præsens; Hæc est expressa Scoti sententia *4. dist. 11. quæst. 3. §. quantum ergo ad istum articulum*, vbi ait, quod transsubstantiatio poni potest duobus modis, vno modo quod sit ad substantiam, vt per ipsam accipientem esse; alio modo, vt sit ad substantiam, vt per ipsam accipientem esse hic; prima potest dici productiua sui termini ad quem, secunda adductiua, quia per ipsam adducitur terminus, vt sit hic; transsubstantiatio primo modo non potest esse ad substantiam, quæ præfuit, quia non videtur posse poni in substantiam manentem secundum esse suum antiquum, sed secundo modo benè potest esse in præexistens, quia potest fieri de nouo præsens hic; vbi fuit terminus à quo, manens tamen vbi erat prius; ità Scotus *loc. cit.* Vndè ad hanc Transsubstantiationem requiritur, vt corpus Christi fiat præsens verè, & realiter accidentibus panis, itaur corpus, quod prius non erat præsens sub accidentibus post consecrationem fiat præsens; Quia verò duo priores termini, scilicet panis, & corpus sunt substantiales, duo posteriores non præsentia, & præsentia sunt accidentales, specificando actiones, & transitiones ex per se terminis, erunt duæ per se actiones partiales, vna conuersiua, altera adductiua in vna actione totali; quæ dicitur Transsubstantiatio adductiua, vt magis explicabitur infrà.

Et hanc sententiam ex antiquis secuti sunt D. Bonauentura, Maior, Rubion, Mairon, Alensis, Petrus de Aliaco, Ricardus, & alijs; ex modernis verò Bellarminus, Vasquez, Turrianus, Auersa, Beccanus, & Scotistæ passim Poncius, Hiqueus, Gauatius, Brancatus, Rada, Hiribarnes, & alij; vt potè magis congruam ad explicandum huius sacramenti mysterium, vt de facto institutum est; etenim absolutè loquendo posset saluari conuersio substantiæ panis in corpus Christi absque tali præsentia concomitante, quia non necessariò ex vi conuersionis, vt sic, ponitur terminus ad quem, vbi erat terminus à quo, vt suprà probatum est numero 288. sed ex vi conuersionis, vt adductiuæ; & præsentia requiritur ad finem conuersionis, vt sit de facto, quatenus terminus conuersionis, quod est corpus, demonstrari possit per signum demonstratiuum vocale, & reale; ideoque dicebamus *loc. cit. numero* 288. quod si conuersio consideretur, vt sacramentalis, ponitur necessariò ex vi ipsius corpus Christi sub accidentibus panis, quia habet annexam aliam mutationem, qua de non præsente fit præsens, vt notat Doctor *distinction. 11. cit. quæst. 3. sub. N.* & rursus *quol. sub N.* Duplex igitur potest considerari successio inter terminos conuersionis, alia est in essendo simpliciter, & hæc spectat ad conuersionem productiuam, vel conseruatiuam; alia est successio in præsentia, vbi fuit terminus à quo, & hæc pertinet ad adductiuam; quarè cùm ad esse sacramenti requiratur, vt corpus Christi succedat substantiæ panis quoad præsentiam sub ijsdem accidentibus, vt primum, & vnicum contentum per modum significati, & vt sacramentum de facto institutum est; magis congrua est transsubstantiatio adductiua ad explicandam conuersionem Eucharisticam, quàm productiua, & conseruatiua, quia ex vi istarum non ponitur terminus ad quem conuersionis, vbi præfuit terminus à quo. Et quamuis prima successio in esse sufficiat simpliciter ad naturam transsubstantiationis, quæ saluari posset etiamsi corpus Christi non poneretur hic, sed alibi, & reciperet esse, cui esset connexum non esse substantiæ panis totale; tamen non sufficit ad esse sacramenti, vt est de facto institutum, sed requiritur successio in præsentia, quam Doctor *loc. cit.* explicat per esse hic, quod totum etiam notauit Hiqueus *d. 11. quæst. 3.*

Adhuc tamen discrepant Auctores huius opinionis in assignatione termini formalis conuersionis Eucharisticæ, etenim Rada, Hiribarnes, Auersa, & alij dicunt terminum formalem istius conuersionis esse præsentiam, qua corpus Christi fit de nouo præsens speciebus; materialem verò esse corpus Christi secundum substantiam; siuè terminum partialem esse relationem præsentialitatis, totalem verò corpus Christi præsens; Alij verò asserunt terminum formalem transsubstantiationis esse substantiam corporis Christi secundum suum esse substantiale antiquum; relationem verò præsentialitatis esse terminum concomitantem, qui modus loquendi conformior est Scoto *loc. cit.* Hæc autem contentio ex eo ortum duxit, quod aliqui actionem conuersiuam, vel transsubstantiatiuam ab ipsamet conuersione, & transsubstantiatione non distinguunt, ideòque terminum conuersionis confundunt cum termino actionis 300

conuersiuæ, siuè productiua sit, siuè adductiua; qui tamen error est manifestus, vt enim diximus *art. præced. num.* 284. sicut in transmutatione actio transmutatiua ab ipsa transmutatione distinguitur; ità in transubstantiatione, & conuersione vnius substantiæ in aliam, actio conuersiua, vel transubstãtiatiua ab ipsa conuersione, & transubstantiatione distingui debet; & sicut transmutatio intrinsecè solùm respicit subiectum, formam, & priuationem, non autem agens; ità & conuersio intrinsecè solùm respicit substantiam desinentem, vt terminum à quo, & succedentem ex vi desitionis illius, vt terminum ad quem, non autem agens; vndè benè discurrit Vasquez *disp.* 181. *cap.* 11. quem sequitur Turrianus *opusc.* 14. *disp.* 1. *dub.* 16. concludens in sententia Scoti transubstantiationem, vel conuersionem in se consideratam non esse actionem alicuius termini productiuam, vel adductiuam, sed esse relationem quandam, & ordinem mutationis, vel potius versionis vnius substantiæ in aliam, vt patet ex eius definitione superius assignata ab initio quæstionis *n.* 273. quod est transitus totius vnius substantiæ in totam aliam substantiam, qualis interuenit in sacramento Eucharistiæ, in quo tota substantia panis transit in corpus, & tota substantia vini in sanguinem Christi; ac proindè habet pro termino formali substantiam corporis, & sanguinis Domini; præsentiam verò solùm concomitanter.

301 Dices, hoc esse contrà omnes Scolasticos, quia omnes disputant de termino ad quem transubstantiationis, & an transubstantiatio sit actio productiua, vel solùm adductiua corporis Christi; ergò supponunt omnes aliquam importare actionem. Respondeo licet de hoc disputent omnes Scholastici, ac etiam Scotus ipse, adhuc tamen ipse negat transubstantiationem in aliqua tali actione consistere, & solùm disputat, an hanc, vel illam connotet concomitanter; Et hoc totum optimè aduertit Hiqueus *dist.* 11. *cit. quæst.* 3. §. *quantum ergo ad iustum articulum*; vbi ait, quod in sententia Doctoris transubstantiatio secundum conceptum essentialem, & formalem nihil includit, nisi quod sit mutatio, vel potius versio totalis vnius substantiæ in aliam, & non includit, quantum est ex se, vllam actionem productiuam, vel adductiuam; nam hæ actiones possunt stare sine vlla conuersione, vt si adduceretur corpus Christi sub speciebus simpliciter manente substantia panis, vel si aliquod aliud produceretur absolutè in esse, & non per conuersionem alterius in ipsum, non haberetur transubstantiatio, aut aliquid eius; Potest tamen sumi transubstantiatio non solùm secundum illud, quod formaliter includit in esse conuersionis totalis; sed etiam prout habet aliquid concomitans; & sic potest variari per accidens, & secundum concomitantia distingui vna transubstantiatio ab alia; & talis est distinctio, qua Doctor *loc. cit.* discernit transubstantiationem productiuam, & adductiuam, inter se, non quidem in esse transubstantiationis, aut conuersionis in se, & quidditatiuè; sed ratione concomitantis, quia alia connotat actionem productiuam termini, alia verò solam adductiuam, quæ est differentia accidentalis duntaxat, non verò essentialis, aut per se transubstantiationis; & ità conceptis verbis se declarat Doctor *d.* 11. *quæst.* 3. *cit. infrà N.* dùm ait, quod transubstantiatio secundo modo dicta, scilicet adductiua includit mutationem quandam ad simplicem præsentiam circa terminum ad quem, & ratione illius mutationis annexæ benè potest terminus ad quem esse per illam, vbi non præfuit; & idem expressius habet *quol.* 10. *sub N.* dùm inquit, quod nunc in Eucharistia substantia corporis Christi est per se terminus transubstantiationis, licet concomitetur præsentia illa, qua de nouo est præsens speciebus panis; quibus verbis docet, quod suprà dicebamus, præfatam præsentiam esse terminum concomitantem transubstantiationis duntaxat.

302 Ex his itaque concludendum est, terminum formalem transubstantiationis esse substantiam corporis Christi secundum suum esse substantiale antiquum, & præexistens, relationem verò præsentialitatis in corpore Christi fundatam, & ad species terminatam esse terminum concomitantem, quatenus transubstantiatio adductiua includit mutationem quandam ad simplicem præsentiam circà terminum ad quem ratione cuius potest esse, vbi non præfuit, & vbi præfuit terminus à quo, vt Doctor declarat *loc. cit.* Ità Hiqueus, Gauatius, Brancatus, & alij politiores Scotistæ; Quod clarè deducitur ex Concilijs, & Patribus per hanc transubstantiationem asserendum fieri conuersionem totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi, & totius substantiæ vini in substantiam sanguinis: ergò substantia corporis, & sanguinis sunt terminus formalis huius transubstantiationis, non quidem secundum esse nouum, sed antiquum, & præexistens: Consequentia patet, quia ille est terminus formalis conuersionis, in quem terminus à quo conuertitur, sed substantia panis conuertitur in substantiam corporis Christi, non autem in relationem præsentialitatis, licet huiusmodi relatio concomitetur: ergo substantia corporis Christi est terminus formalis huius conuersionis; relatio verò præsentialitatis ad species in eo fundata est solùm terminus formalis actionis adductiuæ annexæ, non autem ipsius conuersionis, nisi concomitante, quæ omninò distinguenda est ab actione conuersiua, vt suprà dictum est.

Sed dices, formalis terminus actionis est id, quod de nouo fit in effectu; sed in corpore Christi nihil fit de nouo, nisi præsentia realis sub speciebus; ergo illa erit formalis terminus huius actionis. Respondeo gratias concedendo terminum actionis adductiuæ annexæ cum conuersione esse præsentiam eius realem sub speciebus, non tamen ipsius conuersionis formaliter sumptæ, quæ in actione non consistit, vt diximus, sed in ordine, & transitu substantiæ desinentis totaliter in aliam sibi succedentem, quæ in proposito est corpus Christi secundum suum esse substantialem. Dices rursus, secundum illud aliquid est per se terminus ad quem conuersionis etiam sub ratione conuersionis formaliter consideratæ, secundum quod succedit termino à quo; sed corpus Christi succedit pani desinenti secundum illam præsentiam tantùm, quam de nouo acquirit, & non secundum esse substantiale; ergo est per se terminus præcisè talis conuersionis secundum quod habet illam præsentiam, & concomitanter tantùm.

Respondeo hoc argumentum à Scoto adduci, & solui in vtroque loco citato, & quidem *d.* 11. *quæst.* 3. *infrà N.* negat minorem, quia etiam in transubstantiatione adductiua substantia corporis Christi succedit substantiæ panis ex vi desitionis illius, & quidem secundum esse substantiale, non tamen habet esse substantiale nouum, sed tantùm præsentiam nouam; Deindè *quol.* 10. *lit. N.* addit, quod ista conuersio in præexistens sine aliqua nouitate in substantia est productiua termini æquiualenter, quia si terminus non esset in rerum natura, sufficienter acciperet esse ista conuersione; sed quia habet esse ideò non de nouo accipit esse, & ità diceretur, quod omne illud, quod est terminus conuersionis, aut accipit esse, si non est, aut si non esset, ex vi eius acciperet esse, & hoc sufficit, vt aliquid esse possit terminus tùm conuersionis, prout dicit transitum vnius substantiæ in aliam, tùm actionis conuersiuæ, vt suprà declaratum est *num.* 296. 303

Itaque valdè notandum est in hoc puncto, quod vel accipitur transubstantiatio pro ipsa conuersione formaliter totius vnius substantiæ in aliam sibi succedentem, & in hoc sensu nihil aliud includit, nisi duos terminos à quo, & ad quem cum ordine successionis vnius ad aliud in esse substantiali, siuè de nouo accepto, siuè præexistente, non enim magis requiritur nouitas in termino conuersionis, quàm in termino transmutationis naturalis: in hac autem non necessariò requiritur nouitas aliqua in termino ad quem: dato enim casu, quod Deus produceret albedinem v. g. solitariè existentem, & posteà ponat in subiecto, esset ibi transmutatio sine nouitate in termino ad quem: ità ergò pariter potest dari vera, & realis conuersio vnius substantiæ in aliam sibi succedentem absque vlla nouitate in suo esse substantiali, dummodò ei succedat in esse ex vi desitionis illius: quod eo vel maximè, & à fortiori dicendum est in proposito, quia transubstantiatio in eo præsertim à transmutatione differt, quod vbi hæc præcipuè à termino ad quem specificatur, illa specificatur, & denominatur specialiter substantialis à termino à quo, vt declaratum est suprà *num.* 284. Si verò sumatur Transubstantiatio pro actione conuersiua, quia nimirum panis conuertitur effectiuè à causa transubstantiante, & habet pro termino corpus Christi sub speciebus, potest hæc quoque denominationem actionis substantialis subire, estò per eam corpus Christi non accipiat esse substantiale de nouo, duplici ratione; primò quia per eam destruitur substantia panis, deindè quia ea posita necessariò per eam produceretur substãtia corpo-

corporis Christi, nisi esset antè producta, vt dictum est suprà *n.296.* quarè optima ratione vocatur transubstantiatio, quia est conuersio substantiæ desinentis in substantiam ipsi succedentem; & quidem talis etiam, vt concomitantem haberet actionem productiuam istius substantiæ, nisi esset antè producta; quæ doctrina tota deducitur ex Doctore *loc.cit.* & valdè notanda est, quia per eam soluuntur omnes obiectiones Aduersariorum contra Transubstantiationem adductiuam, vt constabit art. seq. patet ergò ad argumentum propositum, quomodo corpus Christi in Eucharistia succedit desitioni panis ex vi conuersionis etiam secundum esse substantiale suum, & non secundum præsentiam tantùm sub speciebus illius.

ARTICVLVS TERTIVS.

Soluuntur Obiectiones contrà Transubstantiationem adductiuam.

304 IN oppositum arguunt Primò auctoritate Patrum, qui non semel explicant hanc actionem circà corpus Christi per verba, quæ denotant veram productionem, putà per efficere, conficere, fieri, creare corpus Christi, & id genus alia, vt est videre apud Suarez loco citato. Nec sufficit dicere Patres sumpsisse ly corpus pro toto sacramento Eucharistico, quod constat ex corpore, & speciebus, quod re vera fit, efficitur, conficitur, & creatur sumendo creare lato modo, quia fit in instanti sine vlla oppositione, sicut creatio. Non sufficit inquam, quia Patres exemplificant semper de conuersionibus, quibus terminus, ad quem fit conuersio, realiter producitur; afferunt enim exempla vxoris Loth in statuam salis, Virgæ Moysis in Serpentem, aquæ in vinum in nuptijs Canæ &c. ergo eorum sensus est, quod etiam in actione, qua panis, & vinum conuertuntur in corpus, & sanguinem Christi, terminus ad quem scilicet corpus, & sanguis realiter producantur; verba namque SS. Patrum propriè sunt accipienda, si nullum indè sequatur absurdum; si enim sic explicentur verba illa creatio, & effectio, poterunt Hæretici alia Scripturæ loca metaphoricè, & impropriè declarare.

Respondeo ex Patribus potius oppositum colligi, non enim dicunt corpus Christi fieri, creari, aut confici, sed dicunt panem fieri, creari, & confici corpus Christi, quatenus conuertitur in corpus Christi, vndè non dicunt corpus Christi mutari, sed panem, & vinum substantialiter mutari in ipsum corpus, & sanguinem Christi quarè cùm hoc affirment de pane, & vino, non autem de corpore, sequitur ex mente ipsorum non mutari corpus substantialiter. Quod si etiam aliqui dicerent corpus Christi fieri, creari, & confici ità explicari debent, vt intelligant fieri, & effici sub speciebus præsens, quemadmodum in argumento dicebatur; nec est impropria locutio, quia etiam quando species corrumpuntur, dicitur similiter Christus desinere esse in sacramento, quod sufficienter verificatur eò solùm, quia præsentia tollitur, & ità Christus desinit esse præsens. Nec illis tandem exemplis omninò standum est, quia vt dici solet, non currunt exempla quatuor pedibus, illis itaque Patres vtuntur ad declarandum tantùm in hoc mysterio substantiam succedere substantiæ, non autem quod oporteat substantiam succedentem noua actione produci, quandò iam supponitur existens. Et quando etiam diceremus illam esse impropriam locutionem, corpus Christi fieri, & creari in Eucharistia, non esset spernenda responsio, quia D. Bon. *4. dist. 11. p. 1. art. q. 6.* in corpore quæstionis docet; verba aliqua exprimentia transitum illum panis in corpus Christi esse propria, alia autem impropria, inter quæ connumerat *fieri*, nam corpus Christi non fit, & sic etiam dicendum est de creari, non enim creatur de nouo, neque generatur. Neque tandem ob id ansa præbetur Hæreticis loca scripturæ impropriè, & metaphoricè interpretandi, aliud enim est verba verum, & proprium sensum habentia metaphoricè interpretari, vt ipsi faciunt, aliud verò in bono sensu explicare verba quæ sensum litteralem in rigore ferre non possunt; alioquin ipsi quoque Aduersarij dicere deberent, si Christus propriè in Eucharistia per consecrationem creatur, ex nihilo sui fieri, & non existere, hoc enim exigit vocabulum creationis propriè, & in rigore sumptum; tùm quia longè maiori priuilegio gaudent Loca Scripturæ sacræ, quàm scripta Patrum, & eorum auctoritates, de quibus hic agitur.

Imò Concilia, & Patres potius nostræ sententiæ fauere videntur de transubstantiatione adductiua, quam oppositæ de productiua; definiunt enim veram, & realem præsentiam corporis Christi ad species, & nihil substantiæ panis manere, sed in corpus Christi conuerti, at hoc totum melius saluatur per transubstantiationem adductiuam, quàm productiuam, quia ex vi actionis productiuæ terminatæ ad esse substantiale alicuius corporis solùm habetur per se terminus eius, & ea quæ in ipso intrinsecè includuntur; præsentia autem ad species non includitur in corpore Christi sub ratione substantiæ considerato; tùm quia per actionem, qua de nouo produceretur corpus Christi, non haberetur per se huiusmodi præsentia, sicut nec eam habuit, cùm primum accepit esse in vtero Virginis; igitur nec modò eam haberet ex vi transubstantiationis productiuæ, vt sic consideratæ, sed tantùm ex vi ipsius, vt adductiuæ. 305

Dices, posita actione substantiali ad corpus Christi terminata, non est necessaria alia actio adductiua; quarè sicut quando primum esse accepit in vtero Virginis, consequenter positum est in tali loco absque aliqua adductione; ità quando nouum esse accipit per transubstantiationem productiuam, consequenter ponitur in eodem loco ex vi ipsius, vbi prius erat substantia panis absque vlla adductione. Sed hoc potius facit pro nostra sententia, quando enim corpus Christi in vtero Virginis primum esse accepit, consequenter ex vi talis actionis positum est in tali determinato loco absque aliqua adductione, quia adductio connotat rem adductam alibi præexistere; quarè cùm in casu nostro, quando substantia panis conuertitur in corpus Christi, non tunc accipiat esse substantiale omninò primum, vt fecit in vtero Virginis, sed fiat conuersio in corpus Christi iam præexistens, planè nequit intelligi, quomodo de nouo sub illis speciebus reponatur, nisi sub illis secundum suam substantiam adducatur.

Secundò principaliter arguunt rationibus, necessarium est, quod per transubstantiationem substantia producatur, 306 alioquin transubstantiatio non esset, quæ actio substantialis esse debet, & ad substantiam terminata; sed nulla alia substantia potest in Eucharistica transubstantiatione produci, nisi corpus Christi, in quod transubstantiatur panis; opus est ergo per transubstantiationem produci de nouo corpus Christi sub speciebus, vel saltem conseruari.

Confirmatur, actio, qua ponitur substantia in loco, non est substantialis, quia licet adducatur per eam substantia ad illum locum, & habeat substantiam pro termino, qui adducitur per eam, tamen non producitur substantiam per illam nec aliquid præter præsentiam, vel Vbi substantiæ, quo ponitur formaliter in loco; ergo si nulla substantia producitur per transubstantiationem, non potest esse actio substantialis, nec consequenter transubstantiatio; Denique si non reproduceretur de nouo substantia corporis Christi, sed solùm produceretur præsentia illa, quam habet sub speciebus, iam corpus Christi non esset terminus formalis transubstantiationis, sed illa præsentia præcisè, quod suprà negatum est.

Respondet Braneatus *loc. cit.* quo talis actio adductiua 307 haberet terminum substantialem, scilicet corpus Christi adductum, seù replicatum sub speciebus, & supponeret panis destructionem, atque ideò nihil sibi deficeret ad saluandum conceptum transubstantiationis, substantia enim corporis, & sanguinis sub speciebus replicata ità prorsus se habet, ac si noua esset, nouoque esse substantiali ibi existeret. Sed hæc solutio in solis verbis consistit, & nihil omninò satisfacit, & directè impugnatur per confirmationem allatam; non enim actio, qua substantia ponitur in loco, ob id substantialis dicenda est, quia per eam substantia ad hunc, vel illum locum adducitur, sicut nec calefactio ob id dicenda est actio substantialis, quia per eam calefit substantia; nec actio, qua idem corpus in pluribus ponitur locis per replicatas præsentias, est actio substantialis, sed merè accidentalis, vt dictum est in Physica. Ita ex dictis *num.* 303. neganda est absolutè maior, quia dari potest vera, & realis conuersio vnius rei in aliam sibi succedentem ex vi desitionis illius absque vlla nouitate in suo esse substantiali; vndè de facto dùm homo nutritur, verè dicitur alimentum conuerti in substantiam ipsius aliti, licet anima non fiat de nouo secundum substantiam, sed tantùm de nouo vniatur materiæ, quarè si Deus aliquam substantiam præexistentem acciperet, eamque poneret sub accidentibus alterius

rius substantiæ eam expellendo, & destruendo, hæc mutatio diceretur verè conuersio, & transubstantiatio.

308 Ad Confirmationem respondet rursus Brancatus in conuersione adductiua optimè saluari actionem substantialem, quia dicimus terminum formalem eius esse corpus Christi, non primò productum, sed corpus hic vndè terminus formalis qui, talis actionis est substantia corporis, vel sanguinis, terminus verò concomitans est præsentia eorum. Sed hæc solutio rursus seipsam destruit, quia si terminus huius actionis formalis est corpus Christi, vt hic, iam ipsa præsentia erit terminus formalis talis actionis adductiuæ, & corpus Christi, vt præsens sub speciebus, vndè non video, quomodo saluetur per hoc talem actionem esse substantialem, cùm nec substantia, nec modus aliquis substantialis per eam producatur, actio autem specificatur à termino per ipsam producto. Hinc aliter respondet Amicus *disp. 18. sect. 2. num. 116.* concedendo conuersionem in ratione productionis consideratam esse actionem accidentalem, quia vt productio formaliter denominatur à termino immediatè producto; vt conuersio tamen est substantialis, quia vt conuersio formaliter denominatur, non à termino producto, sed ab introducto, quod est corpus Christi succedens accidentibus panis; & hæc solutio melior est, quia conuersionem ipsam formaliter consideratam distinguit ab actione conuersiua, nec vnum cum alio confundit.

309 Adhuc tamen clarius responderi potest ex doctrina iam tradita supra num. 301. non solùm distingui debere conuersionem formaliter sumptam ab actione conuersiua, sed etiam actio ipsa conuersiua, vt sic, distingui debet ab actione productiua, & adductiua, nam istæ dari possunt sine vlla conuersione, aut actione conuersiua, vt ibi demonstratum est; vndè latum patet discrimen inter actionem conuersiuam ex vna parte, & actionem purè adductiuam ex alia, quantùm ad denominationem actionis substantialis; quia per illam destruitur substantia, & ea posita necessariò produceretur substantia, nisi antea esset producta; at per alteram, qua solùm res ponitur in loco, non destruitur alia substantia, nec deberet produci substantia, quæ ponitur in loco per illam, si antè non fuisset producta; vndè ad argumentum, vel neganda est consequentia, quia sit transitus actione purè adductiua ad actionem conuersiuam; vel saltem est distinguenda, quia si sermo sit de actione adductiua, gratis conceditur consequentia, quod non sit actio substantialis, nec transubstantiatio; si verò sermo sit de actione conuersiua, negatur consequentia, nam vocari potest actio substantialis, ac etiam transubstantiatio, quia est conuersio substantiæ desinentis in substantiam ipsi succedentem ex vi talis desitionis, & quidem talis etiam, vt concomitantem haberet actionem istius substantiæ productiuam, nisi esset antè producta.

Ad vltimum distinguendum est consequens, si namque transubstantiatio sumatur, quatenus habet rationem productionis, seu actionis productiuæ, gratis conceditur, quod corpus Christi non est terminus formalis eius, sed sola ipsius præsentia ad species; quia ipsum non est terminus formalis productus; si verò sumatur, quatenus est conuersio formaliter, hoc est, transitus vnius substantiæ in aliam, negatur quod corpus Christi succedens sub speciebus panis non sit terminus formalis, & specificatiuus ipsius modo iam superius explicato *n.* 302.

310 Tertiò arguunt, verba consecrationis habent quantum est de se, sufficientem virtutem producendi corpus Christi, adeò quod si non existeret in rerum natura, aut corruptum esset, virtute consecrationis reproduceretur in sacramento; ergo de facto reproducitur; consequentia patet, nam eodem prorsus modo suum efficiunt effectum, ac si non existeret; ergo producitur nam nequit reddi ratio, cur causa cum virtute, & applicatione sufficienti non operetur.

Confirmatur, quia in sacramentis nouæ legis verba efficiunt realiter, quod significant; se per ly hoc est corpus meum, hic est sanguis meus, significatur sub speciebus panis adesse corpus, & sub speciebus vini adesse sanguinem Christi; ergò realiter ibi per huiusmodi verba producuntur. Tandem, quia sic melius saluamus vniformem efficaciam in omnibus sacramentis, & per actionem productiuam melius saluatur, quod verba efficiant, quod significant.

Respondet Gauatius, negando antecedens, quia verba consecrationis de se nullam habent vim suprà corpus Christi, sed solùm ex ordinatione diuina, quatenus per eam institutum est, vt prolatis, verbis super panem à Sacerdote, & cum debita intentione panis transubstantietur in corpus Christi; ad probationem inquit, quod si corpus Christi non existeret in Cœlo, nec alibi, incertum est, an verba haberent vim ad producendum illud in Eucharistia, cùm præcisè certum sit ipsa fuisse à Deo instituta, vt ipsis prolatis adducatur corpus Christi sub speciebus. Sed quamuis verum sit verba consecrationis de se, & ex natura sua talem vim non habere, sed tantùm ex ordinatione diuina; minus tamen rectè dicitur incertum esse, an vim haberent producendi corpus Christi in Eucharistia, si alibi non existeret, cùm solum de facto instituta sint, vt ipsis prolatis adducatur corpus Christi sub speciebus; etenim non semel Patres talem, & tantam efficaciam verbis consecrationis adscribunt; Quarè melius est respondere iuxtà dicta superius *num.* 296. verba consecrationis directè non habere, nisi virtutem verificandi orationem consecratiuam, quam componunt, & hæc verificatur eo ipso, quod ponitur corpus Christi sub speciebus, siuè id fiat per nouam eius productionem, siuè per simplicem adductionem, atque ideo indirectè solùm habere virtutem producendi corpus Christi sub speciebus, alibi non existeret; quatenus vbi nunc, quia corpus Christi iam existit, mouent tantùm Deum ad illud hic adducendum sub speciebus; si Christus alibi non existeret, mouerent Deum ad illud hic producendum actione productiua; quarè neganda est consequentia cum eius probatione.

Ad Confirmationem negatur sequela, nam ad praxim verborum sufficit, quod ex vi ipsorum ponatur corpus Christi à Deo sub speciebus, siuè id fiat per actionem productiuam, siuè adductiuam tantùm, etenim per actionem quoque adductiuam verba efficiunt; quod significant eo ipso, quod per illam realiter ponitur corpus Christi sub speciebus. Ad vltimum negatur assumptum, nam verba efficiunt moraliter suum effectum, sicut cetera sacramenta, eo ipso quod Deum mouent ad ponendum corpus, & sanguinem sub speciebus; an autem hoc faciat Deus per actionem productiuam, vel solùm adductiuam, parum refert, quia quacunque actione fiat Christus præsens sub speciebus, eo ipso verba verificantur.

Sed instant, quia in cæteris sacramentis verba ità significant, recipi gratiam in suscipientibus vt realiter illam producant; ergò à pari de corpore, & sanguine Domini. Tùm quia estò verba illa essent vera etiam per actionem tantùm adductiuam, saltem non efficiunt realiter, quod immediatè significant contrà rationem signe practici, cuiusmodi sunt prædicta verba; nam per auctores actionis adductiuæ ponitur Christus sub speciebus consecratis, quia in illo producitur tantum, aut modus aliquis substantialis, vel accidentalis, aut pura præsentia ad species, aut vnio ad easdem, aut earundem conseruatio, quæ tamen immediatè verba non significant, sed immediatè significant ipsum corpus, & sanguinem Christi; ergò hæc debent produci, vt sint verum signum practicum. 311

Respondeo vniformem efficaciam sacramentorum in hoc consistere, quod sicut cætera sacramenta efficere dicuntur gratiam in suscipiente, quatenus moraliter mouent Deum ad ponendam gratiam in illo, ità etiam verba consecrationis efficere dicuntur, quod significant, quatenus mouent Deum ad ponendum corpus, & sanguinem Christi sub speciebus; non autem in eo consistit, quod sicut Deus ad præsentiam aliorum sacramentorum producit realiter gratiam in suscipiente, ità ad prolationem verborum consecrationis producat corpus Christi sub speciebus; gratia namque producitur realiter in suscipiente de nouo, quia non præexistebat, at corpus Christi præexistit, & ideò nouæ productionis non est capax, cùm productio simpliciter sit à non esse simpliciter ad esse simpliciter. Ad Confirmationem negatur assumptum, quia verba significant corpus Christi hic præsens, scilicet, sub speciebus, & hoc totum moralitas efficiunt eo ipso, quod Deum mouent ad ponendum illud sub speciebus, siuè hoc faciat Deus per actionem productiuam, siuè adductiuam tantum, vt suprà dictum est.

Quartò arguunt, actio de qua agitur, est conuersio substantialis, nam ex Trid. *sess.* 13. *cap.* 4. & *can.* 2. est conuersio totius substantiæ panis, & vini in corpus, & sanguinem Christi; ergo est actio productiua corporis, & sanguinis Christi sub speciebus; Consequentia probatur, quia non est alius terminus ad quem prædictæ actionis, vt productio 312

ctio est, & vt conuersio est; sed vt conuersio habet pro termino ad quem corpus, & sanguine Christi, ergo etiam vt productio est; ergo est actio productiua corporis, & sanguinis Christi; Maior in qua consistit tota difficultas probatur, quia prædicta actio non est alia realiter, vt conuersiua, & vt productiua; ergo eundem terminum realiter habere debent; atque ideò si vt conuersiua habet per termino ipsum corpus, & sanguinẽ Christi; etiam, vt productiua. Tùm quia conuertens conuertendo producit, non enim influit nisi virtute conuersiua; ergo qui est terminus ad quem conuersionis, est etiam simul productionis. Tum tandem, quia si esset alius terminus ad quem prædictæ actionis, & vt productiuæ, & vt conuersiuę, posset poni, & exerceri tantùm, vt productiua absque eo, quod conuerteret, quod est manifestè falsum.

Respondeo rursus in hoc argumento fallaciam committi, quia actio conuersiua confunditur cum conuersione ipsa formali, & consequenter terminus conuersionis confunditur cum termino actionis conuersiuæ, siuè productiua sit, siuè adductiua, qui est manifestus error in Philosophia, vt dictum est num. 300. quia conuersio in se formaliter considerata non est actio alicuius termini productiua, vel adductiua, sed est præcisè mutatio, vel versio totalis vnius substantię in aliam, & nihil aliud includit, quam duos terminos cum ordine successionis vnius ad alium, & ex vi desitionis alterius, & non includit, quantum est ex se vllam actionem productiuam, vel adductiuam, nam hæ actiones sine vlla conuersione exerceri possunt, vt si adduceretur corpus Christi sub speciebus manente substantia panis, vel si aliquid aliud produceretur absolutè in esse, & non conuersionem alterius in ipsum, qua etiam ratione ipsa quoque actio conuersiua, vt sic, distingui debet ab ipsa actione productiua, & adductiua, quia sicut istæ sine vlla conuersione exerceri possunt, vt diximus, ità etiam sine vlla actione conuersiua. Hac itaque supposita doctrina ad argumentum propositum negatur assumptum formaliter loquendo, sicut enim in transmutatione actio transmutatiua ab ipsa transmutatione distinguitur, quia hæc intrinsecè solum respicit materiam, formam, & priuationem, non autem agens; ità & actio conuersiua ab ipsa conuersione distingui debet, quia hæc intrinsecè solùm respicit substantiam desinentem, vt terminum, à quo, & aliam ex vi illius succedentem, vt terminum, ad quem, non autem agens; si verò sumatur conuersio pro actione, qua vna substantia conuertitur in aliam à causa transubstantiante, vtique concedimus esse actionem substantialem, tùm ex parte termini à quo, quia per eam destruitur vna substantia, vt in proposito substantia panis; tum ex parte termini ad quem, quia nimirum per eam vel producitur terminus ad quem, scilicet, substantia succedens, si anteà non existebat, vel saltem talis est, vt per eam produceretur, nisi esset antè producta, quarè cùm infertur, quod sit actio productiua corporis Christi, distinguendum est consequens, quod sit productiua, vel actualiter, vel saltem virtualiter, & æquiualenter; in quo sensu gratis concedimus esse corporis Christi productiuam; quia si non existeret alibi, vtique per eam produceretur. Ad probationem consequentiæ dico, quod actio conuersiua non semper concomitantem habet actionem productiuam, quia etiam per solam adductiuam exerceri potest; quando primo modo exercetur, concedo eundem esse terminum illius actionis, vt productio est, & vt conuersio est, quia tunc terminus formalis productus coincidit cum termino formali, & specificatiuo conuersionis formaliter sumptæ in ratione mutationis, aut versionis totalis vnius substantiæ in aliam; quando autem exercetur secundo modo, negatur tunc eundem esse terminum actionis illius, vt productio est, & vt conuersio; quia tunc terminus formalis per eam productus est sola præsentia corporis Christi sub speciebus, vt de facto contingit; termius autem formalis, & specificatiuus illius, quatenus conuersio est formaliter, est ipsa corporis Christi substantia sub speciebus adducta, vt succedens desitionis panis; præsentia verò est terminus eius concomitans quia accidit actioni conuersiuæ vt sic, quod per solam adductionem excerceatur substantiæ succedentis, nam etiam quantùm est ex se exerceri posset per actionem de nouo productiuam substantiæ succedentis, si anteà non existeret.

Ad primam probationem maioris, nego actionem conuersiuam, vt sic, esse realiter eandem cum productiua, nam actio conuersiua exerceri potest sine noua productione substantiæ succedenti ex vi desitionis alterius, vt quando fit conuersio in præexistens, & è contrà actio productiua sine conuersiua, vt si aliquid absolutè produceretur in esse substantiali, & non per conuersionem alterius in ipsum, vt dictum est n. 301.

Ad secundam probationem dico, quod conuertens conuertendo producit substantialiter, quando conuersio exercetur per actionem productiuam substantiæ succedentis ex vi desitionis alterius; sed quando exercetur per solam actionem adductiuam, tunc non habet pro termino formali producto, nisi solam præsentiam substantiæ succedentis, adhuc tamen in ratione conuersionis formaliter sumptæ, debet dici substantialis, quia versatur inter substantias; & in ratione etiam actionis conuersiuæ debet dici substantialis, quia licet per actionem adductiuam annexam solum accidens producatur, actio tamen conuersiua, quantum est ex se, talis, & tantæ est efficaciæ, vt per eam produceretur substantia succedens, si anteà non fuisset producta.

Ad tertiam probationem gratiæ conceditur actionem conuersiuam exerceri posse sine actione productiua substantiæ succedentis ex vi desitionis alterius, & è contrà actionem productiuam exerceri posse sine conuersione vnius substantiæ in aliam, vt supra dictum est.

Quintò arguunt, per solam adductionem, vel actionem adductiuam re vera non explicatur conuersio substantialis, & transubstantiatio, sed solùm translocatio; quædam ergo mysterium hoc non benè explicatur per adductionem solam, sed addi quoque debet alia actio substantialis, quæ sit productiua de nouo, vel saltem conseruatiua corporis Christi sub speciebus. Confirm. quia actio importans conuersionem totius substantiæ panis in corpus Christi non est præcisè adductiua, quia adductio alicuius substantiæ potest intelligi vera alicuius substantiæ conuersione in illam; talis autem est transubstantiatio, de qua loquimur; ergò non est adductiua. Tandem hoc Sacramentum non constat ex sola præsentia, sed ex substantia corporis Christi præsente; ergo verba consecrationis non solùm debent habere vim ad efficiendam præsentiam, sed etiam ad efficiendam substantiam præsentem debito ordine, substantiam nempè primario, præsentiam verò consequenter. 312

Respondeo concedendo totum argumentum; neque enim nos dicimus transubstantiationem importare solam actionem adductiuam, quia hæc dari potest sine vlla conuersione, sed dicimus importare desitionem vnius substantiæ, & actionẽ conuersiuam eiusdem in aliam succedentem, & quidem talis efficaciæ, vt concomitantem haberet actionem productiuam illius substantiæ, nisi esset producta antè, & hanc appellamus transubstantiationem adductiuam, non autem solam actionem adductiuam.

Ad Confirmationem pariter concedimus conuersionem panis in corpus Christi non importare solam actionem adductiuam, sed etiam aliam verè conuersiuam vnius substantiæ in aliam modo nunc explicato, quæ duæ actiones abinuicem separari possunt, vt iam dictum est. Ad vltimum concedimus etiam verba consecrationis non solùm habere vim ad efficiendam præsentiam corporis Christi sub speciebus, sed etiam ad efficiendam substantiam ipsam, si anteà producta non esset, adeout talis conuersio non solùm sit adductiua, sed etiam productiua substantiæ corporis Christi saltem virtualiter, & æquiualenter modo iam explicato n.296. ex Scoto quol. 10. N.

Dices, si esset aliqua actio substantialis quasi productiua, vel conseruatiua substantiæ corporis Christi, deberet esse talis, quæ per se sufficeret ad producendam illam substantiam, etiamsi anteà producta non esset; ergo deberet per se esse independens à priori productione; sed talis de facto non datur, quia corpus Christi de facto non est in Eucharia, nisi dependenter à seipso, quatenus est extrà Eucharistiam; ergò non benè saluatur substantialitas actionis, quæ de facto datur per talem vim productiuam in actu primo, & virtualiter.

Resp. imò in sententia Doctoris existentiam corporis Christi non pendere intrinsecè, & formaliter ab existentia eiusdem corporis in alio loco: atque ideò superius diximus num. 270. potuisse hoc sacramentum institui quoque antè mysterium Incarnationis, etiam eiusdem rationis cum instituto de facto; Vndè cùm dicitur corpus Christi de facto non esse in Eucharistia, nisi dependenter à seipso extrà Eucha-

charistiam, hoc solùm verum est de conuersione, & actione conuersiua, quatenus de facto annexam habet actionem adductiuam, non autem in ratione actionis conuersiuæ, vt sic, quia sub tali ratione independens est à priori productione.

314 Sextò arguunt, estò saluaretur præsentia sacramentalis corporis Christi absque productione illius, non tamen saluatur essentia sacrificij, quia sacrificium petit, vt id quod sacrificatur, producatur substantialiter, & sic etiam desinat, itaut si alibi non existeret, totaliter desineret esse; sed corpus Christi sacrificatur, & offertur in hoc sacramento, ergo &c.

Confirmatur eo modo terminus prior conuertitur in terminum posteriorem, quo terminus posterior succedit termino priori; ergo si terminus posterior, scilicet, corpus Christi succederat pani secundum esse hic tantùm, & secundum suam præsentiam, terminus prior, scilicet, panis solùm secundum suam præsentiam conuerteretur in corpus Christi, & ità eius conuersio non esset appellanda transubstantiatio, idest, transitus substantiæ in substantiam, neque conuersio transubstantialis, licet enim substantia succederet, non tamen secundum esse substantiale, sed tantùm accidentale, scilicet, secundum præsentiam. Denique si quid obstaret maximè esset, quia semel productum non potest rursus reproduci, quamdiù existit; sed hoc non obstat, quia potest res semel producta, si corrumpatur, à Deo reproduci; ergo etiam si existat: consequentia probatur, omnes enim rationes probantes possibilem reproductionem rei iam præteritę, probant etiam possibilitatem eandem, dùm res actu existit, & ratio à priori est, quia quilibet effectus continetur in Dei potētia modo infinito, vndè in ordine ad essendum habet quandam infinitatem syncategorematicam, secundum quam possit pluries, & pluries poni ad extrà.

Respondetur negando maiorem cùm eius probatione, neque enim in lege veteri, cùm sacrificia fiebant, de nouo pecudes creabantur, sed ad rationem sacrificij sufficit, vt aliquid Deo offeratur, & posteà sumatur.

Ad Confirmationem, quæ est ratio quædam Scoti 4. *dist. 11. quæst. 4. lit. O.* valdè implexa, & ibi declaratur ab Hiqueo, & ad bonum sensum reducitur iuxtà ibidem prædicta à Doctore, negandum est antecedens absolutè sumptum, quia non currit eadem paritas de termino à quo conuersionis, & de termino ad quem eiusdem, quia vt constat ex dictis *art. 1.* huius quæstionis ad veram, & realem conuersionem requiritur desitio termini à quo simpliciter, non tamen inceptio termini ad quem simpliciter, & ratio disparitatis est assignata num. 284. neque absolutè loquendo requiritur nouitas in termino conuersionis ad quem, sicut neque in termino ad quem transmutationis naturalis, vt dictum est num. 303. nam de facto, dùm homo nutritur, verè dicitur alimentum conuerti in substantiam ipsius aliti, licet anima non de nouo fiat secundum substantiam, sed tantùm de nouo vniatur materiæ; sicut ergò in tali casu adhuc dicitur vera mutatio substantialis, quia licet forma substantialis animæ non de nouo producatur, tali tamen modo in materia succedit, vt ex vi introductionis eius forma præcedens expellitur; ità in proposito etiam, quamuis corpus Christi de nouo esse non incipiat, adhuc tamen est vera, & realis conuersio substantialis, quia tali modo corpus Christi introducitur sub speciebus panis, vt ex vi talis præsentiæ expellatur, & destruatur substantia panis, & tali actione conuersiua ponitur ibi, vt ex vi ipsius acciperet etiam esse simpliciter corpus Christi, si iam non præexisteret; qua ratione dicendum est corpus Christi succedere pani desinenti, non tantùm secundum esse hic, sed etiam secundum rationem substantialem, vt doctor ibidem immediatè suprà docuerat, iuxta quam doctrinam Hiqueus eam Scoti rationem ibidem declarat, & ad bonum sensum reducit.

315 Ex qua doctrina satis constare potest Auctorem Controuersiarum inter Scotistas *part. 2. contr.* 18. hanc Scoti rationem non intellexisse, nec meam doctrinam iam traditam de hoc puncto *disp. 11. Phys. q. 9. cit.* nec denique in quo sensu defendant Scotistæ opinionem de Transubstantiatione adductiua cum Doct. *loc. cit.* putat enim nos dicere transubstantiationem esse præcisè adductionem corporis Christi sub speciebus, quod omninò falsum est; dicimus enim importare desitionem vnius substantiæ, & actionem conuersiuam eiusdem in aliam succedentem, & quidem talem, quæ substantiam succedentem de nouo produceret, nisi præexisteret; & huic actioni conuersiuæ dicimus esse annexam actionem adductiuam, ratione cuius substantia succedens in esse ex vi actionis conuersiuæ, dicitur succedere in eodem loco, vbi erat substantia iam cōuersa, & hoc est, quod inquit Doctor *loc. cit.* quod transubstantiatio secundo modo dicta, scilicet, adductiua includit mutationem quandam ad simplicem præsentiam circa terminum ad quem, ratione cuius benè potest terminus ad quem esse in eodem loco, vbi præfuit terminus à quo; Quibus verbis significat Doctor transubstantiationem non dicere solam actionem adductiuam, licet illam habeat annexam; & non esse conseruatiuam, quia per hanc terminus ad quem non ponitur, vbi non erat; nec productiuam, quia cùm corpus Christi præexistat, non potest iterum reproduci substantialiter, sed adductiuam, quatenus habet mutationem annexam, ratione cuius corpus Christi ponitur sub speciebus, sub quibus erat substantia panis; aliud autem est dicere conuersionem panis in corpus Christi esse transubstantiationem adductiuam, aliud verò esse actionem adductiuam præcisè, vt intelligere videtur præfatus Auctor communem Scotistarum opinionem.

Ad vltimum negatur minor, ad cuius probationem negatur consequentia rursus cum eius probatione, quamuis enim corruptum possit à Deo reproduci, actu tamen existens reproduci non potest, vt ex instituto demonstratum est *disp. 5. de Gener. & Cor. quæst. 8.* quia quælibet generatio, seù productio substantialis ex suo formali, & intrinseco conceptu est à non esse simpliciter ad esse simpliciter, atque ideò nequit effectus, dùm actu existit, reproduci; & distinctio illa, quam Aduersarij ad hanc rationem eludendam adhibere solent, de duplici productione prima, & secunda, & pariter de duplici esse substantiali primo, & secundo explosa est *disp. 11. Phys. quæst. 9. num.* 140. Intantum verò dicitur quilibet effectus infinities latere in potentia creatoris, quatenus infinities potest illos destruere, & rursus eosdem reparare; non verò quia possit eos etiam sæpius reproducere quando adhuc existunt, ob implicantiam iam insinuatam; ex qua doctrina rursus patet, quod quando dixi *disp. 5. cit. de Gener. & Cor. quæst. 8. n.* 185. ob rationem allatam probabilius esse transubstantiationem Eucharistiæ esse adductiuam tantùm corporis Christi sub speciebus, non autem productiuam, vt Doctor innuit *4. d. 11. q. 3. lit. N. & quol. 10. lit. H.* patet inquam; luce clarius me ibi locutum esse, sicut, & loquitur Doctor, de transubstantiatione productiua formaliter, & actualiter terminum producente, qualis ponitur ab Aduersarijs, contrà quos hic, & ibi disputamus; non autem de actione productiua solùm virtualiter, & æquiualenter; vt mihi impingit Auctor citatus in ea *controu.* 18. ex praua dictorum meorum intelligentia, quæ tamen adeò clara sunt, vt etiam Tyrone quolibet facillimè capi possint, quod etiam in causa fuit, vt quædam alia mea ibidem dicta impugnet, ac etiam doctissimi P. Fabri, quas impugnationes hic reijcere, & examinare non vacat, quia non alio nituntur fundamento, nisi in praua intelligentia Auctorum, quos refert; quod ei satis familiare est; Et quamuis *concl.* 3. afferat conuersionem panis in corpus Christi æquiualenter, & quantum est ex se esse productiuam, vt nos quoque diximus suprà *artic.* 2. huius quæstionis *num.* 295. attamen non benè eam declarat, & defendit; quia nil aliud addendo semper manet in robore difficultas ibidem insinuata, quam passim Aduersarij obijciunt, hunc dicendi modum non sufficere ad explicandam naturam transubstantiationis Eucharistiæ, quia non assignat terminum ad quem conuersionis actu, sed potentia tantùm, conuersio autem Eucharistica, cùm sit actualis, requirit terminum ad quem actu; Vndè ad eam difficultatem tollendam ea sententia defendi debet iuxtà modum à nobis assignatum *loc. cit. n.* 296.

Postremò arguunt, non potest intelligi, quomodo Christus, qui est in Cœlo, possit per solam actionem adductiuam poni in Terra sub speciebus panis, non transeundo per medium, nam præsentia localis solùm potest per motum localem produci, vel resultare in re alicubi producta; sed corpus Christi non ponitur in hoc sacramento per motum localem, vt omnes admittunt; ergò necessariò ponitur per reproductionem. 317

Confirmatur, quia non est possibile idem corpus replicare in pluribus locis per solam adductionem, sed necessariò requiritur eiusdem substantialis reproductio, si enim Deus velit

velit Petrum Romæ existentem replicare Venetijs per solam productionem Vbi Veneti in ipso, vel tale Vbi producit in eo existente Romæ, vel Venetijs, non primum, quia tale Vbi necessariò est alligatum spatio Veneto neque secundum quia iam antè productionem illius Vbi Petrus Venetijs existeret; restat ergò, vt replicetur Venetijs per veram reproductionem substantialem eius ibidem; atque ità idem est dicendum de corpore Christi in Eucharistia. Tandem, non potest corpus Christi hoc Vbi in sacramento recipere, nisi prius in hoc sacramento existat, cùm omne, quod in aliquo loco agit vel patitur, præsupponatur prius natura in illo existere; hoc posito quæritur, per quam actionem fit Christus existens in hoc sacramento, & speciebus realiter indistans, vt possit hoc vbi recipere; & cùm hæc non possit esse adductio, nec productio noui Vbi, vt probatum est, restat quod sit productio, aut reproductio corporis Christi sub speciebus.

Respondetur negando assumptum, aliud enim est loqui de motu locali, qui vt includit totam realitatem motus, non potest fieri ex vno loco in alium distantem, nisi per medium aliud de actione adductiua, per quam res non mutat priorem locum, sed retento priore simul constituitur in alio distante, vndè non est transitus de loco in locum, sed est simplex productio nouæ præsentiæ localis.

Ad Confirmationem negatur assumptum, quia vt ex professò ostendimus *disput.* 11. *Phys. quæst.* 9. si corpus, vel Angelus poneretur à Deo in pluribus locis, id fieret per simplicem adductionem producendo plura Vbi in eadem re, & eam accidentaliter replicando in pluribus locis, non verò per replicationem substantialem eiusdem rei, seu iteratam productionem illius in pluribus locis; ad probationem assumpti etiam ibidem responsum est in terminis *num.* 143. quod dato illo casu tunc Deus Petrum Romæ existentem poneret Venetijs per solam productionem Vbi Veneti in ipso, & tale Vbi produceretur in Petro Venetijs existente in aliquo priori naturæ fundamentaliter tantùm, non formaliter; quæ responsio adhuc magis explicatur *disp.* 5. de Gen. & Corrup. *quæst.* 8. *num.* 186. vbi etiam diximus idem argumentum prorsus etiam modò fieri posse, dùm Petrus de vno loco ad alium migrat, putà de templo in plateam, talis namque præsentia ad plateam, vel producitur in ipso existente in templo, vel in platea, &c.

Ad vltimum patet per idem, sicut enim respectus vnionis inter materiam, & formam non resultat, nisi prius forma supponatur in materia recepta, & existens, sed in illo priori naturæ non dicuntur vnita formaliter, sed tantùm fundamentaliter, quia formalitas denominationis sumitur à respectibus in posteriori signo resultantibus, vt patet de duobus albis ad hoc, vt dicantur formaliter similia; ità in proposito Christus in Cælo existens replicaretur sub speciebus in sacramento per productionem talis præsentiæ in eo prius natura existente sub speciebus fundamentaliter, non formaliter, de quo argumento vide plura *loc. cit.* & apud Gauatium *disput.* 4. *quæst.* 7. *cap.* 2.

318 Itaque ex hactenus dictis constat, quomodo in sententia Doctoris defendi potest conuersionem Eucharisticam, quæ de facto datur, esse productiuam, non formaliter, & actualiter, sed virtualiter, & æquiualenter in sensu iam explicato art. præcedenti *num.* 296. nam in sensu, quo eam tradit Scotista supracitatus *numer.* 316. defendi non potest, quia iuxtà illum dicendi modum non saluatur conuersionem Eucharisticam fieri actu ex vi verborum, sed tantùm possibilem esse ex vi verborum, quatenus virtutem habent mouendi Deum ad producendum corpus Christi sub speciebus, nisi iam esset productum; hoc autem non sufficit ad saluandam veritatem conuersionis Eucharisticæ, vt Patres, & Concilia de ea loquuntur, dicunt enim verba consecrationis actu conuertere, & actu transubstantiare panem in corpus Christi, ad quod necessarium est, vt actu in illud influant, nec sufficit, quod tantùm habeant virtutem influendi, vt ait Auctor ille *loc. cit.* vbi etiam mihi falsò imponit, quod negauerim *disp.* 5. de Gen. & Corrup. *quæst.* 8. *num.* 185. verba consecrationis habere virtutem sufficientem producendi corpus Christi, si alibi non existeret; legatur textus, & detegetur impostura, quamuis enim dixerim verba non habere directè, nisi virtutem verificandi orationem consecratoriam, quam componunt; addo tamen indirectè habere talem virtutem, quatenus si corpus Christi non esset in rerum naturam, ad prolationem verborum produceretur, sed quia modo præexistit, talis virtus impeditur; non ergo simpliciter, & absolutè talem virtutem denego verbis consecrationis, sed solum dico, quod eis directè non conuenit; non est autem idem, non habere illam virtutem absolutè, & non habere directè.

Deindè constat etiam ex dictis art. præced. *num.* 297. quo sensu etiam in sententia Doctoris potest admitti transubstantiatio Eucharistia per modum nouæ conseruationis in sensu nimirum, quem Doctor innuit *quæst.* 10. *lit. L.* nam talis conuersio optimè defendi potest, eo, scilicet modo, quo vermis desineus verè diceretur in Solem substantialiter conuersus, & Sol verè diceretur illi succedere in esse, si Deus prosequatur Solem conseruare in esse ex vi desitionis vermis, alias ipsum non conseruaturus, hoc enim modo aliquid conuerti potest in præexistens ex Scoto *loc. cit.* & admitti transubstantiatio in illud, non quidem per modum nouæ productionis, sed nouæ conseruationis, vt dictum est loc. cit. Sed contrà hunc dicendi modum objicit ille Auctor contr. 18. cit. ex eo sequi, quod facta prima consecratione non posset amplius per consecrationem panis conuerti in corpus Christi; nam Deus etiam dato, quod non fiat secunda consecratio, vult suum corpus conseruare in esse ex vi primæ consecrationis, cùm ergò Deus non conseruet suum corpus in esse ex vi secundæ consecrationis, quia illa non existente adhuc erat idem corpus conseruaturus, sequitur iuxtà hanc doctrinam non posse panem conuerti in corpus Christi. 319

Sed qualis, & quanta sit huius argumenti energia, & sui Auctoris intelligentia ex eius textura, & modo loquendi colligi potest, dum inquit, quod Deus vult suum corpus conseruare in esse ex vi primæ consecrationis, & ex vi primi decreti, quo decreuit semper suum corpus conseruare; nam vt patet ex hoc modo loquendi idem prorsus apud ipsum sonat *Corpus Dei*, & *Corpus Christi*, quod an sit benè theologicè dictum, iudicet quilibet etiam parum in Theologia versatus: non enim propositiones illæ, quæ interdum per communicationem Idiomatum proferri possunt, debent simpliciter, & absolutè proferri in communi modo loquendi, vt absolutè verè in seipsis; & quamuis Ecclesia solemniter celebret festum corporis Christi, non tamen corporis Dei; Sed his scurrilibus dimissis, ad argumentum negatur consequentia, quod facta prima consecratione, ex vi cuius conseruaret Deus corpus Christi in Eucharistia, non possit rursus illud conseruare ex vi secundæ, & tertiæ consecrationis, & aliarum sequentium, quia consecratio in ordine ad conuersionem panis in corpus Christi non exercet causalitatem nisi moralem; quamuis autem respectu eiusdem effectus plures causæ physicæ totales dari non possint, plures tamen morales non repugnant iuxtà dicta *disp.* 8. *Phys. quæst.* 3. *art.* 2. *num.* 68. & superius *disput.* 2. *de baptis. num.* 60. & 65. & *q.* 9. huius *disp. art.* 2. *num.* 212.

Denique constat ex dictis *num.* 299. quomodo sententia de Transubstantiatione adductiua sit magis de mente Scoti, & magis congrua ad explicandum huius mysterij sacramentum, vt de facto est institutum; & nihil vrgere, quæ contrà eam objicit præfatus Auctor *contr.* 18. *cit. concl.* 2. quia hanc Transubstantiationem non dicimus consistere in pura, & nuda adductione corporis Christi sub speciebus, vt patet ex dictis paulò superius *num.* 315

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

An de potentia absoluta posset corpus Christi esse præsens speciebus panis, manente adhuc panis substantia, & verborum veritate.

HVius etiam quæstionis discussio ad exactam transubstantiationis notitiam necessaria est, quæ duas habet partes, vt ex eius titulo constat; Prima est an simpliciter, & absolutè loquendo, & sine vllo respectu ad verba consecrationis posset fieri præsens corpus, & sanguis Christi speciebus panis, & vini manentibus eorundem substantijs; Secunda est, an etiam id fieri posset manente verborum veritate; quamplures enim primum concedunt, sed secundum omninò negant. 320

Quoad primam quæstionis partem nonnulli Thomistæ ex sola præsentia Christi corporis sub speciebus absentiam sub-

substantiæ panis colligentes cum D.Thoma *q.75.art.2.* opinati sunt etiam de potentia Dei absoluta omninò repugnare corpus Christi verè, & realiter sub speciebus panis, & vini existere eorundem substantijs sub illis remanentibus; Alij verò putarunt Christum quidem absolutè posse fieri præsentem in sacramento manente adhuc substantia panis, non tamen fore præsentiam eiusdem rationis cum illa, quam nunc habet in Eucharistia, quibus ex Recentioribus subscribere videtur Auersa *quæst.3.sec.6.* Communior tandem opinio absolutè concedit fieri posse, vt Christus salua manente panis substantia haberet præsentiam sacramentalem eiusdem etiam rationis cum illa, quam nunc habet, quod etiam docuit Scotus *4.dist.10. quæst.1. & d.11.q.3.* quem omnes ferè Recentiores sequuntur. Quo verò ad alteram quæstionis partem Thomistæ rursus, quos in hac parte omnes ferè Recentiores sequuntur, putantes absentiam panis omninò colligi ex verbis consecrationis, asserunt consequenter, salua eorum veritate, non posse substantiam panis sub eiusdem accidentibus remanere; Scotus verò è contrà *loc.cit.* cum omnibus suis nedùm absolutè censet non repugnare substantiam panis, & corporis Christi sub ijsdem speciebus simul remanere; sed etiam salua veritate verborum consecrationis, non quidem veritate practica, quam modò habent ex institutione Dei, & Christi cuius virtute ea propositio est conuersiua de facto; sed veritate speculatiua, quæ est ex instituto humano, & nullius factiua, vt clarius infrà patebit explicando Scoti sententiam.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæstionis Resolutio quoad primam partem.

321 Dicendum est, absolutè loquendo fieri potuisse, vt Christus salua manente substantia panis haberet præsentiam sacramentalem eiusdem rationis, quia nunc est præsens eisdem speciebus. Est Scoti *loc. cit.* cum omnibus Scotistis, & communis inter Recentiores, & probatur, quia in hoc nulla assignari potest repugnantia, nec ex parte ipsarum rerum, seù terminorum, idest, corporis Christi, & substantiæ panis, nec ex parte mutationis, aut actionis, per quam fit illa præsentia; non quidem ex primo capite, quia non repugnat vnum corpus fieri alteri præsens in eodem loco per mutuam penetrationem; ergo neque repugnat fieri præsens sacramentaliter; tùm quia etiam nunc de facto quantitas corporis Christi est intimè præsens quantitati panis; ergo eodem modo substantia corporis Christi præsens fieri posset substantiæ panis, cùm hic non sit maior difficultas, quàm ibi, non enim est magis incompossibilis substantia substantiæ, quàm quantitas quantitati, cùm omnis incompossibilitas substantiarum in eodem loco à quantitate præsertim ortum ducat; tùm tandem quia substantia Angeli per solas naturæ vires potest fieri indiuisibiliter præsens substantiæ panis; ergo etiam substantia corporis Christi per absolutam ipsius Dei potentiam. Sed neque ex secundo capite vlla repugnantia potest assignari, scilicet, mutationis, aut actionis per quam fit talis præsentia, quia duæ actiones partiales hic intelligi possunt, vt ait Scotus *loc. citat.* aut mutationes, vna priuatiua, qua panis substantia desinit, altera positiua, qua corpus Christi fit præsens; hæ autem actiones non sunt essentialiter connexæ, & à seinuicem separari possunt; ergò corpus Christi posset fieri præsens speciebus sine panis desitione, sicut vicissim panis sine præsentia corporis Christi desinere posset. Conf. quia de facto non fit præsens corpus Christi in hoc sacramento formaliter per desitione panis, cùm enim hæc sit negatio actionis conseruatiuæ, non potest esse corporis formalis ratio essendi hic, sed per actionem positiuam producentem, vel melius adducentem corpus Christi sub speciebus panis; sed hæc ipsa terminari posset ad corpus Christi sub eisdem accidentibus, non corrupta panis substantia; ergo fieri posset præsens sacramentaliter manente substantia panis; minor probatur, quia substantia panis ad hanc actionem non concurrit, nisi vt terminus à quo positiuus, atque ideò intrinsecè talem actionem non variat, cùm extrinsecè tantum, & connotatiuè ad eam concurrat; sicut à pari eadem foret actio creatiua animæ, siuè corrupto, siuè manente embrione, & eadem foret actio eductiua formæ ignis, siuè manente, siuè corrupto termino à quo positiuo; Quarè si corpus Christi fieret præsens speciebus manente substantia panis, intrinsecè, & formaliter esset eadem actio, quæ nunc est, & solùm connotatiuè diuersa, quia non connotaret desitionem panis, defectu cuius connotationis non diceretur conuersio. Ex tandem deducitur, quod etiam foret præsentia eiusdem rationis cum illa, quam habet nunc in Eucharistia, haberet enim omnes intrinsecas conditiones, quas nunc habet, quæ præsertim sunt tres; vna est, quod corpus Christi ità sit præsens sacramento, vt non amittat præsentiam in Cœlo; altera, quod sit indiuisibiliter præsens, idest, totus in toto, & totus in qualibet parte, vltima tandem, quod intimè, & inseparabiliter sit præsens cum accidentibus panis; has autem conditiones posset habere manente panis substantia; hoc solum esset discrimen, quod tunc accidentia panis non essent sine subiecto, vel si essent sine subiecto, non tamen distarent ab illo; quod omninò per accidens se habet ad præsentiam corporis Christi, quarè non impediret, quin adhuc esset eiusdem rationis; ità hanc conclusionem cum Scoto probant Suarez *disp.49.sec.1.* Beccanus *c.18. q.1.* & alij Recentiores passim.

322 Resp. Auersa *loc. cit.* per Christi præsentiam sacramentalem ità substantiam panis excludi, vt nec etiam de potentia absoluta possit relinqui sub suis accidẽtibus, sicut anteà erat, licet posset alio modo à Deo conseruari; & inquit rationem adductam probare solum substantiam panis non excludi per præsentiam Christi localem, quod vltro concedit; non tamen probat, quod non excludatur per sacramentalem, quæ quidem non respicit spatium, sed ipsa accidentia panis, quamuis enim corpus Christi sit in loco specierum, non tamen est sub speciebus, vt in loco, sed per præsentiam sacramentalem; quod ità explicat, quia per hanc præsentiam constituitur Christus sub ipsis accidentibus, non quidem eo modo, quo ijs suberat substantia panis per modum subiecti sustentando accidentia; quin potius opposito modo, quo fit, vt accidentia auellantur ab ipso subiecto, cui inerant, & dissoluatur vnio inhæsiua, quam cum illo habebant, fiuntque per se existentia, eo quod sit talis modus præsentiæ, & vnionis Christi cum accidentibus, vt non compatiatur simul secum modum naturalis vnionis accidentium cum suo subiecto; per hanc ergo accidentium auulsionem excluditur substantia panis de sub ijs accidentibus, & consequenter etiam desinit, quia sine accidentibus conseruari non potest; concludit itaque substantiam panis excludi per præsentiam corporis Christi, non quidem localem, vt benè probat argumentum pro nostra sententia adductum, sed per præsentiam sacramentalem iam explicata, etiam in ordine ad potentiam Dei absolutam, quia cum tali modo præsentiæ, & vnionis inter corpus Christi, & species est prorsus incompossibilis naturalis modus vnionis, & inhæsionis eorundem accidentium cum suo subiecto; fatetur tamen posse à Deo substantiam panis, quæ de facto excluditur de sub accidentibus suis, vel sine accidentibus, vel cum alijs consimilibus in eodem loco conseruari, quia in hoc nulla repugnantia apparet de possibili.

323 Sed gratis omninò dicitur modum sacramentalis præsentiæ, & vnionis Christi cum accidentibus esse talem, vt secum non compatiatur etiam de potentia Dei absoluta modum naturalis vnionis accidentium cum suo subiecto, nam supra *q.10.art.2.* iam conclusum est cum Scoto *4. d. 10. quæst. 6. concl.4.* inter species, & corpus Christi nullam physicam intercedere vnionem, nec formalem, nec effectiuam, sed solum realem, & inseparabilem præsentiam, qua Christus est indissolubiliter præsens speciebus, quæ indissolubilis præsentialitas non ab aliqua formali vnione physica attendi debet, neque ab aliquo naturali, & necessario vinculo, sed solùm à diuina voluntate, quæ decreuit corpus Christi esse intimè præsens speciebus, quousq; esse specierum retinent; non ergo ex vi alicuius actionis physicæ desinit substantia panis, qua corpus Christi fiat præsens accidentibus panis, quia ex natura rei nulla est physica incompossibilitatis inter corpus Christi sub speciebus contentum, & substantiam panis, sed aut ex sola Dei voluntate, vt ait Doctor *4. dist. 11. q.4.§.ad quæst.* aut ex ipsa verborum veritate, non quidem speculatiua, sed practica, vt iam instituta est in huius sacramenti institutione. Deindè si semel conceditur, posse substantiam panis simul conseruari cum corpore Christi sine vnione cum accidentibus, adhuc tamen cum intima præsentia sub illis; æquè benè habemus intentum, quod adhuc corpus Christi præsentiam sacramentalem haberet sub speciebus simul cum substantia panis, & quidem eiusdem ra-

rationis cum ea, quam nunc habet in Eucharistia, quia haberet tres illas conditiones iam enumeratas, quæ sunt de eius intrinseca ratione; quod enim substantia panis remaneat sub accidentibus, vel per simplicem indistantiam, vel etiam cum vnione ad illa, omninò per accidens sed habet ad præsentiam sacramentalem corporis Christi, nec obstare potest, quin adhuc in eo casu esset eiusdem rationis. Hinc Suar. *disp.* 49. *sec.* 1. *& disp.* 50. *sec.* 6. Coninch. *art.* 4. *dub.* 5 *concl.* 3. & alij Recentiores cum Scoto loc. cit. concedunt substantiam panis ex vi præsentiæ, quia in hoc sacramento Christus existit, non formaliter excludi, ita quod non solùm de potentia absoluta Dei, sed etiam ex natura rei abstrahendo ab efficacia, & veritate verborum, posset in sacramento existere Christus cum eadem illa præsentia, quam nunc de facto habet, non excludendo substantiam panis, quia non existit modo quantitatiuo, sed instar substantiæ spiritualis qui modus existendi non excludit aliam rem ab eodem loco.

324 Dices cum Amico *disp.* 18. *sec.* 6. per hoc non saluari naturam physicæ conuersionis, quæ in eo à morali distinguitur, quod physica per intrinsecam, moralis per extrinsecam duntaxat incompossibilitatem opponitur termino à quo; connaturalior autem modus, & magis proprius conuersionis est, vt per intrinsecam incompossibilitatem terminus ad quem conuertat in se terminum à quo, alioquin si sola extrinseca agentis voluntas ad cõuersionem sufficeret, corruptio lapidis ex sola Dei voluntate connexa cum productione Angeli, esset conuersio lapidis in Angelum.

Respondeo negando ad veram, & propriam conuersionem requiri semper physicam connexionem inter desitionem termini à quo, & positionem termini ad quem, & per intrinsecam incompossibilitatem vnius cum alio, ad hoc enim etiam sola moralis connexio sufficere potest vt dictum est *quæst.* 12. *art.* 1. *numer.* 286. vbi etiam illam instantiam concessimus, si Deus velit angelum produci ex vi desitionis lapidis, & quando etiam hoc totum concederetur, & aliqua incompossibilitas ex natura rei admitteretur inter substantiam panis, & corporis Christi sub eisdem accidentibus; adhuc per hoc non conuinceretur, quod simul esse non possint per potentiam Dei absolutam: hoc enim incompossibilitas sola naturalis terminorum impedire non potest, sicut patet de qualitatibus, & formis oppositis, quæ naturaliter se excludunt, & tamen à Deo simul conseruari possunt; gratis tamen concedimus, quod si corpus Christi fieret præsens speciebus simul cum substantia panis hoc vtique non fieret per actionem conuersiuam, quæ modò interuenit, sed per actionem purè adductiuam corporis Christi sub speciebus panis; nam hæc ipsa actio adductiua, quæ modò conuersiuam comitatur, terminari posset ad corpus sub eisdem accidentibus non corrupta panis substantia, & esset eadem formaliter, & intrinsecè, quæ nunc est, & connotatiuè tantùm diuersa, quia non connotaret desitionem panis, defectu cuius connotationis, non diceretur conuersio, nec actionem conuersiuam habere annexam.

325 In oppositum arguunt Thomistæ, quia ad veritatem huius sacramenti spectat, vt in eo verum corpus Christi existat, quod ibi antè consecrationem non erat; sed non potest ibi de nouo poni corpus Christi, nisi per cõuersionem panis in ipsum, ergo &c. Minor probatur, quia quod incipit esse alicubi præsens, vbi antè non erat, aut fit præsens per motũ localem, aut per nouam productionem, aut per conuersionem alterius in ipsum; sed Christus non potest fieri præsens in Eucharistia per motum localem, aut per nouam productionem, vt suprà dictum est *quæst. præced.* ergò necessariò debet fieri præsens per conuersionem panis in ipsum. Confirmatur, quia Patres perpetuò pro ratione præsentiæ corporis Christi in Eucharistia adduxerunt conuersionem substantiæ panis in illud, quod præsertim ex Damasceno colligitur *lib.* 4. *cap.* 14. vbi ait corpus Christi esse in hoc sacramento, non quod ipsum ex Cœlo descendat, sed quoniam panis, & vinum transeunt in corpus, & sanguinem eius. Denique non tantùm Patres, sed Ecclesia ipsa in Concil. Lateranensi cap. Firmiter, de summa Trinitate pro causa præsentiæ hanc conuersionem adducit, cui posteà Concilia Florentinum, & Tridentinum subscripserunt.

326 Respondeo negãdo minorem loquendo de possibili, esto de facto ità contingat, ad probationem negatur maior, quia potest agens increatum ponere corpus aliquod, vbi antea non erat, per simplicem mutationem acquisitiuam absque vlla deperditiua, & absq; vlla conuersione alterius in ipsum; atq; ità Christus in eo casu posset fieri præsens intrà panem per actionem accidentalem, siuè per actionem adductiuã, per quam nihil acquiratur, quàm præsentia; ratio est, quia præsentia, quam Christus nunc habet in Eucharistia est modus realis, & accidentalis, vt suprà dictum est, atq; ideò per se primò actionem realem terminare potest, quarè sicut nũc de facto quasi secundariò producitur in sacramento cessante substantia panis per actionem adductiuam, quæ nunc cõ comitatur actionem conuersiuam, ità per se primo produci posset per eandem manente substantia panis, & nulla interueniente actione conuersiua. Ad Confirm. ex Patribus, & Concilijs conuersionem panis in corpus Christi pro ratione & causa eius præsentiæ sacramentalis adducentibus, dicendum est aliud esse loqui de cõuersione, vel actione conuersiua, vt sic, aliud verò loqui de conuersione, vt annexam habet actionem quoque adductiuam, vt de facto contingit in conuersione Eucharisticam; nam ex vi conuersionis, vt sic, terminus ad quem non necessariò ponitur, vbi erat anteà terminus à quo, vt dictum est *quæst. præc. ar.* 1. *numer.* 288. ex Scoto *quol.* 10. *sub lit. L. & N.* vbi proindè inquit, quod absolutè loquendo & panis posset desinere esse sine huiusmodi præsentialitate, & posset dari talis præsentialitas sine illa panis desitione, vt autem conuersio annexam habet quoque actionem adductiuam; vtique ratione istius actionis annexæ potest terminus ad quem esse per illam, vbi præfuit terminus à quo, & hoc est, quod ait Doct. 4. *distinct.* 11. *quæst.* 3. infra N. vbi inquit, quod transubstantiatio productiua non facit terminum ad quem esse, vbi non præfuit, sed transubstantiatio adductiua includit mutationem quandam ad simplicem præsentiam circa terminum ad quem, & ratione istius benè potest, inquit Doctor, terminus ad quem esse per illam, vbi non præfuit; quod totum suprà notauimus *num.* 301. Quandò ergo Patres, & Concilia dicunt conuersionem panis in corpus Christi esse causam præsentiæ eiusdem sub speciebus, loquuntur de conuersione, & transubstantiatione panis in hoc sensu, vt nimirum includit actionem adductiuam concomitantem, ratione cuius præcisè corpus Christi fit præsens sub accidentibus, sub quibus anteà erat substantia panis: non verò de conuersione, prout includit desitionem panis, quia panis absolutè loquendo desinere posset sine tali præsentialitate: quoniam verò actio adductiua non essentialiter connexa est cum conuersione, seù actione conuersiua, ideò diximus ex vi ipsius posse in præfato casu corpus Christi fieri præsens sub speciebus manente panis substantia.

Deindè arguunt, quia per eandem actionem, per quam ponitur corpus, & sanguis Christi in hoc sacramento, desinit substantia panis, & vini in illo: ergò implicat poni in hoc sacramento corpus Christi manente panis substantia, probatur assumptum, quia substantia panis, & vini est terminus à quo conuersionis, per quam ponitur corpus, & sanguis Christi in hoc sacramento: ergo per eandem actionem, per quam ponitur hic corpus, & sanguis Christi, desinit esse substantia panis, & vini, consequentia probatur, quia per eandẽ actionem, qua ponitur terminus ad quem, desinit, ac recedit terminus à quo, vt patet in generatione substantiali, quæ cùm sit essentialiter transitus à priuatione ad formam, non importat duplicem actionem, sed vnam, quam sit transitus de non esse formæ ad esse formæ. Confirmatur, quia si actio, qua in hoc sacramento ponitur corpus Christi, nõ est eadem, sed diuersa ab illa, qua desinit panis, vel talis actio præcisè, & formaliter sumpta est conuersio, vel non; hoc secundum dici nequit, quia tunc corpus Christi non poneretur formaliter per conuersionem in hoc sacramento, quod est contrà fidem; si primum habetur adhuc intentum, quod per eam actionem præcisè sumptam; qua ponitur corpus Christi, desinit substantia panis. Denique corpus Christi sub speciebus necessariò expellere debet substantiam panis ratione modi accidentalis superadditi, quo constituitur præsens speciebus, siuè sit præsentia de prædicamento Vbi, siuè modus aliquis vnionis cum speciebus est enim talis naturæ, vt secum non compatiatur modum naturalis vnionis cum suo subiecto, vt dicebat Auersa. 327

Respondeo huius argumenti solutionem cum eius confirmatione pendere ex solutione illius difficultatis; An panis esse desinat ex vi actionis, qua corpus Christi ponitur sub speciebus: in qua difficultate Thomistæ affirmant ob argumẽtum adductum. Alij verò dicunt panem quidem desinere ex vi alicuius actionis positiuæ, non tamen illius, qua corpus 328

pus

pus Christi ponitur sub speciebus, quia substantia panis, & substantia corporis Christi non repugnant formaliter, & intrinsecè propria physica repugnantia, nec in ordine ad locum, vbi sunt species sacramentales, nec in ordine ad ipsas species; non in ordine ad locum, quia præsentia localis corporis Christi in hoc sacramento talis est, vt sit modo indiuisibili, & consequenter, vt non expellat indè aliam substantiam ex natura sua, imò neque aliam quantitatem, vt contingit de facto; nec etiam in ordine ad species, quia seclusa præsentia non possunt duæ substantiæ repugnare in ordine ad accidentia, nisi propter aliquam vnionem cum illis, quia, scilicet, vnio vnius cum illis expellit vnionem alterius, sed hoc in præsenti dici non potest, quia corpus Christi non habet vnionem formalem cum accidentibus, nec etiam effectiuam, vt in superioribus dictum est; quarè concludunt quod si panis desinit ex vi alicuius actionis positiuæ, hanc aliam esse non posse, nisi illam, qua accidentia a substantia panis separantur, & per se solitariè constituuntur, facta namque tali separatione, necessariò substantia panis desinit esse, quia naturaliter sine accidentibus suis conseruari non potest; ità Suarez *disput. 50. sec. 6.* cum alij Recentioribus. Alij tandem dixerunt, substantiam panis non desinere esse, nec per illam actionem, qua corpus Christi ponitur sub speciebus, neque per vllam aliam positiuam; sed solùm ex pacto, & voluntate Dei, qui statuit non conseruare panis substantiam, statim ac corpus Christi sub accidentibus panis constitueretur, in quem dicendi modum Scotus inclinat 4. *dist. 11. quest. 4. §. ad quæstionem*, & fundamentum est, quia nulla res desinit esse primò per actionem positiuam, omnis enim positiua actio per se tendit ad dandum aliquod esse; ad destruendum autem, seu ad tollendum esse, non nisi ex accidenti, & consequenter, quatenus vnum esse alteri repugnat; sed in præsenti esse corporis Christi non repugnat cum substantia panis, vt probatum est; nec fingi potest aliqua alia res, quæ possit esse terminus actionis positiuæ, quæ cum illa substantia repugnet; ergò solùm potest desinere, quia à causa agente non conseruatur.

329 Ex qua doctrina ad argumentum propositum negādum est assumptum, ad cuius probationem neganda est consequentia, ad cuius rursus probationem dicendum est, per eādem actionem, qua ponitur terminus ad quem, desinere, & recedere terminum à quo ex accidenti, & consequenter, quatenus vnus cum altero esse repugnat, quod in proposito non verificatur ob rationem allatam, vndè restat, quod substantia panis desinat, quia à causa agente non conseruatur, vt tertia sententia dicebat; quod si placeat dicere cum secunda sententia substantiam panis desinere ex vi illius actionis, qua accidentia à substantia panis separantur, neque id obstat, quin per potentiam Dei absolutam adhuc substantia panis cum corpore Christi simul conseruari possit, quia licet ex vi talis separationis substantia panis naturaliter desinere deberet; adhuc tamen facta tali separatione potest conseruari supernaturaliter, vel potius poni potest corpus Christi sub speciebus nulla facta separatione substantiæ panis à proprijs accidentibus.

Ad Confirmationem dicendum, quod sicut in conuersione, seù transubstantiatione Eucharistica adsunt duæ veluti mutationes, & consequenter quatuor termini; vna est destructio panis, quæ habet pro termino à quo esse panis, & ad quem non esse panis; altera est positio corporis Christi ibi, quę habet pro termino à quo negationem corporis Christi, ibi & pro termino ad quem positionem corporis Christi ibi: ita pariter duplex actio partialis intelligi potest interuenire, vna destructiua panis, & altera factiua æquiualenter corporis Christi, si alibi non esset, quæ modò secum habet annexam adductiuam, vi cuius corpus Christi sub speciebus constituitur præsens; & quia ex illis duabus actionibus partialibus modo constituitur Eucharistica conuersio integrè, & adæquatè, hinc dicimus per conuersionem poni corpus Christi modò sub speciebus, vnde si ibi poneretur manente panis substantia, non poneretur ibi per conuersionem, sed per solam, & simplicem adductionem. Ad vltimum negatur assumptum, quia si talis modus accidentalis superadditus dicatur esse modus præsentiæ prædicamenti. Vbi, falsum est corpus Christi ratione talis modi debere substantiam panis expellere quia modus indiuisibiliter existendi non habet contrarietatem in eodem spatio cum corpore diuisibiliter existenti; Si verò sermo sit de alio quodam modo vnionis, iam constat ex dictis nullam talem vnionem dare inter corpus Christi, & species, nec formalem, nec effectiuam; & quando etiam talis modus daretur, adhuc probari non potest illum modum habere contrarietatem cum modo, quo substantia panis cum suis accidentibus vnitur per receptionem, & informationem, tum quia licet corpus Christi vniretur accidentibus panis, tamen propriè illa non reciperet; tùm etiam, quia modus ille, quo corpus Christi accidentibus panis vniretur, adhuc esset longè diuersæ rationis, nam per illum totus Christus esset sub integris speciebus, & totus sub quamlibet specierum parte.

Postremò arguunt ex absurdis, Primò quia opposita sententia tolleret reuerentiam debitā Christo, vt est in Eucharistia, cui debetur cultus latriæ; sed dato casu, quod ibi maneret substantia panis, non deberet talis cultus exhiberi propter idolatriam adorando creaturam. Secundò quia tolleret significationem huius sacramenti, debet enim illud primò significare corpus, vt primum signatum; sed si ibi maneret substantia panis, ipsa haberet rationem primi significati. Tertiò, quia tolleret formam Eucharistiæ, in qua dicitur, hoc est corpus meum, quod non esset verum, si substantia panis ibi maneret, nunquam enim substantia panis est corpus Christi, sed potius esset dicendum, Hic est corpus meum. Quartò tandem tolleret vsum huius sacramenti, qui talis est, vt sit cibus spiritualis animæ, si verò maneret substantia panis, ipsa esset verè cibus quoque corporalis. 330

Resp. ipse Doctor *dist. 11. quest. 4. cit.* infrà B. etiam ea hypotesi data nullum sequi ex illatis absurdis; non primum, quia etiam modo non est idolatra, qui adorat Christum in Eucharistia, & tamen negari non potest, quod etiam modò non sit ibi aliqua creatura, scilicet, species illæ; & ratio est, quia non est adorandum sensibile continens, sed Christus contentus; & eodem modo tunc diceretur Christum contineri sub pane quanto, & quali, & ità non panem adorari, sed Christum in pane contentum, vt in signo. Nec sequitur secundum absurdum, quia primum significatum ex institutione debet esse corpus Christi, & ità est, siuè maneat substantia panis, siuè non, sed primum significatum accidentium, quod scilicet naturaliter significant, semper est substantia illa, quam primò affecerunt, vel nata essent afficere, quia illa significatio naturalis non mutatur; vndè inquit Doctor, quod argumentum est potius ad oppositum, quia si esset hic substantia panis, illa duplex significatio esset vera scilicet naturalis, qua accidentia significant substantiam panis, & illa quæ est ex institutione diuina, qua sensibile significat corpus Christi, sed nunc non potest saluari nisi præcisè altera vera. Nec sequitur tertium absurdum, verum est enim, quod hoc est corpus meum, & hic est corpus meum, sed non hoc accidens, sed contentum sub accidente, eodem modò si adesset panis, non hoc, quod est substantia panis esset corpus, sed hoc quod est contentum sub pane, est corpus, maluit autem Saluator vti vocabulo Hoc, quàm Hic, quia magis exprimit veritatem Eucharistiæ, licet vtrumque dictum esset verum. Nec tandem sequitur quartum absurdum, quia modò manifestum est, quod illæ species nutriunt secundum Ap. 1. Cor. 11. vnus quidem esurit, alius autem ebrius est, & hoc ex perceptione specierum sacramentalium; & tamen non negatur hic esse cibum animæ, cùm datur contentum sub cibo corporali, ità etiam si poneretur ibi panis manere, esset ibi nutrimentum corporale, & tamen contentum sub illo esset tantùm nutrimentum animæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Deciditur Quæstio quoad alteram partem.

QVoad alteram quæstionis partē, in qua est maior controuersia, dicēdum est quod, salua totali veritate verborum consecrationis potuisset substantia panis remanere sub accidentibus vna cū corpore Christi; ita Doct. 331 4. *d. 11. q. 3. cit. art. 1. lit. A.* vbi inquit absentiam, vel desitionem panis absolutè loquendo non colligi efficaciter, ex verbis consecrationis, Hoc est corpus meum, quia dato, quod substātia panis maneret, adhuc saluaretur veritas illius propositionis, quidem non demonstraret substantiam panis, sed contentum sub pane, sicut modo non demonstrantur accidentia, quia tunc esset propositio falsa, sed est sensus, hoc ens contentum sub isto signi sensibili

est

est corpus meum; Conclusio prius est declaranda deindè probanda, pro cuius declaratione aduertendum est cum Hiqueo in suo Comentario loc. cit. controuersiam præsentem esse solum de virtute particulæ demonstratiuæ, an possit demonstrare corpus Christi contentum sub substantia panis quanti,& qualificati, non autem, an propositio vt est conuersiua de facto, verificari possit, nisi facta conuersione, quia Doctor in decisione illius primi articuli §. *quantum ergo* vltrò admittit hunc esse præcisum eius sensum, inquantum practica est,& de facto ex institutione Christi; Tantum ergo quæritur, an hic sensus eius practicus, quem de facto habet ex Christi institutione, euidenter colligatur ex particula demonstratiua inquantùm hæc ex institutione communi hominum significat, itaut aliàs demonstratio, & consequenter oratio esset falsa, nisi fieret conuersio, quamuis Christus esset præsens substantiæ panis, eo modo, quo nunc est præsens speciebus: vel certè an ità possit accomodari institutio Christi huic formæ, salua eius veritate speculatiua, quam habet ex communi hominum institutione, vt faceret corpus Christi præsens non conuertendo substantiam panis in ipsum; Non sunt ergò confundendæ hæ duæ significationes formæ quarum altera est speculatiua, quæ est ex humano instituto, & nullius factiua; altera verò practica ex institutione Dei, & Christi, qua hæc propositio est factiua sui termini eo modo, quo reliquæ formæ sacramentales dicuntur practicæ ex diuina institutione, & non humana: & ne has significationes confundamus, sermo hic est de particula, & propositione demonstrante iuxtà veritatem, quæ illi competit in priori sensu speculatiuo, itaut sensus quæstionis sit, an possit illa præsentia demonstrari de rigore sermonis per illam propositionem Hoc est corpus meum, etiamsi non esset practica, sed tantum speculatiua; vel si illa forma potuisset ità institui, vt tantum esset adductiua corporis Christi, & non conuersiua panis in ipsum; & in hoc sensu explicato quæsito per positam conclusionem affirmatiuè respondemus.

332 Sic ergo declarata conclusio probatur ratione Doctoris, vt eam deducit Hiqueus, quia ly *Hoc* in ea propositione non demonstrat accidentia, quæ sunt præsentia, sed contentum tantùm sub accidentibus esse corpus Christi; Sed in casu posset habere eadem veritatem, quamuis maneret substantia panis, ergò ex vi sermonis non colligitur substantia panis abesse, inquantùm propositio est demonstratiua; Minor probatur, particula demonstratiua non magis nata est referri ad substantiam panis quantùm ad significationem absolutam, quæ ipsi competit, quam ad quodcumque ens præsens; ergo non magis nata est demonstrare substantiam panis, quam ipsa accidentia, pro quibus determinatè etiam supponere potest; ergo si in ea propositione non designat accidentia, sed tantùm corpus Christi, ità etiam non designaret substantiam panis, si adesset, quia tunc pro nomen Hoc, non demonstraret substantiam panis, sed contentum sub illa, sicut modo non demonstrat accidentia, sed contentum sub eis. Conf. nam quando aliquod commune demonstratum restringitur per prædicatum, non stat, nisi pro eo, quod est sub illo prædicato, etiamsi alia sub illo communi contineantur per regulam logicam docentem, quod talia sunt subiecta, qualia permittuntur à suis prædicatis, vndè dicendo, hoc animal est homo, vel Sortes, animal non stat pro leone, vel equo; ergò demonstrato hoc ente contento sub speciebus restringendo ad corpus Christi, subiectum stabit præcisè pro ente, vel substantia, quæ est corpus Christi, quamuis etiam sit ibi substantia panis; adhuc ergo in tali casu seruaretur veritas speculatiua verborum cum coexistentia panis; & sensus formæ optimus esset, quod id, quod est sub pane demonstrato, esset corpus Christi, quod planè verum esset, si corpus ipsius esset simul præsens realiter cum substantia panis; vbi valdè aduertendum est, quod non dicit Doctor, sensum formæ esse, corpus Christi esse, quod sub speciebus panis solis continetur, sed quod continetur sub pane, seù sub substantia panis quanti, & qualificati; vndè data hac hypotesi signum sensibile corporis Christi in sacramento non essent solæ species, seù sola accidentia panis, vt modò, sed ipsa substantia panis cum talibus accidentibus; sicut cùm demonstrato dolio verè dicitur hoc est vinum, cuius sensibile signum non sunt sola accidentia ligni, sed ipsa ligni substantia cum talibus accidentibus.

333 Respondet Suar. *disp.* 49. *sec.* 2. illud pronomen *hoc* applicari posse, vel ad rem, quæ ex natura sua, vel vsu, vel arte aliam continet, vt dolium crumena, & similia, quæ aliud continent instar vasis, & in his verificatur, quod ipsis demonstratis demonstratur substantia, quæ sub eis continetur, vt si quis ostenso dolio dicat, hoc est vinum; vel applicatur rei, quæ non est apta continere aliam ad instar vasis, vt triticum, & res similes, & ista demonstrant solam substantiam, quæ proximè sub illis accidentibus continetur; vndè si quis demonstrato tritico dicat, hoc est aurum, dato quod sub massa tritici esset aurum, non significaret aurum, sed solam tritici substantiam, quia triticum de sui natura, & ex communi vsu non est aptum demonstrare aliud, quàm substantiam proximè contentam sub proprijs accidentibus; sed panis est de numero istarum secundi ordinis, quæ non sunt apta demonstrare aliud, sed solum substantiam proximè contentam sub proprijs accidentibus; quarè si in Eucharistia esset simul cum corpore Christi etiam substantia panis, illud pronomen Hoc, non demonstraret corpus Christi, licet ibi existeret, sed solam substantiam panis, & sic verba consecrationis essent falsa; Addunt Cardinalis de Lugo Meracius, & alij, quod si præter vinum in dolio esset aliud admixtum, illa propositio hoc est vinum, esset falsa, quia hæc propositio facit sensum totum quod continetur in hoc dolio, est vinum, talis est enim vis huius voculæ demonstratiuæ *hoc* ex communi vsu; vndè si quis haberet bursam plenam auro, & argento, non posset verè dicere, hoc est aurum, vel argentum, sed hoc est aurum, & argentum, quia ly *Hoc* significat totum, quod est in crumena; illud autem totum non est aurum, nec argentum, sed vtrumque simul; quarè in casu nostro, si prçter corpus, & sanguinem Christi sub eisdem accidentibus contineretur etiam substantia panis, & vini, non essent veræ illæ propositiones, hoc est corpus meum, hic est sanguis meus.

Hæc solutio vim argumenti non tollit, quamuis enim panis sit de numero rerum secundi ordinis, quæ non sunt nata demonstrare aliud præter substantiam proximè contentam sub proprijs accidentibus; hoc solùm verum est quoad significationem naturalem, non autem quoad significationem ex institutione, quam ex placito alicuius instituentis fundare potest; vt patet de ramo viridi, qui cum suis accidentibus significat naturaliter propriam substantiam sub eis contentam, & ex institutione significare potest vinum vendibile: Sicut ergò etiam de facto siuè substantia, panis maneat, siuè non, significatum naturale accidentium semper est substantia panis, quam primò affecerunt, vel nata sunt afficere, quia illa significatio naturalis non mutatur; significatum verò ex institutione est corpus Christi, vt ait Doctor *dist.* 11. *quæst.* 3. *sub lit. C.* ità data illa hypotesi accidētia panis remanere possent cum duplici significatione actuali, naturali, scilicet, & ex institutione, adeò quod facta consecratione, si panis remaneret, accidentia illa significarent panem naturaliter, & corpus Christi ex institutione; Quandò autem terminus aliquis pro diuersis accipi potest, & supponere in oratione per diuersas significationes eiusdem etiam ordinis, potest per adiuncta limitari, vt pro vno tantum supponat, vt patet in exēplo allato quando dicimus, hoc animal est homo, vel Sortes, talia enim sunt subiecta, qualia permittuntur à suis prædicatis, à quibus determinantur, ex regula logica iam assignata, ergò à fortiori, quando significationes sunt diuersi ordinis, vt vna sit naturalis, & alia ad placitum, ratione adiuncti potest, vel pro naturali significato, vel pro illo, quod est ex instituto, in propositione supponere, & sic contingeret in proposito, vbi forme ex instituto Christi significatet præsentiam sui corporis sub speciebus simul cum pane. Confirmatur à simili, quia hæc propositio est vera *Hic est calix congelatus* designando calicem consecratum, vbi demonstrantur tantùm species, quibus competit prædicatum, & non ipsum contentum, cui repugnat; vndè sicut hoc prædicatum tantùm speciebus consecratis conuenit, ita etiam particula demonstratiua ad eas solas refertur, & non ad Christum contentum, alioquin propositio vera non esset; ergò particula demonstratiua id determinatè tantùm demonstrat, ad quod limitatur adiuncta; in proposito autem limitatur per adiunctum prædicatum, vt demonstret corpus Christi præcisè, & non aliud.

Prætereà falsum est etiam, quod addebat Card. de Lugo, quod ex communi sensu ly *Hoc* significet totum, quod est sub speciebus; quia etiamsi panis substantia destruatur, vt de facto contigit, adhuc ly *Hoc* non significat totum, quod continetur sub speciebus, non enim significat humanitatem,

tatem,nec diuinitatem Christi,cùm de illis non sit verum dicere,quod sint corpus Christi;ergò ex prædicato adiuncto ly *Hoc* determinatur ad significandum tátùm illud, cui natum est competere verè, & propriè prædicatum corporis; quarè data etiam hypotesi, quod facta consecratione adhuc substantia panis permaneret,non necessariò ly *Hoc* totum significaret,quod sub speciebus côtineretur, sed determinari posset ex prædicato adiuncto, vt significaret solùm illud, quod est corpus Christi.Conf.quia ex communi sententia non impedit veritatem formæ sanguinis, quæ est etiam demonstratiua,quando ex casu aqua non conuertitur in vinum;& hoc non obstante Ecclesia per particulam demonstratiuam designat solum corpus,& sanguinem Christi in illa Canonis precatione *hæc commistio,& consecratio corporis, & sanguinis &c.* ergo particula demonstratiua non necessariò significat totum,quod est sub speciebus,sed solam sanguinis præsentiam, quamuis aqua sit in calice admixta;Deniq;ad tollendas omnes instantias,& cauillationes aduertendum est, quod iam diximus,quod data hypotesi signum sensibile corporis Christi in sacramento non essent solæ species, aut sola accidentia panis,sed ipsa substantia panis cum talibus accidentibus;sicut signum sensibile vini vendibilis non est sola rami expositi viriditas, sed ipsa quoq; rami substantia cum suis accidentibus, & signum sensibile vini in dolio contenti non sunt sola accidentia ligni,sed ipsa etiam ligni substantia cum talibus accidentibus; & ideò cùm sub sensibili panis substantia solum corpus Christi contineretur,de ipso solo forma consecrationis verificaretur , & ly *Hoc* solam corporis Christi præsentiam significaret,& demonstraret,non autem panis substantiam,quia data hypotesi etiam hæc esset signum simul cum suis accidentibus, non verò signatum.

336 Sed Obijciunt, Ecclesiam ex verbis formæ colligere conuersionem panis,& vini in corpus,& sanguinem Christi, vt patet ex Trid.*sess.*13.*cap.*4.vbi ait,Quoniam autem Christus Redemptor noster corpus suum id, quod sub specie panis offerebat,verè esse dixit; ideò persuasum semper in Ecclesia fuit per consecrationem panis, & vini fieri conuersionem totius substantiæ panis in substantiam corporis Christi ; ità Conc.Trid.*l.c.*ex quibus verbis manifestè colligitur veritatē verborum constare non posse manente substantia panis, & vini;& per consequens ex veritate verborum consecrationis rectè colligi absentiam panis, & vini in sacramento Euchar.

Resp.ex dictis ab initio articuli, gratis concedendo ex veritate verborum supposita institutione,quam Christus de facto habuit,& Apostolis significauit,à quibus per traditionem transmissa est ad posteros colligi absentiam panis, eiusq;conuersionem in corpus Christi, nam ipse significauerat in huius sacramenti institutione ità corpus suum esse sub speciebus præsens,vt substantia panis non esset presens simul cum ipso; cum quo benè stat , vt adhuc ex veritate verborum secundum se præcisè spectatorum talis conuersio, & absentia panis non colligatur; Vndè quando Concilium inquit, quia Christus dixit,quod offerebat,esse corpus suum, ideò semper in Ecclesia persuasum fuisse per consecrationem panis,& vini fieri conuersionem &c.his verbis significare voluit, quod licet possent eorum verborum alij sensus esse, hunc tamen Ecclesia à Deo edocta ex illis verbis elicuit,non autem quod ille solus ex vi verborum in se præcisè spectatorum elici debeat,vt fusius prosequitur Hiq.*loc. citat.*

337 Deindè arguunt ratione , nam quando duæ substantiæ sunt in eodem loco, quia altera videtur,& apparet per propria accidentia illi inhærentia,altera est inuisibilis,& latens; tunc qui demonstrat contentum sub accidentibus,non designat substantiam inuisibilem,& latentem, sed substantiam, cuius illa sunt accidentia,præsertim si propriè,& non figuratè loquatur;vndè quando corpus Christi penetratiuè fuit in sepulchri lapide,si quis ostenso lapide dixisset, hoc est corpus Christi,non rectè,& propriè dixisset,quia illa accidentia designabant lapidem,cui inhærebant,non autem Christum, qui tantùm concomitanter erat ibi;eodem ergo modo, si panis cum suis accidentibus esset in Eucharistia visibiliter, & simul inuisibili modo adesset corpus Christi,non propriè diceremus, hoc est corpus Christi, quia illud pronomen *Hoc* designat proximum contentum sub accidentibus, quod non esset corpus Christi,sed substantia panis;ità arguit Beccanus *c.*18.*q.*2.*n.*17. vbi tamen fatetur hoc argumentum esse efficax moraliter,non autem metaphysicè.

Respondeo, quod quamuis regulariter loquendo ità contingat;absolutè tamen aliter fieri potest, nam accidentia altaris suaptè natura non sunt apta significare, nisi substátiam panis, & tamen corpus Christi ex diuina institutione de facto repræsentant;& significant,sicut ergo potuit Deus facere,vt quod est signum vnius rei naturale,sit signum alterius ad placitum,& artificiale; sic etiam facere potuit, vt panis, 338
qui cum suis accidentibus est signum naturale suæ substantiæ, ex particulari institutione esset signum ad placitum corporis Christi;& tunc sicut ab illis, quibus talis institutio notificata fuisset, certitudinaliter credi posset sub accidentibus panis realiter etiam corpus Christi reperiri simul cum ipsa panis substantia;ità etiam posset ab illis ostenso pane demonstrari,& dici,Hoc est corpus meum, quibus verbis significaretur tantùm substantia corporis Christi, & non substantia panis , tùm quia prædicatum illud *corpus meum* non potest permittere ly *Hoc* & supponere pro substantia diuersa ab ipso corpore Christi;tùm quia determinaretur locutio Christi in eo casu ad significandum illud tantùm, de quo posset dubitari,an esset corpus Christi; non posset autem rationabiliter dubitari de speciebus, aut substantia panis, quod essent corpus Christi, & ideò ex vi verborum determinaretur ad illud solum significandum,cui posset competere prędicatum corporis Christi; Et planè sicut fieri potuit ex hominum institutione, vt substantia, quæ est tantùm sui ipsius repræsentatiua cum his, vel illis accidentibus aliam substantiam demonstrare possit,vt patet de dolio,arca,crumena &c.vt proptereà ostenso dolio, vel marsupio,possit cum omni proprietate dici,hoc est vinum,hoc est aurum;ità etiam ex institutione diuina fieri potuit, vt panis suaptè natura aptus ad seipsum solùm repræsentandum possit aliam quoq; repræsentare substantiam sub se contentam,tanquam sub signo sensibili & facere vt substantia panis cum suis accidentibus corpus Christi præsens significaret,& proptereà eo ostenso cum omni proprietate sermonis dici possit Hoc est corpus meū, supposita eius reali existentia sub pane;nam vt ait Doctor *d.* 11.*q.*4.*infrà B.*dato,quod substantia panis maneret, non demonstraretur per ly *Hoc* substantia panis,sed contentum sub pane,sicut modò non demonstrantur accidentia, quia tunc propositio esset falsa ; sed sensus est,hoc ens contentum sub isto signo sensibili est corpus meum.

Deniq;etiam Aduersarij fateri coguntur,ad veritatem demonstrationis, & verborum consecrationis simpliciter, & 339
absolutè saluandam iuxta id, quod habet ex communi acceptione non fuisse necessarium conuersionem fieri,vt fit modo virtute formæ per destructionem panis; siquidem quamplures ex ipsis etiam tenent hanc consecrationem Deum ità facere potuisse , vt fieret Christus sacramentaliter præsens speciebus non conuerso pane in ipsum, sed vel annihilato, vel separato, & alibi conseruato, quo casu saluaretur veritas demonstrationis,& verborum consecrationis absq;vlla conuersione panis in corpus Christi , iam ergo sic discurrendo fatentur ad veritatem demonstrationis,& verborum consecrationis solùm requiri,vt Christus, sit præsens sacramentaliter, vel alio modo realiter , nec necessariò requiri conuersionem panis in corpus Christi; iuxtà quam doctrinam estò ex veritate verborum absentia panis necessariò colligeretur, non tamen eius conuersio in corpus Christi,vndè ipsi quoq; explicare tenentur testimonium Concilij Trid.*loc.cit.* quod contra nos adducunt, vbi ex verbis formæ non tantum absentiam panis, sed etiam eius conuersionem deducere videtur,vndè non minus contrà ipsos, quam contra nos militat, si intelligatur, vt ipsa verba sonant ; Sicut ergo, ipsi quoque gratis admittunt ex veritate verborum non sufficienter colligi conuersionem panis in corpus Christi , non obstantibus Concilij verbis, sed tantùm absentiam panis, nam stante tali absentia panis, siuè conuertatur in corpus Christi, siuè non, verba consecrationis,Hoc est corpus meum, verificarentur, significarent enim solum Christi corpus contineri sub accidentibus panis,sicut nunc de facto continetur;Ità nos quoq; vlterius addimus,quod adhuc non obstante præsentia panis, forma esset vera,ob rationes adductas; Et sicut ipsi dicunt, quod ex veritate formæ secundum se consideratæ, seclusa institutione particulari Christi, qua voluit vt esset præsens per conuersionem panis in ipsum , non potest probari sufficienter conuersio;ità quoq;nos addimus nec etiam sufficienter indè deduci posse absentiam panis, quia panis præsentia non impediret, quo minus forma tum significaret illam rem,quæ est sub pane, hoc est simul præsens cum pane, esse corpus Christi.

QVÆ-

QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

Quid possit Christus agere, & pati, prout existens in Eucharistia.

340 PRocedit quæstio tam de actionibus, & passionibus spiritualibus, quàm de corporeis, & materialibus, & est quæstio tam de corpore, quàm de anima Christi sacramentaliter existentis; & difficultas procedit de corpore Christi, non secundum statum, quem iam habet, nam cùm sit in Cœlo gloriosum, ac proindè impassibile, reipsa etiam in hoc sacramento est impassibile; procedit itaque difficultas abstrahendo ab eo statu, & considerato corpore Christi secundum suam naturam, & spectato secundum præsentiam sacramentalem præcisè; & sensus est, an abstrahendo ab eo, quod sit gloriosum, illud considerando passibile quomodo erat in nocte Cœnæ existens sacramentaliter, sit capax vllius actionis, aut passionis, tam immanentis, quàm transeuntis; Nec est difficultas de potentia Dei absoluta, quia de illa loquendo omnes concedunt posse efficere quascunq; actiones, tam spirituales, quàm materiales, ac etiam passiones eiusdem rationis recipere, cùm in hoc nulla appareat repugnantia, & Christus in sacramento existens habeat potentiam obedientialem, tam actiuam, quàm passiuam, sicut cæteræ creaturæ; Et tandem sermo est de actionibus, & passionibus, quæ per se primo Christo Domino conuenire possunt naturaliter, prout est in sacramento, & quærimus quas actiones exercere possit naturaliter in Eucharistia, & quas passiones possit ab alijs recipere; nam si sermo sit de his, quæ exercet in suo statu naturali in Cœlo, aut quæ illi in tali statu accidere possunt, an scilicet easdem quoque formas habeat etiam in sacramento per concomitantiam, pendet ex illa quæstione filosofica; an replicato aliquo corpore pluribus in locis, omnia quæ insunt illi in vno loco, etiam conueniant vbicunq; existit, quam iam tractauimus *disp.* 1. *Phys. q. vlt.* rem breuiter expediemus duobus sequentibus articulis, in quorum primo agemus de corpore, & in secundo de anima Christi sacramentaliter existentis in ordine ad actiones, vel passiones, quas naturaliter in tali statu exercere, vel recipere possunt.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Corpus Christi sacramentaliter existens naturaliter agere, vel pati possit actione corporea.

341 PRimò dicendum est, repugnare naturaliter corpus Christi sacramentaliter existens pati passionem aliquam corpoream siuè à se, siuè ab extrinseco agente creato. Conclusio est contrà Ocham, Maiorem, Rubionem, Aliacensem, & alios Nominales oppositum asserentes, vndè consequenter dicunt, Christum non modo naturaliter videre seipsum sacramentaliter existentem, sed etiam circumstantes, eosque loquentes audire; imò addunt, quod si Deus agere vellet iuxtà exigentiam causarum naturalium, corpus Christi in sacramento existens, & videretur à nobis, & in circumstantes ageret, sed ad meritum fidei hæc omnia nobis occultari per suspensionem concursus causis naturalibus debiti; Est tamen assertio Scoti *4.d.* 10. *q.6. & 7. §. respondeo, & q.10. §. Hic dicitur*, quam præter Scotistas tenent etiam communiter Recentiores, probant cùm Scoto *loc. cit. d.* 10. *q.6. B.* quia nulla virtus creata potest agere in corpus aliquod non sibi proportionaliter approximatum secundum locum; sed corpus Christi non est in hoc sacramento, vt in loco, & per consequens nulli approximatum secundum locum, imò tantùm illa species, sub qua existit, approximatur cuicunque agenti creato illa approximatione, quæ ad istud Vbi haberi potest; ergò corpus Christi, vt existens in Eucharistia à nulla virtute creata potest primò moueri, & pati passionem aliquam corpoream.

Confirmatur, quia vel agentia naturalia in corpore Christi producerent qualitatem extensam per partes, vel totam in toto, & totam in qualibet parte, sicut de facto existunt qualitates corporis Christi in ordine ad locum; non primum, quia non potest accidens extensum recipi in subiecto localiter inextenso, nam in corporibus quantitas, vt localiter extensa, est conditio naturaliter requisita ad recipiendam passionem corpoream; neque secundum, quia illud fieri nequit ab agentibus naturalibus præsertim corporeis; imò etiam si consideretur agens spirituale, nempè Angelus, adhuc in subiecto corporeo modum existendi extensiuè requirit; Ex quo infertur, corpus Christi sub sacramento existens, non modò seipsum sacramentaliter existens non videre, sed nec naturaliter videre, vel audire posse circumstantes, aut vllam sensationem externam, vel internam in seipso producere, cum eadem sit ratio quoad receptionem de hic actibus, & alijs effectibus materialibus ab extrinseco agente productis.

Sed Obijcies, quia non excedit naturales vires agentis corporei producere vnionem diuisibilem ex parte corporis humani, & indiuisibilem ex parte animæ rationalis; ergo nec erit suprà vires naturales eiusdem, quod in corpore Christi sacramentaliter existente vnionem producat ex parte formæ diuisibilem, & ex parte corporis indiuisibilem. 342

Confirmatur, quia corpus Christi indiuisibiliter existens se habet, vt anima rationalis respectu vnionis corpus cum ea copulantis; ergò si hæc naturaliter à generante producitur, etiam illa naturaliter ab agente naturali corporeo poterit produci. Tandem nil obstare videtur, quin saltem Angelus aliquam talem formam corpoream possit inducere in corpore Christi sacramentaliter existente, quia potest ei approximari, & extensione non indiget; Vel saltem quamuis non possit primò, & directè moueri localiter ab aliquo agente corporeo, posset tamen moueri saltem ab Angelo, sicut enim vnus Angelus potest alium Angelum mouere sine vlla dependentia à quantitate, aut modo existendi quantitatiuo; ità non videtur, cur non possit directè mouere corpus Christi Domini, vt est in Eucharistia; quia potest vnus Angelus mouere alium Angelum per solum contactum virtualem, qui nullam supponit in subiecto extensionem, cùm ergò corpus Christi sacramentaliter existens si capax huius contactus virtualis; potest talem motum ab Angelo recipere.

Respondetur negando consequentiam, ideò enim non semper excedit vires naturales agenti corporei producere vnionem diuisibilem ex parte vnius extremi, & indiuisibilem ex parte alterius, vt est in casu de vnione animæ rationalis cum corpore, quia naturalis virtus ipsius se extendit ad producendam vnionem extremis proportionatam; at in proposito de vnione formæ extensæ cum corpore Christi sacramentaliter existente cum vtrumque extremum sit corporeum, talis vnio naturaliter ex parte vtriusq; extremi diuisibilitatem peteret.

Ad Confirmationem negatur assumptum, quia anima rationalis est indiuisibilis quoad suam entitatem, per quam naturaliter vnionem postulat indiuisibilem sibi proportionatam; at corpus Christi per præsentiam indiuisibilem non fit secundum entitatem propriam indiuisibile, per quam est subiectum corporeæ vnionis, cum talis vnio non in præsentia indiuisibili corporis, sed in ipso corpore subiectetur.

Ad vltimum rursus negatur assumptum, id enim impedit tùm incapacitas subiecti receptiui, scilicet, corporis Christi, quod licet in se sit extensum, modo tamen existit inextenso in Eucharistia; tùm etiam exigentia formæ recepibilis, scilicet, rei corporeæ, quæ cum ab Angelo suo modo quantitatiuo expoliari nequeat, corpori sic existenti proportionari nequit.

An verò saltem ab Angelo corpus Christi sacramentaliter existens possit directè, & per se localiter moueri, negant Suarez, Lugo, Rada, Gauatius, Aretinus, & alij Recentiores, quia præsentia corporis Christi est supernaturalis in substantia, talem autem non potest Angelus producere, ergò nec mouere Christum localiter, quia moueri non potest, quin producatur noua talis præsentia. Affirmant verò Poncius, Brancatus, Amicus, & alij, quia præsentia illa supernaturalis Christi sub speciebus est distinctissima à præsentia, quam habet ad locum; illa enim eadem, & eiusdem rationis præsentia, quam habet sub speciebus, est indifferens ad quemcunque locum, & nunc est in vno, nunc in altero loco; hæc autem altera præsentia ad locum non est supernaturalis in substantia, vndè nil impedit, quo minus possit ab Angelo produci, atque ità Christum ab Angelo localiter moueri, neque enim impediret negatio dimensionis, alioqui alium Angelum mouere non posset, neque in distantia, quia Angelus fieret intimè præsens Christi corpori, & animæ, neq; vnio naturalis, aut physica inter Christum, & species, 343

quia nulla talis adest ex superius dictis, sed per voluntatem diuinam assistit intimè præsens speciebus; nec tandem impediretur à virtute Christi resistente, quia supponimus virtutem physicam Angeli, esse maiorem virtute naturali, seù physica Christi corporis.

344 Scotus *loc.cit. dist.*10.q.6.*lit.C.* in primam sententiam magis inclinare videtur, inquit enim, quod licet manifestius sit corpus Christi sacramentaliter existens ab agente corporeo localiter moueri non posse, quam ab Angelo; tamen Angelus si agat circa corpus realiter transmutando, illud realiter sibi approximatur localiter, vel saltem habet localem existentiam, quia virtus eius non potest esse ad aliquem motum in corpore, nisi præsupposito Vbi illius corporis; at corpus Christi in sacramento existens non est ibi localiter; ergò Angelus non potest illud transmutare, seù mouere; Et si dicatur, quod licet præsentia sacramentalis non sit propriè localis, non tamen impedit hanc propinquitatem, quia vt inquit Rubion *dist.*10.q.6. etiam Angelus habet consimilem modum essendi in loco ei, quo Christus existit in Eucharistiæ sacramento, & tamen non est negandum vnum Angelum posse mouere localiter alium. Negatur paritas, quia Angelus motus ab alio Angelus esset in suo loco naturali, & verè esset ei localiter propinquus, at corpus Christi sub sacramento existens non habet neque distantiam, neque propinquitatem ad aliud corpus, vel Angelum, nam distantia, & propinquitas sunt conditiones situs, seù corporis existentis in loco circumscriptiuè: corpus autem Christi quantùm ad distantiam, & propinquitatem ad aliud est in hoc sacramento, ac si non esset hic, quia locum non occupat. Tum quia licet præsentia illa supernaturalis Christi sub speciebus sit distincta à præsentia, quam habet ad locum ipsarum specierum, vt dicebant Auctores secundæ opinionis, adhuc autem ipsa quoque præsentia corporis Christi ad locum specierum est supernaturalis, quia est indiuisibilis, & inextensa; Angelus autem nullum habet influxum in hanc præsentiam corporis Christi, vt ea possit illud priuare, & aliam consimilem in eo efficere, quia supernaturalis est, & per consequens ab Angelo naturali virtute fieri nequit; quando autem aliquod agens formam aliquam virtualiter non continet, non potest talem formam in aliquo inducere; quamuis ergo possit Angelus talem præsentiam indiuisibilem in aliquo subiecto inextenso naturaliter producere, nempè in alio Angelo, non tamen eam producere potest in subiecto extenso, quale est corpus, hoc enim naturalem eius virtutem excedit; Et quidem quando dicimus præsentiam Christi localem in hoc sacramento esse supernaturalem, intelligimus esse supernaturalem, non tantùm secundum modum, & præsuppositiuè ex suppositione nimirum antecedentis miraculi, vt contendit Brancatus *disp.*21. *art. vlt.* & *disp.*22. *art.*4.n.70. sed etiam verè, & propriè secundum substantiam, vt ex professò ostensum est supra *quæst.*11. huius *disp. art.*2. *difficul.*2. *num.*248. contrà eundem Auctorem.

Denique quamuis Angelus, & anima separata mobile sibi propinquum cum eis in loco vniformiter existens mouere possint, quando mobile est naturaliter in loco, vel in loco sibi naturali; non tamen hinc benè deducitur posse pariter mouere corpus Christi in sacramento existens; quia licet sic existens sit in loco vniformiter cum Angelo, & anima quoad hoc, quod est in loco indiuisibiliter, idest, non modo quantitatiuo, & extenso; non est tamen in loco naturaliter, sed supernaturaliter: quod non contingit de alio corpore existente in loco difformiter ab Angelo, quia tale corpus est in loco naturaliter, & habet necessariam conditionem requisitam ad hoc, quod Angelus possit illud mouere, & transmutare, nempè præsentiam localem, & talem propinquitatem, qualis est necessaria inter agens, & passum.

345 Secundò Dicendum est, Christi corpus, vt est in hoc sacramento, non posse naturaliter habere aliquam actionem corpoream, vel in se, vel in aliud corpus. Hæc sequitur ex præcedenti, & est communis in Schola Thomistarum cum D.Thoma 3.*part.quæst.*76.*art.*7.& *quæst.*91.*art.*4. ac etiam Scotistarum cum Scoto 4.*dist.*10. *quæst.*7.*lit.B.* vbi docet, quod Christus in Eucharistia non potest vti aliqua potentia actiua corporea, siuè ista sit merè corporea, scilicet consequens naturam corporis mixti, siuè sit corporea, hoc est, consequens totum animatum primò, quod probat, quia omnis potentia actiua corporea requirit passum, in quod agat, approximatum sibi localiter; ista potentia, vt est hìc, non est alicubi localiter approximata, ergo vt est hìc non posset habere passum sibi approximatum, sicut requiritur ad actionem talis potentiæ, maior patet ex 7. Phys. vbi probatur, quod oportet agens corporeum approximatum esse passo mediatè, vel immediatè.

Ex quo infertur corpus Christi in hoc sacramento existens non posse seipsum mouere motu progressiuo, quia hìc motus localem membrorum extensionem essentialiter requirit, fit enim per physicum impulsum, quo vna pars mota medio contactu quantitatiuo aliam mouet; corpus autem Christi in Eucharistia locali membrorum extensione caret; Nec etiam potest corpus Christi in hoc sacramento comedere, nutriri, augeri, nec respirare, tametsi possit nutrimentum, & augmentum alibi in propria præsentia circumscriptiua acquisitum hìc supernaturaliter fieri præsens præsentia sacramentali; Ratio est, quia nulla operatio ex his absque motu locali exerceri potest, qui extensionem localem per se supponit, vt patet discurrenti per singulas.

Sed rursus obijciunt Nominales affirmantes corpus Christi in hoc sacramento existens posse extrinseca corpora propinqua alterare per calorem suum, frigiditatem, & similes qualitates, nec non corpus suum mouere, sicut & alia corpora sibi propinqua; quia corpus Christi non est incapax istarum actionum propter modum existendi in sacramento; sed nihil aliud est, quod possit actiones istas impedire, ergo &c. probatur maior, quia localis præsentia respectu actionum solùm requiritur, tanquam conditio necessaria, vt agens, & passum sint propinqua; sed quod huiusmodi præsentia sit sacramentalis, hanc propinquitatem non impedit, sed potius illam auget; ergo non est, cur hìc modus præsentiæ actionem, vel passionem impediat. 346

Respondetur ex dictis negando minorem cum eius probatione, quia corpus Christi non est hìc localiter extensum, imò quantum ad omnem habitudinem ad aliud corpus est hìc, ac si non esset hìc, quia non replet hìc locum, atque ideò non habet neque propinquitatem, neque distantiam ad aliud corpus, quia distantia, & propinquitas sunt conditiones situs, seù corporis existentis in loco circumscriptiuè: alia argumenta vide soluta apud Doctorem *loc. cit.* Sed instat Amicus *disp.*20.*sect.*2. in fine, quod licet extensio localis, & quantitas requiratur in subiecto corporeo ad patiendum, non tamen in agente corporeo ad agendum, quia in passo requiritur, vt naturalis conditio ad recipiendam actionem corpoream, & extensam, in agente verò non requiritur, vt naturalis conditio agendi, cum agens formaliter non agat per quantitatem, sed per qualitatem, quæ etiam indiuisibiliter existens, & in puncto redacta adhuc retinet suam vim agendi: ergo localis extensio in agente corporeo requiritur solum ad connaturaliter existendum, qua tamen supernaturaliter sublata, poterit agens corporeum naturaliter agere actione corporea in corpus sibi propinquum; qua ratione tenet Amicus ibidem, non repugnare naturaliter, vt corpus Christi sacramentaliter existens actione corporea agat in corpus sibi propinquum.

Respondetur negando assumptum, cum eius probatione quia sicut corpus, & qualitas naturalis extensum modum occupandi locum natura sua postulant, vt existere possint, sicut arguens ipse fatetur; itá etiam eundem modum postulare fatendum est, vt naturaliter agere possint, quia vt fert axioma phylosophicum, modus agendi sequitur modum essendi, tùm quia materiale agens, & patiens debent esse proportionata, tùm quia actio ipsa cum sit materialis, & extensa, videtur eam conditionem postulare in agente proportionato, & eiusdem ordinis, præsertim in sententia nostra asserente actionem in agente subiectari, & non in passo; tùm tandem quia corpus Christi sacramentalis existens nullam habet propinquitatem ad aliud corpus, qualis requiritur inter agens, & passum, vt constat ex ratione Doctoris adducta.

Sed Difficultas est, an saltem possit corpus Christi in sacramento existens naturaliter moueri ab intrinseca virtute motu simpliciter delatiuo ex vno loco in alium per virtutem animæ inorganicam: Amicus *disp.*20.*cit. sect.*1. affirmat, putatq; esse Scoti sententiam *dist.*10.q.7.*concl.*2. & probat, quia anima rationalis habet potentiam motiuam inorganicam, qua naturaliter mouere potest suum corpus ex vno loco ad alium, quam potentiam estò exercere non possit 347

possit in hac vita, exercere tamen potest in alia in statu beatitudinis, sicut è conuersò multas potentias exercet in hac vita, quas nunquam exercebit in alia; poterit ergò anima Christi per hanc potentiam mouere suum corpus sacramentaliter existens ex vno loco in alium; Consequentia patet, quia hìc motus non petit localem extensionem in subiecto, vt constat de Angelo, & anima separata seipsos mouentibus ex vno loco in alium; antecedens probatur, nam debita est animæ separatæ hæc potentia, qua instar Angeli seipsam mouere valeat ex vno loco in alium; ergo etiam coniunctæ corpori glorioso, cum hoc sit capax talis motus. Qua ratione deindè *sec. 2. num.* 33. pariter affirmat posse Christum in Eucharistia naturaliter mouere aliud corpus, vel spiritum per eandem potentiam motricem inorganicam; ad hunc enim motum etiam circà alia corpora exercendum non eget anima, vt seipsam, vel proprium corpus prius moueat, quàm alia corpora impellat, sed potest illa primò mouere per impulsum illis impressum, absque eo quod moueat se, vel proprium corpus, mediante quo aliud distinctum à se moueat; nam cùm hæc potentia sit inorganica similis potentiæ, quam habet Angelus ad mouenda corpora, vel alios spiritus, non requirit organum corporeum, quo mediante illius actum exerceat; sed potest illum exercere absque vlla ope corpus, sicut illum exercere potest anima à proprio corpore separata, tam in seipsam, quàm in alia corpora.

Idem tenet Brancatus noster *disp. 22. art. 4. concl. 4.* quod nempè Christus per potentiam motiuam inorganicam potest se mouere motu non quidem progressiuo, quia hìc fit per potentiam organicam, sed simpliciter delatiuo de vno in alium locum, quod probat, quia vel impediretur à speciebus, vel à defectu dimensionis; non primum, quia non est eis physicè vnitus, sed voluntariè, non enim ab eis informatur; & ideò potest eas relinquere, sicut Angelus existens in corpore assumpto, vel in lapide; Neque secundum, nam virtus inorganica non requirit proportionem aliam, nisi indistantiæ, non enim requirit dimensionem in mobili, alioquin nullum incorporeum posset moueri nec ab anima, nec ab Angelo, imò nec à Deo, quod est falsum; igitur in alio ordine, & decreto præscindente ab assistentia continua posset Christus de sub speciebus se mouere, & aliò transferre per potentiam inorganicam; Sic etiam discurrit Hiqueus *dist. 10. cit. quæst. 7.* in Cõmentario in fine quæstionis, vbi inquit, quod potest Christus mouere aliud corpus vicinum per potentiam motiuam non organicam, quod perindè dicendum est etiam de corpore proprio, nisi diuina voluntas obstaret. Pro resolutione huius difficultatis.

348 Tertiò Dicendum est, posse quidem Christum in Eucharistia naturaliter mouere aliud corpus per potentiam motricem inorganicam, quam dari in anima rationali supponimus ex dictis in lib. de Anima *disp. vlt.* de anima separata non tamen posse mouere seipsum. Ità expressis verbis docet Scotus *d. 10. cit. q. 7.* in fine, vbi in solutione ad quartum inquit, quod potentia illa motiua Christi, quæ est organica, & corporalis, licet sit in corpore Christi, vt hic, tamen non potest esse principium actus sui in corpore, vt hic, quia requirit partem extrà partem, non tantùm in toto, sed comparatione ad locum, ad hoc vt per vnam partem motam localiter moueat aliam; potentia autem alia motiua non organica potest in actum suum hic, sicut in Cœlo, & per consequens secundum istam potest mouere corpus aliud sibi approximatum, sicut Angelus posset, sed tamen non potest mouere corpus suum, vt hic, quia vt sic illud corpus non subest alicui potentiæ motiuæ, nisi diuinæ immediatè, vt dictum est suprà; Ità Doctor *loc. cit.* vndè quamuis Amicus, & relati Scotistæ benè dicant, & de mente Doctoris, quod Christus in Eucharistia per potentiam inorganicam, & actione spirituali potest mouere inorganicè, idest totum simul corpus aliud sibi approximatum; non tamen video, qua ratione asserant, tanquam de mente Doctoris, eodem modo mouere posse etiam corpus suum proprium, cùm expressè Doctor dicat, non posse sic mouere corpus suum, vt hic, quia vt sic, illud corpus non subest alicui potentiæ motiuæ, nisi diuinæ immediatæ; Ratio autem cur possit mouere non organicè corpus alienum sibi approximatum, non verò proprium deducitur ex dictis suprà numero 344. quia præsentia corporis Christi ad locum specierum est supernaturalis quoad substantiam; cùm sit indiuisibilis, & inextensa, quarè sicut neque ab Angelo induci potest, vt ibi dicebamus, ità neque induci potest ab intrinseca virtute ipsius animæ Christi per actum potentiæ motiuæ inorganicæ; potest autem mouere corpus alienum sibi approximatum, quia illud sic mouendo non inducit in illud præsentiam inextensam, & indiuisibilem, sed diuisibilem, & extensam eiusdem omninò rationis cum ea, quam prius habebat; & hoc est, quod vult significare Doctor illis verbis, quod Christus per potentiam inorganicam in Eucharistia potest mouere corpus aliud sibi approximatum, sicut Angelus posset, sed tamen mouere non potest corpus suum, vt hìc, quia vt sic illud corpus non subest alicui potentiæ motiuæ nisi diuinæ immediatè; cùm enim eius præsentia, vt hìc, sit indiuisibilis, & inextensa, ac proindè supernaturalis secundùm substantiam respectu corporis, à nulla naturali potentia induci potest in corpus Christi, sed tantùm à diuina immediatè.

Hinc patet ad fundamentum Amici pro hac parte adductum negandam esse consequentiam cum eius probatione, quoniam licet motus per talem potentiam inorganicam productus non necessariò petat localem extensionem in subiecto moto vt constat de Angelo, & anima separata seipsos mouentibus ex vno loco in alium; si tamen mobile est corporeum, motus per eam productus localem extensionem necessariò petit in subiecto moto, quia nulla virtus creata potest inducere in corpus præsentiam indiuisibilem, & inextensam, cùm ex sui natura petat occupare locum, & esse in loco modò quantitatiuo, & extenso; Et per hoc etiam patet ad fundamentum Brancati, quod cum isto coincidit.

Quartò Dicendum est, corpus Christi posse moueri, imò de facto moueri primò in Eucharistia motu locali extensiuè accepto, hunc tamen motum non causari propriè loquendo, veluti per accidens à causa naturali mouente species sacramentales, sed immediatè à Deo. Hæc est Scoti *loc. cit.* 349
& quidem quoad primam partem, quod possit moueri, & de facto moueatur motu locali extensiuè accepto concedunt omnes, quia de fide tenemus, post consecrationem vbicunque est hostia, ibi esse corpus Christi; ergo propter vniformem præsentiam corporis ad hostiam, si hostia hinc indè delata habet aliam, & aliam præsentiam localem ad aliud, & aliud spatium, dicendum est corpus Christi quoque præsentiam variare ad hoc, & illud continens, hæc autem præsentiæ variatio sine motu, vel mutatione locali extensiuè accepta fieri nequit; dicitur autem tunc moueri motu locali extensiuè sumpto, quia terminus talis motus non est Vbi locale propriè sumptum, non verò quia verè, & realiter aliam, & aliam præsentiam non acquirat ad aliud, & aliud spatium. Quod verò talis motus non causetur propriè loquendo, veluti per accidens à causa naturali species mouente, sed immediatè à Deo, negant Thomistæ, sed probat efficaciter Doctor *loc. cit. conclus. 4.* Quod nullo modo habet virtutem motiuam super aliud, quando illud est per se, non mouet illud per accidens quando est cum alio cum quo non facit vnum sicut actus, & potentia; nec aliqua necessitate naturali ei coniungitur, sed virtus creata omninò non potest super corpus Christi in se sub isto modo existendi ad mouendum ipsum; ergo quia est cum alio, respectu cuius non est sicut potentia, nec sicut actus, nec ei aliqua necessitate naturali coniungitur, vt ostensum est suprà *quæst. 10.* huius *disput. art. 1. diffic. 3. num. 220.* non poterit virtus crata ipsum mouere per accidens mouendo illud, in quo est; sic autem se habet corpus Christi in hostia, quia nec species est forma eius, nec ipsum forma speciei, nec speciei aliqua naturali vnione, ac necessitate coniungitur, vt *loc. cit.* dictum est; igitur nullo modo mouetur nec quidem per accidens à creatura mouente hostiam, sed immediatè à solo Deo.

Dices, quod mouet aliquid per se, mouet per accidens quicquid est in illo; ergò virtus creata, quæ per se mouet hostiam, per accidens mouet corpus, quod per se est in hostia. Respondet Doctor primam illam propositionem esse falsam, nisi intelligatur de illo, quod est in moto, vel sicut actus in potentia, vel sicut pars in toto, vel sicut aliquod necessitate naturali coniunctum, vt graue illi, cui innititur, qua ratione nauta mouens naui mouet etiam homines in naui existentes, quia homines sustentantur à naui; si autem tantùm per actum voluntatis contingenter coniungitur hoc illi, mouens istud non propter hoc mouebit illud, sed oportet, quod illa voluntas, quæ est causa coniun- 350

ctionis, sit etiam causa motionis illius, quod nulla naturali necessitate coniungitur moto; sic autem est in proposito de corpore Christi in Eucharistia; quod declarat exemplo Angeli voluntariè facientis se præsentem lapidi, nam si moueo lapidem, non propter hoc moueo per accidens Angelum, quia nec est mobile per se à virtute mea, nec per accidens in proposito, quia nec est forma, nec pars alicuius per se mobilis à me, nec ei aliqua naturali necessitate coniunctum; quarè si Angelus esset præsens lapidi moto à me in termino motus hoc non esset per actum meum, sed per actionem suam propriam, qua faceret se præsentem ibi; eodem ergo modo in proposito, cum corpus Christi sit præsens speciebus tantùm per actum voluntatis diuinæ, dicendum est quod est ibi, vbi deferuntur species, non per motionem meam, sed per actum voluntatis diuinæ, quod amplius declaratum est loco iam citato *quæst.* 10. *nu.* 220. vbi etiam soluta sunt Thomistarum argumenta.

351 Quintò tandem Dicendum est, corpus Christi in Eucharistia posse concomitanter moueri omni motu ad formam absolutam, quo mouetur vt in Cœlo in esse naturali. Ità Doctor *disp.* 10. *cit. quæst.* 7. *concl.* 5. quæ ex instituto probata est *disp.* 11. *Phys. quæst. vlt.* vt dictum est ab initio quæstionis; Solùm est difficultas circà illud, quod addit Doctor in ea conclusione quinta, dùm ait, quod talis motus ad formam absolutam in corpore Christi in Eucharistia fieret ab eodem agente, à quo moueretur in Cœlo in esse naturali, nam si ideo rigore intelligatur, quem verba significant, & ex ipsis eliciunt Rada *controuers.* 9. *art.* 3. Gauatius *disp.* 5. *quæst.* 8. *in fine*, & alij Scotistæ passim, valdè difficulter defendi potest, vt iam notauimus *disp.* 11. *Phys. quæst. vlt. num.* 151. nam si corpus Christi in cœnaculo calefactum fuisset, non poterat transire illa calor in idem corpus existens sub speciebus, quia tunc necesse esset, quod calor ille reciperet modum sacramentalem, & præsentiam inextensam, quod fieri nequit ab agente naturali, hac enim ratione dicimus Christi corpus in Eucharistia ab agente naturali pati non posse, quia non est ibi modo quantitatiuo; quam doctrina etiam expressis verbis tradidit ipse Doctor *dist.* 10. *cit. quæst.* 6. ad 4. vbi ait, corpus Christi in Eucharistia non solùm per se primò pati non posse ab agente naturali, sed neque etiam concomitanter, & reddens rationem ait, quia agens creatum ad hoc, vt transmutet aliud requirit ipsum localiter approximatum, Deus autem potest agere in corpus quantuncunque non localiter existens; vndè vult, quod si corpus Christi calefieret, vel frigefieret in esse naturali, easdem quoque formas reciperet in Eucharistia concomitanter, non tamen ab agente naturali, sed immediatè à Deo eas replicante in Eucharistia ex vi prioris miraculi scilicet replicationis subiecti ratione identitatis eius ad euitandam contradictionem; Ex qua doctrina deducebamus loc. cit. Scotum non intellexisse distinctionem illam de per se primò, & concomitanter, qua sæpè vtitur ea *dist.* 10. in eo sensu, quo Scotistæ communiter intelligunt; & dicebamus, quod quando inquit formas absolutas, quæ hic ab agente naturali inprimuntur subiecto per se primò, concomitanter etiam inprimi, vel impressas esse ab eodem agente, & in eodem subiecto alibi existente ratione identatis subiecti; ità intelligi debere, quod ex vi prioris miraculi scilicet replicationis subiecti ratione identitatis eius Deus tenetur etiam replicare formas ab agentibus naturalibus hic, vel illic ei impressas, quæ non dependent à loco, ne sequatur contradictio; & quando ait calorem Romæ existentem in corpore replicato esse ab igne hic existentem productum, hoc dixit, inquantùm ille calor est huius ignis effectus, non tamen huius replicatio, & Vbi Romanum vndè calor etiam Romæ existens est effectus huius ignis, non reduplicatiuè, sed specificatiuè: vidè ibi.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An anima Christi sacramentaliter existens sit naturaliter capax actionis, & passionis.

352 ACtiones animæ coniunctæ aliæ sunt purè spirituales, vt intelligere, & velle, quæ exercentur per potentias merè spirituales: aliæ non sunt purè spirituales, sed aliquid materialitatis habent, vt omnes sensationes internæ, & externæ, quæ exercentur per potentias sensitiuas, & organa corporea; Rursus actiones animæ spirituales aliæ sunt immanentes, quarum, scilicet, terminus productus in ipso agente manet, vt intellectio in intellectu, volutio in voluntate; aliæ sunt transeuntes, quarum scilicet terminus productus proficiscitur ab agente, & recipitur in passo distincto, vt illuminatio, & locutio, vt dictum est in Disput. de Angelis lib. 2. sent. & disp. de anima separata in lib. de Anima; & de his omnibus in hoc articulo discurrendum est.

Primò itaque dicendum est nullam sensationem posse primò inesse Christo, vt in sacramento, & ab ipso exerceri; ità Scotus dist. 10. quæst. 5. concl. 2. & est communis contra Nominales, patet ex dictis art. præced. concl. 1. quia prædictæ actiones omnes sunt materiales, & corporeæ, omne autem materiale, & corporeum petit natura sua extensionem; sed ex dictis Christus in sacramento ratione modi existendi indiuisibiliter caret omni extensione; ergo nullam potest exercere huiusmodi actionem immanentem, Et intelligitur conclusio nedùm de sensationibus externis, sed etiam internis, quia actus etiam sensus interioris est materialis, & naturaliter fieri non potest, nisi à principio materiali, & extenso, & cum modo quantitatiuo existendi, & extenso, & consequenter etiam in subiecto eodem modo existente, sed hæc omnia deficiunt supposita existentia corporis Christi sacramentali, ergo &c. Confirm. quia sine speciebus sensibilibus sensationes fieri nequeunt; at Christi sensus in sacramento existentes species ab obiectis externis recipere non possunt, quia Christi corpus ab extrinsecis agentibus in sacramento existens pati non potest; ergo actus sensationis recipere nequeunt, nec producere. Demum quia huiusmodi actiones deberent habere modum existendi Christi Domini; sed hic modus existentiæ est supernaturalis, vt suprà dictum est; ergo nequit esse à Christo naturaliter.

Sed vrgent Nominales, quod Christus etiam in hoc sacramento habet verè principia actiua, & passiua talium actionum; passiuo autem, & actiuo debitè approximatis, & non impeditis necessariò sequitur actio, ergo &c. Confirmatur quia quando etiam Christus, vt in sacramento existens ab obiectis externis species sensibiles eruere non posset, si tamen præhabeantur species sensibiles conseruatæ, poterunt sensationes internæ exerceri per illas. Tandem sensationes internæ sunt in ordine intentionali; ergo ex se non dicunt extensionem, atque ideò si species præhabeantur, poterunt per illas exerceri. 353

Resp. ex Scoto loc. cit. quod approximatio debita in actione physica est secundum situm, corpus autem Christi in sacramento non habet situm, atque ideò ità est hic præsens cuicunque corpori, vt agenti, ac si non esset præsens, vt suprà dictum est. Ad Confirm. dico, quod etiamsi sensus interior Christi in hoc sacramento sit phantasmatibus, seù speciebus in actu primo constitutus, adhuc non potest naturaliter illis, vti, neque actum secundum elicere, quia etiam actus sensus interioris est materialis, & per organa exercetur. Ad vltimum negatur consequentia, licet enim sensationes internæ sint in ordine intentionali, adhuc tamen tale esse intentionale commensuratur subiecto, de quo educitur; cum igitur prædictæ sensationes de subiecto materiali naturaliter sint educendæ, & ad illud ordinem dicant, tanquam ad proprium perfectibile, consequenter intrinsecè sunt materiales.

Secundò dicendum est, quod operatio spiritualis, vt intellectus, & voluntatis potest primo inesse Christo, vt in Eucharistia, & ab ipso exerceri; ità Doct. loc. cit. concl. 3. quam probat, quia anima Christi nunc beata in sacramento intelligit sicut Angelus quoad hoc, quod non dependet à sensibus nec ex sensibilibus in intelligendo: ergo sicut Angelus alicubi existens posset intuitiuè intelligere obiectum sibi proportionaliter præsens, ità anima Christi ibi existens potest illud obiectum intueri; ergò anima Christi, vt hic, potest intuitiuè intelligere illa intellegibilia, quæ sunt sibi, vt hic, præsentia, sicut posset Angelus; Hac etiam ratione communiter concedunt omnes, posse animam Christi sacramentaliter existentis exercere actus scientiæ infusæ, qui in obiectum tendunt absque vlla dependentia à phantasmate, itemque actus voluntatis ijs correspondentes: ac tandem exercere omnes illos actus agendo, vel patiendo, qui non dependent ex ministerio organorum corporalium, totum enim impedimentum in sacramento est, quia Christus ibi non existit modo quantitatiuo, & circumscriptiuo, sed hoc nullatenus obstat illis actibus, qui in eorum exercitio non indigent ministerio organorum corporalium. 354

Sed

Sed Difficultas est, an possit similiter exercere actus scientiæ acquisitæ circà obiecta, quorum species fuerunt anteà ab anima Christi acquisitæ; Aretinus, Amicus, & alij Recentiores dicunt quod Christus existens sacramentaliter non posset vti speciebus prius acquisitis, quia intellectus non poteſt naturaliter intelligere neq; vti speciebus iam ministerio sensuum acquisitis; quas in memoria retinet, nisi cum conuersione ad phantasmata idest nisi simul phantasia cooperetur, quia vt habetur 3. de Anima oportet intelligentem phantasmata speculari; iam autem suprà ostensum est sub modo existendi sacramentali non posse esse vsum phantasmatum; quarè concludunt non posse Christum sub tali statu exercere actus scientiæ acquisitæ, sed tantùm beatæ, & infusæ. Oppositum tamen probabilius puto, quia vt dixi *l. 3. disp. 5.* de Intellectu Christi *q. 2. art. 2. n. 65. & q. 3. art. 2. nu. 83.* Christus, quando etiam erat Viator, non tantùm speciebus infusis vti potuit sine conuersione ad phantasmata, sed etiam ipsismet speciebus sensuum ministerio acquisitis; quamuis enim in earum acquisitione, & in prima, vt aiunt, motione intellectus Christi dependeret à sensibus; tamen in earum vsu, & in secunda motione non necessariò à sensibus dependebat, vt nos; quia intellectus Christi non fuit sensibus alligatus, vt in ea disp. dictum est *num. 55. & 56.* quarè ad libitum vt potuit phantasmatibus nedum in exercitio scientiæ infusæ, sed etiam acquisitæ, & moueri poterat nedùm mediantibus sensibus ab obiectis materialibus, & sensibilibus, sed etiam immediatè ab ipsis obiectis immaterialibus, eorumque species recipere, ac speciebus ope intellectus agentis ab obiectis materialibus erutis sensuum ministerio vti poterat ad libitum sine conuersione ad phantasmata; & sicut intellectus separatus potest immediatè intueri obiecta creata sibi debite approximata, tam materialia, quàm immaterialia, & species impressas ab illis recipere, vt dictum est in lib. de anima disp. de Anima separata, & *lib. 2. disp. 2.* de Angelis, ità omninò dicendum est de intellectu animæ Christi, atque ideò etiam ab initio suæ conceptionis poterat hæc obiecta cognoscere per scientiam acquisitam, vt *loc. cit.* demonstratum est; si ergò hoc poterat intellectus Christi, quando erat Viator, & passibilis, tantò magis id asserendum est de ipso, vt modò existit in Eucharistia beatus, & gloriosus.

355 Dices, actio immanens intellectus, & voluntatis nequit recipi in anima Christi sacramentaliter existente, nisi cum modo præsentiæ sacramentalis; hæc autem cùm sit supernaturalis quoad substantiam, ab agente creato naturaliter produci nequit. Respondetur duplicem præsentiam distinguendam esse in Christo sacramentaliter existente alteram in corpore, & alteram in anima; prior est vtique supernaturalis quoad substantiam, quia constituit corpus de se extensum indiuisibiliter existens in ordine ad species; posterior verò est naturalis quoad substantiam, vt dictum est suprà *q. 1.* huius *disp. art. 2. n. 250.* Dices, etiam ibidem in præsentia animæ aliquam assignauimus supernaturalitatem saltem quoad modum, quia per præsentiam sacramentalem non modò in quauis specierum parte totum corpus replicatur, sed etiam tota anima Christi; nullum autem agens naturale virtutem habet producendi effectum cum multiplici præsentia naturali; ergo etiamsi anima Christi sit in hoc sacramento per præsentiam naturalem, adhuc tamen naturaliter non poterit in se producere aliquem actum etiam spiritualem toties replicatum, seù cum multiplici præsentia naturali.

Respondeo negando in tali casu non posse agens naturale naturaliter agere in subiectum sic replicatum, nam perindè esset tunc agere in subiectum bis, vel ter intrà propriam spheram replicatum, atque in duo, vel tria subiecta numero distincta intrà eandem spheram existentia; vndè si Angelus in pluribus replicaretur locis, quæ omnia essent intrà spheram Angeli superioris, posset hic Angelus mouere illum in omnibus locis replicatum, vel alium effectum spiritualem illi imprimere; & ratio est, quia in eo casu agens naturale non replicaret, sed multiplicaret suum effectum in eodem subiecto sæpius replicato; vndè duplicem, vel triplicem effectum numero distinctum produceret cum duplici etiam, vel triplici præsentia, & actione partiali numero distincta, non secus ac in distinctis numero subiectis illos produceret; nec inconueniens in tali casu, quod plures eiusdem rationis effectus solo numero distincti in eodem proicerentur subiecto, quia in tali casu idem numero subiectum in duplici loco replicatum duplici numero distincto subiecto æquiualeret; quarè negandum est in eo casu agens naturalem producturum eundem numero effectum cum multiplici præsentia naturali.

Tertiò Dicendum est, Christum in Eucharistia posse etiam vti potentia spirituali ad actionem aliquam transeuntem; ità Doctor *d. 10. cit. q. 7. concl. 2.* quam ab ità declarat, quia si esset aliquis Angelus præsens Christo in Eucharistia posset anima Christi illum Angelum illuminare, & illi loqui locutione mentali, eo modo quo Angelus existens vbi Christus est, posset alium Angelum illuminare, vel alij loqui; nam ista illuminatio, & locutio non requirit, nisi principium sufficiens in illuminante, & loquente, & subiectum capax parte illuminari, siuè cui fit locutio, & approximationem quandam secundum vbi definitiuum, seù approximationem simplicem illuminantis ad illuminatum, vel loquentis ei, cui loquitur nec requiritur ibi localiter esse, sicut nec si vnus Angelus loqueretur alteri; hæc autem omnia adsunt in proposito; quia cum anima rationalis sit substantia spiritualis, localem extensionem non requirit, sed sufficit vt habeat immediatam præsentiam ad passum, vt in eo naturaliter agere valeat, sicut neque vt passionem spiritualem recipiat, extensionem localem requirit, sed sufficit, vt habeat sufficientem præsentiam, & propinquitatem ad agens, à quo pati debet, vt constat de Angelo tam in alium Angelum agente, quàm ab alio patiente; igitur anima Christi in Eucharistia existens est naturaliter capax, tam actionis spiritualis in aliud transeuntis, qualis est illuminatio, & locutio, quàm passionis spiritualis ab alio in se transeuntis, ità atque ità potest in sacramento existens loqui cum Angelis, vel anima separata, eosque mutuò sibi alloquentes audire, nec non & eos illuminare, tam de rebus naturalibus, quàm supernaturalibus, quas ignorant; nam hæc omnia exercentur actibus solius intellectus, quibus vel obiecta à loquente proponuntur audienti, vel à loquente iam proposita ab audiente percipiuntur; & actibus voluntatis, quibus tam loquens suum applicat intellectum ad proponendum verbum mentis spiritui audienti, quàm audiens suum intellectum inclinat ad auscultandum, & percipiendum verbum sibi à loquente propositum, & sic etiam cum Scoto discurrunt Vasquez *disp. 191 c. 3.* Amicus *disp. 20. sect. 3.* & alij Recentiores. 356

Quartò Dicendum est, quod Christo in Eucharistia inest concomitanter omnis operatio immanens, quæ primo ipsi inest in Cœlo sub esse naturali; Ità Doct. *d. 10. qu. 5. cit. concl. 1.* quam probat ex illo generali principio iam declarato *disp. 11. Phys. q. 9. n. 144.* quod affectiones, quæ dependent à loco, quales sunt, quæ sunt posteriores ipso, vel simul natura cum ipso diuersæ sint in eodem subiecto pro diuersitate locorum, in quibus est à Deo replicatum; quæ tamen illi insunt independenter à loco, si ei conueniunt in vno, in alio quoq; conuenire debent, & oppositum fieri nequit etiam de potentia Dei absoluta, alioquin sequeretur contradictio, quod idem numero subiectum esset album, & non esset album, viuens, & non viuens, & sic de alijs formis absolutis, & à loco independentibus argui potest; Cui rationi varias adducunt Aduersarij solutiones, quas omnes reiecimus *loc. cit.* cùm igitur in proposito omnis operatio vitalis, & immanens siuè sensitiua, siuè intellectiua sit forma absoluta de genere qualitatis, quæ non mutatur propter respectum extrinsecùs aduenientem, & ad variationem locorum, dicendum est, quod omnis forma talis, quæ primò Christo inest in Cœlo sub esse naturali, inest sibi etiam in Eucharistia concomitanter, hoc est ratione identitatis subiecti, & formæ, vt *loc. cit.* fusè declaratur. 357

Sed Dices, in Eucharistia non haberet illa obiecta præsentia, quæ habet in Cœlo; ergo non haberet visionem illorum; probatur consequentia, quia cognitio illa, vt supponitur esset intuitiua, ad cognitionem autem intuitiuam requiritur existentia, & præsentia immediata obiecti in seipso; vt v. g. B. Virgo existens in Cœlo non est præsens respectu oculi, vel intellectus Christi, vt existentis in Eucharistia, ergo non potest videri à Christo, vt hic existente.

Resp. Brancatus *disp. 22. art. 1.* negando consequentiam, ad probationem inquit, quod cognitio intuitiua, dum causatur, vtiq; petit obiectum præsens, vel aliquid eminenter illud continens, absolutè autem quoad terminari non requirit illud præsens; Quod si dicas; ergo vt hic non esset in-

intuitiua cognitio: Respondet solùm sequi quod non esset intuitiua effectiuè, quia non fieret ab obiecto hic præsenti, adhuc tamen esset terminatiuè talis. Quod si replices neq; terminatiuè posse esse intuitiuam, quia non terminatur ad obiectum hic præsens; Respond. rursus negando consequentiam, quia estò non terminetur ad obiectum præsens hic, terminatur tamen ad obiectum præsens alibi, scilicet, in Cęlo; hoc enim requirit visio, vt ex obiecto præsenti fiat, & ad illud præsens terminetur, siuè autem sit præsens hic, siuè alibi, non tollit ab ea, quin sit intuitiua; Quæ responsio videtur insinuari à Doctore *quæst. 5. citato sub C.* vbi inquit, non oportere obiectum in se esse præsens, propter terminationem actus, sed tantum propter causationem.

Sed quia oppositum docet Doctor ipse in pluribus locis *1.d.39. & 2.d.3.q.9. & 3.d.14.qu.3. & 4.d.45.quæst.2.§.ad quæstionem: & quol.13. lit. L.* vbi hoc præcipuum discrimen ponit inter notitiam intuitiuam, & abstractiuam, quod illa requirit obiectum præsens in seipso, & maximè in ratione terminantis, ista verò terminatur ad obiectum præsens in specie; ideò Aretinus *q.5. art.2.* ait literam Doctoris esse sanè intelligendam, non enim vult dicere, quod notitia intuitiua absoluiè loquendo non requirat obiectum præsens, & maximè in ratione terminantis, cùm ipse oppositum vbique doceat; sed loquitur hic de notitia intuitiua, quæ habetur concomitanter, nam licet notitia intuitiua in eo, in quo causatur primò ab obiecto, requirat obiectum præsens; tamen notitia intuitiua, quæ non habetur primò, sed concomitanter, non est necesse, quod habeat obiectum præsens, v.gr. ad hoc quod Christus videat intuitiuè B. Virginem in Cœlo, requiritur, quod ipsa sit præsens, vt obiectum illam visionem terminans, tamen non requiritur ad hoc, quod Christus ipsam videat in Eucharistia, quod ipsam habeat sibi præsentem, & ratio est, quia notitia intuitiua in Eucharistia est concomitanter habita, & non primò sicut in Cœlo: quod patet exemplo de visione obiecti secundarij in diuina Essentia ab ipso Doctore adducto, quia enim videns diuinam essentiam concomitanter videt Antichristum, non est necesse quod Antichristus sit præsens, sed satis est, quod obiectum, cuius primò habet notitiam, sit præsens.

Verùm neque hæc responsio propositæ difficultati sufficienter satisfacit, quia vt benè arguit Gauatius *disp.5. quæst.7. c.1.* quicquid est alicubi concomitanter, cùm verè, & realiter ibi sit, non minus habet ibi proprietates suas, quæ sibi necessariò, & naturaliter conueniunt, quàm vbi est primariò; ergo si Christus in Eucharistia existens concomitanter habet notitiam intuitiuam B. Virginis in Cœlo existentis, necessariò habebit etiam quicquid naturaliter conuenit notitiæ intuitiuæ; huiusmodi autem est immediata præsentia obiecti non tantùm in ratione causantis, sed etiam terminantis, ergo &c. Neq; exemplum ab Aretino adductum de visione Antichristi in diuina essentia est ad rem, quia talis visio non est intuitiua in proprio genere, sed in alio, in quo eminenter continetur Antichristus, sicut cætera obiecta secundaria; in præsenti verò sermo est de visione intuitiua in proprio genere, ad quam cùm necessariò requiratur immediata præsentia obiecti etiam in ratione terminantis impossibile est, quod Christus existens in Eucharistia possit videre B. Virginem in Cęlo existentem, quia sic intuitiua visio non diceret relationem attingentiæ ad obiectum immediatè, & in se præsens, sed valdè distans; vel oporteret dicere B. Virginem, vt in Cęlo existentem esse immediatè præsentem Christo in Eucharistia existenti, quod etiam implicat.

358 Itaque ad propositam difficultatem occurrendum est ex dictis *disp.11. Phys.cit. q.vlt. num.154.* quod Christus habet vtrobique in Cęlo, scilicet, & Eucharistia visionem, vt importat absolutum de genere qualitatis non autem vt connotat respectum attingentiæ obiecti, quia hic dependet à præsentia locali, & ideò hic diceretur videns obiectum, non autem ibi, quia ad exercitium visionis non sufficit qualitas illa absoluta, sed exigitur etiam respectus attingentiæ obiecti, quia vt docet Scotus *quol.13. art.2.* operatio inquantùm est principium, seu medium vniendi potentiam obiecto, exigit relationem realem attingentiæ, si est obiecti vt existentis, & in se præsentis, qualis est visio intuitiua; hæc autem relatio realiter distinguitur à fundamento, & termino, & nequit poni, nisi obiecto realiter existente, & præsente respectu visionis externæ, & intuitiuæ, vt ex professò docet Doctor *3. dist.14. quæst.2.* vbi hac ratione tenet intellectum animæ Christi non videre omnia actu in Verbo, sed habitu, nunc has, nunc illas creaturas ad libitum, non variata substantia, aut entitate visionis, sed per diuersas attingentias extensa visione per additos respectus ad has, vel illas, quas actu videt; Et ità etiam huic difficultati respondent Gauatius *loc.cit.* Hiqueus *4.dist.10.q.5.* & alij Scotistæ melioris notæ, quando autem Doctor ibi videtur asserere ad cognitionem intuitiuam non requiri obiectum præsens in ratione terminantis, sed tantùm causantis, ait Hiqueus eum loqui de cognitione intuitiua latè sumpta, cuius plures modos assignat *3.dist.14. q.3.* vbi eam distinguit in perfectam, & imperfectam, & in eam, quæ est in proprio genere, & in eo, in quo eminenter continetur obiectum cognitum; quando ergo dicit hic non requiri præsentiam obiecti ad terminandam intuitiuam, non intelligit de intuitiua immediata, & in proprio genere, sed latius sumpta, vt indicat exemplum de diuina essentia obiecta secundaria eminenter continente, quod ibi adducit. 359

At dices, si Christus in Cœlo Beatam Virginem videt, non autem in Eucharistia, iam sequitur contradictio eundem Christum esse videntem, & non videntem respectu eiusdem obiecti, quæ per diuersitatem locorum saluari nequit, quia ista prædicata videns, & non videns sunt absoluta, quæ non variantur ad variationem Vbi. Negatur consequentia cum eius probatione, videre namque vnum obiectum hic, & non ibi, non sunt contradictoria, quia visio formaliter inspecta, quo pacto non est merè absoluta, sed relatiua secundum dici, præsentiam obiecti in se præsupponit, & respectum attingentiæ ad obiectum in se præsens connotat, ac propterea quoad hoc connotatum, & quatenus relatiua secundum dici à loco dependet, & consequenter variatur ad variationem loci.

Tandem Dices, non potest esse absolutum operationis, & visionis in oculo sine eo, quod oculus etiam, vt hic, habens tale absolutum videat actu obiectum, quia operatio vitalis iuxtà nostra principia consistit in receptione formæ, tanquam effectus eius formalis, effectus autem formalis nequit separari à forma in subiecto, ergo &c.

Respondetur cum Hiqueo *loc. cit.* quod operatio in subiecto tribuit semper effectum formalem primarium, qui conuenit ipsi, vt est qualitas absoluta; effectum verò secundarium, & completum, qui est perfectissimus, & finalis eius, non potest tribuere se sola sine conditione, vel connotato requisito; inquantùm enim est medium vniendi potentiam obiecto, qui est finis eius vltimus, requirit præter absolutum ordinem ad ipsum obiectum in genere conditionis, vel connotati.

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

An accidentia in Eucharistia possint habere quamcunque actionem, & passionem, quam potuerunt habere in subiecto.

SVpponendum est, tanquam de fide in pluribus Concilijs definitum, remanere in Eucharistia post consecrationem omnia accidentia panis, & vini, quæ primò erant antè consecrationem quod quidem intelligendum est de omnibus accidentibus à prædicta substantia panis, & vini realiter distinctis, & non tantùm de sensibilibus, in se, vt sunt quantitas, figura, color, sapor, odor &c. Sed etiam de sensibilibus tantùm in suis effectibus, vt virtus calefaciendi, inebriandi, &c. nam & solæ species inebriare possunt, vt experientia docet; remanent, inquam, hæc omnia etiam qualitates occultæ, siuè de his sit de fide, siuè non, de quo Recentiores non conueniunt; Et rursus, tanquam de fide supponendum est hæc omnia remanere sine subiecto substantiali, quia nihil substantiæ panis, & vini remanet, nec inhærent in corpore, vel sanguine Christi. 360

Sola remanet difficultas de subiecto accidentali, an etiam excludatur omne subiectum accidentale quoad omnia accidentia, an scilicet in tota collectione accidentium, quæ remanent, sit aliquod ex ipsis, quod nulli alteri inhæreat, sed ipsi cætera omnia inhæreant, vt immediato subiecto, an potius omnia æqualiter existant nulli subiecto, nec substantiali, nec accidentali innitendo; in qua difficultate non defuerunt tam veteres, quàm Recentiores, qui putarunt

runt omnia accidentia aequè remanere sine vllo subiecto tam substantiali, quàm accidentali, seù tam mediato, & vltimato, quàm immediato, & non vltimato, ità Marsilius, Lessius, Hurtado, Arriaga, Pasqualigus, Morandus, & alij. Verùm opposita sententia communis est inter Scolasticos, solam quantitatem in hoc sacramento esse sine subiecto, reliqua verò accidentia in quantitate recipi, & sustentari, tanquam in proximo, & immediato subiecto, vti recipiebantur anteà, quando simul cum quantitate substantiae inhaerebant; Ex quo consequenter dicunt nullam fieri mutationem in reliquis accidentibus, sed in sola quantitate, nam solam quantitas manet separata à proprio subiecto, reliqua verò manent, vt anteà, totaliter, ac sufficienter sustentata à quantitate; quia quantitas est subiectum immediatum aliorum accidentium, per quod substantiae inhaerent, tanquam subiecto vltimato, vt ostensum est *disput. 2. phys. quaest. 3. artic. 2.* vbi rationes in oppositum sunt solutae, itaut hìc nihil addendum in hoc puncto remaneat.

361 Rursus est alia difficultas, quomodo accidens separatum conseruetur, quamuis enim fateantur omnes substantiam nouo concursu, aut nouo perseitatis modo non indigere, vt separata conseruetur; de accidentibus tamen est controuersia non leuis inter Scholasticos; Aliqui enim volunt in tali casu nouum perseitatis modum accidenti separato fore concedendum loco actualis inhaerentiae, & ei oppositum, cuius virtute per se existeret sine subiecto; Alij concedunt quidem Deum talem formam conseruaturum absque additione alterius modi positiui, non tamen eadem actione, qua prius eandem in materia conseruabat, sed influxu alterius omninò rationis; Alij vtrumque asserunt in tali, scilicet casu accidens separatum fore conseruandum; tùm per nouum modum positiuum, tùm per nouam actionem, Alij tandem vtrumque negant, vt Scotus 4. *d.* 12. *quaest.* 1. & 6. §. ad argumenta, vbi accidenti separato nullum concedit nouum perseitatis modum positiuum pro eius conseruatione, vt per se existere dicatur, sed tantùm negatiuum, quatenus scilicet prosequitur Deus conseruationem accidentis secundum suam entitatem, & subtrahit concursum, quo conseruabat subiectum, & inhaerentiam accidentis in subiecto; ac etiam negat accidens separatum indigere ad conseruationem suae entitatis nouo concursu à priori diuerso secundum rem, quo conseruabatur in subiecto; quam etiam sententiam latè probauimus *disp. 3. Phys. quaest. 4. articul.* 2. vndè hìc aliud declarandum non restat, nisi quomodo accidentia in sacramento possint agere, & pati, atque corrumpi, cùm in Filosophia *loco citato* satis declaratum sit, quomodo accidentia per se in sacramento existant.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid accidentia separata agere possint.

362 PRimò Dicendum est, omnes actiones, quas praedicta accidentia possunt causare, dùm subiecto inhaerent, per solum influxum accidentalem, possunt etiam causare in Eucharistia. Ita Scotus 4. *d.* 12. *quaest.* 3. & est communis Theologorum, probatur, quia accidentia Eucharistica eandem retinent naturam, quam prius habebant coniuncta; ergo possunt agere per se sola quicquid poterant, dùm in subiecto erant; consequentia patet, quia forma manens eadem in esse, eandem habet virtutem, & consequenter eiusdem actionis principium esse potest. Confirmatur, quia inhaerentia in subiecto erat solùm necessaria, vt in rerum natura existerent; sed in Eucharistia perfectè existunt per diuinam virtutem, ergò agere poterunt quicquid anteà poterant, etsi non sint in subiecto.

Dices, agere per se est suppositi 1. Metaph. sed accidentia Eucharistiae non sunt supposita, ergò agere non possunt. Respondet Doctor *loc. cit.* in solutione ad 2. non dicere Filosophum, quod actio sit tantùm suppositi; sed quod actio est circa singularia; quod si contendas actionem esse solius suppositi; hoc intelligi debet, inquit Doctor non effectiuè, sed vt vltimatè denominati ab actione, licet nec etiam, vt solius denominati ab ipsa; quia id quod denominatur agere est suppositum, in quo est forma actiua, vel saltem habet modum suppositi, & in casu nostro est totum illud aggregatum, scilicet hostia, vel forma sensibilis vini; vndè vt accidentia Eucharistiae agant, sufficit vt sint singularia per se existentia, quamuis ibi nullum sit suppositum substantiale.

Secundò Dicendum est, vt ad singularia descendamus, accidentia Eucharistiae easdem actiones intentionales exercere posse, quas antea, hoc est producere omnes species intentionales, quas poterat coniuncta; vt experientia docet, tanguntur enim, videntur, gustantur, odorantur &c. item possunt efficere omnem accidentalem alterationem, quam anteà poterant in subiectum externum, nam calefaciunt, frigefaciunt, species vini in magna quantitate inebriant, & si essent maximae actiuitatis, possent vltimò disponere ad formam substantialem de nouo gignendam, & ad priorem corrumpendam. Ratio huius est, inquit Doctor *dist.* 12. *quaest.* 3. *et dict. K.* quia quando aliqua forma est totale principium actiuum respectu alicuius actionis, si illa manet per se sub modo conuenienti ad agendum, potest esse principium eiusdem actionis; sed qualitas est principium formale, & totale vtriusque actionis, quae sibi competere potest, scilicet, realis in passum ipsum alterando, & intentionalis in sensum; & quando est separata à substantia, est tamen in quantitate, siuè habens extensionem, sicut antè separationem à substantia, atque adeò manet sub modo conuenienti ad agendum, qui est modus extensionis; ergò potest esse principium vtriusque actionis; Maior patet, quia totali principio posito, & sub ratione, qua natum est esse principium, producere potest illud, cuius ponitur principium; Minor de actione intentionali patet, quod enim accidentia sint principium totale sensationis manifestum est, accidentia enim sunt illa, quae immediatè per se obijciuntur sensibus; substantia verò non, nisi per accidens, scilicet, mediantibus ipsis accidentibus, & hinc prouenit accidentia separata eodem omninò modo sensus immutare, sicut quando erant coniuncta; Hoc idem probatur etiam de actione reali, quia illa forma est principium totale actionis, quae est principium assimilandi sibi passum; sed accidentia separata in sacramento sunt huiusmodi praesertim in actione reali, vt patet de frigiditate, quae ab accidentibus vini producitur in alio vino, haec enim est totaliter similis frigiditati producenti. 363

Sed Dices, si accidentia separata possent in omnem gradum alterationis, in quem poterant coniuncta, possent substantiam corrumpere, & aliam nouam generare, quod est falsum, vt posteà dicemus; probatur consequentia, quia possent alterando inducere gradum incompossibilem cum qualitate formae passi in quod agunt, vt si accidentia vini agant in guttam aquae, naturaliter autem non datur corruptio absque generatione. 364

Respondetur, negando consequentiam cum eius probatione, quia nec accidentia separata, nec coniuncta possunt introducere gradum qualitatis incompossibilem cum forma corrumpenda; vndè si forma corrumpenda aquae v. g. habeat sex gradus qualitatis, quorum vnum, vel duos ità sibi determinet, vt sine eis esse non possit; tunc si agens contrarium per qualitates contrarias agat in eas, poterunt quidem qualitates illae quatuor inducere vel quinque gradus expellendo contrarios; at non inducent alios destruentes eos, quos sibi forma aquae determinat; & licet omnes illi gradus frigiditatis sint eiusdem rationis, si in se spectentur; quia tamen aliqui sunt simpliciter necessarij ad conseruationem formae substantialis aquae vt est v. g. vltimus gradus, vel duo frigiditatis, sine quibus aqua statim corrumperetur, alij verò sunt secundum quid necessarij, & ad benè esse; hinc in ordine ad substantiam, cuius sunt dispositiones, sunt alterius rationis; quapropter calor potest destruere gradus secundum quid necessarios, non verò simpliciter necessarios: non quia in seipsis, & intrinsecè sint maioris virtutis, quàm caeteri; sed quia substantia pro illis pugnat specialiter, & resistit; maior autem, & efficacior est concursus substantiae, quam accidentis, & ideò nunquam calor propter hoc auxilium substantiale potest corrumpere gradus, quos substantia pro sui conseruatione determinat: Quarè cum alterans ad gradum illi proximum peruenerit, quem sibi forma aquae determinat, tunc non accidens alterans, sed substantia illi substans corrumpit immediatè formam, & gradus, quos sibi determinabat, & generat nouam formam cum qualitate, & quantitate sibi propria: si igitur accidens coniunctum nequit substantiam corrumpere, multò minùs id poterit separatum: ità

ità respondet Doctor *d. 12. cit. q. 3. lit. O. & P.* quam solutionem amplius declarauimus *disp. 7. Phys. q. 2. ar. 2. nu.* 103. vbi de hoc puncto agimus ex professo.

Dices, hinc sequeretur, quod accidentia separata possent alterare passum vsque ad gradum illum proximum, & non sequi corruptio, quod manifestè sensui repugnat, & experientiæ. Respondeo gratis cócedendo secuturam corruptionem, non tamen virtute accidentium illorum, sed virtute agentis increati vices naturæ supplentis, statuit enim facere in Eucharistia ad fidei meritum, & celandum mysterium quidquid faceret substantia, si ibi esset; vndè sicut quādo accidens est coniunctum inducto gradu sufficienti contrario in passum, sequitur corruptio, non virtute accidentis, sed substantiæ, cui est coniunctum; ità pariter si ab accidente separato talis induceretur dispositio, ac in tali gradu, adhuc sequeretur corruptio, non quidem virtute illius, sed agentis vniuersalis scilicet Dei; Ex quo sequitur nunquam accidens posse substantiam corrumpere, nisi dispositiuè, quatenus disponit, vt agens validiùs producat, & corrumpat substantiam, nec vnquam accidens virtute propria gradum cum forma corrumpenda incompossibilem inducit, sed hoc efficit substantia corrumpens, & generans.

365 Tertiò dicendum est, accidentia separata in Eucharistia non posse substantiam producere, neque virtute propria, vt causas principales, neque virtute substantiæ, veluti instrumentales, sed tantùm dispositiuè; Conclusio est Scoti *loc. cit. lit. D.* & quoad secundam partem est contrà Thomistas, quæ sic probatur, accidentia coniuncta nec principaliter virtute propria, nec instrumentaliter in virtute substantiæ possunt eius productionem immediatè attingere; ergò tanto minus separata id poterunt; antecedens latè probatum est cum Doctore *loc. cit. disp. 7. Phys. q. 6. art. 2. concl.* 2. consequentia probatur, quia vel id facerent virtute propria, vel in virtute substantia, cui prius inhærebant; non primum, quia tunc non essent causæ instrumentalis, sed principales productionis substantiæ, quod neque Thomistæ concedunt; neque secundum, quia vt arguit Doctor, quod non est nihil causare potest in quocunque ordine causæ; sed substantia, cui accidentia Eucharistica inhærebant, facta consecratione non est; ergò nullam rationem causæ habere potest respectu effectus ab accidente causati, nec proximè, nec remotè.

Confirmatur, quia ratio instrumentalis causæ in eo consistit, vt sit mouens mota, per hoc enim à causa principali distinguitur, quod vbi ista per virtute propriæ formæ agit, & operatur; illa non agit per virtutem suæ formæ, sed solum per motum, quo à causa principali mouetur; at accidens separatum non potest habere rationem mouentis moti respectu substantiæ, cui anteà coniunctum erat, cùm ipsa non sit, ergo neque rationem instrumenti illius habere potest. Tandem simpliciter imperfectius secundum speciem, vel genus non potest esse totale principium actiuum respectu perfectioris, quia effectus non potest esse nobilior sua causa; ergo accidens separatum nequit substantiam producere, quia tunc ageret vltrà suam speciem.

Respondent Thomistæ, quod sicut accidentia coniuncta possunt productionem formæ substantialis attingere, non virtute propria, sed virtute substantiæ, cui inhærent; hoc idem etiam possunt separata, quia eadem virtus per diuinam virtutem conseruatur in eis, sicut antea erat, & ideò adhuc in tali statu separationis ad productioné formæ substantialis agere possent instrumentaliter, quo modo non inconuenit, quod agant vltrà propriam speciem, quia id non faciunt virtute propria, sed virtute principalis agentis. Quomodo autem hæc eadem virtus producendi substantiam, quam anteà habebant coniuncta, adhuc in eis conseruetur in statu separationis; ità declarant, quia volunt in tali casu nouum perseitatis modum accidenti separatò à Deo communicari loco actualis inhærentiæ, & ei oppositum, cuius virtute non solum per se existere post sine subiecto, sed etiam producere quicquid poterat in statu coniunctionis cum substantia.

366 Sed hanc vim producendi substantiam accidentibus conuenire, etiam quando sunt ei coniuncta, falsum est ex iam dictis *disp 7. Phys. q.* 6. substantia enim non communicat accidenti, nisi actualitatem, & terminationem essendi per inhærentiam per modum subiecti; si ergo nequit tribuere accidenti, vt per se existat, quem modum habet substantia in se, quia accidens est incapax talis modi essendi; minus potest ei communicare virtutem actiuam producendi substantiam, qua careat ipsa substantia secundum Aduersarios; Deindè falsum est accidentibus separatis à Deo communicari nouū perseitatis modum pro eius conseruatione loco actualis inhærentiæ, habent enim tantùm negatiuum, quatenus prosequitur Deus conseruationem accidentis secundum suam entitatem independenter à subiecto, vt dictum est *disp. 3. Phys. q. 4. art. 2.* ex Scoto *4. d. 12. quæst. 1. & 6.* §. ad argumenta; talis autem modus negatiuus non sufficit ad hoc, vt accidés esse possit principium productiuum substantię magis, quam prius, cùm ergo coniunctum id non potuerit, nec etiam poterit separatum. Denique accidens siuè coniunctum, siuè separatum, acceptum inquantum est virtus substantiæ, quo pacto Thomistæ dicunt posse attingere eius productionem, non est aliquid entitatiuè perfectius seipso secundum propriam entitatem consideratо; si ergo hoc modo nequit substantiæ productionem attingere, alioquin effectus esset sua causa nobilior, neque etiam primo modo sumptum eam attingere poterit. Restat ergo, vt accidentia siuè coniuncta, siuè separata ad substantiæ productionem tantum dispositiuè concurrant instrumentaliter, non quidem ita, vt suo instrumentali influxu substantiam attingat, sed quatenus habent effectum suum vltimò ordinatum ad effectum substantialem, quia scilicet vltimatè disponunt pro forma substantiali introducenda, qua ratione à Scoto *loc. cit.* causæ tantùm dispositiuæ dicuntur; cum enim accidentia ad productionem substantiæ aliquo modo concurrant, nec possint principaliter eius productionem attingere, nec etiam instrumétaliter in virtute substantiæ eo modo, quo dicunt Thomistę, restat vt concurrant instrumentaliter dispositiuè, quatenus habere possunt actionem dispositiuam ad introducendas formas substantiales, vt fusius explicatum est *disp. 7. Phys. q. 6. cit. art. 2.*

Sed Obijcies, accidentia separata possunt substantiam corrumpere, ergò & generare, quia non datur corruptio 367
absque generatione; probatur antecedens, quia possunt corrumpere illum gradum, quo corruptio sequitur corruptio formæ substantialis, nam planè negari non potest, quin accidentia magni ignis separata talem gradum corrumpere possint in guttam aquæ illis approximatam.

Confirmatur, quia species Eucharisticæ possunt nutrire, quod fieri nequit sine aggeneratione formæ carnis per nutrimentum illarum specierum. Tandem, quia posset saltem Deus accidens eleuare ad producendam substantiam, quādo id naturaliter non posset, ergo saltem dici potest hanc virtutem fuisse speciebus Eucharisticis, à Deo communicatam ad occultandum mysterium.

Respondetur negando assumptum cum eius probatione, vt satis constat ex dictis suprà *num.* 364. ex Scoto *loc. cit. lit. O.* vbi ad illud de magnis accidentibus ignis separatis inquit, non posse ipsa destruere guttam aquæ, sed hoc fieret à Deo in ratione agentis vniuersalis defectum naturæ supplentis.

Ad Confirmationem dicendum species hoc modo nutrire, quia enim Deus instituit non conseruare corpus Christi sub speciebus, nisi quamdiù manent accidentia, quæ nata sunt afficere substantiam panis, vel vini iam conuersi; ideò in instanti corruptionis huiusmodi accidentium siuè, per digestionem, siuè alio modo, redit actione diuina talis substantia, qualis nata est affici accidentibus consequētibus, seù qualem generasset natura de pane corrupto; hoc ergo modo species nutrire dicuntur, & ex ipsis corruptis generari vermes, vt ex dicendis adhuc magis patebit. Ad vltimum negatur assumptum, tunc enim solùm potest creatura à Deo eleuari per potentiam obedientialem ad aliqué effectum vires naturæ excedentem, quando in causa secunda supponitur aliqua virtus saltem inchoata producendi aliquem effectum similem habentem aliquam analogiam, & proportionem cum isto, ad quem producendum eleuatur à Deo, vt dictum est *disp. 7. Phys. cit. quæst. 6. art. 5.* nam Deus non concurrit cum causis secundis, nisi habeant talem virtutem inchoatam; modò in accidente talis virtus non reperitur producendi substantiam, non enim habet completam, vt patet, nec inchoatam, quia hæc non datur in quolibet ad quodlibet, sed tantum in eo, quod habet virtutem producendi effectum aliquo modo proportionatum, quod in accidente non reperitur, vt fusius *loc. cit.* explicatum est.

Quartò tandem Dicendum, species sacramentales nullā 368
posse

posse exercere actionem, in qua sit opus influxu substantiali, quia hæ virtutem accidentis non excedunt, & sub speciebus prædictis nulla remanet substantia post consecrationem; vnde non solùm, si prædictæ species essent tantæ actiuitatis, quod disponerent vltimò ad formam aliquam substantialem generandam, illa productio esset adscribenda Deo, vt dictum est; cuius est supplere defectus causatum secundarum; sed etiam si prædictæ species extrà proprium statum naturalem alterentur, putà si calefiant, vel rarefiant, dicendum est non posse se reducere ad pristinum statum, quando remouetur causa calefaciens, quia hæc reductio à forma substantiali fieri solet, & debet, ideoque auctori naturæ talis etiam reductio attribuenda foret; Qui ponum qualitates occultas; à quibus tales effectus prouenire dicunt, consequenter ad illas in hoc casu recurrunt; Sed præterquamquod non est de fide alia accidentia panis, & vini in Eucharistia manere, quàm sensibilia, vt supradictum est; adhuc etiã in Philosophia melius negantur tales qualitates sic occultæ, quæ nec ratione, nec experientia, aut ab effectu probari possunt; & attribuendus est hic effectus Deo supplenti defectum substantiæ vini, à qua proueniret reductio ad innatum frigus, si illa substantia adesset.

Hæc assertio fundamentum habet in communi sententia negante huiusmodi actionem reparatiuam ab ipsis accidentibus proficisci, etiam quando proprio subiecto sunt coniuncta, cùm nullum accidens vim habeat seipsum in proprio subiecto intendendi; neque à virtute aliqua occulta, cùm enim hæc quoque esset accidens intensibile, & remissibile, etiam ipsa cum reliquis accidentibus remissa in pristinum statum cum alijs reduci postularet; Fingere namque virtutem aliquam indiuisibilem, intensionis, ac remissionis incapacem, quæ tantùm ad huiusmodi actionem deseruiat, vt perperam aliqui cõmenti sunt apud Suarez *disp.57. sec.1.* in fine, & Lugo *disp.9. sec.2. à num.23.* est omninò superfluum atque chimericum, cùm talis actio in propriam formam substantialem reduci possit, ac debeat; siquidem ad illam propriè spectat, tanquam ad radicem, & fundamentum totius esse compositi, deperditum temperamentum reparare; vt benè notauit Amicus *disp.23. sec.3.* ideoque cùm ab accidentibus Eucharisticis substantia absit, non poterit in illis huius actionis principium assignari; sed reduci debebit in Deum, vt causam primam supplentem defectum causæ secundæ ex debito naturæ; vel vt causam particularem ex suppositione institutionis huius mysterij operantem, quod decreuit ad meritum fidelium occultum seruare, vt magis placet Amico *loc. cit.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quid accidentia separata pati possint.

369 PRimò Dicendum est, species Eucharistiæ ab agente creato mutari posse secundum locum. Est Scoti *4. d.12. cit. q.4. lit. E.* probatur, quia Sacerdos hinc, & illuc hostiam deicit, & hostia sibi derelicta deorsum cadit ex impetu propriæ grauitatis, principium enim internum, quo grauia mouentur deorsum est grauitas, vt dictum est *disp.3. in lib. de Cœlo qu.2.* Et quamuis Nominales censentes grauitatem, & leuitatem esse formas substantiales consequenter dicant nullam esse grauitatem in speciebus cõsecratis, & quando deorsum feruntur, esse impulsum à Deo productum ad occultandum miraculum, quos sequitur ex modernis Arriaga *disp.4.* de Generatione *sec.5.* Hoc tamen esse omninò falsum patet ex dictis *loc. cit.* & est multiplicare miracula absque vlla necessitate, & negare in speciebus consecratis grauitatem est omninò contrà sensum, videmus enim, quod quantò plus vini consecratur, tanto magis grauitat in calice; neque est vlla necessitas recurrendi ad Deum pro isto motu specierum deorsum, potest enim fieri ab agente naturali, nam ibi adest subiectum, scilicet, quantitas.

370 Sed Dices, principium motus deorsum in grauibus est forma eorum substantialis, sed nulla talis est in speciebus, ergo motus ille fit à solo Deo, & non ab aliquo principio intrinseco; probatur maior, separet Deus grauitatem, quæ ponitur forma accidentalis, conseruando formam panis, tunc quæro, si talis panis ponatur in aere, vel descendet, vel non; si descendit, ergo panis est substantialiter grauis; si non descendit, tunc vlterius vrgetur, quia locus proprius terræ, quæ est elementum prædominans in pane, est subtus aerem, & aquam; ergo si panis positus in aere non descendit, violenter ibi quiescit, & per consequens aliquod adest impedimentum suæ quietis, quo amoto ex impetu innato moueretur deorsum; ergo panis est substantialiter grauis.

Respondetur negando maiorem, ad probationem dicendum, quod in casu posito panis non moueretur, & quiesceret ibi violenter, quatenus talis quies esset contra impetum principij passiui primarij, & remoti, quale est forma substantialis grauis; & cùm additur, ergo adest aliquod impedimentum, quo ablato mouebitur deorsum, dico non adesse impedimentum positiuum, quale est lignum sustinens lapidem, quo amoto statim lapis mouetur deorsum, sed adest impedimentum negatiuum, defectus nempè principij proximi motus, quod est grauitas, qua pani restituta concedendum est, quod statim deorsum mouebitur.

Instabis rursus, si grauitas esset principium intrinsecum talis motus; ergo esset natura, & per consequens substantia, quod est falsum; Nec valet dicere, quod est principium actiuum, non passiuum, quale est natura; nam licet sit principium actiuum, tamen negari non potest, quin etiam sit passiuum, quatenus graue habet inclinationem naturalem ad motum deorsum; præterquamquod *disput.6. Phys. quæst.1. art.* diximus etiam probabile esse naturam dici quoque de principio actiuo, licet principaliter dicatur de passiuo. 371

Respondetur concedendo grauitatem esse principium, nedùm actiuum, sed etiam passiuum talis motus, sed non ob id est natura, quia natura est principium passiuum primarium, & constitutiuum rei, quæ mouetur, in esse suo; natura enim non solùm est principium motus, sed eius, in quo est, hoc est, illius quod constituit; in proposito autem grauitas non est tale principium respectu specierum, neque ex ipsa cum quantitate consurgit aliquod compositum per se, & ens naturale, sed tantum vnum ens per accidens, quod dicitur quantum graue: quia tamen hæc grauitas est principium proximum, & secundarium motus deorsum; poterit dici motus iste naturalis secundum quid, non simpliciter; quod declaratur exemplo satis apto de motu Cœli circulari, qui ex duplici capite naturalis dici potest, primò ob formam, & intrinsecam naturam ipsius Cœli, ex quo capite dicitur naturalis simpliciter: deindè ob formam extrinsecam circularem, quæ est aptissima dispositio illius corporis ad recipiendum talem motum, itaut si per impossibile Cœlum propria forma priuaretur, & remaneret solùm cum tali figura spherica, motus ille adhuc diceretur naturalis, naturalis, inquam, secundum quid, & à principio extrinseco: sic in proposito motus deorsum panis dicitur naturalis ex duplici capite, primò ex forma substantiali sua: secundò ex forma accidentali grauitatis, quæ est veluti dispositio illius ad recipiendum motum deorsum: ex primo capite dicitur naturalis simpliciter, ex secundo naturalis secundum quid: si ergo casu eueniret, quod quantitas panis separaretur à substantia, & remaneret cum grauitate, adhuc quidem moueatur deorsum, sed motus ille non erit naturalis, nisi secundum quid, quia non oritur nisi ex principio passiuo extrinseco, hoc est, accidentali, non autem intrinseco, & substantiali, qualis est ipsa forma grauis.

Secundò Dicendum est, species sacramentales moueri posse motu alterationis, vt calefieri, & frigefieri, & hoc ab agente naturali. Ità Scotus *loc. cit.* & quidem supposita communi sententia contrà Nominales, quantitatem nimirum esse accidens realiter a substantia distinctum, & esse subiectum immediatum omnium qualitatum, atque ideò qualitates specierum inhærere quantitati, cui antè consecrationem inhærebant, facilè intelligitur ab agente naturali in eadem quantitate qualitates intendi, & remitti posse, quia ex parte quantitatis est sufficiens potentia passiua, ex qua educantur, quia immediatè in illa recipiuntur, & ab illa pendent in suo esse, & conseruantur, atque adeò etiam fieri possunt ex illa, quia vt patet, nil aliud est educi formam de potentia subiecti, quam in illo fieri cum dependentia ab eo in suo esse, & conseruari, dicendum ergo, quod virtute agentis naturalis hoc totum est possibile. 372

Conf. quia substantia ipsa transmutatur ab agente naturali mediante quantitate, siquidem mutationes naturales fiunt per contactum physicum, & corporeum: ergo prius fit mutatio in quantitate, quàm in substantia, atq; adeò quantitas separata à substantia non minus ad qualitatem poterit immediatè ab agente naturali transmutari.

Addit

Addit etiam Doctor posse species sacramentales mutari secundum qualitates quartæ speciei eadem quantitate inuariata manente,& ab agente creato; nam si vinum consecratum in ali o, & alio vase alterius figuræ ponatur, eadem quantitate manente diuersam recipit figurationem; vbi aduertendum est figuram dupliciter sumi posse, primò pro figura intrinseca, quæ dici solet quantitatiua, & importat ordinem partium in toto; secundò pro figura extrinseca, quæ dicitur situalis, & importat ordinem partium in loco;& siuè hoc, siuè illo modo figura sumatur, potest mutari figuratio partibus manentibus ijsdem in se,& in toto, quia variatio secundum figurationem non variat quantitatem in se; quo autem modo figura ponatur in prædicamento qualitatis iam dictum est in logica suo loco.

373 Tertiò dicendum est, species sacramentales transmutari posse ab agente naturali etiam motu rarefactionis, & condensationis. Hæc conclusio fundatur in iam dictis de rarefactione,& condensatione *disput.4. de Gen. & Corrup qu.5.* vbi docuimus,tanquam probabilius,& menti Doctoris conformiùs,non acquiri per eas,veluti per terminum,nisi nouam extensionem localem,partium locati maiorem,vel minorem ad prædicamentum Situs pertinentem, quod etiam nobiscum egregiè defendi Gauatius *disp. 9. de Eucharistia quæst.5.* ex qua doctrina ibi ex professo tradita assertio nostra ità probari potest; quia per rarefactionem, & condensationem non acquiritur, vel deperditur quantitas, sed tantùm maior, vel minor extensio localis eadem quantitate permanente;ergò huiusmodi mutationes fieri possunt circa species ab agente naturali; consequentia patet, quia intantùm Aduersarij oppositum tenent, quia dicunt per condensationem, & rarefactionem variari quantitatem;assumptum probatur, quia tunc intelligitur quantitas secũdum rem variari, quando vel tota destruitur,& alia de nouo producitur, vel aliqua pars destruitur, aut noua præexistenti superadditur, sed nullum horum in rarefactione, vel condensatione specierum sacramentalium euenit,ergo &c. Minor probatur, quia vt cõstat ex dictis *loc. citat.* quando species rarefiunt, maiorem dunraxat extensionem localem acquirunt, quàm in condensatione deperdunt; quarè earum quantitas non secundum rem variatur, sed tantùm secundum modum scilicet, secundum respectum quendam extrinsecus aduenientem ad partes loci, quia per condensationem partes non efficiuntur sibi propinquiores, quàm anteà in ordine ad seinuicem, nam semper sunt continuæ, sed tantùm in ordine ad locum;& similiter partes per rarefactionem efficiuntur distantiores in ordine ad locum,& non in ordine ad se, & hoc expressè significauit Doctor *loc. cit.* dùm loquens de speciebus sacramentalibus inquit, possibile esse quod maneat idem ordo penitus partium in ordine ad se inuicem;& quod sit alius ordo partium ad partes loci.

Contrà hanc conclusionem instari solet, quod in rarefactione acquiritur noua extensio, vt patet ad sensum, & in condensationem deperditur;ergo & noua quantitas, quia extensio est ratio formalis quantitatis, vel saltem eius passio; & alia similia argumenta vrgeri solent; Quæ omnia soluta sunt *disp.4.cit.de Raresac.& Condens. q.3.nu.71.& seq.* nam vt latè docuimus *disp.9. Phys. q.1.art.1.& 2.* actualis extensio localis non est ratio formalis quantitatis, nec eius propria passio, sed effectus, & actus passionis eius ab ea separabili spectans ad prædicamentum Situs, vt constat de corpore Christi in Eucharistia, vbi habet suam quantitatem sine vlla extensione locali.

374 Quartò Dicendum est, quod licet quantitas sacramentalis ab agente naturali corrumpi non possit, quia nullum habet subiectum in quod desinat, agens autem naturale annihilare non potest; qualitates tamen omnes corrumpi possunt vsque ad illum gradum exclusiuè, quem necessariò sibi determinat substantia panis ad sui consistentiam. Ità Doctor *loc. cit. q.5.* quod probat, quia qualitates illæ quoad omnes gradus vsque ad vltimum exclusiuè, quam sibi determinat substantia panis, possunt corrumpi manente quantitate; ergo quoad istos potest agens naturale illas corrumpere, quia nõ defuit subiectum motus; sed quia ad corruptionem illius vltimi gradus substantia panis non consisteret, si adesset, consequenter neque quantitas, ideoq; agens naturale non potest in illum, sed hic à Deo corrumpitur, vel annihilatur simul cum quãtitate,& immediatè materia prima producitur, in quam prosequatur agens naturale actionem suam generando; Ex quo infert Doctor Eucharistiam desinere posse per actionem agentis naturalis, & hoc absque nouo miraculo, quia eadem voluntate antiqua, qua voluit Deus Eucharistiam esse in Ecclesia, voluit etiam ipsam non manere, nisi quamdiù manerent qualitates aptæ natæ ad perficiendam,& conseruandam substantiam, quibus desinentibus etiam Eucharistia desinere debet, sicut desineret substantia panis, si adesset.

Instabis, si Eucharistia desinere potest per actionem agentis naturalis; ergo etiam qualitates, quas sibi determinat forma substantialis, ad sui consistentium, quod est contra assertum positum; ac etiam omninò falsum, nam ad corruptionem talium qualitatum necessariò sequitur corruptio quantitatis,& per consequens agens naturale ageret sine passo; in illo enim instanti, in quo corrumpuntur qualitatis illæ, corrumperetur substantia, si adesset, cùm forma substantialis illas sibi determinet ad sui consistentiam; igitur, & quantitas corrumpetur, & per consequens illa actio naturalis agentis pro eo tunc esset sine passo; videtur ergo quod illæ qualitates à solo Deo corrumpantur.

Respondetur, quod quàndo inquit Doctor Eucharistiam per actionem naturalis agentis desinere posse, intelligit dispositiuè, non verò principaliter, quatenus agens naturale potest disponere ad corruptionem illarum qualitatum, quas sibi forma substantialis determinat; vndè sicut in corruptione formæ substantialis accidentia disponunt ad eius corruptionem, qua dispositione facta agens substantiale in instanti terminante alterationem corrumpit formam substantialem, & accidentia, quæ sibi determinat; ità in proposito agentia naturalia alterant quantitatem vsque ad corruptionem earum qualitatum, quas forma substantialis panis, & vini sibi determinabat; & in instanti terminante alterationem Deus immediatè corrumpit quantitatem, & qualitates illas, quas forma substantialis panis & vini sibi determinabat,& producit substantiam, sicut nata esset produci virtute agentis naturalis, si ibi esset materia.

Quintò vlterius disputatur, An in mutatione corruptiua Eucharistiæ opus sit substantiam nouam redire; & sensus quæstionis est, an quandò agens naturale alteravit species alteratione tali, cum qua non staret substantia panis, si adesset,& ex speciebus consecratis generatur alia substantia, v.g. Chilus, vel vermis, vel ignis, an in tali casu per creationem materia prima redeat, ex qua talis forma educatur; an potius sola quantitas ad hoc sufficiat, vt quidam ex Thomistis sunt opinati, qui dixerunt quantitatem esse subiectum, nedum alterationis, sed etiam generationis, ac recipere in se formam substantialem de nouo genitam; quæ sententia communiter reijcitur, & præsertim à Scoto *d.12.cit. quæst.6.* vt enim species consecratæ nutritioni deseruiant, aut generationi substantiali, non sufficit quantitas, sed necessaria est aliqua materia, tùm quia agens naturale non potest formam substantialem educere ex solo accidente, sed ex substantiali potentia materiæ; tùm quia ex quantitate, & forma substantiali non potest resultare ens per se vnum, tùm quia sola accidentia non possunt nutrire, cùm ad nutritionem alimentum substantiale requiratur; tùm tandem quia multò magis miraculum est quantitatem tali modo materiæ munus supplere, quàm sit veram materiam de nouo succedere, & à Deo produci, quia contrà omnem ordinem esset substantiam subiectari in accidenti, idque videtur penitus repugnari. 375

Quarè dicendum est cum Scoto *loc. cit.* & communi sententia, in eo instanti, quo species, ità sunt alteratæ, vt non posset sub eis naturaliter conseruari substantia panis, vel produci à Deo immediatè substantiam compositam, cui talia accidentia conueniant, verbi gratia, ignem, si à tali agente in hunc modum sint alteratæ, vel saltem materiam primam, quæ subijciatur generationi substantiali, & actioni agentis naturalis, neque enim id Doctor absolutè negat *loc. cit.* sed tantùm reijcit quibusdam argumentis ad hominem factis contrà sic opinantes, vt notat Aretinus *d.12.q.6. art.6. dub.2.* Hoc autem probatur, veluti à priori, nam facilè intelligi potest in vltimo transmutationis instanti materiam quidem creari à Deo, siuè sit eadem, quæ prius erat sub forma panis, siuè alia noua, parum refert; Et cum in eodem instanti perficiatur vltima dispositio ad certam formam requisita, facilè etiam intelligi potest talem formam induci ab agente naturali,& educi de potentia materiæ; nec enim necesse est materiam prius tempore præexistere, sed satis est ordine naturæ præire; quia Sol potest illuminare aerem in eodem instanti, 376

in quo

in quo creatur; ergò agẽs naturale potest inducere formam in materiam primam in eodem illo instanti, in quo producitur à Deo; antecedens est Scoti in solutione ad 3. principale, vbi ait quod agens naturale potest habere effectum sibi coæuum, vel in seipso, vt patet de propria passione consequente subiectum, vel in alio, vtporè si simul crearentur, Sol, & aer, simul fieret aer lucidus à Sole, & tamen non præcessisset in aere oppositum luminis; consequentia verò est manifesta, quia materia in illo primo instanti est capax formæ, & agens præsens, ergò inducit formam; neque necesse est agens præsupponere tempore passum, sed tantùm natura; idque videntur suadere verba Doctoris in ea solutione ad 3. prin. lit. H. §. *& si quæras*.

Hinc facilè reijcitur responsio Vasquez *disp.* 195. *capit.* 3. *num.* 31. vbi inquit, quod nullum agens creatum habet vim inducendi formam in materiam subitò creatam, sed tantùm in illam, quam paulatim sua actione disposuit. Reijcitur, inquam, quia si hæc materia præcessisset, & esset disposita ab hoc agente in hoc instanti, hoc agens vtique induceret formam in hanc materiam, vt ait Vasquez; sed in hoc instanti reperitur simili modo materia disposita, sicut esset, si hoc agens disposuisset illam, ergo in hoc instanti induceret formam in hanc materiam.

Confirmatur, quia certè in præsenti casu agens ipsum naturale iam induxit paulatim dispositionem aptam ad suam formam, non quidem in materia, quia non erat, sed in quantitate, & ex vi huius dispositionis, cùm completa fuerit, introducitur tandem substantialis forma concurrente tunc quoque creatione materiæ. Denique in Eucharistia non est negandum agentibus, naturalibus, quod illis sine miraculo potest tribui; sed sic supposita materia in eo instanti producta agens naturale sine miraculo produceret formam, ergò non est illi hoc negandum.

377 Ex hac igitur materia ità reproducta naturaliter educitur forma ab agente naturali in hunc modum ad hanc generationem concurrente, vt explicat Caspensis *disput.* 6. *sec.* 3. cum cæteris Recentioribus. Primo in quantitate præexistẽte recipiuntur dispositiones requisitæ ad nouam formam recipiendam. Deindè in instanti generationis recreatur materia prima eadem, quæ per transubstantiationem desierat, & per nouam, & specialem actionem diuinam vnitur quantitati iam dispositæ; Et denique ex materia sic disposita in illo priori naturæ virtute agentis naturalis educitur forma substantialis, illa enim prioritas sufficiens est ad talem eductionem, quia fieri non potest, vt in eodem instanti temporis existentibus materia, & forma, quod forma non dependeat à materia in genere suo, siquidem informatur illa ex vi dispositionum præcedentium ab agentibus naturalibus; Et eodem modo philosophantur de nutritione, quando, scilicet, species sumptæ ità alterantur, vt substantia panis sub illis esse desineret; tunc creatur à Deo materia, & vnitur quantitati, & dispositionibus aptis ad recipiendam formam aliti, & in eodem instanti vnitur formæ, itaut talis vnio accidentium ad materiam reproductam ordine naturæ consequatur creationem materiæ, & antecedat introductionem formæ, ità etiam discurrit Auersa *quæst.* 5. *sec.* 5. in fine, vbi proindè ait vnionem, & inhæsionem accidentium respectu materiæ, quæ de nouo succedit fieri immediatè ab ipso Deo.

378 Hic tamen philosophandi modus falso nititur fundamento Recentioribus valdè familiari, ipsi namque putant dispositiones præcedentes in materia concurrere ad introductionem nouæ formæ in genere causæ materialis materiam, scilicet, excolendo, & præparando, veluti rationes recipiendi, quasi sine his materia subiectum ineptum foret formæ introducendæ; Sed falsum est, quod in genere causæ materialis concurrant, cum potius concurrant in genere causæ efficientis, vt Scotus docet 4. *d.* 1. *q.* 5. *lit. E.* vt potè instrumenta, quibus vtitur agens ad expellendam formam veterem, & dispositiones contrarias eo modo, quo ipse docet 4. *d.* 12. *q.* 3. & nos iam fusè declarauimus *disp.* 5. *Phys. q.* 8. *art.* 1. vbi proindè diximus dispositiones, quas agens naturale inducit in materiam, vt formam contrariam expellat, & suam introducat, recipi in toto composito præcedente, non autem in materia prima immediatè; neque introduci ex necessitate materiæ, quia ipsa est de se proportionata ad actum substantialem recipiendum, nec redditur proportionata per accidentalem; neque ex necessitate formæ generandæ, nam qualitates necessariæ pro eius conseruatione ipsam comitantur in instanti generationis, & non antecedunt; quarè conclusimus introduci ex sola necessitate formæ corrumpendæ, quæ non potest expelli à subiecto, nisi præuijs alterationibus atq; ideò corrumpi in instanti generationis, alias verò necessarias pro formæ nouæ conseruatione eam comitari, & ab ipsa dimanare in eodem generationis instanti, & consequenter formam substantialem informare materiam nudam. Itaque iuxtà hanc doctrinam dicendum est, quantitatem sacramentalem cum dispositionibus introductis formæ panis incompossibilibus, si adesset, non remanere, nec à Deo vniri materiæ iam reproductæ, & de nouo creatæ, sed potius à Deo destrui, & annihilari; & in eo generationis instanti, in quo noua forma substantialis producitur ab agente naturali in materia de nouo creata, produci consequenter nouam quantitatem cum dispositionibus pro nouæ formæ conseruatione necessarijs, vt naturaliter contingere solet in introductione nouæ formæ, & destructione antiquæ, & sicut de facto in generatione compositi pro tanto dicitur agens naturale efficere substantiam compositam genitam quantitate, & qualitate, quia producit formam eius substantialem, à qua omnia accidentia illius substantiæ producuntur; ità seruata proportione dicendum est in casu nostro, in illo enim instanti, in quo agens naturale producit formam in materia à Deo creata, & reproducta, producuntur etiam omnia accidentia naturaliter illam formam consequentia, & pro eius conseruatione necessaria.

Sed Dices, Scotum *d.* 12. *q.* 6. *cit. concl.* 4. expressè asserere, quod siuè per alterationem, siuè per motum in quantitate corrumpatur Eucharistia, redit de facto substantia, & hæc est substantia composita, cui talia accidentia conuenirent, quam etiam afficiunt, & hoc in instanti corruptionis, & immediatè à Deo. Imò Doctor ibi intendere videtur, vt aduertit Hiqueus, manere quãtitatem priorem cum primis dispositionibus inductis, & productæ à Deo substantiæ vniri, quia licet hæc aliàs emanare possent ab ipsa forma, vel à toto, aut à generante produci; tamen vtrumque superflueret, si Deus vniret præexistentia accidentia substantiæ in prima sui creatione, quia sic reduceretur ad actum. Hinc tandem Hiqueus in fine quæstionis illius dicit, Tataretum, Aretinum, & alios Scotistas putantes materiam creari in priori instanti naturæ, & de potentia eius educi formam virtute causæ naturalis alterantis species, & qualitates inductas cum Eucharistica quantitate in instanti generationis destrui, & alios de nouo generari, non rectè philosophari, neque ad mentem Doctoris, quia materia illa non esset, neque esse posset quanta, cùm totum compositum sit subiectum immediatum quantitatis, & aliorum accidentium, neque consequenter esset subiectum proportionatum agenti naturali, quod non nisi in quantum agere potest. 379

Respondeo negari non posse, Doctorem id asserere *concl.* 4. verùm quia id non probat, vt diximus, nisi quibusdam rationibus ad hominem factis contrà opinantes solam materiam primam reproduci, quas etiam non vrgere fatetur infrà in eadem quæstione in solutione ad 3. prin. vbi etiam hanc partem indicat esse probabilem; ideò cùm hæc sit communior opinio, & modum eam tuendi ibi doceat, alteri præferri debet; ait enim Doctor ibidem; Et si quæras an agat agens naturale ad hoc, quod substantia illa rediens actione diuina sit quanta, vel qualis illa qualitate, quam inducit in quantitatem: posset dici, quod sic, quia cùm posterius natura agat, quàm Deus in reducendo substantiam, & in illo posteriori habet passum receptiuum illius termini formalis, in quem potest, & per consequens potest illud passum afficere illo termino formali; Vel potest dici oppositũ, scilicet, quod non, quia non potest agens creatum informare subiectum aliquo accidente, nisi prius habuerit aliquod repugnatiuum, quod tollitur per actionem agentis huiusmodi. Sed hoc non est necessarium, quia si non præcedit ordine durationis contrarium, vel priuatio; non propter hoc tollitur actio agentis naturalis, quia benè potest agens naturale habere effectum sibi coæuum, & in seipso, vt de propria passione consequente subiectum, vel in alio, vtporè si simul crearentur Sol, & aer, simul fieret aer lucidus à Sole, & tamen non præcessisset in aere oppositum luminis; ità Scot. *loc. cit.* vbi, vt vides probabilem indicat hanc partem, quod sola materia prima reproducatur, & non tota substantia composita, & dat modum soluendi rationes, quibus id reiecerat in illa conclusione quarta.

Neque ratio, quam addit Hiqueus, vrget, quia esto agens natura-

naturale actionem alterativa non possit agere, nisi in quantum, scilicet, in compositum corrumpendum, & per talem actionem nudam materiæ essentiam attingere nequeat; per actionem tamen substantialem, & generatiuam nudam materiæ essentiam attingere potest, nam sicut materia est immediatè receptiua substantialis formæ; ità quoque est immediatè receptiua actionis substantialis eiusdem, vt latius explicatum est *disp. 2. Physs. q. 8. ar. 4. nu.* 175.

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

Quomodo Christus desinat esse sub speciebus: & an per mixtionem desinere possit.

380 Certum est desinere Christum esse in sacramento, quando species sacramentales corrumpuntur, sub quibus erat, quia Christus hoc modo non nisi sacramentaliter existit, sed tunc cùm desinunt species, desinit sacramentum, ergo desinit esse ibi Christus; quarè tunc desinit, quando valeret dicere si fuisset ibi substantia, non posse eam amplius cõseruari, siuè dicatur per vltimum esse sui, siuè per primum non esse iuxta diuersos philosophandi modus inceptione, & desitione rerum, de quibus satis dictum est in Physica suo loco; Difficultas nunc est de modo, quo fiat talis desitio corporis, & sanguinis Christi sub speciebus, in qua tres præsertim referri solent sententiæ, duæ extremæ, & altera veluti media; Prima fuit quorundam autumantium Christum desinere esse sub speciebus sacramentalibus per motum localem, corruptis namq; speciebus dixerunt Christum recedere per motum localem, & in Cœlum ascendere, vbi præter naturalem præsentiã tot alias acquirit, quot species corrumpuntur, & consumuntur; ità indicauit Glosa in cap. *Tribus gradibus* de Consecratione *dist.* 2. vbi ait consumptis speciebus Christum in Cœlum euolare, quæ loquendi forma motum localem significat, & hæc opinio Canonistis tribui solet. Opposita sententia docet, Christum desinere in sacramento per desitionem, veluti substantialem quia nimirum conseruabatur in sacramento per peculiarem actionem substantialem substantiam Christi in sua existentia attingentem; Vndè cessante posteà tali actione dici debet veluti substantialis desitio Christi, qui tamen adhuc permaneat, prout per aliam actionem in sua substantia immediatè conseruatur à Deo; ità discurrunt omnes, qui dicunt Christum incipere esse in hoc sacramento per substantialem reproductionem, aut conseruationem ad substantiam corporis Christi de nouo terminatam; consequenter enim asserunt illum in hoc sacramento desinere per mutationem substantialẽ, hoc est, per subtractionem concursus diuini conseruatiui. Tertia tandẽ sententia, veluti media, est Scoti, & Scotistarũ ac aliorum Recentiorum, qui affirmantes Christũ incipere in hoc sacramento per acquisitionem tantùm nouæ præsentialitatis ad species, cõsequenter asserunt desinere esse sub eo per simplicem deperditionem eiusdem realis, ac sacramentalis præsentię. De alia parte quæstionis dicemus articulo secũdo.

ARTICVLVS PRIMVS.

Resoluitur Quæstio quoad primam partem.

381 Hic supponendum est cum communi sententia, quando Christus desinit esse sub speciebus, verè, & realiter mutari, seù desinere per veram, & propriam sui mutationẽ, & non tantum per mutationem specierum, sicut desinit esse Deus in creatura, non per mutationem sui, sed per mutationem creaturæ, quæ destruitur, vt indicauit D. Thomas *art. 6. & ad* 3. qua de causa quidam Thomistæ absolute dixerunt Christum nullo modo mutari, quando desinit esse in sacramento. Hoc, inquam omninò falsum est, quia vt dictum est superius in hac *disp. q.* 10. ex Scoto 4. *d.* 10. *q.* 1. præsentia sacramentalis Christi ad species non est denominatio pura extrinseca in corpore Christi, sed modus quidã verus, & realis in ipso, quando namque Christus ponitur in hoc sacramento, aliquid reale in se formaliter accipit, quod prius non habebat, non quidem absolutum, sed respectiuum, nouam, scilicet, realem relationem præsentialitatis ad species; dum ergo desinit esse sub illis, illam eandem relationem deperdit, ac proindè realiter, & intrinsecè mutatur, non quidem mutatione positiua, & acquisitiua, sed priuatiua, ac deperditiua. Neque exemplum de Deo existente in creatura; & desinente esse in illa per solam creaturæ mutationem, est ad rem, quia præsentia intima Christi ad species sacramentalis est relatio realis, & mutua ex parte vtriusque extremi, & ambo intrinsecè afficir, cùm ambo sint relationis capacia, cuius Deus capax non est ratione summæ, & infinitæ actualitatis; Tùm quia cùm Deus sit immensus, permanet semper in eodem spatio, in quo erat creatura, ac proindè fieri nequit, vt existente creatura non sit in ea Deus; at benè possibile est conseruatis accidentibus, Christum non esse sub illis, & è contrà desinentibus accidentibus permanere Christum in eodem loco, præscindendo à decreto iam facto. Hoc itaque supposito.

Dicendum est, Christum non desinere esse in hoc sacramento per motum, aut mutationem localem propriè sumptam; neque per mutationem substantialem, sed per simplicem mutationem deperditiuam realis præsentiæ sacramentalis, quam habebat cum speciebus. Est Scoti *loc. cit.* & probatur quoad omnes, & singulas partes, & quidem quod non desinat esse Christus in hoc sacramento per motum, vel mutationem localem propriè sumptam, probatur euidenter, quia ad hanc requiritur, vt sit inter duos terminos positiuos, quorum vnus sit terminus à quo, & alter terminus ad quem ex 5. Phys. vbi Arist. ait motum esse de subiecto in subiectum; in proposito autem Christus desinens esse sub speciebus, licet præsentiam localem amittat, quam ad spatium specierum habebat, non tamen aliam nouam præsentiam acquirit, vel nouum locum, sed permanet in Cœlo, & retinet eandem præsentiam naturalem, quam ibi anteà habebat; ergò per motum localem à loco specierum non recedit, sed solùm per simplicem cessationem desinit esse in illo loco specierum, in quo erat, quod ad rationem motus localis non sufficit. 382

Deindè probatur, quod nõ desinat esse sub speciebus per mutationem substantialem, quia quando Christus incipit esse in sacramento, nihil substantiale de nouo acquirit, vt ostensum suprà, *qu.* 12. ergò pariter quandò in eo desinit, nihil substantiale deperdit, & per consequens substantialiter non mutatur; consequentia patet, quia consimili modo de desitione Christi sub speciebus loqui debemus, quo de inceptione sub illis iam philosophati sumus; vndè meritò Suarez inconsequentiæ arguitur ab Auersa, Coninchio, & alijs Recentioribus, qui *disp.* 50. *sec.* 4. docet corpus Christi sub speciebus consecratis de nouo constitui per nouam actionem substantialem ad substantiam corporis Christi terminatam, ipsum sub speciebus sacramentalibus substantialiter conseruando; posteà verò *disp* 14. *sect.* 1. probat Christum per simplicem desitionem præsentiæ sacramentalis desinere esse sub speciebus. Ex quo tandem sequitur Christum desinere esse in sacramento per simplicem desitionem præsentiæ sacramentalis, quam cum speciebus habebat, sicut enim Christus incipit esse in Eucharistia per hanc præsentiam; ità per ablationem eiusdem desinere debet, quia ex decreto iam facto in huius sacramenti institutione tam diù hęc præsentia Christi sub speciebus conseruari debet quamdiù panis, & vini accidentia permanent, quibus corruptis non amplius talis præsentia conseruatur, atque ideò Christus desinit esse sub illis per simplicem mutationem deperditiuam præsentiæ sacramentalis. 383

Prætereà potest probari nostra assertio ex absurdis, quæ sequuntur, & iam deduximus *disput.* 5. *de Gener & Corrup. q.* 8. *n.* 185. si dicatur Christus desinere esse sub speciebus per mutationem substantialem; sequeretur enim, vt ibi dicebamus, quod in dies Christum destrueremus, imò & annihilaremus, si corruptis speciebus sacramentalibus substantialiter desinit.

Consequentia probatur, quia licet in tali casu succedat alia substantia loco corporis, & sanguinis Christi, non tamen dicitur corpus, & sanguis Christi conuerti in substantiam illam succedentem, vt omnes fatentur, atque ideò dici nequit Christi desinere esse sub speciebus per conuersionem ipsius in aliam substantiam; Nec etiam dici potest desinere esse per mutationem substantialem, quæ sit corruptio propriè accepta, quia nihil ipsius remanet sub accidentibus, si ergò desinit esse sub sacramento per mutationem substantialem, sequitur necessariò desinere per annihilationem.

Respondent Auctores secundæ sententiæ negãdo consequen- 384

quentia, quia annihilatio significat absolutam, & totalem rei destructionem; corpus autem Christi, absolutè adhuc perseuerat esse, & desinit tantùm esse secundum quid, hoc est, secundum esse sacramentale. Hæc solutio, quæ fuit Coninchij *quæst. 4. articul. 6. dub. 3.* solidè reijcitur à Gauatio nostro *disputat. 5. quæst. 11. numer. 494.* nam hoc esse sacramentale, secundum quod Christus desinit esse, vel est aliquod esse substantiale, vel accidentale duntaxat; si secundum, habemus intentum, quod talis desitio Christi in Eucharistia erit per mutationem tantùm accidentalem, non verò substantialem; si primum, ergo desitio illa erit substantialis, tunc enim desitio substantialis dicitur, quando aliquid desinit secundum esse substantiale, & simpliciter, atque ità non erit tantùm desitio secundùm quid, vt in responsione dicebatur; sed quælibet desitio substantialis, vel est corruptio, vel annihilatio, ergo cùm desitio Christi sub speciebus non sit corruptio, vt probatum est, quia nihil ipsius remanet sub accidentibus, sequitur necessariò, quod sit annihilatio.

Confirmatur, quia saltem dato casu, quod Christus sacramentaliter tantùm existeret, & in vno duntaxat loco, sequitur necessariò desitionem eius sub sacramento, si est substantialis fore annihilationem, quia tunc absolutè, & totaliter desineret, cùm supponamus alibi non esse, quàm in sacramento, & in vno tantùm loco.

385 Respondent, casum illum secundum legem Dei ordinariam esse impossibilem, licet enim præsentia sacramentalis ex natura rei non dependeat à præsentia naturali, tamen ex ordinatione Dei supponit illam; si tamen per impossibile accideret tunc futurum, vt Deus Christum sine speciebus conseruaret, aut si omninò desineret eum conseruare, ipsum annihilandum. Addunt alij, argumentum nos magis vrgere, quia in tali casu dicere non possemus, quod desineret esse in sacramento per simplicem deperditionem præsentiæ sacramentalis, retinendo naturalem, quam alibi habet, quia cùm alibi data hypotesi non existat, desineret absolutè, & totaliter, atque ideò saltem in tali casu desitio esset substantialis.

Sed adhuc in tali casu malè conceditur Christum fore annihilandum, quia substantia corporis Christi in conseruari à præsentia sacramentali sub speciebus non dependet, vnde in tali casu, vt notat Auersa *quæst. 4. sec. 9.* in fine, dissolueretur quidem præsentia, & vnio sacramentalis Christi sub speciebus, & succederet alia substantia; adhuc tamen Christus in eodem loco coexisteret; modus enim, quo nunc indiuisibiliter existit in sacramento, si præcisè referatur ad locum, non excludit aliam substantiam, sicut nec quantitatem eundem locum occupantem; permaneret autem in eiusmodi Christus, quamdiù ex diuina dispositione ad alium locum non transferetur, & non assumeret alium modum essendi in loco; quarè adhuc in tali casu desitio illa corporis Christi sub speciebus accidentalis foret, & non substantialis, & adhuc fieret per simplicem deperditionem realis præsentiæ sacramentalis, quàm ad species habebat, retinendo aliam præsentiam localem, quam habebat ad locum specierum, & iam superius *quæst. 10.* diximus esse distinctam à præsentia, & vnione sacramentali, quam Christus habet ad ipsas species.

386 Sed Obijcies, idem corpus in pluribus locis constitutum desinit in singulis esse diuersa desitione substantiali, non aliter, ac si desineret substantia Angelis existentis alicubi, si Deus subtraheret influxum conseruatiuum eius; ergò pariter corpus Christi, quando desinit esse sub speciebus, desinit esse secundum substantiam. Confirmatur, quia Christus non desinit esse sub speciebus, sicut anima rationalis desinit esse in loco partis abscissæ per retractum, & motum localem in seipsam; ergò verè desinit in se, & non tantùm secundum nudam præsentiam. Denique id negari non potest in casu posito, quod Christus existeret tantum sacramentaliter, & in vno duntaxat loco, quia si tunc desineret, ex vi talis desitionis corpus Christi amitteret non solùm præsentiam localem, sed esse simpliciter, quia alibi non existeret; talis enim desitio ex se esset desitio existentiæ substantialis, quia repugnat substantiam manere, & non alicubi existere.

Respondetur ex iam dictis *disput. 11.* Physic. *quæst. 9. num. 142.* negando assumptum, illa enim corporis desitio in pluribus locis constituti, sicut & corporis Christi in sacramento, est amissio tantùm præsentiæ sub illis speciebus, at desitio Angeli in schola existentis non tantùm est amissio præsentiæ, sed etiam propriæ entitatis. Ad Confirmationem etiam ibi dicebamus paritatem esse pro nobis, quod sicut in abscissione digiti anima non amittit propriam entitatem, sed tantùm respectum vnionis, quem habebat ad digitum, ità Christus desinit esse sub speciebus, non per amissionem substantiæ, quæ sub illis continebatur, sed per solam amissionem præsentiæ. Ad vltim. patet etiam ex proximè dictis, quod si corpus Christi non esset alibi, quàm in sacramento, non propterea ex vi desitionis in illo desineret esse simpliciter, & secundum esse substantiale, quia substantia corporis Christi in conseruari à præsentia sacramentali sub speciebus non dependet; & cùm dicitur repugnare, substantiam manere in rerum natura, & alicubi non existere iam dictum est adhuc corpus Christi remansurum in loco specierum ipsis desinentibus, cum substantia sub illis succedente; quia modus, quo nunc indiuisibiliter in sacramento existit, si præcisè referatur ad locum specierum, non excludit aliam substantiam, nec quantitatem eundem locum occupantem.

Quæres, an mutatio, qua corpus Christi desinit esse sub speciebus, sit dicenda conuersio, & ratio dubitandi est, quia iam suprà dictum est, ità Christum in sacramento desinere, vt loco illius alia substantia succedat; cùm ergo dum substantia Christi recedit, aliqua alia substantia succedat, videtur talis mutatio dici posse conuersio, sicut talis dicitur mutatio, qua recedit substantia panis ex vi verborum consecrationis, & succedit substantia Christi sub eisdem accidentibus. 387

Conueniunt tamen omnes hanc mutationem dicendam non esse conuersionem, quod euidenter deducitur ex conditionibus iam suprà assignatis *quæst. 12.* ad veram, & propriam conuersionm requisitis; primo enim requirebatur vt vnum in aliud conuerti dicatur, quod simpliciter desinat esse, qua de causa dicebamus ibi conuersionis denominationem magis sumi ex termino à quo, quam ex termino ad quem; corpus autem Christi per sacramentalem desitionem non corrumpitur substantialiter; ergo talis mutatio conuersio dici nequit.

Confirmatur, quia ad conuersionem præterà requiritur, vt plurimum, quod res conuertenda per aliquod proprium sui remaneat in eo, in quod conuerti dicitur; dixi, vt plurimum, quia talis conditio non est simpliciter, & absolutè necessaria, vt *quæst. 12 citat.* dictum est *num. 288.* Sed corpus Christi secundum nihil sui proprium remanet in substantia, quæ succedit, nam accidentia, quæ remanent cum substantia de nouo genita, non sunt corporis Christi propria sed ipsius substantiæ genitæ. Neque ratio in oppositum adducta est alicuius momenti, quia vt benè discurrit Auersa *q. 4. sec. 9. cit.* in fine, quando fit consecratio substantia panis, & vini simpliciter esse desinit ex introductione substantiæ Christi sub accidentibus, quia substantia panis, & vini talibus accidentibus ad sui conseruationem indigebat, & ideò valet dicere panem, & vinum in corpus Christi conuerti; Sed quando posteà sacramentales species corrumpuntur, non debet ex vi introductionis nouæ substantiæ substantia Christi simpliciter desinere, quia hæc in existendo ab accidentibus panis, & vini non dependebat; Vndè ad summum fit, vt desinat, & aboleatur illa præsentia, & vnio sacramentalis, quam Christus cum accidentibus habebat, quæ præsentia ad existentiam simpliciter ipsius Christi necessaria non erat, ideoque non sequitur, vt Christus debeat simpliciter desinere de quo plura vide apud Gauatium nostrum *disp. 5. q. vlt.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

Altera pars quæstionis discutitur.

Altera pars quæstionis erat, an per mixtionem alicuius rei cum speciebus consecratis possit Christus desinere esse sub illis; & sensus quæsiti est, an si vinum consecratum misceatur vino non consecrato, vel vinum album consecratum vino rubro con consecrato, aut è contrà, vel si misceas vinum consecratum aquæ, & alteri liquori specie diuerso, an species sacramentales corrumpantur ea mixtione, itaut sanguis Christi desinat esse sub illis. Ex quo 388

quo patet hic sermonem non esse de mixtione propriè dicta, & in eo rigore, quo de ea locutus est Arist. 2. de Gen. ad assignandam rationem mixtionis, quæ fit ex elementis in generatione mixti, & est mutatio substantialis, & conuersio miscibilium in aliud diuersum compositum, quod dicitur mixtum; sed loquitur de mixtione impropriè dicta, quæ fit per iuxta positionem, vt cum aliqua miscentur ad inuicem secundum minutissimas partes, quæ tamen substantialiter non corrumpuntur, sed manent in esse suo substantiali, & solùm per interpositionem partium vniuntur, & maximè per continuationem, quo pacto vino admiscetur aliud vinum, & aqua, aut alius liquor.

Affirmatiuam partem docuit S. Thomas 3. *part. quæst.* 77. *art.* 8. vbi dixit, quod dùm liquor admixtus, etiamsi sit aliud vinum, peruadat totum vinum consecratum, in hoc toto desinere Christum; dùm peruadit partem, desinere solum in ea parte. Fundamentum eius est, quia inquit vinum non consecratum admixtum consecrato per diuisionem, & interpositionem partium corrumpi, non quoad speciem, sed quoad indiuiduum, & similiter vinum consecratum admixtum non consecrato, itaquod ex ambobus fit aliud tertium vinum numero diuersum à primo; Et quia definitum est Eucharistiam sub illis speciebus manere, quamdiù eædem numero species consecratæ manent; sequitur quod Eucharistia non maneat sub illis accidentibus iam numero mutatis; Et eadem ratione probat quoque Christum non manere in parte specierum, quia quando pars vini consecrati miscetur alteri non consecratæ, illam partem mutat, non specie, sed numero, quia ex illis duabus partibus fieret vna tertia à duabus prioribus numero diuersa, vndè sub illa specie non manet amplius Eucharistia. Confirm. quia si duo vina adinuicem misceantur, quorum vnum sit rubrum, & aliud album, generatur tertium quoddam vinum numero diuersum, quod ex accidentibus deducitur à prioribus valdè diuersis, vt colore, & sapore; signum ergo est vtrumque vinum esse saltem numeraliter mutatum, quia diuersitas accidentium diuersitatem substantiæ, vel subiecti satis indicat.

389 Communis tamen opinio oppositum docet, nimirum per mixtionem liquoris cum speciebus consecratis factam sola diuisione, & penetratione absque physica alteratione, & immutatione earundem specierum ad earum corruptionem sufficiente, sanguinem Christi non desinere esse sub illis speciebus; ità Scotus 6. *dist.* 12. *quæst.* 4. §. *ad quæstionem*, verf. *Contrà hoc primò*, vbi habet quod vinum non consecratum apponi potest vino consecrato, & quod quantitas vini non consecrati non erit sine subiecto, quantitas verò vini consecrati erit sine subiecto, quem præter Scotistas communiter sequuntur Recentiores Suar. Vasquez, Coninchius, Lugo, Auersa, Meratius, Caspensis, & alij quamplures, & fuit opinio etiam Alensis, D. Bonauentura, Ricardi, Durandi, & aliorum antiquorum, & idem docuit Innocentius lib. 4. de hoc mysterio *cap.* 32. & habetur in *cap. Cum Marthæ* de Celebratione Missarum, vbi in §. *quæsiuisti*, dicitur; Si post calicis consecrationem aliud vinum mittatur in calicem, non transite in sanguinem, sed commixtim manere cum speciebus consecratis. Vndè si vinum non consecratum misceatur vino consecrato, quantumuis detur diuisio, & penetratio per minutissimas partes, adhuc sub speciebus vini consecrati manet Eucharistia, & idem dicendum est, si vino consecrato infundatur aqua, vel alius liquor species diuersus; quando enim alteratio specierum non sit tanta, vt reddat illas ineptas ad continendam vini substantiam, illa sola mixtio non est sufficiens, vt species consecratæ sanguinem Christi continere desinat.

Ratio huius est, vt inquit Doctor, quia hæc non est vera, & propria mixtio per alterationem facta, sed iuxta positio, in qua partes vini consecrati non corrumpuntur, sed manent eædem, quia in entibus præsertim homogeneis, quantumuis detur nimia, & maxima discontinuatio, non tamen indè sequitur corruptio, siquidem per illam comixtionem non deperditur id, quod requiritur, vt species consecratæ maneant eædem numero, licet in plures particulas separatæ, sicut nec per fractionem, & diuisionem specierum in plures particulas deperditur consecratio.

390 Ex quo patet leuitas fundamenti pro opposita sententia superius adducti; si enim vrgeret, pariter etiam probaret, quod si species consecratæ vnius calicis cum alijs commiscerentur, aut si species eiusdem calicis diuidantur, & vna pars in vno calice ponatur, & alia in alio, neque hæ, neque illæ manerent eædem numero; nam in primo casu fieret vnum tertium vinum, in secundo casu fierent plura vina numero distincta, atque ità sub illis speciebus desineret esse sanguis Christi, quod est expressus, & manifestus error; Sequeretur pariter, quod quando hostia consecrata in duas, vel tres partes diuiditur, tunc in illis partibus desineret esse corpus Christi, quia non est idem amplius numero quantum, & continuum; sed per diuisionem facta sunt plura quanta numero diuisa: Itaque quando duo liquores eiusdem speciei permiscentur planè non mutantur secundum entitatem propriam, & vnitatem numeralem intrinsecam, nam omninò à veritate alienum est dicere, quando duæ aquæ miscentur, perire illam earum entitatem, quæ erat, & aliam de nouo produci, & sic de similibus; sed mutantur solùm secundum determinationem, & continuationem quantitatiuam; sicut quandocunque duæ res discretæ continuantur, dicuntur quidem fieri vnum per se vnitate continuatis, & integritatis, licet adhuc duo remaneant quoad vnitatem entitatiuam, & intrinsecam, talis enim est conditio totius integralis, vt à toto essentiali distinguitur, vt declaratum est *disput.* 9. *Phys. quæst.* 2. *artic.* 6. *num.* 85. quod etiam significauit Doctor ipse *dist. 11. citat. quæst.* 4. §. *ad quæstionem, verf. de quarta transmutatione*, vbi ait, quod in toto integrali diuisio non est propriè mutatio aliqua eiusdem subiecti, sed tantum est reductio partium in actu, quæ prius erant in potentia in toto, hoc est, indistincta reductio, inquam, ad actum distinctum, quia prius erant in toto continuatæ, & ità quodamodo vnum, vnitate nimirum continuitatis, & integritatis, & posteà extrà totum discontinuatæ; per quam discontinuationem dissoluitur vnitas continuitatis, quam illæ partes habebant, non autem vnitas propriæ entitatis, quæ semper eadem manet, tam in statu continuationis, quam discontinuitatis.

Ad Confirmationem, cum dicebatur, quod si vinum album misceatur nigro color, & sapor mutantur, respondeo quod vina illa mutantur accidentaliter tantùm non substantialiter; & ideò non desinit esse sub illis per talem mutationem substantia propria, vndè si vtrumque vinum est consecratum manebunt eius species sine substantia, si non est consecratum, manebunt species cum eadem vini substantia.

Dices, si vinum adueniens per minutissimas partes misceatur cum speciebus consecratis, omnes, vel plures partes consecratæ manebunt diuisæ inter se in partes minores minimis; ergò in illis non poterit manere sanguis Christi, quia in minori minimo seorsim posito non potest retineri consecratio, ibi enim solum sanguis Christi conseruari potest, vbi posset conseruari substantia vini; cùm ergo in ea parte substantia vini conseruari non posset, nec poterit sanguis Christi. 391

Respondeo primò negando antecedens, quia non constat deueniri ad talia minima, in quibus res homogeneæ conseruari non possent; iam enim in physica ostensum est in homogeneis formam naturalem non determinare sibi certam quantitatem ab intrinseco, sed sub quacunque minima quantitate, quantum est ex se, seruari posse: licet de facto ab extrinseco talem determinationem habeat propter agentia naturalia extrinseca, quæ illam corrumpunt, quando est sub quantitate adeo parua, vt contraria corrumpenti resistere non possit. Deindè quando etiam concederemus antecedens, & admitteremus in pane, & vino ea minima dari posse; adhuc neganda est consequentia, quia tales partes minimæ ad summum conseruari non possent per se dispersæ, benè tamen simul cum alijs vnitæ adhuc conseruari possent; & sic contingeret in casu nostro, quia illę partes vini minores minimis essent continuatæ cum alijs partibus vini non consecrati superinfusi, neque ibi daretur minus minimo per se existens, sed alteri inexistens, & cum alijs partibus coniunctum, quo casu non corrumpitur, sed optimè conseruatur, quia vt aliquod ens naturale ex defectu quantitatis requisitæ corrumpatur, necesse est, vt sit minus minimò per se existens.

Dices cum Brancato *disp.* 23. *art. vlt.* talia minima specierum consecratarum esse insensibilia: ergo cessaret in eis sacramentum, quia hoc signum sensibile esse debet.

Respondeo, quod licet si talia minima per se existerent, insensibilia forent, tamen ex coniunctione cum alijs partibus sensibilia redduntur, vt superius dictum est *quæst.* 4. *art.* 2. *num.* 130.

n. 130. quod enim ex se insensibile est, fit in toto sensibile, tamquam pars eius, quia per se existens nequit immutare sensum, quem tamen immutare potest, vt vnitum alteri, vt ibi declaramus.

392 Addendum tamen est, quod quando species consecratæ, & non consecratæ ità miscentur, & alterantur, vt physicè mutentur, & corrumpantur, tunc sanguis Christi desinit esse sub illis; quia vt dictum est supra; tamdiù manet Christi corpus, & eius sangui sub speciebus panis, & vini, quamdiù tales species sub eo statu existunt, vt sub illis substantiæ panis, & vini, conseruandæ forent, si adessent; si autem ad eum statum peruenerit, vt sub illis prædictæ substantiæ conseruari non possint, tunc futuram desitionem corporis, & sanguinis Christi sub eis; Vt autem hoc dignoscere possimus hæc regula erit seruanda, vt benè Faber aduertit *disput.* 52. *cap.* 4. in fine; si liquor alterius speciei speciebus consecratis misceatur, vel ille liquor est æqualis virtus, & quantitatis cum speciebus, vel maioris, vel minoris; si æqualis virtutis, mutuò agendo, & repatiendo perfectè miscentur, & generatur tertium, & tunc definit ibi esse Eucharistia, quia si substantia vini esset sub illis specibus, non permaneret, sed in illud tertium abiret; antequam tamen fiat hæc perfecta mixtio, & corruptio in tertium, manet in Eucharistia sub speciebus; Si verò virtus actiua liquoris non consecrati superat vim actiuam specierum, & illas alterat, & in se conuertit, vt si paruæ portioni vini consecrati opponatur magna quantitas aquæ, sicut in tali casu substantia vini corrumperentur, si adesset, sic quoque certum esse debet ibi desinere Eucharistiam; Si tandem virtus actiua specierum non consecrati sit maior, & superet vim actiuam liquoris vini consecrati, itaut conuerteret illum in substantiam suam, si adesset, vt si vna gutta aquæ magnæ quantitati vini consecrati misceatur, tunc sub illis speciebus vini adhuc sanguis Christi perseuerabit, sicut perseueraret substantia vini, si addesset; Et in parte illa vini de nauo producta non est sanguis Christi, & ratio est, quia illud vinum de nouo genitum in calice non fuit subiectum verbis consecrationis, & ideò sub illo non est sanguis, quia illud vinum solùm conuertitur in sanguinem Christi, quod illis verbis subijcitur, *Hic est calix sanguinis mei &c.* Quod si liquor superinfusus speciebus consecratis vini sit eiusdem speciei cum ipso, tunc non corrumpuntur species sacramentales vini, sed manent eædem, & Christus manet sub speciebus consecratis, non autem sub alijs partibus superadditis, vt dicebat Doctor loco iam citatto *dist.* 12. *quest.* 4. §. *ad questionem*, & ratio est, quia vnum simile non corrumpit aliud simile, cùm omne agens intendat generare sibi simile, ac proindè quando simile inuenit, illud corrumpere non potest.

393 Sed quoniam dictum est, quod si liquor additus dominetur à virtute specierum vini consecrati tunc conuerteretur in vinum, & sub eius quantitate, & accidentibus introduceretur substantia vini, non verò sanguinis Christi, vt quidam perperam dixerunt, quia per consecrationem, quæ præcessit, potuit solùm consecrari materia præsens, non verò absens, imò nec dùm producta in rerum natura; dubium est, quomodo id fieri posset in virtute specierum.

Ad hoc respondet Aretinus 4. *distinct.* 12. *quest.* 4. *articul.* 7. hoc fieri, quia in speciebus consecratis manet virtus substantiæ ad agendum, sicut si essent in substantia, quantùm ad calorem, saporem, & alia accidentia, atque adeò ex his fieri potest, quicquid ex vino fiebat; quia ità se gerit quantitas affecta illis accidentibus, ac si adesset substantia, quia tunc non miscetur quantitas vini cum alio liquore superaddito, cui dominatur, per modum accidentis, sed per modum substantiæ, tanquam per se existens, & ità etiam videtur sentire Faber *loc. cit*, licet non satis se explicet. Sed hæc est doctrina Thomistica, quam supra reiecimus *quest.* 15. *artic.* 1. *num.* 365. vbi diximus accidentia separata in Eucharistia substantiam producere non posse, neque virtute propria, vt causas principales, neque virtute substantiæ, veluti Instrumentales, sed tantùm dispositiuè; Quarè iuxtà ibi dicta consequenter dicendum est talem vini substantiam in eo casu immediatè à Deo produci in ratione agentis vniuersalis defectum naturæ supplentis, & hoc quidem non nouo, sed antiquo miraculo; quo decreuit circa species altaris permittere eas omnes mutationes fieri, quæ fierent, si panis, & vinum adesset ad occultandum miraculum, vt expressè docet Scotus 4. *distinction.* 12. *question.* 4. *citat. littera F.* §. *Si ergo quæras.*

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

Quinam sint effectus Eucharistici, & quomodo, ac quando ab Eucharistia causentur.

Tanquam de fide certum hic supponendum est, sacramentum Eucharistiæ dignè susceptum suum conferre effectum, idque ex opere operato, vt de omnibus sacramentis nouæ legis iam definitum fuit in Concilijs Florentino in decreto de vnione Armenorum, & rursus in Tridentino, in vniuersali quidem de omnibus *sess.* 6. *caput.* 7. & *sess.* 7. *can.* 6. & 8. in particulari verò de Eucharistiæ sacramento *sess.* 13. *cap.* 2. Cuius ratio iam in *disput.* 1. de Sacramentis in genere assignata fuit, quia nimirum omnia nouæ legis sacramenta vim habent gratiam conferendi, non quidem ex merito conferentis, vel suscipientis, sed ex ipsius Christi merito, quod est gratiam conferre ex opere operato, non autem ex opere operantis; Restat itaque difficultas, quinam sint effectus Eucharistiæ in particulari, & de modo ac tempore, quo ab ea conferuntur, quæ omnia duobus sequentibus articulis sunt dilucidanda. 394

ARTICVLVS PRIMVS.

Resolutio Quæstionis quoad primam partem.

Primò Dicendum est primarium, & per se effectum huius sacramenti esse secundam gratiam, seù augmentum gratiæ; non verò primam; Hæc est communis Theologorum docentium hoc esse sacramentum viuorum, non verò mortuorum, & clarè deducitur ex illo Ioan. 6. *qui manducat me, & ipse viuet propter me*, quarè sicut cibus, & potus vitam sumentis augent, ità hoc sacramentum vitam spiritualem gratiæ augebit, quam supponit; cùm institutum sit per modum cibi, & potus, cuius finis est spiritualis animæ nutritio. 395

Confirmatur, quia ex communi Theologorum sententia, & Conciliorum definitione hoc sacramentum per se, & ex institutione sua peccatum mortale non remittit, nec primam gratiam confert habitualem, quia per modum cibi, & potus institutus est, atque ideò ex sui institutone vitam gratiæ in suscipiente supponit, & peccati mortalis remissionem; ergò primarius, & per se illius effectus, ad quem institutum est, est argumentum gratiæ, non verò ipsa prima gratia habitualis; quia sacramentum non instituitur per se ad illum effectum, quem per se supponit productum; sicut ergò cibus corporalis per se ordinatur augendam vitam, quam supponit, non verò ad eam generandam; ità etiam hic cibus spiritualis animæ, qui datur per modum nutritionis spiritualis; & sicut nutritio corporalis supponit vitam corporalem, ita nutritio spiritualis animæ, quæ fit virtute huius sacramenti, supponit vitam spiritualem; ac proindè appellatur sacramentum viuorum, quia ex institutione sua supponit gratiam in suscipiente, cibus enim non datur mortuis, vt resurgant, & ad vitam reuocentur, sed tantùm viuis, ne moriantur, & in vita conseruentur, & augeantur.

Sed obijcies ex forma istius sacramenti, quæ sic habet, *Hic est sanguis meus, qui pro vobis effundetur in remissionem peccatorum*; ergo videtur etiam per se institutum ad peccatum mortale tollendum, & primam gratiam conferendam. Deindè ex Concil. Trident. *sess.* 13. *canon.* 5. vbi sic ait. Si quis dixerit, vel præcipuum fructum Euchbristiæ esse remissionem peccatorum, vel ex ea non alios effectus prouenire, anathema sit; supponit ergo Eucharistiam hunc habere effectum, quamuis nec solum, nec præcipuum. Deniq; ex Patribus Chrisostomus, Cyprianus, Damascenus, Cyrillus, & alijs Eucharistiæ tribuentibus omnium peccatorum remissionem. 396

Respondetur, non ideò verba illa in forma consecrationis calicis apponi, quia Eucharistia illum effectum per se habeat, & ex opere operato, sed quia sanguis, qui est in

in Eucharistia, prout effundendus, vel vt effusus in Cruce, fuit pretium vniuersale redemptionis nostræ, & remissionis peccatorum; vndè ex illis verbis ad summum deduci potest, sanguinem Christi in Cruce effusum esse in remissionem peccatorum, & eundem sanguinem per modum sacrificij posse offerri in remissionem peccatorum, vt inferius explicabitur.

Ad secundum ex illis Concilijs verbis solùm deduci, per accidens, & secundariò posse interdum etiam Eucharistiam primam gratiam conferre, & mortale delere, quod nos gratis concedimus, imò ad hoc probandum illa adduximus *disput.* 1. de sacramentis in genere *quæst.* 10. *art.* 2. *numer.* 352. Sed quamuis illis verbis absolutè non neget Concilium remissionem etiam peccatorum esse huius sacramenti fructum, & effectum; negat tamen esse præcipuum, & principalem, & ex eius institutione ei conuenientem, quod solum in hac prima assertione intendimus. Neque audiendus est Brancatus *disput.* 26. *art.* 1. *num.* 17. vbi inquit hanc expositionem esse nimis duram; ac proindè Concilium intelligendum esse de remissione venialium, quæ vtique est huius sacramenti effectus. Non, inquam, audiendus est: quia ibi Concilium loquitur contrà Lutherum, & Caluinum asserentium Eucharistiam ex sua institutione mortalia remittere, & primam gratiam conferre, quod ex verbis formæ calicis superius adductis, & malè intellectis deducebant; neque talis expositio dura est, vel violenta, imò verbis Concilijs maximè quadrans; quod absolutè non negat, vt diximus, etiam peccatorum mortalium remissionem esse huius sacramenti fructum, sed tantùm negat esse præcipuum, & principalem, quasi tacitè concedens esse eius effectum saltem secundarium, & per accidens.

Ad vltimum dico, Patres generatim loqui de remissione peccatorum abstrahendo à mortalibus, & venialibus, vndè varijs modis exponi possunt, nempè Eucharistiam valere ad tollenda peccata etiam mortalia, quatenus sacrificium est; deindè venialia remittere etiam quatenus sacramentum est per se, & ex sui institutione, mortalia verò non nisi per accidens, ac veluti secundariò modo iam explicato loc. cit. ac denique ità loqui, quatenus hoc sacramentum vim habet præseruandi hominem à mortalibus.

397 Secundò Dicendum est, quod licet Eucharistia non sit per se instituta ad conferendam primam gratiam iustificantem, & tollendum peccatum mortale, tamen in aliquo casu id præstare potest, veluti per accidens, & secundariò, ac indirectè. Ità iam statuimus loco citat. *disput.* 1. *quæst.* 10. *art.* 2. *numer.* 350. cum Scoto 4. *dist.* 9. *quæst. vnic.* §. *de secundo* cum pluribus Scotistis, & Recentioribus ibi relatis, vbi etiam talem casum instituimus, quo id contingere possit; quando nimirum quis ad Eucharistiam accedit nullam habens conscientiam peccati mortalis, & putans inuincibiliter se esse in gratia, eo quod facto diligenti peccatorum examine nullius peccati recordatur: vel si recordatur, nec habet copiam confessoris, habet actum, quem putat contritionis, cum re vera non sit, nisi attritio; iste enim cum tali dispositione Eucharistiam sumens, verè accedit dignè, & sine obice, atque ità recipit gratiam, cùm omnia sacramenta gratiam conferant non ponentibus obicem ex Concil. Trident. *sess.* 7. *can.* 7. Quod autem in casu posito ille tollat obicem per actum attritionis ex eo patet, quia quamuis iste sit in statu peccati habitualis, illud tamen peccatum cum attritione, & bona fide coniunctum non est obex, aut impedimentum gratiæ, vt patet in baptismo, & pœnitentia. Hoc tamen versatur discrimen inter Eucharistiam ex vna parte, & baptismum, ac pœnitentiam ex altera, vt *loc. cit.* dicebamus, quod hæc duo sacramenta ad remissionem peccati mortalis per se sunt ordinata, cùm sint sacramenta mortuorum, ac proindè vt quis bona fide dicatur ad illa accedere, & dignè suscipere, satis est si habeat attritionem, etiam cognitam, vt talem: at Eucharistia, cùm sit sacramentum viuorum, per se non est ordinata ad talem effectum, ac proindè non sufficit habet attritionem, vt quis dignè, & bona fide ad eam dicatur accedere, sed necessaria est contritio, vel in re, vel in prudenti existimatione; vndè in primo casu quis potest habere conscientiam peccati mortalis, non autem in secundo.

Confirmatur, quia vt etiam loc. cit. discurrebamus, si ob aliquam rationem in nullo casu posset Eucharistia primam gratiam conferre, & peccatum mortale remittere; maximè esset, quia ex sui institutione solùm ad augmentum gratiæ est ordinata, vt sacramentum viuorum; Sed hæc ratio non conuincit, nam sacramenta quoque baptismi, & pœnitentiæ, velut sacramenta mortuorum, ad dandam primam gratiam, & peccatum mortale remittendum ex diuina institutione sunt ordinata; & nihilominus ipsa quoque in aliquo casu solùm causant gratiæ augmentum, in eo nimirum, quo quis haberet actum contritionis, antequam hæc sacramenta reciperet, vel in casu, quo quis cum venialibus solùm ad sacramentum pœnitentiæ accederet; ergo pariter in præsenti, quamuis Eucharistiæ sacramentum ad dandum solùm gratiæ augumentum ex sua institutione sit ordinatum non autem primam gratiam iustificantem; poterit tamen in casibus adductis primam gratiam causare, & peccati mortalis remissionem saltem per accidens, & indirectè ratione, scilicet, dispositionis recipientis: vt loc. cit. fusius explicatum est, vbi etiam omnes obiectiones Aduersariorum solutæ sunt.

Tertiò dicendum est, quod præter augmentum gratiæ qui est primarius, & præcipuus huius sacramenti effectus, quosdam alios etiam causat, de quibus fusè Recentiores, etenim peccata venialia remittit, præseruat à mortalibus, confert dulcedinem spiritualem, diminuit fomitem, & inordinatum appetitum. Hoc est communis apud Theologos, & Patres; & quidem quoad remissionem venialium probatur ex Trident. *sess.* 13. *cap.* 2. vbi ait Eucharistiam esse antidotum, quo à quotidianis liberamur culpis, & à mortalibus præseruamur, & idem habetur in Catech. Pij V. de Eucharistiæ effectibus, vbi dicitur, remitti in Eucharistia leuiora peccata, quæ venialia dici solent, & idem tandem docuit Innocentius Tertius. Quæstio tamen est, an remissio venialium fiat per hoc sacramentum mediatè tantùm, & indirectè, quatenus virtute illius conferuntur auxilia: ratione quorum homo elicere potest actus bonos, & feruentes charitatis, quibus doleat de venialibus, & proponat in posterum illa cauere; an potius etiam directè, & immediatè, ità, scilicet, vt ex vi ipsius sacramenti, & gratiæ per ipsum collatæ venialia remittantur sine vlla dispositione positiua ex parte suscipientis, modò tamen non habeat affectum positiuum ergò aliqua venialia. 399

Nonnulli Theologi primo modo solùm dicunt venialia per Eucharistiam remitti, non enim immediatè potest peccata venialia delere, nisi conferendo gratiam; sed gratia habitualis etiam in quacunque intensione non habet formalem, aut effectiuam repugnantiam cum peccatis venialibus, vt dictum est disp. de Iustificatione; ergò gratia huius sacramenti non est incompossibilis cum peccatis venialibus. Deindè quia si in iusto non requiritur actualis aliquis motus in peccatum veniale, vt illud per hoc sacramentum deleatur, & sufficit negatio affectus, seù complacentiæ ad illud; sequitur neminem dignè hoc sacramentum percipere, qui non consequatur omnium venialium remissionem: rarus enim inuenitur, qui eo tempore, quo hoc suscipit sacramentum, actu sibi in aliquo veniali complaceat, sequela autem est contrà communem fidelium sensum.

Confirmatur, quia peccata venialia propria voluntate commissa sunt, ergo remitti nequeunt, nisi per propriam voluntatem retractentur; ergo repugnat ex vi sacramenti Eucharistiæ immediatè, aut per gratiam ipsius peccata venialia remitti. Tandem, quia nullum assignantur sufficiens fundamentum ad probandum hoc sacramentum esse efficacius institutum ad remissionem peccatorum venialium, quam sacramenta baptismi, & pœnitentiæ ad remittenda mortalia, hæc autem sacramenta eiusmodi remissionem non efficiunt, nisi præuia de eis attritione; Vndè concludunt primo modo tantum posse per hoc sacramentum venialia deleri nempè per feruorem charitatis, quem excitat, & ex quo fit vt prorumpat homo in perfectam illorum contritionem, per qua delentur; per infusionem verò gratiæ sanctificantis per ipsum collatæ aiunt venialia remitti non posse, nisi præsupposita de his attritione, sicut in Penitētiæ sacramento, ità Becanus, Caspensis, & quidam alij Theologi apud Vasquez *tom.* 4. *disp.* 12. *sec.* 1.

Probabilius tamen censeo posse vtroque modo ex prædictis peccata venialia per hoc sacramentum deleri, primo quidem modo mediatè, scilicet, & indirectè, vt explicatum est, quia illud est nutrimentum spirituale animæ; sicut ergò nutrimentum corporale homini præbet vires ad hoc, quod possit nocumenta corporalia restaurare; sic etiam hoc sacra- 399

sacramentum vires spirituales animæ præbebit, scilicet, auxilia, quibus mediantibus homo actus feruentiores charitatis eliciat ad remissionem venialium disponentes. Quod verò etiam secundo modo immediatè, scilicet, & directè per gratiam ab eo collatam venialia deleri possint, probatur; quia aliàs non diceretur venialia dimittere ex opere operato, sed solùm ex opere operantis, scilicet, actus bonos, quos excitat medijs auxilijs per ipsum sacramentum collatis.

Confirmatur, quia diuerso vtique & altiori modo debent per hoc sacramentum venialia dimitti, quam per alia sacramentalia, v. gr. per aquam benedictam &c. Sed hæc sacramentalia venialia remittunt tantùm ex opere operantis, quatenus à Deo auxilia impetrant, quibus homo actus eliciat venialia retractantes; ergo hoc sacramentum præstantiori modo venialia remittere debet, atque ideò ex opere operato. Denique omninò vanum est, quod dicebatur per infusionem gratiæ sanctificantis per ipsum collatæ venialia per hoc sacramentum remitti præsupposita de his attritione adhuc ex opere operato, sicut in Pœnitentiæ sacramento; quia sola attritio de illis sine sacramento est sufficiens ad eorum remissionem, vt infrà dicemus disp. de sacramento Pœnitentiæ, atque ideò potest Eucharistia absque præuia attritione formali venialia delere, vt Scotus docet 4. *dist.* 21. Quarè concludendum est hunc effectum, nempè venialium remissionem ab Eucharistia causari, nedùm quatenus feruorem charitatis excitat, & mouet ad actus virtuosos, per quos venialium detestatio sequatur; sed etiam immediatè ex opere operato, quatenus producit augmentum gratiæ iustificantis; eo enim ipso omnia venialia remittuntur de quibus non est actualis complacentia, imò virtualis quædam detestatio, dùm per huius sacramenti susceptionem intimior vnio intenditur cùm Deo, cum qua venialia pugnant, alioquin peccata venialia nunquam remitterentur ex vi huius sacramenti, & hunc dicendi modum, vt probabiliorem, & dignitati huius sacramenti fauorabiliorem sequuntur Suarez, Coninchius, Corneius, Granadus, Baldius, Paulus, Morandus, Orlandus, Pasqualigus, & alij Recentiores passim, & ex nostris Poncius, Gauatius, & alij Scotistæ; Adhuc tamen verum est, quod licet hic principalis effectus, scilicet, venialium remissio, non tantùm mediatè, & indirectè, sed etiam immediatè, & directè ab hoc sacramento causetur modo iam explicato; alij tamen effectus in hac assertione relati, scilicet, præseruatio à mortalibus, dulcedo spiritualis, fomitis diminutio, & alij mediatè tantum, & indirectè ab hoc sacramento causantur, quatenus intuitu ipsius auxilia actualia conferuntur, quibus præstantur.

400 Nec rationes in oppositum vrgent; Ad 1. dicendum, quod licet gratia habitualis per hoc sacramentum collata secundùm se considerata non habeat incompossibilitatem cum peccatis venialibus; spectata tamen secundum rationem specialem, quatenus est effectus Eucharistiæ, est cum eis incompossibilis; sic enim habet annexam specialem Dei condonationem, qua venialia peccata expelluntur; ratio est, quia sic considerata dicit ordinem ad voluntatem recipiendi hoc sacramentum, quę est virtualis quædam peccatorum venialium detestatio, eo quod est desiderium maioris vnionis cum Deo, ac per consequens destruendi quicquid talem vnionem cum Deo impedit, quale est peccatum veniale; & ideò secundum hanc rationem considerata gratia per hoc sacramentum collata maiorem habet oppositionem cum peccatis venialibus, quam collata per alia sacramenta. Ad 2. gratis concedo ad habendam peccati venialis remissionem per hoc sacramentum satis esse, si absque illius actuali complacentia ad sacramentum dignè quis accedat cùm affectu illud, eiusque effectum recipiendi; tale enim desiderium virtualis quædam detestatio est peccati venialis, quatenus nititur homo recipere antidotum venialis destructiuum; vndè etiam gratis concedendum est quemcunque sic dignè hoc sacramentum recipientem omnium venialium remissionem recipere, & negandum est id esse contrà omnium fidelium sensum. Ad 3. patet ex modò dictis, cùm enim voluntas hoc sacramentum recipiendi sit virtualis quædam peccatorum venialium detestatio, ideò gratia medio hoc sacramento collata cum peccatis venialibus incompossibilis est, quatenus dicit ordinem ad talem voluntatem, seù retractationem. Ad vltimum patet manifesta disparitas de remissione venialium per Eucharistiam, & mortalium per baptismum, & pœnitentiam; quia attritio sine sacramento in re suscepto ad deletionem mortalis sufficiens non est, benè tamen ad deletionem venialis, atque ideò potest Eucharistia absq; præuia attritione formali venialia delere, ad cuius dignam susceptionem non requiritur attritio de venialibus, sicut requiritur de mortalibus ad dignam baptismi, & pœnitentiæ susceptionem, sed satis est si non habent actualem effectum, siuè complacentiam in veniale, & cum effectu illud, eiusque effectum suscipiendi accedat. De alijs verò effectibus in conclusione relatis, ac etiam quibusdam alij videantur Recentiores de illis fusè tractantes, quos hic omittimus, quia res omninò moralis est, neque scholastica indiget disputatione.

Quartò tandem addendum est, vltimum huius sacramenti effectum esse vnionem quandam nostrę carnis cum Christo, de qua satis fusè agunt Moderni; fundaturq; in pluribus Sanctorum Patrum auctoritatibus dicentium, Christum medio hoc sacramento vniri etiam corporaliter cum eo, qui suscipit hoc sacramentum, itaut fiat cum eo, veluti vnum corpus, & vna caro, idque non tantùm duret, quamdiù species consecratæ permanent, sed etiam deinceps, & conueniat tantùm ijs, qui dignè suscipiunt, non verò indignè communicantibus. Tota tamen difficultas consistit in explicando in quo talis vnio consistat, & quid importet. Vasq. *disp.* 204. *c.* 5. *& seq.* dicit esse vnionem, quæ efficitur per consummationem amoris, & explicat exemplo matrimonij, quod ex mutuo amore fit per copulam consumatum, & eam inquit manere, postquam species transeunt in stomachum per corruptionem sui; Et eodem prorsus modo rem explicat Caspensis *tract.* 22. *disp.* 8. *sect.* 4. vbi inquit quo virtute huius sacramenti non solum per charitatem vnimur cum Christo, sed etiam inter carnem nostram, & carnem Christi peculiaris vnio intercedit, quæ in nobis perseuerat adhuc corruptis speciebus sacramentalibus, dum in gratia manemus, & illam vnionem appellant realem, substantialem, & naturalem Hilarius 8. de Trinitate, Chrisostomus *hom.* 45. *&* 46. in Io. & alij plures SS. Patres. 401

Verumtamen id non potest intelligi per specialem aliquam vnionem materialem, & physicam, sed physicè quidem per propinquitatem, & contactum realem, quoniam Christus intrà viscera nostra recipitur; moraliter verò per affectum amoris, & coniunctionem gratiæ, vt fusè ostendit Suarez *disp.* 64. *sect.* 3. asserens hanc esse puram de nomine quæstionem; Neque necessarium est verba Patrum ità in rigore interpretari, vt hæc vnio dici possit propriè physica, & naturalis, adeout aliquid distinctum importet à participatione reali sacramenti per sumptionem eius per modum nutrienti, & speciali effectu nutritionis; siquidem illi loquuntur sub metaphora nutritionis ad nutritum, quatenus conuertimur in Christum, vt simus membra eius, & caro de carne eius, vndè 1. ad Corinth. 10. *Quoniam vnus panis, vnum corpus sumus omnes, qui de vno pane participamus*. Et ad Ephes. 5. *membra sumus corporis eius de carne eius, & de ossibus eius*: Quod totum vtique intelligendum non est de vnione aliqua physica, quasi dicat aliquid præter vnionem per affectum, & præter solam indistantiam localem Christi sub speciebus ad os, & stomachum communicantium; sed tantùm de vnione quadam morali, quatenus communicantes dicuntur vna caro cum Christo, dùm dignè accedunt ad eius carnem manducandam, & sanguinem bibendum, quia speciali modo fiunt eius membra, quatenus quodammodo in ipsum conuertuntur, & ipsos respicit quasi carnem suam; nec aliud mysterium video in hoc vltimo Eucharistiæ effectu, de quo Recentiores tot paginas implent. 402

ARTICVLVS SECVNDVS.

Examinatur Quæstio quoad alteram partem.

Altera pars quæstionis quærebat de modo, & tempore, quo iam enumerati effectibus ab Eucharistia conferuntur, de quo adhuc fusius Recentiores disputant, & quatuor præcipuas includit difficultates, de quibus non breuiter agemus magis necessaria tangentes. 403

Prima difficultas est, quæ dispositio sit necessaria ad percipiendum primarium huius sacramenti effectum scilicet augu-

tiam habitualem, quæ eiusdem rationis est, vt hanc conferre possit, non minus corpus, quàm sanguis Christi, præsertim quia in qualibet specie est totus Christus, qui integrè animam reficere potest.

408 Hæc tamen solutio non sufficit, quia licet eadem sit causa principalis hìc præsens sub vtraque specie, nempè Christus, non tamen causat effectum, nisi vt significatum per signum sensibile ex opere operato, vt causant cætera sacramenta, ac proindè sacramentaliter, & per signum sensibile, vt instrumentum; cùm ergò diuersa hìc sint specie signa vnum conuiuium integrantia, sequitur vnumquodque propriam suam habere efficaciam. Tùm quia dato etiam, quod Christus solus esset virtus huius sacramenti, cùm sub speciebus panis solùm sit corpus Christi ex vi verborum, & sub speciebus vini solus sanguis Christi etiam ex vi verborum; ideò oportet illis diuersos effectus gratiæ assignare. Et licet per vtramque speciem conferatur gratia eiusdem rationis quoad entitatem, sicut confertur per omnia sacramenta nouæ legis; diuersa tamen est quoad connotatum, quia gratia quæ per species panis confertur, affert secum de connotato effectus, quos præstat cibus, nam species panis conferunt gratiam, vt satiantem, & quæ significatur, & confertur per species vini, affert de connotato effectus, quos præstat potus, nam species vini significant, & conferunt gratiam, vt refrigerantem; sicut à pari licet gratia habitualis, quam conferunt omnia sacramenta nouæ legis, sit eiusdem rationis quoad entitatem adhuc prout est effectus Confirmationis v.g. est diuersus effectus à gratia, prout prouenit à Baptismo, vel Matrimonio.

Respondent alij, quod licet sit perfectior significatio in vtraque quàm in vna tantùm specie, ex parte modi significandi, non tamen ex parte rei significatæ; modus autem significandi diuersus nil facit ad diuersitatem effectus, ac proindè non valet paritas in nutrimento corporali, & spirituali, quia cibus reficit appetitum famis, potus verò appetitum sitis, quæ in corpore sunt diuersa; in anima verò appetitus tales non discernuntur, sed vnus tantùm est appetitus, qui per gratiam reficitur, quia in spiritualibus non differunt cibus, & potus, fames, & sitis, vt docet August. tract. 25. in Ioannem.

409 Sed falsum omninò est, quod diuersitas in modo significandi non faciat ad diuersitatem in effectu, aut efficaciam sacramenti, siquidem in alijs sacramentis hæc sola differentia in modo significandi infert diuersitatem in causando, quia eadem in specie est gratia habitualis, quam causant, & significant, sed quia diuerso modo, & per diuersa signa, & ad diuersos fines significant, ideò diuersa est in ipsis efficacia, & causalitas; ità ergo erit etiam in proposito, quod sola talis diuersitas in modo significandi specierum panis, & vini infert diuersitatem in causando; atque ideò cùm in hoc sacramento duæ inueniantur specie institutæ seorsim per modum diuersarum causarum, quamuis respectu eiusdem effectus in specie, colligitur quamlibet ex illis propriam habere efficaciam in sua specie, & ordine ad augmentum gratiæ nutriendo animam; Et quamuis in anima non ità discernantur appetitus famis, & sitis, sicut in corpore; tamen suo modo discernuntur etiam in ipsa, quantum sufficit, vt hoc sacramentum institui potuerit per modum conuiuij spiritualis, qua ratione dixerunt Patres post sumptum corpus, & obtentam gratiam illi correspondentem, animam inebriari potu spirituali per sanguinis sumptionem; ergo recipit nouum fructum, alioquin non haberet effectum illa spiritualis ebrietas; Et planè si non conferret Christus, vt est sub specie vini aliquem gratiæ gradum, quem non confert, vt est sub specie panis, iam esset vacua significatio efficax talis speciei, quia in subiecto benè disposito non semper consequeretur effectum; imò institutio talis speciei esset frustranea prorsus, si enim solæ species panis totam gratiam conferunt, planè species vini ad nihil prorsus deseruiunt in ordine ad spiritualem animæ nutritionem.

410 1. Sed Obijciunt Primò ex Concil. Trid. sess. 21. c. 3. dicente, *nulla gratia necessaria ad salutem fraudari eos, qui vnam solùm speciem accipiunt* per quod innuit, tantam gratiam recipere, eum, qui vnam tantùm specie recipit, sicut qui vtramque. Deindè, quia alioquin possent Laici meritò de Ecclesia conqueri, quod vsum calicis ipsis interdixerit. Demum quia in qualibet specie est totus Christus, ergo per quamlibet speciem datur tota gratia huius sacramenti.

Respondetur, ea verba nostræ potiùs fauere sententiæ, quàm aduersæ, non enim absolutè dicit Concilium, nulla gratia fraudari eum, qui sub vna tantùm specie sacramentum recipit, sed dicit *nulla gratia necessaria ad salutem fraudari*, quibus verbis supponere videtur, accipientes vnam tantùm speciem aliqua gratia priuari, quàm tamen dicit non esse ad salutem necessariam; Quarè nostræ sententiæ fautores hanc solent pro nobis auctoritatem adducere; re tamen vera pro neutra facit sententia, nam potiùs eo modo loquendi vsum est Concilium, vt abstraheret à controuersia, quæ est inter Catholicos, an plus gratiæ conferatur per vtramque speciem, quàm per vnam solam.

Ad secundum non possunt Laici de Ecclesia conqueri, tùm quia non ob id aliqua gratia ad salutem necessaria fraudantur, vt declarat Concilium; tùm quia in huius sacramenti dispensatione non tam attendi debet suscipientium vtilitas, quàm ipsius sacramenti reuerentia, quia periculum esset calicis effusione in tanta communicantium multitudine; qua etiam de causa non datur hoc sacramentum paruulis baptizatis, & perpetuis amentibus, ac ægrotis vomitum patientibus, nec vna diebus sumi potest, quæ omnia suscipientium vtilitatem impediunt, & tamen ob reuerentiam huic sacramento debitam omittuntur.

Ad vltimum patet ex dictis falsam esse consequentiam, quia quamuis totus Christus sit sub qualibet specie, tamen virtus causatiua gratiæ in hoc sacramento non est solus Christus, sed Christus, & species, ille vt causa principalis, istæ vt instrumentales, & ideò quia species vini à speciebus panis sunt diuersæ, opus est diuersum quoque causare effectum; tùm quia licet totus Christus contineatur in hostia, non tamen, vt potabilis, sed vt cibus, ideoque ibi solùm causat effectum cibationis spiritualis, non verò potationis.

At contrà allatam solutionem replicant, quia Concilium *can.* 3. qui respondet *cap.* 3. inquit, *si quis negauerit totum, & integrum Christum omnium gratiarum fontem, & auctorem sub vna specie sumi &c. anathema sit*, quod non alia ratione dixit, nisi vt innueret id, quod *cap.* 3. docuerat, scilicet, nulla gratia ad salutem necessaria defraudari illum, qui sub vna specie communicat, quia totus, & integer Christus omnium gratiarum fons, & auctor sub vna specie panis continetur. 411

Confirmatur, quia quicquid sumitur per geminam speciem, sumitur etiam per vnam tantùm, nam sub specie panis non solùm sumitur corpus, sed etiam sanguis, & sub specie vini non solum sanguis, sed corpus etiam, licet vnum per se, & vi sacramenti, alterum concomitanter, & vi naturalis connexionis; Sed non solùm habent vim causandi gratiam, quæ in hoc sacramento sunt per se, & vi verborum, sed etiam quæ sunt concomitanter, ex vi naturalis connexionis, nam tàm diuinitas, quàm anima Christi concomitanter sunt in hoc sacramento, cùm tamen tàm diuinitas, quàm humanitas, sit principalis causa gratiæ sacramentalis, illa physica, hæc meritoria; igitur qui alteram tantùm speciem sumitur non solùm illius fructum consequitur, sed etiam alterius, quam non sumit quia sub qualibet concomitanter saltem sumit quicquid sub altera continetur. Tandem qui simul, aut successiuè in eadem communione sumit duas species eiusdem rationis, non plus gratiæ recipit, quàm si vnam tantùm sumeret, & ratio est, quia non plus continetur sub illis pluribus speciebus, quàm sub qualibet illarum scilicet totus Christus; ergo ob eandem rationem qui plures sumit species alterius rationis in eadem communione non maiorem gratiam consequitur per vtramque quàm per vnam tantùm, quia totus Christus non minus continetur sub specie panis tantùm, aut vini, quàm sub illis simul sumptis.

Respondeo, ex eo quod Concilium dicat in vna tantùm specie verum sumi sacramentum, & integrum Christum, minimè sequi, quod eadem gratia, quæ causatur per vnam speciem, causetur per vtramque simul, sed solùm quod in vna specie verum sit sacramentum, quod nos etiam fatemur; non tamen totum, & integrum sacramentum, vndè appositè dixit totum, & integrum Christum, non verò totum, & integrum sacramentum. Neque ex eo, quod in qualibet specie totus sumatur, & integer Christus gratiarum omnium fons, & auctor sequitur, quod eadem gratia, 412

quæ

quæ per vtramque simul habetur, causetur etiam per vnam; siquidem Concilium loquitur de auctore omnium gratiarum in actu primo tantùm, non in actu secundo; alioquin qui hoc sacramentum susciperet, non tantùm gratiam huius sacramenti propriam consequeretur, sed etiam reliquorum, cùm etiam gratiæ aliorum sacramentorum fons, & auctor sit Christus Dominus.

Ad Confirmationem negatur minor, quoniam in hoc sacramento gratiam sacramentaliter non causant, nisi quæ sunt per se vi sacramenti, non autem quæ sunt concomitanter vi solius connexionis, nam illa tantùm sunt ab instituente intensa, vt formaliter hoc sacramentum instituentia, reliqua verò intenduntur merè concomitanter, & extrà formalem constitutionem sacramenti; atque adeò extrà virtutem causatiuam illius; & planè implicat in adiecto hoc sacramentum formaliter constitui per id, quod concomitanter tantum in ipso reperitur, ideò enim quæ non sunt vi verborum dicuntur concomitanter tantùm esse in hoc sacramento, quia illud formaliter non constituunt, siquidem esse concomitanter, & esse formaliter se se mutuò destruunt.

Ad probationem minoris dico tam diuinitatem, quàm animam Christi esse causam principalem gratiæ Eucharisticæ vniuersalem, & remotam, non verò proximam, & particularem; est enim diuinitas causa vniuersalis gratiæ non solùm huius, sed reliquorum etiam sacramentorum; sicut & anima Christi est causa vniuersalis meritoria totius gratiæ, tam huius, quàm aliorum sacramentorum; particularis tamen, & proxima causa est corpus sub specie panis, & sanguis Christi sub specie vini, nisi enim hæc duo Deum mouerent, & animam Christi, nec Deus physicè, nec anima Christi meritoriè gratiam per hoc sacramentum producerent.

413 Ad vltimum patet ex dictis, falsam esse consequentiam, quia virtus causatiua gratiæ in hoc sacramento non est solus Christus, sed Christus, & species, & quia species vini sunt à speciebus panis diuersæ, ideò oportet, quod diuersum etiam gratiæ effectum conferant; tùm quia quando etiam daretur, Christum solum esse huius sacramenti virtutem, cùm sub speciebus panis sit solùm corpus Christi ex vi verborum, & sub speciebus vini solus sanguis, ideò oportet illis diuersos gratiæ effectus assignare, etenim in hoc sacramento ea tantùm gratiam sacramentaliter causant, quæ sunt in ipso ex vi verborum, & per se, non verò concomitanter tantùm, & ratione naturalis connexionis, vt nuper dicebamus.

Aliæ duæ Difficultates.

Tertia Difficultas est, quo tempore hoc sacramentum incipiat conferre gratiæ augumentum in eius sumptione. Aliqui dixerunt tunc primum Eucharistiam gratiam conferri, quando primùm est in ore, quia verè in ore fit manducatio iuxta significationem ipsius verbi *manduco* deriuatur enim à *mando*, quod significat dentibus, & ore cibum conterere; gratia autem huius sacramenti non est promissa, nisi manducationi ipsius iuxtà illud Io. 6. *Qui manducat me ipse viuet propter me*; ità sentire videtur Vasquez *disp.* 103. *capit.* sed magis expressè Becanus *cap.* 22. *quæst.* 6. vbi inquit probabilius esse gratiam dari, cum hostia sumpta est in ore, etiamsi non sit in stomachum transmissa, alioquin ægroti, qui hostiam præ infirmitate nequeunt transmittere, non acciperent gratiam, quod videtur absurdum.

Communiter tamen supponunt omnes, hoc sacramentum gratiam non conferre, nisi traijciantur, & deglutiantur species, quia hoc est propriè comedere, & bibere, nec enim in communi modo loquendi dicitur quicquam ille comedisse, vel bibisse, qui panem, aut vinum in ore sumens, aut etiã panem dentibus conterens, totum indè expueret nihil deglutiens; vndè quamuis verbum *manduco* deriuatum videatur à verbo *mando*, quod significat cibum ore, & dentibus conterere; tamen si propriè loquamur, esto manducatio a masticatione incipiat, principalius tamen, imò essentialiter in traiectione cibi consistit, & transmissione in stomachum, & in eo consumatur; quo etiam modo de potu discurrendũ est, quia nec bibisse potum dicitur, qui degustans statim expuit, nec manducasse qui acceptum in ore cibum statim eiecit, imò ab omnibus hic censetur ieiunus; quæ est doctrina Scoti expressa *dist.* 8. *quæst.* 3. *C.* vbi de cibo loquens, & eius sumptione, vt frangit ieiunium ait opus esse, vt cibus stomachum intret, quia ieiunium est carentia, inquit, cibi suscepti in stomacho, vel in via ad stomachum, ita quod intret stomachum; iuxtà quam doctrinam non soluitur ieiunium naturæ, nisi cibus intret stomachum, atque ideò manducatio, quæ ieiunium frangit, essentialiter petit traiectionem, seù transmissionem cibi in stomachum; & ità debet sumi manducatio in proposito, & non pro sola masticatione, quæ ore, & dentibus exercetur; Neque præbetur Eucharistia infirmis, qui deglutire non possunt, sed sollicitè curari solet, vt hostiam traijciant; non ergo Eucharistia gratiam confert statim ac linguam, vel palatum attingit, vel quandiù in ore retinetur, sed requiritur, & expectatur traiecto per guttur.

Supponendo ergo gratiam conferri in aliquo certo instãti talis traiectionis hostiæ in stomachum, plures modi excogitati sunt ad illud assignandum; communior tamen modus dicendi est, ac doctrinæ Scoti latæ conformior Eucharistiam tunc primò causare gratiam, quando primò verum est dicere ipsam fuisse in stomacho receptam, seù in vltimo instanti terminatiuo, in quo verum est dicere, species sacramentales esse ad stomachum traiectas; Ratio est, quia tunc est perfecta manducatio, & potatio, tunc enim cibi manducatio completa censetur, quando ille in stomachum est receptus; sed antè illud instans, in quo Christus sacramentatus ad stomachum peruenit, non potest dici sumptus, aut manducatus, sed incipit sumi, aut manducari, ergò solùm pro illo instanti causat gratiam, prò illo, inquam, instanti claudente modum traiectionis; Quod verò obijci solet, gratiam huius sacramenti promissam fuisse à Christo manducanti se, non verò qui manducauit; & ideò in instanti iam assignato gratiam non conferri, quia in eo instanti corpus Christi non manducatur, sed manducatum est. Hoc inquam, parum vrget, quia gratia quidem promissa est manducationi, vt iam perfectæ, & completæ in ratione manducationis, quod solùm verificatur in instanti iam assignato, de quo plura videri possunt apud Gauatium nostrum *disp.* 12. *q.* 3. *cap.* 1. 414

Quarta tandem difficultas est, an Eucharistia per se, & ex opere operato gratiam conferat quousque in stomacho existit, præsertim si homo tunc temporis melius disponatur. Communis opinio negat, cuius fundamentum præcipuum est, quia gratia huius sacramenti non est promissa, nisi manducationi ipsius, vt iam dictum est; sed toto tempore, quo post commestionem species durant in stomacho non manducatur; ergo nec gratiam influit; ità Vasquez, Bonacina, Meratius, Scotus, Granado, Caspensis, Morandus, Victoria, Cornejo, & ex nostris Poncius, Gauatius, & alij passim. 415

Aliqui tamen adhuc pie, & probabiliter docent, sacramẽtum Eucharistiæ toto tempore, quo durat in stomacho, augere gratiam etiam ex opere operato, si homo qui recipit illud, magis, ac magis se disponat; ità Caietanus, Valentia, Suarez, Coninchius, Auersa, Lugo, Orlandus, & ex nostris Hiqueus, & alij, qui dicẽdi modus valdè pius est, & aptissimus ad excitandos homines ad deuotionem, & reuerẽtiam huic sacramento exhibendam, toto eo tempore, quo in ipsis permanet, ob spem maioris fructus, & exaltat misericordiam Dei erga nos, & huius sacramenti excellentiam; suadet enim Christum nõ manere otiosè eo tempore in stomacho; & est rationi valdè consentaneus, quia hoc sacramentum gratiam confert per modum nutrimenti, sed cibus nutrit præcipuè, quando est in stomacho calore naturali adiutus; ergò etiam hoc sacramentum calore melioris dispositionis quasi adiutũ animam spiritualiter nutriet, quæ nutritio spiritualis in augmento gratiæ consistit. Ex quo etiam facilè occurritur rationi prioris sententiæ, quod gratia huius sacramenti præcisè manducationi ipsius promissa est, licet enim transacta sumptione, & quando Eucharistia durat in stomacho, non perseueret manducatio sacramenti physicè; adhuc tamen moraliter perseuerat ratione dispositionis, & ità credibile est, & pium etiam tunc temporis causare augmentum gratiæ.

Vtraque opinio valdè probabilis est, & graues habet Sectatores; cui negatiua placet, quæ communior est, legat ex nostris Gauatium *disp.* 12. *cit. quæst.* 3. *cap.* 2. vbi strenuè, & nostris eam propugnat, cui affirmatiua arridet, legat Hiqueum 4. *dist.* 8. *quæst.* 3. *à num.* 23. vbi eam eleganter defendit; Mihi solùm restat dicendum cum Poncio *disp.* 44. *quæst.* 10. *num.* 87. hoc certum esse in hac materia, optimè eum facere, qui ob reuerentiam tanti sacramenti disponit se ad recipiendum gratiæ augmentum, quamdiù species sacramentales 416

tales intrà scipsum conseruat, sic enim faciendo, si non accipiat vi sacramenti ex opere operato illud augmentum, recipiet tamen ipsum meritoriè propter ipsam bonam dispositionem.

Pro coronide huius Disputationis solent hic tractare Scolastici de necessitate huius sacramenti, de quo satis diximus *disp.* 1. de sacramentis in genere *quæst.* 10. *ar.* 3. vbi generatim discussimus, quæ sacramenta sint necessaria necessitate medii, quæ verò præcepti, & conclusimus in fine illius articuli Eucharistiæ sacramentum esse necessarium duntaxat necessitate præcepti, non tantùm ecclesiastici, sed etiam diuini. Solent etiam tractare de vsu, & sumptione huius sacramenti, eiusque Ministro, quæ materia, quia facilis est, & omninò moralis, apud alios legenda dimittitur; Solent deniq; tractare de Eucharistia, vt sacrificium est, seù de sacrosancto Missæ sacrificio, in quo Eucharistia conficitur à Sacerdote, Deo offertur, & immolatur Iesus Christus Dei Filius; quam materiam ad sequentem Disputationem remittere placuit de sacramento ordinis, vbi præsertim agemus de ordine sacerdotii, eiusque exercitio, & hinc occasione desumpta præcipuas discutiemus difficultates, quæ ad sacrosanctum Missæ sacrificium spectant.

DISPVTATIO QVARTA
DE SACRAMENTO ORDINIS.

QVÆSTIO PRIMA.

Quid sit Ordo, & quæ sint Ordinis in Ecclesia.

1 ANC quęstionem tractat Doctor 4. *dist.* 24. *quæst. vn. vbi articul.* 1. notat Ordinis nomen valdè amplum esse, & in tota sua amplitudine sumptum significare respectum quendam prioris, & posterioris inter quascunque res, quo pacto describitur ab Aug. 12. de Ciuit. Dei cap. 13. quod ordo est rerum parium, dispariumque vnicuique sua loca tribuens congrua dispositio, & in hac amplitudine nomen ordinis accipimus, cùm dicimus entium in vniuerso esse ordinem. Alio modo magis in rigore accipitur ordo pro gradu eminenti in politia, vel Communitate aliqua, & Republica, sic enim dicitur ordo Senatorius, ordo Equestris, & similes; & hinc in Ecclesia deductum videtur ad significandum certum statum, & gradum personarum, qui dicitur ordo Clericalis, nempè Ministrorum, qui ad res diuinas, & sacras sunt deputati. Denique sumitur ordo, ac præsertim in præsenti disputatione pro ipsa ordinatione actiuè, vel passiuè dicta, quæ est causatiua, vel collatiua ordinis secundo modo sumpti, seù accipitur pro certo ritu, quo tales Ministri consecrantur, eisque moralis potestas ad sacras actiones exercédas communicatur, principaliter quidem ad perficiendum Eucharistiæ sacramentum, & sacrificium, consequenter verò ad alia sacra ministeria ad illud idem conferentia; Vndè inquit Doctor duo hæc nomina esse distinguenda ordinem, & ordinationem; Ordo enim propriè loquendo sumitur pro ipso gradu permanente in facto esse, seù pro spirituali potestate, quæ Clericis datur, vndè non est sacramentum, quia hoc modo sumptum est aliquid spirituale, & non aliquid sensibile, est enim spiritualis potestas, vel gradus dignè exequendi aliquem actum sacramentalem in Ecclesia, & hoc modo Sacerdotium, & Diaconatus, & sic de alijs dicuntur ordines. Ordinatio verò sumitur pro ritu transeunte in fieri, seù pro ipsa sensibili actione, qua præbetur Clericis illa potestas, & gradus, & hoc modo est aliquid sensibile consistens in verbis, & rebus, seù actionibus, vel passionibus sensibilibus, & ideò habet rationem sacramenti. Verumtamen est etiam ipsum ordinis nomen apud Patres, & Concilia sumi pro eodem ritu, & actione, in qua constituitur ratio sacramenti, & sic nominatur Sacramentum Ordinis; ideoque Trident. *sess.* 23. *can.* 3. ad omnem ambiguitatem tollendam adiecit, *Ordinem, siuè sacram Ordinationem.*

2 Sacramentum verò Ordinis hoc modo sumptum extare in Ecclesia, & quidem à Christo institutum fuisse, & deinceps perpetuo, stabilique ritu apud fideles retentum est dogma fidei contra Nouatores quosdam; & satis apertè ex ipsa Scriptura deducitur, nam in Euangelio Christus ordinauit suos Apostolos in Sacerdotes, & Episcopos, quando in nocte cœnæ dixit illis, *Hoc facite in meam commemorationem*, & quando post resurrectionem ijsdem dixit, *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata remittuntur eis.* Io. 20. Deindè Apostoli ipsi ordinauerunt septem illos viros Actorum 6. *Hos statuerunt antè conspectum Apostolorum, & orantes imposuerunt eis manus*, ordinauerunt Paulum, & Barnabam Act. 10. *Tunc ieiunantes, & orantes, imponentesque eis manus dimiserunt illos.* Et quod ordinatio Ministrorum Ecclesiæ sit à Deo instituta, & mandata non solùm demonstratur ex Patribus, Pontificibus, & Concilijs, vt referunt Bellarminus, Vasquez, Auersa, Beccanus, & alij, sed apertè etiam colligitur ex Actorum cap. 13. *Segregate mihi Paulum, & Barnabam in opus ad quod assumpsi eos*, & *cap.* 20. *In quo vos Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*, & ad Ephes. 14. *Ipse dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam Prophetas, alios autem Pastores, & Doctores.* Et hoc tandem suadet ratio ex congruitate deducta, nam extat in Ecclesia exercitium sacrarum functionum, & præsertim conficiendi sacrosanctum Eucharistię sacramentum, & sacrificium; item absoluendi à peccatis, & similia; & quia non expediebat, neque decens erat, vt omnibus promiscuè, & absq; discrimine hoc ministerium competeret, & potestas; opus planè fuit, vt ipse Christus legitimam hanc potestatem in Ecclesia ad hæc facienda reliquisset, & ritum aliquem visibilem, seù sensibile signum institueret, quo talis potestas, & gradus certis quibusdam personis à legitimo Ministro communicaretur, & hic ritus, & hoc signum est sacramentum Ordinis, de quo loquimur.

Quid autem sit sacramentum Ordinis, est aliqua varietas apud Doctores in eius definitione assignanda, & quidem 3
potius de nomine, quàm de re, clarior tamen, & exactior definitio est, quam tradit Doctor *loc. cit. artic.* 3. vbi inquit, quod Ordo, seù Ordinatio est institutio alicuius in gradu Ecclesiæ præeminente, cui conuenit aliquod ministerium circà Eucharistiam exhibendum, facta à Ministro idoneo certa verba proferente, & simul cum intentione debita, ministerium gradus illius aliquo signo visibili repræsentans ex institutione diuina efficaciter significans gratiam præeminentem, qua ordinatus dignè aliquod ministerium exequatur. Ita Doctor *loc. cit.* vbi ait ex hac communi Ordinis definitione proportionaliter deduci posse rationes speciales ordinis cuiuslibet; & notanter ibi dicitur præcipuè circà Eucharistiam, quia actus ordinum versantur solum circa Eucharistiam, vt infrà dicetur, vel saltem actus principaliores Ordinis; dicitur autem *à Ministro idoneo*, scilicet, ab episcopo quantum ad sacros ordines, nam quantùm ad alios non sacros aliqui non Episcopi possunt esse Ministri, dicitur tandem *proferente verba certa* quantum ad formam, vel formas ordinationum, quæ sunt diuersæ in diuersis ordinibus: vt patet in libris Episcoporum. Quoniam verò non est vnus solus ordo, sed plures, nec de omnibus constat veram habere sacramenti rationem, vt ab hac dubitatione abstrahatur, debet definitio, ità amplè sumi, & intelligi, vt non solùm complectatur sacramentum à Christo institutum, quo gratia confertur, & character imprimitur, sed etiam ritum ab Ecclesia institutum, quo absque tali qualitate confertatur solum

solum extrema quædam potestas ad munera Ecclesiastica peragenda; ex quo patet definitionem ordinis à Scoto traditam de illo intelligendam esse, qui sit verum sacramentum à Christo institutum, prout est aliquid commune ad ordines speciales, & in particulari, qui omnes vnitate ordinis, & completiuæ integritatis pro vno sacramento complectantur.

His præsuppositis, vt communiter concessis inter Catholicos; quæstio est de numero sacrorum Ordinum, licet enim omnes admittant septem ordines ab Ecclesia enumeratos, scilicet, Sacerdotium, Diaconatum, Subdiaconatum, Acholytatum, Exorcistatum, Lectoratum, & Ostiariatum; aliqui tamen etiam primam Tonsuram addunt, vt Canonistæ referente Nauarro in Man. c. 22. Alij verò esto primam Tonsuram concedant, nec esse ordinem, nec sacramentum, adhuc tamen contendunt Episcopatum esse ordinem sacrum separatum, & diuersum à Sacerdotio, ità docent quamplures Iuristæ circa Canones, Petrus, Soto, Michael Medina, Valentia, Auersa, Poncius ex nostris, & alij, qui consequenter octo ordines agnoscunt abinuicem distinctos; qui verò primam addunt Tonsuram, vt Altisiodor. Maior, & Nauarrus, faciūt adæquatè nouem ordines, quam Nauarrus ait esse communem Iuristarum sententiam, vt sicut sunt nouem ordines Angelorum in gloria, ità sint nouem ordines Clericorum in Ecclesia. Alij licet fateantur Episcopatum esse verum ordinem, & sacramentum, nec tamen augeant numerum septenarium Ordinum, dicunt non esse ordinem à Sacerdotio distinctum, sed facere, & complere cum illo vnum Ordinem integrum; vndè neque volunt per ordinem Episcopatus nouum, & distinctum characterem imprimi, sed solum extendi eundem priorem sacerdotalem, ad hoc, vt valeat perficere nouos actus Episcopales; vel neque imprimi nouum, nec extendi priorem, sed conferri solum nouam potestatem, ità sentiunt, & loquuntur, Durandus, Paludanus, Bellarminus, Vasquez, Becanus, Hurtado, Coninch. Casp. & alij Recentiores; Alij tandem ad saluandum numerum septenarium Ordinum, negant absolutè Episcopatum esse ordinem sacrum, ac vllum imprimere characterem.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæstionis Resolutio.

5 PRimò Dicendum est, primam clericalem Tonsuram nec esse ordinem, nec sacramentum, sed esse puram institutionem Ecclesiæ, & esse dispositionem, ac præparationem ad ordines. Hæc est communis in Scholis, quam docet Scotus *d. 24. cit. q. vn. in fine*, in solutione ad vltimum, & clarè deducitur ex Conc. Trid. *sess. 23. can. 2.* vbi numerantur, ac nominantur singuli ordines, nec tamen inter eos primam ponit Tonsuram quinimò distinctè, ac separatim eam commemorat, tanquam quid præuium ad omnes ordines, cùm dicit, *Vt qui iam clericali Tonsura insigniti essent, per minores, & maiores ordines ad Sacerdotium ascenderent*, quibus verbis expressè primam Tonsuram à numero etiam minorum ordinem excludit. Hoc etiam probant ratione Vasquez *disp. 236. c. 1.* Coninch. *disp. 20. dub. 1.* Faber ex nostris *disp. 1. de sacram. ordinis c. 2.* & alij Recentiores, quia ordo est gradus eminens in Ecclesia, & disponens ad aliquem actum eminennentem exercendum in ea; at prima Tonsura non est gradus eminens, imò infimus, nec disponit ad aliquem actum Ecclesiasticum, ex quo sequitur non esse inter sacros ordines connumerandam.

Hęc tamen ratio non conuincit, nec sufficienter intentum probat, quia vt aduertit Auersa *q. 1. de sacr. ordinis sec. 5.* non ostenditur in ea esse de ratione ordinis, vt sit gradus quidam sublimis, & eminens in Ecclesia Dei, nam etiam de rigore latini sermonis vsurpatur ad denotandum inter homines certum statum, & conditionem personarum in Republica etiam præcisa eminentia, & sublimitate; non enim solùm dicitur Ordo Senatorum, & Nobilium, sed etiam Ordo Plebeiorum, Seruorum, & Famulorum; Tùm quia concesso etiam, quod per ordinem aliqua sublimitas, & eminētia denotari debeat; satis esset, quod tonsuratus per ipsam primam Tonsuram ad ordinem Clericorum eleuetur suprà Laicos; Tùm denique quia hinc sequeretur, quod si prima Tonsura in Ecclesia instituta non fuisset, sed initiatio Clericalis ab Ostiariatu inciperet, tunc neq; hic fuisset verus Ordo ob eandem rationem, quia non esset gradus eminens, & sublimis in Ecclesia, & inter Clericos, sed esset prima initiatio in Clero, seù ordine Clericorum.

Melior ergo est ratio, qua passim alij vtuntur, quod ordo est potestas actiua alicui collata ad aliquem actum Ecclesiasticum exercendum; Sed in forma conferendi primam Tonsuram non fit mentio collationis alicuius potestatis; ergo inter sacros ordines non est connumeranda. Nec sufficit impugnatio Vasquez *loc. cit.* dicentis hanc rationem non valere, eo quia non probat ad rationem ordinis requiri deputationem peculiare quodam munus, & officium. Hoc enim satis constat ex forma singulorum ordinum, per quam in singulis ordinato confertur potestas ad aliquod singulare ministerium; satis etiam patet ex definitione sacramenti Ordinis à Magistro sentent. tradita *4. dist. 23.* & communiter recepta quod est *signaculum quoddam Ecclesiæ, quo spiritualis potestas traditur ordinato*; sicut enim ad sacramentum ordinis in cōmuni requiritur, vt sit collatiuum spiritualis potestatis in cōmuni, ita ad talem ordinem in particulari requiritur, vt sit collatiuus talis potestatis, & ad tale, vel tale munus Ecclesiasticum exercendum; Imò hæc est ratio, cur in hæc definitione non explicatur, quod ordinatio significet, & causet gratiam sanctificantem, quia, scilicet, hoc sacramentum primò, & per se institutum est ad dandam spiritualem potestatem Ordinis, quæ per impressionem characteris confertur; gratiam verò præstat simul, vt sacramentum est, quia gratia est necessaria ad debitè exercendum actum illius potestatis, itaquod sacramentum ordinis non ordinatur proximè ad remissionem peccatorum in his, quibus confertur, sed ad instituendum illos Ministros sacramentorum in ordine ad Eucharistiam, remotè verò tantum ad remissionem peccatorum. 4

Secundò Dicendum est, Ostiariatum, Lectoratum, Exorcistatum, Acolytatum, Subdiaconatum, Diaconatum, & Presbyteratum esse Ordines propriè dictos. Hæc propositio patet ex Trid. *sess. 23. cap. 2.* vbi hos septem Ordines Ecclesiæ enumerat, quosdam maiores, & quosdam minores, per quos veluti per gradus ascenditur ad Sacerdotium; & probatur ex ipsa Ordinis definitione tradita à D. Thoma *q. 34. ar. 2.* quod est *sacramentum, quo traditur spiritualis potestas circa Eucharistiam in sacrificio Missæ*: hæc enim definitio singulis ordinibus prædictis accomodari potest, auertendo tamen potestatem, quæ per ordines confertur circà Eucharistiam duplicem esse mediatam, scilicet, & immediatam, potestas immediata est, illa qua directè Eucharistia ipsa confici potest, & hæc confertur in ordine Sacerdotali; potestas verò mediata est illa, per quam exercetur aliquod ministerium, quod ad Eucharistiā dirigitur, & ordinatur, tanquam ad finem, quod ministerium in singulis ordinibus reperiri constabit considerranti singulorum ordinum officium, & functiones; vt discurrit Doctor *d. 24. cit. artic. 2. lit. D.* vbi inquit, quod communiter septem ordines ponuntur, tres maiores, & sacri, & quatuor minores, & non sacri, quorum sufficientia sic accipitur, quia ordo est potestas, & gradus præeminens in Ecclesia disponens ad actum sacramentalem præcipuè circà Eucharistiam, aut igitur directè, & immediatè, aut indirectè, & mediatè; primo modo deducuntur tres ordines sacri, qui dicuntur maiores; & secundo modo quatuor non sacri, qui dicuntur minores; Primum fit tripliciter, aut Eucharistiam conficiendo, & sic est ordo Sacerdotij, aut dispensando eam, & tractando eam in vasis, & sic est ordo Diaconatus, vndè patet, quod legere Euangelium non est principalis actus Diaconi, sed secundarius; aut subministrando materiam Eucharistiæ, & sic est Subdiaconatus, cuius etiam legere Epistolam est actus minus principalis, & secundarius. 5

Alij autem quatuor ordines minores, inquit Doctor, accipiuntur respectu actuum remotè se habentium ad Eucharistiam, & hoc dupliciter, vel disponendo populum ad conuenientem dispositionem ad Eucharistiam suscipiendam, vel ad amotionem impedimentorum; primo modo dupliciter, nam dispositio conueniens in populo est duplex, vna est interior deuotio, ad quam disponit Accolytus portando cereum accensum; Alia pertinet ad intellectum, & est eruditio mentis circà credibilia, & ad hanc disponit lector legendo prophetias; Secundo modo etiam dupliciter, quia vel est ad amouendum impedimentum arcendo malos homines, & indignos, & sic est ordo Ostiarij; Vel arcendo Dæmones, & sic est ordo Exorcistæ, non quod verbis Exorcistæ conferatur aliqua vis supernaturalis, qua possit effectiuè Dæmones

nes

nes effugare; sed virtute diuina arcentur ad actum Exorcistæ, & hoc ex pacto diuino. Hoc etiam probat Poncius *disp.* 48. *q.* 1. *concl.* 3. plurium Patrum testimonio. Solum potest esse difficultas, quando huiusmodi Ordines à Christo fuerunt instituti, nam Lucæ 22. videtur tantummodò institutus ordo Sacerdotalis, cùm dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*, quibus verbis Christus contulit Apostolis auctoritatem sacerdotalem, eisque ac eorum successoribus in Sacerdotio dedit præceptum consecrandi, vt patet ex Tridentr. *sess.* 22. *cap.* 1. Nihilominus breuiter dici potest cum Valentia, Henriquez, Reginaldo, Bonacina, & alijs, etiam alios Ordines tunc institutos fuisse, cùm ordo sacerdotalis alios ordines inferiores eminenter contineat, qui ad illum ordinantur, eique subseruiunt.

8 Tertiò Dicendum est, Episcopatum esse Ordinem propriè dictum distinctum ab omnibus iam enumeratis etiam à Sacerdotio. Hæc est communior in Scholis, in quam etiam magis inclinare videtur Doctor *loc. cit. art.* 2. estò in hac re problematicus videatur, & prisci Scotistæ, vt Bassolius, Tataretus, Nicolaus de Nisse, & alij antiquiores idem docet Brancatus *tom.* 3. *disp.* 7. *art.* 3. & expressè deducitur ex Concil. Trident. *sess.* 23. *cap.* 4. vbi declarat, præter cæteros Ecclesiasticos gradus Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hyerarchicum ordinem præcipuè pertinere, & positos, sicut idem Apostolus ait, à Spiritu sancto regere Ecclesiam Dei, eosque Presbyteris superiores esse, ac Sacramentum Confirmationis conferre, &c. & paulò post addit; Docet insuper sacrosancta Synodus in ordinatione Episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum Ordinum &c.

Itaque Concilium docet episcopos ad Hyerarchicum ordinem pertinere præter cæteros ecclesiasticos gradus, per quos vtique cæteros ordines intelligit; facit deindè mentionem de ordinatione episcoporum, Sacerdotum, & cæterorum ordinum; quarè sicut ordinatio Sacerdotum, & aliorum ordinum est sacramentum ordinis, ità & ordinatio episcoporum; sed potestas data per ordinationem, quæ est sacramentum, est ordo propriè dictus; ergo & episcopatus quoq; erit talis ordo, & ab alijs distinctus, quia Concilium illum enumerat, vt ab alijs condistinctum.

Deindè probatur ratione à Bassolio adducta, quia episcopatus est gradus quidam præeminens in ecclesia, & potestas quædam ad actus sacramentales, qui nullo modo conueniunt cæteris Ordinibus, vt ad actus ordinandi Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos, similiter ad actum confirmandi, & conficiendi chrisma; Tum quia non minus videtur necessarius in ecclesia aliquis Ordo respectu actuum sacramentalium per se, & magis nobilium absque comparatione, quàm respectu sacramentalium per accidens, & indirectè, & minus nobilium; sed planum est, quod actus illi, ad quos, disponit gradus episcopi, vel episcopatus sunt per se sacramentales, & directè, ac valdè nobiliores, & excellentiores actibus, ad quos disponunt omnes alij Ordines à Sacerdotio, quamplures enim sunt indirectè tantùm sacramentales, sicut actus Subdiaconi, & quatuor minorum Ordinum, ergo &c. Et fanè omninò absurdum videtur, quod Ordines minores, aut etiam Diaconatus, & Subdiaconatus sint Ordines propriè dicti, & non episcopatus, cùm hæc potestas sit longè excellentior, quàm illæ. Denique probatur etiam ratione ab ipso Scoto adducta *art.* 2. *cit.* quæ planè est validissima, quia episcopo conuenit specialis potestas, inquantum episcopus; aut ergò talis potestas est Ordinis, aut solius iurisdictionis; non secundum, quia tunc auferri posset per Superiorem, vt ab Archiepiscopo, vel Pontifice summo, quod est falsum, quia alia consecratio multò minor consecratione episcopali non potest tolli per potestatem Superioris, vt est consecratio altaris, aquæ, & huiusmodi cap. *Aqua* in Glosa relinquitur ergò, quod sit potestas Ordinis atque ità episcopatus erit Ordo. Vndè consequenter deducit Bassolius, quod in episcopatu imprimatur character indelebilis, sicut in alijs ordinibus, & alterius rationis, cuius etiam signum est, quod Ordinatio alicuius in episcopum, vel consecratio est irreiterabilis, vndè & perpetuò aliquis in episcopum consecratus manet episcopus, quantumcunq; deponatur, vel degradetur, sicut etiam & Sacerdos. Nec sufficit dicere non imprimi nouum, ac distinctum characterem, sed solùm eundem priorem Sacerdotalem extendi ad hoc, vt valeat perficere nouos actus episcopales. Sed dici debet omninò imprimi de nouo in anima aliquid intrinsecum, quo conferatur, & signetur tam noua, & sublimis potestas, quæ in Ordinatione Episcopali confertur, quod si alijs inferioribus Ordinibus hoc conceditur, tantò magis Episcopatui id debet concedi; fatendum tamen adhuc est Episcopalem characterem per se supponere priorem Sacerdotalem, ab eoq; dependere, idq; ex lege, & institutione diuina; sicut certè character Confirmationis supponit priorem Baptismi, ab eoque dependet, sed adhuc ab eo distinguitur.

Respondent aliqui, Ordinem dupliciter accipi posse, ac describi, primo propriè, & in rigore, prout est gradus eminens in Ecclesia disponens ad actum aliquem circa Eucharistiam exercendum, nempè ad consecrationem, vel dispensationem Eucharistiæ pertinentem; vel latius, ac generalius, prout est actus eminens in Ecclesia disponens ad actum aliquem sacramentalem exercendum; qua distinctione præmissa dicunt rationes adductas concludere Episcopatum esse Ordinem secundo modo sumptum, prout extenditur ad aliquem actum sacramentalem exercendum, non autem primo modo, quo pacto est dispositio ad actus sacramentales tantùm circà Eucharistiam; cum igitur Ordo propriè dictus debeat habere aliquem respectu ad conficiendam Eucharistiam, nam ex hoc respectu constituuntur diuersi Ordines in Ecclesia, huncque respectum non habeat Episcopatus, consequenter dicunt non esse Ordinem propriè dictum, sed tantùm in latiori significatione; ità discurrit Rubion. *dist.* 24. & Faber *disput.* 1. *cit. cap.* 2. vbi inquit per hanc distinctionem vtramque opinionem sustineri posse, & conciliari, quam doctrinam de mente aliorum retulit Scotus *d.* 24. *cit. art.* 1. *sub B.* Verùm si allatæ rationes benè perpendantur, nedùm probant Episcopatum esse Ordinem secundo modo dictum, sed etiam primo modo, habet enim Episcopatus peculiarem respectum ad Eucharistiam, quatenus ordinat Sacerdotes, qui ipsam conficiunt, & alios Ministros, qui ad eam conficiendam inseruiunt, ac etiam vasa consecrat, & vestes Ministerio Eucharistiæ inseruientes: Nec valet, quod ait Faber *cap.* 2. *cit. num.* 47. quod licet episcopus ordinet Sacerdotem, non ob id proximè, & immediatè se habet ad Eucharistiam, sed tantùm remotè, & mediatè, & hac de causa non est Ordo primo modo, sed tantum secundo modo dictus. Non valet inquam, quia etiam Ordines minores remotè tantum, & mediatè se habent ad actum Eucharistiæ; si ergò id sufficit, vt ipsi quoque dicantur Ordines propriè, & in rigore, vt dictum est suprà *num.* 7. & omnes passim concedunt, id ipsum quoque sufficiet, vt episcopatus dicatur Ordo primo modo dictus, & non tantum secundo modo, & quidem tantò potiori ratione, quantò nobiliori modo, mediatè, & remotè episcopatus se habet ad actum Eucharistiæ, quàm Ordines minores, quia actus Sacerdotij virtualiter continetur in actu episcopatus, & Sacerdotium in episcopatu, quia nullus in Sacerdotem, nisi ab episcopo, ordinari potest.

Respondent alij, quod licet episcopatus sit verus Ordo, & sacramentum ob rationes adductas, non tamen esse distinctum à Sacerdotio, sed facere, & complere vnum cum illo Ordinem, quia ex vna parte fateri oportet episcopatum ex institutione Christi verè esse Ordinem, & sacramentum; ex alia parte saluari debet numerus Ordinum septenarius, nec debet excedi; quod aliter fieri non potest, nisi dicendo episcopatum vnum complere Ordinem cum Sacerdotio adeò quod Episcopatus non est Ordo totalis à simplici Sacerdotio simpliciter distinctus, sed tantùm partialiter, ac proindè ex his duobus integratur, & perficitur vnum Sacerdotium, & episcopatus est complementum, & perfectio Ordinis Sacerdotij: Quod exemplo declarant eiusdem Sacerdotij, in quo separatim confertur potestas consecrandi Eucharistiam, & potestas absoluendi à peccatis, nempè prius illa, & posteà hæc, & non propterea in hoc duplex distinguitur Ordo, sed est vnus solus habens hanc totam perfectionem, & duplicem potestatem, ità ergò dicunt se habere episcopatum cum Sacerdotio. 10

Sed planè Concil. Trid. *loc. cit.* episcopatum enumerat, vt Ordinem à cæteris condistinctum, sic etiam Anacletus Papa *epist.* 3. *cap.* 1. vbi ait bipartitum esse Ordinem Sacerdotum, & duos esse Ordines Sacerdotum, scilicet episcoporum, & Presbyterorum, quarè tanquam diuersum Ordinem distinguit episcopatum à simplici Sacerdotio; idemque dixit Damasus Papa epist. 4. Et quidem allatæ rationes non tantùm probant episcopatum esse verum Ordinem, & propriè dictum, sed etiam esse à Sacerdotio simpliciter distin-

distinctum, quia mediante Ordinatione confertur Episcopo potestas illa particularis, quę Episcopatus vocatur, ad munus particulare, quod non competit illis, qui reliquos habent ordines, nam illa potestas est consecrandi Sacerdotes, chrisma conficiendo, & Confirmationem administrandi, quæ potestas Sacerdoti non conuenit. Neq; omninò dici potest episcopatum vnum totalem ordinem cum Sacerdotio integrare, & tantum partialiter ab eo distingui; quia quando aliquis ritus se habet tanquam pars, aut perfectio eiusdem ordinis totalis, siuè eiusdem sacramenti, solet ac debet omninò simul moraliter adhiberi cum alia comparte, nec debet vnquam confici vna pars sine alia, vt benè notauit Auersa *quæst. 1. cit. sect. 7.* vt patet in exemplo ipso de ordine Sacerdotali in responsione allato, in quo certè de iure diuino debet simul moraliter in eadem ordinatione conferri potestas absoluendi cum potestate consecrandi; at ordinatio alicuius in Episcopum solet fieri longo tempore, & annorum spatio post ordinationem illius in Sacerdotem, & quamuis plures sint Sacerdotes, paucis tamen conceditur Episcopalis ordinatio; non ergò se habet Episcopatus, tanquam complementum, & perfectio, siuè tanquam pars, vnius ordinis, & sacramenti totalis cum Sacerdotio, sed potiùs dici, debet ordo simpliciter, & absolutè distinctus ab eo. Tùm etiam quia in ordinatione Episcopali separatim confertur nouus effectus gratiæ præter illum, qui in ordinatione Sacerdotali collatus fuit; ac etiam in ordinatione Episcopali imprimitur distinctus character ab eo, qui in ordinatione Sacerdotali impressus fuit, vt suprà dictum est, atque ideò ex hoc etiam capite distingui debet Episcopatus à Sacerdotio, tanquam ordinis diuersi.

11 Quartò tandem addendum est, Episcopatum non ità distingui à Sacerdotio sicut alij ordines inter se distinguuntur. Hæc etiam est communis in sententia Episcopatum à sacerdotio distinguente, & deducit ex Scoto *loc. cit. art. 4.* alij namque ordines ità se habent, vt notat ibi Doctor, quod solùm ex præcepto Ecclesiæ debet inter eos seruari certa quædam connexio, & graduatio; alioquin quantum ad substantiam re vera valeret quicunque ordo, etiamsi alium non supponeret ante se; ità quod si Sacerdotium ipsum alicui non habenti Diaconatum conferretur, imò nec vllum prorsus ex alijs inferioribus ordinibus; adhuc esse ratum, & validum, nec deberet repeti, & iterari, quamuis ex ipsius Ecclesiæ præcepto ab eius exercitio ille suspensus remaneret; & ratio est, quia vnus ordo ex illis septem in collatione de necessitate sacramenti ab alio non dependet, vt patet *extra* de Clerico per saltum promoto cap. vnico, in quo non est reiterandus ordo ille, sed cautè supplendum est, quod fuerat omissum. At non ità se habet Episcopatus respectu Sacerdotij, imò tantam cum eo habet connexionem, quod nisi sacerdotium præcedat, inualidè confertur, vndè si aliquis non Sacerdos ordinaretur in Episcopum, nihil fieret, quia Episcopatus dè necessitate sacramenti à Sacerdotio dependet, & hoc totum est de institutione ipsius Christi, vndè debebit prius ille in Sacerdotem ordinari, & posteà ex integro tota consecratio Episcopalis repeti debebit rursus, & iterari, quia nimirum illa, quæ antecessit fuit prorsus irrita, & nulla, igitur ob hanc necessariam connexionem Episcopatus cum Sacerdotio, & necessariam dependentiam ab illo, non potest ità distingui ab eo, & separari sicut alij ordines ab inuicem distinguuntur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Soluuntur Obiectiones.

12 IN oppositum Primò obijcitur, quod prima Tonsura sit ordo, nam cap. *cum contingat* Innocentius primam Tonsuram ordinem clericalem appellat; & Sixtus V. in Const. 91. appellat eam Clericalem characterem. Deinde quia confert aliqua potestatem spiritualem Clerico, eo ipso quod illum in statu Clericali constituit, vt nimirum in Ecclesia ministrare possit, vt sit capax Ecclesiasticæ iurisdictionis, beneficiorum, vt immunitate, aç priuilegio clericali gaudeat, & tandem, vt valet ad alios vlteriores ordines, & gradus ascendere. Tandem quia signum rei sacræ est vtique sacramentum, prima autem Tonsura est signum rei sacræ, habet enim spiritualem significationem, teste Isidoro lib. 2. de ecclesiast. officiis, vbi ait, quod est in Clericis Tonsura signum quoddam, vt vitia recensetur, &c. & hic ritus exercetur, & perficitur per modum materiæ, & formæ sicut cæteri ordines, scilicet per tonsionem capillorum, & prolationem certorum verborum.

Respondeo Innocentium eo capite nomen ordinis sumpsisse in latiori significatione, scilicet, pro ipso statu Clericali, nempè prout comprehendit statum hominum ad aliquas functiones Ecclesiasticas designatorum, quo sensus status etiam Religiosorum dicitur ordo, cùm tamen non sit ordo in eo sensu, in quo hic de eo agitur; Sic etiam Sixtus nomen characteris sumpsit pro eodem statu, seu pro insigni Clericali, & ibi apertè hunc, quem characterem vocat, distinguit ab ordinibus, discretè nominans primam Tonsuram, & ordines item Clericalem characterem, & ordines. Ad Confir. negatur conferre spiritualem potestatem tonsurato imprimendo characterem in anima, sicut est de ratione ordinis, & sacramenti, non enim dat potestatem ad certum, ac determinatum opus, & officium, sicut dant singuli ordines; sed solum quandam potestatem, & capacitatem externam, & legalem iure ecclesiastico institutam, & hoc ipsum generaliter tantum, & remotè ad sacras functiones! Quod additur de priuilegio Clericali ait Doctor *loc. citat.* in solutione ad vltimum non valere, quia Laici conuersi in Religionibus gaudent huiusmodi priuilegio nec tamen ordines habent; & potuit legislator illud priuilegium Principi concedere, vel alicui simpliciter Laico, quarè omninò falsum est, quod illud priuilegium sit proprium ordinatorum. Ad vltimum ait Doctor, quod solum signum practicum, & efficax rei sacramentalis, scilicet gratiæ, & à Christo institutum habet rationem sacramenti, & in hac re rationem ordinis; talis autem non est significatio, quæ consideratur in prima Tonsura, nec fuit ex institutione Christi, sed Ecclesiæ, quæ in alijs etiam Cæremonijs, in Missa, & alijs officijs varia mysteria significare intendit. Neque ritus primæ Tonsuræ sub eodem modo materiæ, & formæ perficitur, sicut alij ordines, non enim confertur per verba, quibus tribuatur aliqua potestas tonsurato, sicut in aliis ordinibus, in quorum collatione dicitur *Accipe potestatem*, vel aliud simile, sed solum per verba exhortatoria, & per quasdam preces, & laudes ex psalmis deptomptas; neque perficitur per traditionem alicuius instrumenti sacri ad diuinum cultum inseruientis, sicut alii ordines conferuntur,

Secundò obijcitur, quod Episcopatus non sit ordo propriè dictus, quia si talis esset, deberet habere aliquem respectum ad conficiendam Eucharistiam quem non habet talis autem respectus est de ratione ordinis propriè dicti, nam ex hoc respectu constituuntur diuersi ordines in Ecclesia, vt patet ex eorum sufficientia superius assignata. Confirmatur, quia si esset ordo, posset validè conferri absque sacerdotio, sicut valerent singuli alii ordines, si conferrentur absque præcedentibus. Tandem, quia non videtur habere certam materiam, & formam, quod est de ratione ordinis propriè dicti. 13

Respondetur negando, Episcopatum talem respectum non habere ad Eucharistiam conficiendam, saltem remotè, & mediatè, quod sufficit ad rationem ordinis propriè dicti, vt patet ex dictis *n. 9.* talem autem respectum præferrim habet, quatenus ordinat sacerdotes, qui ipsam conficiunt, & alios Ministros, qui ad eam conficiendam inseruiunt; præterquamquod nec etiam est de ratione ordini propriè dicti, si in se, & absolutè consideretur præscindendo à præsenti institutionem, quod ad Eucharistiam referatur, quia benè poterat à Christo institui quidam alius ordo conferens gratiam, & imprimens characterem ad exercendas alias sacras functiones absque respectu ad Eucharistiam.

Ad Confirmationem ait Bassolius, quod non plus de necessitate facti Episcopatus includit sacerdotium, vel præsupponit, quam sacerdotium includat Diaconatum, via Diaconatus subdiaconatum, licet secundum ordinem iuris, & modum obseruandi præsupponat ipsum; Sed melius occurritur ex dictis, quod quia Episcopo ex institutione Christi conuenit vniuersalitas actuum sacramentalium, ideò Episcopatus sacerdotium includit, & de necessitate sacramenti illud præsupponit, quia Episcopatus non distinguitur à sacerdotio, sicut distinguuntur singuli alii ordines inter se, vt constat ex dictis *numer. 11.* Ad vltimum negatur assumptum, nam Doctores communiter affirmant Episcopi consecrationem essentialiter, & adæquatè consistere in manuum impositione, tanquam ma-

materia, cum verbis, quæ in illa dicuntur, tanquam forma *Accipe Spiritum Sanctum*, vt videri potest apud Vasquez, Sanchez, Coninch. Auersam, & alios passim; & ità quidem sumitur ex Scriptura, vbi Apostolus Timothei ordinationem in Episcopum memorat per manuum impositionem, vti magis infrà patebit *q. 3. art. 2.*

Tertiò arguitur ad idem, quia Episcopatus potest simpliciter tolli per depositionem, vel degradationem, & per consequens in ordinatione Episcopi character non imprimitur, ideoque non est ordo. Deindè sacramentum ordinis confertur in Sabathis quatuor temporum, Episcopatus verò non nisi dieb us Dominicis; ergò non est ordo propriè dictus, sicut alij septem, qui eodem tempore conferuntur. Tandem, quia sic etiam dici posset Archiepiscopatum, Cardinalatum, & Papatum esse ordines propriè dictos, cùm non sit maior ratio de Episcopatu, quàm de istis.

Respondetur negando assumptum ex dictis num. 8. sicut enim ordinatio in Episcopum est irreiterabilis, ità Episcopatus est indelebilis quoad potestatem ordinis, nec potest tolli aliquo modo, sed semper manet Episcopus, licet tolli possit potestas iurisdictionis, sicut etiam in Sacerdote. Ad secundum, per illud concluditur solùm Episcopatum esse diuersum ordinem ab illis septem, qui eodem tempore conferuntur, non autem concludit nullatenus esse ordinem adhuc propriè dictum. Ad vltimum certum est, & inconfesso apud omnes nec Archiepiscopatum, neque Cardinalatum esse ordines, sicut nunc de ordinibus est sermo, quia nec per modum ordinis conferuntur, nec sunt sacramenta gratiam conferentia, & characterem imprimentia, sicut sunt ordines propriè dicti, de quibus hic est sermo, vt constabit *quæstion. seq.* imò nec etiam qui ponunt aliquos ordines ab Ecclesia institutos, faciunt Archiepiscopatum, & Cardinalatum inter ordines. Episcopatus autem ex institutione Christi est verè ordo, & sacramentum gratiam conferens, & characterem imprimens, tunc quando quis in Episcopatum consecratur, vt habetur in Conc. Trid. sess. 23. c. 4. vbi expresè ait, *Episcopos, qui in Apostolorum locum successerunt, ad hunc Hierarchicum ordinem pertinere.* Papatus tandem non est ordo specialis, nec sacramentum præter Episcopatum, est tamen supremus gradus, officium, & potestas in Ecclesia, à Christo immediatè institutus, & primò quidem Petro collatus, quando ei dixit *pasce oues meas*, & ità quidem, vt deinceps iure ordinario in Petri successores descenderet.

15 Quartò tandem arguitur, quod saltem non sit ordo distinctus à sacerdotio, quia si esset ordo distinctus à sacerdotio, tunc esset ordo superior, & nobilior sacerdotio; hoc autem est falsum, quia sacerdotium habet nobilissimum actum omnium sacramentalium, ideoque est nobilissimus ordo. Confirmatur, quia licet in Episcopatu conferatur potestas ordinandi, & confirmandi, quæ est distincta à potestate consecrandi, & conficiendi Eucharistiam, quæ datur per sacerdotium, non propterea poni debet ordo distinctus à sacerdotio; sicut licet in eodem sacerdotio separatim conferatur potestas consecrandi Eucharistiam, & potestas absoluendi à peccatis, nempè prius illa, & posteà hæc, non propterea in hoc duplex distinguitur ordo, sed est vnus solus habens hanc totam perfectionem; ita ergò se habet Episcopatus cum sacerdotio, vt vnum ordinem constituat cum ipso perfectiorem ob maiorem vniuersalitatem actuũ sacramentalium sibi conuenientium. Denique quia communis, & antiqua traditio Ecclesiæ habet, quod sint tantùm septem ordines sacri Ecclesiastici; vel ergo Episcopatus poni debet ordo, vel saltem non distinctus à sacerdotio.

Respondetur ex Scoto *dist. 24. cit. quæst. vnic. art. 2.* secundum vnam viam dici posset, Episcopatum esse ordinem sacerdotio nobiliorem, quia Episcopatus sacerdotium includit, illudque necessariò præsupponit de necessitate sacramenti, hac enim ratione maior sibi competit vniuersalitas actuum sacramentalium, competit enim sibi quicquid conuenit Sacerdotio, & aliquid amplius, & ob hanc vniuersalitatem actuum sacramentalium est aliquid nobilius Sacerdotio, & dignus; Aliter etiam dici potest, inquit Doctor, quod non esset nobilior, quia estò includendo Sacerdotium, & Episcopatum sit maior eminentiam gradus, quia ad plures actus sacramentales, quàm per alterum solum, extenditur; tamen illud, quod præcisè addit Episcopatus suprà Sacerdotium, non est ità excellens gradus, sicut Sacerdotium, quia per illud, quod sibi superaddit, non conueniunt actus ità nobiles, quales conueniunt Sacerdoti per Sacerdotium. Tandem Bassolius inquit absolutè concedi posse Episcopatum esse Sacerdotio superiorem, & nobiliorem, quia Sacerdotium in Episcopatu virtualiter continetur, & actus Sacerdotij in actu Episcopatus, quia nullus in Sacerdotem ordinari potest, nisi ab Episcopo.

16 Ad Confirmationem negatur assumptum, & ad eius probationem negatur paritas, non enim Episcopatus se habet solùm, tanquam complementum, & perfectio, siuè tanquam pars vnius Ordinis, & sacramenti totalis cum Sacerdotio, sed potius dici debet Ordo simpliciter distinctus, licet necessariò illum præsupponens; & ratio adducta est suprà numer. 10. quia quando aliquis titus se habent, tanquam pars, aut partialis perfectio cuiusdem Ordinis totalis, siuè cuiusdam sacramenti, solet ac debet omninò simul moraliter cum alia parte adhiberi, nec debet vnquam vna pars absque alia confici; sic in sacramento Eucharistiæ, quia species panis, & vini vnum totale sacramentum conficiunt, & constituunt, debent coniunctim consecrari; & in sacramento extremæ Vnctionis omnes quinque sensuum vnctiones debent coniunctim successiuè perfici; & in illo eodem exemplo Ordinis sacerdotalis debet simul moraliter de iure diuino in eadem ordinatione conferri potestas absoluendi cum potestate consecrandi; At ordinatio alicuius in Episcopum non est coniuncta cum ordinatione eiusdem in Sacerdotem, quia nec omnes Sacerdotes fiunt Episcopi, & quando quis fit Episcopus, ordinatio in Episcopum longo temporis interuallo post ordinationem in Sacerdotem differri solet.

17 Ad vltimum, Auctores asserentes Episcopatum esse ordinem propriè dictum, & ab ordine Sacerdotij simpliciter diuersum, gratis concedunt ordines esse plures, quàm septem; & quando septem communiter enumerantur, & assignantur, aiunt sermonem esse de ordinibus ad Sacerdotium requisitis; & Concilia præsertim de illis septem mentionem fecisse, quia supponebant satis notum esse, Episcopatum esse Ordinem particularem à reliquis distinctum. Adhuc tamen dici potest optimè in Ecclesia assignari, & retineri numerum ordinum septenarium, quorum septimus, vltimus, & supremus dicatur ordo Sacerdotij; ità tamen; vt hic vltimus ordo amplè sumatur, & nomen Sacerdotij non tantùm pro potestate consecrandi, sed etiam validè conferendi illa sacramenta, quę requirunt Ministrum consecratum; ac deindè hoc tanquam genus diuidatur in duas species, hoc est, in duos Sacerdotij gradus, vnum ad conficienda sacramenta Eucharistiæ, Absolutionis, & extremæ Vnctionis; alterum ad sacramenta Confirmationis, & Ordinationis, itaut Episcopatus, & Presbyteratus faciant vnam ordinem vnitate generica, qui in duas species diuidatur, quarum vna includit, vel præsupponit aliam; & vni quidem relictum est idem commune nomen Sacerdotij, alteri attributum est proprium nomen Episcopatus, quod quidem fundamentum habet in dicto Anacleti Papæ superius relato, qui epist. 3. cap. 1. dicebat bipartitum esse Ordinem Sacerdotum, & duos esse ordine Sacerdotum, scilicet, Episcoporum, & Presbyterorum idque ex Christi Domini institutione.

18 Quæres, quomodo prædicti ordines vnum constituant sacramentum. Ratio difficultatis est, quia sensus communis est, septem tantum esse Ecclesiæ sacramenta, vt dictum est, at si ordines isti non reducantur ad vnum sacramentum, sacramenta erunt tresdecim, nempè isti septem, & reliqua sex sacramenta.

Respondet Doctor *dist. 24. cit. quæst. vn. artic. 4.* duas vnitates his septem Ordinibus tribui posse. Prima vnitas generis propinqui, adeoquod omnia sint vnum sacramentum genere propinquo, non remoto; quod declarat exemplo virtutum moralium, nam Iustitia, Fortitudo, & Temperantia sunt tria genera virtutum, quorum vnumquodque sub se varias continent virtutum species; & tamen omnes illæ tres virtutes continentur sub vno genere communi, quod est virtus moralis; sic igitur pariter in proposito istis septem Ordines sunt vnum sacramentum vnitate generis propinqui, quod est Ordo, & est genus subalternum, quod respectu sacramenti in communi ad septem Ecclesiæ sacramenta est species, est verò genus respectu istorum septem specierum Ordinum, seù Ordinationum sub illo contentorum, quod

42. Apostol. & à Clem. lib. 8. Const. Apost. cap. 21. Tùm denique, quia cùm sit probabile etiam ordines minores esse vera sacramenta, id multò probabilius erit de subdiaconatu, qui alijs est magis sacer, & cùm graue onus seruandi continentiam suscipiat, omninò videtur ad id singularis gratia in eius ordinatione conferri.

23 Quartò Dicendum est, esse etiam valdè probabile quatuor quoque ordines minores veram rationem sacramenti habere. Hæc etiam communior est apud Auctores suprà citatos, & non minus expresè deducitur ex Concil. Florent. cit. in decreto Eugenij, vbi definiens ordinationem esse sacramentum, & rem illam, quæ traditur ab Episcopo, esse istius sacramenti propriam materiam, ibi Concilium non tantùm ponit exemplum in ordinibus maioribus, sed etiam in minoribus dicens, *& simpliciter de alijs per rerum ad sua ministeria pertinentium assignationem*; & eodem modo loquitur de forma, postquam enim retulit verba formæ pro sacerdotio subdit, *& sic de aliorum ordinum formis, prout in Pontificali Romano continetur*. Item Concilium Tridentinum sess. 23. cit. cum iam c. 2. dixisset esse in Ecclesia plures, & diuersos ordines Ministrorum, qui sacerdotio ex officio inseruiunt, statim cap. 3. & posteà can. 3. absque limitatione, & exceptione decernit per sacram ordinationem conferri gratiam, & ordinem esse verum, & proprium sacramentum vocat autem ordinationem sacram non ea ratione, qua soli maiores ordines dicuntur sacri, sed quia sacramentum est, vt aduertit Coninch. *disp.* 20. *dub.* 6. *n.* 48. Deindè cap. 4. ait Episcopos habere pro officio, *& conferre sacramentum ordinationis, & ordinare ministros in Ecclesia*, quibus verbis intelligit non tantum Diaconos, sed etiam subdiaconos, Acholitos, & reliquos ministros inferiores; & tandem can. 6. definit Hyerarchiam Ecclesiasticam constantem ex Episcopis, & Presbyteris, & ministris esse diuina ordinatione institutam, vbi etiam amplè loquitur de ministris.

Hoc idem sufficienter deducitur, non tantùm ex antiqua Patrum traditione, quos passim referunt Recentiores citati, sed etiam ex perpetuo Ecclesiæ vsu, & praxi, quæ sanè denotant hoc ordines, quoque minores esse sacramentum, modus nempè illos conferendi per traditionem materiæ, & prolationem formæ, illorum irreiteratio, ac indelebilis, & irreuocabilis collatio, hæc inquam, omnia suadent rem esse de institutione diuina Christi, & non merè humana ipsorum Apostolorum, vel pontificum; si enim essent ritus ab Ecclesia introducti, vtique reiterari possent, sicut sanè Ecclesia consecrationem calicis violati reiterat, & similia. Ex hac irreiterabilitate deducunt aliqui etiam ordines minores imprimere characterem, & consequenter esse sacramenta, ille enim ordo, quo imprimitur character, est propriè sacramentum, nouæ legis, ità Faber *disp.* 1. *cit. c.* 2. Bernal. *disp.* 64. *sect.* 6. & alij. At Coninchius *loc. cit.* & Scoto 4. *dist.* 24. *q.* 1. dicunt id malè deduci, quia simili modo probatur consecrationem Abatissæ esse sacramentum, quia repeti non potest, quod omni consecrationi, qua res aliqua Deo dicatur, commune est, vt patet etiam in consecratione templi calicis, & similium. Verùm nos quoque superius ex hac irreiterabilitate deduximus cum Bassolio characteris impressionem in Episcopato *quæst. præced. n.* 8. & non sine fundamento, ità enim docet D. Bonau. *dist.* 24. *part.* 2. *art.* 1. *q.* 1. & licet in sacramentalibus enumeratis consecratio non repetatur quamdiù durat, tamen si violetur, repeti solet; Ecclesia namque reiterat consecrationem templi, & calicis violati; at ordines nunquam reiterat in semel ordinato, etiamsi si vellet quempiam degradatum denuò restituere.

24 Quintò tandem ex dictis deducitur omnes septem ordines vniuersaliter loquendo habere veram sacramenti rationem, & à Christo Domino institutos fuisse; Quod quidem sufficienter probari potest ex sola antiqua Patrum, & Ecclesiæ traditione, ex quo ità argumentari possumus; illud quod in Ecclesia semper fuit obseruatum, præsertim circà missæ sacrificium, & sacramentorum administrationem itaut incæpisse cum ipsa Ecclesia credatur, nec à quo fuerit institutum sciatur, censentur fuisse à Christo Domino traditum, & institutum; & hæc maior est communis Doctorum sensus de traditionibus Ecclesiæ tractantibus, vt videre licet apud Franciscum Turrianum in defensione pro Canonibus Apostolicis *l.* 7. *c.* 1. & Bellarminum *tom.* 1. *l.* 4. de Verbo Dei non scripto, sed omnes septem ordines superius enumerati, etiam minores includendo, ità se habent, nam antiquissimi Patres de his ordinibus mentionem faciunt, tanquam de rebus vsu iam receptis ab Ecclesiæ initio, vt videre est apud Ignatium ep. 11. Dionisium de Ecclesiastica Hyerarchia, Clementem lib. 8. Const. cap. vlt. & alios passim à Recentioribus citatos; ergo asserendum est istos omnes ex Christi institutionem prouenisse, atque adeò esse etiam sacramenta diuinitus instituta, & non solùm sacramentalia ex humano iure, vt nonnulli Auctores superius citati dicunt præsertim de quatuor ordinibus minoribus.

Respondet Vasquez *loc. cit.* Acholitorum mentionem apud Patres inueniri solùm post tempora Cypriani, & Cornelij, qui ducentis, & quinquaginta annis à Christo floruerunt. Sed hunc Auctorem optimè mendacij conuincit Auersa *q.* 1. *cit. sect.* 4. nam ipse Cornelius *ep.* 3. quæ habetur *tom.* 1. Conciliorum Acholitos commemorat, non tanquam tunc nouiter inuentos, sed tanquam consuetos Ministros, & veteres in Ecclesia ex pari cum alijs ordinibus, imò cum præcedentia ad alios minores, recenset enim Clerum Romanæ Ecclesiæ, qui tunc erat. Presbyteros quadraginta sex, Diaconos septem, subdiaconos septem, Acholitos quadraginta duos, Exorcistas, & lectores vnà cum ostiarijs quinquaginta duos; & Cyprianus ep. 49. nominat Nicephorum Acholitum ad se missum à Cornelio. Cùm ergò videamus septem hos ordines, etiam minores includendo, eodem modo, & sub eisdem signis sensibilibus scilicet forma, & materia in vniuersa Ecclesia in vsu, & praxi semper habitos fuisse; nec reperiatur, quando primò hæc institutio sit facta ab Ecclesia, vel aliquo Concilio, vel decreto Papali, aut etiam ab ipsius Apostolis; hinc sufficientissimè deducitur, hoc omnes ordines sub his formis, & materijs à Christo Domino fuisse immediatè institutos, & semper habitos fuisse pro sacramentis; cuius antiquitatis clarissimum quoque præbuit testimonium Concilium Tridentinum *sess.* 23. *cit. c.* 2. dicens, Ab ipso Ecclesiæ initio sequentium ordinum nomina, atque vniuscuiusque eorum propria ministeria subdiaconi, scilicet, Acholiti, Exorcistæ, Lectoris, & ostiarij in vsu fuisse cognoscuntur. 25

ARTICVLVS SECVNDVS.

Aduersariorum occurritur argumentis.

In oppositum Primò obijcitur, solum sacerdotium esse verum sacramentum à Christo institutum, reliquos verò tam maiores, quam minores fuisse postmodum vel ab Ecclesia, vel ab ipsis Apostolis adinuentos, & institutos, ac proindè verè sacramenta non esse, sed potius sacramentalia; sic enim Anacletus Papa *ep.* 3. *c.* 2. in fine significasse videtur, cum inquit non esse alios Ministros à Christo institutos, & ab Apostolis desunctos præter Episcopos, & sacerdotes, sic enim loquitur, *Amplius quàm isti duo ordines nec nobis à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt*, & similiter Damasus Papa *ep.* 4. & Cyprian. *l.* 3. *ep.* 9. Confirmatur, quia in Scriptura alij ordines infra Sacerdotium non inueniuntur, quamuis enim Actorum 6. electio septem Diaconorum describatur; tamen ab Apostolis ad summum facta fuit, non à Christo; imò nec illi instituti fuerunt, vt in Altari ministrarent, sed potius, vt inseruirent mensis, vt patet ex ipso contextu, vbi habetur *non est æquum nos derelinquere verbum Dei, & ministrare mensis.* Tùm demum, quia non est determinata de iure diuino materia, & forma ordinationis Diaconi; ergò non est sacramentum; antecedens patet ex variatione facta secundum materiam, & formam huius ordinis diuersis temporibus, & ex diuerso modo ordinationis in antiquioribus, & recentioribus Pontificalibus descripto; etenim initio Ecclesiæ Diaconi ordinabantur non sicut modo dicente Episcopo *Accipe potestatem legendi Euangelium*, sed potius per impositionem manuum; modo autem Diaconi ordinantur per traditionem liberi Euangeliorum cum certa illa verborum forma; ergo non sunt sacramenta à Christo instituta, sed puri Ecclesiæ ritus. 26

Respondeo, vt iam constat ex dictis quæst. præced. Anacletum non dicere absolutè non fuisse à Christo institutum, nisi ordinem Episcopatus, & Sacerdotij, sed solùm non instituisse alios ordines Sacerdotum, quod planè verissimum est; quarè alios ordines non excludebat simpliciter, sed solùm alium gradum, & modum Sacerdotij, sic enim di- 27

amissionem clericalium priuilegiorum, non autem per depositionem spiritualis characteris; nam votum continentiæ matrimonialis, vt dictum est, non de iure diuino, sed solum de iure positiuo ecclesiastico est Ordinibus sacris adiunctum etiam Sacerdotio. Ad vltimum, negatur assumptum, ad Eucharistiam enim, eiusque ministerium ordinantur quoque Minores, vt Trident. expressit, licet non ità proximè, & immediatè, vt Maiores, sicut suprà declaratum est; hoc enim fit varijs modis, prout in singulorum functionibus apparet; quodcunque verò sit eorum ministerium, optimè in ijs quoque ex hac parte vera sacramenti ratio consistere potest.

Quartò arguit ad idem specialiter Vasquez *loc. cit.* quia in Ecclesia temporis decursu notabilis mutatio in his Minoribus Ordinibus facta est, nec semper ijdem fuerunt; non ergò sunt de genere sacramentorum à Christo institutorum, sed potius sunt officia quædam adinuenta ab Ecclesia; assumptum probat, quia ex vna parte olim inter Clericorum gradus, & ordines adnumerabantur etiam *Laboratores*, siuè *Fossarij*, quorum munus erat sepelire mortuos, & nominantur ab Ignatio, Epiphanio, & Hieronymo; item olim addebantur *Cantores* seù *Psalmistæ*, scilicet præter Lectores, eorumque officium erat diuinas laudes canere in Choro, eosque commemorat Clementes Rom *lib. 3. Constit. Apost. cap.* 11. Ex alia verò parte non inueniuntur ab initio extitisse Acholiti, qui modò inter ordines computantur, nam idem Clemens, Ignatius, & Epiphanius inter alios ordines nequaquam Acholitos memorant; imò nec Exorcistas Clemens memorat, quin potius *lib. 8. Constit. caput. 26.* apertè dixit Exorcistas non fieri Ordinatione. De Ostiarijs demum, seù Ianitoribus testatur Simeon Thessalonicensis *lib. 8. de Myster. Eccles.* eorum officium ab initio spectasse ad Subdiaconum.

34 Respondetur, negando assumptum, nunquam enim fuerunt in Ecclesia alij ordines Minores præter enumeratos, vndè Laboratores, seù Fossarij, Cantores, seù Psalmistæ, non erant propriè in aliquo ordine ab alijs distincto constituti, sed erant quædam officia pertinentia ad Ecclesiam, sicut sunt modò Cantores, & Organici; vt Card. Baronius adnotauit tom. 1. anno Christi 44. quod euidenter deducitur ex Concil. Carthag. 4. cap. 10. vbi de Cantoris officio loquens ait, aduocari consueuisse absque scientia Episcopi sola auctoritate Presbyteri Clericos de Choro, qui magis idonei videbantur, ad concinendos psalmos; ex quo satis euidenter patet, quod totale Cantoris officium non dabatur per ordinationem stabilem, quæ sit, vel fuerit sacramentum. Quod etiam amplius ex eo constat, quod alijs officijs præter septem Ordines à nobis assertos nec in aliquo Concilio, nec Rituali approbato designantur determinatæ materiæ, per cuius dationem ab Episcopo conferantur, vel alio Sacerdote ex commissione solemni ritu, tanquam vera potestas irreuocabiliter collata; At ex perpetua traditione Ecclesiæ testantur Conc. Florent. & Trident. Ordinibus minoribus sicut & maioribus, assignatas esse sigillatim materias proprias, quæ ab ipso Ordinante traduntur suscipientibus Ordines. Semper etiam fuisse Acholitos in Ecclesia constat ex dictis num. 25. neque opus est, vt singuli Ordines isti à Patribus singillatim nominentur, quia contingere potuit, quod in aliqua Ecclesia particulari ministerium illius ordinis v. g. Acholitatus nulli Clericorum esset indiuidualiter tunc commissum, & exerceri solitum à Diaconis, vel ab alijs Clericis; Quinimò Clemens eo *lib. 3. Const. cap.* 11. commemorat Diaconos, Lectores, Ministros, Cantores, & Ianitores, vbi per Ministros intelexisse videtur, quos nos dicimus Acholitos, nam Acholitus græcè est sicut latinè Minister. Exorcistæ quoque à priscis Patribus nominati fuere, & præsertim ab Ignatio, qui fuit Apostolorum coætaneus, & discipulus; Quando verò Clemens *loc. cit.* dixit Exorcistas non fieri ordinatione, vt patet ex ipso contextu, loquitur de Exorcista, qui à Deo gratiam expellendi Dæmones, & infirmitates ab eis prouenientes, siuè gratiam curationum gratis datam accepit, talis enim exorcista vtique non fit per ordinationem, vt patet; adhuc tamen in Ecclesia extat insignis Ordo Exorcistatum, qui ab Episcopis per sacram cæremoniam ordinantur, & horum ordinationem dicimus esse sacramentum, de Ostiarijs demum apud Patres illo Simeone longè antiquiores, & apud Ignatium ipsum, & Clementem constat positos fuisse distinctos à Subdiacono, alijsque dictis ordinibus, quarè ad summum intelligere voluit interdùm, & ex occasione Subdiaconum Ostiarij officium exercuisse.

Quintò tandem arguunt alij, quod Episcopatus non sit sacramentum, quia si esset sacramentum, & characterem imprimeret, posset validè conferri non Sacerdoti, & cùm esset ordo superior Sacerdotio, eminenter contineret potestatem Sacerdotij, quæ omnia sunt falsa; ergo non est sacramentum. Confirmatur, quia hinc sequeretur Episcopatum, & Presbyteratum esse duos distinctos ordines, quia sunt duo sacramenta, sed illud communiter negatur, quia vel Episcopatus non ponitur, vel si ponitur non tamen distinctus à Sacerdotio. Denique quia nulla potest ipsius certe materia, & forma assignari, sicut in sacramentis assignari solet, ergo &c. 35

Respondetur negando consequentiam, nam sicut omnia sacramenta in suscipiente baptismi characterem præsupponunt, ità Episcopatus præsupponit in suscipiente characterem Sacerdotij; neque Episcopatus est ordo superior, & nobilior Sacerdotio, adeout dici possit eminenter Sacerdotium continere, licet dici possit, quod illud virtualiter contineat, quatenus Ordo Sacerdotij non nisi ab Episcopo potest conferri; ratio est, quia si Episcopatus totaliter, & completè consideretur, includit ipsum Sacerdotium formaliter, vel saltem illud præsupponit, ideoque ad solutè Sacerdotium vocatur; si autem sumatur præcisè secundum id, quod Sacerdotio superaddit, sic continet minus excellentem potestatem, quàm Sacerdotium, quia nulla potest conferri homini potestas excellentior, & magis supernaturalis, quàm potestas consecrandi corpus, & sanguinem Christi, ità Coninchius, Bernal. & alij Recentiores communiter, quæ est expressa Scoti doctrina *d. 24. cit. quæst. vn. art. 2.* de quo vide dicta superius *quæst. praeced. num.* 15. Ad Confirm. gratis concedimus Episcopatum, & Presbyteratum esse ordines distinctos ex dictis ibidem, sed quando cum alijs concederemus non esse ordines distinctos, adhuc negandum est, non esse sacramenta distincta, nam propriè loquendo Episcopatus, & Sacerdotium non sunt sacramenta, sed ordinatio vtriusque est verum sacramentum; Ordinatio autem Episcopi, prout præcisè dicit rationem sacramenti, licet in suscipiente ordinationem Præsbyteri præsupponat, non tamen formaliter, & intrinsecè eam includit; quare vtraque est integrum sacramentorum, cùm sit integrum signum gratiæ sine respectu ad alterum. Ad vltimum patebit quæst. seq. vbi assignanda est materia, & forma ordinis cuiuscunque.

QVÆSTIO TERTIA.

De Materia, Forma, & Officio cuiuscunque Ordinis, ac eorum effectu.

HIc supponendum est, quod iam diximus *disp. 1. de Sacramentis in genere quæst.* 3. *art.* 1. Christum Dominum non determinasse in omnibus sacramentis æqualiter speciem rei ponendæ pro materia; in aliquibus enim non determinauit rem ponendam, vel exibendam talem secundum speciem infimam, sed solùm per se designauit in materiam positionem alicuius signi externi, vel traditionem externam alicuius rei sensibilis aptæ, vt per ipsam significaretur talis effectus sacramentalis, relinquendo Ecclesiæ determinationem magis specialem rei adhibendæ; Quod patet in exemplo Confessionis sacramentalis, nam pro materia sacramenti Pœnitentiæ instituta est manifestatio peccatorum sensibilis, quomodocunque hoc contingat, siuè enim hæc manifestatio fiat sensibilis per verba, siuè per solos nutus, est sufficiens, quia tale signum externum confessionis peccatorum habet substantiam signi à Christo instituti. 36

Ità igitur dicendum est in præsenti de sacramento ordinis, quod Christus pro materia quorundam ordinum instituit traditionem alicuius rei accomodatæ ad significandum talis ordinis ministerium, potestatem, & gratiam; non tamen designauit ipse rem numero, vel specie determinatam, sed reliquit eius rei specialem determinationem Ecclesiæ, vt hæc opportunè determinaret rem talem istam, vel illam esse tradendam v. g. librum, vel vas, cereum, vel candelabrum, vel vtrumque &c. & quidem ipsa experientia id per-

suadet, quia non solùm ipse non adhibuit illam materiam, quæ de facto in collatione ordinum adhiberi solet, sed nec etiam Apostoli illam ab initio adhibebant, siquidem tunc temporis à primo Ecclesiæ primordio nec liber Euangeliorum, nec Epistolarum extabat, cuius tamen traditio est materia alicuius ordinis de facto; ergo verisimile non est Christum quorundam ordinum materias determinasse, quæ modò sunt in vsu, sed illam materiam ecclesiæ determinationi reliquit. Ità notarunt Bellarminus, Vasquez, Layman, Lugo, Bernal, Poncius, Auersa, & alij; de quo plura videri possunt apud Auersam *q.2. sec.1.* & Cardin. de Lugo *disp. 2. de sacram. in gen. sec.2.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Resoluitur Quæstio de quatuor Minoribus, & duobus Maioribus.

37 IN assignanda materia, & forma ordinis cuiuscunque ac eorundem officijs ab inferioribus ad superiores ascendendo procedemus iuxta Scoti doctrinam *4.d.24.q.vn.* & ea, quæ habentur in Concil. Cartagin. 4. & in Pontificali Romano referemus; Itaque ostiarij materia est traditio clauium Templi per manus Episcopi, & verba illa, quibus vtitur consecrans, quandò illas porrigit, *sic age quasi redditurus Deo rationem pro his rebus, quæ his clauibus recluduntur*; ex quo satis constat officium ostiarij esse aperire, & claudere fores ecclesiæ ad ingressum Fidelium & ad custodiam sacrarum rerum, ac etiam depositorum, quæ in templo asseruantur; additur quoque vt admittat solum dignos, & repellat indignos, qui solum censentur Infideles non baptizati; Ad Ostiarium quoque pertinet campanam pulsare, vndè post ordinationem ducitur ab Archidiacono, vel eius vices fungente ad aperiendas, & claudendas Ecclesiæ fores, campanasque pulsandas.

Materia, & forma Sacramenti, quo confertur ordo lectoratus est porrectio codicis, & verba, quæ tùm proferuntur ab episcopo, lector enim ordinatur per traditionem libri, in quo continentur sacræ lectiones, & per verba, quibus ordinans ei curam legendi permitti dicens *Accipe, & esto verbi Dei relator &c.* Vndè lectoris officium est legere apud populum in diuinis officijs verbum Dei, siuè simpliciter recitando, siuè etiam cum modulamine canendo; qua ratione Vasquez *disp.236. cap.2.* præter officium legendi, distinctè illi adscribit etiam munus prædicandi; Verùm quia hoc officium tribuitur Diacono, imò ipsi Episcopo, non debet lectori hoc munus prædicandi attribui præter dictum legendi, & sensus est, quod legere debeat ea, quæ populo annunciat, quia nempè non debet ex se, seù ex mente sua dicere, sed ex libro legere.

Materia, & forma sacramenti, quo confertur ordo exorcistatus, est traditio libri exorcismorum, seù in quo continentur exorcismi ad expellendos Dæmones ab obsessis: & verba quæ tùm ab Episcopo proferuntur, quibus ordinans dat ei potestatem pugnandi aduersus Tartareos hostes dicens, *Accipe, & commenda memoriæ, & habe potestatem imponendi manus super Energumenos*, hæc est materia, & forma, quæ præscribuntur in Pontificali Romano: ex quo patet eius officium esse manus, super Energumenos imponere siuè baptizatos, siuè cathecumenos, & ad pellendos ex illis Dæmones exorcismos ecclesiæ super illos legere atque hoc modo illos præparare, vt sacris interesse, & participare possint; quod totum refertur quoque finaliter ad eucharistiam, vt homines non impediantur à Dæmone, sed reddantur habiles ad participandum de eucharistia in communione, & sacrificio.

38 Materia, & forma Acholitatus est traditio Cerei extincti, & Vrceoli vacui cum verbis, quæ tum profert episcopus, quando enim tradit candelabro cum Cereo &c. deindè tradit vrceolum vacuum dicens, *Accipe Ceroferarium cum Cereo &c.* deindè tradit vrceolum vacuum dicens, *Accipe Vrceolum ad suggerendum vinum, & aquam in Eucharistiam sanguinis Christi*. Vndè quia hic concurrunt duæ materiæ, & duæ formæ, dubitari solet, quænam earum sit de essentia, & in qua parte consistat propriè hæc ordinatio. Aliqui volunt consistere in priori illa parte, scilicet, in traditione Cerei cum suis verbis, quia istud videtur præcipuum officium huius ordinis, vt etiam ait Doctor in hac quæstione; vndè & sumptum est nomen Acholyti, & Ceroferatij. Alij verò è contra contendunt consistere in posteriori parte, hoc est, in traditione Vrceoli cum suis verbis, quia hoc ministerium magis directum est, & proximum ad Eucharistiæ sacrificium, quo maximè respectu ordines sunt instituti. Melius tamen alij dicunt media via incedendo in ordinatione Acholiti materiam, & formam in duplici parte consistere, & ex vtraque coalescere, materiam scilicet, ex traditione Vrceoli vacui, & candelabri cum Cereo extincto, formam verò ex verbis ipsi correspondentibus itaque mihi probabilius videtur vtramque traditionem, tam Vrceoli, quam Cerei esse in hac ordinatione essentialem, vt etiam ex nostris tenet Faber quia vtraque ponitur æqualiter, vt in Concilijs, & Pontificali Romano videri potest. Ex quo consequenter sequitur duplex esse Acholyti officium in dicta duplici ordinationis parte significatum; Vnum est lumina accendere, & deferre, & cum his sacerdoti assistere ad Eucharistiæ sacrificium; Alterum est præparare, porrigere vrceolos cum vino, & aqua ad idem sacrificium peragendum idest vrceolos cum vino, & aqua subdiacono præparare.

De Materia, & Forma subdiaconatus est consimilis dubitatio, quia in Pontificali Romano habetur, quod in ordinatione eius traditur ab Episcopo duplex materia, & profertur duplex forma; Nam tradit primò eis Episcopus calicem vacuum cum patena vacua posita super calicem, quam tangit manu dextera, & dicit illa verba, *Videte cuius ministerium vobis traditur, &c.* posteà tradit eis Epistolarum librum dicens *Accipite librum Epistolarum, & habete potestatem legendi eas &c.* est ergo dubium, quænam illarum sit materia & forma essentialis; In qua dubitatione pariter tres sunt opiniones duæ extremæ, & vna media. Prima opinio extrema asserit materiam propriam, & essentialem huius ordinis esse solam traditionem calicis vacui, & patenæ sine hostia, & consequenter formam esse verba correspondentia illi materiæ superius adducta; fundamentum est, quia ità determinatum videtur in Concilio Cartag. 4. *cap. 5.* vbi dicitur *Subdiaconus cum ordinatur, quia manus impositionem non accipit, patenam de manu Episcopi accipiat vacuam, & calicem vacuum*; ac etiam in Concil. Florent. *sess. vlt.* vbi dicitur, *Subdiaconatus confertur per calicis vacui cum patena vacua superposita traditionem*. Accedit ratio quoque quia hæc materia, & forma immediatius ordinatur in Eucharistiam conficiendum, quàm liber Epistolarum, ac eius traditio, & lectio, qui est actus magis remotus subdiaconi, & minus perfectus, vt etiam dixit Doctor *d. 24. cit. art. 2.* in fine, ità Valentia, Vasquez, Coninchius, Sanchez, Bernal, Laiman, Faber ex nostris, & Brancatus *tom. 3. disp. 6. art. 2.* & plures alij Summistæ. Opposita sententia docet materiam huius sacramenti, & ordinis consistere solùm in traditione libri Epistolarum, eiusque formam in verbis eis correspondentibus; Ratio est, quia eodem modo pertinet ad subdiaconum tempore sacrificij cantare, vel legere Epistolam, sicut ad Diaconum legere Euangelium, atqui hic ordinatur per huius traditionem; ergò ille ordinabitur per Epistolarum traditionem; Tùm quia ab initio Ecclesiæ subdiaconi vasa sacra tangere non poterant, vt multi colligunt ex Concilio Laodiceno can. 21. ergò illa nequeunt ad materiam huius ordinis proprium, & essentialem pertinere; ità Viguerius, Filliucius, & alij Summistæ.

Media tamen sententia magis placet, quæ materiam subdiaconatus constituit in traditione calicis vacui, & patenæ vacuæ, & simul in traditione libri Epistolarum; formam verò in verbis, quibus vtraque traditio fit ab Episcopo; ita Hurtad. Caspensis, Poncius, Auersa, & alij. Ratio est, quia his omnibus exprimitur officium subdiaconi v. gr. ad solemnitate canendum Epistolam, & ministrandum sacerdoti vasa corporis, & sanguinis Domini; Nec obstat, quod in Concilijs citatis tradirio libri Epistolarum expressa non habeatur, quia non ob id eam excludunt, sed potius supponunt, satisque est hanc quoque partem materiæ haberi in Pontificali Romano; imò in alijs quoque ordinibus additur aliqua pars, quæ in illis Concilijs expressa non est, vt videbimus; Ob illorum tamen auctoritatem, & ob præeminentiam Ministerij ad sacrosanctum sacrificium propinquioris dici poterit ordinationem subdiaconatus magis principaliter consistere in traditione calicis cum patena vtpotè, quæ maximam habet proportionem cum institutione, & exercitio huius ordinis ad ministerium Eucharistiæ; imò effectum gratiæ, & characteris in hac

hac parte materiæ conferri; adhuc tamen traditionem libri Epistolarum per se, & intrinsecè ad integritatem, & constitutionem huius ordinis spectare, licet minus principaliter.

Neque etiam rationes pro secunda sententia extrema conuincunt, vt sola traditio libri Epistolarum sit huius ordinis materia, & excludenda sit traditio calicis cum patena; Falsum namque est ab initio Ecclesiæ fuisse subdiaconis interdictum vasa sacra tangere simpliciter, & absolutè loquendo, sed in Concil. Laodiceno cit. solum fuit eis vetitum tangere, & deferre sacra vasa, quando continent corpus, & sanguinem Christi; numquam tamen fuit eis interdictum tangere sacra vasa vacua, sed semper id fuit eis licitum, vt habetur ex Concil. Bracarensi cap. *Non liceat* 23. *dist.* Neque paritas assumpta de Diacono tenet in omnibus, sed solùm conuincit, quod sicut Diaconus fit per traditionem libri Euangeliorum cum suis verbis ex Florentino, vt mox patebit: ità pariter subdiaconus per traditionem libri epist. fieri debet cum suis verbis, sed non conuincit, quod per istam tantùm fieri debeat, sicut fit Diaconus vt communior sententia tenet de quo posteà.

Et ex his demum patet præcipuum subdiaconi officium esse, vt ait Doctor *dist. 24. cit. quæst. vnic. art. 2.* in fine, sacra vasa calicem, scilicet, & patenam ad vsum sacrificij præparare, & ad altare deferre, & quoniam Diaconus est, qui proximè sacerdoti in Missæ sacrificio ministrat, officium subdiaconi erit ipsi Diacono immediatè ministrare, eique dicta vasa offerre, quia ea præbeat Sacerdoti; Deindè eius quoque officium erit, licet minus præcipuum, Epistolam in Missa solemniter canere, prout Ecclesiæ, ritus obseruat; & hoc expresse illi committitur in traditione libri Epistolarum.

41 De Materia pariter, & Forma Diaconatus est inter Scholasticos dissidium, & tres etiam sunt opiniones duæ extremæ, & vna media. Prima extrema docet eam essentialiter consistere in sola traditione libri Euangeliorum, & verbis ei correspondentibus; *Accipe potestatem legendi Euangelium &c.* Fundamentum est, quia de hac solum traditione fit mentio in Conc. Florent. *sess. vlt.* dum inquit, quod *Diaconatus confertur per libri Euangeliorum dationem.* Deindè quia Gregorius Nonus cap. *Presbyter* de sacramentis non iterandis videtur expresse manuum impositionem exclusisse, quæ fit in ordinatione Diaconi, vt potè quæ fuit ab Apostolis introducta, & non a Christo instituta. Tandem quia illud est solùm de essentia alicuius ordinationis, per quod traditur ordinato certum aliquod officium; sed hoc in ordinatione Diaconi fit per solam traditionem libri Euangeliorum, & dicta verba, ergò hæc sola sunt de eius essentia; ità Valentia, Vasquez, Sanchez, Nugnus, Caspensis, Hurtadus, Diana, Faber ex nostris Brancatus *disput. 5. art. 5.* & quamplures Summistæ. Alia sententia extrema putat è contrà eam essentialiter consistere in sola manuum impositione cum verbis illi correspondentibus *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* & expresse excludit traditionem libri Euangeliorum. Fundamentum est, quia in Conc. Cartag. 4. cap. 4. fit solum mentio impositionis manuum. Deindè, quia olim in Ecclesia Aniciensi, in qua Durandus fuit Episcopus non solebat Ordinando tradi liber Euangeliorum. Tandem, quia cum ab Ecclesiæ initio fuerunt ordinati Diaconi, nondùm erat scriptus Euangeliorum liber; ergo huius traditio non pertinet ad essentiam illius Ordinationis, ità Durandus, Hosius, Becanus, & alij nonnulli, pro qua etiam citatur Scotus à quibusdam eò, quod *dist. 24. art. 2.* in fine dixerit legere Euangelium non esse proprium Diaconi actum.

42 Media tamen sententia etiam in hoc puncto placet, hanc quoque Ordinationem adæquatè in vtraque parte consistere, scilicet impositione manus, & libri Euangeliorum traditione cum suis verbis, quæ in vtraque dicuntur, & ex vtraque ratione compleri integram materiam, ex vtraque prolatione integram formam; ità sentiunt Henriquez, Sanchez, Bellarminus, Lugus, Coninchius, Bernal, Auersa, & alij Recentiores, quæ sententia ex rationibus vtriusque partis fundamentum sumit, cum non aliter conciliari possint; Et quidem de traditione libri id negari non posset, quia Concilium Florentinum hanc expresse ponit, vt materiam, & verba illi correspondentia, tanquam formam; Pro alia etiam parte Concil. Cartag. expresse impositionem manuum assignauit; & cum neutrum ex his Concilijs reijciat id, quod alterum dicit, licet eius mentionem non faciat, vtrumque retinendum est, tanquam, ad vtriusq; Concilij auctoritatem saluandam.

Sed testimonium Concilij Cart. Vasquez, & cum eo Faber noster exponere nituntur, vt non loquatur de substantia Ordinationis, sed solùm de quadam eius solemnitate, & cæremonia, mentemque Concilij fuisse, discrimen ponere inter manuum impositionem, quæ fit in ordinatione Sacerdotis, & eam quæ fit in ordinatione Diaconi, quod in illa non solùm Episcopus, sed etiam alij Sacerdotes assistentes suas imponunt manus; in hac verò solùm Episcopus. Verùm totum hoc sine fundamento dicitur, & contrà expressam Concilij intentionem; quod enim de cæremonia merè accidentali non loquatur, sed de substantia Ordinationis, per quam Diaconus verè ordinatur, patet ex canon. 5. vbi docet ideò dari Calicem Subdiacono, quando ordinatur, quia non accipit manus impositionem, sicut Diaconus: quarè cùm ex hoc capite discrimen assignet inter Diaconi, & Subdiaconi ordinationem, expresse significat eodem modo illum ordinari per manuum impositionem, sicut hic ordinatur per traditionem calicis, & patenæ. Confirmatur, quia cùm Concilium propriam, & essentialem materiam in omnibus alijs Ordinibus etiam minoribus designet, nec aliam pro Diaconatu assignet, quàm manuum impositionem, dicendum est illam assignare voluisse pro materia essentiali, & non tantùm pro cæremonia quadam accidentali, quod & indicant verba Episcopi huic actui correspondentia *Accipe Spiritum sanctum*, cùm enim per modum imperatiui proferantur, effectum habere debent sacramentalem.

Ad fundamentum prioris sententiæ occurrendum est, non per hoc, quod Concil. Florent. impositionis manuum mentionem non fecerit, illam exclusisse; nec mirum, quod eius non meminerit, siquidem ea præcipuè ibi designare intendebat, quæ tanquam instrumenta ad sacra ministeria in conferendis Ordinibus traduntur in manus eorum, qui ordinantur; & facit potissimum in ordinatione Diaconi mentionem traditionis Euangelij, quia statuerat aliquam externam materiam pro singulis sacramentis assignare, quantum fieri poterat. Ad 2. negatur assumptum, nam Pontifex ibi non solùm non exclusit, sed potius requisiuit manuum impositionem, tanquam huic Ordinationi necessariam, & essentialem, sicut & Sacerdotali; quo autem sensu hæc manuum impositio vocetur ibi ritus ab Apostolis introductus, variæ sunt expositiones, vt videri potest apud Coninchium, Bernal, & alios, nec desunt, qui negent ea esse Pontificis verba; quod si semel concedatur, dicendum est Pontificem vocasse ritum ab Apostolis introductum, idest in praxi positum, quamuis non ab ipso Christo seruatum, quando ipsos Apostolos ordinauit; vel quia ex communione Christi facta ad Ecclesiam ipsi Apostoli determinarunt ritum, quo deberet talis ordo conferri. Ad vltimum negatur minor, quia spiritualis potestas Diacono propria ei traditur, non tantùm per traditionem Euangelij, licet per hanc apertiùs significetur, sed etiam per manuum impositionem. 43

Ad fundamentum posterioris sententiæ extremæ pariter respondetur, quod sicut Florentinum exprimendo solum traditionem libri Euangeliorum non ob id intendebat excludere manuum impositionem, vt modò dictum est; ità neque Conc. Carthag. hanc solam exprimendo illam excludere intellexit, quia neutrum ex ijs Concilijs reijcit, quod alterum dicit, licet eius mentionem non faciat, & ideò vtrumque retinendum est. Ad 2. minimè dubitandum est in vniuersali Ecclesia ritum hunc tradendi librum Euangeliorum semper fuisse seruatum, licet aliqua Ecclesia particularis pro aliquo tempore circà hoc errare potuerit, & auctoritas præsertim illius Ecclesiæ Aniciensis, cuius Durandus ipse fuit Episcopus, non est tanta, vt nos mouere, vel turbare debeat, vt inquit Coninchius. Ratio est, quia mos est, ac laudabilis summorum Pontificum consuetudo ad tollendam Religiosorum ambitionem, ac eorum humilitatem seruandam, dùm Episcopalem dignitatem extrà claustra quærunt, vel eam non concedere, vel solum in Ecclesijs infimi ordinis; vndè talem esse illam censeo, cui Durandus præfuit Religiosus ex Ordine Prædicatorum assumptus. Ad 3. respondent aliqui, quod licet ab Ecclesiæ initio conscriptus non fuerit integer Euangeliorum liber, poterat esse, vt in cartis quibusdam descriptæ essent aliquæ partes, siue aliqua mysteria fidei, quæ vtique habuissent eandem vim, & nomen Euangelij, & ad hanc ordinationem sufficiebant; Alij dicunt Christum initio dispensasse cum Apostolis, vt possent hunc Ordinem conferre sine traditione libri Euangeliorum. 44

Melius

45 Melius tamen respondetur ex communi doctrina iam tradita ab initio quęstionis *num.*36.cum Bellarmino, Coninchio, Marchino, Auersa, & alijs, quod sicut Christus externam peccatorum confessionem instituit determinatè materiam pænitentiæ, nùm autem hæc facienda sit verbo, vel scripto, aut alijs signis sensibilibus non determinauit, sed Ecclesię determinandum reliquit; & materiam, & formam matrimonij instituit consensum contrahentium externis verbis, vel alijs signis expressum, hæc autem signa in particulari non determinauit, sed ea communi vsui, & contrahentium voluntati reliquit; item formam cuiusq; Sacramenti instituit in genere verba, quæ actionem conferentis significarent v. g. talem hic, & nunc à baptizante ablui in nomine Patris &c. ipsa autem verba in particulari, & indiuiduo talem actionem exprimentia non instituit, sed hæc reliquit communi loquentium vsui in proprio idiomate; siquidem ad illam eandem actionem significandam alia adhibet verba Grecus, alia Latinus, alia Gallus, Italus, & Hispanus in propria vernacula lingua; Sicut inquam, dicta signa in matrimonio, & pænitentia, & verba in alijs formis sacramentorum instituit quidem determinata secundum rationem suam formalem, seu significationem, quatenus determinatè talia esse voluit, vt certam rem determinatè significarent, indeterminata tamen secundum esse materiale; ita pariter instituit materiam huius Ordinis in impositione manuum episcopi, & traditione alicuius rei, qua Diaconi officium designaretur; quænam autem res in indiuiduo tradi deberet, hoc determinationi Ecclesiæ reliquit; ità quod partialem hanc materiam Diaconatus instituit secundum rationem formalem determinatam, qua scilicet determinatè significaretur hic, & nunc per talem actionem tribui Ordinato certam potestatem Ecclesiasticam; indeterminatam tamen secundum esse materiale quatenus in potestate Ecclesiæ reliquit per traditionem huius, vel illius rei collationem huius potestatis significare. Et per hanc doctrinam facilè conciliantur ritus diuersi Ecclesiæ Latinæ, & Gręcæ in Ordinibus conferendis, vtraque enim confert Ordinationem per signum sensibile, & verba, quæ optimè collationem Ordinis significant, quarè vtraq; validè conficit, & vtraque seruat formaliter loquendo materiam, & formam à Christo institutam, licet materialiter signis diuersis vtatur; Quemadmodum disp. præc. dicebamus Græcum in fermentato consecrantem, & Latinum in azimo, vtrumq; verè seruare materiam à Christo institutam pro sacramento eucharistiæ, scilicet panem, Christus enim non determinauit hunc, nec illum, sed panem absolutè loquendo, siuè sit azimus, siuè fermentatus; nec vinum album, vel nigrum, sed vinum, quodcunque esset; & denique per hanc doctrinam latè, & eruditè ritus vtriusque Ecclesiæ conciliat Petrus Arcadius de Concordia Ecclesiæ Occidentalis, & Orientalis in sacramentorum administratione *l.6.cap.*4. de quo videri potest Card. de Lugo *disp.2.de sacr.in genere sec.*5. vbi latè agit de hac re.

46 Denique ex dictis patet Diaconatus duos esse præcipuos actus, vel officia; Primum est ministrare materiam ad conficiendam Eucharistiam, & dispensare corpus, & sanguinem Christi; Alterum verò est Euangelium legere, siuè canere inter Missarum solemnia; prior tamen actus est nobilior, inquit Scotus *dist.24.cit.art.*2.in fine, quia immediatius ordinatur ad Eucharistiam conficiendam in ordine ad quam iam suprà dictum est ordines distingui, & alios dici Maiores, alios verò Minores; legere autem Euangelium est actus remotior; Quamuis autem dicat tibi Doctor hunc actum esse minus proprium, & minus principalem Diaconatus, non ob id negare voluit materiam Diaconatus esse quoq; traditionem libri Euangeliorum saltem partialem, vt ei tribuit Scoto 4.*dist.*24.*quest.*1.*art.*3. sed tantùm significare voluit priorem esse præstantiorem eo quia immediatius ordinatur ad Eucharistiam conficiendam, vt satis ibi se declarat; qua etiam ratione Auctores adæquatè materiam huius Ordinis constituentes in vtraq; parte iam assignata, scilicet impositione manus, & traditione libri Euangeliorum, & vtramq; faciunt de substantia huius Ordinationis, præferunt impositionem manus, libri verò Euangaliorum traditionem faciunt partem minus principalem; vndè consequenter volunt in illa priori parte conferri gratiam, & imprimi characterem, adhuc tamen addi vlterius debere libri traditionem.

d

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Materia, Forma, & Officio Presbyteratus & Episcopatus.

Circà materiam, & formam Presbyteratus conueniunt omnes materiam esse signa illa sensibilia, quæ in susceptione Ordinis Sacerdotij adhibentur, & formam esse verba illa, quæ ab episcopo proferuntur, vt habetur in Pontificali Romano, simul cum porrectione materiæ, seù signorum illorum sensibilium. Verùm cùm hæc materia in Sacerdotio sit duplex, scilicet porrectio calicis, & patenæ cum hostia, & impositio manus episcopi super Ordinandum, & verba quoque quæ ab episcopo proferuntur, dùm porrigit calicem, & patenam cum hostia, sint diuersa à verbis, quæ ab eodem proferuntur, cum manus super ordinandum imponit, & diuerso tempore fiant, quæstio est inter Doctores, an sola porrectio calicis cum vino, & patenæ cum hostia sit materia sufficiens, & essentialis, & verba illa, quæ tunc ab episcopo proferuntur, *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, missasque celebrandi, tam pro viuis, quàm pro defunctis in nomine Domini.* An verò etiam impositio manus sit materia necessariò requisita, vt de essentia, & simul etiam verba ab episcopo prolata, dùm manus imponit sint de essentia formæ scilicet, *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata remittuntur eis, & quorum retinueris, retenta sunt.* 47

In qua controuersia tres sunt sententiæ, duæ extremæ, & vna media. Prima extrema censet materiam essentialem huius ordinationis esse solam impositionem manuum episcopi, formam verò esse verba illi correspondentia, *Accipe Spiritum sanctum &c.* Ratio est, quia huius tantùm fit mentio in Concil Carthag.4.*cap.*3. Secunda extrema docet totam essentiam Ordinationis huius constare in traditione patenæ cum pane, & calicis cum vino, & verbis illis *Accipe potestatem offerendi sacrificium &c.* impositionem verò manus cum verbis formæ correspondentibus non esse de essentia, & substantia Ordinis Sacerdotalis, sed esse sacramentalia, quæ sunt adhibenda ratione præcepti, non verò, quia sint de essentia; hæc est satis communis apud Summistas, quam tenent Syluester, Angelus, Bonacina, Diana, Valentia, & ex nostris Faber *disp.1.cit.quest.1.cap.*4. tanquam probabiliorem de mente Doctoris.

Media sententia communior, & tenenda asserit Sacerdotis ordinationem adæquatè consistere, tùm in traditione patenæ, & calicis cum pane, & vino, tùm in illa impositione manuum, quæ fit à solo episcopo post hanc traditionem, atq; adeò integram materiam esse hanc traditionem, & impositionem, integram verò formam esse verba, quæ in vtroque actu ab ordinante proferuntur. Hanc tenent communiter Recentiores Bellarminus, Vasquez, Coninchius, Bernal, Auersa, Ledesma, Sanchez, Marchinus, Filliuccius, Layman, & ex nostris Brancatus *tom.* 3.*disput.*6. *art.* 8. & alij quamplures, quam ex Scoto acceperunt 3.*dist.*24.*q.vn.* *art.*3. vbi conceptis verbis eam docuit, dùm inquit, in sacerdotio videri probabile, quod ibi sint duæ formæ partiales, in quarùm altera confertur potestas conficiendi eucharistiam, in reliqua potestas absoluendi in pænitentia, & istis coniunguntur duæ materiæ, hoc est duo signa visibilia propria, formæ primæ traditio calicis, & patenæ cum hostia, *Accipe potestatem celebrandi &c.* secundæ formæ impositio manus episcopi super caput, *Accipe Spiritum Sanctum*, vt sic episcopus concorditer agat cum summo episcopo Christo, qui prius contulit potestatem Apostolis tam conficiendi, quàm absoluendi. Et falsum omninò est, quod inquit Faber *l.c.* quod Scot.4.*d.*19.*art.*3. secundam sententiam iudicauerit probabiliorem, nimirum hanc ordinationem consistere solùm in traditione patenæ, & calicis cum pane, & vino, & verbis, quæ tunc ab episcopo proferuntur, & hanc esse sufficientem, & integram materiam, & formam. 48

Hoc inquam falsum est, nam potius Doct. in oppositum significat expressis verbis, dùm inquit *lit.G.* quod vtraque potestas, scilicet, in corpus Christi verum, & misticum committitur cuilibet Sacerdoti adminus completè ordinato, & addit, quod si prius tempore datur sibi auctoritas celebrandi, quàm absoluendi, non est tamen perfectè ordinatus quantùm ad vtramque auctoritatem; & tandem con-

concludit, quod vtraque potestas integrat totum ordinem sacerdotij, atque ideò sacerdotis ordinationem tam in traditione panis, & vini, quàm in impositione manuum cum suis verbis adequatè consistere.

49 Ex qua Scotista doctrina Recentiores vnicum assertionis huius fundamentum delumpserunt, vt discurrit Bernal. *disput.47.sect. 5.* nam in Sacerdotio perfecto duplex reperitur potestas, vna est in corpus Christi naturale, & physicum, qua quis constituitur potens Eucharistiam consecrare; altera est in corpus Christi misticum, seù morale, qua quis potest peccata Christianorum remittere, & sacramenta pœnitentiæ, atque extremæ Vnctionis ministrare; & vtraque potestas formaliter pertinet ad eundem ordinem Præsbyterij, quoniam illa prior sine ista posteriori est quasi essentia sine prima proprietate, vel quasi pars substantialis essentiæ sine comparte; & ista posterior præsupponit illam priorem in subiecto necessitate ordinis, & illi est annexa iure diuino; si ergò hæ duæ potestates sunt ità essentialiter connexæ necessitate ordinis, & de iure diuino, falsum est manuum impositionem, per quam traditur secunda potestas, esse cæremoniam tantùm accidentalem, & necessariam solùm necessitate præcepti, quia non est perfectè, & completè sacerdos, qui vtramque potestatem non habet.

Respondet Faber, sacerdotem aliquem non esse perfectè ordinatum posse duobus modis intelligi, vno modo quod non habeat perfectam, & essentialem ordinationem sacramentalem; & hoc modo falsum est, quod ordinatus per primam formam non sit perfectè ordinatus; Alio modo, quia non habet actu omnem potestatem, quam habent Sacerdotes, & hoc conceditur, sed hoc non est de essentia sacramenti sacerdotij, sed de congruo, & ex ordinatione diuina consequens ad sacerdotium. *Sed* hæc solutio eodem argumento reuincitur, si enim vtraque potestas pertinet formaliter ad eundem ordinem sacerdotij, vt argumentum probat, iam qui vtramque potestatem non habet, nec consequenter habebit perfectam, & essentialem ordinationem sacramentalem; & si ex ordinatione diuina hæc vtraque potestas sacerdoti debetur, vt Faber in sua responsione fatetur, iam impositio manuum, per quam talis potestas confertur, non erit cęremonia tantùm accidentalis, & solùm necessaria necessitate ordinis, & iure diuino; Et planè hoc totum deducitur ex ipsa cæremonia, quia vtitur Ecclesia in sacerdotum ordinatione, qui enim ordinantur habent Casulam à tergo complicatam, donec potestatem accipiant ligandi, atque soluendi, quæ datur per impositionem manuum Episcopi post sacrificium perfectum, & Eucharistiam sumptam, vt notat Vasquez *disput. 239. cap. 5.* volens per hoc Ecclesia significare, quod qui solùm recipit potestatem consecrandi est sacerdos nouæ legis inchoatus, siuè incompletus, donec accipiat aliam absoluendi; & quamuis absolutè loquendo dari possit potestas consecrandi sine potestate absoluendi, non tamen sine ordine ad istam, hæc enim essentialiter supponit illam priorem, & principalem, & gratia per vtramque confertur, quid autem de charactere sacerdotali dicendum sit patebit postea.

50 Deindè hanc ordinationem verè consistere in traditione patenæ, & calicis cum pane, & vino, & in verbis, quæ tunc proferuntur, definitum est in Concilio Florentino in literis Eugenij. & colligitur ex ipso modo, quo Christus Apostolos ordinauit in Sacerdotes præbendo eis in nocte cœnæ panem & calicem consecratum, ac dicendo, *hoc facite in meam commemorationem*, & similis prorsus est modus, quo nunc in Ecclesia sacerdotes ab Episcopo ordinantur; De impositione verò manuum constat etiam ex Concil. Carthag. citato pro prima sententia, cùm inquit *Presbyter cum ordinatur Episcopo eum benedicente, manum super eius caput tenente, &c.* vbi tamen non declarat impositionem manuum esse materiam totalem huius Ordinis, vt illa sententia asserebat: idem habetur in Concilio Moguntino *cap. 35.* cùm dicitur *Collatio Ordinum cum impositione manuum, veluti visibili signo traditur*; & hoc etiam ex ipso facto Christi deducitur in ordinandis Apostolis separatim enim illis contulit potestatem consecrandi, & potestatem absoluendi, priorem quidem in nocte Cœnę, dùm dixit *Hoc facite in meam commemorationem*, alteram verò post resurrectionem, quando dixit Io. 20. *Accipite Spiritum Sanctum quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, quem ipsum modum in sacerdotibus ordinandis Ecclesia seruat, priorem enim partem peragit Episcopus antè consecrationem, alteram verò in fine Missæ & per vtramque perficit totam ordinationem sacerdotalem. Hoc idem deducitur ex Concilio Tridentino nam *sess.* 14. cap. de extrema Vnctione definit, Ministrum extremæ Vnctionis esse Episcopum, aut Presbyterum ritè ordinatũ per manuum impositionem, & sess. 23. can. 4. de sacramento ordinis habet hæc verba *si quis dixerit per sacram ordinationem non dari Spiritum Sanctum, & proindè Episcopum frustrà dicere, accipe Spiritum Sanctum, anathema sit*, vbi Concilium declarat tunc ordinari Presbyteros, & tunc eis gratiam Spiritus Sancti communicari, cùm eis dicitur, accipite Spiritum Sanctum, at hoc dicitur, quando manus ab Episcopo imponuntur, vt patet ex Pontificali Romano. Hoc tandem probatur auctoritate Patrum, nam D. Ambrosius lib. de dignitate Sacerdotali capit. 5. dicit hac cæremonia perfici ordinationem *Homo manum imponit, & Deus largitur gratiam*, Hieronymus in cap. 58. Isaiæ inquit *Ordinatio non solùm ad imprecationem vocis, sed etiam ad impositionem manuum completur*, & D. August. lib. de gestis cum Emerito, & alibi ait *manus impositione ordinari sacerdotes*, quæ testimonia nequeunt esse clariora, passim enim à Patribus, & Concilijs sacramentum ordinationis appellatur impositio manuum, ac etiam à Paulo Apostolo, vt patet per Timoth. 4. & 2. Timoth. 1. vbi ait *Admoneo te, vt resuscites gratiam, quæ in te est per impositionem manuum mearum.*

Respondet Faber loco citat. quod a Patribus, & Concilijs sacramentum ordinationis appellatur impositio manuum, & etiam à Paulo Apostolo, quia præsertim adhibebant hanc cæremoniam in collatione ordinis, nam cùm ordo sacerdotalis sit præcipuum munus in Ecclesia, & manuum impositio sit quædam oratio magni momenti cum ieiunijs, & magna pietate, ac deuotione coniuncta; illa præsertim adhibebatur in collatione huius sacramenti; hæc tamen non erat de essentia sacramenti ordinis; sed cæremonia quedam accidentalis, & quia præsertim in tali actione sacramentali cõferendi ordines hæc cærimonia adhibebatur, ideò frequenter Scriptura, & Patres appellant sacramẽtum ordinis manuum impositionem. Neque ob id, inquit Faber, illa verba secundæ formæ *Accipe Spiritum Sanctum* sunt falsa, licet enim per illam non detur gratia sacramentalis, quæ solum confertur per prolationem primæ formæ; adhuc tamen confertur potestas absoluendi à peccatis, quæ perficit potestatem sacerdotalem modo ab eodem explicato in eius prima responsione iam adducta. 51

Sed cum omnes antiqui Patres Ordinationem vocent manum impositionem dicere, quo semper loquantur de cæremonia aliqua accidentali, videtur omninò incredibile, vt benè ait Coninchius, præsertim cùm quoties hoc sacramentum explicant, semper recenseat manuum impositionem, tanquam aliquid, quod in ea ferè primarium locum obtineat, & alterius cæremoniæ vix meminerint. Deindè, si per hanc manuum impositionem gratia nõ datur sacramẽtalis, vt ait Faber, planè nullus remanet Scripturæ locus, nec Patrum testimonium, quo probare possimus eam per hoc sacramentum conferri, quia & Scripturæ, & Patres, & antiquiora Concilia, dùm dicunt per Ordinationem gratiam conferri, communiter dicunt eam per manuum impositionem conferri, vt constat ex testimonijs adductis; quarè fatendum est Ordinationem sacerdotis duabus partibus prædictis constare ad eius perfectionem essentialem spectantibus, & per vnamquamque conferri non solùm nouam potestatem, sed etiam gratiam sacramentalem, quod planè deducitur ex ipso modo, & verbis quæ dicuntur in manuum impositione *accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, &c.* Hic enim ex modus efficax verborum, non solum ad præbendam potestatem remittendi peccata, sed etiam ad gratiam Spiritus Sancti conferendam, ergo id In hac parte verè perficitur, & hæc pars rationem huius sacramenti, & ordinis verè participat, & non est tantùm cæremonia quædam accidentalis.

Ex his patet primaria, & præcipua Sacerdotis officia, quæ ei de iure diuino, & ex vi suæ institutionis conueniũt, & quę sũt ei ità propria, & annexa, vt nec licitè, nec validè exerceri possint ab alio quocunque non ordinatio Sacerdote, patet, inquam, hęc esse consecrare panem, & vinum in corpus, & sanguinem Christi, siuè offerre hoc sacrificium quod in lege Euãgelica est vnum, & singulare; Item à peccatis absoluere, quod est sacramentũ pœnitentię ministrare; demũ pręberè etiã extremæ Vnctionis sacramẽtum; Alia quædã minus præcipua addi solent, quæ in Pontificali videri possunt.

Sed

52 Sed instant Auctores secundæ sententiæ hanc ordinationem consistere solum in traditione patenæ, & calicis cum pane, & vino, & verbis, quæ tunc ab Episcopo proferuntur; quia in Concilio Florentino ab Eugenio Papa hæc sola materia, & forma in hac ordinatione assignatur; Deindè Gregorius Nonus, vt refertur cap. *Presbyter* extrà de sacramentis non iterandis dicit ordinationem Præsbyterorum, & Diaconorum sine manuum impositione factam non debere iterari, sed solummodò cautè supplendum esse, quod per errorem est prætermissum; sed si manuum impositio esset pars materiæ, deberet iterari, quia ordinatio, in qua illa omissa fuisset, non esset sacramentum; & in eodem cap. asserit manuum impositionem esse ritum ab Apostolis introductum. Denique D. Aug. *lib.* 3. de baptismo contrà Donatum *cap.* 16. loquens de manuum impositione in sacramento Ordinis apertè ait, manus impositionem, per quam Spiritus Sanctus datur, esse reiterabilem, sic enim loquitur in fine illius capitis, *manus autem impositio non sicut baptismus repeti non potest, quid enim aliud est, nisi oratio super hominem*, at sacramentum ordinis est irreiterabile, quarè si manuum impositio esset de essentia sacramenti, iteranda non esset; quia auctoritate ait Faber se conuictum pro secunda sententia.

53 Respondeo testimonium Concil. Floren. non sufficienter probare hanc ordinationem in sola traditione panis, & vini consistere, nec nominando hanc traditionem locutum est exclusiuè de manuum impositione, cùm Florentinum supponat Carthaginense Concilium, & Ecclesiæ ritum in Pontificali Romano, in quibus additur manuum impositio, vt de essentia ordinationis.

Ad secundum negatur minor, nam cùm non debeat iterari materia, & forma antè applicata, sed applicari de nouo materia, & forma omissa; quamuis illa sit essentialiter requisita, non debet iterari ordinatio, sed addi pars omissa; vndè potius supponebat Pontifex eam partem esse de substantia ordinationis, cùm iubeat eo modo suppleri debere; solùmque dicere voluit non debere suppleri, & iterari reliquum, quod fuerat sufficienter, & ritè per actum; quo autem sensu Pontifex ibidem vocet manuum impositionem ritum ab Apostolis introductum iam explicatum est *artic. praeced. num.* 43.

Ad tertium duplex manuum impositio in prædicta ordinatione distingui debet, vna quæ fit ab Episcopo, & à Sacerdotibus adstantibus antè consecrationem Eucharistiæ nullis prorsus verbis adhibitis, sed omnibus silentibus; altera verò est, quæ fit à solo Episcopo post communionem adhibitis illis verbis, *accipite Spiritum Sanctum*, quam solam hic dicimus ad essentialem materiã huius ordinationis pertinere; quando itaque ait August. *loc. cit.* manuum impositionem esse reiterabilem, & consequenter ad essentialem materiam huius ordinationis non pertinere, loquitur de prima manuum impositione, non de secunda; imò de illa quoque inquit Vasquez *disput. cit.* 239. *cap.* 6. in fine intelligendum esse cap. illud *Presbyter*, quàm meritò præcipit suppleri, cùm fuerit omissa, nulla alia cæremonia repetita ex his, quæ adhibitæ fuerint in ordinatione Sacerdotis.

54 Deindè arguunt ratione, quia Sacerdotes tunc fiunt, cùm eis dicitur, *accipite potestatem offerendi sacrificium*; sed tunc non imponuntur manus, sed tantum porrigitur calix cum vino, & patena cum pane; ergo manus impositio, quæ deindè post peractum sacrificium, & communionem fit ab Episcopo, non pertinet ad essentiam ordinis sacerdotalis; Maior probatur, quia Sacerdos, vt sic, constituitur potestate offerendi sacrificium, & Apostoli facti fuerunt Sacerdotes in vltima cœna à Christo, dùm in illa data fuit eis potestas offerendi sacrificium Eucharistiæ per illa verba, hoc facite in meam commemorationem, tùm quia per illam manuum impositionem non constituitur propriè Sacerdos ad sacrificandum, sed potius Iudex ad absoluendum.

Confirmatur, quia noui ordinati post traditionem patenæ cum pane, & calicis cùm vino missam faciunt cum Episcopo priusquam manus ipsis imponatur; ergo antè manuũ impositionem sunt perfectè Sacerdotes. Denique quia ex vna parte inconueniens esset dicere, characterem sacerdotalem non imprimi, potestatem, & gratiam non conferri, nisi vsque ad impositionem manuum, quia sic tolleretur vis, & veritas priorum verborum, *accipe potestatem offerendi sacrificium*. Ex alia parte inconueniens esset dicere his quidem verbis statim imprimi characterem, & conferri, gratiam, & potestatem, ad sacrificandum, & consecrandum, non autem ad absoluendum, quia sic diuideretur gratia, & potestas Sacerdotis; & si Episcopus inter ordinandum post traditum calicem, & verba correspondentia moreretur antè manus impositionem, sequeretur ordinatum non habere potestatem remittendi peccata, nec satis definiri posset, qualis remaneret Sacerdos, si quando post illam partem prætermissa fuisset impositio manuum cum alijs verbis, Aut si in vtraque parte conferatur distincta potestas, & distincta gratia, esset duplex sacramentum, & duplex ordo.

Respondetur, argumentum illud concludere solùm, potestatem consecrandi perfectè conferri independenter à potestate remittendi peccata, per illa verba, *accipe potestatem offerendi sacrificium*; non autem perfectè, & completè conferri Ordinem Sacerdotij, quia pars essentialis eiusdem Sacerdotij est potestas illa iudiciaria ad absoluendum, & ideò rectè dicitur etiam ratione huius partis constitui, & ordinari Sacerdotem per manus impositionem; ideoque suprà dictum est, quod quando ab initio consecrationis solùm recipit potestatem consecrandi per traditionem panis, & vini, est Sacerdos nouæ legis inchoatus, & incompletus, ideoque qui ordinantur habere casulam à tergo complicatam, donec alteram accipiant potestatem absoluendi, quæ datur ab Episcopo per manuum impositionem post Eucharistiam sumptam, & sacrificium perfectum. 55

Ad Confirmationem patet per idem, probat enim solùm potestatem consecrandi perfectè conferri independenter à potestate absoluendi, quia non solùm prius absolutè confertur ordinato, sed hic etiam ea vtitur consecrando cum Episcopo, priusquam alteram accipiat, adeo quod potestas absoluendi essentialiter pendeat à potestate consecrandi, non autem è contrà.

Ad vltimum, qualiter, & quando conferatur effectus gratiæ, & characteris, ac potestatis in hac ordinatione declarat Doctor 4. *d.* 19. *q.* 1. *art.* 3. *sub lit. G.* vbi duos assignat dicendi modos; primò dicit, quod sicut sunt duæ potestates, ità duo characteres, & vterque imprimitur in signo proprio sensibili significante illud inuisibile, vtporè primus in datione calicis cum illis verbis, accipe potestatem celebrandi &c. Secundus in impositione manuum cum illis verbis, accipe Spiritum sanctum &c. & iuxtà hunc modum dicendum est, quod vtraque potestas est quidam character, sed illi duo integrant totum ordinem Sacerdotij. Addit deindè, quod si non placet tot characteres ponere correspondentes vni ordini sacerdotali, potest dici, quod per vnum characterem sacerdotalem habet quis potestatem conficiendi corpus Christi, & per hunc disponitur de congruo ad habendam potestatem super corpus Christi misticum ligandi, & soluendi, & sic character sacerdotalis est dispositio ad istas claues; Ità Doctor *loc. citat.* iuxtà quam doctrinam dicendum est statim in ipsa traditione panis, & vini cum suis verbis confert potestatem consecrandi, & sacrificandi, atque adeò characterem sacerdotalem ad hoc perficiendum, & similiter dicendum est tunc infundi gratiam, quæ in singulis sacramentis confertur, nam tunc omnia requisita ad hos effectus interueniunt, & illa verba sunt per se efficacia, ac statim operatiua; Deindè addendum est, in impositione manuum cum suis verbis conferri potestatem absoluendi à peccatis, & ministrandi sacramentum extremæ Vnctionis, quod est aliud remedium ad remittenda peccata, siuè hoc fiat per distinctam quandam partem characteris sacerdotalis iuxtà primum dicendi modum, siuè per extensionem prioris characteris iam impressi iuxtà alium dicendi modum, vt valeat ad operandum hunc alium effectum remissionis peccatorum; quodcunque enim dicatur parum refert, quocunque enim modo res se habeat, semper fatendum est, quod si quis Sacerdos ordinatus fuisset tantùm per traditionem panis, & vini absque impositione manuum cum suis verbis, posset quidem validè consecrare, non tamen absoluere, nec etiam ex quacunque Ecclesiæ commissione, quia ei deesset potestas ordinis, quæ non potest aliundè suppleri, & potestas illa iurisdictionis, quæ etiam requiritur ad validè absoluendum, Ordinis potestatem omninò supponit, quod totum etiam adnotauit Auersa *quæst.* 2. *sect.* 8. ex Scoti doctrina *loco citato*. De effectu demum gratiæ sanctificantis in hac ordinationis parte, nempè manuum impositione, dici potest, sicut 56

ficut de duplici specie sacramenti dictum est *disp. præc. quæst. 17. art. 2. num. 407.*

57 Denique circà materiam, & formam Episcopatus Doctores communiter conueniunt, hanc ordinationem essentialiter, & adęquatè consistere in manuum impositione, tanquam materia, cum verbis, quæ in illa dicuntur, tanquam forma scilicet, *Accipe Spiritum Sanctum*, quæ etsi sint verba generalia, hic, & nunc denotant apostolicam dignitatem, qua creatus Episcopus in ecclesia præfulget; ità Bellarminus, Vasquez, Laiman, Auersa, Caspensis, Bernal, & alij passim; & ita quidem sumitur ex Scriptura, vbi Apostolus ordinationem Timothæi nominabat per manuum impositionem, & eodem modo antiqui Patres locuti sunt nominantes consecrationem Episcopalem per manuum impositionem; Ex quo deducitur vnctionem capitis, & manuum, & verba illa *Vngatur, & consecretur caput tuum cælesti benedictionem &c.* ad essentiam huius ordinationis non pertinere, quia id etiam videmus in multis cæremonijs Baptismi, Presbyteratus, &c. quæ solummodò sunt sacramentalia, non sacramenta, neque partes sacramenti essentiales; Vbi etiam nota Episcopum ab Episcopo ordinari debere, non ab inferiore simplici Sacerdote, immò à tribus Episcopis eius consecratio fieri debet, saltem iure Ecclesiastico.

Officia verò Episcopo propria, quædam consistunt in ministerio eorum sacramentorum, quæ peculiariter ad Episcopum spectant, & iure diuino illi competunt, & ex institutione ipsa Christi, nimirum conferre sacramentum Confirmationis; conferre sacramentum Ordinis; item benedicere, & consecrare ipsum Chrisma, quod est materia confirmationis, ac tandem benedicere, & consecrare oleum infirmorum pro sacramento extremæ Vnctionis. Quædam verò consistunt in quibusdam alijs benedictionibus, & consecrationibus, quæ peculiariter ad Episcopum spectant iure Canonico, & ecclesiastico, quia sunt ritus ab ecclesia instituti, tanquam cæremoniæ quædam, & solemnitates ecclesiasticæ, vt benedicere, & consecrare templa, & altaria, & vasa ad sacrificium Eucharistiæ deseruientia, scilicet, calicem, & patenam; campanas quoque pulsantes ad diuina Officia, Virgines, & Moniales tanquam Christi sponsas, qui omnes sacri ritus in Pontificali latè describuntur.

ARTICVLVS TERTIUS.

De Effectu cuiuscunque Ordinis.

58 NOn agitur de effectu gratiæ, quem confert sacramentum Ordinis in ratione sacramenti, vt sic, sed de effectibus particularibus alijs cuiuslibet Sacramenti ordinis in particulari; pro quo supponendum est Sacramentum ordinis conferre characterem, vt definitum est in Concil. Trid. *sess. 23. cap. 4. & can. 4.* de ordine, quod etiam constat ex dictis disput. de sacramentis in genere, & ex communi sensu ecclesiæ docentis sacramentum ordinis iterari non posse magis, quam baptismi, & hoc quidem ex impressione characteris indelebilis prouenire, vt est communis doctrina; Hoc autem supposito nonnullæ difficultates in hoc puncto occurrentes sunt breuiter discutiendæ.

Prima difficultas est, an omnis ordinatio imprimat characterem; Negant Vasquez, & alij, qui existimant aliquos ordines non esse sacramenta; Affirmant, qui cum D. Thoma, & Scoto tenent oppositum, iuxtà quam sententiam consequenter affirmandum est, quodlibet ex dictis ordinibus characterem imprimere; Et hæc est communior, & probabilior sententia, quæ satis patenter deducitur ex Concil. Trident. cit. vbi cùm absolutè dicat sacramentum ordinis characterem imprimere, & loquatur de sacramento ordinis, vt sic, consequenter significat, quod id competat cuicunque sacramento ordinis sub eo contento; posita itaque veritate sententiæ, quam suprà secuti sumus, scilicet, singulas ordinationes esse verum sacramentum, & propriè dictum, necessariò etiam dicendum est per singulas characterem conferri.

Confirmatur, quia ex communi Ecclesiæ sensu quodlibet sacramentum ordinis est irreiterabile, ergo quodlibet imprimit characterem, hic enim communiter supponitur esse causa irreiterabilitatis: nam Florentinum in literis Eugenij expressè definit sacramenta nouæ legis gratiam conferre ex opere operato, & ea quæ non possunt repeti, characterem imprimere.

Respondent aliqui oppositum sentientes, quod imprimitur per aliqua ordinis sacramenta, non esse nouum characterem distinctum à charactere ordinis prioris, sed potius quandam illius extensionem; Sed planè hoc totum est gratis, & voluntariè dictum, quia vt ait Poncius *disp. 48. quæst. 3.* non est facilius explicare, & intelligere, quomodo talis extensio fieret, quam quomodo nouus character imprimatur, immò est longè difficilius, nam talis extensio absque impressione alicuius qualitatis in anima concipi nequit, at illa qualitas, qua fieret extensio, omnes vtique conditiones habet ad rationem characteris requisitas, ergo esset character, atq; adeò intelligi nequit fieri nouam extensionem absque nouo charactere, idem tenet, tanquam de mente Doctoris Brancatus noster *tom. 3. disp. 10. art. 3.*

Secunda Difficultas est de connexione ordinum inter se, 59 an, scilicet, ex eorum institutione sint ità connexi, vt character ordinis posterioris necessario præsupponat in ordinato impressionem characteris prioris; & ratio dubitandi est, quia ordines instituti sunt, tanquam gradus; ergo ex ipsa institutione fit, vt non possit ascendi ad superiores, nisi per inferiores. Sed satis constat ex superius dictis, & ex Scoto *dist. 24. cit. art. 4.* connexionem hanc, & gradationem ordinum nequaquam requiri ad validitatem sequentium, nec simpliciter esse de iure diuino, & ex instituto Christi, sed fuisse ab ecclesia tantum iniunctam; vndè nec character sacerdotalis præsupponit necessario necessitate ordinis characteres aliorum ordinum præcedentium, nec vllus ex inferiorum ordinum characteribus præsupponit necessariò vllum ex reliquis; Hoc patet ex ipso iure in cap. vnico de Clerico per saltum promoto, vbi qui omisso Diaconatu fuerat consecratus Sacerdos, non iubetur in Sacerdotem reordinari, sed permittitur in ordine Sacerdotis ministrare, postquam Diaconatum acceperit; quod vtique factum non esset, si impressio characteris sacerdotalis characterem Diaconatus necessariò præsupponeret necessitate ordinis; sed nec vllus alius ex inferioribus characteribus debet necessariò vllum alium ex illis præexigere, quam character Sacerdotij characterem Diaconatus; ergò nullus alium necessariò præexigit.

Hinc similiter aliqui Canonistæ volunt ordinem, & gradum Episcopalem, non ex intrinseca ratione sui, & institutione Christi supponere debere ordinem, & characterem sacerdotalem, sed tantum ex eodem præcepto Ecclesiæ, ita ut si quis non sacerdos ordinetur in Episcopum, valeat hæc ordinatio, nec sit iteranda. Communis tamen, & vera Theologorum sententia est, vt patet ex dictis *quæst. 2. art. 2. n. 35.* Episcopalem ordinationem de ipso iure diuino, & Christi instituto ità supponere sacerdotium, vt absque ipso non valeat, & qui absque sacerdotio in Episcopum ordinatus fuisset, deberet denuò post sacerdotalem ordinationem suscipere Episcopalem; Itaque Episcopatus, quamuis non includat formaliter Diaconatum, includit tamen formaliter, & intrinsecè sacerdotium, vel saltem illud necessariò præsupponit iuxtà dicta superius *loc. c.* ideoq; vocatur absolutè sacerdotium, Ratio autem congrua istius essentialis inclusionis, vel dependentiæ esse potest, quia nemo dare potest id, quod prius in se non habet, vel formaliter, vel saltem eminenter: cùm ergò munus primarium Episcopi sit ordinare sacerdotes, hoc est, vt ait S. Epiphanius, generare Patres Ecclesiæ, non potest quis Episcopus constitui sine ista potestate; sicut virtus generandi non reperitur, nisi coniuncta cum ipsa natura alteri communicanda; hæc igitur virtus in eo, qui non est sacerdos, esse non potest, & ideò Episcopus necessario debet esse Sacerdos.

Tertia Difficultas est, an ordinatio Episcopi imprimat characterem à sacerdotali distinctum. Auctores *quæst. 1.* citati asserentes Episcopatum esse quidem verum ordinem, & sacramentum, non tamen à sacerdotio distinctum, sed facere, & complere vnum ordinem cum illo, consequenter hic dicunt non imprimi per ipsum nouum, ac distinctum characterem, sed solum extendi eundem priorem sacerdotalem ad hoc, vt valeat perficere nouos actus Episcopales. Sed iuxtà dicta superius *quæst. 1. artic. 1. num. 8.* dicendum est in Episcopatu addi, atque imprimi nouum characterem realiter ab alijs diuersum etiam à sacerdotali; Et ratio est, quia Tridentinum *loc. cit. can. 9.* absolutè docet per sacramentum ordinis imprimi characterem; ergò quoties validè datur sacramentum ordinis, datur etiam character nouus; cum igitur Episcopatus sit ordo simpliciter à sacerdotio distinctus, & per eum noua potestas conferatur ordinato ad nouos actus sacramentales distincta à potestate 60

collata

collata per ordinem, & characterem Presbyteratus, consequenter quoque dicendum est imprimere nouum, atque distinctum characterem; Et planè præstat dicere per episcopatum imprimi nouum, & distinctum characterem, quàm extendi priorem sacerdotalem; tùm quia explicari commodè nequit, quomodo fiat talis extensio, vt dictum est; tum quia constet aliquin de nouo infundi, censendum est infundi aliquam qualitatem supernaturalem, sicut erat prior impressa per characterem sacerdotij, & non fieri tantum quendam modum qualitatis prioris; quod si de nouo fit talis qualitas, dici potius debet nouus character, quàm prioris extensio: & si in alijs inferioribus ordinibus imprimitur intrinsecè qualitas, quæ dicitur character in anima, & non est sola extensio characteris ordinis prioris, vt supradictum est; hoc tantò magis de episcopatu affirmandum erit, qui est ordo longè nobilior illis, & longè excellentiorem affert potestatem ordinato. Tum tandem, quia sicut supra dictum est *num.56.* in ordinatione Sacerdotis duos conferri characteres veluti partiales, quia duplex per eam confertur partialis potestas, vna, scilicet, conficiendi eucharistiam, & altera remittendi peccata; ita a fortiori debemus dicere de episcopatu, quod per ipsum nouus imprimatur character, quia per ipsum noua, & distincta potestas confertur ordinato, & non est vnus ordo cum sacerdotio, sed simpliciter ab ipso diuersus, licet necessariò ipsum præsupponat.

61 Quarta Difficultas est, an character episcopalis sit dignior Sacerdotali; cui difficultati solent respondere Scotistæ ex Scoto *dist.24.cit.artic.2.* vt dictum est *quæst.1.art.2.numer.15.* quod si loquamur de charactere totali, integro, & perfecto, quem habet episcopus, vt est Sacerdos, & episcopus, esse sine dubio digniorem, quia includit alterum, & aliquid amplius; si verò consideretur character particularis, qui superadditur characteri sacerdotali in ordine ad functiones illas, quæ soli episcopo competunt, est omninò inferior, quia maioris dignitatis est conficere corpus, & sanguinem Christi, & absoluere à peccatis, quam conferre Ordines, & Cõfirmationem, aut consecrare Chrisma, vt patet, quem dicendi modum sequitur Bellarminus de Ordine *cap.5.ad 3.* cum alijs Recentioribus, & Brancatus *disput.7.art.4.* Alij verò dicunt defendi etiam posse, ac debere ordinem episcopalem non solùm esse excellentiorem, & nobiliorem sacerdotali, si sumatur quatenus illum includit, & aliquid addit; sed etiam si præcisè sumatur, aut si per Dei potentiam absolutam realiter sine illo daretur, esse inquam, suo modo intensiuè, hoc est, entitatiuè nobiliorem, sicut dicimus de alijs ordinibus inuicem comparatis; Ratio est, quia verè quidem potestas consecrandi Eucharistiam est in hoc genere suprema, sed certè potestas episcopalis non est ab hoc aliena, quinimo per se valet constituere ipsos Sacerdotes, qui habent consecrare eucharistiam, & per se confert hanc potestatem illis; vndè per modum causæ vniuersalis, & superioris, modo quodam eminenti, respicis hunc ipsum effectum, qui est consecrare Eucharistiam; ex hac ergo parte character, & Ordo Episcopalis etiam per se, ac præcisè sumptus est suo modo sacerdotali sublimior, ità Auersa *quæst.1.sec.10.* quæ prius fuit doctrina Bassolij nostri *4.dist.24.* vt superius dixi *quæst.1.art.2.numer.15.* vbi ait propè finem quæstionis, nullum esse inconueniens asserere, quod sicut episcopatus est superior & posterior ordo sacerdotio, ità enim sit nobilior, quia sacerdotium ex episcopatu dependet, cùm nullus in Sacerdotem, nisi ab episcopo ordinetur, & ità actus sacerdotij virtualiter continetur in actu episcopatus, & Sacerdotium in episcopatu; & vterque dicendi modus est satis probabilis, & eligi potest, qui magis placet.

Quinta tandem Difficultas est, an ad valorem singularum
62 ordinationum, vt hunc suum producant effectum, & characterē imprimant, ex parte ordinandi requiratur tactus physicus rei, cuius traditione ordinatur; & quæstio est tantummodò de necessitate ordinis, quia de obligatione præcepti habetur expressè in Pontificali esse præceptum, vt tangatur calix, & patena superposita. Negant quamplures requiri ad valorem huius sacramenti contactum istum physicum materiæ, & quoad hoc aiunt sufficere hæc instrumenta porrigi ei, qui ordinatur, præsenti, & constituto coram ordinante, adeout hunc contactum physicum non requirunt necessitate sacramenti, sed sola necessitate præcepti, quia ad verificationem formæ non est necessarius tactus physicus materiæ, vt enim quis verè, & propriè dicat, *Accipe hoc, vel illud*, non est necesse, vt ille cui offertur, vel porrigitur, accipiat illud, sed sufficit, vt illi offeratur, vel porrigatur, ità Caietanus, Victoria, Layman, Henriquez, Vasquez, Hurtado, Bernal, Armilla, Tabiena, & alij Summistæ, qui dicendi modus est satis probabilis.

Alij verò requirunt contactum physicum saltem media- 63
tum eius materiæ, cuius sit traditio, dùm conceditur potestas ordinis, ratio est, quia dictus tactus requiritur ad verificationem formæ, in qua dicitur, verbi gratia, *Accipe librum*, quod enim non apprehenditur, aut tangitur, non accipitur, ità Valentia, Nugnus, Coninchius, Auersa, Caspensis, Bonacina, Marchinus, & Faber ex nostris *disput.1.cit. quæst.1. cap.4.* in fine, & alij quamplures, quæ planè sententia magis placet, vt tutior, & securior; dummodò non in tanto rigore intelligatur, sicut enim ex ea parte, qua aliquis ordo confertur per manuum impositionem, vtique necesse, est vt ordinatus verè, & physicè tangatur ab ordinante; sic pariter dùm ordines conferuntur per instrumentorum porrectionem, necesse erit verum, & physicum contactum intercedere saltem mediatum, & certè plana, & plena verbi illius *Accipe* significatio id videtur exigere, vt nempè is, qui ordinatur verè tangat, & hoc pacto accipiat sacra instrumenta.

Ad instar Vasquez *disp.246.cap.2.* optimè verificari totum hoc significatum, *Accipe librum*, & sic de alijs instrumentis per solam traditionem, & porrectionem factam ab ordinante, etiamsi non intercedat contactus ex parte ordinati; alioquin nec etiam sufficeret vtcunque tangere, sed requireretur manibus comprehendere, & contingere id, quod porrigitur, vt quis dicatur accipere; At de facto qui ordinantur in Sacerdotes, vix extremis digitis tangunt calicem, & patenam, & non propriè in manibus suis accipiunt, cùm ob præuiam sacram vnctionem manibus ligatis accedant. Sed quamuis significatum illius verbi *Accipe* posse tali modo explicari, vt sola traditio absque accipientis contactu verificetur, adhuc tamen negari non potest, quin ex illo modo dicendi, *Accipe librum, accipe potestatem* ex instituto Ecclesiæ talis significatio deducatur, qua denotetur realis quædam acceptio, siuè contactus ex parte eius, cui sacra instrumenta porriguntur; vndè non ob solum rigorem verbis talis contactus requiritur, sed ex ipso ritu sacramenti; sicut sanè quamuis adhuc significatum verborum illorum in baptismo, *Ego te abluo* verificaretur, infundendo vinum, vel alium liquorem; tamen per se ex ipso ritu sacramenti habemus requiri pro materia veram aquam naturalem, vt benè discurrit Auersa *q.2.sec.2.*

Non ob id tamen necessarium est ad valorem ordinatio- 64
nis, vt ordinatus immediatè tangat sacra instrumenta suis manibus, propterea diximus sufficere contactum physicum saltem mediatum, vndè etiamsi contingeret mediante aliquo velo, id ad valorem sufficeret; imò de facto cum materia ordinationis sacerdotalis sit panis, & vinum, non tamen immediatè tangitur ipsum vinum, sed solum calix continens vinum, sicut neque opus est ad valorem sacramenti tangi immediatè panem, sed satis est tangere patenam, in qua continetur, vt docent Syluester, Angelus, Sanchez, Auersa, & alij Auctores nostræ sententiæ; Vndè minimè placet, quod ait Faber *loc.cit.* necessarium esse necessitate sacramenti, vt hostia immediatè tangatur ab ordinando; Hoc enim nullo modo est necessarium, quia in Rituali, vbi exactissimè describuntur, quæ in hoc contactu sunt necessaria, illud nullo modo, vel leuiter insinuatur, nec etiam episcopus ordinans, alijuè Ministri sunt solliciti, vt fiat; Et planè cum eodem prorsus modo sint materia illius traditionis calix cum vino, & patena cum hostia, sicut nullo modo est necessarium, vt ordinandus ipsum vinum immediatè tangat; ità nec necessarium erit vt immediatè tangat hostiam. Et per hoc aliqui conciliare prætendunt cum Latinum ritum ecclesiæ Græcæ, in qua non porrigitur, nec traditur ordinando immediatè calix, vt fit in Latina, sed solùm mediatè per solam exhibitionem, vel ostensionem calicis cum vino, & patenæ cum hostia super altare, nam hæc varietas contactus, siuè immediati, siuè mediati est tantùm accidentalis, ità Petrus Labat *tom.7. tract.3. disput.5.dub.3.§.3.*

QVÆSTIO QVARTA.

An in Missa Deo offeratur verum, & proprium sacrificium, & in quo eius essentia consistat.

65 QVoniam suprà diximus primarium, & principale munus Sacerdotis esse, consecrare panem, & vinum in corpus, & sanguinem Christi, & hoc sacrosanctum Eucharistiæ sacrificium Deo in Missa offerre, quod quidem in lege Euangelica vnicum est, & singulare; nunc discutiendum est, an in Missa verum, & proprium sacrificium Deo offeratur à Sacerdote, & in quo talis sacrificij essentia consistat. Vt verò pateat, in quo vera, & propria ratio sacrificij consistat, notandum est, quod quamuis ad rationem sacrificij requiratur, vt per illud significetur interna animi nostri submissio, & suprema Dei excellentia, hoc tamen non sufficit, quia in eo sacrificium conuenit cum alijs actibus religionis, adoratione namque internam animi nostri submissionem profitemur, & supernam Dei excellentiam, & maiestatem, similiter constructione templorum exhibetur latriæ cultus soli Deo debitus in signum reuerentiæ, & diuinæ excellentiæ, & etiam cum immutatione rei sensibilis; & tamen hæc veram, & propriam sacrificij rationem non participant; quidquid Hæretici e rocitent, qui omne opus bonum in Dei cultum oblatum verum esse sacrificium autumant, nec illud in Ecclesia Dei visibile concedendum esse contendunt, vt Missæ sacrificium omninò euertant; Aliquid ergò aliud necessariò addendum est, & explicandum, in quo consistat differentia essentialis, & vltimò constitutiua sacrificij, nam sacrificium propriè dictum non modo in nullo actu purè interno, sed neque in quolibet externo saluari potest, quia sacrificium est peculiaris actus Religionis, quo speciali quodam modo protestamur excellentiam Dei absolutam, & nostram subiectionem per oblationem rei externæ.

66 Vasquez *disp.* 220. *c.* 3. quem sequuntur Hurtado, Amicus, Bernal, Meratius, Caspensis, & alij Recentiores communiter, docet rationem sacrificij consistere in immutatione rei Deo oblatæ, qua Deum ipsum Auctorem vitæ, & mortis præsertim nostræ profitemur, qua ratione definit sacrificium, quod sit *nota, seù signum existens in re Deo oblata, quo Deum ipsum Auctorem vitæ, & mortis profitemur*; & per hoc distinguit sacrificium ab omnibus alijs actibus virtutis Religionis, & præcipuè à laude, adoratione, & simplici oblatione, cum quibus maiorem habet similitudinem; nam laus posita est in verbis, & circà omnia attributa Dei versatur, siuè diuisim, siuè coniunctim; adoratione verò diuinæ naturæ eminentiam suprà omnem naturam creatam, aut creabilem protestamur; simplici oblatione supremum eius, & absolutum Dominium, quo in res omnes creatas continet, & exercet; Deniq; sacrificio profitemur eius omnipotentiam, qua est Auctor vitæ, & mortis, & potest cuncta destruere pro suo arbitratu, sicut nos rem, quam ei sacrificamus, in eius honorem destruimus; ità rem hanc verbatim declarat cum Vasquez cit. Caspensis *tract.* 23. *disp.* 1. *sect.* 1. Ex quo deducit, ad hoc, vt aliqua res sit sacrificium, non sufficere, vt aliquid sacrum circà rem illam fiat; alias consecratio Calicis, Ecclesiarum &c. esset propriè sacrificium, & dum eiusmodi res consecrantur, dici possent propriè sacrificari; sed necessariò requiritur, vt in re, quæ sacrificatur, mutatio aliqua fiat, qua significetur Deum esse Auctorem vitæ, & mortis, omne enim sacrificium requirit victimam, quæ immoletur, & immutetur, & qua profiteamus Deum esse Auctorem vitæ, & mortis; alias non posset satis id constare, nec ad quid significandum victima illa offertur, & sacrificatur; necessaria est ergo illius destructio, per quam profitemur nos ita à Deo pendere, vt possimus ab eo conseruari, vel destrui, sicut res illa à nobis ablata destruitur & immutatur.

67 Sed hunc dicendi modus fusè, & eruditè reijciunt ex nostris Hiqueus 4. *dist.* 13. *q.* 1. in suo Commentario, & Gauatius *disp.* 1. *de sacrificio Missæ q.* 1. quia hoc, quod est esse signum omnipotentiæ Dei, siuè Deum significare, vt vitæ, & mortis Auctorem, sufficienter non distinguit sacrificium à simplici oblatione, adoratione, & omni alio, quod non est sacrificium; ergo nec adæquatè illud constituit in esse sacrificij, eadem enim sunt principia distinctiua; & constitutiua; antecedens experientia constat, quia & laus, & adoratio, & simplex rei oblatio fieri possunt Deo, vt Auctori vitæ, & mortis, etenim ex motiuo recuperandæ sanitatis, vitandæ mortis, aut ob sanitatem iam recuperatam, possumus Deum laudare, adorare, & aurum, argentum, aut vestes offerre, in quo casu huiusmodi actus laudis, adorationis, & oblationis vtique Deo fierent ex motiuo omnipotentiæ Dei vitæ, & mortis Auctoris.

Confirmatur, quia quamuis Deus non esset Auctor vitæ, & mortis, vel sub tali ratione non consideretur; adhuc deberetur ei latria ob propriam excellentiam; ergo & sacrificium, quod denotat supremum latriæ cultum in rebus externis, ideoque soli Deo adhiberi potest; antecedens patet, consequentia probatur, quia adhuc in tali casu significatio moralis sacrificij non destruitur, neque obiectum eius formale, quia excellentia illa Dei absoluta in se, vt Deo competit, significari posset, atque nostra subiectio per oblationem rei externæ siuè simplicem, siuè etiam immutando ipsam, quia per talem immutationem significaretur Deum esse fontem omnium bonorum, & non tantum vitæ, & mortis Auctorem, sed præsertim gratiæ, & gloriæ Auctorem, & consummatorem. Denique latria est cultus diuinitati debitus propter seipsam, siuè ob eius excellentiam in se absolutè consideratam; sed sacrificium est actus externus ad supremum latriæ cultum pertinens; igitur sicut cultus latriæ Deo conuenit, qua Deus est, & ratione diuinitatis, ità & sacrificium Deo debebitur, qua Deus est, & non qua præcisè est vitæ, & mortis Auctor. 68

Quapropter sacrificium propriè dictum, de quo hic est sermo, melius definitur, quod sit oblatio externa alicuius rei permanentis Deo exhibita, qua significatur supremum dominium, aut excellentia Dei, & subiectio sacrificantis ad ipsum, mediante aliqua ipsius rei oblatæ destructione, aut immutatione; Per hoc enim sufficienter saluatur, quod sacrificium sit actus religionis, & quidem supremæ speciei eius, quæ est latria, & sufficienter distinguitur à quocunque alio, quod non est sacrificium; per hoc enim, quod dicitur oblatio externa rei permanentis, distinguitur ab adoratione quæ fit per genuflexionem; per id, quod additur, cum aliqua destructione, vel immutatione rei oblatæ, distinguitur à simplici oblatione; per alias tandem particulas exprimitur eius significatio in ordine ad terminum, & distinguitur ab oblatione facta Deo mediatè, vt à primitijs, decimis, &c. Hoc prænotato de acceptione propria sacrificij, vt hic de eo loquimur, de quo plura videri possunt apud Hiqueum, & Gauatium *loc. cit.* iam ad resolutionem propositæ quæstionis accedimus. 68

ARTICVLVS PRIMVS.

Resoluitur quæstio quoad primam partem.

DIcendum est, in Missa Deo offerri à Sacerdote verum, & proprium sacrificium, Hæc est communis Catholicorum contra recentiores Hæreticos, quæ in primis expressè deducitur ex ipsa Christi institutione, cùm dixit, *Hoc facite in meam commemorationem*, vbi verborum *facite*, æquiualet verbo sacrificare, sic enim interdum Scriptura loquitur, vt Leuitic. 15. *sumet duos turtures, dabitque Sacerdoti, qui faciet vnum pro peccato, & alterum in holocaustum*, vndè denotat rationem sacrificij, quia iussit Christus hoc mysterium exerceri, veluti ad perpetuò retinendum, ac repetendum suæ mortis sacrificium, quod in hoc sacramento mysticè renouatur; ità communiter hunc locum Patres exponunt, quorum testimonia, quia sunt innumera ad hanc veritatem probandam, sufficiat Andreas Apostolus, qui Ægeæ Proconsuli suadenti, vt Dijs immolarent, respondit, *Ego omnipotenti Deo immolo quotidie, non Taurorum carnes, nec Hircorum sanguinem, sed immaculatum Agnum in Altari*, quo clarius dici non poterat in huius veritatis testimonium. 69

Deindè probatur auctoritate Ecclesiæ, quæ quidem semper intellexit in hoc mysterio Eucharistiæ verum sacrificium ex mandato Christi celebrari, vt in pluribus Concilijs definitum est, nimirum in 1. Concil. Niceno, *can.* 14. *in* 1. Toletano *can.* 5. in Antisiodorensi *cap.* 8. in Lateranensi *cap.* 1. in Florentino in decreto Eugenij, ac demum in Tridentino *sess.* 22. *can.* 1. vbi dicitur, *Si quis dixerit in Missa non offerri Deo verum, & proprium sacrificium, & c. anathema sit.* Et est res clara in Canone Missæ, in quo tam frequenter nominatur

tur Oblatio, Hostia, Sacrificium, qui Canon saltem à tempore D. Gregorij Papæ antè mille annos integer extabat, vt modò legitur, & licet vsq; ad tempora Gregorij aliqua verba in eo addita fuerint, adhuc etiam longè anteà, & ab ipso Ecclesiæ initio maiori ex parte extabat, vt in antiquissimis Grecorum Liturgijs legitur, & in Canonibus Apostolorum, & apud Clementem Papam, & Dionisium Areopagytam, qui cum ipsis Apostolis conuixerunt.

70 Rursus probatur ex ratione sacrificij superius assignata, quæ tota in hoc mysterio completur cum omnibus conditionibus requisitis, eius enim definitio communiter recepta est, quod sit exterior oblatio, & immutatio alicuius rei permanentis exhibita in honorem, & cultum Dei ad recognoscendam, & protestandam summam eius excellentiam, & supremum Dominium, facta per legitimum Ministrum, & per legitimam auctoritatem instituta; hæc, inquam, tota ratio planè in mysterio Eucharistiæ inuenitur, nam panis, & vinum conuersa in corpus, & sanguinem Christi offeruntur Deo in signum ipsius supremi dominij, & nostræ subiectionis: fit hæc oblatio per legitimum Ministrum, nempè Sacerdotem ad hoc officium specialiter deputatum, & instituta est per legitimam auctoritatem, nempè ab ipso Christo, qui est Caput, Legislator, & Ecclesiæ fundator; fit rei oblatæ consumptio, quia Christus ipse desinit esse, quatenus est sub speciebus panis, & vini visibilis, & sensibilis, & species ipsæ sacramentales consumuntur, nam per manducationem, & potationem desinunt esse; verum igitur, & proprium sacrificium in Missa offertur.

Denique probatur ex ratione nouæ legis, in omni namq; lege, & Republica benè instituta hæc tria semper fuerunt coniuncta, lex, sacrificium, & sacerdotium, & in omni lege, & statu fuerunt sacrificia, quibus homines Deum colerent, & nulla natio, quantumuis barbara agnoscitur caruisse vero, & proprio sacrificio ad colendum verum Deum, vel fictos, quos sibi venerandos assumpsit; ergo neque in lege noua deesse debebat sacrificium, quo Deus speciali vsu coleretur; sed certè in hac lege aliud assignari non potest, quod veram habeat sacrificij rationem, nisi hoc Eucharistiæ mysterium, ergo &c. Tum quia in lege noua verum, & proprium sacerdotium conceditur, primarium autem Sacerdotis officium est Deo offerre, & sacrificare; ergo debet & verum sacrificium agnosci, & nullum aliud est præter illud, quod in Missa offertur, & in quo Christus immolatur.

Dices, hoc sacrificium non fore verum, & reale, sed tantùm misticum, quia in Missa interuenit mistica tantum victimæ immolatio.

71 Resp. si per immolationem intelligas hostiæ occisionem, concedo hic tantùm esse misticam immolationem, sed talis immolatio adhuc est vera, & realis hostiæ sacrificatio, vndè ad verum, ac reale sacrificium sufficit mistica hostiæ occisio, hoc est, sacramentalis Christi desitio sub speciebus, vt ex dicendis constabit.

Sed quoniam tria in hoc mysterio reperiuntur omninò distinguenda, primò panis, & vinum quantum ad substantiam, quæ destruitur; deindè Christus ipse, qui fit sacramentaliter præsens sub speciebus; Et tandem species sacramentales, quæ permanent cum substantia Christi, & prius erant cum substantia panis, & vini. Disputant Theologi, quænam res propriè sit, quæ offertur, & sacrificatur in Eucharistia, vt verè, & propriè sacrificium dici possit, in qua difficultate sunt varij modi dicendi, vt apud Recentiores videri potest, quorum communior, & probabilior est iste. Primò quidem, quod substantia panis, & vini sit quidem aliquo modo materia huius sacrificij, non tamen propriè, & principaliter sit res, quæ immolatur, & sacrificatur; & quidem, quod sit aliquo modo materia sacrificij patet ex modo loquendi Ecclesiæ in offertorio Missæ, cùm dicit, *Suscipe sancte Pater hanc immaculatam hostiam*, &c. *Offerimus tibi Domine calicem salutaris*, &c. illud autem, quod tunc in manibus Sacerdos tenet est substantia panis, & vini; vndè licet illa oblatio non sit formaliter immolatio, saltem indicat, illud quod tunc offertur esse materiam sacrificij, quatenus constat ex pane, & vino, tanquam ex termino à quo, & materia transeunte; non tamen est res, quæ propriè, & principaliter ex intento offertur, & sacrificatur, seù victima, quæ immolatur, quia licet substantia panis, & vini in hoc sacrificio destruatur in protestationem diuinæ potentiæ, ac proindè sit materia aliquo modo huius sacrificij; quia tamen eius destructio non est primariò, ac per se intenta, sed secundariò ad verificanda verba consecrationis, & ad introductionem corporis, & sanguinis Christi sub speciebus, quæ in hoc sacramento sunt per se, & primariò intenta, ideò nequit esse propriè materia huius sacrificij, sed solum spectat ad illud, vt terminus à quo, & materia transiens, quæ ad præsentiam rei principaliter intentiæ corrumpi debet.

Deindè Christus ipse est res, quæ propriè, & principaliter in hoc sacrificio offertur; ità Concilium Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. vbi de Christo loquens inquit, *quod in Eucharistia nouum instituit Pascha seipsum ab Ecclesia per Sacerdotes sub signis visibilibus immolandum*, & *cap.* 2. *In diuino hoc officio, quod in Missa peragitur idem ille Christus continetur, & incruentè immolatur, qui in ara Crucis semel seipsum cruentè obtulit*; quo etiam loquendi modo passim vtuntur Patres, dùm dicunt Christum ipsum, corpus, & sanguinem Christi sacrificari, offerri, immolari in altari; Quod si queras, an simul cum humanitate in hoc sacrificio offeratur etiam suppositum diuinum; Dicendum est, eo modo quo fuit in Cruce oblatum, offerri quoq; in altari, & sacrificio Missæ, nempè per solam idiomatum communicationem, non per formalem actionis sacrificatiuæ subiectionem, implicat enim suppositum diuinum esse capax mutuationis, quæ ad sacrificium requiritur, & significationis cultus diuini, nam hæc supponit inferioritatem ad Deum, quod diuino supposito conuenire nequit. 72

Confirmatur, quia Christus in sumptione sacramenti immutatur modo sufficienti ad sacrificium, quia licet non destruatur quoad esse simpliciter, sicut in antiquis sacrificij victima mactabatur, & cremabatur, tamen destruitur quoad esse sacramentale, & licet non desinat quoad substantiam, benè tamen quoad præsentiam sacramentalem; idque prorsus sufficit, vt propriè dici possit in Eucharistia sacrificari, quia hoc sacrificium sic Deus instituit, hoc nempè modo extraordinario, & singulari alijs victimis, & sacrificijs non communi.

Demum etiam species sacramentales pertinent ad rem, 73
quæ in hoc mysterio sacrificatur; Hoc enim expressè deducitur ex verbis Tridentini allegatis, dùm inquit Christum obtulisse corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini, & seipsum sub signis visibilibus immolandum instituisse quo planè loquendi modo significauit has quoque species sensibiles ad victimam huius sacrificij pertinere; imò Concilia in illo eodem capite rationem congruitatis assignat, dùm inquit, *vt dilectæ Sponsæ suæ Ecclesiæ, visibile, sicut hominum natura exigit, relinqueret sacrificium*, quia ergo victima, vt sit humano vsui accomodata, debet esse sensibilis, ideò & ipsæ species ad rationem huius victimæ pertinere debent; Rursus species ipsæ valdè immutantur, nam in sumptione consumuntur, & in consecratione à subiecto abstrahuntur; ergo nil obstat, quin pertinere possint ad rem, quæ in hoc sacramento sacrificantur. Tum tandem quia expressè habetur ex Canone *Hoc est*, de Consecr. *dist.* 2. vbi dicitur *Hoc sacrificium duobus constare, visibili elementorum specie, & inuisibili Domini nostri Iesu Christi carne, & sanguine.*

Cæterum Vasquez, Coninchius, Meratius, & alij Recentiores, quos sequitur ex nostris Gauatius *disp.* 1. de sacrificio Missæ *qu.* 6. dicunt, id quod in hoc sacrificio offertur esse solum Christum cum ordine ad species, ipsas tamen species intrinsecè, vt partem rei oblatæ, ad sacrificium Missæ non pertinere; & hoc ad summum probare testimonium Tridentini adductum, & oppositum potius nostræ conclusionis indè deduci, si enim sub speciebus panis, & vini obtulit corpus, & sanguinem; igitur res oblata fuit corpus, & sanguis, species verò id sub quo; similiter si seipsum sub signis sensibilibus immolandum instituit, iam res immolata est Christus, species autem non id, quod, sed sub quo Christus immolatur, adeout res in hoc sacrificio oblata, & immolata in recto est Christus species autem in obliquo solùm; itaque concludunt, quod species non sunt res oblata, nec pars rei oblatæ, sed modus sub quo Christus offertur, & immolatur. Quod etiam probant, quia si species panis, & vini rem oblatam integrarent, Christus non esset tota hostia, sed pars hostiæ; sicut quia species pertinent essentiam sacramenti, Christus non est totum sacramentum, sed pars sacramenti, hoc autem est contrà Patres affirmantes Christum esse integram hostiam in hoc sacrificio. Deindè, quia species non sunt dignæ, quæ in tanto sacrifi-

cio offerantur, vt pars hostiæ infinitè dignæ. Tandem quia si species panis, & vini pertinere essentialiter ad rem oblatam, non esset idem sacrificium, quod offertur hic, & oblatum fuit in Cruce quod est contra Trident. *sess.*22.*c.*2. affirmans vnam, eandemque esse hostiam sola offerendi ratione diuersam, ità arguit Vasquez *disp.*223.*n.*43. Coninch. *q.*83. *art.*1.*dub.*4.& cum eis Gauatius *loc. cit.*

Sed vt verum fatear hæc lis mihi videtur de Lana caprina, & pura de nomine contentio; Auctores enim primum dicendi modum sequentes vt Suarez, Becanus, Scortia, Auersa, Amicus, & alij, eatenus dicunt species sacramentalis panis, & vini intrinsecè ad rem in hoc sacrificio ablatam pertinere, inquantum res ablata non est Christus nudè sumptus, sed vt simul cum speciebus vnum compositum sacramentale constituunt; vndè soluendo argumenta proposita. Ad primum gratis concedunt species non posse propriè dici partem hostiæ, quia hoc sonat substantiale quid, sicut sonat hostia ipsa; quia hostia proprie stat pro substantia rei oblatæ, non pro accidentibus; quæ solum requiritur ad reddendam hostiam sensibilem, & quamuis simul offerantur cum substantia, non tamen offeruntur, vt quid principale, & primariò intentum sed vt quid minus principale, & secundarium. Nec est eadem ratio de sacramento, & sacrificio, quia sacramentum primariò consistit in significatione; quod æquè accidentibus, ac substantiæ conuenire potest; sacrificium verò in hostia sacrificanda consistit, quæ principaliter, & primariò conuenit substantiæ.

Ad Confirmationem concedunt species non esse dignas, vt in hoc sacrificio offerantur, vt pars æquè principalis, non autem vt minus principalis, & quasi extrinsecum victimæ indumentum.

Ad vltimum negant sequelam, quia vt sit idem hic, qui oblatus fuit in Cruce, sufficit vt sit idem substantiale indiuiduum, estò sit accidentaliter diuersum, nam etiam per ipsos in Cruce Christus fuit oblatus cum præsentia diuisibili, & accidentibus naturæ mortalis; hic contrà cum præsentia indiuisibili, & accidentibus naturæ immortalis, & gloriosæ; Cuius ratio à priori est, quia indiuiduatio non desumitur ab accidentibus, sed à substantia; ergò variatis accidentibus modò non varietur substantia, semper idem manet indiuiduum, vndè idem esset indiuiduum, quod vno tempore esset album, alio verò nigrum, & iuxtà hanc doctrinam explicant Concilium *loc. cit.*

Ex his, inquam, solutionibus patet, quomodo hæc contentio sit de solo nomine, & discrepantia in solo modo loquendi; & Hiqueus 4.*d.*13.*qu.*5.sui Commentarij, vbi primum dicendi modum sequitur asserens species in ratione sacrificij vnum integrum constituere cum Christo sub ipsis, gratis concedit adhuc species se habere, vt quo, & Christum, vt quod; rationem adducit, quia sacrificium est visibile, & sensibile signum, & mediantibus speciebus conuenit Christo esse, quod habet in sacramento, & sacrificio, ergo ab ijs in ratione sacrificij non præscindit; quia tamen Christus, vt sub speciebus offertur, ideò oblatio terminatur ad Christum, vt ad rem principaliter oblatam, & ad species, vt quo; Non ergò repugnat, quod species pertineant ad rationem sacrificij tantum, vt quo, & adhuc cum Christo, vt quod, integrent vnam rationem sacrificij cum ipso; quarè vtraque opinio sustineri potest, quia in re Auctores vtriusque conueniunt, & solùm in modo loquendi discrepant, omnes enim concedunt species sacramentales pertinere ad rem, quæ in hoc mysterio sacrificatur, quod est intentum nostrum in hoc puncto.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Discutitur quæstio quoad alteram partem.

75 PLures actiones in Missa exercentur, quibus hoc sacrificium perficitur, ideoque dubitatur quænam ipsarum præsertim ad essentiam sacrificij spectet; Prima est oblatio panis, & vini in offertorio, quod ad oblatione denominatur; Secunda actio est consecratio corporis, & sanguinis Domini. Tertia est oblatio, quæ fit post consecrationem dicendo, *Offerimus preclare Maiestati tuæ de tuis donis, ac datis hostiam puram* &c. Quarta est fractio hostiæ, & particulæ eius

mixtio in sanguinem. Quinta tandem est sumptio sacramenti da offerente. Hinc plures exortæ sunt opiniones, quænam actio circà Eucharistiam sit propria sacrificium.

Prima opinio docet sacrificium Missæ consistere in oblatione panis, & vini, quæ fit antè, & in oblatione corporis, & sanguinis, quæ fit post consecrationem, quæ sententia à Vasquez, & alijs Recentioribus adscribitur Scoto in 4.*d.*13.*q.*2. §.*Ad quæstionem*, vbi indicat oblationem, quæ fit in Offertorio, esse sacrificium panis, & vini, & oblationem, quæ fit post consecrationem, esse sacrificium corporis, & sanguinis Christi; Gabriel verò *q.*1.*art.*3.*dub.*2. & quidam alij indicarunt, solam dictam posteriorem oblationem habere rationem huius sacrificij. Canus autem *lib.*12.*de locis Theol.c.*13. *ad* 4. vult etiam fractionem hostiæ consecratæ ad essentiam huius sacrificij pertinere. Secunda sententia docet solam sumptionem esse propriè, & formaliter sacrificium, consecrationem verò se habere antecedenter, veluti actionem præuiam, & præparationem, ità Angles, Ledesma, & alij apud Vasquez *disp.*222.*c.*3. Tertia è contrà asserit in sola consecratione saluari essentiam huius sacrificij, sumptionem verò se habere potiùs consequenter, & non nisi extrinsecè ad illud pertinere, ità Alanus, Suarez, Vasques, Coninchius, Meratius, Bernal, Caspensis, & alij. Quarta demum asserit in vtraque actione simul consecratione nempè, & sumptione huius sacramenti rationem, essentialiter consistere, ità Bellarminus, Scortia, Card. de Lugo, Auersa, Amicus, & ex nostris Hiqueus, Poncius, Gauatius, & alij quamplures; quæ sententia communior est, & probabilior; itaque pro resolutione quæsiti.

Primò Dicendum est, nec oblationes verbales antecedentem, & consequentem consecrationem, nec fractionem sacramenti esse de essentia, vel integritate sacrificij Missæ. Hęc est contrà primam opinionem, & probatur, quia oblatio antecedens in ea forma, & modo quo fit, non fuit à Christo adhibita, & Ecclesia primitiua eam non adhibuit, neque in Liturgijs eodem modo habetur; nec etiam semper fuit in vsu Ecclesiæ oblatio consequens, quamuis antiqua sit, neque Christus eam adhibuit, quamuis verè hoc sacrificium obtulerit; ergo ex sensu Ecclesiæ neutra spectat ad essentiam sacrificij; & licet Christus panem fregerit, tamen illa fractio non se habuit formaliter ad rationem sacrificij, sed solum materialiter, vt sacramentum Apostolis dispensaretur. Conf. quia tota huius sacrificij ratio à Christo ipso instituta fuit, & eadem semper in Ecclesia persistit, sed illæ actiones institutæ sunt solùm ab Ecclesia, sicut & aliæ ceræmoniæ, nec semper eodem modo in tota Ecclesia fuerunt. Tandem, quia actiones illæ, si aliquando omittantur, adhuc sacrificium est integrum, & perfectum essentialiter, neq; opus est eas suppleri; hoc patet de oblatione verbali siuè antecedenti, siuè consequenti ad consecrationem, nam in Rubricis Missalis habetur, quod in eo casu, quo quis consecraret aquam pro vino, & iterum conficiendum est in vino, non præmittitur rursus oblatio calicis, sed repetitur verbam Canonis ab illo, *Deindè postquam cenauit* &c. patet etiam de fractione hostiæ consecratæ, quæ si in calicem decidat, & tota infundatur, non debet diuidi, vt rursus notatur in rubrica Missalis; ergo illæ actione nec sunt de essentia, neque de integritate huius sacrificij, vt alij loquitur, & quamuis oblatio sic de ratione intrinseca, & essentiali sacrificij; non tamen est illa verbalis, quæ consecrationem antecedit, vel subsequitur, sed alia mox declaranda. Neque oppositum docuit Scotus *loc. cit.* quando enim ibi dicit Offertorium non spectare ad sacramentum, sed ad sacrificium, sumit sacrificium in latiori significatione pro oblatione etiam cæremoniali, quæ disponit ad essentialem oblationem, qualis est consecratio, vt notat Hiqueus 4.*d.*13.*q.*2.sui Commentarij *n.*67. 76

Secundò Dicendum est, nec solam sacramenti sumptionē, nec solam consecrationem integrare essentiam sacrificij Eucharistici, sed vtramq; simul Ità Auctores citati pro quarta sententia, & de sumptione probatur, quia si hæc sola essentiam sacrificij constitueret, & consecratio solum se haberet, vt actio præuia, & præparatio ad sacrificium, vt dicebat secunda sententia, nempè tāquam productio, vel adducto victimæ per sumptionem sacrificandæ, sequeretur, quod etiāsi Sacerdos ex hostia multò antea consecrata, vel ab alio, vel à se, posteà sumeret, talis sumptio adhuc haberet sacrificij, dum fieret intentione offerendi cultum Deo; & prætereà cum sumptio etiam Laicis conueniat, & omninò extrà sacrificium; sequeretur rationem sacrificij ab vsu sacramenti 77

differre ex sola diuersitate sumentis, & intentionis, & non ex ipsa ratione, & vsu externo, quæ sunt absurda manifesta. Quod nec etiam sola consecratio sufficiat ad essentiam huius sacrificij constituendam ex eo patet, quia hac ratione necessarium est, vt Sacerdos sacrificans sumat quoque sacramentum, & ab omnibus dicitur esse necessarium ad perficiendum, & consumandum sacrificium, vt notat Alensis *q.11.memb.2.art.4.* qua ratione præcipit Rubrica Missalis, & habetur in Iure *cap.Nihil, & cap.Illud 7.q.1.* quod si fortè deficiat Sacerdos post consecrationem, & adsit alius quamuis non ieiunus, debeat hic supplere, & sumere; si ergò Sacerdos sacramentum sumere debet necessariò, & indispensabiliter, ergo sumptio quoque est de ratione intrinseca, & essentiali sacrificij, aliàs non potest reddi ratio sufficiens, cur sit tam stricta obligatio ex præcepto, & iure diuino sumendi species consecratas, nisi quia absque sumptione hoc sacrificium non est integrum, & perfectum essentialiter; quod etiam docuit Concilium Toletanum 12. cap.5. vbi eos reprehendit, qui non sumebant in sacrificio Missæ corpus, & sanguinem Christi, & reddit rationem. *Nam quale erit sacrificium, cuius nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur.*

78 Deindè probatur ratione, quia in quocunque sacrificio propriè accepto præter oblationem victimæ, quæ offertur, necessaria est aliqua victimæ immutatio, alioquin non sacrificium, sed simplex oblatio foret, vt constat ex dictis; sed nulla potest assignari immutatio in sacrificio Missæ præter illam, quæ fit per sumptionem, ergo sumptio quoque est de essentia sacrificij; minor probatur, quia ista immutatio circà hostiam oblatam fieri debet, hostia enim offertur, vt sacrificetur; ergò debet esse consequens ipsam oblationem, ideoque per ipsam oblationem fieri nequit talis immutatio; sed per consecrationem Christus, vt victima, in altari offertur, ergo per solam sumptionem immutatur, quia solùm per eam consumatur, & destruitur. Ex his sufficienter deducitur vtramque actionem, nempè consecrationem, & sumptionem essentialiter sacrificium Eucharisticum integrare, nam ea tantùm actio censenda est essentialis huic sacrificio, quæ omissa necessariò est repetenda, quia nequit huius necessitatis alia assignari causa: atqui tantùm consecratio, & consumptio omissa necessariò est repetenda, vt constat ex proximè dictis ergo &c.

Sed quamuis vtraque actio ad essentiam huius sacrificij spectet, adhuc tamen addendum est consecrationem se habere magis principaliter, nam illa actio magis principaliter ad essentium sacrificij concurrit, propter quam principaliter confertur potestas ipsa sacrificandi, nam potestas sacrificandi est propter sacrificium; sed potestas sacrificandi principaliter confertur propter consecrationem, ergò hæc principalius spectat ad sacrificium; Minor colligitur ex forma sacerdotij à Concil. Florentin. assignata, *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia* &c. sed hæc potestas principaliter cadit suprà consecrationem corporis, & sanguinis Christi, nam propter hanc illa principaliter confertur, vt constat ex Trident. *sess.23. can.1.* vbi actionem ipsam consecrandi assignat, tanquam primam, ac principalem actionem sacerdotij. Tùm quia hæc actio conficiendi sacramentum est magis digna, quàm illud sumendi, & in consecratione magis repræsentatur passio Christi, quæ fuit sacrificium cruentum, cui deinceps substitutum est hoc nostrum sacrificium incruentum, ac demum in persona Christi exercetur.

Verùm quamuis consecratio sit pars magis principalis huius sacrificij, adhuc tamen difficile est explicare, quomodo ad essentiam sacrificij pertineat, de cuius ratione est, vt victima quæ sacrificatur, immutetur, & destruatur; in consecratione autem tantùm abest, vt destruatur Christus, quod potiùs tunc sub nouo modo essendi in sacramento constituitur, quomodo ergo per consecrationem immutatur, prout ad rationem sacrificij requiritur? Pro huius Difficultatis explicatione varij dicendi modi sunt à Recentioribus excogitati, quos breuiter referemus, & examinabimus.

ARTICVLVS TERITVS.

Quomodo consecratio ad essentiam sacrificij pertineat.

Primus dicendi modus est aliquorum, qui dixerunt ideò consecrationem ad essentiam sacrificij pertinere, quia 79
in ea interuenit destructio substantiæ panis, & vini, quæ destructio fit in cultum, & honorem Dei. Qui dicendi modus communiter reijcitur à Bellarmino, Vasquez, Cardin. de Lugo, & alijs, quia sic dicendo non tam corpus, & sanguis Christi, quàm substantia ipsa panis, & vini sacrificaretur; illud namque sacrificari dicitur, per cuius destructionem Deum colimus; cùm ergò iuxtà hunc dicendi modum solius panis, & vini destructione exhibeatur hic Dei cultus, illa solùm sacrificantur, non verò corpus, & sanguis Christi; Ex quo fieret contrà expressum Patrum, & Conciliorum testimonium non esse idem sacrificium Missæ, & sacrificium Crucis, neque nostrum sacrificium sacrificijs veteris legis excellentius esse, sed inferius, & ignobilius, cùm nobilior pane, & vino sit ouis, & agnus, vel vitulus.

Secundus dicendi modus est, intantùm consecrationi conuenire rationem actionis sacrificatiuæ, inquantùm per eam vi verborum corpus à sanguine separatur, licet enim vtrumque sub vtraque specie per concomitantiam, vt aiunt, reperiatur, hoc tamen per accidens est, verba enim, quantùm est de se, corpus à sanguine separant, & compositum illud dissoluunt, atque ità sacramentaliter illud mactant, ac in Altari, vt victimam occisam, & mactatam ponunt; ità Lessius *lib.12.* de perfectionibus diuinis *num.95* qui modus dicendi etiam nobis aliquando placuit. Sed re vera hæc sola immutatio verbalis per separationem corporis, & sanguinis Christi ad veram rationem sacrificij non sufficit, vt hic de eo loquimur; quia dùm à parte rei non sequitur realis eorum separatio, vndecunque impedimentum proueniat, semper verum est dicere, quod immutatio, ac destructio victimæ non interuenit; quarè si hæc est de ratione sacrificij, vt communiter concedunt omnes, dicetur impediri actio sacrificij.

Tertius dicendi modus est eorum, qui dicunt in sacrificio non semper requiri physicam destructionem substantialem hostiæ, sed vel physicam, vel humanam, itaut ex vi sacrificationis hostia, prout est in termino actionis, habeat statum aliquem decliuiorem, & reddatur inutilis ad humanum vsum, vel saltem in alium vsum permutetur à suo priori statu diuersum. Ita enim olim sacrificia fiebant, non solùm per animalium occisionem, sed etiam per panum coctionem, per vini effusionem, & si quæ sunt similia. Sic ergò Christus in Missæ sacrificio, quamuis substantialiter non destruatur, tamen destruitur modo humano, quatenus accipit statum decliuiorem, & ad humanos vsus secundum se inutilem, seù ad humanas operationes, & transfertur in vsum cibi, & potus à suo statu naturali longè diuersum; hac igitur de causa verissimè dicitur Christus ipsa consecratione sacrificari, & ad tale sacrificium sufficit hæc immutatio sacramentalis penes diuersum modum essendi; ità Cardin. de Lug. *disp.19. sect.5.* 80

Sed neque hic dicendi modus, licet satis subtilis satisfacit, & solidè reijcitur ab Auersa *q.11. sect.4.* esto enim valeret, si Christus ità in hunc statum, & vsum sacramentalem transferretur, quod amitteret statum suum naturalem in seipso, & ità de illo decideret, ac permutaretur in hunc alium statum decliuiorem; tamen dùm adhuc in suo esse primo naturali permanet, nihil iam deperdit per hunc alium modum posteriorem, sed potius alium nouum modum essendi acquirit, quem prius non habebat; quarè tantùm abest, vt hoc modo subeat mutationem deperditiuam, & destructiuam, quod potius subit acquisitiuam, & productiuam; Etiamsi hic nouus essendi modus sit inferior, ac diuersus ab alio modo naturali, quem adhuc in seipso retinet; Ex quo patet exemplum pro hoc dicendi modo superius adductum non esse ad rem, quia si quando vinum effundebatur in terram, adhuc etiam in poculo, vel patera retentum in suo statu permansisset, & per replicationem fuisset simul in terram deductum; non diceretur immutatum mutatione destructiua, & per hoc sacrificatum, sed potius mutatione quadam noui loci, & status acquisitiua licet deterioris, sine deperditione prioris sibi magis accomodati.

Con-

Confirmatur, quia si hac ratione forum dicamus Christum per consecrationem immutari actione deperditiua, eo quod in statu decliuiori constituitur; ergò quando posteà a tali statu liberatur per sumptionem Eucharistiæ, dici deberet immutari mutationem acquisitiua, & perfectiua, quod neque Auctor ille concederet, cùm ipse quoque dicat sumptionem etiam sacrificij rationem participare, quia per ipsam Christus esse sacramentale deperdit, quod iam per consecrationem acquisitum fuit absque vlla deperditione, vel immutatione prioris sui status perfectioris; Et plane stare non potest, quod & consecratio, qua Christus in hoc sacramento constituitur, & sumptio, per quam tali statu exuitur, sit mutatio destructiua, sed omninò dici debet consecrationem fuisse mutationem acquisitiuam noui esse sacramentalis, & posteà sumptionem esse actionem, vel mutationem destructiuam illius modi essendi, qui consecratione iam acquisitus fuerat.

81 Quartus dicendi modus distinguit sacrificium in absolutum, commemoratiuum, & inquit de ratione quidem sacrificij absoluit esse actualem immutationem, ac destructionem victimæ, sed de ratione sacrificij commemoratiui satis esse repræsentationem veræ immutationis, ac destructionis, quæ fuit in absoluto, cuius est commemoratiuum, & tale dicunt esse hoc sacrificium Eucharistiæ, cuius ratio in consecratione consistit, quatenus per illam sacrificium Crucis repræsentatur cum vera præsentia Christi ibi contenti, ita Vasquez *disp. 222. cap. 7. & 8.* Meratius *disp. 36. sect. 4.* & alij.

At neque hic dicendi modus satisfacit, non enim potest saluari complete essentia Eucharistici sacrificij in sola repræsentatione sacrificij cruenti absque reali immutatione etiam in sacrificio incruento interueniente; hoc enim mysterium vtique passionis Christi est repræsentatiuum, & sacrificij illius cruenti, sed simul etiam in se verum est sacrificium, & non analogicè tantùm; ideoque continere debet aliquam actualem, & præsentem victimæ immutationem, & non præteritam tantùm, nam actualis victimæ immutatio, & præsens ad veram sacrificij rationem est necessaria; vndè sacrificium Eucharisticum, cum sit verum, & proprium sacrificium, non tantùm dici debet commemoratiuum, sed etiam in se absolutum; nam si sacrificium ea tantum ratione diceretur, quatenus sacrificium mortis Christi repræsentat, solùm analogicè, & non vniuocè sacrificium esset, sicut imago hominis analogicè, tantum, & æquiuocè dicitur homo. Nec iuuat, quod Vasquez addebat de reali Christi præsentia in hoc sacramento; Non iuuat, inquam, non enim sufficit, quod ipso Christus in hoc sacramento sui ipsius mortem repræsentet, vt verè dicatur incruentè sacrificari, nec sufficit realis præsentia eius in hoc sacrificio, nisi etiam sit præsens aliqua eius immutatio; sicut à pari, si ille qui anteà vulneratus fuerat, posteà in scena tale factum repræsentaret, adhuc non nisi analogicè vulnerari diceretur, hoc est, repræsentatiuè; sicut ergò sacrificium incruentum distinguitur à cruento, cuius est repræsentatiuum, & adhuc propriè, & vniuocè sacrificium est; ita distincta debet immutatione perfici, vt verè sacrificium dicatur.

Confirmatur, quia sacrificia veteris legis erant sacrificia, quæ passionem Christi significabant futuram, significare autem futurum, aut præteritum perindè facit ad rationem sacrificij; ergo præter illam significationem, & repræsentationem aliquid aliud exigitur, alioquin non minus antiquis sacrificijs diceretur immolatus fuisse ipse Christus, quia in illis quoque passio Christi repræsentabatur. Denique Sacerdos verè, & propriè sacrificare non dicitur, nisi in rem ipsam sacrificandam veram, & propriam exerceat actionem sacrificatiuam; sed vera, & propria actio sacrificatiua est, quæ realiter immutat rem ipsam sacrificandam; ergò cùm iuxtà hunc dicendi modum nullam exerceat Sacerdos actionem realiter immutatiuam rei, quæ in hoc sacrificio offertur, sed tantum repræsentatiuè, verè, & propriè sacrificare non dicetur, quod est erroneum.

82 Quintus dicendi modus concedit quidem sacrificium in immutatione victimæ consistere, subdit verò immutationem non esse necessariò rei existentis destructiuam, sed posse esse vel destructiuam rei existentis, vel productiuam rei non existentis; itaut non sola immutatio destructiua, & traductiua rei de esse ad non esse, sed etiam productiua de non esse ad esse potest habere sacrificij rationem, si sic legitimè instituatur; & hoc quidem modo in Eucharistia inquiunt consecrationem habere sacrificij rationem, tanquam immutationem Christi productiuam quoad nouum modum essendi sacramentalem, quæ Christum sacramentaliter non existentem sub his speciebus facit de nouo ibi existentem; ità rem hanc explicat Auersa *loc. cit.* cum Suarez *disp. 75. sect. 5.* Coninch. *q. 11. art. 1. dub. 5.* & alij Recentiores; Ratio est, quia sicut honoratur, & colitur Deus per destructionem, & consumptionem rei, ita omninò honorari, & coli potest per productionem rei, imò per hanc propriè potest dedicari, & consecrari res in obsequium Dei.

Cæterum dicere, rem aliquam quando producitur, sacrificari, potuisseque Deo sacrificium offerri generando filios, vel alias res producendo, est contrà communem omnium concipiendi, & loquendi modum de sacrificio, prout de facto institutum est; alioquin templi constructio, vel alterius rei in cultum Dei verum sacrificium dici posset, & templum illud diceretur verè sacrificatum, quod sanè est omninò mutare, & peruertere conceptum, & vocem sacrificij, vt inquit Cardinalis de Lugo *disp. 19. sect. 4.* Hoc totum concedit Auersa *loc. cit.* quia ad rationem sacrificij requiritur etiam, vt sit actio instituta per publicam auctoritatem, & exercita per legitimum Ministrum; quarè concurrentibus ijs conditionibus, etiam productio (inquit) potuisset habere rationem sacrificij, & res producta rei sacrificatæ; quod si de facto aliàs institutum non sit, tamen institutum est in hoc excellentissimo Eucharistiæ sacrificio, nec mirum, si in hoc sit etiam singulare.

Addit, quod quando etiam ad rationem sacrificij non sufficeret productio rei sistendo in tali productione; bene tamen de ratione sacrificij esse potest productio rei ordinata ad destructionem eiusdem, & cum eiusdem destructionem coniuncta; & sic quidem in præsenti producitur prius Christus in Eucharistia sub speciebus panis, & vini, sed in ordine ad consequentem destructionem per comestionem, & potationem. Verum quamuis etiam hoc modo sacrificium institui potuisset, vt ipsa rei productio rationem sacrificij habere, potuisset, & res producta rei sacrificatæ; non tamen ità de facto institutum est sacrum Eucharistiæ mysterium, neque hoc ex modo loquendi Patrum colligitur, sed potius oppositum, vndè Diuus Augustin. *lib. 7. de Ciuitate Dei cap. 5.* ait, ***manducare panem in nouo testamento esse sacrificium Christianorum;*** & sic etiam loquuntur alij Patres significantes immutationem hoc sacrificium constituentem in esse tali non esse per modum productionis, sed destructionis, hoc enim modo præcisè sacrificium Crucis cruentum repræsentat, & mortem Christi, quam sanè per modum productionis repræsentare non potest.

Pro solutione igitur istius difficultatis præstat dicere, 83
consecrationem ad intrinsecam, & essentialem rationem sacrificij Missæ spectare, quatenus habet rationem oblationis, qua Sacerdos personam Christi gerens eiusdem corpus, & sanguinem Deo super Altari offert, itaut tota ratio intrinseca, & essentialis sacrificij Missæ consistat tùm in consecratione, vt habet rationem oblationes, qua Christus in Altari sub speciebus panis, & vini offertur; tùm in sumptione, per quam victima per consecrationem oblata immutatur, & ad destructionem specierum secundum esse sacramentale destruitur; quod totum consonat doctrinæ ab initio quæstionis de sacrificio in communi traditæ, sicut enim ibi diximus ad essentiam, & naturam sacrificij in communi propriè accepti duo pertinere, nempè oblationem externam, & sensibilem ex vna parte, & rei oblatæ destructionem ex alia; ità in proposito sacrificio Missæ dicimus interuenire consecrationem, tanquam oblationem externam, & sensibilem, & sacramenti sumptionem, tanquam rei oblatæ destructionem. Hoc totum satis eruditè deducit Gauatius *disp. 1. cit. q. 3. num. 101.* ex Scoto *3. dist. 9. q. vn. art. 2.* vbi sacrificium Missæ oblationem appellat, quam debet Sacerdos offerre pro se, & populo, & quol. 20. ab initio sub A. vbi habet, quandocunque Christus, vt summus Sacerdos offert, panis quem dat, idest, caro eius est mundi vita; tunc autem semetipsum Christus offerre dicitur, quando dat nobis carnem, quam quod vtique non fit, nisi in consecratione, dùm dicit, acci-

accipite, & comedite, hoc est corpus meum; ergo de mente Doctoris consecratio habet rationem oblationis; quod probat Gavatius ibidem plurium Patrum testimonijs, quę apud ipsum videri possunt.

Probatur expresse ex Concil. Trid. *sess. 22. cap. 1. & can. 2.* vbi docet Christum Apostolis, eorumq; successoribus potestatem dedisse offerendi sacrificium Missæ verbis illis, *Hoc facite in meam commemorationem*, verba Concilij c. 1. sunt hæc, *& eisdem, eorumque in sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepit per hæc verba, Hoc facite* &c. & can. 2. sic loquitur, *si quis dixerit illis verbis, hoc facite*, &c. *non ordinasse, vt ipsi, alijq; Sacerdotes offerrent corpus, & sanguinem suum, anathema sit*; ex quibus verbis expressissimè constat apud Patres Concilij consecrare, & offerre esse vnum, & idem. Confirmatur ex forma ordinationis sacerdotis, in qua dicitur, *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo*, &c. in illa autem forma accipit potestatem consecrandi; ergo consecratio habet rationem oblationis in missa. Accedit etiam ratio, quia tunc victima dicitur Deo offerri, dùm suprà altare in protestationem diuinæ excellentiæ, nostræque subiectionis collocatur; nam offerre, vt ex Hæbraico colligitur, significat hostiam ad immolationem adducere, vt habetur Gen. c. 4. & Iud. c. 6. sed ex vi verborum, & consecrationis corpus, & sanguis Christi sub speciebus adducuntur, & super altare Dei collocantur; ergò consecratio habet veram rationem oblationis in sacrificio Missæ, quia est adductio victimæ, nempè corporis, & sanguinis Domini super altari ad immolationem. Et hic etiam est communis loquendi modus Patrum, dum de consecratione loquuntur, quod eam oblationem appellant in sacrificio Missæ; vndè D. Ireneus l. 4. contra hæreses c. 32. de Christo loquens inquit, quod suis discipulis reliquit, *& nouam docuit oblationem, nempè sui corporis sub speciebus panis, & sui sanguinis sub speciebus vini positionem dicendo hoc est corpus meum, & hic est sanguis meus.*, & sic passim alij PP. loquuntur.

Sed Dices, in Trident. sess. 23. cap. 1. & can. 1. dicitur dari Sacerdotibus potestatem consecrandi, offerendi, & ministrandi corpus Christi; ergo consecratio est actio ab oblatione distincta, & consequenter ad hoc sacrificium non concurrit, vt vim oblationis habens. Accedit oblationem panis, & vini fieri antè consecrationem, & oblationem corporis, & sanguinis Christi fieri post consecrationem; ergo consecratio in Missæ sacrificio non ipsa consecratione consistit.

84 Respondeo Tridentinum ità loqui, non quia offerre, & consecrare sint duæ actiones distinctæ; sed quia consecrare in plus se habet, quàm offerre, multa namque consecrantur, quæ non offeruntur, vt templa, calices &c. ità ergò Concilium loquitur, vt significet potestatem, quæ Sacerdotibus datur suprà corpus Christi verum, non esse ad illud quomodocunque consecrandum, sed ad consecrandum offerendo illud Deo in eius honorem, vt hostiam, & victimam in sacrificio Missæ misticè immolandam. Ad Confirmationem patet ex dictis suprà *art. 2. num. 76.* oblationes illas verbales antecedentem, & consequentem consecrationem non esse de essentia, vel integritate sacrificij Missæ, sed merè cerimoniales; essentialis enim oblatio in ipsa consecratione consistit; nec requiritur, vt in sacrificio oblatio fiat expressis verbis, sed sufficit, si tantùm fiat re, cùm non in verbis, sed in rebus sacrificij essentia consistat; & sacrificium non tam in verbis, quàm in aliqua actione consistit, nam cùm Abraham filium suum sacrificabat, nihil certè scimus aliquid fuisse locutum, sed solùm voluisse filium occidere in Dei honorem: non ergo potest in oblationibus illis vocalibus verum sacrificium consistere, quia oblationes illæ non fiunt à Sacerdote in persona Christi, sed in persona propria Ministri, vt ex ipsis verbis manifestum est, atqui sacrificium offertur in persona Christi in ipsa consecratione, atque ideò in ea solùm fit oblatio ad rationem essentialem huius sacrificij spectans.

ARTICVLVS QVARTVS.

Soluuntur Obiectiones Aduersariorum.

85 IN oppositum obijcitur, primo ad probandum hoc sacrificium nullatenus in consecratione, sed in sola sumptione consistere, quoniam in ea actione integra essentia sacrificij consistit, quæ victimam immutat; atqui sola sacramenti consumptio victimam immutat, quia per hanc solam destruitur esse sacramentale, quod Christus, vt victima habet in hoc sacramento, ergo &c. Conf. quia consecratio est tantùm victimæ præparatio, quæ ad sacrificium non pertinet, nisi dispositiuè, alioquin etiam Incarnatio ad cruentum Crucis sacrificium pertinuisset, quia per illam victoria Crucis præparata fuit. Denique in die Parasceues offertur in Ecclesia sacrificium, nam in Offertorio illius diei nominatur sacrificium, sicut in alijs diebus *sic fiat sacrificium in conspectu tuo hodie, vt placeat tibi Domine Deus*; tunc autem Sacerdos non consecrat, sed tantùm sacramentum sumit; ergo sola sumptio constituit sacrificium, & in Ecclesia Græca per plures dies Quadragesimæ idem seruatur.

Respondeo, omissis aliorum solutionibus, iuxtà nostra 86
principia art. præcedenti tradita negando maiorem absolutè loquendo, quia ad rationem sacrificij pertinet quoque oblatio, tanquam ratio generica, vt docet etiam D. Thomas *q. 86. art. 1.* omne enim sacrificium est oblatio, quamuis è contrà non omnis oblatio sit sacrificium, quia sacrificium, quamuis oblationem essentialiter includat, addit vlterius, quod circa rem oblatam fiat aliqua immutatio, nam si res oblata integra maneret, posset habere solùm rationem doni, vel simplicis oblationis, non verò sacrificij; ex quo patet falsum esse omnem actionem ad sacrificium essentialiter spectantem esse debere rei oblatæ immutatiuam, nam oblatio ad sacrificium spectans est ordinata quidem ad aliam actionem victimæ immutatiuam, ipsa tamen in se non est formaliter talis; cum quo adhuc stat, vt ad essentiam sacrificij spectare possit, nam ipsa quoque in se considerata est sufficiens nota supremi dominij Dei, vt subiectionis nostræ, vnde coniuncta posteà cum alia actione formaliter victimæ immutatiua, quæ in proposito est sumptio, integrat cum ea totam sacrificij essentiam. Ad Confir. negatur rursus assumptum, nam cùm victima Eucharistica principaliter offeratur, & super altare adducatur ad protestandum supremum Dei dominium, non est tantùm sacrificij præparatio, sed ipsum quoque sacrificium saltem partialiter, quia talis actio præsertim cum ordine ad aliam victimæ immutatiuam apta est, vt accedente Dei institutione fiat formaliter sacrificium. Nec est eadem ratio de Incarnatione, quia non fuit finaliter terminata ad humanitatem, vt esset victima, sed propter gloriam ipsius, vt vnita verbo esset naturalis filius Dei, vt dictum est lib. 3. sentent. tractando de fine Incarnationis. Ad vltimum negatur, Ecclesiam illo die sacrificium conficere, cùm non consecret, sed solùm participat Sacerdos de sacrificio sumpto pro victima, pro se, & pro populo facta, illam comedendo pro se, & pro populo, vndè meritò populum astantem rogat, vt sacrificium illud, idest, res illa in sacrificium pridiè oblata cedat per manducationem in suam, & totius populi vtilitatem; vndè nomen sacrificij in eo loco non significat actionem sacrificandi, sed corpus Christi pridiè in sacrificium oblatum.

Secundò obijcitur è contrà ad probandum, nullatenus 87
in sumptione, sed in sola consecratione consistere huius sacrificij rationem, nam illa sola actio est essentialis huius sacrificij, quæ in persona Christi exercetur, Christus enim ipse, mediante Ministro, est principalis offerens; sed sola consecratio profertur à Sacerdote in persona Christi, cùm sumptio exerceatur in persona propria, ergò &c. Conf. quia sumptio est vsus sacramenti, quod formaliter à sacrificio differt, & est communis etiam Laicis, quibus tamen non conuenit sacrificare; Nec repræsentat passionem, & mortem, sed potius sepulturam Christi, cùm tamen sacrificium cruentum in morte consumatum fuerit, non in sepultura, eique debet sacrificium incruentum conformari. Tandem Sacerdos interdum præter hostiam, quam ipse sumpturus est, alias quoque plures consecrat, vel in sacrario seruandas, vel populo dispensandas; sed etiam in his alijs formulis Christus est perfectè sacrificatus, & immolatus; ergo de ratione sacrificij non est sumptio, sed sola consecratio.

Resp. negando maiorem, alioquin ità à pari in sacrificio 88
cruento argumentari liceret; in sacrificio cruento Crucis solus Christus fuit, qui seipsum ad Crucem, & passionem obtulit; ergo ità in illa obligatione totaliter, & adæquatè ratio sacrificij cruenti posita fuit, vt passio, & mors Christo illata ad illud essentialiter non spectet; patet autem hanc consequentiam esse falsam, nam absque Christi morte non fuisset

fuisset sacrificium illud essentialiter perfectum, iuxta illud Apostoli ad Hebræos, *sine sanguinis effusione non fit remissio*: Ex eo igitur, quod potius consecratio, quam sumptio in persona Christi exercetur, ad summum deduci potest, consecrationem esse magis principaliter de ratione sacrificij, quia Christus ipse est principalis offerens. Ad Confir. dicendum eandem sumptionem à Sacerdote factam secundum diuersas rationes esse vsum sacramenti, & partem sacrificij; est vsus Sacramenti, quatenus refertur ad sanctificationem sumentis, est etiam pars sacrificij, quatenus refertur ad cultū diuinum; Laicis verò conuenit, non sub ratione sacrificij, quia nec consecrant, nec sunt Ministri ad hoc idonei, sed tantùm quatenus vsus sacramenti. Falsum est etiam sumptionē non repræsentare mortem, & passionem Christi, vt patet ex illo Apostoli; *quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis.* Ad vltimum Lugus, Auersa, & alij dicunt, ad perfectionem, & constitutionem sacrificij satis esse, quod Sacerdos vnam ex illis hostijs sumat, eo enim ipso aliæ quoque non sumptæ censentur sacrificatæ: sicut olim, vt totum vinum censeretur sacrificatum, non oportebat totum effundi, sed aliqua parte effusa totum sacrificabatur; Sed planè non video, quomodo aliæ particulæ non sumptæ dici possint totaliter sacrificatæ ex hypotesi, quod sumptio sit de ratione intrinseca, & essentiali sacrificij; vndè potius mihi concedendum videtur, cum Gauatio nostro, illas formulas non sumptas non esse verè, & propriè sacrificatas, licet sint consecratæ, quod etiam concedit Amicus, sicut non est absurdum, quod deficiente Sacerdote hostia ab ipso consecrata, non perfectè sacrificetur, donec ab alio Sacerdote consumatur.

Dices hinc sequi, Fideles non esse participes altaris, & sacrificij, cum corpus Christi sumunt, quod videtur contrà illud Apostoli 1. ad Corinth. 10. *Nonne qui edunt hostias participes sunt altaris*? & contrà illud Canonis, *vt quot quot ex hac altaris participatione sacrosanctum Filij tui corpus, & sanguinem sumpserimus &c.* Respondeo aliud esse. Fideles non esse participes altaris, aliud non esse participes sacrificij, hoc secundum concedo, sed primum omninò nego; sunt enim altaris participes, quatenus participes sunt sacramenti Eucharistiæ, quod verè, & propriè sacramentum altaris dicitur; & ideò apposite dixit Apostolus, Fideles Christi corpus sumentes fieri participes altaris, non verò dixit esse participes etiam sacrificij, & hac de causa etiam in Canone fit mentio præcisè de altaris participatione, non verò sacrificij.

89 Tertiò arguitur ad idem, in ea actione constituenda est huius sacrificij essentia, per quam Christi corpus incruentè immolatur, sicut essentia sacrificij cruenti sita fuit in immolatione cruenta; sed per solam consecrationem corpus Christi incruentè immolatur, nam ex vi consecrationis corpus ponitur separatum à sanguine, atque ideò misticè occisum, & consequenter immolatum; ergò in ea tantùm huius sacrificij essentia est constituenda. Conf. quia per sumptionem ad summum destruuntur species, non verò corpus, aut sanguis Christi; ergo destructione, quæ fit per sumptionem, non sacrificatur corpus, aut sanguis Christi. Demum de fide est Christum in vltima cœna verum obtulisse sacrificium, non est autem de fide ipsum sacrificium consumasse; ergo non potest sacrificium Missæ essentialiter in consumptione consistere, quia non potest res certa in principio dubio fundari.

90 Respondetur negando minorem, nam immolatio propriè destructionem victimè importat, Christus autem non destruitur sacramentaliter per consecrationem, sed per consumptionem: & iam dictum est suprà *num. 79.* in confutatione secundi modi dicendi, solam immutationem verbalem per separationem corporis, & sanguinis Christi ad veram rationem sacrificij non sufficere. Ad Confir. dicēdum, quod licet in sumptione non destruantur corpus, & sanguis Christi quoad esse substantiale, & simpliciter, destruitur tamen quoad esse sacramentale, & secundum quid; quod sufficit, vt verè, & realiter corpus Christi in hoc sacrificio immolari dicatur, quia in hoc sacrificio per consecrationem sub specie panis verè, & realiter offertur corpus, sub specie vini sanguis & per sumptionem speciei panis verè, & realiter manducatur corpus, per sumptionem vini realiter bibitur sanguis. Ad vltimum, quamuis non sit de fide, & æquè certum Christum seipsum sacramentaliter in vltima cœna consumpsisse, est tamen satis certum ex Patribus, & omnium Theologorum consensu comprobatum, vt expressè colligitur ex illis verbis Lucæ 22. *Non bibam amodò de generatione vitis, donec regnum Dei veniat*, quæ planè verba non possunt, nisi de calice consecrato intelligi.

Quartò Bernal. *disp. 21. sec. 2. §. 4.* sic arguit; in sola consecratione concurrunt omnia ad rationem sacrificij Missæ constituendam necessaria: ergo in ea sola tota ratio huius sacrificij est constituenda; probat assumptum, duo in missæ sacrificio sunt necessaria essētialiter, Primum, quod sit mortis Christi repræsentatiuum per separationem sanguinis à corpore inductæ, & hoc ei conuenit, nam ex vi verborum consecrationis ponitur sub speciebus panis corpus, & non sanguis, & sub speciebus vini sanguis, & non corpus. Alterum est, quod sit substantialiter destructiuum rei, quæ per sacrificium immolatur, & hoc etiam soli conuenit consecrationi: non enim opus est, quod actio sacrificatiua sit causa physica, vel moralis immediata desitionis rei, quæ immolatur; sed satis est, si moralis sit, & mediata: at consecratio est causa moralis, & mediata, vt Christus sub speciebus citius, quàm ex se postulet, substantialiter, ac physicè desinat, nam ponit eum sub speciebus cum physica necessitate substantialiter desinendi ad corruptionem specierum; immò moraliter constituit ibi Christum cum obligatione Sacerdotis ad ipsum sumendum: ergo consecratio verè, & propriè sacrifica est. Confirmatur, quia sumptio non est causa, vt Christus per hoc sacramentum oblatus simpliciter desinat esse; ergo non est essentialiter sacrifica, consequentia patet, quia actio essentialiter sacrifica debet esse causa, vt res per sacrificium oblata simpliciter desinat esse substātialiter; probatur assumptum, cùm enim consecratio Christum constituat dependentem à speciebus, iam eum constituit simpliciter obnoxium physicæ desitioni ad corruptionem specierum; ergo est causa, vt Christus desinat esse multò citius, quàm ex se desinere posceret; igitur quamuis non sumeretur, desineret, & proindè sumptio non est simpliciter causa, vt Christus desinat esse substantialiter, sed vt citius desinat, quam si non sumeretur, atque ideò essentialiter ad sacrificium Eucharistiæ non spectat. Demum arguunt alij, per sumptionem sacramenti non statim desinit corpus, & sanguis Christi secundum esse sacramentale, quia non desinit sacramentaliter Christus, nisi desinentibus speciebus, quæ non statim comestæ desinunt, nisi alterentur in stomacho: ergo hac ratione potius digestio quàm sumptio ad essentiam huius sacrificij spectaret, quia per digestionem, non per sumptionem Christus amittit esse sacramentale.

Respondetur negando assumptum; ad probationem ex primo capite dico, quod licet consecratio ex vi verborum sit repræsentatiua sacrificij cruenti crucis per misticam separationem sanguinis à corpore, adhuc etiam sumptio eiusdem sacrificij cruenti est repræsentatiua, & non tantum sepulturæ, sed etiam ipsius mortis Christi expressio, vt dictum est *num.* 88. nam sicut in morte dissoluta fuit vnio animæ cum corpore, ità in consumptione dissoluitur vnio Christi cum speciebus, vndè sicut per illam mactata est humanitas naturaliter, ità per hanc corpus, & sanguis Christi sacramentaliter; & quidem hæc repræsentatio sacrificij cruenti est magis propria, quàm illa, quia verba consecrationis repræsentant passionem, & mortem Christi in facto esse, nempè corpus Christi ex sanguine, & mortuum, ac sanguinem effusum, atque ità non repræsentant sacrificium Crucis in fieri, sed in facto esse, & Christum iam in cruce sacrificatum; at sumptio specierum repræsentat mortem Christi in fieri, actualem nempè dissolutionem animæ à corpore modo nunc explicato. Ad probationem ex alio capite negatur assumptum, non enim sufficit ad constitutionem sacrificij actio, quæ sit causa physica, vel moralis mediata destructionis rei, quæ immolari debet, sed præterea exigitur actualis rei sacrificatæ destructio, quæ in proposito solùm per specierum sumptionem habetur; vndè quamuis consecratio sit causa moralis mediata desitionis corporis Christi sub speciebus modo iam explicato in argumento, nisi adhuc actu desinat sub illis, non diceretur actu immolari, & sacrificari, ideoque præter consecrationem requiritur etiam actualis specierum desitio, quæ habetur per sumptionem.

Ad Confirmationem verum est assumptum, si Christus consideretur secundum esse substantiale; falsum autem, si secundum esse sacramentale, & dùm dicitur, si non sumeretur, adhuc desineret esse sacramentaliter ad corruptio-

ruptionem specierum; ergò sumptio non est simpliciter causa, vt Christus desinat esse sub speciebus; hæc consequentia est gratis omninò deducta; vt enim inquit Gauatius in præsenti, quando agnus in lege veteri sacrificabatur, certè quamuis ille occisus non fuisset à sacrificante, adhuc naturaliter mortem subijsset; nec tamen inferre hinc valet, quod illa occisio non fuisset vera, & realis causa mortis eius.

Ad vltimum, quamuis per sumptionem Christus non statim desinat sacramentaliter, fit tamen in via desitionis, & hoc sufficit, vt per illam immolari dicatur tanquam per actionem magis sensibilem, eo enim ipso, quod sacramentum sumitur, iam ponitur in statu proximo destructionis, & etiam in communi modo loquendi cibus omnis ex tunc dicitur destrui, & consumi cùm manducatur, & liquor cùm bibitur, ac etiam in antiquis sacrificijs immolatio in ipsa victimæ percussione, & iugulatione perficiebatur, & consumabatur, quamuis aliquanto post sequeretur interitus.

93 Quintò tandem arguitur, quod in ea vtraque actione nequeat huius sacrificij ratio consistere, si enim illa duplex actio consecrationis, scilicet, & sumptionis rationem integrat sacrificij eucharistici; ergo duplex erit sacrificium, primum in consecratione, secundum in sumptione, quod non est admittendum.

Confirmatur, quia si consecratio, & sumptio sunt partes ex æquo huius sacrificij; ergo sicut saluatur eius essentia in consecratione antè sumptionem, ità in sola sumptione sine consecratione inuenitur essentia sacrificij, & per consequens in die Parasceues datur simpliciter Missæ sacrificium, quod est contrà superius dicta. Denique Patres hoc sacrificium explicant per solam consecrationem nulla facta sumptionis mentione, cuius tamen mentionem facere debuissent, si putassent ad essentiam sacrificij spectare.

Respondeo, quod sicut olim in antiquis sacrificijs holocaustum erat vnum sacrificium ex mactatione, & combustione victimæ conflatum, ita in proposito ex vtraque actione, scilicet, consecrationis, & sumptionis vnum sacrificium consumatum, & completum perficitur, & integratur, cuius nulla alia ratio adduci potest, nisi quia id totum institutum est, & ordinatum à Deo in sui honorem, & cultum.

Ad Confirmationem Lugus, quia censet sumptionem non ad essentiam propriè, sed potiùs ad integritatem huius sacrificij pertinere, respondet non esse partes eodem modo, nam consecratio est prima, & præcipua pars, & quæ potest aliquo modo reperiri sine secunda, quia quando est consecratio, nondùm est sumptio; at verò sumptio semper præsupponit essentialiter consecrationem iam factam, vndè vult sumptionem nec simpliciter sacrificium dici debere, nec partem eius essentialem, sed potiùs consumationem sacrificij, eiusque complementum, & partem potius integralem, quàm essentialem, quia supponit essentialem totam sacrificij in parte præcedenti, scilicet, consecratione, & ità etiam loquuntur ex nostris Hiqueus, & Poncius; Alij verò absolutè volunt sumptionem esse partem huius sacrificij essentialem, & non tantùm integralem, quia per ipsam præsertim destruitur victima hic oblata modo iam explicato, quod est de essentia, & non tantùm de integritate sacrificij, vndè in nulla ex prædictis partibus seorsim ab alia accepta integra, & tota sacrificij essentia saluari potest, sicut in corpore ab anima separato, aut è contrà saluari non potest hominis essentia, & quidditas, sed tantùm pars essentiæ, iuxtà quam doctrinam, quam veriorem puto, & probabiliorem, ad argumentum neganda est consequentia, quia in nulla ex illis partibus seorsim ab alia accepta integra, & totalis essentia sacrificij Eucharistici inuenitur, sed tantùm partialis, & incompleta.

Ad vltimum dico Patres ità per solam consecrationem hoc sacrificium explicare, vt consumptionem non excludant; quod autem sæpius illius, quàm huius mentionem faciant, est quia actio illa admirabilior est, & principalior.

QVÆSTIO QVINTA.

An essentia sacrificij Missæ vtriusque speciei consecrationem necessariò exigat, vel vnius tantum sufficiat.

IAm in præcedenti quæstione statutum est, essentiam sacrificij Missæ in consecratione corporis, & sanguinis Domini, etsi non adæquatè, & totaliter, principalius tamen consistere; Ex hoc autem oritur alia difficultas, nùm sicut in qualibet specie consecrata vera ratio sacramenti saluatur, vt dictum est *disput. 3. quæst. 5. art. 1.* ità pariter in vnius tantùm speciei consecratione vera quoque ratio sacrificij saluari possit, vel vtraque necessariò requiratur; In qua controuersia duæ sunt opiniones. Prima affirmat vtriusque speciei consecrationem esse de ratione intrinseca, & essentiali sacrificij missæ, quam communiter Recentiores sequuntur Suarez, Vasquez, Coninchius, Lugus, Bernal, Caspensis, & alij passim, & nos quoque innuimus *loc. cit.* Secunda sententia affirmat in vnius speciei consecratione veram sacrificij rationem seruari posse, sicut in vnaquaque specie consecrata vera sacramenti Eucharistiæ ratio inuenitur, ità Henriquez, Bonacina, Nugnus, & ex nostris Aretinus, Hiqueus, Poncius, & Gauatius *disput. cit. quæst. 4.* vbi dicit, quod licet vtriusque speciei consecratio ad integritatem sacrificij Missæ necessariò requiratur, non tamen ad essentiam. 94

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæstionis Resolutio.

IN huius quæstionis resolutione media quadam via incedendum est hoc modo, quod si sacrificium sumatur solum pro reali oblatione, & immutatione rei in honorem Dei iuxta ea, quæ hactenus de sacrificio dicta sunt: sic in singulis Eucharistiæ speciebus, & in qualibet per se ratio sacrificij inuenitur, & hoc solùm conuincunt rationes secundæ sententiæ, vt in earum solutione constabit; Si verò vlterius consideretur, quod est speciale in Eucharistiæ sacrificio ex vi suæ institutionis, quod nempè sit expressa, & completa repræsentatio sacrificij cruenti in passione Christi, peracti, planè secundum hanc considerationem hoc sacrificium expressè, & complete, non nisi in consortio vtriusque speciei inueniri potest, vt re vera conuincunt rationes primæ sententiæ, quod totum optimè adnotauit Auersa *quæst. 11. sec. 5.* Conclusio quoad primam partem probatur, quia si sacrificium eo modo sumatur, in vnaquaque consecratione, tam corporis, quàm sanguinis, saluatur vera, & essentialis ratio sacrificij; ergo ambæ non sunt de intrinseca, & essentiali ratione sacrificij eo modo sumpti; probatur assumptum, quia vt dictum est ab initio præcedentis quæstionis, sacrificium est ablatio externa rei permanentis cum eiusdem destructione, facta à legitimo ministro, summam Dei excellentiam, nostramque ergà eundem subiectionem repræsentans; sed sola consecratio speciei panis esset oblatio externa corporis Christi cum eiusdem immutatione, nam sicut species panis distincta consecratione consecratur, ità distincta sumptione sumitur à specie vini; fieret item à legitimo ministro, nempè à sacerdote, & in honorem summæ diuinæ maiestatis; ergò quoad hanc considerationem sola vnius speciei consecratio veram, & essentialem haberet sacrificij rationem. 95

Quoad aliam partem probatur etiam, & explicatur quia cùm Christus olim per realem occisionem, & separationem corporis, & sanguinis immolatus fuerit, nec posset amplius eo modo occidi, & immolari, quoniam vt ait Apostolus, *Christus semel mortuus est, & resurgens ex mortuis iam non moritur*, ideò hoc mysterium instituere voluit, in quo modo quodam mystico, toties denuò mactaretur quoties hoc mysterium exarceretur; Hæc autem mystica mactatio in ipsa separatione corporis, & sanguinis, quantum est ex vi verborum consistit, quod planè nisi vtriusque consecrationis virtute, haberi potest; cùm enim Christus passionem suam, & mortem per effusionem sanguinis perfecerit, & hoc per huiusmodi sacrificium exprimi debeat, id non rectè fit, nisi per vtriusque speciei consecrationem; nam per consecrationem panis ex vi verborum ponitur corpus eius mysticè à sanguine separatum; & per consecrationem 96

vini

vini ponitur sanguis eodem modo à corpore separatus, qua ratione exprimitur quomodo verè, & realiter in Cruce fuerit separatus,& per eius effusionem Christus verè, & realiter mortuus; penes ergo hanc considerationem perfecta, & essentialis ratio huius sacrificij,non nisi in consortio vtriusq; speciei perficitur,& adimpletur. Ex quo deducitur,quod oblatio huius sacrificij alio modo facta esset contrà institutionem Christi Domini, quia vt constat ex Trident.*sess.22 cap.* 1.hoc sacrificium instituit sub vtraque specie, & ità ipse consecrauit,pręcepit,& voluit,vt sub vtraque speciei sacrificium hoc perficeretur, ac eo modo incruentè eius passio, & mors cruenta repræsentaretur.

Respondent Aduersarij hoc totum etiam,saltem implicitè, per consecrationem vnius tantum speciei exprimi posse, nam hoc ipso, quod in consecratione tantum vnius speciei nominatur, vel solum corpus, vt distinctum à sanguine, vel solus sanguis, vt distinctus à corpore satis insinuatur separatio corporis, & sanguinis; & eo ipso quod ponatur corpus ex vi verborum absque sanguine, vel è contrà, iam sufficienter significatur sanguis effusus, & separatus fuisse à corpore.

97 Sed quamuis in consecratione etiam vnius speciei tãtum possit esse aliqua proportio ad repræsentandam Christi passionem,etiamsi per concomitantiam esset ibi totus Christus; non tamen adeò clara,& expressa repræsentatio haberi potest,sicut in consecratione vtriusque quia posito solo corpore in hostia ex vi verborum, non exprimeretur clarè mors illius corporis per effusionem sanguinis,potuisset enim morbo, vel suffucatione mori per defectum intrinsecum sanguinis absq; eo quod effunderetur. Cùm igitur tota ratio huius sacrificij ex volũtate Christi pendeat sic instituentis,ipsemet Christus voluit,& instituit,vt per consecrationem vtriusque speciei clarius & expressius realis illa corporis, & sanguinis separatio repræsentaretur, & consequenter passio, & mors cruenta eiusdem; eo enim ipso, quod in vno loco ponitur corpus ex vi verborum, non posito ibi sanguine, & in alio loco constituitur sanguis, non posito ibi corpore ex vi verborum,multò clarius,& expressius declaratur, & exprimitur separatio realis, quæ facta est in Cruce corporis Christi à sanguine ipsius;adeo quod ratio à priori nostræ assertionis quoad hanc partem tota desumi debet ex Christi voluntate, qui talem ritum sacrificandi instituit sub vtraque specie, vt clarius, & expressius eius passio repræsentaretur, quamuis etiam aliquo modo, & implicitè sub vna tantùm specie repræsentari potuisset. Quo optimo exemplo Suarez *disp. 75.sec.* 6.declarat, quicquid dicat Vasqu. ex baptismo deducto, in quo non sufficit dicere *Ego te baptizo in nomine Trinitatis*,quia illa verba minus clarè,& expressè personas Trinitatis significant, Christus autem voluit, vt clarius exprimerentur; sic ergò à pari in hoc sacrificio non possumus adhibere illud solum signum, quo minus distinctè mors Christi repræsentatur, quàm ipse voluit magis expressè repræsentari.

Respondet Gauatius,hoc argumento non cõuinci vtriusq; speciei consecrationem esse partes huius sacrificij esséntiales, sed tantùm integrales,nam certè vtriusque speciei consecratio ad integritatem sacrificij Missæ requiritur; siquidem à Christo vtraque species instituta vtique fuit ad perfectè, & completè sui passionem,& mortem repræsentandam;adhuc tamen singulæ quoque species institutæ fuerunt cum sua significatione saltem partiali; Sicut in ratione sacramenti vtraque species instituta fuit ad integrum conuiuium significandum, & refectionem completam, singulæ tamen species institutę fuerunt ad significandam quoque refectionem partialem,& ideò adhuc validè potest consecrari vna species sine altera. Addit Poncius non sufficienter probari neque ex Concilijs,neque ex Patribus, quod Christus absolutè, & in omni casu præceperit, vt consecratio fieret illo ritu, vt tam explicata fieret commemoratio passionis, & mortis Christi quàm fit consecratione vtriusque speciei, ideoque tam facilè negari posse, quam facilè à nobis asseritur.

98 Sed vt ab hoc vltimo incipiam, falsum omninò est, quod inquit Poncius, id non sufficienter probari nec ex Patribus, nec ex Concilijs; hoc enim probat Bernal. *disp. 22.sec.* 2. ex Patribus Græcis,& Latinis, quorum testimonia apud ipsum videri possunt; & vt alia omittam Concilia id expressè habetur in Trid.*sess.22.cit. cap.*1. vbi dicitur Christus obtulisse in sacrificium corpus, & sanguinem suum sub speciebus panis, & vini, *Ac sub earundem rerum symbolis Apostolis, eorumque in Sacerdotio successoribus, vt offerrent, præcepisse*, sumitur etiam ex ipso Euangelio, vbi Christus de hoc sacrificio iniunxit Apostolis: *Hoc facite in meam commemorationem*, quæ verba ad id demonstrandum ab eodem Concilio adducuntur; hæc enim passio explicitè, & adæquatè per huiusmodi consecrationem vtriusque speciei repræsentatur. Et ex huiusmodi testimonijs optimè deducitur, vtramque consecrationem esse huius sacrificij partes non tantùm integrales, vt Gauatius dicebat, sed etiam essentiales,vt Lugo deducit *disp. 19.sec.8. num.* 114. neque enim est par ratio de Eucharistia in ratione sacrificij, & in ratione sacramenti, vt iam diximus *disp.3.quæst.5.art.1.*& latum patet discrimen inter institutionem vnius,& alterius,nam sub ratione sacramenti instituta est ad modum cibi, & potus ad animam fumentis nutriendam; cibus autem licet non sit integrum, & completum nutrimentum absque potu, adhuc tamen nutrit;sic ergo pariter Christi corpus,quod sub speciebus panis est cibus sacramentalis,potest, ac debet nutritionem aliquã significare, licet non integri conuiuij: vt sacrificium autem repræsentatiuum sacrificij cruenti non habet hoc, quia vt dictum est;corpus sub speciebus panis separationem ipsius à sanguine non expressè repræsentat,quarè licet ex ipsa institutione potuerit partialis significatio colligi singularum specierum in ratione sacramenti, non tamen in ratione sacrificij.

Confirmatur,quia ex verbis ipsius Christi habetur,quod singulæ species seorsim gratiam causent,etenim manducanti solam speciem panis gratiam promisit, cùm dixit *qui manducat hunc panem viuet in æternum*, ideoque ex verbis Christi meritò Ecclesia colligit sensum institutionis,vt non solum vtrique speciei, sed singuli etiam sua significatio responderet; At verò in ratione sacrificij nullum est vestigium talis voluntatis in Christo, sed contraria omninò colligitur ex modo instituendi, vt ex testimonijs adductis deducitur, quod nempè instituit non vnam speciem duntaxat, sed vtramque ad significandam expressiùs suam passionem, & mortem.

Ex quo infertur consecrationem vtriusque speciei ita esse de ratione huius sacrificij, vt in nullo euentu vna species sine alia consecrari possit, neque Ecclesiam posse in hoc dispensare:Ratio est,quia Ecclesia solum circà sacramentorum administrationem, & vsum statuere, & variare potest, salua semper eorum substantia: atqui si dispensaretin oblatione sacrificij sub vna tantùm specie, non maneret salua substantia sacrificij à Christo instituti; ergò in hoc dispensare non potest; minor probatur ex proximè dictis, quia ad substantiam sacrificii maximè spectat significatio,à Christo autem non vna tantùm species, sed vtraque instituta fuit ad expressius suam passionem significandam; ergò si Ecclesia dispensaret, vt offerretur hoc sacrificium in vnica specie, substantiam sacrificii mutaret; Cum ergo Ecclesia non possit aliquod signum instituere à Christo non institutum, consequens est,vt non possit facere, quod in vnica specie offeratur salua substantia sacrificii.Sed hoc totum iam ex professò probatum est *loc cit.disp.3.quæst.5.art.1.numer.*122. & 123.vbi etiam soluta sunt, quæ in contrarium obiici solent, & ostensum est esse de mente Doctoris 4.*dist.8.quæst.*3. vbi docet integritatem consecrationis sub vtraque specie, esse iuris diuini, & Ecclesiastici. 99

Hic tamen prætereundum non est, quod ibi addit Hiqueus ad conciliandas oppositas sententias in hoc puncto tale temperamentum adhiberi posse, vt consecratio vtriusq; speciei sit de præcepto diuino, & ordinaria lege, quando potest vtraque materia adhiberi, quando autem nequit haberi, præualeat necessitas sacrificii in aliquo populo, aut natione huic præcepto consecrationis vtriusque vt possit haberi vsus sacramenti, qui præponderat præcepto de consecratione integra. Quod probat exemplo ex alijs sacramẽtis deducto, confessio namque verbalis est de essentia sacramenti Pœnitentiæ, vt definit Trident. & confessionis etiam integritas, vt patet *sess. 14. cap. 5.* hoc tamen de lege ordinaria; in casu autem quo quis esset mutus,aut ex infirmitate amitteret vsum linguæ, non currit obligatio confessionis verbalis, sed sufficit confessio per signa, & nutus; sufficit etiam confessio aliquorum peccatorum, quando timetur mors præsens, & non superest tempus integræ confessionis: sic ergo in proposito ait explicandum hoc diuinum præceptum de consecratione sub vtraque specie, hoc enim videtur magis conforme suaui dispositioni, & prouidentiæ

Saluatoris, quia hoc modo prouisum est vniuersaliter toti Ecclesiæ; cui modo dicendi subscribit etiam Poncius quoad veritatem speculatiuam huius casus, nam oppositum asserere esset priuare magnam partem Ecclesiæ hoc principalissimo mysterio propter impossibilitatem habendi alteram speciem in quibusdam regionibus.

100 Sed planè hoc est trepidare timore, vbi non est timor, quia certè in tot sæculi eiusmodi necessitas adhuc non occurrit, & credibile est nunquam futuram, quia vt refert Cardin. de Lugo in remotissimis Indiæ regionibus, in quibus vini penuria est, imò in aliquibus etiam tritici, vt in Insulis Philippinis, vbi triticum non generatur, experientia docet asportatione non solùm ad sacrificium, sed etiam ad potum communem abundè suppleri. Vndè falsum esse omninò conuincitur, quod aliqui ex Volaterraneo referunt, olim cum Noruegis dispensatum fuisse, vt in sola specie panis consecrarent ob vini penuriam; cùm etiam experientia constet apud illos vinum ad sacrificium, & ad potum non deesse, & ipsa historia ex hoc solo suam prodit falsitatem, quod ait concessum illis fuisse *vt calicem sine vino consecrarent*, quod absque manifesto errore concedi non potest, quod totum iam notauimus *disp.3 cit quæst.5.art.1.* & planè illa inconuenientia, & detrimenta, quæ sequerentur, si non posset in illa necessitate dispensari, præuidit optimè Christus, & nihilominus hoc sacrificium instituit sub vtraque specie absolutè loquendo, & cum determinatione consecrationis vtriusque nihil super hoc arbitrio Ecclesiæ relinquens; Ex quo patet exemplum de materia confessionis sacramentalis adductum ad rem non esse, sed potius ad oppositum, quia vt suprà dictum est in hac *disp.36.& 45.* Christus externam peccatorum confessionem instituit determinatè materiam pœnitentiæ; núm autem hæc facienda sit verbo, vel scripto, aut alijs signis sensibilibus, non determinauit, sed Ecclesiæ determinandum reliquit iuxta casuum diuersitatem; at in proposito absolutè, & determinatè hoc sacrificium instituit sub vtraque specie, & cum necessitate consecrationis vtriusque nihil Ecclesiæ relinquens determinandum in hoc mysterio; non igitur à communi sententia recedendum est, quod nequeat Ecclesia dispensare in consecratione vtriusque speciei, hoc enim modo determinatè à Christo Domino sacrificium hoc institutum est, & Ecclesia nihil potest circà substantiam sacramentorum, & sacrificij à Christo instituti, vt *loco citato* dictum est *disp.3.quæst.5.art.1.*

101 Quæres, an sicut hæc necessitas, & obligatio consecrandi sub vtraque specie est de iure diuino, & institutione ipsa Christi, idem pariter sit dicendum de sumptione vtriusque speciei in Sacerdote sacrificante; & ratio dubitandi est, quia de facto Sacerdotes cum Episcopo concelebrantes non communicant de Calice. Communiter tamen affirmatiuè respondent, quod ad totale, & absolutum complementum huius sacrificij spectat, vt in vtraque specie consumetur, & sic Christus illud instituit, vnde neque in hoc Ecclesia dispensare potest, vt aduertit Auersa *loc. citat.* Quandò autem plures concelebrant cum Episcopo, satis est, vt vnus ex illis totum perficiat sacrificium.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Aduersantibus occurritur.

102 IN Oppositum obijciunt Auctores secundæ sententiæ, & præsertim ex nostris Gauatius *loc. cit. disp. 1.4.4.c.1.* Primò quia in vnaquaq; consecrationem tam corporis, quàm sanguinis saluatur vera, & essentialis ratio sacrificij, quia de singulis verificatur, quod sit oblatio externa alicuius rei permanentis cum eiusdem destructione, facta à legitimo Ministro, summam Dei excellentiam, nostramque ergà eundem subiectionem repræsentans, quæ est definitio sacrificij propriè dicti superius allata, ergò ambæ non sunt de intrinseca, & essentiali ratione sacrificij Missæ; consequentia patet, quia enim ratio essentialis sacramenti in qualibet specie consecrata reperitur, indè omnes concludunt ambas species non esse partes essentiales sacramenti Eucharistiæ, sed integrales tantùm; quæ enim vt partes essentiales concurrunt ad vnũ totum essentiale constituendum, neutrum separatim acceptum fundare potest rationem illius, cuius est pars, & eius prædicationem in recto suscipere, vt patet de corpore, & anima respectu hominis, quem essentialiter cõstituunt. Cõfirmatur, quia consecratio corporis non dependet à consecratione sanguinis, nec è contrà, igitur potest vna absque alia validè fieri, ac etiam licitè cum dispensatione, & sicut potest ratio sacramenti in vnica specie consecrata saluari, ità & ratio sacrificij in vnius speciei consecratione; probatur assumptum, quia per primam consecrationem aliquid sacrum fieret, & Deo dicatum, quod factum maneret, etiamsi secunda non sequeretur; ergo illa adhuc in tali casu haberet veram, & essentialem rationem sacrificij non minus, an species consecrata sacramenti.

Respondeo argumentum conuincere tantùm, primam assertionis positæ partem, quod si sacrificium sumatur solùm pro reali oblatione, & immutatione rei in honorem Dei, sic in singulis speciebus Eucharistiæ, & in qualibet per se ratio sacrificij inuenitur; at si vlterius si consideretur, quod est speciale in sacrificio Eucharistiæ ex vi suæ institutionis, quod nimirum sit expressa, & completa repræsentatio sacrificij cruenti in Cruce peracti, siuè mystica quædam mactatio, & corporis à sanguine separatio, planè in hoc sensu negatur assumptum, non enim ità clarè, & completè passio Christi repræsentatur in consecratione vnius duntaxat speciei, sicut in vtraque vt satis constat ex dictis. 103

Ad Confirmationem verum est assumptum loquendo de Eucharistia in ratione sacramenti, non autem sacrificij, vt dictum est *disp.3. quæst.5.art.1.* siquidem latum patet discrimen inter institutionem vnius, & alterius, vt paulò supra dicebamus *numer.98.* ad probationem assumpti dico parum referre, quod per primam consecrationem aliquod sacrum fiat, quod factum maneret, etiamsi secunda non sequeretur; indè enim solùm fit in illa consecratione esse inchoatũ sacrificium, non verò essentialiter perfectum, vt notat Suarez *disput.75.sec.6.* sicut etiam iacto fundamento, & erecta pariete aliquid manet factum ædificij, quamuis ædificatio vlterius non progrediatur, nemo tamen dicet esse domum essentialiter perfectam, sed inchoata; & in alijs sacrificijs idem est, nam si animal, quod interfici, & comburi præcipitur, vt in sacrificium offeratur, prius interficiatur, & posteà non comburatur; re vera interfectum manet, non tamen propterea ibi fuit sacrificium essentialiter perfectum sed inchoatum tantùm; & tandem idem fuisset in sacrificio cruento Christi, si post flagella, & clauorum etiam infixionem, mors non fuisset secuta.

Secundò arguunt, ratio sacrificij huius incruenti consistit essentialiter in consecratione, qua mysticè, & sacramentaliter repræsentatur sacrificium cruentum Mortis Christi, quæ essentialiter sita est in separatione animæ à corpore; sed in sola consecratione vnius speciei sufficienter fit talis repræsentatio, quia per solam consecrationem panis ex vi verborum ponitur corpus sine anima, & per solam consecrationem vini constituitur sanguis sine anima, & per solam consecrationem panis, aut vini repræsentatur etiam separatio sanguinis à corpore; ergo per quamlibet harum specierum fit mactatio mystica Christi, in qua huius sacrificij essentia consistit. Confirmatur, quia si aliqua ratione consecratio vtriusque speciei ad ratione sacrificij incruenti essentialiter pertinet, maximè vt repræsentaret sacrificium Christi cruentum, vt in allata responsione dictum est; atqui sacrificium Christi cruentum non fuit positum in separatione sanguinis, sed animæ à corpore, quæ sufficienter repræsentatur per consecrationem solius corporis siquidem ex vi verborum constituitur solum corpus exsangue, & sine anima sub speciebus panis, quamuis ratione concomitantiæ cum anima, & sanguine sit ibi; ergò in sola illa hoc sacrificium consistit. 104

Respondetur ex iam dictis inueniri quidem aliquo modo proportione in argumento adductam in vnius speciei consecratione, non tamen adeò claram, & expressam, sicut in consecratione vtriusq; eo enim ipso, quod in vno loco ponitur corpus ex vi verborum, non posito ibi sanguine, & in alio loco constituitur sanguis, non posito ibi corpore ex vi verborum, multò clarius, & expressius declaratur, & exprimitur separatio realis, quæ facta est in Cruce, corporis Christi à sanguine ipsius; cùm igitur tota ratio huius sacrificij ex voluntate Christi pendeat sic instituentis, ipsemet Christus instituit, & voluit, vt per consecrationem vtriusq; speciei realis illa separatio clarius, & expressius repræsentaretur, & consequenter passio, & mors eiusdem. 105

Ad

Ad Confirmationem concessa maiori dico ad minorem sacrificium cruentum formaliter non solùm fuisse mortem, sed etiam causam illius, quæ fuit separatio sanguinis à corpore, quam vtriusque speciei consecratio proximè significat, remotè autem separationem ipsam animæ à corpore, quod ad rationem sacrificij cruenti satis est, vt notat Vasqu. *disp.* 223. *c.* 5, vbi etiam ait falsum esse consecrationem corporis denotare se sola separationem animæ, vel sanguinis ab ipso, quamuis enim vi verborũ primariè, & per se solùm corpus consecretur, non obid tamen significat separationem animæ à corpore diuisiuè, sed solùm præcisiuè denotat vnum non significato alio; nam si denotaret corpus mortuum, & ipsum ibi esset viuum ob animæ, & sanguinis concomitantiam, verba illius consecrationis falsum enunciarent; Sed quando etiam concedatur consecrationem corporis posse se sola denotare aliquo modo separationem animæ, vel sanguinis ab ipso; non tamen ità clarè, & expresè haberi potest, sic ut habetur per consecrationem vtriusque vt suprà declaratum est *nu.* 97.

106 Tertiò arguunt, non minus ex vi verborum consecrationis sanguinis repræsentatur sanguis, vt abstrahens à sanguine intrà venas, vel extrà quàm ex vi verborum consecrationis corporis repræsentetur corpus abstrahẽs à viuo, & mortuo: ergò consecratio sanguinis addita consecrationi corporis non est magis apta ad repræsentandam separationem sanguinis à corpore, quàm altera tantùm; probatur consequentia, intantùm verba consecrationis corporis nõ repræsentant corpus mortuum, siuè ex sangue, sed abstrahens à viuo, & mortuo, quia cùm re vera ibi non sit corpus ex sangue, sed viuum, verba illa non essent vera, sed falsa; eodem modo verba consecrationis sanguinis non repræsentant sanguinem à corpore separatum, quia reuera sanguis ille in calice ex vi consecrationis positus est intrà venas corporis realiter existens, ergò sicut consecratio corporis non est sufficiens ad repræsentandum corpus ex sangue, & mortuum, nec cõsecratio sanguinis sanguinem separatum extrà venas, ita nec ambæ simul sumptæ sufficientes erunt, alioquin ambæ simul sumptæ essent falsæ. Confirmatur, quia plures præcisiones siuè abstractiones præcisiuæ non magis sunt aptæ ad repræsentandam diuisionem realem, quam vna tantùm; ergò nec ambæ consecrationes magis repræsentant separationem sanguinis Christi à corpore, quam vna tantùm, cùm ambæ sint præcisiuæ, Hanc rationem, inquit Gauatius *l. c.* esse contra nos efficacissimam, quia nos dicimus vnam speciẽ, quamuis repræsentet corpus Christi abstrahens à viuo, & mortuo, non repræsentare exsangue, & mortuum, quia falsum repræsentaret; ergo si ambæ consecrationes corpus Christi exsangue, & mortuum repræsentarent, cùm verè in sacramento altaris corpus Christi tale non sit, falsum omninò repræsentarent.

107 Respondeo hoc argumentum, in quo tantam vim facit Gauatius, contrà nos nõ concludere, sed contrà modum dicendi Vasquez paulò suprà relatum, imò hoc est idem argumentum, quod Lugus *disp.* 19. *sec.* 8. *nu.* 108. contrà Vasquez vrget, quia si poni sanguinem per concomitantiam facit, quod consecratio hostiæ non significet sufficiente separationem corporis, à sanguine, nec corpus significetur exsangue; ergo etiamsi consecretur vtraque species, non poterit illa separatio significari, cùm re vera sub vtraque specie sit corpus cum sanguine: nam sicut corpus exsangue inuoluit carentiam realem sanguinis ità separatio à sanguine exigit, quod realiter non sit sanguis cum corpore; ità discurrit Lugus contrà præcitatam Vasquez doctrinam, quam nos non amplectimur, nam vltro suprà concessimus in consecratione vnius speciei esse aliquam proportionem ad repræsentandam Christi passionem, etiamsi per concomitantiam sit ibi totus Christus; dicimus tamen illam repræsentationem esse minus claram, quia vt etiam declarat Lugus *loc. cit.* posito solo corpore in hostia ex vi verborum, non exprimeretur clarè mors illius corporis per effusionem sanguinis, potuisset enim mori per defectum intrinsecum sanguinis absque eo quod effunderetur, putà morbo, vel suffucatione, ideoque Christus voluit per consecrationem vtriusque speciei clarius illam separationem repræsentari, nam eo ipso quod in vno loco, ponitur corpus ex vi verborum, non posito ibi sanguine eodem modo, scilicet, ex vi verborum; & in alio loco constituitur sanguis, non posito ibi corpore ex vi verborum, apparet in tali mysterio, quasi in imagine depicta separatio realis corporis, & sanguinis, quæ facta est in Cruce, hæc enim est quasi pictura mysticè exprimens quomodo in Cruce separatus fuerit sanguis à corpore, & per illam effusionem Christus mortuus fuerit: vndè ambæ consecrationes repræsentant realem separationem sanguinis à corpore, non in sacrificio missæ factam, sed in Cruce, & ideò ambæ adhuc sunt veræ, estò per concomitantiam corpus Christi sub speciebus sit cum sanguine, & sanguis cum corpore, talis enim separatio non tam attenditur ex re significata per ipsas, quam ex modo significandi ex vi verborum; quæ per se separationem significant, vel præcisionem vnius ab alio; & per hoc patet etiam ad Confirmationem.

Quartò vrget idem Gauatius, de ratione sacrificij Missæ non est, quod per ipsum repræsentetur corpus Christi mortuum, & exsangue, aut sanguis à corpore separatus; ergo nec ob hanc causam dicendum est vtriusque speciei consecrationem esse de illius essentia: consequẽtia patet, quia hac ratione dicitur necessaria vtraque consecratio; probat assumptum, quia sacrificium Missæ; quod à sacerdotibus offertur, secundum essentiam est idem omninò cum sacrificio, quod Christus obtulit in cœna; sed per illud non repræsentabatur corpus Christi exsangue, nec sanguis à corpore separatus, ergo &c. Tùm quia Sacerdotes in consecratione calicis dicunt sanguinem, qui in sacramento ponitur, esse illum, qui effundendus est in remissionem peccatorum, non ergo per talia verba significatur effusus. Conf. quia si hac ratione vtraque consecratio est de essentiali ratione huius sacrificij, vt per illud repræsentetur mors, & passio Christi, ergò eadem ratione vtraque species ad rationem essentialem sacramenti Eucharistiæ pertineret; consequentia patet, quia non minus sacramentum Eucharistiæ, quam sacrificium missæ in commemorationem passionis, & mortis Christi institutum fuit iuxtà illud Pauli ad Corinth. *quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem bibetis mortem Domini annunciabitis, donec veniat*, & Ecclesia canit *ò sacrum conuiuium, in quo Christus sumitur, recolitur memoria passionis eius*, iam autem suprà dictum est vtramque speciem non esse de essentia Eucharistiæ in ratione sacramenti; sed in vna tantùm seruari posse. 108

Respondeo falsum omninò esse assumptum, nil enim tam frequenter repetitur à Patribus, Concilijs, & Scripturis, quàm sacrificium istud fuisse à Christo institutum in commemorationem mortis eius, & peractæ passionis in Cruce, & hoc totum pluries Gauatius ipse concedit in ea quæstione, & præcedentibus, imò in ipsa eiusdem Confirmatione, cùm inquit, non minus sacramentum Eucharistiæ, quam sacrificium Missæ in commemoratione mortis, & passionis Christi institutum fuisse; ad probationem dico hoc sacrificium non solùm in re oblata, sed etiam in actione offerendi esse idem specie cum sacrificio cœnæ, nam in vtroque sacrificio est eadem res oblata, & idem offerrendi modus per mysticam, & sacramentalem immolationem, quod autem illud sacrificium vltimæ cœnæ significaret mortem Christi futuram, nunc autem significet præteritam, est differentia tantùm accidentalis, sicut etiam quod res principaliter oblata, scilicet, Christus illic fuerit passibilis, & mortalis, hic verò impassibilis, & immortalis: significare enim præteritum, vel futurum perindè est ad rationem sacrificij, nec illud essentialiter variat, quia hæc differentia non oritur ex parte signorum, sed ex statu, & conditione rei significatæ, vt notat Becanus *cap.* 25. *qu.* 7. quando enim signa consistunt in rebus, & non in verbis, tunc simpliciter rem repræsentant sine circumstantia temporis præteriti, vel futuri, sicut imago Christi simpliciter Christum repræsentat sine circumstantia temporis: satis ergo nobis est, quod sacrificium Missæ ex sui institutione passionem, & mortem Christi significet, ac repræsentet, siuè præteritam siuè futuram; Quo autem sensu sacerdotes in consecratione calicis dicant, sanguinem qui in sacramento ponitur, esse illum qui effundendus est in remissionem peccatorum, non autem qui est effusus, satis declaratum est *disp.* 3. *q.* 8. 109

Ad Confirm. suprà dictum est latum esse discrimen inter institutionem sacrificij Missæ, & sacramenti Eucharistiæ, quamuis enim eadem sit actio realis in vtroque mysterio, quia est vna, eademque actio, qua conficitur sacramentum Eucharistiæ, & qua fit consecratio, seu oblatio sacrificii, & vtrobiq; sit idem terminus actionis, nimirum Christus sub specie panis, & vini; adhuc tamen essentia sacrificii missæ distincta est ab essentia sacramenti Eucharistiæ; primo quia essentia sacrificii partim cõsistit in actione sacrificandi, partim 110

tim in victima sacrificata, & oblata; ac essentia sacramenti Eucharistiæ nullo modo consistit in actione, sed in sola re permanente, quæ ex actione resultat, vt notat Doctor. *4. dist. 13. q. 2. §. ad quæstionem*; Deindè quia sacrificium per se, & immediatè ad Dei cultum ordinatur, sacramentum autem ad nostram iustificationem, & sanctificationem; Demum quia essentia sacrificij Missæ requirit consecrationem vtriusque speciei ad clarè, & expressè mortem, & passionem Christi repræsentandam; at essentia sacramenti saluatur sub vna specie, quia estò & ipsum quoque fuerit in commemorationem mortis, & passionis Christi institutum, non tamen adeò clarè, & expressè, vt sacrificium.

Quintò tandem arguunt alij, quia per consecrationem corporis Christi sub specie panis, Christus fit aptus cibus fidelium antequam consecretur sanguis sub specie vini, idemque est de cõsecratione calicis sola secundum se; ergò vtriusuis consecratio sola ad rationem sacrificij sufficit; consequẽtia patet, nam ideò in consecratione consistit ratio sacrificij, quia per consecrationem corpus Christi, redditur aptum, vt edatur, & sanguis Christi, vt bibatur, sicut carnes animalis per sacrificium præparantur, vt manducentur.

111 Confirmatur, quia si sacerdos simul atque consecrasset corpus, moreretur, diceretur sacrificasse, quamuis sacrificium perfectum non fuisset; ergò ad essentiam sacrificij vtriusque speciei consecratio non requiritur, licet ad perfectum sacrificium requiratur, vndè tantùm sequitur vtramque esse necessariam per modum partis integralis non autem essentialis.

Respondeo per consecrationem panis, antequam vinum consecretur, reddi quidem corpus Christi aptum, vt manducetur per modum cibi spiritualis ratione specierum cibi, sub quibus consecratur, non tamen per modum victimæ, & hostiæ immolatæ, quia antè vini consecrationem non sufficiẽter adhuc repræsentatur separatio corporis à sanguine, vt ad rationem huius sacrificij requiritur ex eius institutione, vt autem caro Christi detur in cibum, vt mortua, & immolata, necesse est, vt simul cum corpore sanguis eius sub speciebus vini, tanquam separatus à corpore consecretur modo iam explicato. Ad Conf. negatur assumptum; nam si sacerdos simul atque corpus consecrauit moreretur nondum consecrato sanguine, verè & propriè loquendo non diceretur immolasse, vel sacrificasse, nec fructus sacrificij participem fuisse, & ratio superius adducta est, & declarata exemplo ædificij domus inchoati sub *nu.* 103.

QVÆSTIO SEXTA.

An sacrificium Missæ valorem habeat infinitum.

112 HAnc celeberrimam controuersiam præ cæteris eruditissimè tractat Doctor noster *quol.* 20. vbi ab initio quæstionis pro eius intelligentia præmittitur, missam non solùm valere virtute meriti, siuè operis operantis, sed etiam virtute sacrificij, & operis operati, adeo quod in hoc sacrificio considerari potest valor ex opere operantis, sicut in quolibet alio opere pio, & valor etiam ex opere operato; quem habet peculiariter annexũ est institutione Christi vltrà meritum operantis, & de hoc valore procedit præsens quæstio, non autem de primo, quem certum est esse omninò finitũ, sicut in quolibet alio pio opere nostro. Rursus supponendum est, valorem huius sacrificij posse comparari, vel in ordine ad offerentes, vel in ordine ad eos, quibus offertur; Offerentes quidem sunt plures, nam principalis offerens est Christus Dominus; deindè minister immediatus, siuè sacerdos, præterea est etiam offerens ipsa Ecclesia, quæ quatenus vtitur Sacerdote, vt ministro publico ad offerendum, dicitur etiam offerre per ipsum; denique inter offerentes computãtur etiam ministrantes sacerdoti celebranti, & qui stipem ipsi conferunt, vt celebret, & tandem circumstantes sacro assistente, hi enim omnes aliquo etiam modo cum sacerdote dicuntur offerre, atque ideò ab ipsis etiam accipit valorem oblatio iuxtà eorum dignitatem; Sed totus hic valor est ex opere operantis, atque ideò totus finitus est & limitatus, siuè qui prouenit à Sacerdote, siuè qui à Ministrantibus, siuè qui ab assistentibus cum fundetur in dignitate ipsorum finita, ac etiam ille, qui prouenit ab Ecclesia vniuersali, cùm sanctitas Ecclesiæ etiam finita sit.

Sola igitur remanet Difficultas de valore ex opere operato, qui huic sacrificio prouenit, prout à Christo principaliter offerente, vel applicante sua merita, qui valor licet non fundetur in merito aliquo actuali Christi, siquidem nunc non meretur actu, neque satisfacit per oblationem huius sacrificij, quia nunc non est in statu merendi, & satisfaciendi; fundatur tamen in meritis præteritis, quæ valorem infinitum habuerunt eo modo, quo declaratum est *lib. 3. sent. disp.* de Merito, & satisfactione Christi, quæ merita Christus huic sacrificio voluit esse annexa, vt mediante hac oblatione nobis applicarentur, atque ideò ex hac parte videtur hoc sacrificium valorem habere infinitum ex opere operato. Cæterum adhuc in hoc distinguendum est de duplici valore; primus est ad satisfaciendum, seù ad oblationem pœnæ temporalis, quam debemus pro peccatis iam condonatis supposita iam remissione culpæ, quem effectum tribuit huic sacrificio Concil. Trid. *sess. 22. cap. 2. & can. 3.* & hic effectus iuxtà communem Theologorum sententiam per hoc sacrificium semper infallibiliter habetur, quia talis effectus non dependet à dignitate Ministri, vt ait Concilium *sess. 22. cit. cap. 1.* & Scotus *quol. cit.* ab initio quæstionis. Alter, valor huius sacrificij est ad impetrandum, valet enim hoc sacrificium ad impetranda, & obtinenda à Deo auxilia gratiæ nobis salutaria ad exercenda alia opera bona, quibus augmẽtum gratiæ mereamur, & ad perficiendam veram pœnitentiam, qua remissionem peccatorum etiam quoad culpam, tam mortalium, quàm venialium consequamur, vt etiam Concil. innuit *sess. 22. cit. cap. 2.* cùm inquit *Huius quippè oblatione placatus Dominus gratiam, & donum pænitentiæ concedens crimina, & peccata etiam ingentia dimittit*, hoc enim tantùmmodo intelligitur hoc sacrificium valere ad remissionem peccatorum quoad culpam; & hic secundus effectus non cum tanta certitudine, & infallibilitate confertur, sicut primus, qui statim, & de præsenti confertur ex opere operato, sicut sacramenta conferunt gratiam, dummodò tamen non inueniat obicem idest culpam non remissam: Itaque de infinitate vtriusque valoris est quæstio, & præsertim primi, qui magis certus est, & infallibilis, neque est difficultas de infinitate cathegorematica, & intensiua, quia nullus valor ex duobus enumeratis est infinitus in eo sensu, quod per hoc sacrificium impetremus aliquod infinitum simpliciter, aut nobis remittatur pęna infinita quoad intensionem, quia hæc non datur, aut quoad extensionem, vel durationem, quia hoc sacrificium non est institutum ad remittendam pœnam æternam, sed tantùm temporalem ex peccatis iam condonatis relictam, pœna enim æterna iam per cõtritionem remissa supponitur per deletionem culpæ.

Itaque est sola difficultas de infinitate sinchategorematica, & extensiua, seù de effectu extensiuo, & sensus, est an Missa oblata v. g. pro quatuor habeat maiorẽ effectum remissionis pœnæ extensiuè, quàm si offeratur pro vno, an verò inter illos diuidatur ille effectus, qui tribueretur vni v. g. si vni defuncto remitteretur vnus annus purgatorij, ille annus diuidatur inter quatuor defunctos itaut singulis remittatur quarta pars anni; & similiter etiam an virtus impetratoria huius sacrificij sit determinata, nùm potius extẽsiuè infinita, vt possit pro pluribus, & pluribus absque singulorum detrimento prodesse; Vndè ex huius controuersię definitione pendet celebris illius practicæ quæstionis decisio, an liceat sacerdoti plura adæquata stipendia à pluribus accipere; si enim Missæ sacrificium talem infinitatem valoris habeat, videri posset licere, quia in tali casu per applicationem ad plures non minueretur fructus Missæ ad singulos; si verò talis infinitas negetur, negandum etiam erit licere, nam qui pro missa iustum stipendium donat, ea intentione præbet, vt totus fructus remissionis pœnæ sibi applicetur. His præacceptis pro intelligentia quæstionis.

In hac controuersia tres sunt sententiæ, duæ extremæ, & vna media. Prima affirmat hoc sacrificium habere vim, & efficaciam infinitam extensiuè, scilicet, quantum ad numerum eorum, quibus prodesse, & applicari potest ad conferendos suos effectus idest posse pluribus, & pluribus applicari, absque quod minuatur fructus missæ ad singulos, atque tantundem vnicuique prodesse, ac si nulli alteri applicaretur; Quæ sententia in valore huius sacrificij fundatur, tùm ex parte rei oblatæ, quæ infinita est; tùm ex parte principalis offerentis, qui est ipse Christus; & in ritu Ecclesiæ quo possunt sacerdotes in Memento viuorum & mortuorum commemorare, plures, & plures, 114

nullo

nullo sibi præscriptio termino, adhoc, vt fructum sacrificij participent, ità Caietanus, Siluester, Canus, Corduba, Vasquez, Nugnus, Poncius ex nostris, & alij. Secunda sententia negat, & asserit hoc sacrificium habere virtutem ità limitatam, ad determinatam etiam extensiuè, vt si vna Missa dicatur pro pluribus, ille solus effectus, qui datus fuisset vni, distribuatur per partes inter illos plures. Quæ sententia fundatur in praxi Ecclesiæ, quia solent sacerdotes determinatè pro certis personis Missas applicare, nec permittitur vnam Missam pro pluribus celebrare, qui singuli integrum dederint stipendium; Et hanc limitationem deducit ex conditione ipsius actionis sacrificandi, quæ in se, & prout procedit à tali Ministro immediatè, finita, ac limitata est; quarè non potest eius virtus ad plures, & plures æqualiter extendi, sed eius effectus determinatus distribuetur per partes, si pluribus applicetur; ità D. Bonauentura, Scotus, Riccardus, Durandus, Paludanus, Maior, Nauarrus, Bellarminus, Bonacina, Valentia, Coninchius, Suarez, Toletus, Siluius, Henriquez, & ex nostris Hiribarnes, Aretinus, Hiqueus, Gauatius, & alij Recentiores passim. Tertia opinio media asserit virtutem impetratoriam huius sacrificij non esse determinatam, sed esse infinitam extensiuè, itaut possit pro pluribus, & pluribus absq; singulorum detrimento prodesse. Sed virtutem satisfactoriam affirmat esse simpliciter limitatam, vt non nisi certum effectum, vel totum vni, vel per partes distributum pluribus conferre possit. Et fundamentum est, quia effectus satisfactionis idest remissio pœnæ datur statim, & infallibiliter, & totaliter ex opere operato, quarè potest, & debet certam habere mensuram; at impetratio ad dispositionem diuinæ prouidentiæ refertur, vt quatenus ei placitum est, beneficia, quæ petimus, largiatur cuius non est abbreuiata manus in paucis, vel in multis; ità Auersa *q. 11. sess. 7.* qui alios citat etiam ex Auctoribus secundæ sententiæ, & sic etiam loquitur Caspensis *tract. 23. disp. 2. sect. 4.* ac alij Recentiores.

ARTICVLVS PRIMVS.

Deciditur Quæstio.

115 VT verum fatear, hæc est obscurior, & implicatior controuersia, quæ in hac materia sacramentali hactenus mihi occurrerit, etenim hunc, & illum Auctorem euoluentes, quid sibi velint, non satis capio, & dùm hoc totum tarditati meæ tribuerem, Coninchium inuenio de hac eadem perplexitate conquæstum, inquit enim *q. 83. art. 1. dub. 10.* hac in re Auctores valdè confusè loqui, & sæpè citari pro aliqua sententia, quam re vera non tenent; imò ex eo quod non satis distinguant diuersos modos, quibus hoc sacrificium suum fructum confert, sibi ipsis aliquando contradicere testatur; quapropter in huius quæstionis resolutione, cùm sit de re grauissima, & valdè necessaria, plumbeo pede est incedendum, & ex praxi Ecclesiæ, & Scoti doctrina *quol. 20.* decisio est deducenda.

Primò itaque dicendum est valorem huius sacrificij ad satisfaciendum pro debito pœnæ restantis post remissionem culpæ, qui est primus & principalis effectus, qui certo, & infallibiliter ex opere operato, per hoc sacrificium confertur, non esse infinitum, sed finitum iuxtà dispositionem diuinæ sapientiæ, & meram Christi, & Dei voluntatem, & institutionem; ità D. Bonau. *4. d. 45. art. 3. q. 3.* & Scotus *quol. 20. lit. N.* vbi inquit, quod missa non tantùm valet virtute sacrificij applicata pluribus in eodem gradu, sicut si vni soli applicaretur, & est communis Auctoribus secundæ sententiæ. Ratio huius conclusionis à priori ex eo deducenda est, vt inquit Lugus *disp. 19. sess. 12.* quia oblatio huius sacrificij, vt fit à Christo, neque est actio meritoria, neque satisfactoria, cùm Christus nunc nec mereatur, nec satisfaciat; quarè solùm habet vim tollendi debitum pœnæ, quatenus ex Christi institutione habet annexas satisfactiones præteritas ipsius Christi; conuenientissimum autem fuit, vt hæc annexio fieret finito, & limitato modo, & cum virtute finita, vt hac ratione sæpius à sacerdotibus frequentaretur, & offerretur; si autem infinitum habuisset valorem, vnum factum pro omnibus defunctis sufficeret, & pro omnibus viuis ac per consequens inutiliter multiplicarentur Capellaniæ, & obligationes aliæ, quas Fideles in commodum animarum suarum piè fundare solent.

Conf. quia vt arguit Doctor *quol. cit. art. 1.* infrà B. si idem numero sacrificium ob sui infinitatem ex æquo pluribus, imò & infinitis prodesse potest, ac si vni tantùm illorum applicaretur, vel paucioribus; tunc frustra in Ecclesia essent speciales orationes assignatæ, aliæ pro viuis, & aliæ pro defunctis, & iterum pro viuis alijs, & alijs, vt patet in orationibus in Missali Romano pro diuersis assignatis personis, & statibus, vel Congregationibus; frustrà inquam, essent istæ specialiter assignatæ, quia non plus valeret illis, quàm generaliter cuicunque in Ecclesia; Sequeretur etiam inquit Doctor in eodem articulo paulò inferius, sacerdotes qui non ex stipendio nec ex aliqua obligatione, sed ex mera deuotione celebrant contra charitatem facere, si pro vna Purgatorij anima celebrant, quia secundum ordinatam charitatem pro omnibus celebrare deberet, nam ex charitate tenetur sacerdos impetrare bonum pluribus, dummodò hoc possit per eundem actum, sine diminutione boni alicuius eorum; atque ità per vnicam Missam totum Purgatorium euacuare posset. Sequeretur tandem quemlibet sacerdotem vnico sacrificio satisfacere posse pro quibusuis fundationibus, & obligationibus pia testatorum voluntate relictis, ac deniquè posse ab vno, vel diuersis plura stipendia accipere, & vnica Missa omnibus satisfacere, quod est contrà praxim Ecclesiæ. 116

Ad hoc vltimum inconueniens pluribus nititur occurrere Vasquez *disp. 231. c. 2.* vbi præsertim inquit hanc opinionem de infinitate valoris Missæ theoricè quidem esse veram in praxi tamen non esse loquendam, quia inter duas opiniones contrarias, illa in praxi seruanda est, quæ est fauorabilior saluti animarum, & quæ certum illis remedium confert, qualis est nostra sententia; nam sententia contraria affirmans exponeret periculo eos quibus hoc sacrificium applicatur; si enim hæc sententia esset coram Deo falsa, illi pro quibus hoc sacrificium oblatum est, salutari remedio fraudarentur, & vbi agitur de salute animarum, præceptum charitatis obligat ad eam sententiam eligendam, quæ prouidet saluti remedium certum, ne salus proximi periculo exponatur sed planè non video, cur sacerdos in tali casu suo debito non satisfaceret, si se cum ea opinione conformaret, quàm Aduersarij probabiliorem esse dicunt; vt enim dictum est *lib. 2. disp.* de actibus humanis *quæst.* de Conscientia probabili licitum est sequi probabilem, & minus tutam relicta probabiliori, & tutiori, quod etiam in administratione sacramentorum licere multi autumant; Tùm quia ex hoc ipso capite falsitas contrariæ sententię deduci potest, cùm ab initio nascentis Ecclesiæ, & antequam hæc controuersia agitaretur in Ecclesia omnes sacerdotes existimarunt se teneri ad offerendum pro singulis singula sacrificia. Alias quoque euasiones adducit Vasquez, quas benè Lugus præcludit *loc. cit.*

Deindè potest tandem nostra assertio confirmari, quia potissimus valor huius sacrificij incruenti consistit in eo, 117
quod applicet valorem sacrificij Crucis, in cuius memoriam fit; ergo minoris valoris esse debet, quam sacrificium Crucis; consequentia patet, quia applicans perfectionem causæ principalis non in eodem gradu eam participat; quarè dato etiam quod sacrificium Crucis fuerit infinitum, hoc quod deficit à perfectione eius non erit infinitum, sed finitum. Dices saltem esse debere infinitum sincatehorematicè, sicut sacrificium Crucis, cuius valor non minuitur quibuscunq; & quotiescunque applicatur. Contrà, quia tunc ab eius perfectione non deficeret, nec congruum fuit, hoc sacrificium incruentum cruento Crucis hoc modo assimilari, quia hoc est reiterabile, illud autem reiterabile non erat; quarè debuit per vnam oblationem extendi ad omnes ad modum causæ vniuersalis, præsertim cum illa oblatio in se haberet formaliter valorem quemdam infinitum ad satisfaciendum; at oblatio Missæ non est actio Christi satisfactoria, cum Christus nunc non sit in statu merendi, & satisfaciendi, sed prodest, per satisfactionem Crucis sibi annexam, quæ limitato modo annecti potuit, ac debuit, quia Christus voluit hoc sacrificium frequentari, & sæpius offerri, quod non fieret, si infinitum valorem haberet; sed quomodo hic etiam valor ad satisfaciendum in sacrificio Missæ infinitatem quandam sinchategorematicam participare possit in explicabimus conclusione sequenti.

Secundò Dicendum est, etiam in hoc sacrificio quandam 118
valoris infinitatem sinchategorematicam assignari posse respectu eiusdem effectus satisfactionis, quatenus potest cre-

crescere valor semper meliori dispositione offerentis, vel illius pro quo offertur, quæ deuotio cùm semper crescere possit, poterit etiam eodem modo crescere valor sincathegorematicè. Hanc tenent etiam quam plures ex Auctoribus secundæ sententiæ nec Doctori repugnat *loc. cit.* vbi cùm negat huiusmodi valorem esse infinitum in hoc sacrificio, loquitur de illo valore ex se, & independenter à meliori dispositione; Vndè conclusio sic est intelligenda, quod si hoc sacrificium consideretur per ordinem ad eos, pro quibus offertur, nulla habita ratione dispositionis ipsorum, certum habet effectum, quem in illis causat, qui effectus pluribus applicatus semper fit minor proportionaliter; si verò consideretur cum ordine ad dispositionem, quam singuli habent ad hoc sacrificium non habet hoc sacrificium limitationem ad aliquem determinatum effectum, quo perfectiorem causare non possit, sed eo maiorem in vnoquoque ex opere operato causabit, quo maiorem, ac meliorem dispositionem inuenit in subiecto, cui applicatur.

Conclusio sic explicata probatur, hunc enim modum causandi ideò sacramentis tribuimus, itaut maiorem gratiam ex opere etiam operato conferant magis disposito, & minus disposito minorem, vt diximus *disp.1. quæst.9.* ex Concilio Tridentino *sess.6. cap.7.* quia facit ad maiorem sacramentorum venerationem, nam sic fideles deuotius, & feruentius ad ea suscipienda præparantur; ergo ob eandem rationem similem causandi modum huic sacrificio tribuere debemus, cùm æquè teneamur hanc maiorem fidelium deuotionem, ac venerationem ergà hoc sacrificium saluare; vndè cùm res ità se habeat, quo non minorem deuotionem Christus à Fidelibus erga hoc sacrificium exposcat, censendum est prædicto modo hoc sacrificium instituisse ad eos magis ad hanc maiorem deuotionem excitandos.

Ex quo sequitur, vt benè notat Amicus *disp.33. sect.7.* applicatum hoc sacrificium pro pluribus nullam dispositionem positiuam habentibus eò minorem conferre singulis fructum, scilicet, pœnæ remissionem, quo pluribus fuit applicatum, in quo sensu loquitur Doctor *loc. cit.* applicatum verò pluribus positiuam ad illud habentibus dispositionem, illud nimirum petendo, desiderando, procurando, & ministrando, vel interessendo, minorem quidem conferre singulis fructum, quàm conferret, si seorsim pro singulis applicaretur; maiorem tamen, quàm conferret, si nullam in eis inueniret dispositionem; nam præter illum gradum remissionis pœnæ, quam ex se confert ex opere operato, etiamsi nullam inueniat in subiecto dispositionem, confert alium maiorem, vel minorem iuxtà maiorem, vel minorem subiecti dispositionem. Quin etiam vlterius addo posse etiam valori huius sacrificij infinitatem quandam sincathegorematicam tribui etiam independenter à meliori dispositione eius, pro quo offertur; quatenus, scilicet, non potest assignari tanta pœna vni debita post remissionem culpæ relicta, quin si deberet maiorem, hoc sacrificium possit sufficere pro maiori, & maiori, dummodò non sit æterna, quod sufficit vt aliquo modo infiniti valoris sincathegorematicè dici possit, & in hoc sensu infinitatem valoris huius sacrificij defendit Poncius *disp.4.q.10. concl.6.* qui dicendi modus absque vllo scrupulo admitti potest, cùm in maiorem huius sacrificij excellentiam absque vllo incommodo resultet.

119 Tertiò dicendum est, valorem huius sacrificij non solùm quoad vim satisfactiuam, sed etiam quoad vim impetratiuam illi ex opere operato competentem finitum, & limitatum esse, & propterea sacrificium idem pluribus applicatum minus illis prodesse, ac si paucioribus, vel vni tantùm applicaretur; Hæc est contrà tertiam sententiam mediam, & est Scoti *quol.20. art.1. infrà lit.C.* quam probat, quia sacrificium Missæ non minus finitè, & limitatè applicat passionem Christi ad impetrandum, quàm ad satisfaciendum; ergò sicut quoad vim satisfactiuam minus prodest oblatum pro pluribus, quàm pro paucioribus, vt probatum est, etiam quoad vim impetratoriam minus proderit; probat Doctor assumptum tripliciter; Primò quia si virtus sacrificij Missæ impetratoria esset, infinita extensiuè adeo quod posset pluribus, & pluribus prodesse absque vllo singulorum detrimento, sequeretur per vnum sacrificium posse tam facilè impetrari primam gratiam, & donum pœnitentiæ peccatoribus quotcunque sicut vni, quia ad hoc non requiritur pœnę solutio, sed sola placatio, & impetratio boni ab ipso, & ità etiam æquè facilè posset sanitas impetrari omnibus ægrotis vnico sacrificio, sicut vni, quæ omnia communi fidelium sensui repugnant, aliter frustrà Ecclesia determinatas orationes adhiberet pro priuatis hominibus, & pro rebus particularibus obtinendis. Deindè probat, quia sicut plures pœnæ minores æquiualent vni pœnæ maiori, & non relaxantur, nisi per opus satisfactorium maius, vel per plura opera satisfactoria: sic de pluribus bonis impetrandis dicendum videtur, quod æquiualent vni maiori bono, & ideò non nisi per plura bona, vel vnum maius bonum impetrantur; sicut ergò idem Missæ sacrificium per modum satisfactionis non tantùm prodest pluribus, sicut vni: quia pœna debita non relaxatur, nisi aliquod æquiualens soluatur, ità idem de eodem sacrificio per modum impetrationis dicendum erit. Tandem probat, quia in amicitia humana dilectus per supplicationem suam meretur maius bonum vni, quam si supplicaret pro multis, nam pro vno exaudiretur, vt tantum bonum impetret ei, qui si pro multis peteret, vel non pro omnibus exaudiretur, vel non tantum bonum impetraret, & istud est secundum iustam legem amicitiæ; igitur per vnum sacrificium non potest tantum bonum pro multis impetrari, ac vni soli, pro quo specialiter offertur, ità etiam discurrit cum Doctore Gauatius noster *loc. cit. n.40.* vbi etiam reijcit fundamentum illud tertiæ sententiæ mediæ, quod impetratio non fundatur in proportione, & conuenientia orationis cum beneficio petito, sed in libertate Dei, quæ non minuitur, etiamsi oratio pro multis fiat.

Quartò tandem Dicendum est, vim etiam huius sacrificij impetratiuam posse aliquo modo dici sincathegorematicè infinitam, quatenus fructus eius, qui per modum impetrationis obtinetur, ratione deuotionis, aut multitudinis offerentium potest in infinitum semper crescere. Hanc etiam tenent quamplures ex Auctoribus secundæ sententiæ; nec etiam hæc repugnat Doctori *loc. cit.* vbi quando negat hanc vim impetratiuam esse infinitam in hoc sacrificio, loquitur de illa, prout ei competit ex opere operato, & independenter à meliori offerentium dispositione; Et facilè probatur, quo enim plures idem sacrificium offerunt, & quo deuotius, ac feruentius tam Sacerdos, quàm reliqui astantes, eo planè maiorem habet vim impetrandi, nam singuli tantum impetrant, quantum impetrarent, si soli in suo ordine offerrent, modò æquè efficaciter, & feruenter ad sacrificium concurrant, ac si soli essent; quod explicari potest exemplo plurium eandem nauim trahentium, si associati eundem conatum adhibeant, quem adhiberent, si vnusquisque seorsim traheret. 120

Ex quo deducitur, vt præsertim Coninchius aduertit *loc. cit.* quando plures eandem missam audiunt, aut ei inseruiunt, & ità eam aliquo modo offerunt, non ideò eos singulos minorem effectum percipere, quàm si essent soli, vt nimis facilè concedit Gauatius *loc. cit.* in fine quæstionis, vbi ait procurandum esse, vel saltem melius esse audire missam, cui nullus alius, vel saltem pauciores assistant, si id commodè, & sine scandalo fieri potest, quàm publicam, & solemnem, cui totus assistit populus, quia in tali casu minor semper percipitur fructus, quo maior est astantium multitudo. Hoc, inquam, omninò falsum est, quod ex maiori astantium multitudine minuatur fructus, quia cùm sint ibi distinctæ oblationes, etiam distincti sunt effectus ijs correspondentes, qui potiùs ex multitudine concurrentium crescunt, tantùm abest, vt minuantur; tùm quia plurium præces simul per modum vnius Deo oblatę sunt magis efficaces, quàm si omnes essent separatim oblatæ, quia etiam hic verificatur, quod vulgò dicitur, *Maior est virtus vnita seipsa dispersa*: tùm quia hoc modo se se mutuò ad maiorem excitant deuotionem; Ideoque Ecclesia in necessitatibus curat, vt multi simul ad missam solemnem audiendam, & simul orandum concurrant.

Postremò pro maiori intelligentia eorum, quæ hactenus dicta sunt, aduertendum est ex Scoto *quol.20. art.1.* ab initio sacrificium Missæ tripliciter valere, siuè prodesse, specialissimè, generalissimè, & medio modo specialiter alicui illud applicando; specialissimè quidem valet ipsi solùm operanti dispositio, nec vt sic potest alteri applicari, quia magis tenetur ex charitate diligere seipsum, quàm alium. Generalissimè verò valet toti Ecclesiæ, nec enim debet orans aliquem de Ecclesia excludere, sed ex intentione habituali omnes includere; tertio tandem modo valet illi, cui specialiter 121

liter per orantem, & offerentem applicatur, non enim valet specialissimè, nam sic valet solum ipsi oranti, vti dictum est, sed nec præcisè valet illi generalissimè, sicut cuicunque tunc enim frustrà in Ecclesia essent speciales orationes assignatæ, aliæ pro viuis, aliæ pro mortuis, & consimiliter pro viuis alijs, & alijs, putà benefactoribus, amicis, ægrotis &c. Quæ igitur hic disputauimus de valore sacrificij Missæ intelligi debent de valore, qui competit respectu personæ, cui particulariter hoc sacrificium applicatur, non autem de valore conuenienti toti Ecclesiæ, qui generalissimus dicitur, neque de eo, qui conuenit personæ Sacerdotis, & dicitur specialissimus, & huius partitionis fructus sacrificij Missæ communiter receptæ primus Auctor fuit Scotus *loc. cit.* teste Amico *disp.* 33. *sec.* 6. *num.* 219.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Obiectionum solutio.

122 IN oppositum Primò objiciant ex quibusdam D. Hieronymi verbis relatis in *cap. Non mediocriter* 24. *de consecrat. dist.* 5. *dùm pro centum animabus psalmus, vel Missa dicitur, nihil minus, quam si pro vno quolibet ipsorum diceretur, accipitur*, quod vtique dici non posset, nisi esset infiniti valoris.

Confirmatur ratione desumpta tàm ex parte rei oblatæ, quàm ex parte offerentis, nam hoc sacrificium quoad victimam, quæ in eo immolatur, est idem cum sacrificio Crucis, & vltimæ cœnæ; sed illud fuit infinitæ virtutis, & valoris, ergo & hoc. Demum quia ad oblationem à Sacerdote factam immediatè concurrit Christus, vt principalis offerens, & fit à Sacerdote in persona Christi, cuius proindè dignitatem participat; ergo hoc sacrificium habet infinitam virtutem proximè causatiuam; consequentia patet, quia virtus, & valor sacrificij ex virtute, & valore oblationis pensator, in qua sacrificium essentialiter consistit.

123 Respondet Scotus quol. 20. in fine primi articuli legitimum sensum illorum verborum, si re vera sunt D. Hieronymi, quod negat Vasquez, hunc esse, non minus Sacerdoti prodesse vnicam Missam, vel Psalmum attentè, & deuotè dictum, & cum feruore spiritus, quàm centum remissè, & frigidè, & cum tristitia spiritus, & cordis anxietate; hic enim sensus ex verbis ibi immediatè præcedentibus apertè colligitur, quæ sunt ista, *Melior est quinque psalmorum decantatio cum cordis puritate, & serenitate, & spirituali hilaritate, quàm totius psalterij modulatio cum anxietate cordis, & tristitia*; quæ verba dixit Hieronymus inquit Doctor, ad consolationem Monacorum, qui si pro multis orare tenentur, tamen non opportet tot psalmos legere, quia vergeret in fastidium, sed melius satisfit illis, si pro eis dicatur pauciores, & cum hilaritate.

Ad Confirmationem ex infinitate rei oblatæ in hoc sacrificio non rectè infertur valor infinitus in oblatione, aliàs oblatio, qua B. Virgo suum filium in templo obtulit, valorem infinitum habuisset; aliundè ergò desumendus est valor oblationis, nempè huic sacrificio annexæ sunt satisfactiones Christi præteritæ, quas tamen non vult, nisi cum limitatione applicare, vt dictum est; quamuis ergo hoc sacrificium sit idem cum sacrificio Crucis, & vltimæ cœnæ quoad rem oblatam, non benè indè deducitur esse idem, & eiusdem valoris etiam quoad oblationem, nam oblatio in hoc sacrificio est actio Sacerdotis, quæ est finiti valoris, oblatio verò in sacrificio Crucis, & vltimæ cœnæ fuit actio immediata Christi, quæ erat infiniti valoris, & dignitatis ex ea parte, qua erat intrinsecè dignificata ab ipsa persona Verbi increata.

Ad vlimum negatur, Christum immediatè hoc sacrificium offerre, offert enim tantùm mediatè per ministerium Sacerdotis, dicitur autem principalis offerens, quatenus potestatem dedit Sacerdotibus, vt vice ipsius hoc sacrificium offerent, actio verò Sacerdotis est limitatæ virtutis, ideoque limitatum, & determinatum effectum producit; Et quando etiam immediatè Christus offerret, non tamen in hoc sacrificio in actu satisfacit, sed applicat satisfactiones suas præteritas, quas tamen non vult, nisi cum limitatione applicare; Et quando dicitur, Sacerdotem hoc sacrificium offerre in persona Christi, hoc vtique verum est, sed indè non sequitur oblationem eius esse infinitam, ad hoc enim opus esset, vt talis actio immediatè à persona Christi procederet, cùm ergo oblatio Sacerdotis, etiam facta in persona Christi, hoc est, nomine ipsius, non procedat immediatè à persona Christi, sed Sacerdotis, non poterit habere etiam dignitatem, & valorem, quem habebat oblatio ipsa Christi.

Secundò arguunt; idē Sacerdos vnicā actione plures baptizare potest, itaut omnibus æqualis conferatur gratia ex opere operato; ergo pariter offerens Missæ sacrificium pro pluribus æqualiter proderit, & valebit omnibus illi ex opere operato; Consequentia patet, quia tam sacramentum, quàm sacrificium hoc valorem suum habent præsertim ex opere operato. 124

Confirmatur, quia per sacrificium Missæ virtus meritorum Christi nobis applicatur, quæ certè non minuitur ex eo, quod pluribus applicetur; ergò sacrificium, per quod applicatur, cùm pro multis offertur, eodem modo singulis proderit, ac si pro paucioribus offerretur. Tandem certum est Sacerdotem in Missa commemorationem facere non solùm eius, qui stipendium dedit pro sacro, sed etiam aliorum, vt propinquorum, & amicorum, quod vtique non liceret, si ob id in eius fructu qui dedit eleemosynam, detrimentum aliquod pateretur.

Respondetur negando consequentiam, quia cùm sacramentum baptismi sit ablutio passiua, vt ait Doctor 4. *dist.* 6. *quæst.* 2. quot erunt homines abluti, tot erunt sacramenta baptismatis, atque ideò multiplicato sacramento, multiplicabitur etiam illius effectus; Missæ verò sacrificium pluribus applicatum est solùm vnum, atque ideò ex opere operato vnum sortitur effectum.

Ad Confirmationem, verum est per sacrificium Missæ virtutem meritorum Christi nobis applicari, non tamen ad æqualitatem, & cum omni plenitudine, vt inquit Doctor, sed tantùm inadæquatè, & quoad determinatos effectus, & ideò negatur consequentia. Ad vltimum respondetur cum Doctore *quol. citat. lit. L.* quod quando Sacerdos obligatus ad Missam dicendam pro aliquo ex stipendio accepto, in *Memento* orat pro amicis, vel propinquis, non sic orat, quasi specialiter intendat illis quoque applicare valorem sacrificij, qui ei ex opere operato correspondet, hoc enim totum quoad substantiam, & fructum tenetur applicare illi, qui stipendium dedit; sed tantùm applicat, quod sacrificio conuenit per modum impetrationis ex opere operantis, siuè ex merito personali; vndè sacerdos obligatus pro aliquo dicere sacrum liberè potest enim fructum alijs applicare, quem vt persona priuata percipit ex propria deuotione, quia per huiusmodi oblationes nihil detrahitur fructui, qui respondet oblationi, vt fit in persona Christi, quam doctrinam recipit, & approbat Lugus *disp.* 19. *cit. sec.* 12. *num* 263. vbi ait, quod quando Sacerdos in *Memento* orat pro amicis, propinquis, & circumstantibus, non est necesse, quod applicet eis fructum satisfactionis ex Missa, sed impetrationis.

Tertiò arguunt, quoniam effectus huius sacrificij eò est maior ex opere operato in singulis, quo maior est deuotio offerentis, & eius, vel eorum, pro quo, vel pro quibus offertur; ergo est infinitus; consequentia patet, ideò enim sacramenta dicuntur habere vim proximam causandi infinitam, quia semper eorum effectus crescit crescente dispositione subiecti; tùm quia si esset finitus non posset crescere cresente deuotione offerentis, vel eius, pro quo offertur. 125

Confirmatur, quia si hoc sacrificium esset finiti valoris sequeretur quò plures missam audiunt, eò minorem fructum recipere, quia talis fructus diuideretur inter singulos, ac proindè consultius esset interesse sacro, vbi pauciores assistunt; quod est falsum, quia multiplicatis assistentibus sacro non minus prodest singulis, quàm si singuli soli adessent.

Respondetur, argumentum probare solum de effectu intensiuo, qui solùm crescit iuxtà dispositionem subiecti, non autem de extensiuo, quo limitatus est, eoque minor causatur in singulis, quo pro pluribus sacrificium offertur; iam enim suprà dictum est in explicanda nostra sententia, virtutem huius sacrificij extensiuè quidem esse limitatam ad certum effectum; intensiuè verò nullam habere limitationem, sed eo maiorem, vel minorem in vnoquoque effectum causare, quo perfectiorem, aut minus perfectam inuenit ad hoc sacrificium dispositionem.

Ad Confirmationem Gauatius totùm concludit *loc. cit.* sed melius ex dictis nu. 120. neganda est consequentia, nam quoad offerentes, tam immediatos, quam mediatos, om-

operato illi competit respectu subiecti non ponentis obicem.

QVÆSTIO SEPTIMA.

Quomodo hoc sacrificium defunctis prosit, & qualem applicationem Sacerdote requirat.

129 HOc sacrificium non tantùm viuis baptizatis, sed etiam defunctis applicari posse quoad pœnarum remissionem omnes Catholici docent; sed est quæstio, an remissionem pœnæ animabus purgantibus hoc sacrificium conferat infallibiliter, & ex certa lege, an tantùm per modum liberalis impetrationis; & rursus est difficultas, an necessaria sit applicatio sacrificij actualis, vel virtualis, an etiam sufficiat habitualis. Circà primam quæstionis partem aliqui dixerunt remissionem pœnæ animabus purgantibus hoc sacrificium conferre tantùm per modum liberalis impetrationis, non verò infallibiliter, & ex certa lege, ità Scoto *in 4. dist.* 13. *qu.* 2. *art.* 1. Cano. *lib.* 12. *de locis Theologicis cap.* 13. & quidam alij Thomistæ. Circà alteram quæstionis partem negat Vasquez *disput.* 38. *cap.* 6. cum alijs sufficere habitualem, quia applicatio habitualis dicitur voluntas præterita nondum retractata, vt si ego hodie pro anima Petri applicarem sacra per totum mensem, vel annum facienda; cùm ergo hæc voluntas ad valorem sacramenti non sufficiat, vt omnes admittunt, sic inquit Vasquez neque sufficere ad valorem, & applicationem sacrificij; & Granad. *controu.* 3. *tract.* 5. *disput.* 4. *sec.* 2. qui alios citant.

ARTICVLVS PRIMVS.

Resoluitur Quæstio quoad primam partem.

130 PRobabilius est, hunc effectum remissionis pœnarum ab animabus purgantibus infallibiliter, & certa lege participari, & ex opere operato huius sacrificij. Hæc est communior opinio Recentiores Suarez, Vasquez, Henriquez, Coninchium, Caspensem, Amicum, Auersam; & alios passim, quam etiam tenet ex nostris Faber *tom.* de Pœnitentia *disput.* 37. *cap.* 2. vbi *numer.* 58. optimè eam deducit ex Scoto *quolib.* 20. *articul.* 1. principali 2. puncto §. *De secundo autem in isto articulo*, & vt fauorabilior, tùm animabus purgantibus, tùm efficaciæ huius sacrosancti sacrificij oppositæ sententiæ præferri debet. Probatur autem ex destructione præcipui fundamenti illius, quod est quia præcipua conditio ad percipiendum fructum huius sacrificij ex opere operato, & infallibiliter, est status viatoris, vt passim Theologi docent; animæ autem in purgatorio existentes non sunt amplius in via, & sunt extrà potestatem, & dominium Ecclesiæ militantis, & ideò non possunt infallibiliter, & ex certa lege bona ipsius participare, sed tantùm per modum liberalis impetrationis, nempè prout Deo placuerit orationes viuorum, & Ecclesiæ sacrificia pro defunctis acceptare; Sed hæc ratio non conuincit, nam quando dicimus statum viatoris ad hunc effectum participandum necessariò requiri, etiam statum Purgatorij comprehendere debemus, nam quatenus qui illic sunt, ad vltimum terminum non adhuc peruenerunt, aliqua saltem ex parte Viatores sunt maximè quoad remissionem pœnarum, vel etiam culparum venialium obtinendam, atque ideò animæ in Purgatorio detentæ sunt capaces fructus ex opere operato huius sacrificij, vtpotè quæ aliqualiter sunt viatrices. Tùm quia animæ Purgatorij sunt membra viua Christi, & quamuis non possint mereri, nec demereri, quia tamen non sunt omninò extrà viam, nam adhuc sunt in via ad Cœlum, ideò hoc sacrificium potest eis prodesse, sicut prodest viuis; Tùm tandem quia paribus verbis apud Patres, & Concilia dicitur hoc sacrificium prodesse viuis, & defunctis, vt videre est apud Tridentinum *sess.* 22. *cap.* 1. *can.* 3. & *sess.* 25. in decreto de Purgatorio, & ità in forma ordinis sacerdotalis æquè hæc potestas tribuitur Sacerdotibus, & non magis determinatur ad viuos, quàm ad defunctos, dùm dicitur, *Accipe potestatem offerendi sacrificium in Ecclesia pro viuis, & defunctis*. Quarè ex hoc capite concludendum est, animas purgantes adhuc esse sub potestate, & dominio Ecclesiæ militantis, nam licet sint in termino merendi, nondùm tamen sunt in termino, sed adhuc in via soluendi debita, quæ ex peccatis in hac vita commissis, & non ad plenum expiatis contraxerunt; ideoque poterunt militantis Ecclesiæ sacrificijs, & satisfactionibus infallibili lege iuuari, cùm non minus dominium Ecclesia in eas habeat, quàm in viuentes.

Rursus probatur ex destructione alterius fundamenti oppositæ sententiæ; quæ dicit hoc sacrificium circà viuos certa lege semper operari remissionem pœnæ; circà defunctos verò in Purgatorio existentes non ita, sed illis solùm ad hunc effectum valere per modum suffragij; vocant autem per modum suffragij idem, quod instar suffragij, vt quemadmodum orationes viuorum defunctis solum prosunt, prout Deo placuerit eas acceptare, neque certa lege statuerit propter illas defunctorum pœnas remittere, ità etiam sacrificium Missæ defunctis prosit; & quemadmodum indulgentiæ non conceduntur animabus purgantibus per modum absolutæ sententiæ certa, & infallibili lege applicandæ, sed solùm per modum suffragij, vt nimirum dignetur Deus eas pro ijs acceptare, ità etiam sacrificium Missæ. Hoc, inquam, fundamentum etiam est labile; nam quamuis etiam vera esset differentia inter suffragia indulgentiarum, quæ defunctis applicantur, & ea quæ pro viuentibus offeruntur, vt pro ijs oblata certa lege semper suum consequerentur effectum, quia circa istos Ecclesia iurisdictionem habeat; pro defunctis verò non ita, quia circa istos nulla esset in Ecclesia iurisdictio; tamen quod attinet ad sacrificium Missæ, vt benè discurrit Vasquez *disp.* 228. *cap.* 4. nulla ratio esse potest, ob quam potius viuis, quam defunctis certa lege prodesse possit; cùm enim hoc sacrificium à Christo institutum fuerit, qui æquè in viuentes, & defunctos potestatem habet, & pro vtrisque illud instituerit quantum spectat ad pœnarum, remissionem ex Trident. *citat.* nulla potest adduci ratio ob quam his potius, quàm illis certa lege semper prodesse possit; vndè quamuis de suffragij indulgentiarum id negaretur, potest adhuc de hoc sacrificio id affirmari, qui ei inest peculiaris vis ex opere operato, & Christi institutione. 131

Denique in communi omnium sententia certum est hoc sacrificium magis prodesse defunctis cum gratia, & cum baptismo decedentibus, quàm defunctis in gratia quidem, sed sine baptismo decendentibus; etenim ijs ex opere operato, & quoad effectus certa lege conferendos nihil prodesse potest, cùm sit eadem ratio de defunctis, ac de viuentibus, nam tam defuncti, quàm viuentes non baptizati carent charactere, per quem capaces efficiuntur effectus huius sacrificij certa lege applicabilis, vt ex verbis Canonis colligitur, *Memento etiam Domine famulorum, famularumque tuarum, qui nos præcesserunt cum signo fidei, & dormiunt in somno pacis*, vbi per signum fidei character intelligitur in baptismo impressus; Sed quoad remissionem pœnæ per modum liberalis impetrationis potest hoc sacrificium prodesse etiam non baptizatis cum gratia decendentibus si nimirum decesserint solùm cum baptismo non voto, & in reipsa suscepto; potest enim mediante hoc sacrificio impetrari pro istis, vt Deus iuxtà liberum suum beneplacitum eis relaxet aliquam partem pœnæ ex condonatis peccatis relictæ, & Theologi communiter docent; cùm ergo magis prosit decendentibus in gratia, & cum baptismo reipsa suscepto, dici debet hunc effectum remissionis pœnarum his conferri ex opere operato, ac certa, & infallibili lege, & non tantùm per modum liberalis impetrationis. 132

Sed obiciunt Primò, quia illæ animæ iam non sunt membra Ecclesiæ visibilis; ergo nec sunt in statu, in quo possit eis ex opere operato prodesse sacrificium visibile, nec in eas habet Ecclesia potestatem, & iurisdictionem. 133

Confirmatur, quia non habet Ecclesiam potestatem applicandi animabus purgantibus fructum sacramentorum, ergo nec sacrificij, cùm non maiorem potestatem habeat in hoc, quàm in illa. Tandem ideò Ecclesia non habet potestatem infallibiliter, sed solùm per modum liberalis impetrationis fructum huius sacrificij non baptizatis applicandi, quia illi non spectant ad ipsius dominium, sed neque animæ purgantes spectant ad ipsius dominium, ergo &c.

Resp. negando assumptum, quamuis enim animæ purgantes, vt membra visibilia ad Ecclesiam non pertineant, pertinent tamen ad illam, vt membra inuisibilia; nòdùm in termino constituta, sed adhuc cum ipsa militantia, & à Domino pere-

peregrinantia, atque ità illæ animæ eo modo, quo viatrices sunt, pertinent ad Ecclesiam militantem, quia non adhuc sunt in patria, nec in Ecclesia triumphante.

Ad Confirmationem negatur paritas de sacramentis, & sacrificio Missæ, quia sacramenta non sunt per se instituta, nisi pro viuentibus, nam suos effectus in anima non operantur, nisi applicata corpori mediante aliqua mutatione sensibili; at Missæ sacrificium indifferenter tam pro viuis, quàm pro defunctis institutum est, quia potest suum effectum immediatè animæ conferre, cùm illum non conferat mediante aliqua mutatione sensibili facta in corpore illius, cui applicatur, sed sola voluntate offerentis illud ad bonum alterius ordinantis: tùm quia sacramenta ad gratiam conferendam ordinata sunt, sacrificium autem ad pœnas peccatorum tollendas; animæ verò purgantes absolui quidem possunt à reatu pœnæ, sed non sunt capaces augmenti gratiæ, cùm non sint in statu amplius crescendi in præmio essentiali, quod cuilibet incremento gratiæ correspondet. Ad vltimum concessa maiori neganda est minor, vt enim constat ex dictis, dominium, & potestatem habet Ecclesia in fideles defunctos, qui præcesserunt cum signo fidei, quam non habet in non baptizatos.

134 Deindè arguunt, quia animæ illæ non sunt in statu satisfaciendi, sed satispatiendi; ergo neque vlla satisfactio iam eis prodesse potest, saltem ex certa lege, & promissione.

Confirmatur, quia propter hanc causam præsertim alia suffragia Ecclesiæ, & indulgentiæ non applicantur eis infallibiliter, sed per modum suffragij, vt aiunt, vt Deus de congruo acceptet, & applicet illa. Demum, quia hinc sequeretur multas animas statim à purgatorio liberari, si pro eis multa offerantur sacrificia, vndè non seruaretur cum eis diuina iustitia, quæ pœnam culpæ proportionatam exigit.

Respondetur, quod licet animæ purgantes non sint in statu actiuè satisfaciendi per seipsas, sunt tamen in statu satisfaciendi per alios, nam qua ratione sunt in statu soluendi pœnas, eadem ratione aliorum satisfactionibus iuuari possunt, præsertim Christi Domini; cùm debitum ex iustitia solui possit non solùm solutione propria, sed etiam aliorum.

Ad Confirmationem negant quamplures assumptum cõtendentes, etiam indulgentias defunctis applicari certè, & infallibiliter, quod etiam Faber ex nostris docere videtur loc. cit. tanquam de mente Doctoris *quol.* 20. Nec refert, quod in communi modo loquendi per modum suffragij defunctis applicari dicantur, nam inquiunt hunc modum loquendi non obstare, quin adhuc infallibiliter applicentur; Sed quicquid sit de hoc constat ex iam dictis *num.* 131. quod etiam concesso antecedente inualida adhuc est consequentia. Ad vltimum dico cum Amico *disput.* 33. *sec.* 6. *num.* 219. nullum esse absurdum; imò in eximiam cedere excellentiam huius sacrificij, vt multæ animæ virtute ipsius statim è purgatorio in Cœlum euolent parua, & exigua in eo pœna soluta, quæ fuit doctrina Richardi 4. *dist.* 45. *artic.* 2. *quæst.* 1. Nec propterea sequitur, cum ijs non seruari iustitiam punitiuam, quæ exigit, vt reus puniatur pœna culpæ proportionata; licet enim non seruetur iustitia cum ipso reo; adhuc tamen seruatur simpliciter proportio pœnæ ad culpam, quatenus applicatur illi satisfactio Christi, quæ ratione personæ satisfacientis quamcunque pœnam cuicunque peccato debitam excedit, vt dictum est lib. 3. Disp. de satisfactione Christi.

135 Et hæc quoad defunctos fideles, nam quoad fideles viuentes communis est, & certa Theologorum sententia eos infallibili lege hunc fructum remissionis pœnarum consequi, si illis hoc sacrificium applicetur, cum ad hunc fructum consequendum non requiratur, nisi sola intentio, & applicatio ex parte offerentis, & status gratiæ ex parte recipientis; Quod satis probat praxis, & vsus Ecclesiæ, in qua quotidiè offertur hoc sacrificium pro omnibus fidelibus baptizatis viuis, qui sunt Ecclesiæ membra, & ità in Canone Missæ dicitur, In primis, quæ tibi offerimus pro Ecclesia tua sancta Catholica, & pro omnibus Orthodoxis, atque Catholicæ, & Apostolicæ fidei cultoribus, & ità definitum est in Trid. *loc. cit.* & etiam pro paruulis baptizatis potest hoc sacrificium offerri, sicut illis prodesse potest ad impetrandum pro eis diuersa beneficia, salutem, protectionem, & vt in viam Domini dirigantur: Tota autem difficultas est de infidelibus, de Cathecumenis, de Schismaticis, & excommunicatis, an pro illis possit hoc sacrificium offerri; de quo fusè agunt Recentiores, & ex nostris videri potest Gauatius *disp.* vlt. *de* Missæ sacrificio.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Resoluitur Quæstio quoad alteram partem.

QVoad aliam quæstionis partem, qualis debeat esse applicatio Sacerdotis, vt hoc sacrificium prosit ex opere operato, communior, & probabilior sententia est non esse necessariam in Sacerdote actualem, vel virtualem intentionem, aut applicationem, sed sufficere habitualem, hoc est, quod prius intentionem actualem habuerit, ipsamque non tractauerit. Hæc assertio est Scoti *quol.* 20. *lit. D.* vbi dicit, quod non oportet celebrantem pro multis, tunc de eis actu cogitare, sed sufficit, quod antè recollegerit illos, pro quibus intendit specialiter orare, & intentionem suam talem Deo obtulerit, ex tunc enim, si tantùm in communi eorum memoriam habeat, hoc sufficit, quia tunc Deus oblationem, & deuotionem suam pro illis acceptat, pro quibus ordinauit se prius velle offerre; ita Doctor ibi, quem sequuntur Suarez, Lugus, Bonacina, Diana, Caspensis, Auersa, Conincbius, Hurtado, & alij Recentiores passim, & ex nostris Gauatius *disp.* 5. de sacrificio Missæ *quæst.* 2. Centinus de sacramentis in genere *disp.* 4. *art.* 2. Brancatus ibidem *disp.* 3. *art.* 2. Hic tamen aduertendum est, antequam ad assertionis probationem veniamus, quod iam diximus *disput.* 1. de sacramentis in genere *quæst.* 7. *artic.* 2. propriè loquendo de intentione habituali non importare intentionem merè præteritam non retractatam per actum contrarium, vt communiter Recentiores exponunt, sed potius promptitudinem quandam per actus præcedentes acquisitam, qualis etiam in dormientibus esse potest, vt explicat Doctor 4. *dist.* 6. *quæst.* 6. *lit. A.* & ibi probatum est *num.* 277. Sed accipiendo etiam habitualem intentionem pro volitione præterita non retractata, vt ipse quoque accepit 4. *dist.* 4. *qu.* 4. *H.* adhuc dicimus, quod licet ad valorem sacramenti non sufficiat, sufficit tamen ad valorem sacrificij, vt pro aliquo re vera applicatum dicatur. 136

Quarè autem ad conficiendum sacramentum, & in specie Eucharistiam non sufficiat talis intentio habitualis, sed requiratur actualis, vel saltem virtualis; ad valorem verò sacrificij sufficiat habitualis, idest, quæ antecedenter intercesserit, & retractata non sit, iam *loc. cit. num.* 268. duplicem assignauimus disparitatem. Prima est, quam communiter Recentiores hic assignari solent, quod hæc applicatio sacrificij non est tanquam voluntas, & intentio faciendi talem actum, quæ proindè debet influere, & mouere in actum ad hoc, vt constituat illum in tali statu morali; Sed est tanquam donatio, & translatio fructus percipiendi ex tali actu, quæ quidem valida, & efficax est, quamdiù retractata non fuerit; Vndè in Sacerdote duplex intentio consideranda est, vna est qua vult celebrare, & conficere sacramentum, & sacrificium, & hæc quidem debet esse actualis, vel saltem virtualis, quia est voluntas faciendi talem actum, debetque influere, & mouere ad eum faciendum; Altera quia vult, vt fructus talis sacrificij, quando celebrauit, perueniat in talem personam, & hæc satis est, vt præcesserit, & postea retractata non sit, dummodò tamen præcedens illa voluntas non fuerit tantùm intentio applicandi posteà, quia tunc expectaretur hæc ipsa applicatio; sed fuerit voluntas applicandi ex tunc, quando celebrabit; Nec etiam exigitur certa temporis propinquitas, quo talis applicatio præcesserit, sed satis est, vt per non retractationem moraliter, & habitualiter permanere censeatur: ità verbatim discurrunt Auersa, Lugus, Diana, & cæteri Recentiores huius opinionis. 137

Alia autem disparitas ibidem quoque allata inter applicationem Missæ, & intentionem conficiendi sacramentum, est ex proprijs, quæ etiam intentum magis conuincere videtur, vt enim aliqua forma habitualiter permanere dicatur, vel physicè, vel saltem moraliter, opus est, quod in eo subiecto, vel aliquem relinquat habitum, vel saltem obligationem aliquam sequentem ad illam formam, quo pacto actus contrahendi vniuersaliter loquendo etiam præteriti, quia obligatione relinquunt, moraliter permanere dicuntur; ità autem contingit in proposito, nam quando Sacerdos Missam pro aliquo singulis anni diebus celebrare promittit, talis promissio obligationem relinquit, ratione cuius habitualiter durare, & permanere censetur in ge-

in genere moris, ideoque talem intentionem habitualem sufficere dicebamus, vt singulis posteà diebus sacrificium pro illo applicatum censeatur; At non sic res se habet de intentione iam diu præterita, & non retractata, de conficiendo sacramento; quia hæc per id nec physicè, nec moraliter permanet, non quidem physicè, quia nec in se ipsa durat, nec in aliquo effectu permanet ab ipsa secuto; nec etiam moraliter, quia nulla est obligatio ex tali intentione præterita, ideoque intentio habitualis nullo modo dici potest, nec vllo modo sufficiens pro conficiendo sacramento.

138 Sed adhuc obijciunt pro applicatione sacrificij intentionem habitualem non sufficere, quia applicare sacrificium alicui est offerre sacrificium pro illo; non dicitur autem quis offerre sacrificium per voluntatem, quæ nullo modo est causa offerendi sacrificij, voluntas autem habitualis nullo modo est causa talis oblationis, cùm ab ea sacrificium, nec proximè, nec remotè procedat; ergo sicut sacrificium non offertur, nisi per voluntatem, à qua proximè, vel remotè procedit eius oblatio, ità nec offertur pro aliquo, nisi per similem voluntatem: sed ad priorem oblationem non sufficit voluntas habitualis, sed requiritur actualis, vel virtualis: ergo eodem modo dicendum est de posteriori oblatione, seù applicatione, offerre enim pro aliquo includit hoc, quod est offerre, ità arguit Vasquez *disp. 38. cap. 6. nu. 74.*

Confirmatur, quia Sacerdos non potest applicare sacrificium, nisi vt Minister Christi, cui Christus hanc facultatem communicauit: non est autem Minister Christi, nisi dum offert sacrificium, & in ipsamet actione sacrificandi; ergo tunc necesse est, quod habeat voluntatem actualem, vel virtualem applicandi; atque adeò voluntas merè præterita, quæ nec virtualiter manet, non erit sufficiens ad applicandum alicui. Tandem sicut intentio sacrificium offerendi debet esse causa efficiens oblationis, dùm reipsa fit, ità intentio pro aliquo offerendi causa efficiens esse debet pro eo, dùm reipsa pro eo fit; sed illa prior intentio causa oblationis esse non potest, nisi vel actu, vel virtute maneat, dùm sacrificij oblatio fit: ergo nec posterior intentio causa esse potest oblationis pro isto, vel illo, nisi actu, vel virtute maneat, dùm talis fit oblatio.

139 Respondeo negando absolutè illud assumptum, quod applicare sacrificium alicui sit offerre sacrificium pro eo, aliud enim est loqui de oblatione sacrificij, quæ est essentialiter consecratio; aliud verò de oblatione, quæ est eiusdem sacrificij applicatio: nam prima est actio sacrifica, qua sacrificium Deo offertur, & Deum immediatè respicit; alia verò non est actio sacrifica, nec Deum respicit, sed illum cui sacrificium applicatur per actum voluntatis ab ipso actu sacrificandi distinctum, vndè propriè loquendo non est oblatio, sed potius determinatio oblationis, vel sacrificij ad certam, & determinatam personam, & vnus actus ab alio separari potest, quia potest Sacerdos sacrificium offerre, illudque nulli specialiter applicare: itaque oblatio primi generis, quæ propriè dicitur talis, cùm sit actio sacrifica, vtique necessariò requirit intentionem actualem, vel virtualem: at ad oblationem secundi generis, quæ est eiusdem sacrificij applicatio, & impropriè dicitur oblatio, sufficit voluntas habitualis non retractata, cum non sit actio sacrifica, sed potius quasi donatio, seù dispensatio valoris, & fructus ipsius sacrificij.

Ad Confirmationem negatur minor, siquidem Sacerdos non tantùm est Minister Christi, dùm in altari actu sacrificat, sed etiam quando extrà altare fructum sacrificij futuri huic, vel illi applicat, vtramque enim potestatem à Christo accepit; primo modo est Minister sacrificium efficiens, ad quam actionem sacrificam requiritur intentio saltem virtualis; secundo modo est Minister fructum sacrificij dispensans, ad quod munus exercendum sufficit habitualis. Ad vltimum negatur maior ob duplicem disparitatem suprà numer. 137. allatam inter intentionem offerendi sacrificium Deo, & intentionem illius fructus dispensandi, & applicandi; illa enim oblatio est verè, & propriè actio sacrifica, respectu cuius Sacerdos se habet, vt Minister, & causa efficiens, & operatiua modo humano, ad quem operandi modum requiritur intentio actualis, vel saltem virtualis, à tali namque intentione, vt à causa, talis actio prodire debet proximè, vel remotè; at intentio, qua Sacerdos sacrificium applicat, cum non sit sacrificij operatiua, sed tantum dispensatiua, sufficit quod tantùm habitualiter existat pro eo tunc, quando sortitur efficaciam, & effectum, idest, quod reuocata non fuerit, nec opus est, quod tunc actu, vel virtute existat, quia non est talis sacrificij causa effectiua, vel operatiua, sed tantùm fructus eius dispensatiua, vt etiam rectè discurrit Gauatius *disp. 5. q. 2.*

Sed in præsenti materia vertit adhuc alia difficultas; Num 140 applicatio sacrificij, vt valida sit, fieri debeat secundum intentionem à Sacerdote habitam, vel secundum intentionem debitam; hoc est, an Deus attendat ad intentionem, quam de facto habet Sacerdos, an verò ad illam, quam habere debebat iuxtà Prælati præceptum, vel iuxtà aliam obligationem, vt stipendij accepti, vel promissionis; Aliqui dixerunt, quod si Sacerdos applicet Missam alicui, & Superior Sacerdotis applicet alteri, aut præceperit Sacerdoti, vt applicet illi, cui intendit ipse Superior, tunc valere applicationem, aut iussionem Superioris, & non Sacerdotis, ac fructum sacrificij peruenire ad illum, cui vult Superior, non cui vult Sacerdos; ità quamplures Summistæ Corduba, Barbosa, Diana, Marchinus, Alphonsus de Leone, Ledesma, Gauantus, & alij, pro qua sententia etiam Scotus citari solet quolib 20. *art. 2. lit. K.* vbi dicit, quod quando habetur doctrina certa de applicatione, ibi est sic facienda, ita quod si contrarium fiat, fortè nec ei, cui applicatur, valet, & applicanti nocet, quia peccat.

Contraria tamen sententia communior est inter Scholasticos, & probabilior, quæ asserit, peccare quidem talem Sacerdotem, vel contrà obedientiam, vel contrà iustitiam; attamen suam applicationem potius valere, & fructum sacrificij peruenire ad eum, cui ipse applicat, ità Suarez, Vasquez, Lugus, Coninchius, Auersa, Caspensis, & ex nostris Gauatius *loc. cit. disp. 5. quæst. 2. cap. 5.* vbi benè ponderat Scotum ibi *§. de secundo articulo principali*, expressè pro hac sententia stare, inquit enim lit. H. & I. esse in potestate Sacerdotis celebrantis applicare virtutem sacrificij, quod probat duplici auctoritate Augustini, ac etiam ratione, quia sicut Sacerdoti sacrificium offerenti conuenit determinare intentionem suam pro quo specialiter offerat, sic conuenit sibi dispensatoriè, vel dispositiuè determinare, cui virtute sacrificij bonum, quod impetratur reddatur; & tandem concludit, quod Sacerdos ratione ordinis habet gradum notabilem in Ecclesia, propter quem sibi conuenit offerre, & oblationis virtutem determinare, & in hoc non est præcisè organum, sed Minister, & dispensator, Minister respectu oblationis, dispensator respectu determinationis virtutis sacrificij ad certas personas; sicut igitur Sacerdos solus potest hoc sacrificium Deo offerre propriè loquendo de sacrifica oblatione, ità ipse solus valet virtutem sacrificij ad hanc, vel illam personam determinare, quia Minister, & dispensator huius sacrificij est ipse Sacerdos, non eius Prælatus; & hac ratione Scoti, quæ est à priori, vtuntur Recentiores omnes ad hanc conclusionem probandam, vndè non video, quomodo illum citent pro opposita sententia, eius enim verba superius adducta non sufficiunt, vt de mente Doctoris tale feramus iudicium, quia non assertiuè illud dicit, sed dubitatiuè, vt ostendit particula *fortè*, & aduertit Gauatius *loc. citat.* 141

Et per hoc reijcitur responsio, quam Aduersarij adhibere 142 solent, oblationem sacrificij quoad substantiam vtique à voluntate Prælati pendere non posse, benè tamen quoad applicationem pro hoc, vel illo. Hanc, inquam, solutionem immediatè allata ratio impugnat, quia vtrumque fit immediatè à Sacerdote ex commissione Christi, & potestate ab ipso accepta, vt constat ex forma, qua Sacerdos ordinatur, *Accipe potestatem offerendi sacrificium pro viuis, & defunctis*, per quam non solùm datur Sacerdoti potestas consecrandi, sed etiam sacrificium applicandi; ergo non tantùm quoad consecrationem, sed etiam quoad applicationem operatur, vt Minister Christi, & ex commissione, & potestate ab ipso accepta, vt dicebat Doctor *loc. cit.*

Confirmatur, quia sicut in alijs sacramentis, dùm Minister intendit conficere, & conferre alicui sacramentum, quãuis id faciat contrà voluntatem, & præceptum Superioris, aut quamcunque obligationem, & præceptum Superioris, adhuc sua collatio sacramenti valebit, dummodo adsint reliqua ad valorem sacramenti requisita; ità pariter in proposito tam eius oblatio, quàm sacrificij applicatio erit valida, & effectum habebit, quamuis contrà præceptum, obedientiæ, aut debitum iustitiæ; & ratio est, quia in administratione, & applicatione sacramentorum Subditus non pendet à voluntate Supe-

Supe-

Superioris quoad valorem actionis, excepto Pœnitentiæ sacramento, ad quod requiritur essentialiter iurisdictio, cuius collatio pendet à Superiore.

143 Sed obijciunt primæ sententiæ Auctores, quia preceptum subdito factum de Missa applicanda iuxtà Prælati intentionem non est contra Regulam, nec præter regulam, nec suprà ipsam, sed secundum regulam saltem implicitè, cùm pertineat ad bonum commune totius Religionis, & ad rectam Monasterij gubernationem; ergo etiam ad bonum commune eiusdem Religionis pertinet determinata eiusdem sacrificij applicatio pro his, pro quibus Superior celebrare iubet, alias subditus facit contrà obedientiam, & iustitiam debitam viuis, vel defunctis.

Confirmatur, quia potest Prælatus subditorum irritare voluntates circà hanc applicationem, quoties a propria discordant; sicut potest annullare omnia vota, & iuramenta illorum, præter substantialia Religionis, propter subordinationem, & dependentiam, quam ex vi status habet voluntas inferioris a voluntate superioris; neque potest assignari ratio cur possit Prælatus irritare prædicta vota, & iuramenta, non autem intentiones subditorum circà Missarum applicationes. Tandem Sacerdos cùm sit Minister Christi, tenetur iuxtà eius voluntatem operari; ergò cum voluntas Christi sit, vt Sacerdos intentioni debitæ satisfaciat, tenetur sacrificium applicare iuxtà suam obligationem.

144 Respondetur hæc, & similia argumenta concludere solum Sacerdotem sacrificium non applicantem secundum quod tenetur, aut contrà intentionem Superioris, grauiter quidem peccare contrà obedientiam, vel contrà iustitiam, non verò quod sua applicatio valida non sit, quia Christus ità hoc sacrificium instituit, & illius oblationem Sacerdotibus commisit, vt tota applicatio pendeat ex libera Sacerdotis intentione.

Ad Confirmationem negatur paritas assumpta de irritatione votorum, & applicationis sacrificij, potest enim Prælatus illa irritare a suis subditis facta, non autem valorem, & applicationem fructus huius sacrificij; & ratio disparitatis est, quia Sacerdos hanc potestatem immediatè à Christo accepit independenter à Superioris voluntate, & in eius nomine eam exercet; quod apto satis exemplo declarat Lugus *disput.* 19. *sect.* 10. nam etiam in humanis certum est, quod quoties Superior aliquis supremus aliquid subdito committit, quod eius nomine faciat, non pendet subditus in vsu eius commissionis, vel facultatis à voluntate Prælati, vel Superioris immediati, vt si verbi gratia Generalis alicui committat, vt eius nomine inquirat, præcipiat, puniat &c. in aliqua causa determinata, non poterit Prælatus inferior impedire, vel irritare gesta per subditum quoad illam causam, quia quoad illam operatur ex commissione, & nomine Prælati supremi, per quam iam eo ipso eximitur a potestate inferioris Prælati quoad illam causam; Cùm ergo Christus Princeps supremus sacramentorum Ministros sibi assumat, vt suo nomine immediatè tales exerceant actiones, consequens est, vt in earum exercitio, & quoad earum valorem a potestate Prælatorum inferiorum non dependeant, quia ea omnia fiunt ex potestate, & voluntate Christi immediata; & quod dicimus de valore sacramenti, dicendum est pariter de valore oblationis pro aliquo factæ, quia quoad hoc etiam operatur Sacerdos, vt Christi Minister, & ex potestate ab ipso accepta, vt dictum est; Ad vltimum respondetur, vt ad primum; Et hæc de sacramento Ordinis dicta sufficiant, ac Missæ sacrificio, reliqua enim pertinent ad doctrinam omninò moralem, & de subiecto capaci huius sacramenti, eiusque obligatione videri potest Brancatus noster *tom.* 3. *disput.* 9.

DISPVTATIO QVINTA
DE POENITENTIA SACRAMENTO, ET VIRTVTE.

QVÆSTIO PRIMA.

An Pœnitentia sit specialis virtus à cæteris distincta, & quæ sit propria ratio eius.



POENITENTIA secundum nominis etymologiam deriuatur à pœna, & tenere, & dicitur pœnitentia quasi pœnæ tenentia, vt ait Aug. lib. de vera, & falsa pœnitentia capit. 11. sicut & verbum pænitere significat animi dolorem, siuè retractationem, ac detestationem facti præteriti; vndè Ecclesia semper hoc nomine vsa est, quatenus non solùm significat mutationem, & emendationem anteactæ vitæ, sed præcisè animi dolorem, & afflictionem, & quandam voluntariam punitionem, quam pro commissis culpis sibi peccator infligit, vndè pęnitentia hic accipitur pro huiusmodi peccati remedio, quo peccator à Deo remissionem obtineat; Verùm quia non solùm per sacramentum in lege Euangelica à Christo Domino institutum, quod inter septem Ecclesiæ sacramenta numeratur, remissionem consequimur peccatorum; sed & à Mundi initio in omni lege fuit hoc remedium à Deo hominibus concessum, quo & ipsi primi parentes, ac deinceps omnes alij peccatores suorum delictorum veniam consequi potuerunt; Ideò pœnitentia in præsenti disputatione non sumitur pro solo nostro sacramento, sed in latiori etiam significatione, qua virtus pœnitentiæ appellatur; vt enim dantur aliæ virtutes de alijs bonis actibus, ita nominatur hæc virtus, cuius munus est pænitere de peccatis commissis; Et quidem de hac pœnitentia virtute plura tractauimus *lib.* 2. *sentent. disp.* 7. *de Iustificatione*, quæ hic etiam disputari solent, ac proindè missa faciemus cætera tractantes, quæ ad hanc disputationem spectant.

Quod ergo hic primò quærimus est, an pęnitentia habeat speciale obiectum, ratione cuius constituatur virtus specialis à cæteris omnibus distincta; Vndè duo supponit hæc quæstio, tanquam communiter concessa, & apud omnes certissima. 2
Primum est pœnitentiam esse virtutem, quia præcepta diuina sunt de actibus virtutum, extat autem præceptum de pœnitentia agendà Math. 4. *Agite pœnitentiam*, ergò dubitare non licet pęnitentiam esse conformem rationi, & consequenter esse virtutem, si habitualiter sumatur, vel esse actum virtutis, si sumatur pro actu ex tali habitu producto; Probatur etiam ratione deducta ex Scoto 4. *d.* 14. *q.* 2. *A.* quia habitus pœnitentiæ, siuè infusæ, siuè acquisitæ respectu omnium suorum actuum consideratus est electiuus secundum rectam rationem, est per se principium actus laudabilis, est dispositio perfecti ad optimum, est qualitas, qua benè viuitur, & nemo malè vtitur; ergo est virtus; & eius actus sunt virtuosi; Consequentia patet ex definitione virtutis; assumptum verò probatur, quia inclinat ad detestandum, & vindicandum peccatum, ad acceptandam, & ferendam pœnam pro peccato voluntariè ex dictamine rationis recto, & omnes huiusmodi actus sunt laudabiles, & præmiabiles; per eam homo benè, & sanctè viuit, & disponitur ad amicitiam Dei, quæ

quæ est quid optimum; Et quamuis pœnitentia videatur inuoluntaria, quia est contra inclinationem voluntatis consideratæ secundum affectionem commodi, est tamen voluntaria, si voluntas consideretur secundum affectionem iustitiæ, ac deliberationis, licet enim pœna sit omni naturæ, & potentiæ, contraria, voluntas tamen ex sua libertate potest aliquam sibi inferre pœnam, vel etiam potentijs inferioribus, vt docet Doctor *d.14.cit.q.2.lit.X.*

Dices, virtus quælibet habet pro obiecto bonum: sed pœnitentia respicit malum, quia obiectum pœnitentiæ siuè habitualis, siuè actualis est peccatum, quod nullam habet rationem boni, ergo &c.

Resp. virtutem pœnitentiæ primariò tendere ad prosecutionem boni, & secundariò tantùm ad fugam, & detestationem mali, quia omnis auersio mali fundatur in amore alicuius boni, quod appetitum mouet ad detestandum malum tali bono oppositum ex Scoto *2.dist.6.quest.2.* vndè sicut natura non tendit ad destructionem vnius, nihil propter generationem, vel conseruationem alterius, quod principaliter mouet, ità voluntas non tendit ad detestandum malum, nisi propter bonum, quod principaliter mouet, quæ responsio adhuc magis patebit in assignando obiecto formali pœnitentiæ; Deindè pœnitentia non respicit malum vtcunque, sed præcisè vt detestabile, & punibile; malum autem licet secundum se consideratum sit rectæ rationi difforme, tamen vt fugiendum, est conforme rectæ rationi, quæ dictat esse fugiendum, vndè sub hac ratione potest specificare virtutem in ratione boni, & hoc modo pœnitentia, quatenus dictat malum esse puniendum, & detestandum, habet rationem virtutis, quia habet pro obiecto malum, non absoluté, sed quatenus puniendum, quod est quid conforme rectæ rationi, ità Bassolius *4.d.14.q.1.art.3.*

3 Alterum, quod in hac quæstione supponitur, est, Pœnitentiam non esse virtutem Theologicam, sed moralem, quia virtus Theologica habet Deum pro obiecto, non verò aliquid creatum, vt constat ex dictis *lib.3.sent. disp.6.* de Virtutibus Theologicis; pœnitentia autem non habet Deum pro obiecto nec formali, nec materiali, sed aliquod creatum ordinabile ad aliud; obiectum enim eius materiale est peccatum commissionis, vel omissionis præteritum; formale verò, vel compensatio iniuriæ Deo factæ per peccatum præteritum, vel vindicabilitas, & punibilitas mali per pœnam, vel reconciliatio, & pax habenda cum Deo, vel malitia ipsa, vt destruibilis iuxta opinionum diuersitatem, aut quid aliud simile, quæ omnia sunt quid creatum; ergo Pœnitentia non est virtus Theologica, sed moralis; Tùm quia pœnitentia reducitur ad iustitiam, quæ est virtus moralis, vt infrà constabit, & hoc totum docet Scotus *4.dist.14.q.2.lit.G.* vbi docet pœnitentiam ad virtutes morales esse reducendam, eo quod obiectum ipsius sit aliquod creatum ordinabile ad aliud.

Dices, pœnitentia inclinat ad odium peccati, quatenus est offensiuum Dei, ergo respicit Deum, & sic est theologica virtus. Negatur consequentia, quia etiam Religio cultum Dei respicit, tanquam obiectum, & tamen non ponitur theologica virtus, quia versatur circà aliquod creatum, tanquam circa obiectum, nempè diuinum cultum, Deum verò respicit, tanquam finem extrinsecum, cui cultus ille debetur: hæc autem ratio finis non specificat intrinsecè virtutem Religionis: ità pariter in proposito pœnitentia non est virtus theologica, quia licet habeat Deo pro fine extrinseco, cui debetur satisfactio, & compensatio, non tamen habet pro obiecto, quia versatur circà satisfactionem ipsam, tanquam circà obiectum: ità etiam Bassolius *4.d.14.q.1.art.3.* His itaq; suppositis, vt communiter concessis.

4 In hac controuersia tres sunt sententiæ, duæ extremæ, & vna veluti media; Prima extrema affirmat pœnitentiam non esse specialem virtutem, sed generalem, non quidem in eo sensu, quasi sit aliquod prædicatum commune ad omnem virtutem, sed quia actus pœnitendi generatim omnibus virtutibus conuenire potest: sicut enim vnaquæq; virtus proprium bonum prosequitur, ità etiam oppositum peccatum odio habet, vndè secundum hanc sententiam sunt diuersi actus pœnitentiæ, sicut sunt diuersæ virtutes, ad quas illi actus pertinent, nam Temperantia detestatur peccatum intemperantiæ, iustitia peccatum furti, & sic de alijs secundum diuersos respectus, ità Altisiodorensis, Ioannes Maior, Rubion, & alij antiquiores. Secunda sententia extrema affirmat pœnitentiam esse specialem virtutem ab alijs condistinctam, ità Thomistæ passim Caiet. Nugnus, Medina, Valentia, Vasqu. Suarez, Coninch. Amicus, & alij Recentiores, quibus ex nostris subscribit Poncius. Tertia tandem sententia media plures actus virtutis pœnitentiæ distinguit, & asserit pœnitentiam quoad actum volendi vindicare peccata, & patienter sustinendi pœnam esse virtutem specialem Iustitiæ punitiuæ, & Patientiæ: quoad actus verò detestandi peccata, & gratanter acceptandi pœnam pro peccato commisso esse virtutem generalem in sensu iam declarato primæ sententiæ; ità Scotus *4.d.14.q.2 art.1.* vbi quatuor actus in virtute pœnitentiæ distinguit, velle vindicare in seipso peccatum, detestari peccatum, gratanter acceptare pœnam pro peccato, & patiēter sustinere pœnam peccato debitam; Primum actum ait esse iustitiæ vindicatiuæ, qua peccator, vt Minister Dei vindicat in seipso peccata contrà legem Dei commissa; vltimum Patientiæ; reliquos tandem duos cuiuslibet virtutis, nam quælibet virtus sub eodem motiuo tendit in bonum, & detestatur malum oppositum, & gratanter acceptat pœnam, vt reordinatiuam culpæ, boniquе omissi restitutiuam; & ità etiam discurrunt ibidem Tatatetus, Faber, Aretinus, Almainus, Hiqueus, & alij Scotistæ passim.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæstionis Resolutio.

PRo resolutione quæstionis notandum est ex Scoto *4.dist. 14.quest. 1.art.3.§. De secunda conclusione*, quod pœnitere, vt dicebamus, est quasi pœnam tenere secundum nominis ethymologiam, & hoc potest esse quadrupliciter; Primò per actum voluntatis imperatiuum, quæ sibi, & alijs imperat secundum Augustinum, imperando nimirum intellectui, vt consideret peccatum esse offensiuum summæ Maiestatis, & bonitatis diuinæ, quæ est super omnia diligenda, & imperando sibi ipsi nolitionem, seù detestationem peccati commissi propter causandam tristitiam, licet quandoq; ista tristitia non sequatur; & hoc modo pœnitere est vindicare, vel punire peccatum à se commissum, quia applicare sibi ipsi pœnam est tenere eam, & istud potest intelligi, siuè applicet, vel instigat pœnam in effectu, vel affectu, quia vindicans non minus vindicat, etsi quandoque pœna non sequatur, propter defectum alicuius causæ secundæ, dum tamen ipse æquè, & iustè intendat pœnam infligere; Secundò modo pœnitere contingit detestando, vel odiendo, aut nolendo peccatum à se commissum, & hoc in particulari sub propria ratione, vel in generali simul de quocunque peccato à se commisso, & etiam loquendo de displicentia formali, vel virtuali, quæ nimirum illam includit, sicut causa effectum, licet etiam effectus non sequatur, vt est actus dilectionis diuinę, ad quem nata est sequi talis displicentia. Tertiò modo pœnitere contingit pœnam inflictam, scilicet, tristitiam gratanter acceptando, & talis cōplacentia tristitiæ est actus voluntatis habentis tristitiam pro obiecto volito, ad quod sequitur passio gaudij, gaudendo, scilicet, de ipsa tristitia, sicut dicit Augustinus, *Peccator de peccato doleat, & de dolore gaudeat.* Quartò tādem modo pœnitere contingit pœnam sibi pro peccato inflictam patienter sufferendo, & sic pœnam tenere est pœnam non abijcere remurmurando, vndè sustinere est sub actione infligentis se illi conformando tenere, & hoc est minus, quàm tertium, vt patet; potest autem sumi pœna pro tristitia, quæ est in parte intellectiua, & quæ primò, & propriè est pœna, & secundum Augustinum 14. de Trinit. est dissensio animæ ab his, quæ nobis nolentibus accidunt, vel pro aliquo disconuenienti in parte sensitiua; causatur itaque passio tristitiæ à duobus primis actibus pęnitendi, & supponitur à duobus vltimis. Ex quo sequitur tristitiam, vel dolorem non esse pœnitentiam propriè sumptam, quatenus est virtus, vel virtutis actus, vt plures inconsideratè loquuntur; quia pœnitentia in actione potissimum consistit, tristitia autem est passio quædam; tùm quia pœnitentia est tentio actiua pœnæ, tristitia autem non est tentio actiua pœnæ, imò est ipsa pœna tenta, vt notauit Bassolius *loc.cit. d.14.q.1.art.1.* tùm tandem quia tristitia est obiectum pœnitentiæ, vel effectus causatus ab illa, non autem ipsa pœnitentia. 5

Nonnulli Recentiores cum Suarez *disp.3. sect.4.* & Soto *4.dist.14.quest.2.art.2.* aiunt hanc pœnitentiæ distinctionem, & di- 6

& diuisionem à nostro Doctore assignatam nulla ratione, aut methodo datam esse, quia frustrà distinguūtur duo actus priores assignati, scilicet, velle punire peccatum, & detestari peccatum, siquidem non est intelligibile, quod aliquis habeat prius actum puniendi peccatum, quam peccatum illi displiceat, ac illud detestetur, sed statim ac detestatur vult etiam vindicare, & punire peccatum; frustrà etiam inquiunt distingui duo posteriores actus, nam patienter ferre pœnam est eam velle facere, & postquam facta est, in ipsa delectari, quod est libenter eam acceptare.

Sed sufficientia, & diuersitas dictorum modorum optimè deducitur ex dictis à Doctore *d.4.quæst.1.sub T. & quæst. 2 sub B.* vbi inquit omnem punitionem voluntariam contineri sub aliquo illorum quatuor modorum pœnitentiæ, quia nequit punitio esse voluntaria, nisi vel quatenus volita per modum obiecti, vel per modum effectus; si priori modo est volita, vel hoc sustinendo patienter pœnam per conformitatem voluntatis ad agens, quod pœnam infligit, vel vlterius ipsam pœnam gratanter acceptando, & sic habentur duo vltimi modi pœnitentiæ per voluntatem subsequentem, & conformantem se agenti superiori, & extrinseco; Si autem per modum effectus est volita punitio, vel hoc est, vt respicit causam remotam, vel proximam pœnæ, & tristitiæ ex parte voluntati, quia aliud non requiritur ad punitionem voluntariam, & sic habentur duo modi pęnitendi priores, & voluntas antecedens, nam pena, & tristitia immediatè, & proximè causatur à consideratione, & nolitione peccati imperatis a voluntate; mediatè autem, & remotè causatur a volitione illa, qua imperat voluntas ipsam nolitionem, & considerationem peccati, adeout causa remota illius tristitiæ sit volitio imperatiua; causa autem totalis immediata, & proxima sint consideratio, & nolitio imperata, istæ namque veluti duæ causæ partiales causant talem tristitiam; ergo dari nequit aliquis alius modus pęnitendi, qui in prædictis non includatur.

Confirmatur, quia vt inquit Doctor, duobus modis potest aliquis habere pœnam de peccato commisso, vno modo causaliter, alio modo obiectiuè; ille habet pęnam, vel tristitiam de peccato commisso causaliter, qui elicit aliquem actum, ad quem sequitur tristitia remotè, vel proximè; vndè qui habet volitionem imperantem, & applicantem causas proximas partiales tristitię dicetur pęnitens causaliter remotè; & qui habet considerationem, & nolitionem actualem peccati dicetur pęnitens causaliter proximè; & sic habentur duo priores modi pœnitentiæ. Ille autem dicitur habere pœnam obiectiuè, qui elicit aliquem actum terminatum ad tristitiam præexistentem, quod si tendat in illam solum patienter ferendo pœnam inflictam, vt contingit de temporalibus flagellis à Deo inflictis, habetur pœnitentia quarto modo sumpta; si tandem in eam tendat non tantùm pęnam patienter sustinendo, sed etiam gratanter acceptando cum gaudio, & lætitia, sic habetur pęnitentia tertio modo sumpta; Vndè consultò Scotus has duas posteriores pęnitentias vocat obiectiuas, quia sunt tentiones pęnæ obiectiuè, & non causaliter, è contrà verò priores duas pęnæ tentiones pęnitentias causaliter appellat, quia verè causant tristitię pœnam. Et planè nequit assignari alter pęnitendi modus, qui in prædictis non includatur.

7 Ex quibus patet absque fundamento dixisse Recentiores citatos hanc pœnitentiæ diuisionem à Scoto traditam sine vlla ratione, & methodo assignatam esse; & patet quomodo duo priores actus, scilicet, vindicandi, & detestandi peccatum inter se distinguantur, differunt enim per suas rationes formales, & conditiones, quas explicauimus, & quia prior est magis voluntarius, quam posterior, actus enim imperans a toto genere est magis voluntarius imperato, & tandem differunt, quia vnus potest ab alio separari, potest enim contingere, vt alicui peccatum displiceat, & propter hoc doleat, & tristetur de illo, absque eo quod præcedat actus imperans talem displicentiam, & detestationem; Neque etiam frustrà distinguuntur duo posteriores actus pęnitendi, quamuis enim in pęna voluntariè assumpta, aut à Sacerdote imposita possit saluari id, quod dicitur in argumento; tamen in illis pœnis, quas Deus infligit independenter à voluntate, & acceptatione peccatoris, inuenitur quartus ille actus, qui est potius sustinentiæ voluntariæ, quam acceptationis cum gaudio, & lætitia, quæ doctrina ex Trid. manifestè deducitur sec. 14. c. 9. cum inquit, Docet deniq; tantam esse diuinæ munificentiæ largitatem, vt non solum pœnis spontè a nobis pro vindicando peccato susceptis aut Sacerdotis arbitrio pro mensura delicti impositis; sed etiam temporalibus flagellis a Deo inflictis, & a nobis patienter toleratis satisfacere valeamus. Hæc Concilium *loc. cit.* vbi prioribus verbis describit, & significat pęnitentiam tertio modo sumptam; posterioribus verò quarto modo sumptam pro pura, & simplici tolerantia absque renuentia, sed non cum gratanti acceptione coniuncta.

Dices saltem duos priores actus pęnitentiæ non distingui, quia detestari peccatum includit saltem virtualiter voluntatem vindicandi, nam qui detestatur vult abesse peccatum efficaciter.

Contrà, quia quæritur hic de voluntate formali, & expressa vindicandi, an coincidat semper, & sit indispensabiliter connexa cum detestatione peccati; idque nos constanter negamus, & dicimus posse contingere detestationem sine voluntate vindicandi expressa, quia perfecta detestatio peccati potest prouenire ex motiuo charitatis, spei, timoris, gratitudinis, aut religionis, in quibus non includitur motiuum formale, & expressum pęnitentiæ, quod est iustitiæ, aut ponendi æqualitatem, & compensationem; ergò hi duo actus non coincidunt; Et quando simul concurrunt sunt omninò distincti, quia velle vindicare peccatum ad ponendam æqualitatem inter Deum offensum, & peccatorem est actus prosecutionis, nam imperare pœnam applicatis causis, eamque desiderare non est fuga eius, sed volitio; detestatio autem peccati, seù odium propter offensam Dei est actus fugæ; ergo non sunt vnus, & idem actus; tùm quia voluntas finis, & medij sunt diuersæ, sed vindicare peccatum est voluntas finis, nempè satisfaciendi iniuriæ per pœnam, detestari verò peccatum est medium ad hunc finem consequendum; ergò non sunt vnus, & idem actus.

Hac itaque supposita doctrina, & sufficienti diuisione actuum pœnitentiæ resoluit Doctor quæstionem *d. 14. q. 2.* art. 1. dicens, quod pęnitere secundo modo, scilicet, detestari peccatum non est actus alicuius specialis virtutis, sed est actus cuicunque virtuti appetitiuæ communis, quod probat, quia quæcunque virtus inclinans ad complacendum in bono honesto, inclinat etiam ad detestandum, & odio habendum, siuè ad displicentiam de malo inhonesto opposito, vt verbi gratia castitas sicut inclinat ad actum castum, ità inclinat ad detestandum actuum inhonestum contrarium castitati, & humilitas inclinat ad detestandum actum superbiæ, quia opponitur actui humilitatis, & sic de cæteris; Eodem etiam modo discurrit de pænitere tertio modo, quod est gratanter acceptare pœnam pro peccato inflictam, quia quæcunque virtus, potest esse principium acceptandi, & volendi aliquod obiectum, potest etiam inclinare, & esse principium ad acceptandum aliquid in ordine ad illud obiectum; per diuersas autem virtutes potest acceptari aliud, & aliud obiectum, in ordine ad quod possit pęna inflicta pro peccato acceptari; nam si ex charitate amatur Deus, potest acceptari pęna, inquantum reductiua est ad Dei amicitiam. Si autem ex virtute spei desideratur Deus, vt bonum mihi ex virtute spei acceptatur pęna, vt ordinatiua ad consecutionem, & possessionem huius obiecti: Si ex virtute timoris cauetur amissio vitæ æternæ; ex ipsa quoque potest acceptari pęna, vt illam amissionem excludens. Si ex amicitia honesta ad seipsum diligit quis sibi munditiam, & innocentiam; ex illam etiam potest acceptare pęnam, quæ soluit reatum, qui infuit; ità discurrit Doctor *loc. citat.* in fine primi articuli, ex quo patet actum quoque illum pęnitendi tertio modo non esse vnius specialis virtutis, sed plurium. 8

Hanc doctrinam ex Recentioribus præsertim acceptat, & approbat Auersa q. 2. de pœnitentia virtute sec. 2. eamque declarat dicens, sumi posse pœnitentiam generaliter, prout spectat ad omnes, & singulas virtutes in propria materia, quia prorsus eiusdem virtutis est velle aliquod bonum honestum, & nolle malum illi oppositum; ergo ad eandem virtutem, v. g. temperantiam spectat velle temperatè agere in futurum, gaudere de temperatè factis in præterito, ac dolere, & pænitere de intemperatè factis, si nimirum voluntas ad id totum moueatur ex honestate peculiari, & propria temperantiæ. Sumi etiam potest pœnitentia (inquit Auersam ibidem) circa vniuersitatem peccatorum, prout inclusa in charitate Dei, vel virtute Spei, vel alia ex virtutibus; peccatum enim potest considerari, quasi malum Dei, prout Deo displicet; sed ad eandem virtutē, quæ gaudet 9

de

de aliquo bono, spectat dolere de malo opposito; ergo ad charitatem Dei, quæ gaudet de bono Dei, & desiderat placere Deo, spectat quoque dolere seù pœnitere de peccato apprehenso, vt malo Dei. Similiter potest considerari peccatum, vt malum quoddam spirituale ipsius peccantis, quatenus, scilicet, per mortale peccatum amittit homo gloriam æternam, & damnationem æternam incurrit; vbi pariter ad eandem spei virtutem, ad quam pertinet sibi velle bonum spirituale, & gloriam æternam, spectabit quoque dolere, seù pœnitere de peccato, quatenus sub hoc motiuo considera tur; Rursus consideratur peccatum, vt est contrà legem, & obediẽtiam generalem, quæ omnia præcepta complectitur, sicque dolere, & pœnitere de peccatis sub hoc motiuo, ad virtutem obedientiæ pertinebit, Et quatenus peccatum consideratur, vt est contrà gratitudinem debitam Deo summo benefactori, eius detestatio spectabit ad virtutem gratitudinis; ità discurrit Auersa ibidem, quæ est ipsissima Scoti doctrina *loc. cit.*

10 Deindè inquit Doctor, quod pœnitere primo modo sumptum est actus cuiusdam virtutis specialis sub iustitia cõtentæ, est enim actus iustitiæ punitiuæ, quæ est pœnitentia propriè dicta; & pariter inquit pœnitere quarto modo, qui est patienter ferre, esse actum virtutis particularis, scilicet, patientiæ. Vt autem ostendat pœnitentiam propriè sumptam esse specialem virtutem, & non vniuersalem, idest, inclusam in omnibus, quæ odio habent malum propriæ honestati, seù bonitati oppositum, vtitur duplici argumento ex duobus medijs deducto, scilicet, à specialitate obiecti, & à specialitate circumstantiarum, quod in vnum ità reduci potest; illa est specialis virtus, & à cæteris distincta, quæ peculiare obiectum formale habet, & peculiarem laudem, ac difficultatem in obiecto suo attingendo; sed pœnitentia primo modo sumpta, quæ est propriè pœnitentia, est huiusmodi, ergo &c. Minor quod attinet ad obiectum probatur, nam pœnitentia huiusmodi respicit per se, & formaliter rationem peculiarem obiecti, quam nulla alia virtus attingit, respicit enim peccatum, quatenus vindicabile, & per pœnam expiabile, vt ait Doctor littera C. respicit enim peccatum præteritum, quatenus vt est offensa Dei, potest aboleri, & destrui detestando illud, vt Deus qui anteà propter peccatum fuit homini iratus, fiat eidem propitius, & placatus, Est autem formale hoc motiuum peculiare pœnitentiæ obiectum, neque ab vlla alia virtute respicitur per se, & formaliter, nisi à pœnitentia, vt ex professo ostendemus *quæst. seq.* & sine dubio est per se honestum, & expetibile, vt peccatum per pœnam deleatur, vt Deus anteà iratus fiat nobis propitius, & placatus, ac proindè ex hoc obiecto habet actus pœnitentiæ peculiarem laudem, & honestatem. An autem pœnitentia, qua peccatum præteritum deletur, sit actus absolutus, & efficax, vel conditionatus, videndus est Doctor 2. *d.* 6. *q.* 1. & 3. *d.* 15. *§. aliter potest dici*: certum est esse efficacem ad destruendum habituale peccatum, non tamen, vt peccatum, quod commissum est, patratum non fuerit; vndè potest ferri voluntas in peccatum præteritum, vt moraliter præsens per modum habitus nondùm retractati; & sic potest illud efficaciter detestari; in peccatum verò, & formaliter præteritum, actu absoluto, & efficaci ferri non potest desiderando, vt peccatum commissum non sit commissum, quia hic actus est ad obiectum impossibile, ferri tamen potest actu conditionato, facta, scilicet, hypotesi, quod sit possibile, vt peccatum commissum non fuerit commissum, & hoc modo potest, & debet pœnitens velle, vt peccatum non sit commissum, affectu saltem simplicis desiderij, cùm fieri non possit affectu voluntatis efficacis, quia hæc supponit absolutam obiecti possibilitatem cum ordine ad executionem mediorum: posse autem in voluntate dari actus conditionatos dicemus infrà *q. seq. n.* 41.

11 Quod verò pœnitentia peculiarem quoq; habeat difficultatem in obiecto suo attingendo, quam aliæ virtutes circà suum non habent, probatur, nam in hoc ipso etiam, quod sic aboleatur Dei offẽsa, & reddatur homini Deus ex irato placatus, est difficultas peculiaris à difficultate cuiuscunque virtutis distincta: nam virtus pœnitentiæ cùm versetur in peccato præterito destruendo, id homini robur præstat, vt quamuis peccati illecebras, & blandimenta sit expertus, adhuc peccatum efficaciter detestetur: quod quidem est multò difficilius; per alias autem virtutes peccata ipsis contraria auersatur quis formaliter, & per se, non vt iam expertus, vt facit pœnitens, sed absolutè, vt habent turpitudinem tali, vel tali virtuti repugnãtem, siuè quis illam expertus sit, siuè non; vndè nulla virtus per se habet difficultatem illam peculiarem, quam per se, & formaliter superat virtus pœnitentiæ propter experientiam peccati præteriti; & ideò benè dicebat Doctor *loc. cit.* quod nulla alia virtus versatur circa tale obiectum, scilicet, peccatum, vt vindicabile, & per pœnam expiabile, nec actus vllius virtutis habet tales circumstantias, quæ conueniunt actui pęnitentiæ, vt in tale obiectum tendenti, scilicet, finem, modum, & huiusmodi. Ex hoc igitur satis patet præter pœnitentiam generaliter sumptam, prout spectat ad omnes, & singulas virtutes in propria materia, dari propriè specialem virtutem pœnitentiæ, quæ omnia peccata complectitur, condistinctum à prædictis omnibus virtutibus, cuius propria, & specifica ratio est, pœnitere, vel pœnam tenere de peccatis formaliter consideratis quatenus sunt offensa, & iniuria Dei, siuè velle satisfacere Deo offenso, & offensam per pœnam assumptam resarcire; in peccato namque considerari potest non solùm turpido contrà propriam virtutem, non solùm esse quasi malum quoddam Dei, esse malum proprium peccantis, esse contrà legem, obedientiam; sed prætereà ratio offensæ, & iniuriæ contrà Deum, tanquam supremum Dominum; pœnitere ergò de peccatis sub hoc formali motiuo est specialis virtus pœnitentiæ à cæteris condistincta; ita etiam discurrit Auersa *loc. cit.* vbi quoque hanc virtutem ex humanis deducit; quia etiam inter homines est quædam virtus specialis, quæ vnumquemque obligat, ne offendat, nec alterum iniuria afficiat, & vt si fortè offenderit, debeat satisfacere, & offensam per pœnam voluntariè assumptam resarcire; similis ergò quædam virtus speciali agnoscenda est hominis ergà Deum, & hæc est pœnitentia ab alijs virtutibus condistincta.

Ex hac autem doctrina patet, quomodo intelligendum 12
sit, quod suprà in prima assertione docuimus cum Scoto, quod odio habere peccatum non est actus vnius determinatæ virtutis, sed cuiuscunque appetitiuæ, quæcunque enim virtus inclinat ad complacendum in bono honesto, inclinat etiam ad detestandum, & displicendum de malo inhonesto, & opposito; vt enim aduertit Brãcatus noster *disp.* 1. de Pœnitentia *art.* 8. odium peccati dupliciter considerari potest, primò vt est fuga alicuius mali oppositi determinatæ, virtuti, vt odium superbiæ, auaritiæ &c. secundò considerari potest, vt est medium quoddam assumptum ad vindicandum peccatum per pœnam ab ipso odio causandam, & sic à virtute pœnitentiæ causatum, & ad eandem pertinet, ipsa enim peccatum vendicabile respicies, tanquam proprium obiectum, volens illud vindicare per pœnam, vtitur odio eius, ex quo causatur pœna, vel tristitia. Quando ergo, inquit Doctor, odium peccati non esse actum vnius determinatæ virtutis, sed ad quamlibet pertinere, intelligi debet de odio, seù displicentia secundum se considerata, quatenus est fuga alicuius mali, quod opponitur virtuti, nam quælibet virtus habet complacentiam de bono, & displicentiam de malo opposito; non verò de odio, quatenus est vindicatiuum, & causatiuum pœnæ pro peccato puniendo, vt ex ipso Doctore colligitur ex *loc. citat. lit. D.* hoc enim modo determinatè pertinet ad virtutem pœnitentiæ; & ratio est, quia actus huius, vel illius virtutis proprius si fiat ob alium finem, & ab alia virtute imperetur, vt à fide, vel iustitia, ad eam trahitur, & ad eam reducitur; ergo licet odium secundùm se consideratum, quatenus est fuga alicuius mali, quod opponitur virtuti, ad quamcunque virtutem pertinere possit, nam quælibet habet complacentiam de bono, & displicentiam de malo opposito; tamen vt imperatur à pœnitentia, & exercetur ad causandam pœnam in vindictam peccati, est actus iustitiæ vindicatiuæ, & ad nullam aliam virtutem reducendum videtur.

Denique sic etiam discurrendum est de actibus acceptãdi 13
pęnam inflictam, & eam patienter sufferendi, vt idem Brancatus aduertit *loc. cit. art.* 9. acceptatio enim pœnæ, si fiat ex motiuo charitatis, temperantiæ, vel alterius virtutis, pertinet ad hanc, vel illam, & in hoc sensu non est alicuius determinatæ virtutis, sed ad omnes, & singulas pertinere potest; si vero fiat ex motiuo vindictæ in peccatum, tunc talis acceptatio est actus pœnitentiæ determinatè, & ad hãc virtutem determinatam pertinet; Et idem pariter de sufferentia pœnæ dicendum est, si enim ex motiuo patientiæ fiat, quæ dictat non esse remurmurandum in aduersis,

sed

sed pro amore Dei tolerandum, Deoque benedicendum, vt Iob faciebat; sic vtique actus iste est determinatæ virtutis, scilicet, patientiæ, & in hoc sensu intelligendus est Doctor, dùm inquit hunc actum esse huius determinatæ virtutis, scilicet, patientiæ; Si verò pœna inflicta patienter toleratur in vindictam peccati; tunc huiusmodi actus pertinet ad pœnitentiam, & iustitiam vindicatiuam, quia est vindicta, & punitio quædā. vndè viri sancti, & perfecti, vt Anacoretæ, Religiosi, & similes qui assiduis laboribus, flagellis, & ieiunijs se macerant, & castigant veri pœnitens dicuntur, & pœnitentiam facere, quia huiusmodi labores, & incommoda assumunt in odium, & vindictam peccatorum; vndè cōsequenter dicendum est habitus ex his, & similibus causatos, scilicet, acceptandi pœnam in peccatorum vindictam, vel patienter sustinendi pœnam inflictam in eorundem vindictam ad pœnitentiam, & iustitiam vindicatiuam pertinere, nam similes actus generant consimiles habitus; Concludendum ergo est, quod tres illi actus tenendi pœnam, scilicet, odium mali, acceptatio grata pœnæ, & sufferentia, vel tolerantia pœnæ sunt quidem ex suo genere actus plurium virtutum, præsertim duo priores, vt suprà dictum est; si tamen fiant in vindictam peccati, vt plurimum fiunt, sunt actus pœnitentiæ, & iustitiæ vindicatiuæ.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Soluuntur Obiectiones.

14 IN oppositum obijcitur Primo ad probandum pœnitentiam non esse virtutem specialem à cæteris distinctam, sed generalem per omnes vagantem, quia detestatio peccati pertinet ad quamlibet virtutem, quælibet enim virtus inclinat ad bonum, & detestatur malum sibi oppositum; iustitia enim per eandem rationem inclinat ad iustum, & ab iniusto declinat; temperantia inclinat ad honestatem temperantiæ, & ab inhonestate intemperantiæ declinat; ergo pœnitere, quod est nolle peccasse, non est actus specialis virtutis, sed vagatur per omnes.

Confirmatur, quia omnes virtutes eliciunt actus pœnitentiæ, quia omnes inclinant ad actum odij circà malum. Tandem, quia virtus specialis non potest opponi omni vitio; sed pœnitentia opponitur omni vitio, cùm omne vitium sit obiectum pœnitentiæ, ergo nequit esse specialis virtus; minor patet, probatur maior, quia sicut virtus specialis habet determinatum bonum obiectiuum, à quo specificatur, ità habet determinatum malum, cui opponitur, vitium enim specificatur à bono virtutis, cui priuatiuè opponitur.

15 Respondetur, detestationem peccati pertinere ad quamlibet virtutem, non tamen eo particulari modo, quo pertinet ad pœnitentiam; quatenus est specialis virtus à cæteris condistincta, nam omnes virtutes respuunt malum, quatenus impedit bonum, quod primò, & per se respiciunt; non autem quatenus vindicabile per pœnarum susceptionem, quo pacto pœnitentia omnia respuit peccata; nulla enim virtus præter pœnitentiam dictat sumendam esse de peccatis vindictam per pœnæ susceptionem, nam fides v.g. dictat cauendam esse infidelitatem, spes desperationem, charitas odium, & sic de singulis, at non adhibet media ad castigandum malum, & vitium oppositum, sicut adhibet pœnitentia; non enim fides dictat castigandam esse infidelitatem, & spes desperationem per pœnas siuè spirituales, siuè corporales, vel per laborum susceptionem, & similes actus, sed hoc est proprium pœnitentiæ munus, vt à cæteris distinguitur virtutibus; vndè nulla virtus odio proprio, & peculiari pœnitentiæ odit malum, nec eo fine, & modo, quo odit pœnitentia, pœnitentia namque odit malum, quia punibile; aliæ verò virtutes ea præcisè ratione, qua impedit bonum vnicuique oppositum, vndè non est odium vindictæ, quale est odium pœnitentiæ, sed odium potius repulsæ, & abominationis quatenus impeditur bonum per tale malum, vndè argumentum probat solùm, pœnitentiam esse virtutem generalem, & per omnes vagantem modo iam suprà declarato *num.8.*

Ad Confirmationem negatur assumptum cum eius probatione, licet enim quælibet virtus vti possit pœnitentia eius actus imperando nulla tamen elicit actus pœnitentiæ, vt est specialis virtus, & licet quælibet virtus inclinet ad actum odij circa malum sibi oppositum, non tamen est odium vindictæ, sicut est odium pœnitentiæ, sed solius repulsæ, vt dictum est. Ad vltimum dico, vtique non posse virtutem specialem omni vitio opponi suo motiuo speciali, sub quo vnum vitium distinguitur ab alio, & singula opponuntur diuersis virtutibus; posse tamen opponi sub motiuo vniuersali, sub quo omnia vitia conueniunt sub vna ratione, quatenus singula sunt punibilia, & vindicabilia per pœnæ susceptionem, quod sola dictat pœnitentia, vt est specialis virtus.

Secundò obijcitur ad idem, pœnitentia respicit pro obiecto omnia obiecta saltem partialia singularum virtutum; ergo est virtus generalis; probatur assumptum, nam omnes virtutes non tantum inclinant ad prosequendum bonum, sed etiam ad respuendum malum, & sic partialiter mala respiciunt; pœnitentia autem omnia respicit mala, ergo &c. 16

Confirmatur, quia frustrà multiplicantur virtutes, cùm possit pœnitentia etiam sub ea ratione, qua ponitur specialis virtus per omnes vagari; ergo &c. probatur assumptum, posset enim dici sub illa ratione punibilis quamlibet virtutem odisse malum proprium sibi oppositum, nihil enim impedit quin dicatur castitas odire impudicitiam, & temperantia intemperantiam, & velle punitionem eius, vt tribuitur speciali virtuti pœnitentiæ; ergo non est danda aliqua determinata virtus, quæ dicatur pœnitentia, sed omnes virtutes sunt pœnitentia vel adæquatè, vel inadæquatè. Demum si esset virtus specialis esset insufficiens numerus virtutum, qui communiter assignatur pro theologicis, vel moralibus.

Respondetur ex dictis, pœnitentiam respicere pro obiecto omnia obiecta partialia singularum virtutum, non tamen eodem modo, & sub eadem ratione qua respiciuntur à pœnitentia, hæc enim respicit illa, quatenus punibilia, & vindicabilia per pœnarum susceptionem; aliæ verò virtutes illa respuunt sub ea tantùm ratione, quatenus impediunt bona, quæ primò, & per se respiciunt. 17

Ad Confirmationem negatur assumptum cum eius probatione, primò quia virtus aliqua vt v.g. castitas inclinat ad castè viuendum, & ad impudicitiam vitandam, at non inclinat, nec dictat vindicandam esse impudicitiam, & pœnam de ea sumendam, quia punitio, & vindicatio impudicitiæ non spectat ad rationem obiectiuam, & intrinsecam castitatis, sed pœnitentiæ docentis esse puniendum omne malum morale. Deindè quia virtus aliqua fugit peculiare malum, quia peculiari bono oppositum, nō tamen omne, sic castitas impudicitiam fugit, non superbiam, & sic de alijs virtutibus, at pœnitentia nedum fugit per odium repulsæ, sed punit per odium vindictæ, & ad hoc media quærit, quod aliæ virtutes facere nequeunt, nisi imperando actus pœnitentiæ; & prætereà non vni tantùm opponitur, sed omni malo, habetque peculiare motiuum odiendi, ideoque constituenda est specialis virtus à cæteris distincta. Ad vltimum negatur sequela, non enim ponitur à nobis pœnitentia specialis virtus, quia non reducatur, vel contineatur sub aliqua ex virtutibus moralibus communiter enumeratis, sed quia non pertineat ad omnes virtutes, vt prima opinio asserebat, nec est aggregatum quoddam ex omnibus virtutibus; dicimus itaque esse specialem virtutem, idest, non vagantem per omnia virtutum genera, eo quod omnes mala sibi opposita odio habeant, sed sub vno tantum virtutis genere constitui debere, quia odium, quo vtitur pœnitentia, vt medio, ad peccatum puniendum, est diuersum ab odio aliarum virtutum, vt declaratum est; ad quod autem genus reduci debeat, cum nullum eorum nomen induat pœnitentiæ patebit ex dicendis inferius *q.3.*

Tertiò obijcitur contra id, quod diximus cum Scoto odium, & detestationem peccati non esse actum specialis virtutis pœnitentiæ, sed cuiuscunque appetitiuæ; quia SS. Patres, & Concilia nomine pœnitentiæ tantùm exprimunt dolorem de peccatis, ac detestationem, & in his completur vltima, & perfecta dispositio ad sacramentum: ergo hic est actus proprius, & primarius pœnitentiæ: antecedens probatur ex Concil. Triden. *sess. 6. cap. 6.* vbi habet hæc verba. *Dum peccatores se esse intelligentes mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem, & sess. 4. cap. 4.* definitur quod sit *contritio dolor animi, ac detestatio de peccato commisso.* Confirmatur, quia virtus pœnitentia parit dolorem, at detestatio est, quæ parit dolorem, quia dolor statim illam comitatur; ergo detestatio est proprius pœnitentiæ actus, & non alterius virtutis. Demum potest quis dete-

sta-

stati peccatum, vt resarciat iniuriam Deo illatam, qui est finis, & ratio formalis pœnitentiæ, ergo hic actus potest esse particularis virtutis pœnitentiæ, quia ab eius obiecto, siuè fine, vel motiuo elicitur; ità arguit Suarez *disp.* 3. *sect.* 4.

14 Respondeo solutionem patere ex dictis suprà *num.* 12. vbi declaratum est, quo sensu dixerit Scotus odium, & detestationem peccati non esse actum determinatæ virtutis, scilicet pœnitentiæ propriè dictæ, sed tantùm generaliter sumptæ, prout spectat ad omnes, & singulas virtutes in propria materia; ibi enim dictum est odium, & detestationem peccati dupliciter considerari posse; primò vt est fuga mali oppositi huic, vel illi determinatæ virtuti, odium superbiæ, auaritiæ &c. secundò vt est medium quoddam assumptum ad vindicandum, & puniendum peccatum per pęnam ab ipso odio causandam; quando inquit Doctor non esse actum determinatæ virtutis, scilicet pęnitentiæ specialiter sumptæ, sed ad quamlibet virturem pertinere, quia prorsus eiusdem virtutis est velle aliquod bonum onestum, & nolle malum illi oppositum, loquitur de odio primi generis, non autem secundi generis, quod vtique est actus proprius pęnitentiæ, & de quo loquitur Concilium *loc. cit.* iam enim suprà dictum est odium, & detestationem pęnitentiæ, vel quo pęnitentia vtitur, esse diuersum ab odio aliorum virtutum, aliæ enim virtutes fugiunt malum sibi oppositum, quatenus sibi incongruum, & sui destructiuum; at pęnitentia causat odium mali; vt ex eo oriatur pęna punitiua peccati, vndè odium pęnitentiæ proprium non tantùm est odium simplicis repulsæ, & auersionis quale est odium alijs virtutibus commune, sed prætereà est odium vindictæ, & punitionis, & ideò est actus pęnitentiæ proprius, & non alterius virtutis; Quod autem Concilium de hoc odio ibi loquatur ex eius verbis deducitur, cùm inquit; *dùm peccatores se esse intelligentes mouentur aduersus peccata per odium, & destationem*, non benè potest homo breui temporis momento odio pęnitentiæ detestari plura, & innumera peccata contra multas, & diuersas virtutes; & tamen repugnat, quod in illo ipso instanti singula peccata distinctè recogitet, singulasque virtutes, quibus opponuntur, & ex earum motiuis singula odio habeat; loquitur ergo de odio pęnitentiæ proprio, quod est quasi odium vniuersale omnium peccatorum; Sed quamuis hoc odium, & detestatio sit actus proprius pęnitentiæ, itaut alteri virtuti conuenire non possit, adhuc tamen non est dicendus actus eius principalior & primarius; ratio est, quia iustitia vindicatiua, sub qua continetur pęnitentia, & posteà dicemus, respicit, vt actum suum elicitum, volitionem efficacem vindictæ, & pęnæ peccati punitiuæ, & quia odium causat pęnam, imperat odium, & detestationem, tanquam medium ad consequendum suum finem, scilicet vendicationem peccati, vndè odium respiciens malatiam est gratia vindicationis, ideoque vendicatio est actus pęnitentiæ nobilior, quàm odium, & detestatio, ac etiam primarius, quia hic actus continetur in illo, tanquam effectus in sua causa; detestatio enim peccati includitur, tanquam effectus in actu vindicandi, qui non potest stare, si est efficax, sine suo effectu, qui est infligere pęnam, quæ pęnam in dolore imperato consistit, alias non ordinaret culpam debita pęna.

20 Dices, Concilium Trid. *sess.* 6. *cap.* 6. assignans modum præparationis, & conuersionis nullam facit mentionem de vindicatione peccati, sed tantùm de detestatione; hic ergò est actus præcipuus, & primarius pęnitentiæ. Respondeo, quod esto expressam ibi non faciat mentionem de vindicatione, eam tamen alibi memorat. scilicet *sess.* 14. *cap.* 9. dùm ait; *Docet denique tantam esse diuinæ munificentiæ largitatem, vt non solùm pænis sponte à nobis pro vindicando peccato susceptis*, &c. ideò autem *loc. cit. sess.* 6. *cap.* 6. de vindicatione mentionem non facit, quia detestatio, de qua ibi Concilium loquitur, non est ex motiuo ipsius pęnitentiæ expresso, sed ex motiuo charitatis, vt patet ex verbis antecedentibus *illumque tãquam omnis iustitiæ fontem diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersus peccata per odium aliquod, & detestationem*, neque dubium est talem detestationem sufficere, quæ non concepta est de peccato ex motiuo charitatis; non puto tamen eam contingere sine eo, quod antea præcesserit voluntas vindicatiua peccati; siquidem quando quis vult pænitere, vt oportet, ista per ordinem interuenire solent, vt ex eodem Concilio ibi colligitur; primò ex diuino auxilio illuminatur homo ad cognoscendum se esse peccatorem, & Dei offensorem deindè ex motiuo diuinæ iustitiæ malorum vltricis concutitur ad timorem, posteà exigitur in spem diuinæ misericordiæ fidens Deum propitium fore, illumque tanquam omnis iustitiæ fontem incipit diligere, ac propterea mouetur contrà peccata per odium, & detestationem eorum; ex quibus clarè conspicitur, quod debet pænitens velle efficaciter pænitere, & peccata sua punire per odium, quod est pęnæ causatiuum.

Ad Confirmationem principalis argumenti gratis concedo detestationem, vt parit dolorem de peccatis, esse actum pęnitentiæ propriè dictæ, & non alterius virtutis, quia vt sic, medium quoddam à pęnitentia assumptum ad vindicandum, & puniendum peccatum per pęnam ab ipsa causandam; quando autem dixit Doctor odium, & detestationem peccati non esse actum virtutis specialis pęnitentiæ, sed cuiuscunque appetitiuæ, accidit ibi odium, & detestationem, prout importat fugam, & auersionem mali oppositi huic, vel illi determinatæ virtuti. Ad vltimum concedo totum nil enim aliud argumentum probat, quam id quod dictum est suprà num. 12. nimirum, quod licet odium secundum se consideratum, quatenus fugam, & auersionem importat alicuius mali, quod huic, vel illi virtuti opponitur, possit ad omnes pertinere virtutes; tamen vt imperatur à pęnitentia, & assumitur, tanquam medium ad causandam pęnam in vindictam peccati, est actus pęnitentiæ, & iustitiæ vindicatiuæ, nec ad vllam aliam virturem pertinere potest; hoc enim est proprium pęnitentiæ munus, vt est specialis virtutis à cæteris condistincta.

Quartò ad idem arguit Bassolius *loc. cit.* quia si pęnitentia secundo modo sumpta nempè detestatiua, non est specialis virtus, sed per omnes vagatur, & ad omnes se extendit, vt inquit Scotus, tunc quælibet virtus posset dici pęnitentia detestatiua, & è contrà, quod est inconueniens. Deindè pęnitentia detestatiua habet pro per se primo obiecto malum, & culpam, vndè & suus actus per se primus est nolle vel detestari, seù odire; non sic autem est de obiecto, & actu aliarum virtutum; & si enim aliæ virtutes inclinent ad detestandum actus inordinatos suis actibus contrarios, hoc tamen est per accidens, nec detestari est per se primus actus alicuius ipsarum, nec etiam culpa, siuè malum est sic obiectum primum ipsarum, ergo &c. 21

Respondetur nullum esse incoueniens quamlibet virtutem dici posse pęnitentiam generaliter sumptam modo iam declarato *num.* 8. *&* 9. quia sicut quælibet inclinat ad complacendum in bono honesto quod sibi ex suo obiecto conuenit, ità inclinat ad detestandum, & odio habendo, siuè displicendum de malo inhonesto opposito. Ad aliud quando inquit Doctor cuilibet virtuti conuenire posse actum detestandi vitium sibi oppositum, non in eo sensu hoc dixit, quod talis actus ad hanc, vel illam virtutem proximè, & immediatè spectaret, sicut spectat ad pęnitentiam, quæ est specialis virtus, nam actus immediatus temperantiæ non est detestari vitium intemperantiæ, sed amplecti temperantiam ipsam, vndè actus ille sibi solùm mediatè conuenit; adhuc tamen per se, & non per accidens tantùm, quia sicut per se primò quęlibet virtus inclinat ad amplectendum bonum, ità etiam per se, licet non primò, inclinat ad detestandum malum oppositum.

Quintò arguit vlterius Bassolius contrà id, quod diximus de pęnitentia tertio modo sumpta, quod est gratanter acceptare pęnam pro peccato inflictam, non esse virtutem specialem, quia quælibet virtus inclinat ad gratanter acceptandum aliquam pęnam pro peccato commisso contrà illam virtutem, sicut inclinat ad detestandum malum sibi oppositum; inquit Bassolius hanc rationem non vrgere, quia quamuis actus, per quem acceptatur obiectum, sit imperatus ab aliqua virtute non sequitur tamen, quod sit ab illa elicitiuè vndè per actum fortitudinis aliquando imperatur actus temperantiæ, & ex temperantia acceptatur aliquid in ordine ad obiectum fortitudis, & tamen hinc non sequitur quod, actus, quo acceptat, spectet ad virtutem fortitudinis elicitiuè, sed solum imperatiuè; Scotus ergo per hoc non sufficienter declarat ad quam virtutem spectet talis acceptatio elicitiuè idest qualis sit illa virtus, ex qua causatur immediatè talis actus. 22

Respondeo rationem à Scoto addictam esse sufficientem; quando enim inquit, quod si aliquis ex amore charitatis,

vult conseruari sibi illæsa; Cùm autem homo peccat, læditur eius Dei, & tollitur æqualitas bonorum, quæ Deus habebat, & fit Deus minus habens in existimatione, homo enim suam potius exequens, quàm Dei voluntatem, existimat Deum minus, quàm debet, ac veluti infrà seipsum; formale ergò obiectum, quod vult, & intendit pœnitentiæ virtus, est ius diuinum læsum resarcire, & æqualitatem iam declaratam cum Deo seruare; ità Suarez *disp.2.sect.3.* cui adhæret Amicus *disp.1.sect.3.* vbi inquit motiuum formale pœnitentiæ specialis esse ipsam honestatem recompensationis, quatenus resarcitiua est iuris diuini læsi, quod Deus habet, vt prima regula in omnes nostras actiones morales.

27 Sed neque dicendi modus placet, nam omnis virtus siuè ad se, siuè ad alterum duplicem habet finem, vel duplex obiectum, vnum, dicitur quod intenditur, & est finis *qui*; aliud, gratia cuius intenditur, & est finis *cui*, vt v. g. quando ex charitate volo bonum latriæ, famæ &c. Deo, Deus est gratia cuius, extrinsecum obiectum, & extrinsecus finis; bonum verò latriæ est, quod est volitum, & dicitur finis *qui*. Sic igitur in præsenti est pariter de pęnitentia discurrendum, quod ipsa, vt species iustitiæ vindicatiuæ, intendit quidem seruare ius legis, & legislatoris, & hic est finis extrinsecus, & *cuius*; habet prætereà obiectum *quod*, siuè finem *Qui*, quod est proximum, & immediatum obiectum quod intendit, & hoc est vindicta, seù punitio delicti; Ex quo sic arguere licet, finis extrinsecus non specificat actum, nec habitum virtutis, quia hic finis, tanquam extrinsecus est variabilis, & voluntarius, habitus autem inuariabilis semper dicit ordinem transcendentalem ad vnum; sed ius diuinum in nostras actiones, & æqualitas Dei in suis bonis extrinsecis; est finis extrinsecus pęnitentiæ; ergo &c. maior patet ex allata doctrina; minor probatur, quia pęnitentia de sua ratione formali est pęnæ tentio, & hanc essentialiter respicit, quod autem pœna teneatur ob ius diuinum seruandum, vel ob religionem, aut obedientiam ergà Deum seruandam, est quid extrinsecum, & nihil tale ponitur in definitione pęnitentiæ est August. allata, quod est doloris vindicta puniens in se, quod dolet comisisse. Confirmatur, quia æqualitas Deo seruanda in suis bonis extrinsecis haberi etiam potest per actus aliarum virtutum, ac etiam ius, quod Deus in nostras habet actiones potest resarciri; neutrum ergo est formale obiectum, vel finis intrinsecus pęnitentiæ, qui ab alijs virtutibus attingi nequeat; consequentia patet, probatur assumptum; nam si Deus super nostras actiones habet dominium, & prælationem, vt secundum eius voluntatem fieri debeant, tanquam primam regulam actionum nostrarum, iam tale ius læsum resarciri potest per actum obedientiæ; & pariter prædicta æqualitas resarciri potest per actus aliarum virtutum, contra quas peccatum fuit; nam per actus latriæ v. gr. reddi potest æqualitas, quæ per idolatriam oblata fuit, & per actus benedicendi, & laudandi æqualitas ablata per blasphemiam, & contumeliam Dei; & denique si Deus per peccatum existimatiuè est minus habens in bonis extrinsecis laudis, cultus, obedientiæ &c. poterit reddi æqualitas per actus consimiles, maximè eos exercendo in tempore, in quo non sunt debiti.

28 Tertius dicendi modus est aliorum, qui obiectum formale pęnitentiæ, vt est specialis virtus, dicunt esse honestatem, quæ reperitur in ipsa reconciliatione, seù pacificatione, qua Deum per peccatum offensum nobis placamus, & reconciliamus; distinguunt enim Auctores isti offensam ab iniuria, aiuntque iniuriam esse contrà ius strictum, quod quis habet in suas res, offensam verò non semper esse contrà ius, ac proindè non semper iniuriam includere; quod exemplo declarant, quia si amicus indiget libro, quem ego habeo, & petat à me, nisi commodem, offenditur amicus, quia habet fundamentum se rationaliter auertendi à me; at si amicus furatur aliquid, vel detrahit amico, offendit cum iniuria, quia nedùm dat occasionem auertendi se, sed lædit ius, quod amicus habet in bona sua, & famam iniuria; Igitur recompensatur per iustitiam, offensa verò per aliam virtutem, quæ inclinat ad tollendam causam rationabilis offensionis, & indignationis, si fortè data sit, ex motiuo moralis honestatis, quæ in mutua pacificatione relucet; Quod si talis virtus, vt condistincta à iustitia, inter homines reperitur; à fortiori reperiri debet inter homines, & Deum, quæ virtus optimo iure pęnitentia appellari potest, cùm habeat omnes conditiones, quas ad virtutem specialis pęnitentiæ Doctores requirunt; ità discurrit Cardinal de Lugo *disp.2.* de Pęnitentia *sess.4.* vbi hunc dicendi modum deducit ex illo modo loquendi Ecclesiæ, ***Deus qui culpa offenderis, pœnitentia placaris.***

Sed neque hic dicendi modus satisfacit, nec est de mente Doctoris, qui *d.14.quæst.2.§.vlterior inquisitio* sub lit. D. docet pęnitentiam sub amicitia non contineri, nec actus pęnitentiæ esse actus amicitiæ, vel reconciliationis cum Deo. Et in primis sine fundamento dicit, quod pęnitentia specialis non sit virtus iustitiæ ex eo, quod non tendat ad recompensandam Deo iniuriam, eo quod peccatum non lædat aliquod ius Dei; sed solum tendat ad tollendam causam offensionis, quæ per peccatum rationabiliter data est; Hoc, inquam, sine vllo dicitur fundamento, quia Deus strictissimum ius habet super morales nostras actiones, vt istæ a nobis eliciantur iuxtà rectissimum eius dictamen, & ideò iniuriam infert Deo propriè dictam, qui lædit ius eius regulatiuum, quod in nostras habet actiones, & ideò ex hoc capite negari nequit, quis pęnitentia, vt est specialis virtus, sit iustitia, & ad iustitiam pertineat, quæ ad hoc strictissimum ius Dei compensandum tendit, quamuis aliundè ex alijs capitibus inter Deum, & hominem perfecta, & rigorosa iustitia esse nequear, vt *lib.3.* dictum est *disp.* de satisfactione Christi; Neque exemplum ex humanis superius adductum est ad rem, quia potest quidem homo in aliquo offendi, in quod nullum ius habeat, non potest autem Deus per peccatum offendi, quin aliquod eius ius lædatur, vndè omne peccatum in Deum est iniustitia, vt dictum est *disp.cit.q.2.* 29

30 Deindè obiectum formale pęnitentiæ non esse amicitiam cum Deo, vel pacem cum eo probat Doctor *loc.cit.* quia licet per eam peccator reconcilietur Deo, tamen vindicatio pęnitentiæ de per se tantùm respicit æqualitatem pęnæ ad culpam, & vt seruetur lex punitiua Dei, vindicta enim respicit finem legis, quia ordinatur culpa per pęnam præscriptam; vndè aliquando contingit talis actus per destructionem rei, vt patet in suspensione furis, vel homicidæ, & alijs similibus pęnis per legem pęnalem inductis; ergo per accidens est, si concurrat reconciliatio, amicitia autem respicit correctionem, qui est finis extraneus iustitiæ vindicatiuæ, cuius est intendere satisfactionem per pęnam debitam.

Confirmatur, quia amicitia, & pax cum Deo potiùs est finis intrinsecus, & obiectum formale charitatis, quàm pęnitentiæ, ipsa enim vult Dei amicitiam, & eum non esse homini iratum, sed benè affectum; si ergò est obiectum formale charitatis, pęnitentiæ esse nequibit, quia nulla virtus potest directè, & intrinsecè respicere obiectum alterius. Tandem amicitia Dei, & pax cum eo potiùs est finis, & effectus extrinsecus penitentiæ, quàm eius obiectum, ad hoc enim instituta est pęnitentia, vt ex diuina ordinatione obtineatur Dei amor, & amicitia; si ergo est effectus à pęnitentia, & eius obiecto causatus, iam eius obiectum esse non potest, alioquin esset causa sui effectiua; consequentia patet, quia quilibet habitus cum suo obiecto est causa effectus physicè ab ipsis causati; & vniuersaliter nullus effectus ab aliquo habitu causatus, siuè speculatiuo, siuè practico dici potest obiectum eius, cùm obiectum simul cum habitu talem effectum causet.

Hoc denique probatur etiam à priori ex definitionibus pęnitentiæ suprà relatis D. Augustini, & Isidori quod est pęnæ tenentia, & doloris vindicta puniens in se, quod dolet comisisse, vel quod est præterita mala plangere, & plangenda iterum non comittere, in quibus definitionibus non ponitur reconciliatio, vel pacificatio cum Deo, sed tantùm peccatum commissum puniendum, nec amplius committendum; ergo pęnitentia ex intrinseca sui ratione non dat intelligere amicitiam, vel pacem cum Deo, nec illa respicit ex ordine essentiali obiectiuo, sed tantùm extrinsecè, & ex imperio aliarum virtutum; Quod autem homo ex charitate Dei, & sui velit Dei amicitiam, & proptereà pęnitentiam imperet, quia nimirum homine fidei, ac etiam naturali cognoscit non posse regulariter aliquem amicitiam offensi redire, nisi per aliquam satisfactionem, & compensationem offensa puniatur, per accidens se habet ad obiectionem penitentiæ, ac propterea non hinc benè deducitur amicitiam, & pacem cum Deo esse obiectum formale pęnitentiæ, & finem eius intrinsecum, sed tan-

tantùm extrinsecum, nam vt posteà dicemus, finis intrinsecus pœnitentiæ id esse debet, de quo est pœnitendum, sicut finis intrinsecus fidei est id, quod est credendum, & spei, quod est sperandum; estò operans alios fines sibi præfigere possit.

31 Quartus tandem dicendi modus est eorum, qui motiuum formale specialis pœnitentiæ assignant ipsum peccatum, vt vindicabile, hoc est, in pœnam commutabile, & per aliquam satisfactionem, vel satispassionem expiabile; quod motiuum distinguit pœnitentiam à cæteris virtutibus, quæ licet peccatum detestentur, vt contrarium proprio obiecto, non tamen vlterius tendunt ad illud expiandum per aliquam satisfactionem; Et hic est modus dicendi Scoti *loc. cit.* & fuit etiam D. Thomæ 3. *p. quæst.* 85. *art.* 3. quem benè probat Brancatus cum alijs Scotistis *disp.* 3. *art. vlt.* quia peccatum ex communi sententia est obiectum materiale, in quod tendit pœnitentia, sed sub nulla alia ratione tendit in illud, nisi sub ratione vindicabilis, & per pœnam expiabilis, ergo &c. minor probatur, non enim esse potest peccatum eius obiectum simpliciter sub ratione mali, seù priuatione boni alicuius virtutis, quia sic respicitur, & respicitur à qualibet virtute, cui opponitur; Non sub ratione offensæ Dei, vt plures arbitrantur, quia sub hac ratione à charitate respicitur, & respuitur, quæ vult in Deo omne bonum, & respuit omne malum, tam in bonis intrinsecis, quàm extrinsecis. Non sub ratione iniuriæ, quia sic respicitur à iustitia commutatiua, quæ dictat compensationem pro offensa, & præscindit à pœnali, & non pœnali actione. Nec denique alia ratio est assignabilis in peccato, sub qua respiciatur à pœnitentia, nisi sub ratione vindicabilis, & punibilis, & per pœnam expiabilis, vt patet ex impugnatione aliorum modorum dicendi.

Confirmatur, quia sub hac ratione vindicabilitatis ad nullam aliam virtutem pertinere potest, præterquam ad pœnitentiam, vt potest inductione ostendi, tam in moralibus, quàm theologicis virtutibus; non quidem ad Fidem, quæ pro obiecto respicit verum à Deo reuelatum; non ad spem, quæ respicit bonum possidendum; non ad Charitatem, quæ recipit bonum amico inexistens, vel inexistere potens: Et ex virtutibus moralibus, non ad fortitudinem, quæ respicit arduum aggrediendum; non ad Temperantiam, quæ respicit mediocritatem in delectationibus; remanet ergo vt ad Iustitiam pertineat, hæc autem commutatiua esse non potest, vt patebit *qu. seq.* ergo erit iustitia punitiua; iustitia autem proprij peccati punitiua est virtus pœnitentiæ, quia tenet pœnitentiam sibi, & non infligit alteri; ergo obiectum formale pœnitentiæ est peccatum, quatenus vindicabile. Denique per hunc dicendi modum saluantur omnia, quæ de virtute pœnitentiæ dicuntur, saluatur enim, quod sit virtus, quia vindicabilitas peccati est aliquid eligibile secundùm rectam rationem; saluatur quomodo respiciat peccatum in ratione obiecti odibilis, & detestabilis, quod toties in Scriptura, & à Patribus inculcatur; Saluatur ordo actuum, quos in peccati punitionem elicit, vel imperat pœnitentia; & denique saluantur cætera alia, quæ pœnitentiæ tribui solent, vt statim ex argumentorum solutione constabit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Obiectiones Solutæ.

32 IN oppositum obijcitur, & arguitur. Primò pro primo dicendi modo, quod pœnitentia respiciat, vt obiectum formale, seù motiuum operandi compensationem Deo faciendam pro offensa illata; quia in actu pœnitendi verè fit compensatio pro iniuria, vel offensa Deo illata per peccatum; ergo hæc erit propriè obiectum eius formale; consequentia patet, quia alia virtus in pœnitente assignari non potest, quæ talem compensationem intendat; patet etiam assumptum, cùm enim Deus decreuerit se placandum per dolorem peccatorum, vel aliquid aliud, scilicet, confessionem, & satisfactionem, quæ sunt pœnitentis actus, aliud exigere nequit, vt in posterum non amplius læsus existimetur, vel offensus, in quo consistit offensæ compensatio, Confirmatur, quia pœnitentia virtus inclinat ad satisfaciendum Deo pro peccatis commissis, nam posito pœnitentiæ actu, iam Deo satisfactum est, & ipse placatus; ergo obiectum eius erit talis satisfactio, seù compensatio; consequentia patet, quia idem est finis, habitus, & actus. Denique actus pœnitentiæ est actus iustitiæ vindicatiuæ, vt Scotus ipse concedit, ergo negare nequit compensationem quoq; esse eius obiectum formale; probatur consequentia, quia iustitia vindicatiua vult pœnam condignam pro delicto, hæc autem condignitas est ipsa compensatio.

Respondetur concesso antecedente negando consequentiam, nam etiam peccati deletio, reuiuiscentia meritorum, amicitia Dei, & plura alia bona habentur per actus pœnitendi, quæ non ob id obiectum formale pœnitentiæ ponuntur, sed inter effectus eius computantur; ad approbationem consequentiæ dicendum est cum Brancato *loc. cit.* iustitiam generalem, & gratitudinem generalem, quæ semper homini insunt, vel per modum habitus, vel dictaminis esse virtutes illas, quæ per se inclinant, & proximè ad satisfaciendum Deo pro beneficijs acceptis, & delictis commissis; pœnitentiam autem, ex qua talis oritur satisfactio per modum effectus, hoc non intendit saltem per se, & proximè, sed solam pœnam, & vindictam delicta punientem, sicut in iustitia vindicatiua, qua fur occiditur, vel homicida, vtiq; compensatur offensa furti, vel homicidij: at iustitia, & Iudex primò, & principaliter hoc non intendunt, sed tantùm punire delictum, vel delinquentem. 33

Ad Confirmationem negatur ex modò dictis assumptum, materialiter enim se habet satisfactio in obiecto pœnitentiæ, nam respicit satispassionem, non satisfactionem, & illam directè, & formaliter intendit, satisfactionem verò materialiter solùm, ac veluti per accidens: vndè si pœnitens nullam haberet intentionem satisfaciendi, imò putaret per talem pœnam assumptam non posse Deo satisfacere pro tot, & tantis peccatis commissis, dummodò intentionem haberet puniendi peccatum per odium, & pœnam assumptam, adhuc veram pœnitentiam haberet, quia in pœnitentia per se primò exigitur satispassio, non satisfactio, & ideò hæc obiectum eius formale poni non potest.

Ad vltimum concesso antecedente negatur consequentia cum eius probatione, aliud est enim velle, & intendere pœnam pro delicto taxatam, & aliud intendere compensationem illam, quæ habetur per pœnæ tenentiam; etenim primum duntaxat directè, & formaliter à pœnitentia intenditur, secundum verò materialiter tantùm, vt modò dictum est de iustitia vindicatiua, quæ primò, & principaliter intendit punire delictum, compensationem verò concomitanter.

Secundò arguitur pro secundo dicendi modo, quod pœnitentia respiciat, vt obiectum formale, seù motiuum operandi ipsam honestatem recompensationis, quatenus est resarcitiua iuris diuini læsi, quod Deus habet, vt prima regula in omnes actiones nostras morales; quia iustitia, vt sic habet pro obiecto ius, & consequenter determinata iustitia determinatum ius; sed pœnitentia etiam per Scotum est species determinata iustitiæ; ergo habet pro obiecto determinatum ius; hoc autem esse nequit, nisi ius diuinum, ergo &c. minor subsumpta probatur, quia per pœnitentiam fit compensatio Deo ob offensam ei illatam; ergo respicit pro obiecto ius Dei, quod redditur, & resarcitur per pœnitentiam. Confirm. quia iustitia, vt sic, respicit pro fine *Cui*, & obiecto *Quod* ipsum ius, vt sic; ergò species iustitiæ, cum respiciant ius determinatum, respiciunt illud, vt finem *Cui*, & obiectum *Quod*: atque ideò cùm pœnitentia sit iustitia etiam per Scotum, nullum aliud ius respicit, quàm diuinum, per ipsam resarciendum, quia fuerat læsum per peccatum. Rursus in alijs iudicijs, & vindictis ideò fit vindicta, & infligitur pœna, quia ius aliquod est violatum, & per pœnam resarcitur, ideò enim homicidium morte punitur, quia ius communitatis de seruandis omnibus illæsis violatum fuit; ergo si pœnitentia est iustitia vindicatiua, respicit ius violatum resarciendum; ità arguit Suarez loco citato. Demum arguit Amicus veluti à priori, virtutes quæ sunt ad alterum diuersificantur ex diuersitate iurium, quæ formaliter respiciunt; at ius quod habet Deus in nostras actiones, vt prima regula omnis moralis honestatis, est diuersum à reliquis, quæ Deus habet, vt primum principium, vt vltimus finis, & vt supremus legislator; ergò pœnitentia, quæ resarcit hoc ius, est specialis virtus à reliquis distincta; maior patet, probatur minor, quoniam Deus, vt primum principium fundat ius supremi dominij, cui debetur supremus cultus Religionis: Vt summum, atque increatum bonum ius vltimi finis, cui debetur 34

amor

amor charitatis super omnia. Vt supremus legislator fundat ius supremi gubernatoris, cui debetur summa obseruantia præceptorum; ergo vt prima regula omnium moralium actionum fundare debet peculiare ius imitabilitatis, quod ius per se primo respicit pœnitentia, ne lædatur per difformitatem moralium actionum, & vt læsum resartiatur per recompensationem.

35 Respondeo ex dictis in impugnatione huius secundi modi dicendi sub num. 27. quod sicut iustitia habet quidem ius pro fine extrinseco, & pro obiecto cuius, vel cui, non autem pro fine intrinseco, & obiecto quod; ità pœnitentia, vt species iustitiæ vindicatiuæ, intendit quidem seruare ius legis, vel legislatoris, & bonum communitatis, quod consistit in obseruantia legis, sed hic est finis extrinsecus, & cuius; finis vero intrinsecus, & qui, quod est proximum, & in immediatum obiectum, quod intendit, est vindicta, seu punitio delicti, vt patet ex ibi dictis. Ad 2. negatur pariter assumptum ob eandem rationem, quia ius est semper finis *cuius*, id verò per quod seruatur illæsum, vel semel læsum resarcitur, est finis *qui*; & quando etiam assumptum concederetur de iustitia commutatiua, vel distributiua; adhuc de vindicatiua, & punitiua negari debet, quæ immediate punitionem, & pœnam respicit ob ius legis, & legislatoris, & bonum communitatis, vt suprà dictum est. Ad 3. concesso antecedente negatur consequentia, quia totum illud extrinsecum est iustitiæ vindicatiuæ, intrinsecè enim, & immediatè respicit solum vindictam, seu pœnam à lege taxatam, vult enim lex, & proximè, ac immediatè solùm intendat, vt ob tale delictum talis infligatur pœna, & hanc respicit iustitia vindicatiua pro obiecto proximo, & immediato, vt obseruat Brancatus *loc. cit.* Ad vltimum negatur minor cum eius probatione, hoc enim ius non distinguitur à iure, quod Deus habet in nostras actiones, vt supremus legislator, vt sic enim est prima lex, & norma omnium moralium actionum, illa enim ipsa lex est regula moralium operationum, ideoque idem omninò est ius, quod Deus habet in nostras actiones, vt primus legislator, & prima regula, nam ius primæ regulæ in iure supremi legislatoris includitur; atque ideò ex hoc capite pœnitentia non sufficienter distinguitur ab obedientia, quæ respicit ius ipsum legislatoris, sed pro tali distinctione recurrere oportet ad finem intrinsecum, & obiectum proximum, & immediatum iam assignatum; quam solutionem frustrà nititur euadere Amicus *loc. cit.*

36 Tertiò arguitur pro tertio dicendi modo, quod obiectum formale pœnitentiæ sit honestas, quæ reperitur in ipsa reconciliatione, vel pacificatione peccatoris cum Deo; quia pœnitentia ad hoc specialiter tendit, vt recuperetur amicitia Dei, & ex pœnitentiæ actibus hoc præcipuè obtinetur; ergo hæc est eius obiectum formale. Confirmatur, quia pœnitentia non ex alio capite ad tenendum pœnam inclinat nisi vt pœnitens Deo placeat, si enim peccato Deo per omnia placeret, nulla pœnitentia indigeret, ergo &c. Tandem nolle dare alicui fundamentum indignandi se rationabiliter, & velle tollere fundamentum indignationis, si datum est, est aliquod bonum, & honestum, & proindè ad aliquam pertinens virtutem; sed alia assignari nequit, ad quam pertineat, nisi pœnitentia, ergo &c. Maior patet, probatur minor, quia talis virtus vult peccati destructionem, vt est offensa Dei, & placat Deum, hæc autem sunt, quæ pœnitentiæ competunt, ergo &c. ità arguit Lugus *loc. cit.*

Respõd. ex dictis in impugnatione huius tertij modi dicẽdi sub num. 29. pœnitentiam tendere ad recuperandam Dei amicitiam, tanquam finem extrinsecum ab operante intentum, non verò tanquam in finem per se, & intrinsecum operis, vel habitus; & actibus pœnitentiæ obtinetur amicitia Dei, vt effectus ex Dei ordinatione pœnitentiæ promissus, non verò vt obiectum eius primum; & quidem actibus quoque aliarum virtutum obtinetur amicitia Dei, nec ob id amicitia ponitur obiectum formale illarum, sed solùm finis extrinsecus; ità ergo est de pœnitentia dicendum, quæ per se aliud non vult, nec intendit, quam pęnæ tenentiam pro peccatis, quam tenet imperando odium, & alias pęnæ causas.

Ad Confirmationem negatur assumptum, pęnitentia enim inclinat ad tenendum pęnam, primò, & principaliter, vt per pęnam peccatum deleatur, & expietur, secundariò autem, & consequenter, vt Deo placeat, & ideò pęnæ tenentia, & peccati vindicabilitas est eius finis intrinsecus, ac primum, & principale obiectum, amicitia verò cum Deo solùm extrinsecus, & secundarius. Ad vltimum negatur minor, potest enim dici tale bonum pertinere ad charitatem, quæ dictat omnibus volendum bonum, & nulli malum, vndè inclinat ad cauendum ab omni occasione, & fundamento rationabilis indignationis, nedùm respectu Dei, sed etiam hominum; potest etiam dici ad iustitiam pertinere, quæ vult omnia bona proximi illæsa, & intacta, ad probationem minoris dico talem virtutem velle destructionem peccati, vt est offensa Dei imperatiuè tantùm, non verò elicitiuè, & ex obiecto, sic enim solùm competit pęnitentiæ quæ respicit, vt obiectum primum peccata punibilia; virtus autem non ex obiecto actu imperati, sed ex proprio specificationem habet, vt Brancatus aduertit *loc. cit.*

37 Quartò tandem arguitur contrà quartum nostrum dicendi modum quod obiectum pœnitentiæ sit peccatum, vt vindicabile, & per pęnam expiabile; nam omnis virtus, quæ est ad alterum ex eodem motiuo tendit ad seruandum ius alteri, & ad recompensandum ius læsum per voluntariam aliquam satisfactionem; ergo resarcire ius diuinum læsum non videtur proprium pęnitentiæ; antecedens probatur, nam ex eodem motiuo pietatis filius mouetur ad resarciendam iniuriam Patri, & ad præstanda illi debita obsequia; ex eodem motiuo Duliæ mouetur seruus ad recompensandam iniuriam Domino, & ad exibendum illi debitum famulatum. Ex eodem motiuo amicitiæ amicus compensat offensam amico, & illi debita officia præstat; ergo ex eodem motiuo siuè Charitatis, siuè Religionis, siuè obedientiæ creatura per voluntariam satisfactionem recompensat iniuriã per peccatum Deo illatam, & illi debita obsequia, ac reuerentiam præstat; ità arguit Amicus *disp. 1. sec. 3.* Conf. quia ratio formalis obiectiua virtutis ea est, à qua virtuosus mouetur ad exercitium virtutis, sed virtuosus pęnitens non habet hoc motiuum vindicabilitatis, ergo &c. maior patet, probatur minor; quia pęnitentes mouentur ad pęnitendum ex indignitate peccati, vel à damno, & pęna, quæ sibi comminatur; statim enim, ac illuminantur ad cognoscendam fæditatem peccati, nolunt peccasse, & odio habent illud absque eo, quod dicant, volo vindicare peccatum, quia est aliquod vindicabile per odium causatiuum tristitiæ. Denique actus primarius pęnitentiæ non habet pro obiecto rationem vindicabilis, hic enim est nolle peccasse, seu odium, ac detestatio peccati, quem actum patet non habere pro obiecto aliquam vindicabilitatem ergo &c.

38 Respondeo argumentum illud Amici parum, vel nihil contra nos vrgere, non enim nos dicimus, quod resarcire ius diuinum læsum sit obiectum formale, & proprium pęnitentiæ, immò arguendo contra secundum dicendi modum in pręcedenti articulo sub numer. 27. gratis concessimus hoc resarciri posse per actiones aliarum virtutum; sed dicimus esse proprium pęnitentiæ resarcire ius diuinum læsum per vindictam, & punitionem peccati, itaut finis intrinsecus, & *qui* pęnitentiæ, quod est proximum, & immediatum obiectum, quod intendit, sit vindicta, seu punitio delicti; finis verò extrinsecus, & *cuius* sit resarcitio iuris diuini læsi, quæ etiam per actus aliarum virtutum haberi potest; & per hoc saluatur, quod pęnitentia sit specialis virtus a cæteris distincta, quia nulla respicit malum sub hac ratione, nam si aliæ virtutes fugiunt malum, hoc tamen non est malum in tota sua vniuersitate, sed fugiunt determinatum malum, & non volunt vindictam, vndè illud abhorrent odio simplicis repulsæ, non verò vindictæ, & punitionis; pęnitentia verò respuit omnem malum, & vult de eo vindictam, & pęnam, quod alijs virtutibus conuenire non potest ex proprio obiecto, sed tantùm ex imperio, & motiuo ipsius pęnitentiæ.

Ad Confirmationem negatur minor cum eius probatione, nam existens in peccato mortali statim ac diuinitùs illuminatur de fæditate peccati, & damno sibi imminente damnationis æternæ iuxtà latam legem, eo etiam ipso experitur sibi pariter dictari, quod ad peccatum remittendum, & pęnam æternam vitandam, indiget expiari per pęnam tristitiæ, confessionis, & satisfactionis, & deindè diuino adiutus auxilio peccata sua vult expiare, & per illa media punire, scilicet, odium tristitiæ, & doloris causatiuum, & per confessionem, & satisfactionem; quarè quilibet pęnitens pro fine intrinseco, & obiecto, ac motiuo vindictam habet, a qua mouetur ad applicandas tristitiæ causas.

propria referri potest; Et ex alia parte planè negari non potest etiam de peccatis alienis posse haberi displicentiam, & tristitiam, posse etiam haberi voluntatem, & desiderium illa delendi, procurando nimirum opportuna remedia, vt deleantur; idque totum non solùm ex motiuis aliarum virtutum, sed etiam specialiter ex hoc, quatenus peccatum est offensa, & iniuria Dei, & quatenus est vindicabile, & per pœnam expiabile, quod est formale motiuum penitentiæ specialis; Quãuis, inquam, hæc omnia vera sint, adhuc tamen est difficultas, vt aduertit Auersa *quæst.2. de pœnitentia sect.7.* nũm tale officium circà aliena peccata sit eiusdem virtutis pęnitentiæ, quæ in vnoquoque circa propria peccata versatur; sicut etiam difficultas est de alijs virtutum actibus, nũm eiusdem virtutis sit velle casta seù iusta opera in altero, ac in seipso, & sic de singulis virtutibus; Et quidem Auersa *loc. cit.* & quidam alij, in materia singularium virtutum asserunt debere duas partes specie morali distingui, vnam circà bonum honestum proprium, & alteram circà alienum; iuxtà quem dicendi modum in re præsenti dici deberet alterius rationis esse proprium peccatum odisse, ac peccatum alienum, etiamsi ex eodem motiuo contingat diuinæ offensæ, vel turpitudinis talis, vel talis peccati in propria materia: sicut è contra alterius rationis peccatum est, si quis sit causa, vt alter sit impænitens, ac si ipse sit impænitens in seipso; Ex quo sequitur, quod etiamsi pœnitentiæ virtutem admittamus in Christo, B. Virgine, Beatis, & innocentibus, non tamen erit eiusdem rationis cum ea virtute, quæ est in nobis respectu propriorum peccatorum, & quia in hac re nihil certi decidi potest, & Scotus in hac re est problematicus *loc. cit.* quod in Beatis, & innocentibus virtus pœnitentiæ admitti possit, rem indecisam ego quoque relinquo, vt quisque teneat, quod magis placet. An verò etiam in statu innocentiæ, si permansisset, fuisset hæc virtus specialis pœnitentiæ, iam disputauimus *lib.2. sent. disp.4. q.3. art.2.*

QVÆSTIO TERTIA.

Quæ virtus sit Pœnitentia, & an infusa, vel acquisita.

44 CIrcà primam quæstionis partem variæ sunt Auctorum sententiæ iuxtà varietatem opinandi de obiecto formali pœnitentiæ; Caietanus *3. part. qu.35. art. 2.* & Coninch. *disp.1. dub.4.* putat esse Religionem, cuius officium est reddere debitum cultum Deo in quocunque genere, atque ideò reddere etiam debitam compensationem pro offensa, quod est munus pœnitentiæ, ad Religionem pertinet; Alij non admittentes veram, & rigorosam iustitiam inter Deum, & creaturam dicunt nec actum, nec habitum pœnitentiæ pertinere ad iustitiam, sed reduci ad virtutem pacis, ità Cardin. de Lugo *disp.2. sect.1.* Alij tandem communiter dicunt pœnitentiam esse virtutem de genere iustitiæ, esse quandam iustitiæ partem, & habere rationem iustitiæ ergà Deum, qui adhuc inter se dissident: Durandus dicit esse veram iustitiam commutatiuam: quia ad illam pertinet dare vnicuique quod suum est atque ideò ad illam quoque pertinet reddere Deo compensationem pro offensa. Gabriel cum alijs Nominalibus vult esse iustitiam distributiuam, quia ad eam pertinet præmiare merita, & punire delicta: quia ergo pœnitentia pœnam disponit iuxtà mensuram culpæ ideò ait ad iustitiam distributiuam pertinere. Scotus tandem *4. dist. 14. q.2.* cùm diuersos pęnitentiæ actus consideret, scilicet vindicare peccatum quod aliud non est, nisi efficax voluntas imperans media ad puniendum peccatum; detestationem, seù odium, quo causatur pœna, & tristitia: acceptationem pœnæ iam inflictæ: & sufferentiam pœnæ cuiuscunque pro peccato, non omnes ad eandem virtutem reducere videtur: sed pœnitentiam, quatenus dici velle punire in seipso culpam, ait esse iustitiam vindicatiuam, seu punitiuam, cuius proprium est de peccato vindictam sumere; alios verò actus ad alias reducit virtutes, vt suprà visum est qu.1.

Quoad aliam quæstionis partem, Thomistæ cum D. Thoma *3. p. q.85. art.5.* passim affirmant habitum pęnitentiæ ex suo genere esse infusum, atque simul cum charitate infundi, ità Caietanus, Medina, Soto, Canus, Suarez, Vasquez, & alij Recentiores. Opposita sententia est Scoti *d. 14. q.2.* in solutione vltimi principalis, & quæst. seq. affirmantis pęnitentię habitum esse acquisitum ex pluribus actibus, & quod potest remanere informis in peccatore, sicut possunt remanere aliæ virtutes sine charitate, ità Scotistæ omnes, & sequuntur quicunque non alias virtutes agnoscunt præter Theologicas, & non alias theologicas, nisi tres illas fidem, spem, & Charitatem, hi omnes inquam, negant pœnitentiam esse virtutem infusam; idem etiam indicat D. Bon. *4. d. 17. p.1. art.2. q.3.* in solutione ad vltimum, quatenus ait virtutem pœnitentiæ manere in peccatore, & esse informem, quod de virtutibus infusis præter fidem, & spem non admittitur.

ARTICVLVS PRIMVS.

Examinatur, & resoluitur Quæstio quoad primam partem.

PRo resolutione quæstionis quoad primam partem, recolendum est ex dictis *lib.3. sent. disp.6. & 7.* virtutem adæquatè diuidi in theologicam, & moralem, illa est cuius obiectum est Deus, hæc verò, cuius obiectum sunt actiones humanæ; virtus verò moralis diuiditur rursus in virtutem ad se, & ad alterum; virtus ad se dicitur, cuius obiectum sunt ipsæ passiones operantis, vt fortitudo, & Temperantia, quæ versantur in moderandis passionibus ipsius operantis, illa quidem irascibilis, ista verò concupiscibilis; Virtus ad alterum est, cuius obiectum sunt actiones operantis, vt sunt alterius iuris adæquatiuæ qua ratione omnis virtus, quæ ordinat ad alium, dicitur sub iustitia contineri; Tres autem sunt Iustitiæ conditiones, iurium alteritas, compensationis æqualitas, & debitum compensandi ex aliquo iure ortum, vnde virtus, quæ has res conditiones perfectè participat, dicitur perfecta iustitia, quæ verò imperfectè, dicitur iustitia imperfecta, & potestatiua, quia vel deficit a ratione debiti legalis, & rigorosi, vt liberalitas, & misericordia; vel à ratione æqualitatis, vt pietas, & religio, Deo enim, & parentibus non possumus reddere æquale pro beneficio creationis, & generationis. 45

Iustitia itaque perfecta, & propriè sumpta, quæ illas tres habet conditiones, est specialis virtus, & vna ex quatuor Cardinalibus, de qua tractauimus *disp.7. cit.* de Virtutibus moralibus q.8. diuiditur, tanquam in species, & partes subiectiuas, in commutatiuam, & distributiuam, hæc quidem posita est in distribuendis honoribus, pecunijs, præmijs, & pœnis inter eos, qui in ciuili societate versantur; illa verò tota in commutationibus, pactis, rebusque contrahendis consistit; hæc rationem, & conditionem attendit personarũ, illa rerum; hæc denique proportionem seruat geometricam, illa aritmeticam; Vtraque autem in præmiatiuam diuiditur, quæ pro meritis reddit præmia, & punitiuam, siuè vindicatiuam, quæ pro delictis reddit pœnas; aptatur autem hæc diuisio vtrique iustitiæ, illa namque est distributiua præmiatiua, vel remuneratiua, quæ honores, & magistratus, & alia id genus beneficia pro cuiuscunque dignitate, & meritis distribuit; altera punitiua, quæ similiter nocentes, vt par est, supplicijs afficit; congruit etiam hęc diuisio commutatiuæ, quia vt inquit Doctor *4. d.46 q.1.* commutatiua propriè respicit punitionem, & pręmiationem, vt scilicet, pro meritis quasi commutando reddantur præmia, & pro peccatis supplicia, vt ex instituto explicatum est *disp.7. cit. q.8. art.2.*

Cum igitur ab initio huius Disputationis suppositum sit Pœnitentiam non esse virtutem theologicam, sed moralem; & esse virtutem moralem ad alterum, non ad se, vt omnes Theologi communiter concedunt; quando hic quæritur, an sit species iustitiæ, vel ad iustitiam reducatur vt fert communis opinio, non est sermo de Iustitia communiter dicta, vt sub se comprehendit omnes virtutes ad alterum, sumpta nimirum pro virtute habilitante ad rectè se gerendum in ordine ad alios, in quo sensu opponitur Fortitudini, & Temperantiæ, quæ hominem perficiunt in ordine ad se, & sic habet sub se, tanquam partes subiectiuas Religionem, pietatem, obedientiam, veritatem, gratitudinem, amicitiam, similes alias virtutes alterum respicientes; Non inquam, in hoc sensu sermo est de Iustitia; sed de Iustitia propriè dicta, quæ tres illas habet conditiones, & est

vna

vna ex quatuor Cardinalibus, cuius munus est constituere æqualitatem inter aliquos secundum debiti rationem strictè sumpti; Et rursus, quia pœnitere quatuor modis dicitur, vt superius explicatum est *qu.* 1. *art.* 1. ex Scoto *d.* 14. *qu.* 1. *R.* scilicet vindicare commissum, detestari commissum, acceptare pœnam inflictam, & patienter ferre pœnam inflictam; quando quæritur hic, quæ virtus sit pœnitentia, sermo præsertim est de pœnitentia vindicatiua, hic enim pęnitendi actus est primarius, & præcipuus ex illis quatuor vt suprà dictum est; tùm quia de alijs tribus pœnitentiæ modis iam suprà q. 1. art. 1. declaratum est, quomodo ad particulares virtutes pertineant, & quomodo non. His præacceptis.

46 Primò Dicendum est Pœnitentiam non esse Religionem, nec cum virtute Religionis coincidere. Hæc assertio est contrà primam opinionem, & probatur, quia Religio exhibet Deo debitum cultum, & reuerentiam, non ex quocunque motiuo, sed ex eo solùm, quia Deus est primum principium creationis, & gubernationis rerum omnium; hinc enim passim Theologi probant Religionem esse vnam virtutem ab alijs distinctam, quia reddit Deo cultum sub hac tantum ratione, nempè tanquam supremo rerum omnium Creatori, & gubernatori; Cùm ergo pœnitentia Deum non respiciat sub hac ratione, sed quatenus per peccatum offensus est, & per detestationem huius placari potest, dicendum diuersas esse virtutes, & vnam cum alia non coincidere. Confirmatur, quia ex communi omnium consensum diuersum est prorsus peccatum impęnitentiæ, vt est contra pœnitentiam specialem, ab alijs peccatis Religioni oppositis, vt Idolatria, blasphemia, periurio, & similibus; ergò è contra actus quoque pœnitentiæ sunt moraliter diuersi ab alijs Religionis actibus.

Sed Dices cum Caietano, opera pœnitentiæ sita sunt in quodam cultu diuinæ excellentiæ, & maiestatis, Religionis autem munus est diuinam excellentiam, nostramque subiectionem profiteri, quod quidem fit confessione peccatorum subiectione ad Deum, & operibus satisfactorijs; & sicut Deo offerimus sacrificium, & exhibemus cultum pro beneficijs acceptis, sic etiam sacrificamus in remissionem peccatorum, & ad obtinendam veniam; ergò actus pęnitentiæ cultus Religionis est.

Confirmatur, Religionis officium est, vt homo subdat se Deo, reddat illi debitum; sed pœnitentia ipsa subijcit, & humiliat hominem Deo, redditque Deo debitum, & perindè se habere videtur reddere debitum Deo, tanquam benefactori, atque tanquam offenso; ergo non oportet pœnitentiam a Religione distinguere.

47 Respondetur, negando opera pœnitentiæ continere subiectionem Deo exhibitam eo speciali cultu, & reuerentia, quæ Religionis est propria, nam operibus pœnitentiæ generali quadam ratione colitur Deus, sicut dicitur etiã coli omni virtutis actu, eo quod omnia opera nostra bona diuinæ voluntati conformantur, & in gloriam Dei redundant. Et quamuis verum sit, quod sicut Deo offerimus sacrificium, & cultum exhibemus pro beneficijs acceptis, sic etiam sacrificamus ad impetrandam peccatorum veniam; hinc tamen non benè deducitur affectum pœnitentiæ esse actum Religionis, sed solùm sequitur actum sacrificij, quo petimus à Deo spiritum contritionis ad obtinendam peccatorum veniam, ad Religionem pertinere, & huiusmodi religionis actum in tali casu a virtute pœnitentiæ imperari, quod vtique verum est, sed non destruit actuum distinctionem.

Ad Confirmationem, verum est tam Religionem, quàm pœnitentiam subijcere, & humiliare hominem Deo, sed hoc faciunt ex diuersis motiuis, quod sufficit, vt sint distinctæ virtutes; & planè negari non potest esse prorsus moraliter diuersum obsequium, quod Deo exhibetur per illos actus, qui communiter Religioni attribuuntur, vtpotè adorare, sacrificare, orare, gratias agere, atq; illud, quod per pęnitentiam exhibetur, scilicet recompensare diuinam iniuriam, & satisfacere Deo offenso, qui sunt actus pęnitentiæ; & quamuis etiam in quibusdam actibus materialiter conuenire possint, adhuc eos non eliciunt ex eodem motiuo, quo pacto etiam suprà discurrebamus de virtute patientiæ, & pęnitentiæ q. 1. n. 23.

48 Secundò Dicendum est pœnitentiam non esse virtutem amicitiæ, & pacis, neque ad eam reduci. Hæc assertio est contrà secundam sententiam, quę dicebat, eo quod pœnitentia respicit peccatum in ratione offensæ, eius finem esse reconciliationem cum Deo, qui est finis amicitiæ; est autem expressa Scoti *dist.* 14. *quest.* 2. *lit. D.* versic. *vlterior inquisitio*, & ità probatur ex eius doctrinam ibidem, quia finis proximus vindictę, quam interdum exercet amicitia est correctio & finis vltimatus est diligibilitas amati, vndè si correctio posset alia via haberi per amicitiam sine pœna, lex amicitiæ, quæ bonum correcti intendit, præscriberet non esse puniendum, nec vllum ei inferri detrimentum; sed vindicta de peccato, quam pœnitentia requirit, talem correctionem non præintendit, vel diligibilitatem pro fine per se, & intrinseco; ergò vindicta peccatoris non est actus amicitiæ, vel pacis; Maior patet, probatur minor, quia maximum discrimen versatur inter vindictam, & correctionem, vt inquit Doctor quia iustitia vindicatiua, qualis est pœnitentia, est habitus voluntatem inclinans ad aliquod peccatorum vindicandum secundum quod lex præscribit, adeout talis iustitia semper respiciat correspondentiam pœnæ ad culpam secundum legem, siuè concomitetur correctio puniti, siuè non interdum enim vindicta fit per necem rei, & interdum per exilium, in quibus casibus non præintenditur correctio; ergo per accidens est, si concurrat reconciliatio; amicitia autem respicit correctionem, qui est finis extraneus iustitiæ vindicatiuæ, cuius est intendere satisfactionem per pœnam debitam, & legis conseruationem.

Sed Dices, amicitia inclinat ad reconciliandum amicum; sed per vindictam, qua quis punit suum scelus, vt Dei commissarius, reconciliatur ipsi Deo; ergò pęnitentia vindicatiua est actus amicitiæ. Confirmatur, quia corrigere amicum, vt sic correctus sit dignus amari, non est nisi actus amicitiæ; sed vindicare peccatum est corrigere amicum, vt sic correctus fiat dignus amari; ergo talis vindicandi actus erit virtutis amicitiæ; Minor probatur, quia si reus adeò acriter puniatur, vt vlciscens satietur, potius erit crudelitas quàm virtus iustitiæ; igitur iusta, & regularis vindicatio non potest esse propter alium finem, quam propter emendationem, & correctionem rei.

Respondet Doctor sub lit. F. quod quamuis peccator per pœnitentiam Deo reconcilietur, ipsa tamen pœnitentia vindicatiua non est principaliter ad hanc reconciliationem ordinata, sed potius ad commutationem culpæ in pœnam, seu ad iustam correspondentiam, quam exigit lex inter culpam, & pœnam.

Ad Confirmationem negat minorem, quia vindicare non est principaliter propter correctionem puniti, licet quandoq; illa correctio sequatur, sed est per se, vt ordinetur culpa per pœnam, vt obseruetur lex punitiua, in quam transgressum est; ad probationem minoris inquit nullam ob id incurri crudelitatis notam, quia finis ipsius vindictę, etiam quando reus interficitur, remouet a lege punitiua omnem crudelitatis vmbram, eo quod finis talis necis, & punitionis est bonum commune, & legis obseruatiuo; nec vltio peccati est, vt puniens satietur sed gratia ipsius legis punitiuæ, quæ præcipit talem exerceri punitionem; vndè finis proximus est legis adimpletio; finis remotior est bonum communem, & tandem vltimatus finis est ipse Deus.

Tertiò Dicendum est pœnitentiam esse quandam iustitiam ergà Deum, ideoque ad iustitiam reduci debere, vt est vna, & particularis virtus ex Cardinalibus. Est Scoti *quest.* 2. *cit. lit. A.* & probari potest ex sacra Scriptura Baruch. 2. *Anima, quæ tristis est super magnitudine mali, dat tibi gloriam & iustitiam Domino.* Deindè probatur ratione Scoti *loc. cit.* 49
virtus inclinans ad puniendum transgressionem legis est iustitia, ex Philosopho 10. Ethic. cap. vlt. vbi agens de vitijs, & virtutibus legem positiuam statuit, quæ esset præmiatiua virtutum, & punitiua vitiorum, quæ lex ad virtutem iustitiæ spectat; sed pœnitentia ad hoc inclinat; ergo ad virtutem iustitiæ pertinet; minor patet ex dictis, quia actus potissimi pęnitentiæ sunt actus, quibus pœnam infligitur pro legis transgressione, vel enim sunt odium, & detestatio, quibus tristitia causatur, quæ est pœna, vel alij actus infligendi, & sufferendi, vel acceptandi pęnas inflictas in vindictam peccati, qui omnes ad hoc directè tendunt, scilicet, ad punitionem peccati, & commutationem aliquam. Tandem probatur, quia ad iustitiam propriè spectat satisfacere alicui pro offensa illata, resarcire, & compensare iniuriam illatam, sed hoc propriè præstat pœnitentia erga Deum; ergo est iustitia quædam. Addendum tamen est pęnitentiam non esse iustitiam simpliciter, & perfectam, ac rigorosam, quia talis inter Deum, & creaturam non datur, vt dictum est 3. *sent. disputat.* 3. *de Merito Christi quest.* 5. *artic.* 3. sed ve-

veluti secundum quid, ac deficientem à rigore iustitiæ, nam perfecta, & rigorosa iustitia est illa, quæ perfectè tres illas conditiones superius enumeratas participat, scilicet, iurium alteritatem, æqualitatem, & debitum; pœnitentia autem in duabus primis conditionibus deficit; quia nec ius, quod habet creatura in suas actiones, quibus ius diuinum læsum compensare intendit est perfectè condiuisum à iure, quod Deus ratione primi principij, & vltimi finis suprà easdem actiones habet. Nec satisfactio, quam offert Deo in recompensationem, est æqualis offensæ illatæ; Sed non per hoc pœnitentia deficit à ratione virtutis, nec ab illa perfectione morali, quam habet iustitia rigorosa inter homines, quinimò est perfectior, & nobilior in ratione virtutis; ratio est, quia ius diuinum est longè altioris ordinis, quàm omne ius humanum; illa ergò virtus, quæ respicit ius diuinum resarciendum est nobilior in ratione virtutis, quam iustitia respiciens ius humanum; vndè solùm dicitur non esse perfecta iustitia, & deficere à ratione iustitiæ ob defectum illarum duarum conditionum.

50 Sed Obijcies, iustitia est ad alterum, pœnitentia est ad se, ergo non est iustitia, nec ad iustitiam pertinet.

Confirmatur, quia potest pœnitens satisfacere Deo per actum temperantiæ, & fortitudinis; sed tales actus non sunt iustitiæ, nec ordinantur ad alterum, ergo &c. Tandem proprium est iustitiæ ponere æqualitatem inter excessum, & defectum; implicat autem creaturam ponere æqualitatem inter excessum peccati, & defectum offensæ, quia nullam possumus pro offensa Dei condignam offerre satisfactionem, ergo &c.

Respondet Doctor *quæst. cit. lit. D.* iustitiam non esse ad alterum simpliciter, & absolutè loquendo, sed ad alterum, vel quasi ad alterum; & sic etiam se habet pœnitentia, nam actum vindicandi peccatum potest aliquis eodem modò secundum rationem rectam exercere in alterum, sicut in seipsum; quando enim exercet in seipsum, non exercet in se, nisi vt in alterum, quia non exercet in se, nisi inquantum sibi committitur à legislatore in istum reum vindicare, accidit autem, quod iste, cui committitur, vt Ministro iudicis, sit iste reus, quia eadem modo exerceret secundum rectam rationem Ministri in reum, si esset omninò alius in persona, hoc, inquam, accidit in iustitia, sicut accidit medicinæ, quod Medicus sanet seipsum, cùm ipsa respiciat sanabile, vt sic.

Ad Confirmationem dico, quod potest pœnitens Deo satisfacere per actus temperantiæ, & fortitudinis elicitiuè solùm; nam potest pœnitentia quoscunque actus virtutis imperare, & per tales actus à se imperatos, & à proprijs virtutibus elicitos Deo satisfacere; in quo casu actus illarum virtutum imperatiuè tantùm erunt pœnitentiæ, elicitiuè autem illius erunt virtutis, ex cuius motiuo proximè eliciuntur. Ad vltimum probat tantùm, quod diximus, pœnitentiam non esse iustitiam simpliciter perfectam, & rigorosam, quod gratis concedimus.

51 Quartò Dicendum est Pœnitentiam esse Iustitiam vindicatiuam, seù eius speciem: Est Scoti *quæst. 2. cit. lit. F. §. est ergo iste actus iustitiæ punitiuæ*, & omnium Scotistarum ibidem: Probatur ex definitione Augustini superius allata, & communiter à Theologis recepta, quod sit *vindicta puniens in seipso, quod dolet commisisse*, si enim pœnitentia ex sua ratione formali est vindicta, iam essentialiter erit iustitia vindicatiua. Deindè Hiqueus ibidem in Commentario hoc conuincenter deducit ex Concil. Trident. quia Pœnitentiæ sacramentum est tribunal iustitiæ, & non alterius, quàm vindicatiuæ, vt patet ex *sess. 14. cap. 2.* cum enim superius præmisisset pœnitentes, tanquam reos sisti antè hoc tribunal, & peccatorum remissionem recipere inquit, *ad quam tamen nouitatem, & integritatem per sacramentum pœnitentiæ sine magnis nostris fletibus, & laboribus, diuina id exigente iustitia, peruenire non possumus*, certum autem est reos non nisi iustitiæ vindicatiuæ subijci; Hoc idem insinuat *cap. 5. & 8.* vbi Concilium dicit ad diuinam iustitiam spectare pœnitentes recipere, & pœnam remanere peccantibus post baptismum, pro qua ordinatur opus satisfactorium, quod aliter appellat pœnas satisfactorias, quarum necessitatem ostendit ex concedentia diuinæ iustitiæ peccatum vindicantis, vndè cap. 8. ipsum satisfactionis opus pœnam vocat dicens, *Habeant præ oculis, vt satisfactio, quam imponunt, non sit tantùm ad vitæ nouæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem*; ergò est propriè actus vindicatiuè satisfactionem sub vtroque modo præscribere. Tandem probatur ratione ex his deducta, Deus ex iustitia vindicatiua ordinat peccatum per pœnam, & actus pœnitentiales in hoc sacramento ex Concil. *loco citato* sed idem est finis exequentis pœnam, seu Ministri, & ipsius Iudicis; peccator autem est Minister exequens in seipsum, vel contra seipsum pœnam mediante virtute pœnitentiæ; ergo virtutis pœnitentiæ finis proprius, & intrinsecus est vindicare peccatum; minor probatur, quia vt Minister ordinatè procedat, debet procedere ex fine legis, & legislatoris, cùm idem sit finis potestatis ministerialis, & principalis causam delegantis.

52 Respondet Caietanus, & alij Thomistæ cum ipso, infligere sibi pœnam non esse principale munus pœnitentiæ, sed potiùs satisfacere pro culpa; & quia iustitia vindicatiua propriè est, quæ exercetur à Iudice, vel à Ministro nomine Iudicis; at pœnitens non tam hoc modo, quam potiùs, vt reus voluntariè eligens satisfacere Deo, satagit in seipso punire culpam; vndè negant minorem in ea parte, quæ asserit pœnitentem ex commissione Iudicis tanquam personam publicam, & Ministrum Iudicis vindicare in se peccatum.

Cæterum iam *quæst. præced. art. 1.* ostensum est impugnando primùm dicendi modum infligere sibi pœnam esse præcipuum finem, & principale munus pœnitentiæ potiùs, quàm satisfacere pro culpa; tùm quia Concil. Trid. *loc. cit.* etiam ipsum satisfactionis opus pœnam appellat, quatenus satisfactio ipsa à diuina iustitia vindicatiua præscribitur, vt ordinatiua culpæ. Et planè gratis omnino, & sine fundamento negatur pœnitentem ex commissione Iudicis, tanquam eius Ministrum, in seipso vindicare pœnam; cùm in hoc ipso foro personam gerat accusatoris, & rei, quia iure diuino tenentur pœnitentes omnia sua mortalia post baptismum commissa confiteri ex Concil. *loc. citat.* & vt accusator est respicit seipsum, vt alterum, qua reus est; ergò executio pœnæ ex lege pœnitentiæ deriuatur in pœnitentem, tanquam in verum, & legitimum Ministrum principalis Iudicis, & legislatoris, ac proindè puniens considerari non debet ex auctoritate priuata, sed ex auctoritate legislatoris. Neque dicas talem punitionem eidem conuenire, vt reus est. Nam vt reus est, non conuenit ipsi, nisi voluntariè pœnam acceptare, non autem exequi; ergò si tenetur se accusare, & in seipsum debitam pœnam exequi, hæc potestas deriuatur in ipsum, vt Ministrum Iudicis principalis, non autem, vt personam priuatam. Neque in hoc vllam video repugnantiam, quia vtique potest Princeps, qui suis tenetur legibus, punire in seipso transgressionem illarum, tanquam in priuatam personam; & potest à Principe, & Superiore committi alicui reo, vt seipsum puniat pro delicto commisso, patet autem quod talis actus non spectaret, nisi ad iustitiam, quia in tali casu idem est obiectum rei, & Principis, cùm ergo homo pœnitens, & seipsum puniens pro commisso delicto sit Minister Dei legislatoris dicentis peccatum esse vindicandum, & puniendum, ideò cùm peccator se punit, actum iustitiæ exercet, vt notat Doctor *qu. 2. cit. lit. A. & D.*

53 Sed vrgent Thomistæ, iustitia vindicatiua verè & propriè est in Iudice, non in reo; ergò pœnitentia non est iustitia, quia est virtus residens in reo.

Confirmatur, quia iustitia vindicatiua per se non intendit reconciliationem, sed æqualitatem compensæ, nam sæpè inter inimicos datur æqualis compensatio, & iusta solutio absque reconciliatione; at pœnitentia per se intendit destructionem peccati, vt amicitia cum Deo recuperetur. Denique estò punire se pro peccatis sit iustitia vindicatiua, non tamen dici potest pœnitentia, quia non includit propositum amplius non peccandi, quod ad pœnitentiam requiritur.

Respondetur ex proximè dictis, iustitiam vindicatiuam non esse in Iudice tantùm, sed vel in ipso, vel in Ministro ab eodem delegato, quia dum Iudex vindictam imperat iustè, & ex recto dictamine legis, Minister ad intentionem Iudicis exequens iustè agit, & actum iustitiæ exercet; sic autem pœnitens dicitur in se ipso punire, & vindicare peccatum, vt Minister Dei legislatoris, vndè iustitia vindicatiua non ei conuenit, vt reo, sed vt Dei Ministro in tali causa constituto.

Ad Confirmationem patet ex dictis sub *nu. 48.* in secunda con-

conclusione, quod quamuis peccator per pœnam Deo reconcilietur, hic tamen non est finis præcipuus, & proximus pœnitentiæ, sed remotus, & munus principalis. Ad vltimum negatur assumptum quoad secundam partem; ad probationem dico pœnitentiam debere includere propositum non peccandi, vel formale, vel saltem virtuale, iustitia verò vindicatiua estò non semper includat tale propositum formale, & explicitum, semper tamen includit virtuale, & implicitum, volens enim efficaciter punire malum aliquod, implicitè, & virtualiter odit illud malum, nec vlterius vult esse committendum.

54 Quintò tandem Dicendum est, quod licet pœnitentia non sit propriè iustitia, nec commutatiua, nec distributiua; formam tamen vtriusque induere potest. Hæc conclusio patet ex descriptione, & diuisione iustitiæ propriè dictæ superius assignata sub *num.* 45. ab initio articuli; pœnitentia namque vera, & propria iustitia commutatiua dici nequit, quia iustitia commutatiua debet esse propriè datum, & acceptum, hinc inter filium, & Patrem, Dominum, & seruum non est propriè iustitia commutatiua ex Arist. 5. Ethicorum c. 6. quia quicquid seruus habet Domini est, & omnia bona filij sunt Patris, quamdiù emancipatus non est, at eadem est ratio, imò potior inter Deum, & creaturam, quia quicquid boni habet homo ipsius Dei est; sicut ergò seruus nihil habet, quod propriè possit dare Domino, nec filius Patri, ità nec homo, quod possit dare Deo, vndè ex hac parte deficit materia iustitiæ; Tùm etiam quia in vera iustitia commutatiua seruari debet æqualitas, quæ tamen non seruatur in pœnitentia, quia non possumus æqualiter satisfacere Deo ex iustitia pro culpa; hac igitur ratione nequit pœnitentia dici vera iustitia commutatiua, & in hoc sensu loquitur Scotus *dist.* 14. *quæst.* 2. *sub lit. E.* dùm inquit, quod est actus iustitiæ punitiuæ, quæ distinguitur contrà iustitiam commutatiuam. Nec etiam dici potest vera iustitia distributiua, quia proprium eius est distribuere bona communia in plures personas, seruata proportione geometrica, scilicet, vt eadem sit proportio inter bona, quæ distribuuntur, quæ est inter conditiones personarum, quibus fit distributio, quam enim habent personæ inter se proportionem secundum vniuscuiusque conditionem, eandem inter se debent habere bona, quæ illis distribuuntur; At virtus pœnitentiæ, nec bona communia distribuit in plures personas, nec seruat explicatam anteà proportionem, sed solùm attendit æqualitatem compensationis ad offensam, quantum fieri potest, ex quo capite potius modum seruat iustitiæ commutatiuæ, quàm distributiuæ.

55 Adhuc tamen addimus formam, & vestigium vtriusque aliquo modo induere posse, commutatiuæ quidem, nam pœnitentia veluti reddit, quod peccatum Deo abstulit; & sicut dare alteri pro accepto est inter homines iustitia commutatiua, ità & dare pro ablato, & sicut recompensare beneficia accepta, ita & resarcire iniurias illatas est opus iustitiæ commutatiuæ; differt tamen pœnitentia à iustitia commutatiua humana, tùm ex eo, quod respicit Deum, tùm quia iustitia commutatiua inter homines est rigorosa iustitia, cùm possit perfectam æqualitatem seruare; & in hoc secundo sensu loquitur Doctor 4. *d.* 46. *q.* 1. §. *hic primò*, quando ibi pœnitentiam ad iustitiam commutatiuam, reducere videtur dicens; Ad propositum commutatiua propriè respicit punitionem, præmitionem, vt, scilicet, pro meritis quasi commutando reddantur præmia, & pro peccatis supplicia. Admitti etiam potest in hoc secundo sensu in ipsa pœnitentia vestigium quoddam iustitiæ distributiuæ, si fiat comparatio inter plures peccatores, aut plura peccata, quatenus nocentes, vt par est, supplicijs afficit, & ad remissionem maioris pœnæ relictæ post remissam culpam requiritur maior satisfactio; & in hoc sensu diximus ab initio articuli vtramque hanc iustitiæ diuisionem in commutatiuam, & distributiuam conuenire posse iustitiæ præmiatiuæ, vel remuneratiuæ, & punitiuæ, vel vindicatiuæ.

Instabis pœnitentiam dici non posse iustitiam, nec commutatiuam, nec distributiuam; non primum, quia commutatiua æqualitatem petit, at inter Deum, & creaturam iustum, & iniustum simpliciter dari non potest; neque secundum, quia distributiuam iustitiam exequitur Superior, qui punire, & præmiare potest, quia iustitia illa meritum, & demeritum respicit, pœnam, & præmium; peccator autem, qui pœnitentiam in se habet, non est præmiator.

Respondetur negando assumptum quoad vtramque partem in sensu iam explicato; ad primam probationem dico concludere tantum de iustitia commutatiua propriè, & rigorosè dicta, quo sensu gratis concedimus pœnitentiam dici non posse iustitiam commutatiuam. Ad secundam probationem dico, quod punire conuenit Superiori per se, & ex officio; ex delegatione tamen potest quoq; conuenire reo, cui à legislatore commissum est, vt inferat in se supplicium pro peccato, & velit efficaciter se punire; patet autem quod volitio efficax supplicij est eadem in Superiore legem ferente, & in Ministro exequente, vt se Superiori conformet, quemadmodum suprà est declaratum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Examen, & resolutio quæstionis quoad alteram partem.

QVæstionis resolutio quoad alteram partem, an, scilicet, pœnitentia sit virtus infusa, vel acquisità, pendet, ex iam dictis *lib.* 3. *sent. disp.* 6 *de Virtutibus Moralibus quæst.* 2. vbi conclusum est præter virtutes Theologicas non dari alias morales per se infusas, & *art.* 1. *in fine* id etiam de virtute pœnitentiæ asseruimus, & communiter defendunt Scotistæ Bassolius, Aretinus, Faber, Hiqueus; Brancatus, & alij Recentiores; vbi tamen aduertendum est, quod quando Doctor *dist.* 14. *quæst.* 2. *in fine* asserit, & nos cum ipso pœnitentiam esse virtutem moralem acquisitam quoad habitum, & non per se infusam, intelligimus in eo sensu, & rigore, quod Theologi de virtute per se infusa loquuntur, & eo modo quo virtutes Theologicas Fidem, Spem, & Charitatem virtutes per se infusis appellãt, hoc est, habitus quoad substantiam supernaturales totaliter, & immediatè à Deo in anima causatos, quia de ratione entis à Deo infusi in hoc sensu est, vt Deus actiuè totaliter physicè causet id, quod in subiectum aliquod infundit, vt patet de infusione animæ, & luminis gloriæ, & virtutum Theologicarum. Non autem loquimur in sensu Patrum, qui infusum appellare solent, quodcunque gratuitè à Deo donatum, & eius gratia obtentum, ad quod natura proprijs viribus pertingere non potest; nam in hoc sensu pœnitentia, quæ est dispositio ad iustificationem, vtique infusa dici potest, quatenus à diuina gratia auxiliante, & excitante donatur mediante suo actu; nam actus pœnitentiæ, vt sit fructuosus, & ad iustificationem disponat, gratiam auxiliantem, & excitantem requirit, vt Patres, & Concilia frequenter docent, & in hoc sensu pœnitentia est virtus supernaturalis, vt supernaturale distinguitur contrà id, quod fit viribus solius naturæ sine adiutorio gratiæ specialis; non autem vt significat virtutem infusam supernaturalem quoad substantiam in sensu, quo iam frequentius sumitur à Theologis, quatenus distinguitur contrà virtutem acquisitam moralem. 56

Hinc Doctor *loc. cit.* duplicem secernit pœnitentiam cum Augustino lib. de vera, & falsa pœnitent. vnam infructuosam absolutè possibilem ex naturalibus hominis, alteram fructuosam, quæ est opus Dei ab eius misericordia inspiratum; etenim, vt docet Doctor 3. *dist.* 33. & 36. omnis virtus appetitiua, qualis est pœnitentia, quia est in voluntate, habet sua peculiaria dictamina in intellectu, à quibus in suis actibus regulatur; quorum aliqua sunt merè naturalia, idest, habita absque vlla reuelatione, se solo naturæ ductu verb. grat. quod Deus supremum numen & prima causa est colenda, quod tibi non vis, alteri ne feceris, & his similia, quæ dictat natura; & sic virtus, quæ tali lumine regulatur, nequit respicere obiectum supernaturale, quatenus tale, quia omnis actus, vel habitus obiectum supernaturale sic respiciens à lumine supernaturali fidei initium habet, & originem trahit; & hoc modo virtus pœnitentiæ in pagno quoque, & infideli dari potest cum dictamine naturali, quod omne malum est puniendum; hæc tamen virtus, eiusque actus supernaturalia, vt sic, non respicit; Cæterum præter hæc dictamina naturalis dantur etiam dictamina reuelata, hoc est, per fidem nota, vt sunt dictamina decalogi, & aliorum reuelatorum in lege noua, & veteri, quæ possunt regulare virtutes naturaliter acquisitas, quarum actus ex tali dictamine eliciti; & cum auxilio etiam supernaturali obiecta supernaturalia respicere possunt; & sic de pœnitentia dicimus in opposito dictamine reuelato, & credito, Deum offendi per omne peccatum, eius gratiam amitti, & obligationem ad pœnam æternam remanere, 57

nere, insuper Deum per vindictam, & dolorem de peccato commisso placari, si huiusmodi actus ex tali dictamine eliciantur, & ex supernaturali auxilio, talis actus est supernaturalis, & respicit obiectum supernaturale, etiamsi ab habitu naturaliter acquisito procedat, vt etiam Brancatus aduertit *disp. 1. quæst. vlt.* Hoc adnotato.

Plures rationes adducunt Scotistæ ad nostram conclusionem probandam, quæ generaliter probant non dari virtutes morales per se infusas ab acquisitis distinctas; peculiaris tamen, & magis conuincans pro pœnitentia virtute est ista, quod nulla est necessitas, aut fundamentum statuendi actum pœnitentiæ, vt virtutis per se infusæ, nisi in ordine ad deletionem peccati, quod inest, & non remittitur, nisi supposita pœnitentia, & per ipsam, tanquam dispositionem præuiam, vt patet ex Trident. *sess. 6. cap. 5. 6. 7. & cap. 14.* sed pœnitentia infusa est inutilis ad hunc effectum; ergò frustrà, & sine fundamento ponitur; Maior patet, quia nec Scriptura, nec Patres, nec Concilia alium vsum pœnitentiæ tribuunt, nec agnoscunt; Minor probatur, quia prius natura habet homo dolorem de peccatis, quam Deus illum iustificet; ergo talis dolor non est elicitus a pœnitentia infusa, & hic actus semper antecedit infusionem eius; consequentia patet, quia pœnitentia infusa secundum Aduersarios non infunditur nisi in ipso iustificationis instanti; quarè si pœnitentiæ actus præcedit iustificationem, vt præuia eius dispositio, etiam præcedet pœnitentiam infusam; atque ideò hæc necessaria non erit, siquidem absque tali habitu infuso Deus acceptauit pœnitentiam actualem ex dictamine reuelato, & auxilio supernaturali procedentem.

Confirmatur, quia impossibile est, quod actus qui est causa disponens subiectum ad infusionem alicuius habitus, producatur ab illo eodem habitu infuso, quia si actus, qui est causa dispositiua habitus, produceretur ab eodem habitu, ad cuius infusionem disponit, idem esset causa, & effectus respectu eiusdem, quod implicat; quod etiam vniuersaliter verificatur in dispositionibus ad alias formas, nam calor lignum disponens ad introductionem formæ ignis, non producitur a forma genita, ad quam disponit, sed comproducitur ab ipso igne, ignis enim producens formam in ligno simul producit calorem vltimò disponentem lignum, & ipsam formam ignis.

59 Respondent Thomistæ, actum pœnitentiæ, vt sit fructuosus, & dispositio sufficiens ad gratiam, & iustificationem, esse debere supernaturalem, nam forma supernaturalis dispositionem quoque supernaturalem requirit, atque ideò talis actus ab habitu supernaturali, & infuso procedere debet. Sed hæc solutio non sufficit, & argumentum adhuc in suo robore manet, quia talis dolor non potest esse à pœnitentia infusa elicitus, cùm secundum Aduersarios non infundatur, nisi in ipso iustificationis instanti, & per consequens, si pœnitentiæ actus præcedit ordine naturæ iustificationem, vt vult Concil. Trid. quia est dispositio ad ipsam, præcedit quoque pœnitentiam infusam, & consequenter talis habitus non est necessarius. Tùm quia ad supernaturalitatem actus, vt sit sufficiens dispositio ad iustificationem, minimè opus est, quod ab habitu infuso sit elicitus sufficit enim quod sit ab vna causa supernaturali, nempè ab auxilio speciali, nec aliam causam huius actus supernaturalem requirit Concil. Trident. *sess. 6. cap. 5. & 6.* definit enim ibi contrà Pelagianos, & Semipelagianos illos actus non fieri sine adiutorio Dei speciali, & solis liberi arbitrij viribus dicens, *si quis dixerit sine præueniente Spiritus sancti gratia, atque eius adiutorio &c.* & hoc idem definiunt Patres, & Augustinus post Concilium Diospolitanum art. 7. de aliarum virtutum actibus, vt sint sufficientes dispositiones ad iustificationem, quas non ob id licet constituere infusas; & denique omnia quæ in hac materia decernunt Patres, & Concilia, concernunt actum, non habitum, & ideò nihil faciunt ad propositum. Itaque pœnitentia facta, vt oportet, idest, quæ sit sufficiens dispositio ad gratiam, & iustificationem vtique dicitur à Deo inspirari, dari, & impertiri, vt habetur 2. ad Timot. *cap. 2. Ne quando Deus det illi pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscat à Diaboli laqueis*; dicitur autem sic dari, & inspirari a Deo, non quia eliciatur ab aliquo habitu supernaturali quoad substantiam, & per se infuso, vt Aduersarij contendunt, sed quia talis pœnitentia a Deo reuelata est, & ad eam concurrit cum auxilio speciali gratiæ excitantis, & adiuuantis; dicuntur enim sic dari quoque actus aliarum virtutum, & inspirari a Deo, quibus homo disponitur ad iustificationem, scilicet, reconciliando prius, deindè illuminando, seù excitando ad eos, & adiuuando supernaturaliter; nec tamen hinc deducere licet actus ieiunij, vel castitatis, aut aliarum virtutum moralium sic à Deo inspiratos ab aliqua virtute infusa procedere, sed solùm deducere licet tales actus esse supernaturales secundum modum, hoc est elicitos esse, sicut oportet, vt sint sufficientes dispositiones ad gratiam, & iustificationem, quod tunc eis conuenit, quando eliciuntur ex dictamine reuelato, & ex speciali Dei auxilio, & totum hoc fieri potest absque vllo habitu virtutis moralis per se infuso, vt vniuersaliter probatum est *lib. 3. disp. vlt.* de Virtutibus moralibus *quæst. 2.* ad quam me remitto.

In oppositum arguunt Thomistæ. Primò, quia ex Trid. *sess. 6. can. 3.* datur actus aliquis pœnitentiæ, quem sine speciali auxilio gratiæ elicere non possumus, ergo datur aliquis actus pœnitentiæ per se infusus; Consequentia probatur, quia ad hoc dantur habitus infusi, vt sint proxima principia actuum supernaturalem, ad quos eliciendos viribus naturæ sumus impotentes, vt patet de actibus virtutum theologicarum credendi, sperandi, & Deum super omnia diligendi; ergo si datur actus pœnitendi, quem natura proprijs actibus attingere non potest, dari etiam debet habitus infusus per se talis actus productiuus. 60

Confirmatur, quia omnis virtus, quæ hominem ordinat ad finem supernaturalem est per se infusa, nam talis virtus vires naturæ excedit, atque ideò a Deo infundi debet; sed pœnitentia hominem ordinat ad finem supernaturalem; quia per pœnitentiam homo consequitur remissionem peccatorum, quæ sola finis supernaturalis consecutionem impediebant; ergo est per se infusa. Tandem, non minus necessariæ sunt virtutes infusæ, quæ immediatè versantur circà media ad finem supernaturalem conducentia, quàm quæ immediatè versantur circà finem ipsum supernaturalem, quia media fini proportionari debent; at pœnitentia immediatè versatur circà media ad finem supernaturalem conducentia, quia versatur circà remissionem peccatorum, quæ est medium ad finem supernaturalem per se ducens, ergo est virtus per se infusa.

Respondeo consequentiam illam gratis omninò deduci, quia pœnitentia actualis etiamsi fieret cum dictamine infuso, & cum auxilio Dei supernaturali, & infuso, adhuc dici nequit actus infusus, quia de ratione entis à Deo infusi est, vt Deus actiuè totaliter illud causet; in eo autem casu actus ille, licet fieret cum auxilio Dei speciali, adhuc tamen a voluntate creata actiuè influente procederet cum dominio sui actus, tùm quia etiam actus illi, qui a virtutibus infusis procedunt, vt sunt actus fidei, spei, & charitatis in via, & actus visionis, & fruitionis in patria, non dicuntur infusi, quia sunt ab ipsis potentijs actiuè, sed tantùm dicuntur supernaturales eo, quia fiunt interueniente concursu speciali, & supernaturali Dei; Negatur ergò omninò illa consequentia, & ad probationem dicimus, quod estò dentur habitus infusi, vt sint proxima principia actuum supernaturalium, quos viribus naturæ non possumus attingere, attamen non est de ratione supernaturalitatis actus, vt semper sit ab habitu infuso elicitus; sed sufficit, quod sit ab vno principio supernaturali, siuè concurrat per modum principij permanentis, siuè transeuntis, nempè ab auxilio speciali diuino, vt dictum est *lib. 1. disp. 6. q. 2.* loquendo in vniuersum de supernaturalitate actuum viæ, & patriæ; & in proposito de actu pœnitentiæ, vt sit sufficiens dispositio ad iustificationem, aliam supernaturalitatem in eo non exigit Trident *sess. 6. cap. 5. & 6.* quàm quod fiat à voluntate cum speciali Dei adiutorio; Cur verò speciali quadam ratione actus credendi, sperandi, & Deum super omnia diligendi præter auxilium speciale petant etiam procedere ab habitu per se infuso, iam declaratum est *loc. cit. lib. 3. disp. 7. quæst. 2. nu. 39.* quia nimirum actus illi, cùm sint intrinsecè supernaturales, & primi in ordine supernaturali, requirunt habitum in substantia supernaturalem, a quo eliciatiuè procedant; actus verò virtutum moralium non ità sunt supernaturales, sed solùm extrinsecè, & accidentaliter, vt ibi explicatum est. 61

Ad Confirmationem respondetur ex Scoto 3. *d. 26. art. 3.* etiam virtutes morales acquisitas sufficienter in finem supernaturalem ordinari mediante charitate, & speciali Dei auxilio; vndè earum actus non habent valorem ad finem supernaturalem ex eo, quod eliciatiuè procedant ab aliqua morali 62

rali

rali virtute infusa; sed quia ex speciali Dei auxilio excitante, & adiuuante initiantur, & a charitate extrinsecè imperantur eleuando virtutes morales acquisitas intrinseca eorum principia ad finem supernaturalem; vndè respicientia finis supernaturalis non infert esse infusum a Deo in actu, vel habitu talem respectum habente, sed potest saluari talis respicientia per imperium charitatis, per dictamen reuelatum, & per auxilium supernaturale, hoc enim sufficit, ne iustificari dicamur ex viribus naturæ. Ad vltimum occurritur ex eadem doctrina negando maiorem, quia actus virtutum immediatè versantium circà ipsum finem supernaturalem, cum sint intrinsecè supernaturales, & primi in ordine supernaturali, requirunt habitum in substantia supernaturalem, à quo elicitiuè procedant; non sic actus virtutum versantium circà media ad finem supernaturalem conducentia, hi enim possunt habere valorem ad talem finem, etiamsi eliciantur a virtutibus acquisitis, ex hoc quod eliciantur non solis naturę viribus, sed ex imperio charitatis, vel ex speciali Dei auxilio excitante, & adiuuante, hoc enim modo prædicti actus eleuantur, vt sint proportionata media ad finem supernaturalem conducentia. Hic autem aduertendum est, quod quando inquit Doctor, virtutes morales acquisitas sufficienter in finem quoq; supernaturalem ordinari posse mediante charitate, seu eius imperio, non est ità intelligendum, quasi tales actus semper elici debeant ex imperio charitatis inexistentis, nam vt docet Doctor *d.14.q.2.* in fine interdum actus pęnitendi ex motiuo, vel imperio charitatis elicitus a virtute pœnitentiæ est dispositio, & via ad iustificationem, & gratiam habitualem acquirendam, vndè in tali casu actus ille dicitur esse ex charitate, quia est elicitus ex motiuo charitatis, & est aptus generare habitum charitatis acquisitum; quando autem talis actus virtutis pęnitentiæ elicitur ex motiuo, & imperio charitatis inexistentis, tunc a virtute charitatis accipit valorem ad finem supernaturalem, non tantum per modum meriti de congruo, sed etiam de condigno tùm augmenti gratiæ, tùm gloriæ.

63 Deindè vlterius arguunt; si ex actibus pœnitendi supernaturalibus generaretur habitus acquisitus, vt ait Scotus, sequeretur quod ex viribus naturæ possemus de peccatis pænitere, quod est Pelagianum; probatur sequela, quia habitus acquisitus naturaliter inclinat ad actus consimiles illis, ex quibus genitus est; sed iste habitus pænitendi fuit acquisitus ex actibus pœnitentiæ supernaturalibus; ergo naturaliter inclinat ad similes actus, & consequenter naturaliter possumus pęnitere, & de congruo ad iustificationem disponi sufficienter per tales actus, quod est Pelagianum, & contrà Tridentinum *loc. cit.*

Confirmatur quia pœnitentia virtus, de qua hic est sermo necessariò supponit fidem iustificationis, & spem huius acquirendæ; sed fides, & spes habent actus supernaturales, ad quos indigemus habitu supernaturali, ergò etiam pœnitentia actum supernaturalem habet, qui requirit habitum supernaturalem; habitus autem supernaturalis non acquiritur, sed infunditur, ergo &c. Demum, virtus acquisita potest esse in nobis sine charitate, sed pœnitentia in nobis sine charitate esse non potest, ergo non est virtus acquisita, maior patet, minor probatur, quia pœnitentia delet mortale, ergo non stat cum eo.

Respondeo hoc idem argumentum vrgere pariter de actibus Fidei, Spei, & Charitatis, vt enim ostendimus disp. 6. de Virtutibus Theologicis quæst. 23. in lib. 3. sent. præter Fidem, Spem, & Charitatem infusam dari debent quoque habitus consimiles acquisiti ex frequentatis actibus supernaturalibus illarum virtutum, quo admisso sequitur idem absurdum, quod mediantibus his habitibus acquisitis possemus naturæ viribus credere, sperare, & diligere, vt oportet ad salutem, quia habitus naturaliter acquisitus inclinat naturaliter ad actus consimiles illis, ex quibus genitus est; quarè cum ex Aduersarijs quamplures præter Virtutes infusas theologicas admittant quoque consimiles habitus acquisitos ex actibus illarum supernaturalibus genitos, hoc idem argumentum soluere tenentur. Itaque Amicus disp. 1. de Pœnit. sect. 6. inquit hoc absurdum non sequi, quia licet ex actibus supernaturalibus frequentatis credendi, sperandi, & Deum super omnia diligendi, & in proposito pęnitendi generentur consimiles habitus acquisiti; adhuc tamen hi habitus acquisiti sunt in essentia supernaturales, diuersæ tamen speciei ab infusis, quia infusi dant posse simpliciter agere supernaturaliter, acquisiti verò facilitant tantum potentiam ad consimiles actus eliciendos, pro quo dicendi modo alios quoque citat Auctores. Hoc tamen minimè placet, quia omnis habitus aut est naturalis, aut supernaturalis, & omnis naturalis est acquisitus, supernaturalis verò infusus, siquidem omnis talis vires naturæ excedit, & proinde nequit, nisi a Deo infundi; Tum quia iuxtà hunc dicendi modum, sequeretur dari in nobis duas fides, duas spes, & duas charitate supernaturales, quod apud Theologos est inauditum; & alia denique sequerentur absurda, quæ in vanum nititur Amicus euadere *loc. citat.* vt patebit ponderanti eius occursus.

Quarè præstat dicere, iuxtà doctrinam datam *loc. cit.* habitus illos acquisitos ex frequentatis actibus supernaturalibus esse in essentia naturales, nihil enim obstat, quo minus illi actus supernaturales producere possint habitus ordinis naturalis, quia licet actus illi, ex quibus generantur, sint supernaturales quoad modum, tamen quoad substantiam, sunt naturales; vndè cum in tendentia circà tale obiectum conueniant genericè cum actibus naturalibus, facilè concipi potest, quomodo secundùm eam rationem, qua non sunt supernaturales, possint talem habitum producere, qualem actus naturales producere possunt; cum enim quoad substantiam sint eiusdem ordinis, poterunt illum producere, non quatenus sunt actus supernaturales, sed quatenus sunt eiusdem substantiæ, cuius sunt actus habituum acquisitorum, quod ibi declarauimus exemplo statuæ ligneæ, ex qua lignum generari potest, non quatenus artefacta est, sed quatenus lignea; Atque ità in proposito habitus pęnitentiæ acquisitus ex frequentatis actibus supernaturalibus inclinabit voluntatem ad actum pænitendi quantùm ad substantiam actus, quod est nolle peccasse; non tamen quantum ad finem præcipientis, scilicet, Dei intendentis, quod ille actus pęnitendi sit vltima dispositio ad gratiam, quia vt actus pœnitentiæ rationem habeat talis dispositionis, requiritur auxilium Dei speciale; & sic est verum dicere, quod talis habitus voluntatem inclinabit ad similes actus, similes, inquam, quantum ad substantiam actus, non tamen similes quantùm ad vltimam dispositionem ad gratiam; & ratio est, quia talis habitus acquisitus de nouo genitus ex actibus pęnitendi supernaturalibus non supponit illos, quatenus supernaturales sunt, hoc est quatenus fiunt ex supernaturali principio, sed quatenus naturales sunt quoad substantiam. 64

Ad Confirmationem patet ex dictis num. 61. & 62. non valere paritatem de fide, & spe ex vna parte, & virtute pęnitentiæ ex alia, & vniuersaliter loquendo non valere paritatem de supernaturalitate actuum virtutum theologicarum, & actuum virtutum moralium, actus enim illarum, cum sint intrinsecè supernaturales, & primi in ordine supernaturali præter auxilium speciale requirunt etiam habitum in substantia supernaturalem, à quo elicitiuè procedant; cum enim sint primi, non possunt per alios actus, vel habitus supernaturales ad ordinem supernaturalem eleuari; actus verò virtutum moralium non ità sunt supernaturales, sed extrinsecè solum, & accidentaliter, quatenus, scilicet, licet elicitiuè ab habitu naturali procedant, imperatiuè tamen ab habitu supernaturali charitatis procedunt, ac etiam ex speciali Dei auxilio, quatenus sunt fructuosi, & ad finem supernaturalem conducentes, vndè non est, cur in eis requiratur vlla alia supernaturalitas intrinseca, & essentialis, vt in actibus fidei, spei, & charitatis. Ad vltimum negatur minor, nam ex multis actibus vindicandi in se peccatum potest acquiri habitus, qui cum ipso maneat; imò posset acquiri, inquit Doctor, ante deletionem peccati mortalis, nisi fortè quia Deus iustificat, antequam possint haberi actus sufficientes ad generationem habitus pœnitentiæ; Et cùm dicitur, quod pœnitentia delet peccatum, & ideò non stat cum eo, respondet Doctor, quod virtus non delet etiam meritoriè, sed actus, qui natus est esse actus virtutis, siuè sit a virtute elicitus, siuè non, sed virtutis generatiuus, & cum hoc benè potest stare, imò necessariò stat, quod sit informis, & per consequens habitus suus, si inest, erit informis: quibus verbis vult innuere Doctor, virtutem pœnitentiæ manere cum peccato mortali, quod est contrà naturam moralis per se infusæ; & actum eius, non habitum, delere peccatum mortale meritoriè de congruo, & dispositiuè. 65

Postremò alia quædam argumenta adducit Faber 4. *disp. 13. de Pœnit. cap. 3.* ex Suarez, & alijs, qui ex supernaturalitate actus pœnitentiæ deducere concedunt habitum, à quo pro- 66

producitur, esse per se infusum, & non acquisitum. Verùm hæc ratio parui est momenti, vt patet ex dictis, quia vt notat Hiqueus 4.d.14.q.2.in Commentario, probat tantùm pęnitentiam esse supernaturalem, vt supernaturale distinguitur contrà id, quod fit viribus solius naturæ sine adiutorio gratiæ specialis; non autem vt significat virtutem infusam supernaturalem quoad substantiam in sensu, quo à Theologis sumi solet, quatenus distinguitur contrà moralem acquisitam; vndè nec satis placet modus loquendi Fabri *loc.cit.* vbi ipse quoque supernaturalitatem cum per se infusione confundere videtur, nam actus virtutum theologicarum sunt supernaturales, & tamen non sunt per se infusi, vt patet ex dictis.

Sed instat Suarez, quod Concil. Trident. sess.6. can.3. docet vniformiter, ac eodem modo esse necessariam gratiam ad actum pęnitentiæ, sicut ad actum fidei, spei, & charitatis, inquit enim, si quis dixerit sine speciali Spiritus sancti inspiratione, atque eius adiutorio hominem credere, sperare, diligere, aut pęnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit; ergo sentit eodem modo actum penitentiæ esse supernaturalem, sicut actum Fidei, Spei, & Charitatis.

Respondeo Concilium ibi definire contrà Pelagianos, & Semipelagianos illos actus non fieri sine speciali Dei auxilio ex solis liberi arbitrij viribus, imò Augustinus etiam, & alij Patres eodem modo, & sine discrimine loquuntur de necessitate gratiæ ad actus quarumcunque virtutum, siuè infusarum, siuè acquisitarum, ad hoc vt sit sufficiens dispositio ad iustificationem, vndè ex hoc capite benè concedi potest illos actus esse eodem modo supernaturales, quatenus supernaturale distinguitur contrà id, quod fit solis naturæ viribus, non autem, vt significat actum exigentem pro principio ipsius elicitiuo virtutem infusam supernaturalem quoad substantiam; hoc enim solùm conuenit actibus virtutum theologicarum, non autem aliarum, ea ratione, qua sunt primi in ordine supernaturali, vt suprà explicatum est.

QVÆSTIO QVARTA.

An actus pœnitentiæ Christianæ sint supernaturales, & quomodo.

67 EXplicato pęnitentiæ obiecto cum suo modo, quo debet attingi, ad quidditatem eius penitus indagandam, opus est actus eius plenius considerare; pęnitentia autem Christiana vocatur, quæ ad gratiam aliquo modo disponit, siuè mediante sacramento, siuè extrà, siuè remotè, siuè proximè; Sunt autem actus pęnitentiæ, sicut etiam cuiuslibet habitus, alij eliciti, alij imperati; eliciti sunt, quos ipsa physicè producit, & hi quidem omnes intrinsecè tendunt sub motiuo formali pęnitentiæ; imperati verò, quos non causat physicè, sed alias inducendo virtutes, vt eos eliciant; etenim vt dictum est lib.2.disp.de Actibus humanis, quælibet virtus potest imperare actus aliarum virtutum eos dirigendo, siuè extrinsecùs ordinando in finem, quem ipsa respicit, & ad quem illi apti sunt; vndè regula vniuersalis est, eos omnes posse à pęnitentia imperari, qui vtiles apprehenduntur ad finem pęnitentiæ consequendum, actus autem aliarum virtutum, tam interni, vt charitatis, & fidei, quam externi, vt eleemosyne, ieiunij, & orationis apti sunt ad vindicationem, & compensationem peccati à pęnitentiam intentam. Regula item vniuersalis est, eos omnes actus ab habitu pęnitentię elici posse, quos alij habitus circà sua obiecta elicere solent, qui quidem in duplici sunt differentia; alij enim sunt circà bonum, vt amor simplex, seù complacentia inefficax, item amor efficax, desiderium, intentio, mediorum electio, & gaudium; alij circà malum oppositum, vt displicentia simplex, odium efficax, detestatio, dolor, propositum vitandi illud &c. quamuis propriè loquendo gaudium propriè non sit actus, sed potiùs passio quædam actum prosecutionis concomitans, sicut è contrà dolor, & tristitia est passio consequens ad actum fugæ; Cùm autem bonum, quod formaliter pęnitentia intendit, sit peccati vindicatio, & reconciliatio cum Deo, consequens est, vt in tali bono complacere possit, illud possit efficaciter amare, desiderare, intendere, media ad illud eligere, & de eius possessione gaudere; Et è contrà de peccatis, quæ tale bonum impediunt, potest displicere, potest illa efficaciter odio habere, detestari, dolere de illis, & proponere efficaciter fugam eorum in posterum. Hi omnes, inquam, possunt esse actus eliciti pęnitentiæ, vt exemplo aliarum virtutum constare potest.

Quæritur ergò, an hi actus, vt à pęnitentia procedunt, sint naturales, vel supernaturales, & cùm supernaturalitas sit duplex, altera quoad substantiam, quæ entitatiuè est suprà omnem exigentiam, & capacitatem subiecti, quæque à sola natura produci non potest, vt gratia, visio beata, habitus infusi, qui à solo Deo, vel non nisi media aliqua causa creata supernaturali produci possunt; Altera quoad modum, quæ solùm se tenet ex parte producentis, vel modi producendi, vt cùm effectus estò secundum entitatem suam præcisè spectatus naturæ facultatem non transcendat; modus tamen, pro producitur, prorsus naturæ facultatem excedit, quo pacto visus cæco nato restitutus, & reuocatio defuncti ad vitam effectus dicuntur supernaturales, quia licet in se entitatiuè sint naturales, tamen quoad modum sunt supernaturales, quia sunt suprà, ac præter exigentiam naturæ, quæ in his circumstantijs, & dispositionibus visus, & vitæ productionem non postulat; quæritur in proposito, an actus pęnitentię sint supernaturales quoad substantiam, vel tantùm quoad modum.

In qua Controuersia tres sunt sententiæ, duæ extremæ, 68
& vna media. Prima extrema negat actum pęnitentiæ esse aliquo ex his modis supernaturalem, sed elici posse viribus naturæ cum solo generali Dei concursu, etiam vt dispositio est de congruo ad ipsam iustificationem, quæ opinio communiter tribuitur Nominalibus, Aureolo, Durando, Gabrieli, Maironi, & alijs, quorum fundamentum est, quia potest homo naturaliter cognoscere peccatum esse offensiuum Dei, illudque vt sic naturaliter detestari; aut certè si aliqua requiritur supernaturalis notitia, vt illud à creatura cognoscatur, vt offensiuum Dei, poterit habita tali notitia voluntas viribus proprijs illud detestari; ergo nihil est in actu pœnitentiæ, quod vel in substantia, vel in modo causam postulat supernaturalem. Tribuitur etiam communiter Scoto 4.d.14. *quæst.*2. §. *de secundo principali*, vbi significare videtur posse peccatorem ex suis viribus naturalibus cum communi influentia Dei pœnitere de suis peccatis, hancque pęnitentiam esse dispositionem de congruo ad infusionem gratiæ, & remissionem peccati, atque prius secundum se esse attritionem, sed per informationem gratiæ fieri, & dici contritionem; sic enim ibi loquitur infrà M. Ad huius intellectum sciendum, quod peccator in peccantis existens potest ex naturalibus cum communi influentia considerare peccatum commissum, vt offensiuum Dei, & vt contrà legem diuinam, & vt auuersiuum à Deo, & vt impeditiuum præmij, & vt inductiuum supplicij, & sub multis talibus rationibus; & potest voluntas ipsum sub aliqua illarum rationum, vel sub multis talibus rationibus sic consideratum detestari, & ille motus potest continuari, & intendi antè infusionem gratiæ; iste autem motus dicitur attritio, & est dispositio, siuè meritum de congruo ad deletionem peccati mortalis, quæ sequitur in vltimo instanti alicuius temporis, in quo tempore ista attritio durauit. Ità discurrit Doctor *loc.cit.* quam doctrinam conclamant Thomistæ esse Pelagianissimum, vel Semipelagianissimum, nam ex ea dicunt manifestè colligi nullum auxilium speciale esse necessarium ad pęnitentiam, quæ est dispositio ad gratiam imò Sotus *lib.2.de natura, & grat.c.4. & 14. & in 4.d.14. qu.2. art.5.* ait, quod nusquam in tota Scoti doctrina aliqua reperitur mentio specialis auxilij.

Secunda sententia extrema affirmat actum pęnitentiæ esse supernaturalem quoad substantiam, quæ est communis in Schola D.Thomæ, & sequuntur Canus, Sotus, Suarez, Henriquez, Vasquez, Amicus, Auersa, & alij Recentiores passim. Tertia deniq; sententia media affirmat actum pęnitentiæ esse supernaturalem solùm quoad modum, quia nimirum, vt sit sufficiens dispositio, & meritum de congruo ad iustificationem, & peccatorum remissionem, elici debet ex speciali Dei auxilio ordinis supernaturalis; hæc est communis in Schola Scotistarum, quàm latè declarant, & tuentur, tanquàm de mente Doctoris, Delphinus, Vega, Angles, Vulpes, Faber, Smisinchius, Hiqueus, Aretinus, Hiribarnes, Brancatus, & alij Scotistæ passim Scotum vindicantes à calumnia imposita.

ARTICVLVS PRIMVS.

Deciditur Quæstio quoad primam partem.

69 Dicendum est, quod quamuis dari possit actus vindicandi, & detestandi peccatum, qui sit naturalis ex parte intellectus ratione dictaminis, & ex parte voluntatis ratione principij hoc est, sine auxilio supernaturali gratiæ; actus tamen pœnitentiæ, qui disponit ad iustificationem, & gratiam est supernaturalis tam ratione dictaminis, quàm ex parte principij, scilicet, diuini auxilij concurrentis. Hæc conclusio est Scoti 4. d. 9. 2. *art.* 2. & in fine quæstionis, vbi docet dari pœnitentiam duplicis generis, quandam fructiferam, idest, ferentem fructum, vt veniam peccatorum, & gratiam, quam proinde dicit esse meritum de congruo, seù dispositionem respectu iustificationis; aliam verò non fructiferam, idest, hos effectus non causantem, & primam dicit sine amore Dei haberi non posse, secundam verò ait absolutè ex puris naturalibus hominis innasci posse; & eadem *d.* 14. *q.* 3. *ab initio A. B. & C.* duplicem rursus ait dari posse pœnitentiam, vnam naturalem, idest, naturali lumine notam, quandam verò supernaturalem notam, idest, fide, & habentem dictamen supernaturale dictans, quæ pœna, & quomodo sit tenenda à pœnitente; probatur autem conclusio quoad omnes, & singulas partes.

Primò quidem, quod possit dari actus detestandi peccatum, qui sit naturalis ex parte dictaminis, ac proindè quod possit peccator peccatum detestari ex puris naturalibus solo influxu generali, probatur, quia peccator naturaliter cognoscere potest peccatum esse offensiuum Dei, & auersiuum ab ipso, vt ab auctore, gubernatore, & fine naturæ; ergo sub hac ratione potest illud ex puris naturalibus detestari, sicut naturaliter cognoscit de offensis aliorum hominum esse dolendum, & pœnam aliquam de illis sumendam ad satisfaciendum offenso; probatur assumptum, quia diuina prouidentia lumine naturali cognoscitur, & quod Deus sit vniuersalis gubernator, legislator, finisque vltimus naturalis hominis; ex his autem principijs haud obscurè cognoscitur, peccatis Deo iniuriam irrogari, quatenus, scilicet, eius leges contemnuntur, vel quatenus ei in ratione vltimi finis aliquod creatum præfertur. Deindè consimili ratione probatur, dari posse actum detestandi peccatum, qui sit naturaliter ex parte principij, idest, sine auxilio supernaturali, quia possunt dari actus aliarum virtutum moralium absque auxilio supernaturali gratiæ; ergo etiam actus pœnitentiæ; antecedens patet, consequentia probatur, ideò enim actus aliarum virtutum fieri possunt viribus naturæ absque speciali Dei auxilio, quia auxilium supernaturale non tam datur ad superandam difficultatem actus, quàm ad proportionandum illum fini, ac termino supernaturali; cùm ergo actus detestandi peccatum ex fine naturali bono, sicut & actus aliarum virtutum ex eodem fine facti proportionem habeant cum obiectis, potentia, fine, & alijs circumstantijs, nil obstat, quin fieri possint à potentia naturali, absque aliquo supernaturali.

70 Secundò probatur, quod prædictus actus pœnitentiæ naturalis non sit meritorius gratiæ de congruo, neq; sufficiens dispositio ad iustificationem, quoniam actus pœnitentiæ, qui disponit ad iustificationem, & gratiam, est donum Dei, & Deo tribuitur, vt speciali auctori, & ex speciali eius motione pendet, ità habetur Ieremiæ 31. *postquam enim conuertisti me, egi pœnitentiam*, in quem locum Hieronymus ait, *ergo id ipsum, quod agimus pœnitentiam, nisi Dei nitamur auxilio, implere non possumus*, & 2. ad Thim. 2. inquit Apostolus, *ne quando Deus det illis pœnitentiam ad cognoscendam veritatem, & resipiscant à Diaboli laqueis*, in quem locum ait Chris. *& quis hoc dat, nisi qui respexit Petrum negantem, & fecit flentem*? sic etiam olim ab antiquis Patribus, & Concilijs contrà ipsum Pelagium decretum fuit, vt habetur in Concilio Palestino art. 12. *Vt fateatur secundum gratiam, & misericordiam Dei veniam pœnitentibus dari, non secundum merita eorum, quandoquidem ipsam etiam pœnitentiam esse donum Dei dixit Apostolus, vbi ait, Ne quando det illis Deus pœnitentiam &c.* quæ autem merè naturalia sunt, non dicuntur specialia dona Dei, cùm sint omnibus communia. Hoc idem sancitum fuit in Concil. Trident. sess. 6. can. 3. *si quis dixerit sine Spiritus sancti inspiratione, & eius adiutorio hominem, credere, sperare, diligere, aut pœnitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur, anathema sit.* Ex quo etiam deduci potest ratio, quia actus pœnitentiæ Christianæ hominem disponit ad iustificationem, per hoc enim à quauis alia pœnitentia distinguitur, quæ ad hoc non sufficit per illa enim verba, *vt oportet*, supponitur dari aliqua alia pœnitentia, quæ ad iustificationem non disponit; quod autem ad iustificationem disponit, solis naturæ viribus fieri nequit, vt definitum est in Concil. Arausicano 2. *can.* 6. 9. & 10. & in Trid, *loc. cit.* alioquin sola natura iustificationem inchoare posset contrà diuina oracula; ergo pœnitentia naturalis prodiens à libero arbitrio cum solo concursu generali Dei, neque est dispositio ad gratiam, neque meritoria de congruo ad expiationem peccati, & ad iustificationem peccatoris. Ex quibus testimonijs deducitur, actum pœnitentiæ Christianæ, quæ est sufficiens dispositio ad iustificationem, non tantùm esse debere supernaturalem ratione dictaminis ex parte intellectus, sed etiam ex parte voluntatis ratione principij, scilicet, auxilij diuini mouentis, & concurrentis; & hoc insinuare voluit Tridentinum cùm inquit *si quis dixerit sine Spiritus sancti inspiratione, & eius adiutorio*, nam per inspirationem significat dictamen per reuelationem, vel illuminationem ex parte intellectus, & per eius adiutorium denotat speciale auxilium, & specialem motionem ex parte voluntatis.

Hinc neque admitti potest, quod dixit Caietanus *tom.* 1. opusculorum *tract.* 4. *quæst.* 1. actum contritionis naturalem posse esse vltimam dispositionem ad gratiam, non quidem semper, sed in casu, quod continuetur, donec Deus ex gratuita motione, seù dilectione vtatur tali contritione, tanquam vltima dispositione ad infundendam gratiam; nam in tali casu, inquit Caietanus, contritionem illam naturalem eleuari, & acceptari à Deo, vt sit vltima dispositio ad iustificationem, & gratiæ infusionem. Non, inquam, id etiam admitti potest, nam hoc ipsum est, quod prædictis testimonijs Scripturarum, Conciliorum, & Patrum repugnat, actum, scilicet, naturalem ex solis viribus liberi arbitrij elicitum eleuari, & acceptari ad hunc effectum; sed omninò dicendum est, non nisi actus ex speciali adiutorio diuinæ gratiæ elicitos posse homini prodesse, ad salutem, & iustificationem; Quod si Caietanus id ità intelligeret, quod actus pœnitentiæ ex sol[i]s naturæ viribus ab initio elicitus, sed posteà ex speciali Dei motione continuatus, tunc posteà foret in tali continuatione sufficiens dispositio ad iustificationem, non refragor, quia actus sic continuatus equiualeret actui ex speciali Dei motione elicito, nec amplius in ea continuatione reputaretur ex solis naturæ viribus elicitus; & licet esset idem actus in fieri, & continuari quoad substantiam, tamen in continuari esset à seipso diuersus quoad modum, quod sufficit, vt dicatur supernaturalis, quia actus pœnitentiæ Christianæ est supernaturalis quoad modum, non quoad substantiam, vt posteà patebit articul. sequent.

Tertiò ad vindicandum Doctorem nostrum à calumnia imposita, probatur cum omnibus Scotistis citatis hanc fuisse eius germanam, & perpetuam sententiam, quod, scilicet, pœnitentia salutaris sit donum Dei, nam in hac *dist.* 14. *quæst.* 4. in solutione secundi argumenti, quod erat ex Augustino in *cap.* Ioan. 11. de suscitatione Lazari, *nemo potest confiteri, nisi suscitatus*, scilicet, per gratiam, distinguit de duplici suscitatione per gratiam, alia simpliciter, alia secundum quid; primam appellat, cui annexa est peccatorum remissio, vt in contritione perfecta contingit, vel in virtute sacramenti; suscitationem verò secundum quid illam vocat, quæ est attritionis imperfectæ, nec se solâ sufficientis ad remissionem sine sacramento; & ad vtramque requirit gratiam præuenientem, qua peccator suscitatur ex affectu peccati ad conuersionem ad Deum, & ad ipsam peccati detestationem; Et infrà *dist.* 20. *quæst. vnic.* in prima conclusione inquit, esse opus Dei, non hominis, pœnitentiam fructuosam inspirare; Et *dist.* 22. *quæst.* 1. *art.* 2. in fine corollario secundo ait, Deum propter merita mortificata citiùs dare gratiam ad resurgendum, vndè aliquando audiui, inquit, de viro pio valdè perfecto, & profundissimè lapso, cùm propter facinora sua esset morti adiudicatus, misericordissimè visitato, perfectissima pœnitentia sibi subitò inspirata &c. & *art.* 3. ad primum concedit, quod simpliciter maius beneficium diuinum est conseruare innocentiam, quàm concedere post peccatum pœnitentiam; vndè maius beneficium contulit Deus 71

suæ

suæ Matri, quam Magdalenæ; quibus verbis expressè docet, quod tam præseruatio à peccatis, quàm pœnitentia fit ex dono Dei, quorum vtrumque viribus naturæ tribuebant Pelagiani.

72 Quartò probatur vlterius ad repellendam aliam Thomistarum imposturam, Scotum pluribus in locis agnouisse necessitatem auxilij specialis diuini ad opera salutis; nam in 1. *dist.* 17. *q.* 2. *art.* 2. in principio dicit, *actum ex puris naturalibus esse meritorium appropinquat errori Pelagij, & art.* 1. §. *contrà istam conclusionem, vers. ex secunda via,* inquit, *hoc autem, quo meritoriè agit, non potest esse pura natura, quia tunc ex solis naturalibus posset meritoriè agere, quod videtur error Pelagij, & 1. dist. 44. q. vnic. §. Ad propositum lit. E.* expressè meminit gratiæ præuenientis, & docet quemlibet peccatorem posse saluari, quia potest eum Deus sua gratia præuenire, gratia autem præueniens, cùm non sit gratia gratum faciens, est necessariò gratia specialis auxilij; qua doctrina expressè docet neminem posse à statu peccati transire in statum gratiæ, quin prius iuuetur gratia præueniente, adeout si detestatio commissi à gratia præueniente non procedat, nullatenus esse possit dispositio meritoria de congruo deletionis peccati, & infusionis gratiæ habitualis. Et 2. *d.* 9. *q.* 2. §. *Contrà quartum*, ait hominem non posse efficere proprijs viribus vltimam dispositionem ad formam supernaturalem, quod rursus replicat, & confirmat 4. *d.* 1. *q.* 5. vbi dispositionem ad gratiam dicit esse quid supernaturale, & gratiæ proportionatum, & idem etiam repetit *quol.* 14. *art.* 1. dùm ait hominem non posse proprijs viribus se disponere ad fidem; & *quol.* 17. *art.* 1. in fine clarissimè docet, necessarium esse speciale auxilium ad diligendum Deum super omnia. Ex his ergo, & alijs locis, quos breuitatis causa omitto, satis liquet, quàm temerè, ne dicam temerariè, & sine vllo fundamento dixerit Soto *loc. loc.* in Scoti doctrina nullam reperiri mentionem specialis auxilij ad opera salutis necessarij, & quàm longè distet noster Doctor ab errore Pelagianorum, & Semipelagianorum, quam doctrinam iam latè tradidimus *lib.* 2. *disp.* 7. de Iustificatione per totam. Restat ergo, vt explicemus quo sensu intelligendus sit Doctor 4 *d.* 14. *q.* 2. §. *de secundo principali*, quando dixit posse peccatorem ex naturalibus cum communi influentia considerare peccatum commissum, vt offensiuum Dei, & vt contra legem diuinam, &c. & peccatum sub his rationibus consideratum detestari, & hanc pœnitentiam esse dispositionem de congruo ad iustificationem. Quod quidem dictum, quia non consonat doctrinæ à Scoto alibi traditæ in hac materia de Iustificatione peccatoris, & dispositionibus ad eam, vt visum est, ideò Scotistæ varijs modis illud interpretari conantur ad tollendam contradictionem apparentem.

73 Quintò itaque Vega de Iustificatione *quæst.* 10. & 11. illa duo, in quibus fundatur calumnia nempè *ex naturalibus cum communi influentia*, refert ad intellectum tantùm, & non ad voluntatem, quasi intellectus ex puris naturalibus cum communi influxu possit peccatum voluntati proponere sub omnibus illis rationibus à Scoto recensitis detestabile, scilicet, vt offensiuum Dei, & vt contrà legem diuinam, & vt auersiuum à Deo, & vt impeditiuum præmij, & vt inductiuum supplicij, quam interpretationem quidam alij Scotistæ amplectuntur. Hæc tamen interpretatio non satisfacit, neque difficultatem soluit; quia totus ille contextus constat ex pluribus prædicatis copulatis adeout voluerit Doctor, vt omnia quæ referuntur ad intellectum, tanquam sibi possibilia ex naturalibus cum communi influentia, referantur etiam eodem modo ad voluntatem, ita quod sicut intellectus ex naturalibus peccatum considerare potest, vt detestabile sub illis rationibus, sic etiam pariter voluntas possit ex naturalibus peccatum detestari sub omnibus illis motiuis, aut aliquo illorum, & planè hic est sensus apertus illius contextus semper copulatiuè procedentis. Deindè hoc manifestè repugnat doctrinæ, quam tradit *dist.* 14. *q.* 3. ab initio, vbi docet fidem diuinam esse regulam pœnitentiæ Christianæ, neque posse esse notum creaturæ Deum esse finem suum sub propria ratione per lumen naturale sine reuelatione, & fide; vndè duplicem ibi ponit regulam in intellectu dictantem de displicentia peccati, quarum prima est merè naturalis, quæ est cognitio dictatiua voluntati, vt detestetur peccatum absolutè, quia in se malum est; alia est supernaturalis, & hæc, vel sibi immediatè reuelata, vel ab aliquibus Sanctis, nempè ab Apostolis, & Prophetis, quibus credimus, & talis regula est cognitio dictatiua voluntati, vt detestetur peccatum, inquantùm est offensiuum Dei, vel inquantùm auersiuum à Deo, vel impeditiuum acquisitionis beatitudinis, vel inquantùm inductiuum finalis miseriæ; ità ibi Doctor, quibus verbis exprimit eadem concipiendæ contritionis præmissa motiua, scilicet, offensionis diuinæ, auersionis à Deo, impeditionis præmij, & inductionis supplicij, tanquam quæ necessariò cognosci debent ex regula fidei, & reuelationis; ergò per particulam illam *ex naturalibus cum communi influentia*, positam ex parte subiecti, nempè intellectus considerantis, non intendit Doctor excludere diuina adiutoria tam intrinseca, quàm extrinseca in ordine ad talem considerationem per ipsum necessaria, nec consequenter intendit ità strictè loqui de natura, aut intellectu, vt ab his adiutorijs præscindit. Denique iam suprà dictum est ab initio articuli *n.* 69. actum pœnitentiæ, qui ad iustificationem disponit, esse debere supernaturalem, non tantùm ex parte voluntatis ratione diuini auxilij concurrentis, sed etiam ex parte intellectus ratione dictamiuis, quia regula pœnitentiæ Christianæ est fides.

Sextò hac de causa Hiqueus *dist.* 14. *quæst.* 2. in Commentario cum Scholiaste ibidem aliter hunc locum interpretantur, & inquiunt, quod dùm inquit Doctor peccatorem ex naturalibus cum communi influentia posse sub illis motiuis considerare peccatum, & illud detestari &c. per illa verba gratiam tantum habitualem excludere intendit, quia tantùm ibi disputat, an dispositio præuia informis sufficiat; vndè dicunt, quod per illa verba *ex naturalibus cum communi influentia* non excludit gratiam supernaturalem requisitam ad actum fidei diuinæ ex parte intellectus, & ad actum pœnitentiæ ex parte voluntatis, sed tantùm excludit formam charitatis inhærentis, à qua habent actus tam fidei, quam aliarum virtutum esse formati, adeout possint haberi causæ sufficientes tam ex parte intellectus; quam ex parte voluntatis respectu dispositionis, ad quam consequitur remissio peccati absque eo, quod charitas habitualis influat in istum actum dispositiuum, quod pluribus ibi confirmat Hiqueus ex ipsius contextus processu. Vndè tandem concludit sub *nu.* 84. Doctorem intelligere per illam clausulam *ex naturalibus*, etiam dona supernaturalia, scilicet, habitum fidei, & spei cum intellectu, & voluntate; *per influentiam verò generalem*, quicquid ponitur ex parte concursus diuini secundum exigentiam habitus, & actuum, & omnia hæc reduci ad ordinem naturalem; non vt natura opponitur supernaturali simpliciter, sed vt opponitur speciali acceptationi charitatis, quæ est forma omnium virtutum, & mediante qua deletur peccatum; & Spiritus sanctus per modum inhabitantis est in anima iusti. 74

Hanc expositionem quoad primam partem admitto, quia re vera aliud ibi Doctor probare non intendit, quàm minimè necessarium esse influxum charitatis habitualis in illum actum dispositiuum ad iustificationem, & illum actum sic informem cum illis circumstantijs à voluntate elicitum in vltimo instanti inferre per modum meriti de congruo, & dispositionis præuiæ à Deo acceptante remissionem peccati, & infusionem gratiæ per modum causæ ea ratione, qua ipsa dispositio ex diuina acceptatione est causa, vt benè ibidem discurrit Hiqueus; Verùm quoad aliam partem, qua dicit, Doctorem per illam clausulam *ex naturalibus*, intelligere etiam dona supernaturalia, scilicet, habitum fidei, & spei cum intellectu, & voluntate, nimis violenta mihi videtur, & modus loquendi valdè improprius; quamuis enim verum sit Doctorem ibi agere de pœnitentia peccatoris adulti, & fidelis, quæ est dispositio præuia, quam remissio peccati consequitur, & quam ipse vocat meritum de congruo, & acceptatum à Deo, & præscriptum à lege, & per se intentum à pœnitente per modum satisfactionis totaliter præscriptæ, & ad finem deletionis peccati; & hæc omnia necessario fidem, & spem in pœnitente supponant; re tamen vera talia dona supernaturalia sub illa clausula *ex naturalibus*, comprehendi non possunt, nisi cum magna improprietate, ne dicam peruersitate loquendi, quæ tanto Doctori adscribi non debet.

Septimò igitur melior expositio videtur, vt per clausulam *ex naturalibus*, re vera intelligat vires naturæ, seù vires innatas ipsius intellectus, & voluntatis; cùm verò addit *cum communi influentia*, non intelligat concursum generalem ad omnia, opera naturæ requisitum, sed concursum Dei cum creaturis rationalibus ad opera salutis, quæ qui- 75

dem influentia est supernaturalis, quia non debita naturæ; est tamen communis, quia omnibus est parata hominibus à Deo, vt Auctore gratiæ, ea ratione, qua vult omnes homines saluos fieri,& ad agnitionem veritatis venire, vt aiebat Apostolus; qua ratione ipsemet Doctor *1.dist.46. qu. vn. B.* auxilia, & adiutoria sufficientia ad saluandum vocat communia,quia omnibus dantur, & in eis non discriminantur viatoris, quia ad salutem operari debent, ad differentiam auxiliorum,quæ efficacia dicuntur, vel physicè, vel moraliter iuxtà opinionum diuersitatem, & specialiter præstantur electis, & prædestinatis præsertim in ordine ad finaliter perseuerandum; Vndè gratia sufficiens quamuis ipsa quoque sit speciale auxilium in ordine ad opera salutis,vt distinguitur à concursu generali à Deo omnibus causis secundis exhibitio in ordine ad opera naturæ; tamen respectu Dei, qui omnibus paratus est eam tribuere, vt auctor gratiæ,& quantum est ex se eam omnibus indifferenter tribuit, communis influentia non incongruè appellari potest. Qua data expositione, cùm inquit Doctor posse peccatorem *ex naturalibus cum communi influentia* considerare peccatum commissum,vt offensiuum Dei &c.sensus est posse de peccatis pœnitere ex viribus vtique naturalibus liberi arbitrij, non tamen nudis,sed cum communi influentia,idest,gratia sufficientis suffultis, quæ omnibus est communis, & nemini denegatur ex statuta lege,qua vult omnes homines saluos fieri;cuius rei signum est,quod ait *ex naturalibus*; non verò ex puris naturalibus, sicut loqui solet cùm refert errorem Pelagij,vt patet 1.d.17.q.2.art.1.§.*contrà istam conclusionem*,vbi ait,*hoc quo meritoriè agit homo non potest esse pura natura,quia tunc ex solis naturalibus posset meritoriè agere quod est error Pelagij*, & art.2. in principio ait, *actum ex puris naturalibus esse meritorium appropinquat errori Pelagij*; cùm ergo hic non dicat posse peccatorem pœnitere,& peccatum detestari, vt offensiuum Dei &c. ex puris naturalibus, aut ex solis naturalibus.sed *ex naturalibus cum communi influentia* signum est non esse locutum de viribus naturalibus liberi arbitrij nudè, & solitariè sumptis, sed cum gratiæ sufficientis auxilijs, quæ alibi communia appellare solet,prout distinguuntur ab auxilijs gratiæ efficacis,vt etiam iam dictum est suprà *disp.2.de Baptismo q.5.art.2.n.34.& 35.*

76 Ità primus omnium hunc locum interpretatus est Lichetus noster quolib.14. vbi cùm Scotus dixerit lit.Q. vltrà fidem acquisitam habere nos fidem infusam, & ad illam habendam posse hominem ex naturalibus se disponere esto nequeat ex naturalibus illam attingere, inquit ibi Lichetus, hic tamen aduerte,quod non debet Doctor absolutè intelligi sic, scilicet, quod homo ex naturalibus possit immediatè producere dispositionem, quæ ex natura rei ad fidem disponat,cùm verum non sit; sed sic intelligitur, quod Deus aliquos ordinauit actus esse dispositionem ad fidem infusam, quos homo ex naturalibus efficere potest, supposito,scilicet, communi diuinæ gratiæ auxilio; sicut clarè exposuit *4.d.14. q.2.*ità Lichetus *loc. cit.* quam expositionem posteà amplexi sunt Delfinus in tractatu de Iustificatione, Faber *disp.14.* de Pœnitentia, Aretinus *4.d.14.q.2.art.5.* Vulpes *tom.2.p.1. disp.45.art.3.* Brancatus *disp.6. de pœnitentia art.7.*& alij Scotistæ melioris notæ.

Sed instat Hiquens illam particulam *cum communi influentia*, non posse hic præcisè importare dona actualia gratiæ tantum, quasi nihil aliud ordinariè supponatur ex parte intellectus,& voluntatis,quàm vires naturæ, seù ipsarum potentiarum innatæ; quia ex parte intellectus supponitur habitus fidei supernaturalis, & in voluntate habitus spei supernaturalis ordinariè, & vt in plurimum loquendo; quarè sub influentia communi comprehendi debent media operandi supernaturalia,non tantùm actualia,& transeuntia,sed etiam permanentia, idest, tam actualia, quam habitualia. Resp.concedendo totum,cùm Doctor *loc.cit.* agat de pœnitentia præsertim peccatoris adulti,& fidelis,neque Scotistæ citati expresserunt in tali casu nomine communis influentiæ media tantùm actualia supernaturalia comprehendi debere, sed ista expresserunt non excludendo alia habitualia, quæ ordinariè concurrunt in conuersione peccatoris fidelis, & ordinario processo ad iustificationem in singulis, non spectato casu particulari, aut statu huius peccatoris in specie.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Resoluitur quæstio quoad alteram partem.

Qvamuis actus pœnitentiæ Christianæ, vt sit sufficiens dispositio ad iustificationem peccatoris, debeat esse 77
supernaturalis,vt art. præc. conclusum est non tamen est supernaturalis quoad substantiam, sed tantùm quoad modum. Hæc assertio est contrà aliam sententiam extremam ob initio quæstionis relatam, quæ asserebat huiusmodi actus esse supernaturales non tantùm quoad modum, sed etiam quoad substantiam; & pendet ex dictis *lib.3. disp.6. de Virt. theol. q.6.* vbi diximus etiam actus supernaturales earum credendi,sperandi,& Deum super omnia diligendi,non esse supernaturales quoad substantiam, ac entitatem, sed tantùm quoad modum, quod ibi præsertim adduximus ex discrimine actuum supernaturalium patriæ, quales sunt visio, & fruitio beata, ab actibus supernaturalibus viæ credendi, sperandi, & Deum super omnia diligendi; quando namque Patres,& Concilia de actibus patriæ loquuntur gloriosis, & beatificis, absolutè negant posse rationalem creaturam per proprias vires naturales videre Deum, eoque beatè frui absque speciali eleuatione per lumen gloriæ facta, aut consimile auxilium speciale, vt constat in Concil. Viennensi ex Clementina, quæ ibi citatur *ad nostram de Hereticis*; At quando de actibus viæ loquuntur supernaturalibus credendi,sperandi,&c. & dicunt speciale auxilium ad eos exercendos esse necessarium, non sic absolutè loquuntur, sed cum quadam limitatione, vt constat ex Concil. Trid. *sess.6. can.3.* dicente hominem non posse sine gratia, & speciali auxilio credere, sperare, & Deum super omnia diligere, *vt oportet ad hoc, vt ei iustificationis gratia conferatur*, quo loquendi modo indicat dari posse alios actus harum virtutum, qui non sint *sicut oportet* ad iustificationem, & vitam æternam,hoc est, qui sint naturales secundum substantiam; non supernaturales;si enim voluisset exprimere esse simpliciter; & absolutè supernaturales secundum substantiam, & non tantum secundum eam circunstantiam *sicut oportet*.; adeò quod liberum arbitrium viribus proprijs actus illos secundum substantiam attingere non possit, nulla aderat necessitas illam particulam apponendi *sicut oportet*; sed absolutè dicere poterat hominem sine gratia non posse credere, sperare, & diligere, vt iustificationis gratiam consequatur, sicut absolutè loquitur Concil. Viennense de actibus beatificis patriæ.

Cùm igitur Concil.Trid. *sess.cit. can.3.* eodem modo loquatur de actu pœnitendi, qui est dispositio sufficiens ad iustificationem, dicendum est hunc pariter actum esse supernaturalem duntaxat quoad modum, non quoad substantiam; imò potiori ratione de actu pœnitendi asserendum id est,quàm de actu credendi, sperandi, & Deum super omnia diligendi, quia isti sunt actus virtutum Theologicarum, & infusarum, non autem actus pœnitendi quia pœnitentia ex dictis non est virtus theologica, neque infusa; quarè si hoc non obstante adhuc actus credendi, sperandi, & diligendi sunt in nostra sententia actus supernaturales tantum quoad modum, non quoad substantiam,id tantò magis, dicendum erit de actu pœnitendi; & planè dum Concilium ad pœnitendum sicut oportet, vt iustificationis gratia conferatur, requirit auxilium speciale, non obscurè indicat dari aliquod pœnitere eiusdem rationis quoad substantiam, ac entitatem Physicam,sed non cùm illo modo *sicut oportet* ad quod non requiritur speciale Dei auxilium; hoc autem aliud esse non potest,quàm actus pœnitentiæ naturalis; qui quoniam ex supernaturali motiuo non procedit, neque ex aliquo speciali concursu indebito, non est sufficiens dispositio ad iustificationem, cùm nullus actus sufficiens dispositio ad iustificationem esse possit,ne quidem remota, nisi ex speciali auxilio Dei dato per Christum procedat, vt docent Concilia, & Patres, cùm omnis dispositio ad Iustificationem à gratia Dei inchoari debeat; Alias quoque rationes ad hoc idem probandum *loc.cit.* adduximus, vbi etiam varias Aduersariorum solutiones, & euasiones præclusimus, quæ ibi videri possunt.

In Oppositum arguunt Aduersarij, & præsertim Amicus 78
disp.2.de sacram.Pœnit.*sect.3.* Primò ex Concil.Trid. loc.cit. vbi

vbi ad pœnitentiam, sicut oportet, non solùm requirit diuinam inspirationem, quæ se tenet ex parte principij moraliter excitantis, ac suadentis, sed etiam Spiritus Sancti adiutorium, quod se tenet ex parte principij physicè concurrentis, & concausantis; Quod clarius expressit Concil. Mileuit. 2. can. 4. vbi definit non modò necessariam esse nobis gratiam, vt cognoscamus quid agere debeamus, quod se tenent ex parte principij moralis, sed etiam quid efficere valeamus, quod se tenet ex parte principij physicè concurrentis. Repugnat autem actum fieri physico concursu gratiæ, & non esse in entitate supernaturalem, cùm physicus concursus tendat ad ipsam entitatem actus, cùm sit essentialis via, & tendentia ad illum. Confirmatur, quia datur habitus per se infusus pœnitentiæ Christianæ, vt passim Theologi concedunt; ergo ipsius actus est supernaturalis quoad substantiam; consequentia probatur, quia habitus supernaturales infusi dantur propter actus supernaturales quoad substantiam, non autem tantùm quoad modum, cum ad huiusmodi actus producendos sufficiant habitus acquisiti naturales cum potentia naturali adiuta aliquo concursu indebito intrà ordinem naturæ.

79 Respondetur concessa maiori negando minorem, nam physicus gratiæ concursus non semper efficit, quod actus ab ipso procedens sit in entitate, & substantia supernaturalis, sed quod sit talis interdum saltem quoad modum, quatenus nimirùm talis actus vires naturales superat, non quoad substantiam actionis, sed tantùm quoad certum modum, & circumstantias, & hac de causa Concilia, & Patres auxilium Dei speciale requirunt ad actum pœnitentiæ, vt sit sufficiens dispositio ad iustificationem, non propter supernaturalitatem substantialem ipsius actus, sed propter accidentalem, & quoad modum, vndè Concilium præsertim Trident. seipsum declarat, id debere intelligi de actu pœnitentiæ *vt oportet* ad iustificationem per modum meriti saltem dispositiuè; Ex quo patet in illa minori manifestè peti principium, hoc enim est, quod controuertitur, an quilibet physicus gratiæ concursus ad aliquem actum arguànt semper in eo supernaturalitatem quoad substantiam, hoc enim negamus verum esse vniuersaliter loquendo; & cùm dicitur, quod physicus gratiæ concursus tendit ad ipsam entitatem actus, dico in proposito de actibus pœnitentiæ verificari solùm materialiter, & specificatiuè, formaliter enim, & reduplicatiuè tendit in entitatem actus, vt sic modificati, seù *vt oportet*, ideoque in actu arguit tantùm supernaturalitatem quoad modum præcisè, non quoad substantiam, & entitatem. Ad Confirmationem negatur assumptum, vt constat ex dictis *qu. præced. art.* 2. quo etiam dato adhuc neganda est consequentia cum eius probatione, nam etiam actus virtutum theologicarum, quæ sunt habitus infusi, sunt in nostra adhuc sententia supernaturales tantùm quoad modum, non verò quoad substantiam; vndè omninò falsum est habitus supernaturales infusos dari propter actus supernaturales quoad substantiam, ad quid autem dentur habitus supernaturales infusi, quales sunt tantum Virtutes theologicæ, iam dictum est *lib.* 3. *disp.* 7. *qu.* 2. *art.* 2. *num.* 39. ac etiam omninò falsum est in sententia nostra ad productionem actuum supernaturalium quoad modum tantùm sufficere habitus acquisitos naturales cum potentia naturali adiuta aliquo concursu indebito intrà ordinem naturæ; nullum enim talem concursum nos admittimus indebitum intrà ordinem naturæ; nam eo ipso quod est indebitus ordini naturæ, dicimus talem concursum ad ordinem gratiæ pertinere.

80 Deindè arguunt, quia actus pœnitentiæ Christianæ est per se dispositio ad iustificationem; sed dispositio est in eodem ordine cùm forma, ad quam disponit, vt inductione constat; ergò cùm gratia, quæ est forma iustificans, sit supernaturalis quoad substantiam, etiam actus pœnitentiæ erit supernaturalis quoad substantiam. Confirmatur, quia non implicat actus pœnitentiæ supernaturalis quoad substantiam; ergo de facto concedendus est; antecedens constat à paritate relinquorum actum supernaturalium Fidei, Spei, & Charitatis, visionis, & fruitionis beatificæ, qui cùm procedant ex habitibus supernaturalibus infusis, sunt supernaturales quoad substantiam; Consequentia probatur, tùm quia connaturalius homo disponitur ad gratiam supernaturalem per actum pœnitentiæ supernaturalis quoad substantiam, quàm tantùm quoad modum, cum sic magis, ac melius proportionetur fini supernaturali quoad substantiam, qualis est visio beata; Tùm quia per actus supernaturales quoad substantiam melius saluatur necessitas habituum infusorum, qui non dantur, nisi propter actus supernaturales quoad substantiam.

Respondeo ex iam dictis *lib.* 3. *disp.* 6. *cit. qu.* 6. *numer.* 205. 81
negando minorem cum eius probatione, si in toto rigore intelligatur, siquidem in omni dispositione naturali respectu formæ substantialis satis constat formam ad eam disponentem esse accidentalem; & satis compertum est formam semper esse perfectiorem in entitate dispositione, ad eam, atque ideò opus non esse quod dispositio sit semper eiusdem omninò ordinis, & in toto rigore cum forma, ad quam disponit; sufficit ergo in proposito, quod actus pœnitendi, vt oportet, sit eiusdem ordinis cum gratia iustificante saltem quoad modum, quia licet non sit supernaturalis quoad substantiam, est tamen supernaturalis quoad modum. Ad Confirmationem, primò negari potest assumptum cum eius probatione, quia actus Fidei, Spei, & Charitatis sunt supernaturales tantùm quoad modum; actus verò visionis, & fruitionis beatificæ licet sint supernaturales etiam quoad substantiam, non tamen indè licet inferre actum quoque pœnitentiæ talem esse debere, quia non currit paritas de actibus supernaturalibus patriæ, quales sunt visio, & fruitio beata, & de actibus supernaturalibus viæ, vt suprà dictum est; Deindè quicquid sit de antecedente, etiam eo admisso, adhuc neganda est consequentia, quia adhuc connaturaliter, quantum sufficit, disponitur homo ad gratiam per actum pœnitentiæ supernaturalis quoad modum tantùm, sicut in ordine naturæ adhuc sufficienter materia disponitur ad recipiendam formam substantialem per formam accidentalem, si hæc aliquam cum ea habeat proportionem, qualem v. g. habet forma caloris cum forma ignis; Et iam paulò suprà in solutione præcedentis diximus falsum esse habitus supernaturales infusos dari propter actus supernaturales quoad substantiam; quod quando etiam concederetur, adhuc nihil in proposito concluderetur, quia negamus pœnitentiam habitualem esse virtutem infusam, vt constat ex præced. q. art. 2. siquidem alias virtutes infusas non agnoscimus præter theologicas ex dictis *lib.* 3. *sent. disp.* 7. *q.* 2.

Postremò arguunt, ea dispositio est sufficiens ad iustificationis gratiam cum sacramento pœnitentiæ consequendam, quæ sufficienter retractat peccatum in hoc statu commissum; atqui dispositio, quæ sufficienter retractat peccatum in hoc statu commissum, est ordinis supernaturalis quoad substantiam, ergo &c. Maior patet, nam vt dispositio sit sufficiens ad effectum huius sacramenti obtinendum, debet tollere obicem, tollitur autem obex per sufficientem retractationem peccati; Minor verò probatur, nam peccatum in hoc statu commissum non solùm dicit auersionem à Deo fine naturali, sed etiam fine, & auctore supernaturali; ergo nisi hæc auersio tollatur per oppositam conuersionem, non sufficienter tollitur obex, qui sacramenti effectum impedit, nunquam enim sufficienter tollitur obex, quamdiù non retractatur omnis voluntaria auersio à fine in peccato inclusa, atqui hæc retractari non potest per actum ordinis naturalis, cùm hic non se extendat ad obiectum, & finem supernaturalem, ergo &c. Confirmatur, quia si actus pœnitentiæ, qui est dispositio sufficiens ad iustificationem, esset supernaturalis tantùm quoad modum, naturalis verò secundum substantiam; tunc initium nostræ salutis esset ab homine, quod est Semipelagianum; sequela probatur, quia in ea sententia homo proprijs viribus faceret actum pœnitentiæ salutaris, quæ esset sufficiens dispositio ad iustificationem, atque ità homo inciperet, & Deus perficeret. 82

Resp. negando minorem, quod scilicet dispositio sufficienter retractans peccatum in hoc statu commissum sit necessariò ordinis supernaturalis quoad substantiam, sufficit enim quod sit ordinis supernaturalis saltem quoad modum; ad probationem eiusdem minoris gratis concedo, peccatum in hoc statu commissum non posse sufficienter retractari per actum ordinis omninò naturalis, quia talis vno modo se extendit ad obiectum, & finem supernaturalem, vndè vt talem attingat extensionem, indiget aliquo auxilio supernaturali, quo interueniente sit supernaturalis quoad modum, & sicut oportet, vt censeatur sufficiens dispositio ad iustificationem. 83

Ad Confirmationem negatur consequentia, etenim Massilienses, seù Semipelagiani asserebant ex puris naturæ viribus credentibus, & de peccatis commissis pœnitentibus dari gratiam ex debito ad iustificandum, itaut homo inciperet, & Deus perficeret; at nos è contrà profitemur assensum fidei ex naturalibus, ac etiam actum pœnitendi ex naturalibus sine gratia esse infructuosum ad iustificationem; neque actus pęnitendi, & detestandi peccatum præcisè secundum substantiam consideratus, præscindendo à supernaturalitate quoad modum, est vllo modo dispositio de congruum ad iustificationem, sed tantùm actus pęnitendi, vt oportet, quo pacto modum supernaturalitatis inuoluit, & ideò nullo modo sequitur initium salutis esse ab homine, quia actus pęnitendi, vt est ab homine viribus proprijs elicitus, non est dispositio, ne quidem de congruo ad iustificationem. Itaque Concilia, & Patres solùm docent omnis nostræ iustificationis exordium desumendum esse à præueniente gratia per Christum, qua adiuti liberè disponimur ad iustitiam per peccatorum detestationem, & odium consequendam; & actum pęnitentię salutaris debere esse supernaturalem, vt sit idonea dispositio ad iustificationem, & ex supernaturali auxilio elicitum; an autem hæc supernaturalitas sit quoad substantiam, vel quoad modum tantùm non decernunt, sed sub disputatione Scholastica relinquunt; Et quidem Concilium Trid. sess. 6. de Iustificatione can. 3. magis nostræ sententiæ fauere videtur, dùm anathemate damnat, *Qui dixerit sine præueniente Spiritus Sancti inspiratione, atque adiutorio hominem pænitere posse, sicut oportet, vt ei iustificationis gratia conferatur*, nam illa particula, & limitatio *vt oportet* indicat tantùm supernaturalitatem modalem, non autem substantialem, & entitatiuam, vt dictum est ab initio articuli.

QVÆSTIO QVINTA.

De Actu contritionis Pœnitentiæ perfectæ.

84 DVplex distingui solet pœnitentia Christiana, altera perfecta, quæ Contritio dicitur, altera imperfecta, quæ Attritio nominatur, quæ distinctio præsertim intelligitur de pœnitentia sumpta pro pœnitudine de peccatis pręteritis cum proposito amplius non peccandi, & approbatur à Concil. Trident. sess. 14 cap. 4. vbi eam perfectam appellat, quæ vim habet iustificandi ex se independenter à susceptione sacramenti, & per se sufficiens est ad remissionem culpæ; imperfectam verò, quæ quidem suo modo vtilis est, & saltem remotè ad iustificationem disponens, sed de se non sufficit ad iustificandum, sufficit autem cum susceptione Sacramenti Baptismi, vel Pœnitentiæ. Ratio autem huius diuisionis est, quia omnis pęnitentia aut peccatum detestatur ex supremo, & perfectissimo motiuo, quatenus Dei offensa est, & sic dicitur pœnitentia perfecta, seù Contritio; aut ex aliquo motiuo infrà Deum, & sic dicitur pœnitentia imperfecta, seù Attritio. Hoc idem insinuant etiam nomina ipsa Contritionis, & Attritionis, contritio enim metaphorica appellatione dicitur à *contero* ex eo quod conterere significat rem aliquam duram in minutissimas partes diuidere, & comminuere, hoc autem præstat contritio diuidens, & comminuens cor peccatoris per peccatum obduratum, & contritio propriè dicitur quasi maior fractio, & comminutio, scilicet, in minutissimas partes; attritio verò quasi non tanta confractio.

85 Conueniunt autem in hoc Contritio, & Attritio, quod vtraque est actus supernaturalis ex auxilio supernaturali procedens; ità colligitur ex Concil. Trident. *sess. 6. cap. 6. &* 14. vbi decernit, quod nulla pęnitentia, etiamsi cum baptismi susceptione sit connexa, sit sufficiens ad iustificationem, nisi à gratia excitanti, & adiuuanti oriatur; sess. 14. cap. 4. illam contritionem imperfectam, quæ attritio dicitur, declarat sancta Synodus donum Dei esse, & Spiritus Sancti impulsum, non adhuc quidem inhabitantis, sed tantum mouentis, quo adiutus viam sibi ad iustitiam parat &c. Conueniunt etiam in hoc, quod vterque actus tam attritionis, quàm contritionis debet esse adeò efficax, vt formaliter, vel saltem virtualiter includat propositum de cætero non peccandi, itaut simpliciter voluntatem auertat ab affectu peccandi, alias enim esse non poterit sufficiens dispositio ad gratiam, cuius infusioni affectus peccandi aduersatur; vndè sola velleitas in posterum non peccandi cum proposito manendi in pristinis peccandi occasionibus non est attritio pęnitentis, sed impœnitentis; atque ideò non solùm contritio, verùm etiam attritio habere debet annexum formaliter, vel saltem virtualiter propositum absolutum non amplius peccandi ad hoc, vt cum sacramento sit dispositio proximè gratiam inducens, vndè Pœnitentia definitur sess. 14. cit. cap. 4. *est animi dolor, ac detestatio de peccatis commissis cum proposito non peccandi de cætero*: dixi autem hoc proposito esse debere annexum attritioni, & contritioni formaliter, vel saltem virtualiter, vt modò abstrahamus à controuersia, quæ est inter Recentiores, & de qua postea, an requiratur explicitum, & formale propositum, quo pęnitens statuat amplius non peccare, vel sufficiat implicitum, & virtuale idest imbibitum in ipsamet detestatione de peccatis commissis. Cùm ergo contritio, & attritio in his rationibus conueniant, & alijs quoque conditionibus ad rationem veræ pęnitentiæ necessarijs inferius assignandis, nunc videndum est in quibus differant, & quomodo abinuicem distinguantur, quod patere non potest nisi prius vestigando vtriusque essentiam, & formalem rationem, quod etiam ex pluribus Quæstionibus dependet breuiter agitandis.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit Contritio, & quid ad ipsam requiratur.

SVmendo igitur contritionem in rigore pro pęnitentia perfecta, & prout ab attritione distinguitur, oportet explicare quid sit, siuè per quid hæc perfecta pœnitentia constituatur; Contritio itaque propriè dicta solet à Theologi definiri, quod sit detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero ex motiuo Charitatis, vel est detestatio peccati propter Deum summè dilectum. Vel est dolor, quem quis concipit de peccato ex eo, quod diligat Deum super omnia amore amicitiæ. Ex quo deducitur, quod vt contritio sit proxima dispositio ad gratiam, debet procedere ex supernaturali Dei dilectione, quod colligitur ex Trident. sess. 6. cap. 6. vbi describens pœnitentiam adultorum ad iustificationem necessariam, docet eam ex dilectione Dei procedere, & sess. 14. cap. 4. pœnitentiam, quæ extrà sacramentum hominem cum Deo reconciliat, affirmat esse charitate perfectam; deducitur ex Scriptura Lucæ 7. *remittuntur peccata multa, quoniam dilexit multum*, vbi peccatorum remissio dilectioni Dei tribuitur; ità etiam passim docent Patres præsertim August. serm. 7. de tempore, vbi ait *pœnitentiam certam non facit, nisi odium peccati, & amor Dei*. Accedit tandem ratio, quia contritio debet esse per se sufficiens dispositio ad gratiam, & remissionem peccati mortalis, ergo debet includere auersionem à peccato, quæ per odium eiusdem habetur, & conuersionem ad Deum, quæ fit per actum amoris Dei super omnia; Sed vt magis explicetur Contritionis natura, & essentia, & verus sensus harum definitionum pateat discurrendum est per singula, quæ disputari solent, an sint ad Contritionem requisita. 86

Primò itaque quæritur, quo pacto contritio includant hanc supernaturalem Dei dilectionem, an scilicet, requiratur formalis amor Dei, & explicitus, an sufficit virtualis saltem, & implicitus; Aliqui affirmant necessariam esse dilectionem formalem imperantem, quod probant, quia ex Scripturis, & Patribus perfecta pœnitentia procedit ex dilectione Dei; ergo procedit ex illa tanquam ex actu imperante distinctio, quod etiam Trident. innuere videtur sess. 6. cit. c. 6. vbi dilectionem Dei requirit, vt causam pęnitentiæ, & detestationis peccati; ex qua doctrina hæc etiam ratio conficitur, electio medij posterior est semper intentione finis iuxtà illud axioma, ordinatè volens prius vult finem, deindè media ad finem; sed contritio peccati per eius detestationem est medium ordinatum ad dilectionem Dei, ergo prius est volita dilectio Dei, & per consequens prius est amatus Deus, quàm contritio eliciatur ità Canus, Petrus Soto, Coninchius, Lorca, & alij Recentiores, & ex nostris Faber *disp. 16. cap. 1.* 87

Dicendum tamen est, quod licet regulariter loquendo perfecta contritio supponat dilectione Dei formalem, à qua 88

qua imperetur; absolutè tamen loquendo potest iustificari peccator absque formali amore per detestatione perfectam peccati includentem in se virtualiter Dei amorem; atque ità perfecta contritio non necessariò simpliciter supponit dilectionem Dei formalem, sed sat est virtualis, quam includit in ipso actu detestationis propter Deum elicito. Hæc assertio quoad vtramque partem deducitur ex Scoto *dist.* 14. *q.* 2. §. *In ista quæstione vers. Alia conclusio*, vbi dicit, quod licet regulariter charitati conueniat vti actu pœnitentiæ, interdum tamen etiam actus ipse charitatis ab actu penitentiæ imperari potest; tunc autem charitas dicitur vti virtute detestatiua, quando amore Dei imperatiuo voluntatem mouet ad eliciendam detestationem, atque ità regulariter odium peccati elici debet ex motiuo charitatis, & ex præuio amore Dei: Et cum è conuerso possit interdum etiam actus charitatis imperari ab actu pœnitentiæ, cum actus imperatus dicatur virtualiter contineri in actu imperante, sequitur de mente Doctoris, quod sicut actus pœnitentiæ continetur implicitè in amore Dei, sic è conuersò dilectio Dei dicetur contineri in detestatione peccati, vt summè detestabilis: vndè sicut amor præuius Dei habitus formaliter mouet, & excitat detestationem, sic è conuersò detestatio præhabita poterit excitare amorem Dei formalem; Hanc autem conclusionem non solùm tenent Hiribarnes 4. *dist.* 14. *q.* 2. *disp.* 6. *sect.* 3. Aretinus *dist.* 14. *quæst.* 3. *artic.* 2. Brancatus *disput.* 8. *art.* 8. & alij Scotistæ, sed etiam Vasquez *quæst.* 85. *art.* 2. *dub. vn.* Suarez *disp.* 4. *sec.* 2. Auersa *quæst.* 3. *sec.* 7. Amicus *disp.* 4. *sec.* 2. & alij Recentiores.

Probatur autem, quia si homo habet detestationem perfectam peccati antè formalem Dei dilectionem iustificabitur; ergò illa erit vera contritio, quia secluso formali amore nemo iustificari potest extrà sacramentum, nisi per contritionem; sed homo potest habere hanc detestationem antè formalem Dei dilectionem; ergò hæc non est de necessitate contritionis; assumptum patet, quia frequenter in Scriptura iustificatio, seu remissio peccati soli contritioni, siuè perfectæ detestationi peccati promittitur, vt Ezech. 33. *impietas impij non nocebit ei in quacunque die auersus fuerit ab impietate sua*, & *psalm.* 32. *Dixi confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino, & tu remisisti impietatem peccati mei*, & 2. Regum 12. Rex peccator solùm protulit hoc vnicum verbum *Peccaui Domino* quod solùm significat recognitionem, & odium culpæ contrà Deum commissæ, & tamen statim Nathan Propheta subdidit *Dominus quoque transtulit peccatum tuum*; ergo sola perfecta peccati detestatio satis est ad remissionem obtinendam absque formali actu dilectionis Dei annexo, vndè & in Concil. Tridet. *sess.* 14. *cap.* 4. in definitione contritionis nulla amoris Dei fit mentio; Minor verò sub illata probatur, quia inter illos actus detestationis peccati, & delectionis Dei non est aliqua necessaria connexio ratione cuius non possit illa detestatio haberi, nisi supposito amore; eo vel maximè, quia potest præcedere actus intentionis, seù voluntatis destruendi peccatum, qui non est amor Dei formalis, sed potiùs, est proprius actus pœnitentiæ virtutis, & ex illo potest immediatè oriri detestatio peccati, tanquam medium accomodatum ad illam intentionem exequendam, vt notat Aretinus ex Doctore *dist.* 14. *quæst.* 2. *lit. B.* tùm quia si peccator detestato peccato propter Deum statim moreretur, in opposita sententia non saluaretur, quia hic non eliciuisset actum dilectionis formalis, cum tamen hic verè ingemuisset in Deum, quod est contra illud Ezech. 18. *in quacunque die ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor.*

89 Deindè probatur a simili, quia valdè probabilis est opinio ad contritionem sufficere virtualem peccatorum detestationem, vt inferius patebit, quod expresse docuit Scotus *dist.* 14. *quæst.* 1. §. *ex his ad solutionem*, vbi inquit posse hominem iustificari per solam Dei dilectionem absque comite formali odio peccati, quando, scilicet, subito rapitur ad martyrium, vel inuincibili ignorantiæ succumbit, vel obliuioni peccati commissi, seù alij impedimento, in illo enim casu sufficit amor Dei virtualiter, & in voto continens peccatorum detestationem, alioquin daretur casus, in quo peccator destitueretur ordinario medio ad salutem contrà Scripturam vbique Dei misericordiam exaggerantem, qui non vult mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur, & viuat; ergò a simili congruit è conuerso, vt possit homo saluari per solam detestationem perfectam peccati, quæ virtualiter, & in voto Dei amorem contineat, quod profectò valdè congruit, & suaui prouidentiæ Dei, & humanæ conditioni, quia nequit homo absque magna difficultate plura simul aduertere, & circà illa operari.

Confirmatur, quia non repugnat inueniri veram contritionem sine formali actu amoris Dei super omnia, quia huiusmodi actus differunt obiectis, quorum vnum sine altero potest menti obijci; potest enim peccator considerare peccatum, vt diuinæ bonitati summè repugnans, & illud repræsentare voluntate, vt tale, quamuis non apprehendat explicitè Deum, vt super omnia amandum, ac proindè poterit voluntas in tali casu elicere vnum actum, nempè perfectæ detestationis peccati, quamuis alium non eliciat; & erit adhuc vera contritio, quia amor Dei super omnia in tali actu virtualiter continetur, ex eo enim quod vera contritio peccatum detestatur, tanquam diuinæ bonitati summè repugnans ex vi illius ferretur in Deum per actum amoris super omnia, si Deus tanquam amandus obijceretur. Denique hoc idem probat Card. de Lugo *disp.* 5 *de Pœnit. sec.* 7. *num.* 92. vbi probabiliter censet detestationem esse etiam simul amorem, idem enim est detestari peccatum ex motiuo charitatis, seù quia malum Dei est, ac velle Deo carentiam peccati, licet quoad modum tendendi differant hi duo actus, sicut etiam hi actus, quo volo Petro visum, vel quo nolo Petro esse cæcum, nam licet vnus sit per modum fugæ, & alter per modum prosecutionis; re tamen vera habent idem obiectum saltem virtualiter, vndè fit actus contritionis, qui ex motiuo charitatis fit, semper esse actum dilectionis, licet non ità explicitum, ac si tenderet per modum prosecutionis; vndè concludit contritionem sine alio actu amoris sufficere, quia ipsa semper est actus amoris saltem virtualiter.

Ad Fundamentum oppositæ sententiæ, quod Scriptura, & Patres dicunt ad contritionem perfectam necessariò requiri dilectionem Dei, respondetur eos esse locutos de Pœnitentia, quæ ordinariè concipitur ex dilectione formali imperante, quippè quæ perfectior est, & vsitatior; Vel non sunt intelligendi tantùm de dilectione Dei formali, sed etiam virtuali, qui casus tunc contingit, quando peccator iustificatur absque proprio, & formali actu amoris Dei reipsa tunc elicito, sed per detestationem perfectam peccati, quæ & virtualiter, & voto amorem Dei includit, qualis est, detestatio peccati, quatenus est contra bonum Dei in se, quæ detestatio verè dici potest propter Deum summè dilectum, quia est elicita ex charitate eius, & respiciendo solùm ad bonitatem, & amicitiam ipsius, vndè est verè actus charitatis non minus, quàm dilectio ipsa formalis; non tamen hæc displicentia est amor Dei formalis, quia non est formaliter actus prosecutionis, sed fugæ, nec tendit in Deum, vt in obiectum *Quod*, sed solùm tanquam in motiuum *Quo* quatenus respicit illum, vt rationem proximam detestandi peccatum. 90

Ad rationem dici potest primò cum Hiribarne *loc. citat.* contritionem peccati, & actum dilectionis Dei integrare, & complere dispositionem vltimam ad iustificationem, & peccati remissionem, vndè potius iustificatio peccatoris, & remissio culpæ est finis prior in intentione, & posterior in executione, illi autem duo actus sunt media ad hunc finem ordinata. Vel melius responderi potest, quod estò contritio peccati per eius detestationem possit esse medium ordinatum ad dilectionem Dei; imò ita sit regulariter loquendo, tamen interdum etiam esse potest medium ordinatum ad finem charitatis absque formali dilectione Dei; potest enim peccator considerare peccatum, vt diuinæ bonitati summè repugnans, quod est motiuum charitatis, & illud repræsentare voluntati, vt tale, quamuis non apprehendat explicitè Deum, vt super omnia amandum, in quo casu voluntas elicict actum perfectæ detestationis peccati sine actu formali amoris Dei; vt enim actus dicatur formalis amor Dei, non est satis, quod sit elicitus a charitate, quia charitas habet vnum obiectum primarium, quod est Deus, & alia secundaria, ex quibus quædam amat propter Deum, vt proximum, alia odio habet, vt peccatum, vndè in illo casu detestatio peccati est amor Dei virtualis tantum, non formalis, & est actus non ab ipsa charitate imperatus, sed formaliter ab ipsa charitate elicitus.

Sed Dices, actus pœnitentiæ, & contritionis de peccatis elicitus ex motiuo charitatis, idest quatenus sunt contrà bonum Dei, est per se, & formaliter, & expresse actus amoris, seù dilectionis Dei; ergo si de ratione contritionis, & pœnitentiæ perfectæ est, vt eliciatur ex motiuo charitatis, vt ex defi- 91

definitionibus adductis contritionis deducitur, debebit contritio semper esse associata cum actu formali amoris Dei; consequentia patet, probatur assumptum, quia nolle malum alteri formaliter, & essentialiter est illum amare, atque diligere, non minus, quàm velle illi bonum; sed pœnitere de peccatis, ex motiuo charitatis est nolle peccata, & dolere de peccatis, quatenus cogitantur, vt malum Dei, ergò verè, & formaliter est amare Deum.

Respondeo primò negando assumptum, quia displicentia de peccatis, vt dictum est, etiamsi elicita sit ex motiuo charitatis, non potest dici amor formalis, & explicitus Dei, quia non est formaliter actus prosecutionis, sed fugæ, & non tendit in Deum directè, vt in obiectum *Quod* sed *Quo*, quatenus respicit illum, vt rationem proximam detestandi peccatum; vndè solum dici potest amor Dei virtualis, & implicitus. Deindè falsum est etiam de ratione contritionis esse, vt semper eliciatur ex motiuo charitatis, nã potest etiam esse ex motiuo iustitiæ, sub qua continetur virtus pœnitentiæ, & adhuc habere rationem vltimæ, ac proximæ dispositionis ad iustificandum peccatorem, vt mox dicemus; si ergò potest contritio esse actus virtutis pœnitentiæ detestatiuus peccati, quatenus contrà diuinam legem nullo habitu motiuo charitatis, vt habeatur vniuersalis definitio contritionis potius sic definiri debebit, *quod sit detestatio, dolor, & odium peccati, quatenus offensa Dei cum proposito confitendi, & satisfaciendi, & de cætero non peccandi*, quod etiam satis insinuatur in definitione contritionis tradita à Trident. *sess.14.cap.4.* vbi nulla fit mentio amoris Dei, neque formalis motiui charitatis; communiter autem definitur à Theologis, quod sit detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero ex motiuo charitatis, quia hæc est perfectissima contritio, de qua maximè verificatur, quod sit proxima dispositio ad gratiam iustificantem, & in hoc sensu intelligendæ sunt definitiones contritionis allatæ, vt mox parebit.

92 Secundò quæritur, an sit de ratione contritionis, vt sit sufficiens dispositio ad iustificationem extrà sacramentum, quod fit ex motiuo charitatis. Et quidem Theologi communiter affirmant, vt actus contritionis proximè disponat ad gratiam, & peccati remissionem extrà sacramentum, debere esse ex motiuo charitatis, itá Thomistæ communiter, & Neoterici Suarez, Vasquez, Valentia, Bellarminus, Coninchius, Amicus, & alij passim, qui proindè contritionem definire solent *esse dolorem de peccatis propter Deum summè dilectum*, & colligunt ex Scripturis, & Patribus ab initio articuli citatis, qui dicunt amorem Dei ad iustificationem requiri formalem, vel saltem virtualem, qui vtrique non haberetur, si motiuum charitatis non interueniret, quarè Vasquez quæst.85. art. 2. erroneam censet sententiam dicentium actum contritionis, qui non sit dilectio Dei, vel ex illa proficiscatur, sufficere ad iustificationem; sequitur ex nostris Poncius disp.45.q.2.

Dicendum tamen est, quod licet pœnitentia de peccatis ex motiuo formali charitatis, & dilectionis Dei sit perfectissima contritio, de qua maximè verificatur, quod sit proxima dispositio ad gratiam iustificantem; adhuc tamen contritio, & pœnitentia de peccatis ex motiuo iustitiæ, quatenus peccata sunt contra debitum, & contra ius Dei, vel ex alio motiuo spectante ad Deum probabiliter videtur esse sufficiens in ratione vltimæ, ac proximæ dispositionis ad iustificandum peccatorem. Itá colligitur ex Scoto 4. *d.14.q.2. §.de secundo*, vbi dicit, quod potest præcedere actus intentionis, seu voluntatis vindicandi peccatum, qui non est actus charitatis, vel ex motiuo charitatis elicitus, sed potius est proprius actus pœnitentiæ virtutis, & ex motiuo iustitiæ elicitus, sub qua continetur pœnitentia, & ex illo potest immediatè oriri detestatio peccati, itá etiam Bassolius ibidem *quæst.2.art.2.* & sequuntur passim Scotistæ, & Nominales affirmantes, vt contritio sit proxima dispositio ad iustificationem, sufficere quod eliciatur ex motiuo satisfaciendi Deo, vel consequendi remissionem peccatorum, aut reconciliationem cum Deo, vitæq; emendationem, vel ex alio motiuo spectante ad Deum, quam opinionem censet probabilem ipse quoque Suarez *disp.4 cit.sec.2.* licet ibi in partem negatiuam inclinet, ac etiam Card. de Lugo *disp.5.sec.1.* vbi ait, non esse dignam censura, qua eam notauit Vasquez, eamque sequuntur plures Recentiores, & egregiè præ omnibus defendit Auersa q.3.*sec.5.*

Probatur autem Primò ex modo loquendi sacræ Scripturæ, vbi non semper videtur exigi pœnitentia ex motiuo dilectionis Dei, seù charitatis, sed ex motiuo vniuersaliori, & præsertim ex motiuo peculiari ipsius pœnitentiæ quatenus est specialis virtus a cæteris distincta, vt patet ex illo Ezech.18. *si impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis omnium iniquitatum eius non recordabor*, & alijs locis supra adductis *num.88.* & idem indicat modus loquendi Patrum frequenter dicentium Deum esse paratum dare suam gratiam peccatori se à suis vijs conuertenti; & planè durum nimis videtur, vt inquit Auersa illum actum, qui maximè propriè virtutem pœnitentiæ constituit, non esse idoneum ad iustificationem, & remissionem peccatorum; alioquin malè factum fuisset, vt nomen pœnitentiæ tali actui, & virtuti appropriaretur, si per se non est sufficiens dispositio ad iustificationem, sed potiùs appropriari debuisset soli virtuti charitatis, si solùm ex hoc motiuo est sufficiens ad iustificationem dispositio. 93

Confirmatur, quia ideò Aduersarij dicunt contritionem, vt sit proxima dispositio ad gratiam, procedere debere ex supernaturali dilectione, & motiuo charitatis, quia pœnitentiæ ex tali motiuo elicitæ iustificatio, & peccati remissio in Scriptura promittitur, vt Lucæ 7. *Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum*; sed non minus frequenter in Scriptura promittitur iustificatio, & peccati remissio contritioni, & perfectæ peccatorum detestationi ex solo pœnitentiæ, motiuo, quatenus est species iustitiæ vindicatiuæ, & virtus à cæteris distincta; vt patet ex locis superius adductis; ergo hæc Dei promissa liberaliora nimis rigorosè restringuntur ad contritionem solam ex motiuo dilectionis.

Respondet Suarez *loc. cit.* quod virtus pœnitentiæ specialis non respicit bonitatem Dei in se, sed solùm respicit conformitatem ad rationem in seruanda æqualitate iustitiæ; nec est simpliciter super omnia, quia non est ex supremo motiuo, quando quidem datur aliud motiuum supra ipsam; contritio autem perfecta, quæ est proxima dispositio ad iustificationem, esse debet ex supremo motiuo; atque ideò elicita ex solo motiuo iustitiæ, aut alterius virtutis, non sufficit, vt sit sufficiens dispositio ad iustificationem, sed vt sit talis, procedere ex motiuo charitatis, & ex supernaturali dilectione Dei.

Hæc tamen solutio non satisfacit, quia etiam charitas respicit suam conformitatem ad rationem, quia conforme rationi est velle bonum Deo, quod tamen non tollit, quo minus respiciat ipsum Deum; sic ergo pœnitentia vt virtus specialis, quam respiciat conformitatem ad rationem in seruanda æqualitate iustitiæ vindicatiuæ, adhuc etiam respicit Deum, quia vult bonum Deo debitum, & auersatur malum Deo indebitum, & est dolor de peccatis super omnia idest super omnia, quæ sunt infrà Deum, vt inferius explicabitur. Imò pœnitentia, vt est specialis virtus, non solum est propter Deum, sed in rigore est etiam propter bonum Dei, & de peccatis, quatenus sunt quodamodo malum Dei; dupliciter enim, vt inquit Auersa, potest considerari bonum, & malum alicuius personæ, vel præcisè solùm, vt conueniens, vt non conueniens illi; vel prout aliqua speciali ratione debitum, aut indebitum; circà bonum priori modo versatur charitas, seù dilectio; circà bonum secundo modo versatur iustitia; vndè hæc etiam respicit bonum alterius, quatenus illi debitum, & abhorret malum, quatenus indebitum; cùm ergò absolutè loquendo pœnitentia perfecta dicatur illa, quæ est propter Deum, siuè de peccatis, quatenus sunt contra Deum, ad differentiam attritionis, quæ habetur ex aliquo motiuo infrà Deum, scilicet, vel ex metu gehennæ, & pœnarum, vel ob turpitudinem peccati; planè pœnitentia de peccatis propter Deum ex motiuo iustitiæ, vel alio consimili, dicenda est pœnitentia, & contritio perfecta ad iustificationem sufficiens, quia licet non sit dolor de peccatis, quatenus præcisè sunt malum inconueniens Deo, & quatenus Deo displicent, qualis est dolor à charitate excitatus, est tamen dolor de peccatis, quatenus sunt veluti malum indebitum Deo idest offensa, & iniuria Dei. 94

Denique aliundè definiendum non est, quænam pœnitentia ad iustificationem sufficiat, quàm ex sacra Scriptura; hæc autem aliud non dicit, quam opus esse peccatorem toto corde conuerti ad Deum idest detestando peccatum super omne detestabile, & propter Deum; sed hoc totum saluatur

uatur in pœnitentia de peccatis assumpta propter Deum ex motiuo iustitiæ, quatenus peccatum est offensa Dei; sic enim pœnitendo dicitur peccator ad Deum toto corde conuerti, & peccatum super omnia detestari idest super quodcunque aliud malum pœnæ, itaut paratus esset quodcunque incommodum, & quamcunque pœnam subire potius, quàm Deū offendere; ergo talis pœnitentia ex motiuo iustitiæ elicita videtur ad iustificationem sufficiens; Et planè huic doctrinæ fauet communis fidelium conceptus, quem habent de pœnitentia, ipsi enim dùm de contritione cogitant, & ipsa mediante student à peccatis iustificari, absolutè de peccatis suis dolere connantur, quatenus sunt contrà Deum, & dùm cōfitentur, dicere solent se dolere de peccatis commissis eo, quod per illa Deum offenderunt; neque cogitant, an doleant de peccatis simpliciter, vt sunt malum Dei, & Deo displicent; vel vt sunt offensa, & iniuria indebita Deo; ergo perfectam contritionem restringere non oportet ad illam solam, quæ est actus charitatis, sed ampliari benè potest ad illam quoque quæ sit actus iustitiæ, qua fideles dolent de suis peccatis ob offensam Deo illatam, vt ait Lugus *loc. citat.* quod frustra nititur euadere Poncius.

95 Neque in hac sententia difficultatem ingerit modus loquendi Patrum, & Theologorum, qui expressè videntur postulare dilectionem, & charitatis motiuum ad hoc, vt peccata remittantur, qui modus loquendi videtur etiam ex Scriptura desumptus: quando enim Scriptura dixit peccata propter dilectionem remitti non ob id negauit, etiam per actum pœnitentiæ specialis, quæ est iustitia vindicatiua, posse remitti, imò id pluries affirmauit, vt constat ex dictis, & quandò dixit peccatores toto corde ad Deum conuerti debere, non determinauit id ex motiuo charitatis necessariò fieri debere, potest enim intelligi id etiam fieri posse ex motiuo ipsius iustitiæ; & demum, quando Theologi dixerunt contritionem esse dolorem de peccatis propter Deum summè dilectum, vel id dixerunt, quia pœnitentia de peccatis ex motiuo formali charitatis, ac dilectionis Dei est inter omnes perfectissima contritio, de qua maximè verificatur, quod sit proxima dispositio ad gratiam iustificantem, vel absolutè dicere voluerunt esse dolorem de peccatis propter Deum summè dilectum, quatenus sunt contra Deum summè appretiatum, & præferendo Deum omnibus alijs rebus, abstrahendo de reliquo ab vna, vel alia formalitate, inquātum peccata sunt contrà bonum Dei, & Deo displicent, quod est motiuum charitatis; aut sunt contra bonum Deo debitum, & offensam Deo irrogant, quod est motiuum iustitiæ, vt Auersa explicat.

Sed vrgent Aduersarij, nam contritio, vt sit proxima dispositio ad iustificationem importare debet perfectam peccatoris conuersionem ad Deum, nequit autem fieri perfecta conuersio peccatoris ad Deum absque supernaturali dilectione eiusdem ergo &c. maior patet, quia alioquin esset attritio, & non contritio, minor probatur, quoniam omnis alia conuersio inferior est ista; hæc verò ex genere, & obiecto suo formali est omnium suprema, quia est ad Deum diligibilem propter se. Confirmatur, quia actus spei Theologicæ, quo quis ex motiuo spei desiderat sibi Deum, & eius possessionem, & ex hoc desiderio dolet de peccatis commissis est nobilior, & perfectior, quàm dolor elicitus ex motiuo iustitiæ, obedientiæ, vel religionis, hæ enim sunt virtutes morales, & illa est Theologica; sed dolor ex motiuo Spei non sufficit, vt disponat vltimò ad iustificationem, est enim attritio; cùm sit dolor de peccatis propter amissionem gloriæ; ergo nec dolor ex motiuo iustitiæ, obedientiæ, vel religionis erit plusquam attritio, cum sit inferior. Tandem licet contritio non sit ille actus charitatis, qui est amor Dei tamen nequit negari esse actum illum, qui est odium, & detestatio peccati; ergo est actus charitatis, vel ex charitate elicitus; cōsequentia patet, quia charitas circa aliquam personam facit, vt odio habeantur mala, quæ illam lædunt; probatur assumptum, nam odium, quod importatur à contritione, non est odium qualecunque peccati, sed quatenus est malum, & offensa Dei, ergo est odium charitatis.

96 Resp. negando minorem, alioquin argumentum probaret etiam contritionem necessariò semper supponere dilectionem Dei formalem, à qua imperetur, quod etiam ipsimet Aduersarij negant, vt patet ex dictis; illa igitur pœnitentia perfectè conuertit peccatorem ad Deum, & quantum sufficit, vt dicatur sufficiens dispositio ad iustificationem etiam extrà sacramentum, quæ tantum ipsum conuertit in Deum, quantum peccatum auerterat à Deo, peccatū enim formaliter conuertit peccatorem ad creaturam, virtualiter verò, & interpretatiuè auertit à Deo, detestatio autem peccati propter Deum etiam ex solo motiuo iustitiæ punitiuæ formaliter auertit peccatorem à creatura, & formaliter indirectè saltem, & in obliquo conuertit peccatorem in Deum, dùm peccatum detestatur, vt malum, & offensam Dei, quod est motiuum iustitiæ punitiuæ.

Ad Confirmationem dicendum, quod licet actus Spei sit nobilior, & perfectior, inquantum Spes est virtus Theologica magis directè Deum attingens, vt est bonum nostrū; tamen secundum aliam rationem pœnitentia, & actus eius præcellit, quia vult bonum, & fugit malum ipsi Deo habens Deum pro obiecto *Cui*, qua de causa plus, & potius ad iustificationem ille disponitur, qui de peccatis dolet ob Dei offensam, quam ille, qui ob amissionem gloriæ; cùm enim dolor ortus ex desiderio beatitudinis, seù ex motiuo Spei procedat ex amore concupiscentiæ, eo ipso principalius per illū actum amo meipsum, quam Deum, volo enim Deum mihi per talem actum, ideoque non conuertor omninò preferendo Deum mihi, vt requiritur ad perfectam conuersionem, & contritionem, quæ debet esse ex toto corde, & totis viribus, sicut enim per peccatum se homo prætulit Deo, ità per contritionem debet Deum sibi præferre. Ad vltimum nego odium contritionis esse semper odium charitatis, siuè ex charitate elicitum, quia odium peccati non tantùm oriri potest ex amore Dei, & eius dilectione super omnia, sed aliquando etiam ex motiuo iustitiæ, quæ dictat, vt puniantur peccata, quæ sunt offensa Dei, & vt talia reduplicatiuè; iustitia enim punitiua vult omnes offensas, & præsertim Dei supremi Domini, & Legislatoris puniri, quarè non semper punitio, & odium, quod importat contritio, ex amore Dei oritur, sed aliquando etiam ex amore iustitiæ; actus enim charitatis siuè prosecutionis, siuè fugæ, debet semper habere motiuum charitatis, scilicet vt ponatur in Deo omne bonū conueniens, si sit actus prosecutionis, vel vt ab eo auferatur omne malum, sibi disconueniens, si sit actus fugæ; At contritio fieri potest non solùm ex his motiuis, sed ex alio etiam vt scilicet offensa illa puniatur per causationem doloris nullum habendo respectum ad ablationem mali, & positionem boni in Deo, quod est motiuum charitatis, quod benè Brancatus quoque aduertit *disp. 8. cit. ar. 8. num. 167.*

Ex dictis itaque patet, quomodo odium, detestatio, ac 97 displicentia peccati, quam importat contritio, interdum causari possunt à virtute penitentiæ ex motiuo eius precisè, interdum à charitate ex eiusdem motiuo, interdùm à charitate ex motiuo pęnitentiæ, & interdum à pęnitentia ex motiuo charitatis, quæ est perfectissima contritio inter omnes, & de qua prælertim verificatur, quod sit proxima dispositio ad gratiam iustificantem, quod totum expressit Doctor 4. *dist. 14. quæst. 2. lit. S. & T.* vbi quærens, quinam actus pœnitentiæ sit efficacior ad causandam tristitiam de peccato dicit, quod quandoque ex charitate, siuè ex contemplatione Dei statim inest quasi quædam detestatio peccati, & sequitur tristitia maxima, nullo adhuc posito actu iustitiæ respectu illius tristitiæ; quandoque autem primò inest actus iustitiæ intensus in se, & quandoque sequitur tristitiæ, quandoque non multas ob causas; ità ibidem discurrit Doctor. Hoc autē notandum est, quod odium, detestatio, ac displicentia de peccatis, quam importat contritio, siuè imperentur à charitate, & eliciantur à pœnitentia, siuè è contra eliciantur à charitate, & imperentur à pœnitentia, semper actus pœnitentiæ dicuntur, ac denominantur, quia in punitionem peccatorum fiunt, & pœnam tenent: qua etiam ratione actus quoque ad alias virtutes pertinentes, si fiant ob finem pœnitentiæ, actus pœnitentiæ dicuntur; nam satisfactio, quæ fit per opera vel religionis, vel misericordiæ, vel temperantiæ, est actus pœnitentiæ virtutis, & pars pœnitentiæ sacramenti; sic etiam confessio peccatorum, & manifestatio proprij delicti, quæ ad virtutem humilitatis pertinet, dicitur actus pœnitentiæ virtutis, quia fit ex motiuo pœnitentiæ, & in punitionem peccatorum.

Sed adhuc instant Poncius *disp. 45. q. concl. 1.* ex principio 98 communiter recepto apud Theologos, quod nemo adultus rationis compos acquirit regnum Cœlorum sine merito de condigno; sed hoc esset falsum, si contritio perfecta non esset ex motiuo charitatis, quia qui eliceret contritionem ex alio motiuo, iustificaretur sine tali merito, & consequenter si moreretur, antequam posteà peccaret, aut eliceret vllum

actum

actum charitatis, vt contingere posset, consequeretur regnum Cœlorum absque merito de condigno.

Respondeo hoc argumentum nihil prorsus concludere, quia nec ipsa contritio ex motiuo charitatis elicita, vt prior natura infusione gratiæ, dicitur delere peccatum per modum meriti de condigno, sed tantùm per modum dispositionis, & meriti de congruo, ità Scotus 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. *T.* & *quæst.* 2. P.Q.R. & *quæst.* 4. *D.* & *d.* 19. *in fine*, & *d.* 20. *A.* vbi clarè docet pœnitentiam virtutem, quæ iustificare potest sine sacramento, hoc facere, vt meritum de congruo, quod etiam significauit Concilium Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 6. & 7. & *sess.* 14. vbi docet pœnitentiam, quæ dicitur contritio, esse dispositionem, & præparationem ad iustificationem, nequit autem alio modo præparare, quàm per modum meriti de congruo, sic etiam loquuntur Recentiores passim, vt videre est apud Card. de Lugo *disput.* 8. *sec.* 6. ita autem loquuntur, vt saluent gratuitam hominis iustificationem iuxtà illud Rom. 3. *Iustificati gratis per gratiam ipsius* hac inquam, de causa dicunt contritionem etiam ex motiuo charitatis elicitam esse meritum de congruo tantùm, idest actũ honestum, & supernaturalem, qui habet valoré aliquem, cui debetur ex congruentia, non ex debito peccatorum remissio, ac gratiæ infusio; Adhuc tamen verum est actum contritionis constitui meritorium gloriæ de condigno per superuenientem gratiam in eodem instanti temporis, in quo elicitur vt diximus *lib.* 2. *disput.* 7. de Iustificatione q. 7. *num.* 210. quia vt ait Doctor *loco citato* in eo instanti temporis duo sunt assignanda instantia naturæ, vnum in quo antecedit gratiam illa vltima dispositio, & est prior ea; alterum quo ipsam concomitatur, & iam intelligitur formata gratia; in primo signo naturæ, in quo disponit ad gratiam, & adhuc informis intelligitur, non est meritoria gloriæ de condigno, sed tantùm in posteriori signo, in quo per gratiam intelligitur formata, talis enim informatio sufficit ad eum actum constituendum gloriæ meritorium de condigno, siuè talis actus sit ex motiuo charitatis elicitus, siuè ex alio motiuo virtutis, vndè non sequitur inconueniens in argumento illatum.

99 Tertiò quæritur, An sit de ratione contritionis, vt sit proxima, & vltima dispositio ad gratiam habitualem, quod sit cum ea coniuncta, seù quod sit formata habitu charitatis. Affirmant Thomistæ passim, quia putant contritionem perfectam, quæ est vltima dispositio ad gratiam habitualem procedere ab habitu charitatis, & consequenter à gratia immediatè, si hæc ab habitu charitatis non distinguitur, & mediatè, si sunt duo habitus inter se distincti; ità tenent Caietanus, Conradus, Medina, Soto, Cano, Valentia, Vasquez, Martinez, Torres, Serra, & alij Thomistæ communiter freti auctoritate D. Thomæ q. 113. *art.* 8. asserentis infusionem gratiæ esse primam in iustificatione, & post illam sequi motum liberi arbitrij in Deum, & in peccatum, ex quo sequi videtur actum contritionis efficienter à gratia habituali procedere, & consequenter, vt sit talis, debere esse coniunctam cum gratia, & charitate.

Dicendum tamen est, contritionem perfectam habere quidem pro eodem instanti temporis, in quo est gratiam, & iustificationem annexam; tamen vt formatam habitu gratiæ, & charitatis, non disponere ad iustificationem, & peccati remissionem, ac proindè non esse de ratione eius, vt sit vltima dispositio ad gratiam, quod sit cum ea coniuncta. Ita iam docuimus *lib.* 2. *disp.* 7. de Iustificat. *qu.* 7. per totam, de mente Doctoris 4. *d.* 14. *q.* 2. *N.* & *d.* 16. *q.* 2. vbi in eodem temporis instanti, in quo fit iustificatio, duo distinguit instantia naturæ; vt modò dictum est, vnum in quo contritio gratiam habitualem præcedit, vt proxima, & vltima dispositio ad ipsam; alterum quo ipsam concomitatur, & iam intelligitur gratia formata, vbi in priori signo intelligebatur, vt informis vndè inquit ibi contritionem non quidem vt charitate formatam, sic enim consequitur, vel concomitatur iustificationem, & peccati remissionem, sed quæ est formata charitate, & in sensu diuiso disponere ad iustificationem, qua ratione distinguitur à seipsa, vt informata; & ità sentiunt Scotistæ ibidem Bassolius *qu.* 2. Hiqueus in Comment. *num.* 91. Brancatus *disp.* 8. *art.* 13. Faber *disput.* 16. *cap.* 2. in fine, & sequuntur Recentiores omnes citati *disp. cit.* de Iustificat. *q.* 7. qui tenent contritionem, vt est proxima, & vltima dispositio ad iustificationem, & gratiam habitualem, non procedere efficienter ab ipsa, sed solùm ab auxilio speciali cum libero arbitrio; Et quidem quod contritio perfecta in eodem temporis instanti, in quo elicitur, habet iustificationé annexam etiam sine receptione actuali sacramenti, docet expresse Concil. Trident. *sess.* 14. & passim concedunt omnes, quia per hoc præsertim à posteriori differt contritio ab attritione, quod illa infallibiliter gratiam affert etiam sine sacramenti susceptione, hæc autem non.

Quod autem contritio, vt formata habitu charitatis, non 100 disponat ad iustificationem, quæ erat altera pars conclusionis, probatur, quia in eo posteriori naturæ signo, in quo intelligitur formata gratia, supponit iustificationem, & peccati remissionem; ergo non disponit ad illam; consequentia patet, quia nulla forma disponit ad effectum formalem, quem includit, alioquin disponeret ad seipsam; ergo nequit pœnitentia, vt formata habitu charitatis disponere ad iustificationem in qua formaliter includitur ipsa charitatis infusio, & peccatorum remissio; Restat ergo vt disponat ad eam solùm in priori signo naturæ considerata, quatenus informis, quia qualibet dispositio præcedit formam, ad quam disponit, tempore, vel saltem natura, quare cùm talis sit contritio respectu gratiæ habitualis, solùm in priori signo naturæ erit dispositio, in quo intelligitur, vt informis; Et quidem in eo ipso signo naturæ, in quo præcedere intelligitur, tanquam dispositio ad gratiam, dicenda est contritio, sic enim eam appellat Concil. Trident. *sess.* 6. *cap.* 6. vbi docet hanc esse præuiam dispositionem ad iustificationem, & *c.* 7. *hanc autem*, inquit, *dispositionem, seù præparationem iustificatio ipsa consequitur*; ergo vt prior iustificatione, quamuis in eo priori intelligatur, vt informis, est verè, & propriè contritio, quia vt talis causat moraliter, & infallibiliter gratiam, & est actus peccati detestatiuus ob Dei amorem, & denique in eo signo habet omnia prædicata essentialia contritionis, vt ab attritione distinguitur; Et quamuis Doctor *l. c.* loquendo de contritione in termino, seù in secundo signo naturæ, in quo intelligitur iam formata gratia, eam absolutè vocet contritionem, ac veluti antonomasticè, quatenus sic formata tantùm dici potest habere vim expellendi peccatum, non tantùm dispositiuè, sed etiam formaliter ratione gratiæ annexæ; tamen loquendo de eodem contritionis actu in fieri, quatenus est dispositio ad gratiam, & adhuc intelligitur informis, negari nequit, quin adhuc sit propriè contritio prout hæc ab attritione distinguitur, vt iam notauimus *disp. cit. de Iustif. quæst.* 7. *num.* 191. & hoc totum expressè docuit Doctor *dist.* 14. *quæst.* 2. *artic.* 2. *lit. Q.* vbi inquit in sensu diuisionis omninò concedi debere, quod per actum, qui est contritio, deletur peccatum, vt per dispositionem omninò proximam, vt *loc. cit.* declarauimus.

Neque Fundamentum in oppositum vrget, quia ibidem ex professò demonstrauimus contritionem, vt est proxima, & vltima dispositio ad gratiam habitualem, nequaquam ab ea elici, & effectiuè procedere, sed præsupponi ad ipsam per modum dispositionis, & meriti de congruo; cùm enim Deus infundat gratiam habitualem intuitu talis dispositionis præcedentis, vt ait Concil. *loc. cit.* iam nequit actus ille, qui est dispositio, esse ab eadem gratia, vt principio efficiente. Dices, si non est posterior gratia, vel simul cum ea, liberum arbitrium se solo ad iustificationem disponeretur, quod est error Pelagij, consequentia patet, quia contritio vltimatè ad iustificationem disponit. Negatur consequentia, sufficit enim vt ab auxilio efficaci, & gratia actuali procedat, vt non dicatur esse motus liberi arbitrij nudi; Vide dicta *disp. cit. de Iust. q.* 7.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Alia ad Contritionem requisita examinantur.

QVartò quæritur vlterius, An ad veram contritioné requiratur intensio in tali, vel tali gradu, nũ potiùs sufficiat substantia actus in quocunque sit gradu. Faber 101 noster tom. de Pœniten. *disp.* 16. *c.* 2. tenet de mente Doctoris esse, quod contritio requirat determinatam, & certam quandam intensionem citans eum in 4. *dist.* 14. *quæst.* 2. *art.* 2. idem tenet Hiqueus *dist.* 14. *qu.* 2. in Commentario, vbi dicit quod licet id non inueniatur in terminis à Scoto edoctum, intelligi tamen debet inter cæteras circumstantias, quas dicit requiri ad esse morale huius actus; & ait insinuari à Doctore *dist.* 14. *quæst.* 4. *in fine*, & *dist.* 17. *quæst.* 1. & sequi ex his, quæ docet 3. *dist.* 17. *quæstion. vnic. articul.* 3. Funda-

damentum est, quia cõtritio est actus à charitate imperatus, sed hæc includit intensionem, quia amat Deum super omnia, siquidem præceptum charitatis ergà Deum obligat, vt ametur *ex toto corde, ex tota mente, & ex tota anima Deut. 6.* hoc autem exhiberi nequit, nisi toto conatu causetur amor, totisque viribus; ergò actum intensum faciunt, & ad hoc tenetur homo, vt conteratur.

Dicendum tamen est ad veram contritionem non requiri intensionem in tali, vel tali gradu, sed sufficere substantiam actus in quocunque sit gradu. Hæc est vera, & genuina Doctoris sententia, quam sequuntur Scotistę passim, vt Aretinus, Hiribarnes, Poncius, Brancatus, & alij, & nos quoque statuimus *lib. 3. disput. 6. quæst. 21.* vbi docuimus de mente Doctoris *3. dist. 27. quæst. vn.* Deum esse super omnia diligendum appretiatiuè tantùm, seu prælatiuè, non autem intensiuè. Probatur autem ex ibi dictis, quia ad actum charitatis non requiritur certa intensio, quia hæc accidentalis est, & sola appretiatio est ei essentialis, nam formæ, quæ intenduntur, & remittuntur semper sunt eiusdem rationis, ac speciei in quocunque gradu; ergo idem quoque de contritione dicendum.

Confirmatur, quia peccatum mortale quantumuis remissum tollit gratiam, & charitatem, ergò è conuersò contritio quantumuis remissa, dummodò sit vera contritio, peccatum tollet, quia contritio etiam minus intensa est dolor super omnia, non quidem intensiuè, sed appretiatiuè, imò si non esset appretiatiuè summus, quantuncunque esset summè intensus, non sufficeret; debet ergo esse summus appretiatiuè, quia debet oriri ex motiuo charitatis Dei super omnia, vndè sicut amor Dei super omnia non debet necessariò esse summus intensiuè, sed tantùm appretiatiuè, quia scilicet præfert Deum creaturæ, vt *loc. cit.* declaratum est, sic etiam seruata proportione de Contritione dicendum est. Tandem neque Auctores oppositæ sententiæ inter se conueniunt, quanta esse debeat huiusmodi intensio, nam aliqui requirunt summam intensionem actus, quam homo præstare potest per totum conatum sibi possibilem; Alij requirunt summam intensionem, non quidem absolutè, sed comparatiuè, itaut homo maiori intensione doleat de peccato, quàm de quolibet alio malo, & quàm diligat quodlibet bonum creatum; Alij demum quamuis ad contritionem non requirant summam intensionem, aiunt tamen requiri aliquem intensionis gradum, quem Deus nouit; At hoc est aperire viam scrupulis innumeris, nã alioquin debuisset certè hominibus promulgari, quanta intensio pęnitentiæ esset ipsis necessaria ad hoc, vt scirent legitimum suæ salutis remedium; vndè ex his Theologorum dictis ansam sumpserunt Nouatores calumniandi Catholicos, vt notat Bellarminus *lib. 2. de pœnitent. cap.* 10. obijcientes sic reddi tam incertam, ac difficilem pœnitentiam, vt peccatores in desperationis periculum adducantur; Quarè concludendum est ad veram contritionem nullam certam, ac determinatam actus intensionem requiri, sed in quauis exigua intensione actus legitimam de peccatis pœnitentiam saluari posse.

102 Ad Fundamentum, in oppositum, primò potest negari maior, vt vniuersaliter vera, quia vt constat ex dictis, & docet Scotus *quæst. 2. citat. lit. S.* contritio non tantum causari potest ex motiuo, vel imperio charitatis, sed etiam ex motiuo proprio iustitiæ, vel pœnitentiæ. Deindè concessa maiori adhuc debet negari minor, quia vt diximus *lib. 3. disp. 6. cit. quæst. 21. art. 2.* ex illis testimonijs colligitur tantum obligatio diligendi Deum super omnia appretiatiuè, itaut pro nulla creatura velimus Deum offendere, aut ei displicere, & in hoc consistit totalitas cordis, mentis, & virium, qua præcipimur Deum diligere, non autem in totalitate intensionis, quia quantum ad hanc conditionem, vt inquit Doctor cum Augustino, non potest hoc præceptum in via adimpleri, sed tantùm in patria.

Sed arguit Hiqueus *loc. citat.* probando talem appretiationem in voluntate saluari non posse sine intensione actus, quia actus detestandi peccatum ad iustificationem necessarius extrà sacramentum debet esse efficax secundum omnes ergo non sufficit displicentia simplex ad hunc effectum, sicut neque complacentia simplex Dei ad implendum præceptũ dilectionis sine ordine ad media, quibus acquiritur finis, quia *diligit me sermones meos seruat, &c.* Sed displicẽtia simplex peccati habet bonitatem eandem in specie ex obiecto, quam habet voluntas efficax; ergo ad formandam voluntatem, seù displicentiam de peccato efficacem, quatenus est offensa Dei, non sufficit sola bonitas ex obiecto, & sola substantia actus; ergò appretiationem, & firmitatem non habet detestatio efficax peccati suprà simplicem complacentiam ex ratione specifica bonitatis; sed solùm ex ratione indiuiduali; sed nulla ratio indiuidualis actus potest tribuere illam firmitatem, & appretiationem, seù inhæsionem firmam potentiæ præter solam intensionem actus; ergo ab intensione habet hunc effectum, & non ex ratione specifica.

Confirmatur, quia amor Dei, & displicentia peccati ex ratione sua specifica tam obiecti, quàm supernaturalitatis, non sunt nata ex his perfectionibus præcisè dare illam stabilitatem operandi, aut appretiationem, quæ in constanti adhæsione obiecti consistit, quia nequeunt vincere cupiditatem, aut tollere omnia repugnantia operi, aliàs in quocũque gradu sic possent vincere cupiditatem, & retrahere voluntatem à malo, quod est falsum, quia in gradu remissio nequeunt vincere cupiditatem, & infirmitatem voluntatis; ergò hoc ipsis competit ex gradu perfectionis intensiuæ, & non aliundè. Deniquè præceptum Charitatis præter substantiam actus extẽditur ad intensionem, quia species actus habetur ex illis verbis *Diliges Dominum Deum tuum*, vndè reliqua superfluerent, nisi determinarent aliquam circumstantiam, & modum diligendi; ergo verba illa *ex toto corde*, & similia denotant materiam præcepti etiam quantum ad modum dilectionis Dei, & detestationis peccati; sed hæc circumstantia, & modus dilectionis, & detestationis haberi nequit, nisi per solam actus intensionem, ergo &c. alia argumenta ad idem congerit ibi hic Auctor, quæ ad hæc tria reducuntur.

Respondeo hoc argumentum iam fuisse solutum *disp. 6. citat. de Charitate quæst. 21. artic. 2. num. 555.* & quidem argumentum hoc, vt ab Hiqueo proponitur, solùm probare 103
contendit, non posse dari actum detestandi peccatum, prout necessarium est ad iustificationem extrà sacramentum, sinè aliqua intensione, præsertim cùm esse debeat efficax, quod planè nullus negat; sed quod teneamur ad certam intensionem, putà ad eliciendum actum intensiorem, quem possumus pro statu isto, vel physicè, vel etiam moraliter, hoc est quod negamus, quia tunc homo sæpè nesciret, an satisfaceret obligationi, nec ne, vndè pluribus scrupulis daretur occasio; Quarè concesso primo, & secũdo disensu, negatur vltima consequentia, quod scilicet detestatio efficax peccati, quatenus est offensa. De, appretiationem, & firmitatem nõ habeat ex ratione specifica bonitatis talis actus, sed solùm ex ratione indiuiduali, quæ scilicet sit talis, vel tanta intensio; imò suprà diximus, quod si talis actus non esset appretiatiuè summus, quantuncunque ex ratione indiuiduali esset summè intensus, non sufficeret ad iustificationem extrà sacramentum; Summitas ergo dilectionis appretiatiuæ, quæ cum detestatione peccati connexa est, ex maioritate intensionis actus non oritur, sed ex eo, vt talẽ de Deo habeamus æstimationem, vt propter suam bonitatem præferendus sit in amore omnibus rebus creatis, quæ quidem ratio potest etiam reperiri in actu remisso amoris Dei; vndè cum amore Dei super omnia, & cum vera contritione potest consistere intensior amor, & dolor alterius rei, si interim verè animũ habeamus nihil faciendi contrà Deum pro illius amore, in qua dispositione, & promptitudine consistit vis, & excessus appretiatiuè dilectionis Dei præ omnibus creaturis; vndè scribit D. Hieronymus de Sancta Paula, quod intensiùs de morte filiorum doluerit, quàm de peccatis suis, & tamen malè non fecerit. Ad Confirmat. negatur assumptum cum probatione, quia affectus peccandi, vel offendendi Deum grauiter per maiorem Dei dilectionem appretiatiuam excluditur, estò non sit magis intensæ adhuc tamen verum est Sanctos acriter damnare nimiam in creaturarum amore intensionem, non vt absolutè dilectioni Dei super omnia contrariam; sed quatenus potest hæc esse occasio præferendi creaturam dilectam Deo etiam appretiatiuè, quod non fit sine mortali.

Ad vltimum gratis concedo præceptum charitatis pręter substantiam actus extendi etiam ad modum dilectionis, & detestationis peccati; nego tamen hunc haberi nõ posse, nisi per solam actus intensionem; ad hunc enim habẽdum sufficit sola totalitas appretiationis non verò intensionis, quoniam talem possumus in iudicio intellectus habere æstimationem de Deo vt propter suam bonitatem præferendus sit in amore omnibus rebus creatis, & talem pariter habere dispositionem, & promptitudinem in voluntate nihil prorsus

sus faciendi contrà Deum pro amore creaturæ, quæ quo in actu amoris Dei reperiri possunt cum quocunque intensionis gradu etiam remisso, vt latè declaratum est *l. c.* ad quem recursus fieri debet pro completa istius difficultatis notitia.

104 Quod autem detestatio efficax peccati, quatenus est offensa Dei, appretiationem, & firmitatem habeat ex ratione specifica bonitatis talis actus, & non tantum ex ratione indiuiduali, quæ sit talis, vel tanta intensio, vt contendit Hiqueus *loco citato* probatur, quia actus perfectionem sumit ex obiecto, sed obiectum formale contritionis est Deus, vt bonum summè appretiabile, ergò contritio est summa appretiatiuè, nam perfectio motiui communicatur actui, cùm actus vitalis sit adhæsio potentiæ vitalis ad obiectum; Quod verò etiam ex eodem obiecto sumat actus contritionis firmitatem, & stabilitatem operandi probatur, quia vt benè discurrit Amicus *disput.* 4. *sec.* 7. cum alijs Recentioribus, quibus communis, & plausibilibus est nostra opinio; eò actus est præ cæteris firmior, & stabilior, quò ipsius obiectum est præ cæteris dignius, aut præstantius, quod probat inductione omnium virtutum Theologicarum; quia enim fides est adhæsio intellectus cum prima veritate est certior qualibet notitia etiam euidenti; quia spes est adhæsio voluntatis cum summo bono consequibili per auxilium infallibile Dei, est firmior qualibet spe humana; & quia charitas est adhæsio animi cum Deo summè diligibili, est fortior quolibet amore naturali, ergò quia contritio est fuga, & auersio à peccato, vt summo malo, cùm sit auersio ab illo, vt offensa Dei super omnia diligibilis, cuius malum tantùm est detestabile, quantùm eius bonum est diligibile, planè cum malum sit priuatio boni erit summa detestatio, & auersio excedens omnem aliam mali detestationem, & auersionem.

105 Ex qua doctrina soluitur etiam alia quæstio, quæ hic disputari solet, quantumnam vera penitentia, & perfecta contritio debeat detestari peccata, sicut enim Deus est super omnia diligendus appretiatiuè, ita & contritio debet detestari peccatum super omnia alia mala appretiatiuè; quia enim peccatum auertit à Deo super omnia diligibili, ideò debet homo plus fugere, & abominari peccatum, quàm quodcunque aliud suum malum pœnæ, siuè incommodum. Quod exemplo amoris explicari solet, tunc enim amor dicitur appretiatiuè summus, cùm nostra æstimatione aliquem tanti facimus, & ità eum amamus, vt parati simus, si necesse esset, quidlibet præ illo negligere, & hac ratione diligimus Deum summè appretiatiuè. Eodem igitur modo est de detestatione discurrendum, quod scilicet, id summè detestamur, quod præ alijs odio habemus; quarè vt detestatio peccati sit actus veræ contritionis, debet esse suprà omnè detestabile, & suprà omne malum pœnæ; debetque à pœnitente odio haberi non solùm super quodcunque malum, & incommodum, quod homines in hac vita perpeti solent, & possunt, sed suprà malum pœnæ etiam ipsius Inferni, si ab eo culpa præscindatur; quia malum pœnæ etiam æternæ est minus malum malo culpæ; Vndè Eleazarus 2. Machabeorum 6. amicis suadentibus, vt leges patrias violaret, aut violare fingeret ad euitandam mortem, & martyrius, promptè respondit potiùs *præmitti se velle in Infernum*, & Anselmus *lib. de Similitud. cap.* 190. sanctissimè dixit *Mallem à peccato purus Infernum intrare, quàm peccati sorde pollutus Cœlorum regna tenere*; Adhuc tamen verum est, quod ille dolor, qui de peccatis habetur ob pœnam inferni, & dicitur attritio, non habet secundum se hanc vim detestandi culpam plusquam pœnam Inferni, sed quomodo adhuc sit bonus, & laudabilis, & cum sacramentali absolutione ad gratiam, & salutem sufficiens, dicemus postea; & hoc totum clarè deducitur ex Scoto *dist.* 14. *citat. q.* 1. in fine, vbi docet actum pœnitendi in conuersione debere proportionari actui peccandi in auersione, ità enim perfectè conuertit in Deum actus contritionis sicut auertit actus peccati.

106 Quando autem dicimus detestationem peccati, vt sit actus veræ contritionis debere esse suprà omne detestabile, & suprà omne malum pœnæ, aduertunt omnes hoc non esse ita intelligendum, quasi per se, & necessariò requiratur, vt expressè comparatio fiat inter peccatum, & omne aliud malum in particulari; quia nec præcipitur huiusmodi expressa comparatio, nec fideles de hoc sunt soliciti, nec Confessarij hanc expressam comparationem à penitentibus postulant, imò nec eam illis consulere debent, quia mala in particulari considerata magis terrent. Satis ergo erit, actum pœnitentiæ talem esse, vt implicitè, vel virtualiter, aut interpretatiuè detestetur peccatum plusquam omne aliud malum in vniuersali; quia quicunque se disponit ad primam gratiam post peccatum recipiendam, debet esse in ea animi præparatione, saltem virtualiter, vt si occurreret occasio peccandi mortaliter; potiùs eligere pœnam quamlibet, quàm iterum mortaliter delinquere, hoc autem est peccatum, detestari suprà omne malum pœnæ saltem implicitè, & virtualiter; ità rem declarant Nauarrus, Valentia, Suarez, Auersa, Caspensis, Amicus, & communiter Doctores, & ex nostris Brancatus fusè *disp.* 7. *art.* 7. Et hoc totum satis clarè deducitur ex Scriptura, vbi sicut quando præcipitur dilectio Dei, intelligitur præcipi dilectio super omnia, eò quod in ea iubetur diligendum esse Deum ex toto corde, & totis viribus; ita pariter præcipit peccatorem ad Deum toto corde conuerti debere, vt Deuter. 4. Ioel. 2. & alij in locis; atque ideò opus est peccatorem de peccatis pœnitere super omnia; Et sicut quando præcipitur dilectio Dei super omnia, non per se, & necessariò requiritur, vt fiat expressa comparatio inter Deum, & omne aliud bonum creatum, sed sufficit implicita, & virtualis comparatio, vt in propria materia iam explicatum est; ità quando præcipitur pœnitentia, & detestatio peccati super omnia alia mala appretiatiuè, non oportet hoc intelligere explicitè, & formaliter, sed sufficit implicitè, & virtualiter modo iam explicato.

Adhuc tamen optimum signum erit efficacis, & legitimæ pœnitentiæ, ac valdè laudabile, si quis etiam sub hac expressa comparatione peccatum super omnia detestetur; & comparando inter se ipsa peccata, cùm vnum sit grauius alio, debet plus detestari grauiora, quàm leuiora; vt enim odium sit actus pœnitentiæ, petit necessariò, vt sit maius, vel minus iuxtà qualitatem, & merita peccatorum; quod etiam eodem modo intelligi debet de maioritate nimirum appretiatiua, non autem intensiua, quasi de maiori peccato debeat semper esse maius odium intensiuè, & de minori minus. Nec etiam hoc est necessarium semper sub expressa, & explicita comparatione peccatorum adinuicem, sed satis est virtualis, & implicita comparatio, quæ in eo præsertim consistit, vt vnumquodque peccatum iuxtà suum gradum prauitatis, & malitiæ sit detestandum; Et sicut dicit Scotus *dist.* 14. *quæst.* 1. S. odium generale esse verum actum pœnitentiæ, & *dist.* 15. *q.* 1. *G.* vnam contritionem pro pluribus peccatis sufficere, ità pariter hæc comparatio virtualis peccatorum adinuicem potest in vnico actu circa plura ipsa peccata saluari, ratione nimirum inæqualitatis, quæ est in ipsomet obiecto; Quod explicari solet exemplo illius, qui vno actu tota diligit communitatem, licet enim inter varios personarum gradus expressam comparationem non faciat, virtualiter tamen eos magis appretiatiuè diligit, qui maiori digni sunt dilectione; de quo rursus videri potest Brancatus *disput.* 7. *art.* 8. vbi etiam fusè de hac re agit. Itaque ex vi contritionis debet penitens magis detestari peccatum grauius, quàm minus graue, quia quò offensa in Deum est grauior, eò est detestabilior, non quidem formaliter, & explicitè, quia cùm per vnum actum possit omnia detestari, non potest formaliter vnum magis alio detestari, sed virtualiter, quia ex vi contritionis paratum est vnum magis alio detestari formaliter, & explicitè. 107

Quintò quæritur, An ad contritionem requiratur certa temporis mora seù duratio, & sensus est, an odium peccati, vel contritio requirat durare aliquo tempore, vt sit sufficiens dispositio ad iustificationem; Affirmatiua sententia tribui solet Scoto *dist.* 14. *q.* 2. *art.* 2. Mairono, Bassolio, & alijs antiquioribus Scotistis; & constanter defenditur à Caietano *tom.* 1. *opusc. tract.* 4. *quæst.* 1. vbi ait Deum non iustificare peccatorem mox, vt habet dolorem de peccatis propter Deum suprà omne odibile, & propositum vitandi peccata super omne vitabile, sed expectare etiam tùm incertum nobis tempus, priusquam eum sibi reconciliet, quod probat, quia si Deus statim in ipso instanti contritionis infallibiliter infunderet gratiam iustificantem, iam homo posset esse certus de sua gratia, cùm possit nobis euidenter constare dolere nos de peccatis propter Deum; at non est certus de sua gratia; ergò signum est actum contritionis debere aliquo tempore durare, antequam Deus gratiam infundat, neque nobis constare quanta sit illius temporis mensura. 108

Di-

109 Dicendum tamen est, ad remissionem solius culpæ quantumcunque grauissimæ sufficere momentaneam contritionem; Ità fert communis opinio, quod euidenter deducitur ex Scriptura, nam Isaiæ 30. legitur *Ad vocem clamoris tui statim, vt audierit, respondebit tibi*, & Ezech. 33. *impietas impij non nocebit ei in quacunque die conuersus fuerit ab impietate* vbi hoc *in quacunque die* perindè valet, ac si diceret *in quocunque momento* iuxtà communem Patrum expositionem. Apoc. 3. *sto ad ostium, & pulso, si quis aperuerit mihi ianuam, intrabo ad illam*. Hoc idem passim docent Patres. Leo Papa *epist. 91. Apud Deum nullas patitur veniæ moras vera conuersio*. Augustinus in Encherid. *capit. 65. Non tam consideranda est mensura temporis, quàm doloris, cor enim contritum, & humiliatum Deus non spernit*. Cyprianus de Cœna Domini confirmat exemplo boni Latronis, cui statim contritio dictum fuit *Hodiè mecum eris in paradiso*, vndè subdit, *cuius impietas in momento induit pietatem*. Accedit etiam ratio, quia sicut iustus eodem instanti, quo peccat iustitiam amittit, sic peccator eodem instanti, quo conteritur, iustitiam acquirit; Tùm quia sicut potest homo diligere Deum super omnia in primo instanti, sic in eodem poterit perfectè dolere de peccatis super omnia, aliàs sequeretur posse fieri, vt si quis habens peccatum haberet veram contritionem, & moreretur illo intermedio tempore, antequam Deo reconcilietur, damnaretur, quod est absurdum; Tùm tandem, quia contritio est vltima dispositio ad gratiam, & vltima dispositio non præcedit formam in reali duratione.

Neque oppositum docuit Doctor *loc. cit.* nam sub lit. Q. vers. *Respondeo* expressè concedit posse hanc dispositionem esse in eodem instanti temporis cum infusione gratiæ dicens non esse inconueniens, imò conueniens dispositionem proximam simul esse cum forma, ad quam disponit, & cùm ibi tria signa naturæ distinguat in eodem temporis instanti, planè supponit perfectum actum contritionis in esse naturæ, & moris esse simul cum gratia, & non interuenire aliquam durationem inter actum sic perfectum, & gratiæ infusionem, vt perperam ei Thomistæ imponunt; & hoc totum expressius adhuc docuit inferius *disp. 20. quæst. vnic.* per totam, & præsertim in prima conclusione, & in fine secundæ, & in solutione principalium in oppositum, & potissimè in responsione ad quartum, vbi conceptis verbis loquitur, & inquit, quod qua ratione peccator in quocunque instanti sanitatis potest pœnitere, pari ratione & in extremis; & hoc omninò conuincit ratio allata, quod sicut consensus in peccatum mortale statim, ac elicitur, est peccatum mortale, & gratiam destruit; ità è conuerso actus contritionis statim, ac elicitur, habet esse contritionis, & vltimæ dispositionis ad gratiam; Deus enim est pronior ad miserendum, quàm ad condemnandum, & ideò sicut in quocunque breui tempore mox, vt elicitur actus contrà præceptum deliberatè, subtrahitur gratia, sic etiam quàm primum elicitur detestatio peccati, gratia recuperatur; Quomodo autem intelligenda sint verba Doctoris *dist. 14. quæst. 2. artic. 2. lit. N.* ex quibus Thomistæ deducunt voluisse temporis durationem esse de intrinseca ratione contritionis gratiam inducentis pluribus explicant Hiqueus ibi in Cõmentario, Hiribarnes *disp. 6. sec. 2.* Aretinus *ibid. art. 7.* Brancatus *disp. 8. art. 7.* & alij Scotistæ passim; Et planè toto illo discursu, quem ibi habet Doctor nil aliud significare voluit, nisi quod potest peccator actum attritionis habere per spatium temporis durantem, & quod si duret talis attritio vsque ad tempus, vel instans, in quo Deus causet gratiam, medio nimirum sacramento, tunc, in illo vltimo instanti actus attritionis fit contritio ex concomitantia gratiæ, quæ quidem sana est doctrina, & à nullo negatur; hoc inquam, est quod ibi docet Doctor, non autem dicit, quod non possit dari attritio, nisi duret per tempus, neque quod contritio, vt talis censeatur, per aliquod temporis spatium durare debeat.

110 Dixi autem in conclusione, ad remissionem solius culpæ etiam grauissimæ momentaneam contritionem sufficere, quia ad remissionem totalem peccatorum, tam scilicet quoad culpam, & omnem pœnam temporalem virtute solius contritionis exigitur extensio doloris per aliquam temporis moram, quia quo peccata sunt grauiora, eo maior dolor desideratur, vt omnis remissio pœnæ habeatur, non solùm intensiuè, sed etiam extensiuè, sic enim habetur in Apoc. quantum glorificauit se, & fuit in delitijs, tantum date illi tormentum, & luctum; Vndè ad remissionem culpæ, & omnis pœnæ maior requiritur satisfactio, quam ad remissionem culpæ tantùm, & per consequens maior temporis mora erit necessaria; Imò actus pœnitentiæ virtutis, qui est detestatio peccati, estò saluari possit in vnico instanti pro remissione culpæ, adhuc tamen consulendum est peccatori, vt quo magis potest, illum protrahat, & ità consulebat D. Aug. lib. de vera, & falsa pœnitent. cap. 13. *omnes fructus pœnitentiæ paruos habere, nunquam credat sufficere, semper doleat, semper coram Domino, antè quem peccauit, erubescat, & dolorem cum vita finiat*; Accedit etiam ratio, quia actus instantaneus dolendi proportionem non habet cum actu peccandi, qui nunquam, vel rarò per vnicum tantùm instans durat.

Ad fundamentum in oppositum, negatur ob id posse hominem esse certum de sua iustitia, quamuis enim possit alicui esse notum per vitalem experientiam se habere actum doloris, & contritionis, non tamen est euidens illum actum esse supernaturalem, vitalis enim experientia per se non sufficit ad discernendum, an actus internus sit naturalis, vel supernaturalis, & ratio deducitur ex dictis q. præced. quia actus pœnitentiæ non est supernaturalis quoad substantiam, sed tantùm quoad modum. Dices, peccator non potest in instanti efficere quicquid ex parte intellectus, & voluntatis ad veram contritionem est necessarium secundum viam ordinariam, quia duo spectari debent in contritione, & quod sit actus supernaturalis; & quod sit actus humanus, & deliberatus; igitur ad illum eliciendum requiritur primò gratia excitans, secundò consideratio, & deliberatio; tertiò iudicium practicum, quartò consensus voluntatis; hæc autem in vno instanti ordinariè non fiunt, vt experientia testatur, ergò ad contritionem requiritur temporis spatium, nec in vno instanti fieri potest. Respondeo hoc ad summum probare aliquam temporis successionem requiri spectatis ijs, quæ sunt necessaria ex parte intellectus ad eliciendum contritionis actum; cæterum suppositis omnibus ex parte intellectus necessarijs, dicimus posse voluntatem in instanti talem actum elicere, quia cum actus ille secundum se non sit successiuus, nil obstat, quin possit elici in instanti; positis ergò omnibus requisitis ad illum eliciendum, voluntas illum potest in instanti elicere, si vult.

Sextò præterea quæritur, quale propositum de cætero non peccandi requirat contritio, an scilicet formale, & actuale, an potiùs virtuale sufficiat; nam absolutè loquendo de ratione pœnitentiæ est propositum non peccandi in posterum abstrahendo à proposito formali, & virtuali, qua de causa hoc propositum indefinitè ponitur à Concil. Trid. sess. 14. cap. 4. in definitione Contritionis, cùm inquit, quod est dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, & *sess. 6. cap. 6.* idem propositum enumerat inter dispositiones ad iustificationem requisitas; & idem Scriptura, & Patres sæpiùs inculcant; & patet ex communi omnium sensu, omnes enim putant, non legitimè pœnitere, nec posse de præteritis veniam sperare, qui non deponit animam peccandi, & firmiter statuit denuò non comittere ea, de quibus dicit se pœnitere; Quod etiam suadet manifesta ratio, quia perfecta pœnitentia animum perfectè à peccato auertit, ergo non solùm illum auertit à præteritis per detestationem, sed etiam à futuris per propositum melioris vitæ; immò hoc adeò verum est, vt Scotus *4. dist. 14. quæst. 4.* in solutione ad secundum principale hoc propositum de non peccando in posterum non solùm ad rationem contritionis postulet, sed etiam ad veritatem attritionis, quemadmodum diximus ad huius quæstionis initio n. 85. 111

Controuersia igitur est, quale debeat esse hoc propositum, an scilicet requiratur explicitum, & formale, quo nimirum pœnitens actualiter statuat amplius non peccare, vel sufficiat implicitum, & virtuale idest imbibitum in ipsamet detestatione de peccatis commissis, quæ nempe detestatio talem vim habeat, quod si a pœnitente explicitè quæratur, an velit iterum peccare, non possit simul cum illa detestatione habere animum peccandi, sed si aliquem actum circa hoc eliciat, non nisi propositum abstinendi à peccatis habebit. In qua controuersia tres sunt sententiæ, duæ extremæ, & vna media. Prima extrema affirmat requiri formale, & actuale, quod quidem aliqui requirunt

tantùm de necessitate præcepti, aliqui verò etiam de necessitate medij, pro qua sententia plures citantur Thomistæ, & ex nostris sequitur Brancatus *disp.8.art.14.* & Hiqueus *d. 17.q. vn.* in Comentario *num.67.* Secunda sententia extrema negat necessariò, & per se requiri formale propositum asserens sufficere virtuale inclusum in ipsa detestatione peccatorum, vel obedientiali dilectione Dei, ità Maior, Argentinas, Medina, Vega, Valentia, Coninchius, & alij. Tertia tandem sententia media asserit expressum propositum de cætero non peccandi per se quidem, & regulariter esse necessarium, siuè necessitate præcepti tantùm, siue etiam medij, quando pœnitens aduertat, & cogitet etiam de tempore futuro; per accidens tamen, & in aliquo casu defectu considerationis, aut temporis sufficere virtuale, & implicitum; ità discurrunt Nauarrus, Suarez, Vasquez, Henriquez, Nugnes, Amicus, Lugus, Auersa, & ex nostris Aretinus *d.14.q.3.artic.8.* Hiribarnes *d. 14. q. 2. sec.7.* & quidam alij Scotistæ, & Recentiores.

112 Dicendum est cum hac tertia sententia, per se, & regulariter loquendo necessarium esse formale; & explicitum propositum non peccandi in posterum ad rationem contritionis; per accidens tamen, & in aliquo casu defectu considerationis, aut temporis sufficere virtuale, & implicitum. Hæc conclusio quoad primam partem est Scoti 4. *dist.* 14. *quæst.* 4. §. *ad primum argumentum*, vbi ad rationem contritionis cum displicentia de peccatis commissis exigit etiam propositum cauendi de cætero, quam sufficientissimè probant rationes, & auctoritates, quæ pro prima sententia solent adduci; sic enim loquitur Scriptura Isaiæ 1. *Lauamini, mundi estote, auferte malum cogitationum vestrarum*, *quiescite agere peruersè* Amos 5. *odite malum, & diligite bonum* ad Ephes.4. *deponite veterem hominem, & induite nouum*, in quibus & similibus auctoritatibus, quæ passim in Scriptura occurrunt, præter detestationem præteritæ vitæ, semper propositum additur nouæ vitæ. Sic etiam loquuntur Patres, dùm pœnitentiam definiunt, quod sit *præterita mala plangere, & plangenda iterum non admittere*; vt Ambros. *lib.2. de pœnit. capit.5.* & quod sit *anteacta mala flere, & flenda non committere*, vt Greg. hom.24. in Euang. sic etiam Concilia loquuntur, vt Florentinum in decreto Eugenij 4. dicens ad contritionem pertinere, *vt doleat de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*, & Trident. *sess.14.cap.4.* cùm contritionem definit, quod *sit detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero*; sic tandem suadet ratio, quia perfecta pœnitentia est motus, quo anima per gratiam mouetur a statu peccati ad statum iustitiæ, iuxtà illud *declina à malo, & fac bonum*, hic autem includit recessum à malo per detestationem vitæ prioris, & accessum ad bonum per desiderium, & propositum vitæ melioris; ergò per se, & regulariter loquendo, quando per tempus licet, & cum detestatione præteritæ vitæ subdit memoriæ futuræ, & non impedit inuincibilis ignorantia, aut naturalis obliuio talis propositi, hoc est necessarium formale, & explicitum, siuè vt medium, & dispositio ad iustificationem, vt aliqui volunt, siue vt præceptum naturali iure coniunctum cum detestatione præteritæ vitæ, vt fert communior, & probabilior opinio.

113 Quo verò ad aliam partem, quod scilicet, quoties aduertentia futuræ vitæ defuerit inculpabiliter, tunc satis sit virtuale propositum, & implicitum siuè in Dei dilectione imbibitum, siuè in actu detestationis peccati, quatenus offensa Dei, est etiam Scoti 4. *dist.* 22. *quæst.* 1. §. *de tertio*, vbi ait, quod pœnitens, quotiescunque dignè pœnitet, obligat se salutem in voto ad non peccandum in posterum, quia sine tali propositio non est digna pęnitentia; Itaque in casu naturalis obliuionis aut inuincibilis ignorantiæ, vel temporis defectu, expressum propositum cauendi peccata in futurum non est ad iustificationem necessarium, sed sufficit virtuale, & implicitum, siquidem verisimile non est in his casibus peccatorem non iustificari, si alias fecerit, quantum in se fuit, detestando efficaciter peccata commissa ex motiuo charitatis; nam in his casibus defectus formalis propositi ad culpam imputari non posset, alioquin sequeretur, quod si quis præterita peccata ex vehementi amore Dei detestans moreretur statim, antequam de futura vita cogitare posset, gratiam consecuturus non esset, quod omninò alienum est à misericordia Dei, qui diligētes se diligit; Dato ergo casu, quod pœnitens prę nimio dolore peccatorum non recordetur vitæ futuræ, cum tali tamen dispositione, quod si recordaretur proponeret efficacissimè in futurum cauere, talis dolor est propositum virtuale, & pœnitens in tali casu excusatur ab actuali, vt patet in celebri illa Dauidis iustificatione, in qua nulla fit mentio huius propositi, sed statim exclamanti *Peccaui* subiungitur à Propheta Natan *Dominusquoque transtulit peccatum tuum* vbi inquit August. hom. 41. de tempore *in his tribus syllabes, peccaui, flamma sacrificij coram Domino ascendit in Cælum*.

Accedit etiam ratio, quia dolor de peccatis commissis propter offensam Dei virtualiter includit propositum cauendi posteriori tempore peccata; ergo in his casibus sufficiens censeri debet, cùm includat recessum à quouis peccato etiam futuro saltem virtualiter; consequentia patet, probatur assumptum, quia sola detestatio peccati commissi separat cor ab effectu peccati, non tantum præteriti, sed etiam peccati absolutè sumpti, prout est indifferens ad præsens, præteritum, & futurum, ergo salutem implicitè, in se imbibit propositum vitandi peccata etiam in posterum, atque adeò erit sufficiens dispositio in illis casibus ad iustificationem.

Confirmatur, quia quando aliquis habet plura moralia, & non meminit, nisi vnius tantum, illudque propter Deum detestatur, alia verò non quia eorum non meminit; hic certè se sufficienter ad gratiam disponit in communi sententia, & non alia ratione, nisi quia formalis illa detestatio de vno peccato, virtualiter, & in voto est de omnibus, quæ memoriæ non occurrunt; ergò à pari quando intellectus ob aliquod impedimentum in prædictis casibus non proponit voluntati futuram vitam, sola detestatio peccati commissi sufficiens erit dispositio ad iustificationem, eo quod implicitè contineat propositum amplius non peccandi. Et quidem omninò irrationabiliter Hiqueus *loc. cit.* prædictorum casuum possibilitatem negare videtur, quis enim negat posse contingere, aliquem peccatorem subita sic morte præueniri posse, vt recordari quidem possit peccatorum commissorum, & de eis dolentem, & clementem, *Domine miserere*, moriatur, antequam de futuro aliquid cogitare, & statuere potuerit; planè casus iste est possibilis, & etiam de facto contingit; Et quidem valdè durum, & inhumanum esset dicere, quod iste venia carebit, & damnabitur, neminem enim Deus quod est in se facientem deserit, & sub ipso mortis articulo cunctis ad se conuersis veniam impartitur.

In oppositum vrgent Hiqueus, & Brancatus *loc. cit.* quia distinctio illa de proposito virtuali, & formali infert doctrinæ Conciliorum, & Patrum superfluitatem, & negationem, & certè in Tridentino non habet locum, quia propositum virtuale nihil aliud est, quàm odium ipsum, & detestatio peccati, seu contritio formalis, & perfecta; Sed præter odium, & detestationem peccati exigit Concilium, & Patres propositum, tanquam omninò diuersum, vt patet ex particulis copulatiuis, & comulatiuis eius, quod ex integro requiritur; ergo non intelligunt propositum virtuale, sed formale. 114

Confirmatur, quia in actu detestandi peccatum, quatenus offensa Dei, non continetur virtualiter decretum, quo dicat voluntas, nolo in futurum iterum peccarem, neq; volitio peccandi in futurum repugnat cum nolitione, aut detestatione peccati præteriti; ergo detestatio peccati præteriti nequit dici propositum virtuale non peccandi in posterum; consequentia patet, probatur assumptum, quia in detestationi ludi verb.gr. venationis, crapulæ &c. non continetur virtualiter decretum de non ludendo, de non venando, de non crapulando in futurum, neque cum odio crapulæ præteritæ repugnat nolitio crapulæ futuræ, aut venationis; ergò neque cum detestatione peccati præteriti repugnat volitio peccati futuri ergò cùm dicit Concilium contritionem esse detestationem cum proposito, non potest glossari de proposito virtuali, sed debet intelligi de formali, & de aliqua alia entitate diuersa à detestatione; Demum, votum confitendi, & satisfaciendi, quod idem Concilium requirit in contritione, quæ iustificat extra sacramentum, non potest explicari, aut saluari per votum virtuale, neque votum baptismi in non potente habere illum; ergo neque propositum non peccandi de cætero, consequentia patet, probatur assumptum, nam intuitu voti sacramenti datur remissio peccati in contritione, sacramen-

mentum autem nisi sit explicitè volitum, nihil operatur; ergo votum eius debet esse formale, alioquin non esset magis votum sacramenti pœnitentiæ, quàm extremæ vnctionis, quia nullus actus non respiciens explicitè sacramentum penitentiæ, sed implicitè, dari potest, qui non possit dici implicitè voluntas aliorum sacramentorum, & bonorum omnium.

115 Respondeo primò, Concilia, & Patres meritò ad contritionem requirere propositum de cætero non peccandi, vt quid ab ea diuersum, quia hoc regulariter, & ferè semper in iustificatione peccatoris interuenit, nec declarare curarunt, an hoc requiratur essentialiter, an potiùs connaturaliter, & nùm possint interdum separari, an non; cùm enim doctrinam tradant de rebus ad salutem necessarijs, ea tantùm docent, quæ regulariter vera sunt, & certa moraliter. Addo etiam neque ipsam Tridentini auctoritatem esse necessariò interpretandam de proposito formali, sed satis benè etiam intelligi posse de proposito formali, & virtuali; idque probari potest, vt hic Aretinus aduertit, ex consimili auctoritate Trident. *sess.6. c.4.* vbi dicitur baptismum ad iustificationem esse necessarium, vel baptismi votum, quod tamen non intelligitur de voto explicito præcisè, sed de explicito, vel implicito, vt patet ex D.Thoma 3.*p*.q.69 *art.4. ad* 2. vbi dicit remissionem peccatorum aliquem consequi antè baptismum, secundum quod habet baptismum in voto explicitè, vel implicitè; quamuis igitur Tridentinum dicat esse necessarium propositum non peccandi de cætero, optimè intelligi potest de proposito formali, vel virtuali, explicito, vel implicito.

Ad Confirmationem negatur assumptum, & ad probationem negatur paritas, quia dolor de peccatis commissis propter offensam Dei est odium quoddam, & abominatio in genere omnium peccatorum, cum qua non stat complacentia, aut voluntas alicuius peccati; & talis detestatio, vt dicebamus separat cor ab affectu peccati, non tantùm præteriti, sed etiam absolutè sumpti, prout est indifferens ad præsens, præteritum, & futurum, atque ideò saltem implicitè imbibit propositum peccata vitandi etiam in futurum; quod dici nequit de detestatione ludi, venationis, & crapulæ, & ideò neganda est illa paritas, & consequentia indè deducta. Ad vltimum negatur assumptum, vt mox patebit, vt etiam de voto baptismi dictum est *disp.2. de Baptismo q.7. art.1. nu.* 172. ad probationem negatur intuitu sacramenti in voto dari remissionem peccati in contritione, nam remissio peccati datur intuitu contritionis, vt hac tamen circumstantia voti sacramentalis affecta est, itaut ipsa remissio contritioni correspondet, licet non sine sacramenti voto, quod non per modum causæ requiritur, sed per modum circumstantiæ, vt ad verbum docet Tridentinum *sess.14. c.4.* & falsum omninò est sacramenta gratiam conferre in voto tantum suscepta, vt diximus *disp.1. de Sacramenti in genere q.10. art.1.* Quomodo autem adhuc stante hac doctrina sit illud votum virtuale magis sacramenti pœnitentiæ, quàm extremæ vnctionis, & aliorum bonorum, patet ex dictis in simili de Baptismo *q.7. cit. art.1. n.175.* vbi declaratum est, quarè sit magis necessarius baptismus in voto, quam aliorum præceptorum obseruatio, & cur magis dicatur homo per baptismum in voto etiam virtuali iustificari, quàm per quæcunque alia præcepta in voto, quod etiam adhuc magis declarabitur posteà in proposito de pœnitentia.

Tandem arguunt alij, quod principalis finis pœnitentiæ est emendatio vitæ; ergò in ea principalius includitur propositum vitæ melioris; ergo sicut in ea detestatio vitæ prioris includitur formaliter, ità & propositum vitæ melioris. Accedit, quod perfecta pœnitentia includit recessum à malo per detestationem vitæ prioris, & accessum ad bonum per desiderium, & propositum vitæ melioris; ad hoc autem necessariò requiritur formale decretum, quo dicat voluntas, nolo in futurum peccare, sed præcepta Dei seruare Denique ad contritionem necessarius est actus dilectionis Dei super omnia; sed hic haberi nequit sine proposito formali vitandi omnia peccata mortalia, ergo &c.

116 Respondeo primò negando antecedens, finis enim præcipuus pœnitentiæ detestatiuæ est delere peccatum commissum, & satisfacere Deo aliquatenus pro eo; Deindè concesso etiam pœnitentiam æquè principaliter respicere detestationem vitæ præteritæ, atque emendationem futuræ; negatur tamen vtramque proximè respici, nam retractatio vitæ præteritæ respicitur proximè, emendatio verò futuræ remotè, quo fit vt potiùs detestatio præteritæ requiratur expressè, quàm propositum futuræ; quia potest remotum virtualiter intendi in proximo, non è contrà. Ad Confirmationem negatur minor, non enim est essentiale contritioni, vt semper ad bonum accedat per propositum formale, sufficit enim interdum, si ad illud accedat per propositum tantùm virtuale. Ad vltimum, potest primò negari antecedens absolutè sumptum, falsum est enim ad veram contritionem requiri semper formalem actum amoris Dei, nam perfic. etiam potest interdum simplici actu detestationis ex motiuo iustitiæ elicito, qui virtualiter, & in voto amorem includat, vt patet ex dictis art. præced. n.92. Et concesso etiam ad contritionem semper necessariò requiri actum dilectionis Dei, super omnia, adeo quod sine illo vera peccatorum detestatio haberi non possit, adhuc tamen non sequitur formale propositum cauendi peccata esse pariter necessarium, quia potest etiam interdum sufficere solum virtuale in tali actu inclusum.

ARTICVLVS TERTIVS.

Cætera ad contritionem requisita declarantur.

SEptimò vlterius quæritur, An votum, seù propositum sacramenti penitentiæ, seù confessionis ad contritionem requisitum, vt sit proxima, & vltima dispositio ad iustificationem, ex Trident. *sess.6. c.14.* & *sess.14. c.4.* debeat esse semper explicitum, & formale, an interdum sufficiat etiam implicitum, & virtuale. Recentiores communiter affirmant sufficere virtuale, & implicitum, de quo putant Trid. esse locutum *loc. cit.* quia ibi loquitur de sacramenti voto, quod in ipsa contritione includitur, non includitur autem, nisi virtualiter. Alij verò è contrà dicunt votum sacramenti pœnitentiæ non sufficere, si sit implicitum, sed semper explicitum esse debere, & actum ab ipsa contritione distinctum, ità præsertim ex nostris Brancatus *disp.8. art.15.* 117

Dicendum tamen est per se, & regulariter loquendo tale votum esse debere formale, & explicitum; per accidens tamen, & in aliquo casu implicitum, & virtuale sufficere posse, vt in præcedenti quæsito dictum est de proposito non peccandi in posterum. Conclusio quoad primam partem deducitur ex Scoto 4. *dist.17. q. vnic.* in solutione principalium ad auctoritatem Augustini, & Cassiodori, vbi dicit contritioni annexum esse votum confitendi, nec deleri peccatum per contritionem sine proposito confessionis, & loquitur de voto explicito, & formali, vt patet legenti textum, & ibi notat Hiqueus; & expressè etiam deducitur ex Concil. cit. vbi votum sacramenti requirit, tanquam aliquid ab ipsa contritione distinctum, & non tantùm, vt virtualiter in ipso contritionis actu inclusum, vt Vasquez interpretatur 3.*p*.q.84. *art.5. dub. vn.* ità habetur *sess.6. c.14.* vbi loquens de pœnitentia hominis Christiani post lapsum inquit, *ea contineri non modò cessationem à peccatis, & eorum detestationem, aut cor contritum, & humiliatum, verùm etiam eorundem sacramentalem confessionem saltem in voto, & suo tempore faciendam*, hi autem actus sunt diuersi, & tanquam diuersi numerantur; ergo sensus Concilij est, quod regulariter loquendo tale votum sacramenti pœnitentiæ debeat esse expressum, & formale, & fieri debeat per actum ab ipso actu contritionis diuersum.

Confirmatur ratione ipsius Doctoris *dist.17. q. vn.* quia si de peccatis post baptismum commissis haberi posset iustificatio per solum contritionis actum absque sacramento in re suscepto, vel saltem in voto suscipiendo per actum expressum; frustrà institutum eset pœnitentiæ sacramentum; sufficeret enim hominem conari, vt cum Dei auxilio conteratur absque vlla sacramenti pœnitentiæ memoria; neque verificaretur, quomodo esset secunda tabula post naufragium, si portus haberi posset à naufragio securus post baptismum absque eo penitus recogitato; ergo ex institutione sacramenti pœnitentiæ ad finem peccata delendi post baptismum commissa oritur hæc obligatio voti saltem pœnitentiæ, & quidem formalis, & expliciti regulariter, & per se loquendo, vt iustificatio habeatur de peccatis post baptismum commissis; idem quoque docet D. Bonau. 1. *part.* eiusdem *d.17. art.1. quæst.4.* vbi asserit neminem iustificari posse absque sacramento confessionis saltem in voto, & loqui- 118

loquitur de voto explicito, & sic explicat plures Sanctorum auctoritates docentium neminem sine confessione iustificari posse, & sic etiam discurrunt Alensis 4. *part. quæst.* 8. *memb.* 2. *art.* 1. & D. Thomas 3. *p. q.* 86. *art.* 6. Magister *d.* 17. *cap.* 2. & alij Antiquiores, apud quos non ita familiaris fuit distinctio voti formalis, & virtualis, sicut est apud Recentiores.

118 Quod autem per accidens, & in aliquo casu sufficiat aliquando votum confusum, & implicitum sacramenti pœnitentiæ, quæ erat altera pars conclusionis, v.g. in casu ignorantiæ, quando est defectus instructionis, qui casus contingere potest etiam frequenter in ijs, qui minus sunt instructi, concedunt Recentiores passim, & ex nostris Hiqueus *d.* 17. *q. vn. n.* 112. & probatur, quia hoc satis congruum videtur diuinæ misericordiæ, & infirmitati nostræ, & tale propositum re vera sufficit, vt verè peccatum remitti dicatur in ordine ad claues; ergo aliud non requiritur; consequentia probatur; quia aliàs facienti quod in se est ex fide, & gratia Deus deesset; hic autem in tali casu aliud præstare nequit ex impedimento supposito defectus sufficientis instructionis, quamuis habeat bonam voluntatem, & perfectum dolorem de peccatis commissis, ergo &c. Imò hoc adeò verum est, vt etiam Brancatus ipse *disp.* 8. *cit. art.* 15. in fine id affirmare sit coactus, vbi inquit, quod sicut carenti copia baptizantis, vt saluetur, non sufficit, si habeat voluntatem seruandi mandata Dei, sed requiritur votum expressum baptismi, dummodò eius habeat notitiam, si peccator post baptismi indiget pœnitentiæ sacramento, vel in re, vel in voto; quibus verbis fatetur necessitatem huius voti expressi militare solum extrà casum ignorantiæ, quando non est defectus sufficientis instructionis; quod benè dictum est, sed non satis consequenter ad ea, quæ dixit de necessitate baptismi *disp.* 13. *art.* 5. vbi vniuersaliter contendit, & sine vlla exceptione tale votum baptismi pro remissione peccatorum antè illud commissorum media contritione, esse debere semper formale, & explicitum, quod asserrum reiecimus *disp.* 2. *de Baptismo q.* 7. *art.* 1. Et quemadmodum ibi diximus, quod sicut carens notitia baptismi excusatur ab expresso eius voto propter ignorantiam, ità eiusdem notitiam habens propter actualem inconsiderationem ab eiusdem voti expressione poterit excusari; fieri enim potest, vt aliquis nihil de baptismo cogitans ad contemplationem diuinæ bonitatis, & suorum peccatorum detestationem subitò excitetur, & ex illa consideratione ad veram Dei dilectionem, & contritionem moueatur, in quo planè casu absque expresso baptismi voto vtique iustificabitur; sic inquam, pariter in proposito discurrendum erit de voto sacramenti pœnitentiæ seruata proportione.

Sed Contrà hoc pluribus instat Brancatus *loc. cit.* quæ omnia ad hoc reducuntur, quod votum virtuale, & implicitum in prædictis casibus sacramenti pœnitentiæ, seù confessionis aliud importare non potest, quàm propositum in generali seruandi præcepta, sub quibus comprehenditur obligatio confessionis faciendæ; at sic explicando votum implicitum confessionis, non magis necessarium esset sacramentum pœnitentiæ in voto ad hominem iustificandum media contritione, quàm voluntas abstinendi à furto, fornicatione, crapula &c. neque hoc esset speciale priuilegium sacramenti pœnitentiæ pro remissione peccatorum post baptismum commissorum, neque baptismi pro remissione delictorum antè illud commissorum; cum ergo Concilium dicit contritionem Deo reconciliare peccatorem, si annexum habeat confessionis votum, iam tale votum à Concilio requisitum non erit votum, illud implicitum inclusum in voluntate generali obseruandi mandata, sed erit formale, & explicitum ipsius Confessionis faciendæ tempore opportuno.

119 Respondeo hanc difficultatem iam fuisse solutam *disp.* 2. *de Baptismo quæst.* 7. *num.* 175. in simili de necessitate voti baptismi pro remissione peccatorum ante illud commissorum medio contritionis actu; falsum enim est votum virtuale, & implicitum sacramenti pœnitentiæ in prædictis casibus importare solùm propositum in genere seruandi mandata; sic enim vtique sequeretur, quod non magis dici deberet homo iustificari per sacramentum baptismi, vel pœnitentiæ in voto, quàm per voluntatem restituendi, ieiunandi, non fornicandi, &c. Sed hoc votum virtuale, & implicitum sacramenti baptismi, vel pœnitentiæ debet explicari per hoc, quod pœnitens in prædictis casibus voluntatem habeat adhibendi media necessaria, vel quæ ordinata sunt in remedium peccati antè, vel post baptismum commissi, quamuis in specie tale esse ignoret in casu ignorantiæ, & insufficientis instructionis, vel defectu temporis illa recogitandi in casu scientiæ, & sufficientis instructionis; Vndè homo speciali quadam ratione dicitur media contritione iustificari potius per sacramentum baptismi, vel pœnitentiæ in voto, quam per votum cuiuscunque alterius præcepti, vt restituendi, ieiunandi, &c. quia Baptismus, & Pœnitentia non solum instituta sunt, tanquam necessaria ad iustificationem sola necessitate præcepti, sed etiam necessitate medij, vt dictum est *disp.* 1. de sacramentis in genere, hoc est, tanquam media per se ad salutem ordinata; & quia votum, seù voluntas, & propositum fertur in vnumquodque obiectum, sicut est, siuè sit formaliter volitum, & explicitè, siuè virtualiter solùm, & implicitè; ideò in baptismum, & pœnitentiam fertur, non solùm tanquam imposita, & statuta sub obligatione præcepti, sed præsertim tanquam media specialiter instituta pro peccatorum remissione antè, vel post baptismum commissorum; & hac de causa dicitur homo specialiter iustificari per contritionem cum voto sacramenti baptismi, vel pœnitentiæ potiùs, quàm per votum restitutionis, vel alterius præcepti; & nota Brancatum quoque ad huius argumenti solutionem teneri quod inter Recentiores est valdè tritum, cùm & ipse concedat saltem in casu ignorantiæ sufficere votum implicitum sacramenti, vt suprà dictum est.

Concludendum igitur est, quod contritio non sit perfecta, neque sufficiens dispositio ad iustificationem sine voto sacramenti pœnitentiæ formali, vel saltem virtuali modo iam explicato; & ratio est, quia contritio est perfecta peccati detestatio, & voluntas efficax, qua illud destruitur, atque ideò abstrahere non potest à medijs à Deo ordinatis ad eius destructionem; Neque dicas ipsam contritionem esse tale medium, absque ordine ad sacramentum pœnitentiæ saltem in voto, hoc enim omninò falsum est, & contrà Concilia, & Patres dicentes, quod contritio sine ordine ad claues peccata non remittit, hic autem ordo ad sacramentum est ipsum sacramenti votum formale, vel saltem virtuale. 120

Dices, contritio in lege veteri siuè naturæ, siuè Moysi haberi potuit, vt dispositio sufficiens ad iustificationem sine tali voluntate; ergo & nunc in lege Euangelica, alioquin contritionis actus esset nunc deterioris conditionis, quàm tunc fuerit, quia nunc pluribus indigeret, vt sit sufficiens dispositio ad iustificationem.

Respondeo negando consequentiam cum eius probatione, quia in lege Euangelica ordinata sunt media sensibilia, & certa, ad quæ homo ex cura suæ salutis necessariò tenetur, & quibus subordinatur contritio; vndè tantum abest, vt contritio sit nunc deterioris conditionis, quàm fuerit anteà in lege veteri, quod modò maioris sit valoris sine comparatione, & maioris efficaciæ, quia nemini potest esse certum, si veram habeat contritionem, efficacia autem sacramenti est certa fide diuina, vndè per ordinem ad sacramenta maiorem sumit valorem, & certitudinem; Tùm quia contritio non habet efficaciam remittendi peccata per modum dispositionis physicæ, & ex natura rei, sed tantùm per modum dispositionis moralis, inquantùm acceptatur à Deo vt dictum est *disp.* de Iustificatione: Deus autem institutis iam alijs remedijs in lege Euangelica non acceptat eam de facto, nisi cum ordine ad sacramentum baptismi, vel pœnitentiæ, quibus applicatus est valor meritorum Christi, vt Canones, & Concilia definiunt.

Octauò quæritur, An contritio necessariò cadat super omnia peccata memoriæ præsentia, vel possit esse tantùm de aliquo. Affirmant aliqui dari posse veram pœnitentiam formaliter de vno peccato, & non de alijs, quæ vtilis, & fructuosa sit, itaut per talem actum consequatur fructum pœnitentiæ, qui est remissio omnium peccatorum; ità Io. Medina *tract.* 1. *de pœnitentia quæst.* 12. *part.* 2. Fundamentum est, quia potest dari aliquis actus pœnitentiæ bonus, & laudabilis de vno peccato, qui per se, & intrinsecè nec formaliter; nec virtualiter sit de alijs peccatis; non enim repugnat peccatorem moueri ad detestandum vnum peccatum propter peculiarem oppositionem cum aliquo attributo, & perfectione diuina, non detestando simul cætera v.g. motus ex peculiari affectu ergà sanctitatem diuinam dete- 121

detestari potest peccatum blasphemiæ propter peculiarem oppositionem, quam cum tali habet attributo, non detestando reliqua peccata intemperantiæ, vel iniustitiæ contrà proximum, quæ contrà sanctitatem diuinam talem peculiarem oppositionem non habent, & in hoc planè nulla apparet repugnantia, Quod autem talis actus sit charitatis actus ergà Deum, licet imperfectus, & inadæquatus, ex eo constat, quia pro motiuo formali habet ipsam increatam Dei sanctitatem, ob quam immediatè mouetur ad detestandum blasphemiæ peccatum, vt peculiariter huic diuinæ perfectioni oppositum; ergo talis actus est bonus, & laudabilis, & potest esse supernaturalis, sicut actus aliarum virtutum; quamuis enim talis actus per se non includat dolorem de alijs peccatis, siuè voluntatem seruandi alia præcepta, tamen neque ex vi sua excludit, quod sufficit, vt per se sit bonus.

122 Dicendum tamen est contritionem, quæ est vera, & perfecta pœnitentia in Scripturis iniuncta pro peccatorum remissione, esse debere adæquatam de omnibus peccatis mortalibus formaliter, vel saltem virtualiter, nec posse vnum mortale detestari, quin simul alia commissa detestetur. Hæc est communis sententia, quæ expresśè deducitur ex Scripturis, quibus de omnibus peccatis pœnitentia indicitur, vt patet ex illo Ezechiel. 18. *Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus suis*. Patet etiam ratione, quia contritio, vt talis detestatur peccata propter Deum vltimum finem super omnia dilectum, vt constat ex dictis; ergo implicat, vt detestetur vnum peccatum mortale, quin simul detestetur omnia memoriæ præsentia saltem virtualiter, & penitus excludat complacentiam de aliquo alio peccato.

Consequentia patet, quia si per contritionem homo detestatur peccatum, iam eo ipso implicat cum contritione retinere affectum, & complacentiam ad aliquod peccatum mortale; nam hoc ipso non detestaretur peccatum propter Deum super omnia dilectum, siquidem non detestaretur illud propter Deum dilectum suprà illam creaturam, cuius complacentiam, & affectum præferret complacentiæ, & dilectioni Dei. Vt ergo contritio sit sufficiens dispositio ad iustificationem, si sit expresśè, & formaliter de vno solo peccato, debet saltem virtualiter esse de omnibus alijs, quod tunc contingit, si sit sub motiuo generali, quatenus communi omnibus peccatis; potest enim quis de aliquo peccato dolere considerans illud, vt offensa Dei, itaut moueatur formaliter hac ratione detestabilitatis secundum se spectata, vndè cùm alia quoque peccata sint malum, & offensa Dei, hæc pœnitentia saltem virtualiter cætera quoque complectitur peccata, estque talis, vt prorsus excludat complacentiam, aut voluntatem de alijs peccatis; dùm enim quis de aliquo certo peccato dolet absolutè, inquantum per illud Deum offendit, vel pœnam æternam meruit, non potest simul de alio peccato complacentiam habere, quod cognoscit pariter offensam Dei esse, & pœnam æternam mereri.

123 Hinc patet ad fundamentum oppositæ sententiæ, nam actus quo peccator vnum peccatum mortale detestatur, vt specialiter alicui diuino attributo oppositum, cùm sit ex particulari motiuo cuiusdam certæ virtutis, quia peccatum ver. g. fuit infidelitatis, vel sacrilegij, non est dolor alia diuersa peccata virtualiter complectens, quinimò ex sui ratione videtur posse secum admittere complacentiam de aliquo alio peccato, & voluntatem, v. g. fornicandi, & ideò non est censendus sufficiens dispositione quidem cum sacramento ad iustificationem; quoniam ad iustificationem etiam in sacramento requiritur ex parte peccatoris actus efficaciter reconciliatiuus cum Deo; talis autem actus non est efficaciter reconciliatiuus, quia non excludit affectum ad peccatum, quam voluntatis à peccato exclusionem etiam in ipsa attritione requirit Tridentinum *sess.* 14. *capit.* 4. vt sit sufficiens dispositio cum sacramento pœnitentiæ ad gratiam consequendam. Fatendum igitur est contritionem circà omnia peccata memoriæ præsentia versari debere saltem in confuso, itaut nullum positiuè excludat, quia cum sit vltima dispositio ad gratiam, & gratia cum vllo peccato mortali consistere nequeat, necesse est omnia peccata mortalia simul per contritionem tolli, non quidem formaliter, quia hoc fit per gratiam, sed dispositiuè.

124 Nonò quæritur, An ad contritionem requiratur, vt sic de singulis peccatis distinctè, itaut de singulis mortalibus culpis debeat esse singularis contritio. Affirmant aliqui de singulis peccatis memoriæ præsentibus singulas esse contritiones habendas, & per distinctos doloris actus; ità significant Syluester verbo *Contritio num.* 5. Angelus num. 4. pro qua sententia Soto 4. *d.* 17. *qu.* 3. refert Alensem, Ricardum, Durandum, & Paludanum, quamuis alij negent talem sententiam ab his Auctoribus expresśè doceri. Fundamentum est, quia magis tenemur ad habendam contritionem, quàm confessionem de peccatis, quoniam à contritione nulla excusat necessitas; sed tenemur omnia; & singula peccata in particulari confiteri; ergo & de omnibus, & singulis conteri; eundem enim modum debemus interius per contritionem habere, quem foris per confessionem gerimus, quia confessio est signum interioris doloris.

Confirmatur, nam graues morbi speciales requirunt medicinas, ergò & graues culpæ speciales possunt detestationes. Demum ità quoque docet Cathechismus de sacramento pænitentiæ §. *Maximè autem*.

Dicendum tamen est, ad veram contritionem, quæ sit sufficiens dispositio, siuè intrà, siuè extrà sacramentum, non requiri, vt vnicuique peccato mortali sua respondeat specialis detestatio, siuè per vnum, siuè per diuersos actus, sed sufficere pœnitentiam de omnibus peccatis commissis in confuso, & in generali. Ità Scotus 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. §. *ex hoc patet lit. G.* vbi dicit, quod vna contritio in specie potest competere pluribus in specie peccatis, & quod vna in numero est sufficiens sub vna generali ratione de pluribus numero, & paulò infrà §. *de quinto articulo* asserit sufficere contritionem expressam de vno, quæ habitualiter, seù virtualiter extendatur ad reliqua idem tenet ibidem Hiqueus in Commentario, Aretinus *qu.* 3. *art.* 7. *d.* 14. Faber de Pœnit. *disp.* 16. *cap.* 2. & Recentiores omnes Suarez *disp.* 4. *de pœnit. sec.* 6. Vasquez 3. *qu.* 86. *art.* 2. *dub.* 7. Amicus *disp.* 4. *sect.* 6. Auersa *q.* 2. *sect.* 9. Coninch. *disp.* 2. *dub.* 8. qui alios Summistas citant. Probatur autem, quia ex Scriptura hoc non habetur, sed potiùs oppositum, vt patet ex loco Ezech. adducto *si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus suis, &c.* vbi de omnibus peccatis pęnitentia in singulari exigitur, & non pęnitentia; sic etiam nullum Concilium sanciuit, vt de multis peccatis multæ habeantur contritiones, sed ad peccata delenda dicunt contritionem sufficere sine sacramento in re, sed solùm in voto, vel attritionem cum sacramento, & non exigunt attritiones, vel contritiones in plurali; Vndè perfecta contritio ad deletionem peccatorum requisita non coalescit ex pluribus actibus singulis peccatis correspondentibus, neque est illorum simul collectio, sed est simplex voluntatis motus omnia peccata respiciens in generali, & sic illa detestans. 125

Dices cum Brãcato nostro *disp.* 8. *art.* 10. & 11. quod facto conscientię examine, & omnibus peccatis ad memoriam reductis, sufficit quidem de illis omnibus vnicam habere detestationem, & vnicum contritionis actum, sed hic terminari debet ad omnia peccata, non in generali tantùm, & confusè, sed in particulari etiam, & distinctè, vt dici possit perfecta pœnitentia omnium peccatorum.

Sed neque hoc etiam benè dicitur, quia tam distincti actus detestationis, quàm vnica detestatio terminata ad singula peccata in particulari distinctè recogitata esset adhuc intollerabile onus, vel saltem nimis difficile humanis viribus, nam plures tales actus, vel vna detestatio ad singula peccata memoriæ præsentia distinctè terminata sine notabili mora haberi non possunt, ac proindè qui cœpisset cogitare, ac detestari peccata, si repentè moreretur, is non iustificaretur, quod repugnat Scripturis iustificationem peccatori contrito etiam in momento promittentibus, nam Dauid, Magdalena, & Latro in Cruce proponuntur in Scripturis iustificati in momento. 126

Confirmatur, quia licet contritio terminetur ad vnum tantùm peccatum mortale, quod occurrit, tamen propter vniuersalitatem motiui nempè Charitatis virtualiter detestatur omnia à quibus vi illius auertitur, perindè ac si singula distinctè recogitata obijcerentur. Tandem patet à pari, quia ad propositum seruandi omnia præcepta, & abstinendi ab omnibus peccatis inclusum in contritione non requiritur distincta recogitatio præceptorum, vel peccatorum; ergò neque ad contritionem requiritur detestatio, vel cogitatio distincta peccatorum; Sufficit ergo ad veram, & perfectam contritionem, quod peccator doleat de omnibus peccatis commissis in confuso, seù in generali;

dolore autem de peccatis in confuso est, quando nullo examine conscientiæ præmisso, & nullius peccati recordatus peccator habet hunc actum, pœnitet me offendisse Deum, quomodocunque hoc fecerim, cum proposito non peccandi de cætero, quod amplius etiam constabit ex quæsito sequenti.

127 Ad fundamentum oppositæ sententiæ negatur paritas de confessione, & de contritione secundum se considerata, nam ex vi institutionis huius sacramenti per modum iudicij exercendi tenetur quidem pœnitens distinctè recogitare, & in memoria sibi reducere sua peccata ad hoc; vt ea confiteatur; non tamen singillatim distinctos actus doloris elicere, aut vnum detestationis actum ad singula distinctè, & singillatim terminatum; sed satis erit vnus actus omnia complectens in generali moraliter confessioni coniunctus; & sicut in ordine ad confessionem sufficit vna contritio de omnibus confitendis, ità in ordine ad pœnitentiam vna detestatio de omnibus pœnitendis in generali.

Ad Confirmationem negatur etiam omnimoda paritas de morbis corporalibus, & spiritualibus, ad hos enim sufficit vna medicina efficax qualis in proposito ex institutione diuina est contritio de omnibus in genere sub ratione offensæ, frustrà enim fit per plura, quod per vnum fieri potest. Ad vltimum Catechismus illud tantùm suadet, vt quid perfectius, non autem præcipit, vt necessarium, vt constat ex eius verbis, *Hortandi, & monendi sunt, &c.*

Dices, si de peccatis singulis non datur singulæ contritiones, non commensuraretur contritio grauitati peccatorum, quorum alia grauiora sunt alijs.

Respondeo non aliam requiri commensurationem, quàm quod contritio auertat à creatura, & conuertat ad Deum, sicut peccatum auerterat à Deo, & conuerterat ad creaturam; Et quidem si argumentum valeret, probaret etiam eliciendos esse plures doloris, aut contritionis actus magis, vel minus intensos pro numero, & diuersitate peccatorum, quod neque Aduersarij volunt.

128 Decimò tandem quæritur, an contritio de pluribus peccatis simul requirat distinctam eorum cogitationem, seu an esse debeat de omnibus mortalibus distinctè recogitatis, an tantùm confusè cognitis. Affirmant aliqui contritionem plurium peccatorum specie diuersorum requirere cogitationem illorum distinctam, confusam verò, & in generali nullo modo sufficere; ità præsertim ex nostris Brancatus *disp.* 8. *art.* 11. quod pluribus ibi probare contendit, quæ fuit opinio Cani, Soti, & Medinæ, vt refert Suarez *sec.* 6. quod probant primo ex Scriptura, quæ videtur requirere saltem distinctam recogitationem omnium peccatorum. Psal. 76. *cogitaui dies antiquos* &c. *exercitabar, & scopebam spiritum meum*, Isaiæ 38. *Recogitabo tibi annos meos*, sic etiam Patres docuisse videntur, præsertim verò Chrisostomus *hom.* 9. ad Hebræos circà finem, vbi inquit, *si quis recognascat se peccasse, & non ad singulas species descendat, nunquam cessabit.*

Confirmat Brancatus ratione, quia talis debet esse cognitio peccatorum præcedens contritionem, qualis debet sufficere ad confessionem; sed ad hanc non sufficit confusa cognitio peccatorum, ergò neque ad eam; minor patet, probatur maior, quia contritioni competit gratiæ collatio, & peccatorum remissio, quatenus habet votum confessionis; ergo eorum cogitatio talis esse debet, qualis ad confessionem requiritur, adeout contritus peccatorum suorum confessionem facere possit absque alia recogitatione; Tùm quia contritio sola absque sacramento facit idem, quod sacramentum, ergo requirit eas dispositiones, imò maiores, quas requirit sacramentum. Tum quia ad plus obligarentur homines in noua, quàm in veteri lege, vndè non esset mitior. Tandem arguit, quia nedùm ratio generica peccati est mala, sed etiam specifica, atque ideò vtraque est detestabilis; igitur nisi distinctè singula cognoscantur peccata sub proprijs rationibus specificis, non erit sufficiens detestatio, qualis ad contritionem requiritur, quia sine sufficienti cognitione; Neque valet distinctio *de confusè* &c. quia sicut ratio differentialis non continetur in genere vllo modo, sed aduenit illi; ita cognoscens præcisè genus neque distinctè, neque confusè cognoscit differentias; & ait Brancatus hanc esse opinionem Doctoris *4. dist.* 17. *quæst. vn. M.* vbi docet faciendam esse inquisitionem possibilem fragilitati humanæ ad recogitandum peccata.

129 Dicendum tamen est, ad valorem contritionis extrà sacramentum non necessariò requiri examen, & recogitationem explicitam singulorum peccatorum in particulari, sed sufficit vt homo feratur omnia formaliter, & actu expresso de illis dolenda in generali. Ità Scotistæ omnes, & Recentiores citati pro conclusione præcedenti, ex qua ista quoque necessariò sequitur; si enim semper opus esset ad iustificationem media contritionem consequendam singula peccata sua in specie, & numero recolere, peccator ad mortem illicò raptus non posset iustificari, & passim contingere posset quempiam ad talem terminum deuenire vt de peccatis suis inciperet distinctæ recogitare, & pœnitere, sed quia non haberet spatium omnia percurrendi, non posset iustificari, quod est contrà valorem virtutis pœnitentiæ communiter à Patribus eductum; & quidem constat in mortis articulo quando perfectior notitia peccatorem haberi non posset, tali pœnitenti posse absolutionem impendi; & planè incredibile est Magdalenam, Latronem in Cruce, vel alios similes peccatores ita in speciali species, & numerum peccatorum suorum, priusquam iustificarentur, recogitasse; ergo signum est dolorem de peccatis confusè consideratis posse sortiri rationem contritionis; si in peccatum feratur sub contritionis motiuo; potest enim ex confusa consideratione vitæ præteritæ dolere propter Deum summè dilectum, ac firmiter proponere vitæ emendationem, quamuis nullum peccatum in particulari consideret.

Confirmatur, quia dolere de singulis peccatis in specie est dolere de quolibet quoad malitiam in specie, quam includit vt distinctum à cæteris, & vt opponitur tali in specie virtutis; at hoc ad veram contritionem necessarium non est, quia vt tradit Trident. *sess.* 6. *cap.* 6. sufficit dolere de ipsis ex motiuo charitatis, quia sunt offensa Dei, & eius amicitię opponuntur. Tandem ex hoc sequeretur hominem teneri ad tot actus doloris, & contritionis in specie, quot sunt peccata in specie, quod nec etiam Brancatus ipse concedit; consequentia patet, quia repugnaret ità de ipsius dolere, nisi ex motiuo diuersarum virtutum, quæ specie, & genere variantur, & ideò varios, & diuersos requirunt actus.

Sufficit ergo in genere summè dolere de peccatis, quibus Deum offendimus, neque opus est voluntatem pœnitentis ad singula reflectere, sed sufficit, vt dolor virtute extendatur ad omnia, & habeat firmum propositum Deum non offendendi de cætero, imò quædam peccata sunt, in quibus non expedit ob periculum diù inhærere meditando, Quando autem dicimus ad contritionem sufficere de peccatis in genere recogitatis dolere, vt sunt offensa Dei, non est sensus, quod cogitare sufficiat de peccato præcisè sumpto, quatenus malum quoddam, seu offensa Dei est, sed necesse est cogitare de peccato, quatenus à nobis commissum est alioquin de illo contritio esse non posset, sed tantùm simplex odium, aut displicentia. Ex quibus infertur veram contritionem, quæ iustificat extrà sacramentum, non requirere cognitionem, aut examen singulorum peccatorum in particulari neque necessitate medij, neque præcepti; non quidem medij, quia qui non habet tempus cogitandi de singulis peccatis, iustificari potest sua peccata detestandi in communi, vt dictum est; nec etiam necessitate præcepti, quia si potest haberi vera contritio sine examine sic distincto; iam satisfieri potest præcepto cotritionis sine tali examine, nam præceptum contritionis per se non potest vlterius obligare, quam ad veram contritionem; vera autem contritio potest haberi sine tali distincto examine; vndè sequitur satis esse, si quis de omnibus peccatis suis doleat, quæ occurrunt, & nullum habeat affectum circa aliquod peccatum in particulari. 130

Addendum tamen est interdum ad aliquas obligationes implendas necessariam esse distinctam peccatorum recogitationem, vt v.g. si adhibenda sint aliqua remedia, si vitandæ sint occasiones, si faciendæ restitutiones &c. & præsertim particulare singulorum moralium examen necessarium est propter confessionem faciendam, quia hæc debet fieri de singulis peccatis in particulari, ac proindè singulare examen requirit de illis, cùm absolutio à peccatis mediante sacramento dari debeat per modum iudicij vt infra dicemur; vndè quando hic quæritur, an ad veram contritionem requiratur distincta recogitatio omnium peccatorum, non potest hoc dupliciter intelligi; primò an contritio extrà sacramentum cognitionem requirat de singulis 131

pec-

peccatis mortalibus, vt homo possit iustificari, seù an ea cognitio de singulis peccatis requiratur ex speciali præcepto contritionis; & dicimus non requiri; Secundò intelligi potest, an contritio requirat talem peccatorum cognitionem, in ordine ad confessionem, seù ex speciali præcepto confessionis; & hoc omninò negari non potest, vndè si aliqui Patres; & antiquiores Theologi contrariæ sententiæ fauere videantur, certè loquuntur de examine, & cogitatione in ordine ad confessionem, non autem in ordine ad valorem contritionis extrà sacramentum; per quod tamen negare non intendimus in praxi vtilissimum esse peccata singula in memoriam reuocare ad perfectiorem contritionem habendam; Et in hoc sensu locutus est Scotus 4. *d.17.q.vn. art.2. M.* cùm dicit faciendam esse inquisitionem possibilem fragilitati humanæ ad recogitanda peccata, loquitur enim in ordine ad confessionem faciendam, inquit enim, quod peccatâ sic ad memoriam reducta debet posteà confiteri; alioquin loquens *dist.15.quæst.1.§.de quinto articulo* de peccatorum recogitatione in ordine ad contritionem habendam extrà sacramentum, apertè dicit, quod non est necesse intellectum simul considerare hoc peccatum, & illud nec voluntatem pœnitere simul de hoc, & illo, sed sufficit, quod dum cogitat de vno, & pœnitet de illo promptus quoque sit cogitare, & pœnitere de alio, si sibi occurreret, vt Faber etiam notauit *disput.16.cit.cap.2.nu.55.* quem locum in vanum extorquere conatur Brancatus vbi suprà.

132 Respondent Aduersarij, rationes, adductas non valere, quia probant tantùm tale distinctum peccatorum examen non esse necessarium in casu necessitatis, quando nimirum quis morte illicò præuentus tempus non habet singula peccata recogitandi, quod ipsi quoque concedunt, cum enim dicunt esse necessarium præuium examen distinctum, loquuntur regulariter, & ordinariè, quando adest tempus, & opportunitas; Quod verò in extrema necessitate, scilicet, mortis sufficiat contritio absque distincta recogitatione, prouenit ex decreto Dei volentis cum tanta misericordia homini prouidere de remedijs, & medijs ad salutem, sicut patet de confessione in casu mortis, quæ non potest perfici, nec proindè sequitur, quod regulariter, & quando tempus adest, non debeat esse integra. Cùm ergo præceptum pœnitentiæ in Scripturis intelligi debeat de omnibus, & singulis peccatis in specie, & numero, planè hoc præceptum adimpleri non potest, nisi distinctè recogitentur, & ab intellectu voluntati proponantur omnia peccata, tanquam detestanda, quando tempus adest, & opportunitas, & hoc etiam probabilius censet Amicus *disput.4.sec.6. num.143.* quamuis oppositam quoque opinionem probabilem censeat, & practicè securam, quod ex Scripturis suprà citatis, & Patribus probare contendit.

133 Sed iam suprà notauimus præsentem controuersiam non esse de pœnitentia relata ad sacramentum confessionis, sic enim requirit examen, & distinctam recogitationem omnium peccatorum, quia confessio fit homini, qui debet pœnitentiam imponere iuxtà numerum, & qualitatem delictorum; sed controuersia est de pœnitentia secundum se, quatenus habet vim iustificandi extrà sacramentum, quomodo in omni lege necessaria fuit; si autem rationes adductæ ponderentur, probant pœnitentiam in generali de omnibus peccatis absque distincta detestatione, ac recognitione singulorum peccatorum posse esse sufficiens medium ad iustificationem, non solùm in casu necessitatis, v. gr. repentinæ mortis, sed etiam simpliciter, & absolutè loquendo, quia absolutè sufficit de singulis dolere in generali, quatenus sunt offensa Dei ex motiuo charitatis, & eius amicitiæ opponuntur ex Trident, *sess.6.cap.6.* nec est necesse dolere de quolibet quoad malitiam in specie, quam includit, vt distinctum a cæteris, & vt opponitur tali in specie virtuti; vndè opus non est recogitare, & detestari peccatum luxuriæ, quatenus tale, & quatenus oppositum virtuti castitatis, sed sufficit illud detestari, quatenus est offensa Dei ex motiuo charitatis, in qua ratione conuenit cum alijs peccatis; vndè præceptum pœnitentiæ vtique obligare intelligendum est de omnibus, & singulis peccatis; illa autem pœnitentia, qua peccator dolet de omnibus peccatis a se commissis, siuè luxuriæ, siuè iniustitiæ, verè omnia, & singula peccata complectitur, neque plus ex Scriptura deducitur.

Confirmatur, quia huiusmodi distincta pœnitentia, & recogitatio de peccatis commissis non est necessaria necessitate medij, vt probatum est, quia quando aliquid est necessarium, vt medium ex natura sua, vel institutione diuina requisitum ad aliquem actum, nequit actus sine tali medio elici, sicut quia fides est hoc modo requisita ad contritionem nequit hæc sine illa produci: omnes autem concedunt ex vi præsentis institutionis in aliquo necessitatis casu haberi posse contritionem ad iustificationem sufficientem sine distincta peccatorum recognitione, ergò hæc non est necessaria ad contritionem habendam necessitate medij. Nec etiam necessaria videtur necessitate præcepti naturalis, vel positiui, quia ex Scriptura non constat talis necessitas, aut obligatio, loca enim adducta facilè explicabimus infrà; tum quia præceptum, & obligatio pœnitentiæ circà peccata commissa non est maior, quam sit obligatio dilectionis Dei super omnia; sicut ergo dum homo tenetur Deum super omnia diligere, atque adeò velle in omnibus placere Deo diuina præcepta seruando, non tenetur distinctè, & explicitè singula percurrere, vel cogitare, sed sufficit vnus actus generalis omnia præcepta complectens, ità se habet præceptum, & obligatio pœnitentiæ circà peccata commissa. 134

Respondent Amicus *loc. cit.* non esse eandem rationem de proposito seruandi præcepta, quia ad hoc sufficit, vt feratur in præcepta confusè cognita, nam finis huius est confirmare animum ad obseruantiam diuinorum præceptorum, quod haberi potest, siuè distinctè, siuè confusè ad ea feratur; At finis detestationis peccatorum est, ea ex animo retractare, & condignam pœnam sumere; quatenus offensa Dei sunt qui finis eo perfectior habetur, quo distinctius ea cognoscuntur. Verùm sic dicendo iam fatetur, quod nos contendimus, minimè opus esse singula peccata recogitare sub specificis earum rationibus, quatenus huic, vel illi opponuntur virtuti; sed quatenus hoc, & illud peccatum offensa Dei fuit, quæ est ratio generalis, & peccatis omnibus communis, in hoc enim tantum sensu dicimus non esse necessariam distinctam de singulis peccatis commissis recogitationem, nempè sub proprijs earum rationibus specificis, nam sufficit ea recogitare sub ratione generali, quatenus sunt offensa Dei; certum enim est ex parte intellectus requiri memoriam, seù cogitationem aliquam de peccatis a se commissis, quia non sufficit cogitare de peccato præcisè sumpto, quatenus offensa Dei est, sed necesse est cogitare de peccatis, quatenus a nobis commissis in Dei offensam, licet non semper sub specificis singulorum rationibus; alioquin peccator non posset pro quocunque instanti conteri, & iustificari, quoniam ad habendam distinctam cogitatioenm omnium peccatorum sub proprijs eorum rationibus requiritur tempus, & aliqua mora, quod est contrà illud axioma, *in quacunque hora ingemuerit peccator, &c.*

Ad auctoritates pro opposita sententia adductas dicendum est, Scripturam ibi narrare, quod viri sancti, & perfecti fecerunt ad pleniorem, & vberiorem pœnitentiam, & satisfactionem, non tamen iussisse ità ab omnibus fieri debere, vndè hoc est consilium, non præceptum; & gratis omninò dicit Amicus citata testimonia plus aliquid indicare, quàm consilium; Patres quoque commendarunt quidem talem distinctam peccatorum recogitationem ad pleniorem pœnitentiæ modum, & aliquando ad obligationem confessionis in lege euangelica respexerunt; Chrysostomus autem non negat absolutè posse peccatorem iustificari per contritionem, nisi per præuium examen ad singulas peccatorum species descendat, sed solum negat perseueraturum in gratia, quia regulariter oportet propositum descendere ad particularia, vt occurrente posteà occasione seruetur, & perseueret, quæ regula apud viros spirituales satis communis est. 135

Ad rationem negatur maior, quia non eodem modo quantum ad hoc fuerunt homines in lege veteri obligati ad contritionem, sicut nunc ad confessionem, quia hæc obligatio est noua in lege euangelica; alioquin neque ex lege veteri, neque ex iure naturali talis apparet obligatio; Ad primam probationem concesso antecedente negatur consequentia, ex hoc enim, quod contritio virtutem habeat peccata remittendi, quatenus habet annexum confessionis votum, solùm sequitur pœnitentem teneri ad distinctum peccatorum examen, quando aderit opportunitas confitendi. Ad secundam probationem rursus concesso antecedente negatur consequentia, quia licet contritio extrà sacramentum maiores etiam dispositiones requirat, quàm sacramentum, ad illum effectum producendum, quia cum sacramento sufficit sola attritio; non tamen ex hoc capite distinctæ recogitationis peccatorum, sed ex alijs superius declaratis. Ad tertiam negatur

gatur

gatur consequentia, quamuis enim contritio ad sacramẽtum confessionis relata, & ad illam ordinata requirat distinctum examen omnium peccatorum, quod in antiqua lege non requirebatur ad valorem contritionis per se sumptæ; adhuc tamen suauior, & mitior est lex noua, quàm vetus, quia modò attritio sufficit cum sacraméto ad peccatorum remissionem, quæ tunc sufficiens non erat; & tunc ex opere operantis tantùm pendebat peccatorum remissio, nunc autem ex opere operato, & ex meritis Christi mediante sacramento, quod planè legem nostram facit mitiorem, & longè suauiorem veteri. Ad vltimum pariter concesso antecedente negatur consequentia, quia quando dicimus ad valorem contritionis per se consideratæ, vt sit idonea ad iustificationem dispositio, sufficere de peccatis in genere recogitatis dolere, vt sunt offensa Dei; non est sensus, quod cogitare sufficiat de peccato præcisè sumpto, quatenus malum quoddam, seù offensa Dei est, & de ratione generica peccati; certum enim est ex parte intellectus requiri memoriam, seù cogitationem aliquam de peccatis à se commissis, & necesse est cogitare de peccatis, quatenus à nobis cõmissis in Dei offensam, quia actiones sunt circà singularia, non circà vniuersalia; tamen opus est illa recogitare semper sub specificis singulorum rationibus, quas habent, vt huic, vel illi virtuti opponuntur, sed sufficit illa recogitare, vt sunt offensa Dei, in qua ratione conueniunt, & in hoc sensu dicimus sufficere examen illorum in generali, & in confuso.

QVÆSTIO SEXTA.

De actu Attritionis Pœnitentiæ imperfectæ.

136 DIximus ab initio quæstionibus precedentis attritionem esse dolorem aliquem de peccatis, qui non est tam perfectus, nec est vltima, ac proxima dispositio ad gratiam, sicut est ipsa contritio; & Scotus ipse *4. dist. 14. qu. 2. N.* & *qu. 4.* nomine attritionis intelligit actum odij, doloris, seù detestationis peccati, qui secundum se, & proximè non disponit ad gratiam sanctificantem, sed est tantùm remota dispositio, & fit proxima virtute sacramenti reipsa suscepti. Cæterum est aliqua attritio non solum insufficiens ad remissionem peccatorum per se ipsam obtinendam, hoc est absq; sacramento in re, sed etiam insufficiens cum ipso sacramento, vt si sit actus naturalis, vel non sit efficax in ordine ad peccata vitanda, quia nimirum est absq; proposito actuali, vel saltem virtuali emendandi vitam; Et de hac attritione hic non est sermo, quia hęc non est, attritio supernaturalis, quæ iuuat ad salutem, & de qua. Trid. ait *sess. 14. cap. 4.* esse donum Spiritus sancti, & includere propositum non peccandi de cætero; Sed de illa, quæ est actus supernaturalis, & ex Spiritus sancti impulsu elicitus quæ licet per seipsam ad gratiam obtinendam sit insufficiens, efficitur tamen sufficiens virtute sacramenti. Vndè etiam *loc. cit.* ab initio superioris quæstionis dicebamus, hanc attritionem supernaturalem in hoc conuenire cum contritione, quod est dolor de peccatis cum proposito emendandi vitam, & spe veniæ diuinitùs obtinendæ, nam tam attritio, quàm contritio est peccatorum detestatio, detestatio autem idem est, quod nolitio, & displicentia peccati, quæ à dolore distinguuntur, sicut causa ab effectu, & separari possunt; in Beatis enim est perfecta displicentia de peccatis sine dolore, dolor autem est effectus detestationis in subiecto doloris capaci; adhuc tamen solent Concilia, & Patres contritionem, & attritionem appellare dolorem, sumpta denominatione non ab essentia rei, sed ab effectu. Sicut autem *qu. præced.* naturam, & essentiam contritionis vestigauimus varias difficultates resoluendo, quæ de ipsa disputari solent, sic pariter in hac quæstione de attritione procedemus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quænam sint motiua Attritionis.

137 ATtritionis piæ, & Christianæ, quæ homini ad salutem prodesse potest, & de qua hic est sermo, Concilium Trid. *sess. 14. cap. 4.* duplex assignat motiuum; vnum quo concipitur ex turpitudinis peccati consideratione; alterum verò, quo concipitur ex gehennæ, & pœnarum metu; iuxtà quam doctrinam duplex erit attritio, vna oritur ex consideratione fœditatis peccati, altera ex metu gehennæ, & aliarum pœnarum, cuius diuisionis sufficientia sic explicari potest, quia infrà dolorem peccati propter Deum, vel dolet quis, quia peccatum in se malum est, & deforme, vel quia est sibi causa mali, scilicet, pœnæ, & ità adæquatè hoc duplex motiui genus communiter à Theologis, recipitur, & assignatur; & hoc etiam insinuauit Scotus ipse *4. dist. 20. qu. 1. §. In ista quæstione*, vbi postquam dixit detestationem ordinatam, quę verè contritio est, debere elici à principio libero, & habere pro fine ipsum Deum, cuius consideratio, & amor voluntatem moueat ad detestandum peccata, paulò infrà ostendit, quænam sit attritio dicens, quod in extremis morte subitanea imminente difficile est habere actum sic circumstantiarum, quia qui vsque tunc fuit impęnitens non videretur extorquere à seipso displicentiam nouam, nisi timore pœnæ imminentis; præsumitur enim, quod si remotus esset à pœna, sicut prius, non extorqueret à seipso illam displicentiam sicut nec prius; Ità Doctor ibidem, quibus verbis expresè indicauit displicentiam ortam à timore gehennæ constituere attritionem, & se sola non sufficere ad saluandum peccatorem; displicentiam verò ortam ex consideratione Dei, & super omnia diligibilis, constituere contritionem, & se sola ad salutem sufficere sine sacramento, vt etiam notauit Hiribarnes *disp. 6. sec. 1.*

Et hic notandum est sub nomine pœnarum non solùm comprehendi pœnam æternam inferni, siuè sensus, siuè damni, sed etiam pœnas temporales Purgatorij, & huius vitæ, v.g. pestis, famis, belli, vel alterius damni, quo Deus sæpè punit peccata etiam in hac vita, & quidem Deus minatur, & pœnas æternas, & temporales huius sæculi ad homines deterrendos, vt ex metu pœnæ fugiant culpam, ac proindè timor huiusmodi laudabilis est, ac honestus, etiam metus pęnæ temporalis; hoc enim timore, inquit Trid. suprà, vtiliter concessi Niniuitæ ad Ionæ prædicationem terroribus plenam pœnitentiam egerunt; Vbi tamen aduertendum est pœnam huiusmodi metuendam, vt à Deo inflictam, non ab homine, metus enim pœnæ præcisè, vt ab homine procedit, siuè per vindictam, siuè per iudicialem sententiam, non sufficit ad attritionem, tùm quia non auertit hic metus huius pœnæ ab omni peccato, sed ab externo tantùm, quod solùm homo animaduertere, & punire potest; tũ quia cùm omnis iustificatio etiam in sacramento sit conuersio hominis ad Deum, qui atteritus præcisè ob motiuum humanum, is nullo modo conuertitur ad Deum, sed solùm ad hominem; vbi etiam aduertere, quod detestatio peccati ex motiuo consequendi vitam æternam, qua peccatum priuat, ad hunc timorem pœnarum reducitur, eiusdem enim virtutis est, nempè Spei desiderare, seù amare beatitudinem æternam, ac timere pœnam illi aliquo modo oppositam. 138

Sed circà hoc motiuum attritionis insurgit difficultas, quia metus pœnæ non videtur honestus; ergò nec sufficit ad attritionem, consequentia patet, probatur assumptum; Tùm quia timor pęnæ procedit ex amore proprio concupiscentię, ac proindè habet seruilitatis turpitudinem. Tùm quia qui detestatur peccatum præcisè propter pœnam, habet virtualiter hunc affectum; Non detestaret peccatum, nisi constituta illi esset pœna; huiusmodi autem voluntas est turpis. Tùm quia inordinatum est, ac turpe magis odisse pœnam, quàm culpam, hoc enim esset præeligere culpam pœnæ, ac malle peccare, quàm subire huiusmodi pœnam; sed qui detestatur peccatum propter pœnam, magis odit pœnam, quàm culpam. Tùm quia attritio debet includere propositum non peccandi de cætero, sed qui atteritur ex metu pœnæ, non habet propositum vniuersale non peccandi, sed solùm quando est pœna, itaut si non esset pœna, peccaret. Tùm tandem quia nulla virtus assignari potest, ad quam hic actus pertineat; ergo non est honestus. 139

Respondeo negando assumptum, quia timor gehennæ, & aliarum pœnarum, ex quo oritur attritio, tanquam ex fine proximo, non excludit debitum finem vltimum, sed ad illum implicitè ordinatur; Ad primam probationem dico, quod licet timor seruilis merè naturalis hoc est, ex amore proprio merè naturali, & cum seruilitate, non sit honestus; is tamen de quo est sermo, nempè ex amore proprio supernaturali est bonus, non solùm quoad effectum auertendi à peccato, sed etiam secundum se intrinsecè cum sit actus virtutis, nem- 140

nempè Spei theologicè, vel Charitatis ergà seipsum, ac etiam Pœnitentiæ; ideò ad hunc timorem nos excitat Christus Lucæ 30. *timete eum, qui potest corpus mittere in gehennam*, & Trid. *sess. 14. cap. cit.* attritionem ex huiusmodi metu dicit donum Dei, & impulsum Spiritus sancti, & Patres vbique miris laudibus ipsum prosequuntur; Timor verò seruilis turpis, seù cum seruilitate est, quandò sola pœna timetur, ac sola displicet, & excludit vltimum finem, non displicet autem culpa; timor autem pœnarum, de quo hic est sermo, est quidem seruilis, prout opponitur filiali, non tamen cum seruilitate, quia & pœnam timet, & peccatum, nec excludit vltimum finem. Ad 2. probationem nego actum attritionis Christianę, de quo loquimur, affectum illum conditionatum includere, nam qui detestatur peccatum ex timore pœnæ, non censetur detestari illud sub conditione, sed absolutè, & efficaciter, nam timor pœnæ non est conditio, sub qua peccatum detestatur, sed est motiuum ex quo ad detestationem peccati adducitur absolutè, & efficaciter.

Ad tertiam probationem dico, quod qui detestaretur culpam propter pœnam comparando vtramque, vt quod, inordinatè quidem ageret, sic enim præeligeret saltem implicitè peccatum pœnæ, & paratus esset peccare potiùs, quàm pœnam subire; si verò in comparatione peccatum se habet, vt quod, pœna verò, vt quo, sicut accidit in attritione, quia pœna constituta est à Deo motiuum ad detestandum peccatum, nulla est inordinatio; neque enim huiusmodi detestatio siuè formaliter, siuè virtualiter peccatum pœnæ præeligit; & manente tali detestatione potest homo per alium actum expresè malle pœnam, quàm peccatum. Ad quartam, sicut qui atteritur metu pœnæ, non debet hanc conditionem apponere, si non esset pœna, peccarem, hæc enim voluntas est peccaminosa, sic non requiritur ad efficaciam voluntatis, vel propositi alia hæc conditionalis, etiam si non esset pœna, non peccarem, quæ sanè conditio non respicit, nisi casus fictos; in hoc enim rerum ordine Deus de facto omnibus peccatis pœnam decreuit; illa ergò est voluntas efficax, & cum proposito non peccandi, seù vitandi peccatum, qua vis illud vitare, quoties propter ipsum pœnam subibis. Ad vltimam, omnis attritio, quæ de peccatis haberi potest, tam ex timore proprij damni, & pœnæ, quàm ex amore proprij boni pertinet formaliter ad charitatem ergà seipsum, seù ad virtutem spei, tanquam actus eius elicitus; sicut enim ad eandem virtutem pertinent hi duo actus, nempè amor vitæ æternæ, & timor pœnæ æternæ, sic etiam eiusdem virtutis sunt attritio concepta ex timore pœnæ æternæ, & concepta ex amore vitæ æternæ; & *art. seq. num.* 158. patebit, quomodo sit etiam actus proprius pœnitentiæ.

1 Dices, dolor de peccato ob timorem pœnæ non conuertit animum peccatoris ad Deum obiectum supernaturale, sed solùm illum auertit à malo culpæ propter malum pœnæ, quod timetur; ergo non est sufficiens dispositio ad iustificationem etiam cum sacramento, quia omnis talis dispositio debet peccatorem ad Deum conuertere obiectum supernaturale.

Resp. quod licet attritio ex metu pœnæ concepta non conuertat animum peccatoris ad Deum explicitè, & immediatè, conuertit tamen implicitè, & mediatè; nam hoc ipso, quod animum peccatoris; auertit à peccato propter pœnas à Deo infligendas, implicitè, & mediatè, seù indirectè conuertit ad Deum, tanquam ad supremum Iudicem pœnarum, Instabis rursus; si ergò attritio dicit ordinem ad Deum propter timorem pœnæ à Deo infligendæ, iam attritio à contritione non differt, quæ dicit ordinem ad Deum. Negatur consequentia, quia attritio implicitè, & mediatè dicit ordinem ad Deum, tanquam iustum peccati vindicem; non autem tanquam ad obiectum, ex cuius amore, & bono mouetur ad odiendum peccatum; hic enim est ordo proprius contritionis, scilicet, timoris filialis, qui est etiam amoris saltem virtualis; ordo verò attritionis ex motiuo pœnæ est timoris seruilis, licet non cum seruilitate, vt explicatum est, & per hoc differunt isti ordines attritionis, & contritionis ad Deū; Vnde attritio non debet esse dolor de peccato vtcunque, sed cum aliquo respectu ad Deum: & ratio est, quia in omni vera conuersione requiritur auersio à peccato, & conuersio ad Deum, sicut in peccato fuit auersio à Deo, & conuersio ad creaturam; quarè sicut conuersio ad creaturam fuit propter aliquam perfectionem cognitam in creatura, ità conuersio ad Deum debet esse propter aliquam perfectionem ipsius Dei, vt propter potentiam puniendi, quam timemus, vel propter bonitatem, quam amamus, vt scitè discurrit Cardin. de Lugo *disp. 5. sect. 9.* hoc posterius motiuum est contritionis, illud prius attritionis.

Circà aliud motiuum attritionis à Concilio assignatum ex turpitudinis peccati consideratione est difficultas, in quo consistat ratio talis turpitudinis, & quæ peccati turpitudo sit sufficiens motiuum Christianæ attritionis. Affirmant aliqui nullam turpitudinem contrà virtutem, & honestatem naturalem esse sufficiens motiuum attritionis Christianæ, sed eam duntaxat peccati turpitudinem, quæ opponitur alicui perfectioni diuinæ supernaturaliter cognitæ. Fundamētum est, quia ea tantùm peccati turpitudo est sufficiens motiuum Christianæ attritionis, quæ opponitur peccato in hoc statu commisso: sed peccatum in hoc statu commissum includit auersionem à Deo obiecto supernaturali, ergo ea tantùm peccati turpitudo erit sufficiens motiuum attritionis Christianæ, quæ opponitur alicui perfectioni diuinæ supernaturaliter notæ, vt sunt irreuerentia contrà Deum finem supernaturalem, ingratitudo, inobedientia, & similia; quarè vt attritio ex turpitudinis peccati consideratione concepta sit dispositio sufficiens cum sacramento ad iustificationem, non sufficit considerare peccatum, vt præcisè opponitur regulæ rationis, sed opus est, vt cōsideretur prout aliquo modo est Deo oppositum, ità Lugus *loc. citat. disp. 5. sec. 9.* Amicus *disp. 3. sec. 2.* Caspensis *disp. 3. sec. 7.* & alij Recentiores. 142

Dicendum tamen est, quamlibet turpitudinem moralem peccati, si è oppositionem dicat alicui perfectioni Diuinæ supernaturaliter cognitæ, siuè non dummodò sit supernaturaliter, idest, per fidem nota, sufficit vt sit motiuum attritionis Christianæ. Ità Suarez *disp. 5. sec. 3.* Auersa *quæst. 2. sec. 14.* Brancatus ex nostris *disput. 9. art. 3. §. 11.* & alij Neoterici; Ratio est, quia Concilium non se restringit ad illas peccati turpitudines tantùm, quæ opponuntur alicui perfectioni diuinæ supernaturaliter notæ, sed indefinitè loquitur de peccati turpitudine, vt opponitur huic, vel illi virtuti in particulari, excepta charitate; vt si detesteris furtum, quia est contrà iustitiam, fornicationem, quia est contrà castitatem, &c. & omnis talis actus est verè bonus, & honestus in genere moris, & de genere virtutis moralis, non solùm acquisitæ, sed etiam infusæ in opinione præsertim Recentiorum virtutes morales infusas admittentium præter acquisitas, quæ ipsa honestas, sicut & opposita turpitudo, non solùm naturali lumine constat, sed etiam reuelatione diuina, & lumine fidei, & talem actum supponimus esse ex superiori auxilio gratiæ, ac de ordine supernaturali, saltem secundum modum, sicut de alijs similibus actibus salutaribus Concilium loquitur; ergò talis dolor, & attritio de peccatis ob eorum intrinsecam turpitudinem, & ex amore oppositę honestatis, vt per diuinam legem perceptæ, & reuelatæ, erit verè salutaris, & cum sacramento sufficiens ad iustificationem dispositio. 143

Per quod patet ad fundamentum in oppositum; falsum enim est eam tantum turpitudinem esse sufficiens motiuum Christianæ attritionis, quæ opponitur alicui perfectioni diuinæ supernaturaliter notæ, seù oppositionem aliquam dicit cum Deo, prout peccatum habet rationem iniuriæ, seù offensæ contrà Deum, siuè inobedientiæ, irreuerentiæ, ingratitudinis, aut similes; hoc enim totum gratis assumitur; nam aliæ quoque turpitudines peccatorum, vt huic, vel illi virtuti in particulari opponuntur, sunt contrà Deum legislatorem, cùm rectitudines oppositæ sint à præceptæ, & à Deo per fidem reuelatæ, vt media idonea ad salutem consequendam, nam amare honestatem intrinsecam virtutis in proprio genere, vt velle iustè agere, temperatè viuere, indigenti succurrere, & sic de singulis virtutibus sunt media à Deo ordinata ad consequendam salutem, vndè actus oppositi eo ipso important turpitudines contrà Deum finem supernaturalem saltem mediatè, atque ideò attritio ex his turpitudinibus concepta est vera, & salutaris, atque cum sacramento ad iustificationem sufficiens. Quarè sub ratione generica turpitudinis continentur omnes deformitates, seù malitiæ, quæ insunt peccato contradistinctæ à malo pœnæ, & à malitia suprema peccati, secundùm quam aduersatur Charitati, ratione quarum deformitatum, seù malitiarum opponitur peccatum, vel omnibus virtutibus in communi, vt si detesteris peccatum, quia est inobedientia, irreuerentia, ingratitudo &c. vel huic, & illi in particulari, vt si detesteris furtum, quia est contrà iustitiam, crapulam, quia contrà temperantiam &c.

Circà

144 Circà vtrumque motiuum tandem à Concilio assignatum est communis difficultas; quia motiuum pœnæ, & turpitudinis peccati sunt aliquod naturale, ergo nequeunt attritionem constituere, quæ est actus supernaturalis ex Concil. *loc.c.* consequentia patet, quia motiuum specificat actum in genere suo.

Respondeo negando assumptum, quia tam pœna peccato debita, quàm turpitudo, ob quam est detestandum, sunt cognitæ supernaturaliter, hoc est, nobis per fidem reuelatæ, quia vt ait Brancatus *loc. cit.* pœna siuè æterna inferni, siuè temporalis purgatorij, siuè damni, siuè sensus sunt nobis per fidem reuelatæ, sicut etiam peccati turpitudo, quod enim peccatum animam maculet, & deformet, & inhabilem reddat ad opera vitæ, & meritoria, & alia huiusmodi, fide tantùm cognoscuntur; atque ideò vtrumque motiuum attritionis ex hoc capite est supernaturale, omnia enim, quæ supernaturaliter cognoscuntur, dicuntur obiecta, seù motiua supernaturalia; & actus ex illis eliciti supernaturales dicuntur, quia ad eos concurrit auxilium gratiæ ex parte voluntatis, & fides, seu cognitio per fidem ex parte intellectus, vt docet Concilium *loco citato* quod sufficit, vt attritio ex his motiuis elicita dicatur supernaturalis, & sufficiens dispositio ad iustificationem cum sacramento.

145 Sed adhuc restat alia difficultas, quia enim dictum est etiam attritionem esse aliquo modo detestationem peccati propter Deum, dubitatur vlterius, an sit ità detestatio peccati propter Deum, vt etiam dilectionem Dei includat formaliter, vel saltem virtualiter. Affirmant aliqui ex nostris, vt Faber *disp. 16. cit. cap. 3* Hiqueus *4. dist. 14. quæst. 2. numer. 119.* & Poncius *disput. 45. quæst. 3.* imò ibi duo vltimi dicunt attritionem, vt sit sufficiens dispositio ad iustificationem consequendam in sacramento pœnitentiæ, elici debere ex motiuo charitatis siuè proximo, siuè remoto, hoc est, elici, vel imperari à charitate; Faber verò inquit actum aliquem posse ordinari ad charitatem duobus modis, vno modo proximè, & immediatè siuè formaliter, alio modo virtualiter, & remotè; attritio est detestatio peccati propter Deum, sed remotè, proximè autem habet alium finem; & ideò principalis differentia, inquit, inter attritionem, & contritionem est circumstantia finis proximi, quia finis contritionis immediatus est amor Dei, ideò detestatio illa peccati, quæ proximè, & immediatè tendit in peccatum, quia est offensa Dei super omnia dilecti, est contritio; illa verò detestatio peccati, quæ proximè, & immediatè non habet pro fine dilectionem Dei, sed timorem pœnarum, vel turpitudinem peccati est attritio, & non contritio, quia est actus imperfectus ex circumstantia finis, quia finis proximus non est dilectio Dei, sed aliquid aliud nempè timor pœnarum, quod est motiuum minus perfectum, quam dilectio Dei, ità discurrit haber *loc. cit. num. 65.* Poncius verò, & Hiquens quia volunt attritionem posse elici quoque ex motiuo charitatis proximo, & immediato; ideò consequenter dicuntur attritionem aliquam, & contritionem perfectā esse eiusdem speciei quantum est ex parte motiui, & consequenter eas non distingui, nisi penes intensionem, atque ità inter attritionem, & contritionem ex eodem motiuo, seu obiecto proximo non esse aliam differentiam intrinsecam, quam gradus perfectionis.

146 Dicendum tamen est, attritionem elici non posse ex motiuo charitatis proximè, & immediatè, sed sic elici ex metu gehennæ, aut turpitudine peccati aliouè motiuo honesto, quod non sit motiuum charitatis; Ità fert communis opinio, & est expressa Concilij Trident. doctrina *sess. 14. cap. 4.* vbi hanc differentiam ponit inter attritionem, & contritionem, quod attritio est, vel ex motiuo turpitudinis peccati, vel ex timore pœnarum, contritio verò ex alio motiuo nobiliori, quia est dolor de peccato, prout est offensa Dei super omnia dilecti, vel diligibilis; ergo non requiritur ad consequendam gratiam in sacramento pœnitentiæ attritio ex motiuo charitatis proximè, & immediatè, nec talis attritio est dabilis, quia eo ipso non amplius esset attritio, sed perfecta contritio.

Respondet Poncius negando consequentiam, tùm quia illa ipsa attritio, quæ esset ex turpitudine peccati, & metu gehennæ elicitè, posset esse imperatè ex motiuo charitatis; tùm quia non dicit Concilium illam solam attritionem sufficere ad impetrandam gratiam in sacramento, & consequenter alia attritio ex motiuo charitatis posset requiri, quam ibi probat dari posse, quia potest quis habere aliquam displicentiam, & dolorem inefficacem de peccato ex eo, quod sit contrà diuinam bonitatem, sed ille dolor est ex motiuo charitatis, & non est dolor perfectus, quia non est efficax; ergo est attritio, & consequenter attritio aliqua potest esse ex motiuo charitatis.

Cæterum, quamuis illa ipsa attritio, quæ esset ex turpitudine peccati, vel metu gehennæ elicitè, posset esse imperatè ex motiuo charitatis, quatenus etiam actus ipse attritionis referri, & ordinari potest ad finem contritionis; non propterea esset ex motiuo charitatis proximè, & immediatè, seù intrinsecè, & elicitiuè, sed tantùm extrinsecè, & remotè. Neque dabilis est attritio ex motiuo charitatis elicita proximè, & immediatè, quia non amplius attritio esset, sed contritio, vt dictum est; & quamuis possit quis habere aliquam displicentiam, & dolorem inefficacem de peccato ex eo, quod sit contrà diuinam bonitatem; adhuc tamen talis actus non esset attritio, de qua hic est sermo, quæ est dispositio sufficiens ad gratiam impetrandam in sacramento pœnitentiæ; quia ex Concil. *loc. cit.* ad hanc requiritur, quod sit actus adeò efficax, vt formaliter, vel saltem virtualiter includat propositum de cætero non peccandi, itaut simpliciter voluntatem auertat ab affectu peccandi, aliàs esse non potest sufficiens dispositio ad gratiam etiam cum sacramento, quia eius infusioni affectus peccandi auersatur.

Respondet Hiqueus *loc. cit.* quando Concilium *loc. citat.* dicit, quod contritio imperfecta, quæ attritio dicitur, concipitur communiter ex pœnis inferni, vel turpitudine peccati; loquitur tantùm de motiuo excitante, non autem specificante in genere entis, vel moris, idest, obiecti, vel finis, vndè nihil aliud ibi Concilium indicat, nisi quod fusius declarauerat supra *sess. 6. cap. 6.* præparationem ad iustitiam incipere à timore seruili, deindè procedere per spem, & dilectionem ad odium peccati, in quo processu timor gehennæ est primum excitans motiuum, non tamen specificans. 147

Verum per id probatur tantùm metum gehennæ esse motiuum excitans respectu actuum sequentium, at respectu primi actus, qui est attritio immediatè ex tali motiuo elicita, non tantùm est excitans, sed etiam specificans in genere moris; sic enim vniuersaliter contingit, quando ad plures actus gradatim ex vno in alterum proceditur, vt ibidem Hiqueus ipse aduertit; quamuis enim sequentem actum non eliciat voluntas ex motiuo prioris, tanquam propter ipsum, eo modo quo amor medij est propter finem; tamen actus posterior dicitur esse ex motiuo prioris, non specificante ipsum, vt finis, sed excitante voluntatem, quæ ità affecta est, vt hic, & nunc non exiret in secundum actum, & sequentes, nisi ex occasione prioris; cum quo tamen adhuc stat, quod respectu primi actus sit motiuum etiam specificans, quod respectu posteriorum est tantùm excitans; & sic in proposito metus gehennæ, qui respectu actuum sequentium spei, & dilectionis Dei est motiuum tantum excitans, respectu primi actus, qui fuit attritio ex illo elicitus, non tantùm est excitans, sed etiam specificans; Et quidem Concilium *loc. cit.* loquitur de illa attritione, in qua malum ipsum, quod timetur, vt euitandum, habet rationem finis, & sub ea proximè mouet ad detestandum peccatum, quatenus confert ad illud malum pœnæ vitandum; & ponderanda est etiam in verbis Concilii ea particula *propter gehennæ metum* sicut & in alio membro *propter feditatem peccati*, nam in rigore significat proprium, & proximum motiuum, & finalem causam.

Quapropter concludendum est, quod formale motiuum, in quod contritio tendit, est peccatum vt offensiuum Dei, eique aduersatiuum, vt supernaturali fini super omnia diligibili. Formale autem motiuum in quod tendit attritio, est peccatum detestabile propter aliquod motiuum infrà Deum super omnia diligibilem; Insuper immediatum motiuum, quo nititur contritio ad peccatum detestandum est Deus ipse, ex cuius complacentia mouetur ad illud detestandum, immediatum verò motiuum attritionis est aliqua honestas supernaturalis creata, Deus autem solùm extrinsecè terminat actum attritionis Christianæ, vt finis *Cui*; Et hoc omninò necessarium est, quia si quis peccatum detestaretur præcisè propter timorem gehennæ, itaut in illo timore vltimò sisteret, & non ordinaret actum illum ad timorem filialem, sed illum pro vltimo fine sibi constitueret; licet actus non esset de se malus, sed bonus, tamen non est attritio, quæ est sufficiens dispositio ad iustificationem in sacramento pœnitentiæ, quia excluderet debitum finem vltimum, 148

mum,

mum, quando autem talem finem non excludit, est sufficiens dispositio cum sacramento ad iustificationem, quia sufficienter tollit affectum ad peccandum, & consequenter tollit obicem ad sacramentum; illa enim attritio sufficienter tollit affectum ad peccandum, quæ actu animum peccatoris efficaciter conuertit ad Deum, à quo auerterat peccatum, sed omnis attritio concepta ex aliquo motiuo supernaturali cum ordine ad Deum obiectum, & finem supernaturalem *Cui*, si animum peccandi excludat, efficaciter conuertit hominem ad Deum; igitur omnis attritio concepta ex motiuo supernaturali cum ordine ad Deum obiectum, & finem supernaturalem *Cui*, si voluntatem peccandi excludat, erit sufficiens dispositio cum sacramento ad iustificationem, vt benè notat Amicus *disput.3.sec.4.* in fine; atque ideò falsum est, quod Scotistæ præfati dicebant, vt quis benè disponatur per attritionem ad iustificationis gratiam in sacramento pœnitentiæ consequendam, semper opus esse, quod habeat dolorem de peccatis ex motiuo charitatis siuè elicitè, siuè imperatè; sufficit enim quod attritio concepta sit ex aliquo motiuo supernaturali cum ordine ad Deum obiectum & finem supernaturalem *Cui*, hic autem non est ordo, quem importat dilectio formalis, vel virtualis Dei, & est proprius contritionis, quia non est ordo ad Deum, tanquam ad obiectum, ex cuius amore mouetur pœnitens ad detestandum peccatum; sed est ordo ad Deum, tanquam ad iustum peccati vindicem, quem pœnitens timet, timens enim malum sibi imminens ab aliqua determinata persona, timet etiam personam; non ergo ex hoc, quod attritio dicit ordinem ad Deum hoc modo, & est propter Deum, sequitur quod semper esse debeat ex motiuo charitatis formali, vel virtuali, vt dictum est suprà *num.141.*

149 Sed obijciunt præfati Scotistæ probando attritionem quoque esse debere ex charitate saltem imperante, vt sit sufficiens dispositio ad gratiam cum sacramento, quia omnis actus, qui est dispositio ad gratiam, oritur ex charitate, & propter dilectionem Dei; sed attritio est dispositio ad gratiam simul cum sacramento pœnitentiæ, ergo est actus ex charitate, & propter Dei amorem elicitus, vel saltem imperatus; Maiorem probant ex omnibus illis scripturæ locis, vbi dicitur nullius virtutis actus ad salutem prodesse sine charitate vt 1. ad Corint. 13. *si charitatem non habeam, nihil mihi prodest*, & 1. Io. *cap.3. qui non diligit me, manet in morte*, & alijs similibus, quibus significatur in opere fructuoso, & salutari includi dilectionem Dei formaliter, vel saltem virtualiter.

Confirmatur ex Trident. *sess.6. cap.6.* vbi exponens actus necessarios ad salutem, & conuersionem, vltimo loco ponit pœnitentiam, quæ supponit spem, & charitatem, & est ex motiuo charitatis, inquit enim *illum, tanquam omnis iustitiæ fontem, diligere incipiunt, ac propterea mouentur aduersus peccata*; sed Concilium ibi loquitur de dispositione in genere requisita, & non tantùm de contritione perfecta, agit enim de dispositione necessaria ab baptismum, ad quem sufficit sola attritio, ergo &c. Tandem probant ratione, quia peccatum est auersio à Deo, & offensa eius: ergo vt verè retractetur, debet retractatio eius esse ex charitate; quia sola charitas est quæ refert ad finem vltimum affectu iustitiæ, & absolutè; & aliàs attritio non esset dolor de peccato sub ratione offensæ, & auersionis, & alioquin illa virtus, cuius attritio esset actus, posset operari ad salutem independenter a charitate; ità arguit Hiqueus *loc. citat.*

150 Respondeo maiorem esse veram de omni actu, qui est dispositio ad gratiam sufficiens se solo, & sine sacramento in re suscepto, non autem qui est dispositio virtute sacramenti re ipsa suscepti, quia in his actibus sacramentum æquiualet charitati, & eius defectum supplet, loca verò scripturæ adducta ostendunt præsertim necessitatem charitatis, vt opera bona sint meritoria de condigno vitæ æternæ, vt dictum est *lib.2. disp. de Iustificatione, & lib.3. disp. de Merito.*

Ad Confirmationem dico, si Concilium benè penderetur, indicat potius præparationem ad iustitiam incipere à timore seruili, deindè procedere per spem, & dilectionem ad odium peccati, in quo processu timor gehennæ est primum motiuum, ex quo concipitur attritio; Et quamuis dilectionem assignaret ibi, tanquam primum motiuum excitans actum attritionis non tamen tamquam motiuum specificans: & vltrò etiam concedimus actum attritionis posse interdum à charitate imperari, & frequenter etiam ità contingere, posseque referri, & ordinari ad finem contritionis, vt extrinsecum, & remotum; negatur tamen hoc semper esse necessarium, vt sit sufficiens dispositio ad iustificationem cum sacramento.

Ad vltimum negatur consequentia, cum eius probationibus, nam omnis attritio concepta ex aliquo motiuo supernaturali cum ordine ad Deum obiectum, & finem supernaturalem *Cui*, si animum peccandi excludat, efficaciter conuertit hominem ad Deum, vt explicatum est suprà *num.148.* & licet in tali casu independenter a charitate operaretur, non tamen independenter a sacramento, quod in his actibus charitati æquiualet, & eius supplet defectum, qua ratione dici potest etiam dependenter a charitate operari, si non formaliter saltem æquiualenter.

Postremò est alia difficultas de speciebus attritionis; Faber *disp.16. cit. cap.3.* quatuor species assignat attritionis Christianæ, de qua tantum hic est sermo. Prima est detestatio peccati propter timorem pœnarum proximè. Secunda detestatio peccati propter turpitudinem eius. Tertia detestatio peccati cum omnibus circumstantijs requisitis ad contritionem, sed non debitè intensa. Quarta detestatio peccati imperfecta propter carentiam alicuius circumstantiæ debitæ ex inaduertentia, vel aliqua alia causa non culpabili. 151

Dicendum tamen est diuisionem attritionis à Concilio traditam ex metu pœnarum, & ex fæditate peccati si genericè sumatur, esse sufficientem; Ratio est, quia duplex est malum generatim loquendo, aliud pœnæ, aliud culpæ; quarè genericè loquendo duplex est detestatio peccati, altera ob malum culpæ, atque ità duplex tantum attritio genericè loquendo. Porrò malum culpæ diuidi potest; vel enim est suprema malitia culpæ, quatenus contraria est bonitati diuinæ in se, & amori eius, & sic est obiectum contritionis; Vel est quælibet alia malitia in peccato inuenta, quatenus discordat à regula rationis, & sic est obiectum attritionis præsertim illius, quæ ex fæditate peccati concipitur; & cùm fæditas peccati præter illam supremam sit multiplex iuxtà diuersitatem peccatorum, & secundum diuersas etiam rationes eiusdem peccati hinc fit, vt sit etiã multiplex specie attritio, & vna oriatur ex hac, & alia ex alia peccati fæditate; Quarè sicut attritionis motiuum est multiplex, quot scilicet sunt motiua, quibus infrà Deum super omnia diligibilem peccatum est detestabile, sic pariter multiplex specie erit attritio iuxtà multiplicem varietatem motiuorum.

Neque addenda est tertia species attritionis à Fabro, ac etiam Hiqueo, & Poncio assignata, quando scilicet actus est remissus, & non debitè intensus; etenim ex vna parte attritio quantumuis intensa non euadit contritio, quia si detur dolor peccati ex metu pœnarum, quantumuis intensus etiam, vt octo, semper remanet attritio; Et ex alia parte contritio saluatur sub quocunque minimo intensionis gradu, sicut actus cuiuslibet virtutis sub quocunque gradu quantumuis remisso saluatur in sua specie, dummodò sit circà proprium obiectum, vel motiuum talis virtutis, vt ostensum est *quæst. præced. art.2. num.101.* Et denique Concil. Trid. *sess. 14. cap.4.* vt inter contritionem, & attritionem differentiam assignet, ad intensionem, vel remissionem graduum non recurrit, sed ad motiuorum diuersitatem essentialem; Et quamuis illas distinguat per perfectum, & imperfectum, quia attritionem vocat contritionem imperfectam; ibi perfectum & imperfectum non dicunt differentiam accidentalem tantùm, sicut magis, & minus perfectum in eadem specie: sed differentiam essentialem, qualem importat magis, & minus perfectum in diuersis speciebus, quo sensu dicere solemus Angelum esse magis perfectum corpore, nam comparatio facta per magis, & minus, nedùm ad plura extrema eiusdem speciei potest applicari, sed etiam diuersæ, quo pacto ex prædicatis essentialibus dicitur prouenire, & in hoc modo se habent magis, & minus perfectum in contritione, & attritione. 152

Nec tandem addi debet quarta species attritionis a Fabro assignata, quia nulla species positiua per aliquod negatiuum constitui debet, sed per differentiam positiuam; vndè quamuis attritio possit stare cum inaduertentia finis, modi, aut alterius circumstantiæ, non propterea talis negatio, vel defectus erit prima ratio constitutiua ipsius, sed ea quæ potest stare cum aduertentia finis, motiui, & aliorum, dari enim potest, & debet attritio cum omnimoda aduertentia eorum omnium, quæ dictat recta ratio attritionis. Confirmatur, quia dari etiam possunt alij actus detestandi habentes similem carentiam alicuius circumstantiæ debitæ, & negationem condi- 153

conditionum contritionis, qui tamen non sint attritio, vt detestatio peccati eo quod personam infamat, aut alio humano bono priuat; ergo simplex defectus conditionum, quas debet habere contritio, non constituit speciem christianæ attritionis, de qua hic loquimur.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quo pacto Attritio à Contritione distinguatur.

PLures discriminis rationes inter Contritionem, & Attritionem solent assignari, de quibus fusè, & singillatim agit Brancatus ex nostris *disp.9.* per totam, & nos hic etiam breuitur aliqua attingemus, & vtiles accipiantur, & inutiles reijciantur.

Primò igitur aliqui etiam ex nostris contritionem ab attritione distinguunt per maiorem durationem, vel intensionem actus docentes eundem numero actum sine certa temporis duratione, vel intensione gradus attritionem dici, contritionem verò nuncupari post certam temporis durationem, & gradualem perfectionem, quod etiam Scoto adscribi solet *4.dist.14. quæst.2.art.2.* & tenent Hiqueus *ibid.* in Commentario, & Faber *disp.61.cit.* Alij verò contritionem ab attritione distinguunt per acceptationem Dei, & asserunt eundem actum amoris Dei super omnia viribus naturæ elicitum, antequam à Deo acceptetur, dici attritionem; postquam verò fuerit à Deo acceptatus vel extrinseca voluntate, vel intrinseca motione, dici contritionem. Alij tandem contritionem ab attritione distinguunt per informationem gratiæ dicentes eundem numero actum, antequam informetur gratia esse attritionem; postquam autem est gratia informatus, fieri contritionem; quod etiam Scoto tribui solet *dist.14.cit.qu.2.§.de secundo principaliter lit.I.& K.* vbi docet actum interiorem, qui per aliquod tempus rationem attritionis inducit, in vltimo instanti illius temporis v. gr. vnius horæ fieri contritionem media gratiæ infusione; quare docere videtur detestationem peccati, vt gratia præscindit, esse attritionem; quatenus verò est formata ipsa gratia, esse contritionem, atque ità penes informationem, vel negationem informationis gratiæ contritionem, & attritionem distingui.

155 Verùm præterquamquod *qu.præced.art.2.num.*101. ostensum est ad veram contritionem non requiri intensionem in tali, vel tali gradu, sed sufficere substantiam actus in quocunque sit gradu; & *num.*109. non requiri certam temporis durationem, & moram; & *art.1.n.99.* contritionem habere quidem pro eodem instanti temporis, in quo est, gratiam, & iustificationem annexam, tamen vt formatam habitu gratiæ non disponere ad iustificationem, & peccati remissionem, ac proindè non esse de ratione eius, vt sit vltima dispositio ad eam, quod sit cum ea coniuncta; Quamuis, inquam, hæc omnia sint præmissa, ex quibus facilè reijciuntur relati modi dicendi, adhuc contrà hos omnes vnum vrget, & efficax argumentum; quia cum attritio, & contritio sint actus, qui versantur circa diuersa motiua, & obiecta, vt *art. præced.* visum est, penes ea potiùs sumenda est eorum distinctio, cum habitus distinguantur per actus & actus per obiecta ex 3. de Anima, quàm penes temporis durationem, vel gradus intensionem, aut diuinam acceptationem, vel gratiæ informationem; eo quod hæc omnia vel sunt extrinseca actibus, eosque supponunt in sua specie per ordinem ad sua obiecta constitutos; vel certè si sunt intrinseca, vt perfectio gradualis, illa sanè non pertinet ad speciem, vel specificationem, sed ad indiuiduationem actus, cum species actus ex maiori, vel minori perfectione graduali non attendatur, sed ex diuerso ordine, & tendentia ad diuersum obiectum, vt rectè discurrit Amicus *disp.3.sec.4.* hæc enim sola est forma, quæ speciem actui tribuit à priori; gradualis autem intensio solùm intrà suam speciem actum perficit, singuli enim gradus eiusdem actus ad idem obiectum formale tendunt, ac proindè singuli etiam eandem specificationem ab eodem motiuo formali sortiuntur per tendentiam eiusdem rationis.

156 Pro rectâ verò intelligentia doctrinæ ex Scoto allatæ *dist. 14.cit.quæst.2.* quæ vltimo dicendi modo fauere videtur, aduertendum est id, quod communiter Recentiores docent, contritionem duobus modis sumi posse, vno modo pro actu formato, quo pacto quilibet dolor quantumlibet perfectus gratiæ infusionem antecedens erit attritio; idem autem continuatus, infusa gratia, erit contritio, siuè perfectus sit, siuè imperfectus, & hanc acceptionem contritionis, & attritionis dicunt apud antiquos Scholasticos satis frequentem fuisse, & vsitatam; Alio verò modo sumitur contritio, & attritio pro dolore perfecto, & imperfecto, quem loquendi modum sequitur Trident.*sess.14. cap.4.* & communiter tenent Moderni; Scotus itaque *dist.14.quæst.1.& 2.* nomen attritionis, & contritionis in primo sensu vsurpauit; at secundum sensum etiam agnouit, velut magis proprium, *d. 16.q.1.§. Ad propositum*, & clarius *dist.17.q.1.art.3. versic. Nec aliquis tenetur*, & *dist.20.qu.1.§. In ista quæstione*, vt ab initio præcedentis articuli notauimus; quibus in locis constituit contritionem in tota sua natura, & essentia antè infusionem gratiæ, vt etiam notauimus *qu.præced.art.1.nu.* 100. & distinctionem contritionis ab attritione ex motiuo fine, qui est Deus in se, potissimè desumit, non autem ex super infusione gratiæ, vt etiam Hiribarnes aduertit *disp. 6.sec.1.*

Secundò præter differentiam ex motiuis desumptam alias quoque assignant differentias Recentiores passim, & hanc 157
præsertim, quod contritio sit actus à charitate elicitus, quia ex eius motiuo elici debet; attritio verò semper est ab alia inferiori virtute, & præsertim à virtute Spei, sicut enim ad eandem virtutem Spei pertinent hi duo actus, nempè amor vitæ æternæ, & amor pœnæ æternæ, sic etiam eiusdem virtutis sunt attritio concepta ex amore vitæ æternæ, & concepta ex timore pœnæ æternæ; ità Suarez *disp.5 sec.1.* Soto *lib.* de natura, & gratia *cap.14.* Beccanus *cap.35.q.1.* Caspensis *tract.24.disp.3.sec.7.* & alij Neoterici passim.

Sed neque hæc differentia benè assignatur, quia hinc sequeretur nullam detestationem peccati, & sub nulla ratione posse esse actum elicitum à propria virtute pœnitentiæ, vt est communis contritioni, & attritioni, nam actus contritionis iuxtà differentiam assignatam ponitur elici à charitate, & actus attritionis à virtute Spei; hoc autem est prorsus absurdum, quia alias virtus pœnitentiæ non haberet illum actum, qui in propria, & rigorosa significatione per hanc vocem significatur, nempè retractationem prioris facti, & peccati commissi vindicationem; qua ratione non solùm Theologi, sed etiam Concilia, & Patres pœnitentiam in communi, vt comprehendit contritionem, & attritionem, definiunt per detestationem, & dolorem, vt patet ex Trident. *sess.14.cap.2.* dicente pœnitentiæ actum *esse peccati detestationem cum pio animi dolore*; ergo peccati detestatio est actus præsertim virtutis pœnitentiæ proprius, & ab ea elicitus, quia in peccato est aliqua ratio malitiæ, imò plures, sub quibus virtus pœnitentiæ potest illud detestari, vt Scotus docet 4. *dist.14.qu.2.N.* vbi inquit odium, & detestationem peccati, quatenus offensa Dei, vel quatenus auersiuum à Deo, vel impeditiuum gloriæ, vel inductiuum gehennæ, esse actum pœnitentiæ proprium, & ab ea elicitum; vbi motiua enumerat tam contritionis propria, quàm attritionis; & hoc totum fatetur etiam ipse Suarez *disp.3.sec.4.* non ergò benè distinguuntur contritio, & attritio, quod hæc sit actus à virtute Spei elicitus, & illa à charitate; quia vtraque est actus elicitus, & proprius pœnitentiæ virtutis, vt est genus subalternum ad Pœnitentiam perfectam, quæ est elicitiua contritionis, & imperfectam, quæ est elicitiua attritionis.

Non ob id tamen nego, quin etiam contritionis actus elici possit à virtute charitatis, nam id quoque expresse docet 158
Scotus *dist.14.cit.quæst.2. lit.S.* dicens, quod *quandoque ex charitate, siue ex contemplatione Dei statim inest quasi quadam detestatio peccati, & sequitur tristitia maxima, nullo adhuc posito actu iustitiæ respectu illius tristitiæ*; nam ex affectu charitatis circà Deum, vtique prouenire potest detestatio, & displicentia de malo, quod illi summo bono opponitur, & ex illa detestatione, & odio sequi tristitia; sed præter hoc motiuum causandi odium, & tristitiam, datur etiam motiuum virtutis pœnitentiæ, quæ est iustitia punitiua, & dictat ex propria regula peccatum esse vindicandum, seù puniendum per pœnam tristitiæ; & quoniam medium ad causandam tristitiam est odium peccati, dictat odiendum, ac detestandum esse peccatum, & hoc odium est actus ille, quem dicimus esse proprium pœnitentiæ; Vndè hoc interest inter odium peccati à pœnitentia causatum, & à charitate, quod primum ordinatur ad causandam pœnam, dictatur enim, & elicitur à pœnitentia ad hunc præser-

tim

tim effectum consequendum; secundum verò nequaquam, sed est simplex fuga, & auersio mali, quod opponitur Deo summè dilecto; quod apto exemplo declarari potest; quando enim quis diligit amicum, & vult ei omnia bona, si ei damnum contingit, odit, & auersatur illud malum, sed tale odium per se ad punitionem aliquam non ordinatur illius, qui amico damnum intulit, & hoc est odium mali à charitate causatum; Sed si Iudex, vel legislator tale damnum videat, non solum illud odit odio simplicis auersionis, & fugæ, sed etiam odio ad pœnam ordinato, & hoc est odium iustitiæ punitiuæ, seu pœnitentiæ.

Sic randem neq; negamus attritionem ex timore gehennæ, & pœnarum conceptam elici posse à virtute spei, & ad talem virtutem pertinere, idem enim esse videtur timere carentiam alicuius boni, ac desiderare illud, vndè sicut amor vitæ æternæ ad spem pertinet, & ex motiuo talis virtutis elicitur, ità & timor pœnæ æternæ, & attritio ex tali motiuo concepta, quod totum nos quoque concessimus *art. praeced. nu.*140. in fine; Sed negamus talem attritionis actum semper à virtute spei elici debere, & per hoc ab actu contritionis distingui, nam hic etiam actus potest à virtute pœnitentiæ, elici, sicut actus ipse contritionis, vt iam dictum est; Et inter odium peccati per actum attritionis à pœnitentia causatum, & à virtute spei, hoc pariter erit discrimen; quod odium à virtute spei causatum erit odium fugæ, & auersionis peccati, tanquam mali proprium bonum impedientis; odium verò à pœnitentia causatum non erit simplicis fugæ, & auersionis, sed odium vindictæ ordinatum ad causandam pœnam, & puniendum peccatum, quod tale bonum impedit.

159 Tertiò Suarez *loc. cit. disp.* 5. *sect.* 1. ex hoc, quod propria contritio sit actus à charitate elicitus, non autem attritio, hanc aliam deducit differentiam, quod contritio ex propria ratione includit formaliter, vel virtute dilectionem Dei super omnia, attritio verò minimè, & indè habet, vt non sit ex se sufficiens dispositio ad gratiam. Ratio huius differentiæ est, quod attritio, est dolor peccati potiùs propter timorem Dei, quàm propter amorem, quia est ex timore pœnæ, vel turpitudine peccati; ergo ex propria ratione non includit amorem Dei nec formaliter, nec virtualiter. Poncius *disp.* 45. *quæst.* 3. & Hiqueus *dist.* 14. *quæst.* 2. *n.* 119. hoc discrimen impugnant inter attritionem & contritionem à Suarez assignatum, quia volunt attritionem posse elici quoque ex motiuo charitatis proximo, & immediato, imò contendunt attritionem, vt sit dispositio sufficiens ad iustificationem consequendam in sacramento pœnitentiæ, elici debere ex motiuo charitatis proximo, vel saltem remoto, & elici debere, vel saltem imperari à charitate.

Sed iam *art. præced. num.* 146. contrà hos Scotistas ostendimus, attritionem elici non posse ex motiuo charitatis proximè, & immediatè, sed si elici ex metu gehennæ, aut turpitudine peccati, aliouè motiuo honesto, quod non sit motiuum charitatis. Quapropter hoc discrimen à Suarez assignatum ex alio capite reijciendum est, nimirum quia vt ibi dictum est *num.* 150. quamuis attritio non possit elici ex motiuo charitatis proximè, & immediatè, quia eo ipso non amplius attritio foret, sed vera, & perfecta contritio; adhuc tamen potest à charitate imperari, & frequenter etiam ità contingere, potestque referri, & ordinari ad finem contritionis, vt extrinsecum, & remotum; etenim ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. potest quis illuminari ad credendum, amandum, sperandum, & pœnitendum, & post actum fidei, amoris, & spei potest exire in actum detestandi peccatum, non quatenus offensam Dei, sed quatenus inductiuum pœnæ, quæ detestatio est attritio ex Concil. ibidem, & originatiuè, & excitatiuè est ex motiuo charitatis, itaut tale motiuum respectu talis actus sit excitans, non autem specificans; ergò non benè assignatur differentia inter attritionem, & contritionem, quod hæc habeat annexam dilectionem Dei, illa verò nunquam; potest etiam peccator post actum elicitum attritionis, quo doluit de peccatis ex metu gehennæ, habere alium actum, quo dicat, refero illum actum ad Deum summè dilectum, eo modo quod potest alios virtutum actus extrinsecè referre ad Deum; in quibus casibus non adhuc per talem actum doloris ex metu gehennæ peccator iustificabitur, sed si iustificatur, hoc erit per actum amoris Dei antecedentem, vel consequentem, vndè non actus ille doloris, sed præcisè talis actus amoris erit apta dispositio ad iustificationem, & adhuc se solo sufficeret sine illo actu imperfecti doloris.

Ratio verò in oppositum adducta probat solùm, quod iam diximus *art. præced.* non posse attritionem elici ex motiuo charitatis proximè, & immediatè, & tanquam ex motiuo specificante; non tamen probat ab ea interdum imperari non posse, & ex eius motiuo originari, tanquam ex motiuo excitante modo iam explicato, ac etiam posse referri, & ordinari in finem contritionis idest in Deum summè dilectum; in quibus casibus actus ille doloris imperfecti adhuc remanet intrà speram pœnitentiæ imperfectæ, quæ dicitur attritio; non enim sufficit ad iustificationem peccatoris extrà sacramentum ordinare extrinsecè actum imperfecti doloris in Deum, sed oportet ipso actu pœnitentiæ intrinsecè Deum respicere; quod si in his casibus peccator iustificatur, hoc erit præcisè ex vi illius actus dilectionis Dei antecedentis, vel consequentis illum dolorem imperfectum de peccatis, qui adhuc se solo sufficeret sine tali dolore; quod si dilectio illa præcisè non sufficit, de quo puncto disputabimus infrà, nec etiam cum illo imperfecto dolore sufficiet, quia ipsa pœnitentia debebit esse perfecta, tanquam dispositio formaliter requisita; quamuis Suarez *disp.* 5. *sect.* 3. *num.* 11. & 12. admittat in tali casu aggregatum ex vtroque actu, scilicet ex priori attritionis, & ex altero dilectionis Dei referente illum actum ad Deum posse contritionem appellari. 160

Quartò Suarez ibidem aliam quoque addit differentiam inter contritionem, & attritionem, quod contritio detestatur peccatum suprà omne detestabile attritio verò non semper, vel nunquam perfectè. Ratio est, quia si attritio est ex timore pœnæ, ex vi illius actus non displicet culpa plusquam pœna; si verò sit ex aliqua malitia morali, & turpitudine peccati, licet displiceat plusquam pœna, non tamen plusquam omne malum culpæ sub quacunque ratione superiori consideratum; atque ideò semper in hoc deficit attritio à perfectione contritionis. 161

Verùm neque hæc differentia subsistit, sicut enim quando dicimus ad contritionem requiri amorem Dei super omnia, non intelligimus requiri excessum intensionis, sed appretiationis, vt suprà dictum est *quæst. præced.* & Suarez ipse concedit; sic pariter ad attritionem in proposito requiritur, quod sit detestatio peccati super omnia in hoc eodem sensu, aliàs non esset sufficiens ad gratiam dispositio etiam cum sacramento nec sufficiens conuersio ad Deum, & auersio à peccato, si aliud malum præ peccato appretiaretur, aut aliud bonum præ Deo, nempè proprium commodum ad euitandam pœnam. Tùm quia, vel detestatio super omnia oritur ex perfectione specifica contritionis, vel ex indiuiduali, si primum; ergo nunquam conuenit attritioni, quæ specie essentiali à contritione distinguitur; si secundum ergo non magis propriè contritioni conuenire potest, quàm attritioni quia non magis conuenit actui vnius virtutis intendi posse, quàm alterius, cùm totum hoc à conatu voluntatis dependeat, qui in hac, vel illa materia ad eius libitum intendi potest, & remitti. Tùm tandem, quia hæc differentia attritionis à contritione seipsam destruit, vt inquit Hiqueus, quia peccatum super omnia detestari vel est propium contritioni, vel non; si secundum ergo vtrique conuenire potest, ac proindè vnum ab alio sufficienter distinguere nequit; si primum, ergo quando conuenit attritioni, iam amplius attritio non erit, quia eò ipso intelligitur euadere contritio.

Ad rationem in oppositum, negatur assumptum quoad primam partem, quod scilicet, si attritio sit ex timore pœnæ, ex vi talis actus non displiceat culpa plusquam pœna, quia in tali detestatione solum peccatum se habet, vt quod, pœna verò tantùm, vt quo, quatenus constituta est à Deo motiuum ad detestandum peccatum, non verò se habet, vt quod, vt dictum est suprà *art. præced. num.* 140. Nec semper plus amatur motiuum, vt quo, quàm obiectum, vt quod, vt pluribus exemplis ostendi potest tam in amore, quàm in odio; si quis enim patrem amat, vel amicum, quia ab illis dona recipit, non sequitur, quod plus amet dona saltem appretiatiuè, quàm Patrem, vel amicum; & si quis odit mortem filij, ne inimici lætentur, vel spurius in hæreditatem succedat, non sequitur propter ordinem illum gaudium inimicorum, vel successionem spurij in hæreditatem magis odiri, quàm mortem filij, vt bene 162

nè Brancatus aduertit *disp.* 9. *art.* 3. §. 7. vbi etiam benè explicat, quomodo intelligendum sit illud principium: *Propter vnumquodque tale, & illud magis.* Negatur etiam assumptum quoad aliam partem, quod si attritio si ex turpitudine peccati, licet displiceat peccatum plusquam pœna, non tamen plusquam omne malum culpæ sub quacunque ratione superiori consideratum; nam vt suppono ex dictis *lib.* 2. *disp. de Peccatis*, licet malitia moralis possit desumi per oppositionem ad regulam rationis, malitia tamen peccati, vt peccatum est, non sumitur nisi in ordine ad Deum; ac proindè si eius turpitudinem detestatur, vt peccatum est, iam detestatur malum culpæ sub quacunque ratione superiori consideratum saltem virtualiter, licet non ità expresse, & perfectè, vt contritio.

163 Quintò prætereà aliam quoque Suarez assignat ibi differentiam attritionis, & contritionis, nam contritio semper est vniuersalis de quocunque peccato saltem virtualiter ratione motiui, attritio verò non semper; nam attritio, quæ est ex propria malitia alicuius peccati, non habet hanc vniuersalitatem, quia ex vi talis motiui particularis non se extendit etiam virtualiter ad alia peccata diuersa.

Sed neque hæc differentia subsistit, nam in primis dari potest attritio vniuersalis, vt etiam Suarez ipse concedit, & est quando peccata ipsa detestatur sub motiuo vniuersali, velut ex motiuo pœnæ æternæ, ammissionis beatitudinis, notabilis deformitatis nostrarum moralium operationum cum recto dictamine primæ regulæ, omnia enim hæc motiua sunt vniuersalia; vndè repugnat aliquo ex his motiuis, vt vniuersali, formaliter detestari vnum peccatum sine alijs; repugnat enim detestari peccatum, quatenus est notabiliter difforme primæ regulæ, & non detestari omnia peccata mortalia, cùm omnia sint hoc modo notabiliter difformia; repugnat item peccatum detestari propter pęnas inferni, vel ammissionem gloriæ, & non detestari omnia mortalia; cum omnia mortalia pœnam æternam inducant, & cælesti gloria priuent. Deindè ex vna parte remissio mortalium non potest esse dimidiata, cùm non minus vni, quàm alteri opponatur gratia; ex alia verò parte vnumquodque mortale non retractatum est obex sufficiens ad remissionem; ergò omnia retractanda sunt, siuè deindè attritio procedat ex motiuo vniuersali verbi gratia, obedientiæ, religionis, gratitudinis, spei &c. siuè ex pluribus motiuis particularibus verbi gratia, temperantiæ fortitudinis &c. ex quorum aggregatione coalescat vna totalis, & vniuersalis attritio. Tandem etiam in casu, quod attritio sit ex particulari malitia, & turpitudine alicuius peccati, adhuc potest esse sufficiens cum sacramento ad iustificationem consequendam, si alioquin sufficiens sit prorumpere in detestationem reliquorum, si menti occurrant; est enim signum à posteriori dignoscendi, quando attritio detestando vnum tantùm peccatum censeatur simul detestari & reliqua omnia, quæ tunc menti non occurrunt; & est quandò vi talis attritionis ex eodem motiuo conceptæ homo prorumperet in formalem detestationem omnium, si omnia essent memoriæ præsentia; Quando autem deesset talis promptitudo detestandi cætera peccata, si tunc menti occurrerent; signum est talem attritionem ex malitia particulari alicuius peccati conceptam, non esse sufficientem dispositionem ad iustificationem etiam cum sacramento; quia sine tali promptitudine nequit esse dispositio; impium enim esset dimidiatam veniam à Domino sperare, vel illius peccati, tum de quo non doleret, si menti occurreret; per quod patet ad rationem in oppositum.

164 Sextò tandem Amicus *disp.* 3. *sect.* 4. & alij Recentiores aliam assignant differentiam, quod contritio excludit omnem affectum peccati, quia cum detestetur omnia sub ratione communi, nequit retinere affectum ad aliquod particulare, cùm hoc repugnet efficaci displicentiæ de omnibus in communi; Contrà verò attritio, quia esse potest de aliquo particulari, retinere potest complacentiam circà alia. Cuius ratio est, quia non quæuis attritio supernaturalis opponitur cuilibet peccato; igitur non quæuis affectum remouet ab omnibus, sed tantùm ab eo, cuius est specialis attritio; consequentia constat, quia affectus ad peccatum non remouetur, nisi per oppositam displicentia; antecedens probatur, nam omnis oppositio, vel est formalis, & expressa, fundatur in expressa detestatione peccati; vel virtualis, & implicita, quæ fundatur in motiuo vniuersali cadente super omnia; Neutram autem oppositionem habet attritio ęlicita ex motiuo speciali contrà vnum peccatum ad alia; ad quæ neque ex speciali, neque ex vniuersali motiuo se extendit, cùm nec ea detestatur formaliter, vt patet, nec virtualiter, quia non detestatur peccatum particulare ex motiuo communi cadente super omnia, ità discurrit Amicus *loc. cit. num.* 60.

Sed hæc differentia veritati, & doctrinæ Concil. Trident. *sess.* 6. *cap.* 6. & *sect.* 14. *c.* 4. congruere non videtur, quia dolor de peccato ex gratia, vt sufficiens dispositio ad sacramentum baptismi, & pęnitentiæ, nequit non esse ex voluntate destruendi culpam, vel eam secum non habere, nam *sess.* 6. *c.* 6. Concilium loquitur de dispositione requisita in sacramentum Baptismi, in quo comprehendit attritionem, quia hæc sufficit; non esset autem ex voluntate destruendi culpam attritio de aliquo particulari peccato cum complacentia de reliquis. Deindè *sess.* 14. *c.* 4. conditiones attritionis assignans ait, contritionem illam imperfectam, quæ attritio dicitur, quoniam vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu communiter concipitur, si voluntatem peccandi excludat cum spe veniæ, declarat donum Dei esse &c. si ergo debet voluntatem peccandi excludere, iam non poterit complacentiam de aliquo peccato retinere; Tùm quia spes, quæ ad iustificationem disponit, est qua speratur venia, seu remissio peccati, & Deum nobis fore propitium propter Christum, vt loquitur Trident. *loc. cit.* sed nunquam fit, aut promissa est propitiatio, nisi volenti absolutè remissionem peccati, & eius absentiam, vt fides docet, requiritur enim conuersio, imò repugnat stare odium absolutum peccati, quale est attritio, cum complacentia ipsius, & sine voluntate destruendi illud, vt notat Hiqueus loco citato. 165

Ad fundamentum in oppositum negatur assumptum loquendo de attritione supernaturali, quæ sit sufficiens dispositio ad iustificationem cum sacramento, ad probationem patet ex dictis paulò supra *n* 163. *in fine*, etiam attritionem, quæ fit ex particulari malitia alicuius peccati posse esse sufficientem dispositionem cum sacramento ad iustificationem, si alioquin sit sufficiens prorumpere in detestationem reliquorum, si menti occurrerent; vndè oppositio virtualis, & implicita attritionis cum peccatis commissis non tantùm fundatur in motiuo vniuersali cadente super omnia, vt assumitur in probatione illius antecedentis, sed etiam in promptitudine detestandi cętera peccata, si menti occurrant; quàm doctrinam etiam Amicus ipse fatetur expressis verbis in fine illius *sect.* 4. cùm inquit, cæterum cùm dicitur, attritio ex turpitudine peccati concepta sufficere ad iustificationem cum sacramento, vel intelligitur de turpitudine peccati sub aliqua ratione communi cadente super omnia; vel de ratione particulari, quæ sit sufficiens prorumpere in detestationem reliquorum, si menti occurrant; quibus verbis Amicus iam expressè fatetur oppositionem attritionis cum peccatis commissis virtualem, & implicitam non tantùm fundari in motiuo vniuersali cadente super omnia, vt assumit in argumento adducto, sed etiam in promptitudine detestandi cætera peccata, si menti occurrant, vt suprà dictum est.

Ex dictis ergò sufficienter deducitur, in quo attritio, & contritio conueniant, & in quo differant. Primò enim conueniunt ex parte obiecti materialis, & proximi, scilicet, peccati, nam ambæ circà illud occupantur; Deindè ex parte modi illud respiciendi, scilicet, auersando, & destruendo illud super omnia. Rursus in efficacitate destruendi illud, nam vterque actus voluntatem destruendi peccatum includit formaliter, vel virtualiter modo eis proportionato, & vterque includit voluntatem, & propositum non peccandi de cætero ex Trident. *loc. cit.* Item conueniunt in ordine, & origine, quia vterque est actus ordinis supernaturalis, & consequenter ex auxilio gratiæ procedens. Denique quia neuter requirit certum aliquem intensionis gradum, aut certam durationis quantitatem. Potissimum verò discrimen, & à priori inter attritionem, & contritionem sumendum est ex diuerso formali motiuo, in quod tendunt; nam formale motiuum, in quod contritio tendit, est peccatum, vt offensiuum Dei, eique aduersatiuum, vt supernaturali fini super omnia diligibili; formale autem motiuum, in quod tendit attritio, est peccatum detestabile propter aliquod motiuum infrà Deum super omnia diligibilem, quod Concil. Trident. *sess.* 14. *c.* 4. specificat communiter esse, 166

vel pec-

vel peccati turpitudinem, vel timorem pœnarum; cumque hæc differentia attritionis, & contritionis assignetur ibidem expressis verbis à Concilio, quisque tenetur ei se conformare, & talem differentiam, vt primariam, & essentialem agnoscere; Adhuc tamen Concilio non repugnat alias assignare differentias, veluti secundarias, & accidentales; qualis est illa, quod contritio causat se sola gratiam sine sacramento reipsa suscepto, & in effectu, sed cum solo eius voto, & in affectu, loquendo nimirum de causalitate dispositiua, non autem formali; attritio verò non causat gratiam sine sacramento reipsa suscepto, & in effectu; atque ideò illa se sola sufficit ad iustificationem extrà sacramentum obtinendam; hæc verò sufficit solùm ad iustificationem in sacramento obtinendam; hæc, inquam, etiam est vera, & propria differentia attritionis, & contritionis etiam ab eodem Concilio assignata, & passim à Theologis adducta; non tamen est primaria, & essentialis, ac veluti per causam, sed tantùm secundaria, & accidentalis, ac veluti per effectum; & si quæ aliæ etiam assignentur differentiæ inter attritionem, & contritione, pariter accidentales, & secundariæ censeri debent, vt ab illa omninò prima, & essentiali originem ducentes, quæ sumitur per ordinem ad obiecta formalia, & motiua, penes quorum diuersitatem actus essentialiter specificari solent.

ARTICVLVS TERTIVS

Aliæ quædam Difficultates de Attritione discutiuntur.

167 PRima difficultas est, An attritio possit fieri contritio, & quomodo; Faber *disp. 16. cit. cap. 3.* in fine difficultatem resoluitur iuxtà quatuor species attritionis ab ipso ibidem assignatas; Prima est detestatio peccati propter timorem pœnarum; Secunda propter turpitudinem peccati, & quia istæ duæ species sunt actus omninò diuersarum specierum à contritione, quia habent diuersos fines proximos, ideò nullam istarum attritionum ait fieri posse contritionem; At datur tertia species attritionis, quæ à contritione differt solùm penes intensionem, & remissionem, & ista est eiusdem speciei cum contritione, quia magis, & minus non variant speciem, & ideò ait istam fieri posse contritionem, vnde qui dolet de peccato propter Deum super omnia, sed tamen non habet intensionem debitam si actus ille continuetur, & intendatur vsque ad debitum terminum, & gradum, fit contritio, & hoc modo ait Scotum esse intelligendum, cùm ait attritionem fieri posse contritionem. Datur tandem quarta etiam species attritionis, quæ differt à contritione ex omissione alicuius circumstantiæ ad contritionem requisitæ ex inaduertentia intellectus, non tamen ponit aliquam circumstantiam malam; & istam quoque ait fieri posse contritionem apponendo circumstantiam omissam. Sed quia hæ duæ vltimæ attritionis species à Fabro adiunctæ reiectæ sunt *art. 1.* huius quæstionis *num. 152. & 153.* aliter est resoluenda hæc difficultas, vt rectè intelligatur quo sensu dixerit Doctor *dist. 14. quæst. 1. & 2. N.* attritionem fieri posse contritionem.

168 Pro resolutione igitur huius difficultatis recolendum est, quod diximus *art. præced. num. 156.* attritionem sumi posse vel iuxtà sensum Antiquorum Scholasticorum, qui per attritionem intelligebant illam peccati detestationem, siuè perfectam, siuè imperfectam, quæ gratiæ infusionem præcedebat, quem actum posteà continuatum post gratiæ infusionem contritionem appellabant. Vel in sensu Recentiorum, qui iuxtà modum loquendi Conc. Trid. *sess. 14. cap. 4.* per contritionem intelligunt detestationẽ peccati factam propter Deum super omnia diligibilem, quæ sine sacramento pœnitentiæ in re, sed solùm in voto peccata delet, & gratiam causat per modum moralis dispositionis; per attritionem verò detestationem factam ex inferiori, & imperfectioni motiuo, nempè pœnarum, vel turpitudinis peccati, quæ sine sacramento in re suscepto iustificationem non causat. Quando itaque Doctor *loc. cit.* ait attritionem fieri posse contritionem, attritionem, & contritionem accipit in primo sensu ab Antiquioribus vsurpato, vt patet legenti textum, in quo sensu vtique attritio fieri potest contritio, quia nullum est incõueniens, nec vlla repugnantia, quod actus doloris de peccatis commissis sine sacramento in re suscepto duret vsque ad illud instans, in quo Deus decreuit gratiam infundere sine sacramento, qui actus antè gratiæ infusionem dicatur attritio, quia est informis, & post talem infusionem dicatur contritio, quia est actus formatus, iuxtà modum loquendi Veterum, qui actum informem appellabant attritionem, formatum verò gratia contritionem; nulla enim est repugnantia, quod actus aliquis intrinsecè immutatus per solam adiacentiam ad aliquod extrinsecum, modò vnam habeat denominationem, modò aliam; & in hoc sensu quoque Doctorem explicant Hiquęus *dist. 14. quæst. 2.* in Comentario *numer. 115.* & Brancatus *disp. 9. artic. 4.*

169 At accipiendo attritionem, & contritionem iuxtà mentem Concilij *loc. cit.* & modum loquendi Recentiorum, pro dolore nimirum perfecto, & imperfecto ratione motiui, non verò gradualis intensionis, nunquam secundum rem, & essentiam attritio fieri potest contritio, nam cùm attritio, & contritio in hoc sensu sint actus essentialiter diuersi iuxtà diuersitatem obiectorum formalium, & motiuorum, a quibus specificantur, non potest vnus intrinsecè in alium mutari, quia fieri non potest, vt idem actus numero, qui erat antè essentialiter attritio, posteà fiat contritio; si enim qui anteà peccatum detestabatur ex motiuo pœnarum, vel peccati turpitudine, posteà ex motiuo charitatis illud incipiat detestari, tunc quidem ex attritio fiet contritus, non tamen attritio fiet contritio, sed post attritionem succedet contritio, sicut quando in aqua calori succedit frigus, dicitur quidem calidum fieri frigidum, non tamen calor fit frigus; vndè melius est dicere hominem ex attritio fieri contritum per aduenientem gratiam, quàm attritionem fieri contritionem, quia hic posterior loquendi modus significat mutationem intrinsecam attritionis in contritionem.

Et hinc patet intelligentia illius vulgaris dicti quod peccator virtute sacramenti ex attritio fi contritus; non enim sensus est attritionem intrinsecè mutari in contritionem, cùm enim sint actus essentialiter diuersi, non potest vnus intrinsecè in alium mutari; nec etiam ità debet intelligi quasi homo recipiens absolutionem eo ipso transeat ex actu attritionis ad actum contritionis, incipiatque peccata detestari ex perfecto motiuo propter Deum; sed intelligendum est solùm per denominationem ab effectu desumptam, ac veluti per quandam æquiualentiam, inquantum, scilicet vel recipit effectum virtute sacramenti nimirum iustificationem, quam alioquin habuisset ex vi contritionis, cuius defectum supplet absolutio; vel inquantùm contritio dicitur à conterendo, ac delendo peccato, per sacramentum enim abolentur, ac destruuntur peccata; & in hoc eodem sensu dici etiam potest attritio extrinsecè tantum mutari in contritionem, quia nimirum suscepta gratia per sacramentum, ea quæ ex intrinseco motiuo erat, & perseuerat attritio, dicitur ex superueniente gratia contritio, quia virtute sacramenti habet effectum contritionis, quod est reddere hominem gratum, & amicum Deo per iustificationem, & hoc totum est de mente Doctoris *4. dist. 17. quæst. vn.* vbi docet attritum virtute sacramenti iustificari, & est communis Theologorum sensus, & *dist. 14. quæst. 4.* in solutione ad *2. prin.* vbi in hoc eodem sensu iam explicato concedit attritionem fieri contritionem.

Secunda Difficultas est, An attritio etiam cognita, vt talis sufficiat ad iustificationem cum sacramento. Negant quamplures apud Auersam *quæst. 11. sec. 4.* quorum aliqui necessariam simpliciter putant esse in hoc sacramento contritionem perfectam, non solùm obligatione præcepti, sed etiam de necessitate valoris ad substantiam sacramenti, vel saltem de necessitate medij ad eius effectum, itaut etiam si bona fide quis confiteatur cum sola attritione nihil proficiat. Alij verò asserunt esse quidem ex obligatione præcepti necessariam in hoc sacramento perfectam contritionem ad dignè illud suscipiendi, eiusque effectum consequendum, non tamen necessitate medij, ità quod si quis bona fide accedat putans se esse contritum, cum tamen re vera sit tantùm attritus, adhuc recipit gratiam sacramenti, quibus ex nostris adhærere videtur Faber *disput. 16. cit. cap. 3. num. 69.* vbi ait, quod nota attritio, quæ est præcisè propter timorem pęnæ, & non propter Deum, non est vera attritio Christiana, nec sufficit ad sacramentum baptismi, vel pęnitentiæ dignè suscipiendum, eiusque effectum consequendum, quibus verbis significare videtur saltem esse debere putatam contritionem, licet posteà *disput. 18. capit. 3.* oppositum probabilius putet. 170

Dicendum tamen est in hoc sacramento non esse necessa-

tiam perfectam contritionem neque necessitate medij, neque obligatione præcepti, sed sufficere attritionem etiam cognitam ad recipiendam absolutionem, & gratiam sacramentalem. Ità Doctor *dist.* 14. *quæst.* 4. *cit.* in solutione ad 2. prin. vbi ait, Concedo ergo, quod ante perceptionem dignam pœnitentiæ oportet suscitari vel simpliciter, vel secundum quid, scilicet, vt habeat aliquam displicentiam de peccatis, & infrà *dist.* 19. in responsione ad quæstionem §. *contrà primum*, vbi determinat sacramentum pœnitentiæ posse dignè recipi ab attrito ea attritione, quæ non sufficere extrà sacramentum; & hoc idem iam antè statuerat de Baptismo 4. *d.* 4. *q.* 5. ab initio, vbi dicit accedentem ad baptismum debere esse de peccatis commissis vel contritum, vel saltem attritum, qua de causa nos quoque *disp.* 2. de Baptismo *q.* 5. *art.* 2. *num.* 128. diximus ad effectum baptismi consequendum, scilicet, gratiam necessariam non esse in adultis pœnitentiam, quæ sit vera, vel saltem putata contritio, sed sufficere attritionem etiam cognitam vt talem; & est communis in Schola, quam tenent Suarez, Vasquez, Lugus, Caspensis, Auersa, Coninch, Becanus, Valentia, Bellarminus, Bonacina, & ex nostris Hiqueus, Poncius, Brancatus, Aretinus, & alij Theologi passim.

Probatur autem primò ex doctrina Euangelij, *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, & vbicunque clauium fit mentio, quarum clauium, potestas data esset solùm ad declaranda omnia peccata mortalia iam remissa per cõtritionem non autem ad remittenda, nisi sufficeret attritio cum sacramento, vt patet; fateri ergo oportet aliquam dispositionem esse, quæ licet per se non sufficiat ad consequendam peccatorum veniam, sufficit tamen cum sacramento, quæ vtique non est perfecta contritio, sed solùm attritio; & hoc non solùm in eo qui putaret se esse perfectè contritum, sed etiam in eo, qui cognoscit se solùm attritum. Deindè probatur ex Concilio Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. vbi attritioni tribuit eam vim cum sacramento, quam habet contritio extrà sacramentum, sufficit autem contritio ad iustificationem, rursus attritioni tribuit vim in sacramento, quam ei negat extrà sacramentum, ergo supponit in sacramento esse sufficientem ad iustificationem. Neque dicas ibi Concilium loqui de attritione, quæ contritio æstimetur. Nam loquitur ibi de ea, quæ concipitur ex metu gehennæ, vel peccati turpitudine, hæc autem est æstimata attritio, & cognita, vt talis; tùm quia æstimatio non facit ad veritatem dispositionis præsertim, quando est erronea, sicut illa, quæ putat attritionem esse contritionem, cùm re vera non sit talis; nam veritas contritionis non pendet ab æstimatione nostra, sed solùm ab acceptatione diuina, circumstantijs honestis, & gratia. Tandem probatur ex institutione huius sacramenti, quod dicitur mortuorum, & per modum iudicij reconciliatiui; ergò de se non supponit vitam, & reconciliationem anteà habitam, scilicet per contritionem; tum quia institutum est, tanquam nouum remedium ad faciliorem remissionem peccatorum, quo carebat lex vetus, at nisi sufficeret attritio cum ipso, sed requireretur contritio, esset grauior, & difficilior remissio in lege noua, quàm antiqua, in qua sola contritio sine onere suscipiendi sacramentum, iustificabat; cùm ergò sufficiat attritio cum sacramento ad veniam peccatorum obtinendam, non solùm non tenetur peccator accedere cum contritione, sed potest sciens, & volens cum tali dispositione accedere ad sacramentum, qua virtute sacramenti iustificetur, quod est diceret attritionem etiam cognitam, vt talem sufficere cum sacramento ad iustificationem.

172 Sed Obijciunt Primò, quia ad remissionem peccati requiritur perfecta conuersio, non enim peccator iustificari potest, nisi toto corde conuertatur ad Deum; perfecta autem conuersio ad Deum est sola contritio, quæ etiam dicitur medium ad salutem necessarium, dùm enim olim Scriptura exigebat ad iustificationem peccatoris pœnitentiam, vtique de perfecta pœnitentia idest contritione loquebatur, non apparet autem vbi, vel quando huius pęnitentiæ necessitas relaxata sit. Conf. ex communi Theologorum dicto, quod peccator per sacramentum ex attrito, fit contritus ergò ad iustificationẽ requiritur contritio, si non formalis saltem putatiua quæ erit attritio non cognita, vt attritio, sed quæ putetur contritio. Tandem vera pęnitentia debet detestari peccatum super omnia mala, si non intensiuè, saltem apprętiatiuè ex parte obiecti, & motiui ex dictis *quæst. præc.* sed non est talis pœnitentia, nisi sit ex motiuo diligendi Deum super omnia, quæ est perfecta contritio; ergo hæc necessariò requiritur.

Respond. ad remissionem peccatorum requiri perfectam conuersionem extrà sacramentum, non tamen in sacramento, vel cum sacramento; sic etiam contritio dicitur medium necessarium, non simpliciter, sed ex suppositione, quod non sit, vel concurrat sacramentum, itaut in lege noua necessarium sit solùm hoc disiunctum, vel contritio, vel attritio cum sacramento, quod est beneficium Euangelij duram illam, ac strictam veterem necessitatem mollientis, ac lenientis, dùm hoc nobis disiunctum donat, vndè licet olim Scriptura exigeret pœnitentiam, quæ esset idonea ad remissionem peccatorem, qualis tunc non erat, nisi perfecta contritio; talis tamen necessitas per institutionem ipsam huius sacramenti relaxata est, dùm conceditur nobis illud disiunctum ad obtinendam peccatorum veniam.

Ad Confirmationem, potest quidem peccator ex attritio fieri contritus formaliter in hoc sensu, quod post attritionem eliceat veram contritionem in sacramento, non tamen id necessariò euenit, potest enim pœnitens adhuc dolore præcisè metu pœnæ absque actuali dilectione; non potest tamen idem actus attritionis euadere formalis contritio, sunt enim actus essentialiter diuersi propter diuersitatem motiui, vt patet ex proximè dictis; ex attrito enim peccator fit contritus per sacramentum in hoc sensu, vt dicebamus, quod in sacramento recipit gratiam, perindè ac si esset contritus, vndè ex attrito fit contritus, non formaliter, sed ęquiualenter, seù quoad effectum, quomodo etiam attritio ob coniunctionem cum sacramento æquiualet contritioni quoad effectum iustificandi, etiamsi attritio cognoscatur, vt talis. Ad vltimum neganda est minor, quia vt dictum est *artic. præced. num.* 161. & 163. vera pęnitentia, vt communis est ad contritionem, & attritionem Christianam, de qua tantùm est sermo, debet detestari peccata super omnia mala, & incommoda, in quibus vitandis peccatum comittretur, itaut pœnitens paratus sit abstinere potius à quocunque commodo, in quo peccatum inueniatur, quàm in ipsum peccatum consentire; hanc autem promptitudinem potest habere, vt etiam aduertit Auersa *loc. cit.* & nos diximus suprà *num.* 163. non solùm ex supremo motiuo propter Deum, sed etiam ex alio inferiori motiuo infrà Deum, vt ob turpitudinem peccati, vel metum Inferni, vt ibi declaratum est.

Dices, qui scit se esse attritum, & non contritum, accedit ad sacramentum cum conscientia peccati mortalis; ergo ponit obicem gratiæ, peccatum enim mortale gratiæ repugnat. Respondeo, cum Caspensis *disp.* 4. *sec.* 10. & alijs negando consequentiam, quia ille solus gratiæ sacramentali obicem ponere censetur, qui accedit cum dispositione repugnare effectui, ad quem primò, & per se sacramentum ordinatur; conscientia autem peccati mortalis non repugnat remissioni ipsius peccati, ad quàm tanquam ad proprium effectum primò, & per se sacramentum Pęnitentiæ ordinatur; Sed quod repugnat remissioni peccatorum est complacentia in ipsis, & propositum, vel voluntas peccandi mortaliter, & ideò ad hoc sacramentum dignè recipiendum necessariò prærequiritur, quod pœnitens habeat veram attritionem Christianam, quæ omnem complacentiam in peccato, & omne propositum, ac voluntatem peccandi mortaliter excludit.

Tertia Difficultas est, an attritio debeat esse formalis, & expressa detestatio siuè dolor de peccatis; an verò sufficiat virtualis. 173 Nauarrus *capit.* 1. *numer.* 18. Emanuel Sà verbo *Contritio*, & alij Summistæ affirmant sufficere virtualem, vndè dicunt ad effectum huius sacramenti sufficere eam attritionem, qua pœnitens dolet se non habere dolorem peccatorum. Communis opinio tamen est, dolorem debere esse formalem, & expressum de peccatis, & virtualem non sufficere; ità Vasquez, Hurtad. Caspensis, & alij; & probatur tùm ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. & 4. vbi insinuat ad effectum huius sacramenti consequendum requiri dolorem formalem de peccatis; tùm ex institutione huius sacramenti per modum iudicij voluntarij reconciliatiui, quod non potest consistere, nisi ille, qui vult reconciliari cum eo, quem offendit, verè, & actu doleat de offensa, eamque detestetur, sicut veram, & actualem accusationem externam exhibet; Quarè qui verè non dolet, nullo modo iustificatur, estò si id inculpabiliter faciat, nouam culpam non committat. Ex quo etiam sequitur

sequitur neque iustificari etiamsi doleat, se non dolere, neq; enim dolere de carentia doloris est dolere de peccatis, sicut si doles, quia non amas aliquem, non ideò illum amas; tùm quia dolere de defectu, seù carentia doloris non est dolor de peccato, nec expressè, vt patet, nec virtualiter, quia carentia illa doloris, seù dolor de tali carentia non continet virtualiter dolorem de peccato, cùm sufficiens non sit, nec efficax ad excitandum dolorem de peccato.

174 Ità tamen loquitur communis opinio, quia ex quatuor modis pœnitendi à Scoto assignatis *dist.* 14. *quæst.* 1. *art.* 3. §. *de Secunda conclusione*, solùm secundum agnoscit, quod est detestari, vel odire peccatum à se commissum, seù displicentiam habere de peccato à se commisso; at etiam alio modo potest voluntas pœnitere, vt Doctor docet ibidem, per actum scilicet imperatiuum imperando nimirum intellectui, vt consideret peccatum, vt offensiuum Dei, & imperando sibi ipsi nolitionem, seù detestationem peccati commissi ad causandam tristitiam, & dolorem; & hoc modo pœnitere est vindicare, vel punire peccatum à se commissum, quia applicare sibi pœnam est tenere eam, & istud potest intelligi, inquit Doctor, siuè applicet, vel infligat pęnam in effectu, vel affectu, quia vindicans non minus vindicat, etsi quandoque pęna non sequatur propter defectum alicuius causæ secundæ, dùm tamen ipse æquè, & iustè intendat pęnam infligere, quem pęnitendi modum, vt primum, & præcipuum à Scoto assignatum latè declarauimus ab initio huius *disp. quæst.* 1. *art.* 1. Iuxtà igitur hunc dicendi modum prima opinio optimè defendi potest, quod etiam interdum sufficiat dolor virtualis de peccatis, ac etiam dolor non habendi dolorem peccatorum; si enim pęnitens per actum voluntatis imperatiuum causas proximas tristitiæ, & dolor applicuit, nimirum considerationem turpitudinis peccati, & nolitionem eius; quamuis dolor, & pęna non sequatur interdum ex defectu alicuius causæ secundæ, adhuc non minus verè pęnitere censendus est, quia vt inquit Doctor *loc. cit.* vindicans non minus vindicat, & si quandoque pęna non sequatur propter defectum alicuius causæ secundæ, dùm tamen ipse æquè, & iustè intendat pęnam infligere.

175 Quarta tandem Difficultas est, An ad valorem sacramenti requiratur, quod prædictus dolor confessionem præcedat. Coninchius *disp.* 4. *dub.* 6. censet dolorem huic sacramento necessarium debere esse priorem, non solùm natura, sed etiam tempore confessione; Fundamentum est, quia confessio debet reddere sensibilem dolorem internum significando illum; non potest autem esse signum doloris, nisi ex ipso dolore procedat, neque enim alio modo dolorem significare potest, nisi tanquam causam; ergo si dolor non est causa confessionis, non redditur dolor sensibilis per confessionem. Confirmatur, quia confessio debet esse signum doloris, actus verò externus non potest esse signum interni, quem non supponit. Denique accusatio vera debet esse profecta ex odio delicti; ergò si confessio non oritur ex dolore, non fuit vera accusatio.

176 Dicendum tamen est, opus non esse, quod prædictus dolor confessionem præcedat, sed satis esse si ipsam sequatur antè absolutionem; ità Suarez *disp.* 20. *sess.* 4. Lugus *disp.* 14. *sess.* 3. Amicus *disp.* 12. *sess.* 4. Caspensis *disp.* 4. *sess.* 10. & ferè est communis in Scholis; probatur ex praxi fidelium tam pęnitentium, quàm Confessariorum, si enim illi aliquandò peccata confitentur absque dolore, & à Confessarij exhortatione excitati dolent, non repetunt peccata, neque ab ijs ad ea repetenda vrgentur, sed statim absoluuntur, tanquam ritè, & sufficienter dispositi. Confirmatur, quia nulla est ratio, cur dolor ille subsequens non sufficiat, quia licet confessio sine dolore facta, nec sit sacramentalis, nec accusatio, tamen per subsequentem dolorem informata, & subiecta clauibus, & accusatrix, & sacramentalis est. Tandem rectè proceditur in hoc negotio, si facta priùs omnium peccatorum explicatione, & posteà concepta contritione, vel attritione postremò dicat pęnitens se dolere de omnibus peccatis iam expositis, & illorum veniam petere; & si nihil dicat pęnitens sufficit, quod expositis omnibus peccatis percutiat pectus, vt fieri solet, nam etiam illa sola pectoris tunsio est vera accusatio, vt potè doloris effectus, & index.

Ad fundamentum in oppositum dicendum est, contritionem in eo casu, vel attritionem fieri sensibilem per ipsam confessionem præcedentem, ad quod non requiritur, quod confessio sit effectus doloris, sed voluntatis suscipiendi sacramentum, & hæc voluntas inferat positionem doloris necessarij; vndè confessio significare potest dolorem, non solùm, vt sui causam, sed etiam vt coeffectum prouenientem ab alia causa, nempè à voluntate, seù intentione suscipiendi sacramentum, ac consequenter ponendi omnia ad illud requisita; Cùm autem vnum ex his sit dolor, eo ipso quod pęnitens peccata confitetur, ostendit se de ijs doluisse vel dolorem habiturum esse antè absolutionem; Confessio autem non solùm significat causam illam idest intentionem dictam, sed etiam alium effectum eiusdem intentionis, nempè dolorem cum ipsa connexum, & ab ipsa inseparabilem, sed disiunctiuè, scilicet, vel positum, vel ponendum antè absolutionem, quo dolore siuè præterito, siuè præsente, siuè etiam consequente sufficienter redditur dolorosa confessio propter connexionem, scilicet, confessionis, & doloris in illa intentione suscipiendi sacramentum cum omnibus requisitis. Ad Confirmationem pariter dicendum est actum externum esse posse signum actus interni vel præcedentis, vel saltem concomitantis, & in prædicto casu confessionem esse signum doloris concomitantis modo iam explicato. Ad vltimum eodem modo dicendum est, accusationem veram procedere ex odio delicti vel præcedente, vel saltem concomitante, quod in eo casu non respicit propriè, vt sui causam, sed vt coeffectum ab eadem causa manentem, scilicet, ab intentione suscipiendi sacramentum cum omnibus requisitis.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Necessitate Pœnitentiæ Virtutis ad remissionem peccati mortalis.

Pœnitentiæ necessitas refertur immediatè ad iustificationem, seù remissionem peccatorem, & quidem mortalium; mediatè verò ad glorificationem, seù æternam salutem, & procedit quæstio de potentia ordinaria, non de extraordinaria, qua posset Deus remittere peccata; nam de tali potentia loquendo inquit Doctor 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. V. non esse ita necessariam vt sine ea implicet contradictionem remissio peccati, quia posset Deus de absoluta potentia sine vllo actu peccatoris omnem culpam, & pęnam remittere, vt iam statuimus *lib.* 2. *disp.* 7. *de Iustificatione quæst.* 4. & quando etiam Deus peccatum remittere vellet mediante aliquo peccatoris actu, adhuc sine pęnitentia remittere posset, sicut enim de facto destinauit pęnitentiam inter media necessaria ad culpæ remissionem, ità destinare potuit alium actum, scilicet temperantiæ, misericordiæ, &c. cum id absolutè ex sua voluntate dependeat. Procedit etiam quęstio solùm de adultis, etenim de paruulis loquendo certum est iustificari posse & de facto sic iustificari per gratiam eis in baptismo collatam sine aliquo motu voluntatis eorum, cuius in ea ætate sunt incapaces. 177

Pęnitentia autem duplex est, formalis, seù explicita, nempè detestatio, & dolor de peccato cum proposito emendationis; & virtualis, seù implicita, quæ consistit in delectione Dei super omnia, seù in actu perfecto amoris Dei, qui virtute continet pęnitentiam formalem. Duplex etiam est necessitas nempè medij, & præcepti, vt explicatum est *disp.* 1. de sacramentis in genere *q.* 10. *art.* 3. dicitur aliquid necessarium necessitate medij, sine quo, vel ex natura rei, vel ex institutione Dei non potest haberi finis, itaut carentia, & omissio ipsius, siuè culpabilis, siuè inculpabilis impediat consecrationem finis, vndè vocatur necessitas finis, & vnicum medium; illud verò dicitur necessarium necessitate præcepti, cuius culpabilis tamen, non autem inculpabilis transgressio, vel omissio impedit consecutionem finis, vt *loc. cit.* declarauimus. Nunc igitur in hac quæstione per distinctos articulos explicandum est; Quanta sit huius pęnitentię necessitas; Quæ, & qualis pęnitentia sit necessaria ad salutem; Vndè talis necessitas oriatur. Et tandem quando talis necessitas vrgeat. 178

ARTICVLVS PRIMVS.

Quanta sit Pœnitentiæ necessitas.

178 PRimò Dicendum est pęnitentiam esse necessariam necessitate medij ad salutem homini lapso in peccatum mortale. Hæc assertio est de fide, quam Scotus docet *4. dist. 14. quæst. 1. D. & X. & dist. 17. F.* vbi indiscriminatim loquitur de omni statu hominis post peccatum; & probatur ex sacra Scriptura quæ vbique peccatoribus hoc vnicum pęnitentiæ remedium proponit, vt Eccl. 3. *si pœnitentiam non egerimus, incidemus in manus Domini, & non in manus hominum*, & Lucę 13. *nisi pœnitentiam egeritis, omnes simul peribitis*; quare dixit Concil. Trid. *sess. 14. c. 1.* quod fuit pœnitentia vniuersis hominibus, qui se mortali aliquo peccato inquinassent quouis tempore ad gratiam, & iustitiam assequendam necessaria. Deindè probatur ex Patribus qui nil frequentius inculcant, quàm vt peccatores pęnitentiam agant, quia hoc est illis vnicum salutis remedium, vndè inquit August. *ep. 50. nisi egeritis pœnitentiam, saluus esse non poteris*, qua ratione etiam pœnitentiam secundam tabulam post naufragium appellare solent, per quam veluti vnicum remedium post fractam innocentiæ nauim à naufragio eripimur, & portum saluus intramus, dicitur autem secunda tabula post naufragium, quia prima est baptismus, per quem homo naufragus ex peccato originali saluatur, vt notat Doctor *dist. 14. cit. q. 1. D.* Ex quo loquendi modo Scripturæ, & Patrum satis constat pęnitentiam esse propriè necessariam necessitate medij ex institutione, & ordinatione Dei, sine quo non contingit peccatorem iustificari; adeout si peccator etiam absque noua culpa impœnitentiæ, sed vel ex inculpabili obliuione, vel ex subitanea morte, aut iudicij amissione deficiat in adhibenda debita pœnitentia, non iustificabitur, neque saluabitur, sed ob priorem culpam non remissam damnabitur; Ratio autem à priori huius necessitatis fuit voluntas Dei, qui nobis in Scripturis explicuit nolle se peccantibus peccata remittere, nisi illos pœniteat; ac etiam maxima congruentia ipsius rei, non enim censetur homo pacem velle, & amicitiam cum Deo, eique reconciliari, sed potius manere illi auersus, eiusque amicitiam negligere, nisi peccatum detestetur, quo illum offendit, & ab eo recessit, quam rationabilem congruentiam etiam Scotus adduxit *dist. 14. q. 1. X.* dicens, quod sicut per peccatum homo auertitur à Deo, & conuertitur ad creaturam, ità est necessarius motus oppositus, vt conuertatur ad Deum; hic autem est odium, & detestatio peccati.

Dices, ex Scriptura non videri præcisè necessariam esse pęnitentiam ad peccata delenda, quia quibusdam etiam alijs pijs operibus veniam peccatorum promittit, vt eleemosinæ Lucæ 11. *Date eleemosinam, & omnia munda sunt vobis*, remissioni iniuriarum Math. 6. *si remiseritis hominibus peccata eorum remittentur vobis peccata vestra*, orationi etiam promissa est impetratio, correctioni fraternæ, & alijs virtutum actibus. Respondetur tribui illis remissionem peccatorum quoad pęnam post remissam culpam, quia solet remanere reatus aliquis pęnæ temporalis, quem consequenter diluere possumus alijs virtutum actibus; potest etiam eis tribui peccatorum remissio quoad culpam, sed per modum impetrationis, siuè etiam dispositionis non tamen proximæ; sed remotæ, quatenus de congruo auxilia merentur, quibus ad pęnitentiam excitamur.

179 Secundò Dicendum est, pęnitentiam esse etiam necessariam necessitate præcepti. Conclusio est communis in Schola contrà quosdam apud Card. de Lugo *disp. 7. sect. 10.* putantes pœnitentiam non esse etiam necessariam necessitate præcepti, sed solùm necessitate medij, atque adeò peccatorem non pęnitentem damnari solùm ob peccatum, de quo non pęnitet, & non ob aliud nouum impœnitentiæ; clarè deducitur ex Scriptura, quæ non semel de peccatis commissis pœnitentiam iniungit sub forma præcepti; vt Ezech. 18. *conuertimini, & agite pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus vestris* Ioel. 2. *conuertimini ad me, scindite corda vestra* Math. 3. *agite pœnitentiam*, & alibi frequenter, quæ verba vtique præceptum sonant, vt satis de se constat. Probatur etiam ratione, quia si pœnitentia est necessaria, tanquam medium, non potest non esse etiam ex præcepto, quia sicut homo tenetur ad sibi procurandum suum vltimum finem, & beatitudinis consecutionem; sic pariter tenetur ad ponenda media necessaria pro talis finis consecutione, qui enim non vult medium necessarium, & vnicum, non vult efficaciter finem; ergò saltem ex obligatione propriam salutem procurandi obligatio etiam pœnitentiæ oriri debet.

Sed Obijcies, impęnitentiam prout est solùm permanentia in peccato vsque ad mortem, non esse speciale peccatum, 180
sed circumstantiam quandam peccati; & solam impenitentiam, prout est propositum non pœnitendi, esse speciale peccatum, vt docet D. Thomas 2. 2. *qu. 14. art. 2.* sed certè si daretur speciale pręceptum pęnitentiæ, impœnitentia quoq; esset speciale peccatum; ergo tale speciale præceptum non datur. Confirmatur, quia si impęnitentia esse speciale peccatum contrà speciale præceptum, sequeretur nullum damnari posse ob vnum solum mortale, quod est falsum, siquidem sufficit vnum mortale peccatum ad incurrendam damnationem æternam; consequentia patet, quia omne aliud mortale peccatum, in quo quis decederet, haberet adiunctum aliud impęnitentiæ.

Respondetur negando maiorem, tunc enim solùm finalis impęnitentia non est speciale peccatum, quando quis non aduertendo obligationem pęnitendi, in peccatis suis moritur, vt accidit, quando repentina morte perimitur, cùm ratione inaduertentiæ non sit voluntaria, aut culpabilis; secus autem est, quando quis aduertit se impęnitentem mori, in quo præsertim puncto tale præceptum vrget; nam tunc saltem interpretatiuè vult non pęnitere, & sic potest dici habere propositum non pęnitendi, atque ità etiam speciale peccatum committere contra tale præceptum, quod præsertim vrget in mortis articulo; de mente autem D. Thomæ variæ sunt expositiones, vt videri potest apud Lugum loco citato.

Ad Confirmationem negatur consequentia, potest enim aliquis etiam de facto cum vno solo mortali decedere, si vt in casu allato repentina morte præuentus absque noua culpa deficiat in exercenda pęnitentia, & sufficit quidem vnum mortale peccatum ad incurrendam damnationem æternam; secus autem est, quando quis aduertit se impęnitentem mori, nam in eo casu nunquam aliquis moritur cum vno solo peccato mortali, neque in hoc vllum est inconueniens.

Tertiò Dicendum est, pęnitentiam esse peccatori necessariam, non tantùm ex præcepto positiuo, sed etiam naturali. Hæc etiam est communis, & Scoti præsertim *dist. 14. cit. quæst. 1. & 3. A.* Quod cadat sub præcepto diuino positiuo patet ex locis iam citatis tam pro veteri, quàm pro nouo 181
testamento, vel enim est sermo de pęnitentia sufficiente extrà sacramentum, vt est contritio, vel de illa, quæ solùm sufficit cum sacramento, qualis est attritio; sed quælibet istarum sub disiunctione præcipitur in lege noua, in lege autem veteri præcipiebatur contritio, vt patet ex dictis, & amplius patebit ex dicendis, ergo &c. Quod etiam sit de præcepto naturali probatur, quia ius naturæ obligat, vt homo applicet ea, quæ sibi sunt necessaria ad finem consequendum, quem sibi acquirere tenetur; sed pęnitentia est necessaria de lege ordinaria ad iustificationem acquirendam, & hæc omninò necessaria est ad beatitudinis consecutionem, quam vnusquisque sibi procurare tenetur, ergo &c. Confirmatur, quia homo ex natura rei, & dictamine rationis tenetur se ordinare ad Deum, quem super omnia diligere debet; absolutè autem ad Deum ordinatur per eius dilectionem, per pęnitentiam verò supposita culpa; ergo sicut diligere Deum cadit sub obligatione naturalis præcepti, ità & post peccatum pęnitere, Deo enim tanquam vltimo fini non solùm debet homo dilectionem suam, sed etiam conuersionem per pęnitentiam, si per peccatum recessit. Demum hoc etiam probat Doctor 4. *dist. 17.* quia ea sub lege naturali cadunt, quibus intellectis, seu cognitis statim cognoscitur obligatio exequendi; sed primum principium naturale est, odiendum esse omne malum, quod est cognitum, vt tale, & omne malum, quod sibi vel alienæ personæ nocet, vndè qui alterum offendit, ex natura rei remanet obligatus ei satisfacere, & iniuriam compensare, quantum potest; ergo peccator eo ipso, quod cognoscit peccatum esse malum, & Dei offensam, ac etiam sibi obnoxium, tenetur præcepto naturali illud odire, Deo satisfacere per pęnitentiam, & propriam indemnitatem sibi procurare.

Sed obijcies, quia non apparet ad quod præceptum Decalogi spectet hæc obligatio pęnitentiæ; sed omnia præcepta

cepta naturalia in Decalogo continentur ergò hæc obligatio non est de iure naturali. Confirmatur, quia difficile est assignare tempus, pro quo obliget præceptum pœnitentiæ iure naturali post peccatum;& ad quam pœnitentiam obliget tale præceptum, cùm hæc sit multiplex, & varia esse possit, alia enim sufficit in sacramento solùm, vt attritio, alia etiam extrà sacramentum, vt perfecta contritio; alia est formalis, & explicita, alia virtualis solùm, & implicita; difficile tandem est assignare certum motiuum, vndè hæc naturalis obligatio pœnitentiæ oriatur, & quod ex natura rei inferat obligationem pœnitentiæ de iure naturali; qua de causa dixerunt aliqui talem obligationem oriri ex motiuo singularum virtutum, contrà quas homo peccauit; quod nullo modo dici potest, quia quælibet virtus v.g. temperantia per se solum obligat, ne quis committat intemperantiæ peccatum, nec illud repetat, vel continuet; Iustitia obligat, vt qui furatus est rem alienam, ne illam retineat, sed non per hoc obligat, vt talis posteà per pœnitentiam resurgat, vt expellat peccati maculam, neque ad hoc se extendit illius virtutis obligatio.

182 Respondetur in primis, nullam esse necessitatem talis reductionis, neque hoc præiudicare obligationi, non enim opus est omnia præcepta naturalia in Decalogo inueniri, quædam enim sunt præter decalogum, vt constat de actibus virtutum Theologalium ergà Deum, & operibus misericordiæ ergà proximum; nam præceptum diligendi Deum, quod est primum, & maximum mandatum non est expressè in decalogo, in quo primum præceptum magis videtur esse de cultu, quàm de dilectione Dei; ità Vasquez, Lugo, Auersa, Brancatum, & Faber ex nostris, & alij Recentiores; Quoniam verò Scotus 3.*d.vlt.* & 4.*d.*17.*q.v.X.* insinuat omnia præcepta siuè veteris, siuè nouæ legis ad aliquod præceptum Decalogi esse reducenda; potest obligatio pœnitentiæ ad primum præceptum reduci *Vnum cole Deum*, quatenus oritur ex obligatione diligendi, & reuerendi Deum, impœnitentia enim vtriusque opponitur, scilicet amori, & reuerentiæ Deo debitis; Vel etiam si placet potest cum Vega *lib.*13.super Concilium *c.* 20. reduci ad aliud præceptum secundæ tabulæ *Non occides* illud etiam extendendo ad vitam spiritualem tam in se, quàm in proximo conseruandam, vel recuperandam, contrà cuius amorem peccat homo pœnitentiæ remedium non adhibendo, quod est vnicum medium ad salutem æternam. Ad Confirmationem, in sequentibus assignabitur tempus, pro quo præceptum pœnitentiæ obligat, & declarabitur ad quam pœnitentiam obliget tale præceptum; hoc interim certum est præceptum obligare ad talem pœnitentiam, quæ sufficiat ad remissionem peccati, quæ quidem potuit à Deo diuersimodè ordinari, vt potè in euangelica lege institutum est sacramentum, cum quo sufficit sola attritio, quod anteà non erat.

183 Quo autem ad assignandum motiuum huius præcepti varij sunt modi dicendi; Aliqui dicunt ideò peccatorem teneri ad contritionem, quia tenetur à seipso remouere malum peccati, quod est mors animæ, atque adeò quando non potest illud auferre alio medio, quàm contritione, tenetur ad illud ex motiuo dilectionis propriæ, ità Vega *loc. cit.* & quidam alij Thomistæ. Sed quamuis verum sit præceptum hoc oriri etiam ex motiuo charitatis ergà seipsum, vt posteà dicemus, non tamen in hoc sensu id asserendum est, quia si auertere à se damnum spirituale esset huius præcepti motiuum sufficiens, sequeretur peccatorem eo ipso, quod peccauit, teneri ex præcepto statim ad reparandum tale damnum, quod sibi per peccatum intulit, quod falsum esse posteà demonstrabimus; consequentia probatur, quia quicunque ex præcepto tenetur ad reparandum damnum sibi, aut alteri illatum, incipit teneri eo ipso, quod damnum intulit. Quidam alij Thomistæ dixerunt obligationem specialem pœnitentiæ oriri ex motiuo Fidei, quod significasse videtur S.Thomas *ar.*5. ad 2. vbi ait, quod requirit ipsa fides, vt per virtutem passionis Christi quærat homo iustificari à peccatis. Verùm neque hoc benè dicitur, alioquin peccator impœnitens semper per hoc diceretur peccare contrà fidem, quod patet esse falsum; vndè solùm generali quadam ratione, & radicaliter, non formaliter, dici potest obligatio pœnitentiæ ex fide oriri, quatenus nos fides instruit huiusmodi medijs necessarijs, & præceptis supernaturalibus, vt notauit Auersa *quæst.* 1.*sec.*5. Alij ex alijs virtutum motiuis conantur tale præceptum deducere; sed vt hæc difficultas breuiter resoluatur.

Quartò Dicendum est peccatorem ex triplici præsertim motiuo obligari ad pœnitendum; primò ex præcepto dilectionis Dei super omnia, & ex debito charitatis ergà Deum, quem sicut tenemur super omnia diligere, ità eius malum, & offensam auersari; ità significat Doctor 4.*d.*17.*q.*1.*sub F. vers. Aliter ergo*, vbi inquit, quod quicunque primam gratiam amisit, tenetur de necessitate præcepti illius *Diliges Dominum Deum tuum* agere quantum in se est ad eius recuperationem, & licet specialiter ibi loquatur de confessione sacramentali, eadem tamen ratio etiam de contritione concludit; si ergo vult peccator adimplere præceptum charitatis ergà Deum, necesse est, quod se auertat à creaturis, & iterum conuertatur ad Deum; talis autem motus est contritio extrà sacramentum, vel attritio cum sacramento, vel ipsa dilectio Dei, in qua includitur formaliter, vel virtualiter pœnitentia; ergo pœnitentia est necessaria ratione præcepti charitatis ergà Deum. Deindè inquit Doctor ibidem esse etiam necessariam pœnitentiam ratione præcepti charitatis ergà seipsum, quod quidem non est intelligendum in sensu iam reiecto Thomistarum, quod teneatur à seipso remouere malum peccati, quod est mors animæ, sicut tenetur se eripere ex miseria corporis, quemadmodum etiam Faber ex nostris intellexisse videtur *disp.*18.*cap.*1.*n.* 11. Sed ità debet intelligi, quia peccator tenetur impedire malum damnationis æternæ, nam hoc præceptum per se, solùm obligat, quando imminet periculum damnationis æternæ; signum ergò est hoc præceptum ideò obligare, quia homo tenetur auertere à se ipso malum damnationis æternæ. Et quidem si homo tenetur impedire proximo damnationem æternam, qua ratione tenetur puerum in periculo mortis constitutum baptizare, & adultum in eodem periculo à peccatis absoluere, si potestatem habeat, & ille absolutionem petat; tantò magis tenetur à seipso auertere malum damnationis æternæ, cum strictius obliget præceptum charitatis ergà seipsum, quàm ergà proximum. 184

Denique hæc obligatio oritur quoque ex motiuo; & debito iustitiæ ergà Deum; & specialis virtutis pœnitentiæ; ex primo quidem motiuo, quia tenetur peccator satisfacere Deo ob iniuriam ipsi illatam, eamque quantum potest per pœnitentiam resarcire; si enim inter homines qui alterum offendit, ex hoc ipso remanet obligatus illi satisfacere quantum potest, eò magis qui Deum offendit, quod totum concernit obligationem iustitiæ; Et quamuis Cardinal de Lugo *disp.*7.*num.* 182. neget ex hoc titulo iustitiæ prouenire obligationem pœnitentiæ, & satisfactionis; nos tamen iam *lib.* 3.*disp.*4 de Satisfactione Christi *qu.* 2. satis ostendimus concedi debere talem iustitiæ obligationem in eo, qui peccauit, ad satisfaciendum Deo, quantum possit ex parte sua. Oritur quoque hæc obligatio ex motiuo virtutis specialis pœnitentiæ, quia iam suprà dictum est pœnitentiam esse speciem iustitiæ vindicatiuæ, siquidem Deus homini committit, vt pro patrato elicito se puniat, ideoque impœnitentia per se, & directè est contrà iustitiam vindicatiuam; dictum est etiam esse aliquo modo speciem quoque iustitiæ commutatiuæ, quatenus pœnitentia ipsa assignatur, tanquam specialis virtus ab alijs distincta propriè tendens ad satisfaciendum Deo; ideoque hæc obligationis ratio propriè ipsi pœnitentiæ tribuitur, vt specialis virtus est. Adhuc tamen verum est, vt hic passim omnes aduertunt, præter hæc motiua generalia, in quibusdam casibus aliquod aliud particulare motiuum occurrere posse ad pœnitentiam obligans, vt si Superior pœnitentiam subdito iniungat ex motiuo obedientiæ, vel aliquo alio, tunc talis virtus ad pœnitentiam obligabit; Sic etiam qui est sacramentum administraturus, vel Eucharistiam suscepturus, aut aliud ex sacramentis, quæ dicuntur viuorum, tenetur si erat in peccato, se per pœnitentiam in statu gratiæ constituere, in quo casu obligatio oritur ex motiuo, & virtute Religionis ob dignam, & reuerentem Sacramentorum tractationem. 185

Sed Obijcies, quia hæc motiua impœnitentiam specificare non possunt, eò quod reperiuntur in omni peccato, nam oppositio contrà dilectionem Dei est conditio generalis in omni peccato inclusa, cùm quolibet peccatum sit offensa Dei super omnia diligibilis; Sic etiam oppositio contrà dilectionem sui est conditio in omni peccato inclusa, quia omne peccatum infert hoc damnum spirituale, quod est amissio beatitudinis, vndè impœnitentia ex hoc capite non erit aliud speciale peccatum, quàm permanendi in illo damno iam sibi illato per præcedentem lapsum; Sic tandem quoli-

quodlibet peccatum est quædam iniustitia contrà Deum; ergo hæc tria nequeunt esse motiua impœnitentiam specialiter specificantia. Confirmatur, quia si ità esset, tunc peccatum impœnitentiæ contrà omnes dictas virtutes opponeretur, & tot malitias specie distinctas haberet, quod non videtur affirmandum.

186 Respondetur negando assumptum cum eius probatione; licet enim quodlibet peccatum sit offensa Dei super omnia diligibilis, & hac ratione oppositio cum dilectione Dei hac generali ratione in omni peccato reperiatur; adhuc tamen speciali quadam ratione reperitur in peccato impœnitentię, quia ratio ipsa dictat, vt postquam Deum offendimus, teneamur illi reconciliari, & in eius amicitiam redire, itaut non pœnitendo committatur speciale peccatum contrà debitum huius dilectionis, & charitatis, per quam illi reconciliamur, ad quam dilectionem sequitur detestatio peccati. Sic pariter quamuis in omni peccato generalis quædam oppositio includatur contra dilectionem sui, & contrà bonum animæ iuxtà illud Psalm. 10. *Qui diligit iniquitatem odit animam suam*; adhuc tamen in peccato impœnitentiæ specialis quædam oppositio inuenitur, quia alia peccata tollunt bonum gratiæ, & meritum gloriæ, quod tamen facilè recuperari potest; ac peccatum impœnitentiæ tollit bonum gloriæ irreparabiliter, & talem inducit gloriæ priuationem, vt tale bonum recuperari, & tale damnum resarciri non possit. Sic tandem quamuis quodlibet peccatum generali quadam ratione sit iniustitia contrà Deum, adhuc tamen speciali quadam ratione hoc competit peccato impœnitentiæ, sub qua ratione cæteris non conuenit, quatenus dici solet peccator obligari ad pœnitentiam ex motiuo, & debito iustitiæ erga Deum, siue ad resarciendam, & compensandam iniuriam & offensam per peccatum Deo irrogatam.

Ad Confirmationem concedo, quod quando omnis dicta obligatio concurrit ex illo triplici motiuo, tunc peccatum impœnitentię contrà omnes dictas virtutes opponitur, & tot malitias specie distinctas habet, & hoc quidem per se loquendo in impenitentia finali contingit quoad illos tres titulos generales huius obligationis. Tamen vt notat Auersa *q. 1. sec. 5.* non semper oportet omnes illos tres titulos, vel motiua simul concurrere, quia potest obligatio aliàs vrgere ex præcepto aliquo positiuo ob vnum ex illis motiuis, & non ob alia; Potest etiam contingere, vt peccator cogitet, & aduertat solùm ad obligationem ex vno motiuo prouenientem, & non ex alijs; & tunc peccatum impœnitentiæ haberet formaliter solùm deformitatem ex illo motiuo, & non ex alijs.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quæ, & qualis Pœnitentia sit necessaria ad salutem.

187 Vt certa ab incertis separemus, in primis certum est pœnitentiam, quæ in lege tam naturæ, quàm Moysis erat ad salutem necessaria post peccatum personale commissum, fuisse actum contritionis perfectæ; ita docuit Scotus *locis citatis*, in quibus indifferenter loquitur de omni statu, & posteà confirmauit Tridentinum *sess. 14. capit. 1.* vbi docet quouis tempore fuisse necessariam pœnitentiam vniuersis hominibus, qui se aliquo peccato mortali inquinassent, ad gratiam, & iustitiam assequendam, quam pœnitētiam pro antiquis Patribus inferius posteà declarat fuisse contritionem perfectam; In lege autem gratiæ necessaria est, vel contritio perfecta extrà sacramentum, vel imperfecta, quæ dicitur attritio cum sacramento, etenim Tridentinum *loc. cit.* duabus causis iustificationem tribuit per infusionem gratiæ, & deletionem peccati, scilicet, sacramento pœnitentiæ, & perfectæ contritioni cum voto sacramenti, quia in lege gratiæ, vt contritio ad salutem sufficiat, est necessarium habere votum sacramenti pœnitentiæ, vt etiam antè Tridentinum docuit Scotus 4. *dist. 17. quæst. vn. X.* & ratio est, quia in lege Euangelica fideles obligantur ad pœnitentiam sacramentalem, itaut illis non sufficiat contritio, vt hanc obligationem adimpleant; sed etiamsi prius per contritionem iustificati sint, adhuc tenentur sacramentaliter confiteri, quia nimirum in contritione ipsa votum sacramenti includebatur; & hæc obligatio oritur ex præcepto Christi, vt posteà de ipso sacramento ostendemus. His itaque suppositis, tanquam certis, & communiter concessis nonnullæ remanent difficultates discutiendæ, vt sufficienter constet, qualem pœnitentiam peccator agere teneatur, quæ ad remissionem peccatorum idonea censeatur.

Prima Difficultas est, an ad pœnitentiam ad salutem necessariam sufficiat sola attritio cum sacramento confessionis. Valentia *disp. 7. quæst. 8.* de contritione *punc. 4.* absolutè affirmat in nullo casu, in quo per se obligat præceptum contritionis posse per solam attritionem cum sacramento confessionis suppleri, & contendit post confessionem factam adhuc teneri ad contritionem perfectam. Fundamentum eius est, quia in Scripturis præceptum hoc pœnitentiæ intelligitur de actu perfecto huius virtutis, qui est contritio; sed præceptum datum de vno actu, non adimpletur per alium actum; ergò sicut præceptum confessionis non adimpletur per contritionem, ità nec præceptum pœnitentiæ, seù contritionis per confessionem, quia hæc sunt duo præcepta distincta, & de actibus distinctis. 188

Communis tamen sententia affirmat ad remissionem peccati sufficere attritionem cum sacramento, & præter hoc peccatorem non teneri per se ex vi pœnitentiæ ad contritionem; ità Canus, Nauarrus, Suarez, Vasquez, Coninchius, Henriquez, Amicus, Auersa, & alij communiter, & sequitur ex dictis *quæst. præced. art. 3. num. 171.* vbi diximus cum Scoto ibi citato attritionem etiam cognitam, vt talem, ad sacramentum confessionis sufficere, & eius effectum consequendum; nam alioquin opus esset ad hoc sacramentum accedere cum contritione saltem putata, nam sententia hoc asserens, vt ibi vidimus, in eo præsertim fundatur, quod putat contritionem esse per se, & simpliciter necessariam ad iustificationem, & peccatorum remissionem. Tùm quia, vt ibi arguebamus, si non satis esset pœnitentia per sacramentum, nec sufficere attritio cum ipso, sed simul esset necessaria per contritionem posteà habendam eo modo quo antè institutionem sacramenti; grauior, & difficilior esse remissio in lege noua, quàm antiqua, in qua sola contritio iustificabat sine onere suscipiendi sacramentum, vndè sequeretur duplicatum fuisse onus pœnitentiæ in lege Euangelica. Tùm quia hac ratione dicebamus ibidem sacramentum facere de attrito contritum, quia æquiualet contritioni, & vim contritionis supplet Tùm tandem quia hinc sequeretur sacramentum cõfessionis peccata remittere in voto contritionis suo tempore exercendæ, quod falsum est, cùm potiùs res è contrà se habeat, quod contritio peccata remittit in voto confessionis, vt constat ex Trid. *sess. 14. cap. 4.*

Ratio autem à priori huius veritatis est Christi voluntas, qui in lege Euangelica præceptum contritionis commutauit in præceptum confessionis; atque ideò in omnibus casibus in quibus anteà contritio obligabat, nunc per sacramentum confessionis suppleri potest; Vndè non per hoc dicitur dispensatum fuisse antiquum contritionis præceptum, sed solùm commutatum, quia loco contritionis per sacramentalem confessionem potest nunc adimpleri. Ex quo patet ad fundamentum allatum in oppositum, nam iuxtà explicationem Ecclesiæ in Trident. *loc. cit.* nomine legitimæ, & perfectæ pœnitentiæ non tantùm intelligitur contritio, sed etiam attritio cum sacramento, etenim ad hoc disiunctum tenemur in lege gratiæ, & itaut per vtrumque disiunctim præceptum pœnitentiæ adimpleri possit, vndè præceptum pœnitentiæ suppleri posse per sacramentum confessionis nõ tollit præceptum pœnitentiæ specialis virtutis, seù contritionis, sed tantùm facit, quod hæc non sit determinatè necessaria, quia etiam seruari potest per attritionem in sacramento, quod est nouum remedium ad faciliorem remissionem peccatorum quo carebat lex vetus.

Secunda Difficultas est; An saltem in articulo mortis teneatur peccator non solùm per confessionem cum attritione, sed etiam per veram contritionem agere pœnitentiam; Affirmant Valentia, Suarez, Tannerus, Sanchez, Granadus, & alij Recentiores putantes saltem in articulo mortis præceptum contritionis per se obligare independenter à præcepto confessionis. Fundamentum est, quia cùm homo non possit esse certus se esse in gratia, & possit in sacramento aliqui interuenire defectus, vel ex parte pœnitentis, vel ex parte Sacerdotis, debet homo pluribus modis suam procurare iustificationem, vt tutius possit ex hac vita decedere. 189

Con-

Confirmatur, quia non est omninò certum attritionem cognitam, vt talem, ad sacramentum sufficere; & ideò quamuis alioquin in rebus moralibus sufficiat operari iuxtà opinionem probabilem, tamen in re grauissima, & in extremo mortis periculo debet homo tutissimum adhibere remedium & hoc ex charitate ergà seipsum. Tandem quia si quis in extremo mortis periculo conari ad perfectam contritionem renueret, suspectum se redderet ne sufficientem quidem habere attritionem, sed potius occultum aliquem affectum ad peccatum.

191 Dicendum tamen est, neque in articulo mortis teneri ad contritionem, qui per sacramentum confessionis in eo articulo iustificatus est, sed tantum teneri in casu, quod copiam Confessoris non haberet. Ità Scotus 4. *d.* 19. *q.* 2. in calce, & *d.* 20. *q. vn.* A. vbi docet pœnitentiam, vel solam interiorem, vel exteriorem cum susceptione sacramenti pœnitentiæ sufficere ad salutem alicuius in extremis; sequuntur Recentiores communiter Card. de Lugo, Amicus, Auersa, Becanus, Turrianus, Layman, Diana, & ex noster Faber *disp.* 18. *cit. cap.* 3. Brancatus *disp.* 14. *art.* 8. & alij passim; Probatur ex *Trident. sess.* 14. *cit. cap.* 4. vniuersaliter docente, vel contritionem perfectam, vel attritionem cum sacramento sufficere ad salutem, & sufficienter disponere ad obtinendam Dei gratiam, & peccatorum remissionem nullum excipiendo casum.

Confirmatur; quia nequit assignari ratio, cur in alijs temporibus sufficiat sola attritio, etiam cognita vt talis, & non in articulo mortis; ergo si in alijs sufficit temporibus, etiam & ipso mortis articulo, cum tunc non minorem habeat virtutem sacramentum confessionis, quam in alijs temporibus; & planè frustrà prouisum esset fidelibus in noua lege de sacramento pœnitentiæ, si hoc in maiori necessitate illis non proficeret, sed contritio necessaria esset, vt in veteri lege; sicut ergo alijs temporibus præcepto contritionis sufficienter satisfit per sacramentum confessionis, ita & in articulo mortis, vbi maior est necessitas; Denique opinio opposita est penitus contraria ordinariæ praxi, & existimationi fidelium, tam pœnitentium, quàm Confessariorum, non enim solet iniungi, vel cognosci talis obligatio præter diligens studium ritè, ac deuotè confitendi, hoc enim solùm sufficit ad habendam moralem certitudinem, de peccatorum remissione, & gratiæ recuperatione, qualis in rebus humanis requiritur.

191 Ad fundamentum oppositæ sententiæ nego hominem in articulo mortis ad tantum onus obligari; & si potest aliquis interuenire defectus, vel ex parte pœnitentis, vel ex parte Confessarij, idque ad talem obligationem inducendam sufficeret, hoc etiam asserendum esset extra mortis articulum, quia tales defectus etiam extrà mortis casum contingere possunt; tùm etiam quia estò possit aliquis interuenire defectus ex parte pœnitentis, potest etiam in exercanda contritione id contingere, quarè suæ obligationi pœnitens satisfacit, dum morali certitudine ritè confiteri conatur; ad supplendum verò Confessarij defectum sufficit bona fides pœnitentis, & moralis quædam certitudo absque alia cautela, nisi quando occurrit aliqua particularis, & moralis ratio dubitandi, vt dici solet in collatione Baptismi, Ordinis, & aliorum sacramentorum exercitio.

Ad Confirmationem negatur assumptum, etenim post Concil. Trident. satis certum moraliter est attritionem etiam cognitam ad sacramentum pœnitentiæ sufficere, vt suprà visum est; insuper falsum est hominem in mortis articulo teneri tutiorem viam sub præcepto eligere; sufficit enim, vt eligat tutam, & moraliter certam, quæ omne practicum dubium tollat oppositæ partis; & hoc præsertim verum est, quando neque pars tutior omne dubium metaphysicè tollit, vt est in proposito de contritione, de qua nunquam potest quis esse metaphysicè certus, sed solum à tuta differt secundum magis & minus intrà eundem moralis certitudinis gradum. Ad vltimum, argumentum non est ad rem, quia supponimus hominem in articulo mortis constitutum facere, quod in se est, & moralem adhibere diligentiam, ac diligens studium ritè, & deuotè confitendi.

Dices, saltem tenetur homo in articulo mortis actum dilectionis Dei super omnia elicere, vt communis tenet opinio, sed hic actus necessariò contritionem inuoluit, & detestationem habet annexam omnium peccatorum ex motiuo charitatis; ergo &c. Resp. si tenetur homo in articulo mortis ad actum dilectionis Dei, hoc est ex alio capite, & ex præcepto charitatis, vndè hæc obligatio adstringit etiam eum, qui nunquam peccasset, & pœnitentia non egeret; & quando peccator in mortis articulo aliundè moralem haberet certitudinem, quod peccata sint ei condonata per confessionem sacramentalem, minimè opus esset, quod cum actu dilectionis Dei, ad quem supponitur in fine vitæ teneri, annexam haberet peccatorum suorum detestationem.

Tertia Difficultas est, an semper sit necessaria pœnitentia formalis, vel potius aliquando sufficiat virtualis, hoc est, an per solum actum dilectionis Dei super omnia, qui dicitur pœnitentia virtualis, quia continet virtute detestationem peccatorum, absque actuali pœnitentia possit in aliquo casu peccatum remitti; vbi notandum est, quod dilectio Dei est duplex, imperfecta, & perfecta, prima compatitur secum peccatum mortale, vt si quis dicat, propono deinceps adimplere diuina mandata, quia cum huiusmodi actu est compossibili complacentia in aliquo peccato præterito, vel si quis increpet alium, quem audit Deum blasphemare, talis increpatio est actus dilectionis imperfectus, & compossibilis cum peccato mortali; Dilectio perfecta est, quæ peccatum mortale secum non compatitur, & respicit præteritum, & futurum, veluti si quis cum magno feruore dicat, vellem hactenus seruasse mandata, & placuisse Deo, & deinceps firmissimè propono ei placere, atque ità si tunc meminisset alicuius peccati, illud detestaretur; huiusmodi dilectio propriè dicitur super omnia, quia vult Deo omne bonum, quod ipse præstare potest magis, quam alicui creaturæ; & de tali dilectione Dei in proposito est quæstio, nam omninò ad iustificationem requiritur talis dispositio, quæ repugnet cum voluntate, qua prius homo peccatis adhæserat, qualis est sola dilectio perfecta, & hæc sola dicitur virtualis detestatio peccatorum, qui enim efficaciter diligit Deum super omnia, vi talis dilectionis paratus est tollere quicquid tali dilectioni aduersatur; quia verò peccata nondum retractata aduersantur tali dilectioni, qui Deum super omnia diligit, paratus est ea omnia destruere, & detestari, quoties menti occurrerent, aut ea per tempus excogitare liceret; hoc præaccepto pro intelligentia quæsiti. 192

Prima sententia negat in vllo casu etiam naturalis obliuionis, & ignorantiæ, ac etiam martyrij pro Christo perpessi sufficere pœnitentiam virtualem in eo, qui peccata commisit, sed semper requiri pœnitentiam formalem, & actualem peccatorum saltem in genere ab eo, cui nulla occurrit memoria peccatorum in specie; ità Canus in relectione de Pœnitentia *parte* 3. §. *de Charitate*, Petrus Soto de Institut. Sacerd. *lec.* 4. & quidam alij Thomistæ; Secunda sententia affirmat posse saltem in aliquo casu sufficere actum amoris Dei super omnia per modum pœnitentiæ virtualis sine expressa, & formali retractatione de peccatis commissis ad veram remissionem, & iustificationem; ità Scotus 4. *d.* 14. *q.* 1. §. *de secunda conclusione*, & §. *ex his ad solutionem*, Basiolius *q.* 2. *art.* 2. Aretinus *quæst.* 3. *art.* 3. Faber *disp.* 11. *cap.* 2. Brancatus *disp.* 14. *art.* 3. & alij Scotistæ, quam Scoticam sententiam sequuntur communiter Recentiores Bellarminus, Suarez, Vasquez, Coninch, Lugus, Amicus, Auersa, Valentia, Nauarrus, Corduba, Bonacina, Vega, Reginaldus, & plures etiam ex Thomistis cum S. Thoma 3. *p. quæst.* 87. *art.* 1. & Caiet. ibid. Qui tamen Auctores non omnes conueniunt in assignando casu, quo actus amoris sufficiat absque formali pœnitentia, & aliqui magis, alij minus hanc sufficientiam ampliant; Sed nobis pro huius sententiæ veritate satis est, quod in aliquo casu sufficiat ad iustificationem actus amoris Dei super omnia absque formali pœnitentia, saltem meo, quem Scotus assignat *loc. cit.* quando, scilicet, homo non haberet spatium vitam suam examinandi, & pro tunc peccata memoriæ non occurrerent, quem casum omnes citati Auctores approbare videntur.

Dicendum igitur est cum hac secunda sententia, quod licet regulariter pœnitentia formalis post mortale sit necessaria ad salutem, in aliquo tamen casu potest non esse necessaria, sed suppleri per pœnitentiam virtualem, qualis est dilectio Dei super omnia modo iam explicato. Conclusio quoad primam partem satis patet ex *art. præced.* vbi latè ostensa est necessitas pœnitentiæ ad salutem ex Scripturis, & Concilijs, quæ vtique loquuntur de pœnitentia formali, & de hac præsertim loquitur Trident. sess. 14 cap. 4. vbi cum ait contritionem fuisse quouis tempore necessariam ad impetrandam peccatorum veniam, loquitur de pœnitentia formali, 193

quam

quam ait in peccati dolore, & detestatione consistere; Et ratio est, quia hic pœnitentiæ modus valdè aptus, & proportionatus est ad veniam peccatorum obtinendam, quia conueniens, iustum, ac debitum est peccatorem hoc modo formaliter, & expresse à peccatis commissis reuocare voluntatem, & Deo satisfacere, siquidem hic etiam modus satisfactionis inter homines exigi solet pro offensis ab vno in alium commissis; Quando ergo instat pœnitentiæ præceptum, & homo suorum recordatur peccatorum, tenetur ad actum formalis, & expressè pœnitentiæ eliciendum, neque in tali casu sufficit actus dilectionis Dei sine tali actu pœnitentiæ, tum quia dilectio Dei importat voluntatem obseruandi præcepta; tùm quia ipsa intantùm dicitur virtualis detestatio peccatorum, quatenus de se efficax est prorumpere in formalem peccatorum detestationem, quoties menti occurrunt, & ea per tempus excogitare licet.

194 Quod autem possit etiam aliquando peccator per solam pœnitentiam virtualem iustificari, qualis est dilectio Dei super omnia, quæ erat altera pars conclusionis, probat Doctor cit. *dist.* 14. *quæst.* 1. lit. V. quia alioquin daretur casus, in quo peccator destitueretur medio ad salutem contrà Scripturam Dei misericordiam exaggerantem, qui non vult mortem peccatoris, sed magis, vt conuertatur, & viuat, nec prius deserit, quàm deseratur; sequelam verò probat, quia potest quis in actu feruoris ad martyrium statim sustinendum rapi, vbi fortè non esset cogitatio de peccatis commissis, nec per consequens aliqua pœnitentia formalis; ergo in tali casu homo ille non saluaretur, quia pœnitentiam formalem non habet de peccatis suis; hoc autem dici non potest, quia nullus excluditur à regno Cœlorum, qui facit quod est simpliciter necessarium, & sibi possibile, vt facit homo ille in tali casu; necessitatur enim tunc ad toto corde insistendum circà actus distrahentes à cogitatione de peccato commisso, putà ad profitendam fidem coram Tyranno, ad patienter sufferendum martyrium, qui actus in eo instanti distrahunt, vel impediunt peccatorum cogitationem, & detestationem; igitur in tali casu dicendum est ad eius iustificationem sufficere feruentem amoris actum, quo mortem subit pro fide. Et ratio à priori est, quia dilectio supernaturalis, & efficax est perfecta conuersio creaturæ ad Deum; ergò statim illi correspondet conuersio Dei ad creaturam iuxtà illud Zachariæ 1. ***Conuertimini ad me, & ego conuertar ad vos***, alioquin pateretur in amore se vinci à creatura, si posita conuersione perfecta ipsius ad Deum, Deus statim non conuerteretur ad eam. Et ad hoc faciunt plura Scripturæ, & Patrum testimonia, in quibus dilectioni Dei vis iustificandi, & remittendi peccata concedi videtur, vt Prouerb. 8. ***Ego diligentes me diligo***, Io. 4. ***qui manet in charitate in Deo manet, & Deus in eo***, & cap. 14. ***qui diligit me diligetur à Patre meo***, & Lucæ 7. ***Remittuntur ei peccata multa, quoniam dilexit multum***, & 1. Petri 4. ***Charitas operit multitudinem peccatorum***. Ità etiam loquuntur Patres, vt Bernardus ep. 75. Origenes hom. 2. in Leuiticum, Augustinus de natura, & gratia cap. vlt. & tract. 5. in Epist. Io. & alibi frequenter.

Sed obijciunt Auctores primæ sententiæ, quia pœnitentia formalis necessaria est necessitate medij, quæ autem necessaria sunt, vt media, licet admittant excusationem, ne peccemus, quando ex ignorantia inuincibili omittimus, non tamen excusationem admittunt, vt sine illis iustificemur.

Confirmatur, quia si in aliquo casu pœnitentia virtualis sufficeret, in nullo formalis necessaria esset, nam intantùm necessaria est formalis, inquantùm Scripura inculcat necessariam esse pœnitentiam; ergò si hæc in aliquo casu de sola virtuali explicari potest, in omni casu eadem explicatio admitti posset. Tandem quia implicat esse veram dilectionem Dei in peccatore sine formali pœnitentia, & detestatione peccati; nam ea est natura charitatis, & dilectionis Dei super omnia, vt statim peccatorem excitet ad formalem detestationem offensæ contrà Deum, saltem in genere, si specialiter memoriæ non occurrat.

195 Resp. negando pœnitentiam formalem esse necessariam, vt vnicum medium ad iustificationem, nam in aliquo casu suppleri potest per actum dilectionis Dei, in quo ipsa virtualiter includitur, quando scilicet, homo non haberet spatium vitam suam examinandi, & pro tunc peccata memoriæ non occurrant; Quando igitur dicitur pœnitentia necessaria necessitate medij, hoc intelligendum est de pœnitentia formali, & virtuali; Et pœnitentia formalis est etiam necessaria loquendo de obligatione præcepti, vndè quando instat pœnitentiæ præceptum, & homo de suis peccatis recordatur, tenetur actum formalis, & expressæ pœnitentiæ elicere, & in tali casu fatemur actum dilectionis Dei non sufficere.

Ad Confirmationem negatur consequentia, quia cum pœnitentia formalis sit necessaria necessitate præcepti, debet quando potest, formaliter, & actualiter exerceri, vndè quando vrget pœnitentiæ præceptum, & homo suorum recordatur peccatorum, tenetur actum pœnitentiæ formalis exercere, vt dictum est; In alijs verò casibus, quando formalis haberi non potest defectu memoriæ peccatorum, vel opportunitatis temporis, potest saluari per solam virtualem. Ad vltimum dicimus ità esse per se loquendo, supposita saltem dubia peccatorum memoria, per accidens autem oppositum accidere potest, quando, scilicet, homo non habet spatium vitam suam examinandi, & pro tunc peccata memoriæ non occurrunt, vt in casu martyrij adducto; quod autem in eo casu dilectio Dei ad peccatorum detestationem non excitet, non est ex defectu sui, sed vel inculpabilis memoriæ peccatorum, vel opportunitatis temporis, in quo aut vrget præceptum maius, vt in profitenda fide coram Tyranno, dùm ad vtrumq; simul animus attendere nequit: aut non potest simul in eodem momento vtrumque actum dilectionis, & detestationis elicere; hoc autem efficacitati dilectionis non obest, cum per ipsam non stet, quo minus opportuno tempore ad formalem peccatorum detestationem excitet, vt benè discurrit Amicus disp. 14. sec. 3. & est doctrina Scoti *loc. cit.*

Quarta Difficultas est, An aliquando cum actuali memoria peccatorum charitas supplere possit necessitatem pœnitentiæ formalis; an potius, vt formalis Dei dilectio sit proxima dispositio ad iustificationem, debeat statim peccatorem excitare ad formalem detestationem peccatorum, quæ menti occurrunt. 196

Primum affirmant aliqui, quorum fundamentum est, quia pœnitentia est præceptum affirmatiuum, de cuius ratione est non obligare semper, sed suo tempore; igitur poterit peccator tempore, quo pœnitentia formalis non obligat, habere dilectionem Dei super omnia absq; pœnitentia formali peccatorum, quæ tunc menti occurrunt, sed solùm habere propositum pœnitendi tempore suo; ergo statim hic iustificabitur sine formali pœnitentia peccatorum, quorum præsentem memoria habet; hæc vltima consequentia probatur, quoniam dilectio Dei super omnia perfectè conuertit animum peccatotis ad Deum, & aliundè non statim tenetur ad obseruantiam præcepti de formali pœnitentia; ergo dilata pœnitentia formali ad tempus debitum, quod de ea præceptum curret, poterit interim iustificari per solum actum dilectionis formalis; pro qua sententia citari solent Medina, Gabriel, Caietanus, Nauarrus, Vega, quibus subscribunt Valentia, Lugus, & Auersa qui volunt actum amoris sufficere etiam in casu, quo homo recordatur suorum peccatorum, sed non instat tunc præceptum, & obligatio pœnitentiæ.

Dicendum tamen est, non esse sufficientem dispositionem ad gratiam iustificantem dilectionem, quæ non statim peccatorem excitat, vel ad formalem detestationem peccatorum quorum memoriam habet, vel ad detestationem in genere, si dubius sit, an aliquid commiserit, cuius memoria non occurit. Ità Scotus d. 14. qu. 1. V. vbi inquit, quando adest memoria actualis peccatorum, necessariam esse formalem displicentiam, & 4. d. 49. qu. 4. sub N. vbi ait quod actu cogitans peccatum, & sine omni displicentia peccat; & d. 45. qu. 3. in responsione ad 3. princ. inquit hominem obligari ad contritionem peccatorum commissorum, quotiescunque illorum recordatur, quod probat hac ratione; quando enim Petrus sui peccati recordatur, aut sequitur velle, & complacere in illo; aut nolle, siuè displicere; aut nec placere, nec displicere; si primum, Petrus malus est, quia complacet in peccato, quod commisit; si secundum, habetur intentum, quia displicet; si tertium, adhuc malus est quia si quis prudens, & sciens cogitat de aliquo, quod est contrà Deum, & illud ei non displicet, non habet veram Dei dilectionem, quia illa non patitur secum aliquid, quod sit contrà Deum: Ex quo sequitur dilectionem Dei in eo, qui memor est peccati, habere connexionem moraliter necessariam cum pœnitentia formalis, vt enim superbia excitat inuidiam de aliena excellentia, quatenus concipitur diminuere 197

nuere propriam, sic amor Dei excitat detestationem peccati, de quo quis recordatur, tanquam contrarij diuinæ bonitati; vndè sicut quis perfectè diligens Petrum, & toto corde, cogitans de aliqua iniuria ei illata, non potest non tristari de illa iniuria, ità si quis Deum diligit perfectè, & toto corde, & actu cogitet de offensa ei illata per peccatum commissum, non poterit non tristari de huiusmodi peccato, & iniuria; Hoc idem cum Doctore tenent Amicus, Aretinus, Faber, & Brancatus *loco citato* qui tamen minus rectè ait in fine illius 3. art. id euenire, non propter connexionem naturalem, quæ sit inter perfectam Dei dilectionem, & displicentiam de peccatis, sed tantùm ex Dei præcepto, & ordinatione; Hoc, inquam, minus rectè dicitur, quia hoc etiam benè deducitur ex tali connexione naturali; quæ est inter perfectam Dei dilectionem, & formalem displicentiam de peccatis, vt constat ex dictis, & notat Vasquez *disp. 126. dub. 1.*

198 Ex qua doctrina hæc regula est deducenda ad dignoscendum, quæ dilectio Dei sit sufficiens ad iustificationem, & quæ non; nam quæuis dilectio, ex qua per se nata est sequi formalis detestatio peccatorum, quæ menti occurrerent, est sufficiens dispositio ad iustificationem, quia talis dilectio perfectè conuertit creaturam ad Deum, & virtute continet formalem detestationem peccatorum; Contrà verò nulla dilectio Dei, ex qua per se nata non est sequi talis peccatorum detestatio, est sufficiens dispositio ad iustificationem, quoniam talis dilectio compatitur secum affectum ad peccatum; vndè neque cum sacramento est sufficiens ad iustificationem, vt ex Trident deducitur *sess. 14. cap. 4.* Et tandem ex eadem doctrina facilè ruit fundamentum oppositæ sententiæ, supponit enim hominem non obligari ad detestationem peccati, quotiescunque memoriæ occurrit, cuius oppositum docet Doctor *loc. cit.* & nos etiam rursus dicemus *art. seq.*

Petes, an etiam tempore martyrij Martyr habens scientiam peccati mortalis teneretur tunc habere pœnitentiam formalem de tali peccato. Scotus *d. 14. q. 1.* in fine affirmare videtur, inquit enim, quod martyrium sufficit ad obtinendam peccatorum veniam, quando non adesset memoria de aliquo peccato, nec tempus vitam suam examinandi; vndè innuere videtur, quod quando adesset memoria de aliquo peccato commisso, non sufficit martyrium, sed requiritur vlterius pœnitentia formalis, quod nos quoque iam statuimus *disp. 2. de Baptismo q. 7. artic. 3.* & idem tenet Aretinus de mente Doctoris *d. 14. qu. 3. art. 4.* hoc enim insinuant rationes adductæ etiam in casu martyrij; verumtamen est, quod ibi diximus, in tali casu cum martyrio de peccatis menti occurrentibus non esse necessariam contritionem perfectam, sed solam attritionem sufficere, quod etiã tenet Faber *disp. 11. cit. cap. 2.* & Suarez *tom. 3. disp. 29. sec. 3.* cùm alijs Recentioribus, quos ibi citat; quibus autem casibus sola voluntas moriendi pro Christo sit sufficiens dispositio ad obtinendam peccatorum veniam sine pœnitentia formali ibidem quoque explicatum est *n. 201.*

199 Quinta tandem Difficultas est, an qui sine formali contritione iustificatur extrà sacramentum per formalem Dei amorem cum obliuione, vel inaduertentia, inculpabili suorum peccatorum, teneatur posteà, cum ipsorum recordatur, elicere formalem contritionem, si nullam detestationem saltem in genere de ijs habuit. Negat Vasquez *q. 86. art. 2. dub. 2.* quia præceptum contritionis eo fine impositum est, vt homo à peccatis iustificetur; ergo hoc fine per formalem Dei amorem obtento cessat contritionis obligatio.

Confirmatur, quia præceptum Confessionis non est impositum ex fine duntaxat iustificationis obtinendæ, sed etiam subijciendi peccata clauibus; ergo licet iustificatus extrà sacramentum teneatur posteà confiteri, tamen iustificatus extrà sacramentum per formalem Dei amorem non tenebitur posteà conteri.

Affirmatiuè tamen respondendum est cum Scoto *loc. cit. 4. d. 45. q. 3. in sol. ad 3.* principale, vbi non solùm asserit Viatorem obligari ad contritionem peccatorum remissorum quotiescunque recordatur completa deliberatione, sed etiã ait ad hoc fore obligatos Beatos, si in illis daretur memoria peccatorum, vel si datur, nisi gaudium beatificum impediret; & sequuntur communiter Recentiores, Suarez, Coninchius, Amicus, Henriquez, Caspensis, & ex nostris Aretinus, & Faber *loc. cit.* Verùm tamen est Recentiores citatos id tenere, non ex eo capite, quod præceptum contritionis obliget quotiescunque peccata memoriæ occurrunt, nã plures id negant, vt videbimus art. seq. sed quia cum hoc præceptum sit naturale fundatum in ipsa natura reconciliationis, posito quod defectu inculpabilis obliuionis non fuerit statim adimpletum, adimplendum est, cùm primùm potest, potest autem cùm primùm oblita peccata mentem subeunt; Et quidem si Deus vltrà formalem sui amorem sine memoria peccatorum elicitum exigit accedente recordatione formalem contritionem, planè rem exigit multum rationi consonam, nam valdè consonum est rationi, vt qui alium offendit, vltrà actum amoris ergà illum elicitum, debeat quoque illi signa doloris, & pœnitentiæ de offensione illata exhibere, hoc enim est signum indicans veram, & efficacem dilectionem, quæ de se talem infert illatæ offensæ detestationem. Vndè vt notat Amicus *disp. 14. sec. 3. cit.* vt Deus in tali casu remittat peccatum, non expectat ex parte nostra formalem peccatorum detestationem, sed statim condonat posita efficaci dilectione talem detestationem virtualiter includente; & ratio est, quia formalis peccatorum detestatio in tali casu non requiritur, vt vim remissiuam tribuat dilectioni quæ cùm sit causa detestationis, non potest vim ab ipsa accipere; sed solùm requiritur, vt effectus ad efficacem Dei dilectionem naturaliter consequens; atque ideò vt sit causa ad iustificationem disponens, non pendet à peccatorum detestatione, tanquam à causa formaliter tribuente efficacitatem, sed solùm tanquam à signo veram, & efficacem dilectionem indicante, quæ de se talem infert peccatorum detestationem; Ex quo fit, vt in tali casu pœnitentia formalis solùm requiratur, vt præceptum naturaliter seruandum, cùm primum seruari potest, dilectio verò; vt causa formaliter ad iustificationem disponens; sicut pœnitentiæ sacramentum non concurrit cum ipso actu contritionis in eo, qui extrà sacramentum iustificatur, vt dispositio ad iustificationem, sed solùm vt præceptum suo tempore exequendum.

Ex quo patet ad fundamentum Vasquez negandam esse consequentiam, nam per formalem Dei dilectionem remissum est peccatum cum obligatione ad contritionem, quia detestatio formalis est effectus naturaliter consequens dilectionem efficacem Dei, & pœnitentia formalis requiritur, vt præceptum naturaliter seruandum, cùm primùm seruari potest, potest autem, cùm primùm oblita peccata mentem subeunt. Ad Confirmationem negatur pariter cõsequentia, quia sicut Deus per contritionem extrà sacramentum iustificat cùm obligatione confitendi, vt primùm poterit; ità per formalem sui amorem in casibus allatis peccata remittit, vt quando posteà peccator iustificatus sui peccati recordatur, de eo quoque conteri teneatur, quia Deus cum tali onere censetur illud remisisse, sicut remittit illud cum onere confitendi, si hoc fieri possit. Dices, non tenemur præter dilectionem virtualem inclusam in detestatione formali peccatorum, elicere formalem dilectionem ergà Deum; ergò nec tenebimur præter detestationem virtualem in delectione formali inclusam elicere detestationem formalem. Negatur consequentia, & paritas cum Amico *loc. cit.* quia plus tenetur peccator ad remouendum malum, quod per peccatum Deo intulit, quàm ad volendum bonum eidem Deo, quoniam ad illud duplici titulo tenetur amicitiæ, & iustitiæ, ad hoc verò tantùm titulo amicitiæ; & ideò non solùm tenetur ad illa virtualiter detestanda titulo amicitiæ, sed etiam formaliter detestanda titulo iustitiæ, exigit enim iustitia pro recompensatione offensæ formalem illius retractationem, nam dum illa non retractatur, semper censetur moraliter manere. 200

ARTICVLVS TERTIVS.

Quando Necessitas pœnitentiæ vrgeat, & præceptum contritionis obliget.

Sermo est rursus de Pœnitentia virtute, non sacramento, nam benè notum est extare apud fideles præceptum annuæ Confessionis, quod est positiuum Ecclesiasticum quantum ad hanc temporis determinationem; sermo item est de obligatione per se, & ab intrinseco ratione virtutis pœnitentiæ, certum est enim per accidens, & in gratiam alterius obligare aliquando, vt si conscius peccati mortalis 201

debeas

debeas sacramentum aliquod ex ijs, quæ viuorum dicuntur, suscipere, vel quodcunque sacramentum ex officio ministrare, vel si inter peccandi occasiones constitutus grauibus pulseris tentationibus, quibus periculum est succumbere, nisi per contritionem vires à Deo obtineas; nam in primo casu de administratione, vel susceptione alicuius sacramenti obligatio pertinet ad Religionem, non autem ad Pœnitentiam, si alioquin non occurrat tempus, in quo simul vrgeat pœnitentiæ præceptum; Et pariter in secundo casu, quando aduertit homo se esse in nouo peccandi periculo, talis obligatio non oritur propriè ex virtute ipsius pœnitentiæ, sed potius ex vi alterius virtutis, contrà quam imminet peccandi periculum. Certum autem in primis est præceptum pœnitentiæ per se obligare in articulo mortis, si peccator non habeat copiam confessoris; ità est communis omnium sensus, nam si tunc non fiat pœnitentia, aliud tempus non superest, quo fiat, non enim in alia vita datur locus pœnitentiæ salutaris; & quidem tunc temporis præceptum pœnitentiæ per se, & ex natura rei intrinsecè obligat, & ex illo triplici motiuo generali superius assignato *art. 1. num.* 190 & idem dicendum est in casu, quo periculum amentiæ immineret, quod quantum ad hoc periculo mortis æquiualet. Remanet itaque dubitatio an extrà periculum mortis antiquo alio tempore tale præceptum per se obliget.

202 Primò itaque dubitatur, an peccator post commissam culpam statim, & absque dilatione resurgere teneatur, & pœnitere. Affirmant quamplures ex veteribus Theologis, quorum aliqui dixerunt, quod licet non obligaret omnes statim post peccatum, saltem obligare aliquos, scilicet, Religiosos, vt potè qui maiorem profitentur familiaritatem cum Deo, atq; adeò continuò post peccatum tenentur illi reconciliari, ità D. Bon. 4. d. 17. p. 2. art. 2. q. 2. Negant alij communiter, teneri peccatorem de rigore, & per se loquendo statim, seù quamprimum post peccatum commissum redire ad pœnitentiam, & quia D. Thomas, Alensis, D. Bonauentura, & Scotus, nihil expressè de hoc determinarunt, itaut sit necessarium, & de præcepto, sed solùm tanquam decens, & magis congruum commendarunt, ideò hæc secunda opinio tenenda est, vt modò communis in Schola Recentiorum, quia non eo ipso, quod aliquid est congruum, & decens, fingendum est præceptum naturale, quo præcipiatur. Et ratio clarissima est, quia licet obligatio ad non peccandum sit per modum præcepti negatiui, obligatio tamen resurgendi post peccatum commissum est per modum præcepti affirmatiui; ergò non obligat semper, & pro semper, sed certis, & determinatis temporibus.

Confirmatur, quia ex opposita sententia sequitur peccatorem continuò peccare actualiter, quia qui tenetur ad aliquod præceptum affirmatiuum, eo tempore quo tenetur, & non implet, peccat peccato actuali; ergo si peccator statim post commissum peccatum semper teneretur præcepto contritionis, & statim pœnitere absque vlla dilatione, semper peccat actuali peccato, quod nimis durum est, & contrà cõmunem sensum fidelium, nam neque pœnitentes se accusant de hac dilatione, neque Confessarij eos interrogant. Tandem neque Religiosi ipsi ex perfectione sui status tenentur statim à peccato resurgere, quia Religiosi non tenentur ad plus quàm alij, nisi ad quod voto se astrinxerunt, licet possint, & soleant ex vi suæ regulæ ad sæpius, & citius confitendum obligari.

203 Sed obijciunt, quia nunquam licet peccatum committere, ergo neque in eo manere, atque ideò statim peccator tenetur per pœnitentiam resurgere. Tum 2. quia ex dilectione tui corporis ægri statim quæris remedium; ergò statim, & animæ languentis quærendum. Tùm 3. ex dilectione proximi statim quæris eius salutem per fraternam correctionem; ergo & tui ipsius quærere debes per pœnitentiam. Tùm 4. ex iustitia statim satisfacis proximo tuo offenso, & restituis, ergo & statim Deo offenso satisfacere debes. Tùm 5. si peccator non tenetur statim se liberare à peccato, posset velle hic, & nunc non conuerti, quod videtur intrinsecè malum. Tùm 6. Religiosus saltem semper tenetur tendere ad perfectionem; sed quando est in peccato mortali non tendit, ergo vt tendat, tenetur statim resurgere. Tandem arguunt ex pluribus Scripturæ locis, in quibus dilatio pœnitentiæ damnatur, vt Ecclesiast. 5. non tardes conuerti ad Dominum, & non differas de die in diem; & ad Rom. 2. Tu autem secundum duritiam tuam, & impœnitens cor tuum thesaurizas tibi iram in die iræ, & sic etiam loquuntur Patres.

Respondetur negando consequentiam, vtique enim verum est nunquam licere manere in peccato actuali illud continuando, sed non est eadem obligatio statim resurgendi à peccato habituali, quia in isto non permanet homo per aliquam actualem transgressionem, sed solùm per dilationem pœnitentiæ, ad quam adhuc non obligatur. Ad 2. negatur assumptum, vndè argumentum retorqueo, quia sicut non teneris adhibere statim remedium corporis, sed imminente graui periculo, idem dicendum de animæ curatione. Ad 3. dicendum neque ex præcepto correctionis fraternæ nos teneri peccatorem monere, vt statim à peccato resurgat, sed solùm quando illi incumbit obligatio pœnitentiæ; tunc enim tenemur, quia tenemur impedire nouum peccatum impœnitentiæ, nam præceptum fraternæ correptionis propriè obligat solùm ad impediendum peccatum futurum, non autem ad tollendum præteritum, quam doctrinam de præcepto fraternæ correptionis approbant Vasquez, Lugus, Auersa, Caspensis, & passim alij Recentiores; Quod si interdum frater corripitur statim, vel paulò post peccatum commissum, hoc est, quia fortè posteà non erit opportunitas, propriæ autem pœnitentiæ semper opportunitas adest. Ad 4. restitutio ablati, & satisfactio statim debetur proximo solùm in casu, quod damnum aliquod sequatur ex dilatione, & hoc ipsum ergà Deum deberemus, si ex dilatione nouum damnum contra Deum sequeretur, & augeretur læsio, quod non contingit ex tali dilatione, quia nullum nouum damnum, aut noua iniuria per se fit Deo ex eo, quod non statim peccatum retractamus. Ad 5. dico non esse intrinsecè malum velle non conuerti hic, & nunc, quando præceptum conuersionis non obligat, sed tantùm, quando tale præceptum obligat. Dices, velle perseuerare in peccato, & inimicitia Dei, & perseuerantiam istam causare est malum; sed velle non conuerti hìc, & nunc est velle perseuerantiam in peccato, & illam causare; ergò est malum.

Respondeo negando minorem, nam velle non conuerti hìc, & nunc, quando præceptum conuersionis non obligat, non est actus intrinsecè malus, dicit enim solam negationem pœnitentiæ pro tempore, quo non obligat sub nouo peccato; at velle perseuerare in peccato est actus intrinsecè malus, quia dicit ipsum positiuum statum peccati, & inimicitiam cum Deo, quæ sunt intrinsecè mala. Et sicut quando quis non tenetur corripere proximum, & ideò non vult corripere, non per hoc vult peccatum proximi, sed tantùm vult illud permittere, ita neque non velle conuerti, quando præceptum non vrget, est per se causa perseuerantiæ in peccato, sed tantùm per accidens, cùm sit solùm permissio talis effectus, permissio verò rei malæ, dùm impedire non tenemur, mala non est.

Ad 6. tendentia ad perfectionem in Religioso est finis, & circumstantia generalis, sicut amicitia Dei, & obedientia Decalogi in Christiano, & ideò quia generalia sunt, quamuis in quolibet peccato omittantur, nisi per se, & directè contrarium intendatur, diuersum peccatum nõ constituunt: Quando itaque dicitur Religiosum semper teneri tendere ad perfectionem, hoc ità intelligendum est, vt nunquam velit regredi, vel non progredi directa, & expressa voluntate, non verò indirecta, & implicita, qualis est in casu nostro. Ad vltimum testimonia illa Scripturæ, & similia indicant tantùm consilium, non verò præceptum; vel si præceptum important, hoc solùm iubemur desistere ab actualibus peccatis continuandis, & repetendis, Vel tandem si præceptum important de non differenda pœnitentia, hoc solum cõuincit præceptum de contritione obligare aliquibus alijs temporibus extrà articulum mortis, quod gratis concedimus, vt mox dicemus, non verò quod statim obliget post peccatum commissum. Dices, semper tenetur homo non esse Deo infensus, & inimicus; ergo si peccatum incurrit, statim tenetur ab eo resurgere, cum per peccatum homo fiat Deo infensus, & inimicus. Resp. semper hominem teneri non esse Deo infensum, & inimicum actu, non autem habitu, nisi quando currit præceptum de reconciliando nos cum Deo.

Secundò Dubitatur, an saltem alio tempore antè mortis articulum præceptum contritionis per se obliget de peccatis commissis pœnitere. Negant Vasq. *dub.* 6. Hurtad. *diff.* 4. & alij asserentes præceptum pœnitentiæ obligare per se solùm 205

solùm in mortis articulo, quia tantùm videtur contrà rationem, & contrà charitatem ergà Deum in æternum permanere in inimicitia Dei, & ità etiam sentit Caietanus in Summa verbo *Contritio*. Oppositum docet communis sententia tam Veterum, quàm Recentiorum, vt videre est apud Coninchium, Lugum, Suarez, Auersam, Caspensem, Amicum, & alios, & fuit præsertim expressa Scoti sententia 4. *dist.* 20. vbi agit de difficultate pœnitentiæ in extremis, & in solutione ad 2. ait, quod qui determinat non pœnitere, nisi in articulo mortis, mortaliter peccat, quia se exponit periculo decedendi ex hac vita in peccato mortali, cùm articulus mortis sit incertus; & hoc suadent plura Scripturæ testimonia dilationem pęnitentiæ vsque ad extremum vitæ damnantia, & Patrum accriter reprehendentium nimiam pęnitentiæ dilationem, inter quos Augustinus præsertim à Scoto *loc. cit.* relatus pęnitenti in articulo mortis minimè credit, vndè inquit *serm.* 37. de Tempore, age pęnitentiam dùm sanus es, securus es, quando eo tempore pęnitentiam egisti, in quo peccare potuisti, si autem vis agere pęnitentiam, quando iam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa: Et ratio expressa deducitur ex triplici motiuo generali pœnitentiæ superius assignatis *num.* 190. charitatis Dei, charitatis propriæ, & iustitiæ; cùm enim dilectio Dei hominem obliget, vt interdum in spatio vitæ actum dilectionis exerceat, vtique eadem ipsa charitas peccatorem obligabit, ne per totam eius vitam, aut magnam partem inimicus Deo existat. Et cùm homo se diligere teneatur quantum ad bona spiritualia, maximum plane eius malum esset, & grauissimum animæ periculum per totam eius vitam, aut magnam vitæ partem in statu periculi facere, rarò enim conceditur diù vixisse in peccato, & mori in gratia, vt enim inquit Augustinus *loc. cit. Pœnitentia sera rarò vera*. Et denique ex speciali etiam motiuo iustitiæ, seù pœnitentiæ, vt est specialis virtus, peccator obligari videtur, ne tam diù differat satisfactionem Deo offenso, hic enim esset manifestus contemptus diuinæ amicitiæ.

206 Quando autem intrà vitæ cursum, seù quanto tempore post commissum peccatum, teneatur peccator ex natura rei ad pœnitentiam, difficilè est determinare; Coninchius, Lugus, & alij spatium trium, aut quatuor annorum designant; sed pro diuerso statu personarum, aut circumstantiarum erit hoc tempus plus, vel minus contrahendum, sicut in alijs materijs ieiunij, furti, dilationis votorum &c. fieri solet, vndè magis coarctari debebit pro Religiosis, v. gr. quàm pro Laicis ratione status, & conditionis personarum. Solet etiam hoc tempus in quibusdam occasionibus determinatè assignari; obligat enim quoties quis tenetur elicere actum dilectionis ergà Deum, certum autem est præcepta Fidei, Spei, & Charitatis non obligare solùm in fine vitæ; tunc ergò pariter etiam pęnitentiæ præceptum obligabit, quia vt suprà dictum est, amor Dei super omnia necessariò infert dolorem de peccatis, quando menti occurrunt, & propositum firmum ea in posterum cauendi, vndè quando quis tenetur ad amorem, tenetur etiam ad pęnitentiam.

Rursus obligat in morali periculo vitæ, at passim docent, est autem morale periculum vitæ, non in quo vni, aut alteri, sed in quo plerisque solet mors contingere, vt in bello, vel longa, & periculosa nauigatione, quia morale periculum vitæ æquiualet supremo mortis articulo; tenetur, inquam, homo in his casibus, vel ad actum contritionis, si copia Confessarij non adest, vel ad sacramentum confessionis saltem cum attritione. Item addunt aliqui casum publicæ necessitatis, quando, scilicet, probabiliter timetur Deum punire populum ob peccata particularia, nam tunc vnusquisque tenetur per contritionem se disponere ad placandam diuinam iustitiam. Verùm Vasquez, Bonacina, & alij censent simpliciter non occurre, quia Deus exaudit etiam peccatores cum fide petentes. Demum alij addunt casum in quo currit pręceptum annuæ confessionis, & deest Confessarius, vel pœnitens obmutuit, tunc enim aiunt teneri effectum sacramenti contritione supplere, quia præceptum confessionis in lege Euangelica est subrogatum præcepto contritionis. Sed Suarez, & alij id negant, quia præceptum confessionis annuæ est purum Ecclesiasticum, Ecclesia autem potest per se obligare tantùm ad actum externum, & per concomitantiam ad actum aliquem internum; quando autem quis ab opere externo excusatur, vt in casu posito, non propterea obligatur ad actum vllum internum æquiualentem.

Tertiò Dubitatur, an hoc præceptum obliget, quoties peccata commissa menti occurrunt; post autem cogitatio, vel reminiscentia peccati commissi esse duplex, alia completa, & deliberata, & est quando voluntas ex electione cogitat de peccato commisso, vel si ex accidenti talis contingat recordatio, voluntariè, & deliberatè sistit in tali cogitatione, quàm alij cogitationem practicam appellant; alia est incompleta, & indeliberata, & est cùm quis ex accidenti cogitat de peccato commisso, non ex electione, sed ex surreptione, & primis motibus, & raptim transit absque consilio, & discussione naturæ talis actus, vel obiecti, quàm proindè alij cogitationem speculatiuam vocant, quia speculatiuè tantùm se habet voluntas circà tale obiectum; Quæstio igitur est de cogitatione completa, & deliberata, nam de cogitatione indeliberata, & ex surreptione omnes concedunt hominem non teneri de peccatis commissis conteri, quoties sic menti obijciuntur. Sententia negatiua communis est inter Recentiores, vt videre est apud Suarez *disp.* 15. *sect.* 4. 207

Affirmatiua verò, vt magis pia, apud veteres Theologos est magis recepta, & expresè deducitur ex Scoto *loc. cit.* 4. *dist.* 45. *quæst.* 3. *ad* 3. *prin.* vbi quærens, an Beati, cùm recordantur peccatorum commissorum tristentur inquit; Si Viator completa deliberatione recordari non potest peccatum commissum, quin detestetur, vel displiceat, alioquin peccat ad minus omittendo &c. & inferius *dist.* 49. *quæst.* 4. *sub N.* vbi dicit, actu intelligens Deum, & nullo modo diligens peccat; similiter actu cogitans peccatum, & sine omni displicentia peccat sequuntur Scotistæ passim, & præsertim Brancatus *disp.* 14. *art.* 7. & Faber *disp.* 28. *cap.* 4. pro qua etiam adducit D. Thomam, D. Bonauenturam, & Alensem; Verùm est tamen, vt Brancatus notat *loc. cit.* quod quando ij Theologiæ proceres dixere, tam de lege naturæ, quàm positiua diuina peccatorem teneri ad delendum de peccatis commissis, quoties de illis completè, ac deliberatè recordatur; non esse solùm locutos de pęnitentia iustificante, qualis est contritio, vt loquuntur Recentiores, sed de omni actu pęnitentiæ indiscriminatim, siuè contritionis, siuè attritionis, & de contritione, siuè formali, siuè virtuali; quia re vera non eo ipso, quod homo recordatur peccati commissi, statim tenetur se ad iustificationem disponere per actum contritionis perfectæ, alioquin frustrà institutum esset pęnitentię sacramentum, nam homo teneretur accedere semper iustus ad confessionem; sed sufficit, & præcepto pœnitentiæ satisfacit, si se disponit ad iustificationem saltem per attritionem; Et hoc etiam satis congruum est ac rationi consentaneum, quia sicut alia præcepta, siuè naturæ, siuè positiua, licet pro certis casibus obligent, non tamen obligant ad actus perfectissimos, qui in talium præceptorum virtutibus fieri possunt, ita de pęnitentiæ præcepto dicendum est, quod non semper obliget ad perfectissimum. 208

Assertum verò sic explicatum probatur ratione Scoti 5. *dist.* 45. *quæst.* 3. in solutione ad 3 prin. superius adducta *num.* 203. nam peccator deliberatè cogitans de peccato commisso, hoc est, ex electione, & cum attentione, vel illud detestatur, & habetur intentum, vel complacet in eo, & sic peccat nouo peccato commissionis, vel nec complacet in illo, nec displicet de illo, & sic ad minus peccat peccato omissionis, inquit Doctor; Neque dicas tunc non peccare peccato omissionis, quia tunc præceptum pęnitendi non obligat, vndè potest sine peccato omittere absque actu amoris, vel odij, complacentiæ, vel displicentiæ, cùm sit liberum homini sic operari, scilicet, volendo, odiendo, & non volendo. Nā in primis non video, quomodo Aduersarij hanc possint adhibere responsionem, cùm ipsi puram omissionem non admittant; Tùm quia hæc est manifesta principij petitio, quod tunc præceptum pœnitentiæ non obliget, hoc enim est, quod modò disputatur, & nos asserimus, quod si pręceptum est, aliquando de peccatis commissis pęnitere, non potest opportunis tempus assignari, quàm cum menti occurrunt ex electione, & plena deliberatione, vt offensiua Dei, ergo tūc obligat, vt ea actu detestamur. Tùm quia si non est opportunum tempus detestandi peccatū, quando cum plena deliberatione, & attentione à ratione voluntati proponitur, vt detestandum, nec tunc pęnitentiæ obligatio vrget; nullū tēpus erit à lege naturæ determinatū, in quo tale præceptū vrgere debeat, quia non est maior ratio, cur in hoc tempore potiùs 209

citrà mortis articulum vrgere debeat, quàm in alio, neque enim ex naturæ dictamine potest pro aliquo tempore magis malum apparere, quàm pro alio, & magis odiendum, quàm pro alio; ergo si pro omni tempore, in quo attentè cognoscitur, & cùm plena deliberatione, eius malitia apparet, pro omni tali odio habendum erit, vt benè discurrit Brancatus *loc. cit.*

210 Sed obijciunt, quia non est, vndè præceptum hoc colligatur, cùm enim sit affirmatiuum, non obligat statim, ac menti occurrit practicè obseruandum, siquidem hoc est proprium solius præcepti negatiui. Tùm 2. quia in prima dubitatione proposita huius articuli *n* 208, diximus post peccatum commissum non statim teneri hominem de illo pœnitere, non potest autem pœnitere, nisi cum primò occurrit memoria peccati; ex quo sequitur euidenter non teneri pro quocunque tempore, quo ei in memoriam venit alioquin etiam teneretur cum primò ei occurrit post eius commissionem. Tùm 3. quia non minus obligat præceptum charitatis ad Deum diligendum, quàm contritionis ad detestandum peccatum; sed sola memoria Dei practicè diligibilis non obligat ad actualem Dei dilectionem; ergò nec sola memoria peccati practicè detestabilis ad actualem eius detestationem. Tùm 4. quia non est grauius hoc præceptum de odiendo peccato, quàm de amando summo bono; sed hoc non obligat semper, ergo nec illud. Tùm 5. quia posset homo in tali casu diuertere à tali cogitatione absq; actu complacentiæ, & displicentiæ, & aliud considerare. Tùm tandem, quia fideles communiter non putant se esse ad hoc obligatos, nec etiam ipsi se de tali peccato omissionis accusant, aut Confessores de illo eos interrogant.

211 Resp. negando assumptum, lex enim naturæ id præcipit, est enim primum principium naturaliter notum, malum debere displicere, bonum verò amari, & hoc dictamen non obligat pro tempore ignorantiæ boni, & mali, sed pro tempore cognitionis, non quidem indeliberatæ, & transitoriæ, sed deliberatæ, & plenæ, quando nimirum peccator cogitat de peccato commisso, vt est offensiuum Dei; Neque ob id tale præceptum est negatiuum, aut in omnibus illi simile; quia negatiuum pro nullo tempore, nec etiam pro instanti contrarium admittere potest; affirmatiuum verò potest, quia nec omni momento, aut hora tenetur quis esse in actu pœnitendi, sed tantùm cum practicè cogitat de qualitatibus peccati; Tùm quia præceptum negatiuum obligat semper, & pro semper, non sic affirmatiuum, sed habet aliquam conditionem, & circumstantiam, quæ quando aduenit, obligat, & extrà illam minimè, vt colere Deum determinatur ex circumstantiam diei festi, honorare parentes, habet pro circumstantia principali eorum inopiam, & egentiam; præceptum autem de pœnitentia facienda non habet aliam circumstantiam, & conditionem, quæ ipsum obligare faciat, quàm cognitionem practicam, & deliberatam peccati commissis; etenim extremum vitæ periculum, vt Faber notat *loc. cit.* est potius extrinseca conditio, vndè si quis repentè moreretur, itaut tempus recogitandi peccata non haberet, non peccaret non pœnitendo in mortis articulo, neque damnaretur ob impœnitentiæ peccatum in mortis articulo, sed quia peccatum habuit, de quo nunquam pœnituit, quandò de illo plenè, & deliberatè recogitauit.

212 Ad 2. ob eam rationem Faber *disp.* 18. *cit. c.* 5. tenet hominem teneri ad pœnitentiam statim post commissum peccatum, intelligendo per illud *statim* non quidem tempus illud, quod immediatè sequitur ad actum completum peccati, sed illud tempus, quo post actum peccati memoria ipsius occurrit, vel aliqua occasio se se offert de illius cogitatione. Sed planè Doctores, qui in prima huius articuli Dubitatione asserebant teneri peccatorem de rigore, & per se loquendo statim, seu quamprimum post commissum peccatum redire ad pœnitentiam, non in hoc tantùm sensu loquebantur, vt explicat Faber, quasi vellent teneri solùm, quando occurreret plena, & deliberata cogitatio de peccato commisso, imò potius volebant, quamprimum moraliter fieri potest teneri peccatorem ad examen conscientiæ faciendum de peccatis commissis, & eorum cogitationem procurare, & de illis pœnitentiam agere, & in eo sensu eam opinionem reiecimus, vt nimis rigorosam, & diximus ad tale examen non teneri, neque ad talem pœnitentiam; cum quo tamen adhuc stat, quod si aliqua occasio se se offert de peccati commissi cogitatione habenda plena, & deliberata tunc ad illius detestationem teneatur, tunc enim tempus est, in quo debet poni actus eius in esse, & in quo obligat præceptum pœnitentiæ; Vndè in sensu Fabri gratis concedimus peccatorem post peccatum commissum teneri statim conteri licet non sit modus satis proprius loquendi, neque ab illis Theologis intentus, qui id asserebant in prima Dubitatione huius articuli, vt dictum est; atque ideò rationes Fabri ibi adducere non curauimus, quia non probant, nisi assertionem modò à nobis propositam pro solutione præsentis Difficultatis, non autem opinionem veterum illorum Scholasticorum ibi reiectam, & in sensu ab illis intento.

Ad 3. negatur minor, imò retorquetur argumentum, nam quoties deliberatè cogitat homo de summo bono, tenetur illud amare: ergo quoties cogitat deliberatè de summo malo quale est peccatum, vt Dei offensiuum, tenetur odio habere eodem enim modo se habent odium mali, & amor boni, nam ex naturę principijs hęc doctrina deducitur, quod nociuum cùm attentè consideratur, odio haberi debeat. Ad 4. concessa maiori dico ad minorem, quod licet præceptum de summo bono amando non obliget pro semper absolutè, quia præceptum affirmatiuum est, obligat tamen quoties de eo deliberatè, & aduertenter cogitatur, tunc enim tenetur ad eius amorem siuè perfectum, siuè imperfectum, quia hæc obligatio differt ab ea, qua homo tenetur Deum super omnia diligere, & certis temporibus obligat, vt notat Brancatus *loc. cit.* Ad 5. concedo, quod posset homo in tali casu cogitationem à peccato diuertere, sed per talem diuersionem legi naturæ non satisfaceret, sicut qui videt proximi necessitatem, & à via diuertit, vel à cogitatione, ne videat, vtrisq; legi naturæ de proximo succurrendo non satisfacit. Ad vltimum negatur assumptum, certum enim est, quod regulariter loquendo, quando quis de peccatis commissis attentè cogitat, vel illa odit, vel in illis complacet, & de tali complacentia se in confessione accusat, & a Confessario interrogatur, an eam habuerit; vndè eo ipso, quod se accusat habuisse cōplacentiam de peccato cōmisso, cùm illud recogitauit, sufficienter confitetur omissionem detestandi, quæ cum tali complacentia est necessariò connexa. Dices, saltem illi qui non habent complacentiã, & ad aliud cogitationem diuertunt, hæc omissionis peccata non confitentur. Resp. cum Brancato *loc. cit.* dari rarum casum istarũ diuersionum, & quando etiam dantur, sufficienter quoq; manifestari solere à pœnitentibus, dũ se accusant non respondisse diuinæ vocationi de pœnitendo, & multos etiam Confessarios de his interrogare: alios autem qui contrariæ sunt opinionis, suo muneri satisfacere absq; interrogationibus istis; Quod si etiã expressa interrogatio non fieret, aut confessio de omissione pœnitentiæ, quoties occurreret consideratio practica peccati, & pœnitentię, ratio huius esset, vt inquit Poncius *disp.* 45. *q.* 4. non quod non esset obligatio habẽdæ pœnitẽtiæ, sed quia moraliter loquẽdo habetur pœnitentia in tali casu, nisi affectus moraliter inordinatus id impediat, de tali verò affectu confiteri se solent peccatores, ex qua accusatione sufficienter cognoscit Confessarius omissionem pœnitentiæ, & recidit in idem, quod dicebamus. 213

Quartò tandem dubitatur, an peracta semel ritè pœnitentia restet obligatio rursus pœnitendi, quoties peccata remissa menti occurrunt. Negant Recentiores communiter post pœnitentiam semel, ac sufficienter ritè peractam hominem teneri amplius posteà, quoties peccata memoriæ occurrunt, actu positiuo pœnitentiam continuare, seu repetere, nisi inquantùm denuò lapsus sit, quia sine dubio tunc esset ei iterum necessaria pœnitentia; ità Valentia, Suar. Vasquez, Coninchius, Amicus, Auersa, & alij passim. Fundamentum est, quia præceptum pœnitentiæ semel obligat tantùm circà eadem peccata, quia habita semel pœnitentia, & contritione perfecta de vno, vel pluribus peccatis, ille liberatur à pœna æterna, & fit amicus Dei, & hęres vitę æternę: ergo non obligat quotiescunque memoriæ peccatum occurrit. Conf. quia si teneretur homo pœnitentiam iterare, quotiescunq; peccata semel expiata ex se in memoriam recurrunt, & ad hoc obligaretur ex vi ipsius pœnitentiæ; deberet etiam per se procurare hanc peccatorum recogitationem, quod patet esse falsum, nullum enim aliud extat simile exemplum, quod homo per se non teneatur ad aliquem actum, sed solum per accidens ex tali suppositione, sed sicut homo tenetur quidem aliquando actus, Fidei, Spes, & Charitatis exercere, non tamen quoties cogitatio talium obiectorum in mente surgit, quia hæc præcepta affirmatiua determinant sibi certum obligationis tempus; ità etiam sentiendum de præcepto, & obligatione pœnitentiæ. Tandem, quia nequit 214

assigna-

assignari motiuum dolendi de peccatis dimissis, cùm memoriæ occurrunt, & maximum onus imponeretur hominibus absque necessitate; peccator enim semel iustificatus obligatur tantùm ad pœnitentiam deinceps negatiuè, seu habitualiter continuandam, ne vnquam, scilicet, complaceat de peccato commisso, & in hoc sensu Patres dicunt, debere adhuc peccatorem iustificatum pœnitentiam per totam vitam continuare; non tamen tenetur actu positiuo illam repetere, quando peccata memoriæ occurrunt.

215 Cæterum satis quoque pium, & probabile est, teneri hominem ad pœnitendum etiam de peccatis dimissis pœnitentia virtute, siuè formali, siuè virtuali; quoties de illis complete, & deliberatè recordatur. Ità Doctor *loc. cit. 4. dist. 45. quæst. 3. ad 3. prin.* vbi loquitur etiam de peccatis dimissis, nam ait ad hoc fore obligatos etiam beatos, si in illis daretur memoria peccatorum, vel si datur, nisi gaudium beatificum impediret, certum autem est peccata Beatorum antè ingressum beatitudinis fuisse deleta; & hoc idem docuerunt Alensis, D. Thomas, & D. Bon. vt referunt Faber, & Brancatus *loc. cit.* & probatur eadem ratione, qua idem probatum est præced. dubio *num.* 115. de peccatis commissis, cùm enim homo post peccatum dimissum attentè recordatur illius, vel illud amat, vel odit; quamuis enim sit dimissum, non ob id cessat esse malum, atque ideò non cessat exigere odium sui, & in hoc sensu etiam dicunt Patres adhuc peccatorem iustificatum continuare debere pœnitentiam per totam vitam, quoties illi de nouo sua peccata dimissa in memoriam redeunt cum cogitatione practica de ijs, prout detestabilia sunt. Nec rursus replicare iuuat non teneri peccatorem iustificatum peccatum sic ei præsentatum detestari, sed ad diuertendum intellectum à tali obiecto, ne se exponat periculo peccandi, vel ab omni actu cessare. Non sufficit, inquam; quia incidente cogitatione practica de peccatis commissis, vel dimissis, quatenus detestabilia sunt, non videtur voluntas posse ab omni actu cessare, & merè negatiuè se habere nullum prorsus eliciendo actum, nam hoc est difficile, & moraliter non contingit, sed debet, aut velle, aut nolle actum detestationis, nolle videtur malum; ergo tenetur velle. Nec etiam actus diuertendi intellectum à tali obiecto sufficit; alioquin sequeretur nunquam teneri hominem ad sequendum rectum dictamen, ac diuinam vocationem, quia posset sufficienter satisfacere illis per actum negatiuum, vel diuersiuum; & ità Deus frustrà, & sine ratione exprobraret damnatis Prou. 1. *Vocaui, & renuistis, extendi manum meam, & non erat, qui aspiceret, ego quoque in interitu vestro ridebo.* Vndè quamuis verum sit Deum non semper vocare obligando, sed consulendo tantùm, alioquin semper sub præcepto teneremur respondere internis motionibus ad bonum excitantibus; tamen quando ad pœnitentiam vocat commissa peccata practicè detestanda nobis proponendo, & interdū etiam remissa ad eam continuandam, ac repetendam, dicendum est tunc nos vocare obligando, vt vocationi respondeamus, & non consulendo tantùm, vt ex relata diuina exprobatione deducitur. Denique hoc saltem aduersarij negare non possunt, quod si quando incidit memoria peccati remissi, adsit periculum complacentiæ, vel dilectationi morosæ, tunc tenemur positiuum pœnitentiæ, ac displicentiæ actum elicere, quia per hoc tutius excluditur peccatum, quam per actum diuersiuum.

216 Ad fundamentum in oppositum dicendum est, præceptum pęnitentiæ vtique tantùm obligare semel pro venia obtinenda; adhuc tamen etiam obligare ad eam repetendam incidente cogitatione practica de peccatis remissis, quatenus detestabilia sunt, ne nouum peccatum committatur. Ad Conf. negatur consequentia, ex hoc enim, quod incidente practica cogitatione de peccatis etiam remissis, quatenus detestabilia sunt, teneatur homo ad repetendum pœnitentiæ actum, minimè sequitur, quod etiam semper teneretur per se procurare hanc peccatorum recogitationem, si enim id facere non tenetur circà peccata commissa nondum expiata, tanto minus circà peccata remissa, vt dictum est in præced. Dubio; Neque nos negamus hominem per se teneri aliquo tempore ante articulum mortis ad actum pœnitentiæ de peccatis commissis, sed solùm per accidens ex tali nempè suppositione, quod ex aliqua occasione menti objjciantur, vt detestandi; imò diximus Dubio pręcedēti dari aliquod tempus antè mortis articulum, in quo per se tenetur hanc peccatorum recogitationem procurare ad ea detestanda, & pręter hoc tenetur etiam ea detestari per accidens ex tali suppositione, quod ex aliqua occasione menti objjciantur, vt detestanda, & hoc loquendo de peccatis commissis nondùm expiatis; nam loquendo de semel dimissis, gratis concedimus in nullo tempore per se teneri hanc peccatorum recogitationem procurare ad ea detestanda, sed solùm per accidens ex tali suppositione, quod mente objjciantur, vt detestanda; & per hoc saluatur ratio præcepti affirmatiui, quod sibi determinat certum obligationis tempus, quia præcipua circumstantia, & conditio, quæ facit præceptum affirmatiuum pœnitentiæ obligare etiam circa peccata remissa, est quando in mentem recurrunt, vt practicè detestanda; & hoc est discrimen valdè notandum, quod versatur inter obligationem pœnitentiæ ad detestanda peccata commissa, ac etiam remissa, quando menti occurrunt; nam ad hæc detestanda tenemur præcisè ex tali suppositione, quod menti occurrant, atque ità merè per accidens; ad illa verò tenemur etiam per se aliquandò antè mortis articulum eorum recogitationem procurando. Ad vltimum negatur assumptum, quia sicut bonum exigit semper amari, etiam postquam millies est amatum, ità & malum exigit semper odiri etiam post plura odia præcedentia, vndè remissio peccati non tollit, quin rursus odiri debeat, quando menti occurrit, vt practicè detestandum; Neque ob id maximum onus imponitur hominibus absque necessitate, quia præceptum pęnitentię non per se obligat post peccatorum remissionem, quasi teneatur homo etiam per se hanc peccatorum recogitationem procurare, sed solùm per accidens facta nimirum tali suppositione, quod ex aliqua occasione peccata dimissa in mentem recurrant, vt practicè detestanda.

QVÆSTIO OCTAVA.

De Efficacia Pœnitentiæ Virtutis ad tollendum peccatum mortale.

Certum est ex dictis in lege Euangelica duo dari media ad delendum peccata post baptismum commissa, scilicet, contritionem perfectam, & attritionem cum sacramento; pœnitentia virtus, quæ dicitur attritio, de facto non potest se sola absque sacramento delere peccata mortalia, ità Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 4. circà finem, vbi dicit attritionem non disponere ad iustificationem, & gratiam se sola, licet id faciat cum sacramento, quod etiam anteà docuit Scotus *4. dist. 19. in resol. quæst.* 2. in fine, & ratio est in promptu, quia si attritio sufficeret, frustrà institutum esset sacramentum pœnitentiæ in supplementum efficaciæ attritionis. Pœnitentia autem virtus, quæ dicitur contritio, nedùm in lege veteri efficaciam habuit delendi peccata mortalia, sed eam quoque habet in lege Euangelica cum hac conditione, quod saltem in voto sacramentum requirit pęnitentiæ, sic etiam docuit Trident. *loc. cit.* & Scotus *4. d. 20. quæst. vn.* A. Nunc igitur discurrendum est de modo, quo pœnitentia, seu contritio causet remissionem peccati mortalis. 217

ARTICVLVS PRIMVS.

Quomodo pœnitentia, seu contritio causet remissionem peccati mortalis.

In hac quæstione tres sunt sententiæ. Prima tenet peccati deletionem à contritione causari physicè, & in genere causæ efficientis; ità quidam Thomistæ, eò quod D. Thomas *quæst. 85. art. 2. ad* 3. dixit pœnitentiam expellere peccatum effectiuè, & expressè Ledesma *4. part. quæst. 27. art.* 4. Secunda sententia docet contritionem in genere causę formalis ex natura rei expellere culpam, ità vt habeat formaliter vim iustificandi peccatorem, vel per se, & præcisè sumpta, vel saltem coniuncta cum gratia habituali, ità Meratius, Hurtadus, Turrianus, & alij, quibus præiuit Vasquez *p. 2. disp.* 203. Tertia tandem, & communior sententia docet contritionem solùm esse dispositionem ad remissionem peccat, vel se solam, & ex natura, sicut est calor ad expulsionem frigoris, vel ex institutione diuina. Pro resolutione quęstionis. 218

Primò Dicendum est, contritionem non esse deletiuam culpæ physicè, & in genere causæ efficientis. Conclusio est com-

possit peccata delere, & ad iustificationem disponere per modum meriti de congruo.

222 Quartò ex dictis etiam deduci potest decisio quęsiti illius an pœnitentia virtus sit etiam causa gratiæ iustificantis, & quomodo potest enim dici causa moralis tantùm, & dispositiua, & per modum meriti de congruo. Conclusio deducitur ex Scoto *loc. cit.* & Concil. Trident. in omnibus relatis locis, in quibus docet pęnitentiam perfectam esse præparationem, & dispositionem ad iustitiam, quæ est gratia habitualis nos iustificans, quo loquendi modo aliquam causalitatem ei tribuit respectu gratiæ peccatori conferendæ, & cùm hæc physica esse nequeat, quia sic solus Deus gratiam causat iuxtà illud *psal.* 83. *gratiam, & gloriam dabit Dominus*; restat vt sic causa in genere causæ moralis tantùm; & quidem Concilium ipsum dùm *loc. cit.* contritionem vocat dispositionem, impetrationem, & præparationem ad gratiam iustificantem, quæ formaliter peccata remittit, & delet, nedùm causalitatem, sed etiam speciem causalitatis insinuare videtur. Confirmatur ex omnibus Scripturæ locis tam veteris, quàm nouæ legis, in quibus pœnitentiæ promittitur iustificatio, & peccatorum remissio, vt Ezech. 18. *in quacunque hora ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor amplius, & vita viuet*; si ergo posita pænitentia perfecta pro veteri lege causabatur infallibiliter gratia in homine contrito, in noua autem eadem posita cum voto sacramenti eadem causatur; planè negari non potest, quin sit aliquo modo causa gratiæ; illa enim censetur causa sufficiens, & efficax alicuius effectus, qua posita ponitur effectus, & qua ablata aufertur; cùm ergo non sit causa physica erit ad minus causa moralis, si enim saltem hoc modo non causaret gratiam, explicari non posset, quomodo ad iustificationem disponat, & peccatorum remissionem. Denique quod nequeat esse, nisi causa moralis, probatur, quia quod non causat effectum ex natura sua, sed ex pacto, & voluntate, vel ordinatione alterius, alio modo causare nequit, quam moraliter, & dispositiuè, vt patet de meritis, & precibus, & imò de ipsis sacramentis; sed pęnitentia non causat gratiam, & iustificationem, nisi ex pacto, & promissione Dei, vt constat ex omnibus Scripturæ locis, in quibus à Deo pœnitentiæ promittitur iustificatio, & peccatorum remissio; ergo non aliam causalitatem exercere potest, nisi moralem, & per modum impetrationis, vt Concilium loquitur; si enim saltem hoc genus causalitatis non exerceret, explicari non potest, quomodo ad iustificationem, & gratiam habitualem præparet peccatorem, ac disponat. Et hic aduertendum est, quod omnia, quæ de pænitentia perfecta dicuntur, hoc est de contritione sine sacramento in ordine ad iustificationem causandam, dici quoque debent de pænitentia imperfecta, scilicet attritione cum sacramento, hæc enim virtute sacramenti in re suscepiti æquiualet contritioni, & pœnitentiæ perfectæ; atque ideò vtraque est causa efficax, & infallibilis gratiæ iustificantis modo iam declarato.

223 Quintò Dicendum est, virtute pœnitentiæ de facto omnia mortalia simul remitti, nec vnum sine alio remitti posse; Conclusio censetur esse de fide, expresè enim deducitur tùm ex Scriptura, quæ non nisi integram peccatorum remissionem promittit pro integra pęnitentia, tùm ex doctrina Concil. Trident. *de Iustificatione sess.* 6 & de pœnitentia *sess.* 14. vbi iustificationem declarat per modum viuificationis, & liberationis à morte iuxtà modum loquendi sacræ Scripturæ, hæc autem non habetur, nisi per integram omnium peccatorum mortalium remissionem, nam per vnum solum peccatum mortale, quod in anima remaneret, homo non esset iustus, sed impius, non esset viuus, sed mortuus spiritualiter, demum non esset in statu salutis, sed damnationis æternæ. Hoc idem probatur ratione, quia peccatorum remissio de facto fit per iustitiam inhærentem, & formam iustificantem ex Trident. *sess.* 6. sed gratia de facto nullum mortale peccatum secum compatitur, & hominem penitus iustificant, & sanctificat, & si penitens de vno solo peccato complacentiam haberet, iam esset prorsus indignus remissionis etiam cæterorum iuxtà illud Iacob. 2. *Qui in vno offendi factus est omnium reus*, ergo &c. Dixi autem de facto, & de potentia ordinaria vnum peccatum mortale sine alio remitti non posse, quia licet aliqui id affirment etiam de potentia Dei absoluta, vt Valentia, Vasquez, Beccanus Amicus, & alij, quorum fundamentum est, quia peccatum mortale etiam de potentia absoluta non nisi per infusionem gratiæ secundum ipsos remitti potest, quam dicunt intrinsecè, & ex natura sua cum omnibus, & singulis mortalibus æquè formaliter repugnare.

Alij tamen concedunt id fieri posse per potentia Dei absolutam, ità Doctores omnes citati *lib.* 2. *disp.* 7. *quæst.* 3. tenentes omne peccatum, non solùm in pura natura, sed etiam in iam eleuata ad finem supernaturalem posse à Deo ex vi alterius prouidentiæ ab ea, quæ nunc est, remitti absque infusione gratiæ sanctificantis, & absque vlla forma intrinseca per solam extrinsecam condonationem, quæ est expressa Scoti sententia pluribus in locis ibi adductis *artic.* 1. iuxtà quod principium posset Deus de potentia absoluta vnum condonare peccatum alijs non condonatis; Quod adhuc magis possibile apparet, si verum est, quod aliqui ex præfatis Doctoribus addunt, posse Deum sic peccata remittere per solam extrinsecam condonationem, absque eo quod peccatorem in gratiam recipiat. Deindè hoc idem deduci potest ex alio principio etiam in ea *disput.* 7. *quæst.* 2. præmisso, quod gratia, & peccatum non ex natura rei, sed tantùm ex Dei ordinatione adinuicem repugnant, ideoque de potentia Dei absoluta posse esse simul; imò iuxtà hoc principium etiam concedi potest, atque defendi per infusionem gratiæ posse remitti vnum peccatum sine alio, quia iuxtà hoc principium sola gratia ex se non delet peccatum, nisi accedente extrinseca condonatione, & fauore diuino modo iam explicato *disput.* 7. *cit. quæst.* 1. *art.* 1. *num.* 14. atque ità potest dari gratia cum extrinseca condonatione vnius peccati, & non alterius, & potest à Deo ordinari ad delendum vnum peccatum sine alio. Denique aliqui Scotistæ, & Nominales hoc idem ex alio principio deducunt, quod scilicet ex actu peccati remaneat in peccatore tantùm reatus pœnæ, seù ordinatio, ac deputatio peccatoris ad pœnam æternam, & in hac ordinatione dicunt consistere maculam, & peccatum habituale, quod putant esse demente Doctoris 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. iuxtà quod principium vtique posset Deus relaxare pœnam vnius peccati, & non alterius, atque ità posset remittere vnum peccatum sine alio. Cæterum iam *lib.* 2. *disput.* 6. de peccatis *quæst.* 8. *art.* 6. demonstrauimus de mente Doctoris peccatum habituale minimè in ordinatione ad pœnam sic explicata consistere, quia talis ordinatio, & obligatio ad pęnam dicitur simpliciter, & absolutè reatus pęnæ, & non culpæ; sed formale constitutiuum peccatoris esse reatum quendam, seù quandam obligationem ex actu peccaminoso contractam, qua statim ac aliquis pecca, realiter obligatur ad pęnam peccato correspondentem; & in hoc tantùm sensu dicitur propriè reatus culpæ, qui veluti passio consequitur ad ipsum actuale peccatum, & manet moraliter, vel habitualiter in peccatore etiam actu ipso peccaminoso physicè transacto; Atque ita non sequitur, quod Deus eo ipso quod relaxaret pœnam vnius peccati, & non alterius, remitteret vnum peccatum sine alio.

Sextò Dicendum est, virtute pœnitentiæ, seù contritionis simul cum culpa etiam semper remitti pœnam æternam, non tamen totam pęnam temporalem, siuè in hac vita, siuè in Purgatorio luendam. Hæc etiam est communis omnium Catholicorum, quàm expressè docuit Scotus *dist.* 14. *quæst.* 1. *vbi lit. G. & H.* postquam docuit transacto actu peccaminoso remanere in peccatore reatum, seù obligationem ad pœnam æternam, docet deinceps hunc reatum per pęnitentiam deleri; & *dist.* 20. ab initio docet deleri, vel per pęnitentiam interiorem, scilicet, contritionem, vel per sacramentum; & tandem *dist.* 14. *quæst.* 4. & *dist.* 22. *lit. F.* ait quod dùm reatus pœnæ æternæ deletur, commutatur ex Dei misericordia pæna æterna in temporalem vel in via, vel in purgatorio soluendam; Quod primam partem probatur ex Scriptura, quæ inseparabiliter iungit statum culpæ cum reatu damnationis æternæ, & è contrà remissionem culpæ, seù iustificationem cum redintegratione ad gloriam; & liberatione à tali damnatione, vt constat ex illo ad Rom. 6. *Nunc liberati à peccato, serui facti Deo, habentes fructum vestrum in sanctificatione, finem autem vitam æternam.* Et hoc idem docet Tridentinum *sess.* 6. *cap.* 14. vbi supponit pœnam æternam simul cum culpa mortali deleri; Et hoc tandem suadet ratio, quia ordinariè non remittitur culpa, nisi per gratiam habitualem hæc autem est filiatio adoptiua Dei hominem constituens hæredem vitæ æternæ ex eodem Tridentino *sess.* 6. *citat.* 225

cap.4.& 7. ergo tollit reatum, seu dignitatem pœnæ æternæ, non enim potest quis simul esse dignus vita, & pœnæ æternæ.

Quoad secundam partem probatur ex communi Theologorum consensu, qui dicunt, dùm cum reatu culpæ deletur quoque reatus pęnæ æternæ, commutari ex Dei misericordia pœnam æternam in temporalem vel in via, vel in Purgatorio soluendam; Et hoc etiam sanciuit Trident.*sess.14. cap.8.* contrà Hereticos nostri temporis id negantes, ac consequenter Purgatorium, suffragia, & indulgentias pro defunctis, vt refert Bellarmin. *lib.4. de Pœnit. cap.2.* verba verò Concilij sunt hæc. *Sancta Synodus declarat falsum omninò esse, & à verbo Dei alienum, culpam à Domino nunquam remitti, quin vniuersa etiam pœna condonetur.* Denique hoc etiam suadet ratio ex offensis humanis deducta, in quibus remissa tota offensa per acceptationem in amicitiam, adhuc potest, & solet offensus ab offendente aliquam satisfactionem exigere ad resarciendum ius læsum publicæ iustitiæ; ergò similiter potest Deus peccatorem ad suam amicitiam acceptare, condonata perfectè culpa, & adhuc ab eo aliquam exigere pœnam in recompensationem diuinæ iustitiæ læsæ, nam qui Deum offendit, non solùm amicitiam violauit, sed etiam ius, & iustitiam; quare vtraque redintegranda est, & benè potest separatim vna absque alia resarciri, nam potest quis esse alteri amicus, & simul debitor iustitiæ, quia hæc iura, cùm sint diuersa, non sibi contradicunt; aliæ rationes ad idem solent adduci, quia, scilicet, in peccato inuenitur auersio à Deo, & conuersio ad creaturam, illi respondet pęna æterna, & huic temporalis, quæ tamen ratio non conuincit, vt notat Auersa *quæst.3. sec.11.*

126 Quæres an de potentia absoluta possit Deus remittere culpam, non remisso debito pęnæ æternæ. Affirmant Suarez, Coninchius, Card. de Lugo, & Amicus, qui fusè hanc Difficultatem tractat *disput.5. sec. vlt.* pro cuius intelligentia notat duplex debitum in peccato distingui, alterum pęnæ sensus sustinendi æternos cruciatus; alterum pęnæ damni, scilicet, priuationis æternæ gloriæ, & familiaritatis diuinæ, vtrumque enim debitum incurrit peccator per peccatum mortale; & sumitur hic pęna sensus non prout de facto inuoluit obstinationem in peccato, hoc enim pacto implicantia est in adiecto, remitti peccatum, & simul manere obstinationem ad peccatum, cum nil aliud sit obstinatio ad peccatum, quam perseuerantia in peccato, sed solum sumitur, prout dici per passionem cruciatus æterni in pœnam præteriti peccati iam condonati; de vtroque igitur debito in hoc sensu quæritur, an simul stare queat cum perfecta peccati remissione, & præfati Doctores affirmant cum alijs Recentioribus; Fundamentum præcipuum est, quia obligatio ad pœnam non repugnat cum gratia, & amicitia Dei, de facto enim remisso peccato manet debitum ad pœnam temporalem; igitur remissio peccati per se non repugnat cum debito ad pœnam, alioquin si repugnaret, neque simul stare posset cum debito ad pœnam temporalem.

127 Sed negantem partem iam statuimus *lib.2. disp.6. de peccatis quæst.8. art.7. num.328. & art.9. nu.361.* cum Scoto *4. dist. 21. lit. C.* quàm sequuntur Becanus *cap.31. quæst.7.* Auersa *quæst.2. sec.10.* & alij Recentiores, vbi etiam *art.6.* ab initio notauimus pro declaranda formalitate peccati habitualis, quod per obligationem, & debitum ad pęnam æternam duo possumus intelligere, nempè vel ordinationem, & deputationem ad pœnam, quæ est denominatio extrinseca ex actu diuinæ voluntatis deriuata, quo peccator ob actum peccaminosum præcedentem deputatur ad pœnam æternam illi debitam; Vel denominationem extrinsecam ab actu ipso peccati deriuatam, quæ est dignitas pœnæ, vel deputationis, ac ordinationis ad pœnam, quatenus eo ipso, quod homo peccauit, redditur dignus ex actu ipso peccati, quod ordinetur ad pęnam quo sensu loquendo de ordinatione, & debito ad pœnam est propriè reatus culpæ, qui veluti passio consequitur ad ipsum actuale peccatum, & propriè constituit maculam, & formalitatem peccati habitualis, & in hoc sensu dixit D. August. *in psalm. 44. peccatum esse puniendum, & si puniendum non esset, peccatum non esset*; Vndè ibi deduximus, quod sicut in hoc sensu implicat remanere debitum ad pęnam æternam cum remissione peccati; ità quoque è contrà implicat in adiecto Deum remittere culpam non remisso debito pœnæ æternæ, quia debitum ad pœnam æternam in hoc sensu est ipsa macula peccati habitualis manens moraliter in peccatore post actum peccaminosum physicè prætæritum; Vndè dato etiam casu, quod pęna de facto infligenda peccatori ob peccatum commissum esset à Deo condonata; non tamen condonata esset obligatio passiua, ac debitum ad pęnam æternam, in qua culpam habitualem statuimus, sed solùm diceret Deus non exigere actualem solutionem illius debiti; & pariter dato casu, quod talis obligatio passiua non esset condonata, nec etiam condonata esset culpa, quæ formaliter in ea consistit, quia reatus culpæ nihil aliud est, quàm dignitas pęnæ; cùm ergo homo iustus, & innocens, qualis est ille, cui remissa est culpa, non sit dignus pęna æterna, sequitur à primo ad vltimum, quod Deus nequit etiam de potentia absoluta remittere culpam non remisso debito pęnæ æternæ, accipiendo tale debitum in secundo sensu iam declarato.

Imò Becanus loc. cit. negat etiam Deum posse de potentia absoluta remittere culpam non remissio debito pęnæ æternæ etiam in primo sensu accepto quamuis enim id non repugnaret respectu diuinæ potentiæ, repugnat tamen respectu iustitiæ, quia Deus non potest hominem iustum, & innocentem, etiamsi anteà fuerit peccator, punire tali pœna æterna, qua nunc puniuntur damnati, quia illa pęna includit odium Dei, disperationem, blasphæmiam, & vermen conscientiæ, quæ omnia homini iusto, & innocenti repugnant. Tùm quia non potest iustum, & innocentem, si ab eo statu per peccatum non excidat, priuare æterna beatitudine, cùm enim Deus non possit esse iniustus, non potest illi in perpetuum negare, quod illi iure debetur, at homini iusto, & gratiam habenti debetur vita æterna, cùm eo ipso fiat illius hæres, ergo Deus sine noua eius culpa non potest illam in perpetuum negare; quæ fuit doctrina D. August. lib.3. contrà Iulianum *cap.28.* vbi ait, *Bonus est Deus iustus est Deus: potest aliquos sine bonis meritis liberare, quia bonus est: non potest aliquem sine malis meritis damnare, quia iustus est.* 228

Ad Fundamentum oppositæ sententiæ iam diximus *loc. cit. disp.6. de peccatis in fine num.361.* quod quando Scotus peccatum mortale habituale constituit in obligatione ad pænam æternam, loquitur præcipuè de pęna damni, siquidem hæc est, quæ essentialiter peccato correspondet, non verò pęna sensus, & ideò inquit Doctor loco citato *4. dist. 21. C.* quod si debitum pęnæ æternæ posset stare cum gratia eo modo, quo manet post actum, tunc idem esset amicus, & inimicus, ac proindè ait debitum pęnæ æternæ totaliter in absolutione remitti; & pęnam post absolutionem remanentē ab illa differre, non solùm quia hæc temporalis est, illa æterna; sed etiam quia in se sunt alterius, & alterius rationis; nam vna est compossibilis cum gratia, altera non; vna facit hominem Dei inimicum, altera non; item pęna, ad quam ex actu peccati mortalis obligatur peccator, dicitur pęna damnationis; altera vero, ad quam obligatur pęnitens ex impositione Sacerdotis, & in quam virtute sacramenti, vel contritionis commutatur æterna, dicitur satisfactoria; illa tandem propriè dicitur reatus, quia ex propria culpa proximè, & immediatè contrahitur; ista verò non habet rationem culpæ, quia ista non est ex peccato, nisi tantùm remotè, proximè verò est à voluntate diuina, cui hac conditione peccatum remittere placuit, vt teneretur homo aliquam soluere pęnam temporalem, in quam ex Dei misericordia commutata est æterna; ità ibi ad verbum discurrebamus, vbi etiam aliæ difficultates solutæ sunt ad id spectantes, quæ ibi videri possunt, ne eadem repetantur. 229

ARTICVLVS SECVNDVS.

Soluuntur Obiectiones contrà præcedentem doctrinam.

IN oppositum Primò contrà primam conclusionem arguitur, in qua dicebamus contritionem non esse physicè deletiuam peccati in genere causæ efficientis, nam pœnitentia physicè opponitur culpæ, dicit enim formaliter actum retractationis, culpa verò dicit negationem retractationis, ergo &c. 230

Confirmatur, quia contritio, & culpa nequeunt esse simul in eodem subiecto, alioquin homo esset simul, & semel amicus, & inimicus Deo. Tandem quia pœnitentia perfecta, qualis est contritio, ex natura sua est solutio pœnæ, & compensatio culpæ, ergo &c.

Respon-

Respondetur negando assumptum, ad probationem negatur culpam habitualem dicere formaliter negationem retractationis peccati præteriti, nam dicit formaliter obligationem ex actu peccaminoso contractam, qua statim ac aliquis peccat, realiter obligatur ad pœnam peccato correspondentem, quousque pœna illa soluta fuerit, negationem verò retractationis importat materialiter tantùm, & pro connotato; vndè dum quis dolet de culpa, non ponit totum oppositum, quod physicè illa prædicata excludat, quia non dicit negationem obligationis ad pœnam æternam, neque condonationem, quia hæc non sunt prædicata pœnitentiæ, sed effectus à Deo causati eius intuitu, atque ideò physicè culpam delere nequit pœnitentia formaliter sumpta, sed tantùm per modum moralis dispositionis ad illos effectus eius intuitu à Deo causatos.

Ad Confirmationem negatur assumptum simpliciter, & absolutè loquendo, si enim gratia cum peccato de potentia Dei absoluta est compossibilis, tantò magis contritio, quæ non sanctificat formaliter, sed tantùm dispositiuè per modum dispositionis moralis proximæ, & immediatæ; vndè solùm moraliter dici potest peccato incompossibilis, non quidem per modum formæ efficienter, vel formaliter peccatum expellentis, sed eo modo tantùm quo proxima dispositio formam contrariam dicitur expellere, & ei incompossibilis.

Ad vltimum negatur assumptum quoad vtramque partem, pœnitentia namque non est Deo accepta in solutionem pœnæ, & compensationem offensæ, nisi ex eius ordinatione, qua statuit placari per tale obsequium, & pœnam æternam commutare in temporalem ex meritis Christi; vndè non ex natura rei talem producit effectum, sed tantùm moraliter, neque id facit formaliter, sed dispositiuè, gratia verò id facit formaliter, cum ipsa sit vnica forma iustificans.

231 Secundò arguitur contrà secundam assertionem, in qua diximus contritionem non causare peccati remissionem in genere causæ formalis, sed tantum moralis dispositiuæ; nam plura extant sacræ Scripturæ testimonia, & S.S. Patrum, in quibus dilectionis, & contritioni tribuitur sanctitas, & remissio peccatorum. Confirmatur, quia peccatum mortale formaliter deturpat animam; ergò contritio formaliter eam sanctificat. Denique contritio, vtpotè dilectio beneuolentiæ Dei, est formaliter adhæsio, & coniunctio perfectissima cum Deo dilecto; ergo est forma hominem contritum ex se constituens coniunctum cum Deo amato, & ipsi carum, & amicum, ac proindè est forma ex se formaliter hominem sanctificans.

Resp. ex dictis *loc. cit. lib.* 2. *disp.* 7. de Iustificatione *quæst.* 8. art. 2. loca illa explicanda esse, & intelligenda de causalitate per modum dispositionis moralis, quia ex diuina institutione infallibiliter sanctitatem inducit, non verò de causalitate per modum formæ.

Ad Confirmationem negatur consequentia, quia plus requiritur ad construendum, quàm ad destruendum, plus ad resurgendum, quàm ad cadendum, & plus ad satisfaciẽdum, quàm ad offendendum, alioquin argumentum quoque probaret contritionem se sola omnem abolere pœnæ reatum, sicut peccatum se solo pœnæ æternæ reatum inducit. Ad vltimum negatur assumptum, quia licet ex vi actus dilectionis homo non comparetur Deo, vt obiectum odij, & displicentiæ, sed amoris, & complacentiæ; adhuc tamen talis dilectio ad veram amicitiam non sufficit, & perfectam cum Deo coniunctionem, quia in amico præter amorem, quo diligit amicum, requiritur etiam fundamentum dignitatis, & bonitatis, quo redametur ab amico, quod fundamentum modò de facto non habet homo per solam Dei dilectionem, sed per habitum gratiæ infusum, sine quo maneret indignus, vel saltem non dignus amicitia Dei, non obstante actu dilectionis, vt fusè declaratum est *loc. cit.* Quod si contendas à Deo redamandum esse, planè non eum amaret amore illo, quo diligit filios adoptiuos, & suæ naturæ participes, quod fit per gratiam sanctificantem, sed alio amore multò inferiori; alia argumenta vide soluta loc. cit.

232 Tertiò obijcitur contra tertiam assertionem, in qua diximus pœnitentiam perfectam, idest contritionem esse dispositionem ad gratiam iustificantem per modum meriti de congruo; hoc enim repugnat omnibus Scripturæ locis, in quibus dicitur hominem gratis iustificari, & Concil. Trid. *sess.* 6. *can.* 3. & *sess.* 14. per totam, vbi docet contritionem ex omni parte consideratam esse donum Dei, scilicet, tam ex parte principij præuenientis, quàm ex parte principij adiuuantis.

Confirmatur, quia hic loquendi modus ad Semipelagianismum accedere videtur, nam ipsi quoque gratiæ necessitatem admittebant, vt à Pelagio differrent, sed dicebant hominem posse sibi eam mereri, at non poterant dicere de condigno, quia cum sit principium meriti non potest cadere sub merito, ergo loquebantur de merito de congruo. Tandem, quia hac ratione etiam imperfecta pœnitentia, nempè attritio ex timore gehennæ elicita, dici posset meritum de congruo in ordine ad iustificationem.

Resp. omnia Scripturæ testimonia loqui de merito de condigno, sub quo iustificatio cadere non potest, vt dictum est in conclusione probanda, non autem de merito de congruo; & licet contritio sit donum Dei, est tamen cum hominis cooperatione, idest cum motu liberi arbitrij diuinæ vocationi, & gratiæ adiuuanti correspondentis, quod sufficit ad meritum de congruo.

Ad Confirmationem negatur assumptum, quia Semipelagiani dicebant hominem viribus suis naturalibus primam gratiam vel actualem, vel habitualem mereri posse, quod nos non asserimus, sed tantùm dicimus hominem auxilio supernaturali præuentum, & adiutum actus pœnitentiæ salutares elicere posse, qui de congruo tantùm, vt dispositiones ad iustificationem, à Deo acceptari mereantur. Ad vltimum negatur consequentia, quia contritio est dispositio proxima, & efficax infallibiliter ponens effectum ex Dei promissione, non sic attritio, quæ est dispositio valdè remota, & non est efficax, nisi iungatur cum sacramento, & ideò per se sumpta nomen meriti de congruo sibi non vendicat, nisi valdè imperfectè, & remotè.

Quartò obijcitur contrà quartam conclusionem, in qua diximus contritionem posse dici quoque causam gratiæ iustificantis moralem tantùm, & dispositiuam per modum meriti de congruo. Nam vel intuitu contritionis Deus de potentia ordinaria debet dare gratiam, vel non, primum dici non potest, quia tunc esset meritum de condigno, quod est falsum, quia prima gratia non cadit sub merito; si secundum habetur intentum, quia non esset medium infallibile, & dispositio efficax respectu illius, atque ità neque causa disponens, aut meritoria gratiæ vllo modo. Confirmatur, quia si intuitu contritionis Deus teneretur dare gratiam, gratis diceretur non dari per modum mercedis, & premij, atque ità esset causa meritoria de condigno respectu illius, quod est hæreticum. Demum gratia est donum omninò supernaturale; ergo nequit meritoriè causari à contritione, quæ est illi improportionata. 233

Resp. intuitu contritionis Deum teneri gratiam dare, neque ob id esset meritum de condigno respectu illius, quia non tenetur ex debito iustitiæ, sed tantùm ex debito fidelitatis ex illa promissione facta pœnitentibus *In quacunque hora ingemuerit peccator, &c.* Dices, in vtroque debito intercedere pactum, nam ex natura rei non inducitur in Deo, cum creatura Deum obligare nequeat; ergo qualecunque ponatur hoc debitum in Deo dandi gratiam posita contritione, erit contritio rigorosè meritum de condigno respectu illius. Negatur consequentia, quia longè diuersum est pactum, quod requirit meritum de condigno ab eo, quod requiritur meritum de congruo, vt dictum est *lib.* 3. *disput.* 3. *quæst.* 1. explicando naturam vtriusque meriti, meritum namque de congruo requirit pactum tantùm de dando aliquid per modum doni homini petenti, at meritum de condigno non tantùm requirit pactum de dando, sed etiam de retribuendo per modum mercedis, & præmij, ideoque tale pactum non tantùm inducit debitum fidelitatis, sed etiam iustitiæ.

Ad Confirmationem negatur consequentia, quia meritum de condigno inducit nedum debitum implendi promissionẽ, quod dicitur debitum fidelitatis, sed debitum etiam iustitiæ hoc autem meritum solùm reperitur in iusto, cũ enim iustus ratione gratiæ habitualis sit filius Dei adoptiuus, & habeat participationem diuinæ naturæ, atq; ideò aliquam cum Deo æqualitatem, Deus ex iustitia, licet cum pacto, ei retribuit intuitu operum per modũ mercedis, & præmij; quod non euenit in peccatore, cũ conteritur, & ideò Deus ei non retribuit, sed donat gratiam, respectu cuius non habet, nisi meritum de congruo, quod inducit solùm debitum fidelitatis, scilicet, implendi promissum, non iustitiæ, eo quod Deus pœnitenti gra-

gratiam promisit, quæ omnia latè explicata sunt *loc. cit.* Ad vltimum, negatur contritionem esse omninò improportionata, ad gratiam impetrandam, est enim moraliter proportionata propter adiutorium supernaturale, cuius ope elicitur; vndè non est actus solis naturæ viribus elicitus, sed est supernaturalis ratione auxilij, tum præuenientis, tum adiuuantis.

234 Quintò objicitur contrà quintam conclusionem, in qua diximus, quod licet virtute pœnitentiæ de facto omnia peccata mortalia simul de facto remittantur, de potentia tamen absolutà vnum sine alio remitti potest. Nam nullum peccatum mortale potest sine gratia remitti, sed hæc cum nullo mortali stare potest, ergò non potest vnum remitti, quin etiam reliqua remittantur.

Confirmatur, quia Deus nemini peccatum remittere potest, nisi eum diligendo, nec potest eum diligere, nisi aut sit bonus, aut faciat eum bonum. Tandem quia non potest Deus alicui peccata dimittere, nisi eum in suam amicitiam recipiat, non potest autem sie recipere, nisi omnia, & singula peccata mortalia ei remittat.

Resp. negando maiorem ex iam dictis in illius conclusionis probatione, nam Deus absolutè loquendo potest peccata dimittere absque infusione gratiæ sanctificantis, & absque vlla forma intrinseca per solam extrinsecam condonationem; cum enim peccatum habituale solùm in aliquo morali consistat, non videtur necessarium, quod possit præcisè tolli per physicam aliquam actionem, aut formam sine huiusmodi condonatione, quam solùm ad sui remissionem ex sui natura requirit, tùm quia si sic homines sibi mutuò remittunt offensas, sic etiam posset remittere Deus; Negatur etiam minor, quia de potentia Dei absoluta loquendo peccatum cum gratia stare potest ex dictis disp. 7. de Iustificatione qu. 2. vndè etiam de facto gratia non iustificat physicè, & ex natura rei, sed tantùm moraliter, & ex ordinatione diuina, & sic absolutè loquendo etiam per gratiæ infusionem posset vnum peccatum sine alio remittere, quia gratia peccatum non delet, nisi accedente extrinseca condonatione, & fauore diuino; posset (inquam) vnum peccatum sine alio remittere infundendo eam qualitatem, quæ nunc habet rationem gratiæ sanctificantis, quamuis eam tunc non haberet ità vniuersalem, quia non iustificaret; sicut modò, ab omnibus peccatis.

Ad Confirmationem dico, quod etiam in tali casu Deus verè peccatorem diligeret, dùm ei peccata dicto modo remitteret, non quidem ea ratione, qua suos amicos diligit, sed ea ratione, qua generatim dicimur diligere omnes, quibus volumus aliquod bonum, maximum enim bonum adhuc Deus ei vellet, quem ab aliquo peccato liberaret, licet non à reliquis. Ad vltimum negatur, de potentia absoluta loquendo, non posse Deum alicui peccata remittere, nisi eum in suam amicitiam recipiat.

Dices Deum neminem posse diligere, nisi eum ad suam amicitiam assumat, & positiuum bonum conferat; remissio autem peccati est signum dilectionis, ergo &c. Negatur assumptum loquendo de dilectione generatim sumpta nuper explicata. Dices rursus, contritio non potest esse circà vnum peccatum, nisi sit circa omnia, contritus enim æqualiter est dispositus ad remissionem omnium peccatorum recipiendam; ergo nequit contrito vnum peccatum remitti sine alio. *Resp.* concesso antecedente negando consequentiam, quia contritio non est per se sufficiens ad deletionem peccati formaliter, sed tantùm dispositiuè, neque per modum meriti de condigno, sed tantùm de congruo, & ideò absolutè loquendo Deus etiam contrito peccatum ex pura liberalitate dimittit, quarè sicut absolutè loquendo posset ei nullum peccatum remittere, ità posset remittere vnum sine alio, nam simultanea connexio remissionis omnium peccatorum pendet tantum ex vi præsentis institutionis, & prouidentiæ non autem ex natura rei, quasi ex vi alterius prouidentiæ aliter contingere nequeat.

235 Sextò objicitur contra sextam conclusionem, in qua statuimus virtute pœnitentiæ simul cum culpa pœnam æternam remitti, non tamen semper temporalem. Quia si potest contritio tollere culpam, & pœnam æternam, à fortiori omnem quoque temporalem tollere poterit.

Confirmatur, quia repugnare videtur Deum totam culpam remittere, & aliquam pęnam relinquere, nam pęna dicit essentialem respectum ad culpam. Deniq; quia non videtur explicabile, quo pacto Deus remittendo pęnam ęternam, iniungat temporalem, & cur hoc priuilegium sacramento baptismi conueniat, non verò pęnitentiæ.

Respondetur negando contritionem remittere culpam, & pęnam æternam formaliter, hoc enim facit Deus gratis posita contritione, vt dispositione, & merito tantum de congruo; & ideò non sequitur, quod si Deus contritionis intuitu pœnam æternam remittit, etiam temporalem remittere debere, quia hoc à contritione formaliter non pendet, sed etiam à voluntate Dei, cui placuit pęnam æternam commutare in temporalem.

Ad Confirmationem negatur assumptum, vt patet ex dictis in probatione conclusionis, & *num.* 235. vbi dictum est pœnam æternam, & tempporalem esse omninò alterius rationis, quia hæc est compossibilis cum gratia, illa non, hæc dicitur pęna satisfactoria, illa verò damnationis; hæc tandem non habet rationem culpæ, illa verò vtique quia est propriè reatus culpæ. Ad vltimum dico satis explicatum fuisse in probatione conclusionis, quo pacto Deus remittendo pęnam æternam iniungat temporalem, & exemplo etiam ex offensis humanis deducto declaratum fuisse, in quibus remissa tota offensa per acceptationem in amicitiam, adhuc solet offensus aliquam satisfactionem ab offendente exigere ad resarciendum ius læsum publicæ iustitiæ. Et fuit etiam conueniens quoad hoc esse discrimen inter Baptismum, & Pœnitentiam, vt per illum simul cum culpa tota deleretur pęna etiam temporalis alterius vitæ in Purgatorio luenda, non verò per pęnitentiam; quia Baptismus est prima tabula post naufragium, est regeneratio quædam, & nouæ vitæ inchoatio, vbi homo efficitur noua creatura; Non quæ est secunda tabula post naufragium, siuè per Sacramentum, siuè per contritionem; sed conuenientissimum fuit aliquam pęnam temporalem exigere, tùm ad coercenda hominum delicta, tùm ad exercendum aliquem suæ iustitiæ rigorem, & simul cum misericordia iustitiam temperaret, vt docet Trid. sess. 14. cap. 8.

Septimò tandem objicitur contrà id, quod in eadem conclusione addidimus, nec de potentia quidem absoluta posse Deum remittere culpam non remisso debito pęnæ æternæ. 236
Nam culpa, & pœna non sunt necessariò connexa; ergo vnum ab altero separari potest. Deinde quia manente culpa posset Deus condonare pœnam æternam; ergo vicissim manente pęna posset condonare culpam. Tandem, quia vt multi docent, posset Deus hominem innocentem perpetuo cruciatu afficere, cùm sit absolutus Dominus omnium rerum.

Respondetur aliud esse reatum, vel debitum pęnæ, & aliud ipsam pœnam, culpa quidem potest à pęna separari idest ab ipsa perpessione pęnæ, non tamen à reatu, vel debito pęnæ, quia reatus pęnæ nil aliud est, quam dignitas pęnæ; cùm ergo homo iustus, & hæres vitæ æternæ non possit esse dignus pęna æterna, non potest habere reatum pęnæ æternæ, atque ideò implicat culpam remitti, non remisso pęnæ æternæ debito.

Ad secundum quamuis manente culpa posset Deus pœnam æternam condonare idest à peccatore talis pęnæ passionem non exigere; non tamen ob id condonata esset obligatio passiua, ac debitum ad pęnam æternam, sed solùm in tali casu diceretur Deus non exigere velle solutionem talis debiti; vndè pariter in eodem sensu negatur consequentia, quod manente pęna, hoc est reatu, ac debito pęnæ, possit Deus condonare culpam, quia talis reatus pęnæ est ipse reatus culpæ. Ad vltimum, quamuis præcisè spectando potentiam Dei non repugnet ei illud facere, tamen spectando Dei iustitiam repugnat, vt constat ex verbis August. epist. 106. superius relatis num. 234.

Sed instat Amicus *loc. cit.* potest simul stare debitum ad totam pęnam peccato debitam cum remissione peccati venialis; ergo etiam poterit stare debitum ad totam pęnam cum remissione peccati mortalis; Antecedens constat de remissione venialium in instanti mortis, in quo omnia peccata venialia remittuntur quoad totam culpam remanente integro debito quoad pœnam. Negatur assumptum cum eius probatione, falsum enim est in extinctione venialis culpæ permanere debitum totius pęnæ temporariæ, quam induxit veniale; hoc enim omninò extinguitur in extinctione ipsius culpæ, & commutatur pœna temporalis, quæ illi debita erat, & æqualis, in minorem idest breuiorem, & leuiorem, quę non amplius dicitur pęna damnationis, sed satisfactionis, nec immediatè, & proximè oritur ex peccato com-

commisso, sed ex impositione sacerdotis pœnam temporalem maiorem commutantis in minorem, quæ etiam pœnæ sunt alterius, & alterius rationis, vt suprà dictum est *nu.* 235. quam doctrinam de peccato veniali habituali latè tradidimus *lib.* 2. *disp.* 6. *de peccatis q.* 9. *n.* 314. & 346. & 363.

QVÆSTIO NONA.

De remissione venialium peccatorum.

238 SVpponendum est ex dictis *lib.* 2. *disp.* 6. *cit.* de peccato habituali, etiam ex peccato veniali causari in anima aliquā maculam, quæ consistit non quidem in priuatione alicuius gradus sanctitatis habitualis, quandoquidem sit cum ea compossibilis in quocunque gradu, sed vel in denominatione à præcedenti culpa, vel aliquo alio ab ea moraliter derelicto, & permanente, pro quo homo nondùm condignè satisfecit, quæ macula, & denominatio causa est, vt in homine aliquid sit, quod Deo displiceat, & quod impediat aliquorum donorum collationem, & auxiliorum, quibus homo charitate, quam habet, feruentius vteretur; Certum autem est, vt passim concedunt omnes maculam peccati venialis sufficienter tolli per contritionem formalem, vel saltem virtualem, ac etiam per attritionem cum sacramento, nam si hæc sufficiūt ad maculam abstergendam peccati mortalis, tantò magis venialis; & nedùm per sacramenta tolluntur, sed etiam per sacramentalia, qualia sunt oratio Dominica, tunsio pectoris, qua vti solemus, quando oramus, aspersio aquæ benedictæ, manducatio panis benedicti, largitio eleemosinæ, benedictio Episcopi, vel Abbatis &c. Sed difficultas est de modo, quo hęc omnia maculam venialem tollant, & an præter hæc assignata dentur etiam alia media ad illam tollēdam, adeout quamuis longè difficilior sit resurrectio à peccato mortalis, quàm à veniali, difficilius tamen est explicare, qualiter per pœnitentiam peccata venialia remittuntur, si quidem de hoc quot capita, tot sententiæ, vt constabit articulis sequentibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quomodo remittantur venialia hominis iusti in hac vita per pœnitentiam extrà sacramentum.

239 POssumus loqui de remissione venialium hominis iusti, vel ex opere operantis, & extrà sacramentum, vel de remissione eorundem virtute sacramenti, ac etiam per sacramentalia; & quidem loquendo de eorum remissione ex opere operantis, & extrà sacramentum. Prima sententia docet ad hoc requiri contritionem formalem, & actualem, nec sufficere actum charitatis etiam feruentem, & intensum quia in hac continetur tantùm peccati venialis retractatio, quod cum charitate tam actuali, quàm virtuali etiam intensa compatitur; pro qua sententia referri solent Alensis, Durandus, Ricardus, Thomas de Argentina, & alij antiquiores. Secunda docet in homine iusto ad remissionem peccati venialis extrà sacramentum requiri, vel actualem contritionem, vel saltem virtualem, ità Soto, Vasqu. Lugus, Becanus, Casp. Auersa, & alij Recentiores pro ea citantes D. Thomam *q.* 87. *art.* 1. & D. Bon. *d.* 21. *art.* 1. *q.* 2. nomine virtualis pœnitentiæ intelligentes feruentem amorem, Suarez verò *tom.* 4. *in* 3. *p. disp.* 11. *sec.* 2. dicit in iustis extrà sacramentum sufficere attritionem, quod priores non admittunt. Ratio omnium est, quia requiritur retractatio peccati, quæ nequit fieri nisi per pœnitentiam formalem, vel saltem virtualem. Tertia tandem sententia est Scoti 4. *dist.* 21. *q.* 1. §. *in ista quæstione lit. E.* vbi ait, posse dici, quod peccatum veniale in ista vita remitti potest, non tantùm per penitentiam interiorem, vel exteriorem, quia illa non est necessaria ad hoc, sed per aliquem actum Deo magis acceptum, quàm peccatum veniale displiceat, & hoc vel relatum ab ipso operante ad peccatum veniale remittendum, vel non relatum ab ipso, sed à Deo acceptante in ordine ad illud; ità Doctor ibidem, quod est dicere per satisfactionem Deo oblatam remitti veniale, quæ satisfactio potest in quocunque actu bono æquiualente reperiri, modo in eum finem eliciatur: & sequuntur ibidem Aretinus, Hiribarnes, Hiqueus, Brancatus, Faber, & alij Scotistæ.

Rursus ad assignandum quodam modo, & quo causalitatis genere pœnitentia valeat ad remissionem peccatorum venialium, disputant Theologi, an remittantur per pœnitentiam moraliter tantum, vel etiam formaliter, & physicè; Quidam aiunt ad hoc valere tantùm moraliter per modum meriti, & dispositionis de congruo, quia Scriptura, Concilia, & Patres de omnibus peccatis in vniuersum docent remitti nobis gratis, & ideò petimus *Dimitte nobis debita nostra*, tanquam beneficium gratuitum, quod ex Dei misericordia expectandum est, ità Soto, Valentia, Lugus, & alij. At Suarez, quamuis & ipse affirmet pœnitentiam non causare hunc effectum per modum formæ physicæ, & causæ formalis, sed tantùm causalitate morali, vt suprà dicebamus de remissione peccati mortalis; attamen affirmat prætereà pœnitentiam in homine iusto ad hunc effectum valere per modum meriti, & satisfactionis de condigno. Alij tandem contendunt pœnitentiam valere ad remissionem venialium peccatorum, non solùm per modum causæ moralis, & quidem de condigno, sed etiam per modum formæ physicæ, & causæ formalis, ità Auersa q. 4. sec. 1. & alij Recentiores. 240

Primò Dicendum est, peccatum veniale posse deleri extrà sacramentum per contritionem, siuè generalem respicientem omnia peccata in genere, siuè etiam per specialem tendentem distinctè in veniale; & posse etiam deleri virtute attritionis cum sacramento. Hæc est communiter concessa, & est Scoti *loc. cit. dis.* 21. *quæst.* 1. vbi ait peccatum veniale in hac vita remitti posse per pœnam interiorem, & exteriorem, vbi nomine pœnitentiæ exterioris sacramentum pœnitentiæ intelligitur; & obuia est probatio, quia contritio extrà sacramentum, & attritio cum sacramento sufficientes sunt ad delendum mortale, vt constat ex dictis in superioribus; ergò tantò magis sufficientes erunt ad veniale delendum; dixi autem sufficere contritionem etiam, vel attritionem generalem omnium mortalium, & venialium, quia eo ipso quod contritio, vel attritio talis est, iam venialia sunt obiectum contritionis, vel attritionis; dixi autem esse sufficientes ad delendum veniale peccatum; quia non sunt media necessaria, vt inquit Doctor *loc. cit.* cum per alia quoque remitti possit. 241

Dices non valere paritatem de mortali, & veniali quia mortale non stat cum gratia, & ideò quia per contritionem gratia causatur, ac etiam per sacramentum, ideò per contritionem extrà sacramentum, & per attritionem cum sacramento mortale deletur; at veniale cum gratia repugnantiam non habet.

Respondeo, parum referre, quod gratia cum veniali sit compossibilis, vt enim veniale per contritionem remitti dicatur, sufficit, quod non sit compossibile cum contritione, quæ de illo habetur, hæc enim expellit quodcunque est eius obiectum iuxtà illud *In quacunque hora ingemuerit peccator, &c.* si etiam dicendum de remissione venialis per attritionem cum sacramento; fit enim vtique etiam per ipsam gratiam per sacramentum collatam, non præcisè, & secundum se cōsideratam, sed vt habet attrionem annexam; quamuis enim illa gratia ex se cum venialibus repugnantiam, & oppositionem non habeat, illam tamen accipit ab actu attritionis, & cum sit animæ sanctitas, & mundities, hoc sufficit, vt à venialibus animam emundare possit per sacramentum collata, vel à contritione causata; quomodo autem contritio, & attritio veniale expellant, an moraliter tantùm, vel potiùs etiam formaliter, & physicè, dicemus posteà.

Secundò Dicendum est peccata venialia extrà sacramentum in homine iusto deleri etiam per attritionem. Est Scoti, & Scotistarum Coninch. *disp.* 2. *dub.* 14. Suarez *loc. cit.* contrà Vasquez, & alios recentiores in homine iusto ad deletionem venialis extrà sacramentum requirentes contritionem formalem, vel saltem virtualem; Probatur, quia ex opposita sententia sequeretur, quod magis, vel æquè rigorosa satisfactio exigeretur pro peccato leui, & graui, quod non congruit iustitiæ; sed contritio formalis, vel virtualis necessariò extrà sacramentum ad deletionem peccati mortalis exigitur vt constat ex dictis in superioribus; ergò talis satisfactio non necessario exigitur ad deletionem venialis præsertim in homine iusto, sed minor sufficiet, qualis est attritio. Conf. quia attritio quoque est verus actus pœnitentiæ, 242

& habet

& habet oppositionem cum peccato veniali, quia est odium, nolitio, & destructio ipsius; ergo potest illud delere, consequentia patet, quia melius destrui nequit actus volitionis præteritus, quam per nolitionem, & retractationem eiusdem, qualis in proposito est attritio respectu venialis peccati.

Respondent Aduersarij oppositionem solius attritionis cum veniali ad eius deletionem non sufficere, nam etiam hoc modo opposita est cum mortali, & tamen ad eius deletionem non sufficit extrà sacramentum; aliqua ergò alia oppositio maior requiritur, scilicet, auersionis à creatura, & conuersionis ad Deum, quæ tantùm in contritione reperitur formali, vel virtuali. Sed falsum est oppositionem attritionis cum veniali ad eius delectionem non sufficere, quamuis enim dùm homo in veniale labitur, aliquatenus inordinatè ad creaturam conuertatur, non tamen est talis conuersio, vt inferat auersionem à Deo, quia veniale stat cum gratia, & amicitia Dei, vt modo suppono ex dictis disp. de Peccatis; mortale verò ita conuertit hominem ad creaturam, vt illum prorsus à Deo auertit; & ideò congruum fuit, vt ad delectionem mortalis Deus requireret conuersionem ad se, & auersionem à creatura, qualis per contritionem importatur, ex motiuo propriæ offensæ procedentem; ad deletionem verò venialis requireret vel hanc, vel aliam ex timore pœnæ, vel turpitudine peccati procedentem, imò & alia opera, quæ non important talem oppositionem formalem odij, scilicet, & nolitionis, vt dicemus conclusione sequenti; nam veniale peccatum est offensa ità leuis, & auersio adeò exigua, vt quilibet effectus, & actus virtutis prodiens à voluntate grata sit condigna causa moralis Deum inducens ad eius remissionem, quia tantus honor exhibetur ipsi per similes actus, imò maior, quàm sibi subtractus fuerit per veniale.

Sed obijciunt, quia si sola attritio sufficeret sine sacramen-
243 to, sequitur planè nunquam venialia verè remitti in sacramento pœnitentiæ, quia iam semper inueniretur remissio facta per attritionem, quod est contra Trid. *sess.* 14. vbi ait peccata venialia esse sufficientem materiam Sacramenti. Respondeo hoc argumentum adeò ab Aduersarijs exaggeratum, vel nihil concludere, vel etiam contrà ipsos vrgere, si iustus haberet contritionem de venialibus, atque ità contritus accederet ad sacramentum pœnitentiæ; nam in tali casu venialia iam ex vi contritionis deleta supponerentur, vndè non remitterentur virtute clauium; Quod si dicant hinc nullum sequi absurdum, quia licet in tali casu venialia non remitterentur per sacramentum pœnitentiæ; possunt remitti in alio casu, quod iustus ad sacramentum accedat cum sola attritione de venialibus; Sic etiam nos quoque pariter dicemus, quod licet in iusto suscipiente sacramentum pœnitentiæ venialia per claues non remittantur, quando remissa supponerentur per contritionem, vel attritionem; tamen sufficit, quod aliquando in alio pœnitente, vel in eodem possint venialia remitti per claues, dùm sunt coniuncta cum mortalibus, de quibus sola attritio præcessit; ità quoque respondet Brancatus *disput.* 15. *art.* 10. *num.* 272. vbi etiam addit nullum esse absurdum, si iustus nollet venialia sua clauibus subijcere, sed per alia media curaret ea dimitti, quia licet sint materia sufficiens confessionis, non tamen sunt materia necessaria.

Verùm hæc solutio adhuc non videtur difficultatem tol-
244 lere, quia licet venialia non sint materia necessaria sacramenti pœnitentiæ, sunt tamen materia sufficiens, & non solùm coniuncta cum mortalibus, sed etiam à mortalibus separata, quia solùm veniale peccatum secluso mortali est sufficiens materia confessionis, vt docet Trident. *loc. cit.* ergo virtus, & efficacia clauium verè se potest extendere ad remissionem peccati venialis; hoc autem non saluatur, si sola attritio sufficeret ad eius deletionem, quia attritio necessariò debet adesse in Sacramento, tanquam dispositio ad absolutionem; ergo si illa sola veniale peccatum remittit, nihil omninò facit efficacia clauium in eius remissione.

Respondet Brancatus loc. cit. *num.* 277. adhuc benè saluari, peccata venialia dimitti in Sacramento, quando sunt separata à mortalibus, vt in iustis venialia confitentibus, quia quamuis anteà sint dimissa per contritionem, vel attritionem adhuc dimissio aliqua fit in Sacramento saltem pœnæ; hæc autem dimissio pœnæ adhuc dicitur dimissio peccatorum, quia aliquod debitum peccatis dimittitur, & praxis Ecclesiæ est, vocare dimissionem peccatorum etiam dimissionem pœnarum, quæ pro illis debentur, vt patet in concessione indulgentiarum plenaria, qua dicuntur dimitti omnia peccata, idest omnes pœnæ temporales debitæ peccatis iam dimissis. Verùm quando Trident. *sess.* 14. dicit peccata venialia à mortalibus separata esse materiam sufficientem confessionis, & absolutionis, licet non necessariam, planè non intelligit de remissione quoad pœnam tantùm illis peccatis debitam, sed etiam quoad culpam; Ideò ad hoc saluandum mihi potius dicendum videtur, quod licet attritio necessariò esse debeat in sacramento, tanquam dispositio ad absolutionem, quando venialia coniuncta sunt cum mortalibus; tamen quando sunt separata, vt accidit in iustis sola venialia confitentibus, talis dispositio non est necessaria ad tollendum obicem, vt sacramentum eorum remissionem influere possit; sed potest dari aliqua dispositio minor in aliquo gradu, in quo simul cum sacramento satis sit ad influendam venialium remissionem ex opere operato, & absque sacramento non sit satis ad talem effectum ex opere operantis; talis autem dispositio minor attritione, & sufficiens ad tollendum obicem venialium, vt Sacramentum pœnitentiæ ex opere operato suum possit producere effectum, erit non complacentia de venialibus, & affectus, ac desiderium adhibendi ipsis illud remedium, ablato autem obice mox sacramentum influit remissionem; Itaque sacramentum pœnitentiæ ad fructum remissionis peccatorum non exigit, nisi affectum illum, qui sufficiens est ad tollendum obicem peccati; & quia ob ex mortalis nequit tolli per affectum, qui sit minor attritione, ideò exigit illam; Cæterum quia ad effugandum obicem venialis satis est alia dispositio minor iam declarata; ideò ipsa supposita pœnitentiæ sacramentum vi sua propria potest omnia abolere venialia, ad quæ se extendit exigua illa dispositio, vt etiam adnotauit Hiribernes *disp.* 19. *sec.* 1. *& tenet Soto* 4. *dist.* 15. *q.* 2. *art.* 3. vbi ait sufficere, vt homo non habeat actualem complacentiam talium peccatorum, & habeat voluntatem recipiendi effectum remedij, quod assumit, & hanc esse quandam virtualem detestationem peccati, dum homo vult eius medicinam assumere.

Tertiò Dicendum est, iustum posse quoque venialia dele- 245
re per actus aliarum virtutum, qui æquè placent Deo, ac veniale displicuit, si ab ipsomet operante ad talem finem referantur, scilicet delectionis peccati, vel saltem à Deo ad talem finem acceptentur. Hæc conclusio verbatim est Scoti loc. cit. ab initio articuli, & omnium Scotistarum, & tenet Suarez *disp.* 11. *sec.* 3. quam pluribus, & solide probat Brancatus *disp.* 15. *art.* 11. & quidem cum Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. dicat multis remedijs posse deleri venialia vltrà formalem pœnitentiam, quæ sit contritio, vel attritio, vtique sub ijs remedijs opera quoque aliarum virtutum implicitè inclusit, vtpotè in existimatione æquiualentia venialibus offensis; nulla enim est ratio, cur magis Deo displicere debeat leuis offensa, qualis est veniale, quàm placere actus fidei, charitatis, misericordiæ, temperantiæ, &c. factos ab homine iusto; Conf. exemplo ex humanis deducto, nam si Princeps sit leuiter offensus à subdito, & hic opus heroicum faciat ad ei placendum, & talem offensam tollendam; statim Princeps talis operis intuitu placatur, & offensam dimitti, siquidem magis ei placet tale opus heroicum, quàm leuis illa offensa displicuerit; ergo idem de Deo dicendum, qui in benignitate, misericordia, & liberalitate superari non potest; qui enim dicat Deum non acceptare ieiunia, peregrinationes, opera pietatis, & similia opera pro delectiones venialium; aut non magis, vel saltem æquè placere Deo hæc opera facta à iusto pro delendis venialibus, ac displiceant ei venialia? eo præsertim quia venialia sunt leues offensiones, & interdum parum spontaneæ, & præfati virtutum actus aliquo modo à priori defectu voluntatem auertunt, & alioquin magnum valorem à gratia accipiunt; quæ supponitur in homine iusto, atque adeò sunt Deo magis grati, quam veniale displicuerit, ergo satis erunt ad remissionem Deumque inducent in genere causæ moralis ad illam exhibendam. Denique quodlibet opus bonum ex gratia procedens est meritorium augmenti gratiæ, & gloriæ; ergò & remissionis culpæ venialis; patet consequentia, quia hæc remissio est quid minus, quam vita æterna, qui autem potest in maius, potest etiam in minus. Nec valet communis Aduersariorum solutio, hoc valere, quando maius, & minus sunt eiusdem rationis, & ordinis, non sunt autem talia peccati deletio, & gratiæ augmen-

augmentum; quia quodlibet opus bonum non habet contrarietatem, & oppositionem cum peccato veniali, nam cum qualibet gratia sanctificante, & merito gloriæ potest stare peccatum veniale. Non valet, inquam, quia licet talia opera meritoria physicam non habeant oppositionem, & ex natura rei cum peccato veniali; eo tamen ipso, quod ipsa acceptare velit in expiationem venialium, statim cum eis habent oppositionem moralem ex ordinatione Dei deriuatã; Et quod ea opera sic acceptet, satis pium est credere, ac rationabile, quia per illa tantus honor exhibetur ei, imò maior, quam subtractus sibi fuerit per veniale; & talibus operibus sæpè in Scriptura talis acceptatio promittitur, & remissio, vt dimittendo alijs iniuriam *Dimitte, & dimittetur vobis*, *Dimitte nobis debita nostra &c.* vt August. notat. epist. 108.

246 Sed Obijciunt, quia peccatum veniale remitti non potest, nisi per id, quod est sibi contrarium; at nullum opus bonum, & honestum ex se, & natura sua opponitur veniali, quia peccatum veniale consistere potest, & de facto stat cũ quolibet opere bono, elicito ab homine iusto; ergo quocunque eius opere bono peccatum hoc non remittitur. Conf. quia quod opus bonum referatur ad illum finem, nihil iuuat, nam talis intentio nihil efficit, si opus ex se non satisfaciat pro illo peccato. Tandem, quia talis actus virtutis v. g. ieiunij, eleemosinæ &c. non includit retractationem peccati præteriti; ergò ipsum non remittit.

Respond. ex modò dictis, quod licet nullum opus bonum, & honestum ex se, & ex natura sua cum veniali oppositionem habeat, eo tamen ipso, quod Deus illud acceptet in expiationem venialium, statim cum eis habet oppositionem moralem ex Dei ordinatione deriuatam, quę sufficit ad eius expulsionem. Ad Confir. licet intentio operantis suum opus in hunc vel illum finem dirigentis ad hanc, vel illam gratiam impetrandam, non tribuat valorem operi, hanc enim ex se habere debet, vel ex acceptatione diuina; tribuit tamen applicationem, sicut patet in praxi Ecclesiæ, quando orationes ad hunc, vel illum affectum applicat, vndè oblatio ieiunij v. g. est eius applicatio ad effectum remissionis impetrandum. Ad vltim. negatur assumptum, nam eo ipso, quod offertur, vt satisfactio ad finem delendi peccati, vult peccatum non esse, & illud consequenter retractare censetur.

247 Quartò Dicendum est, pœnitentiam valere ad remissionem venialium, non per modum formæ physicæ, & causæ formalis, sed solùm per modum causæ moralis, & quidem in homine iusto valere per modum condignæ satisfactionis, seù meriti de condigno. Hæc conclusio est contra Auctores citatos num. 246. & quidem pœnitentiam tollere venialia, non per modum formæ physicæ, & causæ formalis, sed moralis tantùm probatur, quia venialia compatiuntur cum iustitia, seù gratia habituali, quæ hominem iustificat; ergò à fortiori cum contritione, aut alia quacunque forma, quæ ad iustitiam solùm disponit, consequentia patet, quia quod est compossibile cum aliqua forma, tanto magis compossibile est cum dispositione ad eam, & peccatum magis repugnat iustitiæ, quàm dispositioni ad ipsam. Confirmatur, quia vt arguit Hiquens *disp.* 21. q. 1. eatenus contritio ex natura rei deleret veniale, vel quia ipsi in specie repugnat, vt actus talis virtutis scilicet charitatis, vel pœnitentię; vel quia ordinat hominem ad Deum finem vltimum; non primum, quia sic opponitur tantùm peccato in actu contrà proprium motiuum, & rectitudinem; neque secundum, quia iustitia, in qua formalis sanctitas consistit, perfectius ordinat ad finem, quàm dispositio ad ipsum, vt est contritio, quo non obstante compatitur secum peccatum veniale, ergo tantò magis contritio ex natura rei loquendo. Denique necesse non est venialia remitti per formam natura sua illis incompossibilem, vt constat de eorum remissione, quæ fit ex opere operato per sacramenta, ac etiam in ea, quæ fit ex opere operantis, quia nec semper est necessarius actus contritionis, vel amoris Dei, vt patet ex dictis, neque etiam illi actus per se soli habent illam formalem, ac physicam repugnantiam; cum habituali culpa veniali, sed ad summum cum actuali tantùm; ergò præter intrinsecum actum, seù formam necessaria est semper diuina remissio, vndè non dicimus peccata venialia remitti duntaxat per extrinsecum Dei fauorem, sed dicimus præter intrinsecam renouationem physicam, & positiuam requiri etiam extrinsecam remissionem, quæ semper est aliquo modo debita intrinseco actui, vel tanquam dispositioni proportionatæ, vel etiam tanquam merito, aut satisfactioni condignæ respectu culpæ, vt discurrit Suarez *disput.* 11. *sect.* 3. *numer.* 13.

Quod verò in homine iusto valeat pœnitentia per modum condignæ satisfactionis, seù meriti de condigno, quæ erat altera pars conclusionis, facilè probatur, quia si consideretur actus pœnitentię de venialibus elicitus ab homine iusto, sicut hic actus est meritorius de condigno gloriæ, ità potest de condigno valere ad remissionem peccati venialis, & sicut homo iustus potest de condigno satisfacere pro pœna temporali relicta ex culpa remissa siuè mortali, siuè veniali, vt Trid. docet *loc. cit.* ità etiam satisfacere poterit pro ipsa culpa veniali; & ratio est, quia homo iustus, cùm sit verè dignus gloria, potest etiam de condigno remouere impedimenta ab ingressu gloriæ retardantia; huiusmodi autem est pœna temporalis soluenda, & sic etiam culpa venialis expianda. Dixi autem hoc totum procedere de homine iusto, quia alioquin peccatore loquendo remissio peccati venialis datur omninò gratis, idest, sine merito, vel satisfactione condigna, quia nec ordine naturæ, nec tempore supponit personam gratam, sed simul omninò cum ipsa gratia confertur, & ideò sicut gratis datur, ità hæc remissio, quia antè gratiam sanctificantem nulla ratio iustitię, nec meritum, aut satisfactio de cõdigno in nobis esse potest; Vndè non placet, quod ait Hiqueus *loc. cit.* satisfactionem condignam pro peccato veniali posse exhiberi à peccatore cum effectu remissionis venialis, quamuis enim concederetur veniale remitti posse existenti in mortali, de quo infrà, non tamen concedi debet peccatorem satisfacere de condigno pro veniali.

Sed obijcit Auersa *loco citato* probans pœnitentiam valere per modum formæ physicæ, & causæ formalis ad delendã culpam venialem, quia macula venialis non consistit in priuatione gratiæ, sicut mortalis, nec per se, & formaliter consistit in priuatione alicuius alterius perfectionis, sed potiùs consistit in denominatione quadam ab actu præterito, quatenus voluntas, quæ peccauit, remanet moraliter conuersa, & adhærens obiecto inordinato, quamdiù per actum contrarium ab illo obiecto non resilit, quod in rigore aliud non est, quam denominatio sumpta ab actu commisso, & non sufficienter retractato, qui reliquit hominem ordinatum ad pœnam debitam ipsi culpæ veniali; sed hæc denominatio formaliter tollitur per actum pœnitentiæ, non quidem quoad eam partem, quæ dicit hominem fecisse actum inordinatum, quia hæc denominatio prorsus tolli non potest, sed quantùm ad alteram partem, quæ dicit eum actum non fuisse sufficienter retractatum, tollitur enim formaliter per ipsam retractationem. 249

Resp. ex dictis *lib.* 2. *disp.* 6. q. 8. negando habituale peccatum formaliter includere negationem retractationis actus præteriti, aliter implicaret auferri sine pœnitentia, & satisfactione, vt tenebras sine luce, quod est falsum, quia saltem de potentia Dei absoluta peccatum sine pœnitentia remitti potest per solam extrinsecam condonationem, vt ibi dictum est *disp.* 7. *de Iustificat. qu.* 4. & quamuis de facto peccatum non remittatur, nisi præuia satisfactione, ex hoc tamen inferre non valet, quod per ipsam formaliter deleatur, sed solùm dispositiuè, vt ex Trid. deducitur, *sess.* 6. *cap.* 6. vbi ait actus nostros esse tantum dispositiones ad peccati remissionem; quarè vniuersaliter loquendo de peccato habituali siuè mortali, siuè veniali, formale eius constitutiuum est reatus, seù obligatio ex actu peccaminoso contracta, qua statim ac aliquis peccat obligatur ad pœnam peccato correspondentem, quousque pœna illa soluta fuerit; ad quam obligationem tollendam præter actum intrinsecum pœnitentis requiritur etiam extrinsecus Dei fauor, seù diuina remissio, quæ semper est aliquo modo debita actui intrinseco, tanquam morali dispositioni proportionatæ, & ideò talis pœnitentiæ actus valet ad remissionem venialium, non per modum formæ physicæ, & causæ formalis, sed solùm per modum causæ moralis, & dispositiuæ.

Deindè arguunt alij probantes pœnitentiam etiam in homine iusto non valere ad remissionem venialium per modum condignæ satisfactionis, seù meriti de condigno, sed tantùm de congruo; quia nulla satisfactio, quæ requirit gratiam creditoris, potest esse condigna, sed satisfactio pro venialibus etiam à iusto exhibita requirit gratiam creditoris, ergo &c. Conf. quia hanc venialium remissionem quotidiè petunt 250

petunt iusti, dùm in oratione Dominica sibi petunt sua dimitti debita, dimittitur autem, quod gratis condonatur, soluitur verò, quod digno prætio redimitur, ergo &c. Tandem peccatum veniale est verè offensa Dei, licet leuis alioquin non esset sufficiens materia confessionis; sed nullus puræ creaturæ actus potest esse condigna offensæ Dei satisfactio, nam omnis offensa Dei est in altiori ordine, quam sit quæcunque puræ creaturæ satisfactio, quia offensa grauitatem sumit ex dignitate personæ offensæ, satisfactio verò valorem accipit ex persona satisfaciente; ergo nulla iusti satisfactio poterit esse pro suo veniali condigna.

Resp. maiorem esse veram de satisfactione, quæ eget gratia creditoris concomitanter, & in ipsa actuali debiti solutione; non autem de satisfactione, quæ gratia creditoris eget tantum antecedenter ad solutionem debiti, hoc enim solum facit, vt satisfactio non sit de toto rigore iustitiæ, non autem vt adhuc dici non possit de condigno, vt dictum est *l. 3. disp. 4. q. 5.* in proposito, autem contritio, vel attritio pro veniali offensa à iusto exhibita, està gratia Dei egeat antecedenter, non tamen concomitanter in ipsa debiti solutione; nam posito auxilio gratiæ gratis antecedenter collato, contritio, vel attritio iusti intrinsecè, & formaliter est condigna satisfactio ex parte iusti pro peccato veniali.

Ad Confirmationem, cùm Scripturæ, Concilia, & Patres dicunt venialia dimitti, & non solui, explicari debent de hac gratia antecedenter requisita ad debiti solutionem, quia solui propriè loquendo non tantùm importat condignitatem operis ad debitum secundum æqualitatem, sed etiam satisfactionem rigorosam ex iustitia, quæ alios strictiores titulos requirit.

Ad vltimum negatur minor cuius probatio ad summum valet de offensa peccati mortalis, quæ est grauis, non autem de offensa peccati venialis, quod vix meretur nomen offensæ; sed quomodo etiam neque concludat de offensa peccati mortalis de potentia absoluta loquendo, iam ostensum est *disp. 4. cit. q. 5.* vbi diximus puram creaturam potuisse Deo satisfacere de condigno, & ad æqualitatem pro peccatis nostris.

Sed licet Recentiores communiter hoc totum de contritione concedant, quod scilicet in homine iusto veniale possit extinguere vel per modum meriti de condigno, vel per modum condignæ satisfactionis, id tamen negant de attritione, cum sit actus pœnitentiæ imperfectior; Cæterùm nulla post afferri ratio conuincenter probans attritionem quoque in homine iusto non esse condignam satisfactionem pro veniali; cùm enim ex vna parte magis placeat Deo, quàm veniale displiceat, eo quod est condigna vita æterna, veniale autem non est dignum æterna pœna, & cùm ex alia parte sit retractatio venialis, ratione cuius ex se ordinatur ad illud auferendum, vel habet sufficientem respectum, seu ordinem ad venialis carentiam, planè ratione huius bonitatis, seù obsequij Deo facti, quod includit, ad extinguendum veniale sufficienter ordinari videtur etiam per modum condignæ satisfactionis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quomodo remittantur venialia hominis iusti in hac vita per Sacramenta, & Sacramentalia.

251 Communiter conueniunt Patres, & Scholastici per Sacramenta quoque venialia remitti, quorum commune fundamentum est, quia omnia Sacramenta, vt instrumenta passionis Christi, ad sanctificandas animas sunt instituta eatq; perfectè disponendas ad gloriæ consecutionem; & consequenter ad tollenda omnia impedimenta, quæ aliquo modo possant à gloriæ consecutione impedire; cùm igitur venialia nos à consecutione gloriæ retardent, debent per Sacraméta ritè suscepta remitti; Et quidem venialia remittunt, non solùm excitando feruorem charitatis, quo formaliter illa expellantur, vt aliqui dixerunt, sed ex se, siuè ex opere operato illa remittunt posita sufficienti subiecti dispositione; nam si ratione tantum feruoris in eorum susceptione excitati remitterentur, iam non ex merito, & opere operato Christi, sed ex merito, & opere suscipientis remitterentur, non autem ex vi sacramenti, Tùm etiam quia non semper sacramenta etiam dignè suscepta talem feruorem excitant, & ità in tali casu verum non esset sacramentum, remittere venialia etiam in non ponentibus obicem; fatendum ergò est semper ex se illa remittere posita sufficiente dispositione subiecti ad tollendum obicem pro digna sacramenti susceptione.

Controuersia tamen est, quam dispositionem sacramenta in suscipiente requirant ad tollendum obicem, vt ea remittere possint; Communiter requirunt ad minus attritionem de peccato veniali commisso, quia attritio necessariò prærequiritur in suscipiente sacramentum, tanquam dispositio ad tollendum obicem, & absolutionem obtinendam. Verùm iam diximus *art. præced. num.* 250. quod licet attritio necessariò prærequiratur ad consequendam absolutionem mortalium, ac etiam venialium, quando sunt cum mortali coniuncta, tamen quando sunt separata, vt accidit in iustis, talis dispositio non est necessaria ad tollendum obicem, vt sacramentum eorum absolutionem influere possit, sed sufficere potest etiam aliqua minor dispositio, nempè actualis non complacentia de talibus peccatis, & voluntas recipiendi effectum remedij, quod assumit, hæc enim censetur virtualis quædam peccati detestatio, dum homo vult eius medicinam assumere, quod etiam concedunt Soto, Suarez, & alij plures.

At instat Amicus *disp. 6. sec. 4.* hanc dispositionem non sufficere, quoniam implicat remitti peccatum sine formali, aut virtuali saltem illius retractatione, sola autem non complacentia, aut voluntas suscipiendi sacramentum, vel desiderium, quo quis cupit emundari à peccato veniali, non est retractatio peccati; ergo neque cum sacramento est sufficiens ad remissionem illius, cùm sacramentum supplere nequeat, quod ad ipsum essentialiter prærequiritur. Sed iam patet ex dictis suprà *num.* 250. quod desiderium, quo iustus cupit à peccato veniali emundari per susceptionem Sacramenti est quædam saltem virtualis detestatio, & retractatio peccati, dùm homo vult eius medicinam assumere, & quamuis non ex se sufficiat extrà sacramentum ad deletionem venialis, dicimus tamen ad id sufficere cum sacramento, quia sufficit ad tollendum obicem pro effectu sacramenti consequendo. 252

Verùm siuè hæc, siuè illa dispositio requiratur ad tollendum obicem pro remissione venialium consequenda virtute sacramenti, adhuc explicandum remanet, quomodo verè dici possit venialia virtute sacramenti remitti, nam sacramenta non alio modo peccata remittunt, quàm causando gratiam in suscipiente; sed gratia habitualis secundum se sumpta non opponitur cum venialibus, aliàs status sanctitatis per veniale peccatum destrueretur, quod nefas est dicere; Et hæc difficultas adhuc magis vrget, si dicamus pro dispositione ad suscipiendum sacramentum in iusto pro remissione venialium non esse necessariam attritionem, sed sufficere etiam dispositionem minorem; nam in sententia asserente necessariam esse attritionem, dici potest vtique peccata venialia remitti per gratiam in ipso sacramento collatam, non præcisè, & secundum se consideratam, sed vt habet attritionem annexam, vt suprà diximus *art. præced. sub num.* 247 quamuis enim gratia per sacramentum collata ex se cum venialibus oppositionem non habeat, illam tamen accipit ab actu attritionis, qui est retractatio venialis præcedentis; At hoc dici non potest in nostra sententia admittente minorem dispositionem sufficere, nam iam diximus *num.* 250. quod licet talis dispositio satis sit cum sacramento ad influendam venialium remissionem ex opere operato, non tamen est satis extrà sacramentum, & ex opere operantis; vndè dici non potest gratiam per sacramentum collatam à tali dispositione oppositionem, & repugnantiam cum venialibus accipere, vt de attritione dicebatur; & cùm ex alia parte gratia in quocunque gradu cum peccato veniali sit compossibilis, non videtur quomodo per Sacramenta possint venialia remitti per gratiam ab ipsis collatam.

Respondetur, remissionem venialium in homine iusto esse redintegrationem ad familiaritatem Dei, quæ essentialiter supponit amicitiam eiusdem, nam remissio venialium fieri nequit sine restitutione specialium auxiliorum, quibus homo per peccata voluntariè se priuauit, quæ auxilia familiarissimè hominem cum Deo coniungunt, vndè remissio venialium ad perfectam familiaritatem hominem cum Deo restituit; Itaque sacramentum venialia non remittit præcisè per collationem augmenti gratiæ homini iusto, sed per restitutionem specialium auxiliorum familiaritatem

cum

cum Deo inducentium, quia per hæc auxilia Deus singulari modo per internas illustrationes, & affectus se homini iusto communicat; hoc igitur modo venialia dicuntur remitti per sacramenta in homine iusto, nam an in peccatore alio modo remitti possint non remisso mortali, videbimus infrà; Sacramentum autem ea tantùm venialia ex opere operato delet, suprà quæ cadit formalis, vel virtualis attritio modo iam explicato; quia sacramentum non delet venialia, nisi à quibus remouetur obex, iam autem probatum est à venialibus non remoueri, nisi per attritionem formalem, vel virtualem modo iam explicato.

253 De Sacramentalibus verò dubium est, an ipsa quoque remissionem venialis ex opere operato conferant, an potiùs ex opere operantis tantùm; Quidam dixerunt hæc sacramentalia vim aliam non habere remittendi venialia, nisi excitando in nobis motum contritionis, aut dilectionis, per quem immediatè venialia tolluntur, ità plures apud Henriquez *lib. 1. de Sacramentis c. 20.* Alij vero dicunt hæc sacramentalia per modum impetrationis venialia dimittere propter fidem, & orationes Ecclesiæ quę in benedictione aquę, salis &c. solet orationes adhibere, quibus petit, vt huiusmodi res benedictæ ad salutem mentis conferant, & corporis, vt constat in Missali Romano; Alij tandem contendunt hæc sacramentalia ex institutione Ecclesiæ habere vim remittendi peccata, non tantùm ratione impetrationis, aut quia excitant motum contritionis, & pęnitentiæ, sed etiam ex opere operato, vt refert, & tenet Valentia *quæst. 4.* de Penitentia. Ratio est, quia hæc sacramentalia semper remittunt peccatum veniale, & tamen non semper in nobis excitant motum pęnitentiæ; ergo veniale non remittunt solùm excitando pęnitentiam, sed ex opere operato.

254 Dicendum tamen est hæc sacramentalia ab initio quæstionis enumerata *n. 244.* quæ hoc nomine appellantur, quia sunt cæremoniæ quædam ab Ecclesia institutæ ad ornatum, solemnemque ritum Sacramentorum, non remittere venialia ex se, & natura sua, & ex opere operato, aut ex vi suæ institutionis, sed solùm quatenus excitant motum pęnitentiæ venialium, aut eam à Deo impetrant. Ità Recentiores communiter, & indicauit Doctor *dist. 21. cit. quæst. 1.* ab initio quæstionis argumenta proponendo dùm ait, *per pœnam minimam posse remitti veniale, dùm tamen sit voluntaria, vt aspersione aquæ benedictæ, & huiusmodi,* vbi rationi voluntarij, & actui interiori, & tandem operi operantis, seù pœnæ voluntariæ, quam amplectimur, tribuit venialium remissionem, & non ipsi aspersioni, vt signo efficaci, & operi operato, & sic etiam loquuntur in hoc loco Faber, Hiribarnes, Brancatus, Hiqueus, & alij Scotistę, Ratio, qua omnes vtuntur, est, quia si huiusmodi Sacramentalia ex opere operato venialia remitterent, vel id esset ex institutione Christi, vel ex institutione Ecclesiæ, non primum, quia de hac institutione nullibi constat; neque secundum, quia Ecclesia auctoritatem non habet instituendi certa, & infallibilia remedia, seù signa ad remittenda venialia; ergò propriè loquendo sacramentalia huiusmodi dici non debent venialia remittere ex opere operato, si nimirum dicatur ex opere operato illud, quod de condigno, & infallibiliter ex meritis alterius datur, vel operatur; Dixi, propriè loquendo, quia si illud dicatur ex opere operato, quod confertur non solùm intuitu operantis, sed alterius, sic dici possunt ex opere operato causare, quia habent efficaciam, quatenus sanctitas Ecclesiæ ipsis applicatur mediantibus orationibus, quibus hunc effectum ipsis impetrat à Christo sponso Ratio est, quia alioquin Ecclesia frustrà illas orationes adhiberet benedicendo, & consecrando aquam lustralem, & similia, si non possent habere suum effectum, saltem per modum impetrationis; quod etiam non ita intelligendum est, quasi Ecclesia suis orationibus impetret nobis immediatè remissionem venialium, quando vtimur sacramentalibus, sed quia impetrat nobis contritionem, & pęnitentiæ motum, per quam venialia tolluntur, quia ratione tandem sacramentalia non dicuntur remittere venialia iusti ex opere operato, licet intercedat Ecclesiæ impetratio, sed ex opere operantis; quia Ecclesia, vt dicebam, suis orationibus non impetrat nobis immediatè illam remissionem, sed impetrat contritionem, per quam venialia tolluntur. Tùm etiam quia hic effectus non est omninò infallibilis, quia non est fundatus in aliqua speciali promissione Dei, sed in communi lege, & efficacia orationis, quę non semper habet effectum, præsertim si pro alijs funditur.

255 Ex quo patet prædicta sacramentalia non delere venialia ex eo præcisè, quod excitent motum aliquem pęnitentiæ, per quem immediatè venialia tollantur, vt prima opinio dicebat, quia sic dicendo nihil sacramentalibus illis concederetur; tùm quia etiam librorum lectio, verba concionantis, & amicorum correctiones hos motus excitare solent, neque ob id librorum lectio, concio, aut correctio, & similia dicuntur venialia delere. Neque dicuntur venialia delere per modum impetrationis præcisè propter fidem, & orationes Ecclesiæ, quæ in benedictione aquæ lustralis, & similium adhibentur, vt secunda opinio dicebat, quia Ecclesia suis orationibus, vt dictum est, nobis non impetrat immediatè venialium remissionem, quandò sacramentalibus vtimur, sed quia nobis impetrat pœnitentiæ motum; per quam peccata tolluntur, alioquin posset sacramentalia dormienti, & fatuo applicari, eisq; venialia deleri; Vt ergò sacramentalia suum sortiantur effectum, vtrumque requiritur, & vnum sine alio non sufficit, requiritur, inquam, motus virtutis internus pœnitentis sacramentalia suscipientis supposita Ecclesiæ impetratione. Neque opus est talem virtutis motum à sacramentalibus excitatum esse semper contritionem, vel attritionem formalem, vt passim Recentiores loquuntur, alioquin maius remedium, & potentius requireretur ad delendum venialia, quàm mortalia, nam ad delendum mortalia sola contritio sufficit, ad venialia verò delenda ipsa requireretur cum vsu sacramentalium; tùm quia si semper formalis pœnitentia requiritur, non multi essent modi venialia delendi, vt docet Concil. Trident. *sess. 14. c. 5.* dicens, *quod multis alijs remedijs possunt expiari,* sed vnus, scilicet, formalis pęnitentia; Sufficit ergo ad venialia hoc modo delenda, quod sacramentalia habeant annexum aliquem actum, qui sit vel pęnitentia formalis, vel virtualis, vel ad summum qui referat talem vsum sacramentalium ad talem finem, idest, vt peccata venialia deleantur, vt ait Doctor *d. 21. q. 1. E.* & notat quoq; Brancatus *disp. 16. art. 12.* Et hæc remedia sacramentalia non statim, & infallibiliter operantur, & effectum tribuunt, sicut sacramenta, nec solùm tam remotè, & generaliter, sicut quicunque alij actus boni, sed medio quodam modo, vt iam explicatum est.

Sed obijciunt, quia si sacramentalia non delent venialia ex opere operato, sed operantis, nullum erit eorum priuilegium, & frustrà ab Ecclesia fuissent instituta, cùm absque tali institutione valerent ad hoc, sicut cæteri actus virtuosi, & non plus faceret dicere *Credo*, quàm orationem Dominicam, nec benedici ab Episcopo, quàm à simplici Sacerdote, ergo aliquid speciale habent suprà cęteros actus bonos, quod aliud esse nequit, quàm modus causandi venialium remissionem ex opere operato. 256

Confirmatur, nam ideò sacramenta causant suos effectus ex opere operato, quia intuitu rei illius sensibilis, cui applicata sunt merita Christi, causant; ergo si hoc modo etiam deletionem venialium sacramentalia causant, nihil eis deest, quin causent ex opere operato. Demum quia si sacramentalia requirunt aliquem alium actum virtutis annexum, non per ea, sed per talem actum haberetur deletio venialium, atque ità ad nihil inseruirent.

Respondeo negando sequelam antecedentis cum eius probationibus, non enim causant remissionem venialium ex opere operato, tùm quia hic effectus non immediatè causatur ab ipsis, sed mediante actu pęnitentiæ, quem in nobis excitant, tùm quia hic effectus non est omninò infallibilis, quia non est fundatus in aliqua speciali promissione Dei, sed in communi lege, & efficacia orationum Ecclesiæ, quæ non semper habent effectum; adhuc tamen plus valent, quàm alij actus virtutum per se sumpti, quia hæc sacramentalia operantur per modum impetrationis propter fidem, & orationes Ecclesiæ, quæ valdè iuuant ad hunc effectum obtinendum à pœnitentibus; illud ergo speciale, quod habent sacramentalia suprà cæteros actus bonos per se sumptos, conducens ad venialium remissionem est impetratio ex orationibus, & sanctitate Ecclesiæ deriuata, & modus causandi per modum impetrationis, non autem ex opere operato.

Ad Confirmationem negatur paritas de sacramentis, & sacramentalibus, quia sacramenta sunt signa sensibilia efficacia à Christo instituta, ad quorum positionem immediatè confertur gratia suscipienti, & obicem non ponenti, & hoc ex speciali Dei promissione, quod non eueniti in sacra-

sacramentalibus, quia præter eorum positionem simul cum impetratione Ecclesiæ requiritur actus pœnitentiæ, ex vi quorum simul vnitorum consequitur pœnitens venialium remissionem,& non ex sola positione illius rei sensibilis. Ad vltimum patet per idem, quia non per actum tantum sacramentalibus annexum obtinetur venialium remissio, sed per eum, & vsum sacramentalium simul, quia cum pœnitente concurrit etiam impetratiuè meritum, & sanctitas Ecclesiæ in tali vsu sacramentorum, vt suprà dictum est,nec vnum sine alio sufficit, per quod patet ad fundamentum illius tertiæ sententiæ, negatur enim sacramentalia posse venialia delere peccata, etiam quando in nobis nullum excitant pœnitentiæ motum,

ARTICVLVS TERTIVS.

An veniale in hac vita possit sine mortali dimitti.

257 Communiter concedunt omnes peccata mortalia remitti posse absque venialium remissione, quia non omnis dispositio sufficiens ad remissionem mortalium sufficit semper ad remissionem venialium, nam actus, quo quis detestatur peccata, quatenus sunt grauis offensa Dei, est dispositio sufficiens ad remissionem mortalium, non verò venialium,cùm huiusmodi actus detestationis non habeat sufficientem Incompossibilitatem cum venialibus, sed possit simul cum venialibus permanere, quæ sunt leuis offensa Dei; Sed controuersia est, an etiam è contrà possint in peccatore venialia remitti sine mortalibus per dispositionem sufficientem ad illorum remissionem,non verò istorum. Et quidem communis opinio id negat,quia licet concedant omnes gratiam habitualem non requiri formaliter ad remissionem venialis, cùm nulla gratia habitualis quantumuis intensa incompossibilis sit cum peccato veniali; dicunt tamen necessariò requiri, vel antecedenter, vel concomitanter, itaut nemo de facto assequatur remissionem peccati venialis,nisi vel iam iustus sit, vel tunc iustificetur; quocircà supponunt quæstionem controuerti extrà susceptionem sacramenti de remissione,scilicet,oriunda ex opere operantis;nam si fieret virtutè sacramenti, iam euidenter constat absque infusione gratiæ non fieri,quia sacramentum non remittit peccata, nisi conferendo gratiam,vel primam, si sit mortuorum, vel secundam,si sit viuorum; ità Nugnus,Suarez,Vasquez,Valentia,Coninchius,Pesantius, Amicus, Becanus, Bonacina, Auersa, & alij Recentiores passim, quos sequitur ex nostris Brancatus *disp.*15.*art.*9. quorum commune fundamentum est,quia remissio venialium in hac vita sine infusione gratiæ habitualis fieri nequit,cum qua non stat peccatum mortale; quòd ità probant,quia si veniale posset sine mortali remitti, vel id fieret in sacramento, vel extrà; non in sacramento, quia ibi confertur semper gratia habitualis quando dignè suscipitur, mortale autem cum tali gratia consistere nequit; Nec extrà sacramentum,quia vel remitteretur per attritionem, vel per contritionem, attritio sola non sufficit,nec haberi potest in peccatore de solis venialibus.Deus enim excitare non solet peccatorem ad dolendum de solis venialibus, sed potiùs,ac principaliter de mortalibus;Contritio tandem non solùm venialia,sed etiam mortalia tollit, nullus ergo est casus,in quo venialia tollantur manente mortali.

258 Opposita sententia docet ex opposito fundamento posse remitti veniale peccatum relicto mortali, cui erat coniunctum,per attritionem supernaturalem, & extrà sacramentum, nec semper ad eius remissionem requiri gratiam habitualem antecedenter,vel consequenter;cui opinioni Doctor adhærere videtur *dist.*21 *cit. q.*1. *E.* cùm ait,potest dici alio modo,quod peccatum veniale in ista vita remitti potest,non tantùm per penitentiam interiorem,vel exteriorem,quia illa non est necessaria ad hoc, sed per aliquem actum Deo magis acceptum, quàm veniale displiceat &c.vbi cum Doctor conferat penitentiam interiorem cum exteriori, scilicet,sacramento, indè infertur nomine interioris pœnitentiæ intellexisse veram contritionem formalem, vel virtualem, non verò attritionem, quia hæc seorsim sumpta non æquiualet sacramento, neque illud continet in voto; vult ergo Doctor peccatum veniale posse in hac vita remitti absque susceptione sacramenti penitentiæ,& absque contritione formali,vel virtuali,per solam, scilicet, attritionem supernaturalem, seù alium actum æqualis valoris, quo reuocetur actus paruus venialis; & hanc sententiam,vt de mente Doctoris sequuntur Hiribarnes *disp.*19.*sess.*4. quam colligit ex textu citato, & Hiqueus ibidem in Commentario, & alij Scotistæ.

Primò probatur cum Hiqueo ex destructione oppositi fundamenti, quod erat ad remissionem venialis necessariam esse gratiæ habitualis infusionem,vel antecedenter,vel concomitanter, nam veniale ex dictis priuationem gratiæ non includit, & compatitur cum ipsa; ergo ad eius remissionem non necessariò gratiæ infusio requiritur; Tùm quia per sacramentalia remittuntur, neq; Ecclesia explicat vsum sacramentalium esse tantùm pro iustis, imò contrarium, vt in aspersione aquæ benedictæ, quæ tam iustis, quàm peccatoribus communicatur, & ità communis videtur esse fidelium sensus,qui in susceptione sacramentalium,v.g.aspersionis aquæ benedictæ, benedictionis Episcopi &c. putant etiam in statu peccati mortalis se à venialibus liberari,& hoc idem significauit D.August.in Enchirid.cap.71. cum inquit, *De quotidianis leuioribus culpis, sine quibus hac vita non ducitur,quotidiana oratio fidelium satisfacit, eorum enim est dicere Pater noster* &c. *fidelium* dicit, & non *iustorum*, vt omnes comprehendat. Tùm etiam quia opus satisfactorium pro pena temporali factum à iusto non meretur ei gratiam, seù augmentum gratiæ, nisi excedat debitam satisfactionem pro venialibus, quia in penis, & præmijs seruatur institiæ commutatiuæ proportio,& æquitas; ergò quandoque opus iusti bonum gratiam non meretur, sed tantùm venialium remissionem, atque ità ad remissionem venialis etiam in iusto per opus bonum, neque ex conditione operis, neque ex necessitate remissionis, neque ex ratione satisfactionis gratiæ infusio exigitur. Tùm tandem,quia etiam secundum Aduersarios, & communem sententiam venialia remittuntur iustis post mortem in instanti separationis, sed tunc non infunditur aliqua gratia de nouo; ergo ad remissionem venialium non semper est necessaria gratiæ habitualis infusio.

Deindè probatur ex destructione alterius fundamenti oppositæ sententiæ, quod sola attritio ad deletionem venialis non sufficiat,nam vt arguit Hiribarnes *loc.cit.* ità se habet attritio respectu venialis, sicut se habet contritio respectu mortalis;sed hæc destruit mortale, ergo & illa veniale poterit delere; maior probatur, quia sicut mortale est auersio à rectitudine ardua, & necessaria ad salutem, & gratiæ conseruationem, ità veniale est auersio à rectitudine exigua, & vtili ad hanc conseruationem,si gratia adest, & sicut contritio æquiualet illi rectitudini eximiæ, & illam continet, sic etiam attritio æquiualet rectitudini paruæ, & illam continet; ergo sicut contritio remissionem mortalis inducit efficienter per modum causæ moralis, & de congruo, ità attritio poterit seruata proportione deletionem venialis inducere, & sicut contritio habet rationem meriti de congruo respectu deletionis mortalis,ità attritio habebit eandem respectu expiationis venialis. Neque ad hoc opus est gratia gratum faciente, hæc enim solùm est principium meriti de condigno,sed gratia auxilians erit satis ad meritum de congruo, & sicut contritio, vt posterior auxiliante, & prior gratum faciente inducit moraliter, & meretur de congruo remissionem mortalis in ratione offensæ, itaut talis causalitas, & congruentia moralis non sibi proueniat à gratia sanctificante,sed ab auxiliante, ità attritio, vt præcisè ab auxiliante proueniens poterit esse causa moralis remissionem venialis inducens de congruo,etiamsi mortale remaneat; & demum sicut gratia auxilians, ità paruum beneficium est, vt possit à Deo concedi inimico, quia hæc auxilia sunt omnibus communia,sic etiam remissio venialis poterit eidem concedi, vt effectus ab attritione proueniens, 259

Tandem aliam rationem ad idem inducit idem Auctor, quæ valdè mihi arridet; remissio venialis non est maius bonum, nec efficacius contrarium respectu peccati mortalis,& inimicitiæ, quàm veniale sit malum, & contrarium gratiæ,& amicitiæ Dei; sed veniale est adeò exiguum malum,vt composibile sit cum gratia,& amicitia Dei supernaturali; ergò è contrà remissio venialis erit adeò modicum bonum, & leue beneficium, vt stare posit cum inimicitia, & peccato mortali;minor patet,probatur maior,quia tantæ bonitatis est remissio venialis quantæ malitiæ est offensa ipsa venialis, & similiter tantum bonum est amicitia, & gratia, quantum malum est inimicitia, & peccatum mor-

mortale; ergò sicut offensa venialis de facto stat cum gratia,& amicitia Dei, sic pariter poterit remissio venialis stare cum inimicitia,& peccato mortali, nec vlla disparitas afferri potest,quæ valeat.

Dices,disparitatem esse, quia peccatum veniale est offensa leuis, cum sit priuatio alicuius rectitudinis non necessariæ,sed vtilis tantùm ad salutem, & gratiæ conseruationem, & ideò stare potest cum gratia; at remissio venialium est redintegratio ad familiaritatem Dei, quæ essentialiter supponit amicitiam eiusdem, nam talis remissio fieri nequit sine restitutione specialium auxiliorum, quibus homo per peccata venialia voluntariè se priuauit, hæc autem auxilia familiarissimè hominem cum Deo stringunt, atque ideò venialium remissio hominem restituit ad perfectam familiaritatem cum Deo, quæ amicitiam eiusdem necessariò supponit, atque ideò implicat ei remitti habitualem gratiam non habentibus, quam doctrinam de peccati venialis remissione nos quoque suprà tradidimus *art. praeced. num.*258. in fine.

260 Fateor meliorem disparitatem afferri non posse, nec potiorem rationem pro opposita sententia, quæ tamen adhuc non vrget, si benè intelligatur; quando enim dicitur remissionem venialium esse reintegrationem ad Dei familiaritatem,quæ essentialiter amicitiam eiusdem supponit; hoc non est vniuersaliter verum, sed tantùm verificatur in iusto, cui dùm per venialium remissionem restituuntur auxilia, quibus per venialia se priuauit, statim etiam ad familiaritatem Dei restituitur, quia talia auxilia ipsum in statu amicitiæ inueniunt, quem effectum in peccatore producere nequeunt, quia in statu amicitiæ eum non reperiunt. Itaque vniuersaliter loquendo tam respectu iusti, quàm peccatoris remissio venialium fit per restitutionem quorundam auxiliorum quibus homo per peccata venialia voluntariè se priuauit; hæc autem auxiliorum restitutio ex diuerso subiectorum statu diuersos quoque sortitur effectus; nam si talis restitutio fiat iusto, hominem restituit ad perfectam Dei familiaritatem,quia ipsum inuenit in statu gratiæ,& amicitiæ;si verò fiat peccatori de solis venialibus attrito,talem effectum producere nequit,sed alium longè inferiorem,quia ipsum inuenit in statu inimicitiæ, & peccati; Neque nouum est, quod eadem causa ex diuersa subiectorum dispositione in quæ agit,diuersos quoque producat effectus secundarios,vt constat de Sole, qui per eundem calorem ceram liquefacit, & lutum indurat; sic, inquam, in proposito eorundem auxiliorum, & donorum restitutio, per quam veniale deletur tam in iusto,quam in peccatore, licet in vtrisque eundem primarium producat effectum, nempè venialium deletionem; non tamen eundem secundarium, nam in iusto ratione sui status inducit familiaritatem cum Deo, & facit vt feruentius vtatur charitate, quam habet, quem effectum in luto peccatoris sortiri non potest ratione sui status,sed alium longè inferiorem; quę doctrina est valdè notanda pro huius difficultatis solutionem.

In oppositum plura obijcit Brancatus *loc. cit.* cum alijs Recentioribus, nam si sola sufficeret attritio in peccatore ad deletionem venialium, vel ipsa sufficeret ex iustitia, vel ex gratia,& liberalitate Dei; non primùm, quia opus peccatoris non habet valorem moralem ad vllam satisfactionem pro culpa, iuxtà illud Pauli 1. Corint.3. *charitatem non habuero, nihil mihi prodest*, & Eccles.24. *dona iniquorum non probat Altissimus, neque in multitudine sacrificiorum propitiabitur*; ergò attritio in peccatore non habet valorem moralem ad inducendam remissionem venialis ex iustitia; neque secundum dici potest, quia nulla lex extat, aut promissio in Scriptura de hac re,& sufficientia.

Confirmatur, quia pœnitentia vera debet esse de omnibus, *impium enim est sperare à Deo dimidiam veniam*. Nahum.1. ergo sola pęnitentia de venialibus sine pœnitentia mortalium non sufficit pro illorum remissione, sicut neque contritio de aliquibus mortalibus, & non de omnibus, valet pro eorum remissione, vt docet Scotus 4.*d.*15. *qu.*1. lit. L ex D.August. quem ibi adducit. Tandem, quia pœnitentia sufficiens ad peccati deletionem debet includere propositum non offendendi de cętero,& dicit saltem virtualiter voluntatem placendi Deo in omnibus; hæc autem non adessent in sola pęnitentia de venialibus relictis mortalibus,nam non solùm tunc peccator tale propositum non haberet, nec talem voluntatem placendi Deo in omnibus, sed potiùs de facto haberet oppositum, quia non dolens de mortalibus haberet actualiter Dei offensam habitualem, & existimaretur complacens in ea, si dolens de alijs, de illa non doleret.

261 Resp. attritionem expellere veniale efficienter in genere causæ moralis, & per modum meriti de congruo; vndè sicuti Deus decreuit, vt peccans mortaliter debitor sit illius rectitudinis arduæ,& honoris sibi sublati vsque ad receptionem sacramenti pęnitentiæ, vel vsque ad elicitionem actus contritionis, & non vlterius; ità statuit, vt peccans venialiter esset debitor exiguæ rectitudinis,& modici honoris sibi subtracti, quousque eliceret attritionem formalem, vel virtualem, & non amplius; quando autem Apostolus dixit nullum opus valeret sine charitate, seù nihil valere ly *nihil* æquiualet huic termino *parum*, quia nil confert ad iustificationem simpliciter, & acceptationem ad vitam æternam; sic pariter quando Ecclesiasticus inquit,Deum non probare dona iniquorum, loquitur de probatione simpliciter, quæ est iustificatio, & acceptatio ad vitam æternam, cum quo stat, vt ea adhuc approbare possit approbatione parua, & secundum quid, tanquam merita de congruo ad remissionem venialis.

Ad Confirmationem dico illa Scripturæ loca esse intelligenda de dimidia venia mortalium, non autem de dimidia, si fiat comparatio inter venialia, & mortalia, quia ista nullam habent connexionem adinuicem in remissione, vndè sicut possunt mortalia deleri sine venialibus, vt diximus ab initio quæstionis, & omnes concedunt; ità nos dicimus venialia posse deleri sine mortalibus, nam si quis peccata sua detestaretur, vt sunt grauis offensa Dei, vel voluntatem efficacem haberet placendi Deo in rebus grauibus, aut non displicendi in grauibus; sufficeret talis actus ad remissionem mortalium,non verò venialium,cùm huiusmodi actus detestationis non habeat sufficientem incompossibilitatem cum venialibus, quæ sunt offensa in minimis; si verò è contrà venialia detestaretur, quatenus sunt leuis offensa Dei, aut voluntatem haberet placendi Dei in minimis saltem, si non posset in grauibus; tunc talis actus sufficeret tantùm ad remissionem venialium, non verò mortalium, quia talis actus non haberet sufficientem incompossibilitatem cum mortalibus, quæ sunt de re graui.

262 Ad vltimum, maior valet de pęnitentia requisita ad deletionem mortalium, hæc enim includere debet propositum non offendendi Deum de cætero formale, vel virtuale; ad pęnitentiam verò requisitam ad deletionem venialium tale propositum non est necessarium, sed sufficit quod non habeat actualem complacentiam mortalium, cui si accedit actualis,& positiua displicentia venialium,hoc sufficit ad eorum remissionem; neque etiam est necessaria voluntas placendi Deo in omnibus ad deletionem venialium,imò neque etiam mortalium, alioquin non solùm venialia non possent deleri sine mortalibus, sed nec etiam mortalia sine venialibus,quia voluntas generalis placendi Deo in omnibus, tàm grauia, quàm leuia comprehendit; iam autem diximus ad deletionem mortalium sufficere voluntatem placendi Deo in rebus grauibus,etiam si ad minima non extenderetur.

Dices,deletio culpæ semper est connexa cum vita, & perfecta animæ sanitate, nam vt habetur ex Scriptura, *quem Deus sanat perfectè sanat*, è quando dixit Deus, *omnium iniquitatum eius non recordabor*, statim subdit, *& vita viuet*; non ergo venialia sine mortalibus deleri possunt; sic etiam loquitur Concil. Trid. *sess.*6. *cap.*7. dùm inquit iustificationem esse peccatorum remissionem, & renouationem interioris hominis per gratiam, hæc autem non adesset si sola delerentur venialia absque mortalibus.

Resp. Concilium ibi definire iustificationem impij adæquatam,& completam, hæc autem non esset talis, sed iustificatio negatiua, seù secundum quid à culpa veniali tantùm; & sic etiam intelligenda sunt loca Scripturæ adducta, alioquin neque mortalia deleri possent sine venialibus, nam in rigore loquendo neque in eo casu posset peccator dici perfectè sanatus, si venialia peccata adhuc remanent.



ARTICVLVS QVARTVS.

An veniale possit in alia vita dimitti, & quomodo.

263 SErmo est de peccato veniali, quia in mortale certum est in alia vita dimitti non posse, illi enim non remisso debetur æterna punitio; & sermo est etiam de veniali quoad culpam, quia quoad pœnam certum est in Purgatorio dimitti, quando in hac vita fuit quoad culpam remissum, quia ei corresfpondet pœna temporali, non æterna. Negarunt aliqui venialia post hanc vitam posse remitti, quia post hanc vitam non est tempus merendi, & satisfaciendi pro peccatis iuxtà illud Io.9. *Me oportet operari opera eius, qui misit me donec dies est, veniet nox, quando nemo potest operari*, per diem autem Patres intelligunt tempus vitæ præsentis; per noctem verò futuræ; ità Alensis.4.p.q.15. *memb*.3. *art*.3. vbi negat venialia post hanc vitam remitti, sed solùm in hac vita saltem in termino continuatiuo vitæ, & mortis, prout passim à Recentioribus refertur.

Communis tamen sententia affirmat, & deducitur ex illo Matth.12. *Qui peccauit in Spiritum sanctum, non remittetur ei neque in hoc sæculo, neque in futuro*, ex quo Patres deducunt præcipuè Gregor.lib.4. Dialog.cap.19. esse aliqua peccata, quæ in futuro sæculo remittuntur, *in qua sententia datur intelligi*, inquit Gregorius, *quasdam culpas in hoc sæculo, quasdam vero in futuro posse laxari*. Et ratio est, quia potest aliquis ex hac vita decedere cum solis venialibus, potest enim decedere sine quacunque consideratione venialium, & per consequens sine vlla detestatione illorum, & absque alicuius sacramenti susceptione, vt patet de illo, qui solis venialibus detinetur, & vadit dormitum, & inter dormiendum occiditur, vel in amentiam perpetuam cadit; & cùm certum sit quod saluabitur, quia est in gratia, & solo veniali detinetur, nec perpetuò stabit in purgatorio ratione peccatorum venialium, nec cum culpa veniali beatificabitur, quia nihil inquinatum intrabit regnum Cœlorum; ergo potest acquirere venialium remissionem post hanc vitam, siuè id fiat in ipsa separatione animæ à corpore, siuè toto tempore Purgatorij. Neque vrget, quod dicebat Alensis posse venialia dimitti saltem in termino continuatiuo vitæ, & mortis, nam aut illud istans est intrinsecum vitæ, aut intrinsecum morti, implicat enim intrinsecum vtrique simul, cùm nequeant vita, & mors, quæ sunt contradictoria, simul esse in eodem instanti; non potest dici, quod sit intrinsecum vitæ, quia cùm adhuc anima pro eo instanti sit in via, posset venialiter peccare, cùm igitur in eodem instanti non possit quis peccare, & peccatum simul retractare, assignandum est aliud tempus, in quo possit tale peccatum remitti, quod aliud esse non potest, quam instans intrinsecum morti, vel tempus ad illud sequens, in quo manebit in Purgatorio; quarè fatendum est posse veniale peccatum post hanc vitam dimitti; atque ità sola remanet difficultas de modo, & quando post mortem remittantur, de quo varij sunt modi dicendi, quorum principaliores, & magis vsitati sunt hinc examinandi.

264 Primus dicendi modus valdè communis, & plausibilis tam apud Veteres, quàm Recentiores est, quod peccatum veniale quoad culpam remittitur decedenti in charitate post hanc vitam per aliquem actum bonum conuersionis animæ ad Deum, & detestationis venialium; ità quod anima in primo instanti separationis eius à corpore potest habere feruentem actum dilectionis Dei, & contritionem etiam perfectam omnium præcedentium culparum, quia in eo instanti optimè cognoscit statum suum, & ex expedita ad operandum, & ex parte Dei habet auxilium efficacissimum iuxtà mensuram suæ gratiæ, & ipsa statim sine mora operatur, & perfectè tendit in Deum, & auertitur ab omnibus venialibus, atque adeò ille actus sufficit, vt statim tollantur illa omnia peccata quoad culpam, ità Durandus, Bassolius, Paludanus, Ricardus, Almainus, quos sequitur tota Modernorum caterua Henriquez, Suarez, Vasquez, Amicus, Coninchius, Lugus, Becanus, Auersa, Caspensis, & alij passim; quorum aliqui etiam dicunt venialia deleri posse post mortem per actus contritionis, & charitatis factos in alia vita, scilicet, in Purgatorio aliquo tempore post separationem animæ à corpore, quia ex natura rei necesse non est, vt in primo separationis instanti anima statim eliciat sufficientem actum pœnitentiæ pro suis venialibus; quem dicendi modum sequitur ex nostris Auctor Controuersiarum inter Scotistas *part*.2 *controu*.21. vbi ait *concl*.3. peccatum veniale etiam quoad culpam non tantùm in Purgatorio deleri, sed etiam in Inferno, & hoc solum per actum, & motum liberi arbitrij, vel in ipsum peccatum detestando illud, vel in Deum.

Hic dicendi modus Scoto non placet 4.*d*. 21. *q*.1. vbi in fine quæstionis antè principalium solutionem inquit, quod ponere in anima separata aliquem bonum motum, vel dispositionem, qua de congruo, vel de condigno quis mereatur deletionem culpæ venialis, non est consonum doctrinæ theologicæ, quæ ponit statum illum immunem ab istis; & in re obscura magis recurrendum est ad regulas generales, & modum remissionis secundùm legem ordinariam, quæ respicit opera Viatoris, quàm aliquid statuendum contrà legem, quæ non admittit statum merendi in alia vita, quia post mortem non est amplius tempus merendi, nec satisfaciendi, sed solùm satispatiendi, vt apertè colligitur ex testimonio Io.9. iam citato ab initio quæstionis, *Operamini donec dies est, veniet nox, quando nemo potest operari*, & ex verbis Ecclesiast.14. *antè obitum tuum operare iustitiam, quia non est apud Inferos inuenire cibum*, quam rationem prosequuntur ibidem Faber, Aretinus, Hiqueus, & præsertim Brancatus *disp*.15. *art*.13. 265

Respondent Recentiores, post vitam non esse tempus merendi præmium essentiale, esse tamen tempus satisfaciendi pro culpis venialibus, & satisfaciendi pro penis, ac proindè actus illos pœnitentiæ, & charitatis, quos habet anima in Purgatorio, & post hanc vitam, non dici actus meritorios, quia non merentur aliquod præmium, sed actus iustificatiuos, quia dimittunt solum culpam, nam actus retractandi peccatum habet ex natura sua, vt illud deleat, siuè in vita, siuè post mortem fiat; dicunt tamen hoc esse discrimen inter culpam, & pœnam, quod potest pro pœna sola eius tolerantia satisfieri, quia pœna natura sua est inuoluntaria; non potest autem pro culpa sine proprio actu peccatoris satisfieri, quia sicut peccatum essentialiter consistit in actione libera, ità remitti nequit sine opposita actione libera retractatiua; quam totam doctrinam approbat quoque Scotista ille *loc. cit*. vbi inquit relatu in Scoti discursum nos turbare non debere; quia Doctor ibi loquitur de actu meritorio, vel de condigno, vel de congruo deletionem peccati, non sic præcisè loquendo, sed cum augumento gratiæ eo modo, quo in via remittitur, & condonatur ordinariè loquendo; non autem quasi quod simpliciter, & absolutè repugnet illi statu aliquis actus meritorius etiam præmij saltem accidentalis, quod nititur probare ex quibusdam Scoti verbis 1.*dist*.7. *q*.*vn*. in calce, vbi loquens de actibus damnatorum, & Beatorum inquit, quod potest concedi, quod possit esse culpa non tamen propriè demeritoria, quia non elicitur à viatore, cuius solius est mereri, & demereri, quod magis propriè dici potest actus damnatorius, seù damnati; sicut ex alia parte actus beati, licet sit acceptabilis Deo, non tamen est propriè meritorius, sed magis actus beatificus; ità Doctor ibidem, ex quibus verbis Scotista ille deducit Scotum concedere actus meritorios, & demeritorios, licet non propriè, in alio statu.

Sed hæc solutio seipsam destruit, quia repugnat omninò actum illum pœnitentiæ in Purgatorio elicitum esse iustificatiuum, & non meritorium, cùm nequeat alio modo iustificare, quam meritoriè; nequit enim aliter habere effectum illum, nisi quia Deus intuitu illius contritionis vult delere peccatum, quod est delere per eam dispositiuè, & meritoriè, siuè de congruo, siuè de condigno, nam actus ille esset iustificatiuus dispositiuè, non vt causa principalis, ergo vt meritoria. 266

Confirmatur, quia actibus illis deberetur iustificatio à culpis venialibus; ergo si ratio status eos non impedit, nihil ipsis deficit, quin meritorij dicantur; & gratis omninò diceretur actus illos talem effectum producere ex natura sua, vt in responsione innuitur, cùm homo non possit effectiuè physicè seipsum iustificare nec à mortali, nec à veniali, *nullus enim potest peccata dimittere, nisi solus Deus* Lucæ 5. ergò per illos actus nequit peccati remissio obtineri, siuè in hac, siuè in alia vita, nisi dispositiuè, & meritoriè. Denique si per actus contritionis & charitatis posset homo in alia vita delere venialia quoad culpam, posset etiam quoad pœnam, atq; ità posset breuissimè obtinere remissionem totius pœnæ luendæ per multos annos, quod est falsum;

sum; probatur consequentia, quia in via per contritionem, & feruentem charitatem potest nedum culpa deleri, sed etiam pęna illi debita, aliquando pars, aliquando tota iuxtà mensuram talium actuum; Nec rursus valet disparitas; quã Recentiores afferre solent, quod in via contritio habet rationem meriti, ideoque potest peccata delere, nedùm quoad culpam, sed etiam interdum quoad, pęnam, in alia verò vita nequaquam, quia ibi non habet rationem meriti. Non valet, inquam, quia hæc solutio corruit ex dictis, & rursus principium petit, si enim contritio etiam in alia vita habet prædicata, & effectum meriti, sicut in ista, sequitur necessariò quod vtrobique habeat rationem meriti; tum quia magis requirit statum viæ remissio culpæ, quam remissio pęnæ, hanc enim omnes concedunt in alia vita; ergo si contritio in alia vita vim habet remittendi culpam tantò magis remittendi pęnam, vt benè Brancatus arguit *loc.cit.*

267 Adhuc autem absurdius est, quod Scotista ille dicebat, etiam in Inferno talem venialis remissionem fieri posse per actum, & motum liberi arbitrij, vel ipsum peccatum detestando illud, vel in Deum; cum Scotus in 2. loco ab ipso citato ex illa psalmi auctoritate, *Superbia eorum, qui te oderunt ascendit semper* deducat damnatos semper peccare, quia sunt in malo obstinati; si ergo non est doctrinæ Theologicæ consonum absolutè ponere in anima post mortem aliquem motum bonum, per quem tanquam per dispositionem, vel meritum de congruo, vel de condigno deleatur veniale in purgatorio; quantò magis dissonum erit doctrinæ Theologicę in Scoti sententia id etiam asserere in Inferno? Et rursus prorsus vanum, & chimericum est, quod Scotista ille dicebat, Doctorem ibi loqui de actu meritorio de congruo, vel de condigno deletionis peccati, non sic pręcisè loquendo, sed cum augumento gratiæ eo modo, quo in via remittitur; nam Doctor ibi quærit, an post hanc vitam possit aliquod peccatum remitti; si ergò quæstioni respondendo locutus fuisset de merito cum augumento gratiæ eo modo, quo in via remittitur, planè talis responsio fuisset omninò impertinens, quia omnes concedunt tale meritum in alia vita dari non posse; loquitur ergo de merito simpliciter, & absolutè loquendo. Tandem locus ab ipso adductus ex Scoto 2. *dist.7.quæst.vn.* in calce expressè contrà ipsum militat, non enim solùm Doctor ibi dicit in damnatis non esse culpam propriè demeritoriam, sed etiam rationem reddit, quia, scilicet, *non elicitur à viatore cuius solius est mereri, & demereri*; si ergo solius Viatoris est mereri, & demereri, iam in alia vita dari non poterit actus culpæ venialis deletiuus per modum meriti, & si id de mente Doctoris non potest hac ratione concedi in purgatorio, quia animæ purgantes non sunt amplius viatrices, tanto minus id poterit concedi in Inferno.

268 Secundus modus dimittendi venialia post mortem assignatur à Scoto *loc.cit.4.dist.21.quæst.1.* sub E. & est, quod peccata venialia decedenti in charitate statim post mortem remittantur, non quidem per aliquem actum meritorium, quem habeat iustus post mortem, vt prior dicendi modus asserebat, sed propter aliquem actum factum à iusto in vita acceptatum à Deo ad remissionem venialium talis hominis statim post eius mortem, quamuis homo ille post mortem per actum proprium de nouo non mereatur remissionem illorum venialium; Idque suadet Doctor, quia ad peccatum veniale delendum non requiritur necessariò pęnitentia, & displicentia formalis peccati; sed potest deleri per aliquem actum Deo magis gratum, quam actus peccati fuerit displicens; cùm ergo in vita culpa venialis sic possit dimitti, vt suprà dictum est, non est inconueniens dicere, quod etiam in primo instanti post mortem deleatur per acceptationem operum illorum à Deo, licet iustus tunc non possit illa referre meritoriè ad Deum pro illis culpis; cur autem Deus in vita prius illorum operum intuitu peccata venialia non deleuerit, sed tantùm in primo instanti post mortem, reddit rationem Doctor; quia causa impedibilis, dum est impedita, non ponit effectum, dum verò non est impedita ponit; sed merita illius morientis in charitate essent causa sufficiens deletionis venialium illius, vel relata ab ipso, vel à Deo acceptante illa in ordine ad illud; si ergo non posuit ille obicem continuando peccatum, in vita erunt ei dimissa; si verò posuit obicem, Deus in vita illa non dimisit; quia ergo post mortem nõ potest amplius obicem ponere continuando in peccato, quia post mortem nemo amplius meretur, vel demeretur, statim venialia remittuntur à Deo ob actus bonos, qui in vita præcesserunt, & magis placuerunt Deo, quàm veniale displicuerit; Inquit itaque Doctor remitti vtique venialia in primo mortis instanti, non per actum tunc elicitum, vt præcedens modus asserebat, quia tunc homo est extra statum viæ; sed per merita facta in vita relata ab ipso merente, vel à Deo ad remittenda hæc venialia post mortem.

Hunc dicendi modum vnicè approbat, & benè probat Brancatus *loc.cit.conclus.7. num.507.* quia si quid impediret, quin talia merita præcedentia possent ad hoc disponere, vel esset, quia tunc non sunt; & hoc non obstat, quia estò non permaneant physicè, permanent moraliter, & in Dei acceptatione, sicut dicimus de ipsis meritis præcedentibus respectu gloriæ; Vel id esset, quia fuissent anteà venialia deleta per illa; & neque id officit nam ideò non disponunt ad delendum anteà, quia supponitur veniale continuari, quando autem adest obex, impediuntur ne dispositiuè causent, atque ideò cessante tali obice possunt hunc effectum causare. Vel tandem id esset, quia vt aiunt Recentiores cum Vasquez, requiritur retractatio voluntatis, seu eius rectificatio per retractationem, & neque id obstat, quia vt ait Brancatus nunquam poterit assignari rectificatio ista in voluntate Martyris, qui cum veniali tantùm moreretur pro fide; si enim supponamus. Martyrem iam esse paratum ad mortem pro fide subeundam, & antè tempus martyrij in aliquod veniale incidat, & posteà ex improuiso, vel dormiens occidatur absque vlla illius venialis retractatione; planè tunc non daretur in Martyre rectificatio illa noua, vel retractatio per contritionem, & charitatem neque antè mortem, nec post, quia statim in Cœlum euolaret, & tamen illa venialis culpa, & eius pœna martyri dimitteretur, ergo nulla est necessitas talis retractationis in omni casu, sed aliquando potest per aliud suppleri, hoc autem nequit esse, nisi meritum præcedens, vel ab eo applicatum pro necessitatibus occurrentibus præsertim mortis, vel à Deo sic acceptatum absque applicatione morientis.

Sed hunc dicendi modum ex professo à Scoto assignatum impugnat Scotiste ille *controu.21.c.concl.7.* vt omninò à mente Doctoris alienum; non enim videtur rationabile Deum differre præmium debitum de condigno ipsi merenti compossibile statui vitæ vsque ad instans mortis, vel post mortem; vel ergò ille actus bonus fuit elicitus antè peccatum veniale, vel post veniale; si antè, ergo pro illo tunc præmiatus fuit præmio sibi correspondente, scilicet augmento gratiæ; si post, ergò statim intuitu talis actus remitti debet peccatum iam commissum, cùm tunc intelligatur impedimentum iam cessasse, voluntatem, scilicet amplius peccandi, aliter non potuisset pro tunc elicere actum meritorium, quia non stant simul aliquem habere voluntatem peccandi, & posse mereri de condigno deletionem peccati; & hoc fuit argumentum Bassolij 4. *dist.21. quæst.1.art.2.* in fine. 269

Resp. iam assignatum esse casum, in quo differri possit venialium remissio vsque ad mortis instans intuitu præcedentium meritorum; nil enim impedit, quin iustus, & quantumuis sanctus vsque ad mortis instans in peccato veniali perseueret, & posset Martyr cum feruenti charitate, & martyrij desiderio ex ponere se morti, & interim venialiter peccare, vel in præcedenti peccato complacere, & subito occidi; & tunc remissio venialis fieret, non in Purgatorio, neque antè mortem, quia aderat obex, ergo in primo mortis instanti, & ità non differetur præmium scilicet remissio peccati, quia daretur in instanti mortis post peccatum in vltimo vitæ commissum, vel continuatum; & omninò falsum est actum meritorium elici non posse cum voluntate peccandi venialiter, quia sicut peccatum veniale stat cum gratia in quocunque gradu, ità etiam stare potest cum quocunque actu bono, & ex charitate elicito, qui sit meritorius augmenti gratiæ, licet non remissionis peccati venialis, quod adhuc in actu perseuerare supponitur vsque ad instans mortis; dicere verò hunc secundum modum dimittendi venialia in alia vita non esse de mente Doctoris, sed solùm primum iam refutatum, est omninò more suo peruersè Scotum intelligere, vt patet legenti textum, vbi clarissimè hunc secundum modum assignat, tanquam probabilem, & primũ omninò reijcit, vt improbabilem, & doctrinæ Theologicæ disso-

dissonum, quæ actus meritorios, vel demeritorios in alia vita non admittit, nam status viæ est vna ex præcipuis conditionibus ad meritum requisita, vt constat ex dictis *lib. 3. disp. de Merito Christi q. 1.*

270 Tertius dicendi modus quo peccatum veniale potest in alia vita dimitti, assignatur à Scoto *loc. cit.* & est per satispassionem, seù solutionem totalis pęnæ temporalis, ad quam veniale ordinatur, itaut nil aliud sit culpæ venialis remissio in Purgatorio, quàm solutio pęnæ temporalis debitæ pro illa, quod ità declarat Doctor, quia actu transacto culpa, quæ manet, nihil est aliud, nisi reatus ad pęnam debitam, iste verò reatus peccati venialis non est nisi ad pœnam temporalem, vt constat ex dictis; ergo soluta pęna temporali in Purgatorio, quæ pro veniali debetur, culpa venialis erit remissa. Quem dicendi modum sequuntur veteris Scotistæ, ac etiam Recentiores Faber, Aretinus, Gauarius, & alij passim, paucis quibusdam exceptis, vt potè conformem doctrinæ, quam vniuersaliter tradidit Doctor de macula, & peccato habituali 4. d. 14. q. 1. *art.* 1. vbi docet formale constitutiuum peccatoris esse reatum quendam, seù quandam obligationem ex actu peccaminoso contractam, qua statim ac aliquis peccat, sinè mortaliter, siuè venialiter, realiter obligatur ad pęnam peccato correspondentem quousque pęna illa soluta fuerit, quam germanam Scoti sententiam de peccato habituali, latè declarauimus *lib. 2. disp. 6. q. 8. art. 6. & seq.*

Verùm quia non omnes Scotistæ hunc tertium dicendi modum à Scoto assignatum pro dimissione venialis culpæ in alia vita eodem modo declarant; ideò ex dictis *loc. cit.* de habituali peccato aduertendum est, quod cùm ait Doctor peccatū veniale posse in Purgatorio dimitti per satispassionem, seù solutionem totalis pęnæ temporalis, ad quam veniale ordinatur: per pęnæ solutionem non esse præcisè intelligendum ipsius pęnæ exhibitionem, & exactionem, nam hæc quoque datur in Inferno, vbi damnati pęnam temporalem luunt pro peccatis venialibus in hac vita commissis, & non remissis, & tandem per satispassionem talis pęna finitur, & terminatur cùm sit temporalis, vt diximus *disp. 6. cit. de peccatis qu. 8.* & adhuc reatus culpæ non dimittitur, sed perseuerat ratione status, vt ibi dictum est *n. 230.* & ratio est, quia aliud est loqui de pęna actuali pro veniali exhibita, & aliud de dignitate, & obligatione ad eam ex tali actu contracta, in qua propriè consistit reatus culpæ; potest enim adhuc ista manere culpa non retractata, etiamsi pęnæ semel sit sufficienter inflicta, & soluta, vt ibi diximus, ac etiam posteà dicemus; Quando ergò in præsenti dicimus veniale etiam quoad culpā posse in Purgatorio remitti per solutionem totius pęnæ temporalis illi debitam non tantum intendimus solutionem ab illa actuali pęna, sed etiam à dignitate, & obligatione ad eam, in qua præcipuè reatus culpæ venialis consistit; adeoquod soluta totali pęna statuta pro venialibus nō solum anima purgans ab actuali illa pęna liberetur, sed etiam à debito, & obligatione ad illam, in qua consistit ipsius culpæ venialis reatus; & hanc venialium remissionem Patres apertè deducunt ex illa Apostoli auctoritate 1. Corint. 3. vbi loquens de anima purgante inquit, *sic saluus erit, quasi per ignem*, quibus verbis insinuat peccata venialia in Purgatorio dimitti per satispassionem, & purgationem ignis non tantum quoad reatum pęnæ, quæ remansit ibi luenda pro peccatis in hac vita remissis, siuè venialibus siuè mortalibus, sed etiam quoad reatum culpę pro venialibus hic non dimissis, nam hominem ibi saluum fieri per purgationem ignis præcipuè significat eius liberationem à culpa, & non tantum à pęna; Et quando dicimus deletionem venialium fieri per solutionem pęnæ illis debitæ, non ità intelligendum est, quasi per talem solutionem ex seipso veniale destruatur, sicut ex solutione pecuniæ alicui debitæ destruitur debitum absque beneficio, & gratia creditoris dimittentis, sed ità intelligendum est, vt soluta pęna veniali debita intuitu illius solutionis per satispassionem Deus culpam dimittat, hoc enim totum pendet ex ordinatione diuina, vt Suarez etiam concedit *tract. 5. disp. 7. sec. 3. num. 11.* vbi ait peccatum illam solam pęnam mereri, sub qua lex est lata, licet verisimile sit ad hoc quoque concurrere materiam ipsius peccati, nam Deus cum sit iustus, accomodat pęnam dignitati culpæ. Vndè factà quacunque solutione pęnæ, adhuc fatendum est Deum remittere culpam, licet eius intuitu, itaquod non à principio cessat culpa, neque per remissionem factam ad ipso soluente pęnam, sed ipse Deus remittit eius intuitu; iniquitates enim nostras ipse delet, vndè dicebat per Isaiam 43. *ego sum, qui deleo iniquitates tuas*, & alibi *quis est qui peccata deleat nisi solus Deus*.

Itaque duo modi vltimi pro remissione venialium assignantur à Scoto *loc. cit.* tanquam aliorum probabiliores; & quidem hic vltimus etiam à D. Greg. assignatur 4. Dialog. cap. 39. vbi dicit *De quibusdam leuibus culpis esse antè iudicium purgatorius ignis credendus est*. Alter verò de remissione eorundem per merita precedentia confirmatur ex Glossa D. Gregorij allata ab Alense q. 15. *memb. 3. art. 3. §. super dictum* Matth. 12. dicente, *Quædam enim culpæ in hoc seculo relaxantur, quædam verò parue in futuro, quæ quidem post mortem grauant, sed dimittuntur, si homo bonis actibus in vita, vt ibi dimittantur, promeruit*; Alij quoque modi dimittendi post mortem venialia solent assignari, vt apud Recentiores videri potest, sed quia sunt minus probabiles, & nulla Patrum, vel Scripturę auctoritate suffulti ideò dimittuntur, vt inutiles.

ARTICVLVS QVINTVS.

Soluuntur Obiectiones contrà præmissam doctrinam.

Contrà tertium modum assignatum pro dimissione venialium post hanc vitā in Purgatorio per satispassionem, seù solutionem totalis pęnæ temporalis, ad quam veniale ordinatur arguunt Brancatus, & Auctor controuersiarum inter Scotistas *loc. cit.* Primò, quia hic dicendi modus, quamuis ab eo assignatus 4. d. 21. q. 1. *infra E.* non tamen est de mente eius, nam postquam illum assignauit, posteà subdit, quod si iste modus non placet, quia Sancti distinguere videntur inter remissionem culpæ cuiuscunque & pęnæ, & maximè inter remissionem culpæ, & solutionem pęnæ debitæ illi culpæ, potest dici quod venialia dimittantur post mortem secundo modo iam suprà assignato, quem posteà docet, vt probabiliorem; Conf. quia Doctor ibidem significat non esse idem culpam remittere, & pęnam sibi debitam soluere, etiam loquendo de peccato veniali, quia contingere potest, vt in hac vita remittatur culpa venialis soluendo solùm pęnam in altera vita, vt deducitur ex eodem Scoto 4. d. 18. q. 1. D. quo loco sicut & d. 17. q. 1. ait posse peccatorem submittere se Sacerdoti quoad absolutionem culpę, nō tamen quoad taxationem, & relaxationē pęnę, sed quantū ad illam velle solùm se subdere manui Dei, vel hic in via, vel in Purgatorio; sic ergò peccator potest se submittere sacerdoti quoad remissionem culpę, reseruando taxationem, & relaxationem pęnæ apud Deum, iam clarè apparet hæc duo abinuicem secerni. Denique alium afferunt locum ad idem probandum ex Scoto 4. d. 15. q. 1. *sub P.* vbi inquit, quod si alicui offensæ in Regem correspondeat præcisè secundum legem abscissio manus, si isti etiam inuiso abscinditur manus, satispatitur, & intantum sufficit Regi, quod secundum legem, & iustitiam non debet ab eo pęnam vlteriorem exigere, & tamen non recipit eum in gratiam, & amicitiam hæc Scotus, quibus verbis clarissimè separat remissionem culpę à solutione pęnæ, & è contrà, quod non esset, si esset eadem prorsus mutatio. 271

Ad primum iam diximus *lib. 2. disp. 6.* de peccatis q. 8. *nu.* 312. Doctorem *loc. cit.* proponere illum secundum respondendi modum propter eos, qui eius sententiam de peccato habituali sequi nollent, quod consistat in obligatione ad pęnam ex peccato commisso contracta; non autem quia à primo recedat, quem ibi assignauit, cùm eo ibi vtatur in solutione ad argumenta principalia, & alibi frequenter; vndè sic dicendo nos monuit solùm difficultatis, quæ obijci posset sequendo primum modum ab eo ibi propositum, quod scilicet, iuxtà illum non exactè saluetur distinctio inter remissionem culpæ cuiuscunque & solutionem pęnæ illi debitæ, quam tamen distinctionem Sancti videntur asserere. 272

Ad Confirmationem plurà habet Gauatius *disp. 4. de sacrificio Missæ q. 2. n. 32.* vbi tandem cum Fabro *disp. 40. cap. 2.* concludit, quod cùm Sancti distinguere videntur inter remissionem culpæ, & solutionem pœnæ, & Scotus eis subscribit *loc. cit.* explicandi sunt de peccato mortali, in quo dimissio culpæ à solutione pęnæ distinguitur, illa siquidem est commutatio pęnæ æternę in temporalem, quę vocatur remissio

remissio peccati mortalis; solutio autem pœnæ est condonatio, vel exactio pœnæ temporalis, in quam æterna fuit commutata; Verùm hanc solutionem *loc. cit.* reiecimus, vt omninò textui Scotico repugnantem, ac etiam veritati, quia Sancti non tantùm in peccato mortali distinguunt remissionem culpæ à solutione pœnæ temporalis, in quam æterna commutatur, sed distinguere videntur, inquit Doctor, inter remissionem culpæ cuiuscunque, hoc est etiam venialis, & solutionem pœnæ illi debitæ; Quarè ibi conclusimus etiam in ipso peccato veniali duplex malum distingui debere, & assignari, culpæ scilicet, & pœnæ, & consequenter duplicem remissionem seruata proportione, sicut in mortali; quando enim peccatum veniale remittitur per sacramenta, vel alio modo in hac vita non extinguitur tota pœna illi debita, sed commutatur pœna temporalis illi debita in minorem, & hæc est remissio mali culpæ, quod consistebat in obligatione ad pœnam temporalem culpæ remissæ condignam, & æqualem; rursus fit exactio alterius partis pœnæ remanentis, in quam facta est commutatio maioris pœnæ debitæ, hæc est remissio mali pœnæ; quam distinctionem remissionis culpæ, & remissionis pœnæ etiam in peccato veniali agnouit, & assignauit hoc eodem modo Aretinus 4. *dist.* 21. *quæst.* 1. art. 3. Quando itaque peccatum veniale in Purgatorio remittitur per totalem solutionem pœnæ ipsi debitam, dicitur remitti quoad culpam; quando autem hic in via remissum est quoad culpam per commutationem totius pœnæ temporalis illi debitæ in minorem in hac, vel alia vita soluendam, exactio istius partis pœnæ remanentis in Purgatorio est remissio venialis præcisè quoad pœnam. Ad vltiam vltrò concessimus in quocunq; peccato etiam veniali remissionem culpæ distingui à solutione pœnæ modo iam declarato; neque locus ille ex Scoto adductus facit ad rem, nam illud exemplum ibi Doctor adducit, vt ostendat hominem in peccato posse Deo satisfacere pro pœna sibi à Confessario imposita, quamuis satisfactio illa non esset placans, nec peccatorem Deo reconcilians; non autem ad probandum remissionem culpæ distingui à solutione pœnæ.

273 Deindè arguunt rationibus, quia sicut reatus culpæ non est reatus pœnæ, ità solutio pœnæ non est solutio culpæ; ergo hæc tolli nequit per solutionem pœnæ alioquin absque vllo Dei beneficio, & dimissione ipsemet soluens pœnam in Purgatorio diceretur dimittere sibi culpam. Conf. nam in via solutio pœnæ non est deletio culpæ; ergo neq; in Purgatorio; probatur assumptum, quia dimissio culpæ est actus misericordiæ, & voluntatis diuinæ, solutio autem pœnæ est actus hominis. Demum solutio pœnæ in Purgatorio non est voluntaria, sed coacta, quia non à se, sed ex Dei sententia peccator venialiter in Purgatorium detruditur, donec pœnas luat; ergo nequit delere culpas veniales: Consequentia probatur, siquidem inter cæteras conditiones, quas requirit tenentia pœnæ, vt suum sortiatur effectum, est vt voluntariè teneatur, alioquin etiam damnati possent soluere pœnam, & dimissionem obtinere.

Resp. iam vltrò concessum esse etiam in peccato veniali reatum culpæ distingui à reatu pœnæ; hic enim in via potest remitti reatus culpæ, & remanere reatus pœnæ hic, vel in alia vita luendæ, quæ est pœna partialis, & minor, in quam commutata est pœna temporalis culpæ remissæ condigna, & æqualis; & in hoc sensu etiam solutio pœnæ non est solutio culpæ, quia in Purgatorio solui potest pœna minor, quæ remansit post solutionem, vel remissionem culpæ hic in via; at si loquamur de solutione pœnæ totalis, & integræ peccato veniali debitæ, negatur solutionem pœnæ non esse solutionem culpæ, quia hæc in sententia nostra formaliter consistit in obligatione ad totam pœnam temporalem culpæ commissæ condignam, & æqualem, quæ remitti potest vel per condonationem, & commutationem illius pœnæ totalis in minorem, quo pacto remittitur hic in via; vel per solutionē illius totalis pœnæ, & integræ, vt fit in Purgatorio; Et quidem Scriptura non semel peccatum significat, non tantùm nomine reatus, sed etiam debiti, & obligationis ad satisfaciendum, vel sustinendam pœnam pro culpa commissa, vt Math. 5. *reus erit iudicio, reus erit gehennæ*, & Math. 6. *dimitte nobis debita nostra*, idest peccata, & præsertim venialia, vt exponunt Aug. Cyprian. & omnes alij de Oratione dominica agentes; & Actorum 8. *in felle amaritudinis, & obligatione iniquitatis video te esse*, & alibi frequenter sic loquitur Scriptura intelligens per reatum obligationem ad pœnam, quam intendit esse culpam, vt proximè, & immediatè ex peccato resultat.

Neque hinc sequitur absque vllo Dei beneficio, & dimissione soluentem pœnam in Purgatorio sibi dimittere culpam, quia adhuc verè Deus est, qui illi peccata dimittit illius satispassionis intuitu, vt dictum est num. 176. in fine; tùm quia in Purgatorio animæ illę valdè iuuantur per suffragia, indulgentias, & merita Christi eis applicata ad illas pœnas patienter tolerandas, atque ideo dici non potest animas illas pęnam soluentes sibi peccata dimittere absque vllo Dei beneficio.

Ad Confirmationem, quando etiam antecedens admitteretur, adhuc esset negāda consequentia, quia vt ipse quoque Brancatus fatetur in fine illius art. 13. diuersimodè deletur veniale in via, & in Purgatorio, hic enim deletur per satisfactionem propriè dictam, quia sumus in statu merendi; ibi verò vel per satispassionem, vel per merita præcedentia in vita ad hunc finem relata ab ipso Deo; & licet solutio pœnæ sit actus hominis, non tamen fit sine beneficio, & adiutorio Dei, atq; ideò dimissio culpæ non debet præcisè homini adscribi pœnas illas toleranti, sed Deo principaliter. 274

Ad vlt. negatur assumptum, quia licet animæ non à se, sed ex Dei sententia in Infernum, vel Purgatorium detrudantur hoc tamen interest inter hos, & illas, quod animæ in Inferno damnatæ impatienter, & omninò inuitò pœnas tolerent, & cum remurmuratione, vndè licet per talem pœnæ tolerantiam possit eis à Deo remitti pęna venialibus debita, quæ temporalis est; non tamen culpa; at animæ in Purgatorio existentes libenter, & patienter pœnas tolerant, atque ideò per talem pęnæ solutionem eis à Deo remittitur non tantùm pœna venialibus debita, sed etiam ipsa venialis culpa intuitu illius satispassionis; hic enim est quartus modus pœnitendi à Scoto assignatus 4. *dist.* 14. *q.* 1. §. *De secunda conclusione*, etiam ad culpæ deletionem sufficiens, vbi ait, quòd pęnitere hoc modo est pęnam sibi pro peccato suo inflictam patienter sufferre, & patet quomodo hoc est pœnam tenere, quia non abijcere remurmurando vndè communiter dicitur in hoc sensu sustinere, idest sub actione agentis sibi pœnam infligentis se illi conformando tenere, quem pęnitendi modum satis constat esse in Purgatorio non tamen in Inferno: & hinc est, quod in Inferno, potest veniale dimitti quoad pęnam tantùm, non quoad culpam, vt dictum est *lib.* 2. *disp.* 6. *q.* 8. in Purgatorio autem quoad vtramque per satispassionem.

Tandem arguunt, quia sicut nullus potest maculam peccati contrahere sub ratione culpæ, nisi per actum liberum, & per auersionem à Deo, ità è contrà non potest se liberare a peccato nisi per actum propriæ voluntatis in Deum conuertatur, seu nisi voluntas peccatoris rectificetur; ergo per solam satispassionem culpa venialis in Purgatorio dimitti non potest.

Confirmatur, quia si per solam satispassionem posset veniale remitti, iam posset aliquis peccator pęnam sustinens remurmurando, & contemnendo, ab ipso peccato veniali absolui, quod nequit concedi, quia per talem remurmurationem saltem venialiter peccaret, & ità poneret obicem ad remissionem. Denique quia iuxtà hoc principium de remissione venialis in Purgatorio per solam satispassionem, posset quoque defendi veniale etiam in Inferno remitti, non tantùm quoad pęnam, sed etiam quoad culpam.

Resp. non esse eodem modo discurrendum de remissione venialis in via, & in termino, in via namque certè habenda est de peccato commisso aliqua detestatio saltē virtualis per actum voluntatis, quia sumus in statu merendi; at ibi sufficit libens, & voluntaria tolerantia pęnæ absque remurmuratione, quæ etiam est aliqua species detestationis, Ad statum illum sufficiens pro peccati deletione. Ad Confirmationem negatur consequentia, quia licet ad pœnæ solutionem sufficiat satispassio etiam inuoluntariè, & cum remurmuratione tollerata, vt notat Doctor 4. *d.* 15. *q.* 1. *sub P.* & declarat exemplo illius, cui ob patratum delictum inuitò manus abscinditur, hic enim sufficienter pęnam exsoluit patrati delicti, nec debet ab eo pęna vlterior exigi: hæc tamen inuoluntaria, & coacta satispassio cum remurmuratione ad deletionem culpæ non est sufficiens; talis autem non est satispassio, per quam in Purgatorio venialia delentur, sed libens, & voluntaria absq; vlla remurmuratione. Ad vltimum, non desunt Scotistæ, qui ex eo principio deducunt veniale etiam in Inferno dimitti non tantum quoad pęnam, sed etiam quoad 275

quoad culpam, ità Faber, Hiribarnes, & alij Scotistæ: probabilius tamen est, posse veniale in Inferno dimitti tantùm quoad pœnam, quæ temporalis est, non verò quoad culpam, quia satispassio damnatorum omninò inuoluntaria est, atq; coacta, atq; ideò licet possit esse sufficiens ad pęnam tollendam, cum enim in tali satispassione seruetur æqualitas iustitiæ pro peccato puniendo, acceptanda videtur tanquam solutio sufficiens ad pœnam tollendam, non tamen culpam, quia ad hoc vlterius requiritur, vt pœna sit sufficienter tolerata, & sine murmuratione; vt ex professò declaratum est *disp.6.cit.de Peccatis q.* 8. quomodo autem durante culpa in damnatis peccati venialis possit cessare pœna, & ordo ad eam declaratum est ibidem præsertim n.230. Itaq; concludendum est animabus in Purgatorio existentibus venialia dimitti tùm quoad culpam, tùm quoad pęnam non per bonum actum voluntatis quem habeant, vt asserebat primus dicendi modus *art.*4. relatus; sed vel ob solutionem pęnæ temporalis debitæ, vt asserebat tertius dicendi modus; vel intuitu meritorum in vita præcedentium, vt asserebat secundus; si enim antè mortem fuit obex, ob quem deleri non potuerint illorum intuitu, cessante obice per separationem animę poterunt illa merita talem sortiri effectum; & vterque dicendi modus à Scoto approbatur *loc. cit.*

QVÆSTIO DECIMA.

An merita per peccatum mortificata per pœnitentiam reuiuiscant, & peccata dimissa redeant formaliter per subsequens peccatum.

275 Circà primam quæstionis partem supponendum est ex communi Theologorum dari tria operum genera, viua, mortua, & mortificata; viua dicuntur, quæ fiunt ab homine in statu gratiæ, & charitatis constituto, ac proinde vim habent perducẽdi ad vitam æternam; Mortua dicuntur, quæ fiunt ab homine in statu peccati mortalis existente, ac proindè vim non habent perducendi ad vitam æternam. Mortificata tandem dicuntur eadem opera, quæ prius priua fuerunt, quia facta sunt in gratia, superueniente autem peccato mortali extinguuntur, quatenus impedita manent, ne habeant suum effectum in homine qui peccauit, quamdiù in peccato manet, sermo autem est de operibus bonis quia opera mala non tam mortua, aut mortificata, quàm potius mortifera, aut mortalia dicuntur, quia generant mortem animę; Quæstio igitur est de operibus tertij generis, scilicet, de operibus bonis ab homine iusto elicitis, mortificatis verò per subsequens peccatum, & sensus est, an nostra opera bona, quæ prius viua fuerunt, & posteà per peccatum mortale superueniens mortificata remanent, possint iterum per pœnitentiam reuiuiscere, itaut iterum vim habeant perducendi ad vitam æternam; Et quidem per veram pœnitentiam omnia opera bona reuiuiscere, & omnia merita per peccatum subsequens mortificata est communis Theologorum consensus, vt latè tradidimus *lib.*2. *disp.7.de Iustificatione q.*10. cum Scoto *4.dist.22.qu.vn. art.* 2. Adhuc tamen verum est valdè inter se dissidere Theologos in explicando, quomodo merita reuiuiscant, & gratia deperdita recuperetur quas omnes difficultates loc.cit. ex professò tractauimus, itaut nihil quoad hanc primam quæstionis partem addendum remaneat, cum omnia ad hunc punctum spectantia sint ibi adamussim discussa, & resoluta iuxtà nostri Doctoris sententiam.

Circà alteram quæstionis partem, an peccata semel per
276 pœnitentiam remissa iterum redeant per subsequens peccatum mortale, sensus est, an prædicta peccata redeant quoad culpam, seu maculam, & quoad reatum, seù dignitatem pęnæ, & in hoc sensu discutitur non tantùm de lege Dei ordinaria, sed etiam de potentia absoluta; Et quidem quamuis de lege Dei ordinaria loquendo communis sit Theologorum consensus peccata semel remissa per subsequens peccatum non redire neque quoad culpam, neque quoad dignitatem pœnæ æternæ, itaut eadem culpa, aut obligatio ad pęnam redeat. Non defuerunt tamen antiquiores, qui dixerunt peccata remissa redire per quoduis peccatum mortale subsequens, ità Hugo de S. Victore, Gratianus, Guglielmus Parisiensis, quod etiam Magister sent. probabile putat; Alij verò apud D.Bon.*4.dist.22.art.*1.*q.* 1. dixerunt peccata remissa redire, non per quoduis mortale subsequens, sed per quatuor tantùm genera peccatorum, quæ sunt, odium fraternum, Apostasia à fide contemptus Confessionis, & dolor de pœnitentia habita. Sed maior adhuc extat difficultas, an saltem redire possint de potentia Dei absoluta; Negant Soto, Vasq. Becanus, Caspensis, Auersa, & alij Recentiores; Affirmant Scotus noster *4.dist.22.qu.vn. art.*1. cum omnibus Scotistis Valentia, Suarez, Amicus, & probabilem putant Coninch. & alij Recentiores; & quæstio in hoc sensu agitari potest, vel de reditu physico actus peccaminosi, an, scilicet, idem peccatum numero præteritum redire possit, vel de reditu morali, an scilicet, idem numero peccatum iam remissum redire possit, non quidem physicè quoad entitatem actus, sed moraliter quod imputabilitatem malitiæ itaut verè quis censeatur maculatus, & à Deo auersus non solùm propter peccatum de nouo commissum, sed etiam propter præterita iam remissa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæstionis Resolutio de facto.

Primò Dicendum est de facto, vtique merita per peccatum mortificata per pœnitentiam reuiuiscere; peccata 277
tamen semel remissa per subsequens peccatum non redire neque quoad reatum culpæ, neq; quoad reatum pęnæ. Conclusio est communis Theologorum consensus contra Antiquiores relatos, & præsertim Scoti *4.dist.22.qu. vn. art* 2. & quidem quoad primam partem satis constat ex dictis *lib.*2. *disp.7.de Iustificatione qu.* 10. quæ hic repetere non oportet; Quoad secundam probat Doctor quibusdam Scripturæ locis, vt Nahum 1. *non consurget duplex tribulatio* vbi legunt septuaginta Interpretes *non puniet Deus bis in idipsum*, at si peccatum semel remissum rediret, idem peccatum bis puniretur, & duplex tribulatio consurgeret. Et Ezech. 18. *si impius egerit pœnitentiam, omnium iniquitatum eius, quas operatus est, non recordabor amplius*, videretur autem Deus recordari, si antiqua peccata reuocaret. Et Micheæ 7. *proyciet Deus in profundum maris omnia peccata vestra*, vbi per maris profunditatem perpetua eorum obliuio significatur. Et Rom. 11. *sine pœnitentia sunt dona Dei* idest nunquam Deum pęniteet donorum, neq; reuocat; quæ semel dedit; si autem redirent antiqua peccata, iam remissio peccatorum reuocaretur, quę est maximum Dei donum. Et quamuis Becanus *cap.32.q.*1. dicat hæc, & similia loca non conuincere, quia possunt exponi de sola remissione præsenti; tamẽ addita communi Theologorum existimatione, & frequenti Doctorum expositione, vt ait Auersa *q.5.sec.*2. valent ad suadendum taliter peccata remitti, ac pęnitus extingui, vt ità se habeat homo, ac si illa non fecisset, & ità non iterùm redeant, nec homini amplius imputentur. Denique id probat Doctor auctoritate Gelasij Papæ, quæ refertur *cap. Diuina de Pœnit. dist.*4. *& cap. si ille* 23. *q.*4. *Diuina clementia peccata semel remissa vlterius in vltionem redire non patitur.*

Sed obijci solent quædam Scripturæ loca, quæ significãt Deum recordari peccatorum quæ remiserat, vt *psal.*78. *Ne memineris iniquitatum nostrarum antiquarum, & psal.*108 *in memoria redeat iniquitas patrum eius.* Deindè Matth. 18. parabola de seruo nequam apertè ostendit peccata redire, nam seruus ille, cui Dominus remiserat vniuersum debitum, posteà traditus est tortoribus, quousque redderet vniuersum debitum iam remissum. Denique merita semel mortificata iterum reuiuiscunt per pęnitentiam; ergo etiam peccata remissa redunt per subsequens peccatum. 278

Respondeo prædicta loca intelligenda non esse de reuiuiscentia culpæ, aut pęnæ æternæ, sed de pęna temporali, quam Deus sæpè differt, itaut humano videatur oblitus; dicuntur verò rememorari, cum ea punit temporali pęna, siuè sint peccata propria, siuè parentum, quia soluta non erant condigna satisfactione. Ad parabolam de seruo nequam ait Doctor *loc.cit.* in solutione ad 1. principale, per illam significari, quod recidiuans eidem pęnæ damnationis adiudicatur, quam habuisset propter peccata priora iam dimissa, & æqualem quantum ad durationem, non autem quantum ad intentionem, quo etiam modo explicat auc-

modo explicat auctoritatem Iacob. 2. *qui in vno offendit, factus est omnium reus*, quantum,ſcilicet, ad æternam damnationem,quæ eſt generalis pœna omnium peccatorum mortalium,non autem quantum ad ſpeciales grauitates ſingulorum iam remiſſorum: addit etiam parabolam indicare antiqua peccata redire, non formaliter, & ſimpliciter quoad propriam culpam, & reatum pœnæ; ſed ſecundum quid, & virtualiter ratione ingratitudinis, vt poſteà dicemus. Ad vltimum ait Doctor magnam eſſe diſparitatem inter merita, & demerita, quia merita per peccatum ſuperueniens non deſtruuntur, ſed tantùm impediuntur, ne habeant effectum in tali homine, ideoque ſublato per pœnitentiam peccato, incipiunt rurſus ſuum effectum habere, quod eſt reuiuiſcere; peccata autem per gratiam ſanctificantem non ſolùm impediuntur, ſed omninò deſtruuntur, & ideò redire non poſſunt: & inquit Doctor hanc eſſe ſuperabundantem bonitatem,& miſericordiam diuinam, quia bona ſemper viuunt in eius acceptatione, & ſemper eſſet eius præmium retribuendum,niſi eſſet diſpoſitio recipientis propter nouam culpam; ſed mala totaliter extinguuntur, itaquod nec in ſe,nec in intellectu, vel voluntate diuina remanent in ordine ad vindictam.

280 Secundò Dicendum eſt, peccata per pœnitentiam dimiſſa regredi per ſubſequens peccatum ſecundum quid ratione ingratitudinis per modum circumſtantiæ aggrauantis.Hæc etiam eſt communis, quam probat Doctor *loco citato ar*.3. quia quanto aliquis recipit ab alio beneficium ſibi magis indebitum, tanto magis ei tenetur lege gratitudinis, etiamſi beneficium receptum ſit minus, & per conſequens magis, ſi beneficium eſt æquale; ſed exiſtenti in peccato mortali, nullius eſt Deus debitor, niſi pœnæ; igitur ſi ſibi gratiam confert, hoc erit donum maximè gratuitè, & liberaliter datum, & præcipuè ſi eſt gratia æqualis gratiæ collatæ alij innocenti; ergo iſte ex lege gratitudinis eſt Deo ſpecialiter obligatus propter hoc donum adeò liberaliter collatum, & per conſequens offendens poſt grauius peccat contrà eum propter ingratitudinem. Dixi autem ob circumſtantiam ingratitudinis in quocunque peccato repertam redire peccata dimiſſa tantum ſecundum quid,& virtualiter,non verò formaliter, & ſimpliciter; quia circumſtantia ingratitudinis, quamuis aliquo modo peccatum aggrauet, quatenus magis ingratus eſt, qui peccat poſt remiſſionem acceptam multorum peccatorum; non addit tamen talis circumſtantia ſpecialem malitiam, niſi quando tale peccatum, in quo reperitur, in contemptum accepti beneficij expreſsè committitur, ſicut neque in inobedientia ſpeciale committitur peccatum, niſi quando non obeditur ex ſuperioris contemptu, vel ex animo expreſſo ei non parendi, ergo in ingratitudine generali in quocunque peccato reperta ſpecialis circumſtantia non inuenitur,ob quam peccata remiſſa redeant quoad malitias ſpeciales, & pœnæ reatus; & ità ſignificauit Doctor *loc. cit. art.3.ſub lit.P.* cùm inquit, quod iſto modo iam explicato omni peccato coniungitur inobedientia, & contemptus, & odium Dei, & ingratitudo, & huiuſmodi, non quod peccator tunc habeat actum pertinentem ad ſingula iſtorum ideſt expreſſam intenſionem non parendi, affectum contemnendi beneficium &c.

281 Hinc ſequitur nec propter circumſtantiam ingratitudinis ſemper eſſe tantum reatum peccati ſubſequentis, quantus erat peccatorum præcedentium, quia ingratitudo ſolùm auget ſubſequens peccatum intra eamdem ſpeciem, ſicut ergo ſubſequens peccatum aliquando eſt inferioris, aliquando ſuperioris ſpeciei, quàm erant præcedentia, ſic etiam reatus illius aliquando eſt maior, & aliquando minor; Nec etiam ratione ingratitudinis, quæ per ſubſequens peccatum incurritur, peccata commiſſa redeunt nec quantum ad culpam; nec quantum ad pœnam, non quantùm ad culpam, ſeù maculam, quia licet etiam hæc in priuatione gratiæ poneretur aliquo modo conſiſtere, ſaltem connotatiuè, & concomitanter, eſtò per ſubſequens peccatum re vera redeat quoque priuatio gratiæ, tamen hæc priuatio rationem maculæ habere non poteſt, niſi inquantùm relata ad actuale peccatum de nouo commiſſum, quatenus ex illo orta, & cauſata, ſiquidem non redit ex vi priorum peccatorum, ſed tantùm de nouo prouenit ex nouo peccato, atque ideò macula ſemel deleta non redit. Nec etiam peccata remiſſa ratione ingratitudinis redeunt quantum ad pœnam,eam ſcilicet, quæ remiſſa fuit,nam illa pœna comitabatur culpam, & cum culpa receſſit, & hoc non ſolùm de pœna ſenſus intelligendum eſt, ſed etiam de pœna damni; quia licet per peccatum ſubſequens priuationem gloriæ in qua pœna damni conſiſtit,peccator de nouo incurrat, tamen priuatio gloriæ non eſt pœna,niſi prout oritur ex merito culpæ: at homo de nouo peccans priuationem gloriæ iterum non incurrit propter priora peccata, ſed ſolum ob nouum peccatum,ſicut de priuatione gratiæ dictum eſt, ergo hæc noua gloriæ priuatio iam non erit pœna priorum peccatorum, ſed tantùm noui peccati poſt iuſtificationem commiſſi. Adhuc tamen verum eſt, quod ſicut in peccato ſequenti grauatur malum culpæ ratione circumſtantiæ ingratitudinis, ita etiam grauatur malum pœnæ,quoniam grauiori peccato maior debetur pœna tam æterna; quàm temporalis, & in hoc intelligendum eſt non tantùm de pœna ſenſus, ſed etiam de pœna damni, non quantùm ad id, quod priuat,quia omnes damnati æqualiter beatitudine priuantur, ſed quantum ad amaritudinem, & triſtitiam ſequentem hanc priuationem, quæ maior eſt in vno, quàm in alio ratione grauitatis peccatorum.

Sed Dices, ſi Deus punit hoc ſecundum peccatum grauius, quàm puniret, ſi nulla præceſſiſſet aliorum remiſſio, ratione circumſtantiæ ingratitudinis, quæ per ipſum incurritur; ſequeretur peccatum minus graue magis, vel æquè puniri, ac magis graue,quod diuinæ iuſtitiæ repugnat; conſequentia probatur, quia grauius eſt homicidium, quàm furtum, & iuxtà prædictam doctrinam ſi furtum committatur poſt homicidium remiſſum grauius punietur,vel æquè, ac ipſum homicidium fuiſſet puniendum,ſi homicida abſque remiſſione mori contigiſſet. 282

Reſpondet Aretinus *4.diſt.22. quæſt.vn. art.* 3.prædictam concluſionem eſſe intelligendam ad hunc ſenſum, quod peccatum commiſſum poſt pœnitentiam ſit grauius, non quocunque peccato remiſſo vniuerſaliter loquendo,ſed alio peccato eiuſdem ſpeciei v.g. furtum commiſſum poſt homicidium dimiſſum eſt grauius cæteris paribus alio furto, non tamen eſt grauius ipſo homicidio iam dimiſſo, itaquod fieri debet comparatio non cum peccato dimiſſo, ſed cum alio eiuſdem ſpeciei; Verùm nullum video inconueniens, quod furtum commiſſum poſt homicidium dimiſſum dicatur illo grauius ratione circumſtantiæ ingratitudinis, quæ eſt cum furto annexa:ſicut furtum rei ſacræ,vel in loco ſacro,licet ex obiecto ſit peccatum minus graue, quàm ſit homicidium, tamen ratione circumſtantiæ loci ſacri dici poteſt grauius ex hoc capite ipſo homicidio,& hoc vniuerſaliter verificatur in omnibus peccatis attenta malitia ex circumſtantijs contracta.

At hic inſurgit dubium,an ratione ingratitudinis grauius ſit peccatum poſt pœnitentiam commiſſum, vel poſt innocentiam; D.Thomas, quem ſui ſequuntur, 3.*part. quæſt.*88. *artic.* 2. ſignificat grauius eſſe peccatum poſt pœnitentiam commiſſum,quàm poſt innocentiam. Ratio eſt, quia ingratitudo non tantùm ſpectatur ex parte doni, vel beneficij accepti,ſed etiam ex parte accipientis illud; vndè ſicut in gratitudo tanto maior eſt, quantò maius eſt donum, ſeù beneficium acceptum; ſic etiam tantò maior eſt,quantò magis indignus eſt,qui beneficium accipit, quia magis obligatur ad gratitudinem; Cùm ergò remiſſio peccatorum conferatur homini magis indigno, quàm donum Innocentiæ, magis etiam obligat ad gratitudinem; ergo qui peccat poſt remiſſionem,& pœnitentiam,grauius peccat ratione ingratitudinis quàm qui peccat poſt innocentiam; Pro reſolutione huius difficultatis.

Tertiò Dicendum eſt, grauius peccare ratione ingratitudinis cadentem ab innocentia,quàm à pœnitentia. Eſt Scoti cum ſuis *art.3.citat.*quod probat, quia tantò aliquod peccatum eſt grauius,quantò beneficium acceptum eſt maius; ſed longè maius beneficium eſt conſeruare aliquem in ſtatu innocentiæ poſt baptiſmum,quàm dediſſe donum pœnitentiæ poſt peccatum,vndè maius beneficium,inquit Doctor,contulit Deus ſuæ Matri, quam Magdalenæ; ergò grauius peccat qui cadit ab innocentia,quàm qui à pœnitentia. 283

Confirmatur,quia quantò ſtatus eſt perfectior, tantò lapſus eſt grauior, ſed perfectior eſt ſtatus innocentiæ, quàm pœnitentiæ,vt patet, nam ſingularis eſt gloria,& ornatus in Beatis nunquam cecidiſſe,ergo &c. Tandem beneficium innocentiæ includit etiam beneficium pœnitentiæ, ſiquidem cõſeruare aliquem in ſtatu innocentiæ eſt ei quodammodo remittere peccata, quæ comiſiſſet, niſi præſeruatus fuiſſet, ſicut enim dicimus B. Virginem fuiſſe ab originali redemptam,

ptam, non quidem contracto, sed contrahendo, nisi præseruata fuisset; sic pariter cũ veritate dicere possumus, quod innocenti sunt dimissa peccata, non commissa, sed committenda, si non præseruaretur; hinc D. Aug. 10. Confess. dicebat, *Gratiæ tuæ Domine reputo quæcunque peccata non feci*, & consonat, inquit Doctor, glossa eiusdem super illud, *& commissa, & non commissa donantur*; ergo peccata non commissa dicuntur quodammodo dimissa, quia homo præseruatur, ne cadat.

Hinc patet ad fundamentum oppositum, quamuis enim pœnitentia aliquem sortiatur excessum ex parte recipientis, quia nimirum confertur indigno, tamen hic excessus non est par, sed citerior illo excessu, & dignitate, quæ includitur in dono innocentiæ, & non datur per beneficium pœnitentiæ. Neque adhuc sufficienter probatum est ab Aduersarijs, quod ille excessus ex parte recipientis, ità superet excessum doni innocentiæ secundum se, vt constituat maius beneficiũ simpliciter; dicunt enim ideò maius esse beneficium remissionis peccatorum dono innocentiæ, quia magis gratuitò confertur, siquidem donum pœnitentiæ confertur indigno; quod totum vtique verum est, sed hinc non sequitur, vt dicebam, quod dici debeat maius beneficium, quàm sit innocentia, simpliciter, & absolutè loquendo, sed tantùm secundum quid, nam donum quoque innocentiæ, licet non conferatur indigno positiuè, vt donum pœnitentiæ, confertur tamen indigno negatiuè, scilicet, non digno. Tùm quia, si etiam consideremus beneficium ex parte subiecti, & recipientis, eius maioritas, & minoritas potiùs ex maiori, vel minori commodo, quod illi affert, attendi debet, quàm ex eius maiori, vel minori indignitate ad illud recipiendum; maius autem est commodum ex præseruatione à peccato, quàm ex liberatione à peccato incurso; quamuis ergo verum sit peccatum inducere indignitatem positiuam in recipiente, quia confertur gratia inimico, & quoad hoc sit excessus, tamen hic ipse excessus attenditur perfectius, & eminentius in præseruatione, qua quis præuenitur, ne fiat inimicus, vndè præseruatio, vt respicit peccatum, quod inesset, maius est beneficium, & maiorem inducit obligationem gratitudinis, & consequenter peccatum innocentis cæteris paribus esset grauius ex hac circumstantia ingratitudinis.

284 Quartò tandem dicendum est, quod si loquamur de eo, quod iam ordinariè fit apud Christianos, semper maior est ingratitudo peccantis post remissionem, quàm post innocentiam baptismalem; Et ratio est, quia qui iam peccat post remissionem, non solùm peccat post acceptum beneficium remissionis, sed etiam post beneficium innocentiæ baptismalis, atque ideò duplici titulo censetur ingratus, & grauius peccat ex hac circumstantia, vt notauit Becanus *c.*34.*q.*4.

Sed hic occurrit difficultas, an peccator, qui damnatur ob aliquod mortale peccatum, in quod prolapsus est post obtentam peccatorum præcedentium remissionem, perpetuò puniendus sit, non solùm pro peccato, in quod prolapsus est, verum etiam pro peccatis anteà dimissis.

Respondent Thomistæ passim, quos sequitur Bonacina *disput.*5. *quæst.*6. *sec.* 3. *pun.* 3. puniendum esse non solùm pro mortali, in quod lapsus est post obtentam aliorum remissionem, verum etiam pro peccatis quoad culpam dimissis, pro quibus nondùm in hac vita satisfecit, quo etiam modo discurrunt de pœna venialis coniuncti cum mortali; Ratio est, quia licet pro peccatis mortalibus quoad culpam dimissis debeatur pœna tantummodò temporalis; tamen per accidens pœna fit æterna, quia cùm pœna tollatur satisfaciendo, & in inferno non sit satisfactio, sequitur damnatum ob peccatum commissum post obtentam aliorum præcedentium remissionem perpetuò puniendum esse, non solùm pro peccato, in quod relapsus est post præcedentium remissionem; verùm etiam pro peccatis anteà remissis, pro quibus in hac vita non satisfecit. Secus si pro ipsis in hac vita satisfactionem præstitit, nulla enim in tali casu debetur pœna pro peccatis quoad culpam, & quoad pœnam remissis, nisi fortè ratione ingratitudinis.

Negatiuè tamen respondendum est cum Doctore 4. *dist.* 21. *q.*1 *lit.* D. vbi inquit inconueniens non esse pœnam debitam veniali habere terminum in Inferno, quia etiam verè pœnitens primò de mortali, & partem pœnitentiæ impositæ explens, & antè totam expletam recidiuans in mortale, etiam in illo mortali decedens pro parte pœnitentiæ residua explenda soluet pœnam in Inferno, sed non nisi temporalẽ, quia ex quo in remissione priorum peccatorum commutabatur debitum pœnæ æternæ in debitum pœnæ temporalis nunquam iste est debitor, nisi pœnæ temporalis, & per consequens pœna temporali soluta, erit liber ab istis; Et licet non sit ibi satisfactio, est tamen satis passio, quæ ad hoc sufficit, nam pœna solui potest, quantùm iustitiæ debetur per solam satispassionem inuoluntariam, vt declarat Doctor 4. *dist.* 15. *q.*1. *ar.*4. exemplo illius, cui ob offensam in Principem inuitò manus abscinditur, hoc enim adeò sufficit Principi, quod secundum legem, & iustitiam non debet de eo pœnam exigere vlteriorem, vt latè iam declarauimus *l.*2. *disp.*6. *de peccatis q.*8. *art.* 1. Et quidem iuxtà hanc nostram sententiam longè melius defenditur, quod peccata dimissa non redeunt per subsequens peccatum quoad reatum pœnæ; quàm in opposita asserente pœnam hic non solutam mortalis iam dimissi, in inferno prosequi debere æternaliter; Parum enim refert dicere, quod per accidens talis pœna fiat æterna ratione peccati subsequentis, cum quo peccator ex hac vita decedit; hoc enim est, quod quæritur in præsenti, an peccata dimissa saltem per accidens ratione peccati subsequentis redire possint de potentia ordinaria quoad culpam, vel saltem quoad pœnam; igitur eo ipso, quod conceditur redire posse quoad reatum pœnæ ratione peccati subsequentis, cum quo peccator ex hac vita decedit, iam absolutè conceditur quod simpliciter redire possint etiã de potentia ordinaria quoad reatum pœnæ; vt benè Almainus noster aduertit 4. *dist.* 22. *q. vn. art.* 2.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quæstionis Resolutio de possibili.

IAm diximus ab initio quæstionis controuersiam hanc esse posse, vel de reditu physico actus peccaminosi quoad entitatem actus, vel quoad moralem imputabilitatem; Scotus 4. *dist.* 22. *cit. quæst. vn. art.* 1. non resoluit quæstionem in primo sensu, sed tantùm in secundo; Faber *disput.* 41. *cap.* 1. etiam quoad hanc partem quæstionem affirmatiuè resoluit, nempè quod ipse actus peccaminosus, seù culpa actualis pro formali de potentia Dei absoluta potest eadem numero redire post eius remissionem, vt modò fit; quod probat ex eo quod docet Doctor 4. *dist.* 43. *quæst.* 1. *art.* 2. vbi probat eundem effectum, & idem corpus iam corruptum posse idem numero redire per potentiam Dei absolutam, & similiter, quod accidentia omnia, quæ inerant, possunt eadem numero redire, ex quo principio sic arguit; culpa actualis pro formali est carentia rectitudinis debitæ tali actui, quæ est priuatio, seù accidens priuatiuum concomitans illum actum; sed sic est, quod Deus potest facere redire eundem actum positiuum, & quoad materiale eundem numero, ergo potest facere, quod eadem deformitas, & inordinatio, quæ prius fuit in illo actu redeat eadem numero; Hoc idem defendit Amicus *disput* 7 *sec.* 2. consimili ratione. Sed pro resolutione. 285

Primò dicendum est, quod licet idem actus numero, quod est materiale peccati possit idem numero redire quãtum ad entitatem, & substantiam actus, non tamen quantùm ad malitiam, & deformitatem; Ità Almainus, Aretinus, Hiqueus, & Scotistæ alij passim *d.*22. *cit.* Et quidem quoad primam partem clarè deducitur ex illo generali principio, iam in Physicis probato, quod de potentia Dei absoluta potest idem numero effectus reproduci, quarè sicut Deus eundem calorem reproducere potest, ità eundem actum, qui erat malus, potest reproducere, atq; ità redibit in esse actus, & entitatis, sed non in esse peccati. Quod verò quantum ad malitiam, & deformitatem reproduci nequeat solidè probat Almainus, quia non potest idem actus numero redire etiam in ratione qualitatis, nisi per Dei omnipotentiam, & per quendam specialem concursum præter rerum ordinem, & exigentiam, aliàs rediret naturaliter sine miraculo; sed implicat contradictionem, quod Deus specialiter concurrat ad istum actum, & quod iste actus sit malus malitia culpæ, quia tunc æqualiter aliquis efficeretur malus auctore Deo, sicut efficitur bonus, cuius oppositum docet August. *lib.* 83. *qu.* 3. dicens, quod Deo auctore nemo fit deterior; ergo non est possibile eundem numero actum redire quantùm ad esse culpæ, seù quantùm ad malitiam, nam repugnat diuinæ bonitati vti miraculis ad procucendum actum peccati. 286

Respon-

Respondet Amicus *loc. cit.* in hoc nullam esse repugnantiam, etenim sicut nulla est repugnantia, vt Deus creaturam determinet ad hanc, vel illam indiuiduationem actus peccati, ità nec vt illam determinet ad eãdem numero indiuiduationem corruptam; & sicut non repugnat, quod reproducat eundem numero actum absolutè loquendo, ità neque repugnat, vt reproducat eundem numero actum peccati ex suppositione, quod creatura liberè velit se determinare ad eandem speciem actus. Verum aliqui dicunt id repugnare, quia Deus determinando creaturam ad hunc actum indiuiduum peccati, diceretur causa talis peccati saltem in indiuiduo, si non in specie; Sed admittendo quod Deus suo concursu vniuersaliter loquendo determinat liberum arbitrium ad indiuiduum actus, vt saluetur possibilitas operandi liberi arbitrij, quæ nequit ex infinitis possibilibus eiusdem perfectionis indiuiduis, nisi ad aliquod illorum determinetur à Deo, vnum præ alijs producere, vt dictum est *lib. 2. disp. 1. quæst.* 3. de concursu Dei cum causis secundis; adhuc admitti nequit posse cum libero arbitrio eundem actum peccaminosum reproducere quantum ad malitiam, & deformitatem quia reproducendo eundem numero concursum cum libero arbitrio, id non faceret vt causa vniuersalis, sicut modo facit, neque per concursum generalem, quia id non faceret iuxtà naturalem rerum exigentiam; sed hoc faceret vt causa particularis, & per concursum specialem suprà naturalem rerum ordinem; implicat autem Deum esse causam particularem actus peccaminosi, & miraculis vti ad producendum actum peccati, quod licet libenter deglutiat Amicus, mihi tamen videtur valdè absurdum, & diuinæ bonitati repugnans.

287 Neque ratio Fabri adducta contrà præmissa concludit, quia licet idem actus numero rediret, non tamen eadem malitia rediret in numero, sed alia per differentem numero voluntatis conatum de nouo repetitum, vt ait Hiqueus; quarè non rediret propriè loquendo idem numero indiuiduum peccati moraliter quamuis physicè esset idem; quia quantùm ad determinationem, & conatum voluntatis, esset nouum exercitium libertatis, & in pœna, & malitia æquiualeret pluribus numero peccatis, nec consequenter esset eadem priuatio numero, sed diuersa, & esset defectus nouus, non antiquus liberi arbitrij, licet physicè esset idem actus.

Secundò dicendum est, implicare etiam de potentia Dei absoluta redire eadem peccata remissa per subsequens peccatum quoad imputabilitatem, & ordinationem ad pœnam, posita remissione prout de facto fit, posse tamen redire, si Deus alio modo remitteret, nimirum si remitteret culpam, non absolutè, sed sub hac conditione, quod iterum homo non peccaret; Ità Doctor *loco citato art. 1. lit. B.* Almainus, Aretinus, Hiqueus, & alij Scotistæ ibidem, & Amicus, ac Suarez, & alij Recentiores: ratio est, quia de facto remissio fit absolutè absque vlla conditione de futuro; implicat autem facta remissione absolutè sub nulla cõditione de futuro ea redire quoad imputabilitatem, quia vt discurrit Amicus *loc. cit.* ex doctrina Scoti, vt possint redire quoad imputabilitatem, debent non esse omninò, & absolutè deleta, nam quod est absolutè deletum omninò non est; ergo redire non potest reditu morali, & per imputabilitatem, quia hic reditus non fit per actionem physicam peccata præterita reproducentem, sed per moralem resultantiam, vt ea, quæ ad peccatum non imputabantur, incipiant ad peccatum imputari, quod autem hoc modo redit, supponitur non esse in se absolutè deletum, sed tantùm sub conditione; & ità etiam Doctorem intelligit Suarez *disp. 13. sec. 1. n. 10.*

At inquit Faber falsum esse hanc esse Scoti intentionem, loquitur enim Scotus de peccato absolutè sumpto, & ait illud per potentiam Dei absolutam redire posse; & cùm ait Deum posse velle dimittere culpam pro alio tempore sub hac conditione, si iterum nõ offendat, non vult dicere, quod dimittat peccatum, non absolutè, sed sub conditione illa; sed vult dicere, quod potest dimittere pœnam absolutè, & non determinare, si iterum offendat, nolle punire, sed potest absolutè pœnam dimittere abstrahendo ab hoc, quod offendat, vel non offendat; & hanc esse Doctoris intentionem deducit ex replica contrà responsionem primam tacitam datam de seruo manumisso, nam seruus manumissus absolutè liberatur, non sub conditione, tamen si offendit, offensa illa meretur redire ad seruitutem, non quia liberatio illa fuerit conditionata, sed quia liberatio illa absoluta non tollit, quin pœna per offensionem accedentem redire non possit. Quãdò igitur Doctor asserit peccata dimissa per potentiam Dei absolutam redire posse quoad imputabilitatem, & ordinationem ad pœnam, ità Faber intelligit, vt non intendat Doctor aliquem modum remissionis diuersum ab eo, qui est de præsenti, & secludat omnem conditionem, itaut quamuis absolutè, & sine vlla limitatione fiat remissio pœnæ: tamen de potentia absoluta Deum posse facere, vt eadem reuiuiscat quia sibi libertatem non ademit, & potestatem iterum puniendi, si vellet.

Cæterum argumentum Doctoris, quo probat peccata dimissa de potentia Dei absoluta redire posse quoad imputabilitatem, & ordinationem ad pœnam, expresè includit diuersum modum remissionis, & conditiones, sicut etiam eandem includit conditionem manumissio serui, saltem implicitè, vt patebit in probatione sequẽtis conclusionis; Hanc etiam esse Doctoris intensionem rectè colligitur Hiqueus ex 2. *art.* illius quæstionis, in quo docet de potentia ordinaria non posse redire peccatum dimissum quoad pœnam æternam, quia quando possibilitas alicuius effectus ad potentiam Dei absolutam reducitur, sumitur potentia Dei in sensu diuiso, & vt præscindit à determinatione particulari, & opposita, quam habet iuxtà præsentem prouidentiam, impossibilitas ergo reditus pœnæ æternæ iam remissæ, & fundata in potentia ordinaria, reducitur ad voluntatem Dei, qua absolutè remittit illam pœnam cum peccato, & consequenter absoluta remissio inducit semper eundem effectum, & impossibilitatem oppositi. Altera conclusionis pars probatur in sequenti.

Tertiò dicendum est, de potentia Dei absoluta loquendo posse redire eadem peccata remissa per subsequens peccatum quoad imputabilitatem, & ordinationem ad pœnam, supposito diuerso remissionis modo ab eo, qui nunc fit, nimirum si remitteret culpam non absolutè, sed sub hac conditione, quod iterum homo non peccaret. Ità Doctor *loc. cit.* quod probat; quia potuit Deus ea conditione nobis peccata remittere, vt de nouo peccantibus redirent priora remissa quoad moralem imputabilitatem; sed si hoc modo remitterentur, verè illa reipsa delerentur, per gratiam, & rursus amissa gratia eadem redirent per moralem imputabilitatẽ, ergo &c. maiorem probat Doctor, quia voluntas mea hoc potest velle, scilicet, istum primò ordinare ad pœnam, & secundò velle non ordinare ad pœnam sub conditione, scilicet, si iterum non offendat, & si iterum offendat, velle eum ex tunc ordinare ad eandem pœnam: ita ergo diuina voluntas potest velle, quod si quis peccat, & pœnitentiam agat, non sit amplius pœnæ æternæ reus; si tamen relabitur, ordinetur ad eandem pœnam, sicut prius, quo facto idem reatus, idest, eadem obligatio ad pœnam eandem, & ex eadem causa eadem numero redire potest; quamuis enim sit obligatio pro alio tempore, non sequitur, quod sit alia obligatiò, quia est ad eandem pœnam, & ex eadem numero causa. 288

Confirmat id Almainus *loc. cit.* qua etiam ratione vtitur Amicus, quia non repugnat præterita merita peccato abolita eadem numero reuiuiscere, vt supradictum est; ergo nec demerita gratia condonata redire eadem numero, sicut ergo quando quis cadit à gratia ità mortificantur merita præcedentia, quod amplius non acceptantur à Deo secundùm præsentem iustitiam ad vitam æternam, & nihilominus si posteà resurgat, acceptantur à Deo secundum præsentem iustitiam ad eandem gloriam, ad quam acceptabantur, antequam à peccato mortificarentur, & quidem ad eamdẽ gloriam numero, & ratione eiusdem numero actus. Ità pariter posset Deus statuere, quod qui peccauit, si pœnitentiam agat, non amplius ob illud peccatum ad æternam pœnam ordinetur, sed si relabitur, ad eamdem rursus numero pœnã ordinetur, vt prius: Et quidem hæc paritas negari non potest nam sicut meritum destruitur per peccatum, ità peccatum deletur per gratiam, cùm non minus iustus desinat esse talis superueniente peccatò, quàm peccator desinat esse talis superueniente gratia: sicut ergo possunt priora merita peccato abolita, superueniente gratia reuiuiscere in ratione meriti; sic & priora demerita abolita per gratiam, superueniente peccato reuiuiscere in ratione demeriti.

Respondet Vasquez *quæst. 89. articul. 5. dub. 1.* negando paritatem, quia non eodem modo peccatum destruit meritum, ac meritum iustificans destruit peccatum, nam efficacius est meritum ad destruendum peccatum, quàm peccatum ad destruendum meritum, quia meritum destruit pec- 289

catum

catum satisfactione condigna; Quod autem condignè satisfactum est, non potest amplius iustè exigi; peccatum autem non destruit meritum destructione condigna, quia non tollit, quin meritum semel in gratia factum semper ius habet præmium, licet tale ius impediatur peccato, quo sublato statim ius redit ad præmium, quæ etiam est doctrina Scoti in hac quæstione *art.* 2. *sub F.*

Cæterum hoc totum verum est de facto, & ex ordinatione diuina, non verò ex natura rei; quod enim de facto peccatum non tollat, quin meritum semel in gratia factum semper ius habeat ad præmium, non prouenit ex natura rei, sed ex ordinatione diuina, vt docet D. Bonau. 4. *dist.* 14. *part.* 2. *quæst.* 3. *art.* 2. & ità etiam loquitur Scotus *loc. cit.* vbi inquit, quod licet hoc aliquo modo possit reduci ad iustitiam, principalius tamen prouenit ex superabũdanti bonitate, & misericordia diuina; Etenim simpliciter, & absolutè loquendo, præcisa ordinatione diuina, falsum est efficacius esse meritum ad destruendum peccatum, quàm peccatum ad destruendum meritum; etenim, vt arguit Amicus *loc. cit.* vel loquimur de efficacitate physica, vel morali; si de prima, eodem modo seinuicem expellunt peccatum, & meritum iustificans, sunt enim contraria, quorum non minus vnum aliud expellit, quàm contrà, & hoc præsertim in sententia asserente gratiam, & peccatum ex natura rei opponi, si verò sit sermo de morali, efficacius est peccatum simpliciter, & absolutè loquendo ad destruendum meritum, quàm è contrà, quia indignius est peccatum, vtpotè contrà Deum, quàm sit dignum meritum, vtpotè ab homine; ergò efficacius est peccatum ad destruendum moraliter meritum, quia maiorem ponit indignitatem in subiecto, vi cuius destruatur meritum, quàm ponat dignitatem meritum, vi cuius destruatur peccatum; quod si oppositum de facto accidit, hoc prouenit principaliter ex superabundanti bonitate, & misericordia diuina, vt inquit Doctor *locis citatis*.

190 Ex his ergo patet, quomodo de potentia absoluta possit redire obligatio ad eandem pœnam in recidiuante, & quomodo possit Deus peccata remittere sub conditione, si iterum homo non peccauerit; Nunc igitur restat vlterior difficultas. An etiam in non recidiuante possit eadem numero obligatio ad pœnam redire, hoc est, an Deus possit peccata remittere ad certum tempus, quo elapso statim illa quoad pristinam culpam, & moralem imputabilitatem redirent independenter ab vlla conditione, & nouo peccato ipsius hominis. Negant aliqui, quia in eo casu præterita peccata, non redirent voluntate hominis, sed Dei, hoc autem videtur impossibile, cùm Deus non modò nequeat esse auctor peccati, sed neque reditus peccati, cùm ipse reditus peccati sit moraliter malus, & peccaminosus.

Confirmatur, quia non potest peccatum semel efficaciter à peccatore retractatum sub ratione culpæ, & moralis imputabilitatis redire, nisi opposito actu ab eodem retractetur prior peccati retractatio. Tandem, quia Deus de potentia absoluta nequit punire pœna per punitionem, quæ sit actus iustitiæ vindicatiuæ, & ex motiuo eius, nisi supposito debito pœnæ in reo; si ergo est semel à peccato absolutus, ac pœna ei debita, nequit iterum redire pœna eadem sub ratione pœnæ propriè dictæ, quia hæc supponit culpam. Pro resolutione difficultatis huius.

191 Quartò dicendum est, Deum de potentia absoluta posse ad certum tempus peccata dimittere, quo elapso redeat rursus obligatio ad eandem pœnam independenter à nouo peccato. Ità Doctor *loc. cit. art.* 1. in fine, dùm inquit, quod potest de potentia Dei absoluta peccatum idem numero redire, non solùm in recidiuante, sed in non recidiuante; sequuntur Scotistæ passim, & Amicus *loc. citat.* cum alijs Recentioribus; Ratio est, quia nulla apparet repugnantia, cur non possit Deus suam gratiam infundere, ac proindè offensam condonare, & hominem in sui amicitiam recipere, & post aliquod tempus eandem gratiam ab eo subtrahere, non ob nouum peccatum, sed in odium præteritæ offensæ, non absolutè, sed ad certum tempus condonatæ; Et in tali casu loquitur Doctor *loc. citat.* vt exponit Hiqueus, quando, scilicet, talis remissio pœnæ esset à Deo pro tempore aliquo determinato, itaut pœna non remitteretur absolutè, & simpliciter pro omni tempore, sed pro aliquo tantùm, & reuiuisceret pro tempore sequenti; tunc enim expirato tempore remissionis rediret pœna etiam propter peccatum præteritum; & in hoc non est repugnantia, vt dicebam, quia remissio pœnæ pro aliquo tempore tantùm esset beneficium collatum peccatori, & obligatio ad pœnam pro alio tempore, si superuenisset, esset ex debito peccati præteriti, & remissi pro tempore præcedenti; posset ergo ex tali modo remissionis redire pœna, seù debitum eius etiam in non recidiuante, vt inquit Doctor.

Respondent repugnantiam esse, quia implicat Deum per gratiam, vt amicum ad hominem conuerti, eique offensam condonare, & adhuc contrà eum odium inimicitiæ pro futuro tempore propter eandem offensam sibi reseruare; nam simul esset amicus propter amicabilem conuersionem, & inimicus per odium, quod contrà eundem pro futuro tempore, sibi reseruaret; tùm quia simul remitteret offensam per infusionem gratiæ iustificantis, & non remitteret offensam per odium, quod adhuc contrà talem hominem retineret pro tempore futuro.

Sed falsum est omninò, Deum in tali casu simul fore amicum, & inimicum pro eodem tempore, & respectu hominis eodem modo se habentis, etenim vt scitè discurrit Amic. *loc. cit.* esset amicus pro vno tempore, & inimicus pro alio; diligeret hominem, vt amicum, præditum sua gratia, & odiret eundem, vt inimicum, sua gratia priuatum in pœnam peccati præcedentis non absolutè condonati, sed ad certum tempus; quemadmodum de facto eundem reprobum diligit Deus, vt amicum secundum præsentem iustitiam, & odit vt inimicum secundum futura demerita; Et falsum omninò est, quod dicebatur in responsione, Deum pro præsenti tempore retinere odium contrà talem hominẽ, pro tempore inquam, determinato remissionis peccati; nam ius tantùm retineret ad illud resumendum pro futuro tempore per subtractionem suæ gratiæ in pœnam peccati præcedentis de nouo redeuntis, sicut modò facit in reprobo secundum præsentem iustitiam iustificato, ius autem ad futurum odium resumendum contra peccatorem in pœnam peccati præcedentis non repugnat cum præsenti dilectione amicitiæ; quod adhuc magis patebit in solutione argumentorum contrà præcedentem conclusionem.

Hinc patet ad rationes oppositæ sententiæ; Ad primam negatur maior, quod in eo casu peccata hoc modo condonata redirent sola voluntate Dei, & non hominis, quia Deus in tali casu non esset causa reditus peccati per se influens in peccatum, sed solùm quatenus peccata non essent ab ipso absolutè remissa, sed tantùm pro certo, & determinato tempore; hæc autem non absoluta remissio, sed pro tali, & tanto tempore, mala non est, cùm iure Deus possit illam absolutè non concedere, sicut etiam potest omninò eam non concedere, & pro nullo tempore, cùm enim remissio peccati fiat per infusionem gratiæ, talis remissio est gratuita, & ex Dei liberalitate procedens, non ex iustitia; atque ideò nullum est absurdum, quod ex hac sola Dei voluntate non absolutè peccatum remittente, sed tantùm pro tempore determinato, eo elapso peccatum pristinum redeat. 192

Ad Confirmationem negatur assumptum, quia peccatum in ratione offensæ, & iniuriæ contra Deum, sola peccatoris retractatione tolli nequit, sed præterea etiam à Deo remitti debet per gratiæ infusionem; vndè sicut Deus etiam posita peccatoris retractatione potest illud non remittere, quia remissio talis gratuita est, vt modò dicebamus, ità potest illud ad certum duntaxat tempus condonare.

Dices, vt talis offensa redeat culpabilis, debet redire, vt voluntaria ipsi peccatori, sed in tali casu voluntaria nõ esset, nec noua voluntate priorem pœnitentiam retractante; nec pristina voluntate, qua primò commissa fuit, quia hæc supponitur efficaciter retractata per contritionem.

Respõdeo talem retractationem peccatoris non meruisse de condigno, & efficaciter peccati remissionem, sed tantùm de congruo, & sufficienter; & ideò quia hac ratione ex sola Dei volũtate pendet, vt peccatoris retractatio acceptetur, vel non acceptetur pro offensa sibi illata; ità ab eadem sola pendet, vt acceptetur pro vno tempore, non pro alio; vndè in hoc casu rediret voluntaria pristina voluntate, qua primò fuit commissa, quia pro solo tempore præcedenti fuit acceptata, & non pro sequenti. Ad vltimum negatur consequentia, quia sola remissio absoluta repugnat reuiuiscentiæ debiti, & pœnæ, nam autem remissio ad certum tempus limitata, nam tali tempore expirato posset redire debitum, & pœna adhuc propter peccatum præteritum.

Postremò contra principalem huius quæstionis resolutionem, 193

nem, quod de potentia Dei abſoluta poſſint redire peccata iam remiſſa per ſubſequens peccatum, ſi nimirum culpam abſolutè non remitteret, ſed ſub hac conditione, quod iterũ homo non peccaret, arguunt Aduerſarij. Primò, quia implicat Deum verè, & reipſa, offenſam condonare, & nihilominus in eam ius odij, & indignationis ſub conditione retinere; ergo huiuſmodi conditionata peccatorum remiſſio omninò implicat, ſed abſoluta eſſe debet, vt ſit vera, & realis remiſſio; probatur aſſumptum, quia tale ius impedit totalẽ, & amicabilem conuerſionem Dei ad peccatorem, nam totaliter, & amicabiliter ad alium conuerti eſt, non modò vllum odium, ſed nec ius vllum ad odium contrà offendentem ſibi reſeruare, etenim hoc ipſo, quod offẽſus propter offenſã ius aliquod odij, & indignationis contrà offendentem ſibi reſeruat, non cenſetur offenſam totaliter, & ex animo cõdonaſſe, ſed adhuc propter illam manere infenſus, & auerſus ab offendente in quo etiam remaneret aliquod debitum incurrendi huiuſmodi odium.

294 Confir. nam ideò materia peccato mortificata non manẽt extincta, ſed tantum ſopita, & ſuſpenſa quoad ius, quod habent ad gloriã, quia manent cum obligatione redeũdi ad proprium Dominum ſub conditione, ſi condignam de peccato egerit pęnitentiam; ergò pari modo in caſu noſtro ideò præterita peccata nõ manebunt extincta, ſed tantùm ſopita, & ſuſpenſa quoad moralem imputabilitatem culpæ, & reatus pęnæ ęternę, quia manent cum obligatione redeundi ad proprium authorem ſub conditione, ſi iterum peccauerit. Tandem quod poteſt redire non eſt in ſeipſo deſtructum, cùm implicet, quod in ſeipſo deſtructũ eſt, redire poſſe ſine noua actione reproductiua; ergo ſi peccatũ præteritum poteſt redire quoad antiquam culpam, & moralẽ imputabilitatem abſq; noua ſui reproductione; nondùm quoad culpã deſtructum eſt, ac proindè nec reipſa diuina condonatione extinctum, ſed tantùm ſopitum, & ſuſpenſum, donec poſita conditione poſſit auctorem ſuum inficere, & maculare.

Reſpondeo minimè implicare talem remiſſionis per modum conditionatum cum vera, & reali remiſſione commiſſi delicti, ſi rurſus homo non peccauerit; nam experientia docet poſſe Principem abſoluere delinquentem à debito pęnæ ſub hac comminatione, vel conditione, quod ſi in conſimile peccatum relabatur, ſit debitor vtriuſque pęnæ, priſtinæ, ſcilicet, & nouæ, cuius factus eſt reus ob nouam culpam; Neque aliquid obſtat, quin hæc ſit adhuc vera, & realis remiſſio; Tùm quia pro eo tempore, pro quo non peccaret, non eſſet talis homo dignus æterna pęna, nec Deus poſſet illum pro eo tempore æterna pęna condignè punire, alioquin faceret cõtrà ſuum decretum, quo illi pro eo tempore peccatum, & conſequenter cum eo æternam pęnam condonaſſet. Tùm quia tali conditione executioni mandata ſtatim talis remiſſio conditionata tranſit in abſolutam, vndè ſi homini remittatur peccatum mortale ſub tali conditione, & tempore illo intermedio moreretur, antequam in nouum peccatum laberetur, vtique ſaluaretur; & ſi nullum aliud ſupponeretur habere impedimentum præter debitum contrahendi præterita peccata ſub conditione, ſi iterum peccauerit, ſtatim ad Cęlum euolaret; quarè nõ obſtante tali iure in Deo, & debito in homine ſic iuſtificato, verè, & reipſa remitteretur totum peccatum pro eo toto tempore, quo ſeruaretur conditio, ſub qua remiſſum fuit peccatum, vt benè diſcurrit Amicus *loc. cit.*

295 Ad primum itaque argumentum negatur aſſumptum cum eodem, nam cum iure, quod Deus ſibi reſeruaret ad priſtinum odium contra peccatorem reſumendum ſub conditione, ſi iterum peccauerit, non repugnat amicabilis eius conuerſio erga talem hominem; Neq; cùm debito in homine incurrendi idem odium Dei ſub eadem conditione, ſi denuò peccauerit, repugnat perfecta ſanctitas, & iuſtitia in eodem homine; nam ius illud, quod ſibi Deus reſeruaret, reſumendi priſtinum odium ſub conditione, ſi homo iterũ peccaret, non eſt odium, vt ſuprà dictum eſt, quod tantùm pugnat cum vero amore amicitiæ; nec debitum incurrẽdi priſtinum odium Dei ſub eadem cõditione, ſi iterum peccaret, eſt peccatum, tùm quia tale debitum à ſolo Deo imponeretur, tum quia non eſſet materia confeſſionis.

Ad Confirmationem paritas illa ex reuiuiſcentia meritorum deſumpta potiùs nobis fauet, qua proindè vſi ſumus in huius aſſertionis probatione, vndè in eo caſu eodem modo fieret reditus peccatorum iam remiſſorum in recidiuãte, ſicut modò fit reditus meritorum præcedentium in reſurgẽte; & ſicut modò gloria dicitur radicaliter manere in meritis peccato mortificatis, nõ quod aliquid gloriæ, vel iuris ad gloriam ex illis de præſenti in peccatorẽ redundet, ſed quia ſublato peccato ad priſtinam gloriam ſtatim illa reuiuiſcunt & reſurgenti à peccato ius conferunt ad illam; ità in eo caſu priſtina macula, & ordinatio ad pęnam diceretur radicaliter manere in peccato præterito ſub conditione tantùm remiſſo, nõ quod aliquid illius de præſenti deriuetur in hominem ſub tali conditione abſolutũ, eumq; moraliter inficiat; ſed tantum quia poſita conditione ſtatim reuiuiſceret, & in priſtinum ſtatum rediret. Ad vltimum, probat tantùm peccatum ſub tali conditione remiſſum non eſſe abſolutè, & pro omni tempore deſtructum, itaut non amplius redire poſſit, quod gratis concedimus; non tamẽ probat, quod non ſit deſtructum pro toto illo tempore, pro quo conditio ſeruatur; nam ſicut implicat, quod pro quouis tẽpore, & omni conditione ſecluſa, moraliter deſtructum eſt, moraliter redire; ità implicat quod pro certo tempore, & ſub certa conditione moraliter deſtructum eſt, pro tali tẽpore, & tali conditione ſeruata, moraliter redire. Concedi etiam poteſt, vt inquit Amicus, abſque vllo abſurdo peccatum tali modo remiſſum dici poſſe ſopitum, & ſuſpenſum, non autem penitus extinctum, eo quod non ſeruata conditione poſſet reuiuiſcere, & in priſtinum ſtatum redire, eodem prorſus modo, quo nunc dicimus de meritis per peccatũ mortificatis; nunquam tamen concedendum eſt pro eo ſtatu, & tempore, pro quo tale peccatum ſopitum maneret, & ſuſpenſum, aliquam maculam in ſuum authorem deriuare, alioquin ſopitum non eſſet, & ſuſpenſum; ſed pro eo tempore manet quoad formalem effectum maculandi hominem, ac ſi penitus eſſet deſtructum, eo modo quo dicimus de meritis mortificatis quoad effectum ordinandi hominem ad gloriam, antequam à peccato reſurgat.

Rurſus contrà eandem cõcluſionem arguit Vaſquez *loc. cit.* ex fundamento ſatis ſibi familiari, quod peccator ex natura rei ſatisfaciat contritione, & ex natura rei exhibeat cõdignam, & æqualem ſatisfactionem, qua non ſolùm delet peccatum, & dignitas pęnæ ex natura rei; ſed etiam fit hęres regni cęleſtis, & particeps diuinæ naturæ per gratiam; vndè ſi Deus vellet amplius renouare pęnam; poſſet dici ipſum punitum non eſſe dignum pęna, cùm iam ſatisfecerit debito ad æqualitatem, & ex natura rei. 296

Confir. ille qui dignè ſatisfecit, & verè iuſtificatus eſt à peccato, iterum damnari non poteſt, aut infici, niſi propria culpa, quam denuò committat, vt oſtenſum eſt; ſicut qui à ſeruitute liberatus eſt iuſto pretio, non poteſt iterum ſeruus conſtitui antiqua ſeruitute, quia denuò cauſam præbeat ſeruitutis, vt iterum ſeruus conſtituatur. Tandem addit, idem eſſe ſentiendum de offenſa commiſſa contrà Regem increatis, nam ſi illa qui offendit Regem, dignè pro offenſa ſatisfaciat, & coram Rege verè iuſtificetur, nõ poterit Rex iterum illi imputare offenſam illam ad culpam, ſeù ad pęnam; ſi enim poſſet iterum reuocare pęnam, & culpam, ſigniũ eſſet non fuiſſe condignam ſatisfactionem exhibitam, & per cõſequens nec ipſam offenſam verè ablatam, ſed potiùs rectam eſſe, ac diſſimulatam benignitatem Principis culpam punire nolentis, quam tamen dignè punire poſſet. 297

Reſpondeo falſitatem illius fundamenti ſatis conſtare ex dictis in ſuperioribus ex Scoto 4. d. 14. q. 2. §. *De ſecundo*, vbi docet contritionem non remittere culpam, vel pęnam æternam per modum condignæ ſatisfactionis propter improportionem, quæ verſatur inter Deum offenſum, & peccatorem ſatisfacientem, ſed ſolùm per modum diſpoſitionis ſufficientis, & meriti de congruo, vel aliqualis ſatisfactionis congruæ, qualis à peccatore exhiberi poteſt, qua poſita Deus liberaliter condonat, & remittit culpam, & pœnam æternam; Falſum eſt etiam gratiam ex natura rei peccatorem iuſtificare, & peccatum expellere, non enim id facit ex natura rei, ſed ex adiuncta condonatione Dei extrinſeca, alioquin ex natura rei ſimul cum peccato habituali conſiſtere poteſt; Si ergo neq; contritio ex natura rei tollit peccatum per modum ſatisfactionis æqualis, nec gratia iuſtificat per modum formæ ſanctificantis formaliter ex natura rei per adoptionem; ſic etiam neque ex natura rei habet rationem dictæ ſatisfactionis ſecluſa Dei acceptatione pro pęna æterna peccato debita, vt ex profeſsò oſtenſum eſt *lib. 2. diſp. 7 de Iuſtificatione*; quarè etiam Auerſa, qui hoc vtitur argumento q. 5. *ſec. 2.* fatetur iuxtà noſtra principia non concludere.

Ad Confir. patet per idem, quia illa macula nō potest per gratiam sanctificantem deleri formaliter ex natura rei, quia non habent inuicem physicam repugnantiam, sed tantùm moralem, adiūcta, scilicet, condonatione Dei extrinseca; Et cùm peccatum non solùm dicat moralem auersionem à fine vltimo, & difformitatem à lege, sed etiam offensam, & iniuriam contrà Deum, & necessariò remitti debeat à Deo per infusionem gratiæ; sicut potest Deus adhuc posita peccatoris retractatione, illam non remittere; ità pariter eamdem potest ad certam tempus condonare; nam vt eamdem offensa redeat quoad moralem imputabilitatem, nō pendet à noua voluntate peccatoris, sed à solo Deo illam sub tali conditione remittente, vt rectè discurrit Amicus *loc. cit.*

Ad vltimum, patet exemplum de Rege allatum ad rem non facere, quia supponit Regi condignè satisfieri ab offendente, Deo autem per cōtritionem non satisfit condignè, & non datur in nobis iuxtà nostra principia satisfactio condigna ex natura rei pro peccato, & pęna æterna; quia contritio non habet hanc virtutem, nisi per modum dispositionis, & quatenus ex lege lata acceptatur à Christo, aut eius satisfactionem applicat in quo remittitur culpa, & gratis iustificamur, & non ex operibus, quæ est expressa Concilij Trid. doctrina *sess. 6. & sess.* 14. de iustificatione, & pęnitentia loquentis, & hæc sufficiant de pęnitentia virtute.

QVÆSTIO VNDECIMA.

De essentia, & existentia Sacramenti Pœnitentiæ.

298 Postquam egimus de Pęnitentia Virtute, sequitur, vt de Pęnitentia Sacramēto agamus, per quod intelligimus signum aliquod sensibile per se institutum à Christo ad absoluendos baptizatos à peccatis post baptismum commissis; Et quidem hoc esse sacramentum propriè dictum nouæ legis, & à Christo Domino immediatè institutum, definitum est in Concilijs Constantiensi, Florentino, & Tridentino *sess. 14. cap. 1. & can. 3.* quàm institutionem deducunt ex illis verbis, quæ dixit Christus Apostolis Io. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt*, quod etiam anteà docuit Scotus 4. d. 2. q. 1. vbi explicans, quænam sit hæc auctoritas Apostolis à Christo data dimittendi peccata inquit, non esse potestatem principalem, quia hæc est solius Dei propria, sed arbitrariam, & ministerialem, qualis est auctoritas Iudicis arbitrij quod etiam adhuc magis explicat *d. 14. q. 4. §. Quoad hoc secundum*, vbi dicit, quod pœnitentia est absolutio, idest, quædam sententia diffinitiua absoluens reum, non tamen sententia Iudicis principalis, sed Iudicis secundarij, vel commissarij, potest enim quis cognoscere in causa ex commissione, & sententiare, vel pro condemnatione rei, si indignus est, vel pro eius absolutione, si dignus sit; & tandem hoc idem confirmat *4. d. 17 q. vn.*

Quod autem hæc institutio facta fuerit per modum sacramenti propriè dicti contrà Hęreticus id negantes, ex eisdem Christi verbis deducitur, & ratione suadetur, quia ad sacramenti rationem propriè dicti duo maximè requiruntur, & sufficiunt, scilicet, ritus extrinsecus, siuè symbolū diuinitus institutum, & promissio gratię iustificātis illi symbolo annexa; sed in relatis Christi verbis Io. 20. vtrūq; reperitur; promissio quidem gratiæ in illis verbis patentissima est, cùm dicitur *remittuntur eis*, remittuntur enim peccata, cùm quis iustificatur; signum etiam sensibile ex institutione diuina efficaciter significans absolutionem hominis à peccato clarissimè eisdem Domini verbis insinuatur, nam cùm Sacerdotibus concesserit potestatem remittendi, & absoluendi, planè illa potestas signo aliquo sensibili est exercenda, cum homines corpore constent, vndè absolutionis verbum ex eo loco clarè deducitur; Et cùm absolui nequeant, qui ligati non sunt, ac etiam qui solui nolunt, dùm, scilicet, paratum animum non indicant recipiendi absolutionem, nec testantur se peccasse, & eis peccata displicere; ex eodem loco colligitur ex parte pęnitētis quoque interuenire debere ritum externum & sensibile signum, quo hanc animi dispositionem Iudici Sacerdoti ostendat; nil ergo deficit, quin pœnitentia ex vi suæ institutionis sit verè, & propriè nouę legis sacramentum.

Denique quod hoc sit sacramentum ab alijs omnibus distinctum, & diuersum, & præsertim à Baptismo contrà eosdem Hæreticos id negantes, docet Doctor eisdem locis citatis; etenim vt constat ex dictis de sacramentis in genere *disp.* 1. sacramenta propriè dicta penes duo inter se distinguuntur, scilicet, penes signum sensibile, & penes effectum; patet autem hæc duo in Baptismo, & Pęnitentia esse omninò diuersa, nam pęnitentiæ signum sensibile est absolutio Sacerdotis, & confessio ipsa pęnitentis, vt modò dictum est; signum verò baptismi est ablutio facta in aqua naturali cum illis verbis, *Ego te baptizo* &c. sunt etiam diuersa signata, & effectus, quia licet in vtroque sacramento gratia iustificans significetur, diuerso tamen modo fit hæc significatio, nam pęnitentia est signum gratiæ iustificantis, quatenus hominem liberat à peccato actuali post baptismum commisso; baptismus verò est signum eiusdem gratiæ, quatenus liberat ab originali, & actuali quoq; antè baptismum commisso; Qua etiam ratione probatur ab alijs quoq; sacramentis distingui, nam in alijs pariter sacramentis diuersa sunt signa sensibilia, ac diuersi effectus, & signata, vt patet discurrenti per singula.

Circà essentiam verò, seù essentialem huius sacramenti constitutionem est valdè agitatata inter Scholasticos cōtrouersia, quæ tamen, vt omnes fatentur, est solùm de nomine, & de modo loquendi; omnes enim admittūt ad faciendum pęnitentiæ sacramentum hæc omnia requiri, scilicet, contritionem, confessionem, & satisfactionem ex parte pęnitentis, & absolutionem ex parte Sacerdotis, & sine his perfici non posse; & est diffidium posteà in modo explicandi, quomodo hæc omnia concurrant ad sacramentum pęnitentiæ constituendum, an, scilicet, omnia prædicta dici possint, & debeant verè, & in rigore partes sacramēti pęnitētiæ essentiales, vel saltem integrales; an potiùs in vna tantùm tanquam in principali consistat, in alijs verò, tāquam in circumstantijs, aut dispositionibus ad illud necessarijs; Et quidem nonnulli Thomistæ dixerunt essentiam huius sacramenti in actibus pęnitentis consistere formaliter, & præsertim in confessione, absolutionem verò esse illius complementum, sic enim loquitur D. Thomas *quæst. 84. art. 1. ad 2. Complementum sacramenti exhibet Minister, dùm pœnitētē absoluit*, & ità præsertim discurrit Soto 4. *dist.* 14. *quæst.* 1. *art.* 1. Fundamentum eorum est, quia hoc sacramentum est essentialiter pęnitentia; sed pęnitentia formaliter in actibus pęnitentiæ consistit, absolutio verò, quæ à Sacerdote impenditur, non est actus pęnitentiæ, Scotistæ verò è contrà dixerunt hoc sacramentum præcisè in absolutione consistere, adhuc tamen illa tria, scilicet, contritionem, confessionem, & satisfactionem ex parte pęnitentis necessariò, & simpliciter requiri, ità namque loquitur Scotus 4. *dist.* 14. *quæst.* 4. & *dist.* 16. *quæst.* 1. & fundamentem est, quia tota significatio, & efficientia huius sacramenti ad conferendam gratiam in absolutione reperitur, & Minister huius sacramenti est solus Minister, qui absoluit, non pęnitens, qui confitetur. Tertia tandem media, & communis Recentiorum sententia est, essentiam sacramenti pęnitentię in vtroq; consistere, scilicet, in absolutione, & in actibus pęnitentis, quorum fundamentum est, quia essentia huius sacramenti constat ex materia, & forma, sicut est in cæteris, forma autem est absolutio, materia verò actus pęnitentis; Adhuc tamen posteà disputant, pro quo ex prædictis supponat in recto sacramentum pœnitentiæ, an pro sola absolutione, an pro sola confessione, an potiùs pro omnibus illis æqualiter. 299

Ex quibus constat hanc contentionem, vt dicebam, esse solùm de modo loquendi, omnes enim in re conueniunt, nempè ad perficiendum pœnitentiæ sacramentum illa omnia requiri, scilicet, contritionem, confessionem, satisfactionem, & absolutionem, & sine his perfici non posse; vndè valdè minor nonnullos Scoti Aduersarios adeò acriter eius loquendi modum reprehendere, vt alij dicant cum Caietan. *quæst.* 90. *art.* 1. esse sententiam erroneam, alij temerariam, & alij plusquàm temerariam; Hoc planè euenit, quia aut textum Scoti non legerunt, sed steterunt in fide referentium, aut certè non intellexerunt, nam modus loquendi Scoti est omninò Catholicus, & Orthodoxus, ac conformis Patribus, & Concilijs, nam Tridentinum quoque *sess.* 14. *c.* 3. ait vim huius sacramenti præcipuè in verbis illis formæ sitam esse *Ego te absoluo*, &c. & quasi materiam eius esse pęnitentis actus contritionem, confessionem, & satisfactionem, quod repetit can. 3. vbi patet 300

non

non appellare actus pœnitentis materiam, vel partem materialem huius sacramenti simpliciter, & absolutè, sed cum particula diminuente *quasi*, quo etiam modo anteà locutum erat Concil. Florent. in decreto Eugenij. Et explicans ibidem quo sensu, & qua ratione actus pœnitentis dici possint, ac debeant partes huius sacramenti sic ait, *sunt autem quasi materia huius sacramenti ipsius pœnitentis actus, nempè contritio, confessio, & satisfactio, qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex Dei institutione requiruntur, hac ratione partes pœnitentiæ dicuntur*; ea igitur ratione ait Concilium actus pœnitentis dici posse, ac debere partes pœnitentiæ, quatenus in pœnitente requiruntur ad integritatem sacramenti, & ad plenam, ac perfectam peccatorum remissionem; At hoc ipsum est, quod conceptis, & sonantibus verbis Scotus dixit *4. dist. 16. quæst. 1.* quamuis enim ibi doceat actus pœnitentis non esse partes pœnitentiæ secundum id, quòd importat in recto, & sicut à se definitum fuerat *dist. 14. quæst. 4. quod est absolutio hominis pœnitentis facta certis verbis* &c. iuxtà doctrinam eiusdem Trident. *loc. cit.* vbi ait vim huius sacramenti præcipuè in verbis illis formæ sitam esse *Ego te absoluo*; statim tamen posteà docet illa tria necessariò, & simpliciter requiri ad sacramentum pœnitentiæ, vel præuia, vel sequentia, & consequenter concedit in hoc sensu dici posse partes pœnitentiæ iuxtà doctrinam Trident. allatam, dùm dicit hac præcisè ratione dici posse partes pœnitentiæ, quatenus simpliciter, & necessariò requiruntur ad illud perficiendum, & in hoc sensu *4. d. 17. qu. vn.* R. confessionem vocat secundam pœnitentiæ partem supponens contritionem, vel attritionem in eodem sensu esse primam; & sic etiam loquitur *dist. 4. q. 5.* D, & *dist. 22. q. 1.* S. & alibi frequenter, vndè patet immeritò Doctorem nostrum ab Aduersarijs calumniari in hoc puncto de partibus pœnitentiæ; Vt autem adhuc expressius pateat mens Doctoris, & quomodo in hoc puncto sit loquendum; explicandum est sequentibus articulis, quo sensu non solùm absolutio, sed etiam actus pœnitentis partes dici possint huius sacramenti; & quodnam illorum importetur principaliter, & in recto.

ARTICVLVS PRIMVS.

In quo consistat essentia sacramenti Pœnitentiæ, vbi de partibus eius.

301 PRo resolutione huius quæstionis recolendum est ex dictis *disp. 1.* de sacramentis in genere *quæst. 3.* ab initio duplicem in sacramentis nouæ legis compositionem considerari posse ex Scoto *4. dist. 3. quæst. 2. §. Hic primo*; prima est ex signo, & significatione, quam Recentiores sacramentalem appellant, & fit ex rebus, & verbis, tanquam ex subiecto, & significatione sacramentali, tanquam forma; in omni enim sacramento inuenitur id, quod assumitur ad significandam gratiam, & ipsa significatio, seù institutio, & potestas significatiua, & in hoc sensu in omnibus sacramentis, ac etiam in isto Pœnitentiæ, significatio est forma, reliqua verò omnia, etiam absolutio ipsa in proposito sunt materia, quia ea omnia assumpta sunt, & instituta ad gratiam significandam. Secunda verò compositio in ipsa materia significante considerari potest, quæ proindè dicitur materialis, fitque ex rebus, & verbis, & ad sacramentalem præsupponitur, & fit ex illis rursus tanquam ex materia, & forma, & in hoc sacramento fit ex actibus pœnitentis tanquam ex materia, & ex verbis Sacerdotis; tanquam forma; vtraque autem est materia respectu alterius formæ vlterioris, quæ est gratiæ significatio, quam sacramentum quodlibet pro formali importat; In proposito igitur, quandò quæruntur partes pœnitentiæ, non agimus de priori compositione, sed de posteriori; quo pacto mota quæstio duplicem adhuc potest habere sensum; Primus est; quæ sint partes, ex quibus hoc sacramentum adæquatè sumptum in ratione sacramenti componitur; siuè illa in recto significentur, siuè in obliquo; non enim repugnat, vt notat Lugus *disp. 12. sect. 2.* aliquam esse partem alicuius concreti, quæ tamen per illud non significetur in recto, omnes enim concedunt album, v.g. dicere formam in subiecto, vel subiectum cum forma, adeout vtrumq; sit pars intrinseca talis concreti, vnum tamen importetur in recto, & aliud in obliquo, siuè hoc sit forma, siuè subiectum iuxtà opinionum diuersitatem; in hoc igitur sensu quæri potest de partibus intrinsecis huius sacramenti, quamuis vna importetur in recto, & alia in obliquo; Alter sensus quæstionis esse potest, supposito quod sacramentum pœnitentiæ plures habeat partes in sensu iam declarato, pro qua supponat in recto, an pro sola absolutione, vel pro sola confessione, an pro omnibus illis æqualiter. Neq; vnus sensus cum alio est confundendus, vt faciunt Poncius, Hiqueus, & alij Scotistæ, qui hanc quæstionem proponentes de partibus sacramenti pœnitentiæ, pro eius resolutione dicunt, hoc sacramentum non includere intrinsecè, tanquam partem etiam materialem, vllum actum pœnitentis, nec dicere vllum ex illis in recto, sed solam absolutionem Sacerdotis, cætera autem requiri tantùm in obliquo. Non inquam, sic respondendo plenè satisfit præsenti quæsito, hoc enim etiam pleriq; ex Aduersarijs concedunt, quod sola absolutio importetur in recto, sed adhuc contendunt etiam pœnitentis actus esse partem huius sacramenti intrinsecam, licet in obliquo tantum significatam, eo modo quo subiectum est pars intrinseca alicuius concreti, v.g. albi, estò sola albedo importetur in recto, ipsum autem in obliquo, & pro connotato; In primo igitur sensu quæstionem agitabimus in hoc articulo, in secundo verò sensu disputabitur in sequentibus ad pleniorem rei explicationem.

Primò itaq; dicendum est, absolutionem esse partem huius sacramenti intrinsecam, & essentialem. Hæc conclusio est Scoti *loc. cit.* & communis in Schola, nec puto Thomistas pro prima opinione citatos id voluisse negare, sed solum significare, quod hoc sacramentum non supponat in recto pro absolutione, sed tantùm pro actibus pœnitentiæ, eo quod appellatur nomine pœnitentiæ; Primò probari potest ex Trid. *cit. sess. 14. cap. 3.* vbi ait vim huius sacramenti præcipuè in verbis illis formæ sitam esse, *Ego te absoluo*, &c. absolutio enim est id, quod potissimè significat, & operatur remissionem peccatorum; ergo ipsa est pars potissima, & principalis huius sacramenti, vt sacramentum est. 302

Confirmatur, quia positis omnibus alijs, & sola deficiente absolutione, non datur sacramentum pœnitentiæ; ergo absolutio est aliquid intrinsecè complens, & componens tale sacramentum. Tandem probatur ea communi ratione, quia forma est præcipua pars in omni composito, siuè naturali, siuè artificiali, siuè morali, sed absolutio, seù verba absolutionis sunt forma huius sacramenti ex Trid. *loc. loc.* ergo &c. Neq; obstat fundamentum pro prima opinione adductum, sacramentum hoc appellari pœnitentiam, atq; ideò solùm in actibus pœnitentis consistere; satis enim compertum est sacramenti nomen interdum ab aliqua eius parte desumi, sic baptismus à sola ablutione nominatur, quæ est materia; similiter & Confirmatio dici solet Chrisma ab altera parte, sic etiam extrema vnctio à sola materia denominatur; itaq; argumentum concludit solùm, hoc sacramentum esse pœnitentiam ratione alicuius suæ partis essentialis, præter quam absolutionem quoq; includit, tanquam partem etiam magis principalem; & quod ab actibus pœnitentis talem desumit denominationem, non autem quod illi soli sint eius essentia, sicut licet sine ablutione non daretur sacramentum baptismi, nec tale diceretur, non proindè ablutio est tota eius essentia, & ità est etiam de Confirmatione, & extrema Vnctione. Præterquam quod hoc sacramentum non tantùm dicitur pœnitentiæ, sed etiam interdum appellatur sacramentum reconciliationis ab effectu, interdùm absolutionis à forma, & interdùm confessionis à notiori parte materiæ.

Secundò Dicendum est, actus etiam pœnitentis esse partem materialem intrinsecam huius sacramenti adæquatè cõsiderati, & sũpti pro aggregato ex rebus, & verbis, quod est proximũ, & adæquatũ fundamentum significationis sacramentalis. Conclusio est contra Fabrum, Aretinum, Hiribarnem, & alios Scotistas asserentes res, & verba non semper cõcurrere, vt partes intrinsecas sacramenti, seù fundamenti significationis sacramentalis, nam quandoq; talis significatio fundatur suprà totum compositum ex materia, & forma, scilicet ex rebus, & verbis, vt in Baptismate, Confirmatione, & extrema Vnctione; interdùm suprà solam materiam, vt in Eucharistia; interdum tandem suprà solam formam, nempè suprà sola verba, vt in hoc sacramento Pœnitentiæ, in qua materia solùm concurrit, vt quid prærequisitum. Hæc tamen doctrina à nobis reiecta fuit *l. c. disp. 1.* de sacramentis in genere *q. 3. art. 1. ex Scoto 4. d. 8. qu. 1. sub H.* vbi de sacramento 303

Eucharistię loquens inquit, quod non est hic aliud, tanquam forma, sicut est in alijs, quia istud est permanens, & ideò non possunt aliqua verba ad eius essentiam pertinere; & in quocunque alio sacramento, isto Eucharistiæ excepto, inquit distingui materiam, & formam, & signum sensibili dici esse materiam, verba verò formam; Ex quo Doctoris discursu ibi deduximus, ipsum concedere in quocunque alio sacramento præter Eucharistiam, quæ modum permanentis habet, fundamentum signi esse res, & verba, & vtraque ad essentiam sacramenti pertinere, vt eius partes intrinsecas; & hanc quoque opinionem, vt magis de mente Doctoris tenet Brancatus cum alijs Scotistis *disp. 2. de sacramentis in genere art. 2.* & rursus *disp. 15. de Pœnitentia sacramento art. 1.*

Et hoc etiam deducitur ex eisdem locis, ex quibus Scotistæ illi oppositum colligunt, etenim quam *dist. 14. quæst. 4.* sacramentum pœnitentiæ absolutè dicat esse absolutionem, propter quod velle videtur, quod sola absolutio sit integrum fundamentum significationis sacramentalis, & actus pœnitentis sint quid prærequisitum, hæc tamen mens eius non est, vt etiam Faber ipse fatetur *disp. 9. cap. 2.* quia pęnitentiam sacramentum definiens ait, quod *est absolutio hominis pœnitentis*, &c. vndè actus pœnitentis quoque agnoscit esse partem istius sacramenti, & cum absolutione constituere integrum fundamentum relationis signi. Idem etiam colligi potest ex *dist. 16. q. 1. E.* vbi licet loquendo de hoc sacramento secundum id quod dicit in recto, doceat esse absolutionem, & secundum definitionem traditam *d. 14. quæst. 4.* dicat actus pœnitentis non esse partes huius sacramenti, quia considerat illud secundum id, quod importat in recto, subdit tamen actus pœnitentis esse simpliciter necessarios, qua etiam ratione *d. 17. q. vn. R.* contritionem, & confessionem partes pœnitentiæ appellat, & hoc idem tenet etiam Ferchius in Epit. *lib. 4. d. 16. q. vn.* de mente Doctoris.

304 Probatur autem assertio ex Trident. *sess. 4. cit. c. 3.* vbi dicit, quod sunt quasi materia huius sacramenti ipsius pœnitentis actus, qui quatenus in pœnitente ad integritatem sacramenti, ad plenamque & perfectam peccatorum remissionem ex diuina institutione requiruntur, hac ratione pœnitentiæ partes dicuntur; Quæ quidem Concilij verba licet etiam saluari possint sufficienter per alium dicendi modum Scotistarum, qui dicunt significationem sacramentalem pœnitentiæ suprà solam formam fundari, nempè suprà sola verba absolutionis, materiam verò seu actus pœnitentis esse necessariam circumstantiam ad istud fundamentum, vt relationem signi fundare possit. Nihilominus iuxtà nostrum dicendi modum melius saluatur Concilij auctoritas appellantis actus pęnitentis partes pœnitentiæ, & non tantùm circumstantiam, & melius etiam saluatur commune dictum ex Florentino deductum omnia nouæ legis sacramenta, præsertim quæ consistunt in vsu, rebus, & verbis constare, tanquam ex materia, & forma, vt ex professò docuimus *disp. 1. cit. q. 3. art. 1.*

Confirmatur, quia forma absolutionis habet veram rationem formæ in genere moris, scilicet, rationem determinantis, & perficientis, ac suo modo informantis; ergo debet ei necessariò correspondere in eodem genere aliqua materia per modum determinabilis, & perfectibilis, hæc enim sunt correlatiua; hæc autem materia per verba absolutionis determinabilis, & perfectibilis aliud comodius statui nequit, quàm ipsius pœnitentis actus. Denique sicut in Baptismo, v. gr. non sola verba Ministri, sed etiam ablutio in ipso sacramento includitur, & sic in alijs, itá etiam non sola verba absolutionis, sed confessio quoque suprà quam absolutio cadit, includitur in hoc sacramento, & hoc totum ex vtraque parte compositum fundat integram, & totalem significationem sacramentalem à Christo institutam; Christus enim non solam absolutionem, sed etiam actus pęnitentis instituit, vt ad eorum omnium positionem poneretur gratia, & ideò omnia hæc dicuntur signum efficax, & causa moralis gratiæ, ac remissionis peccatorum, licet vnum eorum sit causa magis principalis, & alia minus. Ex quo tandem patet fundamentum secundæ sententiæ ab initio quæstionis relatæ nu. 305 non subsistere, quod, scilicet tota significatio, & efficientia huius sacramenti ad conferendam gratiam in sola absolutione reperiatur; non enim in ea sola reperitur, sed etiam in confessione, & actibus pęnitentis, nam etiam confessio significat peccata esse remittenda, & ab anima expellenda, atque delenda.

Respondent Scotistæ citati, quod licet id de significatione sacramentali dici possit, quod etiam aliquo modo in contritione, & confessione reperiri queat; non tamen dici potest de efficientia, quia sola absolutio sacramentaliter operatur, siquidem sola absolutio est sententia; cùm ergò hoc sacramentum sit iudiciale, in iudicio consistit, quia iudicium, & sententia reum liberat, non autem accusatio, vel testium dispositio, ista enim potiùs damnant. Tùm quia si actus pęnitentis operarentur sacramentaliter, sequitur, quod ipsemet pęnitens causaret in se gratiam, & liberationem à culpa, quod est falsum, quia nullus reus seipsum liberat, sed expectat à Iudice liberari. Tùm tandem quia Sacerdos dicitur hoc sacramentum conferre, at Sacerdos non confert, nisi absolutionem, & ipse solus est Minister, qui absoluit, non pęnitens, qui confitetur.

Sed falsum est hoc sacramentum in sententia Iudicis duntaxat, & præcisè consistere, licet enim in ea principaliter consistat, adhuc tamen consistit etiam in detestatione, & accusatione delicti, est enim iudicium absolutorium, & reconciliatiuum peccatoris cum Deo; Et quamuis pęnitens sit reus, non Iudex, adhuc tamen concurrit & ipse ad suam dimissionem dispositiuè, & meritoriè de congruo, vndè tam actus pęnitentis, quàm absolutio sacramentaliter operantur, quia Christus non solam absolutionem, sed etiam actus pęnitentis instituit, vt ad eorum positionem per modum dispositionis, seu meriti de congruo poneretur gratia; vndè moraliter loquendò pęnitens quoque dici posset partialiter causare in se dispositiuè gratiam, quatenus ponit id, quod à Deo institutum est in causam gratiæ instrumentalem, & partialem, eo modo quo veniam petens à Superiore de commisso delicto dicitur dispositiuè eius remissionem in se causare; magis tamen propriè dicitur, non pęnitentem, sed actus eius esse causam gratiæ partialem in genere moris, quatenus actus eius simul cum absolutione Sacerdotis sunt à Deo assumpti, & instituti in partem causæ moralis gratiæ, & remissionis peccatorum. 305

Denique solus Sacerdos hoc dicitur conferre sacramentum, non quia quoad omnes eius partes illud conferat, sed quia illud confert quoad præcipuam, & principalem, quæ est absolutio cum morali coniunctione ad alias; qui autem attingit præcipuam partem cum vnione ad reliquias, totum productum dicitur formaliter attingere, licet alias partes non producat, vt constat in naturalibus; nam agens naturale dicitur totum compositum formaliter attingere ex eo quod attingit formam materiæ vnitam, licet materiam non producat. Et tandem ideò solus Sacerdos dicitur huius sacramenti Minister, non autem pęnitens, qui confitetur, quia confessio ipsa, quatenus se tenet ex parte pęnitentis, solùm confert ad huius sacramenti efficaciam, quatenus subest absolutioni Sacerdotis, & clauis, atque potestas peccata dimittendi data à Christo Sacerdotibus.

Verùm adhuc remanet Difficultas, an quando dicimus etiam actus pęnitentis esse partem intrinsecam, & essentialem huius sacramenti adæquatè sumpti, & pro aggregato ex rebus, & verbis, nùm per actus pęnitentis intelligere debeamus omnes illos tres actus, scilicet, Contritionem, Confessionem, & Satisfactionem, itaut integra huius sacramenti materia in his tribus actibus constitui debeat. Durandus *4. dist. 16. quæst. 1.* cum quibusdam alijs antiquioribus vult hoc sacramentum essentialiter ex confessione solùm, & absolutione constare, aliasque duas ait non esse partes intrinsecas, nec esse de constitutione huius sacramenti; non quidem contritionem, quia hæc non est sensibilis, cùm sit actus internus, at sacramentum essentialiter est signum sensibile; nec etiam satisfactionem, quia consequitur post completum iam sacramentum, ac etiam si desit, non propterea vitiat sacramentum. Recentiores verò communiter affirmant quidem non tantùm confessionem, sed etiam contritionem esse partem essentialem huius sacramenti; negant tamen satisfactionem esse hoc modo de essentiali constitutione huius sacramenti per modum partis materialis, vndè dicunt satisfactionem non esse partem essentialem huius sacramenti, sed tantùm integralem, per partem essentialem intelligentes eam, sine qua non potest dari essentia sacramenti; per partem verò integralem illam, sine qua datur quidem sacramentum essentialiter, non tamen omninò integrum, sicut datur homo essentialiter absque vtroq; pede, non tamen integer, & perfectus; itá Card. 306

de Lu-

de Lugo disput. 12 *sec.* 2. *Auersa quæst.* 9. *sec.* 2. *Caspensis disp.* 2. *sec.* 1. *Becanus cap.* 29. *quæst.* 5. & alij passim. Negant esse partem essentialem, quia quando iniungitur satisfactio, interdum solet post absolutionem imponi, & tunc in puncto absolutionis iam perfecta erat essentia sacramenti, & gratia iustificationis collata; & executio satisfactionis iniunctæ consequitur alio tempore post sacramentum, atque si ex impotentia, vel etiam ex negligentia culpabili non adimpleatur, adhuc ratum permanet sacramentum.

Affirmant verò esse satisfactionem huius sacramenti partem integralem, quia licet ad primum eius effectum, qui est culpæ remissio, necessaria non sit cùm remissio culpæ à satisfactione non dependeat, conducit tamen ad secundum effectum, qui est remissio pęnæ temporalis, in quam pęnæ æterna virtute absolutionis à culpa fuit commutata.

Alij verò, vt Brancatus noster *disput.* 15. *cit. art.* 1. *numer.* 102. contendunt satisfactionem quoque esse partem materialem huius sacramenti essentialem, sicut est Confessio, & contritio; Tùm quia *Concil. Trident. sess.* 14. *cap.* 3. dicit indifferenter actus pęnitentis esse huius sacramenti materiã; ergo de omnibus idem est dicendum, alioquin posset quis dicere, neque confessionem esse partem, vel materiam huius sacramenti. Tùm quia materia compositi non est pars integralis, sed essentialis; at satisfactio à Concilio cum materia computatur, ergo &c. Tùm tandem, quia ità est necessaria satisfactio, vt si pęnitens haberet voluntatem, vel contrariam, vel negatiuam satisfaciendi in hoc sæculo, vel in futuro, nequiret fieri sacramentum; ergo est pars essentialis, & non integralis tantùm. Pro resolutione huius difficultatis.

307 Tertiò Dicẽdum est, inter partes materiales huius sacramenti adæquatè sumpti præter Confessionem assignandas esse quoque Contritionem, & Satisfactionem, cum hac tamen limitatione, vt satisfactio in voto, hoc est, propositum saltem implicitũ satisfaciendi sit pars essentialis sacramenti; in re autem exhibita siuè executio eiusdem sit tantùm pars integralis. Et quidem quod contritio spectet ad materiam essentialem huius sacramenti ex eo patet, quia quando absolutè loquendo Confessio dicitur huius sacramenti materia, intelligitur confessio dolorosa, quæ sit cum peccatorum detestatione, & ideò hæc tanquam vna adæquata materia assignatur, nam sine hac confessio non haberet veram rationem accusationis sui ipsius, sed esset solùm historica quædam narratio, vel simulata quædam accusatio, vndè illa actio non haberet veram rationem iudicij.

Tùm quia ad hoc sacramentum est necessaria accusatio sui, & talis quæ tendat ad reconciliationem cum Deo, nam hoc iudicium per se primo institutum est ad reconciliandũ peccatorem cum Deo; vt autem ad reconciliationem tendat accusatio, necessariò requiritur, vt sit signum interioris pęnitentiæ; nam etiam pueri ipsa docente natura, vt delicti veniam à parentibus impetrare possint, peccatum suum cum ostensione pęnitentiæ agnoscunt; Et licet contritio non sit in seipsa immediatè sensibilis, manifestatur tamen & fit sensibilis per confessionem, sicut anima secundum se non apparet, sed per externam corporis motionem, & hoc sufficit, vt ad sacramenti essentiam constituendam concurrere possit, & vt pars eius dicatur; sicut in Eucharistia corpus Christi est pars principalis illius sacramenti in multorum sententia, & tamen secundum se non est sensibile, sed per species panis, & verba consecrationis, & in Sacramento Matrimonij consensus coniugum est de eius essentia, quamuis non sit sensibilis per se, sed tantùm per signa externa.

308 Deindè quod satisfactio in voto, seu propositum saltem implicitum satisfaciendi in vindictam peccati commissi sit pars essentialis huius sacramenti deducitur ex Scoto 4. *dist.* 16. *quæst.* 1. E. vbi ait, quod dùm perficitur sacramentum pęnitentiæ per absolutionem, debet pęnitens habere votum satisfaciendi, & hoc modo satisfactio dicitur concurrere tunc ad perficiendum sacramentum, qui enim contritus, vel attritus confitetur, habet etiam votum, & propositum satisfaciendi, idest, soluendi pęnam post absolutionem relinquendam, nam si peccator tale propositum non haberet saltem implicitè, sed haberet voluntatem contrariam, vel negatiuam, sacramentum non conficeretur; ergo in hoc sensu pars eius essentialis censeri debet, nam iudicialis absolutio essentialiter dicit accusationem delicti cum proposito exequendi pęnam à Iudice infligendam, & ipsam Iudicis sententiam, & in hoc sensu Brancatus *loc. cit.* tenet satisfactionem quoque esse partem essentialem huius sacramenti, & non tantum integralem, quod etiam docet Amicus *disputat.* 10. *sec.* 4. *numer.* 89.

Tandem quod satisfactio in re exhibita nõ sit pars essentialis, sed tantùm integralis, patet ex rationibus adductis à Recentioribus citatis, quia enim perfecta est essentia sacramẽti, & collata iustificationis gratia antè executionem satisfactionis iniunctæ, ideò satisfactio reipsa exhibita pars essentialis sacramenti censeri non debet, sed tantùm integralis, quia licet ad primum, & præcipuum eius effectum non sit necessaria, scilicet, ad remissionem culpæ, cùm hæc à satisfactione reipsa exhibita non dependeat; cõducit tamen ad secundum effectum, scilicet, ad remissionem pęnæ temporalis; & ideò satisfactio sic sumpta dicitur tantùm pars integralis, quia sine ipsa constaret vtique essentialiter sacramentum, sed veluti mutilum, sicut se habet homo ex anima, & corpore essentialiter constans, deficiens tamen brachijs, aut alia parte ex illis, quæ dicuntur integrales; quia hoc sacramentum non solùm est signum, & causa remissionis culpæ; sed etiam pęnæ relictæ ex peccato, cum hoc tamen discrimine, quod primò, & essentialiter constituitur per rationem signi practicè significantis remissionem peccati; secundariò autem remissionem pęnæ temporalis; & ideò satisfactione deficiente licet adhuc in sua essentia constitutum remaneret ob remissionem peccati vi ipsius obtentam, remaneret tamen veluti mutilum, quia non esset signum, & causa remissionis pęnæ temporalis post remissionem peccati adhuc remanentis.

Quartò tandem ex dictis concludendum est, sacramentum pęnitentiæ essentialiter constare contritione, confessione, & proposito saltem implicito satisfaciendi, tanquam materia, & absolutione iuridica Ministri, tanquam forma. Ratio est, quia primarius, & adæquatus conceptus huius sacramenti totaliter, & adæquatè considerari modo superius explicato est, esse signum efficax gratiæ reconciliatiuæ peccatoris cum Deo per modum iudicij absolutorij, vt omnes concedunt; sed hic conceptus non saluatur sine omnibus enumeratis, scilicet, sine contritione, confessione, & satisfactione in voto, seu proposito satisfaciendi ex parte pęnitentis, & absolutione iuridica ex parte Ministri, ergo &c. Minor probatur, nam iudicialis absolutio essentialiter dicit, & importat accusationem delicti cum proposito exequendi pęnam à Iudici infligendam, & ipsam iudicis sententiam, vt suprà dicebamus; quatenus autem est signum gratiæ cum Deo reconciliatiuæ necessariò supponit contritionem ex parte reconciliandi, sine qua perfecta reconciliatio intelligi nequit, vt patet ex probatione primæ partis asserti præcedentis; ergo sine omnibus prædictis cõceptus huius sacramenti essentialis adæquatè saluari nequit, scilicet, sine contritione, confessione, & proposito satisfaciendi, tanquam materia ex parte pęnitentis, & iuridica absolutione, tanquam forma ex parte Ministri, vt benè discurrit Amicus *loc. cit.* 309

Confirmatur, quia nihil obstat, quin omnia prædicta dicantur partes essentiales huius sacramenti adęquatè accepti pro aggregato iam explicato, quod est proximum fundamentum significationis sacramentalis; vel enim obstaret, quia sunt res diuersi generis, & non componunt aliquod per se vnum, cùm non se habeant per modum per se actus, & per se potentiæ; vel quia non omnia importantur æqualiter per concretum sacramenti, sed vnum in recto, & aliud in obliquo; sed primum non obstat, impedit enim solùm, quin dicantur partes essentiales entis per se metaphysicè, & logicè; at præter hoc esse essentiale, datur alius etiam modus essendi tale, nam omne accidens concurrens cum substantia ad totum accidentale constituendum dicitur essentiale tali toti, cùm non minus ad illud requiratur vnum, quàm aliud; Neque secundum obstat, quia vt dictum est ab initio articuli, non repugnat aliquam esse partem alicuius concreti, quæ tamen per illud non significetur in recto, sed tantùm in obliquo, vt patet de albo, cuius pars intrinseca tam est albedo, quàm subiectum, estò vnum importetur in recto, & aliud in obliquo; ergo etiam in proposito nil obstat, quia actus pęnitentis,

tis, & absolutio dicantur partes essentiales huius sacramenti.

310 Dices repugnare duas esse partes alicuius compositi essentiales, quarum vna importetur in recto, & alia in obliquo, si enim ambæ ad essentiam rei spectant, ambæ etiam in recto importari debent, nam quæ importantur in obliquo tantum, non pertinent per se ad essentiam, & rationem rei diffinibilis, sed solùm tanquam additamenta; si ergo actus penitentis etiam sunt partes huius sacramenti essentiales, & ad eius essentiam spectant; ipsi quoque in recto importari debebunt, sicut absolutio, & non tantùm in obliquo, & pro connotato; quod si in obliquo tantùm importantur, vt postea dicemus, iam eo ipso ad essentiam sacramenti non spectabunt, vt eius partes essentiales.

Respond. assumptum verificari tantùm in ente per se vno logicè, & metaphysicè, quod quidem cùm componatur ex rebus ad idem genus pertinentibus, verè & propriè vnam habet essentiam, & non plures, atq; adeò partes eius essentiales ambæ in recto importari possunt; at in composito per accidens, quod talem rigorosam non habet essentiæ vnitatem, quia componitur ex rebus diuersorum generum, non ità contingit, sed potest habere partes ad eius constitutionē pertinentes, quarum vna tantùm importetur in recto, alia verò in obliquo, vt patet in concretis accidentalibus; Ita autem euenit de sacramento pœnitentiæ in proposito nostro, nam vt notat Scotus 4. *d.* 1. *q.* 2. sacramentum dupliciter sumi potest, vno modo pro materiali, siuè pro denominato, alio modo pro formali, seù pro per se significato, & quia hoc secundo modo nō est, nisi respectus signi ad signatum, ideò importat aliquid per se vnum, & est propria definitione definibile; at primo modo non est aliquid per se vnum, inquit Doctor, quia multa aggregat diuersorum generum, vt Baptismus verba, & ablutionem, & sic non est definibili definitione propriè dicta, & simpliciter quidditatiua, quæ est per se vnius, quia res, & verba non faciunt vnum per se vnitate entis per se sic definibilis, sed sunt vnum vnitate aggregationis, vel ordinis tantum; atque ideò sacramentum pro materiali, & denominato sumptum definiri non potest, nisi definitione per additamentum data, in qua vtique potest vnum in recto significari, & aliud in obliquo, seù pro connotato; cùm igitur hic sit sermo de sacramento pęnitentiæ pro materiali, & denominato, nempè pro aggregato ex rebus, & verbis, quod est proximum, & adæquatum subiectum significationis sacramentalis, nullum est inconueniēs quod partes ad eius essentialem constitutionem concurrentes, qualiscunq; sit vnitas eius essentię, ità se habeant, quod vna importetur in recto, & cæteræ in obliquo, vt patet in omnibus concretis accidentalibus.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Soluuntur obiectiones.

311 IN oppositum obijciunt Scotistæ Doctoris sententiam defendere volentes prorsus, vt verba sonant. Primò quia sacramentum pęnitentiæ est ens physicè simplex, est enim relatio signi efficacis gratiæ peccati remissiuæ, quæ relatio est ens physicè simplex; ergo nequit compositionem partium physicarum admittere, vt sunt actus pęnitentis, & verba Sacerdotis.

Confirmatur, quia hoc sacramentum essentialiter consistit in sententia absolutoria Iudicis, absolutio autem actus pęnitentis non includit. Deniq; tam Concilium Florentinum, quàm Tridentinum *loc. cit.* appellant actus pęnitentis quasi materiam, quæ est particula distrahens, & diminuens; ergo non sunt vera huius sacramenti materia.

Resp. sacramentum pęnitentiæ pro formali, & metaphysicè inspectum vtique est ens physicè simplex, vt dicit illam signi relationem, at pro substrato, seù fundamēto, ac materiali consideratum plura includit, scilicet, res, & verba, vt de quolibet sacramento discurrit Doctor *loc. cit.* 4. *d.* 1. *quæst.* 2. & nos iam statuimus *disp.* 1. *de sacramentis in genere quæst.* 3. *art.* 1.

Ad Cōfirmationem constat ex dictis *num.* 311. falsum esse, sacramentum hoc in sola Iudicis sententia præcisè consistere, & in sola absolutione, quia non quæcunque absolutio sufficit ad remittenda peccata, sed debet esse absolutio peccati per confessionem dolorosam explicati, iam autem in hoc ipso includitur confessio, & dolor, tanquam partes sacramenti intrinsecæ, nam includitur absolutio, non quæcunque sed à peccato per confessionem dolorosam explicato: absolutio autē illa, prout talis, constituitur formaliter ab ipsa confessione, & dolore præcedente, nam ab illis formaliter habet, quod denominetur absolutio peccati cum dolore confessi, quarè si absolutio prout sic denominata, hoc sacramentum constituit, necesse est, quod etiam ad talem constitutionem concurrant illa, à quibus formaliter talis illa absolutio denominatur; qua ratione Scotus *dist.* 14. *qu.* 4. definit hoc sacramentum quod sit *absolutio hominis pœnitentis*, per quod innuit etiam actus pęnitentis saltem in obliquo ad eius constitutionem concurrere.

Ad vltimum, vocat Concilium actus pęnitentis quasi materiam in hoc sacramento, quia in alijs sacramentis materia est aliquod sensibile, & tangibile corpus, seù eius applicatio, vt aqua, & ablutio, oleum, & vinctio, in hoc autem nō est talis materia corporea, sed solùm humana locutio, ità Concilium explicat Catechismus de sacramento pęnitentiæ *num.* 14. loquitur etiam Concilium cum tali limitatione, quia ibi cum confessione contritionem quoque & satisfactionem coniungit, satisfactio autem in re exhibita non est propriè, & essentialiter materia, vt dictum est, & contritio non nisi mediante confessione fit per accidens sensibilis; & denique sic loquitur, vt innuat etiam communem modum loquendi Scotistarum de partibus pęnitentiæ posse tutissimè defendi, vt diximus ab initio quæstionis.

Secundò arguunt, quia Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 3. essentiam huius sacramēti potissimum in absolutione constituit, cùm inquit, *vim & efficaciam huius sacramenti præcipuè sitam esse in absolutione*, & sic etiam loquitur Concil. Coloniēse *cap.* 3. *Pœnitentia, quatenus sacramentum, potissimum in absolutione consistit*; ergò non in actibus pęnitentis. Conf. quia in alijs sacramentis actus illius, qui sacramentū recipit, non sunt pars sacramēti v.g. in Ordinatione acceptio libri, quem Episcopus tradit, quatenus se tenet ex parte ordinandi nō est pars sacramenti, sed traditio, quatenus se habet ex parte ordinantis, & sic de alijs; ergo neque in hoc sacramento debent actus pęnitentis assignari pro materia. Tandem vt partes componat totum, aliquam requirunt coniunctionem, sed contritio, confessio, & absolutio nullam requirunt coniunctionem, nam contritio præcedere potest confessionem, & confessio multo tempore potest præcedere absolutionem, ergo &c. 312

Resp. cùm Concilium dicat vim huius sacramenti præcipuè in absolutione consistere, non negauit, imò potius eo ipso indicauit in alijs etiam partibus sitam esse efficaciā huius sacramenti, licet non ità præcipuè, & sic etiam explicandum est Concil. Coloniense, cùm dicit potissimùm in ea situm esse hoc sacramentum. Ad Confirmationem negatur consequentia, & disparitas petenda est à Deo instituēte, cur voluerit in hoc sacramento concurrere actus, vt partem sacramenti, in alijs verò non vt patet in Baptismo, vbi dispositiones hominis baptizandi non dicuntur constitutiua Baptismi; Vndè non est, cur tantam vim faciat in hac paritate Hiqueus 4. *d.* 14. *q.* 4. *n.* 6. falsum enim ibi assumit, dùm inquit, contritionem non requiri aliter ad pęnitentiam, quam ad Baptismum peccatoris adulti, falsum, inquam est; quia Christus in hoc sacramento instituit, vt actus pęnitentis concurrant per modum partis illius, non sic in Baptismo actus adulti baptizandi, Christus enim non solam absolutionem, sed etiam actus pęnitentis instituit, vt ad eorum omnium positionem poneretur gratia, & peccata remitterentur, vt colligitur ex 1. Ioan. 1. *Si confiteamur alterutrum peccata nostra, fidelis est, & iustus, vt remittat nobis peccata, & mundet nos ab omni iniquitate*. Ad vltimum negatur minor, sufficit enim inter illas partes coniunctio moralis; qualis inter accusationem rei, & Iudicis sententiam intercedere solet, quemadmodū de matrimonio constat in quo consensus vnius consensum alterius multo tempore præcedere potest; vt enim dictum est *disp.* 1. de sacram. in genere *q.* 3. *art.* 1. *n.* 109. cùm hæc sint composita moralia, moralem tantùm, & non physicam requirunt coniunctionem, quanta scilicet sufficit ad moralem contractum, & iudicium saluandum.

Tertiò obijciunt, quia Sacramentum pęnitentiæ est absolutio hominis pœnitentis facta legitimè à Sacerdote, sed neque contritio, neque confessio, neque satisfactio sunt partes huius absolutionis, ergo &c. probatur minor, contritio 313

nequit

nequit esse pars pœnitentiæ, seu absolutionis, quia ipsa est spiritualis, cum sit actus internus, partes autem sacramenti debent esse sensibiles; tùm quia potest dari sacramentum pœnitentiæ informe defectu contritionis, sed sacramentum informe est verum sacramentum, vt constat de Baptismo; Neque etiam confessio est pars pœnitentiæ, quia potest hoc sacramentum dari sine confessione per signa tantùm, vt de moribundis docet Rituale Pauli V, tùm quia confessio applicat tantùm materiam, suprà quam cadere debet absolutio; ergo non est materia, sed tantùm conditio; Non denique satisfactio, quia hæc sequitur sacramentum iam in suo esse essentialiter constitutum; tùm quia materia debet antecedere formam satisfactio autem non antecedit, sed subsequitur formam huius sacramenti; ergo non est pars materiæ.

314 Resp. quod licet sacramentum pœnitentiæ dicat absolutionem hominis pœnitentis in recto, adhuc tamen dicit etiam actus ipsius pœnitentis in obliquo, nam sola forma, siuè absolutio sine actibus nihil facit, iudicium enim, siuè sententia Iudicis in foro interno requirit confessionem rei, sicut in foro externo accusationem actoris, & confessionem vel rei, vel testium; vndè licet contritio, confessio, & satisfactio in voto non sint partes absolutionis, sunt tamen partes aggregati ex actibus pœnitentis, & absolutione, quod est proximum, & adæquatum fundamentum significationis sacramentalis, nempè gratiæ peccati remissiuæ. Ad primam instantiam de contritione iam dictum est, quod licet non sit in seipsa immediatè sensibilis, sit tamen sensibilis per confessionem, & signa externa: & falsum est dari posse sacramentum pœnitentiæ informe defectu contritionis, sicut dari potest sacramentum baptismi, cùm nequeat forma huius sacramenti cadere, nisi in peccata aliquo dolore reconciliatiuo cum Deo informata, vt docet expresè Doctor 4. *dist. 1. quæst. 5. sub §. Contrà istam opinionem* in fine, & nos iam diximus *disp. 2. de Baptismo quæst. 6. art. 3.* Ad 2. instantiam de Confessione dicimus, in eo casu signa ipsa vicem confessionis subire, sicut in matrimonio nutus vicem verborum supplere possunt; & quamuis confessio, vt applicat, & subijcit peccata Sacerdoti, & clauibus, sit sola conditio: nihilominus vt est etiam accusatio sui cum spe veniæ virtute clauium obtinendæ, non tantùm est conditio, sed etiam materia proxima hoc sacramentum intrinsecè constituens, & integrans. Ad 3. instantiam, dicimus, quod licet satisfactio reipsa exhibita, seu eius executio absolutionem sequi soleat, & sacramentum iam in sua essentia constitutum; non tamen satisfactio in voto, seu propositum saltem implicitum satisfaciendi, in quo tantum sensu dicimus esse eius partem essentialem, vt constat ex dictis *num.* 314. & falsum est etiam in sacramentis semper materiam debere præsupponi formæ, vt patet in baptismo, qui validè administrari potest, etiamsi forma baptismi proferatur, & deindè statim ablutio fiat.

315 Quartò arguunt ex absurdis, nam si ista tria essent partes sacramenti pœnitentiæ, sequeretur non solùm Sacerdotem, sed etiam pœnitentem esse huius Sacramenti Ministrum, quia causat contritionem, confessionem, & satisfactionem. Deindè quod ipse pœnitens causaret in se gratiam, & liberationem à culpa, quia poneret partialiter id, quod causat gratiam sacramentalem, atque eadem ratione poterit dici seipsum absoluere, nil enim aliud est absoluere, nisi auferre vincula peccatorum, quod fit causando gratiam, quæ peccata expellit. Tandem, quia si actus pœnitentis operarentur sacramentaliter gratiam causando partialiter cum absolutione, tunc eam efficerent ex opere operato, cum hic sit modus causandi sacramentorum; hoc autem falsum est, quia cum ipsi concurrant tantùm per modum moralis dispositionis, & meriti de congruo, nequeunt aliquid efficere, nisi ex opere operantis.

316 Respondetur, negando consequentiam, quia contritio, & confessio intantùm confert ad huius sacramenti efficaciam, inquantùm subest absolutioni Sacerdotis, vt dictum est *num.* 311. *in fine*, & pœnitens licet peccata deferat, non tamen ea absoluit, in quo actu propriè consistit ministerium, & iudicium; nam iudex est ille solus, qui sententiam profert, licet etiam in ipso humano iudicio aliæ quoque operationes, ac personæ substantialiter interueniant. Ad 2. patet ex dictis ibidem pœnitentem dici posse partialiter in se gratiam causare, quatenus actus eius simul cum absolutione Sacerdotis sunt à Deo assumpti, & instituti in partem causæ moralis gratiæ, & remissionis peccatorum, qua ratione magis propriè dici debet, non pœnitentem, sed actus eius esse causam gratiæ partialem in genere moris; nam illis etiam conuenit, quod sint causa gratiæ, & illis producitur saltem moraliter, quatenus subijciuntur potestati clauium, Deus enim mouetur ad dandam gratiam intuitu integri sacramenti, vt indicat Trid. sess. 14. cit. cap. 3. dùm inquit vim, & essentiam huius sacramenti præcipuè sitam esse in absolutione, nam particula illa *præcipuè* indicat in alijs quoque partibus licet minus principaliter sitam esse huius sacramenti efficaciam, vt suprà notauimus: non ob id tamen pœnitens virtute suorum actuum dici potest seipsum absoluere, nam hic actus illi tantùm conuenit, cui data est à Christo potestas clauium, & qui sententiam profert, qualis est solus sacerdos, & absolutio est actus habentis auctoritatem ad iudicandum vel dimittendum, pœnitens autem talem auctoritatem non habet, sed solùm illas actiones ponere potest, quæ partialiter concurrunt ad denominandum sacerdotem absoluentem in nomine Christi, quando ipse profert verba consecrationis, quia Christus non dedit illi potestatem absoluendi, aut loquendi eius nomine, nisi in tali casu, quando scilicet, præcedit confessio dolorosa pœnitentis. Ad 3. actus pœnitentis dupliciter considerari possunt, vel præcisè vt ab ipso pœnitente procedunt, vel vlterius prout subijciuntur potestati clauium; primo modo considerati gratiam causare nequeunt, nisi ex opere operantis, & per modum meriti de congruo; secundo autem modo possunt eam causare etiam ex opere operato, quatenus simul cum absolutione sacerdotis sunt à Deo assumpti, & instituti in partem causæ moralis gratiæ, & vt ad eorum positionem cum absolutione poneretur etiam gratia; & est id, quod inquit Suarez *disp. 18. sec. 2.* & Coninch. *disp. 4. quæst. 4. in fine*, actus etiam pœnitentis causare gratiam sacramentalem ex opere operato non tamen secundum se consideratos, sed prout eleuantur à sacerdote per potestatem clauium ad hoc, vt sint partes sacramenti, & conferant gratiam.

Quintò arguunt, quia quamuis etiam Concilia, & Patres absolutè dicerent, quod actus pœnitentis sint materia sacramenti pœnitentiæ, & partes pœnitentiæ; non sequitur ob id, quod sint materia intrinseca, aut pars huius sacraméti; quia obiectum scientiæ dicitur materia ipsius, & tamen non est materia ex qua, neq; in qua sed circa quam, & consequenter non est aliquid intrinsecum ipsi; ergo aliquid esse potest materia sacramenti pœnitentiæ, quod tamen non sit intrinseca pars ipsius, sed sola materia circa quam; taliter autem se habent pœnitentis actus respectu sacramenti pœnitentiæ, quod in sola absolutione consistit; quia habet pro obiecto, & materia, circà quam versatur, hominem dispositum, vt requiritur, hoc est, qui integrè peccata sua confitetur, dolet de ipsis, & habet propositum satisfaciendi tempore suo, vndè absolutio data homini non sic disposito, non esset sacramentum; rationibus ergo, & auctoritatibus allatis pro nostra sententia solùm probatur, & ad summum, actus pœnitentis esse materiam pœnitentiæ sacramenti circa quam, non verò ex qua, de qua hic disputatur, ità discurrit Poncius *disp. 45. q. 1. concl. 3.* 317

Respondeo negando consequentiam, nam eo ipso, quod dicunt Concilia, & Patres actus pœnitentis esse materiam sacramenti pœnitentiæ, & partes eius iam explicari nequeunt de materia circa quam duntaxat, quia hæc nunquam est pars illius cuius dicitur materia circa quam, sed necessariò intelligi debet de materia ex qua, quę necessariò habet rationem partis, vel essentialis, vel saltem integralis respectu illius, cuius dicitur materia; & sicut quando Concilia aliorum sacramentorum materiam assignant, non de materia circa quam loquuntur, sed ex qua simul cum forma ei proportionata alia sacramenta constituuntur; ità in proposito, quando assignando huius sacramenti materiam dicunt esse pœnitentis actus, debent intelligi de materia ex qua, & non tantùm circa quam; Vndè quamuis vltro fateamur ex modo loquendi Conciliorum nullam censuram oppositam sententiam incurrere, imò cum ea sufficienter saluari quicquid Concilia dicunt de his pœnitentiæ partibus, vt dictum est ab initio quæstionis n. 306. adhuc tamen dicimus modum loquendi Conciliorum melius saluari in nostra sententia, quàm in opposita, Et adhuc fatemur etiam in hoc sacramento materiam circa quam assignari debere, hæc vero non sunt actus pœnitentis, sed eius peccata, circa quæ versatur tam pœnitentia virtus, quàm sacramentū, per quorum vtrumque deleri potest, vt Scotus docet *d. 14. q. 1. 2. & 4.* 318

nam

nam materia circa quam semper ordinem dicit ad aliquam actionem, vel motum, vt patet de omni actu vitali, & naturali, obiectum enim, vel subiectum, de quo est operatio, & in quo aliquis versatur actus, dicitur materia circa quam talis actus; Quare cum sacramentum pœnitentiæ quoad omnes eius partes ex actibus constet humanis, siuè ipsius pœnitentis, siuè Ministri, opus est, vt obiectum detur, circa quod tales versentur actus, & hoc propriè est materia circa quam sacramenti pœnitentiæ, quam dicimus esse peccata per illud delenda; Et planè cum maiori proprietate peccata dicuntur materia circa quam sacramenti pęnitentiæ, quam materia ex qua remota, vt communiter dici solent; hoc enim loquendi modo significatur peccata quoque esse partem huius sacramenti constitutiuam, quod non benè sonat; ratio est, quia materia siuè proxima, siuè remota semper est pars constitutiua eius, cuius est materia, vt patet in omni composito, siuè naturali, siuè artificiali, sic in composito animato non tantum corpus pro altera parte, sed etiam materia prima illud constituere dicitur; & oratio non tantùm ex dictionibus, sed etiam ex syllabis, quæ sunt materia remota dicitur constitui, & componi; rectius ergò peccata dicuntur materia circa quam sacramenti pœnitentiæ, quam materia ex qua remota.

Sextò tandem obijciunt saltem in Scoti sententia hoc sustineri non posse, nam *dist.14.qu.4.* in sola absolutione docet
319 essentiam sacramenti huius consistere, dùm illud definit, quod sit absolutio hominis pęnitentis facta certis verbis &c. ergo actus pęnitentis de mente Doctoris ad eius essentiam pertinere non possunt.

Confirmatur, quia *dist.16.qu.1.* conceptis verbis negat actus pęnitentis esse vllo modo huius sacramenti partes; ergo nequeunt ad eius essentiam pertinere. Tandem inquirit ibi essentiam huius sacramenti, & dicit esse absolutionem, cetera vero nempè pęnitens actus dicit esse præuia, vel sequentia; ergo expressè negat ad eius essentiam pertinere.

Resp. Doctorem ibi loqui de hoc sacramento secundum id, quod dicit in recto, quo pacto vtiq; in absolutione consistit, dùm tamen dici esse absolutionem hominis pœnitentis, iam innuit actus etiam pęnitentis ad illud pertinere saltem in obliquo; vndè sicut quando definitur sacramẽtum, vt sic, quod sit signum sensibile gratiam Dei significans &c. hæc definitio, quæ est de sacramento secundum id, quod importat in recto, non includit partes materiales constituentes aggregatum, super quod fundatur talis relatio signi, ità & illa definitio à Scoto assignata huius sacramenti, quod sit absolutio hominis pęnitentis, non includit actus pęnitentis, tanquam partes illius, quod importat in recto.

Ad Confirmationem patet per idem, negat enim actus pęnitentis esse vllo modo partes huius sacramenti secundum id, quod importat in recto; concedit tamen secundum id, quod importat in obliquo, cum dicat contritionem, confessionem, & satisfactionem esse simpliciter necessarias ad sacramentum pęnitentiæ perficiendum, imò sub lit. F. docet sine satisfactione saltem in voto sacramentum non habere efficaciam; quod autem simpliciter necessarium est ad aliquod compositum constituendum, siuè essentiale, siuè accidentale, planè negari nequit, quin sit aliquo modo pars eius; ne ergo dicamus Doctorem paucis verbis sibi contradicere, ità intelligendus est, quod quando negat actus pęnitentiæ esse huius sacramenti partes, loquatur secundum id, quod importat in recto; quando verò subdit esse simpliciter necessarios ad illud perficiendum, loquitur de sacramento adæquatè & totaliter sumpto, tam scilicet secundum id, quod importat in recto, quàm in obliquo.

Ad vltimum patet etiam per idem, supposito enim, quod absolutio sit id, quod pœnitentiæ sacramentum importat in recto, alia quæ ad illud simpliciter requiruntur, vel sunt præuia, vt contritio, & confessio, vel consequentia, vt satisfactio; negari enim non potest sacramentum quodlibet consistens in fieri habere quædam antecedentia, & sequentia, quorum vnum potest importare in recto, & aliud in obliquo; cum igitur Doctor pœnitentiam definiat per absolutionem in recto, & actus pęnitentis in obliquo, addens posteà hos quoque esse simpliciter necessarios ad hoc sacramentum perficiendum, alio modo explicari nequit, nisi quod secundum importatum in recto partes non habeat, tamen secundum esse totale, & adæquatum eas habere ratione fundamenti, & obliqui, quod totum benè notauit Brancatus *disp.15.cit.art.1.*

His itaque de causis concludit Faber *disp.20.cap.2.num.64* 320
opinionem Scoti quoad rem conuenire cum opinione communi, nam etiam ipse sustinet actus pœnitentis, & absolutionem constituere integram, & perfectam essentiam sacramenti pęnitentiæ, quatenus necessariò requiruntur ad eius constitutionem, & esse; differt verò quoad modum explicandi, quia cum absolutio ipsa sit signum principale, & proprium gratiæ signatæ in hoc sacramento, & proindè ipse sit forma, & complementum huius sacramenti, actus verò pęnitentis sint conditiones requisitæ necessariò tantùm, appellat ipsam absolutionem tantùm sacramentum, & essentiam sacramenti pęnitentię; Ità etiam discurrit Aretinus *4.dist.16 q.1.art.2.concl.4.* vbi ait opinionem communem, quod actus pœnitentis sint partes pœnitentiæ esse satis probabilem, quia consona est verbis Conciliorum, & ait hoc saltem certum esse, quod actus pęnitentis sunt quasi materia sacramenti pœnitentiæ; id enim definitum est in Concilio Florent. *his* verbis; Quartum sacramentum est pęnitentia, huius quasi materia sunt actus pęnitentis, qui in tres partes diuiduntur, quarum prima est cordis contritio, secunda oris confessio, tertia satisfactio ad Sacerdotis arbitrium; & sic etiam loquitur Trident. *sess.14. cap.3.* Cum igitur opinio communior, quam iam tradidimus, sit magis consona verbis Conciliorũ, & Patrum ex vna parte, & ex alia opinio Scoti in re conueniat cum opinione communi, & solùm differat in modo loquendi, mihi consultius videtur, & melius loqui cum opinione communi, quæ verbis Conciliorum, & Patrum est consona; Sed neque differre Scoti opinionem à communi in modo loquendi, iam satis ostensum est, quando enim negat actus pœnitentis esse partes huius sacramenti, semper loquitur secundum id, quod importat in recto, nam si consideretur secundum esse totale, & adæquatum, vltrò concedit esse eius partes ratione fundamenti, & obliqui, & tales illas appellat *4.d.4.q.5.D.& d 17.q.vn. R.& dist.22.qu.1.S.* & alibi frequenter. Accedit, quod si benè perpendantur rationes, quibus Scotistæ nostri vtuntur ad probandum actus pęnitentis non esse partes sacramenti pœnitentiæ, nec ad eius essentiam pertinere, sed in sola absolutione consistere; planè solùm probant hoc sacramentum consistere tantùm in absolutione secundum id, quod importat in recto, quod nos gratis concedimus, vt patebit *art.seq.* non autem quod non sint partes eius secundum id, quod dicit in obliquo.

ARTICVLVS TERTIVS

Quid importetur in recto per Sacramentum Pœnitentiæ, & quomodo sit definiendum.

Sermo est de sacramẽto sumpto pro aggregato ex rebus, & verbis, quod est proximum, & adæquatum fundamentũ significationis sacramentalis, etenim vt notauimus ab initio primi articuli huius quæstionis num.307. ex Scoto *4.dist.3.q.2.§.hic primò* sacramentum dupliciter considerari potest, vel vt est quoddam totum ex rebus sensibilibus, & relatione signi constans; vel ex parte fundamenti, in quo fundatur relatio signi, vt est compositum quoddam ex aliquibus rebus, & verbis, quarum primum dicitur materia, alterum forma per quandam proportionem; hic non est sermo de sacramento pœnitentiæ in primo sensu, omnes enim concedunt sacramentum eo modo sumptum importare in recto relationem significationis sacramentalis gratiæ peccati remissiuæ post baptismum commissi, & per talem relationem definiri debere, sicut Sacramentum in communi hoc modo sumptum definitur, quod *sit signum sensibile gratiam Dei significans*; Sermo igitur est de sacramento pœnitentiæ secundo modo sumptum, scilicet pro aggregato ex rebus, & verbis, in quo fundatur significatio sacramentalis ei propria, pro vt ab alijs distinguitur sacramentis, quid nimirum in tali aggregato principaliter, & in recto importetur, & quid in obliquo, ac pro connotato, & quomodo sit definiendum eo modo, quo tale aggregatum definiri potest. 321

In quo puncto tres sunt modi dicendi. Primus est, quod supponat in recto pro actibus pœnitentis, connotando in obliquo absolutionem, ità Soto *4.d.14.q.1.art.1.* cum quibusdam Thomistis, quod videtur desumi ex ipso nomine

Pœ-

Pœnitentiæ, nam absolutio non est pœnitentia, sed solùm pœnitens dicitur ponere pœnitentiam, an verò omnes actus pœnitentis æquè dicantur in recto, vel aliqui tantùm, adhuc inter se dissident. Secundus modus dicendi est, supponere in recto pro sola absolutione, itaut sacramẽtum hoc sit absolutio à Sacerdote pœnitentis confessi cum dolore, actus verò pœnitentis solùm importentur in obliquo, ità Scotistæ omnes cum Doctore 4. *dist.* 14. *quæst.* 4. A. & *dist.* 16. *quæst.* 1. E. quod etiam sentire videntur D. Bonauentura, Alensis, & Riccardus in præsenti, quatenus dicunt, quod considerando Pœnitentiam, prout est Sacramentum, supponit pro absolutione. Tertius tandem dicendi modus est, quod hoc sacramentum supponat in recto pro omnibus prædictis, scilicet pro actibus pœnitentis, & pro absolutione, quod videtur sentire Vasquez in præsenti *dub.* 2. & Card. de Lugo *disp.* 12. *sect.* 3. vbi inquit hoc sacramentum frequentissimè importare in recto non solam absolutionem, sed etiam confessionem.

322 Dicendum est cum secunda sententia sacramentum pœnitentię sumptum pro aggregato importare in recto absolutionem, in obliquo verò actus pænitentis; ità Scotus, & Scotistæ passim *loc. cit.* quod assertum euidenter deducitur ex Trident. *sess.* 14. *cit. cap.* 3. dum ait, vim huius sacramenti præcipuè in verbis illis formæ sitam esse *ego te absoluo*, & ex Concil. Coloniensi *cap.* 3 dùm inquit, hoc sacramentum potissimum in absolutione presbyteri consistere, quæ testimonia clariora esse nequeũt pro nostri asserti probatione, quod hoc sacramentum principaliter, & in recto absolutionem importet, actus verò pœnitentis in obliquo tantùm, & pro connotato. Ex qua etiam Conciliorum doctrina euidens deducitur ratio, id enim significatur in recto ab aliquo concreto, quod est principalius in eo, vt patet ex dictis *part.* 1. Instit. Logic. in declaratione terminorum concreti, & abstracti, absoluti, & connotatiui cap. 3. sed ex Concilijs adductis absolutio in hoc sacramento principalius importatur, quia in ea dicunt præcipuam huius sacramenti virtutem sitam esse, ergo &c. Confirmatur, quia sine aliquo formali actu pœnitentiæ potest hoc sacramentum perfici, potest enim fieri sine formali confessione cum solo voto, si adsit impotẽtia, ac etiam sine formali contritione, sed solùm virtuali, scilicet charitate, & dilectione Dei super omnia; nunquam tamen fieri potest sine absolutione formali; ergo absolutio principem locum tenet in hoc sacramento, cùm sine ea formaliter sumpta consistere nequeat, & per consequens importatur in recto; Quod verò actus pœnitentis importentur in obliquo probatur, quia vt dictum est *loc. cit.* Instit. Log. cap. 3. importari per modum connotati, & in obliquo aliud non est, quàm concretum intelligi non posse, nisi ad eius intellectionem aliud cointelligatur, quod datur intelligi ex modo significandi principalis significati, vt ex Scoto deducitur *quol.* 12. *articul.* 1. sed ità se habent actus pœnitentis in sacramento pœnitentiæ, quia nequit haberi conceptus quidditatiuus, & quietatiuus iudicij, & sententiæ iudicialis sine accusatione, examine, & confessione, iudicium enim humanum intrinsecè constat, non solùm ex sententia Iudicis, sed ex alijs etiam actibus iudicialibus ergò cùm hoc sacramentum sit à Christo institutum per modum iudicij, connotat, & dat intelligeret actus pœnitentis, ideoque cùm definitur, dicitur esse *absolutio hominis pænitentis* &c. Tandem, quod nequeat in recto importare vtrumque nempè absolutionem, & actus pœnitentis, probatur ex dictis in Summulis *loc. cit.* quia nullum compositum accidentale potest ex æquo importare vtramque partem scilicet subiectum, & formam, cùm non faciant quid per se vnum logicè, & metaphysicè, sed vnum importatur in recto, & principaliter significatur, aliud in obliquo, & connotatur; vndè si quæratur quid sit album, definietur vel per subiectum connotans formam, vel per formam connotantem subiectum, cùm igitur aggregatum ex rebus, & verbis in hoc sacramento sit compositum accidentale, nec dicat quid per se vnum logicè, & metaphysicè, nequit illa ex æquo importare in recto; sed importabit in recto, quod principaliter significatur scilicet absolutionem, & in obliquo, quod connotatur, nempè quod datur intelligi ex modo significandi principalis significati, scilicet pœnitentis actus.

323 Sed Obijciunt, quia illud importatur in recto ab aliquo concreto, quod ex vi nominis datur intelligi; sed ex vi nominis Pœnitentiæ non datur intelligi absolutio, quia absolutio non est pœnitentia, sed solùm pœnitentis actus, nam solus pœnitens dicitur ponere pœnitentiam. Deindè quia si Scotus definit hoc sacramentum, quod sit absolutio hominis pœnitentis: alij definiunt, quod sit confessio legitimè facta in foro pœnitentiæ, & absolutione Iudicis firmata, vt videre est apud Suarez *disp.* 18. *sec.* 3. Tandem arguit Card. de Lugo quod importet vtrumque in recto, quia hoc sacramentum institutum est à Christo per modum iudicij iudicium autem humanum vtrumque ex æquo importat, quia intrinsecè, & essentialiter constat non solùm ex sententia Iudicis, sed ex actibus quoque iudicialibus, scilicet accusatione, examine, & confessione, ergo &c.

Resp. maiorem verificari, quando nomen ad significandum totum impositum, vel ex tota rei essentia, vel saltem ex parte eius principaliori deriuatum est; interdum verò contingit tale nomen desumi ex vna parte magis nota, licet principalior non sit, vt dictum est suprà *n.* 398. de baptismo, qui talis à sola ablutione denominatur, quæ est pars magis nota, sed minus principalis; imò quandoque ex solo effectu desumitur, vt Ordo, qui potius videtur effectus sacramenti, quàm ipsa actio ordinandi; & ibi etiam diximus Sacramentum hoc non tantum dici pœnitentiæ, sed etiam reconciliationis ab effectu, interdum absolutionis à forma, sic enim appellatur à Triden. *sess.* 14. *cap.* 3. & quandoque etiam confessionis à notiori parte materiæ. Ad 2. dico longè meliorem esse definitionem huius Sacramenti à Scoto traditam per absolutionem in recto, quàm alia tradita per confessionem, quando enim aliquod ex prædicatis rei definitæ est alio perfectius, & talis naturæ, quod sine illo nunquam possit essentia rei consistere, sine alijs verò saltem formaliter sumptis possit consistere, vt est in proposito de confessione, & contritione, vt patet ex dictis; tunc prædicatum illud dicitur principalius, & primum in tali re: vndè si non per omnia ex æquo, importata post res definiri, eo quia sit totum quoddam per accidens, vt est in proposito de sacramento sumpto pro aggregato ex verbis, & rebus, quod est fundamentum significationis sacramentalis: debet definiri per illud prædicatum, quod est principalius, & sine quo formaliter sumpto essentia talis definiti nullo modo consistere potest, talis est autem sola absolutio in casu nostro, vt patet ex dictis. Ad vltimum cõcedo hoc sacramentum esse à Christo institutum per modum iudicij, ac etiam iudicium humanum intrinsecè, & essentialiter constare, non solùm ex sententia Iudicis, sed etiam ex actibus iudicialibus: nego tamen iudicium humanum vtrumque ex æquo importare, principalius enim, & in recto sententiam Iudicis importat, actus verò iudiciales solùm in obliquo, & minus principaliter; neque enim repugnat etiam ex ipsius arguentis doctrina aliquam esse partem alicuius concreti, quę tamen per nomen illud non significetur in recto, sed tantùm in obliquo, vt ipse iam docuerat *sec. prec.* ab initio.

Dices, si illa duo includit, vt partes intrinsecas, & essentiales, ergo vtrumque importatur in recto, idem enim est importari in recto, & esse essentialem, nam quæ importantur in obliquo tantùm; non pertinent per se ad essentiam rei, sed solùm tanquam additamenta; vt enim diximus *part.* 1. Inst. Log. *tract.* 1. *cap.* 3. *cit.* connotatum, quod importatur in obliquo, non ingreditur conceptum rei, veluti per se pars eius per modum, scilicet generis, & differentiæ, sed veluti additum ab extrinseco, necessarium tamen, vt habeatur perfectus rei conceptus, & quietatiuus, vt patet de nomine cœnæ, in cuius definitione hac ratione ponitur tempus vespertinum. 324

Respondetur ex dictis suprà sub *num.* 316. in fine primi articuli huius quæstionis, hoc tantùm verificari in ente per se vno logicè, & metaphysicè cùm enim tale totum componatur ex rebus ad idem genus pertinentibus verè, & propriè vnam habet essentiam, & non plures, atque adeò partes eius essentiales ambæ importantur in recto, at non sic euenit de toto per accidens, sicut est sacramentum sumptum pro aggregato ex rebus, & verbis, cùm enim sit totum quoddam per accidens constans ex rebus diuersorum generum, potest habere partes ad eius constitutionem pertinentes, quarum vna tantùm in recto, & alia in obliquo importetur, vt patet in concretis accidentalibus, & in huiusmodi totis per accidens gratis concedimus connotatum, quod tantùm in obliquo importatur, nõ ingredi conceptũ eius, veluti per se partẽ illius per medũ, scilicet generis, vel differentiæ, quia nõ est pars constituens, vnum per se cum alia comparte, nec physicè, nec metaphysicè, sed tantùm vnum per accidens, & ideò

vna potest importari in recto scilicet principalior, & alia in obliquo, & adhuc ambæ ad eius essentiam spectare, eo modo quo totum per accidens vnam essentiam habere potest, nam in rigore, & metaphysicè loquendo vnam essentiam non habet, sed plures.

325 Circà alteram quæstionis partem, quomodo hoc sacramentum sit definiendum, non eodem modo ab omnibus definitur; Aliqui definiunt, quod *est remedium à Christo institutum ad conferendum homini gratiam vt ei per modum iudicij peccata remittantur*. In prima definitionis parte, scilicet remedium conferens gratiam à Christo institutum, conuenit hoc sacramentum cum alijs nouæ legis; In alia parte, qua dicitur ad remittenda peccata, conuenit etiam cum baptismo, quod pariter ad tollenda peccata institutum est, atque cum extrema vnctione, quæ etiam ad tollendas peccatorum reliquias dicitur ordinata; Per illam denique particulam, per modum iudicij, differt hoc sacramentum ab his, & omnibus, ac in propria specie determinatur, quia hoc sacramentum peccata remittit per modum iudicij, in quo peccator se tanquam reum coram Iudice sistit, ab eaque per sententiam absoluitur, & liberatur; ità definit Auersa *q.9.sec.*1.cum alijs Recentioribus; Alij verò definiũt, quod *Pœnitentia est sacramentum remittendi peccata, quæ post baptismum committuntur*. Ità Soto *4.dist.*14.*cit.q.*1. *art.*1. cum alijs Thomistis, quæ definitio est manca, quia non declarat modum, quo hoc sacramentum peccata remittat post baptismum commissa, nempè per modum iudicij, quæ est particula, qua hoc sacramentum in propria specie determinatur, ac constituitur; Alij definiunt, quod *Pœnitentia est confessio legitimè facta in foro Pœnitentiæ, & absolutione Iudicis firmata*, ità Suarez *disput.* 18.*sec.* 3. cum alijs, quæ etiam definitio deficit, quia ex tribus pœnitentiæ partibus solam continet confessionem, cum tamen aliæ quoque sint ad eius essentiam, & perfectionem necessariæ modo iam explicato.

326 Scotus autem *4.dist.* 14.*quæst.*4.*sub A.* hoc sacramentum definit, quod *est absolutio hominis pœnitentis facta certis verbis cum debita intentione prolatis à Sacerdote iurisdictionem habente ex institutione diuina efficaciter significantibus absolutionem animæ à peccato*; Quod definitio cæteris exactior censeri debet, quia huius sacramenti quiditatem per omnes causas explicat, etenim illa prima particula absolutio explicat formam huius sacramenti pro aggregato sumpti, & quia in omni sacramento verba sunt forma, hic explicatur genus verborum, scilicet, absolutorium; illa particula *hominis pœnitentis* materialem explicat causam, quia pœnitentis actus sunt materia huius sacramenti modo superius explicato, aliæ duæ particulæ *à Sacerdote iurisdictionem habente, ex institutione diuina* causam efficientem explicant, tùm ministerialem, qui est Sacerdos, tùm principalem, qui est Deus, illa particula *significantibus* explicat formale per se huius sacramenti, etenim vt sæpè dictum est ex Scoto 4. *d.* 3.*q.*2.§.*hic primò* relatio signi ad signatum est formale per se in quocunque sacramento; ac tandem illa particula *absolutionem animæ* explicat causam finalem proximam huius sacramenti; ergo est definitio data per omnes causas, atque ideò cæteris allatis exactior.

Confirmatur, quia allata definitio explicat quoque hoc sacramentum per genus, & differentiam, nam absolutio est quid commune, siquidem in communi pertinet ad quemcunque Iudicem in suo foro, differentiæ verò additæ illam contrahunt ad forum Ecclesiæ interius, & ad pœnitentiam; prima differẽtia est *hominis pœnitentis*, per quam hoc sacramentum distinguitur ab absolutione facta in iudicio humano, in quo non attenditur pœnitentia rei, sed innocentia; secunda differentia est *facta certis verbis*, per quam forma verborum designatur, quibus debet vti sacerdos in tali absolutione; Tertia particula est *à Sacerdote* per quam indicatur, quis sit huius sacramenti Minister, & quas debeat habere conditiones. Quarta particula est *ex institutione diuina efficaciter significans absolutionem animæ à peccato*, per quàm significatur effectus huius sacramenti, per quem ab alijs distinguitur, & præsertim à baptismo, quia in baptismo non solùm peccatum tollitur, sed etiam pœna, at per hoc tollitur quidem culpa, sed non tota pœna; & in baptismo non tollitur peccatum per absolutionem, & per modum iudicij, sicut nec in extrema vnctione, sed per absolutionem idest mundationem totalem à culpa præsertim originali.

327 Sed Obijcies, quod definitio debet explicare definitum per partes essentiales; hæc autem non est huiusmodi, quia partes essentiales sacramenti pœnitentiæ sunt materia, seu quasi materia, & forma ex Concilijs Florent. & Trident. citatis materia autem huius sacramenti sunt actus pœnitentis, & contritio, confessio, & satisfactio, quæ hic non exprimuntur.

Confirmatur, quia definitio debet constare ex genere, & differentia, quæ hic non apponuntur, nam genus commune omni sacramento est signum sensibile, quod hic non exprimitur. Denique sacramentum hoc pro formali relationem signi importat, sicut & cætera sacramenta, ergo per hoc est definiendum, & non tantùm per absolutionem, quæ est relationis signi fundamentum.

Respondetur negando minorem, nam materia, vel quasi materia explicatur per illam particulam *hominis pœnitentis*, quæ significat hominem actus pœnitentiæ habentem; neque opus fuit illos singillatim exprimere; ponuntur autem in obliquo, quia sola absolutio, quæ habet rationem formæ, importatur in recto, non enim significaret gratiam peccati remissiuam post baptismum commissi, nisi tales connotaret actus, est enim iudicium, quod accusationem dolorosam supponit, & præparationem ad satisfaciendum.

Ad Confirmationem negatur minor, dicitur enim absolutio pœnitentis facta *certis verbis efficaciter significantibus*, quod idem sonat, ac si diceretur in recto, quod sit absolutio significans gratiam peccati remissiuam; alia verò habent rationem differentiæ, vt explicatum est. Ad vltimum patet per idem, nam definitur per relationem signi, & per absolutionem actus pœnitentis connotantem, quo pacto est fundamentum talis relationis, & talem significationem sacramentalem specificat, vt ab aliorum sacramentorum significatione secernitur; Et ita præsertim definiendum erat, quia vt dictum est ab initio huius articulis sub *num.* 237. hic non definitur sacramentum pœnitentiæ præcisè pro formali sumptum, vt significat gratiam peccati remissiuam post baptismum commissi, sed etiam pro aggregato ex rebus, & verbis, in quo fundatur significatio sacramentalis ei propria, prout ab alijs distinguitur sacramentis.

Ex dictis deduci potest illius quæsiti resolutio, An sacramentum pœnitentiæ sit vnum, & qua vnitate; Nam si sumatur pro formali, & in ratione signi est vnum per se, vt deducitur ex Scoto *4.dist.*3. *quæst.* 2. §. *Hic primò & dist.* 16. *q.*1. *E.* quia sub tali ratione constat ex per se actu, & per se potentia: constat enim ex relatione signi, vt sic, & ratione talis signi specifici, scilicet, gratiæ peccata remittentis post baptismum commissa quo pacto est ens per se vnum; quia licet pro fundamento plura connotet diuersorum generum, scilicet, aggregatum ex verbis absolutionis, & actibus pœnitentis, tamen pro formali importat per se vnum; quia non est maior ratio, cur signum sensibile, vt sic, constituat vnam per se rationem sacramenti in communi, non obstante fundamenti diuersitate, seu non per se vnitate; aliæ verò species signi sub eo contentæ eadem ratione nequeant talem habere vnitatem eo modo, quo Doctor *locis citatis* discurrit de sacramento in communi. Si vero sacramentum pœnitentiæ sumatur pro omnibus illis, quæ includit tam pro formali, quàm pro materiali, & fundamento signi, sic vtique est vnum per accidens, vt Doctor docet ibidem, quia nulla relatio cum suo fundamento facit per se vnum, talem autem est sacramentum hoc secundum suum esse formale, & materiale spectatum, nam formale est relatio, materiale autem, super quod fundatur relatio signi, est totum illud aggregatum ex actibus pœnitentis, & absolutione. Si tandem hoc sacramentum sumatur secundum esse fundamentale tantùm, hoc est, pro aggregato quod est fundamentum significationis sacramentalis, neque hoc modo est vnum per, sed tantùm per accidens, quia hoc modo sumptum dicit etiam res diuersorum generum successiuè existentes, & inuicem separatas, quia vt sic, dicit contritionem, quæ est actus spiritualis internus, & confessionem, ac satisfactionem, quæ sunt actus externi, & absolutionem, quæ est actus alterius personæ, quæ omnia sunt successiuè existentia, & ad diuersa spectant genera, ad vnitatem autem per se requiritur vel simplicitas, vel compositio rerum eiusdem generis, vt patet 5.Metaph.cap. de Vno, quia vnum per se ex per se actu, & per se potentia constare debet. 328

Po-

335 Postremò, sacramentum pœnitentiæ siuè pro formali spectetur, & vtens per se vnum; siuè secundum esse materiale tantum, siuè adæquatè secundum esse formale, & materiale simul, præscindens ab hoc, & illo indiuiduo, non est vnum genere, sed tantùm specie. Ratio est, quia pro formali est signum remissionis peccatorum post baptismum commissorum, hoc autem, quod est esse remissiuum efficaciter peccatorum post baptismum, non est diuisibile in plures species, ergo sub tali ratione est vnum tantùm specie; Si verò sumatur pro materiali tantùm, siuè etiam pro aggregato ex materiali, & formali idest ex rebus, & significatione, neque in hoc sensu plures sub se habet aggregatorum species, sed tantùm plura indiuidua, quodlibet enim aggregatum ex actibus pœnitentis, absolutione, & relatione signi essentialiter conuenit in ratione aggregati à Christo assumpti in causam gratiæ, & remissionis peccatorum, neque inter plura talia aggregata vlla differentia specifica assignari potest, per quam diuersificari possint, sed tantùm numerica, vt discurrenti patebit; ergo illud totum aggregatum nequit dici vnum genere, sed tantùm vnum specie.

Dices, aliquod ex his aggregatis continet contritionem pro dispositione pœnitentis ad sacramentum recipiendum, aliquod verò continet attritionem tantùm, quæ à contritione specie distinguitur; ergo etiam & illa aggregata erūt specie diuersa; atq; ideò ratione fundamentum significationis sacramentalis vnum sacrum pœnitentiæ specie ab alio distinguetur, vnde in tota sua amplitudine sumptum erit vnum vnitate generica. Resp. quod sicut panis, & vinum, licet specie differant, tamen vt consecrata in Eucharistia, non faciunt aggregata specie diuersa ex rebus sacramentalibus, & significatione; sic in proposito estò contritio, & attritio specie differant, tamen spectatæ, vt requisitæ ad sacramentum pœnitentiæ, earum diuersitas specifica quoad hoc omninò accidentaliter, & materialiter se habet, quia Christus dolorem instituit, siuè odium, ac displicentiam peccatorum pro hoc sacramento præscindentem à contritione perfecta, & imperfecta, vndè contritus non dicitur recipere sacramentum specie diuersum ab illo, qui tantùm cum attritione ad hoc sacramentum accedit, vt rectè Brancatus aduertit *disp.* 15. *art.* 2. §. 8. vbi plura habet de huius sacramenti vnitate.

QVÆSTIO DVODECIMA.

De Materia, & Forma Sacramenti Pœnitentiæ.

336 IAm diximus ab initio quæst. præc. *art.* 1. *n.* 307. ex Scoto 4. *dist.* 3. *q.* 2. §. *Hic primò*, duplicem in sacramentis nouæ legis compositionem considerari posse, iuxtà quā duplex quoque materia, ac duplex forma in eis assignari potest; quodlibet enim sacramentum habet compositionem ex relatione signi, & rebus, in quibus tali relatio fundatur, & iuxta hanc compositionem, quæ sacramentalis dicitur, forma est relatio signi, materia verò res in quibus fundatur; Et quoniam res, in qua fundatur relatio illa, plura includit, nimirum verba, & alia quæ non sunt verba, habet aliam quoq; compositionē ex rebus, & verbis; quia ergo talis compositio etiam in sacramento pœnitentiæ reperitur, nempè ex verbis absolutionis à Sacerdote prolatis, & ex actibus ipsius pœnitentis, vt constat ex quæst. præced. videndum est in præsenti, quodnam ex illis habeat rationem materiæ, & quodnam ratione formæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quænam sit huius Sacramenti Materia.

337 PRo resolutione quæstionis recolendum est ex dictis *disp.* 1. de sacramentis in genere, materiam sacramentorum duplicem esse remotam, scilicet, & proximam, materia remota sacramenti dicitur illa, circa quam versatur materia ipsa proxima, vt in Baptismo aqua dicitur materia remota, quia circà illam versatur ablutio, quæ est materia proxima; & in extrema vnctione materia remota est oleum benedictum, quia circà illud versatur vnctio, quæ est illius sacramenti materia proxima; Rursus materia alia est ex qua, & alia circa quam, prima dicitur quæcunq; res concurrens ad constitutionem alterius rei per modum subiecti, vt lignum respectu arcæ, vel statuæ, & dicitur *ex qua*, quia ex ea, & forma res constat, & componitur: Materia verò *circa quam* propriè talis dicitur in ordine ad aliquam potentiam, vel actum, & est quæcunq; res, quę potest esse obiectum alicuius potentiæ, vel actus. Hoc prænotato.

Primò Dicendum est, actus pœnitentis, scilicet contritionē, seù dolorem, confessionem, ac etiam suo modo satisfactionē esse materiam proximam huius sacramenti. Ità expressè docent Florentinum in litteris Eugenij, & Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. vbi absolutionem vocant formam huius sacramenti, actus verò pœnitentis quasi materiam, quarè autem adhibeant particulam illam diminuentem quasi iam explicatum est *qu. præced. art.* 2. ab initio *n.* 317. Ratio autem deducitur ex iam dictis *disp.* 1. de sacramentis in genere *q.* 3. ab initio, vbi loquendo de compositione materiali sacramentorum ex rebus, & verbis iuxtà doctrinam Scoti *loc. cit.* 4. *dist.* 3. *q.* 2. dicebamus illud, quod est magis significatiuum, & magis determinatiuum esse formam; quod autem est magis determinabile, & minus significatiuum esse materiam: ac ideò dicebamus communiter in quocunq; sacramento rem esse materiam, quia est magis determinabilis, & minus significatiua, verba verò esse formam, quia sunt magis significatiua: Cum igitur ad sacramentum pœnitentiæ componendum pro materiali, & aggregato concurrant res, & verba, sicut ad alia sacramenta, & res sint pœnitentis actus, sine quibus forma nihil efficit, nec efficacem habet significationem; sequitur in hoc sacramento actus pœnitentis meritò dici materiam, & verba absolutionis formam; dicuntur autem materia proxima, quia proximè ad ea spectant, quę sunt ad hoc sacramentum simpliciter necessaria, & sine quibus essentia huius sacramenti subsistere nequit, qua ratione dicuntur etiam partes huius sacramenti essentiales, vt declaratum est *qu. praced.* ac proindè etiam dici debent materia *ex qua* huius sacramēti, & non tantum *circa quam*, vt dixit Poncius *disp.* 45. *q.* 1. nam eo ipso, quod Concilia, & Patres actus pœnitentis appellant pœnitentiæ partes, iam explicari nequeunt de materia circa quam, quia hæc nunquam est pars illius, cuius dicitur materia circa quam, sed necessariò debent intelligi de materia *ex qua* quæ necessariò habet rationem partis, vt dictum est *qu. praced. art. n.* 324.

Dices, si materia ex qua debet esse pars essentialis, & intrinseca iam actus pœnitentis non erunt huius sacramenti 338
materia ex qua, quia quando fit sacramentum, illi actus non adsunt, nihil autem est intrinsecum, & essentiale rei, quę sine illo existit.

Respondeo negando consequentiam, cuius probatio procedit, de partibus totius permanentis, non autem successiui, quale est sacramentum pœnitentiæ; nam oratio quoque ex multis partibus constat, quæ tamen simul coexistere nequeunt, & sufficit illa coexistentia successiua, & ordo vnius ad reliquas; & idem est de hoc sacramento dicendum, ordo enim absolutionis ad actus contritionis, & confessionis præteritos sufficit ad vnitatem, & coexistentiam huius sacramenti, successiuam inquam, & non permanentem. Dices rursus, possunt tales actus à forma discontinuari per diem, imò per multos dies, vt patet de absolutione, quæ differtur; ergo tunc nullus ordo, nec coexistentia saluari potest. Negatur rursus consequentia, quia vt dictum est *qu. praced. art.* 2. *n.* 318. sufficit inter illas partes coniunctio moralis, qualis inter accusationem rei, & Iudicis sententiam intercedere solet vt etiam de matrimonio constat, in quo consensus vnius coniungis multò tempore præcedere potest alterius consensum, cùm enim hæc sint composita moralia, moralem tantum, & non physicam requirunt coniunctionem, quanta, scilicet, sufficit ad moralem contractum, vel iudicium saluandum, vt vniuersaliter dictum est *disp.* 1. *de sacramentis qu.* 3. *art.* 1. *num.* 109. de sacramentis, quæ in fieri consistunt; adhuc ergò in casu quoque nostro saluaretur ordo illarum partium adinuicem, nam Minister de actibus pœnitentis præteritis memoriam habens, super eos verba proferret, & illi actus per speciem repræsentari sufficiunt, vt tunc verba proferantur, & faciant vnum cum eis moraliter, quantum sufficit ad huius sacramenti constitutionem.

Secundò Dicendum est; materia remota huius sacramenti sunt 339

ti sunt tantùm peccata actualia post baptismum commissa; vel potius materia remota huius sacramenti sunt peccata actualia pęnitentis, quatenus sunt materia circa quam versatur, sicut medicina circa vulnera. Conclusio est Scoti 4. *dist.4.quæst.5.ad* 3. & communis in omni Schola, & probatur, quia materia remota huius sacramenti, quod per modum iudicij emendatiui fuit institutum, est illa, quæ est materia iudicij; sed materia remota iudicij sunt crimina delinquentis emendanda, ergo materia remota huius sacramenti sunt peccata pœnitentis; Tùm quia ille est materia remota alicuius sacramenti, circa quam versatur materia eiusdem proxima, vt dictum est ab initio articuli; sed materia proxima huius sacramenti sunt actus pœnitentis ex præcedenti asserto, qui versantur circà peccata, tanquam circà materiam destruendam; ergò peccata sunt materia remota sacramenti pœnitentiæ. Deindè, quod sint peccata tantùm actualia post baptismum commissa, probatur, quia peccatum originale, & actualia antè baptismum commissa tolluntur per ipsum baptismum, vt ex Tridentino deducitur *sess.14.cap.1.& 2.* vbi dicitur pœnitentiæ sacramentum institutum esse ad reconciliandos fideles post baptismum lapsos; Et ratio est, quia Iudicis sententia non potest vndè ferri, nisi in eos, & circà ea in quæ iurisdictionem habet; at Sacerdos iurisdictionem tantum habet in eos, qui in Ecclesia per ianuam baptismi sunt ingressi, ac proindè in ea tantum peccata post talem ingressum commissa; peccatum autem originale, aut etiam actuale antè baptismum commissum non subijcitur iurisdictioni, aut iudicio Ecclesiæ, cum homo, dùm ea commisit, non esset subditus Ecclesiæ, & Ecclesia non iudicet de illis, qui non sunt subditi iuxtà illud 1.Corinth.5. *quid mihi de ijs, qui foris sunt* ? Tandem, quod huiusmodi peccata post baptismum commissa melius dicantur materia circa quam, quàm materia remota *ex qua* patet ex dictis *quæst.præcedent. art.2.sub num.*324. nam materiam quoque remota est pars constitutiua eius cuius est materia, vt patet in omni composito tam naturali, quam artificiali, ac etiam in alijs sacramentis, vt patet de aqua in sacramento Baptismi; & oleo benedicto in extrema Vnctione; at peccata nunquam hoc sacramentum constituunt, & ideò non rectè eius materia appellantur etiam remota, si per hanc intelligatur materia ex qua, sed tantùm quatenus sunt materia circa quam versatur hoc sacramentum, sicut medicina circà vulnera, vt etiam Brancatus notauit *disp.17.art.2.* & Coninch. *disp.4. dub.3.*

334 Tertiò dicendum est, quod omnia peccata actualia post baptismum commissa sunt huius sacramenti materia cum hoc discrimine, quod mortalia sunt materia necessaria, venialia verò tantùm sufficiens. Est etiam communis, & Scoti *4.d.17.q.vn.* in fine, & habetur ex Concil. Trid. *sess.14.cap.5.* & ratio est, quia peccata venialia à fideli commissa verè sunt peccata, vt suppono, & post baptismum commissa; sed omnia talia peccata sunt huius sacramenti materia, vt constat ex præcedenti assertio.

Confirmatur, quia illa est materia huius sacramenti remota, circà quam versatur materia proxima, qui sunt actus pęnitentis, sed isti etiam circà venialia versari possunt; ergo hæc quoq; huius sacramenti materia esse possunt. Tandem quod mortalia sint materia necessaria, & venialia tantùm sufficiens probatur, quia Trid. *loc. cit.* inquit peccata venialia in confessione omitti posse absque peccato, non autem mortalia; Tùm quia sacramentum hoc est necessarium post naufragium, hac enim ratione dicitur à Patribus secunda tabula post naufragium, sed sic est, quod sola peccata mortalia naufragium inducunt, non autem venialia, quia cum gratia sanctificante sunt compossibilia; ergo sola mortalia sunt materia huius sacramenti necessaria, non verò venialia, sed tantùm sufficiens; & hoc etiam verum est de mortalibus per contritionem remissis, adhuc enim debent subijci absolutioni sacramentali, & ideò non nisi in voto sacramenti dicebantur remitti.

Dices, quando Christus dedit Sacerdotibus potestatem absoluendi peccata verbis illis *quorum remiseritis peccata* &c. vel inclusit venialia, vel non; si non, ergo non dedit eis potestatem ab ijs absoluendi, atq; ideò non erunt apta confessionis materia; si inclusit, ergò sicut propterea fideles obligauit ad confitenda mortalia, & dedit potestatem Sacerdotibus ea retinendi, ità etiam de venialibus. Resp. cum Auersa *q.20.sec.2.* Christum in potestate remittendi peccata, quam contulit Sacerdotibus, inclusisse vtiq; etiam venialia, sed non ob id fideles obligasse ad eorum confessionem, & verba Christi in sensu distributiuo ac comodo accipi debere pro hoc duplici peccatorum genere, vt illa peccata, quorum remissio est necessaria, cadant sub materia debita, ac necessaria, alia verò, quorum remissio non est necessaria, cadant sub materia libera; Insuper potestas retinendi peccata Sacerdotibus data potest quoque super venialia cadere, quatenus potest Sacerdos denegare eorum absolutionem homini non disposito, siue qua absolutione adhuc homo saluari poterit, si non habeat mortale peccatum adiunctum, & alijs etiam modis remissionem eorundem venialium obtinere, vt patet ex supra dictis de venialium remissione.

Sed est Difficultas, an peccata validè confessa, & remissa 335 possint esse materia nouæ confessionis sacramentalis, & difficultas est de materia sufficienti non verò necessaria, omnes siquidem fatentur non esse materiam necessariam, cum semel sint dimissa per hoc sacramentum. Negarunt aliqui Nominales, eo quod nihil amplius circà talia peccata iam confessa, & remissa possit absolutio operari nec verificaretur tunc forma absolutionis, quia peccata iam absoluta rursus absolui non possunt, ità Gabriel *4.d.17.q.1. art.3. dub.2.* vbi ait frustrà hoc sacramentum iterari super peccata validè confessa, imò Rubio *d.15.q.2.* non modò censet illud fore inutile, & sine fructu, verum etiam illicitum, & nullo modo tentandum, nisi pęnitens addat aliquod peccatum alias non confessum, adeout non solùm negat secundam absolutionem esse prorsus inutilem, & infructuosam, sed etiam asserit illicitam, ac inualidam. Secunda sententia è diametro opposita non solùm asserit validè, ac licitè posse aliquem subdere clauibus, & absolutioni aliquod peccatum iam absolutum in alio sacramento pœnitentiæ, sed vlterius addit per hanc secundã absolutionem eiusdem peccati causari eiusdem generis effectus, qui fuerunt causati per primam, adeout per secundam absolutionem nedùm causetur augmentum gratiæ, sed etiam diminutio pœnæ temporalis, quæ vt supponitur, remanserat soluenda in primo sacramento pœnitentiæ; Hæc est communis Thomistarum opinio, quam amplectuntur Caiet. Medina, Suarez, Vasquez, Lugus, Amicus, Coninchius, Caspensis, Auersa, & alij Recẽtiores passim. Tertia sententia media est Scoti *4.d.19. q.2.* in fine in solutione primi principalis, vbi concedit validè, & licitè idem peccatum iam dimissum iterum subdi clauibus, ac etiam fructuosè quantum ad primum effectum, nimirum gratiæ augmentum, non tamen quoad secundum scilicet quoad dimissionem pœnæ temporalis, quæ soluenda remanserat post primam Confessionem, ait enim sub *lit.G.* esse magis probabile, quod per iteratam absolutionem super idem peccatum virtute clauium non minuatur pœna temporalis, quę erat soluenda post primam absolutionem; & benè inquit *virtute clauium* hoc est ex parte sacramenti præcisè pœnam temporalem non minui, quæ satisfacienda remansit, quia loquendo de fructu ex parte dispositionis pęnitentis, gratis concedit hunc etiam effectum haberi per iteratam confessionem ità mentem Doctoris intelligunt, & declarant Hiqueus ibidem, Faber *disp.21.cap.2* Hiribarnes *disp.17.sec.4.* Brancatus *disp.17.art.3.* & alij meliores Scotistæ; ex quo patet quàm incautè Scotus à Thomistis pro prima citetur sententia, cuius mens adhuc magis sequentibus declarabitur assertionibus.

Quartò dicendum est, licitum esse de ijsdem peccatis validè confessis, & absolutis nouam petere absolutionem sacramentalem, & consequenter posse eadem peccata iam remissa esse materiam sufficientem iteratæ confessionis sacramẽtalis; Ità expressè Scotus *loc. cit.* dùm inquit *non dico, quod illicitum sit, vel impossibile iterari*, & probatur ex Extrau. 1. Benedicti XI. de Priuil. vbi ait, quod *licet de necessitate non sit iterum eadem confiteri peccata, tamen quia propter erubescentiam, quæ magna est pœnitentiæ pars, vt eorumdem peccatorum iteretur confessio, reputamus salubre.* Idem deducitur ex Can. *quę pœnitet de pœnit.d.1.* vbi sic legitur *Vndè patet, quod quantò pluribus confitebimur in ipse veniæ turpitudinem criminis, tantò facilius consequetur misericordiam remissionis*: & tandem colligitur ex communi praxi, & vsu piorum hominum, qui sępè generales confessiones de suis peccatis aliàs confessis facere solent, etiamsi nullum dubium habeant, quod priores cõfessiones fuerint inualidæ, nec alia noua peccata offerant, sed solùm peccata anteà confessa; hoc etiam constat ex multis Regulis, & Constitutionibus plurium Religionum,

& Or-

& Ordinum, qui piè, ac sanctè alumnos suos ad generales Confessiones faciendas obligant. Accedit etiam ratio, quia non inconuenit suprà eandem materiam remotam sæpius cadere formam sacramentalem, quæ tamen suprà eandem materiam proximam cadere non potest, sicut suprà eandem aquam benè cadere potest sæpius forma baptismalis, quia est materia remota, non tamen suprà eandem ablutionem, quæ est materia proxima.

337 Sed hic insurgit Difficultas, nùm sufficiat ad nouum sacramentum conficiendum nouam tantùm addere confessionem eorundem peccatorum iam confessorum absque nouo dolore informatam; an potius requiratur prætereà nouus dolor de eisdem peccatis, quæ iterata confessione subijciuntur clauibus; Primum affirmant aliqui apud Dianam *tract.4.* de Sacramentis *res.116.* ac etiam Faber *loc.cit.* vbi inquit, quòd cùm quis semel confessus est peccatum, & manet in eadem dispositione, vt attritionis, vel contritionis, est sufficienter dispositus ad secundam absolutionem absque noua dispositione, vel dolore sicut fuit ad suscipiendum primam absolutionem, atque ideò concludit hanc nouam dispositionem non esse necessariam; & in hoc sensu inquit locutum esse Scotum, quandò dixit magis probabile esse, quod per iteratam absolutionem super idem peccatum virtute clauium non minuatur pęna temporalis, quæ soluenda remansit post primam absolutionem; supposito nimirum, quod pœnitens eodem omninò modo se habeat ex parte sui, sicut se habuit in prima confessione, & nihil aliud de nouo accedat, nisi iteratio confessionis, & absolutio noua; & in hoc sensu ait procedere rationem Doctoris, qua id probat; Nulla enim est ratio, ob quam aliquod iudicium rectum, & ratum in Cęlis alterari, & mutari debeat, nisi adueniat aliqua noua causa, propter quam ratio dictet, illud iudicium, & sententiam esse mutandam; at in proposito casu in illo, qui absolutus fuit à peccatis in confessione recta, & ratificata in Cęlis, fuit commutata pęna æterna in tantam pęnam temporalem, & hæc commutatio fuit iusta, & ratificata in Cęlis, & ille eodem modo omninò se habet nunc in secunda confessione, ac prius; ergò hęc secunda confessio & absolutio nullam illi ferr vtilitatem ad minuendam pęnam illam temporalem, quę ex prima confessione remansit; iustitia enim consistit in æqualitate, si ergo in prima sententa fuit æqualitas, non potest mutari, quia fieret inæqualis, & iniusta, cùm eadem dispositio ex parte pęnitentis supponatur in secunda confessione, ac erat in prima; vndè facta hac suppositione concludit Faber secundam absolutionem nullam afferre vtilitatem ad minuendam illam pęnam temporalem, vel ad conferendum augmentum aliquod gratiæ; Quod si in pęnitente sit noua dispositio, & nouus dolor de peccatis iam remissis, gratis concedit de mente Doctoris non solùm esse salubrem iteratam confessionem ratione dimissionis partis pęnæ, quæ remansit post primam, sed etiam ratione augmenti gratiæ, & collationis aliorũ bonorum; nam Scotus oppositum docet tãtùm ex suppositione, quod in iteratione cõfessionis eadẽ sit dispositio ex parte pęnitentis, & nulla alia sit ratio augendi fructũ nisi ius clauium nam re vera facta tali suppositione virtute istarũ pręcisè nulla est ratio, & causa augmẽtationis fructus.

338 Cæterum longè probabilior est opinio opposita asserens non sufficere ad nouum sacramentum conficiendum nouã tantùm addere confessionem eorũdem peccatorum iã confessorum, sed requiri prætereà nouum dolorem de ijsdem peccatis, quæ iterata confessione subijciuntur clauibus; ità Suarez, Vasquez, Nauarrus, Coninch. Amicus, Auersa, & alij quos citat, & sequitur Bonac. *disp.5. qu.3. punct.1.* in fine, vbi ait eadem peccata posse inseruire pro materia remota plurium Sacramentorum pęnitentiæ, modo adsit distincta materia proxima hoc est, distinctus dolor, & distincta confessio. Ratio est, quia ad nouum sacramentum conficiẽdum requiritur noua saltem materia proxima à priori distincta sed eadem peccata noua tantum confessione subiecta clauibus sine nouo dolore non est noua materia proxima à priori distincta; ergo non est materia sufficiens ad nouum sacramentum constituendum; Maior patet ex modo dictis, minor probatur, quia quando confessio dicitur materia proxima, & pars essentialiter integrans sacramentum pęnitentiæ, non intelligitur de confessione nuda, & absolutè sumpta, sed dolore informata, quæ fit cum peccatorum detestatione, vt constat ex dictis *q. præced. art.1. n.313.* Nec respondere iuuat sufficere ad hoc, vt nouo tantùm actu prior dolor applicetur super eadem peccata de nouo confessa, sic enim intelligitur secunda confessio priori dolore informata. Falsum enim est id sufficere, nam omninò requiritur, vt nouus eliciatur doloris actus a priori distinctus; ratio est, quia ille nouus tantùm actus voluntatis prioris doloris applicatiuus super eadem peccata de nouo confessa non prębet materiam nouam proximam, quam diximus requiri ad nouum sacramentum cõstituendum, nam talis nouus actus est tantùm conditio applicans priorem dolorem; non autem intrinsecè sacramentum constituens, ergo non potest nouam præbere materiam proximam noui sacramenti constitutiuam cum noua absolutione sacramentali. Accedit etiam sine fundamento sufficienti Fabrum asserere, quod si nouus doloris actus non eliciatur è pęnitente in secunda confessione, sed eadem dispositio perseueret, quam habuit in prima, vtiq; futurum validũ nouum sacramentum, sed nullã afferre vtilitatem, nec quoad augmentum gratiæ, nec quoad diminutionem pęnæ temporalis ex priori confessione relictæ; Hoc inquam, gratis omninò dicitur, quia si sacramentum est validum, & nullus ponitur obex ex parte pęnitentis, cùm in secunda confessione supponatur eandem dispositionem habere quam habuit in prima, nulla certè potest esse ratio, cur in secunda etiam, saltem augmentum gratiæ non afferat, etiamsi pęnam temporalem relictã non minueret, nã quando sacramentũ est validum, nec obicem in suscipiente reperit, semper gratiã causat.

Quintò Dicendum est, iteratã confessionem sacramẽtalẽ eorũdem peccatorum iã remissorum nouo dolore informatam non tantùm esse validum sacramentum, sed etiam fructuosum, & salubre. Hęc etiam deducitur apertè ex Extrauaganti iã citata Benedicti XI. vbi dicitur. *Vt eorundem peccatorum iteretur Confessio, reputamus salubre*, & solidè probatur cum Amico *loc.cit.* quia non solùm licitè, sed etiã cum fructu repetimus super eadem peccata semel cõtrita nouã, & nouã contritionem extrà sacramentum; ergò etiam licitè, & cum fructu possumus super eadem peccata semel confessa nouã & nouã sacramentalẽ iterare confessionẽ; Cõsequentia probatur, quia sacramentũ Confessionis in lege Euangelica successit præcepto contritionis, illudque facilitat, & adiuuat, vt quod non potest imperfecta contritio extrà sacramẽtum assequi, assequatur cum sacramento; ergò sicut nondùm instituto Confessionis sacramento, poterãt peccatores actus cõtritionis super eadem peccata cum fructu iterare, & replicare; ità instituto Confessionis sacramento, non tantum licitè, & validè; sed etiã cùm fructu possumus super peccata illud iterare modo iam explicato, alioquin in Euãgelica lege minus efficax, & fructuosum esse hoc sacramentũ, quàm fuerit in veteri contritionis præceptum. Conf. quia potest peccatũ contritione remissum cũ sacramenti absolutione verũ constituere sacramentum, non modò validum quoad essentiã, sed etiam efficax, & fructuosum quoad effectum; ergo pariter poterit peccatum priori confessione, & absolutione remissum cum iterata confessione, & absolutione validũ constituere sacramentum, non modò validum quoad [illegible]ntiã, sed etiã efficax, & fructuosum quoad effectum; assumptum conceditur ab omnibus; consequẽtia probatur, tùm quia nõ minus contritus, quàm secũdò confitens accedit cũ peccatis iam deletis, & remissis, ac proindè sine materia absoluenda; tum quia nõ minus in vno, quã in alio verba formæ verificari debent, igitur si hoc non obstat in vno, neq; obstabit in alio.

Resp. Faber *disp.21. cit. c.2.* in fine non esse parem rationẽ de eo, cui dimissum est peccatum per contritionem, antequã obtineret absolutionem sacramentalem, & de eo cui dimissũ est peccatum per absolutionem sacramentalẽ, quia in primo casu nondũ obtinuit totũ beneficiũ, quod per sacramẽtũ sibi obuenire poterat, ideò per absolutionẽ sacramẽtalẽ obtinet totũ illud quod iustè sibi obuenit; at in secũdò casu pęnitens iã obtinuit totũ beneficium, quod sibi existenti in illa dispositione obueniebat ex iustitia, ideò stãte eadẽ dispositione per vim clauiũ nihil amplius sibi debetur, ideò per secundã sententiã, & absolutionem nihil noui beneficij accipere potest.

Sed hæc solutio procedit ex ea suppositione, quod in iteratione confessionis eadẽ sit dispositio ex parte pęnitentis, nec vllus nouus dolor elicitus de peccatis iam commissis, & remissis, qua data suppositione gratis vtique concedimus secundam absolutionem non solùm futuram inefficacem, & infructuosam quoad effectum, sed etiam inualidam quoad essentiam sacramenti; quia vt suprà dictum est, vt secunda absolutio sit verùm sacramentum, non solum requiritur noua confessio eorundem peccatorum, sed etiam nouus dolor de eisdem peccatis, quæ iterata confessione subijciun- 340

tur clauibus, quo dato casu etiam Faber ipse concedit secundam absolutionem non solum futuram validam quoad essentiam, sed etiam fructuosam quoad effectum. Deindè quia si in contritio ideò hoc sacramentum, fructuosum est, etiam si nullum reperiat peccatum quod actu remittat, quia in illo nunquam habuit effectum: pari modo secundum quoq; sacramentum erit fructuosum, etiamsi nullum in confitente reperiat peccatum, quod actu dimittat, quia nunquam hoc numero sacramentum habuit in tali pęnitente effectum. Deniq; hæc solutio difficultatem non tollit, quia concedit in contrito validum fieri sacramentum, non obstante, quod in eo forma absolutionis non inneniat materiam absoluendam cùm tamen hoc sit potissimum fundamentum, cur non validè, vel saltem non fructuosè possit sacramentalis absolutio iterari super eadem peccata validè confessa, & remissa. Ex his itaq; constat, quomodo de mente Scoti sustineri potest iteratam confessionem eorundem peccatorum nouo dolore informatam non solùm esse validam, sed etiam fructuosam, non tantùm quoad primum effectum augmenti, scilicet gratiæ, sed etiam quoad secundum, scilicet, dimissionis pœnę temporalis, quæ soluenda remanserat post primam confessionem; Quod sit fructuosa quoad primum effectum patet, quia in accedente cum nouo dolore ad secundam confessionem nullus reperitur obex, nec nouus affertur sic accedendo cùm id illicitum non sit, vt inquit Doctor, atqui omnia sacramenta nouæ legis gratiam conferunt obicem non ponenti, ergo &c. Quod etiam sit fructuosa, & salubris quoad diminutionem pęnæ temporalis relictæ, potest sustineri de mente Doctoris, quia quando ipse oppositum docet, hoc asseruit tantùm ex suppositione, quod in iteratione Confessionis eadem sit dispositio ex parte pęnitentis, & nulla alia ratio sit augendi fructum, nisi ius clauium, vt explicat Faber *loc. cit.* qua facta suppositione vtique rectè concludit ratio Doctoris ab eodem allata, quod in noua confessione virtute clauium non minuatur pœna temporalis, quæ soluenda remansit post primam absolutionem.

341 In oppositum objicitur fundamentum oppositæ sententię quod nihil amplius circà talia peccata iam remissa, & confessa possit absolutio operari, nec verificaretur tunc forma absolutionis, quia peccata iam absoluta rursus absolui non possunt, siquidem nullus solui potest, nisi ligatus, talis autem pœnitens non esset ligatus, ergo non esset absolutionis capax, alioquin hoc sacramentum etiam innocenti posset impendi, qui nunquam peccauit. Conf. quia ad essentiam sacramenti pęnitentiæ requiritur materia absoluenda ergo ad essentiam noui sacramenti requiritur noua materia absoluenda; sed peccata semel validè confessa, & remissa non sunt amplius materia absoluenda: ergo non sunt materia sufficiens ad nouum sacramentum conficiendum; antecedens patet, nam hoc sacramentum essentialiter est absolutiuum, vt constat ex eius forma. Tandem hæc secunda absolutio in pęnitente suprà peccata validè concessa, & remissa nullum potest habere effectum in ipso; ergo frustrà iteraretur; probatur assumptum, nam vel hic esset remissio culpæ, vel infusio gratiæ, vel remissio pęnæ temporalis, in quam commutata fuit æterna per confessionem præcedentem; Non primum, quia culpa semel remissa non est amplius nouæ remissionis capax. Non secundum, nam gratia in hoc sacramento infunditur, propter culpæ remissionem; ergo si hæc supponeretur remissa per priorem gratiam sacramentalem, frustrà infunderetur noua: Non tertium, alioquin sequeretur, quod qui multa & grauia scelera commisit, per iteratam confessionem eorundem peccatorum tandem totius pęnæ relaxationem consequi posset, ac proindè posset talis pęnitens ab omni penali satisfactione liberari per frequentem iteratam confessionem eorumdem peccatorum.

342 Resp. negando assumptum, falsum enim est peccata semel remissa non esse amplius capacia nouæ sacramentalis absolutionis saltem nouo titulo, alioquin neque peccata contritione remissa essent sacramentalis absolutionis capacia: Hoc optimè declarat Card. de Lugo *disp.* 13. *sect.* 3. *n.* 73. nam sicut qui semel se obligauit alicui ad aliquid præstandum, potest iterum se ei obligare ad idem, & qui semel vouit potest iterum vouere, & sæpius idem obiectum promittere; sic qui remisit debitum, potest iterum idem remittere; nam remittere in rigore est obligare se per cessionem iuris ad non vtendum iure acquisito ratione offensæ in ordine ad talem, vel talem effectum; quarè sicut possumus per obligationem repetitam dare idem ius, seù ius ad idem alicui, ità per remissionem repetitam possumus renunciare eidem iuri in fauorem alicuius; Ad renunciandum ergo, & cedendum absoluiè, non est necesse, quod adhuc sit nostrum id cui, renunciamus, sed sufficit fuisse aliquando nostrum, per cessionem enim repetitam significamus voluntatem efficacem nostram transferendi à uobis illud ius, quam quidem voluntatem possumus repetere, & declarare sæpius verè, & validè, nam illam cessionem esse validam non est aliud, nisi ponere titulum sufficientem, ratione cuius non possumus iam vti iure illo, quod aliquando habuimus; talis autem est quælibet noua remissio, & cessio, siquidem ponit titulum nouum impedientem, ne vtamur iure illo, quod aliquandò habuimus; ità discurrit Lugo loc. cit. ex quo etiam patet, quod licet qui nunquam ligatus fuit non sit solutionis capax, qualis est innocens, tamen qui semel ligatus fuit, & absolutus, potest iterum aliquo nouo titulo absolui per cessionem iuris, quod aliquando habuimus. Falsum est rursus, quod tunc non verificaretur forma absolutionis nam constat ex vsu hominum, quod eandem offensam sæpius remittere solent sæpius cedendo iuri, quod aliquando habuerunt, nec tamen putant se mentiri, quando secunda vice remittũt.

Ad Confirmationem gratis concedendum est ad essentiam huius sacramenti necessariam quidem esse materiam ex se idoneam, vt aliquo titulo absolui possit, qua de causa non sunt huius sacramenti materia sufficiens, vel quæ peccata non sunt, vel quæ à pęnitente non sunt commissa; negandum tamen non sufficere peccata iam commisa, & semel validè absoluta, nam saltem ea possunt nouo titulo iteratæ confessionis, & noui doloris sacramentaliter absolui; alioquin idem argumentum vrgeret de peccatis iam per prçuiam contritionem remissi, quod nequeant esse materia sufficiens absolutionis sacramentalis; & sicut peccata semel per contritionem remissa possunt iteratis contritionibus iterum nouo titulo remitti; ità iam per confessionem absoluta possunt iteratis absolutionibus nouo titulo iterum remitti, vt benè discurrit Amicus loc. cit. 343

Ad vltimum negatur assumptum, ad cuius probationem dicimus etiam in eo casu per sacramentum iteratum triplicem illum effectum haberi posse, nempè peccati remissionem, falsum enim est peccata semel remissa non esse amplius nouæ absolutionis sacramentalis capacia saltem nouo titulo modo iam declarato, alioquin neque peccata per contritionem præuiam remissa essent sacramentalis absolutionis capacia; in eo etiam casu sacramentum iteratum gratiam conferret, tum culpæ remissiuam, esto illam non inueniat: tum etiam pęnæ temporalis, si quam in pęnitente reperiat; Neque ex hoc vllum sequitur absurdum, nam sicut potest pęnitens per alios pęnitentiæ actus pro suis peccatis satisfacere; ità etiam per frequentatos actus sacramentalis confessionis poterit satisfacere, quia vt ait Benedictus Vndecimus in Extrauag. cit. propter difficultatem, & erubescentiam est aptissima satisfactionis materia.

Dices, hinc sequi frustrà institutum esse extremæ vnctionis sacramentum, nam hoc institutum est ad remittendam pęnam temporalem peccatis venialibus debitam: si ergo hęc remitti potest per sacramentum pęnitentiæ supra eadem peccata aliàs confessa iteratum, iam frustrà foret sacramentum extremæ Vnctionis. Resp. negando consequentiam; primò quia sacramentum extremæ vnctionis ad quosdam effectus per se institutum est, pro quibus hoc pęnitentiæ sacramentum per se non est institutum: Deindè quia eo etiam admiso non tenet consequentia, nam possunt respectu eiusdem morbi plures esse medicinæ; sicut de facto respectu venialium præter pęnitentiæ sacramentum alia quoq; media sunt à Deo instituta, vt constat ex superius dictis; vndè etiamsi concedatur venialium pęnam posse per hoc sacramentum pœnitentiæ iteratum remitti, non sequitur ob id extremæ Vnctionis sacramentum fuisse frustrà institutum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quanam sit huius Sacramenti Forma, & qualis.

Pro resolutione quæstionis quoad hanc aliam partẽ supponendum est cum cõmuni Catholicorũ in Ecclesia Dei extare potestatem absoluendi à peccatis tam quoad culpam, quàm quoad pęnã, vt expresũ est in Trid. *sess.* 6. *c.* 14. vbi docetur per sacramentũ pęnitentię, vel per eius votũ pęnã ęternã vnà cũ culpa remitti; certũ itẽ est ad formam huius sacramẽti necessariò aliqua verba requiri iuxtà diffinitionẽ Cõc. Flo- 344

Florentini in decreto Eugenij generatim statuentis sacramenta nouæ legis verbis constare, tanquam forma; quod posteà loquens specialiter de hoc sacramento inquit, eius formam esse verba absolutionis, quæ Sacerdos profert, cùm dicit *Ego te absoluo* &c. quo etiam modo loquitur Trident. *sess.* 14. *cap.* 3. vbi inquit *formam huius sacramenti sitam esse in illis Ministri verbis &c.* Quod etiam anteà docuit Scotus 4. *d.* 14. *quæst.* 4. *A.* & *d.* 16. *quæst.* 1. E. vbi ait pęnitentiæ sacramentum constare ex forma, quæ aliud non est, quàm absolutio facta certis, seù determinatis verbis significantibus absolutionem animæ à peccato. Verum quia circà hoc plures insurgunt Difficultates, opus est breuiter eas explicare.

345 Prima Difficultas est, an ad formam huius Sacramenti requirantur essentialiter verba propriè dicta, seù an absolutio sacramentalis necessariò certis verbis sit proferenda. Nō defuerunt qui dixerint ad valorem huius sacramenti opus non esse, vt absolutio voce proferatur, sed sufficere alio signo, scilicet scripto, vel vnum indicari; Ratio eorum est, quia sacramentum hoc institutum est per modum iudicij; ergo id, quod sufficit in rigore ad valorem sententiæ in alijs iudicijs, sufficiet etiam in hoc; sed sententia iudicialis potest, & solet à Iudice etiam scripto proferri, ergò sic etiam pariter sacramentalis asolutio; sicut à pari eò quia sacramentum Matrimonij sequitur naturam humani cōtractus, ideò potest etiam scripto, aut nutu, & per procuratorem perfici; quamuis alioquin in alijs sacramentis omninò debeat forma voce proferri. Confirmatur, nam etiam in hoc ipso sacramento confessio, quia sequitur naturam accusationis, potest quoque scripto, & nutu fieri vndè potest pęnitens Sacerdoti præsenti sua manifestare peccata scripto, vel nutibus; Et Sacerdos etiam potest nutibus, vel scripto pęnitentiam imponere; ergo sic pariter poterit absoluere, nec minus verificabitur in tali casu verba illa Christi *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, &c. qui enim nutibus, vel scripto offensam remittit, verè, & in rigore illam remittere dicitur, imò nec aliter, nec alio modo posset absolutio moribundo impendi, si contingeret non adesse alium, quàm mutum Sacerdotem. Demum absolutio ipsa à censuris, quæ est quoque actus iudicialis ex potestate ligandi, & soluendi, quam Christus concessit Ecclesiæ, potest pariter scripto, aut nutu proferri; ergo sic etiam absolutio à peccatis. Ità Paludanus, Adrianus, Medina, Soto, Nauarrus, & alij apud Suarez *disp.* 19. *sec.* 1.

346 Vera tamen, & communis sententia docet, in hoc sacramento absolutionis formam proferri debere certis verbis voce formatis, & prouinciatis, & hoc non solum ex obligatione præcepti, sed etiam ex necessitate valoris. Ità præsertim Scotus noster *loc. cit.* & clarè deducitur ex Florentino *cit.* vniuersaliter docente omnia nouę legis sacramenta perfici verbis, tanquam forma; & quamuis postea loquens de Matrimonio dicat, regulariter perfici verbis, indicans posse interdum sine illis fieri, hæc ipsa exceptio, vt Lugus aduertit *disp.* 13. *sec.* 1. firmat regulam in contrarium, cùm de alijs sacramentis nihil tale dicatur; Imò idem Concilium de hoc sacramento Pęnitentiæ specialiter loquens expressè ait, quod *forma huius sacramenti sunt verba absolutionis, quæ Sacerdos profert cum dicit* &c. vbi ly *verba* & *profert* necessitatem verborum expressè indicant in hac forma; Specialiter etiam de hoc sacramento Trid. *sess.* 14. *cap.* 3. dixit eius formam in Ministri verbis consistere. Ratio autem potissima sumenda est ex institutione Christi, quam traditio, & consuetudo Ecclesiæ perpetua manifestauit; omninò ergò necesse est, vt Sacerdos voce sua explicitè proferat verbum proprium huius sacramentalis absolutionis expressiuum, & communem hanc regulam Pęnitentia cum alijs sacramentis participat ex eodem Ecclesiæ vsu, ac communi Theologorum intelligentia, & solùm exceptio fit iuxtà mentem Ecclesię de sacramento matrimonij, vt patet ex Florentino cit. quod solùm de Mattimonio hanc generalem sacramentorum regulam limitauit.

347 Dices, regulas generales Conciliorum non comprehēdere casus particulares, sed modum regularem ministrandi sacramenti; quamuis ergo regulariter absolutio à peccatis fieri debeat verbis voce humana prolatis; hoc non obstat, quin in aliquo casu necessitatis aliter fieri queat, nempè formando casum, quod in extremo vitæ periculo constituto vnicus offerratur Sacerdos, & mutus, enim in tali casu videtur per signa absolui posse, quæ verbis æquiualent; sicut licet Baptismus regulariter à Sacerdote conferatur, tamen ob eius necessitatem congruum non fuit ligare eius institutionem sexui, aut professioni; ità ergo videtur in proposito discurrendum de sacramento pęnitentiæ ob eius necessitatem, quod nempè in casu necessitatis possit absolutio à Sacerdote muto conferri per signa verbis æquiualentia.

Sed Contrà, quia licet regulæ generales quandoq; casus particulares non comprehendant, adhuc tamen non patiūtur exceptionem, nisi quando subsit fundamentum excipiendi, quod in proposito non adest; quia nec praxis, nec vsus Ecclesiæ vllum præstat fundamentum talis institutionis; neque natura actus iudicialis, secundum quam institutum est hoc sacramentum, quia hoc iudicium est sacramentale, in quo proindè saluari debet communis modus institutionis sacramentorum nouæ legis in forma verbali; vt mox dicemus. Nec instantia de baptismo allata facit ad rem, quia cùm eius necessitas cōprehendat etiam infantes, & amentes incapaces salutis per aliud medium, quàm per baptismum, exigebat ità eius institutionem extendere ad quoscunque Ministros non respiciendo sexum, aut fidem, aut bonitatem eorum, & Ecclesia ità declarauit; At in proposito nulla talis extat Ecclesiæ declaratio, neque talis necessitas, quia pęnitentis aliud medium salutis habent, vt contritionem perfectam cum voto sacramenti; atque ità sicut institutio huius sacramenti certo Ministro est alligata, ità etiam modus illud perficiendi est limitatus adeout aliter nequeat validè perfici, vt praxis, & vsus Ecclesiæ declarat. Denique casus, quo in extrema necessitate solus reperitetur Sacerdos mutus magis mente cogitatur, quàm reipsa contingat; quod si contingeret, verè ille absoluere non posset, sed idem esset, ac si nullius adesset copia Sacerdotis. Addunt tamen Hiqueus 4. *dist.* 14. *quæst.* 4. & Poncius *disp.* 46. *quæst.* non fore inconsultum in tali casu confiteri tali Sacerdoti, & absolutionem ab ipso recipere in scripto, vel nutibus; cùm enim Theologi non infimæ notæ teneant id sufficere, & oppositum non sit definitum, tutius erit id facere; pęnitens tamen debet conari habere contritionem perfectam, & habere propositum confitendi eadem peccata iterum, cùm commodè poterit Sacerdoti potenti verba proferre.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ, negatur iudicium sacramentale quoad omnia iudicio publico subordinari debere, quamuis enim absolutio sit sententia quædam iudicia- 348 lis non ob id debet in omnibus normam humani iudicij imitari; in illo enim nequit idem simul esse testis, & reus, in hoc autem nisi idem sit testis, & reus, sacramentum non est validum; illud potest esse coactum, hoc non nisi voluntarium; in hoc Iudex reum confitentem absoluit, non damnat, in illo è contrà; sicut ergo in his conditionibus iudicium sacramentale non sequitur naturam iudicij publici, ità neque in illis de quibus argumentum vrget, nam illud fieri potest verbo, aut scripto, imò regulariter scripto perficitur, non voce; hoc verò non nisi verbo, & voce; & ratio à priori est, quia iudicium publicum ad externum Reipublicæ bonum ordinatur, ad quod sufficit externa delicti emendatio, at iudicium sacramentale ordinatur ad internā animi salutem, quæ liberam postulat retractationem, & confessionem peccatorum: Nec valet instantia de Matrimonio, quod sine verbis contrahi potest per sola signa æquiualentia consensum mutuum exprimentia, nam Matrimonium in alijs etiam pluribus conditionibns aliorum Sacramentorum institutum non seruat, vt infrà suo loco videbimus; cuius disparitatis congruentias quasdam assignare conantur Suarez, Card. de Lugo, Auersa, & alij Recentiores, quas noster Brancatus impugnat *disp.* 17. *art.* 4. *num.* 77. re enim vera adæquata disparitas assignari nequit, sed pro ratione discriminis ad solam Christi voluntatem, & institutionem recurrendum est.

Ad Confirmationem negatur paritas inter confessionem & absolutionem quantùm ad propositum casum; & ratio discriminis est, quia in sacramento forma debet esse expressior, quàm sit materia, absolutio autem est forma, confessio materia; tùm quia plures causæ possunt moraliter loquendo pęnitentem impedire à confessione vocali, quàm Sacerdotem à vocali absolutione, vndè nec etiam confiteri licet per scripturam extrà casum necessitatis, vt infrà dicemus, tùm tandem quia confessio requiritur ad informationem Iudicis, & regulariter quidem verbalis, in casu autem necessitatis æquiualens per nutus, vel scri-

scripturam, prout status peccatoris permittit; & hanc interpretationem diuinæ institutionis habemus ex Canonibus & praxi Ecclesiæ, non ità verò extendendi similem modum ad absolutionem, vt notat Hiquęus loc. cit. Ad casum verò de Sacerdote muto iam dictum est supra. Ad vltimum negatur consequentia, & ratio discriminis est, quia absolutio à peccatis est actus sacramentalis, & pars potior sacramenti, & per eam fit remissio peccatorum, quæ est proprius effectus Dei, vt agentis principalis, atque ideò fieri debuit per verba ab ipso Deo determinata, à quo instrumentariam vim haberent peccata remittendi; Absolutio verò à censuris non est actus sacramentalis, aut pars sacramenti, licet antecedenter requiratur, quando opus est ad dignam sacramentorum susceptionem; sed est actus fori contentiosi, & ideò forma ferendi, & soluendi censuras administrationi, & arbitrio Ecclesiæ à Christo relicta fuit, in qua proindè potest Pontifex ipse formam præscribere, & instituere illas ferendi, vel soluendi, sine qua actus non valeat; vndè non requirit certa verba, quæ efficiant, quod significant ex institutione Dei, vt ipsius instrumenta, nec per eam fit aliquis effectus, ad quem peculiari modo concurrat Deus, vt auctor principalis, sicut concurrit ad effectum sacramentorum.

Secunda Difficultas est, quænam sint essentialia verba in consueta forma sacramenti pęnitentiæ; circa quam plures sunt modi dicendi, quorum præcipuus docet omnia, & sola illa verba, *Absoluo te à peccatis* ad essentiam formæ huius sacramenti pertinere. Fundamentum est, quoniam illa indicant Concilia Florentinum, & Tridentinum, dùm post illa verba *Ego te absoluo* addunt *& cætera*. Deinde, quia verba hæc *absoluo te* sine alijs sunt ex se indifferentia ad significandam absolutionem à censura, vel absolutionem à peccatis; vt igitur determinatè significent absolutionem à peccatis, determinanda sunt per particulam *à peccatis*, non est autem necesse addere *tuis*, cùm hoc indistinctè exprimatur pronomine *Te*, nec possit pęnitens ab alijs absolui peccatis, quàm à proprijs, quæ confessus est. Demum, quia omnia, & sola illa verba sunt essentialia formæ sacramenti, quæ distinctè exprimunt principalem eius effectum, vt patet in cæteris sacramentis; sola autem, & omnia hæc *absoluo te à peccatis*, principalem huius sacramenti pęnitentiæ effectum exprimunt distinctè, vt de se constat, ergo &c.

Vera tamen, & communis sententia docet sola illa duo verba *Absoluo te* essentialem formam huius sacramenti constituere, & ad eius valorem sufficere, ac necessaria esse; Et ità præsertim docuit Scotus *dist. 14. cit. quæst. 4. §. ex hoc patet*, vbi dicit, quod communiter ista verba sunt apta *Ego te absoluo*, quæcunque alia præmittantur, vel consequantur secundum diuersam consuetudinem in diuersis Ecclesijs; Nec apponit particulam *Ego*, tanquam necessariam, quia præter verbum *Absoluo* non est necessarium ad valorem sacramenti pronomen *Ego*, cùm per se includatur in ipso verbo, vt patet; Nec etiam necesse est addere *à peccatis*, nemo enim est, qui audiat Sacerdotem illa verba proferentem super peccatorem peccata sua confitentem, qui eo ipso non intelligat Sacerdotem significare illis verbis, quod absoluat pęnitentem à peccatis, quæ confessus est. Ratio est, quoniam ea tantùm verba essentialem formam huius sacramenti constituunt, quæ cum adiunctis circumstantijs exprimunt principalem effectum sacramenti; talia autem sunt illa duo verba *absoluo te* in forma sacramenti pęnitentiæ, ergo hæc tantùm sunt de essentia formæ; Maior patet, quia illa tantùm verba sufficiunt, quæ sufficienter ex natura sua significant peccatorem absolui à peccatis per Sacerdotem: Minor verò probatur, quia verba illa *absoluo te* licet indifferentia sint ad significandam absolutionem, tam à censura, quàm à peccatis, prolata tamen super pęnitentem, qui sua peccata confessus est Sacerdoti, determinantur ad significandam absolutionem à peccatis, qui est principalis huius sacramenti effectus; Imò hac ratione dixerunt aliqui Recentiores neque pronomen *Te* esse in hac forma necessarium ad valorem, quia etiam tacitè subintelligitur, dùm Sacerdos super pęnitentem antè se prostratum, & sibi confessum pronunciaret hoc solum verbum *absoluo*, & ità Henriquez sentire videtur *lib. 4. cap. 11.* cum quabusdam alijs; Hoc tamen non benè dicitur; quia verbum *absoluo* est per se indifferens, vt ad quamcumque personam referri possit, nec est per se determinatum ad hanc personam, nec sufficit ex præsentia, & gestu, alijsque actibus, & verbis præcedentibus pęnitentis, aut Sacerdotis determinari, quia ipsa forma verbalis sacramenti debet per se habere sensum integrum perfectum, & determinatum, vt notat Auersa *quæst. 12. sect. 2.* vbi etiam testatur hunc dicendi modum superioribus annis in sacra Congregatione malè audiuisse, qua ratione posteà *sec. 3.* tenet particulam illam *à peccatis* esse de essentia, & necessitate huius formæ.

Ad fundamentum prioris sententiæ negatur consequentia, alioquin sequeretur etiam, quod addi deberet *in nomine Patris &c.* quod etiam auctores illius sententiæ negant, non enim magis particula, *& cætera* referri debet ad *à peccatis*, quam ad *in nomine Patris*; Itaque Concilia illa addunt particulam, *& cætera* non quia indicare voluerint, alia etiam verba sequentia ad essentiam formę huius sacramenti pertinere, ac esse essentialia, sed solùm integralia, quæ ex consuetudine, & præcepto Ecclesiæ adduntur essentialibus; vel vt indicarent, se non definire, an alia verba essentialiter requirantur, sed hoc relinquere Theologis disputandum. 350

Ad Confirmationem patet ex dictis, quomodo verba illa *Absoluo te* super pęnitentiam prolata, qui Sacerdoti peccata sua confessus est, determinantur ex tali circumstantia ad significandam absolutionem à peccatis. Ad vltimum negatur consequentia, quia minimè opus est, vt verba effectum principalem sacramenti exprimant independenter ab adiunctis circumstantijs, sed sufficit, vt illam distinctè exprimant ex adiunctis circumstantiis, vt cōtingit in proposito de illis solis duobus verbis, *absoluo te* super pęnitentem prolatis, qui peccata sua confessus est Sacerdoti; nam illa verba ex natura sua, supposita significatione, quam habent ex hominum instituto, & confessione facta à pęnitente, hoc significant, vt iam declaratum est; & hæc est communis sententia nedum inter Scholasticos, sed etiam apud Summistas, vt videre est apud Bonacinam *disp. 5. quæst. 4. punc. 1.* qui etiam *punc. 2. num. 10.* docet non confici validum sacramentum per solum verbum *Absoluo* omissa particula *Te*, quia tali particula omissa mutatur substantialiter significatio formæ, nam forma absolutionis per verba demonstratiua fuit instituta; sublata autem particula *Te* non est demonstratiua, cùm verbum *absoluo* enunciari possit, non solùm circa peccata alicuius præsentis, verum etiam absentis. Neque hæ solutiones sufficienter refelluntur ab Auersa cit.

Tertia Difficultas est, an hoc ipsum verbum *absoluendi* sit simpliciter necessarium ad substātiam huius sacramenti, & valorem formæ; an potiùs ad valorem eius etiam aliquod aliud verbum ęquiualens sufficere possit. Et quidē communis etiam est opinio posse validè dari per verba æquiualentia, ac præsertim sufficere verbum remittendi dicendo *Remitto tibi peccata tua*, quia Christus Dominus sub hoc ipso verbo dixit, *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, similiter verbum dimittendi, condonandi, indulgendi, patiendi, liberandi, quæ etiam habent vim sententiæ Iudicialis; Ità Auersa loc. cit. cum alijs Recentioribus quod etiam anteà Scotus docuerat *dist. 14. cit. q. 4. art. 2. lit. C.* vbi inquit, ex hoc patet ratio, quarè non est necesse in isto sacramento esse ista præcisa verba, scilicet, *Ego te absoluo*, sicut in Baptismo, vel Eucharistia, quia sufficit, quod exprimatur actus sententiæ absolutionis, sicut in Iudicio publico non oportet esse limitata verba; talis autem iudicialis actus sufficienter exprimitur per allata verba synonima æquiualentia, nam verba requisita ad quodlibet sacramentum ea debent esse, quæ significent illam actionem, quam significant verba Christi, & illum effectum, quem causant ex opere operato, sed verba synonima cum illis *Absoluo te*, habent totum hoc; ergo &c. Idem etiā dicendum de pronomine *Te*, sufficeret enim ad valorem sacramenti idem exprimere aliquo modo æquiualenti, vtpotè in tertia persona, vel sub nomine proprio pęnitentis, *Absoluo hunc hominem*, *absoluo Petrum*, vt notat etiam Auersa *loc. cit.* aut si honoris gratia Sacerdos diceret, *Absoluo dominationem tuam*, *Excellentiam tuam*, & sic sub alijs titulis consuetis, vel indicando personam in particulis sequentibus, vt *absoluo à peccatis tuis, remitto peccata tua*; quamuis enim esset imperfectus loquendi modus, quia dici deberet, absoluo te à peccatis tuis, vel remitto tibi peccata tua tamen haberet adhuc sensum integrum, ac determinatum, quantum sufficeret, culpabile tamen esset in hac re immutare ritū Ecclesiæ, & posset hęc mutatio notabilis censeri sub culpa mortali; Ex qua do- 351

ctrina, quæ est communis in Schola concluditur, quod quibuscunque verbis proferatur forma absolutionis, sufficiens est ad valorem sacramenti, quoties per illa verba sufficienter significatur actus Iudicis proferentis sententiam decisiuam absolutionis peccatorum.

352 Suarez tamen *disp.* 19. *sess.* 1. Amicus *disp.* 11. *sess.* 1. & alij Recentiores in eo dicunt Scotum esse reprehendendum, quod constituit differentiam inter formam sacramenti pœnitentiæ ex vna parte, & formam baptismi, & Eucharistiæ ex alia, ac si non, sint necessaria determinata verba in hac forma, sicut in forma baptismi, & Eucharistiæ; quod falsum esse dicunt, quia in omnibus sacramentis sunt æquè necessaria determinata verba, vndè sic arguunt, Vel Scotus sentit illa verba formæ pęnitentiæ esse necessaria quoad sensum, & significationem, non tamen quoad illa materialia verba, quia verba synonima, vel æquipollentia sufficere possunt; vel intelligit non esse necessaria quoad sensum, & significationem; hoc secundo modo nequit intelligere Scotus, nam ista forma, & omnes aliæ sacramentorum in hoc sensu sunt necessariæ, & immutabiles; At primo modo neque ad formam baptismi, & aliorum sacramentorum certa verba materialia sunt necessaria, vt omnes concedunt, sed tantum quoad sensum, & formalem significationem; ergo malè Scotus ponit discrimen penes hoc inter formam pęnitentiæ ex vna parte, & baptismi, ac Eucharistiæ ex alia.

Respondetur Scotum in primo vtique sensu locutum esse; & cùm inquit hoc esse commune omnibus sacramentis, dico in hoc etiam sensu magnum versari discrimen inter hæc sacramenta, vt Faber aduertit *disp.* 21. *q.* 4. *cap.* 4. quia in sacramentis baptismi, & Eucharistiæ Christus assignauit propria verba formæ, dixit enim, *Ite baptizantes eos in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti*, qua ratione diximus suprà *disp.* 2. de Baptismo, baptismum in nomine Christi collatum, vel in nomine Trinitatis, vel genitoris, & geniti, & spirati, quamuis sint nomina æquipollentia Patris, & Filij, & Spiritus sancti, non esse verum baptismum; Idem de forma Eucharistiæ dicendum est, nam in consecratione panis dixit, *Hoc est corpus meum*, & in consecratione calicis dixit, *Hic est calix*, & ideò in his præcisè consistit forma consecrationis corporis, & sanguinis; & licet in illis aliqua variatio non mutet substantiam, vt si quis loco illius verbi *Hoc*, diceret *istud est corpus meum*, quia istud, & hoc idem significatum habent, tamen si mutaretur illud *corpus* in aliud, non fieret consecratio; At in institutione sacramenti pœnitentiæ non præscripsit certa verba formæ, sed solùm constituit Sacerdotes iudices in eorum potestate formam, & verba relinquens, quibus vti deberent, dummodò verba adhiberent, quæ absolutionem significarent, & liberationem à peccatis; quarè benè dixit Doctor non esse tantam necessitatem, vt in hoc sacramento pęnitentiæ sint verba ità certa, & præcisa, sicut in baptismo, & Eucharistia, quia in his duobus sunt verba à Christo instituta, non autem in sacramento pęnitentiæ.

ARTICVLVS TERTIVS.

Tres aliæ Difficultates solutæ.

353 QVarta Difficultates est, an forma sacramenti pęnitentiæ sit valida, si proferatur deprecatoriè, nùm potiùs proferri debeat indicatiuo modo ad hoc, vt sit valida. Quidam antiquiores dixerunt non rectè dari absolutionem sub forma, & modo indicatiuo *Absoluo te*, sed potiùs dari debere per modum deprecatiuum, seu per modum orationis, v. g. dicendo *Absoluat te Deus*; sicut nempè in sacramento extremæ Vnctionis forma profertur per modum deprecationis, *Indulgeat tibi Dominus*, &c. quia ille modus loquendi sub verbo indicatiuo denotat veluti auctoritatem causæ principalis peccata remittentis; sed sub verbo deprecatiuo denotaret ministerium causæ instrumentalis; certè autem Sacerdos non est auctor principalis peccata remittens, sed est tantùm Minister, ac veluti instrumentum, cui modo dicendi aliqui etiam Patres fauere videntur, & decreta iuris, dùm absolutionem à Sacerdote datam vocant orationem, & supplicationem.

Vera tamen adhuc, & communis sententia est, formam absolutionis modo deprecatiuo prolatam non sufficere ad valorem, & essentiam huius sacramenti, vt si dicatur, *Absoluat te Deus*. Ità colligitur ex Scoto *loc. cit.* & ratio est, quia non remanet idem sensus in verbo deprecatiuo *absoluat*, & in verbo indicatiuo *absoluo*, nam per verbum *absoluo* ostenditur id, quod fit; per verbum verò deprecatiuum ostenditur affectus, & desiderium illius, quod fieri optatur.

Confirmatur, quia alioquin antequam Sacerdos formam ordinariam proferret *absoluo te à peccatis* iam pęnitens absolutus esset vi verborum præcedentium, quando dicit, *Misereatur tui omnipotens Deus, & dimissis peccatis tuis* &c. hæc enim verba æquiualent in sensu isti formæ deprecatiuę. Tandem probatur, quia hoc sacramentum institutum est per modum iudicij ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 2. & 5. sententia autem Iudicis decisiua tradi nequit modo deprecatiuo, sed profertur modo indicatiuo, vel imperatiuo, non verò optatiuo, immò non est sententia si modo tantùm optatiuo proferatur. Ex qua doctrina vlterius sequitur formam absolutionis per verba modo imperatiuo prolatam esse sufficientem ad essentiam, & valorem huius sacramenti, quia sententia Iudicis decisiua optimè exhibetur modo imperatiuo prolata, ac proindè in prædictis verbis sufficienter seruaretur sensus formæ absolutionis à Christo institutæ in hoc sacramento ad instar sententiæ Iudicis, ità Suarez, Vasquez, Hurtadus, Meracius, Caspensis, & alij Recentiores passim, qui tamen rectè addunt periculosum esse, mutare formam ab Ecclesia consuetam, quæ semper vtitur indicatiuo modo prolatis, nam quamuis factum teneret, exponeret se quis periculo peccandi mortaliter quamuis nonnullis videatur esse tantum veniale, quia hæc mutatio non videtur grauis, sed leuis; & hanc doctrinam, tanquam de mente Doctoris approbat Hiqueus 4. *d.* 14. *q.* 4. in Commentario *num.* 28.

Nec fundamentum in oppositum vrget, diuersa namq; est ratio de sacramento extremæ vnctionis, & pœnitentiæ, hoc enim institutum fuit per modum iudicii, non autem in orationis, vel deprecationis, non enim dixit Christus, quorum rogaueritis, peccata dimitti, vel solui, sed absolutè dixit, *quam remiseritis peccata, quæcunque solueritis super terram*, quarè meritò Sacerdos iuxtà eandem normam à Christo traditam dicit modo indicatiuo *absoluo te*. At forma extremæ vnctionis instituta est per modum subsidij, & orationis, vt deducitur ex Epist. Iacobi *cap.* 5. Infirmatur quis in vobis? inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabat infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis est, remittentur ei; quibus verbis patet Ministrum in extrema Vnctione conferenda deprecatoriè se gerere debere, & eius formam per modum deprecationis proferri; vndè constat sub diuerso modo verborum vtrumque sacramentum à Christo institutum fuisse; Cuius etiam ratio, vel congruentia assignari solet, quia in sacramento extremæ vnctionis præter animæ salutem petitur etiam corporis salus, & quia hæc non semper expedit, vt conferatur, petitur à Deo præstanda per modum deprecationis; in hoc verò, & alijs sacramentis confertur aliquid spirituale, quod semper conferri expedit, ideoq; modo deprecatiuo peti non debuit. Neque ille modus indicatiuus per se denotat auctoritatem causæ principalis, sed potiùs communis est, & indifferens etiam ad Ministrum, nam Iudex etiam non supremus, sed Minister, aut delegatus Principis dicit quoque in causis decidendis ego iudico, absoluo, condemno; quarè etiam in hoc locutionis modo indicatiuo optimè intelligitur Sacerdos totum facere auctoritate Domini nostri Iesu Christi iuxtà verba, quæ formæ absolutionis præmitti solent. Quando denique Patres interdum absolutionem vocant orationem, & deprecationem, hoc dicunt ob alia verba deprecatoria, quæ in hoc ministerio adiungi solent, vt exponit D. Th. *q.* 83. *art.* 3. *ad* 2. Adhuc tamen verum est, potuisse Deum hoc pœnitentiæ sacramentum instituere cum forma deprecatiua, sicut fecit in forma extremæ Vnctionis, cùm virtus infinita Dei non sit alligata; & potuisset statuere, vt ad preces tantùm siue Ministri, siuè etiam ipsius pœnitentis peccata dimitterentur, sicut euenit in contritionis. Hoc tamen de facto non fecit, vt ex Scripturis colligitur, sed reipsa sacramentum pęnitentiæ per modum iudicij instituit; sicut autem in iudicio non sufficit sententiam ferre modo optatiuo; ità neq; sufficit in sacramento pęnitentiæ formam absolutionis modo optatiuo proferre.

Quinta Difficultas est, an absolutionis forma sub conditione prolata sit valida. Ratio dubitandi pro parte 355

affirmatiua est, quia vel conditio de futuro contingenti repugnat formæ absoluendi, quatenus est sententia, & iudicium, vel quatenus sacramentalis; non primum, quia in foro siuè sæculari, siuè Ecclesiastico potest iudicium, & sententia proferri cum tali conditione de futuro, v.gr. si non restituat infrà annum, fustigetur, si per decem annos bello non interierit, ad triremes damnetur; Neque secundum, quia ratio huius sacramenti fundatur in sententia iudiciali humana, & vsuali inter homines, non enim Christus alterauit formam iudicij per hoc, quod ipsum ad rationem sacramenti eleuauit.

Confirmatur, quia matrimonium perfici potest cum forma conditionali de re præterita contingenti, vel futura; ergo etiam sacramentum pœnitentiæ; quia non videtur maior ratio de vno, quàm de alio; & cur hic sacramentalis contractus conditionem admittat, ille verò nequaquam, cùm vterque actus humanus ad rationem sacramenti sit eleuatus nec à Christo determinatæ sint aliquæ conditiones pro vno, quæ negatæ sint in alio: Assumptum verò probatur, quia potest contrahens siuè implicitè, & mentaliter, siuè explicitè consentire cum aliqua conditione, puta, si sit virgo, si ex legitimo matrimonio nata, si non defectuosa, mutilata &c. & impleta conditione illa de re præterita, vel præsenti, ille consensus iam prolatus est matrimonialis: item de conditione futura patet, si dicatur, volo eam ducere, si talem, ac tantam dotem habebit, vel si Pater meus consentiet, &c. & tunc tali conditione impleta illud *volo* iam prolatum est contractus sacramentalis absque eo, quod replicetur. Tandem ratio, cur id negatur, est quia adimpletio conditionis de futuro non esset præsens cum cæteris sacramenti pęnitentię partibus, sed hoc non obstat, nam positis actibus pęnitentis, iam forma illa conditionata profertur; parum autem refert, quod tunc non ponatur effectus, quia etiam in baptizato ficte effectus non ponitur, & tamen non cessat ibi esse sacramentum; igitur ex hoc capite nequit asseri, quod conditio illa repugnet valori formæ.

356 Communis Theologorum sententia asserit, quod absolutio data sub conditione de præterito, vel de præsenti, valida est, non verò quæ profertur sub conditione de futuro; & ratio prioris partis est, quia illa conditio de præterito, vel de præsenti non suspendit actum, & ex multis causis potest dubitare Sacerdos, an ritè absoluerit pœnitentem, ac proindè potest ità absoluere, si non es absolutus, ego te absoluo. Ratio posterioris partis est eadem, quia conditio de futuro suspendit actum, illa enim verba, absoluo te, si cras eleemosynam dederis, reddunt hunc sensum: verba quidem absolutionis nunc profero, sed effectum illorum conferre nolo vsque ad illud tempus, quo reipsa eleemosynam dabis; quod quidem non est in potestate Ministri, quia hoc sacramentum est agens necessarium, ac proindè in eo instanti, in quo est, producit suum effectum in suscipiente rectè disposito, neque est in potestate Ministri talem effectum suspendere; ità rem breuiter explicant Caspen. *tract.* 24. *disp.* 2. *sess.* 4. Bonac. *disp.* 5. *q.* 4. *punct.* 3. Auersa *q.* 12. *sess.* 4. cum alijs Recent. citatis ab ipsis.

Verùm hæc communis sententia non placet, nisi melius explicetur; nam in primis quælibet conditio impossibilis, siuè de præsenti, siuè de præterito, siuè de futuro apposita absolutioni officit valori ipsius, nam talis conditio apposita, v.g. *si sum omnipotens, te absoluo*, ità arctat intentionem proferentis, vt si non adsit talis conditio adimpleta, neque adsit intentio proferendi formam sacramentalem; sed conditio de re impossibili, siuè præsenti, siuè futura non potest copulari cum existentia talis rei, ergo &c. Tùm etiam quia conditio de præsenti, aut præterito contingenti, verbi gr. si Princeps dormit, vel nocte præterita dormiuit, ego te absoluo, reddit inualidam absolutionis formam; reddit enim signum sacramentale incertum, & indeterminatum, siquidem neque Ministro, neque suscipienti certa est illius conditionis adimpletio; non igitur absolutè verum est, solutionem sub conditione datam de præterito, vel de præsenti validam esse. Deindè ex alia parte, si quis apponeret conditionem de futuro, quam tamen scit necessariò euenturam, vt si Sol cras orietur, vel Antichristus sit venturus, ego te absoluo, non quidem intendens suspendere valorem sacramenti vsque ad hunc euentum, sed intelligens, sicut certum est Solem cras oriturum, & Antichristum venturum, ità certò te absoluo, tunc planè valeret statim sacramentum; nec igitur absolutè verum est absolutionem datam sub conditione de futuro eo ipso inualidam esse.

Itaque res melius sic explicanda est, quod conditio vel est de re necessario connexa cum actu Ministri; vel cum ipso pœnitente, v.g. si ego sum viuus, si sum Sacerdos &c. quæ subintelliguntur etiamsi non proferantur; sic ex parte pœnitentis, si es attritus, si es integrè confessus, quæ etiam ex parte ipsius supponuntur; Vel conditio est de re contingenti, & hæc vel præterita, vel futura, vel præsenti; & tunc dicendum est, quod nulla conditio sequens naturam actus siuè sit præsens, siuè præterita impedit valorem absolutionis nam talis conditio non destruit actum illum, nec eius significatum mutat, & etiamsi non apponeretur, adhuc vt apposita subintelligeretur, v.g. hæc conditio, te absoluo, si es capax, vel rationis compos, vel si habeo potestatem absoluendi, & similes, nam conditiones huiusmodi supponuntur ad hoc, vt absolutio sit valida, vndè quando etiam explicitè, & verbaliter apponuntur, valorem formæ non destruunt, vel impediunt. Deindè dicendum est, conditionem de præsenti, vel præterito contingenti, & incerto reddere inualidam absolutionem absolutionis formam, quia talis conditio reddit formam dubiam, cùm neque Minister, neque suscipiens sint certi de adimpletione conditionis, vt iam probatum est. Tandem dicendum est, formam absolutionis prolatam cum conditione de re possibili, vel futura contingenti non esse validam ob eandem rationem, quia forma valida est signum certum effectus sacramentalis: talis autem non est forma sub illa conditione prolata, nam propositio conditionalis non facit certitudinem, nisi adimpleta conditione, sed si conditio est futura, non est impleta, quando forma profertur, atque ideò tunc non est certum signum. Nec dici potest tunc formam esse validam, quando adimpletur conditio, quia tunc verba non adsunt, neque aliæ compartes, ergo neque validitas: tùm quia pœnitens posset mori, antequam conditio adimpleatur, vel Ministri intentio retractari. 357

Ad rationem in oppositum dico conditionem de futuro contingenti, & incerto repugnare formæ huius sacramenti, quatenus est iudicium sacramentale, vel sacramentum iudiciale; ad probationem in contrarium replico, quod suprà dictum est *num.* 354. quod licet ratio huius sacramenti fundetur in sententia iudiciali humana, & vsuali, non tamen in omnibus ei assimilatur, & subordinatur, hæc enim fieri potest in scripto, in absentia, & per alterius pronunciationem, & non à Iudice, quæ omnia repugnant nostro iudicio sacramentali, vt ibi dictum est, ex hoc ergo, quod ratio huius sacramenti fundatur in sententia iudiciali humana, & vsuali, solùm deduci potest, quod per illud fiat delictorum remissio, sicut solet inter homines; sed per eleuationem huius sententiæ ad rationem sacramenti talis remissio aliquid amplius habet, scilicet, quod sit certa, efficax, determinata, & quæ nedùm prosit absoluto, sed relinquat eum certum de sententia absolutoria, & non exponat absolutum periculo non fruendi beneficio absolutionis, sed potius periculo damnationis, quod priuilegium vtique non haberet, si talis remissio à conditione de futuro contingenti, & incerto dependeret, nam pœnitens antè purificationem, & adimpletionem talis conditionis posset mori. 358

Ad Confirmationem quamuis Sanchez, Coninchius, Cardinalis de Lugo, Auersa, & quidam alij cum Canonistis existiment matrimonium contractum cum conditione de futuro esse validum, & conferre gratiam: communior tamen opinio Theologorum id negat, & asserit consensum inter coniuges, vt sit sacramentalis, debere esse absolutum, quia quantum ad hoc eadem est ratio de forma matrimonij, & aliorum sacramentorum, habent enim esse sacramentale, quandò sunt, & non aliàs; Sed quamuis id etiam de matrimonio concederetur, de quo suo loco, adhuc non sequitur idem quoque de alijs sacramentis asserendum esse, plura enim pro matrimonio sufficere possunt, quæ in alijs non sufficiunt, siquidem forma matrimonij potest scripto fieri, & nutibus, quod non est verum de forma aliorum sacramentorum, vt suprà dictum est. Ad vltimum negatur minor, ad probationem dicendum poni vtique pro illo tunc formam illam conditionatam, sed non vt efficacem sicut ad formam sacramentalem requiritur, quia vt sit efficax, requiritur illis conditioni adimpletio, quæ non habetur, quando forma profertur; in tempore autem futuro, quando adimpletur conditio, non adsunt aliæ partes sacramentales, imo neque ipsa forma; tùm quia in tempore intermedio retractari posset Ministri intentio, vel mors pęnitentis succedere; Et rursus falsum est in baptizato

ptizato fictè, si alia adsint requisita, nullum poni effectum, quando forma profertur, tunc enim ponitur character, ad cuius impressionem sufficit pro dispositione voluntas recipiendi baptismum, licet non causetur gratia, quia hæc requirit vlterius vel pœnitentiam vel displicentiam aliquam de peccatis iuxtà illud Actor. 1. *pœnitentiam agite, & baptizetur vnusquisque vestrum*, vt declaratum est *disp. 2. q. 6.*

359 Sexta tandem difficultas est, an absolutio possit conferri absenti, qui per scripta vel nuncios confiteretur; vel saltem an confessus Sacerdoti præsenti possit ab eodem absente per litteras absolui. Non defuerunt plures, & graues Auctores, qui opinati sunt validè, & ex iusta causa etiam licitè, dari posse absolutionem inter absentes, nempè vel per Epistolam, vel per inter nuncium, vel propria voce absoluendo absentem, quos passim Recentiores referunt. Fundamentum est, quia hoc sacramentum in forma iudicij exercendum est ex Trid. *sess. 14. can. 9.* sed natura iudicij non postulat præsentiam iudicandi, cùm possit iudicari, & absolui etiam absens, vt constat de excommunicato.

Confirmatur, quia si quid obstaret, præsertim esset quia non posset de absente absolutionis forma verificari, quæ per pronomen *Te* designat personam præsentem; at hoc non obstat, quia potest pœnitens absolui per hanc formam æquiualentem *absoluo Petrum*, vel *absoluatur Petrus*, quæ non necessariò designat præsentiam absoluendi; imò per ipsum pronomen *Te* solemus etiam alloqui absentem per Epistolam. Denique probatur etiam ex ratione vtilitatis, vel necessitatis, quia ob ægritudinem, vel detentionem, aut aliud impedimentum, & ob penuriam Sacerdotum facilè contingere poterat; vt non possent Sacerdos, & pœnitens præsentialiter conuenire presertim inter Infideles quarè expediens erat Christum ita hoc sacramentum instituere, quod etiam inter absentes posset hæc absolutio dari, cùm hoc sacramentum sit post baptismum lapsis necessarium, sicut quia baptismus erat ab initio necessarius, ad maiorem facilitatem instituit, vt à quolibet ministrari posset.

160 Sed quamuis sic aliquando opinari licuerit, tamen post interpositam Sedis Apostolicæ declarationem, ac iussionem, certum iam est non posse absolutionem inter absentes dari nec licitè, nec validè, itaut semper inualidum sit sacramentum pœnitentiæ collatum absenti, siuè pœnitens confessus fuerit præsens, siuè absens. Ità declarauit Clemens VIII. in Bulla super hoc edita anno Domini 1602. die 19. Iulij, vbi vt falsa, temeraria, & scandalosa damnatur hæc propositio *licere per litteras, siuè per internũtiũ confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*, prohibeturque sub pœna excommunicationis ipso facto incurrendæ soli Papæ reseruatæ, *ne illa publicè, aut priuatim doceatur, neuè vnquam, tanquam aliquo casu probabilis defendatur, aut ad praxim quomodo deducatur*; quibus verbis innuitur, & ità ab omnibus intelligitur, interdictam esse absolutionem in absentia, non solùm in vsu ordinario, sed etiam in casu extremæ necessitatis; & ità non solùm prohiberi, vt illicitam, sed damnari quoque vt inualidam, quia sinè Pontifex pro omni, & quocunque casu etiam extremæ necessitatis eam non prohibuisset, si aliquando, & in aliquo casu eam validam putasset. Et quidem hoc ipsum deducitur ex ipsa propria huius sacramenti forma *absoluo te*, quæ præsentem personam demonstrat, hic enim loquendi modus propriè ad personam præsentem dirigitur, & quamuis scribens per Epistolam eodem modo alloquatur absentem, non tamen voce, sed scripto, iam autem suprà Difficult. 1. statutum est absolutionem dari debere voce, & non posse scripto; Hoc idem etiam ex Trident. deducitur *sess. 14. cap. 2.* vbi loquens de huius sacramenti institutione à Christo facta inquit *ante hoc tribunal tanquam reos sisti voluit, vt per Sacerdotum sententiam ab admissis peccatis possent liberari*, quo loquendi modo expressè Concilium significat debere pœnitentem constitui personaliter ante ipsum Sacerdotem, vt ab eo absolutionem recipiat, hoc enim sonat vocabulum *sisti*; vt notat Bonacin. *disp. 5. q. 4. punct. 5.*

Deindè hoc etiam probatur euidenti ratione, quia Sacerdos absens nequit sufficienter statum rei cognoscere per litteras, qui variari potest, & peccare post eas scriptas: ergo nec licitè, nec validè potest ab ipso absolui in tali absentia, quando enim Sacerdos absoluit, debet habere moralem cognitionem de dispositione sufficienti pœnitentis, quantum ipse pœnitens potest ipsi dare. Tandem hoc idem probat etiam Scotus 4. d. 17. q. vn in solutione principalium propè finem, quia hoc forum ordinariè est secretum, talis autem modus ministrandi sacramentum per litteras, vel internuncium non est secretus, ergo &c. vbi etiam ad exemplum D. Thomæ Cantuariensis, qui absens absolutionem petijt à Sede Apostolica, quod pro opposita sententia adduci solet, inquit, intelligendum esse, non de absolutione à peccatis, sed ab aliqua censura ad maiorem securitatem. Et ad illud ex c. *Qualis 30. q. 5.* vbi dicitur pœnitentia per scripturam esse admittenda, explicat de pœnitentia per Scripturam facta presente Sacerdote; est quo patet etiam de mente Doctoris confessionem, & absolutionem factam per litteras inter absentes inualidam esse, vt Aretinus latè declarat *4. dist. 17. q. vn art. 8. concl. 2.*

Adhuc tamen dicendum est, validum esse sacramentum, 361
si pœnitens per litteras mittat sua peccata Confessario, & deindè in præsentia eiusdem dicat se de omnibus illis, quæ scripsit accusare, & ab eodem Confessario absolutionem obtineat in præsenti; ità innuit Doctor *loc. cit.* dùm inquit cum Glossa validam esse pœnitentiam per Scripturam, dummodò posteà absolutionem obtineat in præsentia Sacerdotis, quod etiam tenet Aretinus de mente Doctoris *loc. cit. conclus. 3.* & sequuntur Valentia, Henriquez, Suarez, Nugnus, Bonacina, Amicus, & alij Recentiores affirmantes posse pœnitentem Sacerdoti absenti per litteras, vel nuncium confessum, ab eodem posteà præsenti absolui. Ratio est, quia in tali casu tàm absolutio, quàm confessio fieri censetur in præsentia pœnitentis, & Confessarij; & nihil desiderari videtur ad validitatem Confessionis, cùm pœnitens in tali casu cum dolore integrè se accuset de omnibus peccatis. Et Amicus *disp. 11. sec. 4. conclus. 2.* id ait etiam tenere omnes, qui putant dari posse absolutionem infirmo, qui astantium testimonio signa contritionis dedit, & obmutuit antè Sacerdotis aduentum, imò hoc ipsum approbasse Clementem VIII. qui interrogatus, an moribundus, qui antè aduentum Sacerdotis signa contritionis ostendit, si deindè obmutuit, debeat à Sacerdote præsente sacramentaliter absolui, respondit debere, nec talem casum suo decreto comprehendisse, vt Cardinalis Bellarminus, & Archiepiscopus Armacanus se audiuisse testati sunt anno 1608. die 16. Aprilis; Et hoc ipsum docet Rituale Romanum iussu Pauli V. editum pag. 47. vbi non solùm affirmat posse, sed etiam debere absolui, qui per alios desiderium confitendi ostendit. Ex quibus sequitur relatam Pontificis propositionem *non licere per litteras confessario absenti peccata sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere* intelligendam esse coniunctiuè, vt nimirum non liceat per litteras simul confiteri, & absolui, non autem disiunctiuè quoad confessionem duntaxat.

Dices, si potest Sacerdos præsens absoluere pœnitentem, quem absens audiuit, ergo & absentem, quem audiuit præsens, quod suprà negatum est. Negatur consequentia, ratio disparitatis superius est assignata *num. 354.* vbi diximus confessionem ex sua institutione ad certa verba non limitari, vt absolutionem, quæ confitentis, & audientis præsentiam requirant, vndè fieri potest nutu, scripto ac etiam interprete, cùm causa subest; at absolutio non nisi proprio Sacerdotis verbo validè impendi potest; huius autem institutionis congruentia est superius insinuata *loc. cit.* ac etiam ab Amico assignatur vbi suprà, quia multò plures causæ pœnitentem à vocali confessione in præsentia Sacerdotis impedire poterant, quàm Sacerdotem à vocali absolutione in præsentia pœnitentis, atque ideò ne passim hoc sacramento priuarentur fideles ad salutem adeò necessario, ità institutum est.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ iam obsoletæ negan- 362
da est minor de iudicio sacramentali, quod ad certam verborum formam limitatur, ad quam cætera iudicia non sunt limitata, constat ex dictis *n. 364.* hoc enim iudicium specialiter ità fuit à Christo institutum, prout sacramentorum naturæ, & tenori congruum erat; & ità etiam propriæ rationi huius sacramentalis iudicij congruebat, quod non ex aliorum accusatorum dicto, vel testium peragitur, vt iudicia humana, sed solius eiusdem rei, neque ex deductis, & probatis in foro externo, sed ex statu, & dispositione præsentis ipsius pœnitentis. Ad Confirmationem negatur minor, ad cuius probationem negatur assumptum, etenus enim per hanc quoque formam in hoc iudicio sacramentali absoluere possumus *Absoluo Petrum*, vel *Petrus absolua-*

soluatur, quatenus ex circumstantijs intelligitur de Petro personaliter præsente, alioquin non esset forma æquiualens formæ essentiali *Te absoluo*, vndè sensus est, absoluo hunc, qui vocatur Petrus, qui sensus pariter requirit præsentiam; sicut in forma baptismi apud Græcos dicendo *baptizatur seruus Christi* sensus est *hic seruus Christi baptizatur* æquiualenter ad formam Latinam *Baptizo te*; & quamuis etiam scribens per epistolam alloquatur absentem per pronomen *Te*, non tamen voce, vt necessarium est in forma absolutionis.

Ad vltimum, negatur assumptum præsertim quoad secundam partem, quia vtilitati, ac etiam alicui raræ necessitati præ ponderabat firmum instituere, & vniuersalem modum hoc sacramentum administrandi, nec aditum relinquere alicui exceptioni, quæ ad plura alia incommoda viam aperire potuisset; Iamque *num.* 353. dictum est, non tantam in hoc sacramento vrgere necessitatem, quanta vrget in baptismo, cùm enim paruuli sint rationis incapaces, non nisi per baptismum alicuius manu sibi ministratum ab originali poterant expiari, ideoque expediens fuit, vt à quolibet ministrari posset; at cùm non nisi adulti sint pœnitentiæ capaces, possunt sibi etiam per contritionis actum consulere; atque ideò ad plura incommoda vitanda expediens fuit, vt absolutio pœnitentibus non aliter, quàm à Sacerdote præsente posset impendi.

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

De Vi & effectu Sacramenti Pœnitentiæ.

363 Vis sacramenti consistit in significando, & conferendo spirituali effectu, & quidem vis & effectus communis omnium sacramentorum nouæ legis Euangelicæ est conferre sanctificantem gratiam, vt constat ex dictis *disput.* 1. de sacramentis in genere, quarè iuxtà hanc regulam generalē omnibus sacramentis communem hoc sacramentum vim habet conferendi huiusmodi effectum; Effectus autem proprius huius sacramenti, quem expressè, & peculiariter significat, prout à cæteris distinguitur; est remissio peccatorum post Baptismum commissorum, ad hunc enim finem propriè institutum est per modum iudicij, vt suprà dictum est; omnesque eius partes confessio, absolutio, & satisfactio ad hunc effectum ex diuina institutione significandum, & conferendum maximam habent proportionem; sed circa hanc ipsam peccatorum remissionem differunt Theologi, an hoc sacramentum vim habeat remittēdi peccata propriè quantum ad culpam, ità vt Sacerdos per hæc verba *Ego te absoluo* verè pœnitentem à peccatis absoluat; hoc igitur breuiter in hac quæstione discutiendum est.

ARTICVLVS PRIMVS.

An per sacramentalem absolutionem verè pœnitens absoluatur à peccatis etiam quoad culpam.

364 Solet hæc quæstio etiam sub alio titulo proponi, an potestas clauium se extendat ad remissionem culpæ. Negarunt Antiquiores quamplures Magister sent. Vgo de S. Victore, Ricc. Alens. Ocham, Altisiodorensis, Maior, Gabriel, & alij Nominales, qui propterea dixerunt requiri cōtritionem antè susceptionem huius sacramenti, nempè vt inueniatur culpa antecedenter remissa; varijs autem modis conati sunt explicare huius sacramenti effectum, & in quo sensu forma absolutionis verificetur; Magister, Maior, & quidam alij dixerunt effectum absolutionis in hoc consistere, quod Sacerdos declarat, & pronunciat peccata esse remissa à Deo, quia solius Dei est peccata remittere Isaiæ 43. Sacerdos verò per absolutionem sacramentalē ostendit pœnitentem esse absolutum in facie Ecclesiæ, itaut sensus verborum absolutionis sit *Ego te ostendo, & declaro absolutum per cōtritionem præcedentem*. Alij verò dixerunt Sacerdotem absoluere à pœna æterna debita peccato, postquam Deus solus iam prius remiserat culpam antè sacramentum, ita Vgo, & Riccardus. Alij, vt Alensis, dixerunt potestatem Sacerdotis non se extendere ad absoluendum à culpa, nec à pœna æterna ex opere operato, sed tātùm à pœna temporali, quæ aliquando dicitur absolutio à peccato iuxtà illud 2. Machabeorum, *sancta ergo, & salubris cogitatio est pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur*. Alij tandem dixerunt homines absolui à culpa, & pœna per absolutionem Sacerdotis, non reipsa susceptam, sed in voto, vnde quandò posteà proferuntur verba, homo solum liberatur ab obligatione confitendi, quàm retinuerat, ità Gabriel, & Ocham.

Vera tamen, & communis sententia docet proprium, primarium, ac per se effectum huius sacramenti, & potestatis clauium esse remittere peccatum quoad culpam, ita D. Thomas cum omnibus Thomistis *q.86.ar.6.* & Scotus cum omnibus Scotistis *4 d.14.q.4.ar.3.* & *d.19.q.vn.* vbi ex professò contra Magistrum ostendit hoc sacramentum principaliter habere vim remittendi peccata quantum ad culpam, & hoc esse primarium eius effectum, ità etiam alij Scholastici, & Morales Auctores, qui propterea dixerunt nō necessario prærequiri contritionem pro dispositione ad huius sacramenti susceptionem, sed sufficere attritionem; & hæc sententia est adeò hoc tempore certa, & plausibiliter ab omnibus recepta, vt oppositam erroneam putent Suar. Vasq. Lugus, Amic. Auersa, & alij Recentiores, nam censetur damnata à Trid. *sess.14. can.9. illis verbis*, *Si quis dixerit absolutionem sacramentalem Sacerdotis non esse actum iudicialem, sed nudum ministerium pronunciandi, & declarandi remissa esse peccata, &c. anathema sit*. Atque in Bulla Pij V. & Greg. XIII. contra Michaelem Baium damnantur quædam propositiones illius Doctoris, in quibus dicebat Sacerdotem absoluere solum à reatu pœnæ. 365

Primò itaque probatur hæc veritas apertè ex ipsis Christi verbis Io. 20. *quorum remiseritis peccata, remittuntur eis*, quæ in proprio, & rigoroso sensu significant remissionem peccati etiam quoad culpam, & similiter quando dixit Math. 16. & 18. *quæcunq; solueritis super terram, erunt soluta, & in Cœlis*, vtiq; primario de peccatis intellexit quantum ab culpā, nam illa vniuersalis omnia vincula comprehendere videtur, & hoc idem sonant ipsa verba formæ *absoluo te à peccatis*, & indicare videtur nomen ipsum clauium regni Cœlorum, quod potissimè per culpam mortalem clauditur, & per eius remissionem aperitur. Cùm ergo Christus non dixerit, quorum declaraueritis remissa esse peccata, vel quorum remiseritis pœnam, & debitum, nec dicat Sacerdos, declaro te absolutū, aut tibi remissa fuisse peccata, neque dicat, remitti tibi pœnam, aut reatum, vel debitum; sequitur omninò iuxtà verborum proprietatem intelligendam esse veram, & propriam culpæ remissionem, & non tantùm eius declarationem, aut solius pœnæ, & reatus remissionem. Et planè si esset absolutio declaratoria tantum vt dicebat Magister, quasi iam solutio peccatorum per contritionem præcessisset, non benè dixisset Christus *quodcunq; solueris super terram, erit solutum, & in Cœlis*, sed dicere debuisset *fuit solutum in Cœlis*, quia solutio facta fuisset à Deo intuitu contritionis absolutionem præcedentis; cùm ergo non dixerit *fuit solutum*, sed *erit solutum in Cœlis*, signum est hoc consequenter se habere, illud verò præcedere.

Secundò probatur ex Concilijs Florentino in litteris vnionis, Constantiensi in Bulla Martini V. contrà errores Ioannis Hus, & clarius ex Trid. sess. 14. per totam, vbi *cap.* 1. dicitur Sacerdotibus *datam esse potestatem reconciliandi fideles post baptismum lapsos, & cap.* 2. hoc sacramento homines à peccatis liberari post baptismum commissis, sicut per baptismum ipsum à prioribus peccatis liberantur; & *c.*3. effectum huius sacramenti esse reconciliationem cum Deo. Nec dici potest id verificari ratione contritionis, quæ est pars constituens hoc sacramentum; tùm quia ex eodem Conc. can. 4. sola attritio sufficit ad constituendum hoc sacramentum, quia attritio, cum hoc sacramento disponit ad primam gratiam, & remissionem peccati obtinendam: tum quia idem Concilium dicit præcipuam vim huius sacramenti sitam esse in forma absolutionis, quæ in illis verbis posita est *Ego te absoluo*. Conf. quia idem Concilium can. 2. docet hoc sacramentum rectè cum Patribus appellari secundam tabulam post naufragium respectu Baptismi, qui dicitur prima tabula; sed vt arguit Doctor *d.14.q.4. art.*3. ab initio non rectè secunda tabula appellari posset, si peccatore à naufragio peccati nō liberaret, quia nunquam liberaret naufragum à periculo submersionis. Tandem probatur, quia ex ijsdem Cōcilijs sacramenta nouæ legis efficiunt, quod significant, hoc enim est præcipuū discrimen à Florentino statutum inter hæc, & vetera, quod illa gratiam non causabant, sed eam solū per passionē Christi dandam figurabant, hæc verò continent, & dignè suscipiētibus cōferunt, sed vt arguit Doctor *4.d.19.q.vn.* 366

sub

sub A. si sacramentum pœnitentiæ remissionem peccatorum non importat, & gratiæ causalitatem, non esset sacramentum nouæ legis, quia nec aliquam causalitatem haberet, nec dispositionem causalem ad primam gratiam, quia nunquam dignè susciperetur, nisi ab habente iam primam gratiam. Hoc idem etiam probari potest ex Patribus, qui hanc potestatem in Sacerdotibus agnoscunt, vt videri potest apud Card. de Lugo *disp. 13. sec. 2.*

367 Tertiò hoc etiam probat Doctor rationibus *loc. cit.* nam opposita opinio sacramento pœnitentiæ nimis derogare videtur, nam iuxtà illam per sacramentum pœnitentiæ nunquam deleretur peccatum, sed necesse esset prius deleri per contritionem ad hoc, quod dignè susciperet sacramentum pœnitentiæ, quia nullus dignè ostenditur mundus à peccato, nisi prius sit immunis ab eo. Tùm quia ex ea sequeretur sacramentum pœnitentiæ non esse sacramentum nouæ legis, vt suprà probatum est, & Sacerdotem Euangelicum nõ differre à Sacerdote legali, si non absolueret à peccatis, sed solùm pœnitentem absolutum declararet; quod quamuis concedat Magister, non tamen concedunt Patres, & præsertim Chris. *lib. 3. de Sacerdotio c. 4.* vbi conceptis verbis inquit *nostris Sacerdotibus non corporis lepram, verum animæ sordes, non dico purgatos probare, sed purgare prorsus concessum est.* Tùm quia sequeretur formam absolutionis esse falsam, sicut enim hæc verba in Baptismo, Cõfirmatione, & Eucharistia, *Te baptizo, Te confirmo, Hoc est corpus meum*, non tantùm materiam ablutam, confirmatam, & conuersam declarant, sed exercitè abluunt, confirmant, & conuertunt; sic à pari hæc verba *Te absoluo* non declarant tantum subiectum à peccatis absolutum, sed etiam per se important actum exercitum absoluendi circa subiectum, in quod diriguntur, alioquin non efficerent, quod significant; Tum tandem, quia sacramentum pœnitentiæ est instrumentum efficax gratiæ, sed hoc instrumentum non est signum rememoratiuum, seù ostensiuum alicuius rei, vt præteritæ, sed futuræ; ergò collatio sacramenti pœnitentiæ ad hoc, vt dignè, & validè fiat, non debet esse signum absolutionis diuinæ iam præteritæ, & præcedentis, sed præsentis, vel futuræ.

368 Quartò vlterius probatur reijciẽdo singulos modos, quibus Auctores citati oppositam sententiam explicare conantur; & quidem prima explicatio dicens effectum absolutionis in hoc consistere, quod Sacerdos declarat, & pronunciat peccata esse remissa à Deo satis explosa manet ex modò dictis, nam ea proprietate dicitur Sacerdos absoluere à peccatis, qua Io. 20 à Christo dictum est, *quorum remiseritis peccata remittuntur eis*, sed ibi propriè intelligitur de potestate remissiua peccatorum, quoad culpam, ergo & hic. Secunda explicatio dicentium Sacerdotem absoluere à pœna æterna peccato debita, postquam Deus solus iam antè sacramentum culpam remiserat, etiam refellitur; nam qui absoluit à culpa, necessariò etiam absoluit à pœna æterna sensus, & damni, pœna enim æterna vnà cum culpa remittitur ex Trid. *sess. 6. c. 14.* si ergò antè sacramentum remissa est culpa, pena etiam æterna remitti debuit; Tùm quia culpa mortalis nou nisi per infusionem gratiæ deletur, non potest autem cum gratia reatus pœnæ æternæ manere, quia gratia est semen gloriæ, & filiatio Dei ad hæreditatem gloriæ ius adducens. Tertia explicatio dicens Sacerdotem absoluere tantum à pena temporali est manifestè falsa, quia tunc non esset post absolutionem imponenda satisfactio, quæ a temporali pena liberat; Tum quia vt notat Doctor ex D. Aug. *4. d. 9.* ab initio potest aliquando tanta esse contritio, vt deleat pœnam temporalem, quarè in tali casu à nullo vinculo Sacerdos absolueret; Tùm tandem quia talis explicatio efficaciæ, & excellentiæ huius sacramenti nimis derogat, nam alia faciliora remedia vtique suppetunt ad tollendum pœnæ temporalis reatum, neque ad hoc requiritur noua gratiæ infusio, vt constat in Indulgentijs, & Missæ sacrificio, vndè ex illo effectu arguere non possemus per hoc sacramentum gratiam conferri. Quarta explicatio dicens homines absolui à culpa, & pœna per absolutionem Sacerdotis, non reipsa susceptam, sed in voto, etiam omninò vana est, quia plus potest sacramentum in re, quam in voto, vt de se patet, nam ideò operatur in voto, quia in re haberi non potest; ergo à fortiori plus operatur reipsa susceptum, quam in voto, nam primo modo operatur ex opere operato, at secundo modo ex opere tantùm operantis; quarè, si sacramentum pœnitentiæ in voto peccata remittit, tantò magis reipsa susceptum. Deindè adhuc absurdius est, quod addebat per verba absolutionis hominem liberari solùm ab obligatione confitendi, & clauibus Ecclesiæ se subijciendi, quia non esset absoluere à peccatis, sed ab obligatione confitendi peccata, quod est valdè diuersum; & sic dicendo tollitur omninò potestas clauium Ecclesiæ siquidem non esset ad mundandam animam, sed ad cæremoniam quandam extrinsecam exercendam; Tùm quia falsa omninò essent illa verba, quando absolutio caderet supra venialia tantum, vel mortalia alias confessa, nam tunc non potest Sacerdos pœnitentem absoluere ab obligatione confitendi, quia in eo casu nulla talis adest obligatio. Tandem omnes illæ explicationes simul reijciuntur, quia fundantur in absolutione alicuius pœnæ æternæ, vel temporalis, sensus, vel damni, aut in deobligatione à præcepto confitendi, quæ omnia impropriè dicuntur de absolutione à peccatis, qualis est absolutio sacramentalis.

Quintò tandem probatur destruendo fundamenta oppositæ sententiæ, cum enim dicebat solius Dei esse peccata dimittere Isaiæ 43. inquit Doctor *4. d. 19. q. vn.* sub B. hoc esse verum auctoritatiuè, & principaliter; Sacerdos autem peccata remittit dispositiuè, & instrumentaliter, vt instrumentum passionis Christi, non quidem attingendo illum effectum physicè nec virtute propria, nec alterius, sed attingendo aliquod prius, quod est dispositio necessitans ad illum effectum, necessitans inquam, ex diuina pactione, & tale agens causans dispositionem necessariam ad terminum dicitur agens instrumentale, vt est de alterante, & generante; proprium autem est Dei principaliter mundare, & remittere illud debitum etiam attingendo illum effectum, horum autem neutrum conuenit Sacerdoti. Aliud etiam fundamentum falsum est, quod necessariò requiratur contritio antè huius sacramenti susceptionem, vt pœnitens censeatur rectè dispositus, & sic antè absolutionem consequitur peccatorum remissionem ex vi contritionis; hoc, inquam, falsum est, nam pœnitens cum sola attritione accedit ritè dispositus ad hoc sacramentum, nam attritio sola est sufficiens dispositio ad gratiam huius sacramenti recipiendam, & cum hoc sacramento sufficienter pœnitentem disponit ad primam gratiam, & remissionem peccati obtinendam, vt latè docet Scotus *4. d. 14. q. 4. art. 3.* & posteà Tridentinum definiuit *sess. 14. cap. 4.* Tandem, neque vrget exemplum Lazari, quod adducere solent, qui prius fuit à Christo resuscitatus, & posteà à discipulis vinculis solutus; ex quo facto dicunt Augustinum colligere peccatorem prius à Deo intùs per gratiam viuificari, quam à Sacerdote à vinculis absolui. Non, inquam, vrget, cum enim ille sit sensus allegoricus, non litteralis, opus non est, quod in omnibus sit simile, concedit itaque Doctor *loc. cit.* in solutione principalium peccatorem in Lazaro figuratum antè huius sacramenti dignam perceptionem suscitari debere, vel simpliciter, & tunc per pœnitentiæ sacramentum non deletur peccatum, quia prius per contritionem deletum fuit, sed gratia, quæ infuit, augetur; vel debet suscitari secundum quid, scilicet, vt habeat aliquam displicentiam de peccatis, & propositum cauendi de cætero, & velit suscipere sacramentum pœnitentiæ, in quo attritio fit contritio, & tunc suscitatur simpliciter per sacramentum; Vndè hoc exemplum de Lazaro intelligi debet non semper de suscitatione simpliciter, & viuificatione per gratiam sanctificantem, sed de imperfecta, & secundum quid per gratiam excitantem quæ inchoat vitam animæ per motum præuenientis gratiæ; & in hoc sensu seipsum explicat Augustinus *trac. 49. in Io. & lib. 50. Homiliar. hom. 27.* & de verbis Dom. serm. 8. vbi ait, ideò Deum dici suscitare Lazarum mortuum, quia clamore suo eum vocans facit, vt veniat foras, hoc est, foras prodat per confessionem peccatum, quod occultum erat, hoc enim ipsum prodire foras est viuere; cæterum lib. 2. de adulterinis coniugijs cap. 9. expressè docet, per claues fieri remissionem peccatorum.

Sed adhuc Difficultas est, quando producatur hic effectus infusionis gratiæ, & remissionis peccatorum per verba absolutionis sacramentalis, an scilicet, illa sola verba *Absoluo te*, quæ suprà diximus esse de essentia formæ concurrant de facto ad effectum sacramenti, nùm etiam concurrant alia sequentia *à peccatis tuis*. Qui contendunt particulam *à peccatis* esse de essentia, & necessitate huius formæ requisitam ad valorem ipsius absolutionis, vt sustinet Auersa *q. 12. sec. 3.* cum alijs ab ipso relatis, consequenter volunt illa quoque verba cõcurrere ad effectum sacramenti, itaut effectus non pona- 370

ponatur, donec omnia proferantur. Vasqu. Henriqu. & alij quamuis teneant in rigore sola illa verba *Absoluo te* ad valorem formæ sufficere, quia implicitè important illa quoque *a peccatis tuis*, dicunt tamen, quod quando de facto illa quoque expresse apponuntur, pertinere ad essentiam, & substantiam formæ, atque adeò concurrere, nec poni effectum, donec illa perfecta sunt. Deniq. Suar. Card. de Lugo, Amicus, Hiqueus, Poncius, & alij communiter tenent non concurrere, quia cum verba *Ego te absoluo* ex se sufficiant, nec verba illa sequentia distrahant eorum significatum ad aliam significationem, omninò causare debent gratiam in vltimo instanti, quo proferuntur, & sic sequentia verba non concurrerent. Adhuc tamen probabile videtur, quod inquit Poncius *disp.46.q.2.concl.2.n.13.* quod si Sacerdos intenderet non significare absolutionem à peccatis, nisi per integram formam, non causaretur gratia per propria verba *Te absoluo*, nisi adderetur *a peccatis*, & consequenter in tali casu hæc quoque vltima verba ad effectum concurrerent; cum enim priora verba quantum est ex se possent significare aliã absolutionem, quàm à peccatis, vt puta à censuris; ab intentione Sacerdotis dependet, quod absolutè prolata sine particula *a peccatis* significent absolutionem ab eis, ideòque si intendat tantum per omnia verba significare absolutionem à peccatis, videtur quod in tali casu illa sola verba *Ego te absoluo* non sufficiant ad habendum sacramenti effectum; Et quãuis intentio priuata Ministri validitatem formæ mutare non possit, quando manet intentio vniuersalis faciendi, quod facit Ecclesia, & Christus instituit, & proferuntur verba ex se determinata ad significationem, quam forma debet habere; Tamen quando verba aliqua sunt æquiuoca, & ex se indifferentia ad aliud significandum; satis probabile est, quod ab intentione Ministri dependeat illa verba indifferentia ad sensum debitum, & requisitum limitare; sicut ab ipsius intentione dependet, quod quando dicit, *Hoc est corpus meum* forma sit bona, vel mala; erit enim bona, si non intendat addere aliqua verba formam à propria significatione distrahentia, mala verò si talia verba addere intendat, & dicere, v.g. *Hoc est corpus meum aereum*.

371 Addit vlterius Amicus *disp.11.sec.1.n.17.* posse quoque huius sacramenti effectum ex intentione Ministri differri, non solùm in finem horum verborum *a peccatis tuis*, sed etiam in finem reliquorum subsequentium verborum; licet in tali casu gratis fateatur subsequentia verba effectum sacramenti non causare, sed tãtùm priora essentialia, quoniam ad effectum sacramenti causandum non concurrunt, nisi verba à Christo assumpta, vt suæ passionis instrumenta. Hoc autem probat Amicus, quoniam effectus sacramenti non solùm ex debita materia, & forma dependet, sed etiam ex intentione Ministri, vt constat ex Florentino; poterit igitur Minister intentionem habere à peccatis absoluendi post totam formam quoad omnia verba etiam non essentialia absolutam, nam quamdiù non ponitur intentio Ministri non ponuntur omnia requisita ad sacramenti constitutionem, & consequenter ad eius effectum causandum, cum sacramentum non causet, nisi sit essentialiter completum.

Hoc tamen mihi non videtur satis probabiliter dictum,
372 quia quando Florent. Concilium dixit effectum sacramentorum non tantùm pendere ex debita materia, & forma, sed etiam ex intentione Ministri, non loquitur de intentione priuata, & particulari Ministri, sed de implicita, & vniuersali faciendi, quod facit Ecclesia, & quod Christus instituit, quam semper habere debet Minister in conficiendis sacramentis, vt constat ex dictis *disp.1.* de sacramentis in genere, qua ratione etiam Amicus ipse *tom.7.disp.24. num.18.* docet verba essentialia formæ consecrationis non pẽdere in effectu causando ab intentione Ministri, sed illa statim prolata suum effectum causare, etiamsi Ministri intentionem particularem, & explicitam habeat, vt illa effectum conuersionis non sortiantur, nisi in fine prolationis omnium verborum etiam accidentalium; & ratio huius est, quia in tali casu intentio priuata Ministri non conformatur cum vniuersali, quam supponitur habere saltem implicitè, faciendi, scilicet, quod Christus instituit, & Ecclesia intendit, nam Christus statuit, vt statim prolatis verbis in cõsecratione essentialibus sequatur effectus conuersionis absq; vlla dependentia ab alijs verbis accidentalibus adiunctis; & ideò conuersio, seu conuersionis effectus ex intentione priuata Ministri differri nequit vsque ad finem prolationis omnium verborum etiam accidentalium in forma consecrationis adiunctorum; Sic igitur in proposito quoque discurrendum est, quod cum Christus statuerit, etiam in huius sacramenti institutione, quod effectus absolutionis sequatur statim post prolationem verborum, quæ eius formam essentialiter integrant, & constituunt; non potest talis sacramenti effectus ex priuata intentione Ministri differri, non solùm in finem talium verborum essentialium, sed etiam reliquorum subsequentium accidentaliter coniunctorum; quia in tali casu intentio priuata Ministri non conformatur cum vniuersali, quam tenetur habere, faciendi quod Christus instituit, & quod Ecclesia intendit, nam Christus instituit, vt talis effectus ponatur statim post prolationem verborum essentialiter formam huius sacramenti constituentium. In casu autem à Poncio nuper relato concessimus ex intentione priuata Ministri id contingere posse modo ibi explicato, quia in eo casu intentio priuata Ministri non cõtrariatur intentioni vniuersali faciendi, quod Christus instituit, vt contingit in casu posito ab Amico.

Tandem addit Amicus *loc.cit.n.23.* quod si pœnitens non sit dispositus, nisi in fine prolationis illorum verborum *à peccatis tuis* in prolatione ipsorum accipit gratiam sacramẽtalem; non tamen illam accipit in subsequentibus verbis exprimentibus inuocationem sanctissimæ Trinitatis, si in prolatione ipsorum, & non antè fiat dispositus. Primam partem huius asserti probat, quoniam hæc verba *à peccatis tuis* participant eandem significationem, quam habent verba essentialia *Absoluo te*, quia quod essentialia dicunt implicitè, hæc dicunt explicitè, ac proindè participant eandem virtutem causandi, nam verba sacramentalia ex institutione Christi efficiunt, quod significant. Alteram partem probat, quia verba exprimentia inuocationem sanctissimæ Trinitatis nullã significationem participat verborum essentialium, quæ à Christo ad hoc sacramentum perficiendum sunt instituta; igitur nec virtutem causandi participare possunt, cum hæc fundetur in ipsa significatione principalis effectus sacramẽti. Tùm quia, si posset effectus huius sacramenti conferri in prolatione verborum accidentalium, posse etiam conferri in prolatione subsequentium *Passio Domini nostri Iesu Christi* si nimirum in prolatione horum verborum accidentalium, & non ante pœnitens fieret sufficienter dispositus. 373

Quod asserit Amicus in prima parte asserti omninò mihi quoq; approbandum videtur, & in hoc sensu etiam admitti potest sententia Vasquez, quod illa verba *à peccatis tuis* addita essentialibus causent effectum sacramenti, non autem in casu, quo pœnitens reperiatur dispositus in prolatione præcedentium verborum *Ego te absoluo*, nam tunc effectus sacramenti causatur tantùm in prolatione præcedentium verborum. Quantùm verò ad id, quod asserit in secunda parte, adhuc piè credi potest, quod pœnitens gratiam acciperet in subsequentibus verbis accidentalibus, si tunc tantùm fit dispositus; quia cum sacramentorum causalitas sit moralis, videtur talis effectus produci posse etiam in pœnitente tunc tantùm disposito ob moralem coniunctionem cum verbis præcedentibus, vt dicimus de verbis, & ablutione in Baptismo, in quo casu adhuc verum esset, quod subsequentia verba accidentalia non causarent effectum sacramenti, sed tantùm priora essentialia, & hoc solùm conuincit ratio ab Amico adducta. Opposita tamen opinio communis est, quia hoc sacramentum ministratur per modum iudicij reconciliatiui, in quo antè absolutionem præsupponitur cognitio causæ, & dolor de quo vide Bonacinam *disp.5.q.3.punc.2. n.18.* Amicum *disp.12 sec.4.* & alij Recentiores passim.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Examinatur præcipua Difficultas contra præmissam doctrinam.

Explicato effectu verborum formæ huius sacramenti, remanet adhuc præcipua difficultas examinanda, quomodo saluetur vis, & effectus huius sacramenti, & quem sensum habeat forma absolutionis, quando inuenit iam peccata remissa vel per contritionem, vel per aliam antecedentem confessionem; iam enim dictum est *q. prec. art.1. num. 342.* peccata semel validè confessa, & remissa posse esse materiam nouæ confessionis sacramentalis; Ratio dubitandi est, quia quando peccata iam sunt condonata, & remissa 374

vel

vel per contritionem, vel per alia confessionem præcedentem, non absoluitur, tunc ab illis, non enim absoluitur ille, qui vinculis non est ligatus, nec potest condonari debitum quod non est; cuius difficultatis solutio licet deduci possit ex ibi dictis, tamen quia circà eius solutionem varij sunt dicendi modi, non erit abs re eos singillatim hic examinare, & quid dicendum ex ibi præmissis deducere.

Primò dixerunt aliqui apud Auersam *q.* 14 *sec.* 2. non esse inconueniens, si in tali casu, quo peccata inuenirentur prorsus remissa, hoc sacramentum carere effectu, quo nempè subiectum non indiget, & qui in tali subiecto locum non habet; adhuc tamen verificari formam absolutionis, & reddere sensum conditionatum, scilicet quantum est ex me te absoluo, siuè te absoluo, si indiges, si ligatus es aliquo peccati vinculo; Sed vtrumq; ab hoc dicendi modo assertum est falsum; primum quidem sine vllo fundamento asseritur, quia apud omnes certum est, ac indubitatum quolibet sacramentum, & hoc etiam semper habere effectum in suscipiente, quando obicem non inuenit; ità autem contingit in casu posito, quia remissio antecedens eorundem peccatorum, siuè per contritionem, siuè per iteratam confessionem, obex dici non potest effectum sacramenti impediens, quin potius omnem obicem tollit, vndè omnes supponunt in tali casu sacramentum nouam conferre gratiam sanctificantem; & solùm explicare conantur, quomodo habeat aliquem effectũ sacramenti proprium in remissione peccatorum consistentem, & qualiter in tali casu verba formæ verificentur. Alterum etiam ab hoc dicendi modo assertum non minus à veritate distat, quod, scilicet in tali casu forma absolutionis verificetur, quatenus reddit sensum conditionatum, scilicet te absoluo, si indiges, si aliquo peccati vinculo ligatus es; quia licitum non est formam sub conditione proferre, quando certum est conditionem non subesse, vt in tali casu contingeret; imò absolutionem in tali casu sub conditione proferre idem est, quod admittere reipsa non verificari ex defectu conditionis, & reipsa pœnitentem non absolui, quia absolutione non indigebat, nec aliquo peccati vinculo ligatus erat, atque ità in tali casu sacramentum non perfici.

75 Secundò dixerunt alij etiam in hoc casu dici posse peccata remitti per absolutionem, quia post peccata remissa manent semper aliquæ peccatorum reliquiæ; v.g. malæ inclinationes ex eis relictæ, & similia mala, à quibus homo potest magis, & malis liberari per iteratas confessiones, ideoq; hæc saltem remissio per formam absolutionis significari potest; ità Caiet. *t.* 1. *Opusc. tract.* 5. *q.* 1. *ad* 2. At neque id satisfacit, quia huiusmodi peccatorum reliquæ nequeunt esse, nisi mali habitus, & paruæ dispositiones ex actibus peccaminosis relictæ; sed tamen hæc mala non statim in ipso absolutionis momento virtute sacramenti tolluntur, & interdum huiusmodi peccatorum reliquæ possunt esse iam abolitæ antè repetitam confessionem; & tamen adhuc in tali casu fateri oportet conferri principalem effectum sacramenti. Tùm quia neque hoc sacramentum ad has reliquias tollendas est institutum, neque hoc solùm sufficit ad verba formæ verificanda, quia huiusmodi prauæ dispositiones non sunt peccata, licet ex eis relictæ.

Tùm quia præter absolutionem à culpa, ac pœna æterna, & temporali non benè percipitur, quomodo adhuc vlterius absoluatur homo per virtutem clauium ab his peccatorum reliquijs neque enim Concilia, neque Patres talem effectum huic tribuunt sacramento, sed ad summum dicunt dari ex virtute huius sacramenti aliquod speciale auxilium, quo possit homo operari ad has prauas dispositiones vincendas, & expellendas, vt inquit Suarez *disp.* 19. *sec.* 2.

376 Tertiò Coninchius *disp.* 4. *dub.* 8. vt aliquid noui excogitaret, dicit post ablatam culpam, & remissam pœnam manere semper aliquam indignitatem, qua cæteris paribus ille, qui peccauit, minus dignus est aliquo Dei beneficio peculiari, quam alius æquè iustus, qui nunquam peccauit; & hoc impedimentum, inquit, ac indignitatem anferri magis, & magis per absolutionem mediante gratia habituali, quæ in sacramento recipitur, & hoc modo ait absolutionis formam in se verificari, & aliquid in anima operari. Hæc explicatio reijcitur, vt præcedens, licet enim admitteretur verè per absolutionem, & per quodcunque gratiæ augumentum illam indignitatem minui, sicut certè augetur dignitas, adhuc tamen hoc non videtur sufficiens ad verba formæ verificanda, tùm quia hæc indignitas non est peccatum, licet ex peccato relicta, tùm quia quando Sacerdos dicit, *Ego absoluo te a peccatis*, aliquid plus significare videtur, quàm soluere ab indignitate carendi diuinis beneficijs ob peccata. Accedit ex Lugo *disput.* 13 *sect.* 3. quod sicut Deus condonando culpam cedit iuri, quod habebat ad auersionem rationabilem ab homine, qui peccauit, & posteà pœnitet, & condonando pœnam cedit iuri, quod habebat ad puniendum positiuè hominem propter peccatum; ità potest liberè cedere, & renunciare omni iuri, & titulo morali, quem haberet ad negandum aliquod beneficium illi homini ratione peccati præteriti, neque enim est minus Dominus Deus horum iurium, quàm illorum: posita autem hac vniuersali cessione iam non manet illa indignitas, & tamen adhuc præteritum peccatum materia esse posset absolutionis sacramentalis. Neque hanc instantiam soluit Auersa *loc. citat.* dicens pro Coninchio de facto in hac vita nunquam exinaniri totam illam indignitatem, licet absolutè ex Dei prouidentia posset. Nam hoc gratis omninò dicitur, sicut enim Deus est æquè Dominus tam horum iurium, quàm illorum, vt dicebamus; ità pariter suaui eius prouidentiæ magis congruum est, quod sicut de facto in peccatorum absolutione cedit iuribus illis, ità & istis, adeo vt tollatur omninò, & consumetur tota illa indignitas, & titulus.

Quartò alij dixerunt sensum illorum verborum esse, *Ego tibi sacramentum absolutionis impendo*, vt explicuit D. Thomas *q.* 84. *art.* 3. *ad* 5. & in hoc sensu formam absolutionis verificari, etiamsi non conferat remissionis effectum, quia satis est, quod verè perficiatur sacramentum, & ponatur causa sufficiens ad illum effectum. Sed neque hic dicendi modus difficultatem tollit, & rem sufficienter explicat, nisi melius declaretur, quia verba sacramentalia debent significare effectum, quem causant; at effectus ab absolutione sacramentali causatus non est sacramenti traditio, sed liberatio à peccatis, & à reatu pœnæ æternæ, ergo &c. maior patet ex definitione sacramenti, minor probatur, quia verbum ad differentiam patri nominis actionem, ad quam denotandam est impositum, significare debet; sed hoc verbum absoluo non est impositum ad significandam sacramenti collationem, sed ad denotandam solutionem à peccatis, ergo hanc, non verò illam significat, & significare debet. Accedit, quod eo ipso, quod sacramentum perficitur, statim eius effectus poni debet, quia sacramentum efficit, quod significat; ergo si per allata verba sacramentum perficitur, iam per ipsa, seu ex vi ipsorum proprius effectus ponitur; quando enim dicitur *sacramentum absolutionis tibi impendo*, vtique intelligitur absolutionis à peccatis; & ad huius dicti veritatem reipsa absolutionem à peccatis ponere oportet, siuè peccatorum remissionem; vndè adhuc redit difficultas à capite, quomodo hæc verba verificentur, quando iam remissa sunt peccata, vel per contritionem, vel antecedentem confessionem. 377

Quintò Suarez *disp.* 19. *sec.* 2. *cit.* statuens hoc sacramento semper conferri effectum gratiæ in subiecto obicem non apponente, explicat non semper conferri effectum remissionis, sed tantùm, quando adest peccatum non remissum, & sub hac conditione intelligi, ac verificari formam, scilicet, pæne s infusionem gratiæ remissiuæ, ac expulsiuæ peccatorum, si in subiecto inueniantur; Vndè Caspensis *trac.* 24. *disp.* 2 *sec.* 4. in fine ait sensum illorum verborum, *absoluo te a peccatis* esse huiusmodi; Ego quantum est ex me remitto tibi peccata tua, conferendo tibi gratiam remissiuam peccatorum: qui sensus semper est verus, etiamsi illa verba non semper sortiantur effectum remissionis, quem significant, vt cùm per præuiam contritionem obtenta est iam remissio omnium peccatorum, vel cùm quis rursus confitetur peccata, à quibus iam per Sacerdotis absolutionem anteà solutus est, id enim est per accidens, & non ex defectu virtutis illorum verborum, quæ solùm significant se hunc effectum conferre quantum est ex se, & ex sua virtute; Et hic dicendi modus communior est, ac frequentior inter Recentiores, ac etiam Nostrates, vt potè qui videtur à Scoto insinuari 4. *d.* 14. *q.* 4. in solutione ad 2. principale, vbi inquit, quod quando per præuiam contritionem obtenta est iam remissio peccatorum, tunc per sacramentum pœnitentiæ non deletur peccatum, sed gratia, quæ infuit, augetur; & eodem modo loquitur *d.* 19. *quest. vn.* in solutione rursus ad 2. principale, vbi inquit, quod sicut baptismus fluminis non habenti prius gratiam confert, & habenti auget; ità frequen- 378

frequenter adulti per præuiam contritionem (quam ibi attritionem appellat quatenus præcedit gratiæ habitualis infusionem, contritionem verò quatenus habet gratiam annexam iuxtà modum loquendi antiquorum Scholasticorum) tanquam per meritum de congruo iustificantur, antequam confiteantur, & tunc in susceptione sacramenti augetur eis gratia; Ità etiam rem explicat Faber *disp.* 21. *cap.* 5. *num.* 95. & 96. vbi inquit, quod hæc forma semper est vera, quia conferendo gratiam peccati remissiuam, semper delet peccatum, quantum est ex se, si peccatum adsit; si verò non adsit, non delet, sed confert augmentum gratiæ, & ideò in tali casu quoad hanc partem dimissionis peccati, intelligitur sensus huius formæ aptitudinaliter. Sic tandem discurrit etiam Brancatus *disp.* 17. *art.* 7. *num.* 191. vbi ait, quod siuè peccata à solo Deo sint remissa antè absolutionem intuitu contritionis, siuè non, verba illa, *Ego te absoluo*, significant actionem solutiuam, & remissiuam peccatorum, quod verò non semper faciant effectum soluendi, per accidens se haber. Quod si instes, ergò in tali casu verba non significant, quod Sacerdos delet peccata.

Respondet *num.* 192. gratis concedendo, quod in tali casu practicè non significant, quod peccata deleant, adhuc tamen hocipsum speculatiuè significant, eo quod sint apta delere, nam ista verba sunt instituta ad significandum, quod Sacerdos per ea possit delere peccata, & deleat, quando adsunt; si igitur non adsunt, significant speculatiuè tantùm, quia quantum est in se, facerent effectum; quando autem adsunt peccata delenda, significant etiam practicè, idest, faciunt, quod significant; quam doctrinam repetit rursus in fine eiusdem articuli sub *n.* 208.

379 Cæterum quamuis hic dicendi modus sit satis probabilis, vtpotè à Scoto insinuatus *loc. cit.* & à nostris communiter retentus, adhuc tamen aliquam patitur difficultatem, nec plenè satisfacere videtur; Nam quandocunque sacramentum est validum, & non inuenit obicem, debet absolutè conferre suum proprium effectum, & efficere id quod significat, ac proindè significare practicè, & non speculatiuè tantùm, vt constat ex dictis *disp.* 1. de sacramentis in genere, quod si talem effectum conferre non possit, eo quod eum iam collatum inueniat, potiùs in tali casu sacramentum censeri debet inualidum, seu quod non valeat in tali subiecto, sicut dici solet de Baptismo, Confirmatione, & Ordine, quando inueniunt characterem impressum ex simili sacramento suscepto, in tali enim casu hæc sacramenta non dicuntur signa speculatiua tantùm suorum effectuum, sed potiùs dicuntur prorsus inualida.

Confirmatur, quia vt arguunt Cardin. de Lugo, & Auersa *loc. cit.* sicut significatum directum, & primarium harum vocum; *Ego te absoluo*, non est gratiæ infusio, sed peccati condonatio, ità etiam principalis, & præcipuus huius sacramenti effectus est peccatorum remissio, nam intantùm hoc sacramentum ex vi suæ formæ gratiam confert, inquantum habet remittere peccata, quem effectum attingit mediante gratiæ collatione, vndè prius in intentione est peccata remittere, quàm gratiam conferre, siquidem gratiam cōfert ad finem remittendi peccata; si ergo in casu posito caret effectu remittendi peccata, censeri etiam debebit carere effectu conferendi gratiam, quia hic effectus ad illum ordinatur, sicut medium ad finem; Denique non benè explicari videntur illa verba, *Ego te absoluo a peccatis*, vt sensus sit, Ego tibi confero gratiam peccatorum remissiuam, si inueniantur; nam sensus illorum verborum potiùs est absolutus, & de ipsa actuali peccatorum remissione, & non aptitudinali, vel potentiali tantùm; tùm quia licet significatio sacramentalis, seu mystica significatio totius huius sacramenti iuxtà diuinam institutionem sit ad denotandam, & conferendam gratiam; altera tamen significatio, quam illa verba habent ex hominum institutione, & quæ est propria illorum, vt verba humana sunt, & quæ sola debet attendi ad cognoscendum eorum sensum, & veritatem, habet pro directo, & immediato significato, non gratiæ infusionem determinatè, sed peccati condonationem; vndè licet de facto ex Christi institutione significent, & conferant gratiam: vt tamen sunt verba humana eam determinatè non significant, nec eum sensum faciunt, quia ex hominum institutione ad gratiam significandam non sunt imposita, sed tantùm solutionem à vinculis, & peccatorum remissionem, vt benè discurrit Lugus *loc. cit.* vndè absolutè loquendo illa verbo, *Ego te absoluo*, iuxta suam significationem verificarentur per remissionem peccatorum, si hæc fieret sine gratiæ infusione, vt fieri potest de potentia Dei absoluta loquendo, & non verificarentur per collationem gratiæ, si non haberet connexam peccatorum remissionem, vt de potentia Dei absoluta contingere potest ex iam dictis *lib.* 2. *disp.* 7. de Iustificatione.

Sextò igitur his de causis præstat dicere cum Lugo, & Auersa *l. c.* iuxtà dicta superius *q.* 12. *art.* 2. *nu.* 348. effectum sacramentalis absolutionis non tantùm semper esse infusionem gratiæ peccatorum remissiuæ, sed actualem quoque ipsorum remissionem iuxtà proprium, & absolutum sensum ipsorum verborum, etiamsi inueniantur iam remissa peccata, vel per præuiam contritionem, vel antecedentem confessionem. Ratio constat ex ibidem dictis, quia minimè implicat peccata iterum, atque iterum remitti, & fieri nouam eorundem remissionem, ac nouum remissionis actū, & sicut ab initio per infusionem gratiæ talis peccatorum remissio facta fuit, ità denuò per aliam gratiæ infusionem, & accretionem fieri potest. Quod totum ibidem fuit etiam ex humanis deductum, qui enim offensus fuit, vel alterius creditor erat, etiam facta reconciliatione, ac debito soluto, potest adhuc rursus, si voluerit, aut alter rogauerit, offensam, vel debitum dimittere dicēdo, dimitto tibi iterum offensam, vel debitum, & potest de hoc nouam scripturam condere, & hoc nouo titulo rursus iuri suo cedere non obstante priori cessione; Potest pariter qui semel promisit, & ad aliquid se obligauit, iterum promittere, & ad illud idem se de nouo obligare, prout de facto solemus idem votum apud Deum repetere; ergo & Deus, ac Sacerdos nomine ipsius post idem de nouo peccatum rursus dimittere, titulo præsertim noui doloris de illo eliciti; consequentia patet, quia diuina nostrorum peccatorum remissio est veluti promissio de indignatione non retinenda pro nostris offensis, quæ quidem promissio repeti potest, quæ repetitio talem vim habet, ac si diceret; etiamsi antea non remisissem, non promisissem, nunc remitto, nunc promitto; in quo casu ponitur quidem nouus voluntatis actus in hominibus, ex parte autem Dei ponitur aliquis nouus effectus ad extrà. 380

Neque hæc doctrina repugnat doctrinæ Scoticæ *loc. cit.* quando enim inquit, quod cùm per præuiam contritionem iam obtenta est peccatorum remissio, tunc per sacramentum pœnitentiæ non deletur peccatum, sed gratia, quæ infuit augetur, non loquitur de quacunque peccati remissione, & absolutione, sed de omninò prima peccati remissione, quæ propriè dicitur peccati deletio, & destructio, per alias enim remissiones sequentes, & repetitas licet peccatum rursus dimitti dicatur, & condonari non tamen propriè deleri, & aboleri, non enim propriè destruitur, & aboletur, nisi quod actu est, & existit, & quod non est, planè deleri nō potest; Et quando etiam dixit *d.* 19. *q. vn.* quod nullus solui potest, nisi ligatus, iam dictum est suprà *quæst. præced. num.* 348. quod licet qui nunquam ligatus fuit qualis est innocens, non sit solutionis capax; tamen qui semel ligatus fuit, & absolutus, potest iterum aliquo nouo titulo absolui per nouam iuris cessionem, quod aliquando habuimus in ipsum; Imò hoc idem fassus est etiam Brancatus *disput.* 17. *cit. art.* 3. *numer.* 61. vbi hoc idem soluens argumentum inquit, quod illa propositio, nullus potest solui, nisi ligatus, valet in physicis, non in moralibus, quia licet in physicis solutio supponat ligamen, nequit enim imaginari, quomodo sit soluendus, nisi in aliquo vinculo, seu ligamine concipiatur, in moralibus tamen potest quis pluries solui, quia pluries iudicari; Vera tamen, & magis propria ratio discriminis inter vincula corporea, & vincula spiritualia peccatorum est illa, quam adducit Card. de Lugo *sec.* 3. *cit. num.* 82. quod propositio illa de solutione vinculi corporei prolata habet pro obiecto immediato ipsam vinculi corporei solutionem, quam solam affirmat, vndè si à parte rei actualis solutio à me non ponatur, propositio mea non est vera. Quando verò solutionem vinculi spiritualis affirmo, obiectum immediatum à me affirmatum non est ipsa ablatio externa vinculi, sed actus meæ voluntatis, quo ego interius cedo iuri acquisito ex offensa, & me obligo ad non vtendum illo iure ad id, ad quod prius poteram rationabiliter vti ratione præcedentis offensæ; Quando enim dico, condono, vel remitto offensam, affirmo actum voluntatis, qui est cessio, remissio, condonatio, seu voluntas me obligandi; idem autem affirmo quando dico *absoluo*, nam verbum *absoluo*, & verbum *remitto* idem prorsus in hoc sacramento 381

signifi-

significant, vt constat ex superius dictis, ac etiam ipsa Christi institutione, in qua vtroque, verbo indifferenter est vsus; Potest ergo verè affirmari vtrumque etiamsi peccatum antè remissum fuerit, quia licet homo à vinculis corporeis solutus non possit amplius solui, potest tamen offensa, ac debitum iam remissum iterum, atque iterum remitti, quia potest offensus, vel creditur iterum, atque iterum se obligare ad non exigendum illud debitum, nec indignationem concipiendam propter illam offensam, quod est propriè cedere iuri, & offensam remittere.

382 Dices, si verba absolutionis non significant actualē peccati ablationem, & vinculi solutionem, sequitur posse verificari formam, & validum conferri sacramentum, si pęnitens peccatum dubium confiteatur, vel existimatum, & de illo doleret; Consequentia probatur, nam peccatum, quod iam dimissum fuerat, non magis ligat nunc, quàm illud quod nunquam fuit; ergo si respectu illius datur verum sacramentum, sic etiam respectu illius dari poterit, quia verba vtrobiq; significabunt solam conditionem & remissionem, quantum est ex parte Creditoris.

Respondetur cum eodem Lugo negando sequelam, & ratio discriminis est, quod in illo casu verba essent falsa ex defectu obiecti, & propositio esset quasi de subiecto nō supponente cùm diceret, remitto tibi tale peccatum, quod peccatum nunquam fuit, sicut si Sacerdos me absolueret ab occisione Angeli, vel furto Chimeræ, absolutio esset nulla, si aliam materiam non habet, ex defectu obiecti, & iuris, cui renunciet nomine Dei per illam cessionem; sic ergo pariter remissio esset nulla, si peccata remitteret, quę nunquā fuerunt, quia hunc sensum faceret talis absolutio, renuncio illi iuri indignationis, quod acquisiuit Deus ex talis peccati commissione, quod est falsum; cùm enim Deus nullum ius acquisierit, nulli iuri renūciare potest Sacerdos nomine Dei, atque adeò propositio esset falsa, quia remissionem affirmaret, vbi nulla est remissio; Quando verò peccatum iam fuit commissum, ac etiam antea condonatum vel per contritionem, vel præcedentem confessionem, adhuc secūda remissio esset vera remissio, quia adhuc versaretur circà verum obiectum, & circà verum ius, cui secundo Sacerdos renunciat nomine Dei vt explicatum est.

QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

Num semper hoc sacramentum conferat suum effectum, vel possit esse validum, & informe.

383 Sacramentum dicitur validum, quando constat partibus essentialibus cunctis, informe vero, quando nō confert actu gratiam sanctificantem ob indispositionem suscipientis. Itaque quia alia quædam sacramenta possunt esse vera, & valida, & carere effectu gratiæ ob indispositionem suscipientis, vt præsertim dictum est de Baptismo *disp. 2 quæst.6.* celebris de hoc quoque sacramento est controuersia, an in aliquo casu validum esse possit, & ob aliquam indispositionem suscipientis effectu gratiæ carere, quo sensu diceretur informe non quasi in sua substantiali forma deficiens, alioquin etiam inualidum esset, sed tanquam deficiens solùm in effectu gratiæ, quæ est forma animam sanctificans.

Prima sententia affirmat dari posse hoc sacramentum in se validum, & effectu vacuum, & informe non conferendo gratiam, & remissionem peccatorum, sicut iam dictum est de Baptismo; & est communi in Schola Thomistarum cum D.Thoma *4.d.17.q.3. art. 4.* quam sequuntur Suarez, Card. de Lugo, Valentia, Auersa, Caspensis, Henriquez, Nauarrus, Diana, Bonacina, & alij Morales, & aliqui etiam ex nostris eo, quod dicunt Scotum hoc dubium explicitè non mouere, ità Hiribarnes *4 disp.15. sec.10. & 11.* & Aretinus *d. 17. art.7.* Verum tamen est hos Auctores inter se discrepare in quibus casibus possit hoc sacramentum esse validum, & informe, & quamuis maior pars eorum affirmet, hoc euenire posse ex defectu doloris, si nempè pęnitens accedat absque dolore, vel saltem cum aliquali dolore, non tamen sufficiēte nec habente omnes conditiones requisitas ad effectū gratiæ; adhuc tamen non conueniunt qualis esse debeat hic dolor, qui ad essentiam sacramenti sufficiat, non tamen ad effectum; Alij enim docent sufficere naturalem; Alij concedunt vtique debere esse supernaturalem, sed dicunt sufficere inefficacem, vel quoad propositum peccādi, vel quoad detestationem ipsam peccati; Alij sufficere putant dolorem imperfectum intensiuè; Alij tandem magis communiter affirmant dolorem imperfectum extensiuè, si pęnitens nimirum accedat cum dolore omnium quidem peccatorū, quæ recordatur, sed non eliciat actum doloris vniuersaliter, & integrè de omnibus mortalibus, quæ commisit, immemor inuincibiliter alicuius; talis enim dolor non esset sufficiens ad effectum sacramenti; quia ex vna parte repugnat remitti peccata etiam inuincibiliter oblita sine detestatione saltē virtualiter ad illa se extendēte, & ex alia parte nequit vnum peccatum mortale remitti sine alio; Vndè in tali casu videtur sacramētum esse validum quoad essentiam; quia habet omnes suas partes essentiales, & continet sufficientem attritionem de peccatis in confessione delatis, sed non confert effectum, quia non remittitur illud peccatum, de quo non habetur dolor, nec remittuntur alia peccata sine illo, cùm gratia omnia simul remittat; & hoc præsertim modo Suarez, Lugus, Filliucius, Caspensis, & alij Recentiores defendunt dari posse hoc sacramentum validum, sed informe.

Secunda sentētia absolutè negat posse dari hoc sacramētum validum, sed informe, quam tenent Gabriel, Maior, Adrianus, Io. Medina, Andreas de Vega, Vasquez, Coninchius, Turrianus, Amicus, Laiman, Emanuel Sà, Facundez, & alij Recentiores; & hæc etiam fuit expressa Scoti sententia *4. dist. 1. qu.5.* vbi §. *contrà istam opinionem* in fine inquit, quod in fictè pęnitente cessante fictione nihil est, quod sufficiat ad effectum veræ pęnitentiæ, alioquin non oporteret talem fictè confessum de eisdem peccatis aliàs confiteri; & ità iam statuimus *disp.2. de Baptismo q. 6. art.3. num. 167.* & ità sentiunt de mente Doctoris Poncius *disp.46.q.3. num.22.* Brancatus *disp.11. de sacramentis in genere art.4.* & alij Scotistæ melioris notæ.

ARTICVLVS PRIMVS.

Resoluitur Quæstio.

Quæstionis huius resolutio deduci debet ex dictis *disp. 2. cit. quæst.6. art.3.* vbi diximus priuilegium illud Baptismi conferendi gratiam recedente fictione, seù ablato obice ad summum cōuenire posse cæteris sacramentis characterem imprimentibus, scilicet, ordini, & Confirmationi, ità enim significauit Doctor *loc. cit. vers. quarto arguitur,* in fine vbi negat per alia sacramenta imprimi ornatum charactere similem, quia alias recedente fictione causarent suū effectum, scilicet, gratiam, cùm remaneret dispositio ad eam; & hoc præsertim ibi negat de sacramento pęnitentiæ, quia nullam relinquit dispositionem, à qua moueatur Deus ad causandam gratiam ipsi respondentem ablato obice, sicut facit intuitu aliorum, quæ causant characterem, non enim hunc imprimit pęnitentia, nec aliquid ei simile; quæ ratio licet non sit conuincens, est tamen satis probabilis, vt ibi dictum est. Verùm quia Aduersarij, vt dictum est, discrepant in assignandis casibus, in quibus possit hoc sacramentum esse validum, & informe, & communior, ac frequētior dicendi modus est eorum, qui dicunt hoc euenire posse ex defectu doloris, si nempè pęnitens accedat absq; dolore, vel saltem cum aliquali dolore, non tamen sufficiēti, nec omnes conditiones habente requisitas ad effectum gratiæ; hunc præsertim dicendi modum hic impugnare conabimur, quo excluso alij quoque minus probabiles facilè excludentur, & pręsertim in solutione rationū aduersantiū. 384

Primò itaque probatur ex hoc capite, scilicet, ex defectu doloris dari non posse hoc sacramentum validum, & informe, nam in primis certum est confessionem absque vllo dolore inualidā esse, & nullam etiamsi talis defectus ex ignorantia inuincibili procedat, quia deficit in parte essentiali, nec ignorantia materiam essentialem sacramenti supplere potest; vndè si is, qui confitetur, nesciat requiri dolorem, & bona fide confiteatur, non fieri in eo casu validum sacramentum, quamuis in eo non committeretur noua culpa, sicut & in omni alio sacramento, si non adhibeatur materia ad eius substantiam necessaria, vt in Baptismo aqua naturalis, quamuis talis defectus ex inculpabili errore cōtingeret, verè non conficeret sacramentum; Et adhuc minus potest esse cōfessio valida defectu doloris, quādo talis defectus ad- 385

uer-

uertitur, vel aduertit debet à pęnitente, quia tunc nouum peccatum in Confessione committitur, siquidem accedere ad sacramentum cum obice noto, vel culpabiliter ignorato est graue peccatum, nec sufficit illud confiteri, sed debet omninò tolli; non ergo dari potest hoc sacramentum validum, & informe ex defectu doloris actualiter culpabili, quia vt confessio sit sacramentalis, debet esse vera, & legitima accusatio cum peccatorum dolore, & detestatione, non potest autem esse talis illa accusatio, quæ sit actualiter peccaminosa, & sacrilega ex defectu doloris actualiter culpabili.

Confirmatur, quia vt hic aduertunt Coninchius, & Amicus, hoc præsertim discrimē versatur inter hoc, & alia sacramenta, quod illa non includunt, vt partem essentialē ipsam suscipientis dispositionem; vndè possunt esse valida quoad essentiam, informia quoad effectum, quia omnia essentialia includere possunt, etiamsi debitam suscipientis dispositionē non includant in ordine ad effectum; at sacramentum pęnitentiæ ipsam pęnitentis dispositionem includit, vt partem essentialem, quam si semel includit, non solùm erit validum, sed etiam efficax, si verò non includit, non solùm erit inefficax, & informe, sed etiam inualidum.

Respondet Auersa *quæst.14.sec.5.* non deesse sufficientem materiam, quandocunque desit sufficiens dispositio, quia licet materia huius sacramenti consistat in actibus pęnitentis, inter quos præcipuè est retractatio, & dolor de peccatis: tamen cum huiusmodi dolor notabilem habeat latitudinem, ac diuersitatem, optimè potest esse, vt aliquis dolor sit sufficiens in ratione materiæ ad validitatem sacramenti; sed non per hoc sit sufficiens in ratione dispositionis ad effectum gratiæ. Nam etiam in alijs sacramentis requiritur hic dolor in nomine habente conscientiam mortalium peccatorum vel saltem attritio, vt in Baptismo, vel etiam contritio in alijs non præmissa confessione, & tamen in ijs non habet rationem materię, sed tantummodò dispositionis: Sic ergo, & in hoc pęnitentiæ sacramento potest requiri quædam perfectio doloris solum in ratione dispositionis ad effectum vltrà illam qualitatem doloris, quæ sit in ratione materiæ necessariam ad valorem.

386 Sed Contrà, quia non est diuersus dolor, qui requiritur, vt pars ad essentiam huius sacramenti, & qui necessarius est ad effectum eiusdem, sed idem prorsus dolor sufficiens ad essentiam, & validitatem, sufficit etiam ad effectum huius sacramenti; ergo implicat dari sacramentum pęnitentiæ informe, & simul validū: consequentia patet, nam hoc ipso quod est informe, non habet dolorem sufficientem ad sui essentiam, cùm hic sit ille idem, qui ad ipsius effectum requiritur; antecedens probatur, quia Concilium Florentinū & Tridentinum assignāt dolorem, tanquam de necessitate huius sacramenti, nec distinguunt vnum dolorem sufficientem ad valorem, & alium perfectiorem necessarium ad effectum, vel vnum qui sit pars essentialis huius sacramenti, & alium qui sit solùm dispositio ad eius effectum requisita; Quinimò Tridentin. *sess.14.* eundem dolorem, quem *cap.3.* definit esse materiam huius sacramenti statim *cap.4.* docet peccatorem disponere ad impetrandam gratiam in hoc sacramento; ergo idem dolor qui sufficit ad validitatem, sufficit etiam ad effectum huius sacramenti.

Respondet rursus Auersa cum Lugo Concilium indefinitè assignasse eam contritionem, quæ ad sacramentum validè, & cum fructu recipiendum, & ex obligatione pęnitentis per se requiritur, quia in hoc sacramento re vera idem doloris actus optimè potest, & solet esse simul pars intrinseca sacramenti, & dispositio ad gratiam, dùm nempè est supernaturalis, & efficax, & vniuersalis; Non tamen ob id negat posse adhuc saltem per accidens inferiorem aliquem dolorem sufficere ad solam substantiam sacramenti, qui tamen non plenè disponat ad effectum, sed hoc sub Theologorum disputatione in sua probabilitate reliquit. Hęc tamen solutio modo loquendi Concilij non satisfacit, nam eo ipso quod Concilium statuit eundem dolorem, qui est materia huius sacramenti, esse quoque sufficientem dispositionem ad eius effectum consequendum, sequitur necessariò illum eundem dolorem siuè perfectum, siuè etiam imperfectum, qui sufficit ad validitatem, sufficere quoq; ad eius effectum, quia Concilium in nullo casu vnum dolorem ab alio distinguit, sed eundē vniuersaliter, ait sufficere tam ad validitatē, & essentiam, quàm ad effectum, & fructum; Et in nullo casu talem dolorem distinctionem contingere posse, quorum alter ad validitatem sufficiens nequeat ob suam imperfectionem sufficeret ad effectum sacramenti consequendum, efficaciter ostenditur ratione sequenti.

Secundò probatur, quia ad essentiam, & valorem huius sacramenti requitur dolor, qui efficaciter tendat ad reconciliationem hominis cum Deo; sed dolor reconciliatiuus cum Deo non tantùm sufficit ad essentiam, sed etiam ad effectum huius sacramenti; ergo dolor, qui est necessarius ad essentiam huius sacramenti, est etiam sufficiens ad effectum eiusdem, nec potest esse in inferiori gradu; Maior est doctrina Tridentini *sess.14.cap.3.* vbi ait hoc sacramentum esse essentialiter recōciliatiuum peccatoris cum Deo, & effectum huius sacramenti esse reconciliationem cum Deo, & *cap.4.* docet dolorem ad hoc sacramentum pęnitentię requisitum spem veniæ includere debere, quæ est ipsa voluntas efficax obtinendi reconciliationem à Deo mediante hoc sacramento; Minor probatur, quia talis dolor recōciliatiuus cum Deo continet implicitè detestationem omnium mortalium; ergo non tantùm sufficiens erit ad valorem, & essentiam huius sacramenti, sed etiam ad effectum & fructum eiusdem obtinendum; probatur assumptum, quia omnis amor efficax alicuius boni continet implicitè detestationem mali contrarij, vt patet in actu perfectæ charitatis qui virtualiter continet detestationem omnium peccatorum mortalium, quāuis homo eorum nō recordetur, quia actus ille cum actuali affectu ad peccatum mortale stare non potest; ergo dolor essentialiter ad hoc sacramentum requisitus, cùm sit reconciliatiuus peccatoris cum Deo, virtualiter saltem semper se extendere debet ad omnia peccata pęnitentis etiam oblita; Confirmatur, quia nisi offendens efficaciter detestetur offensam amico illatam, firmumque concipiat propositum non amplius illum offendendi, verum animum habere non potest reconciliandi se cum amico, sed tantùm simulatum, & fictum, ergò dolor reconciliatiuus peccatoris cum Deo efficacem detestationem de commissis offensis includere debet, firmumq; propositum amicum non amplius offendendi; sed dolor talem detestationem, & propositum includens virtute se extendit ad omnem grauem offensam Deo factam; ergo implicat esse dolorem reconciliatiuum, & illū ad omnem grauem offensam Deo factam virtute non se extēdere; Minor subillata probatur, quia pęnitens virtute talis actus manet dispositus tam ad vitandum quodcunque graue peccatum, si occasio offeratur illud committendi, quā ad prorumpendum in formalem detestationē cuiuscunq; grauis offensæ contrà Deum, si illa menti occurreret; ergo ille verè recipiet effectum sacramenti, vel si in ea intentione deficiebat, nō tātùm infructuosè, sed etiā inualidè confitetur. 387

Respondet Auersa loc.cit. in primis nō esse necessarium, vt qui validè confitetur habeat eam intentionem adæquatam reconciliationis cum Deo; sed satis esse, vt specialiter intendat consequi remissionem eorum peccatorum, quæ recordatur, & confitetur putās se non habere alia, & ideò putat se non indigere detestationem aliorum: Addit, quod nec etiamsi habet eam adæquatam intentionem eo ipso actu habet auersionem ab omnibus peccatis, nam illa est intentio finis, quæ eo ipso est quidem virtualis voluntas adhibendi omnia media, sed nō per hoc est actualis applicatio mediorum, quę potius debet consequenter fieri; Quarè ad summū illa est virtualis voluntas detestandi omnia peccata, sed non est actu virtualis detestatio omnium peccatorū: Ex quo fit, vt si is putet, vel dubitet se habere alia peccata, quæ non recordetur, debeat de facto elicere actum detestationis eorū, stante illa efficaci intentione reconciliationis cum Deo; Si autem inuincibiliter putet se non habere alia peccata, aut non aduertat de tali actu detestationis eliciēdo, satisfaciet validitati sacramenti, & intentioni suæ reconciliationis detestando illa peccata, quæ recordatur, & confitetur, tanquam impeditiua, & lęsiua diuinę amicitiæ non cogant de alijs: Et sic cum re vera habeat alia sibi occulta, non est sufficienter dispositus ad gratiam, sed tamen recipit validum sacramentum. Et hæc solutio coincidit cum ea, quam affert Card. de Lugo *disp.14.sec.6. n.81.* vbi inquit, quod licet ad valorem huius sacramēti requiratur propositum vniuersale non committendi de cætero vllum peccatum mortale, non tamen requiritur dolor vniuersalis de omnibus peccatis, quia Concil. Trident. non eodem modo loquitur quoad hoc de dolore, ac de proposito, nam de illo solùm dixit *debere esse detestationem de peccato commisso*, in quibus verbis non petit dolorem terminatam ad omnia peccata, sed solū ad commissa; de proposito autem dixit vniuersaliter debere 388

esse

esse *propositum non peccandi de cætero*, & debere excludere voluntatem peccandi, quæ verba vniuersalia sunt, & omnia peccata comprehendunt, etiam illa quæ committi possunt. Imo Auersa in fine illius 6. sectionis addit etiam consequenter videri posse pariter sufficere propositum determinatum de non repetendis ijs peccatis, quæ pœnitens se commisisse meminit, & sic etiam Concilium intelligi posse de voluntate non repetendi de cætero similia peccata, de quibus pœnitens nunc dolet, & confitetur.

389 Verùm in hoc puncto de dispositione necessaria ad valorem confessionis ex parte pœnitentis Auctores isti nimis habenas laxare mihi videntur, & vt ab hoc vltimo incipiam; quod ad valorem confessionis requiratur propositum vniuersale de vitandis quibuscunque mortalibus in futurum, est communis omnium sensus, non tantùm iam commissis, & confessis, sed etiam committendis, vel quæ committi possunt, alioquin per tale propositum nō perfectè, & efficaciter excluderetur omnis prorsus affectus ad peccatum, & planè non nisi talem vniuersalitatem intendit Tridentinum, cùm inquit ad valorem sacramenti necessarium est propositū nō peccandi de cætero, & debere excludere voluntatem peccādi, quæ verba vniuersalia sunt, & omnia peccata comprehendunt, etiam quæ committi possunt; in quo etiam sensu locutus est Gregorius Papa *hom.* 27. in Euangelia, cùm dixit pœnitentiam esse *commissa plangere, & plangenda non committere*. Sed non minus etiam vniuersalis debet esse dolor respectu commissorum, nam virtualiter, saltem etiam ad peccata commissa obliuioni tradita se extendere debet, vndè nunquam ad hoc sacramentum validè recipiendum quis se benè disponit, quin habeat dolorem virtualem saltem de omnibus peccatis etiam obliuioni traditis; & tunc talis dolor censeri debet vniuersalis, & virtualis respectu omnium peccatorum, etiam inuincibiliter oblita includendo, quando virtute talis actus pœnitens manet dispositus ad prorumpēdum in formalem, & actualem detestationem cuiuscunque grauis offensæ contra Deum, si illa menti occurreret, neque maior expressio requiritur in pœnitente respectu peccatorum inuincibiliter oblitorum; Quarè si adest dolor de peccatis commissis sic vniuersalis, non tantùm erit dispositio sufficiens ad valorem sacramenti, sed etiam ad effectum eius consequendum; si verò non adest talis vniuersaliter, nec erit sufficiens ad valorem, nam eo ipso non censetur dolor sufficienter reconciliatiuus cum Deo, nam talis dolor continere debet saltem implicitè, & virtualiter detestationem cuiuscunque mortalis commissi etiam inuincibiliter obliti.

390 Quando autem dicit Card. de Lugo dolorem de peccatis habendum non necessariò esse debere de omnibus peccatis ex Tridentino citato, & natura pęnitentiæ; si intelligit non debere esse vniuersalem respectu omnium omninò peccatorum tam commissorum, quàm non commissorum, hoc vtiq; verum est, sed non ad rem; nam ad hoc, vt dolor se extendat ad peccatum commissum etiam obliuioni traditum, vtique non requiritur tanta vniuersalitas, vt ad peccata etiam non commissa extendi debeat; si verò intelligat, quod non debeat esse vniuersalis respectu omnium commissorū etiam oblitorum, omninò falsum est, nam ex verbis Concilij, & Gregorij Papæ colligitur expressè, tam benè dolorem debere versari circà omnia commissa, quàm propositum circa omnia, quæ committi possent, vt Poncius rectè discurrit *loc. cit.* & hoc etiam ratio ipsa suadet, quia implicat peccatorem ad hoc sacramentum accedere cum efficaci voluntate reconciliandi se cum Deo, & non accedere animo saltem virtuali, modo iam explicato, tollendi omnem obicem, & impedimentum, quod posset reconciliationem ipsam impedire, quale esse posset peccatum commissum, etiam inculpabiliter oblitum, si non adesset animus promptus illud detestandi, quandocunque menti occurreret, in qua promptitudine iam diximus consistere dolorem etiam illius virtualem; quia in ipsa efficaci voluntate reconciliandi secum Deo implicitè, & virtualiter includitur auersio ab omni peccato mortali, cum quo ipsa reconciliatio repugnat.

391 Denique falsum est, quod dicunt citati Auctores cum alijs Recentioribus confessionem, seu sacramentum pœnitentiæ posse esse validum in ratione sacramenti, sed informe ex defectu doloris extensiuè, vt si quis habens duo peccata mortalia v.g. furti, & odij immemor inuincibiliter vnius accedat solùm cum dolore alterius putans se non habere aliud, ad quod dolor extendi debeat; Nam etiam Aduersarij fatentur, vt ipse Card. de Lugo *sect.* 7. in fine, ex defectu integritatis confessionis non posse dari sacramentum validū, & informe, nam vel peccatum aliquod fuit omissum culpabiliter, & tunc confessio erit nulla, vt omnes fatentur, quia deficit propositum non peccandi, cùm in ipsa confessione sit peccatum; Vel fuit omissum inculpabiliter, & tunc confessio erit valida, & formata, manebit tamen obligatio confitendi iterum illud peccatum omissum, quando menti occurret. Et idem etiam docet Auersa *sect.* 6. *cit.* ab initio, ac passim omnes alij Theologi sentiunt, & supponunt, & clarè colligitur ex Trident. *sess.* 14. *c.* 5. Idem ergo pariter dicendum in casu proposito de habente duo peccata mortalia, qui immemor inuincibiliter vnius accedit solùm cum dolore formali alterius, quod nempè confessio sit valida, & formata, & solùm remaneat obligatio dolendi; & iterum confitendi illud peccatum omissum, quando menti occurret; pariter assumpta probatur; intantùm enim si peccatum aliquod in confessione omittatur eo quod sufficienti diligentia adhibita memoriæ non occurrit, adhuc confessio nedùm valida, sed etiam formata censetur, illudque peccatum indirectè cum alijs confessis remissum quia censetur ille pœnitens ob diligentiam adhibitam promptus illud manifestare in confessione, si menti occurreret; ergo etiam idem est de dolore dicendum, quod si accedat solùm cum formali dolore vnius, & non alterius, quia est illius immemor inculpabiliter supposito sufficienti suorum peccatorum examine, confessio nedum erit valida sed etiam formata quia ob sufficientem diligentiam adhibitam supponitur promptus ad eliciendum actum doloris etiam circà aliud peccatum inculpabiliter oblitum, si memoriæ occurreret, & consequenter dolor, cū quo ad confessionem accedit, censetur etiam virtualiter extensus ad peccatum oblitum, talis enim virtualis extensio in ea promptitudine consistit dolendi, quotiescunq; menti occurreret; Nec video vllam assignari posse conuincentem disparitatis rationem, cur in primo casu non obstante præfato integritatis confessionis defectu, adhuc sacramentum non tantùm sit validū, sed etiam formatum, non autē in secundo casu de defectu doloris alicuius peccati inuincibiliter obliti.

Tertiò principaliter probatur nostra sententia refellendo singulos modos superius relatos ab initio quæstionis, quibus Aduersarij conantur explicare quomodo ex defectu doloris possit hoc sacramentum esse validum quidem, sed informe, ob illius doloris insufficientiam ad effectum sacramenti consequendum, nullus enim eorum sufficienter explicat, qualis esse debeat hic dolor, qui sufficiat ad essentiam, & non ad effectum sacramenti. Non enim satisfaciunt, qui dicunt ad valorem sacramenti sufficere dolorem naturalem, ad effectum autem requiri supernaturalem; nam etiam dolor ad essentiam huius sacramenti requisitus debet esse supernaturalis siquidem Trident. *sess.* 14. *c.* 4. ait esse donum Dei, & Spiritus Sancti impulsum, quod autem fit ex dono Dei, & Spiritus Sancti impulsu est supernaturale. Nec satisfaciunt alij qui dicebant vtique dolorem ad essentiam huius sacramenti requisitum supernaturalem esse debere, sed sufficere inefficacem; Nam dolorem, quem Florentinum, & Tridentinum assignant pro materia huius sacramenti, docent continere debere, & detestationem peccati commissi & propositum de cætero non peccandi, sed tale propositum ex eodem Trident. *loc. cit.* omnem peccandi voluntatem excludere debet, ergo debet esse efficax, & absolutum, alioquin omnem peccandi voluntatem non excluderet, & sic etiam talis esse debebit detestatio peccati commissi, quia propositum de cætero non peccandi ex detestatione peccati præteriti ortum ducit, repugnat autem effectum esse sua causa perfectiorem. Nec etiam sufficienter rem declarant, qui dicebant ad essentiam, & valorem sacramenti sufficere dolorem imperfectum intensiuè, non verò ad effectum; Nam sicut nulla certa intensio ad dolorem sacramentalem requiritur, vt dictum est *q.* 6. ità nullus intensionis defectus reddere potest dolorem ad effectum sacramenti insufficientem. Nec tandem rem sufficienter declarant, qui dicebant ad valorem sacramenti sufficere dolorem imperfectum extensiuè modo ibi declarato, non autem ad effectum; Quia vt satis constat ex ratione præcedenti, dolor ad hoc sacramentum requisitus debet esse reconciliatiuus pœnitentis cum Deo, cùm igitur hic dolor saltem virtualiter ad omnia peccata etiam oblita se extendat, repugnat pœnitentem accedere cum dolore ad essentiam sacramenti sufficiente, & non ad effectum, vt benè discurrit Amicus *loc. cit.* 392

Quartò vlterius probatur, quia generaliter loquendo nul- 393

nullus dolor sufficit ad essentiam huius sacramenti, qui non sufficiat ad effectum; ergo ex hoc capite nequit dari sacramentum validum, quin etiam eo ipso sit formatum: probatur assumptum, quia ex Trident. *sess. 14. cap. 3.* eatenus contritio, siuè dolor de peccatis est materia, & pars huius sacramenti, quatenus ad peccati remissionem requiritur; ergo quotiescunque deest talis dolor, qualis ad remissionem peccati requiritur, deest materia, siuè pars essentialis huius sacramenti, & per cõsequens eo ipso sacramentũ est inualidũ.

Confirmatur, quia vt Confessio sit pars huius sacramenti non sufficit, vt sit qualiscunque accusatio confitentis, sed opus est, vt sit accusatio dolorosa, quantum sufficit ad reconciliationem cum Deo; atqui nunquam confessio est talis, nisi per eam significetur reum ità peccati commissi penitere, vt possit ei peccatum per sacramentalem absolutionem remitti; ergo nunquam dolor est sufficiens ad sacramenti valorem, & essentiam, nisi etiam sufficiat ad eius effectum consequendum scilicet, remissionem peccatorum, atque ideò eo ipso quod sacramentum sit informe, & absque effectu, erit etiam irritum, & inualidum ob defectum materiæ sufficientis ad eius essentiam requisitæ.

Respondent Aduersarij imperfectiorem dolorem requiri, & sufficere ad essentiam sacramenti, quàm ad eius effectum, alioquin cùm non possimus esse certi nos sufficienter esse attritos ad percipiendum effectum sacramenti, nunquam scire possemus, an præcepto confessionis satisfecissemus, atq; ità redderentur penitentis nimium solliciti & anxij de repetendis confessionibus, in quibus facilè est defuisse talem dolorem, qui sufficiat ad effectum sacramenti consequendum. Sed adducere inconueniens non est soluere, præterquam quod ex eo, quod dicamus nullam attritionem ad valorem sacramenti sufficere, quæ non sufficiat etiam ad eiusdem effectum, siuè ad gratiam percipiendam, hoc inconueniens non sequitur; nulla enim reddi potest ratio cur magis de valore sacramenti certi esse debeamus, seu validè nos esse confessos, quàm nos percepisse sacramenti effectum, cùm non ob aliam causam valor sacramenti quæratur, quam vt eius effectum consequi possumus; Neque ex eo, quod certi omninò esse nequeamus de sacramenti valore, sequitur nos anxios esse debere, vt sæpius eorundem peccatorum confessiones repetamus; vt enim à tali obligatione excusemur, sufficit quod pœnitens moralem diligentiam adhibuerit in examine, & dolore habito de peccatis iam confessis, sic enim sibi persuadere poterit ea legitimè confessum esse, sicut etiam eodem modo sibi persuadere potest se esse in statu gratiæ, vt possit legitimè, ac tuta conscientia communicari.

394 Quintò tandem nostra sententia probari potest ex parte formæ huius sacramenti, esto enim Coninchius *loc. cit.* argumentum hinc desumptum non putet valdè efficax, est tamen valdè probabile; quia absolutio in hoc sacramento significat effectum ipsum, scilicet, remissionem peccatorum, qui effectus formaliter per infusionem gratiæ perficitur, si ergo non conferat effectum, forma absolutionis redditur falsa, atque ideò irrita, & inualida, dùm enim Sacerdos dicit *Absoluo te à peccatis* idem est, ac si dicat *Remitto tibi peccata*, vel ergo verè tollit peccata, & sic conferr gratiam, & absolutio totum suum confert effectum; vel verè non tollit ob aliquem pœnitentis defectum, & sic falsum dicit, atque ideò sacramentum non tantùm erit informe, sed etiam irritum, & inualidum.

Respondet Caspensis, formam illam non esse inualidam in eo euentu, quia Sacerdos per eam solùm significat, se impendere sacramentum remissiuum peccati, quantum est ex se, quamuis non sequatur remissio propter subiecti indispositionem, & huius argumenti falsitatem ait apertè conuinci in sacramento Baptismi, in quo eisdem verbis profertur forma *Ego te baptizo*, & sæpè in adultis non sequitur actualis ablutio à peccato propter indispositionem subiecti, donec obex tollatur.

Sed præterquam quod significatio verborum formæ absolutionis hoc modo explicata iam explosa est suprà *quæst. præced. art. 2. num. 383.* adhuc improbatur, quia hoc modo verificaretur forma etiam quando sacramentum esset inualidum, quia adhuc verum esset dicere, impendo tibi sacramentum peccati remissiuum, quantum est ex se, nempè si tu es dispositus, & capax; & tamen quando sacramentum esset inualidum ex defectu capacitatis subiecti potius diceretur forma absolutionis simpliciter falsificari. Nec valet paritas de forma Baptismi, quando est validum, sed informe quia eius forma non ità expressè significat eundem gratiæ effectum, sicut forma absolutionis sacramentalis, sed applicationem materiæ, vt in Baptismo, & Confirmatione dicendo *Ego te absoluo, Ego te signo*, vel alium effectum inseparabilem, scilicet characterem, ratione cuius in virtute sacramenti iam suscepti confertur gratia statim obice ablato; quarè per solam carentiam effectus gratiæ non falsificatur forma in prędictis Sacramentis, & ità potest adhuc esse rata, & valida.

Respondet proindè aliter Auersa verum sensum formæ absolutionis etiam in tali casu esse, Absoluo te à peccatis pro quando es dispositus, hoc enim pacto sensum formæ explicando, sensus est absolutus, & non conditionatus: & non est limitatus, sed amplius, & extenditur ad aliud quodcunque instans quo pęnitens erit dispositus, & habet vim conferendi pro illo instanti effectum; Addit tamen ad sui veritatem requirere, vt adsit tunc debita materia, quia alioquin non sufficit, si hæc posteà adhibeatur, & vt adsit omnis alia conditio ad veritatem sacramenti requisita. Sed neque hæc responsio satisfacit, quia in tali casu non adesset debita materia, etenim vt dictum est, dolor de peccatis est materia, & pars huius sacramenti, quatenus ad peccati remissionem requiritur, & ideò quotiescunque deest talis dolor, qualis ad peccati remissionem requiritur, deest materia, siuè pars essentialis huius sacramenti, Christus enim non dedit Apostolis, & Sacerdotibus facultatem remittendi peccata per hoc sacramentum, nisi ijs, qui essent rectè dispositi ad hanc remissionem, & iustificationem percipiendam, alioquin hæc potestas noxia fuisset, & irrationabilis, quarè nullo modo vera, nec valida erit forma absolutionis data confitenti non disposito ad iustificationem, & peccatorum remissionem.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Soluuntur Objectiones.

IN Oppositum Primò objiciunt ex paritate aliorum sacramentorum, quæ possunt esse valida quoad essentiam, & informia quoad effectum, & præsertim communiter asseritur dari posse sacramentum Baptismi informe; ergo etiam dari potest sacramentum pęnitentiæ. Conf. quia gratia, & charitas sunt effectus sacramenti, ergo non pertinet ad eius essentiam, cùm effectus sit posterior causa, illamque supponat perfectam, & completam; potest ergo dari sacramentum pęnitentiæ informe, itaut sacramentum sit validum, sed non operetur producendo gratiam, & charitatem, vt quando ponitur integra confessio, & dolor essentialis cum absolutione in quo casu validum est pœnitentiæ sacramentum, sed informe, si bona fide suscipiatur sine attritione supernaturali ad fructum requisita, nihil enim vlterius desideratur, quod ad essentiam, & substantiam sacramenti requiratur, facta integra confessione, & dolore essentiali cum absolutione. Demum nihil obstat, quin dari possit sacramentum pœnitentiæ informe, cùm possit esse aliquid in rerum natura, & non operari, plura enim requiruntur ad operandum, quàm vt aliquid in rerum natura existat. 395

Resp. ex dictis *n. 391.* negando paritatem, magna enim est differentia huius sacramenti ab alijs, in quibus dispositio necessaria ad effectũ distinguitur ab omnibus ijs, quæ ad eorũ essentiam requiruntur; at in hoc sacramento idem actus, qui est dispositio necessaria ad ipsius effectum, est etiam ipsius pars essentialis: Ratio autem cur præsertim Baptismus inter alia sacramenta possit esse validum & informe, & gratiã cõferre recedente fictione, non autem pęnitentia, est quia vt docet Scotus *4. d. 1. q. 5. sub lit. D.* est medium ad saluté necessarium scilicet ad remissioné originalis culpę, & peccatorũ mortalium antecedentiũ, quarè cùm semel susceptus iterari non possit, ne pręcludatur via salutis, necessariò dicendũ, est eundem baptismum cũ obice susceptũ, habere posteà vim remittendi illa peccata ablato obice, atq; adeo conferendi tunc gratiam sanctificantem; quæ necessitas de sacramento pęnitentiæ non vrget, cùm iterari possit. Ad Conf. negatur secunda consequentia, in cuius probatione supponitur falsũ, quod scilicet dolor essentialis ad validitatem huius sacramenti requisitus non debeat necessariò esse supernaturalis, qualis requiritur ad effectũ, sed sufficiat naturalis, quod cõstat esse falsũ ex dictis *n. 398.* nam etiam dolor ad essentiam huius sacraméti requisitus debet esse supernaturalis ex Trid. *sess. 14. c. 4. ibi citato.* Ad vlt. negatur assumptum, ad cuius probationem dicendum est sacramenta suum effectum causare ad 396

instar

inſtar cauſarum naturalium, quæ ſtatim ac ſunt, ſi impedimentum non habeant, ſuum effectum cauſant.

397 Secundò obijciunt, quia tunc datur ſacramentum pęnitentiæ informe, ſed validum, quando pęnitens bona fide, & inculpabiliter recipit pęnitentiæ ſacramentum ſine dolore requiſito ad fructum illius ſacramenti; quia quādo nihil aliud deſideratur in ſacramēto pęnitentiæ pręter talem dolorem bona fide prętermiſſum, ad ſunt omnia neceſſaria, ad eſſentiam, & ſubſtantiam ſacramenti, & conſequēter ſacramentum ſubſiſtit, quamuis ſic informe. Conf. quia tunc Sacerdos adhuc verè abſoluit ergò pęnitens recipit abſolutionem; ſed non recipit gratiam, cùm non adſit diſpoſitio ad illam ſufficiens, quæ eſt contritio, vel attritio ſupernaturalis, ergo recipit abſolutionem informem, ſeù ſacramentum informe in tali caſu. Tandem non minus neceſſaria eſt pœnitentia poſt peccatum perſonale, quàm Baptiſmus poſt originale ſicut enim ad remiſſionem huius requiritur baptiſmus in re, vel in voto, ità ad remiſſionem illius pęnitentia in re, vel in voto; ergo ſicut ob hanc neceſſitatem baptiſmus dari poteſt validus, ſed informis, qui gratiam poſtea conferat recedente fictione, ità quoque pęnitentiæ ſacramentum.

398 Reſp. negando antecedens, ſi ità intelligatur, vt confitens bona fide accedat abſque omni prorſus dolore, ſi nimirum neſciat requiri dolorem, aut non aduertat ad eliciendum doloris actum, & bona fide confiteatur; nam aliquis dolor eſt prorſus neceſſarius ad eſſentiam confeſſionis ſacramentalis, vt diſtinctæ à ſimplici narratione hiſtorica, nam ad valorem huius ſacramenti requirunt omninò accuſatio, & nō ſufficit ſimplex narratio; ſi verò intelligatur cōfitentem accedere cum ſolo dolore naturali, ſeù ordinis naturalis, bona fide prætermittendo dolorem ſupernaturalem ad effectum huius ſacramenti requiſitum, adhuc etiam negatur aſſumptum, quia non tantùm ad effectum, ſed etiam ad valorem huius ſacramenti requiritur dolor ſupernaturalis, qui ſit donum Dei, & ex impulſu ſpiritus ſancti ex Trid. *loc. cit.* Ad Conf. pariter negatur aſſumptum ob eandē rationem, quia non tantùm ad effectum, ſed etiam ad valorem ſacramenti requiritur cōtritio, vel attritio ſupernaturalis, vndè tali dolore deficiente deficit etiam materia neceſſaria huius ſacramenti quātuncunq; id inculpabiliter, & ex bona fide ſuccederet; ſicut & in omni alio ſacramēto, ſi nō adhibeatur materia ad ſubſtantia neceſſaria, vt in baptiſmo aqua naturalis, quamuis talis defectus ex inculpabili errore cōtingeret, verè ſacramentum non conficeretur. Ad vltimū conceſſo antecedente negatur conſequentia, quia pęnitentia iterari poteſt, non baptiſmus, atq; ità duplici illi neceſſitati ſufficienter à Deo prouiſum eſt, ſed diuerſimodè in caſu fictionis, & obicis, nam neceſſitati gratiæ baptiſmalis, prouiſum eſt in tali caſu conferendo gratiam virtute baptiſmi recedente fictione; neceſſitati verò gratiæ pęnitentialis prouiſum eſt inſtituendo ſacramentum iterabile.

399 Tertiò obijciunt, quia id non repugnat ex parte formæ abſolutionis ſacramētalis, nam licet ſacramentum ſit informe, poteſt adhuc ſufficienter verificari, & verum reddere ſenſum, etiamſi tunc gratia non conferatur, ſed tantùm poſteà oblato obice; nam etiam in conferendo ordine ſacerdotali quoad poteſtatem remittendi peccata, & in conferendo ordine Epiſcopi dicitur *Accipe Spiritum ſanctum*, quod vtique intelligitur penes gratiam internam; vnde hæc quoque ordinationis forma expreſsè ſignificat ipſum effectum gratiæ, & tamen adhuc poteſt eſſe omninò valida, & carere tūc effectum gratię. Deindè nō repugnat ex parte materiæ, quia licet materia huius ſacramenti conſiſtat in actibus pęnitentis, poteſt tamen huiuſmodi dolor talem habere latitudinē, ac diuerſitatem, vt aliquis dolor ſit ſufficiens ad validitatem ſacramenti in ratione materiæ, ſed non in ratione diſpoſitionis ad effectu gratiæ; nam etiam in alijs ſacramentis requiritur hic dolor in homine habente conſcientiam mortalium peccatorum, vel ſaltem attritio, vt in Baptiſmo, vel etiā contritio in alijs non præmiſſa confeſſione, & tamen in ijs non habet rationem materiæ, ſed tantummodò diſpoſitionis; ſic ergo & in hoc pęnitentiæ ſacramento poteſt requiri quædam doloris perfectio ſolùm in ratione diſpoſitionis ad effectum vltrà illam qualitatem doloris, quæ ſit in ratione materiæ neceſſaria ad valorem. Denique addunt dici etiam poſſe in hoc ſacramento requiri per modum diſpoſitionis communis ad omnem iuſtificationem explicatam fidem, & notitiam Trinitatis, & Incarnationis, quę tamē non requiritur tanquam materia, vel pars neceſſaria ſacramenti, quarè ſi quis feciſſet aliquas Confeſſiones abſque hac explicata notitia, poſſet hæ eſſe validæ, & informes.

Reſp. negando aſſumptum cum eius probatione quia neque in conferendo ordine ſacerdotali quoad poteſtatem remittendi peccata illa verba *Accipe Spiritum ſanctum* ità expreſsè ſignificant eundem gratiæ effectū, ſicut verba abſolutionis ſacramentalis, ſed potius poteſtatem remittēdi peccata, quæ ſacerdoti communicatur per alium effectum inſeparabilem, ſcilicet, characterem, ratione cuius poſteà in virtute ſacramenti iam ſuſcepti oblato obice gratia confertur. Ad ſecundum rurſus negatur aſſumptum cum eius probatione, quia vt conſtat ex dictis *n.* 392. Concilia ſimpliciter, & abſolutè loquendo dolorem aſſignant, tanquam materiā huius ſacramenti neceſſariam; nec duos dolores aſſignant, quorum imperfectior ſufficiat ad valorem ſacramenti, alter verò perfectior ſit neceſſarius ad effectum, imò eūdem dolorem, quem aſſignant vt ſacramenti materiam, dicunt pęnitentem diſponere ad conſequendum ſacramenti effectū, ſcilicet, gratiā ſanctificantem, & qui ſufficit ad validitatem ſacramenti, etiam ad effectum ſufficere, in alijs verò ſacramentis talis diſpoſitio ad effectum ſacramenti requiſita ab eorum materia omnino eſt diſtincta. Ad vltimum tandem negatur etiam aſſumptum, quod ſcilicet, in hoc ſacramento requiratur etiam per modum diſpoſitionis ad eius effectum conſequendum explicita fides, & notitia myſteriorum Trinitatis, & Incarnationis, ſufficit enim implicita, & confuſa, vt patet in rudibus, & idiotis, vt dictū eſt *lib.* 3. *diſp.* 6. *de fide.* 400

Quartò arguunt varios caſus afferendo in quibus hoc ſacramentum eſſe poteſt validum, ſed informe, Primus caſus eſt, ſi pęnitens abſq; vlla ſua culpa in integritate confeſſionis deficiat, & adhibita tota debita diligētia adhuc aliquod peccatum mortale prętermittat; nam in tali caſu licet confeſſionem validam faciat, non tamen reciperet effectum gratiæ, quia vnum peccatum mortale ſine alio non remittitur. Secundus caſus eſt, ſi pęnitens bona fide accedat cum ſola attritione de ſuis peccatis, & non cum perfecta contritione ex motiuo dilectionis Dei ſuper omnia, quia putant hanc cōtritionem eſſe, ſaltem de neceſſitate diſpoſitionis ad obtinendam gratiam, licet non ſit de neceſſitate valoris ad ſubſtantiam ſacramenti. Tertius caſus eſt, ſi pęnitens accedat quidem cum attritione, ſed ſufficiēte ex parte formalis motiui, cùm enim attritio poſſit eſſe ex varijs motiuis, vtpotè ob turpitudinem peccati, ob metum Inferni, vel ob humana incommoda; ideò eſſe poſſunt varij modi dicēdi, quod attritio ex aliquo de his motiuis ſufficiat ad valorem, non autem ad effectum ſacramenti. Quartus caſus eſt, ſi pęnitens accedat cum dolore ſolùm per modū ſimplicis, & inefficacis diſplicentiæ abſque efficaci retractatione de præterito, & propoſito de futuro; nam poterit in tali caſu ſacramentum fore validum, ſed informe, ſi pęnitens bona fide accedat inuincibiliter non aduertens talem defectum, ſed putans ſe habere efficacem retractationem de præteritis peccatis, & efficax propoſitum de futuro; nam hoc pacto verè, & realiter peccata deteſtatur, & abhorret, & de ijs feriò; & ex animo ſe accuſat, tanquā de obiecto prauo, ac deteſtabili videturq; hæc eſſe verè, & propriè accuſatio, quantùm ad ſubſtantiam iudicij requiritur; licet ex ſua imbecilitate, & inaduertētia deficiat pęnitens ab illa efficacia, & firmitate, quæ alioquin ad recipiendam gratiā requiritur, quarè in tali caſu ſacramentum erit validum, ſed informe. Hos, & quoſdam alios caſus affert Auerſa *loc. cit.* quorum quoſdam recipit, & approbat, alios verò reijcit, excludit. 401

Reſp. hos omnes caſus excludendos eſſe, nec vllum probare ſufficienter poſſe aliquando hoc ſacramentum eſſe validum, ſed informe; Primus quidem non ſufficienter id probat, quia nō apparet qualiter ex defectu inculpabili integritatis confeſſionis poſſit eſſe hoc ſacramentū validū, ſed informe; cùm enim ex ſuppoſitione fecerit debitā diligentiam, quantā de rigore morali tenebatur nō ſolùm in tali caſu cōfeſſionem validam facit, ſed etiam tunc recipit ſtatim effectū gratię, per quam directè remittūtur peccata confeſſa, & indirectè alia inculpabiliter oblita, vt concedūt Theologi paſſim, & conſtat ex dictis n. 397. alioquin difficile nimis eſſet huius ſacramenti remediū & nimis aperto periculo expoſitum carendi effectu, cùm facilè, & frequenter contingat, vt etiam poſt exactā, & exquiſitā diligentiā aliqua peccata cōmiſſa in memoriam nō redeant, nec fortè poſteà amplius in toto vitę curriculo; Vndè paucis exceptis omnes ferè concedūt ex ſolo defectu integritatis materialis nūquā confeſſio- 402

nem esse posse validam, & informem, vel enim hic defectus accidit ex ignorantia vincibili à peccato mortali non excusante, & in hoc casu non tantùm informis erit sed etiam inualida, & repetenda; vel accidit ex ignorantia inuincibili, & naturali peccatorum obliuione, quia post diligens examen memoriæ non ocurrunt, & in hoc euentu confessio non tantùm erit valida, sed etiam formata, & fructuosa; atq; ideò ex solo integritatis defectu nunquam confessio valida, sed informis, dari potest. Nec etiam secundus casus probat intẽtum, quia vt suprà visum est, ac rursus dicemus *q. seq.* non tantum ad effectum, sed etiam ad valorem sacramenti sufficit sola attritio, quæ habeat alias conditiones requisitas, quamuis à perfectione contritionis deficiat, itaut etiam accedens cum attritione cognita, vt tali, suscipiat sacramentum, & effectum, vt dictum est *q. 6. n. 170.*

Nec etiam tertius casus sufficit ad id probandum, quia vt eadem *q. 6.* dictum est, sola attritio ob turpitudinem peccati, vel ob metum Inferni ex Conc. Trid. tam ad valorem, quã ad effectum sacramenti sufficit; non autem ob humana incommoda, vt sic merè sumpta; quia accusatio sacramentalis debet esse talis, quæ participet de genere moris, & retractet præteritam voluntatem qua homo in peccatum consenserat, & saltem implicitè referatur in Deum, vt super ipsam absolutio cadere possit; attritio verò de peccatis ob humana solùm incommoda non constituit accusationem de peccatis propriè, vt peccata sũt, & moraliter mala, ac detestabilia, sed solum, vt naturaliter mala, & incõmoda, ac noxia. Nec deniq; vrget quartus casus, quia ea inefficax displicentia, quantùm est ex natura sua, potest secum compati absolutam cõplacentiam, & voluntatem peccandi; qua ratione dictum est suprà *n. 398.* dolorem ad essentiam huius sacramẽti requisitum efficacem esse debere, quia continere debet, & detestationem peccati commissi, & propositum de cętero non peccandi, quod vtique efficax esse debet, & absolutum, alioquin omnem peccandi voluntatem non excluderet; Nec iuuat dicere pęnitentem in tali casu bona fide accedere putans inuincibiliter se habere efficacem retractationem de præteritis peccatis, & efficax propositum de futuro, vt vrget Auersa *loc. cit.* Quia Con. Trid. ad validam huius sacramenti susceptionem talem requirit attritionẽ, *quæ voluntatem peccandi excludat* talem verò voluntatem minimè excludit illa inefficax displicentia, quantùm est ex natura sua, esto à pęnitente putetur efficax, quia talis existimatio nihil ponit in re; vt ergo attritio ad validè suscipiendum hoc sacramentum sufficiat, debet esse efficax verè, & realiter, & non tantùm in opinione, & existimatione pęnitentis. Accedit etiam ratio quia necessitas huius dispositionis ex parte pęnitentis non est tantùm præcepti oriens ex obligatione, sed etiam medij ex ratione ipsius institutionis huius sacramenti, quia scilicet, Deus pro materia necessaria huius sacramenti actus ipsius pęnitentis instituit, non inefficaces; sed efficaces, sed in his quę ad sacramentorum valorem sunt necessaria ex ipsorum institutione, non sufficit existimatio, si re vera non exhibeãtur, quid enim prodest validitati sacramenti, quod quis bona fide existimet se absolui à Sacerdote, si re vera ille non est sacerdos? ergo ad valorem huius sacramenti nil prodest existimatio attritionis efficacis, si in re talis non existat.

403 Quintò tandem arguunt sacramentum pęnitentiæ posse esse validum in ratione sacramenti, sed informæ ex defectu doloris extensiuè, & hic est potior casus, quem cum Suarez *disp. 10. sec. 5.* vrgent cæteri Recentiores oppositæ sententiæ; Nam fieri potest, vt defectus sit in ipsa attritione extensiuè, vt si quis habens duo peccata mortalia v.g. furti, & odij, immemor inuincibiliter vnius accedat ad sacramentum, & quod tantùm habeat dolorem alterius, quod confitetur, ex peculiaribus motiuis v.g turpitudinis peccati illius in specie, quod motiuum non extendatur, nec complectatur aliud disparatum crimen diuersæ rationis, ac speciei inuincibiliter oblitum; tunc enim videtur sacramẽtum esse validum, quia habet omnes suas partes essentiales, & continet sufficientem attritionem de peccatis in confessione delatis. Sed non conferre effectum, quia non remittitur illud peccatum, de quo nõ habetur, nec remittuntur dolor, alia peccata sine illo, cùm gratia omnia simul remittat, & ità in tali casu sacramentum validum erit, sed informe. Confirmatur quia ad essentiam sacramenti pęnitentiæ tantùm requiritur ex parte pęnitentis, quod confiteatur integrè omnia peccata sua, quorum memoriam habet, cum dolore ipsorum peccatorum, & cum proposito non peccandi de cætero nihil enim aliud petitur in Florentino, & Tridentino ex parte pœnitentis; sed stat aliquem sit confiteri, & quod nihilominus gratiam non consequatur vritute absolutionis, vt in casu adducto; ergo potest dari confessio informis. Tandem probatur, quia dolor qui requiritur vt dispositio ad effectum seù gratiam sacramenti, non requiritur ad essentiam, & valorem illius; siquidem ad valorem, & essentiam sacramẽti, sufficit quod sit eorum mortalium, quorum fit confessio, non tamen requiritur, quod sit aliorum, quorum non fit confessio ob obliuionem naturalem, seù inuincibilem; non enim peccat in non dolendo de omnibus prudenter credens non habere alia peccata mortalia, nisi ea quæ confitetur; at ad effectum huius sacramenti requiritur dolor omnium peccatorum nondùm remissorum, quia in hoc sacramento vnum peccatum non remittitur sine alio: neque remittitur absque proprio, & expresso actu pęnitentiæ saltem virtualiter in illud tendente, & ob motiuum illud comprehendens: ergò ex defectu doloris extensiuè modo prædeclarato potest dari sacramentum validum pęnitentiæ, sed informe, & sine fructu.

Respond. negando maiorem, vt patet ex dictis *n. 397.* nam estò in eo casu pęnitens accedat solùm cum formali dolore 404
vnius peccati, & non alterius, cuius supponitur inuincibiliter oblitus, adhuc censeri debet confessio illa, nedùm valida, sed etiam formata, aliudque peccatũ indirectè cum illo remissum, quia ob sufficientem diligentiam adhibitam censetur promptus ad eliciendũ actum doloris etiam circà aliud peccatum inculpabiliter oblitum si menti occurreret, & cõsequenter dolor formalis v.g. furti, de quo confitetur, censetur etiam virtualiter extendi ad aliud, quod menti non occurrit, talis enim virtualis extensio consistit præcipuè in ea promptitudine etiam de eo dolendi, quãdo menti occurreret; Et licet motiuum doloris formalis furti sit propria ipsius turpitudo in specie, hoc non impedit, quin etiam talis dolor possit ad aliud peccatum oblitum virtualiter extendi saltem ratione turpitudinis genericæ, quatenus peccatum est, & offensa Dei: non enim dolore potest de peccato furti, quatenus est furti tantùm non dolendo de ipso, vt habet rationem peccati, vt sicnec potest dolere de turpitudine peccati specifica tantùm nihil prorsus curando de generica: eo autem ipso, quod dolor formaliter attingit in furto turpitudinem peccati genericam in specifica inclusam, terminatur etiam virtualiter ad peccatum obliuioni traditum, qui enim dolet de peccato, vt sic, dolet virtualiter de quocunque etiam inuincibiliter oblito; & per hanc doctrinam optimè, soluitur argumentum illud, quod est præcipuum oppositæ sententiæ fundamentum, quæ proindè valdè ponderanda est; Ad Cõf. negatur minor, quia ob rationem allatam etiam in eo casu confessio non tantum valida esset, sed etiam formata, & gratiam consequenter pęnitens, quia eius dolor virtualiter extenderetur etiã ad peccata vincibiliter oblita modo iam explicato. Ad vltimum negatur maior cum eius probatione, quia vt dictũ est supra *n. 392.* idem dolor, qui sufficit ad validitatem, sufficit etiam ad effectum huius sacramenti, quia Concilia vnum dolorem non distinguunt ab alio, neque duplicem dolorem assignant, quorum vnus ad valitatem sufficiat, & alter magis perfectus sit necessarius ad effectum; & licet ad valorem, & essentiam sacramenti sufficiat dolor formalis eorum mortalium tantùm, quorum fit confessio, nec requiratur quod sit formaliter aliorum, quorum non fit cõfessio ob naturalem eorum obliuionem: adhuc tamẽ requiritur, quod saltem virtualiter ad ea extendatur modo iam explicato, etenim hac virtuali doloris extensione deficiente etiam ad oblita inculpabiliter estò non peccaret non dolẽdo de ipsis ob ignorantiam inuincibilem, quæ à peccato excusat; non tamẽ fieret in eo casu validum sacramentum, siquidem deficeret materia necessaria, quæ est dolor reconciliatiuus cum Deo, talis autem dolor continet saltem implicitè, & virtualiter detestationem omnium mortalium etiam inculpabiliter oblitorum, vt dictum est n. 393.

Quæres an saltem dari possit sacramentum validum, & 405
informe respectu peccatorum venialium. Resp. negatiuè cum Amico *loc. cit.* dupliciter enim potest de venialibus esse confessio, vel de venialibus solis, vel de venialibus annexum habentibus aliquod mortale, inuincibiliter tamen oblitum; primo modò certum est hoc sacramentũ non posse esse validum, & informe, vel enim in tali casu accedit pęnitens ad confessionem cum dolore ad essentiã sacramenti sufficiẽte, vel non; si non, non modò sacramentum erit informe, sed

etiam

etiam inualidum, vt constat; si primum, iam erit simul validum, & formatum, cùm omnia nouæ legis sacramenta statim gratiam afferant obicem non ponenti, habens enim venialia solùm nullum ponit obicem, si accedat cum dolore saltem sufficiente ad remissionem vnius venialis, & non omnium, talis enim solus dolor sufficit in confessione venialium, vt patebit qu. seq. secundo modo contendunt Aduersarij dari posse sacramentum de venialibus confessis validum, & informe defectu doloris non se extendentis suprà mortale inuincibiliter ignoratum; Sed hoc etiam esse falsum satis constat ex dictis in probatione nostræ sententiæ, quia cum ad essentiam huius sacramenti requiratur dolor reconciliatiuus peccatoris cum Deo, & hic virtualiter extendatur ad omne mortale etiam inuincibiliter oblitum, vtpotè quod esse posset impedimentum talis reconciliationis, sequitur euidenter neque in tali casu dari posse sacramentum validum simul, & informe defectu doloris, cum omnis dolor ad essentiam huius sacramenti requisitus sit etiam ad ipsius effectum vt supra dictum est.

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

De interiori pœnitentia in confitente requisita, & dispositione ad hoc sacramentum suscipiendum necessaria.

406 IAm suprà diximus q. 11. huius *disp. art.* 1. alteram partem materialem, & essentialem huius sacramenti esse contritionem, prout denotat internam animi dispositionem præter confessionem externam, ad quam est dispositio; Verum quia contritionis nomen magis propriè sumitur pro perfecta animi dispositione, ac detestatione peccati, quæ ab attritione distinguitur, vt visũ est supra *q.* 5. *&* 6. & essentialis huius sacramenti materia, non ad perfectam cõtritionem restringitur, sed etiam ad attritionem extenditur; ideò volentes in hac quæstione declarare debitam dispositionem ad hoc sacramentum suscipiendum, ad tollendam ambiguitatem, eam in communi nominamus interiorem pœnitentiam confitentis, quæ hanc, & illam sub se comprehendit; Quoniam verò dupliciter potest requiri dolor ad sacramentum pœnitentiæ, vno modo ad constituendam essentiam, alio modo ad consequendum fructum, & effectum eiusdem, qui est gratia; & in præcedenti quæstione determinauimus cum opinione probabiliori nullum dolorem sufficere ad valorem sacramenti, qui non sufficiat etiam ad eiusdem effectum, siuè ad gratiam percipiendam; ideò hic absolutè inquirimus, quæ, & qualis dispositio ad hoc sacramentum suscipiendum requiratur non solùm ad effectum, sed etiam ad essentiam huius sacramenti constituendam; non enim putamus imperfectiorem dolorem requiri ad essentiam sacramenti, quã ad eius effectum, qui enim ad vnum sufficit, ad aliud quoq; sufficiens erit, vt iam probatum est qu. præced. Huius autem quæstionis decisio pendet omninò ex dictis de Contritione, & Attritione *q.* 5. *&* 6. & ferè nil aliud addendum esset præter ibi dicta, nihilominus ad maiorem rei declarationem quæ ibi dicta sunt, adhuc magis explicare, & alia de nouo addere, non erit inutile.

ARTICVLVS PRIMVS.

Resoluitur Quæstio.

407 PRimò Dicendum est aliquem actum interioris pœnitentiæ, seu aliquem dolorem formalem, & expressum esse necessarium non solùm ad effectum, sed etiam ad essentiam huius sacramenti, ità quod vt confessio sit valida non sufficit negatiuè se habere neq; complacendo, neq; desplicendo, sed omninò requiritur formalis displicentia, & dolor peccatorum. Ità communiter Doctores contra Siluestrum, Rosellam, & alios quosdam Summistas dicentes, quod si quis integrè omnia peccata sua confiteatur, & absoluatur licet negatiuè se habeat formaliter quoad hoc, quod complacere, vel displicere de peccatis; nihilominus verum recipit pœnitẽtiæ sacramentum, imò & gratiam, quia ipsa voluntaria absolutionis susceptio sine obice peccati actualiter voliti, & in quo complaceat, est quædam virtualis attritio, quæ sufficit, vt virtute sacramenti gratiam consequatur; quę opinio solet etiam tribui Scoto *4. d.* 14. *q.* 4. art. 3. vbi significare videtur ad hoc sacramentum aliam dispositionem ex necessitate non requiri, nisi voluntatem illud suscipiendi, & sublationem impedimenti, quod esset actualis complacentia, & voluntas peccati. Hæc assertio definita est in Concil. Flor. & Trid. quæ Concilia explicari non possunt de dolore virtuali, nam hic saluari tantùm potest, cum peccata actu memoriæ non occurrunt, at verò ad sacramentum Confessionis necessaria est actualis memoria peccatorum, quæ sunt confitenda. Et quidem Trid. *sess.* 14. *cap.* 3. *&* 4. postquam definiuit contritionem esse partem sacramenti pœnitentiæ statim explicat huiusmodi contritionem importare animi dolorem, & peccati detestationem; qui autem peccata sua confitendo merè negatiuè se habet, non dolet verè, & propriè; ergo dolorem non habet ad essentiam huius sacramenti necessarium, & tantò minus ad eius effectum percipiendum. Accedit contritionem esse partem huius sacramenti essentialem, & ad eius essentiam necessariò requisitam, vt suprà dictum est; ergo talis interior pœnitentia per modum actus formalis, & expressi necessariò requiritur præsertim ad recipiendum huius sacramenti effectum, hic enim non causatur, nisi à sacramento essentialiter perfecto; quapropter Vasqu. oppositam sententiam non dubitauit appellare erroneam, & contrà omnes Doctores *q.* 92. *art.* 1. *dub.* 1.

Neque Doctor oppositum docuit *loc. cit.* nam eandem *d.* 14. *q.* 1. *art.* 2. ex professò docet peccatum non dimitti, nisi per pœnitentiam, siuè per pœnam voluntariam; pœnitentia autem, vt sæpè diximus, est duplex perfecta, & imperfecta; perfecta est contritio, quæ ex se est sufficiens dispositio meritoria de congruo ad consequendam gratiam etiam extrà sacramentum; imperfecta verò, quæ est attritio, non est ex se sufficiens, sed cum sacramento pœnitentiæ, & ideò hæc saltem est necessaria dispositio ad hoc sacramentum suscipiendum. Deindè eadem *d.* 4. 4. in solutione ad 2. prin. dicit antè dignam huius sacramenti susceptionem opus esse, vt peccator suscitetur vel simpliciter, quod fit per contritionem, vel secundum quid, quod ait fieri per aliqualem displicentiam de peccato, quæ nimirum est attritio, quod etiam anteà docuerat eadem *d.* 14. *q.* 2. *art.* 2. vbi ait rursus detestationem peccati esse duplicem, vnam quæ est perfecta, & cum omnibus circumstantijs, quæ est contritio; aliam quæ est imperfecta, & caret aliqua, vel aliquibus circumstantijs, & est attritio; Quandò ergo inquit *loc. cit.* ad dignè suscipiendum pœnitentiæ sacramentum sufficeret, vt pœnitens nec actu nec virtualiter adhæreat peccato, & quod habeat voluntatem suscipiendi sacramentum, & abstinendi à peccato, nec requiri aliquod opus internum; absolutè negare noluit aliquod opus internum requiri, scilicet, dolorem aliquem internum, sed talem dolorem, qui necessario sit contritio, de qua ibi loquebatur, adeò vt sensus sit, non requiri illam perfectam dispositionem, quæ alioquin est necessaria extrà sacramentum, & ità Doctorem ibi intelligunt, non solùm Faber ex nostris, sed etiam Auersa, Amicus, Caspensis, & alij Recentiores passim, qui aiunt oppositam opinionem immeritò Scoto tribui, quia expressè communem docuit sententiam non solùm *loc. cit. d.* 14. sed etiam *d.* 17. §. *de articulo vers. continet etiam qualiter*, & *dist.* 19. §. *ad quæstionem vers. concedo ista*, quibus in locis apertè docet non satis esse ad hoc sacramentum accedere cum sola voluntate illud recipiendi, sed prætereà necessarium esse dolorem formalem, & expressum de peccatis commissis, non solum ad effectum, sed etiam ad essentiam huius sacramenti. 408

Secundo dicendum est, ad valorem, & effectum huius sacramenti non sufficere dolorem de non dolore, sed dolorem, & displicentiam de ipsis peccatis esse debere. Hæc etiam assertio communis est cõtrà Syluestrum, Nauarrum, Emanuel Sà, & quosdam alios Summistas dicentes, quod si quis accedat ad Confessionem non sentiens in se verum dolorem suorum peccatorum, nec ad illum concipiendum induci possit, debere induci, vt saltem habeat displicentiam de hoc ipso, quod non habent illum dolorem, siuè vt habeat desiderium habendi illum, & hoc sufficere ad recipiendam absolutionem; Hoc autem iam suprà probauimus *q.* 6. huius *disp. art.* 3. *num.* 173. & rursus probatur, quia accusatio sacramentalis est de ipsi peccatis; ergo & eorundem peccatorum detestationem inuoluere debet; & pœnitentia, quæ in Scripturis requiritur, & toties pecca- 409

cantibus inculcatur, planè intelligitur de ipsis peccatis; Quo autem pacto modus ille dicendi defendi possit, ibidem iam explicatum est *num.* 174. & fortè non in alio sensu locuti sunt summistæ illi, Diximus etiam ibidem *num.* 176. minimè opus esse, quod prædictus dolor confessionem præcedat ordine temporis, vt contendunt Coninch. Laiman, & quidam alij Recentiores; sed satis esse si ipsam sequatur ante absolutionem, & fortè etiam si in ipsa absolutione, seù absolutionis actu concomitetur, vt dictum est *q.* 13. *art.* 1. *num.* 379. licet probabilius sit debere actum doloris ad absolutionem supponi, sicut confessio ipsa, quia hæc tota est materia, super quam cadit absolutio, nec proferri potest iudicialis sententia, nisi post accusationem; ille ergo dolor, qui est de substantia, & valore huius sacramenti, ad absolutionem supponi debet, quia hoc sacramentum ministratur per modum iudicij reconciliatiui, in quo antè absolutionem præsupponitur cognitio causæ, & dolor de peccato commisso. Quando autem hic dolor tempore confessionem præcedit, non oportet antecedenter referri ad confessionem, ità vt talis dolor tunc elici debeat ex voluntate confitendi, & in ordine ad confessionem, vt aliqui dixerunt, quibus fauet Suarez *disp.* 20. *sec.* 4. *n.* 29. Sed satis est si antecedenter habuerit dolorem, & consequenter determinet confiteri, vt notat Lugus *disp.* 14. *sec.* 4. & Auersa *quæst.* 11. *sec.* 1. nec semper necesse est; vt ex prævia voluntate confitendi inducatur pœnitens ad procu randum in se dolorem; & planè interdum ità contingit, vt dolens quis de suis peccatis, & periculosum animæ suæ statum considerans, indè confiteri decernat, & suam conscientiam examinet, ac reipsa confiteatur; idque censetur in praxi sufficere ad recipiendum sacramentum validè, & cum fructu.

410 Tertiò Dicendum est, non solùm quandocunque sit noua confessio de nouis peccatis, & recipitur noua absolutio, requiri nouum, ac distinctum actum doloris, sed etiam, quando fit noua confessio de antiquis peccatis, vel ex obliuione inculpabili prætermissis, vel etiam confessis. Hæc est contrà Ledesmam, Dianam, Ioan. de Cruce, & alios summistas dicentes quando fit noua confessio de peccatis iam confessis, vel ex obliuione prætermissis, non requiri nouum dolorem, sed sufficere eundem priorem actum doloris cum noua confessione, quia adhuc censetur moraliter, & virtualiter durare prior actus doloris; est etiam contrà Auersam *loc. cit.* qui cum Henriquez licet admittat de peccatis iam confessis, & directè absolutis requiri alium actum de nouo, de peccatis tamen oblitis, & solùm indirectè absolutis ait in noua confessione eundem actum prioris doloris sufficere posse; Et quidem in noua, ac repetita confessione de peccatis alias confessis nouum, & distinctum doloris actum requiri iam probatum est suprà *quæst.* 12. *art.* 1. *nu.* 344. quia debet esse noua, ac distincta materia proxima pro noua forma, & noua substantia sacramenti, hæc autem materia proxima in hoc sacramento est contritio, & confessio, quare sicut dari non potest denuò absolutio, nisi adsit noua confessio, ità etiam nisi adsit noua contritio, seù nouus dolor; Tùm quia iam prior confessio, & contritio totum suum habuit effectum, & complementum; & fuit informata adæquatè, ac directè per absolutionem, ideoque non videtur posse iterum ac deinceps pro noua absolutione recipienda, & nouo sacramento constituendo deseruire. Quod verò nouus etiam requiratur dolor in noua confessione de peccatis iam oblitis, & posteà menti occurrentibus, nec prior dolor in præcedenti confessione habitus sufficere possit, probatur euidenti ratione, quia dum quis ritè confitetur, sed aliqua peccata obliuiscitur etiam facto diligenti examine, in tantùm dicitur indirectè quoque absoluti à peccatis oblitis, inquantùm habuit dolorem vniuersalem de omnibus peccatis commissis etiam inuincibiliter oblitis, ad quæ talis dolor censetur saltem virtualiter extendi; hæc autem virtualis extensio doloris sic ab omnibus explicatur, quod ob sufficientem diligentiam adhibitam pænitens censetur promptus ad eliciendum actum doloris formalem circa peccata oblita, & ad illa in confessione manifestanda, si menti occurrerent; ergo talis virtualis extensio doloris necessariò petit, vt quotiescunque peccata iam oblita, & indirectè remissa menti occurrunt, circà illa eliciat nouum doloris actum in noua confessione de illis facienda; Vndè quamuis dolor habitus in præcedenti confessione, quatenus etiam virtualiter cadens super peccata oblita, non fuerit directè informatus priore absolutione, siquidem tunc non adfuit eorum accusatio, adhuc succedente accusatione non per se sufficit ad recipiendam absolutionem, vt contendit Auersa, quia virtualis extensio prioris doloris ad peccata oblita petit, vt quotiescunque menti occurrunt, nouus & formalis dolor circà illa eliciatur, talis enim virtualis extensio in ea promptitudine consistit dolendi de illis peccatis oblitis, quotiescunque menti occurrerent, vt dictum est *q. præc. num.* 397.

Quartò Dicendum est, simul cum dolore requiri propositum de cætero non peccandi; ità omnes Theologi docent, 411 & præsertim Scotus 4. *d.* 14. *q.* 4. in solutione ad 1. *argum.* vbi ad rationem contritionis cum displicentia de peccatis commissis exigit etiam propositum cauendi de cætero, & posteà definitum est in Tridentino *sess.* 14. *cap.* 4. vbi hoc propositum ponit in definitione contritionis, cùm inquit, quod est dolor, ac detestatio de peccato commisso cum proposito non peccandi de cætero, & *sess.* 6. *cap.* 6. idem propositum recenset inter dispositiones ad iustificationem requisitas; nam hoc includitur in ipso dolore efficaci peccatorum, vbi nomine doloris comprehendimus etiam eius causam, nempè peccati detestationem seriam, & efficacem; Et sicut peccati detestatio debet esse seria, & efficax, talis etiam debet esse voluntas de cætero abstinendi à peccato; neque sufficit volitio inefficax, siquidem cum ea stare potest voluntas efficax peccandi in futurum, vt patet in exemplo projicientis merces in mari ob metum tempestatis, qui vtique nollet merces projicere, si aliter vitam seruare posset. Solùm controuersia est, an hoc propositum semper debeat esse explicitum, & actuale, an interdum sufficiat implicitum, & virtuale, quam iam tractauimus *q.* 5. huius *disp. art.* 2. *num.* 111. vbi diximus per se, & regulariter loquendo necessarium esse formale, & explicitum propositum non peccandi in posterum; per accidens tamen, & in aliquo casu defectu considerationis, aut temporis sufficere virtuale, & implicitum, nam saltem quando pænitens inuincibili ignorantia talis propositi laborat, aut nulla subest futuræ vitæ memoria, sed solius præteritæ detestandæ, sufficere videtur virtuale propositum essentialiter inclusum in ipso efficaci peccatorum dolore, quæ dùm efficaciter pænitens detestatur, virtualiter, & exercitè proponit eadem amplius non committere; Secus autem est, si subsit memoria futuræ vitæ, & formalis propositi de cætero non peccandi; tunc enim tenetur explicitè tale propositum habere, vt loco citato ex instituto probatum est; Ex quo sequitur attritioni sacramentali esse magis intrinsecam detestationem præteritæ vitæ, quam propositum emendationis futuræ, quia sine illa nullus potest esse dolor, benè tamen sine proposito saltem formali, vndè Mairon 4. *d.* 14. *q.* 1. *ad* 4. ait satis esse propositum negatiuum non peccandi; Difficultates verò in contrarium solutæ sunt *loc. cit.*

Quintò Dicendum est, ad confessionem validam, & fru- 412 ctuosam non necessariò requiri contritionem perfectam, sed sufficere attritionem etiam cognitam, vt talem. Ità iam statuimus *q.* 6. *huius Disp. art.* 3. *nu.* 170. & *q.* 7. *art.* 2. *n.* 194. *cum Scoto* 4. *d.* 14. *q.* 4. in solutione *ad* 2. *prin.* & *d.* 19. in responsione ad quæstionem § *contrà primum*, vndè neque est necessaria attritio putata contritio, vt quidam dicunt, sed sufficit attritio etiam cognita, vt talis; Quod expressè deducitur ex Trident. *loc. cit.* vbi loquens de contritione imperfecta, siuè attritione ait, quod quamuis sine sacramento pænitentiæ (sunt eius formalia verba) per se ad iustificationem perducere nequeat peccatorem, tamen eum ad Dei gratiam in sacramento pænitentiæ impetrandam disponit; quod intelligendum est vltimò, & infallibiliter, nam etiam extrà sacramentum disponit, sed non proximè, & infallibiliter. Deindè hoc ipsum suadet ratio, quia Baptismus, & pœnitentia sunt sacramenta mortuorum, hoc est, ad suscitandos spiritualiter mortuos per se instituta, & si contritionem perfectam prærequirerent, vt necessariam dispositionem ad eorum valorem, & effectum percipiendum, nunquam mortuos suscitare possent, cùm iam eos supponerent contritione suscitatos; qua etiam ratione probatur sufficere attritionem etiam cognitam, vt talem, cum enim prædicta sacramenta sint ad mortuos suscitandos per se instituta, iam qui se mortuum sentit per peccatum mortale, & solam attritionem in se experitur, licitè potest velle per Sacramentum suscitari, atque ideò non est opus, vt credat, & putet se esse contritum, seù contritione viuum, vt *loc. cit.* ex instituto probatum est, & difficultates in contrarium solutæ. Hic tamen addendum est vltrà ibidem dicta, quod

quod quando dicimus ad valorem, & effectum huius sacramenti sufficere attritionem, intelligendum est de attritione, quæ in re sit talis, & non sufficit tantùm putata, vt aliqui dixerunt nimis laxantes habenas; Ratio est, quia hæc requiritur, vt pars essentialis sacramenti, cùm enim Concilia dicunt dolorem de peccatis ad hoc sacramentum essentialiter requiri, non de dolore putato loquuntur, aut intelligi possunt, sed de dolore vero, & reali, sicut cùm dicunt ad Baptismum aquam requiri; panem, & vinum ad Eucharistiam, loquuntur de aqua, pane, & vino veris, & realibus, non autem putatis; Sacramentum verò non est validum, nec suum effectum conferre potest, nisi sit essentialiter perfectum; ergo ad valorem, & effectum huius sacramenti non sufficit attritio tantum putata, quia talis existimatio nihil ponit in re, & sola notitia non mutat naturam obiecti; Quarè etiamsi pœnitens putet inuincibiliter se accedere dispositum, si reuera talis non sit, effectum sacramenti non consequitur, sed tantùm à peccato excusatur, immò sacramentum est nullum, & irritum, quia deficit pars essentialis sacramenti.

Cæterum quia aliqua attritio de peccatis commissis potest esse purè naturalis, & ex viribus naturæ elicita, alia verò supernaturalis nimirum ex speciali auxilio Dei, & impulsu Spiritus sancti; & rursus pluribus modis haberi potest, & ex pluribus motiuis, nempè vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, vt Tridentinum indicauit *sess.* 14. *cap.* 4. ac etiam ob humana incommoda, vt si quis doleat de peccatis ob humanum incommodum, & damnum, quod ex illis incurrit præcisò ordine ad Deum, vtpotè si incurrit infamiam, vel morbum, vel inopiam, vel alias pœnas in humano iudicio, vt plerumque contingit; adhuc videndum restat, quæ, & qualis esse debeat attritio, quæ in confessione sufficiat; vndè iuxtà iam dicta de his motiuis superius *quæst.6.* huius *disput. artic.* 1. pro resolutione breuiter sequentem adijcimus conclusionem.

413 Sextò Dicendum est, attritionem in confessione sacramentali necessariam, & sufficientem esse debere supernaturalem, & ex duobus motiuis à Concil. Trid. assignatis *loc. cit.* naturalem verò, & ex motiuo humano merè elicitam non esse sufficientem. Ità iam statuimus *q.6. cit. art.* 1. & quidem attritionem ad hoc sacramentalem requisitam esse debere supernaturalem, seù actum ordinis supernaturalis saltem quoad modum, docet expressè Triden. *loc. cit.* vbi ait esse donum Dei, & ex Spiritus sancti impulsu, & deducitur ex generali doctrina, quæ tradi solet in materia de gratia, scilicet, hominem non posse ex naturæ viribus ad iustificationem se disponere, ac præparare absque speciali, & supernaturali auxilio; & actus nostros naturales, & solis naturæ viribus elicitos non esse idoneam dispositionem ad gratiam, nec valere in ordine ad salutem, vndè talis attritio ordinis merè naturalis nedùm ad effectum huius sacramenti est insufficiens, sed etiam ad valorem, quia Concilium *loc. cit.* talem dolorem exigit, nempè ordinis supernaturalis, tanquam de necessitate, & substantia ipsius sacramenti. Qua etiam ratione probatur non sufficere attritionem de peccatis ob humana incommoda, sed esse debere elicitam; vel ex turpitudinis peccati consideratione, vel ex gehennæ, & pœnarum metu, vt loquitur Concilium, & docent Suarez, Vasquez, Coninchius, Amicus, Hurtadus, Auersa, & alij Recentiores, & facilè suadetur, quia accusatio sacramentalis, & detestatio de peccatis debet esse formaliter de peccatis, prout mala sunt, ac detestabilia in genere moris, & vel explicitè, vel saltem implicitè in ordine ad Deum, vt sic enim ad hoc tribunal deferuntur, & cum hac dispositione huic foro subijci debent, vt à Sacerdote, tanquam Iudice constituto à Deo remittantur, sed dolor de peccatis ob detrimentum merè humanum ex ijs resultans, vel etiam ab humano Iudice inflictum, aut infligendum est merè naturalis, nec est de peccatis propriè, & formaliter, vt sunt mala, & detestabilia in genere moris, nec per se excludit voluntatem peccandi, nec induit moralem probitatem, & relationem ad Deum, nec vllo modo ad ordinem supernaturalem eleuatur ex vi talis motiui, vt etiam dictum est *q.6. cit. art.1. nu.* 138. ergo dicendum est dolorem de peccatis ob humana incommoda, vel ex alio motiuo merè humano non valere, nec esse de genere attritionis salutaris, & in sacramento sufficientis, qualis in Concilio describitur. Talis autem è contra est illa attritio, quæ peccata detestatur ob timorem Inferni, vel etiam Purgatorij, ac etiam aliarum pœnarum huius vitæ, si considerentur, prout à Deo infliguntur in odium, & vindictam peccati, vt ibidem dicebamus; Talis etiam est attritio illa, quæ peccata detestatur ob eorum turpitudinem moralem, quia hoc motiuum saltem implicitè in Deum refertur, sicut etiam opera moralium virtutum exercere ob eorum honestatem, atque ideò vtraque attritio illa esse potest supernaturalis, & ad valorem, & effectum huius sacramenti sufficiens. Difficultates verò, quæ fieri solent de dolore ex metu pœnarum concepto, tanquam merè seruili, solutæ sunt *q. 6. cit n.* 139. Ad veram tandem, & idoneam pœnitentiam non requiri certam actus intensionem, nec durationem siuè in sacramento, siuè extrà sacramentum, iam probatum est *q 5. art.2. n.*101. *&* 108.

Postremò dicendum est, interiorem pœnitentiam confitentis esse debere integram, & adæquatã de omnibus peccatis mortalibus formaliter, vel saltem virtualiter, nec posse vnum mortale detestari, quin simul alia commissa detestetur. Ità iam statuimus *q.5.* huius *disp. art.3. nu.* 122. vbi etiam diximus *nu.* 125. non esse hoc ità intelligendum, quasi opus sit, vt vnicuique peccato mortali sua respondeat specialis detestatio, siuè per vnum, siuè per diuersos actus, sed sufficere pœnitentiam de omnibus peccatis commissis in confuso, & in generali ex Scoto *4.d.15.q.1.§. ex hoc patet*, ac etiam paulò infrà *§. de quinto articulo*, quæ omnia ibi fusè probata sunt, & ibi videnda. Non tenebitur autem, qui bona fide putat, se non habere alia peccata mortalia, pœnitere, ac dolere sub conditione, si quæ fortè alia habeat; qui tamen rationabiliter de hoc timere potest, vt facilè contingit in ijs, qui diù confessionem distulerunt, ad hoc teneri videtur, sicut etiam qui confitetur in articulo mortis, quia tunc debet maiori cum securitate suæ saluti consulere; In alijs autem ordinarijs confessionibus estò hoc non sit necessarium, adhuc tamen consultissimum erit semper habere vniuersalem, dolorem de omnibus mortalibus, si quæ fortè commissa sint, & tunc in mentem non veniant; ità docet Auersa *q.11. sec.6.* vbi proindè consulit pænitentem, vt semper doleat de peccatis ex motiuo generali, & attritionem concipiat ex motiuo vniuersali complectente etiam aliud peccatum sibi occultum, & inuincibiliter oblitum, sic enim saltem virtualiter, & implicitè huiusmodi attritio attingit etiam hoc peccatum, ac proindè est adhuc sufficiens dispositio ad gratiam, quia verè, & realiter voluntas per illud motiuum generale auertitur ab omni peccato, super quod cadit tale motiuum, & ità non ponit obicem gratiæ, solùmque remanet obligatio confitendi posteà, & expressè, ac formaliter pœnitendi de illo alio peccato, si quandò posteà in mentem veniat. Si verò pœnitens (inquit) attritionem concipiat ex motiuo quodam speciali, vtpotè de peccatis furti ob turpitudinem propriam contrà iustitiam, & simul habeat aliquod aliud peccatum disparatum, vt luxuriæ contrà castitatem, de quo nunc non recordatur, certè illa attritio nec virtualiter, nec implicitè ad hoc aliud peccatum extenditur, vndè in eo casu ait, quod qui cum tali attritione confiteretur de suis peccatis, prætermisso aliquo, de quo non recordatur, licet validum esset sacramentum, nõ reciperet gratiam, atq; ideò esset sacramentum informe.

Sed quamuis hæc doctrina sit optima, quod tamen vltimò addit de attritione ex motiuo speciali concepta, scilicet, turpitudinis specialis alicuius peccati, non posse virtualiter extendi ad aliud peccatum presertim inuincibiliter oblitum, ac proindè defectu talis extensionis dari posse sacramentum validum, sed informe, iam refutatum est *q. praced. num.* 410. quia nemo dolere potest de peccato furti, vt furti tantùm, non dolendo de ipso, vt habet rationem peccati, vt sic, nec potest dolere de turpitudine specifica tãtùm furti, nihil prorsus curando de generica, & abstrahendo ab ipsa, quamuis enim genus à specie abstrahere possit, non tamen species à genere; & qui sic dolendo ex motiuo speciali furti accederet ad sacramentum, est ac si diceret: doleo de peccato furti, quatenus furtum est, non dolendo de ipso, quatenus peccatum est, vt sic, & offensa Dei; siuè doleo de hoc peccato furti ob turpitudinem specificam, non verò genericam, & ideò non curo, quod Deus sit offensus secundum rationem genericam, modò non sit offensus ob specificam; quæ dispositio ad confessionem ridicula esset, vt notat Poncius *disp. 46. quæst. 3. num.* 24.

ART.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De dolore, & proposito requisito ad Confessionem Venialium.

415 DIctum est *art. preced.* ab initio, aliquem actum interioris pœnitentiæ, seu aliquem dolorem formalem, & expressum esse necessarium, non solum ad effectum, sed etiam ad essentiam huius sacramenti in confessione mortalium, itaquod vt confessio sit valida, non sufficit negatiuè se habere neque complacendo, neque displicendo, sed omninò requiritur formalis displicentia, & dolor peccatorum; Dictum est etiam in eodem *articulo num.* 417. simul cum tali dolore requiri propositum firmum, & efficax de cætero non peccandi; Quia ergo in superioribus dictum est pariter peccata venialia etiam sola absque mortalibus esse posse materiam sufficientem huius sacramenti, nunc quæritur an similis dispositio sit quoque necessaria in confessione venialium pro eorum remissione, vel aliqualiter differens sufficiat attenta leuitate peccati venialis.

Prima itaque Difficultas est, an in confessione, quæ fit de venialibus, requiratur dolor formalis, & expressus saltem per modum attritionis, & absolutus, ac efficax sicut dictum est requiri in confessione mortalium. Affirmant Recentiores passim, quia adhuc in confessione venialium procedit eadem necessitatis ratio, siquidem talis confessio debet adhuc esse vera accusatio, & vt sit materia sufficiens ad valorem sacramenti, debet esse cum dolore, & detestatione talium peccatorum, & hic actus est adhuc de necessitate, & substantia ipsius sacramenti; Hoc etiam deducunt ex doctrina Conciliorum, in quibus partes huius Sacramenti assignantur contritio, confessio, & satisfactio, nomine autem contritionis non potest intelligi dolor aliquis imperfectus, seu displicentia inefficax; contritio enim est detestatio peccati commissi, vt definit Tridentinum; illa autem displicentia inefficax non est detestatio, aut retractatio, imò potest stare simul cum proposito iterum committendi illud peccatum, & cum ipso peccato actuali; est autem incredibile, quod Deus remittat peccatum etiam veniale habenti complacentiam in ipso, nec deferenti formaliter, aut saltem virtualiter priorem voluntatem peccaminosam. Ex quo deducunt, eum, qui confitetur de solis peccatis venialibus; non habens conscientiam alicuius mortalis, adhuc teneri sub graui obligatione habere talem actum, alioquin tunc committeret mortale peccatum sacrilegij; Et quamuis nullus teneatur confiteri venialia peccata, vel mortalia aliàs confessa; tamen supposito, quod de ijs confiteri velit, faciatque de ijs materiam totalem non habens aliam materiam necessariam, ex hac suppositione tenetur accedere cum eorum dolore actuali absoluto, & efficaci, partes enim essentiales huius sacramenti sunt contritio, & confessio, ac proindè sine vero, & efficaci dolore sacramentum hoc constare non potest; ità Lugus *disp.* 14. *sec.* 8. Auersa *quæst.* 11. *sec.* 1. & alij Recentiores passim; Imò Amicus *disp.* 6. *sec.* 4. quamuis ad remissionem venialium per alia sacramenta, scilicet, Baptismum, & Extremam Vnctionem concedat attritionem etiam virtualem sufficere posse, excipit tamen pœnitentiæ sacramentum, in quo inquit tam ad remissionem mortalis, quàm venialis requiri formalem dolorem, & formalem retractationem de peccatis.

416 Dicendum tamen est, quod licet attritio necessariò prærequiratur in suscipiente hoc sacramentum, tanquam dispositio ad tollendum obicem, & absolutionem obtinendam mortalium, ac etiam venialium, quando sunt eum mortali coniuncta; tamen quando sunt separata, vt accidit in iustis, talis dispositio non est necessaria ad tollendum obicem, vt eorum absolutionem sacramentum influere possit, sed sufficere etiam potest aliqua minor dispositio, nempè actualis non complacentia de talibus peccatis, & voluntas recipiendi effectum remedij, quod assumit, vt à venialibus purgari possit, hæc enim censetur virtualis quædam peccati venialis detestatio, dum homo vult eius medicinam assumere, vt ab eo purgetur. Ità iam statuimus *quæst.* 9. huius *disp. artic.* 1. *num.* 250. *& art.* 2. *num.* 257. cum Auctoribus ibi citatis, & sequuntur Soto, Ledesma, Henriquez, Nugnez, & alij Neoterici dicentes sufficere aliquam retractationem virtualem per quemcunque actum, quo quis desiderat emundari à venialibus, & tenet ex nostris Hiribarnes *disput.* 19. *sec.* 1. Probatur autem ex dictis *loc. cit.* nam sola attritio absque comite sacramento sufficit in homine iusto ad deletionem venialis ex ibi dictis *num.* 248. ergo ad tollendum obicem in sacramento, qui talem remissionem impedire potest, aliqua dispositio minor attritione formali sufficere potest; consequentia patet, quia ad tollendum obicem minus requiritur, quàm ad ipsum veniale tollendum; ergo si ad delendum ipsum veniale satis est attritio ad tollendum obicem in sacramento minus requiritur.

Confirmatur, quia ad expellendum obicem respectu mortalis, eiusque remissioni viam aperiendam est sufficiens dispositio ipsa formalis attritio ex dictis *art. preced.* ergo ad tollendum obicem respectu venialis, eiusque remissioni impetrandę in sacramento minor dispositio sufficere poterit, quæ scilicet, sit attritio virtualis; Consequentia patet, quia peccatum mortale est grauis Dei offensa, & maximam auersio ab eo, veniale verò leuis omninò, & exigua, cum gratiæ, & amicitiæ Dei non opponatur; vt igitur homo suscipiens sacramentum non dicatur ponere obicem remissioni venialis, satis erit, vt ad sacramentum accedat sine actuali complacentia venialis, & cum affectu recipiendi sacramentum, eiusque effectum, cùm tale desiderium sit virtualis quædam retractatio venialis, quatenus homo paratus est sumere remedium talis mali destructiuum. Denique probatur, quia ex opposita sententia sequitur, nunquam venialia verè remitti in sacramento pœnitentiæ, quia iam semper inueniretur remissio facta per attritionem præcedentem, quam diximus ex se habere vim delendi veniale extrà sacramentum; Et insuper sequeretur, quod magis, vel æquè rigorosa dispositio requireretur ad remissionem peccati leuis, & grauis, quod iustitiæ non conuenit; Itaque concludendum est, sacramentum pœnitentiæ ad fructum remissionis peccatorum non exigere, nisi affectum illum, qui sufficiens est ad tollendum obicem, qui valorem, & fructum sacramenti potest impedire; & quia obex mortalis nequit tolli per affectū, qui sit minor attritione formali, vel dolore absoluto, & efficaci, ideò illum exigit; Quia verò ad tollendum obicem venialis satis est alia dispositio minor iam declarata, ideò ipsa supposita pœnitentiæ sacramentum vi sua propria potest omnia abolere venialia, ad quæ se extendit exigua illa dispositio, nam minor retractatio requiritur ad remissionem venialis, quam mortalis, vt etiam concedit Amicus *loc. cit.* nec vlla est ratio, ob quam pœnitentiæ sacramentum ab hac vniuersali regula excipi debeat.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ dicendum est, quod 417
licet ad consequendum fructum huius sacramenti pro remissione mortalium necessaria sit attritio formalis ad tollēdum obicem ob peccati mortalis grauitatem, tamen ad consequendum fructum pro remissione venialium ob eorum leuitatem sufficit alia dispositio minor iam declarata, nempè vt homo non habeat actualem complacentiam talium peccatorum, & habeat voluntatem recipiendi effectum remedij, quod assumit; hæc enim est quædam virtualis attritio, & detestatio peccati, dùm homo vult efficaciter eius medicinam, & antidotum assumere, tali enim actu sufficienter excluditur quælibet complacentia peccati venialis, & quodlibet propositum committendi iterum illud peccatum, vndè licet non sit displicentia ità perfecta, sicut est formalis attritio, est tamen displicentia efficax, sicut illa; desiderium enim, quo iustus cupit à peccato emundari per susceptionem sacramenti, est quædam saltem virtualis detestatio, & retractatio peccati, dùm homo vult eius medicinam assumere; & quamuis non ex se sufficiat extrà sacramentum ad deletionem venialis, vt attritio formalis, dicimus tamen ad id sufficere cum sacramento, quia sufficit ad tollendum obicem pro effectu sacramenti consequendo. Quando verò dicitur, attritionem, & dolorem formalem etiam in confessione venialium esse saltem necessarium ad valorem huius sacramenti, quia à Concilijs ponitur eius pars essentialis, & sine vero, & efficaci dolore hoc sacramentum consistere nequit.

Respondet Hiribarnes *loc. cit.* quod licet Sacramentum pœnitentiæ secundum rationem suam specificam requirat attritionem formalem ad sui rectitudinem, & constitutionem; attamen facta eius constitutione non exigit attritionem ad obtinendum effectum remissionis venialium in homine iusto, sed satis erit aliqua minor dispositio, qua retractentur venialia, & non erit opus attritione; vnde si quis ad confessionem accedat cum solis venialibus, sufficit vt de

de vno solo formalem habeat attritionem pro constitutione sacramenti, ad consequendam verò aliorum remissionem sufficiet alia dispositio minor iam declarata. Hæc tamen responsio parum, vel nihil iuuare videtur, dicunt enim Aduersarij, quod in tali casu ex vi attritionis vnius tantùm peccati venialis recipit ille iustus gratiam sacramentalem, quia nullum ponit obicem, etiamsi non accedat cum dolore sufficiente ad remissionem omnium venialium. Posset ergo dici ad valorem confessionis venialium posse etiam sufficere attritionem virtualem iam explicatam, cùm hæc æquiualeat detestationi, & retractationi formali ipsorum, vt iam dictum est; & quando Concilia dicunt ad valorem confessionis necessariam esse attritionem formalem, & verum, ac efficacem dolorem, loquuntur præsertim de confessione mortalium, vel venialium cum aliquo mortali, nam pro pura confessione venialium potest etiam ad ipsius valorem sufficere attritio virtualis iam explicata, quam tamen solutionem aliorum iudicio submitto, quæ si non placet, dicatur cum prima solutione, quod licet ad valorem, & ratitudinem sacramenti requiratur formalis attritio saltem de vno veniali, non tamen requiritur ad effectum remissionis aliorum, quæ in confessione explicantur, sed alia minor dispositio sufficere potest; vndè licet attritio illa formalis non extendatur ad omnia venialia, sed tantùm ad vnum, sacramentum illud per aliam dispositionem minorem ad cætera venialia extensam cuncta peccata remittet in confessione manifestata; & sic adhuc habetur intentum, quod ad obtinendam venialium remissionem per hoc sacramentum non est necessaria attritio formalis, sed potest etiam sufficere dispositio minor iam explicata.

418 Secunda Difficultas est, an debeat etiam pœnitens dolore de omnibus venialibus, quæ confitetur. Affirmant aliqui teneri pœnitentem sub mortali habere saltem attritionem de omnibus venialibus, quæ confitetur; itaut quamuis non sit obligatus de ijs confiteri, & possit quæ voluerit prætermittere, tamen supposito, quod velit de ijs confiteri, debere accedere cum eorum contritione, & alioquin peccare mortaliter, ità referunt Suarez *disp.* 20. *sec.* 6. Lugus *disp.* 14. *sec.* 8. Auersa *q.* 11. *sec.* 6. fundamentum est, quia cum materia huius sacramenti sit confessio cum dolore, nisi quis habeat verum dolorem, subijcit pro materia sacramenti potius historicam narrationem, quæ non est apta materia, quarè facit iniuriam notabilem sacramento, & ità sacrilegium committit; Sicut si quis porrigeret v.g. pro materia Eucharistiæ aliquam formulam panis non triticei, etiamsi coniunctim cum alijs formulis panis triticei, & faceret, vt Sacerdos simul super omnes cum intentione consecrandi verba proferret; Ità & in hoc sacramento facit, vt Sacerdos indistinctè proferat verba absolutionis super omnia peccata ei exposita, quorum tamen aliqua non sunt apta materia, & super ea redditur falsa forma *Ego te absoluo à peccatis*.

Communis autem opinio Recentiorum affirmat non teneri pœnitentem ex necessitate de omnibus venialibus dolere, quæ confitetur, sed tantùm de aliquibus, ne irritum sit sacramentum, quia dùm pœnitens confitetur aliqua peccata cum dispositione idonea ad valorem, & effectum sacramenti, iam ponit in tuto exercitium sacramenti, ne sit irritum, & ne careat effectu; & de reliquo non irrogat grauem iniuriam sacramento exponendo simul aliqua peccata venialia, quæ quidem non sunt materia grauis, & necessaria, de quibus non percipiat in se dispositionem, & attritionem requisitam ad eorum remissionem; sicut non peccant, qui simul cum peccatis accusant se de quibusdam defectibus, & imperfectionibus rationem culpæ non attingentibus, sed tantùm importantibus carentiam maioris perfectionis, quæ non est propriè materia huius sacramenti. Ità Suarez, Lugus, Auersa, Henriquez, Hurtado, & alij Recentiores, qui negant paritatem ex materia Eucharistiæ deductam in allato exemplo ob incertitudinem, & difficultatem, quæ esset in discernendo, quæ formulæ sint consecratæ, & Sacerdos qui eas non discernit directè profert verba consecrationis super omnes, & singulas eas formulas, ac si de singulis diceret *Hoc est corpus meum*, quod esset graue inconueniens super aliquam formulam incapacem; At Minister absoluens profert verba absolutionis directè super ipsum pœnitentem dicendo *Absoluo te*, qui pœnitens est verè capax absolutionis penes materiam habilem, quam offert, eorum peccatorum, de quibus se cum debito dolore accusat.

Hic dicendi modus rectè procedit tenendo communem opinionem, quod in confessione venialium requiratur dolor formalis, & expressus saltem per modum attritionis, sicut requiritur in confessione mortalium; sic inquam, verum est non teneri pœnitentem ex necessitate de omnibus venialibus dolere, quæ confitetur, sed tantùm de aliquibus, ne irritum fiat sacramentum. Verùm tenendo iuxtà doctrinam præmissam in solutione præcedentis Difficultatis, attritionem formalem, & expressam non esse necessariam dispositionem pro remissione venialium, quando non sunt cum moralibus admixta; sed sufficere posse minorem dispositionem, nempè actualem non complacentiam de talibus peccatis, & voluntatem efficacem recipiendi effectum remedij, quod assumit, vt à venialibus purgari possit; iuxtà, inquam, hanc doctrinam tenetur pœnitens accedens ad sacramentum cum solis venialibus de ijs omnibus hoc modo dolere, & pœnitere, nam talis pœnitentia importat solùm non complacentiam de talibus peccatis, & voluntatem recipiendi remedium, quod assumit; sed talis actus debet necessariò cadere super omnia venialia, quæ confitetur, nam si ad omnia non se extenderet, iam de aliquo veniali complacentiam actualem haberet, vel displicentiam inefficacem, nec voluntatem efficacem haberet assumendi remedium pro purgatione omnium venialium, quæ confitetur; vndè sic accedendo grauem iniuriam faceret sacramento, & ideò loquendo de ista minori dispositione, quam diximus pro remissione venialium sufficere mediante sacramento, debet talis pœnitentia ad omnia venialia se extendere, quæ in confessione aperiuntur, alioquin confessio irrita esset, & confitens mortaliter peccaret, quia cum obice accederet ad sacramentum. 419

Tertia Difficultas est, An etiam in confessione venialium requiratur propositum efficax formale, vel virtuale vitandi omnia peccata venialia; Nam ex vna parte tale propositum videtur necessarium ad excludendam voluntatem iterum venialiter peccandi; Ex alia verò parte videtur, quod non, quia scimus nos non posse vitare omnia illa supposita fragilitate nostra, vndè dicitur de venialibus, quod *septies in die cadit iustus*, nemo autem potest efficaciter velle, quod videt esse moraliter impossibile, non enim dari potest voluntatis propositum, & decretum efficax circa obiectum cognitum impossibile, vt constat ex dictis *disp.* 7. de Anima *qu.* 5. *art.* 2. *num.* 102. hinc oritur dubium quonam modo possit pœnitens hoc propositum habere circà peccata venialia in posterum vitanda. 420

Pluribus modis hanc possibilitatem explicare conatur Lugus *disp.* 14. *sec.* 9. & inquit præsertim *n.* 137. quod potest pœnitens habere propositum vniuersale vitandi omnia, & singula venialia, non quidem per modum volitionis absolutæ, quæ dicat, volo nunquam peccare venialiter, sed qua dicat, quantum est ex me volo nunquam peccare venialiter; neque enim repugnat, quod aliquis velit, non voluntate absoluta, sed efficaci quantum est de se, procurare aliquid, quod scit non futurum; Et quando dici solet non posse dari voluntatem absolutam circà obiectum impossibile, inquit intelligi debere de voluntate omninò absoluta, non de voluntate efficaci, quantum est ex me, sic enim peccator per contritionem detestatur efficaciter peccata, non quidem volendo absolutè quod non fuerint, sed volendo efficaciter quantum est ex se, quod non fuissent; sic possum ego velle volare voluntate, non absoluta, sed efficaci quantum est ex me, & velle, ac conari quantum est ex me mouere saxum, quod meis viribus moueri non possit; quanto ergò magis possum simili voluntate velle nunquam peccare venialiter; hæc autem voluntas licet non sit absoluta, sufficit tamen ad valorem sacramenti, ad quod solùm requiritur voluntas talis, quæ expellat voluntatem peccandi, illa verò est talis, nam cum illa nunquam poterit coniungi voluntas actualis peccandi. Deindè *n.* 130. alium dicendi modum subdit, quem sequitur Auersa *quæst.* 11. *sec.* 2. & est, quod pœnitens potest habere dolorem, & propositum de ijs peccatis venialibus, quæ confitetur, & habere dolorem de his omnibus, ac propositum vitandi omnia similia, non enim commiserat omnia possibilia, vel omnibus modis possibilibus; Neque necesse est in peccatis venialibus, sicut in mortalibus, habere animum omnia possibilia vitandi, in hoc enim differt confessio de venialibus à confessione mortalium, in qua requiritur semper vniuersale propositum vitandi omnia, quod propositum non requiritur ad remissionem venia-

venialium; tale igitur propositum sat erit ad consequendam veniam omnium eorum, quæ confitetur.

421 Neuter tamen horum modorum dicendi placet; non quidem primus, nam difficultas vrget, quomodo possit quis pro tunc habere tale propositum efficax faciendi deinceps toto tempore sequenti id, quod apprehendit impossibile, etenim vt inquit Doctor *2.d.6.q.1.ad 1.princ.* & est doctrina communis in omni Schola; nihil vult efficaciter voluntas, nisi ad quod disponit media, per quæ finis acquiri potest, & talis volitio efficax nunquam est alicuius impossibilis, quia nullus consiliatur de impossibilibus, nec præcipit intellectui practico ad inquirendum medium ad illud, & in hoc sensu explicat Doctor dictum Philosophi 3. & 6. *Ethic.* quod *electio non est impossibilium*; Vndè falsum est me habere posse voluntatem efficacem ad volandum, vel ad mouendum saxum excedentis ponderis; ac etiam falsum est peccatorem per contritionem detestari efficaciter peccata commissa, non quidem volendo absolutè, quod non fuerint, sed volendo efficaciter quantum est ex se, quod non fuissent, neque in hoc sensu benè explicatur efficacia doloris de peccatis præteritis, sed explicari debet, vt diximus ab initio huius *Disp.q.1.art.1.num.*10. quatenus potest voluntas ferri in peccatum præteritum, vt moraliter præsens per modum habitus nondùm retractati, & sicut potest illud efficaciter detestari; in peccatum verò, vt formaliter præteritum actu absoluto, & efficaci ferri non potest desiderando, quantum est ex se, vt peccatum commissum non sit commissum, quia hic actus est ad obiectum impossibile; ferri tamen potest actu conditionato, facta, scilicet, hypotesi, quod sit possibile, vt peccatum commissum non fuerit commissum, & hoc modo potest, ac debet pœnitens velle, vt peccatum non sit commissum, sed hic est affectus simplicis desiderij, non verò voluntatis efficacis, quia hæc supponit absolutam obiecti possibilitatem, non conditionatam tantùm, & cum ordine ad executionem mediorum. Nec etiam placet alter dicendi modus, quod, scilicet, in confessione venialium satis sit habere propositum non iterum committendi venialia, quæ confessus est, neque sit opus habere propositum alia omnia euitandi; Non, inquam, placet, quia cum tali proposito limitato ad similia peccata tantùm euitandi, qualia confessus est, seù non iterum illa commitendi, stare potest voluntas committendi venialia alia diuersa, siuè diuersæ speciei; sicut ergo in confessione mortalium non sufficit propositum sic limitatum, sed requiritur propositum vniuersale omnia prorsus mortalia euitandi, siuè similia, qualia confessus est, siuè dissimilia, & alterius speciei, ità etiam dicendum de proposito in confessione venialium requisito ad consequendam veniam omnium eorum, quæ confessus est.

422 Dicendum ergo potius est, quod potest, ac debet pœnitens non solùm actu dolere de omnibus præteritis, & dicere, quod nullum vellet commisisse; sed etiam habere propositum faciendi diligentiam vitandi in posterum quodlibet singillatim, & cautè viuendi quantum ex diuina gratia sibi concedetur; potest inquam, habere propositum efficax faciendi quantum est ex parte nostra, & quantum in nobis fuerit ad vitanda illa, quantùm humano modo fieri possit supposito diuinæ gratiæ auxilio, hoc enim propositum sufficit ad hoc, vt in Sacramento remittantur omnia venialia, quæ fiunt confessionis materia; ità videtur sentire Suarez *disp.4.sec.3.num.5.* neque dissentit Auersa *loc. cit.* vbi gratis concedit, quod hæc diligentia apprehendi potest à pœnitente, vt possibilis, & quod excludit voluntatem committendi vllum veniale in particulari, non enim benè staret cùm illo animo voluntas mentiendi venialiter, aut negligenter orandi, & sic de similibus; atque hoc propositum de futuro satis corrispondet cum dolore de præterito, & sufficiet ad consequendam veniam de omnibus anteà commissis.

Ad fundamentum in oppositum, seù rationem dubitandi, quod nemo potest efficaciter velle, quod videt esse moraliter impossibile, non potest autem homo in hac vita ob eius fragilitatem omnia venialia euitare; dicendum est, quod licet hoc verum sit, adhuc tamen homo verè, & realiter physicam semper habet potentiam, & auxilium sufficiens ad vitanda quælibet peccata venialia, nec vitando plura, & plura talem amittit potentiam, vel viribus deficit, & auxilijs ad alia vitanda sufficientibus; vnde non se habet ad euitanda omnia venialia, sicut se habet ad volandum, vel mouendum saxum excedentis ponderis, quæ erant exempla a Lugo allata, siquidem ad hæc habet homo non tantùm impotentiam moralem, sed etiam physicam. Quando ergò dicitur homini impossibile omnia euitare venialia, hoc est intelligendum de impotentia morali duntaxat, non autem physica, & hoc est propter maximam, & ingentem difficultatem, & ob magnam sui fragilitatem, ac diuinam permissionem; quamuis autem voluntas circà obiectum physicè impossibile efficax propositum habere non possit, potest tamen illud habere circà moraliter impossibile supposito auxilio diuino, atque ideò potest homo proponere efficaciter modo iam explicato ab omnibus venialibus in futurum abstinere, etiamsi sciat, vel probabiliter dubitet ob magnam difficultatem, & sui fragilitatem se in plura, & plura successiuè lapsurum; alijs etiam modis hanc possibilitatem propositi efficacis circa venialia euitanda Poncius ostendere, & suadere conatur *disput.46.sec.3.* propè finem, qui mihi non multum satisfaciunt, & apud ipsum videri possunt. Alia plura hic disputari solent de contritione, seù interiori pœnitentia, prout denotat internam animi dispositionem ad confessionem externam, quæ sufficienter patent ex dictis de Pœnitentia virtute *quæst.* 5. & 6. huius Disputationis.

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

De Confessione sacramentali, an sit ad salutem necessaria, & quomodo.

Post contritionem, quæ erat prima pars materialis, & essentialis huius sacramenti, agendum est de Confessione externa, quæ est altera pars essentialis sacramenti huius, & notior contritione, vt per se sensibilis; Solet autem confessionis nomen pluribus modis vsurpari; Primò in genere pro confessione cuiuscunque veritatis, quo modo pertinet ad virtutem veracitatis. Secundò pro confessione fidei, quæ pertinet ad eandem fidei virtutem. Tertiò pro confessione laudis, quam Deo deferimus ob eius beneficia, opera, & attributa, quæ ad virtutem Religionis spectat; Quartò pro confessione iudiciali in foro externo, quæ ad virtutem Iustitiæ pertinet, vt Arist. docet 4. Ethic. *cap.* 7. Quintò tandem sumitur pro manifestatione, seù accusatione suorum peccatorum in foro interno coram legitimo Ministro, ad finem obtinendi eorum veniam, & remissionem per absolutionem, & hæc est propriè sacramentalis confessio, de qua hic est sermo, & est actus pœnitentiæ virtutis, qui hic consideratur, vt altera pars sacramenti huius; Definitur autem quod sit *accusatio sacramentalis legitima de peccatis proprijs facta coram Sacerdote ad eorum veniam impetrandam virtute clauium*; prima particula stat loco generis, quia confessio Sacramentalis non est qualiscunque peccati propalatio, & manifestatio, reliquæ verò locum tenent differentiæ, nam *Sacramentalis* ponitur ad differentiam contritionis, quæ est confessio coram Deo, & aliarum confessionum non sacramentalium; *legitima* ponitur ad differentiam earum, quæ carent conditionibus requisitis; *de proprijs peccatis* ponitur ad differentiam confessionis laudis, in qua Deum laudamus, non autem nosmet accusamus; *facta coram Sacerdote* ad differentiam confessionis externi fori factæ coram Iudice criminali; additur tandem *ad veniam impetrandam* ad differentiam confessionum pœnalium, quæ ad punitionem præcisè ordinantur, non ad veniam. 423

Iam suprà dictum est *quæst.* 11. huius Disp. ab initio *n.* 304. hoc pœnitentiæ sacramentum fuisse à Christo Domino immediatè institutum supponens ex parte Ministri potestatem remittendi, & retinendi peccata, ex parte verò pœnitentis includere dolorem, confessionem, & satisfactionem de peccatis commissis, vt materiam huius sacramenti, hancque veritatem contineri in illis verbis Christi Ioan. 20. *quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis retenta sunt.* Nunc igitur inquirendum est, an hoc pœnitentiæ sacramentum fuerit à Christo quoad omnes suas partes completè institutum, & præsertim quoad confessionem, itaut ex vi eiusdem institutionis necessaria sit explicita, & distincta confessio peccatorum eo prorsus modo, quo in Catholica Ecclesia exercetur. Item iam suprà dictum est

est q.7. huius *disp. num.* 178. *& seq.* pœnitentiam virtutem esse necessariam homini lapso in peccatum mortale ad salutem necessitate medij, & præcepti, & non tantùm ex præcepto diuino positiuo, sed etiam naturali. Nunc igitur pariter vestigandum est, an sacramentum pęnitentiæ, seu sacramentalis confessio sit medium eodem modo necessarium ad remissionem peccatorum mortalium post baptismum.

ARTICVLVS PRIMVS.

Resoluitur Quæstio.

424 PRo quæstionis resolutione Primò dicendum est, Sacramentum pęnitentiæ fuisse à Christo quoad omnes suas partes completè institutum etiam quoad confessionem Sacramentalem. Conclusio est omnium Catholicorum contrà Hæreticos quamplures, quorum aliqui dixere huiusmodi confessionem fuisse primò inuentam, & inuectam ab Innocentio Tertio in cap. *omnis vtriusque sexus*, quam præsertim docet Scotus 4. *d.* 17. *q. vn. art.* 1. & posteà tanquam de fide definiuit Concil. Trident. *sess.* 14. *c.* 5. nam de fide est hoc sacramentum esse à Christo immediatè institutum, sed pariter de fide est contritionem, confessionem, & satisfactionem esse materiam, & ex Dei institutione ad huius sacramenti integritatem pertinere ex Trident. *loc. cit.* ergò pariter de fide est hoc sacramentum integrè, & completè quoad omnes suas partes fuisse à Christo immediatè institutum, quia si aliqua pars non esset immediatè à Christo instituta, non posset cum veritate dici totum hoc Sacramentum fuisse à Christo institutum. Deindè probatur speciatim de Confessione ex verbis Concilij ibidem, vbi sic loquitur, *ex institutione sacramenti pœnitentiæ vniuersa Ecclesia semper intellexit, institutam etiam esse à Domino integram peccatorum confessionem, & omnibus post baptismum lapsis iure diuino necessariam existere*, vndè infrà concludit repellendam esse inanem eorum calumniam, qui eam à mandato diuino alienam, & inuentum humanum esse, atque à Patribus in Concilio Lateranensi congregatis initium habuisse docere non verentur. Tandem probatur ratione, quia si confessio sacramentalis ab Ecclesia instituta fuisset, vt Sectarij dicunt, iam in ea dispensare posset, siquidem dispensare potest in omnibus, quæ ex ipsius potestate pendent; at in nulla huius sacramenti parte Ecclesia dispensare potest, vt est communis omnium Catholicorum sensus, ergo &c. Verùm quia aliqua est inter Scholasticos dissensio, an hæc veritas sufficienter ex Euangelio colligatur, aliqui enim Nominales id negant, & haberi putant traditione per Apostolos oretenus Ecclesiæ factam, ideò pro resolutione.

425 Secundò dicendum est, hanc integram huius Sacramenti institutionem sufficienter colligi ex verbis citatis Io. 20. *quorum remiseritis peccata &c.* ità Scotus *loc. cit. art.* 1. in fine, vbi hoc probabilius putat, quæ doctrina posteà in Trid. confirmata est *sess.* 14. *c. cit.* vbi habetur, ex institutione sacramenti pœnitentiæ iam explicata Ecclesiam semper intellexisse institutam esse à Domino integram peccatorum confessionem; superius autem *c.* 1. dixerat, tunc Dominum pęnitentiæ sacramenti instituisse, cùm à mortuis suscitatus insflauit in discipulos suos dicens, *accipite Spiritus Sanctum, quorum remiseritis peccata &c.* ergò Concilium ex illo loco, & verbis sufficienter hanc veritatem colligit; Cuius etiam congrua ratio afferri solet ex Scot. *loc. cit.* nam per hæc verba acceperunt Apostoli, & eius successores potestatem remittendi, & retinendi peccata fidelium, & constituti sunt, tanquam Iudices, qui pęnitentibus ritè dispositis sententiam absolutionis, & remissionis proferrent, indignis verò, & indispositis sententiam retentionis; sed certè iudicium exerceri, & sententia proferri non potest, nisi probè cognita, & discussa causa, de qua agitur; ergo ex institutione huius sacramenti, & de iure diuino explicita, & distincta confessio peccatorum præcedere debet. Deindè nequeunt peccata remitti, nisi retractentur, ergò cum confessione necessarius est aliquis internus dolor, hinc etiam habetur propositum satisfaciendi, siquidem qui alium offendit, nec illi de se potest condignè satisfacere, vt offensæ condonationem obtineat, opus est vt se se offenso submittat, vel alicui ab eo delegato cum animo satisfaciendi iuxtà eius beneplacitum. Tandem hinc etiam habetur sententia Ministri absolutoria, nam vt à peccatis contritis, & confessis pœnitens absoluatur, necessaria est absolutio Ministri, cui commissa est causa delictorum; cùm hæc more humano peragi debeat; cùm autem hæc sententia iudicialis aliquo signo externo exprimi debeat, planè nequit alio signo exteriori commodius exprimi; quàm voce ipsius Ministri, cùm talis confessio debeat esse secreta, & soli Ministro facta; Sed ex his integratur tota natura Sacramenti pœnitentiæ; ergo ex verbis Euangelij relatis sufficienter colligitur integra huius sacramenti institutio quoad omnes, & singulas sui partes; ità discurrit Doctor *dist.* 17. *cit. q. vn. art.* 1. *vers. Ex hoc arguitur*. Verùm subdit Doctor ibidem hunc discursum benè concludere, sacramentum pęnitentiæ esse à Christo institutum quoad omnes eius partes, tanquam vtile, & efficax; non tamen sufficienter probare; quod sit necessariò recipiendum tanquam sub præcepto cadens, quia Extrema Vnctio est instituta à Christo, & Confirmationis sacramentum, & tamen neutrum est simpliciter necessarium, nec est præceptum de isto, vel illo recipiendo; potuit igitur Christus Apostolos, & Sacerdotes Iudices constituere solùm ad vtilitatem fidelium, vt si velint, possint ad eos recurrere, non tamen, vt obligentur, vti fit in peccatis venialibus, quæ possumus, si volumus, subijcere clauibus, non tamen tenemur, cùm sint alia media ad ea expianda; Restat ergo discutiendum vlterius, an ex institutione huius sacramenti sit necessaria de iure diuino explicita confessio, seù an sacramentum pœnitentiæ in lege Euangelica sit institutum, tanquam medium necessarium ad remissionem peccatorum mortalium post baptismum, pro cujus dubij decisione ponitur conclusio sequens.

Tertiò dicendum est, hoc sacramentum esse medium necessarium ad consequendam remissionem mortalium, quæ post baptismum commisimus, necessitate diuini præcepti; & consequenter confessionem sacramentalem esse fidelibus eodem modo necessariam, & in hoc sacramento requisitam ex institutione ipsa Christi, & diuino eius iure, atque vt talem semper, & ab initio in Ecclesia viguisse. Ità Scotus *loc. cit.* cum omnibus Catholicis contra Hæreticos id negantes, quod posteà, tanquam de fide definiuit Trid. *sess.* 14. *cit. c.* 5. vbi ait ex institutione sacramenti pœnitentiæ à Christo facta integram peccatorum confessionem omnibus post baptismum lapsis iure diuino necessariam existere; & can. 6. damnat negantes confessionem sacramentalem institutam esse à Christo, & necessariam iure diuino, & can. 7. declarat esse de iure diuino necessarium confiteri in sacramento pęnitentiæ omnia, & singula peccata mortalia. Hoc idem probatur ratione à Scoto insinuata, quia omnis necessitas, vel obligatio ad aliquid agendum pro animæ salute consequenda, vel oritur à iure naturali, aut à iure diuino positiuo, aut tandem à iure positiuo Ecclesiastico: Non oritur necessitas confessionis sacramentalis à iure naturæ, quia vt inquit Doctor sub lit. A. & B. sumendo legem naturæ Theologicè, & in vera significatione, necessitas sacramentalis confessionis non est de lege naturæ, quia præcepta legis naturæ sunt vniformia, & obligant pro omni statu; sed sacramentum pęnitentiæ non obligabat neque pro statu innocentiæ, neque pro statu legis naturæ, vel scriptæ, nam antè Christum, & institutionem ab eo factam hoc Sacramentum nec erat, nec notum erat; Et quamuis naturale sit suum peccatum agnoscere, & de eo veniam à Deo petere, naturale tamen non est illud alteri confiteri ad remissionem obtinendam; quamuis etiam confessio de peccatis, & generaliter, & specialiter facta Deo, vt summo Iudici, sit homini necessaria ad salutem pro omni statu, hæc tamen confessio non est sacramentalis, quia non est facta Ministro ab ipso delegato, sed immediatè ipsi Deo. 426

Deindè neque confessio sacramentalis, quæ fit homini, vt Ministro Dei, est ex iure positiuo Ecclesiastico instituta, tanquam necessaria ad remissionem mortalium post baptismum commissorum; neque enim reperitur præceptum Ecclesiasticum de confessione sacramentali, sed de tempore confessionis singulis annis tempore Paschatis exequendę, vt constat extra de pœnitentia, & remissione *cap. omnis vtriusque sexus*; Neque enim per Lateranense Concilium, vt docet Trid. *loc. cit.* Ecclesia statuit, vt Christi fideles confiterentur, quod iure diuino necessarium, & institutum esse intellexerat, sed vt preceptum confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis, cum ad annos discretionis peruenissent, impleretur; Tùm quia, vt suprà dicebamus, si confessio sacramentalis ab Ecclesia instituta fuisset, iam in ea dispensare posset, quod est omninò falsum; Restat ergo, vt hoc præ-

præceptum de Confessione sacramentali sit ex iure diuino positiuo pro statu nouæ legis à Christo factum, & ab Apostolis in Ecclesia promulgatum, atque executioni mandatum; sed quia adhuc dubium est, quo pacto, & vndè hæc necessitas colligatur.

427 Quartò Dicendum est, necessitatē huius sacramenti, siuè confessionis sacramentalis sufficienter deduci ex relatis Christi verbis, *Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis* &c. Io. 20. Ità Scotus *loc. cit.* ac etiam postea Conc. Trid. *sess. 14. c. 5.* id autem aliqui deducunt ex duplici potestate à Christo Apostolis concessa, ac eius successoribus remittendi, & retinendi peccata; si enim sacerdos ex Christi concessione auctoritatem habet retinendi peccata fidelium; ergò Fideles ex præcepto Christi tenentur sua peccata sacerdoti pandere; consequentia probatur, quia nequit Sacerdos peccata pęnitentis retinere, nisi pœnitens teneatur ea clauibus subijcere; dato enim posse pęnitentem contritione absque sacramento pœnitentiæ re, vel in voto remissionem peccatorum consequi, nulla ratione posset Sacerdos ea retinere; ergo dicitur Sacerdos ea retinere posse, quatenus potestatem habet ea non absoluendi ex rationabili causa; at nequit Sacerdos peccata pęnitentis ex causa non absoluere, nisi pęnitens ea Sacerdoti manifestet, ergo in ipsa potestate retinendi peccata sacerdotibus concessa includitur necessitas confitendi fidelibus, cùm nequeat illa saluari absq; debito confitendi in ipsis fidelibus; ità Aureolus 4. *d.* 17. *art.* 1. quem sequuntur Vasq., Amicus, Auersa, & alij Recentiores. At inquit Doctor sub lit. F. quod licet verba illa iuuent ad inferendam necessitatem, & obligationem confitendi, non tamen ex illis sufficienter deducitur necessitas, sed aliqua alia propositio est supponenda, vel subintelligenda; probatur assumptum, quia illis affirmatiuis, *quorum remiseritis, & quorum retinueritis* Christus non addit negationem *si non remiseritis Deus non remittet, si non retinueritis, Deus non retinebit* plurium nāq; hominum peccata Deus retinet, quę sacerdotes non retinēt, vt sunt peccata omnium baptizatorum, qui non confitentur & damnantur; sed loquitur restrictiuè idest si peccata, quæ vos audietis, retinebuntur, etiā à Deo retenta erunt; ergo ex illis solis verbis, & ex illa duplici potestate sic tradita restrictiuè, & non ampliatiuè, nō potest sufficienter cōcludi necessitas adeundi Sacerdotē. Tùm quia ex eo discursu nō deducitur hæc necessitas, & obligatis ex illa duplici potestate remittendi, & retinendi peccata, sed ex sola potestate retinēdi, nam ex hac tantùm immediatè infertur, & obligatio in fidelibus & ad sacerdotes deferendi ex vi illius discursus, & potestas in Sacerdotibus ad ea remittēda, quia qui habet potestatem retinendi, necessariò quoq; potestatem remittendi habere supponitur, retinemus enim, quod remittere possumus.

428 Alia ergo via ex eo loco deducit Doctor hanc necessitatem, supposita nimirum obligatione hominis ad diligendum Deum, & seipsum, quod fieri nequit nisi per peccatorum remissionem, & gratiæ recuperationem, ex quo sic arguit, qui amisit primam gratiam, tenetur sub præcepto recuperare illam ex illis duobus præceptis Diliges Dominum Deum tuum, & diliges te ipsum; sed vbi sunt duæ viæ consequendi salutem, tenemur ad faciliorem, & tutiorem; facilior autem, & tutior via est peccati remissionem consequi per pęnitentiam sacramentum, quàm per pœnitentiam virtutem; ergo sub præcepto tenemur hoc sacramentum suscipere ad peccati remissionem certius consequendam; maior de se constat, minorem probat, quia in rebus ad salutem necessarijs tenemur sequi viam tutiorem, alioquin videremur salutem contemnere eam periculo exponendo; subsumptam etiam minorem probat, quoniam ad consequendam gratiam cum pęnitentia sacramento sufficit non ponere obicem; cum pęnitentia verò virtute requiritur contritio; potest autem quis certior esse, quod non ponat obicem, quàm quod habeat cōtritionem sufficientem ad iustificationem, quia potest probabiliter, scire se non accedere ad hoc sacramentum cum aliquo peccato actuali, & cum intentione recipiendi sacramētum, & effectum ipsius, at non potest scire se habere pęnitentiam sufficientem ad iustificationem extrà sacramentum, quarè concludit Doctor necessitatem præcepti confessionis non deduci ex isto verbo tantùm *Quorum remiseritis &c.* sed ex isto, & illo præcepto *Diliges Dominum Deum tuum* simul iuncto. Ex quo patet hanc rationem Doctoris non benè in terminis adduci ad id probandum à Brancato nostro *disp.* 23. *art.* 4. *n.* 58. vbi supponit, quod vnicum sit medium in lege Euangelica ad obtinendam iustificationem à peccato commisso post baptismum, scilicet, pœnitentiæ sacramentum, vndè habita tali notitia fideli, at etiam dilectionis Dei præcepti, & sui ipsius, statim concludit tale medium esse sibi necessarium ad propriam salutem consequendam; At tale suppositum non facit Doctor quod scilicet, sit vnicum medium in lege Euangelica ad obtinendam iustificationem, scilicet, pęnitentiæ sacramentum, imò supponit duplicem esse viam, scilicet pęnitentiam virtutem, & pęnitentiam sacramentum, & hanc inquit esse faciliorem, & certiorem, ac tutiorem, ac proindè ad eam fideles teneri, & obligari, quia in rebus ad salutem necessarijs tutiorem viam sequi tenemur; ità discurrit sub lit. G. vt legenti patebit.

Cæterum Amicus *disp.* 10. *sect.* 3. *n.* 48. ait hunc Doctoris discursum acutiorem esse, quam veriorem, tum quia falsum est ad cōsequenda remissionem peccati per hoc sacramentum satis esse accedere sine obice actualis peccati, sed necessaria est attritio supernaturalis; tùm quia est oratione dispositionis sit facilior, ac tutior via consequendi gratiam per pęnitentiam sacramentum, quàm per pęnitentiam virtutem, quoniam ad illud sufficit attritio, ad hanc requiritur contritio; multis tamen alijs modis hæc via est incertior, quia pendet ex pluribus conditionibus nobis incertis, vt ex charactere baptismali proprio, sine quo nullus effectus sacramenti participari potest: ex charactere baptismali, & Sacerdotali ministri; ex iurisdictione, & intentione absoluentis. Hæc tamen impugnatio friuola est, quando enim ait Doctor, quod ad consequendam gratiam cum pęnitentia sacramento sufficit non ponere obicem, vult dicere non necessariò requiri perfectam illam dispositionem, quæ dicitur contritio, & est omninò necessaria extrà sacramentum, sed sufficere dispositionem, imperfectiorem, quæ dicitur attritio, hæc enim sola sufficit ad omnem obicem tollendum, & sine illa non tollitur obex peccati mortalis, vt declaratum est de mente Doctoris *q. præc. art.* 1. *n.* 414. Deindè falsum est etiam non esse certiorem viam consequendi remissionem peccati per pęnitentiā sacramentum, quàm per pęnitentiā virtutem, alioquin nullum fuisset factum priuilegium Ecclesiæ per hoc sacramentum suprà legem veterem, tale enim priuilegium in hoc pręsertim consistit, quod vbi in veteri lege contritio necessaria erat ad iustificationem, & remissionē peccatorum; in noua lege non solùm contritio, verùm etiam pęnitentiæ sacramētum cum sola attritione remittit peccata, quod est facilius, & certius remedium, quàm sit sola contritio, vt Bonac. notat *disp.* 5. *q.* 3. *n.* 6. & passim docent Recentiores omnes, & hæc maior certitudo talis effectus, scilicet remissionis peccatorum mediante attritione habetur ex sola suppositione validitatis sacramenti, & capacitatis illius; hæc verò sunt, quæ dependent ex characteribus illis, & intentione Ministri, non enim huius sacramenti est capax, & illius effectus, qui charactere baptismali caret, nec illud conferre potest alteri cum eius effectu, qui caret charactere sacerdotali, & debita intentione faciendi, quod facit Ecclesia, & Christus instituit. Dices rationem illam Scoti in hoc saltem deficere, quod assumit propositionem illam, vt vniuersaliter veram, quod in rebus ad salutem necessarijs tenemur sequi viam certiorem, & tutiorem, cuius oppositum ostendimus *lib.* 2. *disp.* 5. *q.* 2. de conscientia probabili; Sed iam locus iste explicatus est ibidem *art.* 5. *n.* 112. præterquam quod in illa eadem *disp. q.* 3. *art.* 1. diximus, quod estò in quibusdam materijs liceat sequi minus probabilem, & tutam opinionem in concursu tutioris, & probabilioris, non tamen id licere in omni materia, & præsertim sacramentorum, de qua hic est sermo. 429

Deindè necessitas huius sacramenti, siuè confessionis sacramētalis potest rursus efficaciter deduci ex alijs Euangelij locis, vt notat Auersa *q.* 8. *sect.* 2. in quibus Christus per similitudinem clauium huius sacramenti essentiā, & excellentiam expressit, sicut enim clauis ad ostium aperiendum est omninò necessaria, vt qui foris sunt ingredi possint: ità potestas Sacerdotis ad soluendum, & ligandum à Christo ei communicata, quæ dicitur clauis, necessaria est ad aperiendam ianuam remissionis peccatorum, & Regni celorum, alioquin si absque huiusmodi claue pateat aditus, frustrà data est hæc clauis Sacerdotibus, & frustrà diceretur clauis; ergo illis, quibus à Sacerdotibus per potestatem clauium apertio, & solutio non conceditur, clausa manet ianua, atque ideò hoc ministerium, & sacramentum est eis ad salutem necessarium. Tandem verisimile non est rem talem, ac tantam, qualis est sacramentalis confessio humanum fuisse inuentum, & so- 430

& solum ab Ecclesia institutam, ac sub obligatione fidelibus iniunctam, nisi hoc totum Christus ipse instituisset, & ordinasset; pro qua veritate adducit Amicus *disp.* 10. *sec.* 2. Conc. Laodicense, Synodum sextam Constantinopolitanam, Concilium Calibonense, Turronense, Rehemense, Moguntinum, & Vuormacense, ac etiam illustria duodecim Patrum testimonia, qui longo temporis interuallo Innocent. Tertiũ præcesserunt, Clementem, Ireneum, Orig. Tert. Cypr. Firmianum, Athan. Basil. Chris. Hier. Ambr. & August. quos etiam adducit Faber *disp.* 22. *cap.* 4. Quarè omninò fatendũ est confessionis necessitatem, sicut & ordinationem fuisse à Christo Domino institutam, esseq; verè de iure diuino; quæ tamen necessitas intelligenda est, quãdo talis confessio fieri potest; casu enim quo fieri non posset, sufficere potest sola confessio in genere ad hoc, vt sacramentum validè, & vtiliter conficiatur, & absolutio pęnitenti impendatur, imò etiam si desit copia Confessarij, sola contritio sufficere potest cum sacramento in voto.

431 Quintò tandem dicendum est pęnitentiæ sacramentum necessarium esse non tantum necessitate pręcepti, sed etiam necessitate medij in re, vel in voto illis, qui mortaliter post baptismum peccarunt. Ità iam statuimus cum Scoto *loc. cit. disp.* 1. *de sacr. in genere* q. 10 a. 3. vbi etiam hæc duo necessitatis genera explicuimus; Probatur primò ex Trid. *sess.* 14 *c.* 2. vbi definit pęnitentiæ sacramentum ità necessariũ esse lapsis post baptismum, sicut baptismus est necessarius ijs, qui nondum illum susceperunt, sed baptismus necessarius est necessitate medij in re, vel in voto, vt *loc. c.* dictum est; ergo pariter pęnitentiæ sacramentum necessarium est in re, vel in voto lapsis post baptismũ. Deindè probatur ratione, quia ex dictis ibidẽ illud est necessarium necessitate medij in re, vel in voto, quo prætermisso in re, vel in voto, salus obtineri nõ potest; sed prætermisso pęnitentiæ sacramento in re, vel in voto salus obtineri non potest ab eis, qui post baptismũ lapsi sunt; ergò pęnitentiæ sacramentum est illis necessariũ necessitate medij in re, vel in voto. Tandem effectus, ad quem hoc sacramentum ordinatur est reconciliatio cum Deo, & peccati mortalis remissio post baptismum, sine hac autẽ reconciliatione, & remissione salus obtineri non potest, & hic effectus nulla ignorantia suppleri potest etiã inuincibili, ergo non tantùm est necessarium necessitate præcepti, quia talis necessitas per ignorantiam inuincibilem suppleri potest, vt loc. cit. dictum est sed etiam necessitate medij.

Ex quo patet mortaliter peccantem post baptismũ saluari non posse, nisi pęnitentiæ sacramentum recipiat in re, vel in voto, hoc est, nisi recipiat ipsum pęnitentię sacramentum, aut actum contritionis eliciat, in qua votum sacramenti pęnitentiæ continetur, aut eliciat actum dilectionis Dei super omnia, qui actui cõtritionis æquiualet; vndè inquit Trid. *sess.* 14. *c.* 4. remissionẽ peccati non esse contritioni attribuendã sinè voto sacramenti, quod in illa includitur; sufficit verò cõtritio cum voto sacramenti, quãdo vel adhuc non instat tẽpus obligationis, quo peccator per cõfessionem iustificari teneatur, vel si teneretur nõ posset tunc confiteri, & hęc tota doctrina expresè habetur apud Doctorẽ *cit.* 4. *d.* 17. *q. vn.* in solutione principalium ad auctoritatẽ Aug. & Cassiod. vbi dicit contritioni annexum esse debere votum cõfitendi, nec deleri peccatum per contritionem sine proposito confessionis, nam qui actũ contritionis elicit, tenetur adhuc eadem peccata, quorum remissionem per actum contritioni obtinuit, subiicere suo tempore sacramento pęnitentiæ; cõtritio enim non ità iustificat, vt peccatorem liberum relinquat ab obligatione subiiciendi peccata sacramento pęnitentiæ, quãuis remissionem peccatorum illorum per contritionẽ obtinuerit; vndè qui contritionis actum elicit, obtinet quidem virtute illius peccatorum remissionem, non tamẽ simpliciter, & absolutè, sed per ordinem ad futuram confessionem, cui Deus vult illa eadem peccata subiici debere, facta autem confessione à tali obligatione pęnitens liberatur; sicut quandò res aliqua venditur, & traditur emptori antè pretij solutionẽ, acquirit quidem emptor illius rei dominium, & venditor tradit, per ordinem tamẽ ad futuram solutionem; An verò hoc votum, seu propositum sacramenti pęnitentiæ ad cõtritionem requisitum, vt sic proxima, & vltima dispositio ad iustificationẽ, ex Conc. Trid. *loc. c.* debeat esse semper explicitum, & formale, an interdum sufficiat etiã implicitũ, & virtuale iam declaratum est q. 5. huius *disp. art.* 3. *num.* 117.

Neq; hinc sequitur susceptionem sacramenti intelligi solum necessariam in voto, eo modo quo aliorum quoq; præceptorum obseruantia in voto est necessaria ad iustificationem, hoc enim modo nõ plus dici deberet homo per baptismum, vel pęnitentiam in voto iustificari, quàm per quęcunque alia præcepta in voto; Sed speciali quadam ratione hęc sacramenta dicuntur saltem in voto necessaria, nimirum nõ tanquam instituta solum sub obligatione præcepti, sed tanquam media ad salutem necessaria, sacramentũ enim habet aliquid plus, nempè institutum esse, tanquam medium propriũ ad iustificationem, vndè voluntas illas obseruandi omnia præcepta specialiter refertur, licet implicitè, ad illa quæ continent media necessaria, tãquam ad ipsa media necessaria, vt declaratũ est *disp.* 2. *q.* 7. *a.* 1. *nu.* 175. loquendo specialiter de Baptismo; Quomodo tandem neq; hinc sequatur contritionẽ in noua lege esse deterioris conditionis, & minoris virtutis, & efficacię, quam esset in veteri lege, vbi iustificabat independenter à cõfessione, iam quoq; declaratum est *qu.* 5. huius *disp. art.* 3. *nu.* 120. vbi diximus potiùs hinc sequi, quod modò sit maioris virtutis, & efficaciæ, quam fuerit in veteri lege, quia nemini potest esse certum, si veram habeat cõtritionem, efficacia autẽ sacramenti est certa fide diuina, quarè, per ordinẽ ad sacramentum maiorem sumit valorem, & certitudinẽ, de quo etiã videri potest Bon. *disp.* 5. *q.* 2. *punc.* 3.

In oppositum contrà hanc catholicam veritatem plura obijciunt Hæretici, & præsertim Caluinus *lib.* 3. *Inst. c.* 4 ex Scripturis, & Patribus; Primò quia via, & medium ordinarium, quo peccata delentur, & remittitur, & semper deleta fuerunt est dolor, & contritio de peccatis iuxtà illud Ezech. *c.* 18. *Quotiescunque ingemuerit peccator, omnium iniquitatum eius non recordabor*; ergo non est necessaria confessio. Deindè obijciunt ex Patribus, præsertim verò ex Chrisostomo *to.* 1. *Hom.* 1. *in ps.* 50. vbi planè videtur reiicere necessitatem confessionis, & soli Deo esse aperienda peccata, dùm inquit, *Dicito quotidiè in anima tua, non dico vt confitearis conseruo tuo, sed dicito Deo*, & similia docet *tom.* 2. *hom.* 4. de Lazaro; sic pariter loquitur Ambrosius super illud Lucæ *cap.* 22. *Petrus exiuit foras, & fleuit amarè*, vbi inquit, *lacrymæ lauant delictum, quod voce pudor est confiteri*. Denique quia confessio integra omnium peccatorum, vt in confessione sacramentali requiritur, est impossibilis; ergo non cadit sub pręcepto, quia Deus impossibilia non præcipit; probatur assumptum, quia in *psalm.* 17. dicit Dauid *iniquitates meæ supergressæ sunt caput meum*, & psalm. 18. *delicta quis intelligit*, si ergo Dauid iniquitates sua supputare non valuit, tantò minus alii. 432

Respondetur gratis concedendo viam, & medium ordinarium, quo in quocunque statu peccata sunt deleta, fuisse perfectam de illis contritionem, cum hoc tamen discrimine, quod antè legem Euangelicam in lege veteri sufficiebat cõfiteri soli Deo iuxtà illud Dauidis, *Tibi soli peccaui*, at in lege noua, vbi Christus pęnitentiæ sacramentum instituit ad maiorem facilitatem veniam peccatorum impetrandi, cõtritio de peccatis debet includere votum, & propositum confitẽdi Ministro ab ipso delegato, si enim pęnitens tale votum, & propositum non haberet saltem implicitè, non doleret de peccatis, vt oportet, & vt Christus Dominus ordinauit. Ad 2. respondent aliqui ideò Chrisostomum dixisse confessionem peccatorum fieri soli Deo, non quia non fiat etiam homini, sed quia ibi Deus, & homo vnum tribunal constituunt, & dicuntur ibi peccata Ministro gerenti vices Dei, non homini, quia in eo actu Minister non habet rationem conserui tui, sed Dei, cuius vices gerit, Alij verò dicunt Chrisostomum ibi loqui de confessione extrà tempus præcepti, vndè dicit se nolle eo tempore quemquam ad confessionem cogere, esse tamen tunc, scilicet. extrà tempus præcepti vtile confiteri quotidiè Deo, & conscientiam examinare, vbi sine teste, & erubescentia tam facilè peccata Deo ea cognoscenti manifestari possunt; & vtraq; expositio sufficit ad verum sensum Chrisostomi attingendum. Ambrosius autem *loc. cit.* agit de iustificatione, quæ fit extrà Sacramentum, & quando non vrget tempus præcepti, in quo casu sæpè contingit, vt antequam pęnitens ad sacramentum accedat, iam sit iustificatus; quod tamen non est ità intelligendum, vt notat Doctor *loc. cit.* in solutione ad argumenta, quasi lacrymæ solæ sine confessione in re, vel saltem in voto peccatum deleant, quia vt dictum est suprà, lacrymæ, quæ contritionem significant, includunt in voto confessionem suo tempore faciendam. Ad vltimum negatur assumptum, non enim Catholici docent, vt confessio sit valida, esse debere omnium omninò peccatorum, quæ quis commisit,

adeout in conscientiæ examine omnem adhibere debeat diligentiam physicè possibilem, sed eorum tantùm, quæ memoriæ occurrunt præmissa diligentiam morali humanæ fragilitati possibili, vt infrà dicemus.

433 Rursus arguunt, quia nemo obligatur ad impossibile, sed mutus non potest loqui, ergo non obligatur ad confessionem. Item barbarus inter extraneos est mutus, quia exterorum idioma ignorat ergò ob eandem rationem ad cōfessionem non tenetur; Demum contingere potest, quod aliquis copiam non habeat Confessoris, quia nimirum est, captiuus inter infideles, nec licet confiteri per litteras, neque per nuncium; ergò talis ad confessionem non obligatur, quia ad impossibile obligaretur.

Resp. ex Scoto *loc. cit.* mutum teneri confiteri per nutus, qui supplent in tali casu verborum vices, at *art. seq.* explicabitur; Ad alia duo argumenta aliosq; consimiles casus dicendum est, hoc præceptum tunc solùm obligare, quando confessio secreta fieri potest, & hoc præceptum adimpleri; Quod si in aliquo casu adimpleri non potest, tunc assignatur regula generalis, quod in his, & similibus casibus sufficit ad iustificationem contritio cum voto confitendi formalis, vel saltem virtuali, si quandoq; daretur commoditas, & opportunitas, vt magis constabit ar. seq. vbi de his casibus erit sermo. Alia argumenta, quę contrà necessitatē confessionis ab Hereticis afferuntur soluta videri possunt apud Bellarm. Valētiam, Suarez, Vasquez, Fabrum, & Hiqueum ex nostris.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Qui teneantur ad Confessionem ex vi iuris diuini.

434 Certum est apud omnes, vt docet Doctor *d. 17. cit. qu. vn. art.* 2. præceptum diuinum confessionis obligare omnes illas personas quæ post baptismum mortaliter peccauerunt etiā Hęreticos, Apostatas, & degradatos: & ratio est, quia cum peccata mortalia ex superius dictis sint materia necessaria huius sacramenti, & cum hoc sacramentum sit à Christo institutum, vt medium necessarium ad remittenda omnia peccata mortalia post baptismum commissa, sequitur omnes baptizatos conscientiam peccati mortalis habentes hoc pręcepto teneri, vndè infert Doctor omnes etiā pueros baptizatos, cùm primùm ad eam peruenerint ætatē, in qua sint doli capaces, & conscientiam peccati mortalis habere possint, hoc pręcepto teneri; Vndè fit infantes antè vsum rationis non esse huius obligationis capaces, non solùm quia non sunt capaces præcepti, sed etiam quia non sunt peccati actualis capaces, quod est materia huius sacramenti; & eadem ratione si quis esset adultus innocens, & in gratia confirmatus, vt fuit B. Virgo, non obligaretur hoc præcepto, vt docet Doctor *loc. cit.* in solutione vltimi argumēti. Et in hoc differt sacramentum pœnitentiæ à sacramento Baptismi, quod impendi potest etiam immuni ab omni peccato, vt fuit in B. Virgine, nam huius essentia non constituitur ex confessione proprij peccati, & dolore, tanquā materia, sed ex ablutione personę baptizādę, quę etiam in persona ab omni peccato immuni saluari potest; quamuis enim in tali subiecto non saluaretur significatio interioris ablutionis, quę per externam ablutionem importatur, adhuc tamē saluaretur primarius effectus ipsius, qui est regeneratio creaturæ per gratiam sanctificantem, & characterem baptismalem, siuè hæc actu abluat à peccato, siuè non; Quia tamen difficultates aliquæ in hoc puncto contingunt, breuiter examinandæ sunt in hoc articulo.

435 Prima Difficultas est de Infidelibus, an isti teneantur tali confessionis præcepto, quæ difficultas etiam de sacramento Eucharistiæ agitari solet, quam etiam superius diximus esse de præcepto diuino, & nō tantum Ecclesiastico Affirmant quamplures pueros etiā Infideles, qui baptizati nō sunt hoc præcepto obligari, non quidem Ecclesiastico annuæ confessionis, sed diuino de confessione simpliciter facienda; Hoc autem ità intelligunt, nō quod teneantur in eo statu infidelitatis confiteri, sed quod ad hoc ipsum baptizari debeant, vt confiteantur, ità quod prætermittentes baptismum non solum peccent contra ipsum baptismi præceptum, sed etiam contra hoc confessionis, quo etiam modo dicunt præceptū Eucharistiæ sumendæ Infideles quoq; obligare; ità Ricc. Ange. Sylu. Adrianus, pro qua citatur etiam Scotus noster *q. cit. a.* 1. vbi contra Glosā exindè probat confessionem non esse tantum Iuris Ecclesiastici, sed etiā diuini, nam alioquin inquit *videretur, quod Infideles nō tenerentur ad confessionē*, quod infert tanquam falsum, & vt tale supponit, quapropter Tatar. ibidem Faber, Hiqueus, Branc., & alij Scotistæ hanc opinionem amplectuntur, & hoc idem etiam docēt de pręcepto Eucharistiæ sumendę. Oppositum verò defendunt alij Scotistæ, tanquam de mente Doctoris, non tantùm de præcepto Eucharistiæ, sed etiam cōfessionis, etenim de Euchar. *4. d. 13. q. 2. R.* habet hęc verba *Christus expressè docuit se velle sumi in Eucharistia à quolibet Christiano* Io. 6. *Nisi manducaueritis carnem filij hominis*, &c. quibus verbis innuit præceptum de communione ad solos Christianos per se duntaxat dirigi; De confessione verò loquens in hoc eodem *4. d. 4. q. 5. ad* 3. docet peccata commissa antè baptismum non esse materia cōfessionis; ità de Euchar. tenet Gauatius *disp. 10. q. 2. c. 2.* de cōfes. autem Almainus *4. d. 17. q. vn. a.* 2. & Aret. ibidem *a.* 2. & alij Recentiores. Alij tādem gratis id concedunt de præcepto Eucharistiæ, sed omninò negant de præcepto confessionis extendi nimirum ad Infideles non baptizatos, ità Medina, Soto, Suarez, Lugus, Amic. Caspēsis, & alij Recentiores passim. Quamuis autē Faber pluribus rationibus id probare contendat *disp. 23. c. vn.* commune tamen, & pręcipuum huius sententiæ fundamentum est, quia pręceptum de confitendis peccatis non est humanū, sed diuinum; ergò non solùm ad illud tenetur fideles, qui sunt intrà Ecclesiam, sed etiam Infideles extrà Ecclesiam existentes, quia præceptum diuinum obligat omnes.

Dicendum tamen est, quod licet de possibili potuerit hoc præceptum confessionis etiam ad Infideles non baptizatos extendi non tamen de facto extenditur, ac idem etiam de pręcepto Eucharistię afferendum videtur Cōclusio est Scoti *loc. cit.* & quoad primam partem probatur, sicut enim potuissent Infideles à Christo per se obligari, vt Eucharistiam sumerent, & hoc ipsum motiuum addi ad obligationem Baptismi; ità videntur etiam potuisse obligari ad confessionē, cum hoc tamen discrimine, vt notat Auersa *q. 15. sec.* 3. quod ad Eucharistiam poterāt obligari absolutè, quia suscepto baptismo statim sunt Eucharistię capaces; nō sic ad confessionem, quia adhuc suscepto baptismo non sunt cōfessionis capaces, nisi intercedāt noua peccata post baptismum, vndè si non amplius peccarent, non tenerentur, nec confiteri possent, nec certè peccare deberent, vt confiteri possent; Solum ergò, vt inquit Auersa, obligari possent per modum cautelę, & conditionis, quod scilicet; teneretur baptizari ad hoc, vt si peccent, possint sua peccata cōfiteri, ac eorum veniam consequi per hoc sacramentum, seù tenerentur se in tali statu constituere, in quo sint capaces huius remedij, & huius oneris de confitendis suis peccatis, si quæ committerent post susceptum baptismum, 436

Quod autem de facto non ità sit, ex eo deducitur, quod peccata antè baptismum commissa non sunt materia necessaria sacramentalis confessionis, vt Scotus docet *loc. c.* & postea definitū est in Conc. Flor. & Trid. nam *sess. 6. c. 14.* docet sacramētum pęnitentię esse à Christo institutum *pro ijs, qui post baptismum in peccata labuntur*, & *sess. 14. c.* 1. & 2. inquit, quod si iustitiam in baptismo susceptā constanter tueremur, non opus fuisse aliud ab ipso baptismo sacramentum ad peccatorum remissionem institui; si autem peccata antè baptismum cōmissa essent materia necessaria sacramenti pęnitētiæ, deberent etiā per baptismū remissa subijci clauibus; quia in baptismo nō remitterētur, nisi per ordinē ad claues, sicut remittūtur peccata extrà sacramentū per cōtritionē; atq; ità pręter baptismū necessarium etiam fuisset pęnitentiæ sacramentum adhuc constanter conseruata iustitia baptismali, quod negat Trid. *loc. cit.* ergò infideles non baptizati nō obligātur, imò nec cōfiteri possunt peccata antè baptismū cōmissa, sed pro ijs delēdis tenentur solum suscipere baptismū; nec ad hūc finem, & ex hoc motiuo baptizari tenentur, vt confiteantur, itaut secus faciendo duplex peccatum committant. 437

Resp. Brancatus *disp. 23. art. 6. n. 93.* quod est infidelis nec antè baptismū, nec in baptismo, nec post ipsum teneatur suscipere sacramentū pęnitentiæ pro ijs peccatis, quæ antè baptismum cōmisit; tamen tenetur ad baptismum, & ad confitendū ea, quæ post baptismū cōmitteret; sicut licet paruulus antè annos discretionis peccare non possit, non potest tamē negari, quod pręceptum de confitendo obliget eum pro tēpore, in quo potest peccare, & habere materiā cōfessionis; sit igitur infidelis tenetur ad baptismū, ac etiam ad pœnitentiæ sacramentum pro tempore sequente ad baptismum, pro peccatis, quæ post ipsum committet. Verùm solutio hæc

hæc cum exemplo adducto de infantibus nostram omninò confirmat sententiam, nam sicut infantes non habentes vsum rationis non obligantur hoc præcepto durante eo infantiæ statu, sed tantùm quando perueniunt ad ætatem vsus rationis, in qua sunt doli capaces, vt omnes concedunt; ità infideles, quamdiù in statu infidelitatis permanent, tali præcepto non tenentur, sed tantùm suscipere baptismum, quo posteà suscepto tenentur etiam ad sacramentum confessionis pro ijs peccatis, quæ post baptismum committentur, quarè sic respondendo hic Auctor iunctis pedibus in nostram descendit sententiam.

Respondet Faber *disp.* 23. *n.* 17. quod peccatum actuale in infideli non subijciatur Sacramento pœnitentiæ, ex incapacitate subiecti prouenire, cùm enim baptismus sit ianua Sacramentorum, ideò qui non est baptizatus non est capax aliorum sacramentorum, & consequenter neque pęnitentiæ Sacramentalis; hæc tamen incapacitas, & impotentia, cùm sit inculpabilis, ipso infideli patrocinari non potest, nec facit illum melioris conditionis, quàm sit fidelis, & ideò hæc incapacitas non aufert ab eo obligationem subijciendi peccata actualia sacramento pœnitentiæ; quia tamen iam est incapax, maiori obligatione obligatur ad Sacramentum baptismi, quia si haberet solùm originale, vno titulo ad illud obligaretur; quoniam verò vltrà originale habet etiam actuale mortale, alio titulo ad illud obligatur, quarè faciendo argumentum in forma ait, negandam esse consequentiam illam; peccata infidelis non sunt materia Sacramenti pęnitentiæ; ergò infidelis non subijcitur præcepto confessionis.

Hæc responsio aliquid veri, & aliquid falsi continet; falsum est, quod ait incapacitatem aliorum Sacramentorum in infideli, eo quod est culpabilis, non auferre ab eo obligationem subijciendi peccata actualia sacramento pęnitentiæ; nam vbi non est capacitas actus, qui præcipitur, siuè hæc sit inculpabilis, siuè culpabilis, ibi nec obligationis capacitas reperire potest; vbi autem capacitas obligationis non est, nec locum vllum potest habere præceptum; hac siquidem ratione nec infantes, qui actus moralis capaces non sunt, neque humano, neque diuino præcepto ad illum obligari possunt; & eadem est ratio de ebrijs, quamdiù in ebrietate sopiti existunt; licet enim talis incapacitas sit culpabilis, si homicidium committant, tale homicidium adhuc non dicitur peccatum in se, sed tantùm effectus peccati, nec aliquam habet in se malitiam contra pręceptum *non occides*, quia non obligat in statu ebrietatis, sed tantum dicitur habere malitiam in causa, scilicet in ebrietate, quam euitare tenebantur, dùm vsum rationis habebant. Adhuc tamen verum est quod additur in ea responsione, ob talem incapacitatem culpabilem maiori obligatione obligari infidelem adultum ad sacramentum baptismi ob peccata actualia, quàm si solùm haberet originale, & hac ratione talis incapacitas ipso infideli non patrocinatur, nec facit illum melioris conditionis, quàm sit fidelis; non verò quia non auferat ab eo obligationem subijciendi peccata actualia sacramento pœnitentiæ; cùm enim non sit capax talis actus sacramentalis ob defectum baptismi; ibi nec obligationis capacitas reperiri potest. Nec iuuat dicere, quod quamuis infideles non baptizati non sint proximè, & immediatè huius Sacramenti capaces, capacitatem tamen habent ad illud remotam saltem, & mediatam scilicet mediante baptismi sacramento, cuius sunt proximè capaces. Non iuuat, inquam, hoc enim aliud non est dicere, quàm Infidelem ad suscipiendum Baptismi Sacramentum obligari, & post eius susceptionem obligari posteà in tempore sequenti ad Eucharistiæ sacramentum, ac etiam Confessionis, si posteà peccauerit, nam sacramentum baptismi vt Trident. docet *sess.* 7. *can.* 7. & 8. est id, per quod baptizati non solùm fidei debitores fiunt, sed etiam vniuersæ legis Christianæ seruandæ.

438 Hoc idem, ac etiam eadem ratione probatur de Sacramento Eucharistiæ, quia Infideles non baptizati ex se, & immediatè Eucharisticæ communionis non sunt capaces, sed tantùm mediante Sacramento Baptismi, quod est aliorum Sacramentorum ianua, vt habetur extrà *de Presbytero non baptizato c.* 1. quia vsus aliorum sacramentorum per se baptismum supponit, vndè & eorum obligatio non nisi post baptismum potest singulis conuenire. Accedit etiam ratio, quia nullus habet nutrimenti necessitatem nisi iam natus, sed homo in Baptismo nascitur, in communione nutritur; ergo obligationem communicandi non habet, nisi baptizatus; Nec rursus dicere iuuat, infidelem antecedenter obligari ad baptismum formaliter propter communionem, & non propter solùm baptismum. Non valet, inquam, quia licet sic fieri potuerit, vt hoc ipsum motiuum communicandi adderetur ad obligationem baptismi, vt dictum est *n.* 442. tamen de facto non tenetur homo speciali titulo spiritualiter nasci ad hoc, vt spiritualiter nutriatur, sed solùm supposita natiuitate spirituali, qualis est baptismus, tenetur spirituali alimonia vti, qualis est Eucharistia.

Fundamentum verò in oppositum, quod præceptum Confessionis est diuinum, non humanum, & ideò obligat omnes, & cùm sit vniuersale omnes comprehendit, parum vrget; hoc enim intelligitur solùm de omnibus talis sacramenti capacibus, quales non sunt Gentiles, & Infideles, cùm enim Ecclesia non iudicet, nisi qui per Baptismi ianuam fuerint in ipsam ingressi ex Trident. *sess.* 14. *c.* 2. quod probat ex verbis Apostoli ad Corint. 1. *quid enim mihi de iis, qui foris sunt, iudicare* ad solos baptizatos hoc præceptum restringi debet. Nec etiam vrget auctoritas Scoti *d.* 17. *art.* 1. dùm exindè probat Confessionem esse de iure diuino, quia alioquin sequeretur quod Infideles non tenerentur ad confessionem, quod infert tanquam falsum, & vt tale supponit; Non vrget, inquam, quia vt patet ex ipso contextu, ibi Doctor arguit ad hominem, quoniam Canonistæ, contrà quos ibi arguebat, docent Infideles teneri ad Confessionem; alioquin ipse Doctor *4. d.* 4. *q.* 5. *ad* 3. ex propria sententia docet peccata antè baptismum commissa non esse materiam Confessionis. 439

Dices cum Fabro, qui obligatur ad aliquam totam legem seruandam, obligatur ad singulas partes, & præcepta illius legis; sed sic est, quod infidelis obligatur ad seruandam totam legem Christi post eius promulgationem, ergo obligatur ad omnia eius præcepta; inter alia autem præcepta legis Christi est, quod adultus existens in peccatis mortalibus pęniteat, & illa confiteatur ergo &c. Resp. infideles obligari ad legem Dei, & ad illa præcepta, quorum sunt capaces, non autem quorum sunt incapaces, alioquin etiam infantes, & vsu rationis carentes, cùm sint subditi Dei, ad præceptum Eucharistiæ, & confessionis tenerentur; Cùm igitur hæc Sacramenta pro solis baptizatis, & intrà gremium Ecclesiæ existentibus fuerit instituta, infideles ad illa recipienda non tenentur, nisi suscepto baptismo, quo mediante fiunt eorum capaces. Dices rursus cum eodem, si infidelitas eos eximit ab horum præceptorum obligatione, eis suffragabitur, & faciet melioris conditionis, quàm sint fideles, qui tali onere tenentur. Negatur consequentia, quia infidelitas sola præponderat omnibus peccatis à fidelibus commissis; tùm quia infidelis habens actualia peccata præter originale adhuc maiori obligatione tenetur ad suscipiendum baptismum, cuius est capax, vndè talis obligatio æquiualet, ac etiam præualet obligationi fidelium ad suscipienda sacramenta Eucharistiæ, & Confessiunis; tùm tandem quia onus huiusmodi præceptorum non est onus onerans, sed subleuans, quia viam valdè facilem nobis præbent ad peccatorum remissionem, & gratiam consequendam mediantibus his Sacramentis, quæ via manet infidelibus clausa, quamdiù baptismum non suscipiunt, qui aliorum Sacramentorum est ianua, qua de causa fideles sunt longè melioris conditionis, quàm infideles, sine vlla comparatione, etiamsi infidelitas eos eximat ab obligatione horum Sacramentorum, quorum sunt incapaces, quamdiù in statu infidelitatis perseuerant.

Secunda Difficultas est, An muti de iure diuino teneantur ad hoc sacramentum, & quomodo. Ratio difficultatis est, quia confessio sacramentalis aliquo signo sensibili fieri debet, tùm quia nequeunt homines inuicem suos manifestare conceptus, nisi per sensibilia signa, tùm quia confessio est veluti prima pars essentialis materiæ huius Sacramenti, quam oportet esse per se sensibilem; signum autem aptissimum ad confessionem est humana vox, tùm quia est inter homines maximè vsitatum, & notum, tùm etiam quia distinctius, & certius significat, quàm alia omnia signa sensibilia; atque ideò mutus, qui loqui non potest, nec formare vocem articulatam conceptuum expressiuam, ad hoc præceptum teneri non videtur. Confirmatur, quia in Concil. Florent. in decreto Eugenij Materia huius sacramenti dicitur esse oris confessio; ergo de necessitate confessionis, & valore Sacramenti videtur, vt voce fieri debeat, sicut ablu- 440

ablutio aquæ in baptiſmo. Tandem de neceſſitate huius ſacramenti eſt, vt abſolutio voce proferatur, vt ſuperius dictum eſt, vndè Concilium Florent. *loc. cit.* dicit formam huius ſacramenti eſſe verba Sacerdotis; ergo ità etiam dicendum de confeſſione videtur.

441 Dicendum tamen eſt mutos de iure diuino ad hoc ſacramentum teneri. Ità Scotus *d.* 17. *q. vn.* in ſolutione principalium, & eſt communis Theologorum ſenſus; Probatur, quia nullum extat præceptum diuinum, vel Eccleſiaſticum, vt confeſſio ſacramentalis humana voce fiat; non quidem diuinum, quia neque ex ſacra Scriptura, neque ex traditione conſtat de huiuſmodi præcepto; neque ex eius inſtitutione hoc præceptum colligi poteſt, ſiquidem ex eius verbis ſolùm habemus neceſſarium eſſe, vt pœnitens Iudici cauſam ſuam manifeſtet, hinc tamen deduci non poteſt opus eſſe, vt hæc notitia detur per proprium ſermonem humanum, nam hæc etiam haberi poteſt per quamcunque expreſſionem per alia ſenſibilia ſigna, & ità ſeruatur in praxi, vt conſtat de moribundis, qui non potentes loqui, ſigna contritionis, & confeſſionis exhibent; ſic ergò pariter muti ſua peccata exprimere poterunt nutibus, vel alijs ſignis; habetur etiam exemplum in ſacramento matrimonij, quod pariter non ſolùm voce, ſed etiam alijs ſignis mutui conſenſus expreſſiuis perfici poteſt. Nec etiam de hac re reperitur eccleſiaſticum præceptum, aliudvè decretum, imò ex conſuetudine Eccleſiæ oppoſitum colligitur, nam cùm penitens loqui non poteſt, ſi quouis alio modo conſcientiam ſuam Sacerdoti ſignificet, cenſetur ſufficere, vt abſoluendus ſit, quemadmodum de moribundis dictum eſt; Et planè optima fuit congruentia talis inſtitutionis, quia hoc ſacramentum præcipuè inſtitutum fuit, vt remedium ad ſalutem peccatorum maximè neceſſarium: ergò eius eſſentia ad illud ſignum limitari non debuit, quod ſæpiſſimè in articulo neceſſitatis deeſt; huiuſmodi autem eſt vox articulata, & humanus ſermo, quo non ſolùm muti, ſed etiam moribundi ſæpè vti non poſſunt.

442 Ad fundamentum in oppoſitum, conceſſo antecedente quoad omnes partes, negatur conſequentia, quia manifeſtatio humanorum conceptuum poteſt fieri non ſolùm voce, & locutione, ſed etiam ſcripto, alijſuè ſignis, & nutibus, vndè benè poteſt quis peccata ſua alijs ſignis exprimere, & accuſare, & conſequenter benè poterit ab ijs à Sacerdote abſolui; adhuc tamen optimus, & conſuetus modus confitendi eſt per vocem, & verba, quæ in humano commercio ſunt commodiſſima ſigna. Ad Confirmationem patet per idem, ideò enim Concil. Florent. peccatorum accuſationem in hoc foro appellauit oris confeſſionem, quia ordinario modo ſic fieri ſolet, imò debet ex obligatione, ſic fieri voce ab eo, qui poteſt, niſi rationabili cauſa excuſetur; non tamen eſt abſolutè pro omnibus neceſſarium, & in quocunque caſu, & ideò Conc. Trid. ad omnem tollendam ambiguitatem particulam oris omiſit, & ſolùm dixit confeſſionem in genere, & abſolutè ſumptam eſſe materiam; Ex quo patet diſcrimen inter materiam ſacramenti huius, & baptiſmi, non enim eſt vna in ſpecie materia huius ſacramenti, ſicut eſt aqua in baptiſmo, ſed eſt vna vnitate generica, quia eſt manifeſtatio peccatorum per ſigna; in baptiſmo verò requiritur omninò ablutio aquæ, nec ſufficit alius quicunque liquor, quia ſpecificè, ac determinatè in tali materia ſacramentum baptiſmi inſtitutum eſt; & ſicut ſe habet aquæ ablutio in baptiſmo, ità ſe habet in confeſſione peccatorum manifeſtatio, & accuſatio in genere non determinando per vocem, & verba. Ad vltimum negatur conſequentia, non enim ita neceſſarium eſt confeſſionem fieri voce, ſicut abſolutionem, quia ex Concil. citat. eſſentialis formæ ratio huius ſacramenti conſiſtit in verbis, cuius etiam congrua ratio reddi poteſt, quia nimirum materia ſacramenti non ſemper expreſſam continet ſignificationem, ſed hæc completur per formam, & perficitur, & ideò magis neceſſarium eſt verbum ex parte formæ, quàm ex parte materiæ, tùm etiam quia moraliter loquendo nunquam, aut vix contingit neceſſitas abſoluendi ſine verbo, confitendi autem frequens eſt, vt patet ex dictis *quæſt.* 12. *art.* 2. *n.* 354. quare in Concilio Arauſicano primo ſub Leone primo *cap.* 12. ſtatutum eſt *obmuteſcentem ſi nutibus confiteatur, abſoluendum eſſe.*

Tertia Difficultas eſt, An pœnitens ex vi præcepti Confeſſionis, & de iure diuino teneatur confiteri per interpretem, ſi aliter non poſſit. Affirmant Siluester, & Canus apud Suar. *ſect.* 6. Lugus *diſp.* 15. *ſect.* 5. Caſpenſis *diſp.* 4. *ſeſſ.* 3. & alij quidam Recentiores; quorum fundamentum eſt, quia licet præceptum diuinum non obliget ad confitenda peccata cum graui detrimento extrinſeco; ex confeſſione tamen facta per interpretem fidelem, & prudentem, qui eodem modo obligatur ſecreto, & ſigillo, ac Confeſſarius, non videtur tale detrimentum ſequi, niſi quod peccata, quæ aliàs vni tantùm eſſe nota deberent, ſcilicet Confeſſario, manifeſtentur duobus illi nimirum, ac Interpreti; At hoc incommodum non videtur tanti ponderis eſſe, vt pœnitentem excuſet ab obligatione diuini præcepti, quia ſæpè habens peccatum reſeruatum abſoluitur ab Inferiori, cum onere tamen comparendi poſteà coram ſuperiore, cui caſus reſeruatur, ac ei manifeſtandi, & tamen non ob id pœnitens à tali obligatione eximitur; ergò etiam ita dicendum eſt de obligatione confitendi per Interpretem, æquè enim in vtroque caſu vrget periculum damni publicitatis; quam inſtantiam valdè vrget, & ampliat Lugus *loc. cit.* quem ex noſtris etiam ſequitur Brancatus *diſp.* 23. *art.* 6. *n.* 133. vbi etiam vlterius addit *n.* 343. teneri quoque Fideles ad ſic confitendum, ſcilicet, per interpretem pro annua confeſſione ex præcepto Eccleſiaſtico, quando aliter confiteri non poſſunt; quia Eccleſia determinauit tempus, non autem obligationem confitendi, quæ diuina erat; vnde ſi ſemel conceditur de iure diuino eſſe quod peregrinus, ſi aliter non poteſt, confiteatur per Interpretem, iam hæc confeſſio etiam ab Eccleſia determinatur quoad tempus, ſicut & aliæ Confeſſiones.

Dicendum tamen eſt, ex præcepto diuino, & multò minus Eccleſiaſtico non teneri fideles ad Confeſſionem per interpretem. Ità Doctor expreſsè *d.* 17. *cit. q. vn.* in ſolutione principalium, vbi in reſponſione ad argumentum, quid ſit dicendum, ſi interpres ſit neceſſarius, vt confeſſio in particulari fiat, ait eum non teneri per Interpretem confiteri, maximè quando timetur eum non eſſe idoneum, aut ſecretum, non negat autem eum poſſe ſic confiteri, ſi velit, ſed negat eum obligatum confiteri per Interpretem, vt ibidem aduertit Hiqueus in Commentario *n.* 121. & Pontius *diſp.* 45. *q.* 6. *n.* 41. Vndè fallitur Brancatus, cùm dicit Doctorem *loc. cit.* in hoc puncto problematicum eſſe, neque id abſolutè negare, cùm dicat *Maximè autem non videtur per Interpretem confitendum, quando timetur ipſum non eſſe ſecretarium idoneum*; fallitur inquam, quia particula *maximè*, vt patet legenti textum, non eſt reſtrictiua, quaſi ſolùm in tali caſu non teneatur pœnitens ad confitendum per Interpretem; ſed eſt ampliatiua, nam ſuprà dixerat abſolutè loquendo non videri neceſſarium ex præcepto diuino confiteri per Interpretem; & poſteà ſubdit maximè autem non videri, quod ſit confitendum per Interpretem, quando timetur ipſum non eſſe ſecretarium idoneum, & ſenſus eſt nunquam abſolutè loquendo teneri penitentem ex præcepto diuino confiteri per Interpretem, maximè verò in caſu, quo timeatur ipſum non eſſe ſecretarium idoneum; ex quo clariſſimè patet particulam *maximè* ibi teneri non reſtrictiuè, quaſi ſolùm in tali caſu non teneatur, ſed ampliatiuè, & ità illum textum alij quoque Scotiſtæ paſſim exponunt, & eſt communis opinio apud Recentiores Suarez, Vaſquez, Auerſam, Coninchium, & alios. 444

Quod autem talis confeſſio per Interpretem non ſit ex præcepto diuino, præter rationem à Scoto inſinuatam *loc. cit.* clarè deducitur ex Trid. *ſeſſ.* 14. *cap.* 5. vbi inquit, Cæterum quoad modum confitendi ſecretò apud ſolum ſacerdotem, etſi Chriſtus non vetuerit, quin aliquis in vindictam ſuorum ſcelerum, & ſui humiliationem, tùm ob aliorum exemplum, tùm ob Eccleſiæ offenſæ ædificationem delicta ſua publicè confiteri poſſit; non eſt tamen hoc diuino præcepto mandatum, nec ſatis conſultè humana aliqua lege præciperetur, vt delicta preſertim ſecreta, publica eſſent confeſſione aperienda; Hæc ibi Concilium, quibus verbis patet confeſſionem huiuſmodi, licet non ſit à Chriſto vetita, non tamen eſſe præceptam nec diuina, nec humana lege, atque adeò nullum neque Iure diuino, neque Eccleſiaſtico teneri ad aliam confeſſionem præter ſecretam, & auricularem ſoli ſacerdoti factam.

Reſpondet Cardin. de Lugo *loc. cit. num.* 73. Concilium ſolùm loqui de Confeſſione ſecreta prout contra diſtinguitur à publica, quæ fieret coram multis, qualis certè non eſt, quæ fit per Interpretem, neque enim eſt publicum, quod per Interpretem fideliſſimum, & ſtricto præcepto obſtri-

obstrictum dico Confessario, sicut neque est publica confessio, qua idem peccatum reseruatum manifestatur superiori, & inferiori. Hæc tamen expositio verbis Concilij non quadrat, ex quibus patet accipere confessionem secretam, vt distinguitur à publica, non solùm coram multis facta, sed etiam vt facta duobus, vt sunt Sacerdos, & Interpres, ait enim à Christo solùm esse præceptum *modum confitendi secretò apud solum sacerdotum*, quibus verbis excluditur quilibet alius præter Sacerdotem; Et quamuis etiam Concilium loqueretur de confessione publica coram multis facta; tamen ratio, ob quam dicit Concilium talem confessionem publicam non fuisse à Christo præceptam, probat etiam, quod non præceperit illam, quæ fieret per Interpretem, hæc enim ratio est publicitas, quæ in vtraque confessione reperitur, tam coram multis facta, quàm per interpretem, nec differunt nisi quoad magis, & minus; eo enim ipso, quod confessio non fit soli sacerdoti, iam est aliquo modo publica, vel saltem non secreta, sicuti à Christo est præcepta, qui præcepit solùm *modum confitendi secretò apud solum sacerdotem*, vt sonantibus verbis expressit Concilium neque est par ratio de confessione, qua idem peccatum reseruatum superiori, & inferiori manifestatur, vt posteà dicemus.

445 Quod verò tantò minus teneatur quis ad talem cōfessionem iure Ecclesiastico, seù obligetur ad confitendum per Interpretem pro satisfactione præcepti Ecclesiastici annuæ cōfessionis, vt contendit Brancatus noster; patet etiam ex eisdem verbis Concilij, dùm inquit, quod non satis consultè humana aliqua lege præciperetur, vt delicta, præsertim secreta, publica essent confessione aperienda, & probatur etiā ex cap. *Omnis vtriusque sexus* vbi præceptum annuæ confessionis his verbis exprimitur, *Teneatur solus confiteri sua peccata proprio sacerdoti*, qui ergò non potest solus non tenetur; Accedit tandem ratio, quia non vrgente alio periculo potest commodè expectari, & sperari aliud tempus, in quo confessio solitariè fiat. Nec rursus valet expositio Brancati, quod per ly *Solus* aliud non intelligitur, nisi quod non teneatur ad confessionem publicam coram multis factam, neque propterea excludi confessionem hanc per Interpretem faciendam nam ly *Solus* determinat confitentem, non audientem. Non valet inquam, quia non tantùm dicitur, quod teneatur pœnitens solus confiteri peccata sua, sed etiam additur, quod ea confiteri teneatur soli, *& proprio Sacerdoti*, per quam particulam excluditur quilibet alius etiam Interpres, hic enim non est proprius Sacerdos habens potestatem ordinis, & iurisdictionis, etiamsi non minus, quam Sacerdos, obligationem habeat secreti.

446 Addit tamen hæc communis sententia, quod licet non sit præceptum diuinum particulare de confitendo per Interpretem, tamen in articulo mortis, si quis haberet conscientiam peccati mortalis, & dubitaret de perfectione suæ contritionis, teneretur planè saltem ex præcepto naturali charitatis ergà seipsum aliquo modo confiteri, & suæ saluti consulere absolutionem procurando etiam per Interpretem, ac publicam confessionem, si aliter fieri nequeat, & ad id obligaretur etiam cum quocunque suæ famæ dispendio, & omnium temporalium rerum, quibus omninò æterna animæ salus præferri debet; Imò dicunt ad id teneri etiamsi probabilem haberet de sua contritione existimationem cum probabilitate etiam in oppositum, quia non deberet soli huiusmodi probabilitati æternam salutem committere; ità Suarez, Vasquez, Coninchius, Auersa, Amicus, & alij Recentiores, quos citat, & sequitur Diana *tom.* 2. Resolutionum moralium *tr.* 4. *res.* 129.

Ad Fundamentum in oppositum negatur eandem esse rationem, vel eàdem currere paritatem de peccato reseruato, & de confessione per Interpretem facta, nam in eo casu facilè potest impediri significatio peccati alteri, quàm Confessario; primò quia ad hunc finem in qualibet Ecclesia institui solent Pœnitentiarij publici facultatem habentes absoluendi à reseruatis, & si Confessarius talem facultatem non haberet, potest ipsam petere pœnitens, & procurare per Confessarium ipsum absque eo, quod superior veniat in notitiam personæ pœnitentis: Deindè quia posset immediatè confiteri ipsimet superiori, qui ipsum audire teneretur, si alij confiteri non velit, ex illa ipsa obligatione, qua alter teneretur ipsi peccatum reseruatum manifestare, neque enim superior pœnitentem obligare potest, vt pluribus, quàm vni peccatum tale confiteatur; Tùm etiam quia in tali casu de peccatis reseruatis superior, & inferior vnum audientem constituere videntur ob vnicam potestatem Iurisdictionis absoluendi ab illis, quod dici nequit de Confessione per Interpretem facta, qui nullam supponitur habere potestatem nec ordinis, nec iurisdictionis, vndè re vera, & physicè, & moraliter sunt plures audientes; Tum tandem, quia vt Poncius aduertit *loc. cit.* eo ipso, quo voluntariè quis incidit in peccatum reseruatum, ipsemet liberè se se obligat ad confitendum eo modo, quo necessarium est, vt à tali peccato absoluatur, siuè id faciat vni, siuè duobus: sed non liberè se subiecit, & culpabiliter impedimento illi, ex quo oritur, quod confiteri nequeat, nisi per Interpretem; & ideò quamuis etiā concederetur in primo casu teneri pluribus idem manifestare peccatum superiori, scilicet, & inferiori; non ob id concedere etiam cogimur, quod idem quoque facere teneatur in secundo casu. Denique sententia nostra, quæ est expressa Scoti *loc. cit.* ex vna parte legem Dei facit mitiorem, & suauiorem, & ex alia parte nullo exponit periculo pœnitentem, nam ipsa quoque asserit in articulo mortis teneri pœnitentem ex charitate ergà Deum, vel ergà seipsum, & ex cura propriæ salutis ad habendam contritionem perfectam, vel ad Confessionem, etiamsi per Interpretem fieri deberet, sub disiunctione, ad vnam, scilicet vel alteram, ne ex hac vita decedat in statu peccati mortalis, & inimicitiæ cum Deo.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quo tempore præceptum Confessionis obliget de iure diuino.

DVpliciter possunt fideles ad sacramentalem confessionem obligari, sicut & ad aliorum præceptorum obseruantiam, vno modo per se, scilicet, ex vi talis præcepti, & ipsius confessionis præcisè: alio modo per accidens, scilicet, ratione alterius; ad cuius executionem sacramentalis confessio prærequiritur; quo pacto tenetur quilibet conscientiam peccati mortalis habens iure *ipso* diuino ante sumptionem Eucharistiæ confiteri, cui præcepto per solum contritionis actum satisfacere nequit; Hæc tamen antè communionem confessionis obligatio non est per se ex vi præcepti ipsius confessionis, sed solùm ex vi ipsius communionis. Quarè indignè communicans absque præuia confessione non peccat propriè contra diuinum præceptum confessionis faciendæ; ac proinde probabilius est in tali casu duplex peccatum, non committere, vt contendit Faber *disp.* 28. *cap.* 2. *num.* 31. sed solùm peccare contrà proprium præceptum communionis non sumendæ post mortale commissum absque præuia confessione, quia in tali casu confessio nouam obligationem non inducit distinctam ab obligatione dignæ sumptionis Eucharistiæ; sicut cùm quis communicat non ieiunus, duo peccata non committi, alterum transgrediendi præceptum Ecclesiasticum de præmittendo antè communionem ieiunio; alterum de sumenda Eucharistia à non ieiuno. Hic ergo sermo est de obligatione per se, & ex vi præcepti ipsius confessionis, nam loquendo de obligatione per accidens certum est Fideles, in quibusdam casibus de iure diuino ad præceptum confessionis obligari, quos assignant Faber *loc. cit.* Brancatus *disp.* 23. *artic.* 7. & alij Recentiores passim, & indicat Scotus ipse mox citandus dicens fidelem ad confessionem teneri etiam quando vult exercere actus aliquos, quibus debetur reuerentia specialis, vt quando vult communicare, &c. 447

In hoc autem sensu loquendo omnes concedunt cum Scoto 4. *d.* 17. *q. vn. art.* 2. *sub* O. hoc præcepto obligari fideles omnes, qui sunt in articulo mortis, & conscientiam peccati mortalis habent, etenim si tunc hoc præceptum non adimpleant, non amplius illud adimplere possunt, vel saltem se periculo exponunt illud non adimplendi; Concedunt item pariter omnes cum Scoto *loc. cit.* hoc præcepto obligari etiā illos, qui sunt in probabili mortis periculo; postquam enim dixit *loc. cit.* diuinum præceptum obligare ad sacramentum pœnitētiæ, quandocunq; homo est in articulo mortis, subdit deindè, & declarat hoc non esse tantùm in infirmitate mortali, sed etiam quando aggreditur actus arduos, in quibus sit verisimile, quod mors immineat, vt in bello mortali, naufragio, &c. Vndè non solùm dicimus in mortis articulo, quo quis est certò moriturus, seù lethali premitur morbo, sed etiam periculo, cùm scilicet, quis periculosum bellum, vel diuturnam nauigationem, aut similia pericula ingreditur, 448

tur, inter quæ plerique Summistæ ponunt etiam fœminas primò parientes, vel quæ aliàs maximam expertæ sunt in partu difficultatem; hi enim omnes antè articulum, vel periculum mortis confiteri tenentur, dùm copiam Confessarij habent, & peccati mortalis conscientiam ob rationem allatam; quia cùm hoc præceptum non obliget, nisi ad confitenda mortalia, si in articulo, vel periculo mortis constitutus nullam conscientiam peccati mortalis habeat, hoc præcepto non tenebitur.

Sola igitur controuersia est, an hoc præceptum diuinum Confessionem fideles obliget alio tempore, quàm in articulo, vel periculo mortis, loquendo de obligatione per se independenter à quocunque alio præcepto, & extrinseca necessitate, cùm extra hæc tempore non videatur aliud certum tempus assignabile, in quo hoc præceptum per se obliget. Qua in re duæ sunt oppositæ sententiæ; Prima negat asserens per se loquendo, & secluso præcepto Ecclesiastico non teneri quemquam ex diuino iure ante mortis articulum, aut periculum confiteri, eo quod ex præcepto Confessionis simpliciter non alia obligatio temporis oriatur; cùm enim sit præceptum affirmatiuum, non obligat, nisi tempore necessitatis, est autem hoc tempus solus articulus, vel periculum mortis, pro qua opinione citantur D. Thomas 4. *dist.* 17. *q.* 3. *art.* 1. Scotus *loc. cit.* Durandus, Gabriel, Paludanus, Riccardus, & ex Recentioribus Suarez, Coninchius, Lugus, Filliucius, & alij, & ex nostris hanc sequitur Brancatus *loc. citat. num.* 191. tanquam de mente Doctoris. Secunda sententia affirmat præceptum diuinum Confessionis adhuc extrà casum necessitatis obligare, hoc est, extrà casum articuli, vel periculi mortis, sed non conueniunt Auctores huius opinionis in assignando tempore, in quo obliget hoc præceptum extrà casum necessitatis. Nonnulli dixere statim ac quis peccauit de iure diuino ad confessionem teneri si commodè potest, tribuitur quibusdam Canonistis ac etiam Alensi, & D. Bonauenturæ sed immeritò, vt videre est apud Fabrum *disp.* 28. *cit. cap.* 1. ab initio; Alij verò dixerunt præceptum diuinum confessionis obligare, quoties ex dilatione oritur probabile periculum obliuionis peccatorum, vndè aiunt teneri confessionem non differre eum, qui rationabiliter timet per talem dilationem obliturum aliquod ex peccatis mortalibus commissis, aut eorum circumstantias alioquin necessariò explicandas; ita Marsilius, Sotus, Medina, Nugnez, Henriquez, & alij nonnulli. Alij tandem communiter dicunt præceptum diuinum confessionis adhuc extrà casum necessitatis obligare, non tamen pro aliquo determinato tempore, sed vagè, & indeterminatè, & Christum reliquisse tale tempus Ecclesiæ determinandum, ità Amicus, Caspensis, Auersa, & ex nostris Hiqueus 4. *d.* 17. *quæst.* Faber *loc. cit.* & alij passim; Pro quæstionis resolutione sequentes assertiones sunt statuendæ.

449 Primò Dicendum est, hoc præceptum per se aliquando obligare etiam extrà articulum, & periculum mortis. Hæc est communior, & probabilior cum Auctoribus secundæ sententiæ; neque dissentit Doctor *loc. citat.* quamuis enim ibi doceat præceptum diuinum de sacramento pœnitentiæ per se obligare in articulo mortis, vel in periculo illi æquiualenti, non tamen negat per se aliquando obligare etiam extrà articulum, & periculum mortis; Probatur autem ratione satis congrua, quia finis institutionis huius sacramenti non fuit, vt hominem solùm in extremo vitæ disponeret, sicut institutum fuit extremæ vnctionis sacramentum, sed vt hominem à peccato mundaret, & in gratia Dei conseruaret in hac vita, vt opera meritoria vitæ æternæ operari posset, quæ sine gratia haberi non possunt; aliàs sequeretur, quod in hac vita non teneretur facere bonum, aut suis meritis ingredi regnum cœlorum, & sibi præparare coronam, quod in statu peccati assequi nequit; ergò sicut antè finem vitæ tenetur ad actus aliarum virtutum, & suam salutem operari mediante fide, sic etiam ad pœnitentiam, sicut enim ad effectum salutis fides sine operibus mortua est, ità opera existentis in peccato mortali sine pœnitentia mortua sunt.

Verùm quamuis hæc ratio, qua passim Recentiores vtuntur, sit congrua, vt dicebam, non tamen conuincit, quia dici posset hanc præparationem ad gloriam per opera meritoria, & reconciliationem cum Deo fieri posse per contritionem cum voto duntaxat confitendi in articulo, vel periculo mortis; ac proindè ad hæc omnia saluanda sufficere præceptum pœnitentiæ, non determinando per confessionem, sed supplendo per contritionem cum voto confessionis. Quarè magis arridet ratio, quam ad id probandum adducit Amicus *disp.* 27. *sec.* 4. *num.* 59. quoniam hoc sacramentum non tantum est institutum ad peccata præterita remittenda, sed etiam ad præcauenda futura, nec solùm hoc sacramento humanæ voluit succurrere imbecillitati remittendi homini peccata sola attritione disposito, sed etiam efficax frænum illi imponere, ne tam facilè in peccata prolaberetur; tale autem frænum ad peccata præcauenda non est sola obligatio ad habendam contritionem de peccatis cõmissis, sed obligatio ea distinctè alteri homini manifestandi, cùm hoc maximè humana abhorreat superbia; quarè expediens non fuit illud vsque in articulum, vel periculum mortis differre, eo quod tunc alter principalis finis non haberetur, propter quod hoc sacramentum est institutum, vt nempè tali sacramento mediante homines futura peccata præcauerent, qui fructus, & emolumentum neque per contritionem, neque per alia media haberi potest, sed præcipuè per manifestationem suorum peccatorum alteri homini in foro pœnitentiæ, quæ maximam inducit verecundiam in pœnitente.

Denique adhuc euidentius id deducitur ex Trident. *sess.* 14. *cap.* 5. vt idem Amicus aduertit *loc. cit.* Caspensis, & alij Auctores secundæ sententiæ, vbi sic loquitur: *Neque enim per Lateranense Concilium Ecclesia statuit, vt Christi fideles confiterentur, quod iure diuino necessarium, & institutum esse intellexerat; sed vt præceptum Confessionis saltem semel in anno ab omnibus, & singulis cùm ad annos discretionis peruenissent, impleretur.* Cùm ergo Tridentinum his verbis doceat, determinatum fuisse ab Ecclesia tempus, in quo Christi fideles tenerentur hoc diuinum præceptum de confitendo adimplere necessariò intellexit de tempore, quo extrà articulum mortis hoc idem præceptum iure diuino obligasset, hoc enim tantùm tempus Ecclesiæ determinatione egebat; at si tempus implendi hoc præceptum iure diuino esset tantùm articulus, vel periculum mortis, iam in tali casu determinatum esset tempus impletionis præcepti iure diuino, atque ideò non potuisset Ecclesia statuere, vt obligaret semel in anno, quando enim præceptum, & tempus præcepti iure diuino constituta sunt, non possunt ab Ecclesia mutari, vt patet de præcepto Baptismi, cùm enim hoc præceptum determinatum tempus habeat ex diuina institutione, itaut quouis vitæ tempore infidelem obliget, nisi iusta excusetur de causa, vt baptizetur, ideò Ecclesia illud mutare non potuit, aut aliter determinare. Per quam doctrinam sufficienter manet præclusa responsio. Aduersariorum dicentium verba Concilij intelligenda esse de præcepto diuino per se obligante in casu necessitatis articuli, scilicet vel periculi mortis, nec aliam indicasse huius præcepti necessitatem extrà prædictos casus. Sufficienter, inquam, manet præclusa hæc solutio, quia in eo casu iam est determinatum tempus iure diuino, æquè ideò Ecclesia statuere non potuisset, vt singulis annis obligaret; Tùm quia si per præceptum Ecclesiasticum determinatum fuisset tempus ipsum necessitatis ad annuam confessionem, & non aliquod aliud tempus extrà illud, sequeretur eum, qui iam semel in anno confessus est, non teneri amplius confiteri, etiamsi posteà in eodem anno esset in extremo periculo, & peccati mortalis conscientiam haberet, sed satis illi esse contritionem, quia iam præceptum diuinum adimpleuit in tempore ab Ecclesia determinato; quando enim Ecclesia constituit tempus alicuius præcepti diuini, cessat omninò obligatio illius præcepti extrà illud tempus, quod Ecclesia designauit.

Nec fundamentum oppositæ sententiæ vrget, quamuis 450
enim hoc sit præceptum affirmatiuum, adhuc tamen negandum est obligare tantùm in extrema necessitate, licet in ea tantùm determinatè obliget, extrà quam non nisi vagè, & indeterminatè obligat quantùm est ex se, vt posteà dicemus. Sed Dices cum Suarez *disp.* 35. *sec.* 3. hoc sacramentum est quædam determinatio præcepti pœnitentiæ virtutis, quo ex iustitia tenemur Deo satisfacere; atqui hoc præceptum non obligat, nisi in extrema necessitate, ergo neque sacramentum pœnitentiæ. Negatur maior, quia vt constat ex modo dictis, hoc sacramentum non tantùm est institutum ad peccata præterita dimittenda, sed etiam ad præcauenda futura, cuius rei signum est, quod hoc sacramentum non solùm de præteritis dolorem requirit, sed etiam efficax propositum de futuris præcauendis saltem implicitum,

tum, & quando etiam concederetur maior, adhuc est falsa minor, quod scilicet præceptum pœnitentiæ virtutis non obliget, nisi in extrema necessitate, scilicet articulis, vel periculi mortis, vt constat ex dictis supra *quæst. 7. art. 3. num.* 211.

451 Secundò Dicendum est, tempus determinatum obligationis, vel adimpletionis huius præcepti de iure diuino non esse statim post peccatum commissum. Hæc conclusio est communis contrà primum ex relatis dicendi modis pro secunda sententia tuenda, & constat ex dictis *loc. cit. quæst. 7. art. 3. num.* 208. vbi statuimus non teneri peccatorem statim conteri, & pœnitere post peccatum commissum, alias esset in continuo peccato, qui statim atque peccat non conteritur, vel diligit Deum, sicut qui non restituit, quod nullus concedit; si ergo non tenetur peccator statim post peccatum commissum conteri, & pœnitere: multò minus tenebitur statim confiteri; consequentia patet, quia non est maior necessitas confessionis, quàm contritionis, quia sine confessione quis potest saluari, si nimirum habeat contritionem, nec adsit copia Confessarij, at sine cõtritione nequaquam. Confirmatur ex ipso præcepto Ecclesiæ de annua confessione, non enim Ecclesia voluit, aut potuit obligationem iuris diuini retardare, & si tunc vrgeret obligatio errasset Ecclesia talem differendo obligationem, seù dilationem concedendo per integrum annum, & ea stante occasionem præuaricandi fidelibus obtulisset, qui absque vllo scrupulo, & conscientiæ remorsu putant se de rigore obligationis non teneri citiùs confiteri. Denique hoc est contrà communem Doctorum sententiam, & fidelium sensum, qui nunquam se accusant, quod non statim, ac peccauerunt, sint confessi; & si ex iure diuino, vel naturali adesset obligatio statim pœnitendi, non per hoc adesset etiam statim confitendi, siquidem interim pœnitentia fieri posset sine confessione cum solo eius voto, & hoc sufficeret ad salutem, & peccatorum remissionem. Argumenta in opposita soluta sunt *loc. cit.* loquendo de pœnitentia virtute, & soluuntur etiam à Fabro *loc. cit.* & Brancato.

452 Tertiò Dicendum est neque determinatum tempus obligationis huius præcepti esse, quando ex dilatione confessionis oritur probabile periculum obliuionis peccatorum. Hæc etiam est communis contrà alterum ex relatis dicendi modis pro secunda sententia tuenda, & colligitur ex eodem vsu Ecclesiastici præcepti, quia aliàs multi de facto tenerentur frequentiùs, quàm semel in anno confiteri, facilè namque in vnius anni spatio periculum occurrit obliuionis de aliquibus peccatis, & circumstantijs, ac præsertim de eorum numero, cùm multi de facto omnia sua peccata intrà annum commissa memoria retinere nequeant: vndè sequeretur non sufficienter Ecclesiam tempus determinasse, quo omnes Christi fideles integrè hoc præceptum adimplere valeant. Confirmatur, quia si hæc opinio vera esset, sequeretur pœnitentem teneri confiteri adamussim omnia peccata, quæ re vera commisit; at hoc est falsum, quia ex præcepto diuino confiteri non tenemur, nisi omnia illa peccata, quæ menti occurrunt post diligens examen, vt Trident. definit *sess. 14. cap. 5.* Tandem hoc idem ratio ipsa suadet, quia ex obligatione integritatis in confessione seruandæ ad summum deducitur pœnitentem teneri moralem facere diligentiam eo tempore, quo confitebitur, in suis peccatis recolendis, & ea tantum confiteri, quæ post maturam diligentiam, & prudentem discussionem recordatus fuerit; nec obligatur facere extraordinariam diligentiam, qualis esset anticipare confessionem, qua de causa nec etiam peccata patrata scribere tenetur, vt sufficienter memoriæ fragilitati prouideat, & nulli dubium est, quod hoc remedio satis memoriæ consuleret.

Dices vnusquisque iure diuino tenetur omnia mortalia peccata cum suis necessarijs circumstantijs confiteri, quia iure diuino tenemur ad integram peccatorum confessionem; ergo sicut qui timet se non amplius habiturum Confessarij copiam, tunc confiteri tenetur; ità & qui timet se non habiturum omnium suorum peccatorum memoriam, eorum enim recordatio necessaria est ad confessionis integritatem.

Respondetur ex modò dictis ad integritatem Confessionis sufficere Sacerdoti aperire omnia peccata, quæ post maturam diligentiam, & prudentem discussionem menti occurrunt, nec obligatur homo facere extraordinariam diligẽtiam, sicut esset confessionem anticipare, aliàs etiam dici deberet pœnitentem teneri peccata sua scribere statim, ac sunt commissa, ne eorum obliuiscatur. Vndè non valet adducta paritas de eo, qui timeret se non amplius Confessarij copiam habiturum, ad quod euitandum periculum eam diligentiam adhibere tenetur, vt eam confitendi comoditatem elabi non sinat, quàm fore vltimam timet; talis autem, & tanta necessitas non adest in proposito.

Quartò tamen dicendum est, præceptum Confessionis ex vi sua non solùm obligare in mortis articulo, verùm etiam aliquoties extrà mortis periculum, vt suprà dictum est, vagè tamen, & indeterminatè, itaut nullum tempus assignari potest, quo obligasset, nisi Ecclesia id determinasset, quod saltem confessio fiat semel in anno. Hæc conclusio pendet ex dictis suprà *quæst 7. art.* 3. de pœnitentia virtute, vbi *n.* 211. diximus etiam aliquo tempore extrà mortis articulum, vel periculum præceptum contritionis de peccatis commissis per se obligare, difficilè tamen esse tale tempus ex natura rei determinare; si ergò præceptum contritionis de peccatis commissis non habet determinatum tempus extrà casum extremæ necessitatis, non est cur dicamus illud habere præceptum diuinum confessionis, quæ minus necessaria est, quàm contritio. Et quamuis Soto, Nauarrus, Bonacina, & alij Summistæ dicant tempus hoc posse, ac debere determinari iuxtà prudentis viri iudicium ad consulendum propriè saluti, & alia euitanda peccata: difficilè tamen est tale tempus assignare extrà articulum, & periculum mortis, maximè cum quacunque necessitate designata in speciali possit esse remedium dilectio Dei, vel contritio de peccatis commissis: ideoq; probabilius alij Doctores censent necessariam fuisse Ecclesiæ determinationem, quæ vagum hoc tempus, ac indeterminatum ad certum spatium limitaret, scilicet, saltem semel in anno; Ex quo infertur, cùm Christus non determinauerit tempus præcepti confessionis, reliquisse illud Ecclesiæ determinandum, vt rectè aduertunt Amicus, & Caspensis loc. cit. 453

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

An vt Confessio sit sacramentalis, & valida debeat esse secreta.

Hic ab initio aduertendum est duplex esse Confessionis secretum, vnum quod tenetur seruare Confessarius audita alterius Confessione, quod Confessionis sigillum dici solet, de quo infrà: Alterum, quo pœnitens debet se cretò facere Confessionem apud solùm sacerdotem, quo sensu Confessio dicitur secreta, non solùm prout secretum opponitur publico, & publicum dicitur, quod omnibus, aut pluribus innotescit, & quod paucis notum est dicitur adhuc secretum: sed rigorosè excludendo omnem alium præter Sacerdotem, vndè dici etiam solet auriculari Confessio. Quæstio igitur est, an confiteri publicè coram pluribus sit contrà institutionem huius sacramenti, & ità non sit vera sacramentalis confessio; Supponit autem hæc quæstio modum secretæ confessionis honestum, & sanctum esse, & ad sacramentum conficiendum sufficientem, & hoc contrà Hæreticos huius temporis, qui hanc secreti conditionem, & normam irrident, & contemnunt, tanquam non à Christo institutam, nec ab initio Ecclesiæ vsitatam, sed à paucis sæculis nouiter inuentam, quia in sacra Scriptura dicunt non reperiri, nec in primitiua Ecclesia fuisse in vsu, quod ex antiqua consuetudine colligunt agendi pœnitentias publicas pro peccatis, ex qua inferunt Confessionem nunquam secretò factum fuisse in ordine ad peccatum remissionem, sed tantùm publicè in ordine ad correptionem, & publicam ædificationem; Qui error postea damnatus est in Trident. *sess. 14. cap. 5.* & rursus *can. 6.* his verbis *si quis dixerit modum secretæ confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia Catholica ab initio semper obseruauit, & obseruat, alienum esse ab institutione, & mandato Christi, & inuentum esse humanum anathema sit.* 454

In hac controuersia tres sunt Scholasticorum sententiæ, duæ extremæ, & vna media; Prima extrema docet conditionem secreti esse de essentia confessionis, & necessitate huius sacramenti, ita quod si omittatur, confessio non sit sacramentalis, quæ optimo Scoto nostro tribuitur 4. *dist. 17. quæst. vn.* vbi in solutione tertij, & quarti argumenti ait confessionem 455

fessionem factam per interpretem, vel pluribus Sacerdotibus non esse pœnitentialem, vel sacramentalem, quia non est confessio secreta, sed quodammodo publica; & in hoc sensu eam enixè defendit Faber *disp.* 29. *c.* 1. tanquam de mente Doctoris. Secunda sententia extrema asserit è contrà conditionem secreti nullatenus esse de essentia, & necessitate huius sacramenti, atque ideò esse posse veram confessionem sacramentalem, etiamsi publicè fiat, aut pluribus Sacerdotibus, aut per Interpretem; ità Recentiores communiter cum Suarez *Disp.* 21. *sec.* 2. vbi non solùm dicit secretam confessionem non esse de necessitate sacramenti ex institutione Christi, sed addit nec etiam esse de necessitate præcepti ex parte pœnitentis, quia nullum in hac re inuenitur præceptum diuinum, siquidem ex institutione non colligitur, vt ibi ostendere nititur, & illa seclusa non est, vnde colligatur. Tertia sententia media asserit vsum confessionis secretæ esse ex institutione Christi, & non haberi istum modum confitendi ex sola Ecclesiæ traditione, non tamen istum modum esse de necessitate sacramenti simpliciter, & absolutè loquendo, & in quocunque casu, sed tantum prout regulariter fit; adeout confessio publicè facta in aliquo necessitatis casu, vt in loco, vbi plures infirmi simul iacent tempore pestis, vel in repentino incendio, terræmotu, naufragio, & similibus, esset vera confessio sacramentalis non quidem quoad modum à Christo institutum, & in Ecclesia vsitatum, sed tantùm quoad substantiam quatenus includit informationem Iudicis in substantia, & cum intentione recipiendi absolutionem, quia inquantum seruat substantiam, sufficit in casu, quo nequit obseruari modus iam à Christo institutus, & in Ecclesia consuetus; ità ex nostris Hiqueus 4 *d.* 17. *q. vn. in Comment. à num.* 123. Aret. *ibid. art.* 7. Brancatus *disp.* 10. *art.* 8. & alij Scotistæ, qui in hoc sensu Doctorem *loc. cit.* exponunt, & intelligunt. Vndè Poncius *disp.* 45. *quæst.* 6. *num.* 41. vt benè aduertit Scotum *loc. cit.* non tenuisse oppositum, cùm solùm dicat quod non sit necessarium confiteri per Interpretem, vel pluribus Sacerdotibus; & quamuis det pro ratione, quod forum hoc est secretissimum, tamen sine dubio loquitur de ipso, vt regulariter contingit, & vt ex præcepto quis tenetur ad illud accedere, hoc enim solùm sufficiebat intento ipsius, quod erat probare Confessionem per Interpretem non esse necessariam, & sub præcepto non cadere.

ARTICVLVS PRIMVS.

Resolutio Quæstionis.

456 PRo huius Quæstionis resolutione, quæ non est adeò parui momenti, vt quidam existimare videntur eam sicco pede prætereuntes. Primò Dicendum est modum secretò cōfitendi seù confessionem articularem fuisse à Christo Domino institutam, & non haberi solùm ex pura Ecclesiæ traditione. Hæc assertio post definitionem Tridentini *loc. cit.* apud omnes certa esse debet, dùm enim dixit modum confitendi soli sacerdoti, quem Ecclesia catholica ab initio semper obseruauit, & obseruat alienum non esse ab institutione, & mandato Christi, & non esse humanum inuentum, apertè significat initium huius ordinationis referendum esse ad institutionem Christi, qui non solùm Confessionem præcepit dans potestatem ligandi, & soluendi, sed etiam modum eius saltem regularem definiuit; ergo institutio huius sacramenti intelligenda est fuisse, vt confessio fieret secreta, & ob cultum sacramenti, & facilitatem, ne fieret odiosum, & ob securitatem pœnitentis, vt explicat Leo Papa *epist.* 91.

Respondet Suarez *loc. cit.* Concilium ibidem dicere Christum non prohibuisse confessionem publicam, si pænitens voluntariè illam facere velit, atque ideo neque in institutione posuisse Christum modum secretæ confessionis, tanquam necessarium, aliàs consequenter oppositum modum prohibuisset; & dùm ait Concilium modum secretè confitendi non esse alienum ab institutione, & mandato Christi intelligit non esse contrarium, nec repugnare diuino præcepto, imò esse illi consentaneum, quia supposita institutione ille modus per se loquendo conuenientior est, & aptior ad omnes tollendas difficultates, & scandala.

Sed planè Concilium dùm inquit modum secreto confitendi non esse alienum ab institutione, & mandato Christi, non tantum significare voluit non esse contrarium, nec repugnare diuino præcepto, sed præterea significare voluit esse positiuè conformem, & consentaneum mandato, & institutioni Christi; quod adhuc amplius declarat per immediatè sequentia verba, dum inquit *non esse inuentum humanum* significare volens esse inuentum diuinum, & ab institutione ipsa Christi originem ducens, quia & Patres vnanimi consensu confessionem secretam commendarunt, & ea vsa est Ecclesia ab initio: dùm ergo hac ratione dicit Concilium non esse inuentum humanum, clarè dat intelligere per traditionem Apostolicam emanasse talem vsum ex ipsa sacramenti institutione ex regula cognoscendæ traditionis apostolicæ data ab Augustino, & ab omnibus recepta; & hoc ipsum fatetur etiam Suarez ipse, dùm inquit, ideò dixisse Concilium modum secretè confitendi *non esse humanum inuentum*, quia aliquo modo ducit originem ab institutione diuina. Et planè verùm est, Concilium ibidem declarare, Christum non prohibuisse Confessionem publicam, si pœnitens voluntariè illam facere velit: dùm verò hinc infert Suarez neque in institutione Christum potuisse modum secretæ confessionis, tanquam necessarium, aliàs consequenter prohibuisset oppositum modum; Hæc consequentia benè deduceretur, si nos diceremus Christum in institutione huius sacramenti posuisse modum secretæ confessionis, tanquam necessarium simpliciter, & absolutè, & in quocunque casu; at nos non asserimus hunc modum esse ità de necessitate sacramenti, & præcepti; sed tantùm prout Confessio regulariter fit, & ordinariè exercetur, gratis concedentes in casu necessitatis posse fieri publicè, & ob quosdam fines à Concilio enumeratos, qui rarò contingunt, vt in vindicationem peccatorum, sui humiliationem, exemplum aliorum, & Ecclesiæ, quam offendit, ædificationem; Hic itaque modus secretæ confessionis fuit à Christo institutus, quia vt etiam fatetur Suarez, supposita huius sacramenti institutione ille modus per se loquendo conuenientior est, & aptior ad omnes tollendas difficultates, & scandala, licet per accidens, & in quibusdam casibus, ac circumstantijs iam insinuatis possit confessio publica licitè, & validè fieri. Denique eo ipso, quod Concilium dicit Christum præcepisse Confessionem, non tamen publicam, licet eam non prohibuerit, sequitur eum intendisse confessionem secretam, tanquam modum regularem, & ordinarium eam exercendi, licet in quibusdam casibus, & circumstantijs aliter fieri possit.

Secundò Dicendum est, quod quamuis Christus instituerit modum confitendi secretum, tanquam modum Confessionis regularem, & ordinarium, ac per se conuenientiorem, non tamen iste modus de essentia, & necessitate simpliciter Confessionis sacramentalis. Hæc assertio est 457
contrà primam opinionem ab initio quæstionis relatam, & clarè deducitur ex Tridentino *cit. sess.* 14. *c.* 5. vbi sic loquitur; *Cæterum quoad modum confitendi secretum apud solum Sacerdotem, etsi Christus non vetuerit, quin aliquis in vindictam suorum scelerum, & sui humiliationem, tùm ob aliorum exemplum, tùm ob Ecclesiæ offensæ ædificationem delicta sua publicè confiteri possit, non est hoc tamen diuino mandato præceptum*; ità Concilium, quibus verbis clarè insinuat, quod confessio secreta vtiq; instituta est à Christo sub obligatione, non tamen pûblica, licet neque hanc vetuerit fieri posse in aliquo casu necessitatis, & ob aliquos fines particulares vltrà absolutionem obtinendam; Neque sic tamen institutus est necessarius modus iste secretè confitendi, quod non possit pœnitens renunciare tali modo, siuè iuri suo, quia ob eius famam, & quietem fuit concessus, quæ renunciatio licita est pœnitenti, vt ex Concilio constat, estque consona iuri naturali, diuino, & Ecclesiastico. Confirmatur, quia quamplura habemus circà sacramenta à Christo Domino instituta, quæ tamen non sunt de essentia, & necessitate sacramenti simpliciter, & absolutè loquendo, sed tantùm ordinariè, & regulariter; sic à Christo Domino Ecclesia accepit modum orandi, gratias agendi, & benedicendi antè Eucharistiæ consecrationem, ipse enim gratias agens benedixit, fregit &c. & tamen si absque his omnibus fieret consecratio, profectò valida esset, quia de essentia sacramenti nihil aliud est, quam materia, & forma, & intentio Ministri; sic ergò in proposito, quamuis à Christo Domino hunc confessionis modum Ecclesia acceperit, nec possit Ecclesia illum abrogare, vel immutare, nihilominus si confessio in aliquo necessitatis casu, aut alia rationabili de causa publicè fiat, adhuc erit vera, & sacramen-

mentalis confessio, si reliqua, quæ habent rationem materiæ, & formæ non deficiant, vt magis constabit ex asserto sequenti.

458 Tertiò Dicendum est, confessionem publicè factam Sacerdoti in aliquo necessitatis casu, vel alia rationabili de causa, si cætera adsint, esse validam, & sacramentalem; Hæc etiam assertio est contrà primam opinionem ab initio quæstionis relatam, & clarè deducitur ex Concilio *loc. cit.* vbi dicit Christum non prohibuisset confessionem publicam, si pœnitens illam facere velit, licet solam secretam præceperit, vt regulariter, & ordinariè faciendam, & satis patet Concilium ibi loqui de Confessione sacramentali. Confirmatur, quia adsunt aliqui casus, in quibus confessio est facienda, & tamen secretò, & soli sacerdoti fieri non potest, vt quando confessio fit per Interpretem, certum est enim talem confessionem, si fiat, validam esse, & sacramentalem, siuè homo teneatur sic confiteri, quando aliter non potest, siuè non; Alius casus est, si in articulo, vel periculo mortis, vt in bello, vel in naufragio, vel in aliquo loco peste laborante plures confiteri velint, & non possint, nisi alijs audientibus, & simul confitentibus, certum est enim has, & similes confessiones validas esse, & sacramentales. Ratio tandem à priori est, quia licet confessio fiat sine secreto, adhuc potest esse vera accusatio ex dolore cordis perfecta, & per illam dari Sacerdoti sufficiens notitia, vt possit de peccatis iudicare; ergo etiamsi in aliquo necessitatis casu alij intersint, & audiant, adhuc validitas Confessionis saluari potest.

Respondet Faber noster *loc. cit.* Concilium ibi non loqui de confessione sacramentali, sed de confessione, quam quis facit in vindictam, & pœnam propriorum peccatorum, & sui humiliationem; inquit enim Christum Dominum talem confessionem non vetuisse, sed non dixit talem confessionem esse sacramentalem, immò manifestè innuit non esse talem, cùm dicat non cadere sub præcepto, confessio autem sacramentalis cadit sub præcepto. Ad Confirmationem ait confessionem per Interpretem factam ex natura sua non esse sacramentalem, nec pœnitentialem, vt ait Scotus, ideò Sacerdos non absoluit pœnitentem in hoc casu, vt Minister sacramenti, sed vt Iudex, & Minister publicus in foro externo, nam Ecclesiæ data est potestas absoluendi in vtroque foro, & illa absolutio valet etiam in Cœlis, sicut sacramentalis, & ità etiam respondet ad alium casum de pluribus existentibus in naufragio, vel loco peste laborante, qui non possunt confiteri secretè. Ad rationem denique inquit non sufficere illas duas conditiones, vt manifestet peccata, & cum dolore cordis, sed requiri insuper modum hunc, scilicet, vt sit secreta, quia hic requiritur ex essentiali institutione ipsius, vt est sacramentalis.

59 Sed falsum omninò est Concilium *loc. cit.* de confessione sacramentali non esse locutum, ibi enim loquitur de Confessione in genere, quæ est accusatio sui ipsius, eamque distinguit in publicam, & secretam, docens solam secretam esse præceptam, non verò publicam; ex quo minimè sequitur, quod non secreta non sit sacramentalis saltem quoad substantiam, sed solùm quod non cadat sub diuino præcepto; si namque Sacerdos absoluat sic confitentem, fiet sacramentum, atque ideò erit valida, & sacramentalis confessionem confessio sacramentalis est accusatio sui ipsius in ordine ad absolutionem sacramentalem; quandò ergo actus ille esset ex intentione suscipiendi sacramentum, tunc illa peccata cum dolore confessa, etiamsi publicè, essent materia proxima absolutionis, atque ideò nihil deficeret ad rationem sacramenti requisitum, estò alij fines ibidem à Concilio enumerati talis publicæ confessionis non sint sacramentales; Et quamuis confessionem secretam ibi præcipuè sacramentalem appellet, non ob id negat publicam quoque esse talem, sed eam præsertim sacramentalem vocat, quia à sanctissimis, & antiquissimis Patribus magno vnanimique consensu fuit semper comendata, & qua ab initio Ecclesia sancta vsa est, & modo etiam vtitur, & quia cadit sub aliquo diuino præcepto, non autem illa; Quod verò addit Faber, confessionem à pluribus factam alijs audientibus tempore naufragij, vel pestis, aut magni terremotus, esse quidem validam, non tamen sacramentalem, nec Sacerdotem tunc absoluere pœnitentem, vt Minister sacramenti, sed vt Iudex, & Minister publicus in foro exteriori, & ea auctoritate, qua absolueret habens auctoritatem in foro publico, est planè contrà omnium sensum; Fideles enim sic decedentes ex hac vita in illis necessitatis casibus firmiter credunt decedere cum sacramento pœnitentiæ, & Sacerdotes ipsi tunc temporis intendunt sic confitentibus sacramentalem impendere absolutionem eius formam proferendo; Quod si aliter esset, in magnum veneret fidelium sic decedentium detrimentum, quia attritio cum sacramento coniuncta sufficiens est ad delenda peccata, non autem extrà sacramentum, vndè si aliquis in illis casibus solam de suis peccatis attritionem haberet, non verò contritionem, veniam illorum non consequeretur. Nec satisfacit, quod ait Faber, Ecclesiæ datam esse potestatem in vtroque foro absoluendi, & illam absolutionem à peccatis in foro externo valere etiam in Cœlis, sicut sacramentalem; gratis enim hoc omninò asseritur, quia priuilegium, & virtus remittendi peccata confessa sacerdoti etiam cum sola attritione data est solùm absolutioni sacramentali, vt constat ex Scripturis, Concilijs, & Patribus, non autem alteri absolutioni iudiciali. Nec nos mouere debet, quod Scotus *loc. cit.* talem confessionem dicat non esse sacramentalem, vel pœnitentialem, hoc enim modo loquendi noluit absolutè negare talem confessionem esse sacramentalem in substantia, sed solùm indicare voluit non esse obligatoriam, & necessariam, vt patet ex illis verbis, quæ habet lit. Y. & Z. dùm ait, quod non tenetur fidelis ad talem confessionem, & non est necessarium sic confiteri, vt ibidem exponunt Aretinus, Poncius, & alij Scotistæ. Nec tandem sufficienter soluit Faber rationem allatam, dùm inquit, non sufficere ad sacramentum pœnitentiæ peccata manifestare sacerdoti ad absolutionem eorum obtinendam, & cum dolore cordis, sed requiri insuper, quod confessio sit secreta; Hæc enim est manifesta principij petitio, hoc enim est, quod in disputationem vertitur, & quod directè ratio illa impugnat, quia ad essentiam sacramenti nil aliud requiritur, quàm materia, forma, & intentio ministri, quæ omnia adsunt in confessione publicè facta in prædictis casibus; Tùm quia confessio sacramentalis vt dicebam, est accusatio sui ipsius in ordine ad absolutionem sacramentalem, ac proindè etiam ex parte pœnitentis requirit intentionem submittendi se absolutioni sacerdotis; ille autem actus publicè confitendi esset ex intentione suscipiendi sacramentum, vt suppono, nã si talis intentio deficeret, peccata sic confessa non essent materia proxima absolutionis; talis ergo cõfessio publica adhuc esset sacramentalis in substantia, licet non quoad modum, vt explicabitur conclusione sequenti, quia nimirum includit informationem Iudicis in substantia, & cum intentione recipiendi absolutionem.

Quartò tandem Dicendum est Confessionem publicè factam sacerdoti in prædictis necessitatis casibus, vel alia rationabili de causa, licet esset sacramentalis quoad substantiã, 460 vt probatum est, non tamen quoad modum, quo scilicet, est instituta à Christo, & ad quem obligat Confessionis præceptum. Hæc assertio ponitur cum Auctoribus tertiæ sententiæ mediæ superius relatæ, per quam facilè conciliari possent aliæ duæ opiniones extremæ, & explicari, in quo sensu dixerit Doctor noster talem confessionem non esse sacramentalem; negat enim esse sacramentalem, non simpliciter, & absolutè loquendo, sed respectiuè ad modum secretum confitendi, cum quo obligat præceptum affirmatiuum sacramenti, & sine quo non obligat. Probatur autem, & explicatur conclusio, nam in communi modo loquendi, vt aliquid dicatur simpliciter, & absolutè tale absque addito, non solùm requiritur, vt sit tale secundum substantiam, sed etiam secundum reliquas cõditiones ad illud regulariter requisitas; qua ratione puer, & infans, licet sit homo secundum substantiã, quia tamen non est rationis compos, nec dùm peruenit ad vsum rationis, non appellatur homo, aut vir, sed puer, & infans, quia in communi modo loquendi per hominem intelligitur, qui est rationis compos, & iam ad rationis vsum peruenit; sic etiam panis bis coctos licet sit in substantia panis fermentatus; non tamen simpliciter, & absolutè loquendo dicitur panis, sed panis bis coctus, & buccellatum, quia licet sit in substantia panis, non tamen habet alias conditiones regulariter ad panem requisitas, nempè mollitiem, & vnicam tantum coctionem; Ità igitur in proposito est de confessione publica discurrendum, quod licet quoad substantiam possit esse sacramentalis, quatenus nimirum includit informationem Iudicis in substantia, & cum intentione recipiendi absolutionem à Sacerdote fit à pœnitente; tamen quia non habet conditionem, & modum, quo à Christo Domino instituta fuit, & præcepta, & quo regulariter, & ordina-

dinariè in Ecclesia exerceri solet; ideò simpliciter, & absolutè loquendo non dicitur sacramentalis, quia modus secreti deficit, sed dicitur talis tantùm in substantia.

461 Confirmatur, quia illa sola confessio dici debet, & consueuit sacramentalis simpliciter, & absolutè loquendo, quæ regulariter exigitur, & non illa quæ tantum in casu necessitatis, permittitur, vel alia rationabili de causa, & non aliter, quia inquantum seruat substantiam confessionis sacramentalis, sufficit in casu, in quo nequit obseruari modus regulariter requisitus; Vndè sicut non valet hæc consequentia, licet quandoque absoluere agonizantem sine confessione verbali, aut confitentem per nutus, & signa ergo etiam hæc confessio regulariter est sacramentalis, & passim valida; ità nec etiam in proposito valet hæc consequentia, licet quandoque in casu necessitatis, vel alia rationabili de causa vti confessione publica; ergo confessio publica regulariter ordinatur ad sacramentum ex diuina institutione, vel regulariter fieri potest in ordine ad sacramentum, vel sacramentalé absolutionem obtinendam; Non inquam, valet hæc consequentia, quia estò in tali casu possit absolui pœnitens, si habeat intentionem recipiendi sacramentum, & talis confessio publica sacramentalis dici possit; tamen talis confessio, qua publica est, per accidens se habet ad sacramentum, quia intantùm respicit sacramentum, inquantum præcisè est accusatio rei apud Iudicem cum intentione ab eo recipiendi absolutionem; quod verò fiat apud alios, vel alijs præsentibus, est omninò impertinens ad sacramentum, licet ad alios fines à Concilio relatos conferre possit, vt ad sui humiliationem, aliorum exemplum, Ecclesiæ ædificationem &c. qui tamen fines non sunt sacramentales, redundant enim omnes ex confessione illa, vt notificat peccata alijs publicè, qui non habent potestatem iudiciariam absoluendi, & non in ordine ad absolutionem; vndè pœnitens est absolutionis capax, & confessio sacramentalis ea præcisè ratione, qua dirigitur ad Confessarium pro informatione danda, & absolutione obtinenda; non verò ea ratione, qua fit publicè, & ad alios dirigitur nullam habentes potestatem iudiciarium absoluendi, vndè ex hac parte confessio dici non debet, nec potest sacramentalis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Obiectionum Solutio.

462 IN Oppositum arguit Faber *loc. cit.* probans confessionem publicè factam, siuè in casu necessitatis, siuè alia rationabili de causa, nullatenus sacramentalem esse; & Primò sic arguit, præceptum Confessionis intrinsecè includitur in institutione sacramenti pœnitentiæ; sed sola confessio secreta potest cadere sub huiusmodi præcepto, ergo sola confessio secreta est de institutione huius sacramenti, atque ideò ipsa sola sacramentalis; Maior patet ex institutione huius sacramenti, ex eo enim, quod Christus fecit Sacerdotes iudices peccatorum, & peccatum est occultum, tenentur ipsi peccatores sua peccata confiteri, & aperire Sacerdoti, à quo remissionem, & absolutionem obtineant; Minor probatur, quia præcepta legis positiuæ diuinæ non destruunt, nec tollunt præcepta legis naturæ, sed illa confirmant, & declarant; at confiteri peccata publicè est contrà legem naturæ, qua vnusquisque obligatur suam famam tueri, & contra charitatem ergà seipsum; ergo præceptum, quod ex vi institutionis huius sacramenti pœnitentiæ in ipsa includitur, non est de Confessione, vt absolutè fiat, sed vt secretè fiat, atque ità Confessio, quæ est sacramentum à Christo institutum, est confessio secreta, non publica. Confirmatur, quia certum est, non quamcunque confessionem pertinere ad hoc sacramentum, sed illam tantùm, ad quas homines obligantur ex institutione illius; omnes autem fatentur, & est de fide confessionem publicam non esse de essentia huius sacramenti, vt patet ex Trid. *sess.* 14. *cap.* 5. confessio autem, quæ includitur in institutione huius sacramenti, obligat omnes ad illam; ergo hæc confessio est ea tantùm, quæ est secreta, quia non datur medium inter confessionem publicam, & secretam.

463 Respondeo institutionem sacramenti pœnitentiæ posse considerari dupliciter, vel quantùm ad substantiam confessionis sacramentalis, vel quoad modum; & tunc ad maiorem cum eius probatione dico, præceptum confessionis intrinsecè includi in institutione sacramenti pœnitentiæ quoad modum considerata, non autem quoad substantiam; ad minorem verò cum eius probatione dicendum est, quod licet magna difficultas confitendi publicè causa fuerit, cur Christus talem confessionem publicam non præceperit; tamen sufficiens non fuit, quin Christus instituerit, quod si quis voluntariè illam faceret, esset valida, & sufficiens ad absolutionem sacramentalem recipiendam. Ad Confirmationem negatur maior, falsum enim est illam tantùm confessionem ad hoc sacramentum pertinere, ad quam homines obligantur ex illius institutione, nam ad illud pertinet quoque illa, quæ in eorum libertate relicta est ex eius institutione quoad substantiam considerata; & falsum etiam est confessionem, quæ includitur in institutione huius sacramenti quoad substantiam considerata obligare omnes ad illam, illa enim tantùm obligat, quæ in eius institutione includitur considerata quoad modum, quo regulariter fit, & vtitur Ecclesia, hæc enim tantùm cadit sub præcepto, vt patet ex superius dictis.

Secundò arguit, in Ecclesia est duplex forum, scilicet secretum, & publicum, siuè sacramentale, & contentiosum, ad primum spectant peccata secreta, ad secundum spectant peccata publica, vel secreta ad publicum deducta, & in hoc foro publico etiam Ecclesia facultatem habet dimittendi peccata, & puniendi, ita quod dimissa in hoc foro sunt quoque dimissa apud Deum, vt deducitur ex verbis Christi Math. 18. *si peccauerit in te frater tuus*, & sequitur tandem Dic Ecclesiæ, vbi dat auctoritatem Ecclesiæ, idest Prælatis iudicandi in casibus peccatorum publicis, & tandem subdit, *Amen dico vobis, quæcunque alligaueritis super terram, erunt ligata & in Cœlis, & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta in Cœlis.* Ex quo constat Deum approbare ligationem, & solutionem ab Ecclesia factam in foro publico, & dare auctoritatem Ecclesiæ excommunicandi, & ab excommunicatione absoluendi. Ex quo sic arguitur, peccata publicè confessa non amplius pertinent ad forum internum, & sacramentale, sed externum; ergo non pertinent ad hoc sacramentum, neque ad ministros Ecclesiæ, vt sunt Ministri huius sacramenti, sed vt sunt Prælati, & peccata omnia tam publica, quàm priuata solùm quatenus secretò confitentur, pertinent ad hoc forum; absolutio ergò publica peccati non est sacramentalis, sed est Ecclesiastica, seù fori publici, vt Episcopalis, & similium, quam doctrinam ait Faber esse Scoti 4. *dist.* 19. *art.* 5. 464

Respondeo gratis concedendo in Ecclesia duplex forum extare secretum, & publicum, seù internum, & externum, sed nec Scotus *loc. cit.* nec vllus Doctor, quem viderim, ait Ecclesiam in hoc foro publico auctoritatem habere dimittendi peccata, sed benè illa puniendi, & corrigendi per censuras, quando ad forum externum sunt deducta, censura enim est pœna spiritualis, & medicinalis priuans vsu aliquorum spiritualium bonorum imposita per Ecclesiæ potestatem, vt fidelis baptizatus à contumacia discedat; Et in hoc foro clauditur Ecclesia, inquit Doctor *loc. citat.* idest communio fidelium, & aperitur per absolutionem ab excommunicatione, seù reconciliationem; non ergò Ecclesia in foro externo, & publico auctoritatem habet absoluendi à peccatis, sed tantum à censuris, quæ per nonnulla enormia peccata incurruntur, peccata verò ipsa non nisi per sacramentalem absolutionem dimittuntur, etiam quando publicè sunt confessa; tunc enim Sacerdos ea dimittit verba absolutionis sacramentalis proferendo, non aliter, nec alio modo, & in virtute sacramenti pœnitentiæ, cuius materia sufficiens sunt peccata cum dolore Sacerdoti manifestata, siuè secretò, siuè publicè; vndè omninò negandum est peccata ad forum externum deducta non amplius hoc sacramento egere pro eorum absolutione, nam Ecclesia in hoc foro potestatem non habet dimittendi peccata etiam ad forma tale deducta quoad culpam, sed tantùm quoad pœnam, hoc est à censuris absoluendi per talia peccata incursis; quoad culpam verò dimittuntur per sacramentalem absolutionem, & à Ministris Ecclesiæ, vt sunt Ministri huius sacramenti; Et hoc totum expressè significat Doctor *loc. citat.* cum inquit, quod istæ claues Ecclesiæ in foro externo non sunt eædem cum clauibus fori interni, quia istæ separantur ab illis, vtpotè in habentibus iurisdictionem secundum ordinationem Ecclesiæ sine Sacerdotio, vt in Archidiacono, & quibusdam alijs habentibus iurisdictionem sine ordine sacer- 465

sacerdotali; & è conuerso, vt est in quibusdam, scilicet; communibus Sacerdotibus, quibus non est data hæc potestas excludendi ab Ecclesia, vel reconciliandi. Vndè si etiam si sermo sit de pœnitentia publica, vt fuit olim in vsu Ecclesiæ, absolutio quæ accedebat tali confessioni per expleta opera satisfactoria, quibus tales pœnitentes subijciebantur, post tempus præscriptum erat tandem ipsa reconciliatio per Sacramentum, & mox admissio ad communionem.

466 Tertiò arguit, nam qui tenent confessionem secretam non esse de essentia Sacramenti, hanc opinionem sequuntur, vt defendant confessionem factam per litteras Cõfessario absenti valere; at per Clementem VIII. anno Domini 1602. in Congregatione generali Sanctæ Romanæ, & vniuersalis Inquisitionis damnata fuit hæc opinio, vt falsa, temeria, & scandalosa, ergo &c. Ratio autem propter quem confessio per litteras non est Sacramentalis ex Scoto *loc. cit.* est, quia omnis scriptura ex sua natura est publica, quantuncumque enim aliquis conseruet secretum apud se scriptum; tamen ex quo mittit illud, vel per nuncium, vel per illum, ad quam mittitur potest publicari, & semper ex sui natura est patulum cuicunque legenti quodcunque in eo continetur; ergo de ratione essentiali Confessionis sacramentalis est, quod sit secreta.

Respondeo, si hoc argumentum valeret, sequeretur nunquam licere confessionem publicam non Sacramentalem, quod est contra ipsum Fabrum admittentem talem confessionem in quibusdam casibus esse licitam, & validam estò non Sacramentalem, & contrà Concilium expressè declarans, quod licet talis confessio publica non fuerit à Christo præcepta, non tamen fuit vetita, imò in quibusdam casibus esse licitam, & validam; Negatur itaque assumptum, vel maior, quod, scilicet, tenentes Confessionem secretam non esse de essentia huius sacramenti hanc opinionem sequantur, vt defendant confessionem factam per litteras Confessario absenti esse validam, nam plures, & plures hanc opinionem sunt amplexi, qui nunquam approbarunt Confessionem per epistolam esse validam; Ratio autem, cur à Clemente VIII. confessio per litteras abrogata fuerit, non est quia ex natura sua sit publica, & ratione publicitatis illicita; nam tunc confessio publica nunquam esset licita, & in nullo casu valida, quod est contrà Tridentinum *loc. c.* vbi non fuisse à Christo vetitam testatur si pœnitens eam voluntariè acceptet ex motiuis ab ipso enumeratis; vetuit ergo Pontifex confessionem per litteras ob periculum publicitatis, quæ contingere posset contrà voluntatem si confitentis, & vtique verum est confessionem publicam coactè factam, & contrà voluntatem pœnitentis esse in quocunque casu illicitam, & inualidam, & in hoc etiam sensu procedit ratio à Scoto assignata, cur confessio per litteras non sit valida, & sacramentalis; in proposito verò quando dicimus confessionem publicam in aliquo casu esse posse licitam, & sacramentale, non loquimur de Confessione publicata contà intentionem, & voluntatem pœnitentis, sicut contingere potest de confessione per litteras facta, sed loquimur in sensu Concilij de confessione publica voluntariè assumpta à pœnitente. Accedit etiam, quod Confessio per litteras non fuit à Clemente VIII. abrogata tantùm ratione periculi publicitatis, quæ contingere poterat contrà intentionem pœnitentis, sed etiam ratione absolutionis in absentia datæ, vt in superioribus dictum est, contingere namque poterat, quod pœnitens posteà absolutionem per scripturam reciperet à Confessario tunc temporis, quando de nouo lapsus est in peccatum mortale, & per talem lapsum factus est incapax absolutionis sacramentalis.

467 Quartò arguitur Faber, Sacerdos de iure diuino tenetur ad sigillum Confessionis, ità quod sibi prohibetur, ne peccata sibi detecta reuelet, & ad forum publibum deducat, quod fieret, si ipse confessionem reuelaret, vt inferius patebit ex Scoto *4. dist. 21. quæst. 1.* ergo esse secretum est de essentia huius sacramenti; Consequentia probatur, quia alioquin non esset contra rationem, & institutionem huius sacramenti peccata sibi confessa ad forum externum deducere, sed esset propter aliquam aliam legem, vel naturæ, vel Ecclesiæ, quod tamen est falsum. Conf. sigillum oritur ex confessione sacramentali iure diuino, sed non oritur ex cõfessione publica, ergo hæc non est sacramentalis.

Respondeo esse dissidium inter Doctores, an quando pœnitens coram alijs audientibus confiteatur, teneatur omnes ad sigillum, aliqui cum Suarez *disp. 33. sect. 5.* in vniuersum affirmant, & aliqui negant hos etiam obligari sigillo; Sed melius distinguendum est de duplici confessione publica, alia enim est per se talis, & de hac loquitur Tridentinum suprà, ex qua intenditur ædificatio aliorum, & Ecclesiæ; alia verò est publica per accidens, vt quando quis ex necessitate confessionis apud Sacerdotem ob defectum linguæ, vel aliud impedimentum ità confitetur Sacerdoti, vt licet intendat quantùm potest secretum, tamen per accidens ex impedimento præsenti peccata eius veniunt in notitiam alterius, vt Interpretis, vel aliorum, qui non longè distant; Itaque si pœnitens tali modo dublicè ex necessitate confiteatur, quantum est de se intendens soli sacerdoti sua manifestare peccata, sed quia adsunt alij, qui recedere nequeunt, vt in incendio, vel naufragio, & alijs similibus casibus in tempore pestis, ideò se ab alijs audiri permittit; tunc quidem omnes audientes eodem sigillo tenentur, nam planè res est similis in his casibus, sicut in Confessione per Interpretem, & de ijs, qui casu audiunt alterius Confessionem, qui vtique ad sigillum tenentur, sicut Confessarius ipse. Si autem confessio sit publica primo modo, quando scilicet, vult ex electione sua ad exercitium humilitatis, & aliorum ædificationis coram alijs confiteri, quo casu non solum ad Sacerdotem propriam dirigit locutionem per modum Confessionis, sed etiam ad adstantes per modum humiliationis, & piæ confusionis; tunc adstantes non ligantur sigillo, quia pœnitens ipse illis peccata sua manifestare intendit, quæ manifestatio terminos Confessionis sacramentalis egreditur, quæ ex natura sua ad solum Confessarium dirigitur; Et quia in tali casu Sacerdos peccata eius non solùm audit, tanquam Sacerdos, sed etiam tanquam vnus de astantibus, hac ratione participat illam eandem notitiam extrà confessionem, quæ proindè notitia sub sigillo non clauditur, quem dicendi modum sequuntur Coninchius *disp. 9. numer. 46.* Lugus *disp. 23. num. 39.* Auersa *quæst. 28. sec. 5. concl. 7.* & alij Recentiores; iuxtà quam doctrinam sigillum oritur, non tantùm ex confessione sacramentali secreta, sed etiam ex publica per accidens coram pluribus facta; hæc enim confessio magis ordinatur ad absolutionem, quàm prior, quæ per se non tantùm ad Confessarium dirigitur pro absolutione obtinenda, sed etiam ad alios ad exercitium humilitatis, & piæ confusionis; adhuc tamen illa quoque Sacramentalis esse non cessat, licet sigillum annexum non habeat, saltem in substantia, quia ad hoc sufficit, quod includat informationem Iudicis in substantia, & cum intentione recipiendi absolutionem, sed solùm cessat esse Sacramentalis etiam quoad modum, ad quem obligat præceptum, vt suprà dictum est; quarè argumentum hoc ex sigillo Confessionis deductum solùm conuincit confessionem publicam præsertim primi generis non esse sacramentalem quoad modum à Christo præceptum, non tamen probat, quin saltem sit Sacramentalis in substantia ea ratione, qua ad Confessarium dirigitur, licet non ea ratione, qua dirigitur ad alios, & fit publicè coram alijs, hoc enim est impertinens ad Sacramentum.

Quintò tandem alia quædam argumenta adducit Hiqueus *loc. cit.* quæ probare videntur ad confessionem sacramentalem requiri, quod fiat secretò quæ proindè Poncius quoque dissoluit *loc. cit.* Sed planè Hiqueus illis argumentis probare non intendit cõfessionem publicam nullatenus esse sacramentalem, vt Faber tueri nititur, sed tantùm non esse sacramentalem in rigore, & quoad modum, quo à Christo præcepta est, & regulariter in Ecclesia exercetur; alioquin ipse quoque substinet esse sacramentalem in substantia ea ratione, qua includit informationem Iudicis in substantia, & fit cum intentione recipiendi absolutionem à Sacerdote, vt patet ipsum legenti, & hæc est communior, & probabilior opinio, & magis in praxi, sicut præteritis annis magna pietatis laude auditum est, erumpentibus è Vesuuio monte ingentibus Flammis, & tota Ciuitate Neapolis crebris terræmotibus contremente, passim in vijs, & templis plurimos grauiora sua peccata coram quolibet obuio Sacerdote proclamasse absolutionem petendo, vt refert Auersa *quæst. 10. sec. 5. in fine*. Imò quidam asserunt contingere posse, vt pœnitens aliquando teneatur publicè confiteri, quando in atticulo mortis existens aduertit se non posse contritionis actum elicere de 468

grauibus peccatis, quorum alias nec directè, nec indirectè absolutionem obtinuit; tunc enim tenetur coram alijs confiteri, si confiteri nequeat in aliorum absentia, nam periculum animæ iacturæ famæ, & aliorum bonorum externorum longè præponderat, ità Canus, Reginaldus, Nugnus, & Vasquez apud Bonacinam *disp.5.q.5.sec.2.punc.2.n.23.* tunc enim hoc certiori remedio propriam salutem procurare tenetur: vt iam diximus de confessione per interpretem *quæst.præced.art.2.nu.452.* non quidem ex præcepto diuino positiuo, sed ex præcepto naturali charitatis ergà seipsum, conscius enim peccati mortalis, ac proindè certus de inimicitia Dei, & damnatione sui in euidenti mortis periculo tenetur & diuinam procurare amicitiam, & propriam salutem in tuto collocare, etiam cum iactura famæ, & omnium bonorum temporalium, diligendus est enim Deus super omnia, & nihil prodest homini, si vniuersum mundum lucretur, animæ verò suæ detrimentum patiatur, & quidem pœnitens tenetur id facere etiamsi contritionem habeat, sed dubiam, neque enim æterna salus, vel diuina amicitia huic dubio est committenda.

ARTICVLVS TERTIVS.

Aliæ quædam conditiones sacramentalis Confessionis examinantur.

469 PLures alias conditiones ad veram, & legitimam Confessionem requisitas Theologi præsertim Morales recensere solent, & assignare, quorũ eas tantùm hic examinare intendimus, quæ aliquam habent difficultatem, cæteræ namque apud Summistas passim explicatæ videri possunt.

Prima Difficultas est, An Confessio sacramentalis debeat necessariò esse vocalis itaut necessariò sit facienda voce humana, & propria pœnitentis, quando impotentia non impedit; nam in tali casu certum est, & exploratum apud omnes, quantum ad substantiam sacramenti attinet, satis esse quamcunque expressionem per quæcunque signa sensibilia, & ità seruatur in praxi, vt etiam mutis, qui nutibus, vel alijs signis peccata sua exprimunt, prout possunt, impendatur absolutio, & similiter moribundis, qui non potentes loqui signa contritionis, & confessionis exhibent, vt suprà dictum est *q 16. art. 2. num. 446.* est igitur difficultas, an excluso casu impotentiæ sit de necessitate, & obligatione præcepti confiteri per vocem. Communis Recentiorum sententia docet adesse quidem grauem obligationem, sed quæ rationabili causa excusari queat; nec quidem ex institutione huius sacramenti, vel ex vllo præcepto diuino, vel Ecclesiastico talem obligationem haberi; sed tamen ex vsu ipso, & stilo Fidelium in Confessionibus faciendis, & quia sacerdotes non permitterent aliter confiteri volentes, satis hanc obligationem fundari; qua supposita indè consequenter redderetur etiam irrita, & inualida confessio secus facta. Addunt tamen hanc obligationem non esse talem, ac tantam, quæ ex rationabili causa aliquam exceptionem, & excusationem non admittat; Et sufficiens ratio præsertim censetur ad excusandum à confessione vocali, etiam excluso casu impotentiæ, magna difficultas, vel nimia verecundia in exprimendis peccatis commissis, si puella v.g. præ nimio pudore non audeat sua peccata verbo proferre, sed facilius scripto legenda traderet, aut si infirmus gutture laborans, & cum difficultate loquens commodius scribere posset; cùm enim talis obligatio cõfessionis vocalis sit solùm ex consuetudine introducta, non est accipienda cum tanto rigore; ità Suarez, Vasquez, Becanus, Coninchius, Lugus, Lainan, Diana, Fagundez, Filliucius, Caspensis, Auersa, Stefanus à S. Gregorio, & alij Recentiores passim.

470 Probabilius tamen puto cum Fabro *disp.29.c.2.* Brancato *disp.10. art.4. & 5.* & alijs Scotistis adesse præceptum diuinum confessionis vocalis, nec erubescentiam excusare, sed solam impotentiam. Colligitur ex Scoto *4. d. 15. qu. 1. art.3.* in fine, & *d.17.qu.1.* in principio, & *art. 2.* per totum, vbi confessionem sacramentalem docet esse actum externum, & ex sua institutione vocalem, quando naturalis impotentia nõ impedit, vt accidit in mutis; quod si quis difficultatem habet loquendi, vt accidit in balbutientibus, potest verba nutibus adiuuare, vt sufficienter possit Confessarius pœnitentis conceptum intelligere; Et hoc apertè habetur *capit. quem pœnitet de Pœnitentia dist. 1.* illis verbis: *Præcepit enim Dominus mundandis, vt ostẽderent ora Sacerdotibus docens corporali præsentia confitenda peccata, non per nutum, nec per scriptum manifestanda, dixit enim ora monstrate, erubescẽtia enim victa timore offensi fit venia criminis.* Ex hoc ergo Canone habemus facere confessionem ore esse diuinum præceptum, nec erubescentiam excusare, hęc enim confessio ex natura sua habet pro materia actus pœnitentis, præsertim confessionem, quæ secundum vsum humanum fit voce humana, atque ideò ex intrinseca sua ratione confessionem modo humano requirit, si naturalis impotentia id non impedit.

Confirmatur ex Concilio Florentino in decreto post vltimam sessionem, vbi materiam sacramenti pœnitentiæ assignans dicit esse *oris confessionem*, non quia hæc sola, & vniuersaliter sit cõfessio sacramentalis, sed quia regulariter, & ordinariè vocaliter fieri debet, quando naturalis impotẽtia non obstat, præter quàm nulla rationabilis causa occurrere potest, quia quis coram Sacerdote omittere possit oris confessionem. Deniq; quod erubescentia sola non sit sufficiens ad excusandum ab huius præcepti obseruantia conuincitur ratione, quia maior erubescentia est alicui detegere secreta turpia, & propria peccata, quàm modo tali, vel tali detegere; sed hoc non obstante Deus confessionem instituit; ergo neque obstante erubescentia, quæ ex vocali causatur confessione, dicendum est Deum sic obligasse pœnitentes, quando vox suppetit; Consequentia de se patet, si enim Deus sacramentale confessionem instituendo nullum habuit respectum ad pudorem ex eo causandum, neque respectum habuisse censendus est ad verecundiam ex modo vocalis confessionis causandam; Et planè, vt benè discurrit Brancatus noster *loc. cit.* si hoc asseratur, facilè inuenietur maxima fidelium copia, & præcipuè puellarum, quæ hac dispensatione vti vellet, cùm enim notum non sit, cuius gradus, vel intensionis debeat esse pudor à tali præcepto excusans, facillimè eum sibi inesse existimabat, vndè breui tempore confessio vocalis non amplius esset in vsu.

Secunda Difficultas est, An confessio sit verè sacramentalis, & valida si fiat per scripturam præsenti Ministro; & 471
hic non loquitur de obligatione, & præcepto confitendi per scripturam, quando non potest voce, nam de hoc sufficienter dictum est *quæst.16.art.2.* sed sermo est de validitate confessionis sacramentalis, & sensus est, an confessio facta per scriptum, quod legatur à Sacerdote præsente, sit contrà Christi institutionem, atque ideò nulla, & inualida. Dicendum est confessionem per scriptum factam Sacerdoti præsenti esse validam, præsertim, quando vocaliter fieri nequit; ità Scotus *dist.17.cit. quæst.1. in fine*, & probatur, quia Christus confessionem instituendo aliud non voluit, nisi quod homo aliquod signum sensibile facere, quo sua peccata manifestaret submittendo se Sacerdoti, vndè dictum est suprà *q.16.art.2.n.448.* materiam huius sacramenti non esse vnam in specie, sicut est aqua in baptismo, sed esse vnam vnitate generica, quia est manifestatio peccatorum per aliquod signum sensibile, siuè hoc sit vox, siuè scriptum, siuè nutus: sed per scriptum hoc totum habetur, quia per hoc sua manifestat Sacerdoti delicta, & se illi submittit, ergo &c. tunc autem esset inualida confessio, quando Christus decreuisset solam vocalem confessionem esse signum sacramentale.

Confirmatur, quia si confessio per scriptum Ministro præsenti esset inualida, vel hoc esset, quia regulariter vocalis in Ecclesia est in vsu, & in *c. quem pœnitet dist.1.* dicitur confessionem non deberi scripto fieri; sed hoc non obstat, quia Ecclesia permittit, vt mutus, vel moribundus, aut alio simili morbo correptus per scriptum, vel per nutus confiteatur; & in cap. citato vult non fieri licitè, nisi adsit necessitas: cùm ergo ipsa nequeat materiam sacramentorum facere, signum est, dùm hac vtitur confessione, ipsam quoque sub Christi institutione contineri. Vel hoc esset, quia per ipsam tollitur pudor, & verecundia, quę est pœna à Christo intenta in confessione, at neque etiam id obstat, quia estò in absentia Ministri tolleretur, vel minueretur verecũdia; cùm tamen scriptum in præsentia illius legitur, minimè hæc tollitur, vel notabiliter minuitur, cùm quilibet pudeat de suis occultis, ac delictis, quæ alter in sua præsentia legit. Vel hoc esset, quia absolutio nequit validè, nisi per verba conferri; Et neque id obstat, nam de absolutione hoc

hoc constat ex Ecclesiæ doctrina,& traditione;de confessione verò constat oppositum. Vel tandem hoc esset, quia confessio per scriptum vetita est ab Ecclesia, vt inualida, & illicita;& neque hoc obstat,quia id intelligendum est de confessione per scripturam facta in absentia Sacerdotis, non in eius præsentia, ac etiam modo paulò post explicando.

472 Dices, vel Christus instituendo confessionem in signum sacramentale habuit in mente pro obiecto vocalem, & scriptam,vel non; si secundum, ergo nullus vnquam potest vti scripta; si primum, ergo indifferenter quilibet posset vti scripta,sicut vocali, cùm æqualiter à Christo; in signum Sacramentale sit deputata. Faber *loc. cit.* concedit confessionem aliquo modo fieri posse scripto, & nutibus etiam ab eo, qui potest loqui, & voce humana vti, si pœnitens nimirum ad locum Confessionis accedens, & exponens se velle confiteri, & habere peccata sua scripta in tali scriptura, quam ei legendam offert, & ipse humiliter absolutionem expectat, hanc, inquam, confessionem putat validam esse quia est accusatio sufficiens,& est actus personalis,siquidem adest præsens, & iam à principio significauit se illa peccata fecisse. Hoc tamen non consequenter dicitur ad ea, quæ cum ipso docuimus Difficultate præcedenti, nimirum confessionem vocalem esse ex diuino præcepto,quando non adsit naturalis impotentia loquendi,vel aliud consimile impedimentum, nec præter istam occurrere posse aliquam rationabilem causam, qua quis coram Sacerdote oris confessionem omittere possit,& vti scripto,vel alijs signis. Quarè magis consequenter ad dicta respondendum est, quod quando Christus confessionem instituit in signum Sacramentale,habuit pro obiecto talis institutionis aliquod signum sensibile, quo homo peccata sua Sacerdoti manifestaret,abstrahendo à voce,scripto,nutibus,& alijs signis ad humanos conceptos exprimendos idoneis, cum hoc discrimine tamen, vt vocalis confessio semper esset in vsu, & regularis modus confitendi, scripta verò,& per nutus in casibus duntaxat necessitatis,in quibus nimirum vox non suppetat, vndecunque hoc proueniat; ita etiam sentiunt Suarez *disp.21. sect.3. & Vasquez qu.91. art.3. dub.4.* Vndè non omninò approbo licet sua probabilitate non careat,quod docet Lugus *disp.15. sect.5. num.80.* sufficienter debito suo satisfacere pęnitentem etiam voce pollentem,qui data prius scriptura Sacerdoti,quam legat, in qua continentur peccata,post illam lectam subiungit per voces, *de his omnibus me accuso,* quia iam ore confitetur, quantum satis est, neque enim necessarium videtur,inquit, quod per voces intrà sacramentum explicet omninò peccatum. Hoc,inquam, omninò approbare non possum, quia nulli dubium est pœnitentem magis verecundari peccata sua per voces explicando,quàm per scriptum,vt enim fert commune adagium, *littera non erubescit*,cùm ergo verecundia sit pęna à Christo intenta in huius sacramenti institutione, hæc non est minuenda,si nulla adest necessitas,vt est in casu proposito.

473 Tertia Difficultas est, An confessio per scripturam in absentia Sacerdotis sit valida, & sacramentalis. Communis sententia negat,nedùm esse validam, & Sacramentalem, sed asserit etiam esse illicitam ex decreto Clementis VIII. Constitutione 87. per quam expressè prohibet confessionem factam per litteras Sacerdoti absenti, & declarat illicitam; ità Recentiores omnes post tale decretum à Sede Apostolica emanatum, ac etiam Scotistæ omnes idem affirmarunt etiam antè tale decretum, quia Scotus *4. dist. 17. q. vn.* circà finem expressè docet confessionem per scripturam absente Sacerdote non valere. Hæc tamen difficultas non ità absolutè decidi debet, sed iuxtà doctrinam superius assignatam *quæst. 12. art. 2. num. 367.* nempè adhuc tali Constitutione non obstante validum esse sacramentum, si pęnitens per litteras peccata sua Confessario mittat, & posteà in præsentia eiusdem dicat se de omnibus illis, quæ scripsit, accusare,& ab eodem Confessario absolutionem in præsentia obtineat, supponendo tamen, quod talem confessionem per Scripturam fecerit in casu alicuius necessitatis, nam extrà talem casum confessio nec valida,nec licita foret.Ità innuit Doctor *loc.cit.* dùm inquit cum Glossa validam esse confessionem per scripturam, dummodò posteà absolutionem obtineat in præsentia Sacerdotis, quod etiam tenent Valentia, Suarez, Henriquez,Nugnus,Amicus,Bonacina, & alij Recentiores vbi supra citati,quia in tali casu tàm absolutio, quàm confessio fieri censetur in præsentia pœnitentis, & Confessarij, siquidem pęnitens in tali casu cum dolore integrè se accusat de peccatis commissis iam per scripturam Confessario manifestatis; Quarè dicebamus *loc. cit.* propositionem Pontificis in allato decreto insertam, *non licere per litteras Confessario absenti peccata Sacramentaliter confiteri, & ab eodem absente absolutionem obtinere*, intelligendam esse coniunctiuè, vt nimirum non liceat per litteras simul confiteri, & absolui, non autem disiunctiuè quoad confessionem duntaxat. Ratio est, quia aliud est loqui de confessione, aliud verò de absolutione, hæc enim ad certa quædam verba limitata est, quæ requirit pęnitentis præsentiam, ac proindè non nisi proprio Sacerdotis verbo validè impendi potest,at confessio ex sui institutione ad certa verba non limitatur, quæ confitentis,& audientis præsentiam requirant, vndè fieri potest per nutus, per scriptum,& per Interpretem, quando vrget necessitatis causa; Congruentia verò huius institutionis fuit, quia multò plures causæ poterant pœnitentem impedire à vocali Confessione in præsentia Sacerdotis, quàm Sacerdotem à vocali absolutione in præsentia pœnitentis, vt *loc. cit.* declaratum est.

Sed Becanus *cap. 37. qu. 8.* hanc declarationem non admittit verborum Constitutionis allatæ quod debeat intelligi coniunctiuè, non autem disiunctiuè quoad Confessione duntaxat, quasi illud prius per se non sit damnatum à Pontifice, sed quatenus coniungitur cum posteriore, scilicet,absolutione, quæ absenti nullatenus conferri potest; & inquit tutius esse relinquere Pontifici suorum verborum declarationem. 474
Verùm *loc. cit.* ostendimus hanc interpretationem fuisse ab eodem Pontifice datam viuo vocis oraculo; cùm enim interrogatus esset, an moribundus, qui antè Sacerdotis aduentum signa contritionis ostendit, si deindè obmutuit, debeat ne à Sacerdote posteà præsente sacramentaliter absolui, respondit debere, nec talem casum suo decreto comprehendisse, & ità respondisse testantur Pontificem Cardinalis Bellarminus, & Archiepiscopus Armacanus anno 1608. die 16. Aprilis, quod & posteà confirmauit Rituale Romanum iussu Pauli V. editum pag. 47. affirmans posse, ac debere absolui,qui per alios desiderium confitendi ostendit; In his autem casibus confessio infirmi fit in absentia Sacerdotis, & perindè est, ac si infirmus peccata sua confessus esset per scriptum, vel nuncium; nam siuè nuncius desiderium infirmi referat in præsentia, vel absentia ipsius iam in phrenesim versi, nihil refert, semper enim confessio eius in his casibus censetur fieri in absentia Sacerdotis, cùm immediatè non fiat à pœnitente Sacerdoti præsenti, vt benè Amicus aduertit *disp. 11. sect. 4. n. 61.*

QVÆSTIO DECIMAOCTAVA.

De Integritate Confeßionis sacramentalis.

INter cęteras Confessionis conditiones iuxtà communem omnium sensum præcipua est eius integritas, & quæ maiorem alijs exposcit discussionem; in tribus autem consistit Confessionis integritas. Primò vt pœnitens confiteatur omnia peccata mortalia à se commissa, ità Trid *sess. 14. c. 5.* quod & anteà docuerat Scotus *4. d. 17. q. vn.* sub M. vbi ait pœnitentem teneri, & debere confiteri peccatum mortale, nam per veniale nullus periclitatur extrà Nauem Ecclesiæ, quia peccatum veniale stat cum perfecta charitate, quæ est nauis saluans, & ideò ex prima institutione pœnitentiæ, vt secundæ tabulæ, non oportet aliquem ad ipsam confugere pro remedio contrà peccatum veniale, sed tantùm contrà mortale; Imò inferius postquam docuerat peccata venialia esse materiam sufficientem, licet non necessariam huius sacramenti, ideoque hominem posse venialia confiteri, & hanc Confessionem esse verum pęnitentiæ sacramentum, mouens posteà dubium sub R. an obligatus confiteri semel in anno, si vrgente Ecclesiæ præcepto, non habeat, nisi venialia tantùm, teneatur ad confessionem illorum pro obseruantia præcepti, respondet non teneri dicens, quantum capio ex statutis Ecclesiæ generalibus, nullus tenetur ad confessionem venialium in quocunque casu, neque in hoc Ecclesia specificauit præceptum de confessione; & obijciens sibi, quomodo in eo anno poterit Pastor ouis suæ vultum cognoscere, respondet tunc 475

sufficere, si suo Sacerdoti dicat, Domine regratior Deo, quia ex quo fui vltimò confessus, non habeo conscientiam de peccato mortali, date mihi Eucharistiam; Et hoc etiam docuit Trident. *loc.cit.* dùm inquit, mortalia deferenda esse ad Sacerdotes Iudices, & Christi Vicarios; venialia verò quamquam vtiliter deferantur, posse sine culpa taceri, & alijs modis remitti, vt suprà declaratum est *q.12. art.1.* agendo de huius sacramenti materia. Omnia itaque mortalia pœnitens confiteri tenetur à se commissa, etiamsi aliqua peccata mortalia inueniantur anteà remissa, non tamen confessa, vtpotè remissa per actum perfectè contritionis, aut per aliam confessionem indirectè, in qua ex obliuione inculpabili omissa fuerunt, & ratio est, quia illa remissa non fuerunt virtute contritionis, vel præcedentis confessionis indirectè, nisi in voto confessionis de illis faciendæ.

476 Secundò ad integritatem Confessionis requiritur, vt omnia mortalia confiteatur, tam quoad speciem, quam quoad numerum eorum in eadem specie, necesse autem est confiteri species omnes peccatorum morales, non verò physicas, quando moralem non mutant, videlicet quod occisio facta sit gladio, vel veneno; & ratio est, quia non cognita specie peccatorum, non potest à Iudice huius fori causæ grauitas dignosci, nec debita pœnitentia pro grauitate peccatorum imponi; Nec obstat, quod rudes, & idiotæ ignorent specierum peccati diuersitatem, quia in tali casu satisfacient, si factum narrent. Numerus etiam peccatorum est necessariò in confessione exprimendus dicendo, toties fornicatus sum, furatus, vel mentitus, quod si certus numerus non occurrat, debet exprimere verisimilem dicendo se decies, vel centies, aut circiter mentitum esse; Habetur autem hoc in Concil. Flor. *sess.vlt.* de hoc sacramento, & in Tridentino *loc.cit.sess.14 cap.5.& can.7.* dùm dicunt necessarium esse confiteri omnia, & singula peccata mortalia, nempè de iure ipso diuino, qui loquendi modus planè denotat, non solùm varias species, sed & cuncta peccata sub qualibet specie; Qui ergò determinatè recordatur de numero suorum peccatorum debet absolutè dicere, toties mentitus, vel fornicatus sum, & sic de singulis peccatis mortalibus; Qui verò non determinatè, & præcisè de certo numero suorum mortalium peccatorum recordatur, debet dicere circiter, siuè inter plus, & minus, quia plerumque præsertim in longioris temporis confessione, impossibile est exactè numerum peccatorum exprimere, & ad impossibile nemo tenetur; quarè satisfaciet dicendo quantùm post moralem diligentiam in memoriam recurrat. Quod si neque hoc modo aliquid verisimile dicere confidit ob memoriæ labilitatem, vel peccandi frequentiam, aut temporis longitudinem, vt contingit de meretrice multorum annorum spatio vitam fornicariam agente, vel viro pluribus annis concubinam habentes, & similibus; debebit saltem dicere tempus, quo in tali statu permansit, quantùm sibi videatur, exprimendo consuetudinem, & frequentiam peccandi, vt toties in die, vel in hebdomada, vel in mense; Et in confessione meretricis vltrà tempus, vel biennium, aut decennium meretricij, & frequentiam, vt toties in die, hebdomada, vel mense, debet exprimi certarum specierum numerus, vt si peccauit cum viris coniugatis, cum Religiosis, vel ordinatis in sacris, si peccato contrà naturam, hæc enim peccata distinctam habent speciei malitiam, & facilius numerari possunt, quia non solent esse ità frequentia; Et hæc est communior Theologorum sententia in explicatione peccatorum facienda in confessione quoad numerum, & species eorum, qui etiam dicunt confitenda esse peccata dubia, quia in dubijs tutior pars est tenenda, vt videri potest apud Aretinum *d.17.q.vn.art.11.*

477 Tertiò tandem pœnitens explicare debet, non tantùm omnia peccata mortalia modo iam dicto, sed etiam omnes circumstantias speciem peccati mutantes; ità Concil. Trid. *loc. cit.* vbi notandum, quod circumstantia peccati est conditio non pertinens ad substantiam actus, sed aliquo modo ipsum attingens, & circumstans, vt dictum est *lib.2. disp.6.* de peccatis, quæ dùm transit in obiectum, cessat esset circumstantia, & constituit speciem actus, & solùm dicitur circumstantia respectu alterius speciei, quàm in eodem actu præsupponit, vt quando quis in loco sacro furatur, locus sacer respectu furti est quidem circumstantia, quia illud præsupponit in actu per ablationem rei alienæ, at respectu sacrilegij non est circumstantia, sed obiectum, quia illud primò constituit; Septem verò circumstantiæ numerari solent. *Quis, Quid, Vbi, quibus auxilijs, cur, quomodo, quando*; Harum autem quædam mutant speciem peccati, vel de veniali in mortale, vel de vna specie in aliam, vt furari in loco sacro, fornicari cum coniugata, consanguinea, moniali, tunc enim fornicatio mutatur in adulterium, vel incestum, vel sacrilegium, & hæ debent necessariò confiteri ex Concil. cit. Quædam verò non mutant speciem, sed tamen aggrauant, aut minuunt peccatum intrà eandem speciem, vt sunt quantitas, conatus, intensio, malitia, ignorantia, passio, &c. grauius siquidem peccatum est intrà eandem speciem, quod fit maiori conatu, quam quod minori, item quod ex malitia, quàm ex ignorantia, vel passione, & grauius demum est furtum mille aureorum notabiliter furto decem, vel vnius aurei, & de his circumstantijs notabiliter aggrauantibus intrà eandem speciem est controuersia inter Doctores, an sit necessariò confitendæ, vt posteà dicemus. Quædam tandem circumstantiæ nec speciem mutant, nec notabiliter aggrauant, vt si inimicum occidisti ferro, vel ligno, & tales certum est apud omnes non esse necessariò confitendas, sed tantùm speciem mutantes, vel etiam notabiliter aggrauantes intrà eandem speciem iuxtà multorum opinionem.

Ad hanc autem confessionis integritatem assequendam certum est præsupponi debere diligens conscientiæ examen, 478
quia eo ipso, quod confessio integra omnium mortalium est sub præcepto, sub eodem quoque præcepto cadit discussio, & examen ad confessionem, quæ absque prædicto examine integrè fieri nequit moraliter loquendo, & ideò Tridentinum *loc.cit.* inquit, *oportere à pœnitentibus omnia peccata mortalia, quorum post diligentem discussionem conscientiam habent, in confessione recenseri.* Et quamuis non possit assignari certa aliqua regula ad dignoscendum, quando examen sit sufficiens, Scotus noster, quem posteà Recentiores omnes sunt secuti, ad tollendos scrupulos *dist.17. q.1. art.2.* inquit necessarium esse præmittere diligentem inquisitionem secundum possibilitatem fragilitatis humanæ, quod ità declarat, vt homo adhibere debeat tantam diligentiam in suæ conscientiæ examine, quantam adhiberet circa aliquod arduum negotium, quod sibi multum esset cordi, vt si vellet vxorem ducere, vel Principem alloqui in causa amissionis magnæ partis bonorum; talis inquam, ac tanta diligentia sufficit, etiamsi alioquin præsumi posset, quod per exquisitam diligentiam, & ista maiorem plura adhuc peccata in mentem venirent; Vndè nec sufficit nimis leuis, quæ apta non sit peccata in memoriam reuocare, nec nimis exquisita requiritur, qualis maxima sollicitudine adhiberi posset; sed ad tollendos scrupulos conueniens, & mediocris diligentia adhiberi debet, quanta prudentis viri arbitrio sufficiens videatur, & vt inquit Doctor, quanta in rebus grauibus à viris cordatis adhiberi solet; & hæc pro vario personarum statu, & pro quantitate temporis ab alia confessione lapsi inæqualis esse debet, & maior requiritur in vno, quàm in alio, vbi certa regula, & mensura taxari non potest, nisi prout in singulis prudentia ipsa dictauerit; non enim rudiores ad tam exactum examen sunt obligandi, sed Confessarij industria adiuuari debent, ita tamen vt aliquam saltem diligentiam iuxtà suam capacitatem præmiserint; & hæc Scoti doctrina passim à Summistis recipitur, & approbatur; Verùm quia in hac materia de integritate confessionis aliquæ occurrunt Difficultates, in quarum solutione Theologi non conueniunt, eas separatim, & per sequentes articulos discutiemus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An ad integritatem Confessionis circumstantiæ notabiliter aggrauantes sint necessario explicandæ.

CIrcumstantias, quæ in actibus humanas additæ eos trasferunt in aliam speciem moralem ab ea, quam ex se habent, aperiendas in confessione, tanquam indubitatum statuimus ex Tridentino citato, quod etiam anteà Scotus docuerat *dist.17. cit. q.vn. art.2.* N. dùm inquit eas circumstantias notabiliter aggrauantes esse necessariò confitendas, quæ speciali prohibitione prohibentur, v. g. alienum accipere est illicitum, sed speciali prohibitione prohibetur accipi de loco sacro, & ideò speciale peccatum, scilicet, sacrilegij per hanc circumstantiam constituitur. Regula autem ad distinguenda circumstantias, quæ speciem mutant, 479

mutant, vel solùm intrà eandem speciem aggrauant, hæc est, si illa circumstantia faciat, vt actus pertineat ad aliud vitium, & sic contrà aliam virtutem, mutat speciem; si verò non faciat, vt sit contrà aliam virtutem, siuè ad aliud vitium pertineat, non mutat, sed aggrauat intrà eandem speciem. Restat ergo quæstio, & quidem celebris discutienda de circumstantijs, quæ aggrauant notabiliter quidem secundum prudentum æstimationem, sed non transferunt actum ad aliam speciem. Dixi autem notabiliter aggrauantes, quia certum est apud omnes circumstantias parum aggrauantes non esse necessariò explicandas, vt patet ex praxi pœnitentium, & Confessariorum, neque enim illi eas memorant, neque ab ijs illæ exquiruntur; Certum est etiam apud omnes ex alia parte circumstantias aggrauantes in infinitum idest, quæ peccatum ex veniali faciunt mortale, esse explicandas, licet enim huiusmodi actus remaneat in eadem specie, quæ ex obiecto petitur; in ratione tamen propria peccati, & offensæ diuinæ diuersitatem acquirit etiam plusquam specificam; surripuisti, v.g. sutori pauperi acum, quo victum sibi, ac familiæ parabat, teneris hanc confiteri circumstantiam, quæ furtum tuum alioquin veniale ex genere suo facit mortale; Ob eandem rationem circumstantiæ minuentes in infinitum, hoc est, de mortali facientes veniale, sunt aperiendæ; Admisisti v.gr. cogitationem de fornicatione, sed absque plena deliberatione, teneris explicare deliberationem imperfectam, quæ à mortali excusat; Quæstio igitur est de circumstantijs in eadem specie, & intra eundem gradum peccati mortalis, & quidem notabiliter, seù multum aggrauantibus.

480 In hac quæstione duæ sunt sententiæ extremæ. Prima affirmat huiusmodi circumstantias esse necessariò confitendas, ità Alensis, Altisiodorensis, Maior, Marsilius, Suarez, Coninchius, Nugnus, Sanchez, Fagundez, Henriquez, Amicus, & alij Recentiores, & ex nostris Hiqueus, Faber, Aretinus, & alij, quorum aliqui hanc sententiam vocant communem, aliqui certam; Secunda sententia negat, ità D. Thomas, D. Bonauentura, Albertus Magnus, Durandus, ex Recentioribus verò Vasquez, Valentia, Lugus, Becanus, Pesantius, Reginaldus, Diana, Bonacina, Caspensis, Auersa, & ex nostris Poncius, Hiribarnes, & Brancatus, in hoc autem diuisi sunt Scotistæ, quia Scotus noster *d.17. cit.* sub N. docet dari etiam circumstantias quasdam non mutantes speciem, de quibus inquit non est ità certum, quod eas oporteat confiteri, licet tutius, & vtilius fateatur eas confiteri, quod nemo negat. Vtraque sententia probabilis est, & in praxi tuta, tùm ob insignium Doctorum auctoritatem, tùm ob rationum momenta; nihilominus quia Doctor nobis libertatem reliquit hanc, vel illam tuendi, & quia secunda etiam speculatiuè fortioribus videtur niti fundamentis; ideò cùm ea asserendum arbitror circumstantias etiam notabiliter peccatum aggrauantes intrà eandem speciem non esse per se loquendo ex obligatione explicandas ad confessionis integritatem seruandam; Dixi *per se loquendo*, quia per accidens interdum potest esse obligatio eas manifestandi, nempè si propter talem circumstantiam peccatum habeat restitutionem, vel censuram annexam, in quo casu iam obligatio aliundè oritur, non autem ex hoc capite præcisè, quia circumstantia est notabiliter aggrauans.

481 Primò autem probatur satis euidenti, ac efficaci ratione, quia non est imponenda obligatio, & quidem tam onerosa, qualis ista, nisi constet de lege, siuè præcepto eam imponente; sed de hoc non constat, ergo &c. maior est certa non enim lex obligat, nisi promulgata, imò in dubio legis latæ lex non obligat, est enim facienda interpretatio contrà eum, qui ius clarum dicere potuit, sed non dixit; Minor probatur, quia neque ex Scriptura, neque ex sensu Ecclesiæ, cuius est ius diuinum interpretari, colligitur huiusmodi præceptum; & quidem Concil. Trident. *loc. cit.* vbi exactè huius sacramenti institutionem declarat, & explicat, quæ ad obligationem confessionis pertinent, non meminit harum circumstantiarum, sed obligationem limitat, & restringit ad numerum peccatorum, & circumstantias speciem mutantes; atque adeò tacitè excludit eas circumstantias, quæ non mutant speciem, quales sunt aggrauantes; in doctrinalibus autem, siuè dogmaticis limitatio doctrinæ, & restrictio ad vnam partem excludit aliam; sic in sacramento Eucharistiæ, cùm eius materia determinatur panis triticeus, eo ipso excluditur quicunque panis ex alio grano confectus.

482 Respondent Aduersarij Concilium definire ea tantùm, quæ certa sunt, vt moris est, reliqua verò sub inquisitione Doctorum reliquisse, quibus præiudicare Concilia non solent, atque ideò hac ratione Concilium ab hac disputatione abstinuit eius decisionem Theologis relinquens. Sed hoc subterfugium per allatam doctrinam omninò præcluditur; expressè enim Concilium inquit, nihil aliud in Ecclesia à pœnitentibus exigi, quàm vt post diligens conscientiæ examen ea peccata confiteantur, quæ in memoriam veniunt quoad species, & circumstantias speciem mutantes, at in doctrinalibus, vbi præscribuntur ea, quæ necessaria sunt, ea quæ pretermittuntur, tacitè dici videtur non esse necessaria; cùm igitur Concilium agens de circumstantijs dicat esse præceptum confitendi illas, quæ speciem mutant, & de aggrauantibus taceat, vtique virtute negat tale præceptum ad eas extendi, cùm enim dicat; *Nihil aliud à pœnitentibus in Ecclesia exigitur*, ergo nil aliud est sub præcepto, nisi quod ibi ponitur.

Confirmatur, quia si esset necessaria confessio etiam quoad huiusmodi circumstantias, sicut sonantibus verbis declarauit non sufficere confessionem in generali dicendo *peccaui*, sed omnia peccata confitenda esse secundum speciem, & numerum post diligens conscientiæ examen menti occurrentia, & eorum circumstantias speciem mutantes; ità pariter dixisset de aggrauantibus intrà eandem speciem; cùm ergò ad solas circumstantias speciem mutantes se restringat, & dicat aliud ab Ecclesia non exigi, sequitur euidenter illarum confessionem sub præcepto non cadere. Per quam doctrinam etiam aliorum responsio reijcitur, qui dicunt argumentum adductum ab auctoritate negatiua desumi, quod dicitur non valere; Cùm enim Concilium ibi describat, & diligenter enumeret, quæ ad necessitatem, & obligationem confessionis spectant, argumentum indè desumptum non tantùm censeri debet ab auctoritate negatiua, sed etiam positiua, quia in doctrinalibus, vt dictum est, quando ea recensetur, quæ necessaria sunt, si alia prætermittantur, eo ipso declarantur non esse necessaria. 483

Pretereà probatur nostra assertio, quia hoc sacramentum institutum est ad peccatorum remissionem; ergo ex vi institutionis illius omne illud, & solum est confitendum, & in confessione explicandum, quod habet rationem peccati, sed ratio peccati non importat, nisi speciem, & numerum; ergo hæc sola sunt explicanda; Maior est certa, probatur minor, quia etiam cætera omnia sufficienter explicantur quoad essentiam, si afferatur species, in qua habetur genus, & differentia, quoad quantitatem verò, si afferatur numerus, si enim alia adnectantur, sunt extrà essentiam, & non mutant numerum, vel indiuiduationem, licet aliquo modo ad illam spectent.

Confirmatur; quia circumstantiæ non mutantes speciem non faciunt nouum peccatum, etiamsi illud intrà eandem speciem notabiliter aggrauent, ob id enim non ponunt malitiam nouam nec specificè, nec numericè; ergo non sunt necessario confitendæ; Consequentia patet, ideò enim aliquis actus est confitendus, quia habet malitiam peccati, & ideò duo actus sunt confitendi, quia sunt duo peccata, vniuersaliter enim loquendo, quoties malitia multiplicatur, confitenda sunt peccata multiplicata, & si non multiplicatur malitia specificè, vel numericè, etiam si augeatur intrà eandem speciem, & numerum, non est noua malitia confitenda. Alias rationes adducit Lugus *disp. 16. sect. 3.* quibus etiam communiter alij Auctores vtuntur ab inconuenienti deductas, vt v.g. quod si esset necessitas confitendi circumstantias aggrauantes in eadem specie, esset etiam necessitas confitendi alleuiantes quantitatem detractionis, intensionem, ac durationem peccati; sed quia alij concedunt sequelam, & negant esse inconueniens; alij concedunt esse inconueniens, & negant sequelam; has rationes missas facimus, vt minoris momenti, sufficienter enim manet probata conclusio per adductas.

In oppositum Primò obijciunt, quod Tridentinum *loc. cit.* eam postulat Confessionis integritatem, qua Confessarius probè nouerit causam, vt quas iniungat pœnitentias; sed sine circumstantijs aggrauantibus talis causæ, & facti cognitio haberi non potest; ergo hæ quoque sunt explicandæ. 484

Confirmatur, quia hoc etiam antè Concil. Trid. traditum fuerat *cap. Consideret* de penitentia *dist. 5.* vbi plures numerantur circumstantiæ in Confessione explicandæ solùm aggrauantes. Tandem Concil. Vormacense Can. 25. statui

pœnitentibus secundum differentiam peccatorum pęnitentiam esse decernendam.

Respondeo, si argumentum valeret, probaret etiam circumstantias non notabiliter aggrauantes esse necessariò confitendas, quod nec ipsi Aduersarij concedunt, imò etiam notabiliter alleuiantes; sicut enim dicunt aggrauantes esse necessariò confitendas, vt Confessarius probè causam noscat, & æquam iniungat pęnitentiam, & ne illa grauitas Confessarium lateat, ità planè ob eandem rationem notabiliter minuentes explicari debebunt, ne plus concipiat Confessarius, quam quod factum est; quod licet aliqui ex Aduersarijs concedant, est tamen omninò falsum, & contrà communem vsum fidelium, quia hoc sacramentum non est ad se excusandum, sed ad se accusandum, manifestatio autem talium circumstantiarum notabiliter minuentium videtur non accusatio, sed excusatio, quam potest cum laude, & merito omittere pęnitens; Itaque ad argumentum neganda est minor, & dicendum est sufficere illud Sacerdotis iudicium, in quo species peccatorum, & eorum numerum, & circumstantiam speciem mutantes cognoscat; & ad condignitatem pęnitentiæ, & culpę sufficere, quod pęnitentia respondeat dignitati culpæ secundum suam naturam specificam spectatę; Neque Ecclesia voluit obligare ad exactius iudicium, quo cognoscantur circunstantiæ aggrauantes, impossibile est enim moraliter loquendo omnes tales circumstantias cognoscere, & explicare; neque opus est pęnitentiam respondere perfectissimæ condignitati culpę secundum omnes circumstantias aggrauantes, non enim cum tanto rigore hoc sacramentum est institutum.

Ad Confirmationem communis est solutio, quod multa antiquitus in primitiua Ecclesia seruabantur ex fauore, & consilio, ad quod non tenebantur ex præcepto, vt patet ex pęnitentia, quæ his imponebatur, qui die dominico vxorem cognouissent. Ad vltimum, Concilium illud potius nobis fauet, nam illa verba satis innuunt de circumstantijs, speciem mutantibus locutum fuisse, non de alijs.

485 Secundò arguunt, quia de facto sunt aliqua peccata, quæ non differunt specie, sed solum secundum magis, & minus intrà eandem speciem, ac proindè non nisi secundum circumstantias aggrauantes, vel minuentes, quę tamen ex obligatione sunt explicanda, ergo &c. probatur antecedens, primò in gradibus consanguinitatis, vel affinitatis, quatenus sunt circumstantiæ incestus, copula enim cum Matre, vel cum Sorore, vel affine non differt specie, & tamen debet explicari, non nisi quia est circumstantia aggrauans; Deindè qui vnico actu plures occidit homines, vel plures concupiscit fęminas debet explicare hanc circumstantiam pluralitatis, non nisi quia aggrauat. Tandem qui infamat alium falsum dicendo, aut defectum verum, sed occultum publicando, id tenetur declarare, & tamen in ratione iniustitiæ, & peccati mortalis illa tantùm differunt in grauitate intrà eandem speciem; Item frangere ieiunium comedendo carnes eiusdem speciei est cum illo peccato, quod committitur comedendo sæpè eodem die ex piscibus, & tamen sine dubio illa circumstantia de carnium comestione est explicanda, ergo &c.

Respondetur negando antecedens; Ad primam probationem negatur assumptum, probabilior enim est opinio asserens diuersitatem graduum cognationis variare species incestus, & sub eodem genere incestus plures esse species, diuersis enim præceptis, ac prohibitionibus subiacent, vt suo loco dicetur. Ad secundam probationem concedo explicandam esse illam pluralitatem obiectorum, non quidem vt circumstantiam aggrauantem præcisè, sed vt numerum peccatorum, nam de numero peccatorum explicando extat præceptum, non verò de grauitate accidentali, & id, quod formaliter ad confessionem spectat est ipsa malitia homicidij, quæ multiplex est, quamuis in vno actu materiali, qui autem diceret, homicidium commisi, fornicationem desideraui, talem pluralitatem, & numerum peccatorum non explicare, communiter enim ex illo loquendi modo concipimus homicidium vnius tantùm, & fornicationem cum vna tantùm: itaq; circumstantia de numero peccatorum est necessariò confitenda, quia non tam est circumstantia peccati, quam eius multiplicatio, vt notat Nauarrus in Summa *c. 1. n. 2.* vndè frustrà ex hoc capite Aduersarij probare contendunt circumstantiam intrà eandem speciem notabiliter aggrauantem esse in confessione explicandam. Ad tertiam probationem dicendum, prædicta peccato, tanquam diuersa, vel specie, vel saltem numero esse necessariò exprimenda in confessione, non verò quia constituant circumstantias solùm aggrauantes, sunt, inquam, peccata diuersa, quia contrà distincta præcepta, vt enim Diana notat cum alijs Summistis præceptum abstinendi à carnibus, & ieiunandi sunt distincta, & quamuis præceptum de abstinentia carnium includatur in pręcepto ieiunij, pręceptum tamen de non edendis carnibus non includit præceptum ieiunij, nam pueri antè annum 21. non tenentur ad ieiunium, tenentur tamen à carnibus abstinere.

Tertiò arguunt, quia si pęnitens has tacet circumstantias, & peccatum suum tantam habere grauitatem, dimidiat confessionem illius, nec illud integrè confitetur, nam cùm duplex sit modus peccandi, vnus ordinarius, & communis, alter extraordinarius, & cum peculiari deformitate in illo genere; quando pęnitens simplici modo confitetur peccatum suum, Confessor nec potest, nec debet intelligere eum aliter peccasse, quam ordinario modo, alias faceret ei iniuriam, si temerè iudicaret, aut suspicaretur extraordinariam peccati grauitatem; ergo qui has circumstantias tacet, illas à iudicio, & notitia Confessoris excludit. 486

Confirmatur, quia potest peccatum aliquod esse ità intensum in genere aliquo, vt æquiualeat duobus illius generis, ergo saltem illa circumstantia est manifestanda, probatur assumptum, non minus peccat, qui per horam continuat voluntatem homicidij, & furti, quàm ille qui ter, vel quater peccaret intrà eandem horam; sed hic teneretur pandere numerum peccatorum, ergò & ille alter continuationem illius horæ in eadem culpa. Tandem ille, qui vnico actu mille aureos furaretur æquè grauiter læderet iustitiam, & proximum, ac ille qui decem vicibus centum deprædaretur, sed hic propalare tenetur, quod decem commiserit furta, ergo &c.

Respondeo negando assumptum, quia pęnitens non tenetur fateri circumstantias aggrauantes ad hoc, vt confessio sit integra, nisi aliquando per accidens, vt suprà dictum est, ratione reseruationis, vel excommunicationis annexæ, ob obligationem restituendi tenebitur quantitatem furti explicare. Ad Confirmationem potest concedi assumptum in genere physico, non tamen in genere moris, quia licet quoad gradus, & partes æqualia essent, non tamen ità res se habet in foro pęnitentiali, in quo non attenditur intensio, vel duratio actus peccati, sed species, & materia, seù obiectum hac, vel illa prohibitione vetitum, ac etiam numerus, & multiplicatio peccatorum, nam de numero peccatorum exprimendo extat pręceptum, non verò de grauitate accidentali; Et quidem est instantiam manifesta, nam etiam peccatum vnius horæ, imò & vnius quadrantis æquiualet pluribus, hæc enim quoque duratio est diuisibilis in plures partes, in quorum singulis potest morosè, v. gr. delectari mortaliter. Ad vltimum patet per idem, nam qui decem furta commisit diuersis vicibus tenetur illa distinctè manifestare ob vrgens præceptum de explicando numero peccatorum; qui verò vnico actu mille furatus, est per se, & ex vi integritatis confessionis solùm tenetur explicare furatum esse quantitatem notabilem, quę sufficit ad mortale, per accidens tamen tenetur etiam ad totam quantitatem explicandam ob præceptum de restitutione facienda, in quo casu iam obligatio aliundè oritur, non autem ex eo capite præcisè, quod quantitas sit circumstantia notabiliter aggrauans. 487

Quartò tandem arguunt ex absurdis, nam ex nostra sententia sequeretur non posse ab Ecclesia imponi reseruationem, vel censuram peccatis aliquibus ratione circumstantiæ aggrauantis, & in tali casu non esse necessarium reseruationem, & censuram huiusmodi circumstantijs annexam aperire, qui censura per nos oritur ex circumstantia in tali casu, cuius confessio non est necessaria; Sed hoc est falsum, quia Ecclesia interdum reseruat peccatum alicuius speciei habens circumstantiam aggrauantem, & non sine illa, quam in tali casu necesse est confiteri ob talem reseruationem, quicquid enim reseruatione, vel censura est affectum, est per omnes necessariò confitendum. Cùm igitur Ecclesia non reseruet, nisi ea quæ sunt de necessitate confessionis, ergo talis circumstantia aggrauans, etiam vt præscindit à reseruatione, propalanda est, & per consequens idem iudicium de alijs ferendum est. Deindè sequeretur posse pœnitentem citrà culpam in confessione mentiri, vel occultare maiorem grauitatem, vt si dicat furtus sum quinquaginta aureos, cùm centum furatus fuerit, non 488

enim

enim est circumstantia necessariò confitenda; vel certè pœnitens posset eludere Confessarium de huiusmodi circumstantijs interrogantem, quæ non tenetur exprimere. Demum sequeretur neque actum externum peccati esse necessariò explicandum, malitia enim formalis peccati in actu interno voluntatis consistit, cui actui externa executio nouam malitiam non addit.

489 Respondeo negando consequentiam, & ad eius probationem negatur Ecclesiam non reseruare, nisi ea quæ sunt de necessitate confessionis, quia sub censura prohibere etiam potest actus indifferentes, vt nutrire comam Clerico, habitare cum muliere in eadem domo, & similia, quæ de se mala non sunt, nec necessariò confitenda; non igitur ex accessu censuræ ad circumstantiali speciem non mutantes benè concluditur necessitas confessionis earundem per se, sed tantùm per accidens ratione, scilicet, reseruationis, vel censuræ annexæ, & in tali casu circumstantia, super quàm cadit censura, non tantùm est aggrauans intrà eandem speciem, sed est speciali prohibitione prohibita.

Ad secundum negatur etiam consequentia, quia furatus centum aureos tenetur totum numerum confiteri, non quidem per se, sed per accidens ob obligationem, scilicet, restitutionis annexam, à qua etiam præscindendo nunquam licet pœnitentem mentiri, vel maiorem occultare quantitatem in his circumstantijs circà culpam, non quia has circumstantias taceat, sed quia non confitetur peccatum, quod fecit, sed aliud, quod non fecit, vel certè non explicat totum peccatū, quod fecit, sed partem tantum, quod est aliud peccatum, non quidem specie, sed numero diuersum; quamuis enim non teneatur per se loquendo, & præscindendo ab obligatione restitutionis indiuiduare peccatum commissum, & determinare quantitatem secundum omnes partes, tenetur tamen saltem non supponere vnum pro alio, & non subtrahere omnem partem, sed omnes aliquo modo saltem indefinito comprehendere dicens, verb. grat. furatus sum in quantitate notabili, quod etiam procedit, licet pars omissa non sit notabiliter aggrauans, proindè qui furatus est centum aureos, non satisfacit, si dicat, furatus sum nonagintaquinque, qui concupiuit fœminam per horam non satisfacit, si dicat, concupiui per tres quadrantes; qui occidit gladio inimicum, non satisfacit, si dicat, vulneraui, sic enim hi non confitentur peccatum suum, sed aliud, vel certè non totum, sed partem solum confitentur. An verò pœnitens teneatur has circumstantias manifestare, si à Confessario interrogetur, affirmat Cardinalis de Lugo cum quibusdam alijs; Negant alij ad hoc teneri, sed aiunt sufficere, quod dicat, furatus sum quantitatem notabilem mortaliter peccaminosam, ità Poncius disput. 45. sect. 7. 53. Sed certè in prædictis casibus reseruationis, vel excommunicationis annexæ, aut restitutionis tenetur penitens has aperire circumstantias, si non interrogetur, & tantò magis si interrogetur à Confessario: extrà vero hos casus, non tenetur has confiteri circumstantias speciem non mutantes, nec etiam mentiri licet, & confessarium eludere, sed candidè dicere debet, non teneor ad hoc confitendum, impone mihi pœnitentiam conformem peccato mortali tali speciei.

Ad vltimum negatur actum externum esse circumstantiam actus interni, imò est pars materialis eiusdem peccati, in quo consumatur voluntas interior, & addit nouam malitiam actui interno numero distinctam, itaut ex vtroque actu coalescat per modum vnius peccatum, vt dictum est *lib. 2. disp. de Actibus humanis*.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An semper, & in omni casu confessio debeat esse integra, vel aliquando non integra sufficiat, imò non explicita.

490 Confessio formaliter non integra dici solet, quando pœnitens in confessione aliquod peccatum mortale culpabiliter omittit; confessio verò materialiter non integra vocatur, in qua pœnitens non peccat omittendo rationabili de causa aliquod peccatum mortale, quod per se loquendo sub graui culpa exprimere tenetur; Et quidem certum est omninò ex dictis confessionem debere esse integram vtroque modo per se loquendo, & regulariter; at per accidens & in quibusdam casibus fatentur omnes sufficere quandoque etiam non integram, seù dimidiatam, in qua nimirum aliquod mortale peccatum aliqua rationabili de causa, & legitimo impedimento prætermittatur, vel aliqua circumstantia alioquin necessaria; Vndè communiter dicunt Sacerdotem posse infirmum absoluere in tribus præsertim casibus, etiamsi confessio quoad externum sermonem non sit integra: Primò, quando cæpit confiteri, & non potest cōfessionem perficere, & complere. Secundò, quando signis, & nutibus explicat sua peccata in specie. Tertiò quando signis, & nutibus exprimit aliqua peccata in specie, & non potest omnia exprimere. In his autem casibus licet confessio non sit integra materialiter, quia aliquod omittitur peccatum; adhuc tamen dicitur integra formaliter, hoc est quantum ad intentionem, & moralem possibilitatem, atque obligationem penitentis, quia tale peccatum ommittitur rationabili de causa, & legitimo impedimento, & talis confessio adhuc vim habet conferendi gratiam sanctificantem, & remittendi omnia peccata mortalia tam confessa, quàm ommissa, quia non potest vnum sine alio remitti; cum hoc tamen discrimine, quod quæ in confessione exprimuntur, directè, & per se absolui, & remitti dicuntur, reliqua verò indirectè, & per concomitantiam; quæ proindè non manent exempta ab obligatione confitendi, sicut priora directè remissa, sed confiteri debent, si posteà possint exponi, & absolutioni directè subijci; Verùm quia sunt aliqui casus, in quibus dubium est, an sufficiat confessio non integra peccatorum, non erit abs re principaliores saltem percurrere.

Primus Casus est, an sufficiat confessio peccatorum in genere, qua, scilicet, pœnitens nullum explicat peccatum in specie, sed solùm se accusat in genere multa peccata commisisse, quia nempè sensibus destitutus non potest aliud addere. Negant quamplures Thomistæ apud Card. de Lugo, & Dianam de absolutione sacramentali *resol. 1.* Ratio est, quia materia proxima huius sacramenti debet esse confessio, qua, per accusationem rei noua notitia datur Confessario, quam anteà non habebat de statu pœnitentis, quod non accidit in proposito, sciebat enim etiam antè Confessarius pœnitentem habuisse, vel commisisse peccata, seù esse peccatorem, quippè qui legerat 1. Io. c. *Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipsi nos seducimus, & veritas in nobis non est.* Conf. quia absolutio sacramentalis debet terminari ad aliquod directè remittendum, sed in confessione illa generali non apparet quid directè remittatur, non enim peccata in specie directè remittuntur, quia iterum debent subijci clauibus ab infirmo, si conualuerit; peccatum autem in communi non videtur remissibile. Tandem Tridentinum docet necessariam esse confessionem peccatorum, non tantùm in genere, sed etiam sigillatim, & in specie, quia cùm absolutio sit actus iudicialis, causa debet esse cognita Sacerdoti, Sacerdos enim non potest vti claue potestatis, nisi præuia sit clauis scientiæ: at vbi nulla est confessio particularis alicuius peccati, nulla est notitia, nec scientia, & consequenter nullum potest esse iudicium, atque ideò ibi nulla potest esse absolutio quæ est actus potestatis. 491

Communior tamen, & probabilior opinio affirmat apud Recentiores, & ex nostris præsertim Poncius, Aretinus, Hibarnes, & Faber *disp. 24. cap. 4. num. 77.* vbi ait hanc esse probabiliorem, & magis piam, quia valdè durum videtur, quod qui in extremo vitæ suæ cupit, & vult suscipere sacramentum pœnitentiæ, tamen propter infirmitatem aliquam impedientem loquelam, & alios motus, quibus peccata sua particularia intelligibiliter Sacerdoti manifestare non possit priuetur beneficio tanti sacramenti, & ei præclusa sit via salutis. Nec sufficit dicere posset in tali casu saluari per actum contritionis; Nam talis actus est valdè perfectus, quem non ità facile homo elicere potest, præsertim in articulo mortis constitutus, vbi grauitas infirmitatis, tentationes & alia negotia cum valdè perturbant; ideò si solam habeat attritionē, non saluabitur sine sacramento, cum sacramento autē saluatur, & ideò hæc secunda opinio est probabilior, quæ probatur ex decretis Conciliorū, & Pontificū & præsertim Pauli V. in Rituali Rom. vbi statuitur absoluendum esse illū, qui petijt confessionem; ergò multò magis absoluendus est, qui dixit peccatum, licet in communi, Deindè probatur ratione, quia licet integritas confessionis quoad speciem, & numerū sit ex institutione Christi, non est tamen ità necessaria, quin mutilata confessio sufficiat ad valorē sacramēti, si adsit aliqua ex suprà recensitis causis; ergo & confessio solum in genere sufficiet si species, & numerus peccatorum afferri nō possit. Tandem quia peccatum in genere posset esse materia necessaria confessionis, vt si recorderis re quidem peccasse 492

mor-

mortaliter, oblitus tamen fueris speciei, ergò idem peccatum in genere potest esse materia sufficiens; Quarè Sacerdos non solùm potest, sed etiam debet impendere absolutionem ægroto in casu proposito, saltem ex charitate, ne fortè si solùm haberet attritionem, damnetur, quia cum beneficio absolutionis factus esset salvus.

493 Ad rationem in oppositum dicendum est, ad rationem, & valorem confessionis sufficere, si sit accusatio de peccato commisso, qualis est in proposito, licet imperfecta, sed quanta haberi tunc posset, qua deferatur notitia delicti, siuè eam iam haberet Iudex, siuè non, & petatur remedium implorando eius officium, vt patet quotidiano experimento fori externi.

Ad Confirmationem dico absolutionem directè terminari ad peccatum secundum rationem communem, in qua conuenit cum alijs; indirectè verò ad singula peccata secundum proprias species; quæ deindè subijcienda sunt clauibus, sicut contingit in casu obliuionis speciei peccati. Ad vltimum loquitur Concilium de integritate confessionis, prout per se, & regulariter fieri debet ex institutione Christi, non autem prout per accidens contingere potest, & in aliquo casu necessitatis, sicut hic loquimur; tunc enim sufficere potest confessio in genere facta peccatorum commissorum, quæ ex impotentia exprimi nequeunt quoad speciem; hæc enim confessio generalis in tali casu satis informat Confessarium, vt possit cognoscere illum pœnitentem habere materiam remotam sacramenti, quæ sunt peccata, & velle ab illis absolui quæ sunt per se requisita ex parte pœnitentis ad valorem confessionis, vndè licet in tali casu peccata in specie non exprimat, impotentia excusatur. Ex quibus patet ad sacramentalem absolutionem conferendam sufficere etiam confessionem peccati in genere solis nutibus & signis expressam; moribundus verb. grat. rogatus à Sacerdote, an se accuset de suis peccatis, & etiam signum aliquod suæ accusationis ostendat, si inclinando caput, vel pectus tundendo, vel manum comprimendo, aut alio modo signum huiusmodi exhibeat, in tali casu ad sacramentalem absolutionem obtinendam sufficienter dispositus censeri debet, æquiualent enim nutus illi, & signa confessioni vocali, alibi siquidem statuimus confessionem per nutus, & signa sufficere; neque enim hic deest materia absolutionis, quia externa signa, quibus se ostendit peccasse, & de peccatis dolere sunt sufficiens materia absolutionis in tali casu necessitatis.

494 Secundus Casus est, an possit absolui, qui morbo oppressus nullum peccatum neque in genere confitetur, siuè ore, siuè nutu, exhibet tamen signa doloris coram Sacerdote, siuè explicitè in ordine ad confessionem, & claues Ecclesiæ, vt si dicat Confessario dolere se de peccatis, velle confiteri, & petere à Deo veniam propter absolutionem obtinendam; siuè absque ordine explicito ad claues, ac sine mentione confessionis, vt si tundat pectus, si imaginem sacram cum suspirijs aspiciat, si dicat, miserere mei Deus, &c. Negant Suarez, Bonacina, Megala, & alij pauci, qui licet dicant exhibenti signa primi generis posse, ac debere absolutionem impendi, non tamen exhibenti signa solùm secundi generis; Ratio est, quia vera, & necessaria materia huius sacramenti est propriè confessio, & accusatio, non autem sola deuotio, & contritio, seù veniæ petitio, quamuis exterius expressa.

Dicendum tamen est quæcunque signa tam primi, quàm secundi generis sufficere, vt laboranti in extremis absolutio sacramentalis impendi possit, ità Lugus, Diana, Laiman, Sancius, & alij quamplures etiam ex nostris; Ratio est; quia non solùm prima, sed etiam posteriora signi sunt quædam confessio in ordine ad absolutionem sacramentalem, non quidem expressa, sed tacita, quæ sufficit in casu illo extremæ necessitatis; ergo &c. consequentia patet, probatur assumptum, quia etiam perditissimi homines in casu proposito quantam habent vocem promere solent in petenda cõfessione; ergo etiam in eo, qui destitutus est voce, signa illa sunt tacita confessio, quia & ipsi animæ suæ remedium quo possunt modo quæritur; Et quidem ex Aug. serm. 44. tunditur pectus, vt arguatur, quod latet in pectore, & euidenti pulsu occultum castigetur peccatum; est ergo pectoris tunsio aliqua peccati manifestatio, ac proindè confessio, estò magis explicitè signis prioribus illa innotescat. Confirmatur, quia ex Laiman, Sancio, & alijs apud Dianam conferri potest absolutio moribundo, quando dubium est, an signa prædicta procedant ex contritione, aut ex morbi, & mortis angustijs, ac mærore, cùm prodesse possit infirmo, nec obesse sacramento propter appositam conditionem; ergò multò magis conferri poterit, si dubitetur solùm, an signa data ordinentur ad claues, nec ne, saltem sub conditione. Tandem probatur ex Rituali Romano Pauli V. iussu editum docente ad impendendam absolutionem moribundo sensibus destituto satis esse, si confitendi desiderium ostenderit.

Tertius Casus est, an qui absente Confessario petijt confessionem, & signa pœnitentiæ exhibuit, possit deindè ab illo superueniente absolui, cùm iam sensibus est destitutus, ità vt nullum signum coram Sacerdote ostendat. Negant Sotus, Victoria, Canus, Nauarrus, Ledesma, & alij. Ratio est, quia materia essentialis huius sacramenti esse videtur confessio, qua pœnitens se accusat coram Sacerdote de suis peccatis; ergo non sufficit, nec valet confessio facta in absentia. 495

Confirmatur, quia Clemens VIII. decreuit nullo modo licere confiteri per litteras, aut internuncium; sed confessio pœnitentis in dicto casu fit per internuncium, & testem superuenienti Sacerdoti, ergo non est sufficiens.

Communis tamen Recentiorum sententia affirmat Suarez, Vasquez, Valentia, Lugus, Laiman, Auersa, Amicus, & ex nostris Poncius, Brancatus, Aretinus, & alij. Probatur autem clarè ex pluribus Conciliorum, & Pontificum decretis, Arausicanum enim *can.* 11. decernit, quod subitò obmutescens baptizari, aut pœnitentiam accipere potest, si voluntatis præteritæ testimonium aliorum verbis habeat; & Carthaginense 4. cap. 63. decernit, quod qui in infirmitate pœnitentiam petit, si casu dùm ad eum Sacerdos inuitatus venit, oppressus infirmitate obmutuerit, dent testimonium, qui eum audierunt, & accipiat pœnitentiam. Idem decreuit Leo Primus *ep.* 91. & refertur *cap. His qui in tempore*; Et tandem hoc idem confirmauit Paulus Quintus in Rituali Romano eius iussu edito, his verbis, *si æger confitendi desiderium, siuè per se, siuè per alios ostenderit, absoluendus est*. Et sine vllo fundamento negant Sotus, & quidam alij prædicta decreta intelligenda esse de absolutione sacramentali à peccatis, sed de absolutione cæremoniali à censuris Ecclesiæ. Nam & in illis antiquioribus decretis, & præsertim in nouissimo Rituali Romano sermo est de absolutione sacramentali à peccatis, quæ in illis decretis nomine pœnitentiæ, & reconciliationis intelligitur, vt constat ex eorum tenore, & intento. Probatur etiam ex destructione oppositi fundamenti, quia in tali casu illa confessio esset integra formaliter, nam pœnitens talibus signis peccata sua Sacerdoti subijciendo facit quod in se est, & quantum potest hic, & nunc; & Confessarius per ea signa sufficiens iudicium format, quantum fert occasio, & casus necessitatis, de peccatis, & dispositione pœnitentis; ergo potest, ac debet absolutionem impendere. Tandem vel talis confessio esset insufficiens, quia expressiua non esset peccatorum particularium, vel quia fieret testimonio aliorum; sed primum non obstat, nam in casu præsertim necessitatis sufficit expressio peccati in genere, vt dictum est in declaratione primi Casus *num.* 498. Neque secundum, alioquin confessio facta per Interpretem inualida esset, quod falsum est ex superius dictis, confessio autem moribundi Sacerdoti per testem facta æquiualet confessioni per Interpretem, sicut enim Interpres peccata pœnitentis Confessario refert, ità testis peccata moribundi in casu posito. Quamuis ergò, quando infirmus nullum dedit signum confessionis neque per se, neque per alium, absolui non possit, etiam si non desint oppositum asserentes etiam in hoc casu, sed immeritò, quia tunc deest accusatio sui, quæ est essentialis pars huius sacramenti, tamen in casu nostro non desunt, quæ ad veram confessionem in casu necessitatis requiruntur, illa enim confessio, seù petitio confessionis cum illis signis est accusatio facta ad astantes, tanquam per Interpretes pœnitentis, cuius voluntas recipiendæ absolutionis moraliter permanere censetur, quia in mortis articulo constitutus omni conatu quærit remedium animæ suæ, & per eos se sistit ille Iudici, eiusque implorat officium.

Ex quibus patet ad fundamentum in oppositum, nam confessio facta per signa, & facta per Interpretem in casu necessitatis est vera confessio, licet imperfecta; confessio autem facta à moribundo in casu nostro est huiusmodi, nam fit per signa, & per testem ea fideliter Sacerdoti superuenien- 496

menti referentem, quæ proinde æquiualet confessioni factæ per Interpretem; ad iudicium autem sacramentale sufficit qualiscunque peccati notitia, qualis à reo hic, & nunc haberi potest; vndè falsum est absolutè loquendo, quod in argumento assumebatur, materiam essentialem huius sacramenti esse confessionem, qua pœnitens se accusat coram Sacerdote de suis peccatis, nam etiam superius *quæst.* 17. *art.* 3 *nu.* 479. diximus confessionem per scripturam in absentia sacerdotis esse validam, & sacramentalem, dummodò posteà absolutionem obtineat pœnitens in præsentia Sacerdotis. Nec etiam obstat decretum Clementis Octaui, circa cuius intelligentiam variæ sunt excogitatæ expositiones, quarum quinque refert Auersa *quæst.* 10. *sect.* 17. quæ singulæ aliquam patiuntur difficultatem; Quarè potius dicendum est ex prædictis *loc. cit.* circà illius Decreti intelligentiam, Clementem prohibere confessionem per litteras, & internuncium Confessario absenti, tanquam insufficientem ad absolutionem validam absenti conferendam à Sacerdote pariter absente; cui fieret; non verò huiusmodi confessionē, quæ fit per petitionem Confessarij, & signa doloris, quæ est omninò diuersæ rationis à confessione priori, & ideò illa solùm confessio prohibita est ex vi illius decreti, non autem ista; Vndè Coninchius *disp.* 7. *num.* 105. ex Epistola Archiepiscopi Armacani refert eundem Clementem declarasse, non fuisse sibi propositum damnare, seù prohibere, quod absolutio sacramentalis impendatur incidenti in eo casu, & Auersa *loc. cit.* refert in Congregatione etiam sacræ Inquisitionis Romana sub die 2. Decembris 1621. denuò declaratum, ac iussum fuisse, vt Rituale in prædicto casu obseruaretur, nec decreto Clementis VIII. id repugnare.

497 Quartus Casus est, num si peccatum commissum sit cum quodam complice, nec possit quis integrè confiteri suum peccatum cum circumstantia sine manifestatione complicis, si verb. grat. peccauit quis cum sua sorore, matre, vel filia benè nota eidem Confessario, num, inquam, possit tacere, vel debeat dicere talem circumstantiam, non alio imminente damno, nisi sola notitia, & infamia complicis apud Confessarium; si enim prudenter timeretur infamandum esse complicem à Confessario apud alios, aut occidendum, tunc complex non est reuelandus in eo enim casu non obligare integritatem materialem confessionis concedunt omnes; Vndè hæc controuersia non intelligitur de infamia, vel damno, quod complici timetur ex malitia, vel imprudentia Confessarij, vt quod illum sit reuelaturus, aut malum aliquod illaturus, sed de sola infamia apud Confessarium, quæ per se ex confessione talis peccati sequitur; intelligitur etiam in casu, quo alium Confessarium adire non possit, qui complicem ignoret, & vrget confitendi necessitas: nam si commodè posset, alium adire teneretur. Posse, ac debere tacere circumstantiam complicis in tali casu affirmant Marsilius, Nauarrus, Palatius, Valentia, Armilla, Bannes, & alij. Fundamentum est, quia quando duo præcepta concurrunt, quæ simul seruari non possunt, seruandum est illud, quod est maius, & fortius, at maius, & vrgentius præceptum est de seruanda fama proximi, cùm sit iuris diuini naturalis, quàm de integritate confessionis, quæ est iuris diuini positiui; ergo quando simul concurrunt seruanda est fama proximi, & omittenda integritas confessionis.

Confirmatur, nam hac ratione non tenemur cōfiteri per Interpretem, aut circumstantiam explicare, ex qua probabiliter timemus nobis, vel alteri infamiam secuturam, aut illam à Confessario alteri reuelandam, quia nostra, & proximi fama integritati confessionis est præferenda. Demum, quia præceptum diuinum integritatis Confessionis non obligat, quando ex ea graue damnum proximo imminet, nec facilè ostendi potest hoc præceptum institutum in bonum animarum debere adimpleri cùm tam magno proximi detrimento.

498 Communior tamen, & probabilior opinio affirmat complicis circumstantiam esse manifestandam, vt confessio sit integra, præsertim si nullum aliud damnum sequatur, quàm infamia complicis apud solum Sacerdotem; ità D. Thomas, D. Bonau. Durandus, Paludanus, Maior, Almainus, Suarez, Vasquez, Coninchius, Lugus, Beccanus, Amicus, Auersa, Caspensis, & alij Recentiores passim; & hæc etiam fuit opinio Scoti 4. *dist.* 21. *quæst.* 2. *vers. de quid*, vt enim etiam notauit Faber *disp.* 24. *cap.* 5. Doctor ibi hanc opinionem, vt veram supponit, inquit enim Confessarium teneri ad sigillum non solùm peccati confitentis, sed circumstantiarum etiam, & personæ secundæ, cum qua peccatur, supponit ergo in confessione posse licitè reuelari personam complicis, & veram esse opinionem communem, quæ etiam asserit non solum licere, sed teneri; quarè falsò Scotus ab Auersa, & alijs citatur pro opposita sententia, & immeritò Faber ex quibusdam verbis, quæ ibi subdit Doctor, putat ipsum magis adhæsisse primæ sententiæ, quàm secundæ, nam si verba illa benè ponderentur magis secundæ fauent, quàm primæ, vt mox dicemus. Fateor quidē plures adduci rationes pro hac secunda sententia, quæ non satis vrgent, ac proindè soluuntur a Suar. *disp.* 34 *sec.* 2. quibus reiectis eam proprijs rationibus munire conatur, quæ nec etiam omnes satis concludunt intentum, ac proindè soluuntur à Fabro *loc. cit.*

Melius itaque mihi probari posse non videtur, quàm ex destructione oppositi fundamenti, quod erat esse præceptum naturale de nouo infamando proximo, sed occultum proximi peccatum alteri manifestare non est intrinsecè malum, & contra legem naturalem, sed tantùm in duobus casibus, vt notat Becanus *cap.* 36. *quæst.* 2. nimirum quando fit sine rationabili causa, & quando fit ex intentione infamandi proximum, nam huiusmodi intentione deficiente, & alioquin rationabili causa interueniente, non erit peccatum detractionis, aut infamationis; vndè si aliquis sciens vxorem adulterium commisisse, hoc communicaret amico taciturno, & secreto per modum consultationis, vt consulat quid agendū, an occidenda, vel dimittenda, vel corrigenda, nulli dubium est hoc fieri posse sine vllo scrupulo peccati mortalis, quia hæc manifestatio fit rationabili de causa, & sine intentione infamandi vxorem; At in nostro casu non est intentio infamandi proximum manifestando complicem peccati, sed integrè confitendi, quia Deus obligat ad manifestandum peccatum in specie, & species exprimi nequit sine manifestatione personæ complicis; cùm ergò talis intentio non adsit, & alioquin sufficiens causa suppetat manifestandi personam complicem; planè in tali casu nihil peccatur contra ius naturale de nou infamando proximo. Quod autem sit sufficiēs causa probatur, quia maius bonum est regulariter integritatem confessionis conseruare ob reuerentiam Sacramenti, quàm conseruare famam vnius apud solum Confessarium, nam integritas confessionis à Christo præcepta, & ad valorem sacramenti necessaria maioris momenti est, quàm non infamare proximum apud solum Confessarium sigillo confessionis obstrictum, præcipuè si aliud damnum non timetur; ratione cuius sigilli volunt aliqui neque vllam sequi complicis infamationem apud Confessarium, quod etiam Scotus indicasse videtur *loc. cit.* dùm inquit, Confessarium teneri non solùm peccati confitentis, sed etiam complicis manifestati, *quia, inquit, etiam confitens vult famam personæ, cum qua peccauit, saluare, sicut sui, quia illa persona fuit sibi coniuncta in crimine*, quibus verbis significat stante confessionis sigillo ratione ipsius non tantum saluari famam confitentis, sed etiam complicis manifestati per ipsum; ex quo patet hæc verba Doctoris nostræ fauere sententiæ, non oppositæ, vt putauit Faber *loc. cit.*

Respondent Aduersarij hanc rationem non concludere, 499
probaret enim vniuersaliter ob nullum damnum taceri posse in confessione peccatum. Sed hoc gratis omninò dicitur, vt enim suprà dictum est, & notat Amicus *disp.* 13. *sect.* 9. duplex damnum ex confessione sequi potest, alterum ex natura ipsa confessionis per se, vt propriæ famæ diminutio apud Confessarium; alterum ex causa extrinseca, & per accidens confessioni coniuncta, vt ex malitia, & imprudentia Confessarij; damnum ex hoc posteriori capite secuturum vtique excusat à manifestatione complicis, non autem ex priori; cùm igitur hæc diminutio famæ complicis apud Confessarium sit per se connexa cum manifestatione proprij criminis, quæ est de intrinseca natura confessionis sacramentalis, damnum indè sequens non excusat, tùm quia est satis exiguum ob sigillum confessionis, tùm quia est per se cum natura ipsa confessionis connexum; in cæteris verò casibus ideò non tenemus ad peccatum confitendum, quia aliundè, quàm ex natura, & conditione ipsius confessionis infamiæ periculum imminet.

Confirmatur, quia si non teneremur ad manifestandam personam complicem etiam quando nullum aliud damnum sequitur complici præter illam simplicem notitiam, quæ confessariò datur, & qualemcunque infamiam, quam apud eum incurrit, sequeretur coniugatam non teneri adulteriū confiteri, quia illud redundat in infamiam alterius coniugis; nec

nec coniugatos obligare ad peccata confitenda in abusu matrimonij commissa, quando vterque est Confessario notus. Denique hæc sententia fuit expresè Diui Bernardi opuscul. de formula honestæ vitæ, vbi circà finem ait; *De nullo prorsus sinistrè loquaris, quantumcunque sit verum, vel manifestum, nisi in confessione, & hoc vbi non potes aliter manifestare peccatum tuum*: sentit ergo Bernardus circumstantiam complicis esse in confessione explicandam, quando aliter peccatum tuum manifestare non potes, vel Confessarium adire, cui complex sit ignotus.

500 Hinc patet ad fundamentum oppositum, negatur enim indirectam complicis manifestationem ad proprium peccatum exprimendum esse proximi infamationem, sicut enim per aduersarios non est proximi infamatio, quando persona complicis manifestatur ob ipsius vtilitatem, ità enim dicendum in casu nostro, quia nec fit animo infamandi, nec sine rationabili causa, & sufficienter compensantur hoc qualecunque damnum vtilitate, & integritate confessionis.

Ad Confirmationem negatur paritas, quia iure diuino tenemur integram facere confessionem, non sic autem tenemur ad confessionem per Interpretem, ex vi enim ipsius non tenemur, nisi soli Confessario propria manifestare peccata.

Ad vltimum negatur tam graue damnum, & detrimentum sequi complici ex eius manifestatione Confessario, qui sub sigillo tenetur eius peccatum occultare, sicut principalis; si enim hoc fieri potest absq; peccati mortalis cum amico secreto, & taciturno per viam consultationis, vt suprà dictum est, multò magis id fieri poterit in confessione, vbi sigillum tam strictè obligat; & gratis omninò concedimus præceptum diuinum integritatis confessionis non obligare, quando graue damnum ex ea proximo imminet, vtpotè si probabiliter timeatur infamandum esse à Confessario apud alios, aut occidendum, in his, inquam, & similibus casibus gratis concedimus non obligare integritatem materialis confessionis.

Sed instat Faber *loc. citat.* ex hac nostra sententia plura sequi posse inconuenientia in locis; vbi non est facilè inuenire Confessarium, qui non cognoscat complicem, vt in vicis, vbi est vnus Sacerdos Parochus tantùm, vel in Conuentibus Regularium, vbi omnes se se agnoscunt; in his enim locis exprimere in confessione personam complicem magnum potest afferre detrimentum, & parere varia scandala, si non pro illo tunc, saltem temporis successione; & est magna occasio, cùm incidunt dissidia, & contentiones, reuelandi confessionem, & patiendi magnam confusionem ipsi complici, qua ratione præsertim inductum se dicit hic Auctor ad oppositam sententiam amplectendam. At hæc instantia parùm vrget, quia vt dictum est ab initio articuli, quæstio præsens, & casus propositus non est, quando ex manifestatione complicis timetur prudenter aliquod malum eius extrinsecum ex malitia, vel imprudentia Confessarij, vt quod illum sit reuelaturus, aut aliquod malum illaturus, vt vrget instantia facta, in tali enim casu gratis concedimus oppositam sententiam esse sequendam; sed præsens casus est, quando nullum aliud damnum complici obuenit præter illam simplicem notitiam, quæ Confessario datur, & famæ denominationem, quam apud illum incurrit, & sufficienter compensari diximus vtilitate, & integritate confessionis.

ARTICVLVS TERTIVS.

An dimidiari possit Confessio in casibus reseruatis.

501 QVintus Casus est, an dimidiari possit confessio in casibus reseruatis, in quo casu triplex occurrit difficultas. Prima, an possit Superior absoluere tantù à reseruatis, & quoad reliqua pœnitentem remittere ad inferiorē; Secunda, an quando Superior absoluit tantùm à reseruatis, teneatur pœnitens simul cum non reseruatis reconfiteri etiam reseruata. Tertia, an interdum possit inferior saltem indirectè à reseruatis absoluere. Quoad primam difficultatem affirmant Caietanus, Nauarrus, Soto, Valentia, & alij, quos refert Suarez disp. 31. sec. 1. quia sæpè Prælati varijs occupationibus sunt impediti, ob quas non vacat integras audire confessiones subditorum, & hunc inquiunt esse ritum, & consuetudinem Curiæ Romanæ, vt pœnitens absolutus tantùm à reseruatis quoad reliqua absoluendus mittatur ad inferiorem Sacerdotem. Negant Siluester, Victoria, Canus, Suarez, Vasquez, Coninchius, Becanus, Caspensis, Amicus, Bonacina, & alij Recentiores passim, id posse sine vrgenti causa fieri, quæ sententia communior est, & verior & sequitur ex nostris Brancatus *disput.* 12 *artic.*8. & *disp.*19.*art.*12. & Faber *disp.* 27.*cap.* 3. Ratio est, quia integritas Confessionis est de iure diuino, quod omninò seruandum est, nisi aliter permittat vrgens, & rationabilis causa, quæ in hoc casu, de quo loquimur, difficillimè potest assignari, nam occupato Prælati non est sufficiens causa, cùm facilè possit alteri Sacerdoti suas vices committere, & facultatem communicare absoluendi à reseruatis; Et falsum omninò est illam esse Romanæ Curiæ consuetudinem, quia ibi etiam regulariter cùm aditur superior ob absolutionem in foro conscientiæ, vel omnia peccata pœnitentis audit, vel facultatem delegat inferiori Sacerdoti. Imò Brancatus *disp.*19.*art.* 12.*num.* 390. ait nullam assignari posse in Prælato vrgentem causam excusantem hanc absolutionis dimidiationem, nam in quocunque casu auferre posset reseruationem, vel delegare iurisdictionem; Sed iam dictum est, ac etiam mox dicemus posse confessionem dimidiari in casu grauissimæ necessitatis v.g. mortis, loquelæ oppressionis, damni notabilis, & similium, quæ contingere possunt non minus ex parte absoluentis, quam ex parte pœnitentis, & in his casibus planè concedi potest posse Superiorem audire reseruata tantùm, & ab illis absoluere, vndè non quælibet Superiorum occupatio est causa vrgens, & sufficiens ad talem dimidiationem excusandam, sed debet esse talis, quæ deobliget ab integritate confessionis; Alias quoque necessitatis causas iustas, & sufficientes ad talem diminutionem excusandam nituntur afferre Suarez, Coninchius, Lugus, Auersa, & alij Recentiores, quæ aliquam adhuc patiuntur difficultatem, nec ità facilè admitti debent cùm integritas Confessionis, & absolutionis sit de iure diuino.

Quoad secundam difficultatem, Auctores primæ sententiæ communiter affirmant, quando pęnitens absolutus à reseruatis mittitur inferiori, vt à non reseruatis absoluatur, debere in tali casu etiam reseruata iam dimissa reconfiteri. 502
Ratio est, quia ex cap. omnis saltem vni Sacerdoti sunt omnia peccata integrè confitenda; at in casu proposito non sunt omnia integrè confessa superiori, ergò confitenda sunt omnia integrè inferiori. Negant verò, & quidem probabilius Auctores secundæ sententiæ, quia vel illa peccata reseruata ritè fuerunt superiori confessa, vel non; non secundum, vt etiam Aduersarij concedunt, alioquin nec absolutio ritè impensa fuisset, non enim potest sacramentalis absolutio super illegitimam cadere confessionem; si ergò fuerunt illa peccata ritè Superiori confessa, iam non tenetur ea iterum confiteri; sicut quando pœnitens vel ex obliuione inculpabili, vel alia iusta de causa aliquod peccatum in Confessione omittit, non tenetur simul cum illo alia iam directè confessa reconfiteri, cum opportunitas datur; quia hæc supponuntur iam ritè confessa, nec cadunt sub voto alterius confessionis, sicut omissa iusta de causa, aut obliuione inculpabili; non ergo in casu proposito tenetur pœnitens reconfiteri reseruata iam confessa cum peccatis non reseruatis, siquidem illam supponuntur iam ritè Superiori confessa; auctoritas autem allata ex cap. omnis de integritate formali confessionis est intelligenda, non autem de materiali, alioquin semper cum oblitis, & ex iusta causa non confessis confitenda quoque essent iam ritè confessa. Itaque confessio facta Superiori de solis reseruatis est integra formaliter, quamuis non sit integra materialiter ob iustam aliquam causam, & pœnitens in bona fide existit; & consequenter absolutio valida est, & sacramentalis, confertque gratiam, & directè remittit peccata reseruata, indirectè verò, & consecutiuè non reseruata; atque ideò quando pœnitens semel obtinuit absolutionem reseruatorum à Superiori, non tenetur posteà inferiori Sacerdoti simul cum reseruatis etiam reseruata confiteri, à quibus iam directè fuit à Superiore sacramentaliter absolutus; sicut etiam nunc posteà dicemus, ille qui iusta de causa fuit absolutus ab inferiore directè à non reseruatis, non tenetur rursus omnia peccata aperire Superiori, sed tantummodò reseruata, cùm non sit obligatio bis subijciendi eadem peccata Confessioni, & ità etiam tenet Bonacina *disp.*5 *q.*7.*punc.*4.§.3.

Quoad tertiam difficultatem, negant aliqui cum Vasquez 503
q.91.

quæst.9 t.art.3.dub.9. posse in vllo casu inferiorem Sacerdotem absoluere à reseruatis, præterquam in articulo mortis, quod probant ex Tridentino sess.14 cap.7. vbi inquit, *Cum extrà articulum mortis Sacerdotes nihil possint in casibus reseruatis, id vnum pœnitentibus persuadere nitantur, vt ad Superiores, & legitimos Iudices pro beneficio absolutionis accedant*. Probant etiam ratione, quia hæc sententia exercetur per modum iudicij, nulla autem sententia est valida, nisi à Iudice lata, cùm ergo Sacerdos inferior nullam habeat iurisdictionem, præterquam in articulo mortis, in casus reseruatos, non potest ab illis validè absoluere, quo fit vt nec absoluere possit à non reseruatis, quia cùm vnum absolui non possit sine alio, si non potest à reseruatis, nec poterit à non reseruatis. Nec valet dicere directè absoluere à non reseruatis indirectè verò, & consecutiuè à reseruatis, quia dùm absolueret illa in confessione explicata, directè absolueret, siquidem absolueret illa, vt in iudicium adducta, quod est absoluere directè; secus est de oblitis, quæ quia non adducuntur in iudicium per confessionem pœnitentis, non possunt directè absolui, sed tantùm indirectè. Et hanc opinionem sequitur ex nostris Hiribarnes 4. dist. 18. disp. 16. sec. 5. vbi dicit cum alijs Auctoribus eiusdem opinionis in periculo grauis scandali, & infamiæ posse habentem reseruato, præmissa contritione ad Eucharistiam accedere, quia tunc censetur non habere copiam Confessarij, sic etiam loquitur Caspensis disp.6.sec.5. dicens oppositam sententiam parum habere probabilitatis.

504 Communis tamen opinio asserit quidem nulla existente necessitate non posse inferiorem validè absoluere pœnitentem à non reseruatis, ipsumque remittere ad Superiorem pro reseruatis, quia Confessarius inferior non potest ab vno peccato mortali absoluere, quin absoluat ab omnibus cùm vnum peccatum mortale non remittatur sine alio; cùm igitur Confessarius inferior nequeat à reseruatis absoluere, vt patet ex Trident. cit. sequitur etiam non posse à non reseruatis absoluere præcisa necessitate, vel rationabili causa; Addit tamen in aliquo casu maximæ necessitatis, etiam præter articulum mortis, v. g. tuendi vitam, famam, vitandi scandalum, aut seruandi præceptum annuæ Confessionis, supposito quod pro tunc non pateat aditus ad Superiorem, posse pœnitentem absolui ab inferiori, cum onere tamen adeundi Superiorem pro reseruatis, quamprimum opportunitas aderit. Verùm Auctores huius communioris sententiæ rem nō eodem modo declarant; Aliqui enim dicunt inferiorem in tali casu posse absoluere pœnitentem per facultatem absoluendi directè, & per se à non reseruatis, indirectè verò, & per accidens ab ipsis reseruatis, sicut fieri solet ab oblitis; vndè dicunt Sacerdotem peccatis reseruatis obstrictum, si necessitatem habeat celebrandi, nec copiam habeat Sacerdotis approbati pro reseruatis, posse, & debere Sacerdoti non habenti facultatem reseruatorum peccata sua confiteri, vt directè à non reseruatis, indirectè verò, & consecutiuè à reseruatis absoluatur cum onere, & obligatione adeundi Superiorē pro absolutione directa reseruatorum, ità Suarez, Card. de Lugo, Amicus, Auersa, Bonacina, Poncius ex nostris, & alij Recentiores, & Summistæ passim. Alij verò dicunt, quod quando vrgente necessitate inferior absoluit à non reseruatis, dici non potest, quod pœnitens à Sacerdote sit absolutus directè, vel indirectè à reseruatis, quia ex Trident. cit. caret iurisdictione ad sic faciendum, quarè sententia eius nulla esset, ac irrita; ideoque dicunt in tali casu peccata reseruata deleri immediatè à Deo intuitu contritionis, vel absolutionem eorum fieri immediatè à Deo sine actuali ministerio Sacerdotis ratione gratiæ, quæ infunditur per absolutionem à non reseruatis, non autem absoluitur sacramentaliter, donec hoc fiat à Superiore, vel de eius commissione, ità ex nostris discurrunt Aretinus 4.dist.17.q.vn. art.12. & Brancatus disp.19.cit.art.12.

505 Primus tamen dicendi modus magis placet, quia vt optimè discurrit Amicus inter alios disp. 13. sec. 10. nihil per hanc indirectam potestatem derogatur reseruationi, sed solùm bono pœnitentis consulitur, vt in graui casu necessitatis in quo ei non patet aditus ad superiorem, non careat remedio absolutionis; recurrere enim ad actum contritionis cum secundo dicendi modo in his casibus nimis durum videtur & arduum, quia actum contritionis elicere nostræ fragilitati est nimis difficile, vndè per absolutionem sacramentalem indirectam tutius necessitati pœnitentis subuenitur cum solo actu attritionis, neque ob id ordo rectæ gubernationis perturbatur, & reseruationi derogatur, nā semper pœnitens indirectè absolutus manet obligatus adeundi superiorem, vel cui superior suas commiserit vices ad petendam directam absolutionem pro reseruatis, sicut præcepto Confessionis non derogat, quod quis contritione iustificetur, quia adhuc iustificatus, & per contritionem absolutus manet cum obligatione ad confessionem. Quomodo autem sola iurisdictio in non reseruata sit sufficiens ad remittenda etiam validè reseruata indirectè, in quo consistit huius difficultatis cardo, sic suaderi potest, nam talis iurisdictio etiam secundū Aduersarios sufficit ad remittendum indirectè peccatum reseruatum oblitum, & reseruatum putatum non reseruatum, vel in confessione omissum ex graui, & rationabili causa; ergo in prædictis casibus necessitatis eadem iurisdictio in non reseruata censeri debet sufficiens ad remittendum quoque indirectè reseruatum, etiamsi cum non reseruatis illud confiteatur; consequentia est euidens, quia confessio reseruati non minuit potestatem in absoluente, ideoque si illud ex iusta causa omissum, vel ignoratum, vel inculpabiliter oblitum absolui potest indirectè, & consecutiuè, poterit etiam, vt confessum, & in confessione expressum, quia non debet esse peioris conditionis, qui peccatum reseruatum confitetur, quàm qui illud ex causa omittit, vel ignorat esse reseruatum, vt rectè discurrit Amicus.

Neque obstat Trid. loc. cit. in quo totam vim faciunt Aduersarij, cum dicit in casibus reseruatis extrà articulū mortis nihil posse inferiores Sacerdotes, non per hoc negat directā potestatem in alia peccata, & consequenter indirectam in reseruata, tùm quia eam potestatem negat inferioribus Sacerdotibus in reseruata extrà articulum mortis, quam ibidem concedit in articulo mortis, sed in articulo mortis non concedit potestatem indirectam, sed directam, ergo hanc solam negat extrà articulum mortis. Nec etiam obstat ratio adducta pro apposita opinione, vt enim sententia in hoc foro lata sit valida coram Deo sufficit, vt sit à Iudicem aliquam iurisdictionem directam habente in personam pœnitentis, & aliqua eius delicta ob essentialem connexionem remissionis vnius delicti cum reliquis. Et ad replicam dicendum non satis esse ad absolutionem directam, vt peccata per confessionem pœnitentis sint in hoc foro in iudicium deducta, sed vlterius requiri directam potestatem, & iurisdictionem in illa neque illud primum sufficit sine secundo. 506

Sed Dices, solam iurisdictionem in non reseruata non sufficere ad remittenda etiam indirectè reseruata, quia non potest Iudex per iurisdictionem, quam habet in vno delicto, reum absoluere à cæteris in quæ iurisdictionem non habet: ergo nec Sacerdos per iurisdictionem, quàm habet in non reseruata pœnitentem absoluere poterit à reseruatis, quia nulla potestas extrà suam spheram se extendere potest. Resp. cum Amico loc. cit. non esse parem rationem de potestate Iudicis forensis, & Pœnitentiarij, nam hic ratione modi, quo reum à delictis sibi subiectis absoluit, nempè per gratiam iustificantem cuicunque peccato incompossibilem, indirectam potestatem etiam habet in reliqua delicta sibi subiecta, vndè talia delicta non sunt omninò extra spheram talis potestatis absolutè sumptæ, sed tantùm extrà spheram directam, atque ideò talis absolutio valida est, & sacramentalis, conferre gratiam, & directè remittit peccata non reseruata, indirectè verò, & consecutiuè etiam reseruata, vt patet à simili de confessione, in qua si aliquod peccatum mortale per obliuionem omittatur, directè remittuntur peccata exposita in confessione, indirectè verò remittitur peccatum oblitum; Cùm verò pœnitens opportuno tempore posteà superiorem adit pro petenda absolutione directa reseruatorum, tunc nouum recipit sacramentum, ac etiam effectum sacramenti nempè gratiæ augmentum. Hoc autem intelligendum est, quando casus reseruatus non habet annexam excommunicationem, nam in tali casu inferior nullo modo potest pęnitentem Sacramentaliter à peccatis absoluere, donec superior à censura absoluat, aut facultatem concedat absoluendi ab ea; ratio est, quia excommunicatio maior priuat receptione sacramentorum ex cap. si celebret de presbytero excommunicato, atque ideò donec pœnitens absoluatur ab excommunicatione, non est capax absolutionis sacramentalis quamuis non desint asserentes, etiāsi peccato reseruato sit annexa excommunicatio adhuc in casu necessitatis posse inferiorem sacerdotē indirectè absoluere à tali peccato cum onere petendi à superiore absolutionem ab vtroq; ità Suar. & Amic. l.c. qui alios etiam citant.

Postre-

507 Postremò Dicendum est, confessioné materialiter non integram locum habere, seù licitam esse quoties ex materiali integritate graue damnum, aut incommodum, siuè temporale, siuè spirituale, vel pœnitenti, vel Confessario, vel alijs imminet, aut prudenter timetur; Hæc est communis apud omnes Doctores, & ratio est, quia sacramentum Confessionis non obligat ad integritatem confessionis materialem cum graui damno faciendam, vt de casu obliuionis definit Tridentinum *sess.14.cap.5.* præcepta enim posita cum tanto incommodo obligare non solent. Damnum autem spirituale pœnitentis pluribus modis contingere potest; si nimirum timeatur, ne decedat absque absolutione ob imminens mortis periculum, siuè ex morbo ingruente, siuè ex incendio, siuè ex naufragio, si timeat ne inducatur à Confessario ad peccata ijs similia, quæ confitetur; si timeat ne diutius hærendo in examine peccatorum carnalium seipsum excitet ad turpia desideria, satius enim erit in tali casu leuiùs conscientiam examinare, licet aliquod peccatum elabatur, quàm curando confessionis integritatem consistere cum periculo peccandi, vt notat Coninchius *disp.7. num.25.* Damnum verò temporale eiusdem pœnitentis est, si timeat sibi mortem, vel grauem morbum ex longiori mora apud Confessarium peste, vel alio contagioso morbo infectum; si timeat sibi graue odium, vel persecutionem à Confessario, cuius fratrem v.g. occidit, vel sororem violauit; si timeat sibi grauem infamiam; quia putat, vel probabiliter dubitat confessarium reuelaturum esse peccatum; si æger ob difficultatem loquendi, vel ob capitis imbecillitatem non posset sine graui incommodo in recensendis, vel vestigandis peccatis immorari; si denique non possit confiteri, nisi per Interpretem, vel coram alijs, qui in eodem ægri tecto, vel cubiculo decumbunt, tunc enim retinere posset, quæ grauiorem infamiam afferunt.

Damnum spirituale Confessarij est, si timeas ne ille ex tuorum peccatorum narratione occasionem sumat similia, vel alia peccata commitendi; temporale verò, si periculum incurrat, ne contagio, quo tu laboras inficiatur, ità Suarez, Coninch. Granado, & alij apud Auersam *q.10 sec.15.* quicquid dicat Marchinus de peste *part.3 cap.4.* imò ad mutilandam confessionem vrgeris non solùm ob damnum temporale Confessarij, sed etiam ob spirituale aliorum, si eodem morbo laborent, vt scilicet, etiam ijs sacramenta ministret præsertim in penuria Sacerdotum. Sed ne in mutilanda Confessione propter damna imminentia aliqua interueniat deceptio, hæc erunt obseruanda; Primum est, vt damna huiusmodi sint vera, & substantia, non autem imaginaria, seù ex leui suspicione orta. Secundum, vt non adsit alius Confessarius, cui citrà incommoda illa confitearis. Tertium, vt ea duntaxat peccata reticeas, de quibus prudenter times. Quarum denique vt memineris peccata prætermissa, cùm damna illa euanuerint, eidem vel alij Confessario esse aperienda, à quo directè secundum sacramentale iudicium absoluaris vt suprà dictum est.

508 Pro coronide tandem huius quæstionis aduertendum est ex communi Doctorum sententia, ad integritatem Confessionis non satis esse vtcunque omnia peccata mortalia confiteri cum circumstantijs speciem mutantibus, sed necesse esse illa vni, & eidem Confessario confiteri, si enim omnia ità confitearis, vt partem eorum vni, & partem alteri Sacerdoti aperires, non vnam aliquam singularem confessionem faceres, quæ ipsa esset integra, sed duas singulares partiales, quarum quælibet dimidiata esset, attenditur enim singularitas, & integritas Confessionis ex Sacerdote etiam, cui ipsa fit, siquidem is etiam in descriptione sacramentalis confessionis ponitur. Hoc autem intelligendum est, cùm omnia peccata eidem Sacerdoti possunt aperiri sine notabili damno proprio, vel alieno, vt modò dicebamus, nam quæ dici nequeunt sine notabili damno proprio, vel alieno, non tenetur quis aperire in confessione; neque ob id tunc dicetur confessio dimidiata propriè, & formaliter, sed tantùm materialiter, & præter intentionem formaliter autem censebitur nihilominus integra, quantum nimirum esse potest, & debet in tali necessitatis casu; atque indè fit, vt in multis casibus liceat in confessione peccata quædam præterire sine violatione præcepti de illius integritate. Solet hic disputari, quibus casibus sit iteranda confessio, sed quia res est penitus moralis, apud Summistas videri potest, & Brancatum nostrum fusè de hoc agentem *disp.12. art.9.*

QVÆSTIO DECIMANONA.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ.

Certa fide tenendum est solum Sacerdotem esse huius 509
sacramenti ministrum; ità definiuit Concilium Constantiense in Bulla Martini Quinti, & Trident. *sess.14. cap.6. & 10.* quod etiam ex Scripturis deducitur euidenter, nam Io. 10. & Math. 18. solis Apostolis, & eorum successoribus promissa, & concessa est clauium potestas; & insulsum omninò est, ac ridiculum, quod dixit Lutherus, per illa verba Christum omnibus Christianis talem contulisse facultatem; disertè namque, & expresse ex ipso Euangelio textu deducitur, tunc Christum Dominum solis discipulis esse locutum, qui erant congregati *foribus clausis propter metum Iudæorum*, atque ideò illis solis talem concessisse auctoritatem, qui erant Apostoli, & consequenter eorum successoribus; & patet ex vniuersali traditione Ecclesiæ, & S.S. Patribus, quorum testimonia Controuersistæ passim adducunt; quibus etiam accedit ratio, quia hoc sacramentum per modum Iudicij exercetur, potestas autem iudicandi non debet omnibus committi, sed tantùm principibus, & Magistratibus Reipublicæ; Verum quia circà modum huius Ministerij aliquæ vertunt difficultates etiam inter Scholasticos, non erat abs re saltem principales, & præcipuas sequentibus articulis examinare.

ARTICVLVS PRIMVS.

An quilibet Sacerdos potestatem habeat absoluendi quemlibet hoc ipso, quia est Sacerdos, vel certam debeat habere iurisdictionem.

Affirmarunt antiquiores quidem quemlibet Sacerdo- 510
tem ex vi ordinationis suæ hoc ipso, quod est Sacerdos, validè hoc sacramentum omnibus administrare posse, ac aliam iurisdictionem ad eius valorem requiri, sed ex prohibitione tantùm Ecclesiæ factum esse, vt non sit licitum omni Sacerdoti hoc officium exercere, nisi certa deputatione, & licentia à superiori habita, quæ dicitur potestas iurisdictionis, ità Armacanus *lib.11.* de quæstionibus Armenorum, quod & probabile aliquando existimauit Durandus, ac etiam Almainus *4.d.17.q.1 art.4.* Fundamentum huius opinionis ex ipso diuino iure desumitur, quo Christus omnibus Sacerdotibus hanc potestatem contulisse videtur, nulla alia requisita conditione, quæ proindè potestas non videtur potuisse ab Ecclesia auferri quantum ad valorem actus, sed ad summum quantum ad licitum vsum impediri. Confirmatur, quia potestas ipsa in ordinatione recepta ad absoluendum est vtique potestas ferendi sententiam, est potestas iudicialis, & est potestas ius dicendi, siquidem in ordinatione accipiunt Sacerdotes Spiritum sanctum dum facultate remittendi, & retinendi peccata Io. 20. *Quorum remiseritis peccata remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*, ergo hæc potestas ordinis est propriè iurisdictio, & sinè vlla vlteriori dependentia ab Ecclesia possunt Sacerdotes absoluere quoscunque accedentes ab ipsos, si non licitè, saltem validè, nec videtur potestas ordinis distinguenda à potestate iurisdictionis. Tandem id etiam deduci videtur ex aliorum sacramentorum exemplo, quæ sanè ad sui valorem non exigunt aliam Ministri iurisdictionem præter ordinis potestatem, sed solùm ad licitum Ministerium.

Communis tamen, & certa est Theologorum senten- 511
tia, non quemlibet Sacerdotem, sed tantùm certam iurisdictionem habentem posse hoc sacramentum validè ministrare, nec omnem Sacerdotem posse validè à peccatis mortalibus absoluere non anteà absolutis, sed ex hac parte vltrà ordinationem totalem in Ministro requiri peculiarem aliam facultatem, quæ dicitur iurisdictionis. Ità omnes Theologi Scholastici, & morales, & præsertim Scotus noster *4. d.17.q.1.art.3.* vbi ait præceptum confessionis etiam includere, cui sit facienda confessio, & ait eum, cui est facienda confessio, esse Sacerdotem, & non quemcunque sed iurisdictionem habentem; & hoc totum definitum est in Conc. Florent. *sess. vlt.* in decreto Eugenij, vbi ait tria ad hoc sacramentum essentialiter requiri, materiam, & formam, & Ministrum iurisdictionem habentem, vbi planè hanc requirit

quirit ad sacramenti valorem, & non solùm ad licitum vsum; sic etiam definiuit Trident. *sess. 14. cap. 7.* attestans etiam de perpetua existimatione, & praxi Ecclesiæ illis verbis *Persuasum semper in Ecclesia Dei fuit, & verissimum esse Synodus hæc confirmat, nullius momenti absolutionem eam esse debere, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem;* quod etiam ratio ipsa persuadet, quia absolutio est actus iudicialis, ergo requirit iurisdictionem in subditos.

512 Tota difficultas consistit in explicando, quid sit hęc iurisdictionis potestas, & quomodo à potestate ordinis distinguatur, hoc enim non eodem modo ab omnibus explicari solet; Quamplures de his potestatibus discurrunt, tanquam de facultatibus omninò distinctis, dicêtes potestatem ordinis immediatè conferri à Christo in actu ordinationis; potestatem verò iurisdictionis conferri ab Ecclesia in actu deputationis, & adesse sufficientem rationem distinctionis inter vtramque quia potestas ordinis est ipse character, qui est qualitas indelebilis spiritualis, interna animæ, & à Deo infusa, potestas verò iurisdictionis est deputatio quædam moralis extrinseca facta ab Ecclesia, & variabilis, quam posteà subdistinguunt in ordinariam, & delegatam, ita Canus, Sotus, Suarez, Coninchius, Valentia, Auersa, Ledesma, Cardin. de Lugo, & alij passim, estque frequentior explicandi modus. Alij verò dixerunt non debere in hac re distingui duplicem potestatem, primam ordinis, & secundam iurisdictionis, sed potius vnam simplicem esse potestatem, quæ simul sit ordinis, & iurisdictionis, & quæ in ordinatione confertur; ideoque totam quidem potestatem tribui Sacerdoti in sua ordinatione, sed adhuc nō tribui ei materiam, hoc est, subditos, ac proindè debere, ac solere hanc posteà ab Ecclesia applicari per deputationem Sacerdotis ad excipiendas horum, vel illorum confessiones; Vndè deducût potestatem iurisdictionis Sacerdoti necessariam ad absoluendum partim conferri à Christo, partim ab Ecclesia, vel Pontifice; duo enim spectari possunt in illa iurisdictione; Primò potestas absoluendi ex parte Sacerdotis, quæ immediatè confertur à Christo in ordinatione Sacerdotis. Secundò applicatio materiæ, quæ fit ab Ecclesia, vel Pontifice; ex his autem duobus oritur perfecta, & integra iurisdictio, quæ vocari potest actualis iurisdictio, quia est potestas expedita ad operandum, cùm habeat debitam materiam applicatam; potestas verò ex parte Sacerdotis tãtum vocari potest iurisdictio habitualis, & in actu primo, quia est impedita, nec potest exire in actum ob defectum applicationis materiæ. Hæc autem applicatio non fit voluntate ipsius pęnitentis, qui iudicandus est, sed voluntate Pontificis, qui diuidit Episcopatus, & Parochias; Fit autem dupliciter, primò via ordinaria, vt quando aliquis constituitur Episcopus alicuius diœcesis, aut parochus alicuius parochiæ; secundò ex commissione, vt quando proprius pastor suam ouem alteri committit, non constituendo illum pastorem ex officio, sed suas illi vices committendo, & hoc facere potest Pontifex in toto orbe Christiano, Episcopus in sua Diœcesi, & Parochus denique in sua parochia; ità rem explicant D. Antonius, Nauarrus, Maior, Angelus, Vasquez, Becanus, Caietanus, Amicus, & alij quam plures, qui dicunt Sacerdotibus in sua ordinatione conferri potestatem, & iurisdictionem actiuam, siuè ex parte principij; deindè in sua deputatione tribui ab Ecclesia passiuam ex parte subiecti.

513 Hæc altercatio, vt verum fatear, magis videtur de nomine, & modo loquendi, quàm de re, nam quantùm ad rem spectat, perindè videtur esse, quod potestas completa accipiatur in ordinatione, cum dependentia tamen ad hoc, quod Ecclesia determinet subditos; vel quod non accipiat potestatem completam, & proximam in ordinatione, sed quod reddatur proxima per auctoritatem ordinariam, aut delegatam ab Ecclesiam concessam; vt benè notauit Poncius *disp. 46. quæst. 8.* melius tamen cum communiori dicitur, quod in ordinatione accipiant quidem Sacerdotes potestatem absoluendi à peccatis, non tamen dari ipsis per talem ordinationem vllos subditos, sed per Ecclesiam posteà determinari subditos, quatenus ipsos constituit iudices, vel ordinarios, vel delegatos talium, vel alium. Et hoc totum significauit Doctor *4. dist. 19. quæst. vn. art. 4.* vbi docet remissionem peccatorum ex potestate clauium totaliter prouenire, quam Sacerdos in sua ordinatione accipit, tanquam à principio, seù potestate, per quam directè fit ipsa remissio, quia remissio fit virtute sacramenti, & directè per absolutionem, quæ est vsus clauis, & per ministrum ex diuina institutione; non autem per aliquam institutionem humanam Ecclesiæ, quæ nullam habet potestatem sacramenta instituendi, aut eis efficaciam vllam tribuere, seù effectum, secundum quod instituta sunt à Christo, & mediante sola Christi institutione. Vndè sicut Ecclesia accepit tantùm iurisdictionem fori externi, mediãte qua nequit peccata remittere, ita quicquid per hanc potestatem facit directè, non concedit auctoritatem dimittendi peccata propriè, & directè; Quia tamen auctoritas in sua ordinatione Sacerdotibus concessa non tollit auctoritatem Ecclesiæ concessam iurisdictionis, subordinationis, & hierarchiæ, quam in personas omnes habet, ideò huic auctoritati subordinatur clauiũ potestas indirectè, quatenus determinatio, & concessio personæ, in quam exerceri possit sententia, directè spectat ad Ecclesiam, vt innuit Trident. *sess. 14. cap. 6.* illis verbis *Quoniam igitur natura, & ratio iudicij illud exposcit, vt sententia in subditos duntaxat feratur &c.* Quamuis ergo Sacerdos à Christo potestatem acceperit absoluẽdi à peccatis directè, & quando absoluit, in persona Christi absoluit, vt eius Vicarius, & in virtute potestatis illius, à quo data est; quia tamen vt illa potestas validè exerceatur, requirit subditum, quem feratur sententia, quem Sacerdos ex vi suę ordinationis nõ habet, sed debet ab Ecclesia recipere, quæ sola in subditos potestatem habet per se, & reliqui dependenter ab ipsa, seù ex eius concessione; hinc manet suspensa potestas clauium, donec per Ecclesiam reducatur ad actum, quod totum optimè aduertit Hiqueus *4. d. 19. q. vn. art. 4.* in Commentario.

Hinc ait Doctor *loc. cit.* potestatem clauium esse potentiam remotam, & non propinquam, quia potentia remota est qua quis de se, & simpliciter aliquid agere potest, propinqua verò, & proxima requirit passum approximatum, & non impeditum, vt agat, ex Arist. 9. Met. cap. 4 vbi docet quod potentia actiua, cui statim respondet passiua, & non est impedibilis, est potentia propinqua ad agendum; potentia verò cui non respondet statim passum, vel eo habito est impedibilis, durante impedimento non est potentia propinqua, sed remota; Quia ergò sacerdos ex ordinatione sacerdotali non statim materia habet, in quàm claues exerceat, sed opus est, quod aliquis subditus sibi assignetur, in quem habeat iurisdictionem, & vsum clauium, non solùm ad hoc, quod ritè absoluat, sed ad hoc vt simpliciter absoluat, quia vt habetur in 6. de Regulis iuris, sententia à non suo Iudice lata, est nulla; ideò talis potestas ordinis, seù clauium præcisè sumpta est remota, non propinqua; Hinc Doctor disparitatem assignat ibidem inter potestatem consecrandi, & absoluendi in ordinatione sacerdoti collatas, quod illam nequeat Ecclesia validè suspendere quoad nullitatem actus, quem facit, si attentetur, quia illa potestas, cùm habeat materiam in reipsa independenter ab Ecclesia iurisdictione, & consensu, est potestas proxima nulli alteri subordinata; non ità potestas absoluendi, quæ non habet materiam independenter à consensu, & auctoritate Ecclesiæ, ideoque suspensa manet, donec accedat Ecclesiæ approbatio respectiuè ad designationem subditorum, quam tribuit vel ratione muneris, & officij, ad quod aliquem assumit, vt ratione beneficij, cui annexa est animarum cura & hæc vocatur ordinaria; vel tantùm delegat auctoritatem, personæ, quæ dicitur delegata, quia non ex munere, & officio conueniens, & sic intelligitur habere auctoritatem, & iurisdictionem vno, vel altero modo Confessarius in Ecclesia, vt potestatem clauium ritè, & validè exercere possit; & hæc est communis doctrina Scotistarum *dist. 17. cit.* Aretini ibidem *art. 4.* Fabri *disp. 25. cap. 3.* Brancati *disp. 19. art. 19. art. 3.* & aliorum. 514

Dicendum est itaque cum communiori sententia potestatem iurisdictionis distinctam esse à potestate ordinis, tam in essentia, quàm in modo, & tempore, quo confertur, nam potestas ordinis, vt dictum est, datur per impressionem characteris, ideoque necessariò acquiritur per ordinationem Sacerdotis, & immutabilis, & indelebilis permanet. Potestas verò iurisdictionis solùm moraliter datur per extrinsecam concessionem, aut alicuius Ecclesiastici muneris collationem, per quam aliquis Pastor, vel superior aliorum constituitur, alij verò eius subditi efficiuntur; ideoque hæc potestas extrà sacramentum ordinis datur, & immediatè per hominem confertur; Est, inquam, ità dicen- 515

dum, quia hic loquendi modus cum modo loquendi Conciliorum magis conformatur, & præsertim Tridentini, quod solùm memorat iurisdictionem ordinariam, & delegatam, quarum neutra est potestas ordinis per se sumpta. Deindè Concilia dicunt Sacerdotem carere posse omni iurisdictione absoluendum, cùm tamen potestate ordinis carere non possit ratione characteris impressi. Tandem Tridentinum innuit iurisdictionem, & subiectionem, seu subditum esse correlatiua, seu tanquam relationem, & terminum, & sacerdotes ex vi suæ ordinationis non habere subditos; quarè concludendum est iuxtà modum loquendi Côciliorum id, quod Sacerdos ex vi ordinationis recipit non esse iurisdictionem propriè loquendo, sed esse veluti potestatem quandam ad sanctificandos fideles, qui in peccato existunt; quando eius subditi, & subiecti ab Ecclesia declarati fuerût; quæ tamen cum sit potentia remota, vt ait Doctor, non potest exercere suum actum per modum iudicij, & sententiæ, nisi potestatem iurisdictionis coniunctam habeat, qua mediante reducitur ad actum, quam iurisdictionem tribuit Ecclesia, cùm sacerdoti subditos assignat.

516 Ad Fundamentum oppositæ sententiæ negatur consequentia, cùm enim pœnitentiæ sacramentum per modum iudicij sit institutum, quod requirit, vt sententia valida non proferatur, nisi ab habente iurisdictionem in subditos, quos Sacerdos non habet ex vi ordinationis; ideò verba Christi, quibus potestatem soluendi, & remittendi peccata Sacerdotibus dedit ità sunt intelligenda ex sensu Ecclesiæ, vt nêpè singuli id possent ergà illos fideles, in quos iudicialem iurisdictionem haberent, & quos subditos recognoscerent, vt petit ipsa natura iudicij. Non autem sic intelligenda sunt, quasi in hoc iudicio Christus ipse singulos Sacerdotes fecerit omnibus fidelibus absolutè superiores, vel fidelibus omnibus libertatem, & arbitrium reliquerit eligendi sibi; quem vellent iudicem ex omni sacerdotum numero; sed ad rectam, & necessariam fidelium gubernationem, & huius sacramenti administrationem, commisit Ecclesię hanc determinationem subditorum, ac distributionem faciendam; Vndè Ecclesia hoc faciendo nulli Sacerdoti aufert potestatem ipsi à Christo traditam ex vi ordinationis, sed solùm ponit in singulis pro opportunitate conditionem Superioritatis ad validitatem huius sacramenti requisitam iure diuino, tam ex institutione Christi, quàm ex ipsa natura iudicij. Ad Confirmationem neganda est rursus consequentia, quamuis enim in illo sensu, qui assumitur in antecedente, eadem potestas ordinis dici possit etiam iurisdictionis; non tamen in sensu, quo nos hic loquimur de iurisdictione, quæ importat superioritatem ergà subditos, sed solùm est potestas conferendi tale sacramentum, sicut & potestas consecrandi, & alia sacramenta conficiendi: potestas verò iurisdictionis, quam exposcit natura iudicij, importat propriè loquendo superioritatem ergò subditos, & hæc confertur immediatè ab Ecclesia, & per hominem sacerdoti, non autem à Christo, & ex vi ordinationis; & quamuis hęc quoque in aliorum sacramentorum collatione requiratur, cum hoc discrimine tamen, quod in illis ad licitum vsum tantùm requiritur, in hoc verò etiam ad valorem, quia exercetur per modum iudicij. Et per hoc tandem patet ad vltimum, in hoc enim præcipuè differt sacramentum pœnitentiæ ab alijs, quod non illa per modum iudicij exercentur, sicut istud, ac proindè ad valorem actus non exiguunt iurisdictionem in ministro, & subiectionem in suscipiente, sed tantùm ad licitum vsum, vt suprà dictum est. Itaque potestas ad absoluendum à peccatis, quæ Sacerdoti confertur ex vi ordinationis, non est ex se completa, & sufficiẽs ad validè absoluendum, sed tantùm inchoata nullum subditum determinatè respiciens, perficitur autem ab Ecclesia, quando designat subditos designatione ordinaria, vel delegata.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Difficultates nonnullæ contrà allatam doctrinam explicantur.

517 Contrà communem opinionem iam stabilitam remanent adhuc nonnullæ graues difficultates diluendæ; Primò enim præcipuum eius fundamentum non satis solidum apparet, hoc enim erat, quia hoc sacramentum exercetur per modum iudicii, & iudex non potest iudicare nisi subditum; cùm ergo Sacerdos ex vi solius ordinis non habeat subditos, non potest ex vi illius tantùm actum absolutionis exercere, sed ab Ecclesia vlterius aliam potestatem recipere debet, quæ dicitur iurisdictionis: At hoc fundamentum parui momenti esse videtur, quia hoc sacramentum vtique per modum iudicii exercetur, & Sacerdos à Christo Domino iudex est institutus, sed est iudex arbiter de voluntate partium assumptus: ergo est in facultate pœnitentis sibi Sacerdotem eligere, cui confiteatur, & tunc ei voluntariè fit subditus, & sic Sacerdos potest in eam sententiam dicere.

Respondetur Sacerdotem vi ordinationis vtique constitui Iudicem arbitrarium inter Deum, & peccatores, sed cû plena subordinatione ad Prælatos Ecclesiæ, quod necessarium erat ad rectum ordinem Ecclesiastici regiminis, atque ideò non dicitur iudex arbitrarius, quia sit in potestate pœnitentis eum pro libito sibi eligere, eique auctoritatem iurisdictionis suprà seipsum præbere, vt fit in iudice arbitro ex consensu partium assumpto; quia nullus Sacerdos potest pœnitentem absoluere, nisi ille, cui concessa est facultas, & auctoritas à Summo Pontifice Christi Vicario immediatè, vel mediatè; sed dicitur iudex arbiter, quia à Deo constitutus est Iudex, vt pro arbitrio suo recta ratione regulato causas iudicet inter Deum, & homines, cum pacto ratificandi quod ipse iudicabit, & claue non errante sententiabit.

Secundò arguitur, & est præcedentis responsionis impugnatio, quia si hoc iudicium sacramentale non esset voluntarium, & Sacerdos ipse, vt arbiter, voluntariè assumptus à partibus, sequeretur Papam à nullo absolui posse: sequela probatur, quia Papa neque subiicitur legibus humanis, neq; ipse alteri potestatem ad seipsum absoluendum conferre potest, sicut neque ad excommunicandum in foro exteriori; Vndè nisi ipse voluntariè huic sacramentali iudicio se submittat, à nullo absolui potest; igitur natura, & côditio huius sacramentalis iudicii est, vt sic voluntarium per spontaneam pœnitentis subiectionem; & sacerdotes omnes accipiunt in ordinatione potestatem, qua possent absoluere Pontificem sine vlteriori iurisdictione. 518

Respondent aliqui cum Panormitano, Pontificem non teneri ad Confessionem, atque ideò opus non esse de eius Confessario disputare. Sed hoc non benè dicitur, quia pręceptum Confessionis est diuinum, quo etiam Pontifex obligatur. Alii dicunt, quod quando Pontifex eligit sibi Sacerdotem in Confessarium, non constituit ipsum Iudicem, neque tribuit illi auctoritatem suprà seipsum, quia auctoritas iudicandi ex parte sacerdotis est ab ipso Christo, sed seipsum constituit materiam illius potestatis, quam Sacerdos accepit à Christo, sicut enim Pontifici committitur assignatio materiæ in aliis sic etiam in seipso: ità Becanus *cap.* 38. *quæst.* 3. Sed planè nullum absurdum est dicere ipsum Pontificem, quando eligit sibi Confessarium, constituere ipsum sui Iudicem in illo foro, eique iurisdictionem tribuere in seipsum, nam absque vllo inconuenienti in hoc sacramentali foro id facere potest eo ipso, quod factus est & ipse huius sacramenti capax. Non tamen hinc sequitur, posse pariter alteri communicare facultatem ad ipsum excommunicandum; non enim est par ratio de foro exteriori, & interiori, conditio namque clauis fori exterioris, est suum effectum inducere etiam inuito reo, at Pontifex non potest inuito aliquid pati, cùm sit supremus Dominus; at clauis ordinis ponit effectum suum voluntarium tantùm, nullum autem inconueniens est Pontificem aliquid voluntariè pati pro animæ salute, & ideò voluntariè potest se submittere Sacerdoti, vt ab illo iudicetur, & puniatur.

Tertiò arguitur, quia secundum communiorem opinionem quilibet Sacerdos, estò non deputatus ad confessiones audiendas est idoneus Minister, & habet sufficientem iurisdictionem, siuè à Deo immediatè, siuè ab eodem pœnitente, qui se spontaneè illi subiicit, ergà quoslibet fideles circà materiam liberam Confessionis, idest, peccata venialia ac similiter mortalia aliàs ritè confessa, & absoluta; ergò etiam circà mortalia nunquam confessa, & absoluta: consequentia probatur, quia non minus est actus iudicialis absolutio venialium, vel mortalium alias dimissorum, quàm mortalium nunquam dimissorum, æquè enim per vtramque fit sacramentum pœnitentiæ. 519

Respondet communiter negando consequentiam, & paritatem, quia iurisdictio actiua datur omnibus sacerdotibus vi Or-

vi Ordinis, applicatio autem materiæ respectu mortalium fit ab Ecclesia, at respectu venialium potest fieri ab ipsis pęnitentibus, nam cuilibet pęnitenti liberum est iure diuino subijcere se Sacerdoti cui vult, quoad venialia, quia sunt libera materia confessionis, nam pęnitenti liberum est ea subijcere clauibus Ecclesiæ, vel non, atque ideò liberum est subijcere cuicunque iudici, qui habeat potestatem actiuam absoluendi, non enim est ratio, cur potius hic quam alius, debeat esse Iudex respectu venialium. Quod etiam deducunt ex *cap. Omnes vtriusque sexus*, quia ibi præcipitur, vt singuli confiteantur mortalia proprio Sacerdoti; ergò signum est venialia posse confiteri alieno, & idem dicunt de mortalibus semel confessis, & absolutis, cùm sit par ratio, non enim sunt necessaria materia confessionis; sed libera; ità Caietanus, Medina, Suarez, Coninchius, Lugus, Auersa, Becanus, Henriquez, Bonacina, & alij Recentiores, qui dicunt antiquos Doctores supponere hanc consuetudinem Ecclesiæ, quod quilibet Sacerdos in materia libera absoluere possit, & quod quamuis hoc non sit expressum in sacris Canonibus, & Concilijs, tamen omnes intelligunt, quandocunque in ijs determinatur facultas audiendi Confessiones ad certos, ac deputatos Sacerdotes, sensum esse quoad materiam necessariam, de qua docent teneri fideles confiteri, qualia sunt peccata mortalia non adhuc ritè confessa. Addunt tamen adhuc quamplures istorum, hanc iurisdictionem quoque haberi ab Ecclesia immediatè, & non simpliciter de iure diuino, aut ab ipso pęnitente liberè se subijciente huic, vel illi Confessario in confessione venialium; & hanc esse iurisdictionem non ordinariam, sed delegatam per vniuersalem confessionem quoad hoc factam ab Ecclesia omnibus Sacerdotibus; nec benè dici Sacerdotem talem iurisdictionem recipere ab eodem pęnitente se illi subijciente independenter ab Ecclesia, certè enim hoc ministerium absque iurisdictione exerceri non potest, cùm etiam super materiam liberam exerceatur per modum iudicij, & hæc iurisdictio non potest ab ipsis subditis tribui, qui eam non habent, sed electio solùm Sacerdotis fit à pęnitente, iurisdictio verò, non nisi à Superiore confertur, & ab Ecclesia; iuxtà quem dicendi modum adhuc tantò minus concludit argumentum, quia Auctores sic loquentes non concedunt Sacerdotem simplicem ex vi ordinis habere à Deo prælationem, & iurisdictionem in fideles in materia veniali, & mortali dimisso, sed volunt hanc haberi ab Ecclesia immediatè.

520 Verùm Faber noster *disputat. 25. cap. 3.* versùs finem Bracatus *disputat. 19. articul. 3.* in fine cum alijs negant simplices Sacerdotes posse à peccatis absoluere venialibus, & mortalibus aliàs confessis, quia hoc etiam fieri nequit sine peculiari iurisdictione, cùm etiam super materiam liberam hoc ministerium exerceatur per modum iudicii; Nullibi autem apparet, quod Deus in ordine det hanc iurisdictionem Sacerdoti, quoad venialia, & mortalia dimissa, quia illis verbis *Accipe Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata* &c. instituit hoc sacramentum in remedium contrà peccata indistinctè, nec vlla ratio expostulat, vt ibi constituat Sacerdotes Iudices animarũ cum plena potestate in causis leuioribus, vt sunt peccata venialia, in causis verò grauioribus, vt sunt mortalia, cum auctoritate diminuta. Nec dici potest, quod ab Ecclesia, scilicet Concilio, vel Papa supremam auctoritatem habente concessa sit simplici Sacerdoti huiusmodi iurisdictio, & facultas quoad peccata venialia, non enim apparet à quo Concilio, vel Papa talis concessio facta fuerit. Neque apparet in Ecclesia talem semper extitisse consuetudinem, quia nostris temporibus nullum videmus simplicem Sacerdotem audire confessiones etiam venialium, nisi habeat auctoritatem iurisdictionis ordinariam, vel specialiter delegatam, idque expressè deducitur ex Trident. *sess. 14. cap. 7.* vbi ait in Ecclesia Dei semper fuisse custoditum, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis, & nullius momenti esse absolutionem, quam Sacerdos in eum profert, in quem ordinariam, aut subdelegatam non habet iurisdictionem; & Nauarrus in Manuali *cap. 4.* & in *cap. placuit d. 6.* de Pęnitentia inquit, nullibi legisse, nec vidisse esse in vsu hanc consuetudinem, vt Sacerdos non admissus ab Ordinario absoluat etiam à venialibus. Nec denique ex præcepto confessionis, quod obliget solùm ad confitendum peccata mortalia, rectè deducitur Sacerdotem quemlibet à venialibus absoluere posse, quia præceptum confessionis est de illis tantum peccatis, quæ separant à charitate, & damnationem æternam inducunt, qualia sunt mortalia, de venialibus verò, quia stant cum charitate, nec damnationem inducunt, nullum extat de eorum confessione præceptum.

Quartò arguitur, si præter potestaté Ordinis in ordinatione susceptam alia requireretur potestas in Sacerdote extrinsecus addita, scilicet, iurisdictionis, sequeretur in articulo mortis non posse quemlibet Sacerdotem absoluere pęnitentem, quod est falsum secundum communem omnium sensum; consequentia probatur, quia nulla necessitas mutat Ministrum à Deo institutum; ergo si Minister pęnitentię institutus à Deo pręter ordinis potestatem aliam quoque requireret, v. g. iurisdictionis, Sacerdos carens ea in articulo mortis non esset verus, & proprius Minister. 521

Conf. quia simplex Sacerdos talem auctoritaté ab Ecclesia non habet, alioquin posset Ecclesia illam reuocare in ipso mortis articulo, quod est falsum; ergò talem iurisdictionem habet de iure diuino; alioquin Christus non sufficienter prouidisset per hoc sacramentale remedium animarum saluti.

Respondetur, quod non mutatur Minister huius sacramenti in illo casu, quia in illo quoque est iurisdictionis potestas, quæ etiam immediatè ab Ecclesia conceditur ab ipso, scilicet, Summo Pontifice, vt docet D. Bonauentura 4. *d. 19. art. 3. quæst. 1.* quod expressè deducitur ex ipsis Concilij verbis superius relatis in pietatem Ecclesiæ id reducentibus, dùm inquit, *Piè admodum in Ecclesia Dei custoditum semper fuit, vt nulla sit reseruatio in articulo mortis*; & sumitur etiam ex ipsa forma reseruationis casuum, qua Pontifices mortis articulum semper excipere solent, ità enim supponunt hanc exceptionem non esse de iure diuino factam à Christo; quod etiam ratio ipsa suadet, quia si Christus vniuersaliter extrà articulum mortis non assignauit materiam, seù subditos absoluendos à Sacerdotibus, sed reliquit ab Ecclesia assignandam, ergo reliquit etiam in extrema necessitate, cùm nullum sit testimonium, seù ratio, quarè in vno casu assignauerit, non in alio; Cùm ergo Christus reliquerit Ecclesiæ assignationem, & applicationem subditorum ipsis Sacerdotibus, vt suprà dictum est, nullum est sufficiens fundamentum ad hunc casum excipiendum, & hanc D. Bonauenturæ doctrinam sequuntur Suarez, Vasquez, Lugus, Coninchius, Becanus, Caspensis, Auersa, & alij Recentiores passim.

Ad Confirmationem negatur assumptum, quia licet talis auctoritas posset ab ipso Põtifice reuocari etiam in mortis articulo, tamen ex peculiari assistentia Spiritus sancti in Summo Põtifice dirigendo quoad rectam Ecclesiæ gubernationem, & animarum salutem procurandam, timendum non est vnquam fore tollendam, vel minuendam, sicut semper ab initio data fuit, & absque vlla variatione omni tempore conseruata, esset enim intollerabilis error, quem Deus in sua Ecclesia nunquam permitteret, & hoc pacto Christus huiusque sufficienter prouidit, & in posterum etiam indesinenter prouidebit animarum saluti. Verùm in hoc puncto tria occurrũt dubia, circa quorum resolutionem Recentiores plura dicunt, nos autem breuiter ea expediemus, quia res est penitus moralis.

Primum Dubium est, an quilibet Sacerdos possit absoluere à peccatis non tantùm in articulo mortis, sed etiam in tali necessitate, quæ licet non sic ità extrema qualis est in periculo mortis, est tamen grauis, & vehemens, qualis est in periculo mortis; articulus enim mortis propriè, & in rigore loquendo dicitur, quando certò, & de proximo mors instat; periculum verò, quando sub dubio, vel timore probabili expectatur, vt in prælio, in longa nauigatione, in morbo periculoso, in difficili partu, & similibus. Negant aliqui in vrgenti mortis periculo posse Sacerdotem simplicem audire, & absoluere pęnitentem contendentes hanc auctoritatem esse illi concessam in solo articulo mortis, non in periculo; ità Canus, Soto, Valentia, Couaruuias, & quidam alij Summistæ. 522

Communis tamen, & vera sententia docet etiam in hoc necessitatis casu, & periculo posse simplicem Sacerdotem audire, & absoluere pęnitentem, ità Medina, Sylnester, Suarez, Vasquez, Nugnus, Coninchius, Lugus, Caspensis, Auersa, Diana, & ex nostris Faber, & Poncius *loc. cit.* vbi non distinguunt articulum mortis à periculo eiusdem probabili, vndè per articulum mortis intelligunt illum

illum statum quemcunque in quo probabile est mortem accidere, licet non proximè, & ineuitabiliter, & sic comprehendit casum, quo aliquis debet nauigare Oceanum, in quo plures naues submergi solent, & quo milites erunt ad pugnam, & similes; quæ explicatio articuli mortis fundamentum habet in ipso iure, vbi sacri Canones pro eodem accipiunt articulum mortis, & periculum mortis, *cap. Si quis suadente*, *& cap. 17. quæst. 4. & cap. Eos qui de sentent. excommunic.* in sexto. Et hoc etiam rationi satis consonum est ob animarum remedium, & salutem, ne perditionis periculo exponamur; Quarè sicut fideles non tantum in articulo mortis rigorosè sumpto, quando nimirum proxima est, ac ineuitabilis secundum communem naturæ cursum, sibi consulere, & propria peccata confiteri tenentur, sed etiam in alio quocunque probabili mortis periculo; ità & Ecclesia cuilibet sacerdoti in similibus casibus facultatem audiendi, & absoluendi conferre censetur.

523 Secundum Dubium est, an simplex Sacerdos hanc habeat auctoritatem in prædictis casibus etiam præsente Parocho, vel alio Confessario delegato. Affirmant Nauarrus, Rodriquez, Henriquez, Villalobos, Barbosa, Ledesma, Diana, & probabiliter etiam censent Cardinalis de Lugo, & Caspensis eo quod Concilium Tridentinum in verbis præ allegatis amplam, & absolutam facultatem concedit omnibus Sacerdotibus pro articulo mortis absque vlla exceptione, & limitatione; cùm igitur verba Concilij sint vniuersalia, & nullam conditionem, vel limitationem apponant, & absolutè, ac indistinctè dicat, omnes sacerdotes ea potestate gaudere in eo articulo, nullum est fundamentum ea limitandi, & restringendi, cùm lex ipsa non distinguat, nec restringat.

Communis tamen, & probabilior sententia negat, ità Valentia, Vasquez, Coninchius, Molina, Turrianus, Auersa, Auila, Bonacina, & absolutè Lugus, Caspensis, & alij passim. Probatur ex ipso iure, quia in antiquis Canonibus *cap. Aurelius cap. Presbiteri, & cap. vltim. quæst. 6.* expressè hæc limitatio ponebatur, vt quando haberi poterat facultas à legitimo superiore ad absoluendum infirmum periclitantem, deberet hæc facultas exquiri siuè pro foro externo, siuè etiam interno. Neque censendum est Tridentinum in allegatis verbis plus concedere voluisse vltrà antiqua iura, cùm verbis expressis declaret se confirmare solùm id, quod in Ecclesia Dei custodium semper fuerat, vndè debet intelligi, sicut Ecclesiæ vsus, & antiquiora iura dictabant, vt nempè Sacerdotes omnes in mortis articulo, quando necessitas vrget, nec adest superior habens facultatem, possent à quibuscunque casibus reseruatis absoluere. Accedit etiam congrua ratio huius intelligentiæ verborum Concilij, quia cessante fide legis cessat ipsa lex, finis autem legis huius fuit fidelium necessitati in his casibus, subuenire, vt patet ex illis verbis *Ne ipsa occasione aliquis pereat*; sed hæc necessitas non est, quando adest proprius sacerdos, & superior facultatem habens ordinariam, vel delegatam; Quod tandem cōfirmatur etiam ex vsu, & praxi Ecclesiæ in alijs sacramentis administrandis, quę planè ab alieno sacerdote infirmis non ministrantur, nisi in defectum proprijs.

524 Tertium Dubium est, An hæc facultas sit etiam concessa sacerdotibus excommunicatis, suspensis, interdictis, & hæreticis. Negant Medina, Couarunias, Nauarrus, Soto, Ledesma, & alij. Ratio est, quia censura Ecclesiastica ipso facto tollit iurisdictionem, sed iurisdictio necessaria est ad absolutionem à peccatis: ergò censura impedit talem absolutionem. Affirmat tamen communis, & probabilior opinio, quia ad id etiam instantia necessitatis extenditur, & sacri Canones, ac Trident. Concilium amplè loquuntur absque vlla exceptione; tùm quia hæretici, schimatici, & alij quouis vinculo irretiti sacerdotes non cessant esse Sacerdotes ex hæresi, schismate, & quauis alia censura, & pro illo actu eis iurisdictio non aufertur, iurisdictio enim tollitur sacerdotibus per voluntatem Ecclesiæ, tales enim censuræ sunt ab homine; sed Ecclesia pro eo actu, & in tali casu concedit eis iurisdictionem, quia nullum excipit sacerdotem, vt constat ex Trident. *cit.* Adhuc tamen valdè probabile censeo, quod ait Auersa *quæst. 16. sec. 3.* in fine, quod si adsint simul vnus simplex sacerdos nullo impedimento ligatus, & alius excommunicatus vitandus, vel hęreticus debet præferri sacerdos simplex alteri impedito, dum commodè fieri potest, quia tunc cessat necessitas vtėdi ministerio alterius impediti, & exclusi, de quo plura videri possunt apud Brancatum nostrum *disputat. 19. artic. 9.*

Itaque sequitur ex dictis in hac quæstione, certum esse ex fide ne validè quidem posse vllum sacerdotem audire confessionem, & absoluere à peccatis absque potestate ista iurisdictionis, quod patet ex huius sacramenti institutione, nam sacerdotes ex vi huius institutionis illud administrant cum auctoritate ferendo sententiam remissionis, aut retentionis peccatorum, tanquam Iudices, & superiores quidam fidelium quoad hunc actum in tribunali, & foro conscientiæ; hanc autem auctoritatem ferendi talem sententiam, siuè dicendi ius appellant omnes proposito iurisdictionem, siuè iurisdictionis potestatem; igitur æquè de fide certum est non posse hoc sacramentum validè administrari sine hac potestate iurisdictionis, vt validè feratur illa iudicialis sententia in foro conscientiæ; Sequitur secundò hanc iurisdictionis potestatem, quæ ex diuina institutione necessaria est, vt administratio huius sacramenti sit valida, non omnes Sacerdotes in quoslibet pęnitentes indifferenter habere, sed alios in alios iuxtà Ecclesiæ designationem, ac proindè aliquo modo differre à potestatem ordinis ipsius sacerdotalis. Sequitur tandem potestatem iurisdictionis, quæ vltrà potestatem ordinis ad absoluendum requiritur, & quam nos omnes sacerdotes habent, necessariam ad id esse non ex solo Ecclesiæ statuto, sed etiam ex ipsa Christi institutione, & iure diuino, nam ex Christi institutione est necesse, vt sacerdotes absolutionem impendant, tanquam Iudices; ergo etiam vt ad id habeant iurisdictionis potestatem, quę ad id requiritur, nō enim potest quis munus Iudicis obire signo competente iurisdictionis potestate, vt constat in quocunque foro. 525

QVÆSTIO VIGESIMA.

De sigillo secreti in Confessione seruando.

Sigillum secreti appellant Theologi metaphoricè obligationem illam, qua secretò teneri debent res ex sacramentali confessione cognitæ, sicut clausa esse solent, quæ sigillo obsignata sunt: & quidem cum tanto rigore obligat hoc sigillum, vt communiter Theologi Scholastici, & Morales asserant, non licere sacerdoti, qui confessionem excepit, ex quacunque grauissima causa, nec etiam ob periculum suæ vitæ immò nec ob periculum totius Ciuitatis, vel Republicæ, aut quodcunque particulare, vel commune damnum vitandum, & impediendum, confessionem reuelare, & ea manifestare, quæ in confessione audita, & cognita sunt: Quod quidem sigillum docent oriri ex sola confessione sacramentali, quia hoc præceptum vel intrinsecè oritur ex sacramento, vel illi soli connexum est, vndè obligatio sigilli non oritur ex confessione, quæ non fit intentione sacramentali, hoc est, animo se accusandi in hoc foro, & peccata sua clauibus Ecclesiæ subiiciendi; Ratio autem huius præcepti, & arctissimæ obligationis ex ipsa huius sacramenti institutione pendet, cùm enim hoc sacramento, vt medium necessarium ad salutem pro vniuersa Christiana Republica sit institutum, eius vtilitas cuilibet bono priuato, ac etiam publico totius Regni est præferenda, hæc autem vtilitas ex talis præcepti obseruatione dependet; nam si scirent homines, posse in aliquo casu sua peccata confessa reuelari, statim odiosa confessio redderetur, & ab ea retraherentur, nam probabiliter suspicari possent in alijs etiam casibus similibus id licere, nunc igitur in hac quæstione videndum est, qualis, & quanta sit huius sigilli obligatio, & vndè oriatur, & an aliquo casu confessio pęnitentis reuelari possit. 526

ARTICVLVS PRIMVS.

Quo iure obliget sigillum Confessionis, quos obliget, & ad quas res celandas.

QVod primam quæstionis partem Scotus 4. *distinct. 21. quæstion. 2.* in corpore quæstionis docet obligationem 527

nem huius sigilli triplici iure contineri, nempè naturali, diuino, & humano; naturali quidem, quia manifestando ea, quæ ex confessione sunt cognita violantur aliqua naturalia præcepta; Primum charitatis fraternæ Math. 7. *omnia quæcunque vultis, vt faciant vobis homines hoc facite illis &c.* sed quilibet secundum rectam rationem debet diligere famam propriam, & secretum peccati sui confessi, ergo Confessor debet idem velle confesso, quia reuelatio tolleret famam confesso. Secundum Fidelitatis, quilibet enim de lege naturæ tenetur seruare proximo suo fidelitatem, quam vellet, & deberet velle sibi seruari; sed committens maximum secretum alteri vellet sibi seruari, tanquam secretum, ergo &c. Tertium veracitatis, quia de lege naturæ tenetur quilibet seruare secretum licitum, sed recipiens secretum maximè istud in confessione detectum, & si non explicitè, tamen implicitè promittit se seruaturum, quia sine tali promisso saltem subintellecto non committeretur sibi tale secretum, ergo &c. Quartum denique vnitatis, vel mutuæ vtilitatis, de lege enim naturæ est, quod nullus excludat inferiori recursum ad superiorem in necessitatibus; hæc enim est communis vtilitas membrorum adinuicem, sed reuelatio secreti excludit talem recursum inferioris ad superiorem in consilio animæ, & per consequens influentiam superioris in inferiorem, quia nullus recurreret, si regulariter illud, de quo quærit consilium, vel remedium, non esset seruandum secretum; ergò eadem lege naturæ, qua tenetur quilibet ad seruandum vnitatem corporis Christi mistici, & ad communem vtilitatem alijs, sicut membris in corpore, tenetur celare secretum hoc.

528 Sed Dices, hanc obligationem ex iure naturali non rectè deduci, hoc enim in multis casibus non obligat cum tanto rigore, quoties scilicet, in detrimentum proximi vergit temporale, vel spirituale, vel in damnum publicum, & commune; lex enim naturalis dictat seruandum esse secretum, vt famæ proximi prospiciamus, nisi reuelatio necessaria sit ad euitandum graue damnum proximo, vel communitati iniustè inferendum; at iam suprà dictum est, non licere Sacerdoti ex quacunque grauissima causa etiam ob periculum totius Regni, & Reipublicæ secretum confessionis aperire; ergo talis obligatio non benè ex iure naturali deducitur.

Respondeo argumentum probare duntaxat talem obligationem non ex puro iure naturali humano ortum ducere, sed etiam ex iure naturali diuino Religionis, vt benè notat Caspensis *disp. 7. sect. 1.* & innuit ipse Scotus *loc. cit.* quia supposita institutione diuina huius sacramenti, grauis eis irrogaretur iniuria, seù irreuerentia, si aliquo casu peccatum in Confessione auditum reuelare liceret; hinc enim confessio euaderet fidelibus nimis grauis, & odiosa, & homines rationabiliter retraherentur ab ea; quod esset malum adeò perniciosum; vt damno temporali cuicunque siuè priuato, siuè publico præponderaret, nam Ecclesia careret fructu huius sacramenti; ac proindè ratio ipsa naturalis dictat, supposita eius institutione, vt in nullo casu sigillum hoc rationabiliter frangi possit; vndè reuelando hoc secretum violaretur quoque præceptum naturale Religionis de non violandis rebus sacris, atque adeò sanctitate huius sacramenti supposita eius institutione.

529 Deindè inquit Doctor *loc. cit. lit. F.* etiam iure diuino positiuo hanc obligationem vrgere, Primò quia hoc ipso, quod Christus instituit, & præcipit confessionem peccatorum fieri; censetur etiam instituisse, & præcepisse illam eo modo, quo possit commodè ab ipsis hominibus illorum natura, & conditione spectata, vsurpari; ad hunc autem modum inter cætera illud quoque secretum earum rerum, quæ in confessione aperiuntur, maximè pertinet, nam si ea, quæ sunt in confessione dicta, vulgare liceret, homines communiter à confessione facienda deterrerentur. Rursus, quia Christus statuit arbitrium pęnitentię esse vltimum in terris quantùm ad illud crimen confessum, vt patet ex illo Math. 16. *Quodcunque solueris super terram, erit solutum, & in Cœlis* ergò peccat contrà legem Christi de institutione huius sacramenti quicunque aliquid in isto foro discursum, & in ibi finaliter terminatum ad aliud forum publicum deducit, sed reuelans, quantum in se est, facit quod deduci possit ad aliud forum ergo &c. Tandem quia omnia prædicta præcepta naturalia, quæ frangendo hoc sigillum violantur, sunt etiam scripta in litteris sacris, vt Doctor ostendit *loc. cit.* ergo etiam vrget hoc præceptum, non tantùm ex iure naturali diuino, sed etiam positiuo.

Sed Difficultas est, an hæc obligatio ex iure diuino positiuo per se, & intrinsecè oriatur solùm ex natura ipsa, & institutione huius sacramenti, an potius ex aliquo alio distincto præcepto positiuo de facto à Christo lato circà hoc sigillum, quo hæc obligatio à Christo iniungeretur; Primum affirmant Suarez *disp. 33. sess. 3.* Lugus *disp. 23. sess. 1.* & alij Recentiores, nam ex obligatione instituta à Christo, & fidelibus imposita de suis peccatis confitendis, per se, intrinsecè, & necessariò oriri videtur indissolubilis obligatio Sacerdotis de tacendis peccatis in confessione auditis sic enim imposita est obligatio confitendi fidelibus, vt si rationabiliter timeant suæ Confessionis reuelationem à Sacerdote, non teneantur, illud peccatum confiteri de cuius reuelatione timent; vndè quando etiam non extaret aliud præceptum distinctum à Christo latum de hoc sigillo, tacendis peccatis in Confessione auditis; ex sola huius sacramenti institutione, & obligatione fidelibus imposita de suis peccatis confitendis per se, necessariò, & intrinsecè oritur alia obligatio in Sacerdote de tacendis peccatis in Confessione auditis, vt omnis excusatio præcludatur, & firma sit pęnitentis obligatio ad integrè sua peccata confitenda; adeo quod in huius sacramenti institutione per se, & necessariò includitur arctissima sigilli in Sacerdote obligatio, nec obligatio pęnitentis ad confitendum, & Confessarij ad tacendum vllatenus separari possint. Et in hoc sensu procedere videntur rationes, quibus Scotus probat hoc sigillum esse ex iure positiuo diuino. 530

Verùm quia non tantùm de peccatis mortalibus, quæ tenetur pœnitens confiteri, vrget obligatio sigilli in Confessario, sed etiam de peccatis venialibus, quæ sunt materia libera confessionis, nec tenetur pœnitens confiteri, & liberè prætermittere potest, siuè timeat à Confessario reuelanda, siuè non, ideò Vasquez *quæst. 93. art. 4. dub. 1.* Coninchius *disp. 9. dub. 2.* Auersa *quæst. 18. sect. 1.* & alij plures dicunt ex obligatione confessionis in pœnitente non sufficienter, & adæquatè ex omni parte deduci obligationem sigilli in Confessario, ideoque necessarium fuisse aliud distinctum præceptum positiuum à Christo latum de hoc sigillo, & inuiolabili secreti custodia, etiam non extante obligatione pęnitentis ad confitendum, vt de venialibus contingit; Quod quidem Christi præceptum sufficienter constare dicunt ex perpetua ipsa praxi, & existimatione Ecclesiæ de arctissimo huius secreti vinculo; Qui etiam dicendi modus probabiliter sustineri potest, quia nec aliter, nec alio modo constat de præcepto præmittendi Confessionem antè Eucharistiæ sumptionem, non enim dici potest ex sola institutione sacramentorum Eucharistiæ, & Pęnitentiæ ortam esse obligationem in habente conscientiam peccati mortalis præmittendi hoc antè illud, sed imposita est peculiari præcepto positiuo Christi, de quo tamen non aliundè constat, quàm ex eiusdem Ecclesiæ traditione, quæ in hoc sensu semper dictum illud Apostoli intellexit *probet autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat.*

Deniq; inquit Doctor obligationem Sigilli etiam ex iure Ecclesiastico oriri, vt patet ex *cap. Omnis vtriusque sexus de pœnitent. & remissione*, vbi etiam pęna dispositionis, & perpetuæ pęnitentiæ in arcto Monasterio peragendæ constituitur ijs, qui sigillum hoc violarent, idem patet ex *canon. Sacerdos* de Pęnitentia *dist. 6.* in quibus capitibus id non decernitur, tanquam nouum ius, sed tanquam antiquum, & semper obseruatum. Ex quibus patet sigilli fractionem esse peccatum detractionis, infidelitatis, & Sacrilegij, licet diuersa ratione; nam quatenus est contrà præceptum diuinum, & humanum, est peccatum sacrilegij, quia hæc præcepta obligant peculiari ratione, qua tenemur hoc præstare in materia, & re sacra ad virtutem Religionis spectante; præceptum verò naturale solùm nos obligat ad seruandum secretum sub illa generali ratione, qua tenemur esse fideles in seruando deposito, & alterius famam tueri; Et in fractione sigilli hæc peccata committuntur, etiam si detegatur peccatum solùm veniale, quia semper fit grauis iniuria sacramento, quia de causa Suarez, Nauarrus, Reginaldus, Henriquez, Bonacina, 531

nacina,& alij Morales dicunt,in hac re non dari paruitatem materiæ à peccato mortali excusantem, præsertim cùm ex manifestatione cuiuslibet rei in Confessione auditæ grauia sequi possint incommoda, & confessio reddi possit odiosa, & onerosa. Deducitur ex dictis,inquit Doctor,obligationem celandæ confessionis esse ad semper,& pro semper, quia est præceptum negatiuum, vndè non magis licet post mortem confessi reuelare confessionem, quam eo viuo, contrà quosdam Canonistas apud Couarru. *lib.4. Decretal.par.2. cap.8.* qui dicebant libere Sacerdoti reuelare confessionem pœnitentis post eius mortem, quando id esset necessarium, vt ad impediendum matrimonium nullum, vel quid simile, & hanc Scoti doctrinam de obligatione sigilli Confessionis non solùm sequuntur Faber *disp.34.* Aretinus *4.dist.21. q.2.* Hiqueus ibidem, Poncius *disp.46. qu.12.* Hiribarnes *disp.20. sect.1.* Brancatus *disp.11. art.5.* & alij Scotistæ antiquiores Bassolius,Tataretus, Almainus, sed etiam Recentiores ferè omnes extrà nostram scholam.

532 Quoad secundam quæstionis partem, Doctor *loc. cit.* sub *lit.H.* breuiter docet, non modò Sacerdotem, sed etiam alium quemcunque, qui quouis casu ex Confessione, vel confessario aliquod peccatum cognouit, teneri iure diuino id celare,tametsi non vsque adeò strictè, atque Sacerdos ipse; inter hos autem numerari solent, primò Interpres Confessionis; Secundò qui causaliter, vel ex industria Confessionem audiuit; tertiò, qui se fingit Sacerdotem, & audit Confessionem; quartò is, à quo concilium petit Confessarius; quintò is, cui iniustè pœnitentis confessio à Sacerdote reuelata fuit; Ratio huius assertionis est, quoniam obligatio celandi ea, quæ Confessione sacramentali cognita sunt, tam latè patet,vel patere debet, quam est necesse,vt Religio, & huius sacramenti vsus inter fideles commodè conseruari possit; At propter iustum finem omninò opus est, vt quicunque alij etiam præter Sacerdotem quidpiam secretò ex Confessione cognoscunt,ad hoc sigillum teneantur; ergo ad omnes enumeratos talis sigilli obligatio se se extendit. Diximus tamen non adeò strictè teneri alios hoc sigillo, atque ipsum Sacerdotem,quoniam ipse Sacerdos sicut huius sacramenti Minister,multò magis tenetur ad ea,quæ ad eius conseruationem sunt necessaria; tùm quia confessio apud alios non est sacramentalis,sicut apud illum; tùm tandem quia sacerdos ad id etiam tenetur speciali iure humano,& sub peculiaribus pœnis, quæ non sunt alijs similiter decretæ, & impositæ. Si verò loquamur de Prælato, quando ab eo licentia petitur ad absoluendum aliquem à peccato reseruato, in dubium est obligari sigillo, velut sacerdotem ipsum, quia per talem actum tunc causa ad ipsum defertur, tanquam ad Iudicem superiorem petendo eius delegationem, ibique etiam reperitur quidam vsus clauium in hoc foro, atque adeò tenetur ad sigillum, sicut ipse sacerdos; & idem quoque dicendum, quando etiam Prælatus casum reseruatum non audiret ad absoluendum sacramentaliter, sed tantùm pœnitentiam imponeret, & inferiori absolutionem remitteret; & ratio est, quia ad obligationem sigilli inducendam cum hoc rigore sufficit, quod res in hoc foro alicui dicatur, & deferatur, vt Iudici potestatem clauium habenti in ordine ad inchoandam,vel consumandam confessionem.

533 E contrà verò ad hoc sigillum non tenentur illi, coram quibus pœnitens scienter confitetur quando nimirum ex sua electione ad exercitium humilitatis, & piæ confusionis vult coram alijs confiteri, sic enim faciendo suam dirigit locutionem non solum ad sacerdotem per modum locutionis, sed etiam ad astantes per modum humiliationis; in tali casu, inquam adstantes non ligantur sigillo, quia penitens ipse intendit illis sua manifestare peccata, quæ manifestatio terminos sacramentalis confessionis egreditur, imò neque Confessarius ipse,tanquam vnus ex illis adstantibus tenetur, bene tamen,vt Confessarius; si verò Confessio esset publica tantùm per accidens, & non ex intentione penitentis, vt quando ex aliquo præsenti impedimento peccata sua veniunt in notitiam aliorum, qui non longè distant, sicut quando plures tempore pestis in eodem cubiculo detinentur,vel incendio,aut naufragio, tunc quidem omnes eodem sigillo ligantur,vt suprà dictum est *q.17.art.2. num.473.* Neq; ad hoc sigillum tenetur Laicus,cui in extrema necessitate fit confessio deuotionis gratia, licet teneatur ad secretum naturale; ratio est, quia huius sigilli obligatio oritur ex omni, & sola confessione sacramentali,& dictum est ab initio quæstionis, & est communis omnium sensus; cùm ergò Minister,cui sunt commissæ Ecclesiæ claues,sit solus Sacerdos ex dictis *q.præced.* confessio laico non potest esse sacramentalis, vt Faber aduertit *loc. cit.* cum Suarez *disp.33.sess.2.* contra quosdam oppositum sentiens; Nec valet quod penitens intendat esse sacramentalem, quia intentio penitentis non potest facere sacramentale, quod non est ex se tale, cùm hoc sit munus solius Dei, & si aliter ipse opinetur, est ignorantia legis diuinæ, quæ nullam potest audienti imponere obligationem, nisi secreti naturalis. Neque hoc sigillo ligatur, qui cartam inuenit, in qua penitens sua peccata scripsit ad confessionem faciendam, quamuis enim nonnulli oppositum sentiant, communior tamen, & probabilior opinio affirmat non teneri, nisi ad secretum naturale; & ratio est, quia illa scriptura nullo modo est confessio adhuc inchoata sed valdè remotè, & tantùm est materia confessionis præparata, vt facilius fiat confessio, ità Suarez, Coninchius, Lugus, Granadus, Meratius, Tannerus, Caspensis, Laiman, Auersa, & alij passim. Tandem affirmat communis opinio quod licet hæc obligatio sigilli extendatur ad eos, quibus Confessarius iniustè peccata reuelasset, vt suprà dictum est, non tamen ad eos quibus iustè de licentia pœnitentis; Sed neque talem reuelationem etiam de licentia penitentis iustè fieri posse dicemus infrà.

Quoad tertiam quæstionis partem, scilicet, de quibus rebus celandis in confessione auditis obliget hoc sigillum, ait Doctor *loc. cit. litt. L.* tria præsertim sub hoc sigillo cadere, scilicet, peccatum, circumstantiam peccati, & tertiam personam quæ fuit socia criminis penitentis; Itaque materia huius sigilli, seù res, quæ sub hoc sigillo cadunt sunt in primis omnia peccata, non tantùm mortalia, sed etiam venialia, quia peccatum veniale detectum licet parum infamiæ, vel damni afferret penitenti, grauem tamen iniuriam afferret sacramento, quia etiam talis peccati reuelatio posset displicere penitenti, & sic illum retrahere ab eorum confessione, quæ etiamsi necessaria non sit, est tamen valdè vtilis ad se conseruandum in gratia Dei, & ad proficiendum in vita spirituali. Hoc tamen discrimen notant Theologi passim inter mortalia, & venialia, quod mortalia non solum in specie, sed etiam in genere sub sigillo cadunt, venialia verò in specie, non in genere, quia confessio sine materia saltem peccati venialis consistere nequit, vndè Confessarius, qui diceret penitentem peccata venialia confessum fuisse generatim loquendo, non descendendo ad species, non faceret contra sigillum secreti sacramentalis, quia certum est confitentem adminus venialia confiteri debere, cùm confessio absque his stare nequeat: at dicendo penitentem fecisse, vel confessum esse peccatum mortale faceret contrà sigillum, etiamsi illud in particulari non exprimeret; & similiter, qui diceret penitentem fecisse, aut confessum fuisse peccatum veniale in specie v.g. mendacium. 534

Deindè sub hoc sigillo cadunt quoque peccatorum circumstantiæ, quæ sunt necessariò confitendæ, quia variant species peccatorum, vel faciunt peccata diuersa, & ideò qua ratione opus est peccata tacere, eadem quoque ratione circumstantias peccatorum: Et ob eandem rationem contrà sigillum esset reuelare defectus quosdam naturales, qui occasione peccati, siuè ad eius declarationem in Confessione interdum manifestantur, vt si manifestet se esse illegitimum; & quamuis Vasquez *quæst.97. art.4. dub.3.* censeat non cadere propriè sub sacramentale sigillum, sed solùm sub naturale secretum, quando qualitas rei ità postulat; Communior tamen, & probabilior opinio affirmat cadere quoque sub sacramentali; ità Sotus, Suarez, Coninchius, Bonacina, Auersa, Caspensis, & alij, & ratio est, quia alioquin fieret odiosa confessio; imò magis odiosa, quam ex reuelatione peccati, potius enim vellet penitens sua peccata reuelari, quàm huiusmodi defectus; quarè vniuersaliter loquendo omnes defectus morales, siuè ciuiles, siuè naturales, qui redderent manifestati penitentem odibilem, vel aliquo modo minoris existimationis cogniti per confessionem obligant sub sigillo ob rationem allatam, quia nimirum reuelatio istorum redderet sacramentum odiosum; & appositè dixi *cogniti per confessionem*, nam si alia via cognoscantur à Confessario, hæc secunda cognitio non obligat ad sigillum, sed adhuc cauere 535

cauere debet ne dicat se audiuisse etiam per Confessionem; Aliæ verò conditiones, seù qualitates pœnitentis, quæ non sunt neque peccata, neque defectus morales ciuiles, vel naturales, quæ non reddunt pœnitentem vilem, seù minoris existimationis, etiamsi in confessione sint cognitæ, ad confessionis sigillum non obligant, nisi sub sigillo dicatur; & ratio est, quia non præsumuntur dici, vt secreta naturalia, neque reddunt sacramentum odiosum. Et tandem, vt in hoc regula habeatur vniuersalis, obligatio sigilli non modò ad ipsa peccata pertinet, sed etiam ad quicquid aliud in Confessione cognitum, cuius propalatio possit per se confessionem reddere grauem, & odiosam, atque etiam quicquid est huiusmodi secretò seruandum erit, nam ex eius reuelatione violaretur sanctitas sacramenti per hoc, quod exponeretur comtemptui, quantum est ex vi huiusmodi manifestationis.

536 Denique peccatum complicis etiam cadit sub sigillo confessionis, siuè pœnitens potuerit suum confiteri peccatum sine expressione socij, vel complicis, siuè non, idque suadet Doctor *loc. citat.* quia rationes suadentes non debere reuelari personam pœnitentis probant pariter non debere reuelari personam complicis, quia pœnitens ità famam socij criminis seruare debet, sicut propriam; vndè si persona complicis manifestari posset à Confessario, plurimi à confessione auerterentur, vel in ea non manifestarentur, & sic esset occasio non faciendi integrè, & fideliter confessionem; qua de causa iam diximus suprà *quæst.* 18. *de Integritate Confessionis art.* 2. *numer.* 506. Confessarium ità sub sigillo obligari ad celandum peccatum complicis, sicuti principalis, siquidem interdum plus displicet pœnitenti manifestare complicem, quàm seipsum, quarè si ipsum in confessione manifestat, vel plus, vel saltem æqualiter vult celari seipsum, & complicem. Quandò verò complex indiget correptione, debet Confessarius curare, vt pœnitens ipse eam per se faciat; vel pœnitentem obligare, vt sibi extrà confessionem personam complicis reuelet, dumodò nullum sequatur scandalum, aut irreuerentia sacramenti, aut fractio sigilli, vt communiter Doctores aduertunt.

537 Ad maiorem verò dictorum intelligentiam duo aduertenda sunt; Primum est, ad fractionem sigilli duo esse necessaria, nimirum vt peccatum in confessione auditum reueletur, ac etiam persona ipsa pœnitentis, nec vnum sine alio sufficere ad sigilli fractionem; nam potest reuelari persona pœnitentis dicendo, quod sit benè confessa, si nullum reueletur peccatum; & è contrà possunt reuelari peccata, si nullum sit periculum reuelandi personam; atque ideò ad fractionem sigilli vtrumque requiritur. Alterum est, quod cùm diximus hoc sigillum ex sola oriri confessione sacramentali, hoc non tantùm intelligendum est de valida, & perfecta, quæ scilicet, simul cum absolutione sacramentum perficit; sed etiam de inchoata, & imperfecta, facta tamen animo consequendi absolutionem, vtraque enim ordinatur ad sacramentum: Ex quo sequitur sub hoc sigillo cadere non tantùm peccata à Sacerdote audita nullam habente iurisdictionem, sed etiam à Laico se sacerdotem fingente, vt suprà dictum est; quia talis etiam confessio fit à pœnitente animo consequendi absolutionem; Secus autem est si confessio fiat laico cognito, vt tali, hæc enim non inducit obligationem sigilli sacramentalis, etiamsi fieret animo consequendi absolutionem ex ignorantia confitentis, quia id procedit ex errore priuato pœnitentis, vt suprà dictum est *num.* 539.

538 Petes, quomodo debeat respondere Confessarius, quandò interrogatur de peccatis in Confessione auditis, etiamsi sub sacramento, & à Iudice interrogetur. Respondetur posse, & debere etiam cum iuramento negare ea se scire quia semper interrogatio præsumitur fieri de rebus humano modo notis; & an sciat tale peccatum ea scientia, quæ deseruire potest ad illud dicendum, de qua scientia homines interrogare solent. Quod si interrogans iniustè vrgeat, & sensum interrogationis determinet, & petat, an nouerit in Confessione pœnitentem peccatum illud fecisse; Communis sententia affirmat posse, & debere etiam cum iuramento respondere, se id ex confessione nescire, subintellecta restrictione vt possit alijs dicere, quia licet non possit semper homo respondere interrogationi Iudicis cum tali limitatione, aut restrictione in mente, quando nimirum est iustè, ac legitimè interrogatus; benè tamen potest in hoc casu, in quo adest iusta, & rationabilis causa ad sic negandum, etiamsi interrogans ea responsione decipiatur, cùm illicitè interroget; vndè sic æquiuocando cum restrictione mentali non mentietur, nec consequenter peierabit, si iurauerit se non audiuisse; Alij verò, quibus non satis placet illa iam communis sententia, quod liceat æquiuocare cum restrictione mentali, quando quis non est legitimè interrogatus, quia adhuc mentiretur, dicunt Confessarium sit interrogatum debere alio modo euadere, & dicere, quod non tenetur respondere de rebus ad forum conscientiæ pertinentibus, & quod non respondebit, etiamsi mortem subire deberet, ità Paludanus, Sotus, & alij, quos sequitur Poncius *disp.* 46. *cit. quæst.* 12 *num.* 156. Attamen à communi recedendum non est, quam expresè etiam docuit Scotus 4. *d.* 15. *quæst.* 4. propè finem, vbi ait Sacerdotem interrogatum de peccato in confessione audito dicere debere, nihil mali scio istum fecisse, quia loquitur, vt in publico, audiuit autem in alio foro, & sic etiam sentiunt Faber *disp.* 34. *cit. cap.* 3. *n.* 65. Aretinus *dist.* 21. *q.* 2. *art.* 13. alij Scotistæ passim, qui proindè dicunt Sacerdotem in tali casu non mentiri.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An possit Confessarius de licentia pœnitentis reuelare eius confessionem, & personam.

Sensus quæstionis, an pœnitens possit dare licentiam Confessario, vt quæ audiuit in Confessione absque alia narratione earundem rerum extrà confessionem alijs possit reuelare, & loqui de illis, in qua difficultate duæ sunt extremæ sententiæ. Prima est affirmatiua, & dicitur esse D. Thomæ 4. *dist.* 21. *quæst.* 3. *art.* 2. & est communis apud Recentiores Scholasticos, & Morales, vt videri potest apud Suarez *disp.* 33. *sec.* 5. Auersam *q.* 18. *sec.* 7. & alios, quam etiam sequitur ex nostris Poncius *disput.* 46. *cit. qu.* 13. propè finem. Negatiua est Scoti *dist.* 21. *sec.* 2. in solutione ad primum principale, vbi ait non licere pœnitenti dare licentiam Confessario ad sigillum Confessionis aperiendum, & peccatum in eo foro auditum manifestare, & vt licitè id Confessarius facere possit, debere illud ei extrà confessionem aperire, quæ etiam fuit sententia Alensis, Durandi, Maioris, Aureoli, & sequuntur Scotistæ passim tam veteres, quàm Recentes Almainus, Tataretus, Bassolius, Aretinus, Faber, Hiqueus, Brancatus, & alij; Aretinus tamen hoc Scoti dictum limitat hoc modo, quod in generali, & sine aliqua causa nequit Sacerdos ex sola facultate pœnitentis peccata reuelare, quæ per solam sacramentalem confessionem nouit; attamen ex legitima causa, & respectu alicuius peccati particularis sufficit, quoad pœnitens det facultatem Confessori reuelandi confessionem, quamuis non narret illud extrà confessionem, quia istæ sunt æquiualentes, concedo tibi facultatem reuelandi furtum, quod tibi sum confessus, & scias me hoc furtum commisisse, quod etiam est fundamentum Poncij *loc. cit.* Hæc secunda sententia videtur probabilior, licet prima sit communior, vt potè magis fundata in ratione, & lege huius sacramenti, vndè Auctores primæ sententiæ non videntur consequenter loqui, dùm dicunt sigillum Confessionis esse intuitu sacramenti, etiam de lege naturali diuina, & non solius pœnitentis, & posteà hoc non obstante asserunt posse tolli hoc sigillum per voluntatem pœnitentis; & hanc secundam opinionem non solùm docuit Scotus *loc. cit.* sed etiam D. Bonauentura *d.* 21. *part.* 2. *art.* 2. *q.* 2. ac etiam Ricardus eadem *d.* 21. *ar.* 4. *p. ad* 1. principale, quamuis pro opposita sententia citentur, vt ex eorum verbis expresis colligit Faber *disp* 34. *cit. c.* 3. & Hiqueus *d.* 21. *q.* 2. in Commentario. 539

540 Primò itaque probatur hæc sententia ex Scoto *loc. cit.* ratione efficacissima fundamentum Aduersariorum directè destruente, sigillum secreti, & lex de eo inuiolabiliter seruando non est introducta in fauorem, & gratiam solius pœnitentis, sed ex iure totius Ecclesiæ, & communitatis, & ex reuerentia huius sacramenti, & ex his tenetur sacerdos specialiter ad sigillum Confessionis, neque quoad hoc subest pœnitenti; ergo de licentia solius pœnitentis nequit peccata confessa reuelare, nec pœnitens potest huic iuri cedere; sicut à simili nequit Clericus renunciare priuilegio Canonis *si quis suadente*, neque priuilegio exemptionis à iurisdictione temporali, quod conceditur ob bonum status Ecclesiastici, & subdere se temporali iudicio, sunt enim hæc

priui-

priuilegia introducta in fauorem totius Ecclesiæ, ac status Clericalis, non verò in fauorem tantùm huius, vel illius Clerici.

Respondent Suarez *loc. citat.* & alij post ipsum negando consequentiam, quia etsi sit ius commune, tamen pœnitens potest illi cedere, quia illa propositio. Nemo potest cedere iuri communi, est vera quando actio priuata cedit in detrimentum communis boni, & dispendium eius quod non accidit in proposito, quando de voluntate pœnitentis reuelatur confessio; ad probationem consequentiæ negant paritatem in proposito, & in casu de exemptione Clericorum, quia hoc intuitu ordinis fit, ideoque nequit Clericus apud Iudicem sæcularem iudicari, aut percuti etiam de licentia propria, quia hoc verteret in detrimentum totius status Clericalis. Verùm hanc solutionem directè impugnat Doctor *loc. citat.* quia ex tali reuelatione; continuò sequeretur perturbatio in Ecclesia, & quilibet passim reputaret alium abominabilem; si enim mihi reuelatur à Sacerdote Petrum eius pœnitentem aliquod peccatum abominabile fecisse, opus est, vt statim malam de illo opinionem concipiam, & sicut de Petro hodiè concipitur mala fama ob talem reuelationē, sic de Francisco cras audire poterit, atque ità progressu temporis perturbatio in tota communitate sequeretur; & ideò bonum priuatum pœnitentis, quod ex hac reuelatione interdum consequi posset, non debet præponi bono publico, sed postponi. Ex quo etiam patet, tenere paritatem in argumento assumptam, sicut enim priuatus Clericus renunciare non potest priuilegium, & iudicio temporali se subdere, quia exemptio à tali iudicio conceditur in bonum communitatis, & totius status Clericalis, & illud priuilegium exemptionis non est personale, sed totius communitatis; sic pariter contingit in casu nostro, nam sigillum confessionis est priuilegium totius communitatis non particularis personæ pœnitentis; si ergo hac ratione Clericus iuri exemptionis renunciare non potest, ità nec pœnitens iuri sigilli, neque enim in eo casu fit maior iniuria bono communi, quàm in nostro, quia etsi Clericus ille iuri suo Ecclesiasticæ immunitatis renunciare velit, non per hoc aufertur alijs priuilegium illud, quod idem etiam accidit in casu nostro.

541 Respondent proindè alij absolutè negando antecedens, quia lex de sigillo seruando introducta est in fauorem, & gratiam solius pœnitentis, non autem totius Ecclesiæ, & communitatis, ac proindè negant paritatem de exemptione Clericorum assumptam, quia illa facta est in fauorem totius status Clericalis. Sed hæc responsio adhuc minus subsistit, quia sigillum confessionis est de lege naturæ, & diuina positiua, vt dictum est *art. præced.* ne homines ab hoc sacramento retraherentur; non ergò sigillum est statum præcisè in fauorem istius pœnitentis particularis, sed istius, & aliorum, & ideò est ius communitatis, cui particularis persona præiudicare non potest.

Confirmatur, quia si sigillum violaretur sine licentia pœnitentis, non solum in tali casu ius pœnitentis violaretur, sed etiam totius communitatis, quia redderetur hoc Sacramentum odiosum, & contemptibile, quod plurimum Ecclesiæ, & communitati noceret; ergò non solùm obligat sigillum ex iure pœnitentis, nec solum in eius fauorem, & gratiam hæc lex constituta est, sed etiam communitatis, & reuerentiæ Sacramenti intuitu. Denique Sacramentum hoc institutum est in bonum commune tanquam medium ordinarium legis, ergo etiam quicquid annexum est tali institutioni; sed lex de seruando sigillo annexa est huic institutioni, & ob reuerentiam sacramenti facta est; ergo mediante hac institutione, & lege intuitu communitatis facta, ius communitati acquiritur, ne sigillum violetur; quod etiam ex eo patet, quod pœna violationi sigilli imposita non solùm respicit fauorem pœnitentis, sed reuerentiam sacramenti, & bonum totius communitatis; atque ideò finis primarius huius legis est fauor sacramenti, & bonum Communitatis; fauor autem pœnitentis secundariò se habet, & tanquam finis secundarius extrinsecus.

542 Secundò probatur ex eodem Scoto *loc. cit.* quia obligatio sigilli non est tantum in fauorem pœnitentis, sed principaliter intuitu sacramenti, ne reddatur odiosum, & nimis onerosum, imò fauor ille intantùm ad pœnitentem spectat, inquantum secretum sacramenti ex lege naturali, & positiua diuina, & humana est inuiolabile; at harum legum dispensatio non subest soli pœnitenti, neque Confessarius ex sola licentia pœnitentis potest ab his vinculis liberari; quia pœnitens non est suprà has leges; ergo non potest ex sola licentia pœnitentis dispensari, vt ei liceat aperire sigillum.

Respondet Suarez, præceptum sigilli ità de iure diuino latum esse in fauorem sacramenti, vt sine licentia pœnitentis non possit reuelari confessio, quod præceptum, & fauor in tali casu non relaxatur sola voluntate pœnitentis, sed ponitur conditio, cum qua desinit obligare; vndè hæc licentia pœnitentis non est dispensatio præcepti, & legis, quam certum est pœnitentem non posse facere, sed est mutatio materiæ, quoniam sensus præcepti est, quod hoc secretum seruetur iuxtà voluntatem pœnitentis, & ità nulla interuenit dispensatio, sed solius materiæ præcepti mutatio.

Sed falsum est omninò sensum huius præcepti esse, vt seruetur iuxtà voluntatem solius pœnitentis, & hoc erat à respondente probandum, hoc enim est, quod directè negamus, quia cùm hoc præceptum sit latum in fauorem Sacramenti principaliter, & bonum communitatis, vt probatum est, eius sensus esse nequit, vt seruetur iuxta voluntatem solius pœnitentis; & cùm hoc præceptum sit huic sacramento necessariò annexum ex eius institutione, sicut sacramentum est inuariabile, ità & materia illius; sed huius materia, sicut & præcepti sigilli sunt peccata in confessione exposita; ergò non est in potestate subditi, & pœnitentis, vt illa non sint materia præcepti huius sigilli.

Tertiò probatur ex absurdis, hinc enim plures darentur malorum occasiones; nam in primis, vt arguit Hiqueus *l. c.* 543
daretur occasio mentiendi in confessione, & fallendi Confessarium, nam diffamatus de aliquo crimine, quod commisit, licet de eo non sit conuictus, posset confiteri negans se tale crimen commisisse, & posteà Confessario licentiam dare vt confessionem reuelet, & dicat reum non esse talis criminis sibi impositi conscium, vt sic euaderet pœnas, & infamiam, quod esset maximus huius sacramenti abusus; Item possent Principes, & Iudices varijs artibus homines inducere ad dandam hanc licentiam Confessarijs, & modo ità occulto, vt nec Sacerdos id animaduertat, crimina detegere, & ad forum externum deducere, quod esset maximum huius sacramenti ludibrium; probatur sequela, quia Confessarius habita licentia rei potest reuelare, ergo si subest damnum ex silentio, interrogatus supposita tali licentia potest, & tenetur reuelare.

Respondent, Confessarium non posse vti sacramento in hunc finem, & si vtatur, fidem non esse adhibendam Confessario reuelanti confessionem etiam de licentia penitentis. Contra, quia tenetur Confessarius per medium licitum eum saluare, quem putat innocentem; ergo potest vti scientia confessionis ex voluntate pœnitentis in profectum pœnitētis, & aliorum, ne puniatur innocens; Et si non est adhibenda fides Confessario reuelanti confessionem ex licentia etiā pœnitentis sine alia probatione, iam penitus inutilis esset talis reuelatio; neque hoc dici potest absque maxima huius sacramenti iniuria, nam magis videtur adhibenda fides confessioni sacramentali reuelatæ de licentia pœnitentis, quàm cuicunque probationi, & purgationi Canonicæ; tùm quia præceptum de sigillo sacramenti voluntati pœnitentis non subditur, nisi ad aliquem profectum, vel ipsius pœnitentis, vel aliorum, sed nullus profectus sequi potest, nisi fides debeatur Confessario; ergò frustrà ponitur posse confessarium reuelare confessionem pœnitentis, cùm hoc prodesse nequeat nec pœnitenti, nec alijs.

Quartò tandem, vel potest Confessarius reuelare confessionem de licentia penitentis alteri cum transfusione sigilli, 544
itaut eodem sigillo ligatus maneat, qui talem audit confessionem, vel sine tali transfusione; Neutrum videtur dici posse rationabiliter, non quidem secundum, quia ex tali libertate, & publicitate delicti reuelati sequeretur maior diffamatio penitentis, & perturbatio in Ecclesia, vt dictum est deducendo primam rationem; at neque primum videtur rationabiliter dici posse, quia tunc esset in potestate pœnitentis extendere sigillum confessionis, & restringere ad libitū suum, quod planè extenuat, & vilificat huius sacramenti sigillum; vndè hoc concedi nequit, nisi in casu, quod talis reuelatio esset necessaria ad perficiendam confessionem, nimirum causa consultationis, vel consilij, nam in tali casu potest licitè Confessarius de licentia pœnitentis eius peccata reuelare, quando ipse est minus instructus, aut idoneus ad decidendos conscientiæ casus, & tunc ille, cui fit reuelatio peccati con-

consultandi, remanet eodem sigillo ligatus, veluti adiutor, & comminister eiusdem confessionis; solùm ergo in hoc casu est licita reuelatio confessionis de licentia pœnitentis, quando nimirum manifestatio confessionis, & pœnitentis sit necessaria, aut opportuna ad eundem confessionis finem, vt ritè, & integrè perficiatur confessio; at extrà hunc casum nunquam est licita reuelatio peccatorum in confessione auditorum nec in generali, nec in speciali; vndè omninò vana est limitatio, quam addebat Aretinus ab initio articuli citatus, dicens, quod licet in generali, & sine aliqua causa nequeat Sacerdos ex sola pœnitentis licentia licitè peccata reuelare in confessione audita, attamen ex legitima causa, & respectu alicuius peccati particularis potest; hæc, inquam, limitatio est inutilis, quia rationes adductæ vniuersaliter probant id non licere, nisi in solo casu iam posito, scilicet, causa consultationis, quæ inseruit ad eundem confessionis finem, non verò ad alium diuersum, & extrinsecum, & à confessione alienum, quamuis adhuc vtilis esset ad alium bonum finem.

545 In oppositum Primò objiciunt, quia licitum est vnicuique renunciare iuri suo; ergo confitenti cum ius suum sit peccatum suum celari, licet huic iuri renunciare, licentiando Confessorem, vt non teneatur illud celare.

Confirmatur, quia hoc sigillum, quamuis sit sacrum, continetur tamen sub genere secreti, & eius naturam, ac rationem participat; at secretum potest dici de voluntate committentis secretum: ergo etiam hoc secretum sacramentale; patet consequentia, quia non datur lex specialis prohibens, neque ratio, ex qua colligatur illud esse illicitum. Denique adducunt casum in *cap. Officij de pœn. & remiss.* vbi constat Sacerdotem consuluisse Papam de quodam peccato, quod mulier sibi confessa fuerat, hoc autem aliter fieri non potuit, nisi de licentia pœnitentis.

Resp. ex dictis in prima ratione pro nostra sententia, peccatum confessum debere celari non tantùm esse ius pœnitentis, sed etiam totius communitatis, quia ex tali reuelatione sequeretur continua perturbatio in Ecclesia, nam quilibet passim reputaret alium infamem, & abominabilem; licet ergo pœnitens possit cedere iuri suo, non tamen potest cedere, siuè destruere, & tollere ius communitatis; Imò dato, quod sigillum secreti esse tantùm ius pœnitentis, & in fauorem ipsius inductum, adhuc illi renunciare non liceret quoad hoc, quod Confessor sit liber ad reuelandum ex licentia ipsius, nam, etiam hac habita non potest Confessor reuelare peccatum in confessione auditum, quia iure naturæ, & diuino tenetur illud celare, vt suprà dictum est, nec pœnitens potest illum dispensare, quod faciat contrà ius naturale, & diuinum, ità Doctor *loc. cit.*

Ad Confirmationem negatur consequentia, quia quamuis hoc sigillum sub genere secreti contineatur, eiusque naturam, & rationem participet; adhuc tamen vlterius addit specialem rationem secreti sacramentalis, cum ex primaria ratione sit institutum fuerit in fauorem ipsius sacramenti, & totius Ecclesiæ, ideò non stat in sola voluntate committentis, sed Christi Domini instituentis hoc forum pœnitentiale ob bonum sacramenti, & totius Ecclesiæ esse secretissimum.

Ad vltimum, vtique Sacerdos ille consuluit Papam de peccato ab illa muliere in confessione audito, sed non detexit mulierem in propria persona, sed in generali, quia casus ille contigit in partibus valdè remotis.

546 Deindè objiciunt ex ipsa praxi, & communi existimatione, pœnitentes enim putant se posse dare, & solent dare talem licentiam, & Confessarij putant se posse accipere, & exercere.

Confirmatur, quia concedunt omnes causa consilij, aut consultationis posse Confessarium de licentia pœnitentis eius peccata reuelare, quando ipse est minus instructus, & idoneus. Tandem Scotus concedit posse pœnitentem dare licentiam Confessario licitè peccata sua reuelandi, si iterum illa explicitè narret extrà confessionem, sed istæ duæ sunt æquiualentes, si dicat extrà confessionem, scias me hoc furtum commisisse, vel dicat, concedo tibi facultatem reuelandi furtum, quod tibi sum confessus; ergo si illo modo licitè licentia conceditur, & absque vllo absurdo, etiam & hoc secundo modo.

Respondetur praxim, & communem existimationem esse, quod reuelatio fieri possit à Confessario de licentia pœnitentis, quotiescunque est necessaria, aut opportuna ad eundem confessionis finem, vt ritè, & integrè perficiatur, nam in tali casu potest pœnitens Confessario licentiam dare consulendi, & adeundi alterum peritiorem ad consultandum casum, qui eodem sigillo ligatus maneat, vt dictum est num. 550. quartam deducendo rationem.

Ad Confirmationem patet per idem, tunc enim manet obligatio sigilli etiam in eo, cui peccata communicantur ex sola confessione de licentia pœnitentis, de quo casu hic non loquitur, sed de casu publicæ scientiæ, & manifestationis ad alium finem à confessione alienum, ex qua non sequeretur obligatio sigilli in eo, cui reuelatur peccatum de licentia pœnitentis.

Ad vltimum negandi est minor, nam longè diuersa est materia dicere, aut reuelare peccatum ex sola confessione auditum, & notum; & reuelare peccatum alia via notum, quia peccata manifesta alicuius potest dicere Confessarius ex scientia publica facti, non tamen dicere potest eadem peccata, tanquam ex confessione audita; vndè habita narratione peccati extrà confessionem, iam Confessor scit illud duabus vijs, scilicet, per viam confessionis, & per hanc aliam viam, quæ non est confessionis, & in tali casu potest reuelare peccatum, tamen non potest dicere, scio in confessione Petrum commisisse tale peccatum, sed debet dicere, Petrus hoc mihi dixit, vt ibi illud reuelarem, & communicarem.

Dices, maius damnum sequitur ex licentia per manifestationem extrà confessionem, quàm per licentia in confessione concessam Confessario; ergo si potest in eo casu, poterit etiam in isto; probatur assumptum, quia si pœnitens concedit licentiam aperiendi sigillum in confessione, & non narrat peccatum extrà confessionem, illa licentia est reuocabilis, pendet enim ex voluntate dantis, vndè potest illam concessam reuocare; at verò si semel extrà confessionem dixit, quę prius in confessione dixerat, illa licentia est irreuocabilis, nec potest facere pœnitens posteà, vt Confessor tantùm in confessione illud sciat. 547

Respondeo gratis concedendo modum illum dandi Confessario licentiam de reuelando secreto fore magis commodum, & vtilem pœnitenti, quàm per manifestationem extrà confessionem ob rationem adductam; at ille modus nimis derogat dignitati sacramenti, & confessionis sigillo, quod non decet sic esse in manu pœnitentis, vt illum claudere, & aperire possit ad libitum; & iam suprà probatum est, non solùm lege naturæ, sed lege positiua diuina, & humana tale sigillum esse Confessario præceptum, à quibus ipsú eximere non est in potestate, & manu pœnitentis.

Dices rursus, præceptum sigilli eatenus tantùm iure diuino obligat, quatenus est in gratiam, & fauorem pœnitentis, ne ei fiat iniuria per eius fractionem; sed quando ipse licentiam concedit, nulla fit ei iniuria; ergò tunc cessat illa obligatio.

Respondeo negando assumptum, iam enim supra dictum est obligationem sigilli à Deo institutam esse, non tantùm in gratiam, & fauorem pœnitentis, sed etiam in gratiam, & fauorem sacramenti, ac etiam totius Communitatis, imò finem primarium huius legis esse fauorem sacramenti, & bonum totius Communitatis, fauorem autem pœnitentis secundario se habere, & tanquam finem secundarium, & extrinsecum, vt dictum est num. 547. & 548.

Itaque ex dictis concludendum est, quod licet opposita sententia sit probabilis ob multitudinem Doctorum eam sequentium, tamen vt aduertit Hiqueus *loc. cit.* in praxi non est trahenda, nisi valdè parcè, & cum magna discretione, quia in re tam delicata, & zelosa circumspectio valet, neque de facili casus formari potest, nisi in causa consultationis, vt suprà dictum est; & ideò meritò dixit S. Bonauentura *loc. cit.* melius esse, quod pœnitens ipse, quando sibi videtur necessarium, vel opportunum pro bono proprio, vel alieno, manifestet alijs peccata sua, quàm vt Confessarius se ingerat in periculis, & suspicionibus, & maximè in re dubia, in qua consulere debet reuerentiæ sacramenti, & communi vtilitati, quam priuatæ voluntati pœnitentis, sic enim vitatur scandalum, & non corrumpitur sigillum confessionis, quæ sunt formalia verba Seraphici Doctoris; ex quibus patet hanc eius fuisse germanam opinionem, sicut & Doctoris nostri Subtilis, quem immeritò prorsus Poncius *loc. cit.* in oppositam sententiam trahere nititur, dicens, quod quando negat Confessarium ex licentia pœnitentis peccata confessa reuelare posse intelligendus est in hoc sensu, 548

sensu, quando nimirum ex reuelatione peccati audiri in confessione sequeretur præiudicium communitatis aut sacramenti; Hæc enim explicatio nihil prorsus suffragatur imò est ad oppositum satis enim suprà probatum est, talem reuelationem etiam de licentia pœnitentis factam non sine magno Communitatis præiudicio, & reuerentiæ Sacramenti in vllo casu contingere posse, nisi in causa consultationis.

ARTICVLVS TERTIVS.

An absque violatione sigilli possit Minister vti scientia habita per confessionem in alijs negotijs, & factis.

549 PRima sententia absolutè negat in vllo casu vnquam licitum esse Confessario ad actus externos vti scientia, & notitia habita ex confessione; vndè consequenter infert, non posse negari suffragium indigno ex sola confessione cognito, nec Superiorem Subditum ab officio etiam aliàs voluntate Superioris amouibili mutare, & vniuersaliter aliquid ex tali notitia facere, vel ommittere, quod aliàs Confessarius facturus, vel ommissurus non esset, etiam ad vitandum quodcunque damnum; Vndè si Confessarius à pęnitēte aliquo agnoscat, sibi ab eo cum alijs paratas fuisse insidias ad occidendum eum in via, vel immissum fuisse venenum in vino præparato ad celebrandum, ideoq; si declinet ab eo itinere, vel celebrare recuset, socij delicti participes, & conscij conijciant, vel conijcere possint notificatas ei fuisse in illa confessione à socio facta insidias, asserit hæc sententia in tali casu non esse licitū Confessario ea confessionis scientia vti ad euitādam mortem fugiendo, vel non celebrando, sed omninò debere mortis periculo se subijcere, quia se exponit morti propter causam iustam, scilicet, ne reuelet confessionem, & si moritur, vt martyr moritur; ità Lugus, Auersa, Amicus, Hurt. Casp. Layman, & Diana *p.5. trac.11. resol.46.* vbi plures alios *cit.* Fundamentum præcipuum, & vnicum huius sententiæ est, quia hoc diuinum sacramentum, quod in animarum salutem est institutum, tanquam secunda tabula post naufragium, redderetur hominibus exosum, & nimis graue, si pęnitentes existimarēt posse amoueri ab officijs, & sibi negari suffragia, & alia incōmoda subire ob notitiam in confessione habitam. Neque ad hoc opus esse dicunt, quod pęnitens sciat, aut suspicetur id fieri occasione confessionis, in quo casu omnes admittunt esse contrà sigillum; sed sufficit, quod homines antecedenter sciant Confessarios posse vti illa scientia in confessione habita, nam eo ipso à confessione retraherentur, & redderetur illis grauis nimis, & onerosa, quod planè contrà animarum salutem resultaret, & contrà honorem, & religionem huic sacramento debitam. Hoc etiam confirmant ex Bulla Clem. VIII. quam motu proprio pro Regularibus edidit ann. 1591. die 26. Martij, in qua præcipit, ne Confessarij ad superioritatis gradum euecti scientia de aliorum peccatis in confessione habita vtantur ad externam gubernationem, de qua licet ibi præcisè loquatur, tamen ex eius verbis necessariò colligitur, idem in alijs materijs dicendum esse.

550 Secunda sententia affirmat posse Cōfessarium vti scientia ex confessione habita, conuenienti diligentia, & prudentia adhibita, quando id expedit propter bonum proprium, vel pęnitentis, vel communitatis, vel alterius innocentis, tam spirituale, quam temporale, dummodò sigillum confessionis directè, vel indirectè non violetur, & scandalum omninò vitetur; & ratio est, quia huiusmodi vsus non est contra sigillum confessionis, vt supponitur, nec aliundè habet adiunctam malitiam, ergo est licitus; ità D. Thomas hoc loco *q.11. art.1. ad 3.* D. Bonau. *d.22. p.2. art.2. q.1.* Scotus *dist.22. cit. quest.2.* in solutione principalium, vbi exactissimè præ alijs agit de hac re, quem sequuntur Scotistæ omnes supracitati, & ex Recentioribus Suar. Vasq. Coninch. Bonac. qui plures alios citant; Quæ sententia valdè probabilior; & mitior censeri debet, quia si vsus ille absq; periculo reuelationis directè, vel indirectè, explicitè, vel implicitè non esset licitus; sequeretur Cōfessarium in confessione audientem sibi insidias parari, venenum, & mortem, non posse ea vitare modis, & vijs debitis, quibus deueniri non possit ab alijs in probabilem notitiam auditæ confessionis; neq; debere abstinere à confitendo alicui, quem in confessione scit non esse Sacerdotem, & alia similia, quæ licet omnia gratis à contraria sententia admittantur, valdè tamen dura videntur, & aspera.

Quoniam verò totus difficultatis cardo in hoc consistit, quomodo id fieri possit sine reuelatione confessionis directa, vel indirecta, seu explicita, vel implicita, Doctor *loc. cit.* in solutione ad 3. principale hanc regulam generalem assignat, quod quotiescunque signum natura sua non est expressiuum per se peccati confessi, sed de se indifferens ad significandum peccatum confessum, aut non confessum, etiamsi aliquibus ex aliquo supposito sit magis determinatum ad significandum peccatum confessum, non est signum per se reuelatiuum confessionis nec explicitè, nec implicitè, nam facta possunt esse signa æquiuoca, quia diuersimodè à diuersis concipi possunt ad hoc, vel illud significandum, & potest ex tali æquiuocatione contingere temerarium iudicium, & falsa præsumptio, atque ideò inquit Doctor, quod tale signum non debet reputari reuelatiuum confessionis, nisi ex natura sua prodeat peccatum confessum; Hinc posteà deducit, quod Confessarius ad vitanda pericula sibi, vel aliis imminentia post auditam confessionem potest vti quocunque facto, dicto, vel signo, dummodò non sit determinatè ex natura sua manifestatiuum peccati confessi, sed sit æquiuocum, & indifferens potens à pluribus motiuis procedere; nam reuelatio confessionis est illa manifestatio, qua venitur in notitiam determinatæ personæ siuè facto, siuè dicto; quarè eum per signum indifferens in talem cognitionem non deueniatur, positio talis signi indifferentis reuelatio confessionis censeri non debet, sed alia humana actio; si ergo Confessarius non habet signa indifferentia ad vitandum periculum, vel damnum aliquod sui, vel proximi, sed illa solùm, quæ determinatè, & vniuocè ducunt in cognitionem peccati, & confitentis, non potest ijs vti; sed tantùm signis indifferentibus, siuè æquiuocis, quæ de se, & ex natura sua personam peccatoris confessi non manifestet, verbi gratia, si Confessor sciret Petrum esse occidendum, si die tali, & in talem locum se conferat, & ipse curet, vt talis occidendus in aliquo seruitio occupetur tunc domi, vel in alium pergat locum, planè omnes istæ diuersiones sunt facta, quæ non significant Confessorem scire hunc esse occidendum, alioquin ijs in esse positis quilibet eo ipso idipsum sciret, hoc enim est de ratione signi determinati in significando, quod idem ostendat apud omnes. 551

Neque vti scientia habita in confessione hoc modo, & per talia signa indifferentia ad vitandum graue damnum proprium, vel alienum, redderet hoc Sacramentum hominibus exosum, aut graue nimis, quia vt benè discurrit Brancatus in præsenti, nullum habet pœnitens motiuum iustum iudicandi hoc sacramentum exosum, vel onerosum, nisi quando ad illud sequuntur quædam onera, quæ non sunt illi ex necessitate, & natura illius annexa, seu ex institutione, qualia sunt erubescentia, dolor, satisfactio &c. sed ex arbitrio ministrorum; sed onus illud, quod sequeretur ad vsum notitiæ confessionis sine periculo reuelationis explicitæ, vel implicitæ, non esset arbitrarium, sed sequens sacramenti naturam ergo &c. Maior patet, minor probatur, quia sicut Confessio naturaliter includit, & necessariò diffamationem confitentis apud audientem, & odium peccatorum, quæ confitetur; ità etiam essentialiter includit, vt notitia ex confessione habita reddat Confessarium prudentem, & cautum in actionis suis, qui non sint reuelatiui illius, nec directè, nec indirectè, ad euitanda mala sibi probabiliter imminentia, vel proximo. Neque hoc, quod homines antecedenter sciant, quod Confessarius potest hoc modo vti scientia in confessione habita, debet illis confessionem reddere odiosam, & onerosam, quia id nullum damnum illis potest afferre, cum supponatur, vsum talis notitiæ sic exerceri, vt nullum sit periculum reuelationis personæ confitentis, & peccatorum eius. Tùm quia non quodcunque quod confessionem reddit difficilem, est illicitum, alioquin casuum reseruatio illicita foret, nam certum est hanc subditis esse valdè difficilem; ergo etiamsi hæc licentia vtendi scientia confessionis eam redderet difficiliorem, non indè sequeretur esse illicitam. 552

Nec etiam obstat decretum Clementis VIII. suprà relatum, quia in primis Pontifex illud statuit pro Regularibus tantùm, multa autem Regularibus prohiberi solent, quæ licent aliis; tùm quia Pontifex intelligendus est de vsu scientiæ, ex quo directè, vel indirectè reuelaretur peccatum, vel redderetur confessio difficilior, aut qui caderet in pęnitentis 553

nitentis detrimentum, vt explicant Poncius, Brancatus, & alij Scotistæ; alioquin inter Regulares hoc sequeretur absurdum, quod subditus data opera posse Superiori suas nequitias, & inhabilitates confiteri ad illum impediendum, ne illa scientia vtatur ad impedienda illi officia, & dignitates; Vndè valdè probabilis est doctrina Scoti *loc. cit.* in solutione ad penultimum, quam plures alij posteà sunt amplexi, posse Prælatum ex sola notitia in confessione habita non admittere, vel amouere subditum ab eo officio, vel ministerio, ad quod admitti, vel amoueri à sola Superioris voluntate pendet, quia tunc nullum est periculum reuelandi confessionem, cum soleant alij ab illo amoueri, vel non admitti; non posse tamen amouere, vel non admittere subditum ad officium, vel exercitium, ad quod admitti, vel amoueri ex sola Superioris voluntate non pendet, ex notitia tantùm habita in confessione; hæc inquam, doctrina, & regula satis est probabilis, quia ex vsu talis notitiæ nullum sequitur periculum reuelandi peccatum confessum; & ex alia parte licitum est talem adhibere notitiam ad honestas actiones peragendas, præsertim quando illæ in bonum pœnitentis vergunt, vt in proposito est amotio personæ à loco, vel officio, in quo pœnitens de facto periclitatur, & occasionem habet peccandi. Hac etiam eadem ratione plures afferunt Confessarium posse negare suffragium illi, quem ex confessione nouit esse indignum, dummodò ità cautè deneget, vt pœnitens de hoc facto nullam possit habere suspicionem, ità Villalobos in Summa *tom. 1. trac. 9. diffic. 75.* cum alijs; quam tamen doctrinam non puto tam probabilem, sicut præcedentem; nam etiamsi ignoretur hic, & nunc Confessarium vti scientia per confessionem habita ad negandum pœnitenti suffragium ad aliquod officium consequendum, ipsa tamen persuasio, quod possint Confessarij ex notitia peccatorum in confessione habita priuare, vel impedire pœnitentes ab honoribus, & dignitatibus consequendis, à sacramentali confessione animos pœnitentium multum retraheret, & in hoc casu concedo, quod prima sententia obijciebat in suo fundamento superius relato.

554 Ex dictis plures decidi possunt casus, qui in hac materia proponi solent; Primò Confessarium, qui nouit in confessione insidias sibi ab aliquo parari, posse domi se continere ex tali notitia, ne occidatur, sicut etiam ab eo loco, in quo per confessionem nouit sibi necem parari, potest recedere, & fugere, occasione aliundè suscepta, vt docet Doctor *loc. cit.* in solutione ad 3. & eadem ratione Sacerdotem, qui per confessionem nouit vinum ad Missam, paratum esse veneno infectum, posse Missam prætermittere, occasione tamen aliundè desumpta, vtitur enim Sacerdos in his casibus iure suo, nec indè sequitur vlla confessionis reuelatio directa, vel indirecta, nec pudor, aut confusio pœnitenti, quæ confessionem odiosam reddere possint. Item deciditur alius casus, an, scilicet, ex notitia in confessione habita teneatur, vel possit Confessor vitare excommunicatum, inquit enim Doctor in solutione ad vltimum, quod si Confessor sciens aliquem esse excommunicatum habeat aliam viam eum vitandi absque eo, quod vtatur via in confessione habita, debet eum vitare; si verò non habeat, sed ex ea vitatione manifestetur confessio, non solùm non tenetur vitare, sed neque est ei licitum vitare, & dat vniuersalem regulam, quod quando duo præcepta vrgent, quæ contraria videntur, illud quod est superius magis obligat, & ideò firmius est seruandum, nec seruans illud, & prætermittens aliud peccat, quia nullus ex lege diuina, & Ecclesiastica est perplexus.

555 Deindè soluitur alter casus, si nimirum Confessarius ex confessione nouit aliquem non esse Sacerdotem, potest in posterum abstinere à confessione illi facienda, cui anteà confiteri consueuerat, in hoc enim casu nullus pudor, nulla confusio, nec vllum damnum sequitur pœnitenti, nec ob id pœnitens à confessione retrahetur, sed hoc potius Confessario laudi, & prudentiæ adscribetur, vt notat Bonacina cum alijs ab ipso citatis *disp. 5. q. 6. sec. 5. punc. 4.* Rursus Confessarium non posse suum errorem commissum in audienda pœnitentis confessione manifestare, quoties ex illius erroris manifestatione imminet periculum, vt proprius Confessarius veniat in cognitionem peccati pœnitentis; non enim potest quis ad explicandum proprium peccatum in confessione reuelare peccatum alterius in confessione auditum, quia præceptum sigilli est arctius, quàm præceptum de integritate confessionis, vt docet Doctor *loc. cit.* in solutione ad 4. Item Confessarium non posse Eucharistiam denegare ob peccatum in confessione auditum sicut nec Episcopus potest Clericum in confessione auditum ab ordinibus suscipiendis repellere; quia indè sequeretur pudor, & confusio pœnitenti, & hæc est indirecta quædam peccati reuelatio, per quam confessio odiosa redderetur; & eadem ratione Parochum non posse à matrimonio repellere pœnitentem ob solum peccatum, vel impedimentum in confessione cognitum, quamuis enim teneatur illum in confessione admonere, vt à tali matrimonio desistat, tamen extrà confessionem non tenetur illum repellere, nec admonere sine eius licentia, quod etiam Bonacina notauit *loc. cit.* cum Sayro, Sanchez, Coninchio, & alijs in materia de Matrimonio.

Denique ait Doctor *loc. cit.* in solutione ad secundum principale Confessarium non posse vti scientia, & notitia in confessione habita cum periculo reuelationis alicuius pœnitentis directa, vel indirecta, ad tuendum bonum temporale, non solùm alicuius particularis hominis, verùm etiam totius Mundi, aut etiam ad tuendum commune bonum spirituale Ecclesiæ; Et ratio est; quia iniuria fieret sacramento, confessio redderetur odiosa, & fideles ab hoc sacramento retraherentur, si vnquam sigillum confessionis violare liceret; Tùm quia nullum est tam graue malum, quod fractioni sigilli confessionis præponderet, quæ ex Dei præcepto ad reconciliationem hominis cum Deo necessaria est; Ex quo patet Confessarium, qui ex confessione nouit proditionem imminere Ciuitati, vel periculum hæresis ob nonnullos latentes Hæreticos, non posse proditionem Ciuitati futuram, vel hæresis periculum manifestare, quoties periculum est, vt auctor detegatur; sed in his casibus Confessarius potest, ac debet obligare pœnitentem, vt apud Iudicem competentem denunciet complices hæreticos, aut aliam perniciem machinantes in damnum Reipublicæ; ità Suarez, Auersa, Henriquez, Reginaldus, Bonacina, & alii Scholastici, & Summistæ passim, vndè concludit Doctor *loc. cit.* reprobandum esse carmen illud Iuristarum, ***Est heresis crimen, quod nec confessio celat***, vt falsam continens doctrinam. 556

Sed contrà doctrinam ex Scoto allatam, quod Confessarius ad vitanda pericula sibi imminentia, & insidias sibi certo loco paratas post auditam confessionem à complice, possit illas declinare, & aliò diuertere modo prudenti, & indifferenti, quo non manifestatur intentio, & hoc facere posse sine reuelatione confessionis etiam indirecta, quia talis modus est æquiuocus, & indifferens, & non determinatus ex natura sua ad manifestandum peccatum in confessione auditum; contrà hanc doctrinam, inquam, arguunt nonnulli, quia ex ea sequeretur nullam dari posse indirectam reuelationem confessionis ex facto, si in præsenti casu non habeatur, quia hoc non abstractim sumptum, & absolutè est signum reuelationis, sed hic, & nunc quatenus digressio Sacerdotis est coniuncta scientiæ habitæ in confessione; ergo in tali casu, & in his circumstantijs fit reuelatio confessionis saltem indirectè, nam huiusmodi reuelatio quasi semper fit supposita aliqua notitia, & certis conditionibus hic, & nunc, quibus existentibus signum illud est manifestatiuum confessionis saltem indirectè. 557

Ad huius obiectionem solutionem plura dicunt Faber, & Aretinus *loc. cit.* sed breuius, & clarius dicendum est cum Hiqueo in præsenti, quod quando factum est tale ex circumstantijs, vt signum sit vniuocum, tunc vtique causare confessionis reuelationem saltem indirectè; in casu autem proposito non est tale, quia nullæ circumstantiæ per factum Sacerdotis adiunctæ declarant eius intentionem ex scientia in confessione habita conceptam esse, modò non adhibeat alia signa, & circumstantias ex quibus exterius proderetur intentio fugæ, aut declinandi insidias; nam si complex criminis intenti, & homicidii pergat simul cum latronibus, quamuis sciant esse confessum, neque aliud in facto monstrat; possunt prudenter præsumere non fuisse confessum tale peccatum, sed potius ad illusionem, ac cum decipiendum confessionem simulasse; non enim magis fundatur suspicio ex facto Sacerdotis concepta, quàm præsumptio fundata in facto latronis, qui in exteriori se simulat socium paratum criminis; ex quo patet ad obiectionem negandam esse consequentiam, quia illa scientia merè per accidens se habet ad iudicium, quod formant latrones.

Dices, ergò etiam licitè posset Sacerdos locum insidiarum

decli-

declinare, & aliò diuertere, etiamsi sciat, confessum complicem à latronibus interficiendum esse ob reuelationem insidiarum illi factam in confessione hoc autem magnum videtur absurdum, quia multum derogare videtur huic Sacramento, quod aliquis ratione illius posset tam graue nocumentum pati.

Respondetur Sacerdotem in tali casu licitè posse adhuc id facere, nam si sequatur mors complicis confessi, non esset in causa factum Sacerdotis, quia ad illud iudicium manifestè non inducit, nec vniuocè; vndè Sacerdos non esset propriè, & per se causa occisionis sui pœnitentis, quæ temerariè fit à latronibus ex facto Sacerdotis, quod interpretari potest ex alia intentione, quam ipse exterius prætendit.

QVÆSTIO VIGESIMAPRIMA.

De Satisfactione Sacramentalis.

558 ADuertit Scotus 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. ab initio satisfactionem dupliciter sumi posse generaliter, scilicet, & specialiter; primo modo inspecta est redditio voluntaria æquiualentis aliàs indebiti, quam definitionem declarat ibi Doctor per singulas particulas, & iam nos ex professò declarauimus *lib.* 3. *sent.* *Disput.* de Satisfactione Christi; & satisfactio sic generaliter accepta importat actionem, qua quis facit quantum debet, qualis est actio soluendi respectu debitoris soluentis debitum creditori, ac etiam compensandi iniuriam illatam, quæ fieri solet per contritionem, & per actus virtutis pœnitentiæ. Specialiter verò accepta est actio afflictiua corporis, vel animæ, per quam Deo voluntariè satisfacimus pro pœnis temporalibus ex peccatis relictis, & per pœnitentiam à Deo condonatis; Quamuis enim aliquandò ità remittatur culpa, vt nulla supersit luenda pœna pro ea, vt contingit in Baptismo, & Martyrio, & dùm peccator tam intenso, & perfecto contritionis actu à peccato resurgit, vt nulla supersit pœna pro eo luenda.

Regulariter tamen in iustificatione, in qua virtute sacramenti pœnitentiæ culpa simul cum pœna æterna remittitur, aliqua temporalis pœna remanet in hoc, vel futuro sæculo luenda, vt fides Catholica docet contra nostri temporis Hereticos, & definitum fuit ab Eugenio Quarto in Decreto Fidei, & à Tridentin. *sess.* 6. *c.* 14. & *sess.* 14. *cap.* 8. quod etiam expresse ex Sacra Scriptura deducitur, ex qua constat remissa culpa non semper totam remitti temporalem pœnam, nam 2. Regum 12. remisso Dauidis peccato, adhuc morte filij punitus est, & idem legitur de Moyse, & Aaron Num. 14. vt fusè Faber ostendit *disp.* 35. *cap.* 1. cum alijs Recentioribus.

559 Neque id derogat, infinitæ perfectioni satisfactionis Christi, vt instant Nouatores, sicut enim non repugnat infinitæ perfectioni meritorum eius, quod nobis peccata non remittantur, nec gratia infundatur absque nostra cooperatione; ità neque perfectissimæ Christi satisfactioni pro nobis exhibitæ, vt remissa culpa, & pœna æterna, remaneat adhuc alicuius pœnæ temporalis reatus, pro quo cum Dei gratia satisfacere possimus, & debeamus; nam licet satisfactio Christi fuerit infinita quoad sufficientiam, vt Theologi loquuntur, quatenus nobis meruit dona gratiæ, quibus efficimus opera satisfactoria pro peccatis commissis, & pœna illis debita; non tamen fuit infinita quoad efficaciam, itaut absque vlla nostra cooperatione debitum pœnæ in nobis ex peccato relictæ remittatur, Et quamuis vt ait Doctor *loc. cit.* §. *quantum ad iustum* de potentia absoluta loquendo potuisset Deus plures, aut pauciores res à nobis acceptare, tanquam satisfactiones pro quibuscunque peccatis, & pœna eis debita; de potentia tamen ordinaria disposuit nullam remissionem concedere, & nullam satisfactionem accipere, nisi in virtute passionis Christi, quem ex Apostolo ad Romanos 3. *proposuit propitiatorem per fidem in sanguine ipsius ad ostensionem iustitiæ suæ*, vndè nullum meritum, nulla satisfactio, nec satispassio nostra potest esse Deo accepta, & æquiualens peccato, vel simpliciter, vel ex acceptatione diuina, nisi sit coniuncta cum meritis, & passione Christi; disposuit enim Deus nullum peccatum remittere, nisi per obsequium magis sibi gratum, quam peccatum hominis fuerit displicens; tale autem obsequium Deo gratissimum est oblatio Christi pro nobis exhibita; quarè de potentia ordinata non est possibile satis fieri Deo pro peccato, nisi in virtute passionis Christi.

Quamuis autem Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. in solam Dei voluntatem, & Christi institutionem reducere videatur, quod semper in Sacramento baptismi tota pœna remittatur, non verò in Sacramento Pœnitentiæ, ità exigente diuina iustitia, & Christi institutione, qui tali modo, & ritu hoc Sacramentum ordinauit, vt in illo debeat huiusmodi satisfactio adhiberi; adhuc tamen certum est prædictam pœnam temporalem post peccati remissionem manere luendam, non ex sola Dei voluntate, sed etiam ex natura rei, peccator enim non est pœna dignus, quia Deus vult; sed quia peccauit, nec plenè satisfecit. Vndè quamuis ex voluntate Dei pendeat grauiorem pœnam, quàm meretur reus, in leuiorem commutare, dignitas tamen pœnæ luendæ ex voluntate Dei nullatenus pendet; & in hoc sensu intelligendum est Concilium *loc. cit.* non enim diuinæ tribuit voluntati, quod in baptizatis nulla pœnæ dignitas remaneat, & quod maneat in his, qui gratiam baptismalem amiserunt; sed tantum quod ijs hac pœna dignis Deus eam non remittat, illis verò maximè, & totam misericorditer condonet, vt ex eius verbis expressè colligitur, quia nimirum regulariter antè baptismum ignoranter peccatur, non verò post baptismum; hoc tamen adhuc in pœnitentis vtilitatem resultat, nempè vt cautior reddatur in posterum ad vitanda peccata; proculdubio enim, inquit Concilium, magnoperè à peccato reuocant, & quasi fræno quodam coercent hæc satisfactoriæ pœnæ, cautioresque, & vigilantiores in futurum pœnitentes efficiunt. 560

In hac igitur quæstione sermo est de Satisfactione specialiter sumpta, vt, scilicet, importat compensationem pœnæ temporalis debitæ ob iniuriam Deo illatam, quæ consistit in operibus pœnalibus, & laboriosis à Confessario taxatis; quod consultò additur, quia nulla actio, vel passio laboriosa hominis pœnitentis dici potest pars huius sacramenti, nisi à Sacerdote absoluente imponatur, vt colligitur ex *cap. Ab infirmis*, & *cap. Tempora d.* 26. *q.* 7. & ex Tridentin. *cit. in can.* 15. vbi ait, quod actus ligandi, quem potestas clauium includit, in hoc consistit, vt pœnitenti imponatur pœnitentia aliqua, ad quam veluti ligatur à Sacerdote, atque ideò vt actio satisfactoria sit pars huius sacramenti, debet à Sacerdote imponi; Et quidem si haberi posset satisfactio sacramentalis absque sacerdotis impositione, in nullo saluari posset actus ligandi positiuus in foro pœnitentiali, sed tantùm negatiuus, scilicet non absoluere, ligare enim negatiuè est peccata retinere non absoluendo; at Sacerdos per potestatem clauium non tantùm habet actum ligandi positiuum in foro externo per censuras, sed etiam in foro pœnitentiali, & interno per impositionem satisfactionis pro pœna temporali ex peccatis iam dimissis relicta, ligare enim positiuè est ad aliquid obligare. Accedit quod satisfactio, quæ est pars sacramenti, habet hunc effectum tollendi pœnam temporalem remanentem ex opere operato, vt mox dicemus, quamuis autem multis alijs satisfactionibus spontaneè assumptis possit homo pœnæ temporalis remissionem obtinere, hoc tamen nequit præstare ex opere operato, sed tantùm ex opere operantis, quia nullo modo huiusmodi actiones à pœnitente voluntariè assumptæ, & non à Sacerdote iniunctæ, eleuantur à clauibus, nec alius apparet modus; quo satisfactio pars sacramenti euadere possit, & consequenter hunc effectum præstare ex opere operato; eleuatur ergo satisfactio, quæ est pars sacramenti, ad talem effectum ex opere operato præstandum, quatenus à Confessario imponitur, vt Ministro Christi, & prout sic imponitur dicitur materia partialis huius sacramenti, quod totum significauit etiam Doctor *loc. cit.* quoniam verò de hac sacramentali satisfactione nonnulla controuertuntur in Scholis, de his breuiter agendum est in sequentibus. 561

ARTICVLVS PRIMVS.

Qualis pars huius sacramenti sit satisfactio, & quem conferat effectum.

COnceduntur omnes satisfactionem à Sacerdote impositam virtute clauium esse aliquo modo partem huius sacramenti, ità enim definitum est in Concilio Florentino in decreto de sacramentis, & in Trident. *sess.* 14. *capit.* 5. & *can.* 4. sed est difficultas, an sit pars essentialis, vel solùm 562

lium integralis; & communis opinio affirmat non esse partem essentialem, sed tantùm integralem; Fundamentum est, quia satisfactio non ordinatur ad primarium huius sacramenti effectum, qui est gratiæ infusio, & culpæ remissio, sed solùm ad secundarium, qui est remissio pœnæ temporalis relictæ ex peccato iam quoad culpam, & pœnam æternam remissio.

Confirmatur, quia sacramentum hoc verè conficitur, & confert gratiam antè satisfactionem expletam, nulla autem res absolutè potest esse sine parte essentiali; & hoc præsertim patet de sacramento collato moribundo, cui ob impotentiam nulla imponitur pro peccatis satisfactio.

Conueniunt item omnes, paucis quibusdam exceptis, satisfactionem à Confessario iniunctam, vt partem sacramenti, aliquem effectum conferre ex opere operato, quia pars dicitur, quæ integrat naturam totius, atque ideò naturam totius aliquo modo participare debet; nequit ergo satisfactio esse pars huius sacramenti, nisi aliquo modo eius naturam participet; Conueniunt etiam omnes huiusmodi effectum esse remissionem pœnæ temporalis restantis post absolutionem à culpa, quia satisfactio est pars sacramenti pœnitentiæ à Christo Domino instituta, ac proindè necessariò aliquam significationem habere debet sacramentalem, vt verè pars sacramenti dici possit; Sacerdos autem dùm pœnitentiam imponit, hoc facit auctoritate Christi, & potestate à Deo accepta, significans se illam loco pœnæ imponere, & ad expiandum ab illa; opus ergo est, vt hunc effectum liberandi pœnitentem à debito pœnæ conferat ex opere operato; aliàs sacramenta non efficerent id, quod significant, significat autem Sacerdos se virtute clauium per satisfactionem, & pœnitentiam impositam remittere illam pœnam debitam; ergo re vera id præstat, & efficit.

Sola difficultas est, an satisfactio sacramentalis vltrà prædictum effectum, etiam ex opere operato gratiam causet, aut augumentum gratiæ sanctificantis, & communior opinio negat. Ratio est, quia satisfactio sacramentalis non significat remissionem culpæ, nec ad eam significandam à Christo est instituta, imò supponit iam culpam remissam per gratiam sanctificantem, quæ non remittit pœnam temporalem, vt constat, sed tantùm instituta est satisfactio sacramentalis ad remissionem pœnæ; non est ergò, vndè colligamus, quod ex opere operato concurrat ad collationem gratiæ sanctificantis, vel ad eius augumentum; nec ex eo, quod sit pars integralis huius sacramenti, hoc enim tantùm conuenit partibus essentialibus; satisfactioni verò sacramentali, quod sit quasi complementum gratiæ, & integritas remissionis culpæ, quatenus per eam tollitur reatus ad pœnam, & ob hanc causam dicitur pertinere ad integritatem sacramenti, & ad plenam, & perfectam peccatorum remissionem; ità Caspensis, Amicus, Coninchius, Vasquez, Lugus, Henriquez, & alij Neoterici, & Faber ex nostris *disp.* 35. *cit. cap.* 11.

563 Quoad primam quæstionis partem resolutio pendet ex dictis superius *quæst.* 11. *art.* 1. *num.* 314. quod, scilicet, satisfactio imposita à Sacerdote in vno sensu dici potest pars essentialis huius sacramenti in alio verò pars integralis tantùm, in hoc nimirum sensu, vt satisfactio in voto, hoc est, propositum saltem implicitum satisfaciendi sit pars essentialis sacramenti, vt docet Doctor 4. *dist.* 16. *qu.* 1. *E.* qui enim contritus, vel attritus confitetur, habet etiam votum, & propositum satisfaciendi, idest, soluendi pœnam post absolutionem remanentem, nam si peccator tale propositum saltem implicitè non haberet, sed potiùs voluntatem contrariam, vel saltem negatiuam, sacramentum non conficeretur, atque ideò in hoc sensu pars eius essentialis censeri debet; Satisfactio verò in re exhibita non est pars essentialis, sed integralis tantùm, & hoc est quod probat ratio sententiæ communis adducta, quia enim perfecta est sacramenti essentia antè executionem satisfactionis iniunctæ, ac etiam collata iustificationis gratia; ideò satisfactio reipsa exhibita pars essentialis sacramenti censeri non debet, sed tantùm integralis, licet enim ad primum, & præcipuum eius effectum, nempè remissionem culpæ, non sit necessaria, adhuc tamen conducit ad secundarium effectum, scilicet, ad remissionem pœnæ temporalis, & ideò satisfactio sic sumpta dicitur tantùm pars integralis, non essentialis, quia sine ipsa subsisteret vtique essentialiter sacramentum, sed veluti mutilum, vt corpus humanum sine brachio, vel pede, nam satisfactio reipsa exhibita est quasi complementum gratiæ, & integritas remissionis culpæ, quatenus per eam tollitur reatus ad pœnam, & ob hanc causam ad integritatem sacramenti pertinere dicitur, vt *loc. cit.* explicatum est, & ad plenam, & perfectam peccatorum remissionem.

Sed Dices, satisfactio in voto non est quid sensibile, ergo neque pars sacramenti pœnitentiæ, sed tantùm, vt in re exhibita, & executioni mandata. 564

Respondeo quod licet non sit sensibilis formaliter, & in se, sit tamen sensibilis per signa externa eius acceptationem indicantia, eo modo quo diximus *loc. cit.* attritionem, vel contritionem esse partes essentiales huius sacramenti, quia licet importent actus internos spirituales, quia tamen fieri possunt sensibiles per eorum manifestationem, hoc sufficit, vt sint partes huius sacramenti; Tùm quia ex superius dictis impotens confiteri ex aliquo naturali defectu adhuc absolui potest virtute confessionis in voto, quæ licet sit spiritualis, adhuc censetur pars essentialis huius sacramenti ob signa externa, quæ dedit ille huiusmodi voti; Tùm tandem quia aliquando etiam pro satisfactione imponi potest actus merè internus, & spiritualis, scilicet, Fidei, vel Spei, aut Charitatis; Sic ergò pariter satisfactio in voto dici potest pars essentialis huius sacramenti, manifestari enim potest, & fieri sensibilis per voluntariam acceptationem satisfactionis impositæ; licet enim dùm pœnitens absoluitur, non adsit satisfactio in re, quæ possit cum alijs partibus ad infusionem gratiæ, & deletionem culpæ concurrere; adhuc tamen votum efficax illius, quod tunc pœnitens habet, concurrit ad tales effectus dispositiuè in genere moris, sicut alij actus pœnitentis, mouendo, scilicet, Deum moraliter ad tales effectus producendos.

Quò autem ad alteram quæstionis partem de effectibus à satisfactione sacramentali collatis, consequenter dicendum est, non tantùm pœnæ temporalis remissionem eius effectum, sed etiam suo modo culpæ, & pœnæ æternæ per collationem gratiæ. Ratio est, quia vt benè Brancatus aduertit *disp.* 22. *art.* 2. & 9. non sufficienter saluatur, quod satisfactio sit pars huius sacramenti per hoc præcisè, quia delet pœnam temporalem, sed vt talis dicatur; debet quoque suo modo cum alijs compartibus delere remissionem culpæ, & pœnæ æternæ per collationem gratiæ; hic enim est primarius, vt principalis huius sacramenti effectus, de ratione namque sacramenti est esse signum efficax gratiæ, & sacramenta vniuersaliter loquendo gratiam continent, quam significant; ergo vt verè, & propriè aliqua dicatur pars alicuius sacramenti, debet aliquo modo concurrere ad collationem gratiæ, nec sufficit vt ad alium consequentem concurrat effectum, vt in proposito est pœnæ temporalis remissio. 565

Confirmatur, quia dari potest totum pœnitentiæ sacramentum absque pœnæ temporalis deletione; vt patet de moriente absque impletione satisfactionis in hac vita, & de implentem satisfactionem non obligato ad pœnam, quia fortè tota in sacramento remissa fuit, vel deleta per indulgentias; ergò per hoc præcisè satisfactio non est pars eius; consequentia patet, quia nihil dici potest propriè loquendo pars alicuius sacramenti, quod non sit signum efficax, quando essentia talis sacramenti ponitur. Denique nec obstat, quod satisfactio imponatur tantùm pro solutione pœnæ temporalis remanentis ex Concil. Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 8. & *can.* 15. nam Concilium non loquitur cum tali limitatione, & particula exclusiua; & licet hunc effectum satisfactionis specificet, vt eius proprium, supponit tamen habere alium communem cum alijs partibus, qui est primarius, & principalis, immò cum dicat *cap.* 3. satisfactionem concurrere cum alijs pœnitentiæ partibus per modum materiæ, planè innuit ipsa quoque effectum illum attingere debere, quam forma, & reliquæ partes ex parte materiæ se tenentes attingunt, qui est peccati remissio per gratiæ collationem; adhuc tamen verum est talem effectum attingere, non vt in re exhibitam, & executioni mandatam, sic enim tantùm attingit remissionem pœnæ temporalis, sed tantùm vt in voto assumptam modo iam explicato. Ex quo tandem deducitur, quod satisfactio à Sacerdote iniuncta, & à pœnitente exequenda dicitur pars huius sacramenti, & ad vtrumque eius effectum concurrit, tam, scilicet, primarium, qui est remissio culpæ, & pœnæ æternæ, quàm secundarium, & minus principalem, qui est remissio pœnæ temporalis; cum hoc discrimen tamen, quod vt ad primarium concurrat,

rat, debet esse volita, & saltem in voto haberi: vt verò concurrat ad secundarium nempè pœnæ temporalis remissionem, debet esse in re exhibita, & executioni mandata; quod si in re non poneretur ex accidenti aliquo, non obindè cessaret causare effectum primarium, & adhuc dici partem sacramenti, quod iam fuit; quod saluari non potest in opposita sententia, quia in tali casu nullo modo esset pars sacramenti, nec essentialis, nec integralis.

566 Et ex hoc patet quid sit dicendum ad rationem adductam pro contraria sententia: falsum enim est satisfactionem esse partem sacramenti eo, quod causet vnum effectum huius sacramenti secundarium, & minus principalem, scilicet, pœnæ temporalis remissionem; hoc enim est, quod directè rationes nostræ impugnant, & auctoritas præsertim ex Trid. adducta c.3. vbi expresè, & sonantibus verbis dicit, *omnes tres actus concurrere ad plenam, & perfectam peccatorum remissionem*; ergo sicut alij duo actus contritio, scilicet, & confessio ad remissionem culpæ concurrunt, ità & satisfactio; Nec etiam satis est dicere satisfactionem dici posse etiam causam remissionis culpæ, & collationis gratiæ, eo quod pœnæ temporalis remissio, & deletio sit complementum remissionis ipsorum peccatorum, quia pęna temporalis est quid ex peccato relictum; Non sufficit, inquam, quia Concilium *loc. cit.* loquitur de omnibus tribuit huius sacramenti partibus, & de earum effectu primario, & principali, qui est iustificatio per gratiæ infusionem, & peccati remissio, & indifferenter de omnibus dicit ad remissionem peccatorum concurrere; sicut ergo de contritione, & confessione non benè diceretur, quod solam pœnam deleant, ità neque de satisfactione; & planè præfatum Tridentini testimonium dissimulari non potest, quia ibi ex instituto partes hoc sacramentum constituentes enumerat, & posteà causalitatem, & efficaciam huius sacramenti assignans dicit esse peccatorum remissionem, & peccatoris reconciliationem cum Deo, & hanc sententiam sequitur Suarez *disp.38.sect.5.*

567 Respondent Aduersarij, adhuc sufficienter satisfactionem semper dici huius sacramenti partem, licet non semper primam gratiam habitualem causet, & peccati remissionem, nam vel impletur satisfactio antè absolutionem, & tunc eam causat cum alijs partibus; vel impletur post; & tunc licet eam non causet, non ob id cessat esse pars sacramenti, quia per accidens se habet, quod eam non causet, cùm repeperiat eam in subiecto causatam, item Cardinalis de Lugo cum alijs *disp.35.sect.1.* vbi exemplum affert de alijs quibusdam sacramentis, quæ gratiam inueniunt productam, & tamen eorum partes adhuc sunt sacramentales. Sed hæc solutio benè reijcitur à Brancato *loc. cit.* nam ex hac solutione saltem habetur esse de conceptu satisfactionis, vt sit productiua gratiæ, & iustificatiua per se, sicut conuenit cæteris sacramentis, & eorum partibus. Deindè quia ratio est ad oppositum, nam si ablutio in baptismo, v.g. & vnctio in Confirmatione reperirent effectum primarium illis sacramenti productum per solam formam, scilicet, gratiam, & characterem, nec ablutio, nec vnctio essent pars sacramentorum illorum. Et tandem exemplum adductum non suffragatur, nam licet sacramentis completis possit hoc competere, vt patet de contrito, & baptizato, baptismo flaminis: non tamen alicui eorum parti competere potest, nulla enim pars alicuius sacramenti reperit effectum primarium illius vnquam productum, sed simul cum alijs producit, & ideò paritas illa non est ad rem.

568 Sed de hoc effectu proprio satisfactionis, qui est pœnam temporalem remittere est adhuc grauis difficultas, an satisfactio à Confessario imposita sit sufficiens ad remittendam omnem pœnam temporalem peccatis debitam, itaut satisfactione peracta, nihil amplius remaneat pęnitenti luendum in Purgatorio: & dubium est, quando Confessarius imponit pęnitentiam, quam ipse attenta peccati grauitate prudenter arbitratur esse iustam, & grauitati peccati proportionatam; nam quando iusta de causa imponit multò minorem, verbi gr. propter infirmitatem, vel impotentiam pęnitentis, omnes ferè admittunt per eam non tolli reatum totius pęnæ temporalis debitæ; Affirmant Maior, Sotus, Medina, Hurtado, & alij, quia ex vna parte pęnitentia sacramentalis est à Christo instituta, vt ex opere operato compleat remissionem peccatorum remittendo totam pęnam restantem; Et ex altera parte taxatio pęnitentiæ, qua hæc remissio complenda est, commissa est iudicio prudentis Confessarij, tanquam Iudici, sacramentum enim hoc institutum est ad instar iudicij, ac proindè pęnitentia, quæ ab eo prudenter iudicatur sufficiens ad satisfactionem peccatorum, attenta eorum grauitate, sufficiens etiam erit ad relaxandam, & extinguendam totam pęnam restantem, & eo præsertim, quia hoc sacramentum non est tribunal iræ, sed misericordiæ, idem tenet Faber ex nostris loco citato.

Opposita tamen sententia communior est, ac probabilior, 569
quam sequuntur Suarez, Vasquez, Lugus, Bonacina, Auersa, Meratius, Valentia, Nugnus, Reginaldus, Caspensis, & ex nostris Aretinus, & alij passim; Ratio est, quia vt Confessarius pęnitentiam peccatis debitam, ac proportionatam imponat ad æqualitatem, cognoscere debet, quanta pęna pro peccatis luenda in Purgatorio debeatur, at nullus Confessarius quantumuis prudens, & doctus id certò scire potest absque speciali reuelatione, qua nimirum mensura puniantur peccata in Purgatorio, & quanta pęna correspondeat cuicunque peccato, & qualis satisfactio sacramentalis correspondeat tantæ pęnæ Purgatorij, ergo per satisfactionem à Confessario taxatam etiam prudenti iudicio iuxtà peccatorum grauitatem non tollitur omnis pęna peccatis debita, itaut pęnitenti peracta satisfactione nihil in Purgatorio luendum remaneat. Tùm quia ex contraria sententia sequeretur nullum ferè ex hac vita decedentem paulò post confessionem pęnitentia peracta, luere pęnas in Purgatorio, quod à communi Ecclesiæ sensu alienum est. Demum quia proprium est solius sacramenti baptismi cum culpa tollere omnem pęnam; ergo per satisfactionem sacramentalem etiam sufficienter, & prudenter taxatam non semper omnis pęna remittitur.

Ex quo patet quid dicendum ad rationem in oppositum, quamuis enim censeri debeat satisfactio iusta, quæ talis Confessario prudenti videtur attenta peccatorum qualitate, & quantitate; hinc tamen non benè deducitur per talem satisfactionem omnem tolli pęnam in Purgatorio luendam, cum ipse Confessarius cognoscere nequeat, quanta pęna in Purgatorio luenda peccatis debeatur, & qualis satisfactio sacramentalis tantæ pęnæ Purgatorij correspondeat. Et planè omninò improbabile apparet, quod ait Faber *loc. cit.* per qualemcunque pęnitentiam solui, & extingui totam Purgatorij pęnam; nec etiam credibile est per pęnitentias, quæ de facto solent iniungi, adeò mites remitti totam Purgatorij pęnam: sed per maiorem pęnitentiam plus de pęna remittitur, atque adeò si Sacerdos minorem infrà punctum debitum satisfactionem imponat, vt regulariter contingit, illa maior pars pęnæ remanebit in Purgatorio luenda; nisi alijs satisfactionibus voluntarijs redimatur ex opere operantis, vt benè discurrit Auersa *quæst.14.sess.4.*

Et ob eandem rationem dicendum est, eandem satisfa- 570
ctionem in confessionem impositam, si cum maiori deuotione, & dispositione adimpleatur, plus de pęna remittere, sicut enim idem sacramentum cum meliori dispositione susceptum plus de gratia confert etiam ex opere operato, vt dictum est *disp.1. de sacramentis in genere quæst.9.* ab initio *num.* 318. ità & hæc pars sacramenti plus de pęna remittit adhuc ex opere operato; vndè etiam ob hanc vtilitatem pęnitentes studere debent, vt cum maiori deuotione, & dispositione iniunctas satisfactiones adimpleant. Et quidem immeritò id Faber negare videtur *loc. cit.* ea ratione fretus, quod effectus ex opere operato proueniens ex sacramento, vel aliqua eius parte vniformiter consequatur sacramentum, cuicunque conferatur, & quomodocunque disposito, quia non pendet ex opere operantis. Hoc, inquam, immeritò negatur, quia id expresè docet Trid. *sess.6. cap.7.* dum inquit nos per sacramenta recipere gratiam, & iustitiam inæqualē pro inæquali recipientis dispositione, & secundum mensuram, quam Spiritus sanctus partitur singulis, & secundum propriam vniuscuiusq; dispositionem, Et cùm dicitur, quodlibet sacramentum habere ex sua institutione effectum gratiæ definitum, & determinatum à Deo, qui non dependet ex opere, vel dispositione suscipientis, sed ex opere operato, & virtute solius sacramenti, & ideò hic effectus ex parte sacramenti semper esse debet æqualis. Quomodo id sit intelligendum iam explicuimus *loc. cit.* cum Doct. 4. d. 4. q. 7. §. *sic ergo*, scilicet, quod effectus gratiæ per sacramēta collatus eatenus dicitur determinatus quatenus Deus dispositio gratiam regulariter conferre cum tali signo, ita quod nulli minorem, & sicut determinatio ista vniuersalis quantum ad illum gradum est vniformis, ita & effectus æqualis ex vi sacramenti in omni

in omni suscipiente obicem non potente; adeoquod nulli vnquam conferatur minor ad positionem talis signi; non tamen hæc determinatio ità intelligi debet, quasi crescere non possit secundum mensuram effectus, prout Spiritus sanctus dona partitur, vt loquitur Trident. *loc. cit.* neque id efficaciam,& certitudinem sacramenti minuit,sed potius ampliat, vt dictum est *loc. cit. disp.* 1. *quæst.* 9. & hic est ferè communis omnium sensus, quia est doctrina Trident. expressa; ac etiam ratio ipsa suadet, licet enim sacramentum talem effectum conferat ex opere operato, adhuc tamen ex diuina institutione, sicut dispositionem aliquam in adultis requirit, ità pro maiori, & minori dispositione inæqualem confert gratiam; & hoc in causis etiam ipsis naturalibus experimur, quæ licet ex virtute sua natiua, & propria causalitate physica agant, adhuc tamen iuxtà maiorem, aut minorem subiecti dispositionem magis, aut minus operantur; malè ergò negat Faber gratiam ex opere etiam operato esse maiorem in vno, quàm in alio secundum variam dispositionem suscipientis; & hinc peius deducit satisfactionem à Sacerdote impositam semper eumdem habere effectū ex opere operato quoad pœnæ temporalis remissionem, siuè sit peccatis adæquata, siuè inadæquata, siuè maior, siuè minor, siuè cum maiori, siuè cum minori deuotione sit adimpleta, nam improbabile prorsus est, vt diximus totam Purgatorij pœnam temporalem post remissionem peccati remanentem solui, & extingui per qualemcunq; pœnitentiam quantumuis minimam, quantum est ex parte sacramenti, & ex opere operato.

571 Itaque ad assignādum quantam pœnam satisfactio sacramentalis in sui executione remittat, dicendum est non quemcunque pœnitentiam in Confessione taxatam totam Purgatorij pœnam remittere, quæ peccatis debebatur, vt Glossa innuere videtur in *cap. Mensuram de Pœnitentia dist.* 1. non enim Deus decreuit pro quacunque leui satisfactione sacramentali remittere quacunque grauem pœnam in Purgatorio luendam, sed certa quadam proportione pro maiori maiorem, & minori minorem. Itaque si mensura pœnæ à Deo taxata pro hoc, vel illo peccato in Purgatorio luenda in indiuisibili consistit,& Sacerdos imponendo pœnitentiam punctum huiusmodi non attingit, tota pœna per eam non remittitur, sed potest magis, aut minus ad illud accedere, vt plus,aut minus pro mensura ipsius satisfactionis accedat, & quia talis mensura omninò proportionata, & in indiuisibili consistens nequit Confessario quamtumuis prudenti innotescere, nisi ex speciali reuelatione diuina, ideò per pœnitentiam ab ipso taxatam nunquam tollitur omnis pœna peccatis debita, adeout pœnitenti nihil amplius in Purgatorio luendum remaneat satisfactione peracta; & in hoc sensu procedit secunda opinio; Si verò dicamus hanc rem non consistere in indiuisibili, sed dari quandam certam latitudinem iustam, intrà quam possit determinari mensura pœnitentiæ pro statu cuiuscunque peccatoris pœnitentis, & hoc medium intrà talem latitudinem posse esse Confessario notum sine speciali reuelatione, tunc dici posse talem satisfactionem à Sacerdote impositam claue non errante, valere ad absoluendā totam pœnam temporalem peccato debitam, & in hoc sensu procedit prima opinio; Quæ etiam sic explicata ad mentem Doctoris sustineri potest, cùm ipse doceat *4. dist.* 19. *quæst.* 1. §. *Ad quæstionem motam litter. C.* quod iustitia punitiua, quæ est commutatiua pœnæ pro culpa non respicit necessariò gradum indiuisibilem pœnæ correspondentem huic culpæ, sed ibi est aliqua latitudo, infrà quam pœnam minor non sufficit, & vltrà quam pœna maior non est imponenda, & extrà totam latitudinem clauis vltrà; vel citrà ligans errat, sed intrà talem latitudinem non errat, & ideò arbitrium ratificatur, intantum, quod quicquid imponitur intrà illam latitudinem, hìc oportet implere, & si hìc non impletur, residuum in Purgatorio exigetur; Et addit Doctor ibidem possibile esse, quod medium intrà hanc latitudinem sit Confessario notum per legem Dei cum adiutorio rationis naturalis, atque ideò obligationem ad hoc medium latum,& non in indiuisibili consistens,esse ad aliquid possibile homini sine miraculo speciali, & sine casu, & fortuna; ità Scotus *loc. cit.* quibus verbis dat modum, quo etiam probabiliter possit prima opinio defendi.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De conditionibus ad satisfactionem sacramentalem requisitis vt rectè adimpleri possit.

572 IN primis conueniunt Doctores, vt opus sit satisfactorium, debere esse aliquo modo liberum,& voluntarium, quia debet esse opus morale, quod sine libertate factum moralitatem participare nequit cum libertas totius moralitatis fundamentum sit, vt dictum est lib. 2. Disput. de Actibus humanis; tùm etiam quia congruitas postulat, quod sicut homo voluntariè peccauit; ità etiam pariter voluntariè satisfacere debeat; Dixi autem opus satisfactorium debere esse aliquo modo liberum, & voluntarium, quia necesse non est, quod sit volūtarium per modum actus eliciti, sed sufficit etiam, quod sit liberum per modum actus imperati, & interdum quoque per modum obiecti voliti, qua ratione Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 8. docet pœnas à Deo nobis inflictas rationem satisfactionis habere voluntariè eas acceptando, ac patienter tolerando; vndè per flagella, & incommodà à Deo inflicta, quæ necessariò patimur, intantùm pro peccatis commissis satisfacere dicimur, quatenus patienter illa tolleramus per actum positiuum patiētiæ, vel alterius virtutis, cum satisfactionis virtus non tam in passione, & sufferentia mali, quàm in libera, & voluntaria flagellorum illorum, & incommodorum acceptatione consistat.

Conueniunt insuper, vt opus sit satisfactorium, debere esse honestum, & moraliter bonum, quia satisfactio sacramētalis habet pro materia opus ex genere suo satisfactoriū ex opere operantis, quod virtute clauium eleuatur, tùm quia si opus malum esset potius, pœna dignum esset, quàm veniat,atq; ideò debet esse aliquid moraliter bonū; inter opera autē satisfactoria præsertim tria à Concil. Trid. enumerātur *sess.* 6. *cap.* 24. ieiunium, scilicet, eleemosyna, & oratio, & ad ieiunium quidem omnis afflictio, & castigatio carnis reducitur voluntariè suscepta; ad eleemosynam verò omnia misericordiæ opera ergà proximum exhibita ad miseriam, seù necessitatem eius corporalem, vel spiritualem subleuandam; ad orationem tandem omnes, & singuli Religionis actus interiores, aut exteriores in Dei cultum, & honorem eliciti. Sed quamuis Doctores in his duobus passim conueniant, aliæ tamen supersunt Difficultates circà conditiones ad sacramentalem satisfactionem requisitas, in quibus non satis conueniunt, & de quibus hic breuiter agendum est.

Prima Difficultas est, an præter opera supererogationis 573 possint etiam pro pœnitentia iniungi opera aliàs debita, siuè ex præcepto naturali, siuè ex positiuo. Negant nonnulli, quia nemo per vnam solutionem potest duobus debitis satisfacere, in satisfactione enim seruari debet æqualitas, quia est actus iustitiæ; vndè aliqui dicunt Confessorem in facientem, & talia opera imponentem pro pœnitentia peccare mortaliter in confessione sibi facta de mortalibus, venialiter verò in confessione sibi facta de venialibus. Affirmat communis opinio, ità Suarez, Vasquez, Lugus, Coninchius, Hurtado, Amicus, Auersa, Caspensis, & alij Recentiores passim, & ex nostris Poncius, Brancatus, Aretinus, & alij Scotistæ, quod non obscurè deducitur ex Scoto *4. d.* 15. *q.* 1. *art.* 2. principali, imò ex ipso Trid. *loc. c.* quando dicit per patientem flagellorum tollerationem posse hominem Deo satisfacere; talis autem flagellorum tolerantia est aliàs precepta, vt cōstat ex pluribus Scripturæ locis; Quod etiam suadet ratio ipsa, quoniam præceptum rationem liberi, & voluntarij non tollit, nec rationem meriti, ac per consequens nec rationem satisfactorij; Tùm quia talia opera aliàs præcepta sunt satisfactoria, & possunt eleuari per claues ad effectum ex opere operato, imò aliquandò expedit illa imponere, siuè vt ipsa diligentius,& cum maiori deuotione impleātur, siuè vt spirituali pœnitentium imbecillitati, vel grauibus occupationibus consulatur; Tùm tandem quia ad hunc finem nimirum ad satisfaciendum pro peccatis commissis, Ecclesiæ præcipit ieiunia, & alias corporis afflictiones; & aliàs per eleemosynam extremè indigenti exhibitam iustus pro suis peccatis non satisfaceret, quod est absurdum, cōsequentia patet, quia eleemosina in tali casu est naturali præcepto debita. Potest igitur opus aliàs debitum pro pœnitentia imponi, & quidem taliter, quod si talis pœnitentia omittatur, duplex erit peccatum, non quidem, quia duplex sit præceptum mate-

riale, cùm idem opus præcipiatur, sed quia traditur sub diuersis motiuis formalibus, posterior enim obligatio imponitur ex suo speciali motiuo, scilicet, ad integritatem sacraméti, & ad satisfaciendum pro peccatis, & ità in trangressione constituit suam specialem malitiam, vndè duplex malitia in ommissione consurgit, distinctè in proxima confessione explicanda.

574 Nec ratio ad oppositum vrget, quamuis enim ex natura rei nemo per vnicam solutione duobus debitis satisfacere possit, id tamen facere potest ex gratia, & benignitate creditoris vnicam solutionem pro duobus debitis accipientis, & ità contingit in casu nostro, qua ratione Conc. Trid. inquit *loc. cit.* hoc esse maximum diuini amoris argumentum, vt temporalibus flagellis à Deo inflictis, & patienter toleratis apud Deum Patrem per Iesum Christum satisfacere valeamus. Adhuc tamen ex alia parte asserendum est, quod cessante iusta causa, etsi cætera sint paria, imponenda sunt pro pęnitentia opera aliàs libera; hoc enim æquitas huius iudicij postulat, siuè ad punienda pęnitentis peccata, siuè ad curanda eius vulnera instituti, & ideò ita communi vsu seruatur, & in praxi; non enim vlla superit ratio, vndè deduci possit, quod regulariter loquẽdo talis pęnitentia conueniẽs sit, vel proportionata, siuè ad castiganda pręterita peccata siuè ad præseruandum ab alijs, quæ duo sunt motiua præcipuè à Confessario consideranda, & præ oculis habenda: & Auctores pro secunda, & communiori sententia citati, non nisi sub hac cautela, & limitatione eam tuentur, quia opus aliàs debitum pro pęnitentia impositum non esset frænum peccatori, neque vindicta ad eius peccatum castigandum idonea, cùm nihil noui in ratione operis exibendum pro peccato decerneret Confessarius, quod pęnam, & laborem induceret ab eo diuersum, ad quod aliàs teneretur, & venia facilis per hoc induceret ad contemptum; & in hoc sensu primam sententiam defendit, tanquam de mente Doctoris, Hiqueus ex nostris 4. *dist.* 15. q. 1. n. 91.

575 Ex quo patet Fabrum 4. *disp.* 45. *cap.* 7. nimis rigorosè primam tueri sententiam, itaut in nullo casu possit Sacerdos imponere pro satisfactione peccatorum opera alioquin debita ratione præcepti ea communi ratione fretus, quod nemo potest per vnicam solutioné duobus debitis satisfacere. Hoc enim probat solùm talem satisfactionem non esse de rigore iustitiæ, non autem quod non sit satisfactio simpliciter eo modo, quo in puro homine esse potest; Et præsertim in eo casu duplici obligationi satisfieri potest, quando vtraque obligatio non est ratione iustitiæ, sed vna tantùm, & altera ratione præcepti; sic autem contingit in proposito nostro, quia debitum præcepti solùm est debitum obedientiæ, non iustitiæ, & satisfacere huic debito nil aliud est, quàm facere id quod præceptum est; at si opus præceptum pęnale sit, etiam satisfactorium esse potest, & ratione iustitiæ pro pęnas peccato debita satisfacere potest, vndè per ieiunium quadragesimale à Confessario impositum pęnitens satisfacit præcepto Ecclesiæ ratione obedientiæ, & præcepto Sacerdotis ratione iustitię, & quamuis ex natura rei, vt dicebamus, nemo duobus debitis per vnicam solutionem satisfacere possit, id tamé facere potest ex gratia, & benignitate creditoris, vndè Trid. declarauit *loc. c. sess.* 14. *cap.* 9. tantam esse diuinæ munificentiæ largitatem, vt non solùm pęnis spontè à nobis pro vindicando peccato susceptis, aut Sacerdotis arbitrio impositis, sed etiam temporalibus flagellis à Deo inflictis, & à nobis patienter tolleratis apud Deum Patrem per Iesum Christum satisfacere valeamus.

576 Secunda Difficultas est, an præter actus externos possint etiam pro pęnitentia imponi actus merè interni. Negant aliqui quia pars sacramenti debet esse sensibilis, & humanum præceptum, quale est Cófessarij, debet esse de actu externo; quam opinionem Suarez *tomo de pœnitentia disp.* 37. *sec.* 5. etiam Scoto adscribit, quod ex eo deducit, quia 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. §. De 2. principali ait, satisfactionem esse operationem exteriorem laboriosam, vel pęnalem voluntariè assumptam ad puniendum peccatum, quod licet Faber *disp.* 35. *de pœnitentia cap.* 4. non approbet de satisfactione communiter sumpta, quæ est redditio voluntaria æquiualentis aliàs indebiti: approbat tamen de satisfactione strictè sumpta, quę est pars pęnitentię sacramenti, & de hac dicit, quod est operatio exterior laboriosa, vel pęnalis voluntariè assumpta ad puniendum peccatum.

Communis tamen sententia docet etiam actus merè internos interdum pro pęnitentia imponi posse, ità Suarez, Coninchius, Lugus, Diana, Auersa, & ex nostris Poncius, Hiribarnes, Brancatus, & alij Scotistæ, idque etiam Scotus expresè docet *dist.* 15. *quæst.* 1. inquit enim sub *lit. F.* actum magnæ charitatis esse posse satisfactorium, qui actus vtique merè internus esse potest absq; externa expressione, & sub *lit. M.* inquit pauperi ad procurandum victum laboranti imponi posse pro satisfactione, vt patienter laborem illum toleret, illa autem tolerantia est actus internus; quando autem inquit satisfactionem propriè sumptam, vt est pars tertia pęnitentiæ, esse actionem externam laboriosam, loquitur regulariter, & iuxtà communé praxim, conuenientius enim est, vt potius exteriora opera imponantur, quàm merè interna, quia magis pęnalia sunt, magisque humanæ conditioni, & obseruantiæ accomodata: & hoc non impedit, quin etiam absolutè loquendo actus merè interni pro pęnitentia imponi queant; potest enim Confessarius imponere vt pęnitens toties in mente repetat contritionis, & boni propositi actum; Imò non potest aliquando imponi pęnitenti, nisi actus internus, vt si graui morbo laboret; tum quia magis vtilis erit ei aliquando huiusmod. actus internus, si v. gr. renouet aliquoties actum contritionis, & propositi, si recogitet nouissima, vel passionem Christi meditetur; tùm tandem quia inter opera, quæ communiter apta exstimantur pro pęnitentia imponenda connumeratur oratio, sed hæc esse potest interna tantùm, & mentalis, non enim hæc à numero pęnitentiarum excluditur, cùm ex *dist.* 92. *cap. Cantantes* magis oratio mentalis commendetur, quam vocalis.

Non obstat ratio in oppositum adducta, hos actus internos nó esse sensibiles; vt enim constat ex dictis in superioribus, minimè opus est quamlibet sacramenti partem esse per se sensibilem, sed satis est aliquam partem alteri sensibili esse coniunctam, & fieri sensibilem saltem per accidens, vt satis constat de actu interno consensus in matrimonio, & de actu doloris in hoc sacramento; sic igitur in proposito actus satisfactionis internus sufficientem sensibilitatem capiet ad externa impositione Sacerdotis, & acceptatione pęnitentis, & cadent sub potestate ligandi, sicut peccata merè interna cadunt sub potestate soluendi, vndè benè etiam poterit Confessarius hos actus præcipere, licet merè internos, quia præcipit in foro merè interno, quarè transgressio in hoc ordine accusationi, & punitioni in facie Ecclesiæ obnoxia non erit sed ipsemet pęnitens de tali transgressione se accusare debebit, sicut se accusat de alij peccatis merè internis.

Tertia Difficultas est, an quælibet opera honesta etiamsi pęnalia non sint, possint pro pęnitentia iniungi, & possimus per ea Deo satisfacere. Negant D. Thomas, & alijs, quos sequitur Suarez *disp.* 37. *sec.* 6. Ratio est, quia actus non pęnales non sunt actus pęnitentiæ, actus namque pęnitentiæ virtutis est, qui affert pęnam, satisfactio autem est actus pęnitentiæ; & hoc idem Concil. Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. indicare videtur, vbi opera satisfactoria vocat satisfactorias pęnas, neque ad alium finem pęnitentia à confessario imponitur, nisi in peccatorum vindictam, & satisfactionem, vt ea mediante pro peccatis plenè satisfiat, ac proindè opus honestum, quod non est pęnale, neque satisfactorium pro pœna esse videtur. 577

Communis tamen sententia affirmat, nedùm actus pęnales, sed etiam alios actus virtuosos non pęnales esse idoneos, vt aliquando imponantur in satisfactionem; ità Scotus 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. *art.* 3. & *d.* 19. *quæst.* 1. *lit. F.* vbi Faber, Poncius, Brancatus, Hiqueus, & alij Scotistæ, & sequuntur Victoria, Soto, Vasquez, Caspẽs, Laimã, Lugus, Coninchius, & alij Recentiores passim, quod probat Doctor, quia opus non pęnale potest esse maius bonum, & meritorum, quàm sit pęnale, vt constat de actu charitatis, ac proindè potest etiam esse Deo magis acceptum pro satisfactionem, quia in opere satisfactorio non tàm attenditur pęnalitas, quam valor, & existimatio talis operis apud Deú alioquin Christus Dominus per opera non pęnalia non satisfecisset, quod est falsum. Accedit, quod de facto, & pro statu isto nullum ferè est opus moraliter bonum, & honestum, quod etiam simul non sit pęnale, quia ex natura rei difficile est agere opus quodcunque propter honestatem virtutis, quod autem est difficile est etiam eo ipso pęnale; & nullum est opus honestum, quod alicui bono vtili, vel delectabili non aduersetur, vel aliquod malum secum afferat, alioquin in exercitio liberum esse non posset, ac proindè semper aliquid affert difficilis

cultatis vincendæ, & consequenter pœnalitatis. Tandem hoc etiam manifestè expressit Trident. *sess. cit. can.* 13. vbi docet hominem satisfacere posse pro peccatis commissis non tantùm per assumptionem, vel tolerantiam, & iniunctionem pęnarum, per orationes, eleemosynas, & ieiunia, sed etiam *per alia pietatis opera*, cùm ergò dari possint opera pietatis non pęnalia, hæc etiam de mente Concilij ad satisfaciendum apta erunt, & consequenter pro satisfactione imponi poterunt.

578 Neque ratio in oppositum vrget, nam falsum est assumptum, ad cuius probationem dicendum est, non esse de essentia actus virtutis penitentiæ quod semper pęnam habeat annexam, sed sufficere vel quod pęnam afferat, vel fiat in pęnam, estò per accidens eam non afferat, nam contritio est actus pęnitentiæ, & per accidens contingere potest, quod actualem tristitiam non habeat annexam; Accedit, quod suprà dictum est, raros inueniri actus honestos in homine viatore, qui non sint aliquo modo penales, quamuis enim obiecta sint delectabilia, & facilia, semper vincitur aliqua repugnantia rectificanda intentione, & eis amplectendis, non propter eorum delectationem, sed propter finem honestum; & Concilium *loc. cit.* non tantùm opera pęnalia vocauit satisfactoria, & pro penitentia peccatoribus imponenda, sed etiam alia pietatis opera, quo vniuersali loquendi modo omnia opera bona comprehendisse videtur, tanquam sufficientia ad peccatorum vindictam, & satisfactionem.

Addit tamen Doctor 4. *dist.* 15. *q.* 1. §. *De tertio dico*, quod licet quandoque possit per aliquem actum bonum non pęnalem satisfieri, quia benè potest Deus actum magnum charitatis acceptare pro punitione debita vni culpæ; licet enim non sit propria punitio, est tamen maius bonum, & magis Deo reddens honorem, quàm illa, quæ esset propria punitio; regulariter tamen sicut culpa ordinatur, per pęnam, & non per aliud quod magis bonum, quàm fuerit culpa malum, satisfactio magis consistit in actibus pęnalibus, vel passionibus voluntarijs, quàm in alijs actibus bonis non pęnalibus, quia peccatum secundum iustitiam vindicatiuam ex lege ordinatur per pęnam, & non per aliquod magis gratum, & ità etiam indicauit Trident. *cit. sess.* 14. *cap.* 8. vbi ait hoc diuinam exigere iustitiam, ac etiam diuinam clementiam, ne facilis venia peccatores incurios faceret & contemptores, seù ad lapsum pronos; tùm quia hæc opera pęnalia magis frænum inijciunt peccatoribus, nec in Ecclesia tutior via est inuenta ad iram Dei remouendam, quàm talium actum pęnalium frequentatio; quod etiam probat Doctor *loc. cit.* ex D. August. de vera, & falsa pęnitentia, vbi ait, quod *sunt digni fructus virtutum, qui non sufficiunt pœnitentibus, pœnitentia enim grauiores fructus postulat, vt dolore, & gemitibus mortuus impetret vitam*, & istos actus pęnales ait in genere reduci vel ad ieiunium, vel eleuationem mentis in Deum, quod fit per orationem, vel bonorum temporalium erogationem, quod fit per eleemosynam modo iam suprà explicato *num.* 578.

ARTICVLVS TERTIVS.

An valeat satisfactio in mortali adimpleta.

579 QVarta Difficultas est, An satisfactio impleta in peccato mortali aliquid valeat pro temporali pęna Luenda. Quamuis Antiquiores aliqui sint opinati teneri pęnitentem adimplere satisfactionem in statu gratiæ; itaut aliter faciendo præcepto Confessarij non satisfaciat, & teneatur eam denuò adimplere; Communis tamen sententia docet per se loquendo penitentem ad id non teneri, sed etiam extrà statum gratiæ satisfacere præcepto Confessarij, nisi hic aliud imposuerit, quod regulariter non fit, nec ex hac parte nouam culpam committere; & hoc patet ex ipso vsu, & communi sensu, nec enim Confessarius pœnitentem obligare intendit, vt in statu gratiæ satisfactionem adimpleat, adeout non sic faciendo teneatur eam denuò adimplere, cùm ad statum gratiæ redierit; Nec pęnitentes se peccare putant pęnitentiam extra statum gratiæ adimplendo, nam in longioribus pęnitentijs non rarò contingit, vt in tali statu adimpleantur. Hac itaque supposita communi, & probabiliori sententia insurgit difficultas an satisfactio adimpleta in mortali valeat ad remissionem temporalis pęnæ remanentis post absolutionem à culpa, & pęna æterna v. gr. ieiunium impositum per modum pęnitentiæ, supposito pęnitentis lapsu, antequam tempus ieiunij præscriptum transeat, aut aduenerit, an ieiunans pęnæ temporali satisfaciat per tale ieiunium. In qua Difficultate tres sunt sententiæ, duæ extremæ, & vna media; Prima sententia extrema negat satisfactionem in statu peccati adimpletam talem sortiri effectum, non solùm pro eo tunc, sed nec etiam posteà remoto obice peccati, & succedente dispositione, & statu gratiæ, pro qua citantur D. Thomas, Riccardus, Capreolus, Argentina, Adrianus, Valentia, Ledesma, Hurtadus, Turrianus, Præpositus, & alij quamplures. Secunda extrema ex aduerso docet talem satisfactionem statim tunc habere effectum remittendo nempè pęnam illi proportionatam, quæ scilicet, relicta erat ex culpis iam anteà deletis, non obstante nouo peccato mortali posteà superueniente; ità Scotus noster 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. *part.* 2. *art.* 4. quem secuti sunt Gabriel, Marsilius, Medina, Nauarrus, Vasquez, Diana, Amicus, Kelisonus, & alij Recentiores. Tertia tandem opinio media censet satisfactionem in statu peccati mortalis adimpletam non habere quidem statim suum effectum remissionis pęnæ, sed habituram posteà homine redeunte in gratiam vel per contritionem, vel per susceptionem noui sacramenti, ità Caietanus, Petrus Sotus, Henriquez, Suarez, Coninchius, Lugus, Auersa, & alij Recentiores.

Harum sententiarum secunda tenenda est, tanquam magis pia, & probabilis, vt ait Amicus *disp.* 17. *sect.* 3. quam sine aliarum præiudicio docet noster Doctor *loc. cit.* §. *de quarto dicitur*, & passim Scotistę omnes tã veteres, quàm Recentiores, Bassolius, Tataretus, Rubion, Faber, Hiqueus, Hiribarnes, Aretinus, Brancatus, Poncius, & Neoterici quamplures 580
pluribus rationibus solet hæc sententia suaderi à Nostratibus; Fundamentum tamen præcipuum, quod ex Scoto deducitur, & passim à Recentioribus huius sententiæ tutoribus adducitur est, quia effectus satisfactionis sacramentalis, quem habet ex opere operato, est sola remissio pœnæ temporalis cùm auxilijs ad præcauenda peccata in posterum facilitantibus, vt satis constat ex dictis in superioribus; sed satisfactio in statu peccati adimpleta hoc effectu non priuatur, nec effectus istius peccator est incapax; ergo nil obstat, quin statim talem effectum non conferat; minor, in qua tota consistit difficultas, probatur quoad primam partem, quia peccatum non tollit, quod opus habet ex meritis Christi, satisfactio autem talem effectum operatur ex virtute meritorum Christi vi clauium eleuata; tùm quia non eo ipso, quod opus fit à peccatore, sequitur statim esse incapax præmij, contritio enim est actus à peccatore elicitus, & tamen ex diuina promissione respondet ei in præmium gratia sanctificans saltem de congruo; probatur etiam eadem minor quoad aliam partem, quia effectus satisfactionis sacramentalis ei proprius non est gratia habitualis, quæ pugnat cum peccato, sed sola remissio pęnæ temporalis ex condonatis peccatis relictæ cum auxilijs ad alia peccata præcauenda facilitantibus, at huius effectus adhuc capax est, qui in statu peccati existit, nam licet opera facta in statu peccati non sint Deo accepta in ordine ad præmium vitæ æternæ; nil tamen obstat, quin esse possint accepta in ordine ad præmium aliquod temporale, qualis est in proposito pęnæ temporalis remissio; Et locutiones generales, quibus à Scriptura, & Patribus opera peccatoris reprobari solent, commodissimè intelliguntur quoad meritum vitæ æternæ, ad quod vtiq; gratia sanctificans requiritur, non autem de satisfactione pęnitentiali, aut alia etiam, quæ est mera satispassio, & non reconciliatio; nec dignitas personæ, aut status gratiæ attenditur in actu, qui exhiberi debet, seruata æqualitate rei, & in rigore iustitiæ, qualis est satisfactio pro pœna temporali, sed sufficit, vt præcisè respiciat illud opus, quod est lege præscriptum, & ex debito; quarè sicut satisfactio, quæ fit per flagella à Deo immissa propter peccatum voluntariè tollerata, habet rationem satisfactionis pęnalis, ità pęnitentia perata in peccato mortali eandem rationem actus pęnalis habebit.

Confirmatur ex destructione fundamenti oppositæ opinionis, quod est satisfacientem debere esse Dei amicum, hoc enim est omninò falsum, inquit Doctor *loc. cit.* quia sufficit Deo, quod quis voluntariè soluat pęnam debitam ad punitionem peccati commissi, quia etiam interdum sufficit sola satispassio, vt patet in actibus humanis, si enim alicui offensæ in Regem correspondeat præcisè obscissio manus, si isti etiam inuito abscinditur manus, satispatitur, & intantum sufficit Regi, quod secundum legem, & iustitiam non 581

debet ab eo pœnam vlteriorem exigere, & tamen non recipit eum in gratiam, vel amicitiam: multò magis ergò posset sufficere prò punitione culpæ, si aliquis sibi pœnam debitam infligeret, licet non esset in gratia, vel amicitia ipsius Iudicis offensi; Imò etiam de facto homo in peccato mortali existens, ac etiam in Inferno damnatus passione pęnæ temporalis restantis ex peccato quoad culpam remisso, liberatur à debito talis pęnæ; ergo pariter in peccato mortali existens adhuc pro temporali pęna ex peccato iam remisso relicta satisfacere potest, ac per consequens ad satisfaciendum non requiritur status gratiæ. Neq; satis rationabiliter à quibusdam Recentiores negatur assumptum, quia vt ait Doctor, qui verè soluit pœnam, quam debet, liberatur à debito illius, & illud extinguit; ac proindè in peccato mortali existens, vel in Inferno, si totam temporalem pœnam restantem patitur, quam ob peccatum pati debebat, verè à debito illius liberatur, & illud extinguit, & absque fundamento dicitur ad hoc statum gratiæ necessariò requiri; Nec etiam sufficit, quod alij Recentiores respondent, argumentum procedere ex manifesta æquiuocatione confundens satisfactionem cum satispassione, ille enim, qui est in peccato mortali, vel in Inferno propriè non satisfacit, sed solum satispatitur, hic verò sermo est de satisfactione propriè dicta, ad quam necessariò status gratiæ requiritur.

Non inquam, hæc solutio valet, quia si ad soluendam pœnam debitam sufficit satispassio, licet satispatiens sit inimicus; ergò multò magis satisfaciens qui voluntariè reddit opus pęnale, satisfaciet etiamsi sit inimicus illius, cui satisfacit, vndè argumentum tenet à minori ad maius; tùm quia non est peior conditio peccatoris in via, quàm in termino, vt notat Hiqueus: ergò si in termino pęna temporalis exacta completè cessat, quia vltrà debitam mensuram non extenditur, neque diuinæ iustitiæ congruit vltrà debitum vindicare; sequitur à fortiori satisfactionem pęnitentialem, ad quam tenetur peccator, quando exhibetur delere, pęnam temporalem sibi proportionatam, quia voluntariè exhibetur, & est actus ex fide factus, & reliquis circumstantijs bonus, & ad quem ex præcepto tenetur, quæ non conueniunt pęnæ, quam sustinent damnati. Denique gratis omninò dicitur ad satisfactionem sacramentalem requiri necessariò, quod fiat in gratia, quià quamdiù manet pęna voluntariè assumpta, manet totum, quod requiritur ad satisfactionem, vt distinguitur à merito, & vt ex propria ratione specifica exigitur secundum diuinam iustitiam, quia satisfactio pęnitentialis exigitur secundum æqualitatem rei, vt tollit pęnam temporalem, nec respicit personam, aut dignitatem eius alioquin quo dignior esset persona, eo magis actus esset satisfactorius, quod est falsum licet enim esset magis meritorius, non tamen magis satisfactorius, quia eodem conatu, & actu minus dignus perindè satisfacit pro pęna temporali, sicut magis dignus: ergo separari potest in re satisfactio à merito quæ etiam sit valida, & in qua maneat acceptatio eius specifica, vt distinguitur ab acceptatione communi meriti, quia in ea inueniuntur omnia ad rationem veræ, & propriæ satisfactionis requisita, vt à merito distinguitur.

582 Respondent Aduersarij adhuc eidem principio insistentes, quod Deo ob homine non soluitur, neque satisfit per opera nostra, nisi ex acceptatione illius, quia inter nos, & Deum non est vera iustitia, nisi ex eius acceptatione principium autem acceptationis est charitas, & amicitia inter nos, & Deum, ideoque opera extrà charitatem facta, & in statu peccati mortalis non sunt Deo accepta, neque ad satisfaciendum sufficiunt. At replicat Doctor hanc responsionem procedere solùm de satisfactione placante, & reconciliante in amicitiam, nulla enim satisfactio potest nos Deo reconciliare, & ad eius amicitiam perducere, nisi mediante gratia, quæ est principium acceptationis ad amicitiam Dei, & hæc satisfactio reconcilians est contritio, seù peccati detestatio: hoc autem non est verum de satisfactione simpliciter pęnam soluente, ad hanc enim sufficit, quod satisfaciens soluat quantum debet, & quod Deo soluat voluntariè pęnam debitam ad punitionem peccati comissi, quod vtique etiam ab inimico fieri potest suppositа Dei promissione de condonanda tali pęna sub conditione talis operis; nam homines etiam solutiones debitorum admittunt ab inimicis factas licet illos, ad suam gratiam non admittant, vt Doctor ostendit exemplo allato Regis offensi; tanto magis ergo id facere potest Deus, cuius misericordiæ non est numerus vt, scilicet, solutionem admittat pęnæ temporalis debitæ pro peccatis iam dimissis etiam ab illis, quos ad suam gratiam non admittit; & quidem de facto præceptis diuinis satisfacimus etiam in statu peccati mortalis illa exequentes audiendo missam, dando eleemosynam, honorando parentes, ac etiam de facto multorum debitorum solutiones admittit ab inimicis factas, si enim quis debet ex voto Religionis ingressum, peregrinationem, vel ieiunium si hæc etiam in statu peccati mortalis exequatur, plenè satisfacit, & Deus talem solutionem admittit; Denique quamuis inter nos, & Deum vera iustitia non intercedat, nisi ex eius acceptatione, nec opera extrà charitatem facta sint Deo accepta simpliciter; quia non sunt accepta in ordine ad gratiam, & gloriam, quæ sunt bona simpliciter; adhuc tamen possunt esse accepta secundum quid, scilicet, ad solutionem pęnæ aliorum debitorum, quia vt notant Aretinus *dist. 15. q. 1. art. 7.* & Faber *disp. 35. cap. 6.* ad pęnam soluendam non est necessaria gratia præsens, sed satis est gratia, quam Deus dedit quando pęnam æternam in temporalem commutauit, nam eius gratiæ virtute solutionem posteà factam admittit, & acceptat; quarè concluditur, quod licet opera nostra extrà charitatem facta vitæ æternæ meritoria esse nequeant; hoc tamen non obstat, quin esse possint satisfactoria pęnæ temporalis post culpam dimissam restantis, plus enim requiritur ad meritum absolutè loquendo, quàm ad satisfactionem puram, & simpliciter sumptam, vt suprà dictum est, nam satisfactio, vt solutio pęnæ non est acquisitio iuris ad gloriam, sed est redditio eius, quod debetur, hæc autem fieri potest tam inter amicos, quam inter inimicos, nam in solutione pęnæ non fit condonatio, nec remissio, quæ amicitiam, & beneuolentiam requirat, sed solùm redditur, quod debetur quod etiam ab inimico fieri potest. Aliæ rationes apud Scotistas videri possunt.

In oppositum arguunt Aduersarij Primò ex Scriptura, & Concilijs necessitatem status gratiæ requirentibus ad satisfaciendum pro pęna temporali. Trident. enim id expressè docet *sess. 14. cap. 8.* & illis verbis *omnis gloriatio nostra in Christo est, in quo viuimus, in quo meremur, in quo satisfacimus facientes fructus dignos pœnitentiæ, qui ex illo vim habent*, vbi supponit Concilium ad hoc, vt potissimus satisfacere, necessario requiri, vt in Christo viuamus, quia Christus non influit, nisi in membra eius viua per gratiam. Hoc idem scriptura significat pluribus in locis, dùm ait opera extrà charitatem facta apud Deum non valere 1. Corint. 1. *si charitatem non habuero, nihil mihi prodest*, & Rom. 2. *obsecro vos per misericordiam Dei, vt exhibeatis corpora vestra hostiam viuentem sanctam, Deo placentem*, & ideò Ecclesiast. 34. dicitur *dona impiorum non probat Altissimus*; & Prouerb. 14. *victimæ impiorum abominabiles*, ergo opera extra charitatem facta non sunt Deo accepta, nec consequenter satisfactoria. 583

Respondeo cum omnibus Scotistis ex verbis Concilij colligi solum necessitatem gratiæ actualis auxiliantis, quæ nobis à Deo datur ex meritis Christi ad eliciendum opera bona, quam Pelagiani negabant; non verò necessitatem gratiæ sanctificantis, & gratum facientis, quæ cum peccato mortali repugnat, quod magis posteà expressit Concilium *can. 13.* & 14. vbi definit satisfactionem hanc non esse opus nostrarum virium, sed esse opus gratiæ datæ per Christum Iesum, à quo omnis nostra sufficientia est; retundit enim ibi Hæreticorum nostri temporis temeritatem dicentium has satisfactiones tollere meritum Christi quasi nos Catholici dicamus has satisfactiones esse ex se satisfactorias sine merito Christi; Ideoque verba illa *in quo viuimus* non significant satisfacientem debere viuere in Christo idest esse in gratia ipsius eo tēpore, quo satisfacit, sed significant omnem nostram bonam actionem, & vitam spiritualem non nostris inniti viribus, sed auxilio gratiæ, & merito ipsius Christi, & omnem nostram sufficientiam ex ipso esse, non ex nobis, & in eodem sensu Concilium dixit satisfactionem esse fructum gratiæ idest auxilij diuini, sine quo huiusmodi opera etiam in peccato mortali existens efficere non potest; Potest etiam dici satisfactionem in peccato mortali factam inniti gratiæ, & esse fructum gratiæ habitualis, & sanctificantis, non quidem præsentis, sed præteritæ, cuius virtute culpa iam dimissa fuit, sicut enim eius virtute culpam Deus dimisit, ita pęnam æternam in temporalem commutauit, & eam pro pęna peccati sufficere voluit; Vel tandem si Concilium loquitur de fructu, & virtute grati habitualis præsentis, loquitur de perfecta satisfactione reconciliante, & placante, quæ

quæ simul includit, & pro eodem tempore reconciliationem amicitiæ, & solutionem pœnæ debitæ, & qua vellet Concilium omnes Deo satisfacere; alteram verò satisfactionem, quæ tantùm includit solutionem pœnæ debitæ pro offensa dimissa supponendo reconciliationem amicitiæ præcedentem, de qua nos hic loquimur, non refellit, nec reprobat, sed sub disputatione relinquit; Loca verò Scripturæ adducta optimè explicat Nauarrus *cap. 1. de Pœnitentia d. 6. n. 45. & 46. & in Manuali cap.* 3. intelligi debere de operibus meritorijs in ordine ad vitam æternam, non verò de purè satisfactorijs, probant inquam, sine charitate minimè effici posse aliquod opus vitæ æternæ meritorium, quia nulla opera facta in statu peccati sunt Deo accepta in ordine ad præmium vitæ æternæ, at non probant opus pœnale in peccato mortali factum in satisfactionem non soluere pœnam temporalem debitam, vt vlterior pœna non sit amplius exigenda, nam opera bona etiam in statu peccati facta benè possunt esse Deo accepta in ordine ad aliquod præmium temporale, qualis est remissio pœnæ post peccata dimissa remanentis; probant tandem opera in statu peccati facta efficere non posse satisfactionem perfectam, quæ est reconciliatiua, & placans, sed minimè probant non esse redditionem æqualem debito, & ex iustitia satisfacientem pœnæ pro offensa debitæ, quæ doctrina est Scoti *loc. cit.* vbi ait satisfactionem in peccato factam, vtique non esse placantem, & reconciliantem, adhuc tamen esse satisfactionem sic absolutè sumptam.

584 Deindè arguunt rationibus, quia remissio pœnæ temporalis est opus amici, siquidem præparat hominem ad consecutionem gloriæ remouendo impedimenta à peccatis relicta; ergo non potest conferri peccatori inimico. Tùm 2. quia licet opera bona in statu peccati facta esse possint Deo accepta in ordine ad præmium aliquod temporale, non tamen in ordine ad præmium vitæ æternæ; sed remissio pœnæ temporalis debitæ pro peccatis pertinet ad bonum gloriæ, quia est præparatio ad ipsam remouendo impedimenta, vt dictum est, ergò non satisfacit homo existens in peccato mortali pro tali pœna, neque Deus talem satisfactionem acceptat. Tùm 3. quia operibus nostris neque meremur, neque satisfacimus, nisi in virtute passionis Christi, sed passio Christi non prodest existentibus in peccato mortali, ergo opera facta in peccato non prosunt ad satisfactionem. Tum 4. quia ex gratia Dei pœna æterna peccato mortali debita in temporalem commutata fuit, ergo talis pœna temporalis in gratia Dei erit exsoluenda. Tum 5. quia pœnæ huius vitæ non sunt comparabiles cum penis alterius vitæ; ergo nisi adsit gratia, quæ significat, non sunt satisfactoriæ. Tum 6. quia alioquin sequeretur etiam indulgentias sumptas in peccato conferre suum effectum ex opere operato, cùm non minus indulgentia, quàm satisfactio à Confessore iniuncta virtute clauium, & meritorum Christi ordinetur ad remissionem pœnæ temporalis à condonatis relictæ. Tùm tandem, quia alioquin talis satisfactio sacramentalis non esset, nec tertia pars huius sacramenti, de cuius essentia est gratiam sanctificantem conferre ex opere operato; pars enim totius naturam participare debet.

585 Respondetur negando assumptum, sola namque remissio culpæ, & pœnæ æternæ est opus, quod non debetur, nisi amicis, remissio autem pœnæ temporalis, sicut & auxilia gratiæ, communia sunt amicis, & inimicis; ad probationem assumpti rursus negandum est remissionem pœnæ temporalis proximè, & immediatè ad consecutionem gloriæ hominem præparare, præparat enim tantum remotè, & mediatè, quo pacto etiam præparant auxilia gratiæ, quæ etiam peccatoribus conceduntur. Ad 2. patet per idem, nam remissio pœnæ temporalis sicut remotè solùm, & mediatè ad consecutionem gloriæ præparat, & disponit; ità etiam ad bonum gloriæ pertinet remotè tantùm, & mediatè, sicut & auxilia gratiæ, quæ etiam peccatoribus conceduntur, ad beatitudinem remotè ordinantur. Ad 3. dicendum est soluentem pœnam temporalem in statu peccati adhuc soluere in virtute passionis, & gratiæ Christi modo iam explicato, hoc est, non virtute gratiæ, quæ tunc adsit, sed quæ aderat, quando culpa per absolutionem dimissa fuit, virtute enim gratiæ tunc peccatorem iustificantis pœna temporalis soluenda acceptata fuit, ideoque in quocunque statu soluatur, sufficit; falsa est etiam minor absolutè sumpta, quod passio Christi non prosit existentibus in peccato mortali, nam illuminationes; vocationes, & efficacia auxilia ad resurgendum non dicerentur facta per Christum, & ex virtute passionis Christi originem habere, quod est hæreticum. Ad 4. respondetur satisfactionem in peccato factam adhuc inniti gratiæ gratum facienti, non quidem præsenti, dùm peccator satisfacit, sed præteritæ, qua ei dimissa fuit culpa, cui talis pœna debetur, atque ità satisfactio non necessariò requirit gratiam, & charitatem, dùm fit, licet requirat præfuisse, quando Deus culpam dimisit, & pœnam soluendam acceptauit. Ad 5. dicendum, quod pœnæ huius vitæ, quamuis in ratione satispassionis proportionem cum pœnis Purgatorij non habeant, possunt tamen eam habere in ratione satisfactionis, ratio enim voluntarij, quæ in Purgatorio deficit, eas extollit, & eleuat, atque dignas facit, vt acceptentur à Deo ad solutionem omnis debiti, vt suprà dictum est sub *nu.* 587.

Ad 6. licet aliqui ex nostris concedant paritatem, & sequelam, vt Mairon, & Rubion. absolutè tamen neganda est paritas, & discrimen ex eo patet, quod Indulgentiæ à Roman. Pontific. non conceduntur nisi pro confessis, & contritis, vndè habemus in Extrauagante *Vnigenitus* Christum thesaurum suorum meritorum commisisse dispensandum per suum in Terris Vicarium verè pœnitentibus, & confessis. Ad vltimum satis patet ex dictis *art. 1. huius quæst. num.* 571. effectum, quem ex opere operato satisfactio reipsa exhibita causat, quo pacto est pars integralis huius sacramenti, non esse augumentum gratiæ habitualis, sed remissionem alicuius pœnæ temporalis ex peccatis iam condonatis relictæ cum aliquo auxilio ad peccata in futurum præcauenda; collationem verò gratiæ diximus ibi non attingere, nisi vt in voto assumptam, quo pacto est pars etiam essentialis huius sacramenti, vt ibidem explicatum est *num.* 569. quando autem hic dicimus satisfactionem sacramentalem etiam in statu peccati adimpletam suum sortiri effectum ex opere operato, iam patet sermonem esse de ipsa, vt in re exhibita, quo pacto ibi etiam diximus eius proprium effectum, non esse gratiæ collationem, sed tantùm remissionem pœnæ temporalis ex peccatis iam condonatis relictæ, & in hoc sensu non esse partem essentialem huius sacramenti, sed tantùm integralem.

Denique arguunt Auctores primæ sententiæ, & probare contendunt, satisfactionem sacramentalem in statu peccati factam, non solùm tunc suum non sortiri effectum, sed nec etiam posteà remoto obice peccati, & succedente dispositione, & statu gratiæ. Ratio est, quia quod nunquam habuit vitam, non est reuiuiscentiæ capax, sed satisfactio in peccato adimpleta nunquam habuit vitam gratiæ, ergo, &c. 586

Respondeo, quod si nostra non teneatur sententia, quod satisfactio in statu peccati facta etiam tunc suum sortiatur effectum, planè teneri debet saltem media sententia, quod nempè illum sortiatur succedente dispositione, & statu gratiæ; satis enim probabile est, quod non tollat Deus hoc debitum, dùm status peccati manet, quia fortè non vult penam acceptare in statu peccati factam in ordine ad illud debitum extinguendum, sed relinquere ipsum tantæ pœnæ debitorem, non obstante solutione pœnæ à Confessario impositæ, donec ad statum gratiæ reducatur; Nec ratio allata in oppositum vrget, sed neganda est minor, licet enim satisfactio sacramentalis in statu peccati adimpleta à principio proximo, & instrumentali vitam nõ habuerit, habuit tamen vitam à principio remoto, & principali, quod fuit meritum Christi, & à gratia sanctificante præterita, per quam remissa fuit culpa, cui talis pœna debebatur vt suprà explicatum est.

Quinta tandem Difficultas est, An satisfactio vitiata per aliquam mala circumstantiam sit valida. Negant aliqui contendentes pœnitentem teneri ità facere opus ipsum satisfactorium, vt sit ex omni circumstantia pium, & bonum, & aliter non valeat ad pœnitentiam adimplendam, quia prorsus obsonum apparet, vt per aliud nouum peccatum agatur pœnitentia de prioribus peccatis; satisfactio autem facta ex fine malo est peccatum saltem veniale, si v. g. fiat ex aliqua vanagloria; Communior tamen sententia docet, etiam per opus ex aliqua circumstantia peccaminosum adimpleri posse pœnitentiam, præceptum Confessarij, ità Suarez, Vasquez, Lugus, Auersa, & ex nostris Poncius, Bracatus, & alij Recentiores passim; Ratio, est quia per talia opera possunt impleri præcepta, vt in varijs materijs cõstat, 587

quando

quando scilicet, præcipiuntur opera secundum substantiam, & non secundum modum; sicut ergò qui audit missam, aut preces recitat cum leui distractione, & negligentia, præceptum Ecclesiæ adimplet, ità etiam iussionem, & pœnitentiam sibi à Confessario impositam adimplere poterit.

Melius tamen distinguendum est cum Hiqueo 4. *dist.* 15. *quæst.* 1. in calce, de duplici fine, alius enim est finis propter quem, vel cuius gratia, qui est finis simpliciter operis, & illud specificans; alius verò dicitur finis secundum quid, & occasionatus, inquantùm excitat aliquo modo voluntatem ad operandum, & talis non dat speciem operi; loquendo ergò de fine propriè dicto, satisfactio ex tali veniali fine exhibita non solùm non esset vera satisfactio, sed neque esset veniale peccatum, imò potius grauis contemptus, & hypocrisis contrà reuerentiam sacramenti, & naturam operis, nam vt ait Doctor *loc. cit. §. de secundo principali*, satisfactio est operatio laboriosa, vel pœnalis voluntariè assumpta ad puniendum peccatum commissum, & ad placandum diuinam offensam; quibus verbis innuit finem intrinsecum, & extrinsecum satisfactionis; intrinsecum quidem illis verbis *ad puniendum peccatum commissum* extrinsecum verò alijs sequentibus *& ad placandam diuinam offensam*; quarè sumere sacramentum, aut partem aliquam sacramenti ponere, non ex affectu, aut fine sacramenti, sed tantùm ad finem hypocritis, aut vanæ gloriæ, est contemptus grauis Religionis, quia non sumitur sacramentum cum debita dispositione, quæ cum tali fine consistere nequit, & in hoc sensu benè procedit ratio primæ sententiæ. Loquendo autem de fine veniali secundum quid, seù occasionato, aut maculam venialem concomitanti, quæ non derogat voluntati per se intendentis opus satisfactorium ex fine tam intrinseco, quàm extrinseco requisito; hic planè non derogat operi, aut effectui satisfactionis, quin acceptetur à Deo, nam si peccatum veniale non derogat effectui sacramenti, ac effectui satisfactionis; ità etiam non derogat quoad diuinam acceptationem; sic etiam si ex aliqua alia circumstantia veniali vitietur satisfactio, vt si excederet in modo etiam cum aduertentia, adhuc esset valida; vt v. gr. si ieiunans ita se maceraret, vt notabiliter deficiat etiam cum aduertentia, si peregrinationes, vel alia similia conficiat, si erogans eleemosynam ad extremam necessitatem redigatur, adhuc satisfacere censetur, quia tales circumstantiæ non videntur vitiare opus quoad substantiam, sed tantùm quoad modum.

QVÆSTIO VIGESIMASECVNDA.

An Pœnitens teneatur satisfactionem sibi iniunctam acceptare, & exequi.

588 PRima, & communis sententia in hac celebri Controuersia affirmat teneri simpliciter pœnitentem acceptare iustam pœnitentiam à confessario impositam, si velit absolui, & alioquin absoluendum non esse; & consequenter teneri etiam posteà per se loquendo adimplere, & exequi talem satisfactionem sibi iniunctam, ità Magister sent. Alensis, D.Thomas, D.Bonauentura, Riccardus, Paludanus, Durandus, Maior, Suarez, Vasquez, Valentia, Coninchius, Lugus, Auersa, Amicus, Caspensis, Bonacina, & alij Veteres, ac Recentiores passim. Secunda sententia negat teneri pœnitentem de rigore acceptare pœnitentiam, quam Confessarius ei vult imponere; sed si dicat se habere displicentiam de peccatis, & firmum propositum non peccandi esse à Confessario absoluendum, ità Gabriel, Rubion, Siluester, Medina Nauarrus, Armilla, Hostiensis imò Caietanus etiam in *opusc. tract. 6. quæst.* 2. non solùm negat pœnitentem teneri acceptare pœnitentiam iniunctam, sed vlterius addit, etiamsi eam acceptauerit, non teneri posteà eam exequi, quod passim alijs eiusdem opinionis Sectatores negant. Et pro hanc sententia citatur etiam communiter noster Scotus 4. *distin.* 15. *quæst.* 1. §. *de secundo principali versic. Quia ergo, & dist.* 19. §. *Ad quæstionem motam sub lit. D.* vbi ait posse pœnitentem non acceptare satisfactionem sibi impositam à claue non errante, si dicat velle in Purgatorio soluere pœnam, neque per hoc dicendus esset Ecclesiæ inobediens, sed esset absoluendus, monendus tamen, quod tota illa pœna erit in Purgatorio soluenda; & in hoc sensu sic absolutè loquendo eam tuentur Scotistæ passim veteres, & iuniores Faber, Hiribarnes, Aretinus, Poncius, & alij passim; sed in quo sensu hoc dixerit Scotus patebit posteà eius sententiam explicando cum Hiqueo, Brancato, & alijs Scotistis, qui mentem Doctoris melius perceperunt, & altius scrutati sunt.

ARTICVLVS PRIMVS.

Resoluitur Quæstio.

PRo resolutione quæsiti, Primò Dicendum est non possit pœnitentem simpliciter, & absolutè loquendo, ac regulariter reijcere omnem pœnitentiam, & satisfactionem à Confessario iniunctam collectiuè sumptam, dicendo se velle satisfacere in Purgatorio. Hæc est communis cum prima sententia, ac etiam est de mente nostri Doctoris, vt notant Hiqueus, & Brancatus, nam *dist.* 15. *quæst.* 1. monens Sacerdotem, vt prudenter imponat satisfactionem dicit, quod si pauper nullam possit exequi pœnitentiam iniunctam, imponat ei, vt laborem diurnum libenter sufferat in pœnitentiam peccatorum, quousque aliam possit exequi; Si autem Doctor absolutè teneret, omnem satisfactionem in hac vita posse à pœnitente non acceptari, non esset ità sollicitus de impositione pœnitentiæ tolerabilis à pœnitente; sed absolutè dixisset, quod si nullam potest pœnitens acceptare pœnitentiam, parum refert, quia sufficit, si dicat se velle eam in Purgatorio soluere, quod tamen Doctor non dixit, signum euidens, quod quando hoc infrà dixit *dist.* 19 *loc. citat.* non loquitur ibi simpliciter, & absolutè, sed in aliquo particulari casu, vt posteà dicemus. Rursus *d.* 16. *qu.* 1. F. docet satisfactionem, quæ est tertia pars pœnitentiæ, esse necessariam in re, vel saltem in voto, & loquitur de actu voluntario exercendo in via nisi impotentia impediat; aliquam igitur pœnitens tenetur acceptare pœnitentiam de mente Doctoris, alioquin votum illud præcedens efficax non fuisset. Imò & in illa *d.* 19. *loc. citat.* Scotus non docet in Sacerdote non esse potestatem obligandi, & ligandi pœnitentem absolutè, sed contrarium docet, cùm dicat teneri eum pœnitentiam acceptatam adimplere sub pœna peccati, quæ obligatio nulla esset, nisi potestas ligandi obligationem induceret, in qua potestate fundatur hæc obligatio ex parte pœnitentis, non autem in sola ipsius acceptatione, vt Doctor illis verbis innuit: *Tunc enim obligatur præcepto Ecclesiæ, cui se voluntariè submisit*, quibus verbis significat hanc obligationem oriri ex impositione ipsa, & iussione Confessarij, ne dicatur potestas Confessarij coarctata, & subiecta ad consensum eiusdem pœnitentis, vt solùm possit obligare, quando alter vult obligari; Certùm ergò debet esse etiam de mente Doctoris simpliciter, & absolutè loquendo pœnitentem obligari ad acceptandam, & adimplendam pœnitentiam sibi rationabiliter à Confessario impositam, nec posse licitè illam pudiare, & satisfactionem in Purgatorio implendam reseruare; an autem in aliquo casu id liceat, dicemus posteà. 589

Hoc verò assertum sic explicatum probatur, Primò ex Euangelio, vbi potestas ligandi datur Sacerdotibus, nempè iniungendo satisfactiones, si autem non obligetur pœnitens Sacerdos non ligat, correlatiua enim sunt potestas in Superiore, & obligatio in subdito, itaut vna sine altera subsistere nequeat.

Confirmatur ex Trident. *cit. sess.* 14 *cap.* 8. vbi Sacerdotes grauibus verbis monentur, vt condignas imponant satisfactiones, quæ sint non solùm in medicinam, sed etiam in castigationem, ne si leues imponant, participes fiant peccatorum pœnitentis; si verò pœnitens non tenetur acceptare satisfactionem impositam, certè Sacerdos peccati illius particeps non esset, dùm fineret, & permitteret pœnitentem vti iure suo. Demum probatur ex ratione huius Sacramenti instituti ad modum iudicij, tenetur enim Reus parere Iudici legitimè præcipienti, nisi fortè sit locus appellationi quæ in præsenti iudicio non datur, cùm sit supremum tribunal, & idem cùm diuino, & quidem in foro externo potest Iudex etiam vi cogere Reum ad pœnam subeundam; habebit ergò & Sacerdos vim coactiuam, quæ saltem per præceptum obliget pœnitentem ad impositam pœnitentiam acceptandam, & soluendam.

Respondent Faber, Poncius, Aretinus, & alij Scotistæ posteriorem sententiam Scoto communiter adscriptam simpli-

simpliciter, & absolutè defendentes sine vlla limitatione; Concilium *loc. cit.* non loqui de satisfactione in ordine ad satisfaciendum pœnæ temporali, sed quatenus est medium ad præseruandum hominem à lapsu in futurum; itaque Concilium intelligi debet de pœnitentia, quatenus est medicinalis, & præseruatiua à futuris peccatis; non autem quatenus est satisfactoria, vt sic enim potest illam non acceptare, sed in alia vita soluendam reseruare. Addunt alij cum Nauarro esse in Sacerdote potestatem ligandi non absolutam, sed arbitrariam, cui proindè in pœnitente respondet subiectio non coacta, sed libera; ità docuit Concilium Tridentinum in literis vnionis §. *quartum sacramentum* vbi ait satisfactionem imponendam esse *secundum arbitrium Sacerdotis*.

591 Sed planè hæc explicatio contrà ipsius Concilij textum militat, nam Cap. cit. sic ad amussim loquitur *Habeant præ oculis, vt satisfactio quam imponunt, non sit tantùm ad nouæ vitæ custodiam, & infirmitatis medicamentum, sed etiam ad præteritorum peccatorum vindictam, & castigationem, nam claues sacerdotum non ad soluendum duntaxat, sed & ad ligandum concessas etiam antiqui Patres, & credunt, & docent*; ergo ex ipsis Concilij verbis potestas, quam Sacerdotes habent, imponendi satisfactionem pœnitenti, se extendit ad illam imponendam etiam in vindictam, & castigationem præteritorum peccatorum; quod etiam ratio ipsa suadet, quia Confessarius in hoc tribunali non tantùm partes Medici agit, sed etiam Iudicis, & Ministri Dei, cuius offensas in reo iuxtà ipsorum grauitatem punire debet; & quidem hæc verba Concilij adeò clara in vanum prorsus eludere, & extorquere conatur Poncius *disp. 45. qu. 14. num. 172.* Nec etiam benè dicitur, potestatem Sacerdotis arbitrariam esse, non absolutam, non enim est in eius arbitrio pœnitentem à peccatis absoluere, vel non absoluere, sed posita sufficienti dispositione ex præcepto eum absoluere tenetur, quo etiam præcepto pœnitens ipse tenetur ad absolutionem procurandam, & acceptandam; ergo pariter potestas ligandi per pœnitentiæ impositionem erit in Sacerdote absoluta, non arbitraria, & talis etiam consequenter respondebit in pœnitente obligatio acceptandi absoluta; Quando verò Concil. Flor. docet satisfactionem *secundum arbitrium Sacerdotis* imponendam esse, planè significare noluit, quod sit in Sacerdotis arbitrio satisfactionem pro peccatis imponere, vel non imponere, sed tantùm quod eius arbitrio, & iudicio sit remittenda pœnitentiæ condignitas, & quod satisfactio iudicanda sit digna, vel non indigna culpis iuxtà eius arbitrium, vt liquet ex ipso Concilij contextu, quod adhuc magis Tridentinum expressit illis verbis *quantum Spiritus, & prudentia suggesserit*. Itaq; Sacerdotis arbitrio solùm committitur iudicium de pœnæ condignitate, non autem eius impositio, nam posito iudicio de pœnæ condignitate, non est amplius in Sacerdotis potestate pœnitentiam quæ peccatis condigna est iudicata, pœnitenti non iniungere, quia talem obligationem habet à Clauibus, quæ ad hunc finem, vt per eas ligare, & soluere possit, Sacerdoti conferuntur.

592 Respondent secundò alij Scotistæ, quod estò pœnitens omnem reijceret impositam satisfactionem, adhuc ex parte Sacerdotis daretur actus ligandi, & ipsemet pœnitens ligatus maneret; nam de ratione ligandi actiuè ex parte Sacerdotis est, vt ad pœnam temporalem obliget remissa æterna; sed tunc Sacerdos adhuc ligaret pœnitentem ad pœnam temporalem in Purgatorio luendam, & pœnitens de tali ligamine contentus esset, atque ideò nihil deficeret ex parte potestatis Sacerdotis requisitum, neque parte pœnitentis spectans ad integritatem sacramenti.

Sed Contra est, quia Sacerdos potestatem clauium ligando exercet, non solum quia absoluendo à culpa, & pœna æterna, hanc commutat in temporalem, quod per solam absolutionem obtinetur; sed etiam quia ad aliquod opus ligare potest, quo talis pœna temporalis potest etiam saltem ex parte in via solui, vt declarat Trident. *can. 15.* nam Sacerdotis ligamen est obligatio ad opus, quod est pars sacramenti, & causet ex opere operato, alioquin pro solùm actum absoluendi exerceretur completè clauium potestas, nam cum datur absolutio, per hanc solam commutatur pœna æterna in temporalem in Purgatorio luendam; vt igitur saluetur completa Sacerdotis potestas præter hoc dari debet actus, quo sacerdos pœnitentem liget, & qui distinctus sit ab absolutione, & hic est impositio satisfactionis ex Concil. *loc. cit.* Tùm quia ad sacramenti integritatem non tantum ex parte Sacerdotis requiritur impositio satisfactionis, sed etiam ex parte pœnitentis eius acceptatio, & executio; pars autem sacramenti pœnitentiæ est satisfactio, non quidem, quæ remanet in Purgatorio soluenda, sed quæ fit per actus pœnitentis in via, nam sufferentia pœnæ in Purgatorio dicitur satispassio, non satisfactio, & illa passio non est pars sacramenti, sicut est satisfactio, nam sacramentum non completur in Purgatorio, sed hic in via; excipitur tamen casus, quando pœnitens est ità morti proximus, vt nihil vitæ supersit, nisi quantum satis est ad absolutionem recipiendam, tunc enim sicut moribundus nullam implere potest pœnitentiam, sic Confessarius nullam imponere tenetur; at in alijs casibus, quia satisfactio est pars integrans pœnitentiæ sacramentum, quæ nec à Sacerdote omitti, nec à pœnitente sine causa reijci potest, ideò quantum fieri potest vterque tenetur integrum facere sacramentum, fieret enim aliqua iniuria sacramento, si pars integralis sine causa omitteretur, sicut si quis in sacramento extremæ Vnctionis alicuius sensus inunctionem sine causa omitteret.

Resp. tandem ad hoc aliqui, quod in eo casu, quo satisfactio imposita non acceptaretur à pœnitente, tunc adesset satisfactio in voto, seu votum efficax satisfaciendi hic, vel in Purgatorio, quæ satisfactio in voto adhuc ad integritatem sacramenti sufficeret. Sed hoc etiam gratis omninò dicitur; nam quando Concil. *loc. cit.* satisfactionem appellat partem huius sacramenti integralem, non loquitur de satisfactione in voto, sed re ipsa exhibita, neque de pœna in Purgatorio luenda, sed hic in via, quia satisfactio est actus pœnitentis, sufferentia autem pœnæ in Purgatorio est pura passio, vt suprà dictum est. Tùm quia tale votum satisfaciendi hic in via in casu posito, quod satisfactio imposita, reijceretur à pœnitente, non posset dici efficax, quia voto efficaci contradicit expressè voluntas contraria omnem satisfactionem impositam reijciens; & quamuis esset efficax respectu pœnæ in Purgatorio luendæ, hæc tamen non sufficeret, quia votum efficax debet esse de satisfaciendo hic in via, nisi impotentia impediat, nam sacramentum completur in via per suas partes integrales, non verò in Purgatorio.

Secundò Dicendum est à fortiori teneri pœnitentem implere satisfactionem impositam, & quidem sub mortali nisi impotentia impediat. Conclusio est communi, contrà Caietanum, quàm expressè tenet Doctor *d. 19. §. Ad quæstionem lit. D.* & ponitur in *cap. omnis vtriusque* vbi præcipitur pœnitentibus, vt impleant impositam pœnitentiam, & ratio ipsa suadet, quia nisi adesset obligatio grauis adimplendi, frustrà imponeretur, & nullius esset virtutis potestas ligandi sacerdotis siquidem posset pœnitens ad libitum impunè se ab eo ligamine soluere opus impositum non adimplendo, & tandem grauis irreuerentia, & iniuria sine culpa posset inferri sacramento illud non complendo per subtractionem partis eius integralis; qualis est satisfactio. Et falsum est, quod obijciunt Suarez, & Vasquez, & alij Recentiores, Scotum hoc non asserere consequenter ad sententiam, quam ei tribuunt, & Caietanum magis consequenter loqui ad eam sententiam, nam data etiam tali sententia, quod pœnitens non teneatur satisfactionem iniunctam acceptare; hoc ideò esset, quia non teneretur se Confessario subijcere quoad opus satisfactorium, sed tantùm quoad peccati remissionem quia nempè arbiter intantum ligat inquantum eius iudicio reus se subijcit; sed dato, quod pœnitens onus talis satisfactionis acceptet, iam se subijcit arbitrio quoad vtrumque ergo eius sententiæ parere tenetur. 593

Confirmatur, quia vt suprà dictum est Sacerdos potestatem arbitrandi, & iudicandi in causa non recipit à reo se illi subijcienti, sed à Deo, & Ecclesia, à quibus huius fori iudex est institutus; & verè clauem ligandi habet, quamuis à voluntate pœnitentis dependeat quantùm ad sui subiectionem plenariam in causa, nihil eius reseruando; vndè consensus pœnitentis, vt suprà dicebamus, potestatem non confert sacerdoti, sed solùm dat materiam, in qua exerceri potest; ergò à sententia data, & acceptata, cui semel se subiecit, nullatenus licitè resilire potest, quia est subiectio pœnitens quoad vindicationem peccati Iudici habenti facultatem ligandi suppposita subiectione, & consensu rei. Quod autem pœnitens non teneatur satisfactionem impositam adimplete, si impotentia impedia, quæ erat altera assertionis pars, ex eo patet, quia Deus ad impossibilia non obligat ex Trid. *sess. 6. cap. 12.* & de facto sic exercetur in praxi, vt suprà dictum est de constituto in vltimo mortis articulo, & alijs infirmis,

firmis, qui satisfactionem acceptant cum tali conditione, quod si poterunt, adimplebunt.

594 Tertiò Dicendum est, posse pœnitentem ex aliqua rationabili causa satisfactionem sibi impositam non acceptare, petendo vt alia sibi imponatur. Est communis cum Doctore *dist.* 15. *quæst.* 1. *lit. M.* nam communiter concedunt Doctores ex rationabili causa propter impotentiam, vel fragilitatem pœnitentis posse Confessarium grauiorem pœnitentiam in leuiorem permutare, quia in hoc Sacramento magis intenditur salus pœnitentis, & eius emendatio, quàm satisfactio pro pœna relicta ex culpa remissa, ac proindè ne salus pœnitentis periculo exponatur, si grauiorem satisfactionem ille non acceptet, poterit leuior imponi à Confessario; & ratio est, quia adhuc optimè saluatur quicquid ad rationem sacramenti requiritur, potestas clauium, ac pœnitentis dispositio; nam sacramentum exigit, vt satisfactio aliqua adsit, & quod sit hæc, vel illa grauior, vel leuior, materialiter se habet; sic etiam potestas clauium benè seruatur, nam hæc solùm exigit, vt Sacerdos possit ligare pœnitentem ad aliquod opus satisfactorium, si impotentia non impedit, hoc autem in casu nostro adhuc obtinetur, quia si rationabili de causa vnum opus satisfactorium à pœnitente reijcitur, aliud acceptatur; seruatur tandem etiam pœnitentis dispositio, & reuerentia debita sacramento, quia pœnitens supponitur paratus facere, quod potest moraliter, & si opus impositum reijcit, hoc non facit ex irreuerentia, sed ex impotentia.

595 Hac de causa Trid. *loc. cit.* inquit satisfactiones esse debere conuenientes statui, & conditioni pœnitentium, vt scilicet nihil in illis Confessarius à pœnitente exigat, nisi iuxtà prudentiæ regulas v. g. vt filiosfamilias eleemosynas erogandas non iniungat, operarijs, vel debilibus personis ieiunia, mulieribus peregrinationes, valdè occupatis multas preces. Hac etiam de causa Doctores passim Confessarios consulunt, ne nimis duros, & rigidos vltrà quam satis est, pœnitentibus se exhibeant, illisque acerbas nimis, & molestas pœnitentias imponant, eo prætextu, quod conscientiam suam exonetare velint, nihil curantes, an ipse pœnitens eas adimplere possit; hoc enim esset nimis, à charitate alienum, & fini huius sacramenti repugnans, vndè sapientissimè Rituale Parisiense tit. *De Sacramento Pœnitentiæ* monet, vt Confessarius satisfactione iniuncta pœnitentem interroget, an possit, vel dubitet pœnitentiam sibi iunctam peragere posse, alioquin eam imminuet, aut minuat iuxtà moralem potentiam, & facultatem pœnitentis; & hac etiam de causa Cardin. de Lugo *disp.* 25. *sec.* 4 excusat hoc tempore confessarios, qui pro grauissimis peccatis leues pœnitentias imponunt, quod fit propter infirmitatem spiritualem pœnitentium ne grauioribus pœnitentijs scandalizentur, & confessionem fugiant; Quam totam doctrinam iam anteà Scotus docuerat *loc. cit.* 4. *d.* 15. *q.* 1. M. vbi loquens de qualitate satisfactionum pœnitentibus iniungendarum ait debere proportionari peccatis itaut carnalibus ieiunia, & carnis macerationes imponantur, superbis orationes, alijque humilitatis actus, auari eleemosynæ iuxtà illud Sapient. 11. *per quæ quis peccauerit, per hæc & punietur*, & hoc vniuersaliter, & de congruo; nam in speciali subdit talem modum non semper esse seruandum, sed personæ conditionem esse considerandam, ideoq; discretum esse debere Confessarium, vt pauperi v. gr. non imponat pœnitentiam diuiti competentem; tunc enim rationabiliter posset ille pœnitens satisfactionem impositam non acceptare, & aliam petere imponendam magis statui suo proportionatam.

596 Quartò tandem Dicendum est, posse licitè pœnitentem in aliquo casu non acceptare satisfactionem à Confessario impositam etiam moderatam, & adhuc misericorditer absoluendum esse. Hæc est germana mens Doctoris *loc. cit.* vt benè exponit Hiqueus *d.* 19. *q. vn.* §. *sed numquid pœnam*, & hoc primò deducitur ex *d.* 15. *qu.* 1 *lit. N.* vbi casum assignat, in quo id liceat, dicens, quod si omninò nullam velit recipere pœnitentiam à Sacerdote impositam, dicit tamen se habere displicentiam de peccato commisso, & firmum propositum non recidiuandi, absoluendus est, & non respuendus ne cadat in desperationem, & nuncianda est sibi pœna, quæ esset pro peccatis facienda, & quod eam in se, vel in æquiualenti absque impositione studeat adimplere, alioquin soluet ad plenum in Purgatorio, pro quo adducit illud Isaiæ 42. *Arundinem quassatam non confringet, & lignum fumigans non extinguet*; Planè ex his verbis constat Doctorem non loqui regulariter, sed in casu in quo peccatori nimis esset difficile obligari ad pœnitentiam ex particulari suo statu, & tentationibus quas patitur, in adimplenda pœnitentia ex obligatione, & casum format hoc modo Hiqueus *loc. cit.* in Comentario *num.* 85. in scrupulosis, qui sentiunt in se maximas turbationes conscientiæ, & anxietates excitari in quibuscunque operibus obligationis, quibus sæpiùs repetitis non quiescunt, neq; existimant se omninò satisfecisse; & hic casus frequenter in melancholicis occurrere solet, qui sibi ipsis laqueos innectunt, & in omnibus se peccare putant, & nunquam rectè persoluere pœnitentias etiam leues iniunctas, & toties à se repetitas, vndè in tali casu, inquit Doctor, consultius esse ipsis alleuiare iugum, quantum fieri potest, & nullam iniungere pœnitentiam, vel omninò citrà obligationem, ne desperatus recedat, & vt deceptio ex praua dispositione orta magis euacuetur, & anxietates ad desperationem inducentes submoueantur; eodem modo, & in eodem casu loquitur *d.* 17. *qu.* 1. *art.* 2. *lit. O.* dùm inquit talem esse magis absoluendum, quam repellendum, modò habeat propositum recipiendi pœnam à Deo in hac vita infligendam, vel in Purgatorio iuxta ea, quæ dixerat *d.* 15. *qu.* 1. §. *cit.* ad quem locum se remittit. Et tandem in eodem sensu loquitur *d.* 19. *q.* 1. §. *sed numquid pœnam sub lit. D.* vbi dicit non expedire talem sine absolutione dimittere; supponit ergò semper casum particularem, in quo ob difficultatem specialem satisfaciendi imminet periculum desperationis, quod ex vna parte oriretur, quia subtrahitur absolutio; & ex alia, quia difficultatem superare nequit, quam patitur ex illa tentatione, qua nequit pœnitentiam cum obligatione acceptare.

Constat ex his Doctorem, quando asserit pœnitentem posse licitè non acceptare pœnitentiam sibi à Confessario impositam, semper supponere casum, in quo nimis difficile esset pœnitenti satisfactionem impositam adimplere, aut acceptare, non verò quod ex contumacia, aut impunitate peccandi Ecclesiæ claues contemnere velit; Vndè non negat Doctor semper potestatem esse in Sacerdote iniungendi pœnitentiam, vel repellendi pœnitentem suspendendo absolutionem; sed dicit consultius esse in eo casu non vti sua potestate, aut durum, & difficilem se gerere, sed condescendere fragilitati pœnitentis intimando obligationem, & debitum soluendi in hac, vel alia vita, & lucrando illam animam, ne in desperationem caderet; quod planè valdè pietati consonat pro animarum salute in simili casu; Atque ideò contrà sententiam Doctoris sic intellectam argumenta Auctorum primæ sententiæ non vrgent, siquidem probant tantùm regulariter obligari pœnitentem ad acceptandam satisfactionem à Confessario impositam, non verò in casu posito, quando Confessarius ipse ex statu pœnitentis cognito eandem non imponere tenetur in quocunque autem casu, quo Confessarius eximitur ab obligatione imponendæ pœnitentiæ, in eodem pariter eximitur pœnitens ab ea acceptanda, quia par est hinc indè obligatio. 597

Dices, hunc casum esse impossibilem, Confessario enim constare nequit pœnitentem esse dispositum, si renuit omnem satisfactionem, difficile siquidem, est inuenire aliquem verè pœnitentem, qui bona fide confiteatur, adeò saxeum, vt nolit vel tantillum pœnitentiæ acceptare, proindè si quis accederet, qui nollet nec exiguam acceptare pœnitentiam; valdè difficile esset, ac etiam moraliter impossibile cognoscere, an benè dispositus esset, & verum haberet dolorem. Respondetur Confessarium teneri credere pœnitenti circà proprium statum, vndè sicut veritas accusationis de peccatis commissis innititur dictis pœnitentis, qui nullo modo præsumendus est in propriam perniciem dolosè, & fraudulenter agere, vbi de propriæ animæ salute negotium vrget; ità etiam suam impotentiam allegans ad persoluendam pœnitentiam quantumuis minimam à Sacerdote impositam debet ei credere, & hæc impossibilitas non rarò in melancholicis occurrere solet, vt suprà dictum est; & quando etiam casus esset moraliter impossibilis, id parum referre debet, quia in doctrina morali fingendi sunt aliquando casus, vt veritas regulæ, & legis appareat.

Assertio autem Doctoris sic explicata probatur cum Hiqueo *loc. cit.* quia tenetur Confessarius sequi regulam prudentiæ, quæ ex fine, & institutione huius fori desumitur; sed finis est salus pœnitentis, & reconciliatio peccatoris cum Deo, ad quam non est medium proportionatum satisfactio, quæ annexum habet periculum proximum peccandi ob ma- 598

ximas

ximas turbationes conscientiæ, & anxietates pœnitentis; ergo neque ex regula prudentiæ quæ à fine sacramenti desumitur, obligatur Confessarius in tali casu imponere satisfactionem pœnitenti, neque hic impositam acceptare tenetur. Confirmatur, quia licet Deus potestatem ligandi dederit Sacerdotibus, hæc tamen quoad satisfactionem limitatur ad facultatem pœnitentis, vt ait Trid. *loc. cit.* ideoque neque Ecclesia satisfactionem imponit in articulo mortis, neque Confessarij, quia deest facultas eam adimplendi, sed remittunt peccata punienda à Deo per pœnam condignam in altera vita; sed etiam in proposito casu facultas non suppetit ex parte pœnitentis satisfaciendi in hac vita ob dicta impedimenta; non ergo violatur iustitia diuina, etiamsi pœnitens hic non satisfacit, quia manet ei præscripta pœna temporalis à Deo infligenda hic, vel in alia vita. Tandem voluntas Ministri, seu Iudicis inferioris sequi debet, & conformari voluntati Principis in iudicando; sed ex nullo fundamento colligitur Deum obligare pœnitentem in casu nostræ conclusionis ad subeundam satisfactionem; ergo neque Sacerdos ad eam imponendam; maior patet, probatur minor, quia voluntas Dei, & legislatoris ex fine sacramenti, & institutione satisfactionis colligitur, quatenus ex motiuo iustitiæ præscribitur in vindictam peccati, & ex motiuo clementiæ ad frænandum peccatorem in posterum è peccatis; sed satisfactio, quæ periculum habet annexum peccandi de nouo ob scrupulosum statum peccatoris, non compatitur cum fine, & motiuo clementiæ, quo respicitur abstractio à peccato nouo; ergo talis satisfactio non est in tali casu præscribenda etiam, ex motiuo iustitiæ, & vindicationis peccati, quia hæc duo motiua à Tridentino assignata satisfactionis imponendæ debent simul compati in opere satisfactorio; neque Deus Sacerdoti commisit potestatem arbitrariam in pœnitentem, vt grauetur in sententia ferenda in præiudicium salutis pœnitentis, quàm Deus primariò intendit.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Obiectionum Solutio.

599 Contrà primam, & communem sententiam, quod simpliciter, & absolutè loquendo teneatur pœnitens acceptare, & exequi satisfactionem à Confessario iniunctam arguunt Auctores secundæ sententiæ. Primò quia non tenetur homo in hac vita satisfacere pro pœna temporali in Purgatorio luenda, sicut tenetur in hac vita satisfacere pro culpa mortali eius remissionem procurando; ergo pariter in exercitio huius sacramenti non tenetur acceptare pœnitentiam, quæ sibi iniungitur ad satisfactionem, & remissionem pœnæ, sicut tenetur integram confessionem facere de peccatis cum dolore, & proposito ad obtinendam absolutionem, & remissionem culpæ, sed poterit licitè dicere se velle reseruare pœnam temporalem in Purgatorio luendam.

Confirmatur, quia potest homo extrà sacramentum nolle satisfacere in hac vita pro pœna temporali, sed velle illam luere, & pro ea satispati in altera nempè in Purgatorio; ergo etiam in sacramento potest recusare, vel omittere satisfactionem pro illa in hac vita. Demum, quando sunt duo modi satisfaciendi, ad neutrum tenetur reus determinatè, sed poterit pro libito vtrumlibet eligere; ad pœnitens non tantùm in hac vita luere potest pœnam temporalem post remissionem peccatorum remanentem, sed etiam in Purgatorio, ergo &c.

600 Resp. cum communi Doctorum primæ sententiæ, quod licet per se, & ex natura rei loquendo non teneatur peccator in hac vita satisfacere pro pœna temporali alioquin in Purgatorio luenda, ex institutione tamen huius sacramenti, & susceptione teneri acceptare, & subire pœnam in eo sibi iniunctam; cùm enim huic iudicio subdatur, sententiæ quoque in eo latæ parere debet, vt fructum recipiat remissionis pœnæ pro modo, & mensura satisfactionis sacramentalis.

Ad Confirmationem eodem modo dicendum est, quod quamuis hoc liceret ex natura rei, non licere tamen supposita huius sacramentalis iudicij institutione, cui se sistit pœnitens ad obtinendam pœnæ debitæ remissionem, qui proindè tenetur exequi pœnam legitimè impositam, ne mutilum maneat iudicium. Ad vltimum negatur minor, quasi sit in arbitrio pœnitentis alterum sibi eligere, quamuis enim pœna temporalis remanens possit in hac, & alia vita lui, eo tamen ipso, quod huic sacramentali iudicio se subdidit, sententiæ latæ parere tenetur, & satisfactionem in hac vita exequi à Confessario iniunctam.

Dices, ergo frustrà esset Purgatorium, nam Purgatorium est ad satisfaciendum pro peccatis iam remissis, ergo si pœnitens teneretur in hac vita satisfacere pro peccatis iam in Confessione remissis, frustrà esset Purgatorium. Negatur consequentia, nam Purgatorium non est pro ijs, qui nullam in hac vita voluerunt agere pœnitentiam, sed pro illis, qui licet iniunctam egerint pœnitentiam, non tamen per eam totaliter pro suis peccatis satisfecerunt, atque ideò residuum pœnæ soli Deo notum remanet adhuc in Purgatorio luendum.

Secundò arguunt, quia iudicium hoc sacramentale est voluntarium, ac liberum pœnitenti; ergò sicut non potest Sacerdos absoluere à culpa, nisi volentem, ità nec ligare ad pœnam, nisi volentem, & acceptantem. Confirmatur, quia hæc materia subordinatur materiæ de iudicijs, & sententijs; sed in illis appellatur ab inferiori ad superiorem: ergo, & in proposito similiter licebit, neque Sacerdos iustè talem appellationem denegabit, siquidem pœnitens præsentare se vult carceri Curiæ diuinæ, dùm protestatur se velle pœnam luere in Purgatorio pro peccatis dimissis. Tandem si posset confessarius obligare pœnitentem ad pœnitentiam acceptandam, posset illum quoque obligare ad acceptãdam pœnitentiam peccatis condignam, sed ad hanc obligare non potest, esset enim intolerabile onus humanam excedens imbecillitatem; ergo ad nullam obligare potest, cùm non sit maior ratio de vna, quàm de altera. 601

Respond. hoc iudicium esse liberum, & voluntarium peccatori, vt ad vnum, vel alium Sacerdotem accedat, sed necessarium est, ac debitum vt ad aliquem accedat; Item liberum est pœnitenti velle absolui, vel non absolui (intellige extrà casum præcepti de Confessione vrgentis) non tamen liberum est velle absolui à culpa, & non ligari ad pœnam, itaut vnum velit sine alio, hoc enim repugnat institutioni huius sacramenti, vt suprà dictum est, quarè sicut non potest Sacerdos ligare nolentem absolui, ità nec potest absoluere nolentem ligari. Ad Confirmationem dicendum est, quod licet hæc materia subordinetur materiæ de iudicijs, & sententijs, non tamen in omnibus, quia vt dictum est suprà *nu.* 596. in hoc iudicio sacramentali non datur locus appellationi, cùm sit supremum tribunal, & idem cum diuino. Ad vltimum negatur consequentia, non enim sequitur, quod si Sacerdos potest pœnitentem ad satisfactionem obligare, possit etiam ad condignam obligare, & proportionatam peccatis; cùm enim pœnitentia à Sacerdote iniuncta proportionari debeat non solùm grauitati delicti, sed etiam facultati, & fragilitati pœnitentis, & non quæuis pœnitentia grauitati delicti proportionata proportionetur etiam facultati pœnitentis; non semper ad condignam poterit obligare Sacerdos, sed ad illam tantùm, quæ omnibus pensatis censetur condigna spectata facultate pœnitentis.

Tertiò arguunt, quia potest pœnitens recusare satisfactionem condignam, & velle acceptare aliquam modicam, & residuum velle soluere in Purgatorio, vt dictum est *nu.* 600. conclus. 3. ergo non potest ratio conuincens assignari, cur non possit etiam illam paruam respuere. Confirmatur, quia satisfactio imponitur ad Purgatorij pœnam effugiendam; ergo si pœnitens de hoc beneficio non curaret, posset omnem reijcere, & Sacerdos de eius consensus nullam imponere. Tandem, cùm imponitur satisfactio, iam factum est sacramentum, quia actus hic ligandi exercetur post completum sacramentum, ergo etiamsi satisfactio non imponatur vel acceptetur non ob id cessat fieri verum sacramentum. 602

Respondetur negando consequentiam, non enim fieri potest solutio culpæ sine vlla prorsus ligatione pœnæ, nisi impotentia excuset, & quia minima etiam satisfactione pœnæ fit ligamen, illa sola sufficit, & per hanc solam saluatur, quicquid ad rationem sacramenti requiritur, potestas clauium, ac pœnitentis dispositio, quæ omnia sine vlla prorsus satisfactione saluari non possunt, vt *concl.* 3. declaratum est; & cùm Trid. *loc. cit. sess.* 6. *cap.* 14. & *sess.* 14. *caput.* 8. dicat satisfactionem hanc exigi à Deo, & esse de integritate huius sacramenti, planè nec est in potestate Sacerdotis,

nec

nec pœnitentis reddere sacramentum mancum quoad ea, quæ ex diuina institutione sunt de eius integritate, nisi in casu, quo ipsa institutio id permittit, vt in casu necessitatis, quando satisfactio nequit ex impotentia impleri, vt in moribundo, aut sine periculo salutis pœnitentis, vt in casu 4. *concl.* explicatum est *n.* 602.

Ad Confirmationem negatur assumptum absolutè prolatum, nam satisfactio non tantùm imponitur ad Purgatorij pœnam effugiendam, vel minuendam, sed etiam ad Sacramenti integritatem seruandum ex Trident. *loc. citat.* & ideò licet esse in pœnitentis arbitrio nolle ea vti in pœnæ temporalis solutionem, non tamen est in eius electione facere, vt non sit pars integralis Sacramenti, & ideò neque sacerdos cum eius consensu potest eam licitè non imponere, si possibilitas adsit.

Ad vltimum negatur consequentia, nam ipsa satisfactio in voto pœnitentis, vt exercenda, ante eius impositionem, & acceptationem concurrit, vt pars essentialis ad essentiam sacramenti constituendam, sicut postea acceptata, & reipsa exhibita concurrit, vt pars integralis ad sacramenti pœnitentiæ complementum, vt constat ex dictis in superioribus quarè cum votum illud supponatur efficax, tenetur pœnitens aliquam sibi possibilem acceptare, nam si non acceptaret, non posset dici efficax, quia voto efficaci contradicit expressè voluntas contraria omnem satisfactionem impositam reijciens, vt dictum est *num.* 598. in fine, & sine voto efficaci satisfaciendi non sit verum Sacramentum. Dices, potuit esse votum efficax satisfaciendi antè absolutionem, deindè post absolutionem potest retractari, & non acceptari; ergò saltem in tali casu hæc non acceptatio Sacramentum non redderet inualidum. *Resp.* quod licet retractando votum non inualidaret sacramentum iam factum, adhuc tamen contrà sacramenti reuerentiam mortaliter peccaret, quod sufficit ad saluandum non posse pœnitentem regulariter loquendo licitè reijcere omnem satisfactionem collectiuè à Confessario impositam.

603 Quartò arguunt rationibus ex Scoto deductis, quia reperiri potest aliquis pœnitens; qui dicat se habere displicentiam de peccato commisso, & firmum propositum non recidiuandi, & tamen nolit vllam pœnitentiam recipere à Sacerdote impositam, vel igitur iste est absoluendus à peccatis, vel non; si primum, habetur intentum; si non, ergò iste vt desperatus recedet, & tunc probabiliter in alia, & grauiora peccata relabetur, melius ergo esset eum in tali casu absoluere, quia finis huius sacramenti præsertim est salus pœnitentis. Conf. quia supponitur talem pœnitentem habere sufficientem dolorem de peccatis commissis, & propositum firmum de non amplius peccando, & etiam habere voluntatem faciendi pœnitentiam, sed non inflictam sibi ab hoc indice; ergò habet omnia ad contritionem, & rectam dispositionem requisita; non haberet quidem contritionem, si nollet vllum opus bonum facere, at si vult abstinere à peccatis, & operari bona, sed non titulo satisfactionis, hoc nihil impedit, quin habeat contritionem. Tandem si iste non absoluendus, hoc præsertim esset, quia videtur esse inobediens Ecclesiæ, quam Sacerdos ille repræsentat habens claues, dum recusat ab eo acceptare pœnitentiam de suis peccatis; At hoc non potest in proposito dici, quia iste se submittit Ecclesiæ arbitrio quoad id, in quo tenetur, scilicet, quantùm ad iudicium de culpis, ad quod necessariò tenetur; ad aliud autem iudicium sequens pertinens ad impositionem pœnæ non tenetur ei submittere, quia impositio pœnitentiæ non includitur necessariò in primo iudicio, quo culpa dimittitur, nam in morte, cùm quis non potest aliquid penale exercere, potest secundum omnes absolui absq; impositione pœnitentiæ; ergo pœnitentiæ impositio non necessariò includitur in absolutione à peccatis, & culpis, itaquod sit impossibile absoluere à culpa, non absoluendo à pœna; ità arguit Faber *loc. citat.*

Respondetur hæc argumenta adduci à Scoto, non quidem ad probandum simpliciter, & absolutè non teneri pœnitentem ad acceptandam satisfactionem à Confessario impositam, quo sensu à Scotistis secundæ opinionis solent adduci, sed tantùm ad probandum non teneri in casu 4. concl. explicato, quando, scilicet, peccatori nimis difficile esset obligari ad pœnitentiam ex suo particulari statu, & tentationibus, quas pati supponitur in adimplenda pœnitentia ex obligatione, nam vtique in tali casu ait Doctor consultius esse ipsum absoluere misericorditer, quàm repellere, dummodò propositum habeat recipiendi pœnam à Deo in hac vita infligendam, vel in Purgatorio, vt ibi declaratum est; In hoc igitur casu tantum primum concludit argumentum, quando nimirum ob specialem difficultatem adimplendi satisfactionem iniunctam periculum imminet desperationis, si absolutio subtrahatur.

Ad Confirmationem pariter dicendum est argumentum in præfato tantùm casu concludere, alioquin simpliciter, & absolutè loquendo difficilè est inuenire aliquem verè pœnitentem, & de peccatis commissis verè contritum, qui nec exiguam quidem penitentiam à Confessario acceptare vellet, qui enim nec ter Iesus dicere vellet, cùm posset, extrà prædictum casum à nullo censeri potest benè dispositus, atque ideò ex hoc capite reijci debet, & ei absolutio denegari. Ad vltimum licet simpliciter, & absolutè loquendo impositio pœnitentiæ non includatur necessariò in primo iudicio, quo culpa dimittitur, vt patet in casu de impotentia, quando enim pœnitens non potest aliquid pœnale exercere, vtique secundum omnes absolui potest à culpa absque impositione pœnæ, regulariter tamen loquendo, & extrà talem casum, clauis soluendi, & clauis ligandi sunt connexæ, nec fieri potest solutio culpæ absq; vlla ligatione pœnę, & hoc deducitur ex ratione huius sacramenti instituti ad modum iudicij, sicut enim reus tenetur parere Iudici legitimè præcipienti, ità Sacerdos vim coactiuam habet, qua saltem per præceptum pœnitentem obligare potest ad impositam pœnitentiam acceptandam, & soluendam, quarè si pœnitens non obediret, seclusis casibus impotentiæ, ac imminentis desperationis de ritè implenda tali pœnitentia, Ecclesiæ inobediens censeri non deberet.

Quintò tandem arguitur contrà secundam assertionem, in qua dictum est, teneri pœnitentem implere satisfactionem impositam, & quidem sub mortali, nisi impotentia impediat; arguitur, inquam, quia quando confessio facta fuit de solis venialibus, aut de mortalibus iam aliàs ritè confessis, non vrget obligatio implendæ pœnitentiæ sub mortali, sed tantùm sub veniali secundum communiorem opinionem, quia nimirum materia ipsa super quam cadit imposita satisfactio, non est grauis, & mortalis, quia non est necessaria, quando fit de solis venialibus, aut etiam de mortalibus aliàs confessis, quarè nec etiam tenebitur pœnitens sub mortali, sed solùm sub veniali eam adimplere. 604

Respondetur, quando dictum est *loc. cit.* teneri pęnitentem satisfactionem impositam implere sub mortali, nisi impotentia impediat, hoc esse intelligendum si confessio facta fuit de peccatis mortalibus tunc primò confessis, tunc enim pęnitens obligatus manet sub mortali ad eam implendam, itaut potens, & non implens peccet de nouo mortaliter, & hoc probant quæcunque dicta sunt *art. praeced.* pro tali obligatione inducenda; Imò non desunt asserentes, etiam quando confessio de solis venialibus facta fuit, aut de mortalibus aliàs ritè confessis, teneri adhuc pęnitentem sub graui, & mortali culpa pęnitentiam, quæ in se notabilis sit adimplere, ità Coninchius, Lugus, Caspensis, Amicus, Nugnus, Henriquez, & alij Recentiores; Ratio est, quia non solùm est res grauis, ne relinquatur sacramentum mutilum absque hac sua parte integralis; sed etiam quia si penitentia ipsa sit in se grauis, obligationem fundat grauem, quamuis oriatur ex materia non graui, seù non necessaria. Communior tamen opinio oppositum tenet, vt dicebam, quando nimirum confessio facta fuit de solis venialibus, aut etiam de mortalibus aliàs ritè confessis, non teneri pęnitentem sub culpa mortali, sed solum sub veniali, & hæc mihi probabilior videtur ob rationem allatam, quia, scilicet, materia ipsa, super quam cadit hæc satisfactio, non est grauis, & mortalis, quia non est materia necessaria, ideoque nec etiam eam adimplere tenebitur penitens sub mortali, sed solùm sub veniali. Et quamuis simpliciter, & absolutè loquendo res sit grauis, ne Sacramentum mancum, & mutilum relinquatur absque hac sua parte integrali; adhuc tamen inconueniens graue non est, aut grauis sacramenti iniuria, si relinquatur mutilum hac parte integrali, quando ipsa confessionis materia grauis, aut necessaria non fuit. Nec etiam in hoc puncto vrget, quod addebant Auctores citati, satisfactionem ipsam à Confessario impositam esse grauem, & posse iustè ab eodem imponi. Hoc enim non sufficit, sed requiritur vlterius adhuc, quod talis satisfactio cadat super materiam grauem, & necessariam, vt grauem obligationem inducat, & necessitatem.

Sed

605 Sed vrget Lugus, & Caspensis, quia ipse pęnitens potest se voto suo grauiter obligare ad faciendam certam pęnitentiam pro suis venialibus, ergo sic etiam obligari potest ex susceptionem huius Sacramenti, assumptum patet, quia si quis promitteret ieiunium ad hunc finem satisfaciendi pro solis venialibus, votum illud citrà dubium sub mortali obligaret; ergo idem de Confessario dicendum erit, si ob eundem finem ieiunium præciperet. At concesso assumpto neganda est consequentia, non enim valet assumpta paritas de voto, quia potest homo etiã sine vlla relatione ad peccata se obligare ad ieiunium, aut aliud opus pęnale ex sola deuotione, sed nõ potest sic obligari à Confessario, vt benè notat Auersa *quæst.* 13. *sec.* 6. Neque mihi satis probatur, quod præfati Auctores dicunt grauitatem obligationis non esse desumendam ex grauitate peccati, pro quo iniungitur, sed ex materia, quæ præcipitur, & ex grauitate operis iniuncti; hoc, inquam, non satis mihi probatur, quia Confessarius, tanquam Iudex, non potest, nisi pro qualitate causæ, & grauitate culpæ sub graui obligationem pęnam infligere. Oppositam tamen sententiam etiam ex nostris sequitur Hiqueus in Commentario *d.* 19 *q. vn. num.* 105. vbi ait, quod licet in pęnitentia imponenda debeat Cõfessarius attẽdere ad qualitatem delicti, tamen quando imponit pęnitentiam absolutè, & cum obligatione, mensura obligationis intrinsecè expendenda est ex natura operis iniuncti, & acceptati, & ex natura præcepti in tali opere, & ait se non inuenire regulam magis commodam, ex qua discernatur obligatio satisfactionis quantum ad grauitatem, aut leuitatem eius, quam eam pensare ex grauitate, aut leuitate materiæ iniunctæ ex præcepto, & concludit, quod cui hoc durum videtur, recogitet diuinæ iustitiæ rigorem, & acerbitatem pęnæ alterius vitæ; Sed planè hoc mihi durum videtur, ideoque rem decidendam relinquo meliori iudicio; hoc quidem certum est, in eo omnes conuenire Doctores, quod pęnitentia iniusta, & claue errante imposita commutatione non indiget quantũ ad id, in quo iniusta est, & quod potest proprio iudicio à pęnitente omitti, quia quantum ad id non obligat; si ergo id ab omnibus conceditur, pariter etiam concedi debebit grauem satisfactionem impositam pro materia leui, & non necessaria, qualia sunt peccata venialia, & mortalia aliàs ritè confessa, non obligare pęnitentem sub mortali, sed tantùm sub veniali, quia omninò iusta non videtur, nec proportionata qualitati delicti, sed excedens, ideoque cum tanto rigore obligare non videtur.

QVÆSTIO VIGESIMATERTIA.

Quis possit satisfactionem impositam tollere, vel mutare, & an talis satisfactio possit per alium adimpleri.

606 CIrcà primam quæstionis partem aduertendum est, cõtrouersiam non esse, quando pęnitentia, vel satisfactio imposita facultatem excedit pęnitentis, siuè quia errante claue fuit imposita, siuè quia posteà noua causa superuenit ab executione pęnitentiæ sufficienter excusans; nam in tali casu, si impotentia est euidens, pęnitens iure naturæ à pęnitentia imposita deobligatur, nec loco illius aliam assumere tenetur; si verò impotentia est dubia, poterit à viro docto, & prudenti consilium sumere etiam extrà confessionem narratis peccatis, pro quibus iniuncta fuit; non tamen extrà Confessionem posset aliam Sacramentalem pęnitentiam accipere, vt enim hæc sit Sacramentalis, & pars integrans sacramenti, mediante ipsa confessione Sacramentali debet iniungi; est itaque solùm controuersia, quandò pęnitentia imposita tam peccatis, quàm facultati pęnitentis est proportionata, ac proindè illum ad sui executionem obligat.

Circà alteram quoque quæstionis partem pariter aduertendum est, controuersiam non esse, an vnus pro alio satisfacere possit quantum ad pęnam temporalem simpliciter, & absolutè loquendo de satisfactione, hoc enim fieri posse patet in animabus Purgatorij, pro quibus satisfaciunt viatores, & patet ex veritate de Indulgentijs, & de thesauro spirituali Ecclesiæ. Sed difficultas est de satisfactione Sacramentali, & maximè si satisfactio sacramentalis ex opere operato suum operetur effectum; quia clauis ipsum duntaxat pęnitentem ligare potest, vt est reus, atque ideò alium à pęnitente non videtur posse ligare, etiamsi se voluntariè offerat, nec ille videtur modus castigandi, & puniendi peccatum huic sacramento accommodatus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Resoluitur quæstio quoad primam partem.

PRo resolutione quæstionis quoad primam partem plures se se offerunt difficultates examinandæ, quę passim apud Recentiores disputantur pro recta huius quæstionis intelligentia, & quamuis Scotus illas ex professo non tractet, adhuc tamen facilè, & consequenter ad eius principia breuiter resoluemus. 607

Prima Difficultas est, An pęnitens propria auctoritate possit sibi pęnitentiam commutare à Confessario impositam saltem in opus euidenter melius; disputatur autem de propria pęnitentis auctoritate, quia de auctoritate Confessoris loquendo nulli dubium est posse Confessarium facultatem pęnitenti conferre, vt ipse sibi pęnitentiam eligat peccatis proportionatam, quia pęnitentia ab ipso pęnitente hoc pacto electa eandem vim haberet, perindè ac si esset à Confessore imposita, nam mediatè saltem ex virtute clauium proficisceretur, quia earum virtute in tali casu esset à pęnitente electa. Affirmant nonnulli posse ab eodem pœnitente propria auctoritate vnum opus in satisfactionem à Cõfessario iniunctum commutari in aliud opus euidenter melius, quod etiam probabili censet Diana *par.* 2. *trac.* 15. *resol.* 53. Ratio est, quia habens votum potest illud propria auctoritate in opus euidenter melius commutare; ergò & pęnitens satisfactionem.

Confirmatur, quia qui exhibet largiorem solutionem, quàm debebat ex lege, non soluit legem, sed largiùs implet, ità autem accideret in proposito, ergo &c. Tandem quia licet in tali casu mentem Confessarij interpretari, qui si rogatus fuisset à pęnitente parato aliud opus euidẽter melius in satisfactionem; vtique concessisset.

Communis tamen opinio docet nec licitè, nec validè fieri posse, ità Lugus, Coninchius, Amicus, Auersa, Caspensis, Sanchez, Henriquez, Turrianus, Brancatus ex nostris, & alij Recentiores communiter. Fundamentum est, quia non potest subditus quidquam in præcepta superioris siuè dispensando, siuè permutando, vt ad lucrandam remissionem pęnæ per indulgentiam non licet substituere loco ieiunij, v. g. à Pontifice præscripti aliud opus melius, vt eleemosynam centum aureorum; ergo neque ad obtinendam remissionem pęnæ per satisfactionem Sacramentalem, in qua præterea reperitur præceptum, & obligatio, quod non contingit in concessione indulgentiæ. Confirmatur, quia non potest reus, qui est pęnitens, ferre suo modo sententiã, aut pęnam mutare sibi à Iudice inflictam, qui est Confessarius, nec potest ille, qui suscipit sacramentum, officium Ministri sibi vsurpare cõferendo sacramentum. Denique pœnitentia nequit esse pars sacramenti, nisi ex virtute clauium procedat, siquidem omnes, & singulæ huius sacramenti partes ab ipsa Sacerdotis potestatem vim, & rationẽ sacramenti sortiuntur, à quo omnes pęnitentis actus ad esse sacramenti eleuantur; nisi enim sacerdotalis absolutio accederet, nec contritio, nec confessio rationem haberent sacramenti; nam intantum eam sortiuntur, inquantùm Sacerdotalis absolutio virtute clauium imperatur; ergò pęnitentia, & satisfactio nequit esse pars sacramenti, nisi à Cõfessario iniuncta, in quo tantùm virtus clauium residet; in proposito autem talis pęnitentia ex sola pęnitentis auctoritate commutata nec immediatè, nec mediatè ex virtute clauium procederet. 608

Ad fundamentum prioris sententiæ negatur consequentia disparitas est, quia obligatio implendi rem voto promissam oritur ex voluntate vouentis, qui proindè subrogando rem meliorem nullus ius lædit; obligatio autem implendi pęnitentiam oritur ex voluntate, & præcepto Confessarij tanquam Superioris hanc rem in particulari determinantis cuius proindè ius læditur: quarè non est simile de voto, quod sicut propria voluntate emissum est, ità etiam in melius commutari potest, non sic autem opus aliena auctoritate iniunctũ, qualis est satisfactio sacramentalis, quæ pendet à potestate clauium, quarum virtute eleuari debet ac 609

esse partis sacramentalis, cùm ergò pęnitens non possit in se actionem iurisdictionis sacramentalis exercere, cum non possit sibi esse superior, consequenter nec poterit propria auctoritate pęnitentiam commutare sibi à Confessario impositam.

Ad Confirmationem distinguendum est assumptum, si debitor suprà id, quod est taxatum, seù determinatum à lege aliqui soluat, cōceditur, si verò id, quod taxatum est, permutet, negatur. Ad vltimum dicendum est in eo casu ineptam esse interpretationem, postquam Confessarius certo operi vim indidit sacramentalem, & vinculum obligationis, non enim potest pęnitens eleuare sacramentaliter opera sua, aut in seipsum actum iudicialem exercere; Et tandem contrà omnia Aduersariorum argumenta est instantia validissima, si enim licere permutare præceptum Confessarij, liceret etiā permutare præcepta Ecclesiæ, cùm nulla possit assignari disparitas; atque ità pro ieiunio possemus subrogare cilicium, pro Missa communionem &c. illud enim magis macerat carnem, hæc verò in maiorem Dei cultum cedit, quod nemo dixerit.

610 Secunda Difficultas est, nùm satisfactio ab vno Confessario imposita possit ab alio ęquali, hoc est, simili auctoritate prædito in aliam commutari, non solùm meliorem, sed etiam æqualem, vel insuper mitiorem dispensando in parte super primam grauiorem. Negant aliqui, etiamsi secundus Confessarius de nouo audiat, & absoluat eadem peccata. Ratio est, quia par in parem imperium non habet, vndè in foro exteriori nequit vnus Iudex, nisi sit superior, mutare sententiam alterius, & hoc per viam appellationis, vel recursus, quæ locum non habent in hoc sacramentali iudicio.

Confirmatur, quia ex hac commutatione irrogaretur iniuria priori Confessario, cuius sententia à posteriori reuocatur. Tandem, quia remaneret mutilum, & imperfectum prius sacramentum, quia illi deesset pars integralis satisfactionis à priori Confessario iniunctæ, cuius obligationem sustulit secundus Confessarius; pro hac sententia citantur Soto, Vasquez, Nugnus, Victoria, Ledesma, Angles, & alij pauci.

611 Opposita tamen opinio communior est, & probabilior, quam docent Angelus, Nauarrus, Syluester, Suarez, Lugus, Pesantius, Amicus, Auersa, Valentia, Henriquez, & ex nostris Faber, Brancatus, & alij Recentiores passim; Fundamentum est, quia pęnitens habet ius peccata vni confessa alteri iterum confitendi; ergò quilibet legitimus Confessor, & præsertim æqualis primo in auctoritate, potestatem habet ea iudicandi, & condigna pęnitentia puniendi, ius enim iterandi confessionem in pęnitente est correlatiuum, cui necessariò respondet in Confessario eius ferendi iudicium suprà peccata iterum confessa; Cùm ergo non teneatur pęnitens de ijsdem peccatis duplicem subire pęnitentiam, benè poterit relicta prioris Iudicis pęnitentia, exequi pęnitentiam posterioris.

Confirmatur, quia posterior Confessarius se habet, vt successor prioris in eodem Tribunali, ac proindè potest idem, quod prior, sed hic potest pęnitētiam commutare, vt omnes fatentur; ergò & ille, vndè si pęnitens accedat ad secundum melius dispositus, aut alię concurrant circumstantiæ poterit secundus Confessarius pęnitentiam prioris non tantùm commutare in æqualem, sed etiam minuere.

611 Ad fundamentum prioris sententiæ negandum est, cùm Confessarius posterior pęnitentiam prioris mutat, exercere in illum imperium, sed exercet in ipsum pęnitentem, tanquam in sibi subditum, qui cum voluntariè possit se vni, & alteri subijcere in hoc foro, poterit à secundo nouam obtinere sententiam, in quam transeat prior, quod non fit in hoc foro per modum appellationis, & recursus, sed per modum repetitionis, & successionis; Vndè licet par in parem imperium non habeat, tamen habere potest in eundem subditum, sicut etiam in foro externo successor in eodem officio potest mutare ea, quæ prædecessor fecerat, non quia in illum habeat imperium, sed quia potestatem habet in eandem materiam.

Ad Confirmationem negatur consequentia nullam enim iniuriam posterior Confessarius irrogat priori commutando pęnitentiam ab ipso datam, sed consulit conscientiæ pœnitentis, qui ius habet consulendi alium Confessarium, nec reuocat eius sententiam, quasi iniustam, sed nouam profert ad instantiam Rei, in cuius bonum iteratur sententia in eadem causa, non per modum appellationis, seù recursus, vt dicebam, sed per modum noui iudicij æquiualentis præcedenti, seù per modum repetitionis, & successionis, sicut in foro externo Iudex succedēs in eodem iudicio potest mutare, quæ præcessor fecerat citrà vllam iniuriam. Ad vltimum negatur consequentia, quia nihil deest in ratione iudicij, quando ex commutatione, vel diminutione sententiæ siuè ab eodem Iudice, siuè à successore facta non tollitur eius executio, vt accidit in proposito; & quidem si argumentum valeret, sequeretur neque per Indulgentias tolli vllo modo obligationem pęnitentiæ in hoc sacramento saltem inquantùm vindicatiuæ, eo quod nempè remaneret incompletum, quod tamen communiter asseritur, de quo infrà n. 627.

Tertia Difficultas est, an etiam Cōfessarius inferior, idest, æqualem non habens auctoritatem possit hoc idem facere, nempè pęnitentiam commutare à Superiori impositam, v.g. à Parocho, vel Episcopo, aut etiam Pontifice ipso, & difficultas non est de peccatis communibus, & liberis, idest, nemini reseruatis, sed de pęnitentia imposita pro reseruatis. Affirmant Vasquez, Henriquez, Nauarrus, Molfesius, Fernandez, Bonacina, & quidam alij, quorum fundamentū est, quia per absolutionem casuum reseruatorum à Superiori factam, & obtentam, iam illa peccata remanēt non reseruata, & consequenter non remanet reseruata pœnitentia pro eis imposita. 613

Opposita tamen sententia negans communior est, & quidem quod possit Confessarius inferior ex causa, & præuia confessione commutare pęnitentiam à Superiore impositam pro peccatis communibus, & liberis, hoc est, non reseruatis, nulli dubium est, quia ad soluendum, & ligandum pro communibus inferior Sacerdos est æqualis Superiori, habet enim ordinem, & eandem iurisdictionem quoad illa. Quod verò non possit commutare pęnitentiam pro reseruatis à Superiore impositam probatur, quia sicut non potest Confessarius inferior de illis peccatis iudicare, quia iurisdictionem non habet, ità nec pęnitententiam imponere, siquidem circa priorem sententiam, non habet potestatem, cùm ad tribunal superius pertineat; Tùm quia tunc inferior non se habet, vt successor prioris in eodem tribunali, ac proindè non potest reformare, seù moderare sententiam ab illo Iudices Superiori per potestatem superiorem prolatam, sicut nec inferior potest mutare præcepta Superioris. Tùm tandem, quia reseruatio inducta est, vt Superior suo iudicio pęnitentiam, siuè per modum vindictæ, siuè per modum medicinæ imponat, itaut licet aliquando inferiori facultatem concedat absoluendi à peccato reseruato, ipse tamen determinet, & taxet pęnitentiam iniungendam, quod sanè frustraneum esset, si inferior iterum audita pęnitentis confessione posset absoluere, & pęnitentiam mutare.

Ex qua doctrina fundamento prioris sententiæ facilè occurritur, cùm enim reseruatio peccatorum ad iudicium, quod reseruans de illis ferre debet, vltimatè ordinetur, vtique hoc iudicium frustraretur, si mutari posset ab alio Sacerdote inferiori; Vndè licet pęnitens à peccatis reseruatis fuerit iam à Superiore absolutus, & possit illa rursus inferiori Sacerdoti confiteri, & eorum absolutionem petere; non tamen potest petere commutationem pęnitentię pro illis impositæ, quia in huiusmodi pęnitentis tacitum inuoluitur præceptum, ne possint ab alijs commutari, nisi vrgente aliqua graui necessitate, & ad Superiorem recursus non facilè pateat. Fateor tamen priorem sententiam sua probabilitate non carere, sicut enim peccata reseruata semel à Superiore absoluta, eo ipso non manet amplius reseruata, ita vt etiam ab inferiori possit de illis absolutio obtineri, si iterum ei in confessione aperiantur; ità etiam videtur dici posse de pęnitentia pro eis imposita, itaut sicut pęnitens habet ius iterum sua peccata reseruata alteri confitendi, ita & aliam sententiam loco prioris petendi, & subeundi, qua ratione Amicus *disp. 16. sec. 4.* & alij Recentiores priorem quoque sententiam censent probabilem.

Quarta Difficultas est, An ad id debeat secundus Confessarius audire peccata, pro quibus pęnitentia fuit à primo imposita. Negant Nauarrus, Toletus, Henriquez, Victoria, Valentia, Syluius, Diana, & alij quamplures asserentes posse etiam extrà cōfessionem, præsertim si sit Superior, vel saltem in confessione de alijs peccatis, etiamsi non 614

repen-

repetantur priora peccata anteà confessa, pro quibus pœnitentia fuit imposita. Fundamentum est, quia secundus Confessarius eandem habet auctoritatem, quam primus habebat, & denuò est Iudex, ac Superior in hoc foro, & pęnitens, illi seipsum subdit, totumque suum statum, & conscientiam, ergo validè, & licitè poterit nunc commutari, ac minui pœnitentia ab alio Confessario imposita, maximè ex iusta, & rationabili causa.

Opposita sententia affirmat hoc fieri non posse à secundo Confessario, siuè inferior fuerit, siuè Superior, nisi audiendo, & absoluendo denuò eadem peccata anteà confessa. Ità Suarez, Vasquez, Coninchius, Lugus, Pesantius, Amicus, Auersa, & alij quamplures, & hæc mihi probabilior videtur, & probatur ex ratione huius sacramenti instituti per modum iudicij, non enim potest Iudex iurisdictionem exercere, nisi in suo foro, ac tribunali, nec ferre sententiam, nisi cognita causa; ergo neque secundus Confessario poterit exercere hunc actum mutandi pęnitentiam, nisi in actuali exercitio sacramenti, quando, scilicet, Reus se accusat, ac defert sua peccata, pro quibus pęnitentia à primo imposita fuit, quę si Confessarius ignorat, iam non habet causam perpectam.

Confirmatur, quia vt iudicium sacramentale condignam peccatis pęnitentiam taxet, prærequirit, & postulat Sacramentalem peccatorum cognitionem, quæ non nisi per Sacramentalem confessionem haberi potest; cùm ergo pęnitentia Sacramentalis sit huius sacramenti pars integralis, & cùm nequeat esse pars huius sacramenti, nisi sacramentali iudicio taxetur, planè sequitur secundum Confessarii prioris sententiam Sacramentaliter mutare non posse, nisi auditis in confessione peccatis, in quæ illa fuit lata. Tandem, quia eiusdem potestatis est imponere, ac tollere pęnitentiam, sed non imponitur pęnitentia extrà sacramentum, ergo nec tolli potest per commutationem, nisi media confessione sacramentali, quoniam commutare in proposito est partim tollere, scilicet, primam, & partim imponere, scilicet, secundam pęnitentiam.

15 Et quidem rationes istæ non solùm euincunt secundo Confessario non licere pęnitentiam mutare à priori impositam sine auditione peccatorum, pro quibus imposita fuit, seù extrà horum confessionem; sed etiam probant non licere in ipsa confessione, quæ fiat de alijs peccatis nouis; hæc enim noua confessio se habet merè per accidens ad vetera peccata iam confessa, sicut autem Confessarius audiens solùm noua peccata, non ritè pęnitentiam imponeret pro veteribus, quæ non audit, ità nec ritè sine eorum auditione pęnitentiam veterem permutaret; quemadmodum Iudex non ritè pro fert sententiam de vna causa per cognitionem alterius. Neque etiam sufficit, vt quidam Aduersariorum dicunt, si pęnitens dicat se in præterita confessione habuisse hanc pęnitentiam pro peccatis tunc confessis, sic enim innotesceret quidem pęna, sed non culpa, propter quam illa fuit imposita, quod esset mutare sententiam cognitam, non cognita causa, vt benè discurrit Auersa *qu.* 13. *sect.* 8. Quapropter concludendum est non posse secundum Confessarium pęnitentiam mutare à primo impositam, nisi denuò audiendo, & absoluendo eadem peccata, pro quibus iam imposita fuit.

Ex quibus patet quid sit dicendum ad fundamentum prioris sententiæ, necessariò enim hæc noua confessio de ijsdem peccatis requiritur, quia licet secundus Confessarius eandem cum priori auctoritatem habeat, hoc non sufficit, sed etiam habere debet eiusdem causæ cognitionem, & pęnitens debet illi suum statum, & conscientiam aperire, & patefacere, non quomodocunque, sed etiam de ijsdem illis peccatis prioribus, quorum sibi cupit pęnitentiam commutari; Et parum etiam refert, quod sit Superior respectu pęnitentis, & etiam prioris Confessarij, vt quod sit Episcopus, vel Prælatus, neque enim ad hoc refert eius superioritas, & Prælatio, quia cum tota hac dignitate adhuc seruare debet, quæ ad hoc sacramentum essentialiter spectant, sicut alij; vndè sicut absoluere non potest peccata, quæ non audit in hoc sacramento, ità nec ea punire per modum Sacramentalis pęnitentiæ.

616 Quinta tandem Difficultas est, an idem Confessarius possit pœnitentiam à se impositam commutare absque noua auditione, & absolutione. Affirmat communis opinio apud Auersam *loc. cit.* ità tamen, vt non omninò fiat extrà confessionem; Ratio est, quia talis commutatio esset, tanquam actus, & complementum, seù modificatio eiusdem iudicij sacramentalis; sicut enim ab initio poterat imponi pęnitentia post absolutionem, vt omnes ferè concedunt, sic etiam potest iterum mutari, & modificari consentiente, aut instante eodem pęnitente, non tamen extrà sacramentum, hoc ipso quod est actio sacramentalis.

Ad hanc autem mutationem validè faciendam aduertendum est requiri, omninò ex parte Confessarij memoriam saltem confusam peccatorum, vt nempè Iudex procedat cum notitia causæ, ne sententia contineat errorem intollerabilem claue errante, siuè deindè tempus intercurrens sit breuius, siuè longius; sicut enim satisfactio etiam post longum tempus impleta integrat vnum iudicium cum partibus præcedentibus, quod iudicium adhuc intelligitur suspensum, & incompletum, itaut Iudex in suo Tribunali adhuc aperto habeat ius ad vrgendam sententiæ executionem; sic eandem satisfactionem poterit Confessarius ad instantiam pęnitentis mutare, qui quidem Confessarius intelligitur sibi virtualiter retinere huiusmodi facultatem moderandi, ac mutandi pęnitentiam; licet enim sententia semel legitimè prolata, & acceptata videatur transire in rem iudicatam, quasi per modum contractus, itaut non possit mutari absq; consensu iudicis, & subditi; in proposito tamen supponitur adesse consensus, imò instantia pęnitentis, non est igitur cur huiusmodi tempus, vel ad mediam horam cum Megala, vel ad diem cum Coninchio, vel ad triduum cum Diana, vel ad hebdomadam cum Henriquez restringamus, sed cum Vasquez, & Lugo rectè ad recordationem Confessarij extenditur; Imò addit Auersa, si non recordetur Sacerdos, sufficere, quod ei peccata in memoriam reuocet pęnitens absque accusatione, & absolutione, ac etiam si interim expiret facultas Confessarij, quam fortè ad tempus habebat, quia adhuc durat quoad causam non solùm cæptam, sed etiam iudicatam, ad effectum moderandi suam sententiam.

Sed instat Brancatus noster *disp.* 22. *art.* 10. *num.* 233. vt 617
fieri possit licitè, & validè mutatio satisfactionis multo tempore post confessionem primam, non sufficere quod Sacerdos recordetur peccatorum pęnitentis, sed necessariò iterandam esse confessionem peccatorum, ob quæ fuit imposita; quod probat, quia nequit licitè operari Sacerdos, si proportionem satisfactionis ad peccata non seruat, sed in eo casu seruari nequit, nisi præ oculis habeat peccata illa, ob quæ imposuit, & hæc habere nequit, nisi per iteratam confessionem, ergo &c.

Confirmatur, quia actus mutandi pęnitentiam iam impositam est actus sacramentalis nouus, ergo requirit alias sacramenti partes, atque ideò confessionem nouam, quia confessio iam præterita nequit moraliter eius compars censeri ob nimiam longitudinem temporis interiecti iam elapsi; & tandem subdit sub *n.* 234. vt licitè fieri possit huiusmodi commutatio, non sufficere si pęnitens ità de nouo confiteatur, ac si ea peccata confessus non fuisset, sed tenetur dicere, quod ob commutationem satisfactionis iterum ea confitetur.

At hoc nimirum rigorem sapit, & sine sufficienti fundamento; verum quidem est Sacerdotem licitè operari non posse, si proportionem satisfactionis ad peccata non seruat, & in eo casu talem proportionem seruari non posse, nisi peccata iam confessa præ oculis habeat, hoc est, sufficientem eorum memoriam saltem confusam, at falsum est etiam post longum tempus hanc haberi non posse, nisi per iteratam pęnitentis confessionem, nam potest eam ex se habere Sacerdos sine iterata confessione, quod si ipse non recordetur, sufficit etiam, quod ei in memoriam reducantur ab ipso pęnitente absque noua accusatione, & absolutione; Et actus mutandi pęnitentiam in tali casu non est omninò nouus & à priori diuersus, sed potius se habet, tanquam complementum, & modificatio eiusdem iudicij sacramentalis, vt suprà dictum est, & sufficienter censetur moraliter vnitus cum præterita confessione, & absolutione; quia sicut executio pęnitentiæ post quodlibet tempus moraliter vnitur cum toto sacramento, est que pars integralis eius, ità & commutatio, eo quod vsq; ad executionem maneat adhuc velut apertum idem iudicium, & tribunal, & suspensum, atque incompletum iudicium; quo etiam pacto Iudex, qui reum ad certam pęnam condemnauit, potest quousque ea completa non sit, illam rationabili de causa moderare, ac temperare.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Resoluitur quæstio quoad alteram partem, & alia præcipua Difficultas examinatur.

618 ALtera pars propositæ quæstionis erat, an satisfactio sacramentalis possit per alium impleri. Affirmant quamplures ex veteribus Scholasticis, quos etiam plures sequuntur Recentiores Soto, Henriquez, Suarez, Facundez, Mercerus, Tannerus, Diana, & alij, quorum fundamentum est, quia pęnitentia sacramentalis ad duo ordinatur, ad medendum spiritualibus morbis pęnitentis, & debitum peccatorum soluendum; estò igitur non possit quoad primum ab alio, quàm ab ipso pęnitente impleri, poterit tamen quoad secundum, cùm possit vnus pro alio debitum soluere; qui Auctores non tantum loquuntur de solutione per modum operis operantis, sed etiam per modum operis operati, putant enim claues sacerdotales non solùm se extendere ad opera exequenda ab ipso pęnitente, sed etiam exequenda ab alio pro ipso pęnitente. Hoc autem aliquid ex citatis Recentioribus ità declarant, quod non possit id facere pœnitens propria auctoritate sibi alium substituendo, sed sola auctoritate Sacerdotis, ità Suarez, Diana, & alij apud Auersam *q. 13. sect. 4.* & sequitur Brancatus ex nostris *disp. 22. art. 7. num. 159. conclus. vlt.* vbi ait quod licet satisfactio acceptata à pœnitente, vt implenda ab ipso, non possit per alium impleri, fieri tamen potest, vt aliquando sibi à Sacerdote imponatur pœnitentia implenda per alium.

619 Dicendum tamen est cum communiori, & probabiliori sententia pęnitentem teneri per se implere pœnitentiam iniunctam, itaut neque ipse sua auctoritate sibi alium ad eam faciendam substituere possit, nec etiam auctoritate Sacerdotis. Ità Vasquez, Coninchius, Lugus, Amicus, Bonacina, Auersa, & alij passim; Et quidem quod propria auctoritate id facere nequeat patet ex *art. præced.* vbi dictum est, non posse propria auctoritate mutare pœnitentiam sibi à Confessario iniunctam, eamque in partem sacramenti eleuare, cùm hoc sit proprium clauium sacerdotalium. Quod autem neque Sacerdos id facere possit probatur ex Tridentin. *sess. 14. cap. 3.* vbi materia huius sacramenti statuuntur tres pęnitentis actus contritio, confessio, & satisfactio, non autem alterius. Deindè probatur ex ratione huius sacramenti instituti ad modum iudicij vindicatiui, & medicinalis, in quo proindè idem, qui reus est, debet absolui, & puniri, & qui infirmus curari, suscepta ab ipso medicina, non autem ab alio, quod confirmari etiam potest à pari in alijs præceptis, v. gr. de missa audienda, de ieiunio &c. quæ non potest vnus pro alio implere, imò magis requiritur actio personalis in proposito, cùm pęnitentia præcepta tendat ad hanc numero personam puniendam, & curandam. Denique ex eo probatur, quia ille solùm potest sacramentaliter exequi pęnitentiam impositam, seu præceptam, cui potest Sacerdos sacramentaliter præcipere, sed hic est solus pęnitens, non autem alter, quia in hoc foro est superior solius pęnitentis, nam claues Sacerdotis non nisi ad pęnitentem se extendunt; vndè etiamsi in tali casu pęnitentia ab alio adimpleta prodesset pęnitenti per modum operis operantis, non tamen prodesset per modum operis operati, de quo tantùm
568 est præsens difficultas; ex quo patet quid sit dicendum ad fundamentum oppositæ opinionis, probat enim solùm quod pęnitentia ab alio adimpleta prodesset pęnitenti ex opere operantis, non autem ex opere operato; cùm enim non possit Confessarius pęnitentiam imponere, nisi ligando, nec possit pęnitentem ligare ad opus alterius, consequens est, vt quamuis vnus pro alio satisfacere possit ex opere operantis, nequeat tamen sacramentaliter, & ex opere operato, quod etiam ex nostris tenent Faber *disp. 35. c. 11. n. 239.* & Hiqueus *4. d. 15. q. 1. in Comment. n. 160.*

620 Sed Obijcies, quod vnus potest satisfacere pro alio pro pęna temporali, siuè viuo, siuè defuncto; ergo idem dici potest in proposito de satisfactione sacramentali. Conf. quia hoc ipso, quod pęnitentia adimpletur ab alio ex consensu ipsius pęnitentis fit actus ipsius pęnitentis, ac proindè fit apta materia sacramenti, sicut eleemosyna facta per famulum ex consensu Domini censetur actus ipsius Domini. Demum adest praxis aliquorum Confessariorum imponentium pro pęnitentia, vt pęnitens procuret sibi aliorum preces, vt curet pro se celebrari, vel etiam audiri tot missas, quæ quidem ei valebunt ad satisfactionem, & remissionem pęnæ, non tantùm ex opere operantis, sed etiam ex opere operato.

Respondeo negando consequentiam, & paritatem, vt satis constat ex dictis, quamuis enim vnus possit pro alio satisfacere ex opere operantis, non tamen sacramentaliter, & ex opere operato; vndè sicut vnus non potest conteri, nec confiteri sacramentaliter pro alio, ità nec potest sacramentaliter satisfacere, quia contritio, confessio, & satisfactio sunt partes huius sacramenti; Nec obstat, quod confessio interdum fiat per aliam, v. gr. per interpretem, dùm enim fit, ità, fit etiam à principali committente interpreti, vt referat, quæ ipsemet dicit, vndè principaliter fit à pęnitente, ab interprete verò solùm instrumentaliter. Ad Conf. negatur assumptum, ex quo tantùm sequitur consensum ipsum pęnitentis esse actum proprium ipsius pęnitentis, non autem pęnitentiam ab alio impletam, quia hæc fieret ex proprijs operationibus illius, vt orare, peregrinari, ieiunare, non autem ipsius pęnitentis; vndè non valet paritas de eleemosyna Domini per famulum facta, hæc enim principaliter fit ab ipso Domino, à famulo autem tantùm instrumentaliter, cùm illam eroget ex bonis Domini, non autem proprijs, atque ita in tali casu opus sic ab alio factum pro pœnitente, & applicatum, proderit pęnitenti quoad effectum satisfactionis ex opere operantis tantùm, non verò ex opere operato; actus autem ipse, quo pęnitens rogauit alium ad faciendum tale opus, eidem pęnitenti valet ex opere operato, & virtute clauium non minus, quàm quodcunque opus aliud ei impositum, & ab eo adimpletum, siquidem in toto rigore actus ille est opus proprium ipsius pęnitentis à Sacerdote illi iniunctum, & virtute clauium eleuatum, quando nimirum illi imponit, vt procuret peregrinationem, celebrationem Missæ, seruitium infirmi, & similia. Ad vltimum dico in opere à Confessario imposito pęnitenti faciendo per alium non adinueniri aliam satisfactionem, quæ dicatur ex opere operato, & per virtutem clauium, nisi quæ consequitur ex actione illa pęnitentis, qua procurat opus illud ab alio faciendum qua satisfactione si contentus sit Confessarius, vt verè esse potest, ad nil aliud tenetur pęnitens: Verum etiam est, quod si pęnitenti à Confessario imponatur, vt curet pro se celebrari tot Missas, Missæ ei valebunt ad satisfactionem, & remissionem pęnæ etiam ex opere operato, non tamen operato ab ipso sacramento pęnitentiæ, & virtute clauium, sed tantùm operato peculiariter ab ipso sacrificio, & virtute intrinseca ipsius oblationis; alia enim est satisfactio procedens ex opere operato à sacramento pęnitentiæ, & virtute clauium; alia verò ex opere operato ab alio sacramento, v. g. sacrificio Missæ, ac etiam à martyrio; vndè in opere, quod nomine pęnitentis alius exequitur, distingui potest aliquando hæc gemina satisfactio, scilicet, ex opere operantis, & ex opere operato, v. g. sacrificio Missæ, communione, & martyrio, sed istæ nunquam dici possunt satisfactiones sacramentales, & virtute clauium.

Ad maiorem quæstionis huius intelligentiam hic vlterius disputari solet, an pęnitens possit iniunctæ sibi pęnitentiæ satisfacere per susceptionem indulgentiæ, adeout indulgentia suscepta cesset obligatio eam adimplendi, in qua difficultate, quæ non est parui momenti, tres sunt sententiæ, duæ extremæ, & vna media. Prima sententia extrema absolutè affirmat, quam latè defendit Cardin. de Lugo *disp. 27. sect. 2.* Fundamentum est, quia cùm pęnitentia sacramentalis adimplenda sit ob remissionem pęnæ temporalis, extincto debito huius pęnæ, sequitur extingui pariter obligationem adimplendi pęnitentiam, sicut condonata per Principem pęna debita Reo, cessat omnis obligatio illi imposita à Iudice; sed pęna temporalis pro peccatis iam dimissis debita per susceptionem Indulgentiæ remittitur, vt patet ex eius definitione, siquidem præcipuus effectus Indulgentiæ est remissio temporalis pęnæ ex peccato absolutio relictæ; ergò pęnitens non tenetur amplius satisfactionem sibi iniunctam adimplere; sicut enim debitor non tenetur soluere creditori debitum, quod sibi condonatum est, & remissum ab eo, ità neque pęnitens tenetur Deo satisfacere pro pęna alias debita, cuius remissionem per Indulgentias obtinuit. Secunda opinio extrema absolutè negat per Indulgentias compensari, & tolli obligationem adimplendi satisfactionem sacramentalem, itaut homo eximatur à de- 621

à debito eam exequendi, etiamsi concedat pęnam temporalem in Purgatorio luendam per susceptionem Indulgentiæ totaliter remitti. Ratio est, quia pęnitentia Sacramentalis non imponitur solùm ob vtilitatem pęnitentis ad remissionem pęnæ debitæ pro peccato remisso, sed etiam ob cultum Dei, & satisfactionem quandam diuinæ iustitiæ, quàm debebit pęnitens adimplere ex iusto præcepto Confessarij, tanquam legitimi iudicis facultatem habentis sic ligandi, & ad aliquam pęnam condemnandi; Et condonata pęna vnius generis à Principe, non propterea cessat obligatio ad pęnam alterius generis imposita à legitimo Iudice; Quarè condonata pęna alterius vitæ in Purgatorio à Deo, non propterea cessat obligatio adimplédi aliquam pęnam exercendam ab ipso Reo in hac vita in cultum Dei; ità latè defendit Auersa q. 13. sec. 9. vbi alias rationes non parum efficaces pro hoc adducit.

622 Tertia tandem media, & communis sententia docet pœnitentiam dupliciter à Confessario iniungi; primò in satisfactionem peccatorum pro pęna peccatis debita; secundò in medicinam, remedium, & præseruationem à peccatis; Pęnitentiæ primo modo iniunctæ in satisfactionem, scilicet, peccatorum iam remissorum quoad culpam pęnitens satisfacit per susceptionem Indulgentiæ, & per alia opera satisfactoria; Pęnitentiæ verò secundo modo iniunctæ in remedium, scilicet, & præseruationem pęnitens non sufficienter satisfacit per indulgentiæ susceptionem; Quamobrem si pęnitenti luxurioso iniunctum sit ieiunium pro remedio, & præseruatione peccatorum pęnitens non satisfacit suscipiendo indulgentiam plenariam, cùm Indulgentia non ità inseruiat ad preseruandum ab huiusmodi peccato, sicut ieiunium; ità Nauarrus, Siluius, Caspensis, Bonacina, Angelus, Toletus, Coninchius, Sanchez, Suarez *disp. 50. sec. 2.* vbi ait, quia his temporibus considerata qualitate pęnitentiarum, quæ leuissimæ imponuntur, & quæ vix sufficiunt per modum medicinæ, raro vel nunquam licere pęnitentiam omittere propter indulgentias; Idem tenet ex nostris Poncius *disp. 46. quæst. 15. num. 185.* vbi ait per indulgentias non liberari pęnitentem ab obligatione pęnitentiæ impositæ à Sacerdote, quatenus imponitur pro medicina ad præseruandum à peccato, indulgentia enim tollit vtique pęnam peccato debitam, sed non tollit obligationem, quam habet pęnitens ad ponendum remedium iniunctum, vt caueat à relapsu; vndè duplicem pęnam assignat peccato debitam, vnam temporalem, in quam commutatur æterna, & hæc tollitur per Indulgentias, aliam vt præseruatur ab alijs peccatis, & hanc non tollit indulgentia, sed sola satisfactio Sacramentalis; sic tădem etiam loquitur ex nostris Faber *disp. 35. cit. cap. 11. in fine num. 246.* vbi ait, quod cùm per Indulgentias remittitur satisfactio imposita, remittitur vt satisfactoria est, non vt medicina est, quia Indulgentiæ non dantur in destructionem, sed in ędificationem animæ, tollere autem remedium, seu medicinam curatiuam animæ esset magnum detrimentum animarum. Vndè concludit intentionem concedentis Indulgentias non esse tollere obligationem pęnitentiarum iniunctarum, inquantùm sunt medicinæ, sed tantumodò inquantum sunt vindicatiuæ.

623 Sed quamuis hic dicendi modus sit frequentior, & satis probabilis, adhuc tamen mihi probabilius videtur cum secunda sententia, quod condonata pęna alterius vitæ in Purgatorio à Deo per Indulgentias, non ob id cessat obligatio adimplendi aliquam pęnitentiam in hac vita exercendam ob satisfactionem quandam diuinæ iustitiæ, quam pœnitens adimplere tenetur ex iusto Confessarij præcepto, tanquam legitimi Iudicis facultatem habentis sic ligandi, & ad aliquam pęnam in hac vita luendam condemnandi; Et hoc suadet vsitata praxis tùm Confessariorum, tùm pęnitẽtium, illi namque student congruas, & aptas pęnitentias fidelibus imponere, etiam quando confitentur tempore Iubilæi, vt plenariam indulgentiam consequantur; & isti etiamsi indulgentias lucrari studeant, non minus solliciti sunt pęnitentiam sibi in confessione iniunctam adimplere, quàm alij, qui ex aliquo defectu indulgentiam non lucrantur; & Pontifices ipsi etiam in plenissimis Iubilæis expresè aduertunt, & declarant, vt absolutè omnibus etiam indulgentiam lucraturis salutares, & congruæ imponantur pęnitentiæ in peccatorum punitionem, & non sub conditione, vt si Indulgentiam lucrentur faciendo opera à Pŏtifice requisita, ab obligatione iniunctæ pœnitentiæ eximantur; signum euidens intentionem Pontificis esse Indulgentias valere solum pro satisfactione sacramentali quantum ad effectum condonandi pęnam alterius vitæ in Purgatorio; non autem quantum ad obligationem tollĕdam adimplendi pęnitentiam à Confessario iniunctam, & aliqualem pęnam etiam in hac vita luendi ob cultum Dei, & satisfactionem quandam diuinæ iustitiæ.

624 Nec sufficit, quod tertia opinio dicebat, non obstante Indulgentiæ priuilegio adhuc adimplendam esse pęnitentiam à Confessario iniunctam, quia non tollitur obligatio eam adimplendi, quatenus medicinalis, & præseruatiua ab alijs peccatis. Non sufficit, inquam, quia vt benè instat Auersa *loc. c.* hæc doctrina obscuram valdè, & perplexam reddit hanc obligationem, non enim satis constare potest, quando pęnitentiæ iniunctæ sint in vindictam, vel in medicinam, nec enim Confessarij id declarare solent, nec ex natura operum talis distinctio potest benè deduci, cùm eadem opera possint vna, vel alia ratione imponi. Quod si dicatur, hoc ipso quod pęnitentia est vindicatiua, & punitiua de præterito, esse etiam præseruatiuam de futuro ob illam vexationem, & laborem, quem inducit. Si hoc, inquam, dicatur, iam inutilis, & frustratoria redditur illa sententia, quod per Indulgentias obligatio pęnitentiæ impositæ tollatur, & compensetur quia iuxtà illam doctrinam semper, & omnis pęnitentia non tantùm habebit rationem punitionis, & vindicationis, sed etiam remedij, & medicinæ præseruatiuæ. Tùm quia non potest imponi, aut remanere obligatio adimplendi pęnitentiam præcisè sub ratione medicinæ, & remedij absque ratione punitionis, & vindicationis, hæc enim duo sunt necessariò connexa, nam Confessarius medicinam pęnitenti præbet illum plectendo ob peccata commissa; quarè remota obligatione subeundi pęnam, nec remanebit ex præcepto Confessarij obligatio sumendi talem medicinam, qua ratione prima sententia absolutè afferebat per Indulgentiæ susceptionem compensari totaliter obligationem pęnitentiæ à Confessario iniunctæ in punitionem de præterito, & præseruationem de futuro. Cùm igitur pęnitentia in confessione iniungatur pęnitenti non solùm ad remissionem pęnæ temporalis ob eius vtilitatem, sed etiam in vindictam, & punitionem delictorum in hac vita ad resarciendum diuinum honorem læsum, & diuinæ iustitiæ satisfaciendum, dicendum est, quod quamuis pęnitens per Indulgentias remissionem pęnæ in alia vita luendæ consequi possit, adhuc tamen teneri subire vindictam, & custodiam à Confessario sibi impositam ad seruandam iudicij æquitatem; hoc enim modo magis saluatur huius Sacramenti integritas, quia satisfactio à Sacerdote imposita ad huius sacramenti integritatem pertinet, & est de iure diuino.

Postremò quæri solet, An Cŏfessarius possit pęnitentiam imponere omninò liberam faciendam arbitrio pęnitentis, & per modum consilij, & non præcepti. Affirmant Henriquez, Fagundez, Suarez, Pesantius, Auersa, Diana, Bonacina, & alij, & probant, quia Sacerdos tali pacto pęnitentiam imponendo adhuc ligat, & soluit; ligat quidem, quatenus necessitatem huius pęnitentiæ imponit, non simpliciter, sed ad hunc finem consequendi ex opere operato remissionem pęnæ per hoc Sacramentum, imponendo nimirum pęnitentiam sub forma quasi conditionata hoc modo, si tale opus feceris, seruiat tibi in satisfactionem; soluit autem, quatenus facienti talem pęnitentiam commutat pęnam Purgatorij in faciliorem pęnam, quàm per se, & sine virtute clauium necessaria esset. 625

Negant alij vt Vasquez, Turrianus, Lugus, Caspensis, Coninchius, Nugnus, & alij quamplures; ratio est, quia Confessarius tenetur pęnitentiam imponere, tanquam verus Iudex in vindictă peccatorum, & aliquando in medelam, & cautionem in futurum; Iudex autem non potest punire, nisi per vim coercitiuam, qua reum obligat ad subeundam pęnam; Tùm quia sententia iudicis si iusta est, semper vim habet obligandi reum, ac proindè semper pęnitentiam obligantem imponere tenetur, cùm teneatur ferre sententiam condemnatiuam; Vndè falsum esse dicunt, quod prior sententia assumebat, per pęnitentiam nempè illo modo impositam pęnitentem ligari ex potestate clauium, quam Confessarius habet ad ligandum; nam pęnitentia per modum consilij imposita non ligat, quandoquidem eodem modo manet liber pęnitens, sicut anteà; ità discurrit Caspensis *trac. 24. disp. 8. sec. 4. num. 31.* Et hoc totum deducitur

etiam expressè ex Concilio Trident. *sess.* 14. *cap.* 8. vbi docet Sacerdotes debere salutares, & conuenientes satisfactiones iniungere, quę verba præceptum sonant, nō verò consilium & infrà addit facultatem iniūgendi satisfactiones oriri ex potestate clauium, quæ non solùm ad soluendum, sed etiam ad ligandum datur; pœnitentia autem iniuncta per modum consilij certè non ligat pęnitentem, vt constat, cùm liber maneat adhuc, sicut antè.

626 Et hæc secunda sententia communior est, & probabilior, à qua nec etiam Auctores primæ sententiæ recedere puto, nam ipsi quoque fatentur Confessarium regulariter loquēdo teneri satisfactionem præcipere, & solùm in aliquo casu posse eam consulere, vel imponere sub forma quasi conditionata, si tale opus feceris, seruiat tibi in satisfactionem; casus autem esse potest, vel quia pęnitentes sunt scrupulosi, & posteà nimis hac obligatione præcipuè in recitandis precibus præmuntur, vel quia nimis fragiles sunt, & timeri potest, ne ex transgressione nouo peccato grauentur, vt declarat Auersa *qu.* 13. *sec.* 7. Et quidem si in his casibus iam dictum est *q. prec. art.* 1. *n.* 602. posse licitè pęnitentem non acceptare pęnitentiam sibi à Confessario impositam, etiamsi moderata sit, & congrua, & Confessarium in tali casu non teneri eam imponere ad euitādum periculum noui peccati, sed tantùm intimare pęnitenti obligationem, & debitum soluendi pęnam in hac, vel alia vita; consequenter etiam dici potest, quod si eam in hoc casu iniungere velit, possit eam imponere tantùm sub consilio, & non sub præcepto ob eandem rationem; & ratio est, vt inquit Bonacina *disp.* 5. *q.* 5. *sec.* 3. *punc.* 2. quia satisfactio iniungitur in medicinam, quatenus Sacerdos iudicauerit expedire; si ergo Sacerdos cognito statu pęnitentis iudicauerit expedire, vt pęnitentia non iniungatur per modum pręcepti, sed sub forma quasi conditionata, poterit eam per modum consilij, & sub forma quasi conditionata iniungere. Et planè miror, cur Auctores isti hoc totū gratis concedant in his casibus non teneri, scilicet, Sacerdotem pęnitentiam iniungere per modum præcepti, sed posse, imò & expedire, vt eam iniungat tantùm per modum consilij, & sub forma quasi cōditionata; & posteà adeò mordicus affirment semper, & in quocunque casu teneri pęnitentem sub præcepto acceptare pęnitentiam sibi à Confessario impositam; hoc enim non videtur satis consequenter dictum, semel, enim concesso, quod Sacerdos in hoc casu non teneatur pęnitentiam iniungere sub præcepto, & licitè possit eam iniungere sub consilio tantùm; videtur etiam consequenter concedendum, quod pęnitens in tali casu non teneatur acceptare pęnitentiam sibi à Confessario impositam, vt latè probatum est *loc. cit.*

Quæri hic etiam solet, quo tempore pęnitentia à Confessario iniuncta impleri debeat; & communiter cum distinctione responderi solet, quod si Confessarius tempus illius implendæ præfixit, v. g. si certis diebus ieiunium seruandum iniunxit, tempore illo præfixo implendum est; si verò tempus non est præfixum, pęnitens quamprimum commodè poterit, satisfactionem implere tenetur, & communiter Theologi docent illum mortaliter peccare, qui pęnitentiam grauem tempore valdè diurno differret sine vlla rationabili causa ex sola desidia, aut incuria. Aliæ quoque difficultates de satisfactione sacramentali moueri solent, quæ potius ad praxim, & casus conscientiæ spectant, quàm ad scholasticam concertationem, ideoq; ad moralem Theologiam reseruantur, ac interim apud Summistas, & Morales videri poterunt. 627

DISPVTATIO SEXTA DE SACRAMENTO

Extremæ Vnctionis.

QVÆSTIO PRIMA.

An extrema Vnctio sit sacramentum nouæ legis, & à Chrrsto immediatè institutum.



1 NOMINE Extremæ Vnctionis intelligimus vnctionem olei benedicti, quæ infirmo in extremis constituto adiunctis quibusdam precibus à Sacerdote confertur; Quamuis autem nomen hoc extremæ Vnctionis petere videatur, vt de hoc sacramento vltimo loco agatur, dicitur enim extrema vnctio, quia extremo loco suscipitur in fine vitæ, & post alia sacramenta; Nihilominus, quia hoc sacramentum est institutum ad delendas peccatorum reliquias, & sacramenti pœnitentiæ complementum existimatum est à Patribus, vt loquitur Concilium Tridentinum *sess.* 14. ideò connexio huius sacramenti cum præcedenti penitentiæ petit, vt immediatè post illud de hoc agamus. Habet autem quæstio proposita duas partes, vna est, an extrema Vnctio sit verum nouæ legis sacramentum, altera vero an fuerit à Christo Domino immediatè institutum. Quoad primam quæstionis partem negarunt olim Valdenses, & Albigenses hoc esse verum, & proprium nouæ legis sacramentum, & nunc etiam negant Lutherani, & Caluinistæ. Affirmat verò Ecclesia Catholica, & tanquam dogma fide credendum proponit. Quo autem ad alteram quæstionis partem non defuerunt ex Catholicis, qui putarint hoc sacramentum non fuisse immediatè à Christo, sed ab Apostolis institutum, quoniam apud nullum Euangelistam huius sacramenti fit mentio; probabile autem non est nullum Euangelistam huius sacramenti fecisse mentionem, si illud à Christo institutum fuisset, nam sicut aliorum sacramentorum, ità & huius mentionem fecissent, si à Christo institutum fuisset; pro qua opinione citantur Hugo de S. Victore *lib.* 2. *de sacramnetis*, Altisiodorensis *lib.* 4. *summæ trac.* 7. *cap.* 1. Alensis 4 *p. q.* 8. *memb.* 2. *art.* 1. Magister 4. *d.* 23. & D. Bonauent. *ibidem p.* 1. *q.* 2. vbi dicit Spiritum sanctum per Apostolos illud instituisse, & per Iacobum publicasse.

ARTICVLVS PRIMVS.

Resoluitur quæstio quoad primam partem.

2 EXtremam Vnctionem esse verum, & proprium sacramentum, sicut sunt alia nouæ legis sacramenta, tenent omnes Catholici, tanquam dogma fidei, ex Scripturis, Concilijs, Patribus, & traditione, ac definitione Ecclesiæ expressè deductum, & quidem ex Scripturis primò hoc probant aliqui ex Euangelio Marci cap. 6. vbi de discipulis ad concionandum à Christo missis, quod *vngebant oleo multos ægros, & sanabant*; hac autem vnctione vtebantur Apostoli ex præscripto Christi, & non ex mero eorum arbitrio, & non tantùm ad salutem corporum, sed præcipuè ad salutem animarum; salus enim corporis ad salutem animæ dirigebatur, quæ potissimum per hęc miraculo à Christo intendebatur; nullum enim Christus sanauit in corpore, quem etiam non sanauerit in anima, vt constat ex infirmo probaticæ piscinæ à Christo sanato Ioan. 5. ergò ea vnctio erat verum

verum sacramentum, siquidem habebat omnia ad verum sacramentum requisita, erat enim externa cærimonia constans ex determinata materia, & forma, quam licet Euangelista distinctè non exprimat, illa tamen supponit: & rursus habebat infallibiliter annexam ex diuina promissione animæ salutem, quod ad sacramentum est maximè necessarium; nam si per illam vnctionem infallibiliter salus corporis conferebatur, vt ex *loc. citat.* colligitur, tantò magis salus animæ, propter quam salus corporis dabatur; ita Riccardus, Vualdensis, Alphonsus de Castro, Petrus Soto, Nugnez, Maldonatus, & quidam alij Expositores in eundem Marci textum.

3 Communis tamen, & probabilior opinio negat ex hoc loco sufficienter hoc Sacramentum probari negatque vnctionem illam, quæ tunc ab Apostolis exercebatur, fuisse hoc sacramentum, sed potius fuisse ait quandam præuentionem, & adumbrationem eius, vt indicauit Concil. Trid. *sess.* 14. *cap.* 1. vbi de hoc Sacramento loquens ait: *Apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobum autem promulgatum*, dicitur autem insinuari, quod non expressè proponitur, sed adumbratur, & obscurè indicatur, hoc igitur sacramentum apud Marcum fuit duntaxat insinuatum, & adumbratum, seu figuratum, eo modo quo dicitur sacramentum Baptismi insinuatum fuisse in baptismo Ioannis, quia nimirum hic fuit vmbra, & figura illius. Et quidem ex varijs coniecturis id expressè deducitur, quia hoc sacramentum non nisi à Sacerdotibus conferri potest, vt infrà dicemus; sed Apostoli quando apud Marcum vngebant infirmos, nondum erant Sacerdotes, facti enim sunt Sacerdotes in vltima cœna ex Trident. *sess.* 22. *cap.* 1. & non solùm vngebant decumbentes in periculo mortis, quibus tantùm hoc adhibetur sacramentum, sed & alios ægrotos minoris periculi, vt cæcos, surdos &c. & vngebant omnes ægrotos etiam non baptizatos, & infideles; sacramentum autem hoc non nisi baptizatis ministrari potest, quia Baptismus est ianua sacramentorum. Nec dicere conuenit Christum in hoc tunc dispensasse, aut aliter disposuisse, siquidem hoc Sacramentum non est simpliciter ad salutem necessarium. Denique in eo loco non fit mentio aliqua efficaciæ sacramentalis, sed tantùm curationis corporalis, quæ ordinata erit ad effectum fidei confirmandæ, & recipiendæ prædicationis Apostolorum de aduentu regni Dei, & Christi.

Ex qua doctrina patet solutio fundamenti oppositæ sententiæ, quamuis enim ea vnctione vterentur Apostoli ex præscripto Christi, non tamen per modum sacramenti certa materia, & forma constantis ad animam immediatè sanctificandam; sed immediatè tantùm ad fidem excitandam, ex qua paulatim per iustificationem peccatorum ad Deum conuerterentur; Et quamuis sanitas illa corporalis per talem vnctionem obtenta ad sanitatem animæ quoque fuerit ordinata, non tamen immediatè, sed mediatè tantùm, immediatè siquidem ordinabatur ad causandam euidentiam credibilitatis circà mysteria fidei; Vndè negandum quoque est vnctionem illam infallibilem habuisse promissionem sanitatis animæ, ad summum enim talem habuit de sola corporis sanitate ad protestandam fidei veritatem circà Incarnationis mysterium, & veri Messiæ aduentum: ità discurrunt Bellarminus, Suàrez, Henriquez, Valentia, Coninchius, Dominicus Soto, Becanus, Amicus, Auersa, Hiqueus, & Aretinus ex nostris, & alij Recentiores passim; & ità sentiunt pleriq; sacri Expositores in eundem Marci locum, vbi Iansenius cap. 55 suæ Concordiæ.

Secundo itaque melius, & firmius probatur hæc veritas
4 cum Scoto 4. *dist.* 23. *quæst. vn.* ex Epistola Iacobi *cap.* 5. vbi inquit, *Infirmatur quis ex vobis inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes cum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, remittuntur ei*. Et hoc solo testimonio ad hanc veritatem probandam non solùm vtuntur omnes præfati Auctores, sed etiam Concilium Florentinum, & Tridentinum, ac summi Pontifices Innocentius Primus, & Tertius, ac plerique Patres infrà citandi; & quidem rationabiliter, quia hæc verba Apostoli continent omnia, quæ ad essentiam veri sacramenti sunt necessaria, continent enim, primò ritum externum sensibilem materia, & forma constantem, scilicet, vnctione olei, & verbo, seu oratione Sacerdotis, deindè designatur Minister, scilicet, Presbyter, & subiectum huius sacramenti capax, scilicet, fidelis infirmus, & tandem per alleuiationem infirmi, & peccatorum remissionem designatur effectus, & gratia sacramentalis ex efficacia vnctionis per oleum, & orationem fidei data, quæ omnia, & singula latius in sequentibus explicabuntur; ergò efficaciter ex hoc loco sacramentum extremæ vnctionis probatur, nam ad essentiam veri sacramenti requiritur, & sufficit symbolum externum stabile, certa materia, & forma constans, & infallibilem promissionem habens gratiæ sanctificantis, quæ omnia continentur in præcitatis Iacobi verbis significantibus ritum sensibilem sacrum habentem spiritualem vim ad salutem, & sanctificationem animæ remittendo peccata.

Neque rationabiliter negant Hæretici Epistolam illam esse Canonicam, nam pro tali definita fuit in Concilijs Prouincialibus Laodicens. *can.* 59. Mileuit. *can.* 7. Carthagin. 3. cui interfuit, & subscripsit S. Augustinus, *can.* 47. quæ Concilia confirmata sunt à sexta Synodo generali, & hoc idem posteà definitum fuit in Concilijs Florentino, & Trident. infrà citandis, & est constans Patrum sententia, quos fusè adducit Bellarminus *lib.* 1. *de hoc sacramento cap.* 3. & Hiqueus 4. *dist.* 23. *quæst. vnic. in Commentario num.* 6. ac Henriquez *lib.* 3. *cap.* 7. quarè pro comperto supponimus illam Epistolam esse authenticam, & canonicam, & à Diuo Iacobo editam, sicut alias ab Apostolis verè conscriptas; Sed adhuc instant, dato quod esset canonica, ex ea non efficaciter deduci talem vnctionem esse sacramentalem, quia in ea non habetur mentio de alia vnctione, quàm de simili illi, qua vtebantur Apostoli Marci 6. quam iam concessimus non fuisse sacramentalem. Verùm negandum est assumptum, quod in Epistola Iacobi non sit sermo de Vnctione alterius rationis ab ea, quæ legitur Marci 6. cum expressè ibi dicat Apostolus Presbyteros Ecclesiæ ad hanc vnctionem vocandos esse, & eam peccatis expiare, quod alteri illi vnctioni non conueniebat, quæ vt suprà dictum est, solùm deseruiebat principaliter & immediatè ad sanandos infirmos, & eos per hoc disponendos ad credendam Christi doctrinam, & eam amplectendam; Non negamus tamen hanc Vnctionem à Iacobo commendatam, & promulgatam aliquam habere proportionem cum ea Marci 6. quatenus & ipsa aliquo modo inferius declarando ad curandam quoque infirmitatem corporalem ordinatur, sicut illa, qua ratione dicitur à Concilio Tridentino per illam Marci insinuatam fuisse, quatenus, scilicet, illa hanc ipsam adumbrauit, & aliquandò instituendam significauit.

Tertiò probatur ex Concilijs, nam Concilium Calibonense, quod temporibus Caroli Magni celebratum est sub 5
Leone III. circà annum 813. cap. 48. decernit, *Infirmos secundum Beati Iacobi documentum, oleo quod ab Episcopo benedicitur, debere à Presbyteris vngi*, & paulò post allegatis eiusdē Sancti Iacobi verbis subdit, *non esse paruipendendam eiusmodi medicinam, quæ animæ, corporisque medetur languoribus*. Traditur hæc eadem veritas in Conc. Senoniensi *cap.* 3. *de extrema vnctione*, & in alio Conc. Mogunt. *cap.* 34. & in Flor. in decr. Eugenij, & alijs à Brancato nostro relatis *tom.* 3. *de sacram. disp.* 11. *art.* 1. & tandem in Tridentino *sess.* 14. *cap.* 1. de extrema vnctione, vbi habetur, *Hoc sacramentum à Christo Domino institutum esse, apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobum autem Apostolum, ac Domini fratrem fidelibus commendatum, ac promulgatum*.

Quartò probatur ex Patribus, qui huic sanctæ vnctioni 6
vim sanctificandi, & peccata remittendi tribuunt, nam D. Aug. *serm.* 215. de tempore docet superueniente infirmitate ægrotum Christi Domini corpus accipere debere, & exindè propium eius corpus vngendum esse, vt impleatur in eo illud, quod scriptum est in D. Iacobi Epistola, *Infirmatur quis in vobis &c.* additque hoc modo corporis sanitatem, & peccatorum indulgentiam obtineri; Bernardus in vita Malachiæ Episcopi circà finem refert illum in fine vitæ hoc sacramentum postulasse. Io. Chrysost. *lib.* 3. de Sacerdotio inquit, Sacerdotes non modò, cum nos regenerant, sed etiam cum infirmos oleo vngunt indulgere peccata, quod ex relatis D. Iacobi verbis confirmat. Idem insinuare videtur Dionysius Areopagita cap. de Ecclesiastica Hierarchia in fine, vbi loquitur de vnctione viuorum, quæ post communionem fiebat, & sanctificante hominem; Plura etiam in huius veritatis confirmationem sumi possunt ex Cyrillo Hierosol. Cathec. 5. & Beda *lib.* 2. in Marcum *cap.* 14. & Iacob. 3. Ex quibus constat vanam esse Hæreticorum calumniam, qui nobis obijciunt nullam apud Veteres reperiri huius sacramenti mentionem.

Quintò probatur eadem veritas ex traditione, & definitione 7

tione Ecclesiæ, & in primis extat celebre testimonium Innocentij Primi, qui floruit anno 402. etenim in Ep. ad Decentium cap. 8. de hac vnctione sacramentali locum adductum Iacobi exponit, & circà finem docet hoc sacramentum in verbis Iacobi Apostoli contentum à Presbyteris ministrari debere ægrotantibus, non quibuscunque sed Christianis, qui tantùm huius sacramenti sunt capaces; Eandem confirmat veritatem in *c. vn. Cùm venisset* de sacra vnctione, vbi vnctionem visibilem, de qua Iacobus locutus est, dicit esse signum inuisibilis vnctionis interioris, atque adeò sacramentum, & quod *si dignè sumatur vel agit, vel auget, quod designat*, hoc est, vel primam gratiam producit, si fortè illam non inuenit propter aliquod peccatum inuincibiliter oblitum, vel auget, si eam inuenit. Et tandem probatur ex praxi Ecclesiæ Romanæ, quæ veram habet sacramentorum doctrinam *de Hereticis cap. ad abolendam*, & ex Concilio Constantiensi in Constit. Martini V. ergò ex principijs fidei euidenter deducitur dari hoc sacramentum in Ecclesia.

8 Sextò tandem probatur ratione à Scoto indicata deducta ex congruentia, quæ Deum mouere potuit, & de facto mouit ad hoc beneficium nobis præstandum, non enim Deus minus prouidet fidelibus suis in maiori necessitate, quàm in minori; sed maxima necessitas est in exitu viæ ad statum termini, mortis enim articulus multis de causis est hominibus formidabilis, nimirum ob malæ vitæ conscientiam, ob diuini iudicij timorem, & futuri status incertitudinem, & præsertim ob Dæmonis tentationes, quæ eo tempore acrius vrgent; sicut ergò Deus prouidit de sacramento auxiliante in principio vitæ, nimirum de Baptismo, in medio viæ, scilicet, de Pœnitentia; ergò multo magis in fine vitæ prouidit, & prouidere debuit de sacramento opitulante, quo recrearentur, & in maiorem spem erigerentur fideles in eo mortis periculo constituti.

9 In oppositum obijciunt Hæretici, primò quia non pendet à fide Ministri, quod sacramenta suos conferant effectus, nam etiamsi hic sit infidelis, sacramentum suum sortitur effectum, modò intentionem habeat faciendi, quod Christus fecit; vt autem hæc vnctio suum effectum conferat, ex sententia Iacobi *loc. cit.* fidem Ministri requirit, vt ex illis verbis colligitur, *& oratio fidei saluabit infirmum*; ergò hæc vnctio non est verum, & proprium sacramentum. Deindè si hæc vnctio esset sacramentum, haberet effectum infallibilem, at non habet, ergo &c. maior patet ex dictis de sacramentis in genere, minor probatur, quia hoc sacramentum ponitur causatiuum salutis, non tantùm animæ, sed etiam corporis; at non semper hanc causat, vt in plerisque constar, qui hoc sacramento suscepto non conualescunt; ergo non est verum sacramentum, quia verum sacramentum ex promissione Christi infallibiliter obicem non ponenti suum confert effectum. Nec dicere iuuat; salutem corporis esse tantùm effectum secundarium huius sacramenti, non verò primarium, nam sacramenta suos etiam effectus secundarios infallibiliter conferunt, cum vtrumque effectum contineant ex diuina promissione, quæ defraudari non potest. Tandem etiam ipsius animæ salus, & peccatorum remissio in præfatis Apostoli verbis non est infallibiliter promissa, sed tantùm per modum deprecationis, sicut promittitur corporis sanitas, vt patet ex ipso contextu, ergo &c.

10 Respondetur negando minorem, quia in præcitatis verbis Apostoli non est sermo de fide Ministri, itaquod necessariò requiratur fides in Ministro, & ab illa effectus sacramenti pendeat; sed ibi est sermo de fide Ecclesiæ, in cuius fide sacramenta administrantur; vndè per orationem fide in præcitatis verbis non debet intelligi fides Ministri subiectiua, sed obiectiua, quia nimirum oratio adhibita à Ministro ad hoc sacramentum conficiendum Verbum Dei continet, & mysterium fidei, quod saltem obiectiuè debet Minister in mente præhabere, dùm infirmo hoc ministrat sacramentum, quo sensu etiam fidem habere debet in aliorum administratione.

Ad Confirmationem dicendum duplicem esse huius sacramenti effectum, vt ex dicendis constabit, vnum principalem, & certum nimirum conferre gratiam, & dimittere peccata venialia finaliter, nisi infirmus obicem ponat; alterum verò secundarium, & minus principalem, & non ità certum, quia non semper confertur, sed prout expedit saluti infirmi, quod non officit, quin extrema vnctio adhuc sit verum, & proprium sacramentum; Vndè à Concilijs, & Patribus non ità ponitur hoc sacramentum salutis corporis collatiuum, sicut animæ, nam spiritualis salutis ponitur collatiuum absolutè, & corporalis verò tantum sub conditione, si nimirum fuerit expediens saluti animæ. Ad vltimum negatur assumptum, quia ex modo, quo peccatorum remissio absolutè promittitur, & sine vlla conditione, apertè significatur illam promitti nomine Dei; siquidem vt modò dicebamus; diuersa est ratio de corporis salute, quæ non semper infirmo expedit, sicut salus animæ, & peccatorum remissio; vndè illa sub conditione tacitè subintellecta promittitur, nimirum si infirmo expediens fuerit, hæc verò simpliciter, & absolutè, vt explicant Concilia, & Patres.

Dices, sacramenta nouæ legis instituta sunt vel ad remissionem peccati, vel collationem gratiæ, neutrum autem munus conuenit extremæ Vnctioni, ergo non est nouæ legis sacramentum; maior patet, probatur minor, nam vnctio extrema non est ad remissionem originalis ordinata, quia hæc culpa per baptismum tollitur, nec ad remissionem actualis, quia remittitur per pœnitentiam; Nec etiam ad collationem gratiæ est instituta, quia ad conferendam primam gratiam baptizatis peccantibus instituta est pœnitentia, & ad conferendam secundam gratiam instituta est Eucharistia; ergo ad neutram est Vnctio extrema.

Respondetur negatur minorem, ad cuius probationem dicendum est extremam Vnctionem per se institutam esse ad collationem gratiæ secundæ, & remissionis venialium, finaliter, vt magis constabit ex dicendis, nam pœnitentia non delet finaliter venialia, & gratia secunda est augumentum gratiæ, quod non tantùm per Eucharistiam, sed per alia quoque sacramenta, & opera meritoria haberi potest.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Resoluitur quæstio ad aliam partem, & huius sacramenti definitio assignatur.

PRo resolutione quæstionis quoad aliam partem dicendum est hoc sacramentum fuisse immediatè à Christo Domino institutum; Ità Scotus *dist. 23. cit. qu. vn.* in solutione ad primum, & hæc etiam antè Concil. Trident. fuit super communior, & probabilior, opinio inter Scolasticos, post illud verò est, tanquam de fide tenenda, nam *sess. 14. cap. 1.* de hoc sacramento inquit, quod instituta est sacra hæc vnctio infirmorum, tanquam verè, & propriè sacramentum noui testamenti à Christo Domino, apud Marcum quidem insinuatum, per Iacobum autem Apostolum fidelibus, promulgatum, & commendatum. Et posteà *can. 1.* subdit, si quis dixerit extremam vnctionem non esse verè, & propriè sacramentum à Christo Domino nostro institutum, & à B. Iacobo promulgatum, sed ritum tantùm acceptum à Patribus, aut figmentum humanum, anathema sit; Et quamuis Concilium in hac veritate definienda, non vtatur particula *immediatè*, ex ipsius tamen verbis satis apertè colligitur, eo enim ipso, quod inquit fuisse à B. Iacobo promulgatum, manifestè ostendit non fuisse ab eo institutum, Iacobus enim non fuit, nisi promulgator, siuè preco huius sacramenti à Christo immediatè instituti, vt ait Doctor *loc. cit.* Hoc idem etiam deducitur ex doctrina de sacramentis in genere ab eodem Concilio *sess. 7. can. 1.* vbi definit, si quis dixerit sacramenta nouæ legis non fuisse omnia à Christo Domino instituta, aut esse plura, vel pauciora, quàm septem, aut etiam aliquod horum septem non esse verè, & propriè sacramentum, anathema sit; cum igitur in *præc. art.* determinatum sit vnctionem extremam esse nouæ legis verum, & proprium sacramentum, nam inter septem Ecclesiæ sacramenta ibidem à Concilio enumeratur, sequitur euidenter etiam ipsum fuisse à Christo Domino immediatè institutum, & non ab Apostolis, vt dicebant nonnulli veteres Scholastici ab initio quæstionis citati. 11

Hoc idem probatur ratione, quia instituere symbolum peccatorum remissiuum, qualis est extrema vnctio, est Dei proprium, quia ipse solus, vt causa principalis, & auctoritatiua peccata remittere potest, & gratiam infundere, & nulli creaturæ talis virtus communicari potest instituendi sacramen- 12

men-

menta, vt pluribus probatum est *disp.1.de sacramentis in genere*, alioquin creatura esset causa principalius gratiæ, & effectuum sacramenti, quod est Dei proprium.

Confirmatur, quia licet potuerit Christus Apostolis facultatem concedere, vt ad quocunque signum sensibile ab ipsis institutum, quoties applicaretur, gratiam ipse conferret & peccatorum remissionem: id tamen minimè decuit, tùm quia in alijs sacramentis Christus hoc non fecit, nec debebat fieri exceptio huius sacramenti, & discriminatio ab alijs à Christo institutis; tùm quia sicut ipse solus fuit Ecclesiæ immediatus fundator, ità pariter decuit, vt ipse solus esset omnium sacramentorum Auctor, cùm hæc sint prima Ecclesiæ fundamenta. Tandem quia si debuisset hæc facultas, & potestas alicui Apostolo concedi, nulla est congruitatis ratio, cur potiùs Iacobo demandata fuisset, vt Scholastici illi dicebant, quàm Petro capiti, aut toti Collegio Apostolico. Nec suffragatur, quod solus Iacobus ex Apostolis de tali vnctione sacramentali loquatur, quia Iacobus de ea non loquitur, tanquam institutor, & auctor, sed potius tanquam promulgator, & preco illius, quod fuerat à Christo institutum, vt ait Doctor *loc.cit.* Imò si fidem Lindano adhibeamus in sua Panoplia *lib.4.cap.96.* antequam Iacobus Epistolam illam scriberet, sacramentum hoc fuit apud fideles vsitatum, ipsisque Apostolica prædicatione traditum, iuxtà quam doctrinam, si vera est, dicendum erit Iacobum fuisse primum, qui sacramentum istud scripto quidem promulgauerit, licet anteà etiam viua Apostolorum voce promulgatum esset, vt notat Aretinus *d.23.q.vn.art.2.in fine.*

13 Verùm tota huius quæstionis difficultas consistit in assignando tempore, quo hoc sacramentum fuerit à Christo Domino institutum, quia cùm apud Euangelistas huius institutionis expressa non habeatur mentio, idcircò dixerunt veteres illi Scholastici ab initio quæstionis citati fuisse ab Apostolis institutum, nam sicut aliorum sacramentorum, ità & huius mentionem fecissent, si à Christo immediatè institutum fuisset. Circà quam difficultatem duo sunt modi dicendi. Primus est eorum, qui *art.præced.* hoc sacramentum colligebant ex illo Marci 6. vbi de Discipulis à Christo ad concionandum missis dicitur, quod *vngebant oleo multos ægros, & sanabant*, vndè consequenter dicunt hoc sacramentum institutum fuisse antè Christi passionem, quando Apostolos ad prædicandum misit cum potestate sanandi infirmos per sacram olei vnctionem; Cui opinioni videtur fauere etiam Doctor noster *4.dist.2.q 1.§.secunda conclusio*, vbi volens ostendere, quomodo omnia sacramenta fuerint à Christo instituta loquens de hoc sacramento ait, de extrema vnctione dicitur, quod Iacob. 5. *Infirmatur quis in vobis, &c.* sed licet ibi promulgauerit illud sacramentum, est melius dicere, quod fuerit institutum à Christo, legimus enim Marci 6. quod Apostoli vngebant multos infirmos, & sanabantur, & constat, quod hoc non fecerunt, nisi in virtute Christi, qui instituerat illam vnctionem virtuosam; Ità Doctor, quibus verbis approbare videtur, quod hoc sacramentum tunc fuerit à Christo institutum; & sequitur ex nostris Brancatus *tom.3.de sacramentis disp.11.art.6.concl.2.* vbi inquit, quod licet certè affirmari nequeat, quando, & quo loco Dominus hoc sacramentum instituerit, probabile tamen est, quod Marci 6. illud designauerit, non pro tunc, sed tempore congruo ministrandum: atque ità sicut tunc Christus illam sacram vnctionem instituit ad sananda corpora, ità credendum videtur instituisse etiam ad sanandas animas in ratione sacramenti, cùm non habeamus in Euangelio indicium aliud huius institutionis.

14 Alter dicendi modus est eorum, qui negabant ex eo loco Marci 6. sufficienter colligi huius sacramenti institutionem, quamuis enim admittamus Christum tunc docuisse Apostolos, vt olei vnctionem adhiberent ad curandos infirmos; non ob id tunc instituit hoc sacramentum, sed potius dedit eis potestatem conferendi eo modo miraculoso sanitatem corporalem infirmis, & solùm huius sacramenti ritum præsignauit, & adumbrauit; Quarè dicunt illud instituisse post resurrectionem, quando instituit Pœnitentiæ sacramentum Ioan. 20. vt præcedenti Disput. dictum est, nam ibi data fuit Apostolis vera potestas contrà peccata, & instituti sunt Ministri sacramenti Pœnitentiæ, & extremæ vnctionis; hoc enim sacramentum consequens est ad Pœnitentiæ sacramentum, ideoque vocatur à Conc. Trid. consumatiuum Pœnitentiæ. Ratio autem huius dicendi modi est, quia cùm hoc sacramentum in Ministro supponat potestatem peccata remittendi, & in ipsius materia consecranda Episcopalem benedictionem, vt infrà dicemus, & cùm talem potestatem Apostolis contulerit solùm post suam resurrectionem Ioan. 20. illis verbis *quorum remiseritis peccata &c.* sequitur euidenter antè hoc tempus sacramentum extremæ vnctionis non fuisse institutum; & cum hoc sacramentum sit sacramenti pœnitentiæ consumatiuum, ac veluti complementum ex Trident. cit. satis probabile est vnà cum illo, & consequenter ad illud institutum fuisse; certum est autem pœnitentiæ sacramentum non fuisse institutum ante Domini resurrectionem, ergo neque sacramentum extremæ vnctionis, quod illius institutionem necessariò supponit. Et hoc totum consonat doctrinæ Scoti *4. dist. 24. quæst. vnic. §. Circà quæstionem hanc*, vbi ait, quod Sacerdoti competit duplex spiritualis potestas, scilicet, conficiendi Eucharistiam, & absoluendi pœnitentem, quæ non sunt vna potestas, quia vna videtur prior fuisse altera, cùm in cœna contulerit Deus primam, secundam autem non nisi post resurrectionem Io. 20. & idem infrà confirmat *§.de tertio articulo*, vbi inquit videri probabile, quod in Sacerdotio sunt duæ formæ partiales, in quorum altera confertur potestas conficiendi Eucharistiam, in reliqua potestas absoluendi in pœnitentia; ità Doctor ibi discurrit; cùm igitur Christus Dominus in nocte cœnæ non euexerit Apostolos ad integrum, & totale Sacerdotium, sed ad partiale tantùm, nimirùm ad potestatem suprà eius corpus consecrandum, non autem ad potestatem suprà corpus eius misticum quoad remittenda peccata, nam istam acceperunt post resurrectionem eius Io. 20. hinc sanè colligitur sacramentum extremæ vnctionis antè illud tempus institutum non fuisse, sed post; & hunc dicendi modum sequuntur Suarez *tom. 4. disp. 39. sec. 2.* Amicus *disp. 19. sec. 2.* Auersa *quæst. vn. de hoc sacramento sect. 1.* & ex nostris Aretinus *loc. cit.* & Hiribarnes *disput. 22. sec. 1.* & alij Recentiores passim.

Respondet ad hæc omnia Brancatus noster *loc.cit.* parum referre, quod Apostoli non fuerint Sacerdotes, quandò eos Marci 6. ad prædicandum misit, hinc enim non sequitur, eo tempore sacramentum extremæ vnctionis institui non potuisse, quia eo tempore etiamsi institutum fuerit, ministrandum non erat, nec illa vnctio sacra erat pro tunc applicanda in vsu, quod Concil. Trident. considerans cautè, & prudenter dicit, hoc sacramentum *apud Marcum fuisse insinuatum*, quasi diceret, tunc quidem institutum, sed non pro tunc ab eis ministrandum, eo quod nec ipsi tunc erant Sacerdotes, nec auditores omnes tunc erant subiecta capacia. Addunt alij Christum potuisse hoc sacramentum antè passionem suam instituere, & cum Apostolis dispensare, vt nondum Sacerdotes consecrati potuissent hoc sacramentum ministrare. 15

Verùm prima responsio contrà sacrum textum immediatè militat, quia Marci 6. non tantùm dicitur sacram infirmorum vnctionem fuisse à Christo institutam, sed etiam de facto Apostolos illam infirmis ministrasse, inquit enim super textus, quod *vngebant oleo multos ægros, & sanabant*; ergo si illa vnctio à Christo ordinata ad sanandum infirmos fuit verè sacramentalis, & in ratione sacramenti instituta, de facto illam Apostoli etiam tunc temporis ministrarunt, antequam Sacerdotes facti essent in nocte cœnæ; Et quidem Scotus ipse *loc.cit.4.dist.2. quæst. 1.* dùm iuxtà hanc opinionem loquitur, non tantùm innuit, quod Marci 6. fuerit hæc sacra vnctio instituta in ratione sacramenti, sed etiam quod vt talis fuerit ab Apostolis ministrata infirmis, inquit enim, quod Apostoli vngebant oleo multos infirmos, & sanabantur, & constat, inquit, quod hoc non fecerunt, nisi in virtute Christi, qui instituerat illam vnctionem virtuosam; igitur absque fundamento dicitur, quod hoc sacramentum fuerit Marci 6. institutum, sed non pro tunc, sed pro alio tempore cögruo ministrandum, quando nimirum facti fuerunt Sacerdotes; Alia etiam responsio non subsistit, quamuis enim Christus, vt sacramentorum Auctor, dispensare potuerit, vt ab initio sacramentum hoc, non solùm ministraretur ab Apostolis nõdum Sacerdotibus, sed etiam conferretur infidelibus, & non baptizatus; nulla tamen cogit necessitas hãc dispensationem admittendi; cùm citatus locus non vrgeat, vt de vnctione sacramenti necessariò intelligi debeat; siquidem Concilia Florentinum, & Tridentinum, & Summi Pontifices Innocentius Primus, & Tertius, & plurimi Patres, & Scotus ipse in proprio loco *d.23.* ad probandum hoc sacramentum vtuntur solo Iacobi testimonio, vt constat ex dictis *art. præc.*

Sed

16 Sed instat Brancatus ex verbis Concilij relatis, quod fuerit hoc sacramentum à Christo Domino apud Marcum quidem insinuatum per Iacobum autem fidelibus commendatum, & promulgatum ex quibus verbis sic arguit; hæc promulgatio de re facta à Christo viuente tantè assensionem supponit ab eo esse factam; sed cognoscit Concilium Marci 6. Christi de ea locutum saltem per insinuationem; ergo tunc instituit.

Confirmatur, quia insinuatio illa, quam fatetur Concilium, vel fuit designatio signi huius sacramentalis, vel solùm insinuatio quædam, seù sponsio sacramenti posteà instituendi; si primum, habetur intentum, quod tunc institutum est; secundum est omninò inuerisimile, ad quid enim anticipatè voluit Christus hoc sacramentum præsignare? & si figuratiuè solùm Marci 6. instituit sacramentum Vnctionis, à quo posteà faciendum erat realiter? Demum Concilium dicens hoc sacramentum fuisse Marci 6. insinuatum, manifestè ostendit tunc fuisse institutum, vtitur autem verbo insinuationis, & non institutionis, vt per id ostenderet tunc quidem hoc sacramentum fuisse institutum, sed non pro eo tempore ab Apostolis ministrandum, eo quod tunc non erant Sacerdotes.

Respondetur negando consequentiam, imò ex eo quod Concilium dixerit Marci 6. hoc sacramentum tunc fuisse duntaxat insinuatum, sequitur tunc verè, & realiter non fuisse institutum, dicitur enim insinuari, vt constat ex vi vocabuli, quod non expressè proponitur, vel instituitur, sed adumbratur, & obscurè indicatur.

Ad Confirmationem dico idem esse apud Concilium, hoc sacramentum apud Marcum fuisse insinuatum, atque adumbratum, seù figuratum, eo modo, quo dicitur Baptismus Christi fuisse in Baptismo Ioannis insinuatus quia nimirum hic fuit vmbra, & figura illius, quam paritatem in cassum arguens elidere contendit; fuit autem hoc sacramentum ab ipso Christo factum realiter, & institutum, quando etiam instituit Pœnitentiæ sacramentum, vt dictum est. Ad vltimum negatur assumptum, nam verbum insinuationis propriè loquendo significat in sacra vnctione Marci 6. ordinata adumbratum esse, & figuratum sacramentum extremæ Vnctionis, quod post resurrectionem cum sacramento pœnitentiæ erat realiter faciendum, & instituendum, vt consumatiuum, & complementum illius.

17 Nec vrget, quod Euangelistæ distinctè, & expressè talis institutionis non meminerint, nam Euangelistæ præsertim solliciti fuerunt in ijs sacramentis recensendis, quæ ad salutis necessitatem pertinent, & ad Ecclesiæ dispositionem, eiusque à reliquis sectis distinctionem, hoc autem sacramentum non est ad salutem necessarium, sicut neque Confirmatio; Tùm etiam quia neque materia, & forma sacramenti ordinis habentur distinctè apud Euangelistas, cùm tamen hæ, tanquam à Christo institutæ, acceptentur ab Ecclesia; sic ergo in proposito perpetua traditione Ecclesiæ, & vsu apud Græcos, & Latinos constat extremam Vnctionem esse sacramentum à Christo Domino institutum; plura quippè sunt, quæ Christus oretenus per Apostolos tradidit Ecclesiæ, vt colligitur ex 1. Actorum vbi dicitur Christus per quadraginta dies Discipulis apparuisse, & cum eis conuescens de Regno Cœlorum locutus fuisse, instruens, & erudiens eos de omnibus ad Ecclesiæ gubernationem pertinentibus; & multa etiam sunt à Christo præscripta, & ab Apostolis prædicata, quæ scripta non sunt, nam Andreas, Thomas, Bartolomæus plura prædicauerunt, & non scripserunt; extrema autem Vnctio non tantùm fuit ab Apostolis prædicata, sed etiam à Iacobo scripto consignata, & promulgata, & quæ scriptio præsupponit hanc sacramentalem Vnctionem fuisse à Christo oretenus institutam, & ab Apostolis prædicatam.

18 Postremò quantum attinet ad huius sacramenti definitionem, non eodem modo ab omnibus assignatur, cùm enim hoc sacramentum, sicut & cætera constet ex materia, & forma, tanquam ex partibus physicis, illud physicè aliqui definiunt per suas partes physicas dicendo, esse vnctionem oleo benedicto factam in eis partibus corporis, vbi præcipuè quinque organa sensum vigent, suo præscripta verborum forma. Alij illud metaphysicè definiunt per genus, & differentiam dicendo, quod est signum rei sacræ, quo aliquæ partes corporis infirmi vnguntur oleo benedicto sub præscripta verborum forma iuxtà Christi institutionem ad salutem animæ, & corporis; vbi signum rei sacræ stat loco generis, in quo extrema vnctio cùm reliquis conuenit sacramentis, quod verò additur, quo aliquæ partes corporis &c. stat loco differentiæ, cùm per has particulas extrema vnctio à cæteris differat sacramentis, vt patebit ex sequentibus. Alij tandem vtramque miscent definitionem dicentes extremam Vnctionem esse sacramentum ex sacra vnctione olei, & prece Sacerdotis confectum, & ad salutem mentis, & corporis ægrotantis hominis diuina institutione ordinatum.

Scotus verò *loc. citat.* hanc assignat definitionem, quæ adamussim omnia explicat necessaria ad hoc sacramentum, dicens, quod est vnctio hominis infirmi pœnitentis facta in determinatis partibus corporis cum oleo consecrato ab Episcopo, ministrata à Sacerdote simul verba certa cum intentione debita proferente, ex institutione diuina efficaciter significans curationem finalem venialium. Quæ quidem definitio exacta est, & completa, vt potè explicans omnia ad hoc sacramentum requisita: explicat enim materiam remotam, quæ est oleum oliuæ simplex ab Episcopo benedictum; explicat materiam proximam, quæ est vnctio indeterminatis partibus corporis; explicat formam, quæ sunt orationes cum debita intentione à Sacerdote proferendæ; explicat ministrum, qui est solus Sacerdos, vt ex ipsis D. Iacobi verbis colligitur; explicat suscipientem, siuè subiectum huius sacramenti capax, qui est homo pœnitens infirmus; & explicat corporis partes, in quibus hoc sacramentum suscipere debet, quæ sunt organa potentiarum vitalium; & tandem explicat vim, & effectum huius sacramenti, qui est curatio, & remissio finalis venialium, quæ omnia singillatim in sequentibus sunt declaranda. Hæc igitur est vera, & propria huius sacramenti definitio, licet enim vera, & rigorosa definitio, quæ dicitur quiditatiua, per genus tantùm, ac differentiam danda sit; aliæ tamen definitiones, quæ quietatiuæ dicuntur, & potius sunt descriptiones dari possunt per causas, & effectus, & alia, quæ magis naturam definiti explicare possunt; & definitio quietatiua, quæ relatiuis conuenit, qualis est ista, dari non potest de aliqua specie, nisi exprimatur fundamentum, & terminus, per hæc enim saltem à posteriori relationis terminus dignoscitur, vt dictum est in logica. 19

QVÆSTIO SECVNDA.

De Materia, & Forma huius sacramenti.

IAm diximus *disp.* 1. de Sacramentis in genere quodlibet sacramentum nouæ legis ex materia, & forma determinata constare debere, ità enim definit Concilium Florentinum ibi citatum de omnibus nouæ legis sacramentis, tribus omnia, & singula perfici debere, nimirum rebus, tanquam materia, verbis tanquam forma, & persona Ministri conferentis sacramentum cum intentione faciendi quod facit Ecclesia; Hoc igitur supposito quæritur hic quænam sit huius sacramenti extremæ Vnctionis Materia, & Forma. 20

ARTICVLVS PRIMVS.

Assignatur Materia remota, & proxima huius Sacramenti.

DIcendum Primò est, materiam remotam huius sacramenti esse oleum oliuæ ab Episcopo benedictum. Ita Doctor *loc. citat.* quod definitum habetur in Concilio Florentino in decreto de vnione Armenorum, & Tridentin. *sess.* 14. *cap.* 1. de extrema Vnctione, & Apostolus ipse Iacobus in sua Canonica indicauit illis verbis *Vngentes eum oleo* quamuis enim non exprimat, nisi oleum hoc tamen ex communi modo loquendi intelligitur oleum commune, & vsuale, quod est suum oleum oliuarum, quemadmodum cùm dicitur, materiam Baptismi esse aquam, aqua elementaris intelligitur; & cùm dicitur materiam Eucharistiæ esse panem, & vinum, ex vi communis locutionis, & significationis intelligitur panis triticeus, & vinum ex vite, quæ tantum sunt communia, & vsualia, vndè Concil. Florent. *loc. cit.* expressè in suo decreto definit *esse oleum oliuæ*; Ex quo sequitur simplex duntaxat oleum sine vlla mixtione alterius liquoris esse materiã idoneam, & propriã huius sacramenti, 21

quod

quod etiam Apostolus ipse citatis verbis indicauit, in quibus sola mentio fit olei, & hoc idem confirmat praxis ipsa Ecclesiæ in distinctis vasis asseruantis materiam extremæ Vnctionis, & Confirmationis, eo quod illa sit oleum simplex, hoc autem balsamo mixtum; Nec refert Pontifices, & Concilia materiam huius sacramenti aliquando appellare Chrisma, nam Chrismatis nomine simplicem vnctionem intelligunt, siquidem Chrisma Græcè vnctionem Latinè significat. Quod si cum oleo aliquis alius admisceretur liquor, licet id non sine graui peccato ex suo genere fieret, per hoc tamen non redderetur irritum sacramentum, dummodò oleum in sua substantia permaneat, nec corrumpatur per excessum liquoris adiuncti, sicut in simili casu dictum est de materia aliorum sacramentorum. Ex quo sequitur, vt hic benè notant Hiqueus, & Poncius, non impedire validitatem materiæ huius, si aliquid balsami admisceretur, quamuis id non sit necessarium, nam adhuc esset oleum, licet sit etiam Chrisma propter illam admixtionem; & planè sicut admixtio aquæ non obstat, quo minus vinum, cui est admixta, sit valida, & necessaria materia sacramẽti sanguinis; ità censendum est neque admixtionem balsami cum oleo impedire, quin adhuc oleum, cui admiscetur, sit valida huius sacramenti materia. Addit tandem Doctor consecrationem Episcopalem esse necessariam ad hoc vt oleum sit apta huius sacramenti materia, quia communiter in sacramentis consistentibus in vsu solus baptismus non requirit materiam specialiter consecratam, quia Christus tactu suæ mundissimæ carnis, quando voluit à Ioanne baptizari, totam aquam consecrauit, hoc est in vsum istum dedicauit; alia autem sacramenta, quæ habent pro materia aliquod corporale, vt vnctiones, requirunt consecrationem, seù benedictionem Episcopi; quæ quidem est congruentia quædam, sed potior ratio est, quam est ipse assignauit *4. dist. 7. qu. 1.* D. quia cum baptismus sit sacramentum adeò necessarium, expediebat eius materiam esse valdè simplicem, facilem, & communem; cùm verò sacramentum hoc, sicut & Confirmationis, non essent adeò necessaria, ad reuerentiam, & decorem ipsius sacramenti, & ad maiorem aptitudinem in significando expediebat eius materiam esse prius benedictam, & consecratam.

22 Dicendum est Secundò proximam materiam huius sacramenti esse Vnctionem; quod & nomen ipsum huius sacramenti apertè indicat, & Apostolus ipse sufficienter expressit, cum dixit *Vngentes eum oleo*, ac denique Concilia Florentinum, & Tridentinum *loc. citat.* definiunt. Accedit etiam ratio, quia hoc sacramentum non est essentialiter oleum ipsum, sed vnctio facta per oleum, sicut Baptismus non est aqua, sed ablutio per aquam facta. Addit tandem Doctor optimam congruentiam, quia vnctio est signum valdè conueniens signato, seù effectui huius Sacramenti, sicut enim vnctio exterior fit ad aliquem morbum curandum, ità hæc vnctio sacramentalis exterior significat curationem animæ interiorem à culpis venialibus; quam etiam congruentiam accepit, & approbauit Concil. Trident. *sess. 14. cap. 1.* vbi postquam materiam huius sacramenti remotam expressit illis verbis. *Intellexit enim Ecclesia materiam esse oleum ab Episcopo benedictum* volens subinde materiam quoque proximam indicare subdit *Nam Vnctio aptissimè Spiritus Sancti gratiam, qua inuisibiliter ægrotantis anima inungitur, repræsentat*, certum est autem materiam proximam sacramenti esse illam, quæ effectum Sacramentalem causat, scilicet, gratiam, est ergo Vnctio materia proxima huius Sacramenti, vtpotè valdè apta, & proportionata ad significandum eius effectum. Ex quo constat malè id negasse quosdam apud D. Bonauentura *4. dist. 23.* asserentes sacramentum hoc consistere in solo oleo ab Episcopo benedicto, vt in materia proxima, vnctionemque non esse materiam, sed applicationem huius sacramenti, sicut comestio non est materia sacramenti Eucharistiæ, sed eius applicatio. Ratio est, quia hoc sacramentum consistit in ipso vsu, & applicatione materiæ, sicut Baptismus, & Confirmatio, & cætera sacramenta præter Eucharistiam, quæ sola est sacramentum permanens. Et planè patet ad sensum, quod quando oleum est in vase, aut in manu, vel digitis Sacerdotis, & ægrotus non vngitur, non fit sacramentum etiamsi forma proferatur; quando autem vngitur, & simul forma profertur, tunc fit sacramentum; ergo ipsa vnctio est proxima materia huius Sacramenti; Quot autem Vnctiones requirantur, & sufficiant ad hoc sacramentum perficiendum, dicemus *quæst. seq.* agentes de Ritu huius sacramenti quoad partes corporis inungendas, & nominandas. Hic solùm nonnullas difficultates pertractabimus, quæ moueri solent circa materiam remotam huius sacramenti iam assignatam.

Prima Difficultas est, an materia necessaria huius sacramenti debeat esse oleum simplex, itaut si sit balsamo præmixtum non sit valida materia, huius sacramenti. Affirmant Paludanus, Soto, Nugnus, Auersa, Layman, & alij Recentiores, ex quo deducunt in casu quo non possit haberi simplex oleum, non posse Sacerdotem ad hoc sacramentum conficiendum vti Chrismate, quia materia Confirmationis, quod est Chrisma, diuersa est à materia extremæ Vnctionis. Hoc autem probant ex ipso vsu, & exercitio Ecclesiæ, quo solum oleum absque vlla balsami mistione adhibetur. Item probant ex modo loquendi Concilij Florentini, & Tridentini, & ipsius Apostoli, dùm simpliciter, & absolutè oleum nominãt: indè enim planè fit hanc solam esse materiam sufficientem ac debitam, omnemq; alium liquorem, & succum esse prorsus extraneum: & iuxtà verba ipsius Apostoli putandum esse dicunt, taliter fuisse materiam huius sacramenti à Christo institutam, vt non magis potuerit admisceri, & adiungi balsamum, quam quicunq; alius herbarum, aut arborum succus, & liquor. 23

Cæterum oleum etiam balsamo mixtum adhuc esse validam huius sacramenti materiam docent Suarez, Henriquez, Amicus, & ex nostris Aretinus, Hiqueus, Brancatus, Poncius, & alij Recentiores, qui consequenter dicunt in casu, quo non possit haberi oleum simplex benedictum, posse Sacerdotem ad hoc sacramentum perficiendum vti Chrismate; Et hoc manifestè sequitur ex dictis in prima Conclusione, vbi diximus, quod sicut mixtio aquæ, vel alterius liquoris, si vini materiam non corrumpit, materiam calicis non tollit, ità nec mistio balsami, alteriusuè liquoris olei materiam non corrumpentis materiam extremæ Vnctionis non tollet; Cum ergo Chrisma sit oleum oliuæ ab Episcopo benedictum habens mixtionem balsami in modica quantitate quarundam, scilicet, guttularum eius, planè per hoc non desinit esse materia apta, & sufficiens pro extrema vnctione, quia modicum balsami substantiam olei non destruit, vt ex effectibus, & experientia apparet: Et sicut oleum non benedictum in parua quantitate additum benedicto non facit: quin prius non sit benedictum, imò vtrumque benedictum censetur ex Cap. *Quod in dubijs de Consecratione*, & hoc quia non destruit oleum iam benedictum; ità in proposito, quia modicum balsami substantiam olei non destruit ei permixtum, non ob id cessat esse materia apta huius sacramenti. Neque oppositum docet Doctor *loc. cit.* non enim simpliciter, & absolutè asserit tolli materiam sacramenti, si balsamum admisceatur, sed solùm dicit non requiri necessitate sacramenti, inquit enim *Nec oportet ibi esse aliquid confectum ex oleo, & balsamo*, quasi dicat, non est necessarium; Nec etiam aliud probat congruentia, quam ibi adducit, quia certum est Chrisma significare nitorem conscientiæ; atque ideò illa balsami mixtio efficaciæ, & significationi huius sacramenti non derogat, quæ ex proportione materiæ desumitur, quamuis necessariò non requiratur. 24

Rationes verò, & auctoritates in oppositum adductæ probant solùm, quod per se loquendo ad conficiendum hoc sacramentum sufficit simplex oleum benedictum, neque necessaria est balsami permixtio, & in hoc differre à Confirmatione, in qua necessarium est Chrisma ex oleo, & balsamo confectum, vt suo loco dictum est; & hoc duntaxat probat testimonium Iacobi, & Conciliorum, simpliciter enim de oleo loquuntur, quia ad materiam huius sacramenti non est necessaria balsami permixtio; & rationem discriminis affert ibidem Doctor, quia Confirmatio inquit, est ad confessionem, & confirmationem Fidei, & ideò in confirmato requiritur non tantùm puritas conscientiæ significata per oleum, sed odor bonæ famæ significatus per balsamum, quem tenemur dare viuentes exemplo bonorum operum; sed huic, qui habet in breui exire de via ad terminum, sufficit conscientia pura, quam oleum significat, ac propterea ex institutione diuina solùm simplex oleum est necessaria, & sufficiens materia ad hoc sacramentum perficiendum, & per hoc differt sacramentum extremæ Vnctionis a Sacramento Confirmationis, in qua necessarium est Chrisma ex oleo, & balsamo confectum, nec simplex oleum sufficit, vt ad extremam Vnctionem. 25

Secunda difficultas est, an oleum, quod est materia remo- 26

ta

tæ huius sacramenti, debeat ad eius validitatem esse specialiter benedictum, & consecratum ad hunc effectum, itaut ex vsuali oleo non benedicto nullum fieret sacramentum; sed sit de necessitate sacramenti quod sit benedictum. Negant Victoria, Nicolaus Serarius, Ledesma; & quidam alij esse hanc benedictionem de essentia,& necessitate sacramenti,& dicunt esse solùm de necessitate præcepti; Fundamentum est, quia Iacobus *cap. 5.* solùm dicit *Vngentes eum oleo* non autem addit *oleo benedicto*; ergò oleum simplex, & naturale est essentialis materia huius sacramenti, nam sola fit ibi mentio olei, quicquid autem pertinet ad essentiam sacramenti debet in sacris oraculis contineri cum eiusdem Auctoris sit sacramenta instituere, & essentialia sacramentorum præscribere.

Confirmatur, quia simili argumento colligimus essentialem Baptismi materiam esse simplicem aquam naturalem, quia Scriptura simpliciter aquam requirit. Demum, si hæc benedictio materiæ requireretur, maximè esset in materia Eucharistiæ, quæ est sacramentum omnium augustissimum; atqui in hac non requiritur, ergo in nullius, alterius materia id requiritur de necessitate sacramenti. Nec refert illud Iacobi *Vngentes eum oleo in nomine Domini*, ex quibus verbis colligunt aliqui necessitatem præuiæ benedictionis, quia non est sensus, quod oleum debet esse benedictum, aut sanctificatum in nomine Domini, sed quod ipsa vnctio fieri debeat in nomine Domini. Nec tandem obstat, quod Concilia, & antiqua Decreta huius sacramenti materiam semper assignent oleum benedictum, nam Concilia explicari possunt de necessitate duntaxat præcepti, quemadmodum eadem Concilia materiam calicis assignant vinum aqua mixtum, cùm tamen aquæ mixtio non sit de necessitate sacramenti, sed tantùm præcepti; & antiqua Decreta solùm explicant consuetudinem Ecclesiæ Romanæ, quæ ex præcepto seruanda est.

27 Communis tamen, & vera sententia tam Veterum, quàm Recentiorum affirmat Episcopi benedictionem essentialiter requiri ad naturam huius sacramenti, sine qua irritum esset sacramentum, & ità præsertim docet Doctor noster *dist.23.cit.infrà D.* vbi ait, quod consecratio Episcopalis est necessaria ad hoc, vt sit materia apta, quia communiter in sacramentis consistentibus in vsu solus Baptismus non requirit materiam specialiter consecratam, quia Christus tactu suæ mundissimæ carnis, quando voluit à Ioanne baptizari, totam aquam consecrauit, hoc est, in vsum istum dedicauit; ità Doctor ibi, Faber, Hiqueus, Hitibarnes, Aretinus, Poncius, Brancatus, & alij Recentiores passim. Fundamentum sumitur ex Concilijs, Patribus, & Ecclesiæ traditione, siquidem tam Florentinum, quàm Tridentinum Concilium pro materia necessaria huius sacramenti expressè, & absolutè assignant oleum ab Episcopo benedictum, & ità etiam loquuntur Innocentius Primus in *epist. cit.* ad Decentium, & Innocentius Tertius *cap. cum venisset* de sacra Vnctione; quo loquendi modo non tantùm denotant obligationem præcepti, sed etiam de necessitate Sacramenti, non enim loquuntur quasi ex se præcipiendo, sed tanquam docendo id, quod ex ipsa institutione necessarium est. Vndè non benè, nec sufficienter Concilia explicari possunt de sola necessitate præcepti, quia distinctè, & expressè materiam huius sacramenti contra Hæreticos assignant oleum ab Episcopo benedictum; & illud assignant in recto, non autem tantùm in obliquo, quemadmodum materiam calicis assignant vinum aqua mixtum, seù *cui modicissima aqua admisceri debet*, vt loquitur Florentinum, & Trident. *sess. 22, cap. 7.* expressè ait hoc tantùm esse Ecclesiæ præceptum, *vt Sacerdos aquam vino in calice offerendo misceant*, non sic de olei benedictione.

28 Ad Fundamentum oppositæ sententiæ dicendum est, quod licet explicitè, & euidenter ex sacra Scriptura non colligatur oleum necessariò necessitate sacramenti esse benedicendum, sufficit habeatur ex Apostolica traditione, quam Concilia citata supponunt, sicut nec omnium Ordinum materia habetur ex Scriptura, sed ex apostolica traditione, & praxi Ecclesiæ.

Ad Confirmationem negatur paritas de aqua, & oleo, illi enim tactus Domini sufficit in consecrationem, non sic de oleo dici potest, vndè cum hæc materia non fuerit à Christo Domino specialiter dedicata ad hunc effectum, quemadmodum dedicata fuit aqua ad baptizandum tactu suæ mundissimæ carnis, vt inquit Doctor, debet specialiter benedici, & applicari ab ipso Episcopo, qui est Pastor in Ecclesia vice Christi; Tum quia vt etiam suprà dictum est, cum Baptismus sit sacramentum adeò necessarium, expediens fuit eius materiam esse communem, & obuiam, ne ex defectu consecrationis perderentur sæpè sæpiùs infantes; cum verò hoc sacramentum non sit ad salutem simpliciter necessarium ad reuerentiam, & decorem ipsius sacramenti, & maiorem aptitudinem in significando expediens fuit eius materiam esse prius benedictam, & consecratam. Ad vltimum negatur etiam paritas de materia huius sacramenti, & Eucharistiæ quæ est panis, & vinum, nam hic manibus suis accipiens semel dedicauit ad sacramentum Eucharistiæ conficiendum, nec alia benedictione, vel consecratione talis materia Eucharistica antè indiguit, nam quæ maior consecratio, quam immediatè vniri corpori, & sanguini Christi? quorum coniunctione altiori modo species panis, & vini consecrantur.

Dices verisimile est Christum Dominum aliquãdo etiam oleum tetigisse, & ideò si ratio sui tactus sanctissimi sufficit ad hoc vt res tacta sit alicuius sacramenti sufficiens materia, nec prætereà specialem benedictionem prærequirat, sic pariter in proposito neque oleum illam requiret, vt sit apta materia extremæ Vnctionis supposito, quod Christus Dominus illud aliquando tetigerit. 29

Respondetur, non sufficere qualemcunque Domini tactum, vt res ab eo tacta constituatur materia apta alicuius sacramenti, multa enim tetigit, quæ non ob id facta sunt alicuius sacramenti, materia; sed requiritur tactus cum applicationis talis materiæ ad aliquod sacramentum instituendum, vt notat Faber in hac Disput. *cap.4.* vndè ideò Christus Dominus voluit tangere aquam, & in ea baptizari, vt intelligeretur in illo elemento institui sacramentum regenerationis, & absolutionis à peccato; & in Cena vinum, & panem voluit in manibus accipere ad significandum illam ab ipso institui materiam illius augustissimi sacramenti, quod de oleo dici non potest, & ideò benedictionem prærequirit, vt si apta materia extremæ Vnctionis. Et quia hæc quæstio reducitur ad eadem principia, quibus Disput. 2.quæst.8.de sacramento Confirmationis art.3.Diffic.3.probauimus necessariam esse benedictionem Chrismatis, vt sit materia idonea ad Confirmationem, ideò plura ad hoc spectantia ibi videri possunt, vbi etiam differentiam assignauimus inter benedictionem aquæ in Baptismo, & benedictionem olei in hoc sacramento, sicut etiam in Confirmationem, nam illa, quæ fit in Baptismo, est accidentalis, & sacramentale quoddam ab Ecclesia ordinatum, & ideò à Baptismo separari potest, hæc verò in sacramento Confirmationis, & extremæ Vnctionis separari non potest, quia est essentialis, & alioquin Vnctio sacramentum non esset.

Tertia Difficultas est, an hæc olei benedictio necessario fieri debeat ab Episcopo itaut neque per summi Pontificis dispensationem possit simplici Sacerdoti committi. Affirmant Bellarminus, Suarez, Amicus, Caspensis, Coninchius, Layman, Filliucius, Nugnez, Auersa, & ex nostris Faber *loc. cit.* & plures alij Recentiores. Fundamentum est, quia eadem Concilia, quæ definiunt materiam huius sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum, simul probant non posse ab alio, quàm ab Episcopo validè benedici, quia cum absolutè, & absque vlla limitatione hoc asserunt, nullum relinquunt fundamentum contrarium opinandi. Dicere autem, quod Concilia solùm definiant materiam, quæ de facto ex vsu, & praxi Ecclesiæ huic sacramento supponitur, est Conciliorum auctoritatem eneruare; Nam pari ratione quis dicet, cum Concilia definiunt, materiam huius sacramenti esse oleum benedictum, non definire materiam, quæ essentialiter ad hoc sacramentum requiritur, sed qua de facto Ecclesia vtitur, & sic tolleretur omnis benedictio, tanquam aliquid essentialiter requisitum ex parte materiæ, quod nullus cordatus Theologus admittit. 30

Confirm. nam dùm Concilia huius sacramenti materiam tradunt, non dicunt, illam ordinariè esse oleum ab Episcopo benedictum, vti dicunt, cum assignant Ministrum sacramenti Confirmationis, sed absolutè pronunciant esse oleum ab Episcopo benedictum, quod non leue argumentum est, in secundum dispensationem cadere posse, non autem in primum; ita arguit Amicus *disp.19.sec.3.num.45.* 31

Opposita sententia docet iure diuino vtiq; solum Episcopum

pum posse ordinariè oleum benedicere, vt sit apta materia huius sacramenti, nihilominus tamen posse summum Pontificem hanc potestatem simplici Sacerdoti delegare. Ita hic omnes docent quicunque de Sacramento Confirmationis dixerunt saltem per dispensationem Pontificis posse Chrismatis consecrationem simplici Sacerdoti committi, nam hoc ipsum commune est materiæ huius Sacramenti cum materia Confirmationis, vbi illi Theologi, qui admittebant posse ex dispensatione, seù commissione summi Pontificis sufficere benedictionem Sacerdotis in materia illius sacramenti, idem pariter in hoc admittunt; vndè miror Poncium id in sacramento isto admittere, cum illud in Sacramento Confirmationis, negauerit, & è contrà Amicum id in præsenti asseueranter negare, cum hoc in Sacramento Confirmationis iam admiserit; Vt igitur nos consequenter loquamur, cùm hoc iam admiserimus de materia Confirmationis *disp. 2. q. 8. diffic. 4. n. 229. cum Scoto 4. d. 7. q. 1.* vbi ab initio quæstionis dicit, chrisma debere esse specialiter ab Episcopo benedictum, vel ab alio, cui talis sanctificatio poterit committi; hoc idem pariter de materia extremæ Vnctionis admittere tenemur, & eodem modo defendere, sicut ibi; Hoc autem præsertim probatur in proposito, quia in Ecclesia Græca ex antiqua consuetudine Presbyteri consecrabant hoc oleum, & Clemens VIII. in sua instructione ad Episcopos Latinos de Græcorum ritibus data anno 1595. dicit *Non sunt cogendi Presbyteri Græci olea sancta præter Chrisma ab Episcopis Diæcesanis accipere, cùm huiusmodi olea ab eis in ipsa oleorum, & Sacramentorum exhibitione ex veteri ritu conficiantur, seu benedicantur*. Ità refert Petrus Arcudius in Concordia Occidental. & Oriental. Ecclesiæ *lib. 5.* qui est de Extrema Vnctione *cap. 2.* vbi attestatur ità nunc, & ab antiquo apud Græcos exerceri, dicens illorum Sacerdotes ex tacita saltem Commissione Pontificis benedicere oleum infirmorum, quamuis alioquin Chrisma ab ipsi Episcopis benedictum accipiant. Accedit etiam ratio, quia si potest summus Pontifex dispensare, vt simplex Sacerdos conferat sacramentum Confirmationis, vt *loc. cit.* dictum est; ergò à fortiori poterit dispensare, vt simplex Sacerdos oleum infirmorum benedicat.

32 Respondet Amicus *loc. cit.* negando consequentiam, quia quando Concilia assignant ministrum Sacramenti Confirmationis non dicunt absolutè ministrum huius Sacramenti esse Episcopum, sed addunt *ordinarium*, vt significent extraordinarium posse esse alium ab Episcopo; Cùm verò assignant materiam Extremæ Vnctionis non dicunt *ordinariè*, sed absolutè esse oleum ab Episcopo benedictum. Præterea in Ministro Sacramenti Confirmationis est aliquando in Ecclesia Dei dispensatum, vt patet ex dictis de Confirmatione; in materia autem Extremæ Vnctionis nunquam legitur fuisse dispensatum, vt in oleo benedicto tantùm à simplici Sacerdote fuerit hoc Sacramentum confectum, quod autem semper fuit in Ecclesia seruatum, habetur pro re indispensabili; Hæc tamen solutio parum vrget, quia si Concilia dicunt ministrum huius sacramenti ordinarium esse Episcopum, vt significent extraordinarium, & delegatum posse esse alium ab Episcopo; hoc idem insinuare, & subintelligere voluerunt, quando dixerunt, materiam huius Sacramenti esse oleum ab Episcopo benedictum, nimirum tanquam ab ordinario consecrante non autem tanquam à consecrante essentiali; Et planè maius est absolutè loquendo concedere facultatem ministrandi Sacramentum Confirmationis, quam benedicendi Chrisma, aut oleum infirmorum; quia in ministratione talis sacramenti obseruari debet certus ritus, & præscripta verborum forma ex Christi institutione; non requiritur autem benedictio certo ritu, & forma verborum facta, vt communiter Theologi notant, quia nempè Christus Dominus in hoc non præscripsit certam benedictionis formam; sed simpliciter solùm, vt benediceretur oleum, vel Chrisma a legitimo ministro, vndè quocunque modo fiat valida est ad Sacramentum conficiendum; si ergò Pontifex potest dispensare circà primum, scilicet, ministrationem Sacramenti Confirmationis, tantò magis dispensare poterit supra secundum nempè suprà olei infirmorum, & Chrismatis benedictionem, nam qui potest maius, potest & minus. Et falsum est etiam, quod addebat Amicus, nunquam dispensatum fuisse suprà benedictionem olei, vt possit à simplici Sacerdote fieri, cum de facto sit dispensatum in Ecclesia Græca, vt patet ex citata Bulla Clementis VIII. Ex quibus tandem patet quid sit dicendum ad obiecta in oppositum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Assignatur Forma huius Sacramenti.

Forma istius sacramenti sunt hæc verba, quæ proferuntur à Sacerdote, dùm vngit partes corporis infirmi. 33
Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti per visum &c. & similiter de alijs membris, & sensibus ità declaratum est in Concil. Florent. in decreto Eugenij, & in Trident. *sess. 14. cap. 1.* de extrema vnctione, & expresse habetur, in Rituali Romano, & quamuis forma ista sub his verbis præcisè in Sacra Scriptura non habeatur, habetur tamen in virtute, in illis D. Iacobi verbis *si quis infirmatur in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, qui orent super eum vngentes &c.* sic enim dicendo innuit verba formæ huius sacramenti debere significare effectum illius per modum deprecationis; & certum prorsus de fide est, hunc modum formæ esse aptum sufficientem, & validum, siquidem traditur in Concilijs, exercetur in Romana, & vniuersali Ecclesia, & attestatur Arcudius *loc. suprà cit.* etiam exerceri in Græca, quare sine dubio tenendum est ab Apostolis, & ab ipso Christo manasse cùm enim ex traditione Apostolica habeamus hanc esse formam huius sacramenti, necesse est eam Apostolos ex institutione Christi sibi immediatè manifestata accepisse, & fidelibus posteà tradidisse; Sed circà hanc formam duplex occurrit Difficultas examinanda.

Prima Difficultas est, An huius sacramenti forma, vt sit valida, debeat necessariò esse deprecatiua, an sufficiat etiam indicatiua. Ratio dubitandi est varietas formarum olim adhibitarum in diuersis Ecclesijs, nam vt referunt D. Bonauentura, Durandus, Argentinas, & alij Scholastici 4. *dist. 23.* tempore D. Ambrosij in Ecclesia Mediolanensi forma huius sacramenti erat indicatiua hoc modo, *Vngo te oleo sanctificato in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti, vt more militis vnctis preparatus ad certamen aereas possis superare potestates*, & in Ecclesia Veneta fuit olim hæc forma *Vngo te oleo sancto, vt hac vnctione protectus fortiter stare valeas aduersus aereas cateruas in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti*, ità refert Paludanus 5. *dist. 23.* ex libro Sacramentali Venetorum à Leone X. approbato; constat autem has formas esse indicatiuas, & non per modum deprecationis. 34

Confirmatur, quia forma huius sacramenti, vt dictum est, colligitur ex verbis Iacobi *Vngentes eum*; sed ex illis verbis non minus forma indicatiua colligi potest, quàm deprecatiua, sicut ex illis verbis *Baptizantes eos* colligit Ecclesia formam indicatiuam *Ego te Baptizo*; ob quas difficultates Riccardus, Nauarrus, Albertus, Paludanus, Becanus, & alij probabile putant indicatiuam formam esse sufficientem, alioquin Pontifices in præfatis Ecclesiijs eam non admisissent; & consequenter dicunt formam indicatiuam esse æquiualentem deprecatiuæ, qua vtitur Ecclesia Romana, & sufficientem ad huius sacramenti validitatem; & hoc idem tuetur ex nostris Brancatus *disp. 11. conclus. 3.* vbi dicit, quod licet forma deprecatiua sit certa quoad licitum, & validum, tamen improbabile non est, quod forma indicatiua non sit valida estò illicita; & idem sentit Hiqueus *dist. 23. quæst. vn. in Commentario num. 40. & Poncius disp. 47. quæst. 2.* Alij verò communiter id omninò negant asserentes ad validitatem huius Sacramenti necessario requiri formam deprecatiuam ità Bellarminus, Henriquez, Valentia, Suarez, Nugnez, Coninchius, Laiman, Amicus, Diana, Bonacina, Labarus, & alij passim.

Certum est in primis in hac controuersia, & tanquam de fide tenendum formam deprecatiuam esse sufficientem ad huius sacramenti validitatem, vt constat ex vtroque Concilio Florentino, & Tridentino, in quibus hæc forma assignatur, ac etiam ex praxi Romanæ Ecclesiæ, quæ in materia sacramentorum errare non potest, vt in omnibus Ritualibus Romanis legitur; & tandem ex ipsis D. Iacobi verbis colligitur *& orent super eum, & oratio fidei allenabit infirmum &c.* quæ omnia indicant verba Sacerdotis, quibus hoc conficit Sacramentum, esse debere deprecatoria. 35

Dices formam deprecatiuam ad validitatem huius sacramenti non sufficere, quia ad rationem sacramenti spectat, quod causet gratiam per modum effectus ex diuina promissione infallibiliter conferendi; at forma deprecatiua gratiam non confert, aut impetrat infallibiliter ex diuina promissione, sed ex libero duntaxat beneplacito Dei, si illam conferre velit, nam causat gratiam per modum doni ex diuino beneplacito expectandi; ergo se sola ad validitatem huius sacramenti non sufficit.

Respondeo negando minorem, cùm non minus hoc sacramentum, quàm alia, annexam habeat infallibilem Dei promissionem; quia omnia operantur ex meritis Christi, & ad instar operis operati, non operantis, & solùm discrimen est, quod Deus ad suam gratiam per hoc sacramentum infallibiliter conferendam non acceptat orationem indicatiuam Ministri, sed deprecatiuam; è contrà verò ad gratiam infallibiliter conferendam per sacramentum pęnitentiæ non acceptat orationem deprecatiuam Ministri, sed indicatiuam tantùm, & hoc totum pendet ex diuina institutione, quia hanc requirit per modum sacramentalis iudicij, illam per modum sacramentalis deprecationis, quamuis per vtrumque sacramentum gratiam conferat infallibiliter obicem non ponenti, & quidem quod in sacramento pęnitentiæ acceptet tantùm orationem indicatiuam Ministri pro gratia sua infallibiliter conferenda ex eo patet, quia si acceptaret orationem deprecatiuam, Sacerdos non absolueret illi verbis *absoluo te*, sed illis antecedentibus *Dominus Iesus Christus te absoluat*, quæ ad formam sacramenti pęnitentiæ præmittuntur, quod est contrà Florentinum decreto de vnione Armenorum, & Tridentinum *sess. 14. cap. 3.* quæ docent formam sacramenti pęnitentiæ sitam esse illis verbis *Ego te absoluo &c.*

36 An verò sit probabile formam quoque indicatiuam se sola sufficientem esse ad validitatem huius sacramenti, Doctor *loc. cit.* de hac quæstione nihil agit, sed supponit formam, quæ in vsu Romanæ Ecclesiæ est deprecatiua, huius autem dubij resolutio pendet ex alia, an istæ duæ formæ indicatiua, & deprecatiua possint esse æquiualentes in sensu substantiali, quem Christus intendit, nam si æquiualentes esse nequeunt, vt tenent Auctores secundæ opinionis, dicendum est formam indicatiuam se sola non posse esse sufficientem ad huius sacramenti validitatem; Ratio est, quia duæ formæ, nisi in sensu, & significatione ęquiualeant, non possunt esse sufficientes ad valorem eiusdem sacramenti, sicut enim Christus non diuersa, sed eadem instituit pro omnibus Ecclesijs sacramenta, ità nec diuersas præscripsit pro quouis sacramento formas, sed vnam tantùm, vt constat tum inductione in omnibus, & singulis sacramentis, tùm communi sensu, & auctoritate Ecclesiæ. Si verò forma indicatiua, & deprecatiua possunt æquiualere in sensu, & significatio substantiali, vt tenent Auctores primæ opinionis, tunc absque vllo inconuenienti potest asseri, formam quoq; indicatiuam se sola sufficientem esse ad validitatem huius sacramenti, cùm nihil aliud requiratur ex parte formæ, quàm vt absolutè significet conferri gratiam, ad quam conferendam institutum est sacramentum; licet diuerso modo significet, quia talis diuersitas esset tantum accidentalis, & grammaticalis, quatenus forma deprecatiua est per modum supplicantis, & ab alio gratiam expectantis; indicatiua verò est per modum potestatem exercentis, qui modi sunt tantùm inter se accidentaliter diuersi, nam ad sensum substantialem sufficit, vt exprimatur ad summum efficacia sacramenti, materia proxima, & effectus eius, quæ in prædictis formis sufficienter explicantur. Et quidem satis difficile est tueri formam indicatiuam, & deprecatiuam in significatione substantiali conuenire non posse, ac esse æquiualentes; oppositum enim experimur in forma baptismi, quia forma baptismi est hæc *Ego te Baptizo in nomine Patris, &c.* & tamen Concilium Florent. *loc. cit.* §. 10. ait hanc aliam quoque qua vtuntur Græci *Baptizetur seruus Christi in nomine Patris &c.* esse sufficientem, quæ vtique est deprecatiua, vt dictum est *disp. 2. de Baptismo q. 2. art. 2. n. 49.* cum Scoto *4. d. 3. q. 2. § de secundo*, vbi ait illud verbum *Baptizetur* non esse imperatiui modi, se optatiui, & deprecatiui; & rationem reddit Concilium, cur vtraque sit sufficiens, quoniam inquit, cùm principalis causa, ex qua baptismus virtutem habet, sit sancta Trinitas, instrumentalis autem sit Minister; si exprimatur actus, qui per ipsum exercetur cum Sanctæ Trinitatis inuocatione, perficitur Sacramentum; in forma autem indicatiua, qua olim pro hoc sacramento conficiendo vtebantur Ecclesia Ambrosiana, & Veneta, inuocatur Deus, qui est causa principalis, Minister exprimit actum materialem à se procedentem; ergo nihil deficit ad perficiendum hoc sacramentum etiam ex parte formæ indicatiuæ; atque ità per hanc doctrinam, & paritatem ex Baptismo deductam prima opinio probabiliter defendi potest.

Adhuc autem, ac etiam probabilius secunda opinio, quæ 37
communior est, defendi potest, quod scilicet, ad validitatem huius sacramenti necessaria sit forma deprecatiua ex eius institutione deducta; intantùm enim Auctores primæ opinionis oppositum asserebant, vt defenderent formam Ambrosianam, & Venetam superius adductas, quæ indicatiuæ videntur; at si benè considerentur, & perpendantur non sunt indicatiuæ absolutè, & simpliciter, sed cum modo indicatiuo in verbo vngendi adiungitur modus deprecatiuus in verbo indulgendi, & faciunt hunc sensum *Vngo te, vt Deus tibi indulgeat quicquid deliquisti &c.* vt scitè aduertit Filliucius *tract. 3.* de sacramento extremæ Vnctionis *cap. 4.* & fusius declarat Amicus *disp. 19. cit. sect. 5.* in fine, dùm enim in illa forma dicebatur. *Vngo te vt more militis vnctis superare valeas aereas potestates in nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* verbum *valeas*, seù *possis* est deprecatiuum, passim enim per hunc modum solemus petere, & rogare, peto, rogo, vt hoc facias, vt hoc des, & concedas, vndè verbum *valeas* coniunctum cum sequentibus *In nomine Patris, & Filij, & Spiritus Sancti* reddit formam deprecatoriam, quia addit illi diuinum numen, vt principalem causam, in cuius virtute, & auxilio debet infirmus sacro oleo vnctio de suis hostibus in illo agone victoriam sperare. Vndè nihil deesse videtur ad formam deprecatiuam, est enim in sensu æquiualens huic *Per istam sanctam vnctionem, & piissimam Dei misericordiam hostes tuos peruincas, & pœnas inferni euadas*; Quarè omninò decipitur Poncius noster *loc. cit. disp. 47. q. 2.* in fine, dum inquit in illis formis relatis Ambrosiana, & Veneta tam manifestum esse non contineri vllam deprecationem, vt mirum sit oppositum venisse in mentem D. Thomæ, & aliorum; decipitur inquam, quia vt satis declaratum est, cum modo iudicatiuo in verbo vngendi adiungitur modus deprecatiuus in verbo indulgendi. Nec etiam Confirmatio adducta pro priori sententia aliquid vrget, non enim formam deprecatiuam sacramenti huius colligimus ex illis verbis *vngentes*, sed ex illis alijs *& orent super eum, & oratio fidei saluabit infirmum*.

Secunda Difficultas est, quæ verba in forma huius sa- 38
cramenti contenta sint de essentia sacramenti, quæ verò tantùm de præcepto. Conueniunt omnes opus non esse exprimere materiam remotam huius sacramenti, sicut in Confirmatione exprimitur, cùm dicitur, *Confirmo te chrismate*, hoc enim necessarium non est neque necessitate sacramenti, neque præcepti vt patet ex forma, qua vtitur Romana Ecclesia, nam solùm dicit *per istam sanctam vnctionem &c.* nulla facta olei mentione; certum est ergo non esse de substantia, neque de præcepto materiam remota[m] huius sacramenti exprimere, sed sufficit eam exerci[te] exprimere, per ipsum Vnctionis nomen, sicut exprim[i]tur materia Baptismi per verbum *abluo*; Volunt tamen se de necessitate huius sacramenti, vt exprimatur mat[eria] proxima, scilicet, vt nominetur *vnctio*, quamuis e[x] facto ipso perficiatur, hoc non tollit, quin etiam v[...] proferri debeat, sicut in Baptismo, quamuis facto ipso [per]ficiatur ablutio, adhuc opus est, vt proferatur, & [expri]matur verbo; Quoniam verò in forma Græcorum [...] non expresè nominatur, ideò Arcudius *loc. cit.* ait [...] expressionem non esse simpliciter necessariam, sed [...]re, quod saltem sit implicitè indicata inuocando [...] tanquam medicum, vt fit in forma Græca, [...] est *Pater sancte medice animarum, & corporum, [...] seruum tuum à morbo corporis, & animæ, quo deti[netur]* inuocatur Deus, tanquam medicus, vt scilicet [...]ctionem veluti per modum medicinæ conferat [...] atque ità implicitè indicatur, & insinuatur Vn[ctio ...] ueniunt item omnes illam particulam, quæ a[...] Rituali Romano *sanctam vnctionem* non esse [...]te Sacramenti, quia in Concilijs Florentino, [...]no non apponitur, sed Vnctio simpliciter non[...] si esset de substantia sacramenti, dubio proc[ul ...]

non fuisset, quarè concludunt esse solum necessariam necessitate præcepti, nempè ex præcepto, & ritu Ecclesiæ. Dissiden[illegible] tamen, an sit de necessitate sacramenti, vt nominetur, & [illegible] inuocetur diuina misericordia, & aliqui contendunt hoc e[illegible]se necessarium ratione conuenientiæ, quia maximè opp[illegible]tunum, atque conueniens videtur in illo statu extremæ i[illegible]firmitatis, & miseriæ diuinam inuocare misericordiam [illegible] & pietatem; Vndè dicunt, quod sicut in Sacramento B[illegible]ptismi, & Confirmationis necessaria est necessitate sacr[illegible]menti explicita inuocatio Trinitatis, quia ibi vita, & militi[illegible] Christiana inchoatur; ità in hoc Extremæ Vnctionis Sacr[illegible]amento erit pariter necessaria explicit[illegible] inuocatio ob summam misericordiæ diuinæ in eo extremo vitæ periculo, & ità præsertim contendit Nugnus *quest. 29. art. 9.* Alij tamen communiter hoc negāt, vel saltem in dubium reuocant dicentes, non solere esse de substantia sacramenti, vt in eius forma explicetur causa principalis sui effectus, quod etiam si necessarium esset, sufficere in proposito, quod forma sit deprecatoria, quia per modum ipsum deprecationis satis diuina inuocatur misericordia, & hic dicendi modus est communior, & probabilior, quem sequuntur Suarez, Coninchius, Auersa, Caspensis, Reginaldus, Laiman, Filliucius, Diana, Aretinus ex nostris, & alij passim.

40 Conueniunt item omnes esse de substantia huius Sacramenti, vt petatur remissio peccatorum, quia inter effectus huius sacramenti iste est præcipuus, & principalis, & n[illegible] fi[illegible]is præcipuè in hoc Sacramento intentus propter peccata im[illegible]pediatur; & quamuis effectus quoque eius sit iuuare ad co[illegible]rporalem sanitatem, adhuc tamen consueta forma sufficie[illegible]ns est absque huius alterius effectus expressione, quia est [illegible]cundarius, & non certus, nec opus est in forma Sacramen[illegible]i omnes prorsus eiusdem exprimere effectus. Conueniunt [illegible]andem ferè omnes expressam inuocationem Trinitatis nō [illegible]ertinere ad essentiam huius sacramenti, imò neque esse [illegible]necessariam necessitate præcepti affirmat Suarez contrà nō[illegible]nullos ab ipso citatos; & ratio est, quia neque hoc Sacramentum est professio fidei, sicut Baptismus, neque in hoc sacramento aliqua specialis occurrit ratio inuocationis triū diuinarum personarum, neque in Rituali Romano, neque in Concilijs hoc declaratur, nec etiam communis consuetu[illegible] do id habet; nullum ergo sufficiens fundamentum afferri potest ad asserendam talem præcepti obligationem, imò si benè attendatur modus deprecatiuæ formæ, non benè illi accomodatur.

41 Postremò, quamuis omnes particulæ præfatæ, quæ in forma huius sacramenti communiter proferuntur, ad eius essentiam non pertineant, sitque valdè probabile solas has, quæ sequuntur *Per istam sanctam vnctionem indulgeat, vel parcat, vel remittat tibi Deus quicquid peccasti* ad eius validitatem esse necessarias, vt graues Theologi docent; adhuc tamen omnes conueniunt debere Sacerdotem omnia illa verba in huius sacramenti forma ex Ecclesiæ præscripto opposita, prout in Rituali Romano habentur distinctè proferre, nec aliquid ab eo in illa prolatione omittit, aut mutari sine peccato potest, & pro qualitate mutationis poterit in hoc incurri mortale, aut veniale peccatum, quàm quæ vndè tam verba; quæ diuinam misericordiam, quæ omnes sensus exprimunt, sub præcepto sunt proferenda, vt habet & obseruat vniuersalis Ecclesiæ praxis; qualiter autem de necessitate sit, vt distinctè nominentur variæ corporis partes, visus, auditus, & reliquæ, quæ solent iniungi, ex sequenti quæstione patebit.

QVÆSTIO TERTIA.

De Ritu, & Vnitate huius Sacramenti.

42 Ritus huius sacramēti habetur in Rituali Romano Pauli V. vbi docet Vnctionem hanc fieri debere per modum Crucis in oculis, auribus, naribus, labijs, manibus, pedibus, & renibus, quam tamen vltimam vnctionem in fœminis omittendam esse dicit propter honestatē; hęc autem vnctio in partibus illis, quæ natura geminæ sunt duplex fieri debet v. g. vna super oculum dextrum, altera super sinistrum, & interim forma proferri, itaut formæ prolatio incipiat, & antequam prior vnctio finiatur, nec desinat, quin posterior saltem inchoetur, vt in eodem Rituali adnotatu[illegible] dicitur, quod si quis in aliqua illarū parte mutila[illegible] vnctio in proximiori parte fieri debeat cum ea[illegible] prolatione, quod totum etiam anteà aduotau[illegible] *23. cit. q. vn.* sub lit. D. Cùm igitur hæc ex ipsius Ec[illegible] xi constent, quæritur an Vnctio omnium illaru[illegible] sit de essentia sacramēti huius, itaut validè confer[illegible] nisi omnes illæ partes vngantur, in qua quæstio[illegible] sunt opiniones, vt mox patebit. Rursus quamu[illegible] cramentum ex pluribus dictis partibus construatu[illegible] solum ex materia, & forma, verum etiam ex tot pa[illegible] vnctionibus, & verborum prolationibus; adhuc ta[illegible] dici debet vnum siquidem in vniuersum, non ni[illegible] Ecclesiæ sacramenta numerantur, oritur modo d[illegible] qualis sit hæc vnitas, & quomodo explicari debeat [illegible] puncto sunt etiam varij dicendi modi; quæ duæ diff[illegible] breuiter in hac quæstione sunt resoluendæ.

ARTICVLVS PRIMVS

Quot Vnctiones sufficant ad hoc Sacrament[illegible] perficiendum.

Vt in hac controuersia certa ab incertis [illegible] præmittendum est, omnes ferè Theolog[illegible] communiter conuenire non esse necessarium, vt fia[illegible] vnctio in geminis partibus cuiusq; sensus, sed satis e[illegible] tantùm inungatur v. g. vnus oculus, vna auris, vna [illegible] &c. neq; in his vnctionibus necessariò seruandum [illegible] nem à Concil. Florent. descriptum in decreto de V[illegible] Armen. vt priùs inungatur oculi, quàm aures, [illegible] sensus; sed posse à quolibet sensu vnctionem incho[illegible] niri. Nec etiam necessarium esse, vt talis vnctio fia[illegible] Crucis, non enim in hoc Sacramento est eadem r[illegible] Confirmatione, sed sufficeret simpliciter vngere, v[illegible] more verificetur talem partem inungi; Nec rursu[illegible] rium esse, vt vnctio immediatè fiat manu Minist[illegible] cit, si vngat mediante gossipio, calamo, aut virga, [illegible] pore pestis licitum esse ad vitandum contagium [illegible] quamplures apud Dianam *trac. 4.* de sacramenti[illegible] Quæ tamen à Theologis non ideò dicuntur, & [illegible] tur, vt passim absque vlla necessitate ea in prax[illegible] ceat; nam si nulla occurrit necessitas, debet vn[illegible] ritu, & cum omnibus illis circumstantijs, quas [illegible] scribit, & alias pro qualitate trangressionis e[illegible] culpa; solùm ergo per hoc Theologi significare [illegible] quod quamuis ex præcepto Ecclesiæ ista fieri, [illegible] beant, nec proindè nulla vrgente necessitate [illegible] omitti possint; nō sunt tamen de essentia huiu[illegible] nec ad eius validitatem requiruntur, vt docent [illegible] riquez, Suarez, Aretinus, Laiman, Amicus, Au[illegible] na, Toletus, & alij Summistæ passim. His itaq[illegible] tanquam certis, vel saltem communiter conc[illegible] modò Difficultas, quot vnctiones ad hoc Sac[illegible] perficiendum necessariò requirantur, qua in [illegible] modi dicendi breuiter examinandi.

Prima opinio asserit ad perficiendum hoc S[illegible] necessarias esse septem vnctiones, quia tot pr[illegible] cil. Florent. in decreto citato de vnione Arm[illegible] assignantur vnctiones. *In oculis propter visu[illegible] propter auditum, in naribus propter odoratum* [illegible] *gustum, vel locutionem; in manibus propter tact*[illegible] *propter gressum, in renibus propter delectatione*[illegible] *tem*; & in his septem locis Concilium inquit [illegible] vngendum; neque facit exceptionem moris, [illegible] nis aliarum Ecclesiarum, doctrina autem illi[illegible] doctrina, & decretū vniuersalis Ecclesiæ; Ita [illegible] nostris 4. *d. 23. disp. vn.* in fine, vbi ait etiam [illegible] has septem enumerare vnctiones, & licet ap[illegible] esse de essentia sacramenti, tamen apertè d[illegible] partes esse inungendas, neque aliquem excip[illegible] videtur velle, quod omnes sint de essentia, qu[illegible] & eodem modo loquitur, & hanc etiam put[illegible] nem D. Bonauent. Riccardi, Durandi, & ali[illegible] qui eodem modo loquuntur nulla exceptio[illegible] dem concludit omissionem vnctionis renu[illegible] aliquibus Ecclesijs inductam esse ex senten[illegible] Et præter auctoritatem Concilij Florentin[illegible] rationem à veteribus adductam, quia cùm [illegible]

ex quibus peccata in nobis oriuntur, scilicet, sensitiua, generatiua, & motiua secundum locum, organa omnium istarum potentiarum debent inungi, organa autem potentiæ sensitiuæ sunt organa quinq; sensuum externorum; organa potentiæ generatiuæ sunt renes; motiuæ secundum locum sunt pedes, ergo omnes istæ partes necessariò debent inungi.

45 Communiter tamen omnes Theologi docent, duas postremas vnctiones renum, scilicet, & pedum non esse de necessitate sacramenti, sed tantùm de Ecclesiæ ritu. Nec video quomodo Faber id singulariter inter alios docuerit, cùm vnctio in renibus ex præscripto eiusdem Ecclesiæ ob honestatem in fœminis non exerceatur, vt constat ex Rituali Romano Pauli V. iam cit. quo tempore etiam Actor iste viuebat; imò neque etiam vnctio pedum propter eandem modestiam adhiberi solet Monialibus, & Monachis, certum autem est in fœminis quoad hoc quicquam non prætermitti, quod sit de substantia sacramenti, nec diuersus est ritus sacramenti in viris, & fœminis quoad substantialia; absolutè ergò tenendum est cum communi sententia illas duas vnctiones renum, scilicet, & pedum non esse de ratione sacramenti, sed totam eius rationem sufficienter saluari in quinq; corporis sensibus, qui in prioribus quinque partibus inueniuntur, illas verò duas esse merè cæremoniales ab Ecclesia additas, sicut se habent aliæ ecclesiasticæ cæremoniæ in Sacramentis; sicque Concil. Florent. debet intelligi cum veteribus Theologis quamuis indistinctè de illis septem partibus & vnctionibus sit locutum; qua de causa Trid. *sess.* 14. *cap.* 1. nullum certum numerum vnctionum pro materia huius sacramenti assignauit, sed solùm dixit huius sacramenti materiam, esse oleum ab Episcopo benedictum; nam *vnctio*, inquit *aptissimè Spiritus Sancti gratiã, qua inuisibiliter anima ægrotantis inungitur, repræsentat.* Nec etiam ratio illa, quę addebatur aliquid vrget quod scilicet, tria sint in nobis agendi principia, siuè tres potentiæ, ex quibus peccata in nobis oriuntur, scilicet vis cognoscitiua, quæ residet in sensibus, vis appetitiua, quæ præcipuè exercetur in renibus, & vis motiua in pedibus; Non inquam id vrget, quia inter illa tria principia primum simpliciter locum obtinet vis cognoscitiua ex qua aliæ facultates in operando dependent, quarè sacramentalis vnctio in solis quinque sensibus sufficere censenda est.

46 Secunda opinio docet, ad validitatem huius sacramenti necessarias esse ad minimum quinq; vnctiones in quinque corporis sensibus cum quinque partialibus formis respondentibus singulis vnctionibus. Ità cum D. Thoma *quæst.* 32. *in additione ad* 3. *partem art.* 6. docent Thomistæ, & Recentiores communiter, Sotus, Henriquez, Nugnez, Valentia, Bellarminus, Suarez, Coninchius, Laiman, Auersa, Caspensis, Bonacina, & alij; Ratio autem est, quam nuper insinuauimus, quia cùm hoc sacramentum sit ad reliquias peccatorum abstergendas, ijs corporis partibus est applicandum, in quibus est radix peccatorum; hæc autem residet in quinque corporis sensibus, nam ex his omnis notitia, quæ radix est peccatorum, ortum ducit cùm nihil sit in intellectu, quin prius fuerit in sensu. Quare concludunt quinque sensuum vnctiones ità esse de essentia huius sacramenti cum quinque formulis sigillatim prolatis, vt si antè quintam vnctionem infirmus è vita decesserit, neque effectum gratiæ, neque ipsum sacramentum recepisse credatur.

47 Verùm huic communi sententiæ obstat, quod non omnes Ecclesiæ hanc doctrinam sequuntur in praxi tempore necessitatis, quod signum est hanc quinariam sensuum vnctionem non esse de essentia huius sacramenti, & hoc etiam docuit Vniuersitas Louaniensis ann. 1588. cuius decreto subscripsit Archiepiscopus Meclinensis, quod etiam in Belgio reducitur ad praxim tempore necessitatis, quando, scilicet, ob pestē, vel morbum contagiosum omnes illæ partes absque periculo vngi non possent; quin etiam in his casibus interdum contingere potest, vt aliter hoc sacramentum ministrari nequeat, nisi vnam corporis partē inungendo, vt in casu quo peste affectus ità pronus in terram iaceret, vt nō posset in facie inungi; Tùm deniq; quia dato etiam, quod quinque vnctiones essent de essentia huius sacramenti, adhuc tamen quinq; formulæ sigillatim prolatæ, & singulis vnctionibus respondentes non sunt de eius essentia, sed omnes illæ vnctiones adhiberi possunt sub vna tantùm forma illis quinq; partialibus æquiualente, vt explicatur in opinione sequenti, ex cuius doctrina patebit etiam solutio rationis adductæ pro hac secunda sententia.

Tertia opinio affirmat ad necessitatem, & validitatem huius sacramenti necessarias esse quidem ad minimum vnctiones quinque in oculis, auribus, naribus, ore, & manibus; non tamen necessarias esse quinque formulas sigillatim prolatas singulis vnctionibus respondentes; sed omnes adhiberi posse sub vna tantum forma omnibus partialibus formis æquiualente, vt si quis vngendo oculum, aurem, narem, os, & manum dicat, *Per istas sanctas vnctiones, & piissimam misericordiam indulgeat tibi Deus quicquid per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum deliquisti*; ità tenent Coninch. Laiman, Diana, Auersa, Isambertus, Abellius, & ex nostris Hiribarnes 4. *disp.* 22. *sess.* 5. Fundamētum est, quia si sub vna forma quinque sensus vngantur, & expressim nominentur, ipsa in sensu, & significatione æqualiter quinq; formulis sigillatim prolatis; ergo quinaria illa formarum repetitio, quæ fieri solet, nō est de essentia huius sacramenti, sed potius de integritate eo modo, quo manus, & pedes in homine dicuntur eius partes integrales, non autem essentiales, cum tota hominis essentia physica in corpore, & anima consistat; quoniam re vera sub vna tali forma completur ex integro tota eadem formalis significatio absque materiali repetitione omnium illorum verborum; Vndè iuxtà hanc sententiam si infirmus iam iam moriturus credatur poterit Sacerdos partes magis obuias quinq; sensuum illinire v.g. vnum oculum, aurem, narem, labiū, & aliquam aliam partem pro sensu, tactus, qui vbique est diffusus, idque celeriter nullo facto signo Crucis, & simul, ac semel hæc verba proferre *Per istam vnctionem indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti, aut peccasti per visum, auditum, odoratum, gustum, & tactum*; Et quidem in casu necessitatis potest hic modus exerceri potius quàm sinatur ægrotus absque hoc beneficio mori, idq; etiam Suarez admittit *disp.* 42. *sec.* 2. iuxtà quam sententiam explicanda sunt Concilia, quæ docent inungendos esse omnes sensus cum singulis formis sigillatim prolatis, de necessitate præcepti, & quando grauis non vrget necessitas. 48

Dices, in singulis speciebus Eucharistiæ consecrandis necessariæ sunt singulæ formæ sigillatim prolatæ, ac etiam in singulis ordinibus conferendis necessariæ sunt singulæ formæ partiales ad validitatem Sacramenti; ergo sic etiam dicendum erit in proposito. Negatur omninò paritas, non enim est eadē ratio, quia per diuersas formas partiales Ordinis diuersæ potestates spirituales sunt exprimendæ, quę in collatione vniuscuiusq; ordinis conferuntur; & per singulas formas partiales Eucharistiæ distincti termini exprimi debent, qui per se, & ex vi verborum sub speciebus Eucharisticis pręsentes fiunt; At in sacramento extremæ Vnctionis solùm exprimenda sunt peccata, quæ per singulos sensus fuere cōmissa; hęc autem ęquè benè explicari possunt per plures formas partiales, sigillatim prolatas, ac per vnam solam totalem illis pluribus æquiualentem, vt iam explicatum est & notat Amicus *disp.* 19. *se.* 4.

Quarta opinio docet in casu necessitatis vnicam etiam sufficere vnctionem, in quacunq; corporis parte fiat, & sub vna tantùm forma omnes corporis sensus exprimēte. Hanc tenent Siluius, Chapeauilla, Becanus, & ex nostris Pōcius, Hiqueus, & probabilem putant Suarez, Coninch. Laiman, Caspensis, Amicus, & alij Recentiores, eamq; approbat tota vniuersitas Louaniensis attestante, & simul appro... Octauio Tricaricensi Nūcio Apostolico in Germania, ... Dianam *loc. c.* quin etiam grassante peste eam express... ponunt, & consulunt Pastorale Mechliniense de sacr... to Vnctionis Can. 9. & Passauiense Can. 11. sub his... *In morbis contagiosis, & peste grassante, vt pericul... tetur, sufficit inungi sensus organum magis ad vncti... positum dicendo; per istam sanctam vnctionem indu... Dominus quicquid deliquisti per visum, auditum, od... stum, & tactum &c.* Probatur etiam ratione, quia... stat necessarium esse ad validitatem huius sacram... omnes sensus in omni casu inungantur, & illa v... cum tali forma significat sufficienter effectum... ergo &c. probatur assumptum, quia si id const... esset ex verbis Apostoli *Vngentes eum* &c. vel e... Ecclesiæ; non primum quia sicut ex illis verbis *Baptizantes eos* non colligitur, nisi vna ablut... validitatem necessaria, ità ex illis verbis *Vng...* colligitur, nisi, quod debeat infirmus inung... vna corporis parte, siuè in pluribus, nam siu... siuè illo, homo verè dicitur inunctus. Neq...

potest, nam [illegible] sus Ecclesiæ non declarat, quæ sint essentialia, & sine quibu[illegible] sacramentum non fieret, sed solùm quid fieri debeat, qu[illegible] ndo nulla vrget necessitas, siue id necessarium sit necessita[illegible] te sacramenti, siuè solùm præcepti. Nec tandem ex Concili[illegible] id colligi potest, quia Trid. *sess. 14. cap. 1.* nullum certum vn[illegible] tionum numerum pro materia huius sacramenti assignau[illegible] t; Florent. verò in decreto de Vnione Armen. licet septem [illegible] assignet vnctiones, scilicet, in quinque sensibus, & præter[illegible] à in renibus, & pedibus; cùm tamen constet ex dictis salter[illegible] has duas vltimas ex communi omnium sententia ad va[illegible] ditatem sacramenti non esse necessarias, planè neque dici [illegible] otest, quod saltem reliquæ quinque sint de mente Concili[illegible] necessariæ, cùm non sit maior ratio de istis, quàm de illis.

50 Conf. quia Vnctio Græcorum talis est, vt nullum in specie organum sensus inungat, sed per vnctionem factam in facie in modum Crucis, vt in fronte, genis, & mento vnctionem organorum sensus comprehendat; quos tamen dicendum non est in rebus ad validitatem huius sacramenti necessarijs deficere sine vrgenti ratione; Nec verisimile est Ecclesiam Romanam, quæ est Magistra veritatis, permittere, quod Ecclesiæ particulares hunc ritum seruent, & tanquam regulam Canonicam in suis Ritualibus doceant, vt suprà visu[m] est, si illam falsam existimaret, & contrà sacramenti validitatem. Conf. prætereà ex proportione ad Sacramentum Pœnitentiæ, ad quod confessionis integritas, quæ alias necessaria, est aliquando non requiritur, neq; verbalis, quando ex imminenti periculo mortis, vel alio defectu non sup[p]e[t]it commoditas, sed nutus, & signa sufficiunt, aut etiam [tes]timonium voluntatis præteritæ, si æger per se respondere [ne]queat; ergo pariter congruum fuit, vt etiam sacramentum [...] ocità institueretur, vt in casu necessitatis etiam in vna vn[c]tione ministrari posset, quia præstat hoc sacramentum conferre sub probabili saltem materia in casu necessitatis, quàm nullum omninò conferre. Denique quamplures Theologi docent, quod sicut per quamlibet Eucharistiæ speciem gratia sacramentalis confertur, estò non nisi ex vtraque simul integrum sacramentum consurgat; ità in singulis vnctionibus gratia sacramentalis confertur; estò tunc non fiat integrum sacramentum, quod solùm ex omnibus vnctionibus integratur; ergò absque vlla sacramenti iniuria poterit in casu necessitatis vna tantum vnctio adhiberi, quæ gratiam conferat sacramentalem, sitque verum, licet non integrum sacramentum. Debet tamen semper in tali casu vnius vnctionis fieri in forma mentio quinque sensuum, nam si in forma fieret mentio tantùm de vno sensu, v. g. visu, forma non significaret sufficientem effectum, ad quem conferendum sacramentum hoc est institutum, qui est gratia, qua remittantur peccata quinque sensuum, vel illis mediantibus patrata; si tamen in forma nullus exprimeretur sensus expressè, vt fiebat in forma Ambrosiana, & Veneta superius relatis, satis probabile est, quod adhuc sufficeret, quia adhuc per verba in eis contenta totus sacramenti effectus sufficienter significatur, scilicet, remissio peccatorum per sensus commissorum.

51 Quinta, & vltima opinio asserit, omnes, & singulas vnctiones esse de essentia huius sacramenti, quando omnes fieri possunt; cùm autem superuenit mors illæ solùm sunt de essentia, quæ iam factæ sunt, & vna, si vna tantùm facta est. Ità nouissimè Brancatus noster tom. 3. de Sacramentis *disp.* 11. *art.* 4. & 13. in fine, hoc enim, inquit, videtur maximè diuinæ pietati consentaneum, ex institutione enim non potest vnctio dari, nisi in extremis posito, ergo nisi etiam sic fuisset institutum, vt vnctio, quæ pro extremo illo dari potest, sufficiat, in plerisque non perficeretur, imò frequenter nullitati expositum esset, & Minister maximo cum timore illud ministraret timens ne illud inualiditati exponat, quæ omnia absurda maximè cauentur, si dicatur omnes vnctiones constituere essentiam, quando omnes fieri possunt; cùm autem mors superuenit, illas solùm essentiam constituere, quæ iam factæ sunt, & vnam etiam interdum, si vna tantùm facta est; nam in omnibus præfatis casibus adest intentio Ministri, forma, & materia remota, & proxima; & sic existimat fuisse hoc sacramentum à Christo Domino institutum neq; vllum ait ex hoc sequi absurdum, Deus enim videt quot vnctiones pro quolibet casu sunt applicandæ, & in fine vltimæ causat effectum talis sacramenti; vndè aliquando omnes quinque vnctiones constituunt cum forma debita essentiam huius sacramenti, aliquando pauciores, & ali-

Meld. In Quart. Sentent.

quando vna tantùm iuxtà casuum varietatem; ueniens est pietati Dei volenti decedentium nec[...] sulere; si enim omnes essent de essentia, non e[...] sultum vtilitati infirmorum; cùm enim subiectu[m] cramenti capax sit infirmus morti proximus, [...] ctare debeat Sacerdos, vt aptè illud conferat, [...] decederent infirmi absque hoc Sacramento, pauc[...] qui diligenter sic possint obseruari, vt sine in ex[...] periculo, & sint admissuri spatium tale temporis, [...] nes quinque possint perfici vnctiones.

Verùm hic dicendi modus non placet, vtpotè q[...] mis essentiam sacramenti huius assignat itaut q[...] in vna tantùm vnctione, quandoque in duabus, [...] & quandoq; in omnibus essentia sacramenti con[...] moribundi statum, & periculum, vndè hac admissa [...] certa regula dari non posset de ministerio huius sac[...] eiusque materia proxima esset incerta & vaga iuxt[...] tem status infirmi; Cùm ergo in cæteris sacrament[...] tur materia proxima certa, & determinata ex eor[...] institutione, hoc idem pariter de materia proxima [...] cramenti asserendum erit, quod, scilicet, vel omne[s] vnctiones sint de essentiâ huius Sacramenti, vt sec[...] tertia opinio asserebat; vel vna tantùm simpliciter [...] lutè loquendo sufficiat ad sacramenti validitatem [...] quoque quando adhiberi possunt, sint necessariæ n[...] præcepti, & concurrant, si non ad essentiam, salte[m] gritatem Sacramenti constituendam, vt quarta o[...] cebat; Nam etiam iuxtà hunc dicendi modum op[...] sultum esset necessitati, & vtilitati infirmorum, q[...] casu necessitatis vnica sufficeret vnctio; nec in M[...] potest contingere perplexitas, eo ipso quod prob[...] ad validitatem sacramenti vnicam sufficere vncti[...] debita forma coniunctam; nec vlli periculo nulli[...] nitur sacramentum, nam per vnicam vnctionem [...] tur, & sub probabili saltem materia infirmo conf[...] que vllo conscientiæ scrupulo. Videatur Suare[z] 41. *sess.* 3. vbi hunc dicendi modum refert, & im[...] quam quid nouum, & sine fundamento inuentu[...]

Ex dictis sequitur primam sententiam Fabri, [...] Brancati nullam prorsus habere probabilitatem [...] adductas; secundam verò esse omnium tutissi[...] praxi saltem sub præcepto seruandam, quand[o] vrget necessitas, quod euidenter probat vniue[...] praxis; Tertia etiam est valdè probabilis, & in [...] giosis tuta conscientia in praxi seruari potest, [...] nem, in qua fundatur, tùm ob auctoritatem D[...] sequentium. Quarta tandem opinio etiam su[...] non caret eadem de causa, vndè si peste grass[...] vt si omnes sensus iniungendo contagium co[...] tetit iuxtà hanc sententiam Minister tuta co[...] tantùm organum magis obuium, & expos[...] sub vnica forma omnes sensus exprimente, q[...] Pastoralia præscribunt, & ità seruari in prax[...] in Belgio, & in Austria refert Amicus *disp.* 1[...]

ARTICVLVS SECV[...]

Quæ, & qualis sit Vnitas huius sacra[...]

Controuersia non est de vnitate specific[...] sacramentum ex eadem materia, & fo[...] stet, & ad eundem finem, & effectum ser[...] & eandem definitionem essentialem sempe[r] niunt omnes semper esse eiusdem speciei, [...] in essentia, seu specie vltima; Sed tota diff[...] vnitate numerica, quamuis enim constet n[...] vt saltem in diuersis personis non possit se[...] tum multiplicari, nam satis per se constat e[...] dua sacramentalia, quæ diuersis conferu[...] hæc numerica multiplicatio omnibus sac[...] munis; non tamen ità constat esse vnum [...] semel vni, & eidem confertur, cùm enim i[...] conficiendo plures, interueniant vnctio[...] etiam forma, videntur ex singulis vnctio[...] formis in illas cadentibus confici singula in[...] vtpotè ex propria forma, & materia con[...]

etiam proprios effectus habentis, atque ideò non esse vnum numero sacramentum, sed plura, & distincta. Quoniam verò ex alia parte omnes illæ partiales vnctiones ad integram totius hominis vnctionem, quam institutio huius sacramenti exigit, ordinantur, & pariter omnes illæ formæ deprecatiuè ad completum effectum obtinendum tendunt; ideo fatentur omnes ex illis omnibus vnctionibus, & formis vnum numero consurgere sacramentum, quod vocatur vnum compositione, quatenus omnes illæ materiæ, & formæ, ad artificiosam compositionem vnius adæquati signi referuntur; Tota itaque difficultas consistit in explicanda hac numerica compositionis vnitate, qua in re duo sunt modi dicendi.

55 Primus dicendi modus asserit hoc sacramentum esse vnum vnitate indiuisionis, siuè indiuisibilitatis itá, scilicet, vt eius practica significatio, siuè virtus collatiua sui effectus non intelligatur, nisi tota simul, quando perficitur vltima vnctio, & tunc indiuisim conferat totum suum effectum, loquendo specialiter de gratia sanctificante; quia alij effectus diuinorum auxiliorum, & interdum sanitatis corporalis, dispensantur à Deo pro opportunitate, sicut alij similes effectus in alijs sacramentis. Itaq; dicunt hi Doctores, quod eodem pacto se habet multiplex vnctio ad vnitatem huius sacramenti, sicut se haberet trina mersio in aqua, si tota esse de baptismi substantia; adhuc enim totus Baptismus esset vnus vnitate indiuisionis vnitate morali sacramentali, itá nempè quod non constitueretur Baptismus, nec consisteret eius vis, nec conferretur eius affectus, nisi in tertia mersione absque diuisione, & partitione in prima, & secunda; sic ergo de facto dicunt esse vnum hoc extremæ vnctionis sacramentum constans tot vnctionibus in pluribus corporis partibus; Ex quo etiam deducunt primam vnctionem propriè loquendo sacramentum dici non debere, sed potius partem sacramenti, sicut in prædicta hypotesi de baptismo magis expediret dicere primam mersionem esse partem sacramenti, quam esse sacramentum; ità ad verbum rem explicat Auersa *q. vn.* de extrema vnctione *sect. 5.* quam opinionem etiam sequitur Caspensis *tract. 27. disp. 4. sect. 1.* & existimat probabiliorem opposita, quia hoc sacramentum, inquit essentialiter perficitur indiuisibiliter illis quinque vnctionibus, & formis ipsis correspondentibus, ac proindè gratia non confertur, nisi in vltimo instanti terminatiuo quintæ vnctionis, & prolationis suæ formæ, quod ex eo præsertim probat, quia verba, quibus illæ quinque formæ constant, licet de per se ad remissionem venialium sint instituta, per accidens tamen ad remissionem quoque mortalium extenduntur, & quia vnum mortale sine alio remitti nequit, ideò opus fuit, vt forma significans remissionem mortalis commissi, v.g. per visum, nec significaret, nec sortiretur effectum suum, nisi coniunctim sumpta cum cæteris formis, quibus per accidens remittuntur mortalia per alios quoque sensus commissa.

56 Alter dicendi modus docet, hoc sacramentum esse vnum vnitate integritatis, non indiuisibilitatis; Ita Doctor *d. 23. q. vn.* in solutione ad 2. vbi ais, *Dico quod est vnum sacramentum vnitate integritatis, sed non vnitate indiuisibilitatis, sicut effectus eius non est vnus indiuisibiliter, quia non remissio vnius venialis, sed vnus vnitate plenariæ remissionis omnium venialium, vt omnibus remissis nihil remaneat retardans à perceptione beatitudinis*; vbi supponit Doctor singulas vnctiones suos habere partiales effectus, & per singulas vnctiones dari singulos gradus, seu portiones gratiæ, ac per singulas vnctiones remitti illa peccata venialia, quæ per illum sensum commissa sunt, itemque pęnam temporalem, quæ ratione illius sensus debita est, ac proindè sicut quinque sunt vnctiones partiales, quę constituunt integrum sacramentum, ità quinque vicibus conferri quinque gradus gratiæ, qui constituant adæquatum effectum huius sacramenti; sicut in Eucharistia datur vna pars gratiæ per sumptionem vnius speciei, & altera pars per sumptionem alterius, estò integrum sacramentum non consurgat, nisi ex vtraque specie simul. Hoc idem sentit cum Doctore Almainus 4. *d. 23.* quod probat, quia vnum veniale potest remitti sine alio, cùm compatiatur secum charitatem, ideò potest aliquis dicere, quod per vnctionem oculorum remittuntur, venialia per oculos commissa, non autem commissa per nares, & sic quælibet partialis vnctio cum forma sibi respondente est partiale sacramentum, & habet suum effectum; Hoc idem sentiunt Poncius. & Hiquęus, qui etiam hoc probat ex modo, & ritu ministrandi hoc sacramentum, quia ad singulas vnctiones dicitur forma sacramenti ex vsu Ecclesiæ Romanæ, ergò supponit in singulis vnctionibus esse necessariam, & sufficientem materiam; alias non posset integra forma dici, nisi in sensu sacramentali, in quo est efficax, & supponit materiam requisitam, & essentialem.

Faber etiam ex nostris, & Hiribarnes, tanquam de mente Doctoris, tenent hoc sacramentum esse vnum vnitate integritatis, non verò indiuisibilitatis, sed minus consequenter posteà dicunt omnes, & singulas vnctiones esse de essentia sacramenti, ita quod si vnus Sacerdos faciat duas, vel tres vnctiones, non conficit sacramentum, nec confert gratiam, quia hæc confertur solùm in fine prolationis verborum in vltima vnctione; Hoc, inquam, non dicitur consequenter, quia si vnctio omnium sensuum esset materia essentialis perficienda antè collatum effectum sacramenti; sequitur eo ipso hoc sacramentum esse vnum vnitate indiuisibilitatis, & non integritatis tantùm, vt inquit Doctor; consequentia patet, quia sensus sacramentalis perfici nequiret, seù sacramentum ipsum, nisi completa materia essentiali requisita; sicut in Baptismo, licet tres mersiones adhibeantur, tamen in ratione materiæ sacramentalis vna censetur ablutio respectiuè ad formam, quæ antè tertiam ablutionem non finitur; Qui ergo tueri volunt hoc sacramentum esse vnum vnitate integritatis tantùm, & non indiuisibilitatis, vt expressè Doctor significat *loc. cit.* debent consequenter dicere in singulis vnctionibus, & formis correspondentibus partialem gratiam conferri, non verò tantùm in fine vltimę vnctionis, & formæ in ea prolatæ; sic enim ex illis omnibus vnum consurgit numero sacramentum, quod vocamus vnum numero compositione, & integritate, quatenus omnes illæ vnctiones cum suis formis partialibus tendunt ad integrum, & completum huius sacramenti effectum obtinendum; licet enim concedamus, vt sequenti quæstione dicemus, per vnctionem vnius sensus sub propria forma statim dari aliquem gratiæ effectum, adhuc tamen sacramentum esset vnum ex omnibus vnctionibus compositum, quia ille effectus gratiæ per primam vnctionem collatus, licet sufficiens esset ad remissionem venialium, quæ per illum sensum commissa fuerunt, adhuc tamen non esset integer, & completus, quia sufficiens non esset ad remissionem venialium per alios sensus commissorum, qui nondùm sunt inuncti, nec sufficiens ad confortandum, vel alleuiandum infirmum, quantum indiget, vel indigere potest. 57

Ad fundamentum oppositæ sententiæ, negatur hoc sacramentum essentialiter perfici indiuisibiliter illis quinque vnctionibus, & formis ipsis correspondentibus, & gratiam non conferri, nisi in instanti terminatiuo quintæ vnctionis, & prolationis suæ formæ; nam iuxtà nostram sententiam dicendum est per singulas vnctiones dari singulos gradus, seù portiones gratiæ, sicut in Eucharistia datur vna pars gratiæ per sumptionem vnius speciei, & altera pars per sumptionem alterius, quarè sicut quinque sunt vnctiones partiales, quæ vnum numero constituunt, & integrum sacramentum, ità per quinque vices quinque conferuntur gratiæ portiones, quæ adæquatum effectum huius sacramenti constituunt; & omnes illæ partiales materiæ, & formæ ad artificiosam compositionem vnius adæquati signi referuntur; & iuxtà hanc sententiam pariter dicendum est per primam gratiam partialem, quæ in prima vnctione confertur, omnia peccata mortalia remitti, si quæ in infirmo inuincibiliter ignorata reperiuntur, cùm nequeat vnum peccatum mortale absq; alio remitti; repugnat namque saltem de potentia Dei ordinaria quamcunque gratiam habitualem cum peccato mortali consistere; addi etiam potest quædam mortalia peccata tolli principaliter, & ex vi formæ in prima vnctione, quæ nimirum per talem sensum commissa sunt, alia verò veluti concomitanter ratione gratiæ, cùm qua consistere non possunt; Sed hæc omnia magis patebunt ex dicendis *quæst. 5.* quando hoc sacramentum suum conferat effectum; nam si singulæ vnctiones suos partiales habent effectus, ex omnibus consurget integrum sacramentum, & sic erit vnum vnitate integritatis; sicut dicitur de sacramento Eucharistiæ; si verò hoc sacramentum essentialiter perficitur omnibus vnctionibus, & formis singulis illis correspondentibus, & gratia non confertur, nisi in vltimo instanti quintæ vnctionis, & formæ sibi correspondentis, tunc sacramentum istud erit vnum vnitate indiuisibilitatis, quia eius effectus nullo modo per singulas vnctio 58

partitur, vel d[illegible]iditur, sed totus in vltima vnctione indiuisibiliter confert[illegible]r.

59 Hic vlteri[illegible] quæri solet, An hoc sacramentum si ità vnum in ead[illegible] persona, vt etiam successiuè, seù per iteratam collatio[illegible] multiplicari non possit, quomodo Baptismus dicitur [illegible] vnus, & Confirmatio vna. Hoc sacramentum posse in ead[illegible] persona in varijs infirmitatibus constituta iterari defi[illegible] est in Concil. Florentino ab Eugenio IV. in decreto [illegible] de sacramentis, vbi postquam docuit tria tantùm sacrament[illegible] characterem imprimere, atque ideò in eadem persona ite[illegible] rari non posse, scilicet, Baptismum, Confirmationem, & [illegible] Ordinem, concludit quatuor reliqua characterem non imprimere, & reiterationem admittere; declarat tamen Conc. Trid. *sess. 14. cap. 3.* hoc in eadem infirmitate & morbo repeti non posse, sed tantùm quando infirmus post susceptum hoc sacramentum conualescit ex morbo, & rursus in alium morbum, & mortis periculum incidit, potest tunc iterum hoc sacramentum suscipere, ità Tridentinum *loc. citat.* dicens, *Quod si infirmi post susceptam hanc vnctionem conualuerint, iterum huius sacramenti subsidio iuuari poterunt, cùm in aliud simile vitæ discrimen inciderint;* & ratio huius diuinæ institutionis est manifesta, quia in nouo morbo, & salutis periculo succedit quoque noua huius spiritualis remedij indigentia, & sicut iteratur corporalis curatio in

60 nouo morbo, ità & hæc spiritualis.

Sed ex allata Concilij doctrina oritur Difficultas, an aliquando licitum sit in eadem quoque infirmitate, quando diuturna est, vt duobus, vel tribus anni durans, hoc sacramentum iterare; Nam ex vna parte Concilium id expresse prohibere videtur, cùm dicat non posse infirmum in eodem morbo, sed in alio hoc sacramentum suscipere, & requirat, vt infirmus ex morbo conualescat, & posteà in alium similem incidat, vt hoc sacramentum iterum suscipere possit; Ex alia verò parte magno subsidio priuaretur infirmus, si in aliquo diuturno, ac difficili morbo, non nisi semel hoc sacramentum [illegible] posset, vt innuit Concilium. Ad hoc communiter respondent Doctores cum D. Bonau. 4. *dist.* 23. *par.* 2. *quæst.* 4. [illegible] & D. Thoma in eodem 4. *dist.* 23. *quæst.* 1. *art.* 4. durante eadem necessitate, & eodem morbi statu non posse hoc sacramentum iterari; sed quoties variatur morbi status, vt de periculoso fiat non periculosus, & rursus de non periculoso fiat periculosus, toties iterari posse. Primum probatur, quia pro eodem morbi necessitate, & eodem periculo durante sufficiens censetur adhiberi remedium per vnam duntaxat sacri olei vnctionem, & in hoc sensu Cathechismus ipse Rom. de hoc sacramento loquens citata Conc. verba declarare videtur dicens, *hoc obseruari oportet in vna eademque ægrotatione, cùm æger in eodem vitæ periculo positus est, semel tantùm vngendum esse.* Quod autem hoc sacramentum etiam in eadem infirmitate iterari possit, si pluries accidit, vt ex eiusdem morbi varietate infirmus periculo mortis exponatur, ex eo probatur, quia vt Concilia definiunt, hoc sacramentum est institutum pro infirmis periculoso morbo laborantibus; potest autem infirmus diuturna infirmitate grauari, & pluries in manifesto mortis periculo reperiri; ergo si infirmus grauiter laborans hoc sacramentum semel suscepit, si posteà periculum euasit, & ob morbi diuturnitatem, vt hydropisis, verb. gr. vel ethisis varietur notabiliter morbi status, & rursus in simile vitæ periculum incidat, hoc sacramentum repetere poterit, quia in tali casu nouus censetur morbus, nouaque necessitas; vndè pro collatione huius sacramenti non tam attendendam est in longioribus morbis temporis diuturnitas, & eiusdem morbi continuatio, quàm status mutatio, ac periculi variatio, vt in eadem persona iterari possit; quia nimirum huius sacræ vnctionis capacitas, & indigentia in tali morbi statu, & proximo mortis periculo fundatur. Aduertunt tamen Doctores inter vnam, & aliam vnctionem notabilem temporis distantiam interponi debere, vt ità verè censeri, & appareat periculum mortis fuisse verè renouatum; ità Suarez, Nugnus, Henriquez, Reginaldus, Corinthiensis, Amicus, Auersa, Bonacina, & Summistæ passim.

Dices, hoc sequi sacramentum hoc contemptui exponi posse, cum in eadem die pluries posset accidere periculum, & toties hoc sacramentum conferri, quod planè sine irreuerentia sacramenti contingere non posse. Respondetur cum D. Bonau. *loc. citat.* non sequi contemptum sacramenti, quia periculum extremum non potest pluries in eadem die accidere; nullus autem inquit Seraphicus Doctor, in aliqua infirmitate vngendus est, nisi cùm ad exitum appropinquare præsumitur, & hoc ex infirmitatis aggrauatione, quem statum natura diù sustinere non potest, imo aut vincit, aut vincitur; si ergò infirmus non moriatur, sed diutius viuat, & si perfectè non curetur, & conualescat, curatur tamen aliquo modo ab intensione morbi, quia igitur venialia redire possunt, & iterum corporalis infirmitas aggrauari; ideò potest, & debet sacramentum vnctionis iterari. Ex quo Sancti Doctoris discursu colligitur, non posse tantam, vel tantam distantiam inter vnam, & aliam vnctionem in eiusdem infirmitati spatio assignari, sed potius prudenti iudicio metiendam esse.

QVÆSTIO QVARTA.

Quinam sint huius sacramenti effectus, & qui eorum præcipuus.

Benè inquit Brancatus noster *disp. 11. art. 16.* difficilem esse huius controuersiæ solutionem cum ab antiquis 61 pauca reperiātur dicta de effectu extremæ vnctionis à Modernis verò ità confusè doceri huius sacramenti effectus, vt nullo modo interroganti satisfacere videantur, & quod mirabilius est, etiam post Tridentini Concilij decretum, quod multos huius sacramenti recenset effectus, in eorum declaratione confusiores appareant; Et quidem difficultas non est de effectu sibi communi cum alijs sacramentis, qui est gratia habitualis, seù eius argumentum hoc enim gratis concedunt Theologi omnes, vt expresse definitum est in Conc. Trid. sess. 14. can. 2. de Extrema Vnctione his verbis. *Si quis dixerit sacram Infirmorum vnctionem non conferre gratiam [illegible] anathema sit.* Et ratio est, quia de essentia sacramenti [illegible] est conferre gratiam sanctificantem, quæ communiter supponitur esse eius effectus; ergo etiam hoc Sacramentum talem effectum omnibus communem habere debet, [illegible] ratio sacramenti ipsi non competeret. Non ergo est difficultas de effectibus, quos habet communes cum reliquis Sacramentis, sed de proprijs ipsius, quibus à reliquis distinguitur, & propter quos primariò hoc sacramentum fuit à Christo institutum. Et quidem tres præsertim eius effectus propriòs videtur insinuasse D. Iacobus in sua Epist. cap. 5. cùm dixit: *Vngentes eum oleo in nomine Domini, & oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus, & si in peccatis sit, dimittentur ei.* Primus est, saluare infirmum, hoc est ipsum liberare ab infirmitate corporali, secundus est alleuiare [illegible] tertius remittere ipsi peccata, si sit in peccatis; quos [illegible] fectus adhuc confirmat, & magis declarat Tridentinum *loc. cit. sess. 14.* nam postquam in procemio dixit, sacram [illegible] ctionem esse firmissimum præsidium contrà versutias, & tentationes Diaboli, qui tempore mortis maximè vigilat [illegible] animas nostras deuoret, deindè in cap. 2. ait quod *Vnctio [illegible] delicta, si quæ sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleuiat, & confirmat, magnam [illegible] diuinæ misericordiæ fiduciam excitando, qua infirmus [illegible] tur, & morbi incommoda, & labores leuius fert, & tentationibus Dæmonis calcaneo insidiantis faciliùs resistit;* ità [illegible] cilium, & tandem post numeratos effectus spirituales [illegible] virtute huius sacramenti ægrotus recipit, ità concludit [illegible] *sanitatem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit [illegible] sequitur,* ac posteà can. 2. repetit rursus, & confirmat sacram vnctionem conferre gratiam, peccata remittere, & alleuiare infirmos. Ex quo patet duplicem esse huius sacramenti effectum, alterum spiritualem, quem causat in anima, & [illegible] semper confert obicem non ponenti, alterum materialem, quem interdum causat in corpore, & non nisi quando [illegible] mæ saluti id expedit; quod etiam Florentinum expressit loco citato, quando dixit, quod huius sacræ vnctionis [illegible] *ctus est mentis sanatio, & in quantum expedit ipsius etiam* 62 *corporis.*

Hos itaque sacræ vnctionis effectus Theologi adhuc [illegible] gis explicare volentes ad quinarium reducunt numerum [illegible] Primus effectus illis communis cum alijs sacramentis [illegible] gratia sanctificans, vt suprà dictum est. Secundus est spe[illegible] gratiæ auxilium, tùm ad superandas tentationes in articulo mortis occurrentes; tùm ad spem, & confidentiam faciliùs [illegible] & firmius in Deum erigendam, tùm tandem ad mor[illegible] mortis [illegible]

mortis molestias cum maiori patientia ferendas. Tertius est remissio peccatorum venialium primariò, & per se, vt ex supracitatis Apostoli, & Concilij verbis, & ex ipsa sacramenti formæ colligitur. Quartus est remissio peccatorum etiam mortalium, secundariò tamen, & per accidens, si quæ fortè habet infirmus, quæ habere se bona fide, & inuincibiliter ignoret, vt infrà explicabitur. Quintus denique est abstersio reliquiarum peccati, vt expressè docet Concil. Trident. *citat. cap.* 2. quarum quidem peccati reliquiarum nomine quid sit intelligendum non omnes conueniunt, communiter tamen cum D. Thoma *4. dist.* 23 *quæst.* 1. *art.* 2. intelligunt animi languorem, torporem, mærorem, tristitiam, fastidium, anxietatem, & alias similes prauas affectiones, quæ ex peccatis præteritis, eorumque recordatione oriri solent, & peccatorem in desperationem inducere; & hæc diuisio spectat ad effectus spirituales, quos hoc sacramentum in anima causat, non ad materialem sanitatis corporalis. De his igitur extremæ vnctionis effectibus disputant Scholastici, quinam sit eorum magis principalis, & præcipuus, & propter quem primariò, & principaliter fuit hoc sacramentum à Christo Domino institutum, quia in re variæ sunt opiniones, & vt dici solet, quot capita, tot sententiæ.

63 Prima, & satis communis inter Thomistas sententia est, hoc sacramentum non fuisse primò, & per se institutum ad tollenda peccata, sed potiùs ad abstergendas peccatorum reliquias, seù ad tollendum ea, quæ ex peccatis relinquuntur, nam hæc propriè dicuntur reliquiæ peccatorum; hæc autem est animi infirmitas, seù torpor, & difficultas ad benè operandum, quæ per hoc sacramentum tollitur, quod propterea appellatur spiritualis animæ sanatio, seù medicatio, sicut baptismus spiritualis animæ regeneratio, pœnitentia spiritualis resurrectio à morte peccati; Vndè colligunt hoc sacramentum per se supponere vitam in ipso suscipiente, sicut medicina supponit vitam in infirmo; cæterum per accidens conferre etiam posse vitam spiritualem gratiæ, sicut & reliqua sacramenta viuorum, si in suscipiente obicem non inueniat; ità Diuus Thomas *loc. citat.* & cum eo Thomistæ omnes, licet adhuc non satis inter se conueniant in explicando, quæ sint hæ reliquiæ, & qualiter tollantur; nam præter animi torporem, & difficultatem ad benè operandum, aliqui intelligunt peccata siuè mortalia, siuè venialia, quæ non sunt remissa per alia sacramenta, alij contendunt esse reatum pœnæ temporalis relictum ex culpis remissis, & alij prauos habitus ex frequentia peccandi acquisitos.

Secunda opinio docet effectum proprium, & primarium huius sacramenti esse cõfortare animam infirmi contrà difficultates, & tentationes in articulo mortis occurrentes quibusdam diuinis auxilijs ad hoc specialiter ordinatis; consequenter verò, non quidem merè per accidens, sed aliquo modo per se, non tamen ex primaria, sed ex secundaria intentione, esse remissionem omnis culpæ tàm mortalis, quàm venialis, nec non reatus pœnæ ex peccato relictæ, modò in subiecto non sit obex, quod est quando ægrotus hoc sacramentum suscipit cùm peccato inuincibiliter ignorato, ità Suarez, Henriq. Coninc. Becanus, Laym. & alij Recentiores. Tertia opinio asserit hoc sacramentum per se institutum esse ad remittenda ea peccata, siuè mortalia, siuè venialia sint, quæ non sunt per alia sacramenta remissa; nec non ad excitandum, & roborandum animum infirmi, & ad patienter tolerandas difficultates morbi, tentationesq; superandas in articulo mortis occurrentes, etsi expedierit etiam ad corporalem sanitatem conferendam; ità Cardinalis Bellarminus lib. de sacramento extremæ vnctionis *c.* 8. Auersa *quæst. vn. sec.* 6. & Amicus *disp.* 19. *sec.* 6. Quarta opinio docet effectum primarium huius sacramenti esse remissionem peccatorum venialium, ità D. Bonauentura, Alensis, Ricardus, Aureolus, Maior, Gabriel, Altisiodorensis, Durandus, Carthusianus, Scotus cum suis, & ferè omnes Theologi veteres, quam proindè sequitur etiam Nauarrus in Summa *cap.* 22. & appellat communem; & planè si explicetur, vt Scotus eam declarat *loc. cit.* qui non dicit simpliciter hoc sacramentum esse institutum pro remissione venialium peccatorum, sed pro finali remissione eorum, certissima est, quia talis venialium remissio, non nisi huic sacramento conuenire potest; Adhuc tamen apud citatos Doctores aliquod discrimen est circa modum huiusmodi remissionis venialium, nam aliqui docent hoc sacramentum venialia remittere, inquantum excitat ad eorum detestationem formalem, vel virtualem. Alij dicunt remitti virtute huius sacramẽti etiam immediatè sine vlla dispositione, quod magis est veritati conforme, & principijs nostri Doctoris, vt patebit in explicanda nostra sententia.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæstionis Resolutio.

PRo quæstionis resolutione Primò dicendum est tres esse 64
huius sacramenti effectus à Diuo Iacobo *loc. citat.* insinuatos; Vnus est dimissio peccatorum venialium in extremo vitæ periculo, vndè sacramentum hoc non est institutum absolutè ad peccata venialia dimittenda, sed ad illa dimittenda in extremo vitæ, ne sint impedimentum retardatiuum gloriæ consequendæ; ità Scotus noster *dist.* 23. *citat.* vbi non dicit simpliciter hoc sacramentum esse institutum pro remissione venialium, sed pro finali eorum remissione, & congruentiam institutionis huius sacramenti pro tali effectu assignat, quia congruum erat, quod Viator excessurus ex hac vita à venialibus peccatis finaliter absolueretur, quia ista non remissa esset impedimentum gloriæ consequendæ, in extremo autem vitæ nemo ferè est, qui peccatis venialibus non sit oneratus, quia hæc quasi continuò committimus; in hoc igitur sensu dicimus proprium effectum huius sacramenti esse remissionem venialium. Alter effectus huius sacramenti est alleuiatio mœroris, torporis, ineptitudinis, & languoris ad operandum bonum, quem effectum significauit D. Iacobus illis verbis, *& alleuiabit eum Dominus*; & iste effectus sequitur ex præcedenti, nimirum ex collatione gratiæ, vt habet annexam venialium remissionem, illi enim erant effectus peccatorum venialium, quibus ablatis infirmus vigoratur, & hilarescit, & fiducia diuinæ misericordiæ in eo excitatur, qua facilius Dæmonis tentationibus resistit; licet enim peccata venialia gratiam non auferant, ardorem tamen charitatis minuunt, & refrigerant, & sunt dispositiones ad mortale peccatum, nisi deleantur; ideò valdè congruum fuit per hoc sacramentum infirmum in periculo vitæ constitutum ab his peccatis liberare, vt magis strenuus euadat in agone illo ad tentationes Dæmonis superandas; Vltimus tandem effectus, qui nec semper sequitur, est sanatio corporis ab infirmitate, quam Deus, si expedit saluti animæ, confert ipsi infirmo; quem etiam indicauit D. Iacobus illis verbis, *oratio fidei saluabit infirmum*.

Hos tres eosdem effectus, & hoc eodem ordine recenset, & confirmat Tridentinum *sess.* 14. *cap.* 8. verbis suprà relatis ab initio quæstionis, quod *Vnctio delicta si qua sunt adhuc expianda, ac peccati reliquias abstergit, & ægroti animam alleuiat, & confirmat &c. & sanitatem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit, consequitur*. Nec refert, quod i
uerso ordine hos effectus D. Iacobus significauerit, & v
mo loco remissionem peccatorum posuerit, nam pon
vltimo loco tanquam finis, ad quem reliqua ordinant
sicut etiam posteriori loco recensetur sanitas mentis, q
corporis, cùm tamen illa sit finis huius, & principali
tenta, Vndè Apostolus præfatos tres effectus recen
incipit à leuiori, cùm dicit, *oratio fidei saluabit infir*
deindè addidit secundum, cùm dixit, *& alleuiab*
Dominus, & tandem adiunxit principalem, & pri
ter intentum, qui est remissio peccatorum, *& si in*
erit, dimittentur ei; Et ad hos tres effectus reducu
superius enumerati, nam speciale gratiæ auxilium
randas tentationes in articulo mortis occurrentes
tur in secundo effectu recensito, nempè in Infir
tione; ac etiam peccati reliquiarum abstersio,
ror, torpor, & languor ac benè operandum su
peccatorum venialium, vt dicebamus, & proi
torum reliquiæ dici possunt, quibus ablatis inf
ratur, & roboratur ad tentationes superanda
mortis occurrentes.

Et quidem nisi nomine reliquiarum peccati
mus, difficulter defendi potest earum abster
huius sacramenti effectum; Nam si per huius
intelligamus cum quibusdam peccata ex o
confessa, quæ ideò peccatorum reliquiæ vo
omnibus peccatis commissis, & confessis r
est bona doctrina, nec recta locutio, qui

eli[illegible] reliquiæ dicuntur ipsa peccata mortalia, aut venia[illegible] non confessa, aut de nouo commissa, quia ap[illegible] expressè distinguit inter peccata, si quæ sunt [illegible] reliquias peccatorum; Tum quia peccatum ex[illegible] obliuione inculpabili non confessum per confess[illegible] antecedentem fuit saltem indirectè remissum, siqui[illegible] omnia peccata lethalia fuere simul per confessio[illegible], vel nullum, cum vnum peccatum mortale sine [illegible] i nequeat, si autem sit sermo de venialibus, illa [illegible] materia necessaria pœnitentiæ. Si verò cum alijs no[illegible] reliquiarum peccatorum intelligamus reatum pœnæ [illegible] relictum ex peccatis quoad culpam, & pœnam [illegible] remissis, nec etiam benè diceretur, quia talis pœna [illegible] tollitur, nisi vel hic in via per pœnitentiæ satisfactionem [illegible] aut in altera vita per passionem Purgatorij, [illegible] est Tridentino *sess.* 14. c. 8. & 9. Tandem si nomine [illegible] reliquiarum peccati intelligamus cum alijs prauos habitus [illegible] peccatis commissis relictos, iam experientia patet virtute [illegible] huius sacramenti tales habitus non deleri, vt patet in conua[illegible] lescentibus. Restat ergo, vt nomine reliquiarum peccati [illegible] commodius intelligi nequeat quàm prædictus mœ[illegible] r, torpor, & languor ad operandum bonum, quæ solent ef[illegible] effectus peccatorum venialium modo iam explicato, & [illegible] verè reliquiæ peccatorum, dici possunt, quæ tolluntur [illegible] secundum effectum huius sacramenti, nempè alleuiatio[illegible] item infirmi, quatenus humana mens redditur illa hora ex[illegible] trema promptior, & clarior, vt ad Deum feruentius tendat, & ad resistendum Dæmonum insultibus, & tandem ad exer[illegible] cendum diligentius, & promptius actus virtutum infusarum Fidei, Spei, & Charitatis.

[illegible] Secundò dicendum est, quod licet sit proprius, & peculia[illegible] huius sacramenti effectus animum roborare infirmi qui[illegible] etiam specialibus auxilijs contrà difficultates, & tentatio[illegible] nes in articulo mortis occurrentes, non tamen est effectus [illegible] principalis, & principaliter intentus. Hæc statuitur contra [illegible] primam, & secundam sententiam, quæ in tali confortatione, & roboratione animi effectum præcipuum, & principalem [illegible] huius sacramenti ponebant; & probatur, quia effectus primarius cuiuslibet sacramenti est gratia habitualis cum aliquo effectu sibi connexo, qui statim absoluta materia, & forma confertur, vt patet ex communi doctrina de effectu sacramentorum, sed alleuiatio animæ contra difficultates ex tentationibus Dæmonis in articulo mortis occurrentes, fit per gratiam actualem, qua mediante excitatur anima, & hilarescit per lætitiam spiritualem, & diuinæ misericordiæ fiduciam, vt patet ex Concil. Trident. cit. quod hunc effectum in talem excitationem refert docens modum, quo alleuiatur anima.

Confirmatur, quia ille censendus est effectus primarius sacramenti, quem forma ipsa sacramentalis significat, cum sacramenta nouæ legis efficiant, quod significant, & eorum significatio cum ipsa causalitate recurrat; sed quamuis hæc animi confortatio, & roboratio sit verus, & proprius huius sacramenti effectus, vt supradictum est, tamen per formam huius sacramenti talis effectus non exprimitur, sed peccatorum remissio, vt constat ex illis verbis *Indulgeat tibi Deus quidquid deliquisti, &c.* seu *parcat*, [illegible] effectus primarius sacramenti est certus, & infallibilis, & [illegible] sacramentorum nouæ legis in genere; sed vt infrà di[illegible] [illegible] vnctio [illegible] etiam confertur, qui amiserunt [illegible] in quibus pro eo statu nulla excita[illegible] effectus primarius huius sacramenti esse non potest, [illegible] secundarius.

Tertiò dicendum est, effectum primarium huius sacramenti esse [illegible] remissionem omnium venialium per se, [illegible] verò non nisi per accidens, vt posteà dicemus. Hæc conclusio est Scoti loc. cit. [illegible] quàm fusè probant Faber, [illegible] Hiquæus, & alij Scotistæ, cui [illegible] Concil. Trident. *sess.* 14. *cit. cap.* 2. *& can.* 2. vbi [illegible] & præcipuum huius sacramenti effectum statuit [illegible] remissionem peccatorum, secundum verò, ac veluti ex hoc [illegible] recenset alleuiationem animæ per excita[illegible] [illegible] in diuina misericordia; Hoc idem colligitur [illegible] sacramentali extremæ vnctionis, quia forma [illegible] exprimit primarium illius effectum, [illegible] expressè est in significando; sed remissio pec[illegible] [illegible] exprimitur per formam, quam vtitur Ecclesia Romana, & Græca, vt supra dictum est; ergo hæc est primarius [illegible] huius sacramenti effectus. Quod autem talis remissio sit per se, & ex vi institutionis huius sacramenti venialium tantùm, non verò mortalium, expressit Cathecismus Romanus de hoc Sacramento dicens; *Docebunt igitur Pastores, huic sacramento gratiam tribui, quæ peccata, & in primis leuiora quæ exitiales enim culpæ Pœnitentiæ sacramento tolluntur; Neque enim hoc sacramentum primario loco ad grauiorum criminum remissionem institutum est; sed Baptismus tantùm, & Pœnitentia vi sua hoc efficiunt,* quæ verba idem sonant, quod ex opere operato; Non ergo per se, & primariò peccata mortalia hoc sacramento delentur, quia hæc per se spectant ad sacramentum Baptismi, & Pœnitentiæ, sed tantùm secundariò, & per accidens modo inferius explicando, vndè, & Rituale Romanum prohibet hoc sacramentum dari peccatori manifesto, nam mortalia supponuntur per sacramentum confessionis remissa, & suscipiens hoc sacramentum supponitur esse in statu gratiæ; ergo remissio peccatorum, quæ dicitur esse huius sacramenti effectus primarius, & præcipuus intelligenda est primariò de venialibus. 69

Itaque ex Concilio Tridentino, & forma extremæ vnctionis colligitur dari gratiam remissiuam peccatorum tanquam effectum primarium, & immediatum huius sacramenti; & in Catechismo Romano declaratur illa peccata per hoc Sacramentum remittenda primariò, & per se intelligi debere venialia, non autem mortalia, quia hæc per se spectant ad alia antecedentia sacramenta Baptismi, scilicet, & Pœnitentiæ. Probatur etiam euidenti ratione, quia si effectus per se huius sacramenti esset delere, non tantùm veniale finaliter, sed etiam mortale, vt tertia opinio asserebat; ergo infirmis per se hoc sacramentum ministrari posset non præmissa pœnitentia; consequentia patet, quia quodlibet sacramentum applicari potest in ordine ad proprium effectum per se eius; atque ità præmissa sola vnctione posset infirmo viaticum ministrari sine præuia Pœnitentia, quia ad fructum, & dignam Eucharistiæ sumptionem non requiritur, nisi status gratiæ, qui per sacramentum quoque extremæ vnctionis acquiri posset, si ad remissionem cuiuscunque peccati promiscuè per se institutum esset, siuè venialis, siuè mortalis; hoc autem est contrà determinationem Ecclesiæ, & Trident. *sess.* 13. *cap.* 7.

Confirmatur, quia sola Pœnitentia est per se instituta, vt secunda tabula post naufragium, per quam saluari potest peccator à mortalibus, qua ratione D. Augustinus sub finem vitæ ità pœnitentiam commendauit, vt diceret neminem ex hac vita egredi debere sine pœnitentia, quantumlibet sanctè vixerit, neque vllibi legitur dari aliquam tertiam naufragij tabulam inter sacramenta; & ad reuerentiam, & vtilitatem huius sacramenti sufficit, vt per accidens, & secundariò possit etiam mortale remittere modo infrà explicando. Deniquè idem expressè deducitur ex forma huius sacramenti, & modo quo ministrari solet infirmis; etenim peccata mortalia sunt in remissione connexa, & nequeunt remitti, nisi simul; impium enim est dimidiatam à Deo veniam expectare; in hoc sacramento ad singulas partes determinatas iteratur tam vnctio, quàm forma, quæ est deprecatiua remissionis peccatorum, & in singulis partibus completur tam vnctio, quàm forma in suo sensu sacramentali; ergo ex tali modo ministrandi hoc sacramentum satis intelligitur formam verificari præcisè quoad ea peccata, quę remissione non sunt connexa, qualia sunt venialia, aliàs non deberet proferri forma seorsim, donec vnctio in omnibus partibus compleretur, vt benè discurrit Hiquæus *d.* 23. *quæst. vn. n.* 57. Itaquè quia post susceptæ præcedentia sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ solent potius in homine inueniri venialia, quàm mortalia, [illegible] quidem illa faciliùs, & passim de nouo committuntur, & frequentius occurrit, vt per hoc sacramentum venialia remittantur: & quia non tenetur homo cōfiteri venialia, siquidem mortalia, siquidem illa, quamuis sint materia sufficiens confessionis, non tamen necessaria, ideò potest per se, ac sciens intendere consequi remissionem venialium per hoc sacramentum, non autem mortalium quorum omninò tenetur [illegible] antè huius sacramenti susceptionem sacramentalem absolutionem accipere per sacramentum pœnitentiæ.

Quartò dicendum est, hunc effectum, scilicet, finalem remissionem venialium causari ab hoc sacramento ex opere operato, dummodò suscipiens per complacentiam in peccatis obicem non ponat. Hæc assertio probatur ex parte aliorum

aliorum sacramentorum, sicut enim cætera sacramenta causant suos effectus ex opere operato, ità & hoc suum proprium, & primarium effectum causare debet; Imò sicut congruum fuit, quod baptismus in pueris ità ex opere operato suum causaret effectum immediatè, scilicet, ablutionem ab originali, vt nulla ex parte subiecti requireretur dispositio ratione infantilis ætatis; ità seruata proportione idem asseri debet de hoc sacramento, cum possit conferri Phræneticis, & qui actualem vsum rationis non habent, dummodò illum aliquando habuerint, & obicem non posuerint; & hoc etiam resultat in maiorem Dei misericordiam, & maximum infirmi commodum, quia actus multos cum magno labore exequi deberet, & conari ad reminiscendum peccata, ac illa detestari. Hinc sacramentum extremæ vnctionis in eo præsertim à pęnitentia discriminari solet, quoniam essentia huius sacramenti non pendet ex actibus suscipientis, sicut sacramentum Pœnitentiæ; nam dolor de peccatis in sacramento pœnitentiæ requiritur, vt pars essentialis sacramenti, & sine quo non fieret sacramentum; At in sacramento extremæ vnctionis, vel nullo modo requiritur, vt quando subiectum nullum habet peccatum, vel si habet, non est rationis compos; vel ad summum requiritur, vt dispositio ad consequendum sacramenti effectum, quando quis accedit cum aliquo peccato inuincibiliter ignorato, vel ad cuius remissionem pęnitentiæ sacramentum applicari non potest ob ingentem sensuum ægrotantis destitutionem. Hinc supra dicebamus circà modum remissionis peccatorum venialium per hoc sacramentum rectiùs discurrere, qui dicebant immediatè remitti virtute huius sacramenti sine vlla dispositione præuia, quàm qui dicebant per hoc sacramentum venialia remitti, inquantùm excitat ad eorum detestationem formalem, vel virtualem.

Dices, asserere hoc sacramentum venialia immediatè remittere, nulla ex parte subiecti dispositione requisita, est contrà consuetum modum remittendi peccata personalia, quæ sicut propria voluntate committuntur, ità absque proprio actu retractatiuo peccatoris non remittuntur.

Respondeo hoc totum verificari, quando peccata remitti debent per sacramentum penitentiæ, quod est sacramentum iudiciale, & per modum iudicij exercetur, hac enim ratione ex actibus suscipientis essentialiter dependet; non verò quando peccata remittuntur per sacramentum extremæ vnctionis, quod est medicinale, & per modum medicinæ exercetur; Vndè etiam in infirmo rationis compote aliam dispositionem Summistæ communiter non requirunt ad hoc sacramentum fructuosè recipiendum, quàm votum illud recipiendi, & in phrænetico, quod tale votum præcesserit, quando ratione vtebatur; Et tandem iam diximus *disp.* 5. de pœnitentia quæst. 9. de remissione venialium art. 1. & 2. *nu.* 250. & 257. quod licet attritio necessariò prærequiratur ad consequendam absolutionem mortalium, ac etiam venialium, quando sunt cum mortali coniuncta; tamen quando sunt separata, vt accidit in homine iusto, qualis supponitur esse hoc sacramentum suscipiens, talis dispositio non esse necessaria ad tollendum obicem, vt sacramentum eorum absolutionem influere possit, sed sufficere potest etiam aliqua minor dispositio, vt actualis non complacentia de talibus peccatis, & voluntas recipiendi effectum remedij, quod assumit, hæc enim censetur quędam virtualis detestatio peccati, dum homo vult eius medicinam assumere.

71 Quintò tandem Dicendum est, quod licet hoc sacramentum non sit remissiuum mortalium per se, & ex vi propriæ institutionis, adhuc tamen illa per accidens, & secundariò remittere potest, accedente dispositione congrua, & bona fide suscipientis. Ità Doctor *dist.* 23. sub A. vbi explicans illud Iacobi 5. *Et si in peccatis est, remittentur ei*, ait, quod hoc non intelligit de mortalibus, quia hæc non remittuntur, nisi in Baptismo, vel Pœnitentia, sed de venialibus; & ità sentiunt ibidem Scotistæ omnes, & præsertim Almainus, qui dicit hoc sacramentum per se institutum esse ad remissionem finalem venialium, de per accidens tamen extendi quoque ad remissionem mortalium; & sic etiam loquuntur communiter alij Theologi, quos citat, & sequitur Gamacheus, & Abellius *cap.* 6. de extrema vnctione *sec.* 3. vbi ait, quod etiam remissio peccatorum mortalium est effectus huius sacramenti, si quæ fortè habet infirmus, quæ habere se bona fide, & inuincibiliter ignoret, quamuis enim sacramentum hoc ex primaria Christi institutione secundam tantummodò gratiam, idest, gratiæ sanctificantis augumentum conferat, supponatque hominem à peccato mortaliter sacramentum pœnitentiæ, aut perfectam contritionem iam purgatum; nihilominus secundariò etiam, & per accidens primam interdum gratiam conferre potest, & peccata mortalia delere, si fortè confessio sacramentalis nulla, & inualida fuit, & alias infirmus se in statu peccati mortalis esse inuincibiliter ignoret, & de illis saltem in genere attritus sit; & hoc satis apertè colligitur tùm ex præcitatis D. Iacobi verbis, *si in peccatis sit, remittentur ei*, tum ex illis Conc. Trid. *cap.* 2. *Delicta, si quæ sint adhuc expianda abstergit*, tum denique ex ipsius formæ verbis, *Indulgeat Dominus quicquid peccasti*, cùm enim hæc verba sint indefinita, ac sine vlla restrictione, de peccatis etiam mortalibus intelligi possunt modo iam explicato, nempè secundariò, & per accidens.

Hoc etiam significauit D. August. *serm.* 215. de tempore, vbi ait, quod *quoties aliqua infirmitas superuenerit, corpus, & sanguinem Christi ille, qui ægrotat, accipiat, & deinde corpus suum vngat, vt illud, quod scriptum est, impleatur, qui infirmatur, inducat Presbyteros Ecclesiæ, qui vngant eum*; in quo discursu supponit S. Doctor, quod Eucharistiæ receptio sit præuia susceptioni extremæ vnctionis; cum ergo Eucharistiæ receptio gratiam in anima supponat, cum sit sacramentum viuorum, idem pariter de extrema vnctione dicendum erit, & per consequens directè, & per se dicetur esse sacramentum viuorum, ex accidenti tamen, ac veluti indirectè poterit dici quoque remedium, & antidotum mortuorum, vt de alijs quatuor sacramentis suo loco dictum est; & hoc etiam Doctor noster expressit *loc. cit.* sub B. dùm inquit, quod nullus est capax istius sacramenti dignè, nisi sit in gratia, illud enim sacramentum non est remedium acquirendi gratiam, quia ad hoc sunt tantum Baptismus, & Pœnitentia; quibus verbis significat Doctor hæc tantùm duo sacramenta per se esse sacramenta mortuorum, idest, existentium in peccato mortali, quod per se, & directè remittunt, alia autem quinque indirectè solùm, & per accidens, quatenus, scilicet, gratia habitualis, quam causant in ratione sacramenti, & peccatum mortale sunt simul incompossibilia.

Resp. Recentiores oppositum tenentes, hoc esse discrimen inter hoc sacramentum, & alia viuorum, nam etiamsi hoc per se sit sacramentum viuorum, & respectu peccatorum, quæ sunt in conscientia pœnitentis, requiratur confessio, vel saltem putata contritio; est tamen per se institutum quoque ad remittenda peccata, vel ab alijs sacramentis non remissa, eo quia inualidè quidem, sed inculpabiliter fuere suscepta, vel post illorum susceptionem de nouo commissa, inuincibiliter tamen ignorata; Et licet hanc etiam vim habeant reliqua sacramenta viuorum, non tamen illam habent ex vi suæ primariæ institutionis, sed tantùm secundariæ, & per accidens, neque ea certitudine, & infallibilitate, quàm habet hoc sacramentum. 72

Sed planè aperta mihi videtur contradictio dicere, quod hoc sacramentum directè, & per se peccata remittat, & quo ea tantùm remittat, quæ inculpabiliter ignorantur; nam hæc semper remittuntur per accidens ratione gratiæ, quam sacramenta propria virtute conferunt suscipienti, obicem non ponenti, ob eius incompossibilitatem cum peccato; vndè reuera quoad hoc nullum video esse discrimen inter hoc sacramentum, & reliqua viuorum nam etiam hæc alia conferendo gratiam obicem non ponenti, secundariò, & per accidens remittunt per illam peccata inculpabiliter ignorata ratione suæ incompossibilitatis cum illis; & planè si hoc sacramentum ad remittenda peccata etiam mortalia per se primò institutum esse, vt Recentiores contendunt, semper, & necessariò aliquis dolor ex parte recipientis ipsum præcedere deberet, cum absque dolore nulla peccata mortalia remittantur, etiam inculpabiliter ignorata, constat autem ex proximè dictis nullum dolorem debere necessariò hoc sacramentum; seu eius susceptionem præcedere, vt constat quando illud phræneticis ministratur.

Resp. rursus Amicus *disp.* 19. *sec.* 7. negando assumptum quia non repugnant simul remittere peccata inculpabiliter ignorata, & ea remittere per se, nam potuit aliquod sacramentum vi suæ primæ institutionis ordinari ad hunc effectum; atque ideò potuit talem effectum per se conferre nam per se aliquam effectum causare est vi suæ prim

causandum ordinari; Vndè ait non esse ...i de cæteris sacramentis viuorum, quoniã vi primariæ institutionis suæ ordinata ad ...ta delenda; sed tantum per accidens, quate- ...æ institutionis sunt ordinata ad conferen- ...m gratiæ subiecto obicem non ponenti; quia ...ibiliter ignorat se esse in peccato, obicem ...equenter recipit gratiam, quæ quia cum pec- ...: non potest, illud expellit, ac proindè talis gra- ...s in tali subiecto est prima; At verò hoc sacra- ...rimaria sua institutione ordinatum est ad de- ...etiam mortalia inculpabiliter ignorata, & quę ...nt per alia sacramenta remitti, quia inualidè et inculpabiliter: Et addunt aliqui hanc senten- ...agis piam, & in diuina misericordia fundatam, ...ommendare efficaciam, & vtilitatem huius sa- magisque homines inducere ad eius receptio-

...a hoc totum gratis dicitur, & non sine manifesta petitione, hoc enim est, quod hic quærimus, & ...ius, an præter Baptismum, & Pœnitentiam sint alia ...nta per se, & primò instituta pro deletione morta- non tantum eorum, quæ sunt in conscientiæ pecca- ...d etiam inculpabiliter ignoratorum; Et hoc est, quod ...stanter negamus, cùm in Scripturis, & Patribus le- ...s hæc tantùm duo esse sacramenta mortuorum, & per ...i propriæ institutionis ad primam gratiam conferen- ...stituta, neq; vnquam legimus dari aliquam tertiam ...agij tabulam: Neque necesse fuit pro remissione pec- ...um inculpabiliter oblitorum aliquod aliud sacramentũ ...uere, & ad eorum remissionem per se primò ordina- ...quia ad eorum deletionem sufficiunt sacramenta viuo- ...per accidens, & secundariò modo iam explicato; & pro ...um remissione finali sufficiens erit eodem modo sacra- ...ntum extremæ vnctionis, absque eo quod asseratur hanc ...habere ex primæua sui institutione: hoc enim, vt dixi- ...s, est sacramentum per se viuorum, & remissiuum dun- ...at venialium, & ex vi institutionis suæ conferri debet su- ...ecto in statu gratiæ existenti, licet per accidens possit in ...ibusdam casibus conferri subiecto in statu peccati existen- ...e cum inculpabili tamen ignorantia, in quibus casibus talis ...ratia virtute huius sacramenti collata infirmo erit per ac- ...idens prima, quia ratione talis ignorantię nõ ponitur obex, siquidem inuincibiliter ignorans se esse in peccato obicem non ponit, & consequenter gratiam recipit, quæ illud statim expellit. Cum igitur hoc sacramentum efficaciam non habeat ex propria institutione ad delendum mortale, sed solum veniale, illud delere non potest, nisi per accidens, accedente bona fide suscipientis, eo modo, quo cætera sacramenta, quæ dicuntur viuorum, illud tollunt. Neque vrget, quod alij addebant oppositam sententiam esse magis piam, magisque commendare efficaciam, & vtilitatem huius sacramenti; non enim ità debemus commendare efficaciam eius, vt contemnamus media salutis necessaria, qualis est pœnitentia pro remissione mortalium, neque præsumendum est de diuina misericordia vltrà regulas à Scripturis, & Concilijs præscriptas, in quibus media salutis necessaria expressè disponuntur; Et denique ad efficaciam, & vtilitatem sacramenti huius sufficit, vt saltem per accidens, & secundariò peccata etiam mortalia, inuincibiliter tamen ignorata, remittere possit, vt faciunt alia sacramenta viuorum, & per hoc sufficienter prouisum est necessitati infirmorum in extremo vitæ cursu.

74 Adhuc tamen fatendum est hunc effectum remittendi peccata etiam mortalia inuincibiliter ignorata, aut per præcedentia sacramenta non remissa, certiorem esse in hoc, quam in alijs sacramentis viuorum, quia de cæteris est tantùm probabilis coniectura, de hoc autem testimonium habemus expressum in verbis Scripturæ, in textu Conc. Tridentini, & in significatione formali eiusdem. Vnde qui aliàs circa hunc effectum dubitant de Confirmatione, Eucharistia, & alijs sacramentis viuorum, in quibusdam casibus ... gratiam primam conferre, & aliquando etiam mortalia peccata delere si quæ forte in reliquijs ... inculpabiliter ignorata; & aliqui dicunt non solum per accidens, vel ex connotatione sacramenti, sed etiam per se, & ex sua propria institutione habere vim remittendi culpam ipsam, & consequenter primam,

iustificationis gratiam, imò hunc effectum esse non secundariò solùm, sed primariò quoque intentum, quæ opinio sua probabilitate non caret, esto oppositam sequamur, vt magis de mente Doctoris. Dices hinc sequi non esse necessariam confessionem, seù pœnitentiæ sacramentum. Negatur consequentia, nam si infirmus sciat se esse in peccato mortali tenetur confiteri, si potest, aut saltem tenetur habere contritionem, si copiam Confessarij non habet, nec sufficit sacramentum extremæ vnctionis; Si autem ob morbi vehementiam, & capitis turbationem nesciat se esse in peccato mortali, vel si hoc quidem sciat, adhuc tamen bona fide se esse contritum putat, cum tantùm sit attritus, tunc vltrò concedimus hoc sacramentum sufficere, nec necessariam esse confessionem, nisi in voto, si reipsa haberi non potest.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Aduersariorum obiectionibus occurritur.

IN oppositum Primò obijciunt Thomistæ, hoc sacramentum non esse principaliter institutum ad tollenda peccata venialia, quia sacramenta nouæ legis primò instituta sunt ad conferendam gratiam habitualem; ergò nullum primariò institutum est ad tollenda venialia, quia ad hæc tollenda gratiæ habitualis infusio non requiritur. Confirmatio quia si hoc sacramentum ad hunc finem per se primò institutum esset, opus non esset tempus infirmitatis expectare ad illud recipiendum; sed recipi deberet, quando multa sunt commissa peccata venialia: sicut sacramentum absolutionis tunc recipitur, quando multa sunt commissa mortalia, nec debet in his expectari periculum mortis. Tandem in mortis periculo potest applicari sacramentum pœnitentiæ, per quod omnia peccata perfectè tolluntur; ergò non est necesse aliud sacramentum ad hunc finem principaliter esse institutum; probatur assumptum, quia sacramentum pœnitentiæ, vt patet ex sua forma, ordinatur ad delendum tam peccatum mortale, quam veniale, quia licet peccatum veniale non sit materia propria, & necessaria sacramenti pœnitentiæ, est tamen materia sufficiens, & potest dimitti, & de facto dimittitur per absolutionem sacramentalem pœnitentiæ; non solent autem ad eundem effectum duo sacramenta per se institui. 75

76 Resp. negando consequentiam, ad cuius probationem dicendum est, quod licet veniale in via aliquando remittatur homini sine infusione gratiæ per alia media, v.g. per sacramentalia; nihilominus sępè etiam remittitur per infusionem gratiæ, vt patet in sacramento pœnitentiæ, quando hæc peccata sub confessione cadunt, aliquando etiam in Eucharistia; in termino autem vitæ, quo quis solùm diuinæ misericordiæ innititur, neque ad alia media remissionis venialium recurrere potest necessarium est hoc medium remissionis venialium, necessitate gloriæ statim obtinendæ, venialia namque in statu viæ sunt remittenda, quia locus remissionis peccatorum non est altera vita, in qua nullum est meritum ad remissionem acceptatum; neque in potestate est Ecclesiæ animabus purgantibus subuenire præter opera satisfactoria, & indulgentias, quæ tantùm respiciunt pœnæ remissionem, non culpę. Ad Conf. negatur rursus consequentia, quia finalis tantùm remissio peccatorum est obiectum huius sacramenti, non enim ait Scotus hoc sacramentum fuisse simpliciter, & absolutè institutum pro dimissione venialium, sed solùm pro extremo vitæ, in quo homo ob morbi vehementiam, & Diaboli tentationes magis vrgentes magis etiam eo tempore eget adiutorio Dei, & ideò valde conueniens fuit, vt præter alia remedia etiam hoc sacramentum institueretur pro venialium remissione, quod tantam dispositionem non requirit in suscipiente, quantam sacramentum pœnitentiæ quam Scoti doctrinam etiam Tridentinum confirmauit, quando dixit, hoc sacramentum esse præsidium pro fine vitæ, & esse sacramentum decedentium, & in eis abstergere, si quæ adhuc supersunt delicta; quibus verbis innuit eo tantùm tempore esse adhibendum. Ad vltimum, in primis assumptum non est vniuersaliter verum, quia ob morbi vehementiam interdum contingere potest, vt sacramentum pœnitentiæ adhiberi non possit, & ideò pro tali necessitate hoc aliud sacramentum fuit instituendum; deindè sacramentum pœnitentię peccatum mortale dumtaxat respicit, tanquam proprium, & per se obiectum eius, cum hoc tantum sit materia eius necessaria, veniale verò tùm

tùm per accidens, vndè etiam per sacramentum Eucharistiæ, & alia media remitti potest; quamuis autem effectus, qui per se primò alicui sacramento per se competit, alijs eodem modo competere non possit, alij tamen, qui per accidens, possunt alijs quoque competere; & sic est in proposito de remissione venialium, quæ per se conuenit huic sacramento in extremo vitæ applicando quatenus pœnitentiæ consumatiuum, vt Concila loquuntur, & Patres in hoc siquidem consumat extrema vnctio pœnitentiam, hoc enim est vnicum medium in eo statu ad remittenda venialia, quod non dependet à dispositione, seù actibus pœnitentis, cùm eos aliquando habere non possit, quia sæpissimè hoc sacramentum ministratur infirmi, qui non est integer sensu, nec sui compos, sicut ergo sacramentum esse efficax in eo casu, ità remittit venialia, quæ per nullum aliud remedium tunc remitti possunt.

77 Secundò arguunt, quia peccatum veniale est quoddam ligamen, & proindè eius dimissio non potest esse, nisi per quandam absolutionem sacramentalem; at in forma sacramenti extremæ vnctionis nullum est verbum, quod habeat figuram, absolutionis, ergo ex forma huius sacramenti non habetur quod culpam venialem dimittat. Confirmatur quia deletio venialium tribuitur vnctioni à Scoto ea præsertim ratione, infirmus retardetur ab ingressu cœli, dicit enim hoc sacramentum non esse institutum propter remissionem venialium secundum se, sed solùm quatenus impedimento esse possunt, ne statim homo recipiatur in Cœlum; at sub hac ratione non solùm peccatum veniale, sed etiam reatus pœnæ temporalis pro mortali luendæ in Purgatorio impedimentum est, ne homo statim recipiatur in Cœlum; ergò eadem ratione dicendum esset hoc sacramentum principaliter esse institutum ad remissionem quoque pœnæ temporalis, cùm sit impedimentum retardans gloriæ ingressum. Tandem, quia hac ratione sacramentum hoc in omni mortis periculo sumendum esset, quia idem finis; & ratio vrget etiam in periculo violento, quod tamen est falsum, non enim sumitur ab ijs, qui extremo supplicio afficiuntur, sed tantùm ab ijs, qui ex morbo decumbunt.

78 Resp. in primis negando maiorem, quod, scilicet, peccatum veniale absolutionem sacramentalem semper requirat, siquidem dimittitur etiam per sacramentalia, vt per aquam benedictam, & benedictionem Episcopalem; negatur etiam minor, nullam in forma huius sacramenti esse figura absolutionis, nam verbum illud *indulgeat tibi Dominus* significationem absolutionis, & liberationem à peccato expresè indicat; vndè *art. prec.* ea ratione præsertim probanimus hunc esse primarium huius sacramenti effectum, quia exprimitur per formam eius sacramentalem; Quod si quis objciat formam Ambrosianam, & Veterem, quæ nullius remissionis mentionem facit. Hoc etiam est omninò negandum, patet enim ex superius dictis æquiualenter facere mentionem in illis verbis, *Vt more militis præparatus ad certamen &c.* vbi designatur gratia significans tollens impedimentum peccati, ex qua conceditur gratia actualis, vt medium ad victoriam. Ad Conf. negatur paritas, non enim est eadem ratio de remissione pœnæ temporalis, & culpæ, illa namque non subest per se huic sacramento, sed pœnitentiæ, & operibus satisfactorijs, quæcunque illa sint, vndè qui tempore congruo his vsus fuerit, in extremo vitæ alio non eget remedio quoad hoc, ne retardetur ab ingressu Cœli, nisi hoc sacramento contra venialia; nam in eo statu non potest homo remouere impedientia Cęli ingressum per suos actus, & opera; Quod si adhibito hoc remedio pro remissione venialium in extremo vitæ adhuc alia remanent impedimenta ad Cœli ingressum, nempè reatus pœnæ temporalis in Purgatorio luendæ, hoc diuinæ prouidentiæ defectui adscribi non potest, sed sibi homo imputare debet, cum ea etiam impedimenta antea auferre potuisset per propria media à Deo instituta, nempè per opera satisfactoria pro deletione pœnæ temporalis instituta; Imò expediens fuit, vt notat Brancatus *disp. 11. art. 16.* vt vnctio non tolleret omnes pœnas temporales post culparum remissionem remanētes, quia homines huic adiutorio omninò fidētes nihil curassent agere fructus pœnitentiæ, vt à pęnis liberarentur, sed in socordia, & torpore viuentes earum deletionem ad hoc sacramentum in extremo vitæ remitterent. Ad vlt. argumentum si valet, etiam Aduersarios premit dicentes hoc sacramentum fuisse primariò institutum ad confortandum animum hominis ęgrotantis cōtrà difficult...

colligunt in illis Iacobi verbis, *& alleuiabit eum Dominus*; nam talis confortatio, & alleuiatio necessaria ... periculo mortis violento, & non tantùm naturali, ... vtroque pariter premunt, & vrgent Dæmonis tentationes, & mortis difficultates; Ratio itaque à priori, cur hoc sacramentum existenti in periculo mortis violento non ministratur, quamuis etiam tunc subsit Dæmonum tentationibus, & mortis difficultatibus est eius institutio; conueniens verò à posteriori est, vt notat Hiquæus *loc. cit.* est, quia tunc non grauatur eius libertas, per morbum, quin alia remedia adhibere possit sui plenè compos, & integer sensu; at infirmus corpore, ac infirmitate grauatus aliam habet dispositionem sensuum, phantasmatum, & vitium, quibus ob morbi vehementiam distrahitur, ideoque in tali statu, & periculo specialem requirit excitationem, & confortationem.

Tertiò arguunt, quia deletio venialium per hoc sacramentum non est absoluta, sed conditionata, vt constat ex illis Iacobi verbis, *& si in peccatis sit, dimittentur ei*; ergo non est effectus eius primarius, nam finis sacramenti principalis debet esse quid absolutum; & planè talis loquendi modus de venialium deletione si adsint, manifestè ostendit, quod ipsa non primò intenditur. Confirmatur, quia si hic esset primarius effectus, hoc sacramentum pluries nullitati exponeretur, quando, scilicet, non adessent venialia, & fuissent per præcedentia sacramenta remissa. Denique si hoc sacramentum est institutum, vt in exitu huius vitæ perfectè sanet hominem à venialibus sequeretur hoc sacramentum non esse ministrandum, nisi in extremo vitæ articulo, quia si vnus dies, vel vna hora supersit post eius susceptionem, poterit homo rursus venialiter peccare, & sic non perfectè sanaretur; nec sacramentum suum causaret effectum infallibiliter; Imò Minister semper maneret dubius, an illud ministrare debeat, quia non omnis infirmus periculo mortis expositus semper moritur, & hoc sacramentum talem suum effectum non poneret, nisi in morituro, nisi enim moreretur, non perfectè à venialibus sanaretur, quia rursus in illa incideret. 79

Respondetur negando assumptum, deletio enim venialium per hoc sacramentum est absoluta, & infallibilis, si adsint peccata; & sicut si diceremus, ignem comburere ligna, si adsint, hinc non sequitur ignis combustionem esse conditionatam, ità etiam discurrendum est in proposito; conditionatè autem D. Iacobus est locutus ad excludendum casum, quo infirmus antequam vngeretur fuisset à venialibus absolutus per sacramentum Pœnitentiæ, vel Eucharistiæ, aut alia sacramentalia; Et sic etiam communiter de quolibet sacramento dici solet, quod si adsit capacitas in subiecto, suum effectum producunt, nec ob id sequitur eorum effectum esse conditionatum, non absolutum. 80

Ad Confirmationem negatur consequentia, quia sacramenti validitas non attenditur tantùm penes effectum, quem actu causat in suscipiente, sed quem causare potest, si capacitas adsit, vndè Baptismum B. Virgini collatum non propterea dicimus inualidum, quia originale in ea non deleuit, cùm ab eo in sua Conceptione immunis fuerit, siquidem virtutem habebat delendi, si illud contraxisset; & gratiam de facto causauit illius remissiuam, vndè licet de facto originale non remiserit, non propterea nullitati expositus fuit; ità igitur dicendum est in proposito de extrema vnctione in ordine ad remissionem venialium, quod non propterea nullitati exponeretur, si venialia delenda non reperiret, quia adhuc virtutem haberet eorum remissiuam, si adessent, & quando etiam effectus hic negatiuus deletionis non poneretur, adhuc alij effectus positiui sequuntur scilicet, gratiæ augumentum, animi alleuiatio, & corporei sanitas, si animæ expediat; Et argumentum potest etiam retorqueri, nam effectus alleuiationis, & confortationis quem Aduersarij ponunt esse huius sacramenti primarium & principalem, non semper infirmo confertur, nimirum casu, quo infirmus vsum perdit rationis, & sensuum. Ad vltimum negatur vtraque sequelas, cum enim Concilia docent cum D. Iacob etiam corporis sanitatem esse huius sacramenti effectum, si animæ sit expediens, hinc clarè deducitur etiam in nō proximè morituro suos producere effectus quoties ergo ità decumbit ægrotus, vt Medicorum iudicio morti sit proximus, si hoc sacramentum ministratur ... venialium remissio, & cæteri effectus habentur, etiamsi ... infirmitate non debeat mors succedere, vt notat Beat...

…js esse soluendum, fieri enim potest de alijs …t, de gratia, mentis alleuiatione, abstersione …cati &c. nam ipsi quoque concedunt cum … infirmo in extremis posito sit dandum, vn… non moriatur, & rursus in peccata incidat, …ilitas, quomodo sacramentum in eo habuerit …fectè abstergendi peccatorum reliquias, quem …n ponunt principalem effectum.

…præterea obijciunt ad ostendendum, quod alle…mi, hoc est, erectio, & cõfortatio ipsius spe diuinæ …diç ad superandas morbi difficultates, & Dęmonis …es sit effectus primarius, & principalis huius sacra…am in sacramentis primarius effectus, & finis coin… sed finis huius sacramenti ex Conc. Trid. in prohæ…ipso est munire hominem firmissimo præsidio in fi… contrà Dęmonũ tentationes, qui tunc vehementius …ntur infirmis; ergò tale subsidium est effectus princi…ius. Conf. quia hoc sacramentum institutum est pro …s vsq; ad periculum mortis ægrotant; ergo est institutũ …ter specialem aliquam necessitatem, quę in tali articulo …urrat; nulla autem alia fingi potest, quam prædicta, nam …ipsum significat exterior vnctio, per oleum, cuius virtus …corroborare, & disponere luctatores ad pugnam. Demũ, …ia in omnibus alijs necessitatibus sufficienter prouisũ est …mini per alia sacramenta; ergo hoc sacramentũ debet esse …ro necessitate in articulo mortis, vt tunc non succũbat ho…no tentationibus; & ex his deducunt specialẽ gratiã sacra…nentalẽ huius sacramenti non cõsistere in sola remissione, …eù expulsione alicuius mali culpæ, aut pęnę, sed precipuè in collatione auxiliorũ gratię, quibus homo in tali casu iuuetur & corroboretur ad benè sperandi de misericordia Dei, ad hilaritatem animi cõcipiendam, & ad tẽtationes superãdas.

Resp. Poncius ex nostris *disp. 47. quæst. 3.* gratis concedendo solam finalem venialium remissionem non esse primarium, & principalem huius sacramenti effectum; sed talem effectum ait esse, liberare à venialibus, alleuiare infirmũ & curare infirmitatem eius, si sit animæ expediens, itaut quilibet ex his effectibus sit principalis, & primarius, sed inadæquatus effectus eius, quod ibi pluribus probare conatur, licet fateatur esse contrà communem Doctorum sententiam, qui vnum ex illis spiritualibus, tanquã primarium, & principalem agnoscunt, alios verò tanquam secundarios, & minus principales; Et quidem hic loquendi modus sicut est cõmunior, ità & melior, & magis consequenter ad ea, quæ in superioribus dicta sunt de alijs sacramentis, quia quodlibet sacramentum plures, & diuerso habet effectus, & quidem omnes per se intentos, & ex vi institutionis eorum, quos tamen omnes non appellamus primarios, & principales, sed vnũ primariũ, nempè illum, qui ex sẽsu primario, & expresso formæ exprimitur, alios verò secundarios, & minus principales, licet adhuc per se intentos; cùm enim sacramẽta nouę legis efficiant, quod significant, ille putandus est effectus primarius sacramenti, quem forma ipsa sacramentalis significat; Quare cùm in proposito per formam huius sacramẽti exprimatur remissio peccatorum, vt apertè constat ex illis verbis; *Indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti, &c.* non potest hic effectus esse secundarius, sed primarius, censeri debet; licet adhuc fatendum sit animi etiam roborationem, & confortationem esse proprium huius sacramenti effectum, & per se intentum ex vi institutionis eiusdem, neque aliud probant rationes allatæ; Vndè ad primam negandum est assumptum, nam etiam finis sacramentorum solet à Theologis distingui in primarium, & secundarium, licet vterque sit per se intentus, & ex vi institutionis sacramenti, & per finem primarium intelligunt illum, qui ex sensu primario, & expresso formæ colligitur; vndè licet Tridentin. *sess. 14. in* prohæmio dicat finem huius sacramenti esse munire hominem firmissimo præsidio in fine vitæ, non tamen exprimit esse finem primarium, sed solum innuere voluit esse finem per se intentum, & ex vi institutionis huius sacramenti; postea verò *cap. 2. & can. 2.* declarat primum, & præcipuum huius sacramenti effectum esse remissionem peccatorum, secundum verò, ac veluti ex hoc primo orientem recenset alleuiationem animæ per excitationem fiduciæ in diuina misericordia, vt dictum est *art. præc. num. 68.*

Ad Confirmationem negatur subillata minor, quia præter necessitatem illam adest alia remissionis peccatorum, quando adsunt, quæ est maior, cùm sæpius ex morbi vehementia alia non possint adhiberi remedia pro deletione venialium, quorum præsentia causat torporem, & languorem, ac difficultatem resistendi Dæmonum tentationibus in illo agone, remissio verò per hoc sacramentũ causat maiorem charitatis ardorem, & fiduciam in diuina misericordia, vndè effectus primarius trahit secum secundarium.

Mol. in Quar. Sentent.

Ad vltimum patet per idem, & gratis concedimus specialem gratiam huius sacramenti non consistere in sola remissione alicuius mali culpæ, aut pęnæ, sed etiam in collatione auxiliorum gratiæ, quibus homo roboretur contrà tentationes ad concipiendam fiduciam diuinæ misericordiæ ex effectu remissionis peccatorum omnium tam per penitentiam, quàm etiam per hoc sacramentum, vterque enim horum effectuum est huius sacramenti specialis, & proprius, & ex vi institutionis eiusdem per se intentus. 83

Quintò vlterius arguunt Auctores tertiæ sententiæ ab initio quæstionis citati concedentes quidem effectum huius sacramenti primarium esse peccatorum remissionem, at non tantùm venialium, vt nos dicimus, sed etiam mortalium, quæ non fuerunt per alia sacramenta remissa, vel post eorum susceptionem fuerunt commissa, sed inuincibiliter ignorata; arguunt, inquam, quia Tridentinum *sess. 14. cap. 2.* ait præcipuum huius sacramenti effectum esse peccata, si quæ sunt, delere, & reliquias peccati abstergere; at nomine reliquiarum peccati nihil aliud melius intelligi potest, quàm peccata tam venialia, quàm mortalia, quæ inculpabiliter latet, & quæ per alia sacramenta, vel contritionem non sunt remissa; nam reliquiæ debent esse eiusdem rationis cum ijs, quorum sunt reliquiæ, alioquin excrementa essent, & non reliquiæ, & ideò reliquiæ peccatorum debent aliquo modo conuenire in ratione malitiæ cum peccatis solùmque dici reliquiæ peccatorum, quia sunt relicta, & non remissa per alia sacramenta vel actum contritionis.

Confirmatur ex forma huius sacramenti, quæ talis est, *Indulgeat tibi Deus quicquid deliquisti, per visum &c.* non autem dicit restrictè quicquid venialiter deliquisti, sed simpliciter quicquid deliquisti per visum &c. quod potissimum ad peccata mortalia refertur; ergo eius effectus non est solùm venialia remittere, sed etiam mortalia, vel inculpabiliter ignorata, vel per alia sacramenta non remissa, aut per contritionem; neque enim tutum est ad venialia restringere, quod D. Iacobus generatim, & absolutè peccatum vocat. Denique Apostolus ibi conditionatè loquitur dicens, *Et si in peccatis fuerit, dimittentur ei*, ergo non de solis venialibus loquitur, sed etiam de mortalibus, nam omnes habent venialia, vndè si de solis venialibus loqueretur, non esset locutus conditionalis. 84

Respondetur, quod licet Concilium *loc. cit.* ità loquatur, tamen posteà eadem *sess. 14. can. 2.* vbi effectus huius sacramenti recenset, reliquias peccati non nominat, sed solùm delicta, & infirmi alleuiationem dicens, *Si quis dixerit sacram Infirmorum vnctionem non conferre gratiam, nec remittere peccata, nec alleuiare infirmos, anathema sit*, vndè certum est, quod peccata dimitti, & infirmum alleuiat; per priora autem verba in capitibus doctrinalibus ostendit se noluisse hanc disputationem definire, quæ est inter Scholasticos de reliquiarum peccati remissione, cùm inter se non conueniant quid tali nomine sit intelligendum, vt constat ex dictis *artic. 1. num. 66.* vndè quando etiam tali nomine intelligeremus peccata mortalia, quæ inculpabiliter latent, & quæ per alia sacramenta, vel contritionem non sunt remissa, ex doctrina Concilij non necessariò deducitur effectum primarium huius sacramenti non esse tantùm venialium remissionem, sed etiam mortalium, quæ inuincibiliter ignorantur, vel per alia sacramenta non fuere remissa; imò talis expositio directè repugnat expositioni Catechismi Romani, qui declarat per peccata hoc sacramento remittenda intelligenda esse peccata, venialia quia mortalia tolluntur per sacramentum pęnitentiæ, & ait quod hoc sacramentum primario loco ad grauiorum criminum remissionem non est institutum, sed Baptismus tantùm, & Pęnitentia vi sua hoc efficiunt, vt *loc. cit.* dictum est *num. 68.* adhuc tamen concedimus per hoc sacramẽtum mortalia quoque remitti inculpabiliter ignorata, vel per alia sacramenta non remissa, per accidens tamen, & secundario, non per se, & primariò, vt dictum est *art. præced. num. 71.*

Ad Confirmationem benè inquit Faber non esse nouum in Scriptura hunc loquendi modum, vt peccatum absolutè nominet, esto de vno genere peccatorum intelligat.

quando enim à Christo Domino sacramentum penitentiæ fuit institutum, dixit Io. 20. *Accipite Spiritum sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt &c.* & tamen certum est eum de peccatis actualibus hoc intellexisse, non de originali, quod solùm baptismo diluitur; Itaque per peccata hoc sacramento remittenda intelligenda sunt venialia, vt Catechismus exponit, mortalia verò non nisi per accidens, & secundariò, modo superius explicato, nam per se loquendo peccatum mortale est obiectum, & materia necessaria penitentiæ, non autem extremæ vnctionis. Ad vlt. iam dictum est suprà *num.* 80. conditionem illam ab Apostolo appositam esse, etiamsi de solis venialibus loquatur, ad excludendum casum, quo infirmus antequam vngeretur, fuisset à venialibus absolutus per sacramentum penitentiæ, vel Eucharistiæ, aut alia sacramentalia; vndè in hoc sensu optimè datur locus conditionali etiamsi de solis venialibus loquatur; Imò si per peccata intelligeret Apostolus tantùm mortalia, vt quidam ex Aduersarijs contendunt anthonomasticè, ratione quorum verificaretur illa conditionalis iam non esset amplius locus probandi in hoc sacramento peccata venialia dimitti, quod nec etiam ipsi admittunt.

85 Postremò arguunt adducẽdo casus, in quibus necessariò fatendum est etiam peccata mortalia in hoc sacramento per se remitti, & ex vi institutionis eius; Primò enim potest infirmus post vltimam confessionem, & communionem in aliquod peccatum mortale incidere, cuius inuincibiliter obliuiscatur; in quo casu cùm non teneatur amplius confiteri, cùm nulla habeat peccati conscientiam, debet aliquod remedium habere, quo possit huiusmodi peccatum remitti. Secundò potest infirmus confiteri, & communicare inualidè defectu doloris supernaturalis ad sacramentum confessionis essentialiter requisiti inuincibiliter putans se validè & confiteri, & communicare; ergo etiam in hoc casu debet habere aliquod remedium, quo possint peccata per talem confessionem, & communionem non remissa deleri. Tertiò tandem sæpè accidit, vt infirmus existens in peccatis cum sola attritione incidat in phrenesim, vel loquelam, & sensum amittat, vt nullum valeat dare signum confessionis, in quo casu cùm sit valdè frequens, ad Christi clementiam pertinuit aliquod sacramentum institui, quo possit infirmus iuuari ad æternam salutem consequendam; Cùm igitur in hoc casu iuuari non possit sacramento confessionis, vel communionis, cùm sæpè neque istius sit capax, aliquo alio sacramento iuuari debuit; hoc autem est sacramentum extremæ Vnctionis, quod præcipuè propter huiusmodi casus frequenter occurrentes videtur à benignissimo Saluatore nostro Christo institutum; ità discurrunt Bellarminus de extrema vnctione *lib.* 1. *c.* 8 Amicus *disp.* 19. *sec.* 6. & Auersa *q. vn. de hoc sacramento sess.* 6. vbi ait pium esse credere Christum Dominum pro abundantia pietatis suę, & pro extrema, ac summa indigentia hominis in illo extremo mortis articulo, quo irreparabiliter imminet externæ ruinæ discrimen, per se, & ex intento considerasse talem casum, si homo post susceptum pœnitentiæ sacramentum de nouo in aliquod delictum inciderit, de quo amplius confiteri, & absolutionem petere non possit; aut si de peccatis anteà commissis non fuisset validè confessus, & absolutus siuè ex defectu suo, siuè Ministri, aut non potuisset penitus confiteri, vtpotè si subitò incidisset in phrenesim, credibile est Christum Dominum per se, & ex primaria sua intentione instituisse hoc sacramentum ad hunc finem, & effectum, vt si inueniat peccata remissa quoad culpam, abstergat eorum reliquias; si verò inueniret peccata integra quoad culpam, ea ex tunc deleat, & ità vtrumque per se, & primariò dicatur cadere sub intentione Christi.

86 Respondeo, quod licet hæc omnia sint satis probabiliter dicta, non tamen conuincere intentum, quia vt patet ex dictis *art. præced. num.* 73. ad vtilitatem, & efficaciam huius sacramenti, & ad prouisionem infirmis necessariam in extremo vitæ laborantibus sufficit, vt saltem per accidens, & secundariò peccata etiam mortalia, inuincibiliter tamẽ ignorata, remittere possit, & quidem cum maiori certitudine, quàm faciant alia sacramenta viuorum, vt dictum est ibidem *num.* 74. qui enim bona fide ad sacramentum accedit, & inuincibiliter ignorat se esse in peccato obicem non ponit, & consequenter gratiam recipit, quæ per tale sacramentum conferri solet obicem non ponenti, quæ quia cum peccato consistere non potest de potentia saltem ordinaria, statim illud expellit, & delet; siuè autem id faciat per se, siuè per accidens, siuè primariò ex vi suæ institutionis, siuè secundariò hoc parum referre videtur? quia quocumque modo dicatur, sufficienter necessitati infirmorum in prædictis casibus est prouisum, qui est punctus principalis in hac difficultate præ oculis habendus. Et quidem apud omnes certum est, sacramentum extremæ vnctionis in hoc præsertim differre à baptismo, & penitentia, quæ dicuntur sacramenta mortuorum, quoniam in his duobus licitè potest homo scienter, & ex intentione sua accedere cum sola attritione expectans primam iustificationis gratiam ex ipso sacramento; sed antè vnctionem tenetur homo, si sit sui compos, confessionem, vel contritionem præmittere, itaut studeat quantum in ipso est hoc sacramentum suscipere in statu gratiæ, quod totum, ac etiam sub eisdem verbis concedit Auersa loco citato. Sed si verum esset, hoc sacramentum per se primò, & ex vi suæ institutionis fuisse ordinatum, non tantùm pro finali remissione venialium, sed etiam mortalium saltem inculpabiliter oblitorum, itaut in prædictis casibus ex vi primaria sacramenti primam iustificationis gratiam conferret: talem diligentiam non teneretur facere, & facta etiam suppositione alicuius peccati inculpabiliter obliti, posset adhuc cum sola attritione ad hoc sacramentum accedere, quod admittendum non videtur, quia semper studere debet quantum in ipso est, hoc sacramentum in statu gratiæ suscipere: & hoc etiam vltrò Aduersarij quoque concedunt: posset, inquam, homo etiam facta peccati mortalis suppositione cum sola attritione ad hoc sacramentum accedere, quia in opposita sententia est aliquo modo etiam sacramentum mortuorum ex vi suæ institutionis, respectu nimirum mortalium inculpabiliter oblitorum, at ad sacramenta mortuorum potest quis scienter, & ex intentione cum sola attritione accedere, quia ab illis primam iustificationis gratiam expectat, vt patet de Baptismo, & Penitentia; sic ergo pariter discurrendum esset de extrema vnctione in ordine ad remittenda peccata inuincibiliter oblita, si ex vi institutionis eius etiam ad eorum remissionem ordinata fuisset; quarè præstat dicere talem remissionem illi conuenire solùm per accidens, sicut alijs viuorum sacramentis, licet cum maiori certitudine, vt supradictum est.

QVÆSTIO QVINTA.

Quando hoc sacramentum suum conferat effectum.

Hæc quæstio procedit de primario, & principali effectu huius sacramenti, nimirum de effectu gratiæ habitualis, & remissionis peccati, nam alios duos effectus conferi tantùm, quando est necessarium infirmus, & iuxta temporum, & occasionum opportunitatem: gratia autem habitualis, & remissio peccati datur in vno aliquo instanti. Cùm igitur hoc sacramentum multis constet vnctionibus, & formis, quæritur an tota gratia detur statim post primam vnctionem, an post omnes simul sumptas, vel an potius distribuatur partialiter, & successiuè in singulis, in qua difficultate sunt varij modi dicendi hic breuiter examinandi. 87

ARTICVLVS PRIMVS.

Discutitur Quæstio.

Primus dicendi modus est gratiam habitualem non conferri, nisi per vltimam vnctionem, idest, per eam, quę ex ipsis est vltima ex intentione Ministri vngentis, siuè hoc sacramentum ministretur quinque vnctionibus quæ tantùm sunt de essentia, siuè septem, quæ solùm sunt de integritate sacramenti, vndè si Minister vult sacramentum ministrare per septem vnctiones, effectus gratiæ non dabitur, nisi post septimam; si verò per quinq; gratia dabitur in fine quintæ: Secus autem discurrendum est, si Ministri intentio referretur ad primam, vel secundam, aut tertiam, tanquam vltimam, quia cum in hac sententia ad minimum quinque vnctiones sint de essentia, etiamsi Minister intentionem haberet conferendi gratiam per primam, vel secundam vnctionem, illam non conferret, quia vt sacramentum

suum

t e fectum, supponi debet completum quoad
complementum in allato casu non habere-
neque effectus sacramenti defectu essentialis
; ità Dominicus Soto 4. d. 23. q. 1. *art. vlt.* Hen-
de Sacramentis cap. 12. & alij.
communiter reijcitur, & quidem rationabi-
Si duæ postremæ vnctiones ex illis septem, scili-
& pedum non sunt de essentia, non potest Mi-
re per suam intentionem, vt sacramentum essen-
erfectum per quinque vnctiones suum effectum
erat, donec addantur aliæ duæ vnctiones, quæ ad
n, & necessitatem non spectant; sacramentum enim
ac perfectum est, & essentialiter completum effe-
onfert, neque id pendet ab intentione priuata Mini-
odò intentionem habeat generalem faciendi, quod
hristus, vel facit Ecclesia, hæc enim intentio Ministri
iditatem sacramenti necessaria est, intentio autem pri.
nihil facit.
onfirmatur, quia data hac doctrina posset dari casus, in
infirmus totum susciperet sacramentum quoad totam
n essentiam, & tamen nullam reciperet gratiam ex de-
u intentionis Ministri; nam si Minister, v. gr. ad septi-
m vnctionem suam referat intentionem, vtique post
inque vnctiones completas, quæ tantùm sunt de essen-
a sacramenti, & quibus solùm tota completur essentia
cramenti, non adhuc gratia confertur defectu intentionis
Ministri, quæ ad septimam relata supponitur; si verò inte-
im casu eueniat, quod quinque vnctionibus expleris antè
extam, vel septimam infirmus moriatur, iam neque ad-
huc vllam recipit gratiam non obstante, quod sacramentum
susceperit quoad totam suam essentiam perfectum, & com-
pletum; quod est omninò absurdum, quia cùm sacramenta
ad instar causatum naturalium gratiam conferant, vt di-
ctum est *disp.* 1. de sacramentis in genere, statim ac ad eam
causandam sunt idonea, illam conferunt; at statim ac sunt
in sua essentia completa, & perfecta, censentur ad causan-
dam idonea, & in actu primo proximo causandi constitu-
ta, perindè ac causa naturalis; ergo tunc suum causabunt
statim effectum absque vlla dilatione à priuata Ministri in-
tentione causata, quæ ad hoc nihil omninò facit; alioquin
posset Minister intentionem habere non conferendi gra-
tiam, nisi post vigesimam, vel trigesimam vnctionem, nam
eodem modo hæ sunt extrà numerum quinque vnctionum
essentialium, ac septima vnctio, vt benè arguit Amicus
disp. cit. sess. 7.

89 Secundus dicendi modus asserit extremam vnctionem
causare effectus suos, quando vnctiones faciendæ comple-
tæ sunt, vel si omnes non sunt faciendæ, quando vltima ex fa-
ciendis perfecta est; ità Brancatus noster *disp.* 11. *cit. art.* 16. §.
6. consequenter ad ea, quæ dixerat *art.* 4. nimirum omnes, &
singulas vnctiones esse de essentia huius sacramenti, quando
omnes fieri possunt; cum autem superuenit mors, illas so-
lùm esse de essentia, quæ iam factæ sunt, & vnam quoque si
vna tantùm facta est; Probat assertum quoad primam par-
tem, quia alia sacramenta suum causant effectum, quando
completa sunt, hoc autem sacramentum ex Scot. 4. *dist.* 23. est
vnum non vnitate indiuisibilitatis, sed integritatis, ergo
quando integraliter factum est, & suis vnctionibus comple-
tum, tunc suum præstat effectum. Deindè probat quoad
aliam partem, nam accidere potest, vt cùm fit vnctio vel in-
firmus, vel Sacerdos vrgens moriatur, & aliæ vnctiones fie-
ri non possint; & tamen negari, tunc nequit effectum huius
sacramenti infirmo præstari, alioquin non esset benè consul-
tum infirmis, eo vel maximè quia præcipitur, vt eis in extre-
mo vitæ periculo positis conferatur, igitur semper videntur
expositi periculo, ne omnes vnctiones perficiantur. Accedit,
quod tempore contagij licitum est in aliqua, vel aliquibus
tantùm partibus infirmum vngere, vt docuit Vniuersitas
Louanij anno 1588, ergo multo magis præstabit effectum,
quando ex morte superueniente impedimentum est, ne cæ-
teræ vnctiones perficiantur.

90 Hæc tamen opinio iam explosa fuit q. 3. *art.* 1. *num.* 52. vt-
potè quæ vagam nimis assignat huius sacramenti essentiam,
& eius materiam proximam nimis incertam, & confusam,
vt quandoque in vna tantùm vnctione consistat, quando-
que in tribus, vel quatuor, & interdum in omnibus iuxtà
ægrotantis statum, & periculum; cùm tamen alia sacra-
menta certam, & determinatam materiam ex eorum insti-
tutione habeant; Accedit, quod sine tali, ac tanta materiæ

huius sacramenti incertitudine, & confusione potest adhuc
eius institutio sic declarari, vt etiam simul cum certitudine
materiæ sit sufficienter prouisum, & consultum infirmo-
rum necessitati, & vtilitati in extremo vitæ periculo; si ni-
mirum dicamus totam gratiam in hoc sacramento statim
conferri, cùm primum prima vnctio applicata fuerit cum
sufficienti verborum forma, licet aliæ vnctiones, quando
adhiberi possunt, sint necessariæ necessitate præcepti, &
concurrunt, si non ad essentiam, saltem ad integritatem sa-
cramenti constituendam; Vel cum alijs asseramus in sin-
gulis Vnctionibus, & formis Vnctionibus correspondenti-
bus partialem gratiam conferri, nam iuxtà has sententias
sine tali, ac tanta incertitudine materiæ, qualis ponitur ab
hoc secundo dicendi modo, sufficienter prouisum est casi-
bus, qui possunt in hoc sacramento suscipiendo occurrere
infirmo, vt si moriatur antè quinque vnctiones expletas;
nam iuxtà priorem sententiam accipit totam gratiam in
prima vnctione, iuxtà posteriorem verò accipit gratiam sal-
tem partialem, vndè etiamsi moriatur, antequam accipiat
reliquas, moritur cum gratia sacramentali; non ergo ad
euitandum periculum perditionis infirmi in allato casu te-
nemur, & cogimur asserere extremam Vnctionem suum
effectum causare, quando Vnctiones faciendæ completæ
sunt, vel si omnes non sunt faciendæ, quando vltima ex fa-
ciendis perfecta est, vt asserit hic secundus dicendi modus;
Scio vtramque sententiam à Brancato reijci, primam qui-
dem, quia si in prima Vnctione tota gratia daretur, cæteræ
essent superfluæ; secundam verò, quia sic gratia per partes,
seù gradus causarentur, & auxilia, siuè alij effectus istius sa-
cramenti partialiter darentur, imò & peccata remittenda
per frustra dimitterentur, quod est incongruum respectu
Dei, qui perfectè sanat, quem sanat, & respectu infirmi, qui
ijs indiget adiutorijs. Et tandem quia nouum quid, & sin-
gulare de hoc sacramento diceretur, quod de nullo alio veri-
ficari potest.

Cæterum hæc sunt parui momenti, quia etiam admisso, 91
quod in prima Vnctione tota gratia daretur, non benè de-
ducitur cæteras esse superfluas, nam licet aliæ non sint ne-
cessariæ necessitate Sacramenti, sunt tamen necessariæ ne-
cessitate præcepti; & quamuis non sint de eius essentia,
pertinent ad eius integritatem; Nec etiam sufficienter se-
cunda impugnatur sententia, quia nullum est inconueniens
gratiam causari per partes, seù per gradus virtute huius sa-
cramenti, & auxilia eius partialiter dari, vt magis infrà con-
stabit, & quamuis sit inconueniens peccata mortalia per
frustra remitti, seù vnum peccatum mortale remitti sine
alio, quia quem Deus sanat perfectè sanat, non tamen in-
conueniens est vnum veniale sine alio remitti, qui est pro-
prius effectus huius sacramenti, quia peccatum veniale non
est cum gratia incompatibile, sicut mortale; Tandem quod
inquit sic dicendo nouum quid, & singulare de hoc sacra-
mento asseri quod de nullo alio verificari potest, tantum à
veritate abest, quod potius id ex sententia arguentis sequi-
tur, non ex alijs; siquidem vt dicebamus, ex ea directè se-
quitur materiam huius sacramenti proximam esse prorsus
vagam, & incertam ex eius institutione iuxtà ægrotantis
statum, & periculum, quod de nullo alio sacramento verifi-
catur, cùm omnia certam, & determinatam habeant mate-
riam ex eorum institutione modo iam explicato *disp.* 1. de sa-
cramentis in genere qu. 1. *art.* 1. nempè determinatam in
specie, vel saltem in genere.

At instat Brancatus hoc totum in Confessione verificari,
si enim omnia peccata nequeat infirmus confiteri ex mor-
tis periculo, vel impedimento, alia confessio vnius peccati,
imò & nullius si contritionis dederit signa, sufficit ad sacra-
menti validitatem, & obtinendam absolutionem, & effe-
ctum integræ Confessionis; sic ergo dici poterit de hoc sa-
cramento, quod materiam non habeat determinatam, sed
in casu necessitatis possit vnica vnctione ministrari, quæ in
tali necessitate esset materia sufficiens sacramenti, quamuis
aliàs non sufficeret, quia id præsumendum videtur de
diuina misericordia, vt institutionem vtilitati, & necessi-
tati languentium accomodauerit; eo vel maximè, quia
in qualibet vnctione adest sua propria forma, atque mate-
ria.

Respondetur negando assumptum, nimirum verificari
in sacramento pœnitentiæ, quod materiam non habeat de-
terminatam, quamuis enim eius materia non sit deter-
minata in specie, sicut est aqua in baptismo, est tamen

determinata in genere, & est vna vnitate generica, quia est manifestatio peccatorum per signa, qua ratione diximus *disp.* 5. *quaest.* 16. *art.* 2. *num.* 447. mutos teneri ad confessionem per nutus, & alia signa, quia materia illius sacramenti est accusatio peccatorum in genere non determinando per vocem, vel verba; ità ergo dicendum est in proposito, quod vna vnctio sit sufficiens, & necessaria materia huius sacramenti, non autem modo vna, modò plures, reliquae verò potius ad integritatem sacramenti spectent, quàm ad essentiam; & ex hoc, quod in qualibet vnctione adest sua propria forma, atque materia, potius deducendum est per quamlibet Vnctionem aliquam gratiae portionem conferri, quia ad singulas Vnctiones completur sensus substantialis formae, & subijcitur materia, vt magis infrà explicabitur. Et quando etiam de Confessione concederetur, quod ait Brancatus, non adhuc de hoc sacramento concedi debet, quia illud sacramentum est maximè necessarium, & ideò oportuit hominum necessitati illo modo subvenire; hoc autem Sacramentum vtilitatis est potius, quàm necessitatis, & ideò etiam ratio pietatis hic cessat; Videatur Suarez *disp.* 41. *sect.* 3. vbi alias affert disparitates.

92 Tertius dicendi modus asserit gratiam in eo instanti conferri, in quo hoc sacramentum essentialiter completur, & perficitur; perfici autem & compleri quando quinque Vnctiones cum quinque formis sibi correspondentibus perficiuntur, & haec videtur communior Recentiorum sententia, quam sequuntur Valentia, Suarez, Auersa, Coninchius, Filliucius, Diana, & alij etiam ex nostris, vt Faber, Aretinus, & Hiribarnes, dicentem omnes, & singulas vnctiones esse de essentia huius sacramenti, ita quod si Sacerdos faciat duas vel tres Vnctiones, non conficit sacramentum, nec gratiam confert, quia haec confertur solùm in fine prolationis verborum in vltima Vnctione. Vnicum verò huius opinionis fundamentum est, quia nullum sacramentum suum causat effectum, nisi quandò est essentialiter completum; atqui hoc sacramentum secundum ipsos non completur, nisi in quinta Vnctione, ergo ante quintam Vnctionem suum effectum non confert, imò Faber vult solum in septima conferri, quia omnes septem putat esse de essentia sacramenti, vt suprà dictum est *quaest.* 3. *art.* 1. quarè concludunt non dari effectum Sacramenti: nisi post vltimam Vnctionem, quia omnes formae partiales, & Vnctiones faciunt vnam integram indiuisibilem materiam, & formam Sacramenti, quibus completis datur effectus, & non anteà.

93 Caeterum ad huius sacramenti validitatem necessarias non esse quinque vnctiones in quinque corporis sensibus cum quinque partialibus formis correspondentibus iam suprà demonstrauimus *quaest.* 3. *art.* 1. *num.* 47. Deinde si non daretur effectus sacramenti nisi completa vltima Vnctione, & prolatione formae, sequeretur non esse proferendam formam vsque ad vltimam Vnctionem, vt rectè discurrit Hiquaeus *loc. cit.* probatur consequentia, quia omnis prolatio prior esset inutilis, & frustra, siquidem effectum signatum non haberet nec tunc, nec posteà, nam sacramentum, quod est in vsu, non dicitur aliquid causare, quando iam transijt, si nullum post se relinquat effectum, in cuius virtute remissionis effectus fiat; sed quando fit vltima Vnctio cum sua forma, non sunt formae, aut Vnctiones priores, neque earum effectus est vltima vnctio, quia particularis est, & idem de forma; neque virtute, aut significatione priores continet; nec tandem est ordo essentialis inter ipsas Vnctiones, & formas, nam incipiendo ab illa, quae consueto modo est vltima, aequè benè valeret Sacramentum completis reliquis. Tandem falsum est, quod addebatur omnes formas partiales, & Vnctiones facere vnam integram indiuisibilem materiam, & formam Sacramenti; nam Vnctiones illae diuersae non faciunt vnam, & eandem Vnctionem, quia quaelibet determinatè, & essentialiter suum proprium subiectum respicit, & propter diuersitatem instrumentorum peccandi necessariò iterantur, quae instrumenta, sicut in actione, & virtute sunt diuersa, ità vt diuersa vnguntur; ergo Vnctiones illae nec in ratione specifica vnctionis Sacramentalis, nec in ratione subiecti proximi, & cuiusque vnctionis proprij faciunt vnum. Idem etiam de forma probatur, quia quaelibet exprimit proprium subiectum vnctionis, & ex sensu suo substantiali essentiali refert subiectum Vnctionis sibi correspondentis in expressa sua significatione, vt cùm dicitur quic- *visum deliquisti &c.* sensus autem sacramentalis formae completur, quando completur sensus, quem habet de rigore sermonis; ergo etiam sensus sacramentalis huius formae toties completur, quoties praemissa vnctione integrè profertur. Cùm ergo quaelibet forma Vnctionis absolutè significet in ordine ad subiectum proximum Vnctionis, siuè ipsam Vnctionem, siuè effectum sacramentalem, ad quem profertur, iam nulla coalescere potest cum alia in significatione; Et sic est magis congruum institutioni, & fini huius sacramenti, vt validè ministrari possit infirmis etiam agonizantibus, sic enim semper fructuosè ministratur, quia eius effectus dantur partialiter, & successiuè, at si sacramentum solùm in vltima Vnctione efficax esset, vt hic tertius dicendi modus opinatur, saepè suo effectu frustraretur, & fructu, cùm illa antè mortem perfici non posset casu, quo moreretur infirmus antè completas omnes Vnctiones, quod esto Auctores istius opinionis gratis concedant, videtur tamen omnino dissonum institutioni huius sacramenti, quod institutum est in subsidium aegrotantium in periculo mortis laborantium.

Quartus dicendi modus existimat totam gratiam dari per primam Vnctionem, & formam sibi correspondentem, reliquas verò vnctiones ait addendas esse ex sola Ecclesiae consuetudine, non autem ex sacramenti, aut effectus necessitate, atq; ideò per illas nouum gratiae gradum non conferri vi sacramenti, nisi fortè per accidens propter meliorem suscipientis dispositionem; quemadmodum aliqui etiam dixere in Eucharistia totam gratiam dari sumptione vnius speciei, & in sumptione alterius perfici quidem sacrificium, non tamen nouam gratiam conferri; Vndè etiam ex illius sacramenti paritate hoc suum probant assertum, quia sicut in Eucharistia singulae species gratiam refectionis spiritualis sufficienter significant, in hoc sacramento singulae Vnctiones gratiam confortationis significant sufficienter; atque ideò sicut ibi datur tota gratia in prima sumptione; ità hic in prima Vnctione; & hic dicendi modus sequitur ex eorum sententia, qui docent vnicam tantum Vnctionem in quamuis corporis parte adhibitam esse sufficientem ad essentiam huius sacramenti. Fundamentum est, quia hoc modo potuit hoc sacramentum institui, videturque vtilior hic modus magisque humanae infirmitati accomodatus, & periculis quae in eo statu occurrere, contingere enim saepè potest, vt infirmus facta prima Vnctione moriatur; & nulla ratione, vel auctoritate constat hanc institutionem esse à praecepto Christi Domini alienam, vel à promulgatione Iacobi, vel ab vsu Ecclesiae: neque ad eam speciale aliquod inconueniens sequitur: nam ad summum sequeretur posteriores Vnctiones non esse partes huius sacramenti essentiales sed integrales tantùm, quod non videtur esse inconueniens. 94

At neque hic dicendi modus est idoneus, hinc enim sequeretur caeteras Vnctiones vltrà primam non esse sa- mentales, cùm tamen ex propria materia, & forma stent, non secus ac prima; consequentia patet, quia vi ipsarum nullus gratiae gradus etiam minimus confer- cùm ex vi primae Vnctionis tota supponatur conferri titas verò ex Sacramento Eucharistiae desumpta po ad oppositum, cum falsum assumat, sicut enim in E- stia datur vna pars gratiae per sumptionem vnius spe altera pars per sumptionem alterius; sic etiam dice erit in proposito seruata proportione; praeterqu adest etiam alia manifesta disparitas inter hoc s tum, & illud, vt notauit Suarez *disp.* 41. *sect.* 2 cramentum Eucharistiae permanens est, & in sa consistit, hoc verò consistit in ipso vsu, & fier vt in Eucharistia prius fiat sacramentum, poste ti applicetur, & tunc effectum conferat: hic ve menti effectio est eius applicatio, & ideò sim effectum, cùm primum perficitur. Tandem ac ter humanae infirmitati prouisum esset, & per mo vitae agone occurrentibus, si dicamus d quem effectum gratiae sanctificantis in pri vnctionibus non tamen esse totalem, sed p respectu adaequati effectus huius sacrame gis consentaneum videtur institutioni h nam ex vna parte saluatur singulas V mentales, cum per singulas aliqua po tur; & ex alia parte sufficienter prouisu in hoc sacramento suscipiendo possi

an[illegible]tè omnes quinque vnctiones expletas moria- [illegible]trà hunc dicendi modum, vt mox magis ex- [illegible] firmus accipit gratiam saltem partialem in pri- one vndè etiamsi moriatur, antequam reliquas moritur cum gratia sacramentali. Et planè, si per Vnctionem tota daretur gratia ex vi huius sacra- [illegible]trà omninò ab Ecclesia essent quinque Vnctio- in[illegible]atæ, qui essent omninò superfluæ, nam vt inquit [illegible]phus, frustrà fit per plura, quod potest fieri per pau- , & æquè benè; at si tota gratia daretur per primam onem nihil eius per alias conferendum remaneret, benè haberetur per illam solam totus, & integer sa- [illegible]enti effectus; ergo &c.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Probabilior dicendi modus statuitur.

QVintus tandem, & vltimus dicendi modus asserit per singulas Vnctiones dari singulos gradus, seù portiones gratiæ, ac proindè sicut quinque sunt Vnctiones partiales, quę integrum constituunt sacramentum, ita quinque vicibus conferri quinque gradus gratiæ, qui adæquatum huius sacramenti effectum constituant. Ità colligunt Hiqueus, Almainus, Poncius, & alij meliores Scotistæ ex Scoto *4. dist. 23. quæst. vn. ad 2.* vbi asserit hoc sacramentum esse vnum vnitate integritatis, non indiuisibilitatis; & fauet etiam S. Thomas *quæst. 29. in additionem ad 3. partem art. 2. ad 1.* vbi hoc sacramentum comparat Sacramento Eucharistiæ, cuius singulæ species gratiam conferunt; Fundamentum præcipuum est, quia quælibet Vnctio cum sua forma constat ex partiali materia, & partiali forma cum significatione propria effectui proprio respondente, & ad singulas Vnctiones completur sensus substantialis formæ; ergo quæuis Vnctio cum sua propria forma est proprium sacramentum gratiam conferens, nam sacramentum ex diuina institutione efficit, quod significat, ad cuius proindè veritatem requiritur, vt effectus eius detur in vltimo instanti completi sui esse non supponitur obex; ergo si quæuis Vnctio cùm sua propria forma habet proprium significatum partiale ab alijs distinctum, habebit etiam suum effectum proprium partialem ab alijs condistinctum, neque enim illa forma, aut Vnctio premissa dicit ordinem ad alias vnctiones, aut ad eandem formam repetitam in significando.

97 Confirmatur ex ritu ministrandi hoc sacramentum, quia in nullo alio repetitur eadem forma cum iteratione materię absolutè, nisi in hoc sacramento; ergò ex iteratione materiæ, & formæ huius sacramenti sequitur diuersitas effectus, & efficaciæ; Neque est repugnantia ex parte effectus, scilicet, gratiæ, vt est remissiua peccatorum, sicut Brancatus ostendere nititur, non quidem peccatorum venialium, quia non repugnat hæc seorsim, & successiuè dimitti, cùm enim sint cum gratia compossibilia, non est connexio inter ea quantum ad remissionē, vt notat Almainus; Nec etiam ex parte mortalium, siue dicamus illa per se, siuè per accidens remitti virtute huius sacramenti, quia tolluntur omnia per gratiam primæ Vnctionis directè, vel indirectè ex incompatibilitate, quam habent cum gratia, directè quidem illa, quæ per organum vnctum commissa fuere, indirectè verò quæ per alia organa, aut interius in ipsa mente sunt consumata. Probari etiam potest à paritate Eucharistiæ, & Ordinis, sicut enim quælibet species Eucharistię, & quilibet partialis ordo suum partialem confert effectum; ità in hoc sacramento quæuis vnctio cum sua propria forma suum partialem effectum, & gratiam confert; & paritas ex sacramento ordinis deducta adhuc magis vrgere videtur, siquidem quia in singulis ordinibus est partialis forma, & materia, ideò singuli essentiliter perficiuntur in ratione sacramenti, & proprios habent effectus, qui sunt partiales respectu totius, sicut ipsi ordines partialia tantum sunt sacramenta vnum totale Integrantia. Et hoc tandem fuit esse videtur ad subueniendum particulis infirmorum in extremo vitæ occurrentibus, etenim vt Suarez etiam aduertit *disp. 41. sect. 2.* quilibet gradus gratiæ ad salutem sufficit, licet non sit cum tanta perfectione; videtur autem conueniens vt in huius sacramenti institutione occurrentibus periculis sit ità prouisum, vt saltem ea quæ necessaria sunt, per vnam Vnctionem conferri possint, qua-

de causa Suarez quoque hunc dicendi modum satis probabilem censet, quia sic dicendo saluatur, quomodo prosit infirmo hoc sacramentum, etiamsi moreretur antè completas omnes vnctiones, qui est puncti principalis in hac materia præ oculis habendus, vt sæpè inculcatum est suprà.

Sed Obijciunt Primò nihil asserendum esse in hoc sacramento præter communem Sacramentorum legem, nisi traditio Ecclesiæ, aut principia tradita id probent; sed communis lex sacramentorum, quæ in vsu consistunt, est vnicam gratiam conferre, quando complentur, extremam autem Vnctionem dare toties gratiam partialem per singulas Vnctiones, & formas, aut tollere vnum peccatum siuè alio est valdè extraordinarium, ergo non est asserendum. 98

Confirmatur, quia vt arguit Brancatus noster, iuxta hunc dicendi modum gratia per partes, seù gradus causaretur, & auxilia, seù alij effectus istius sacramenti partialiter darentur, imò & peccata remittenda per frusta dimitterentur, quod est incongruum respectu Dei, qui perfectè sanat, quem sanat, & respectu infirmi, qui ijs indiget adiutorijs, & tandem, quia nouum quid, & singulare diceretur de hoc sacramento, quod de nullo alio verificari potest. Demum allata paritas de Eucharistia, & Ordine non valet, quia formæ partiales in Eucharistia sunt indicatiuæ, in Ordine verò imperatiuè, extremæ Vnctionis tantùm deprecatiuæ; vndè singulæ non significant actualem efficaciam, neque deprecatiuæ habent veritatem, ex qua necessariò debeat poni effectus ad singulas particulas precationis; sed satis est, quod pro illo tempore, pro quo petitur, & completur oratio effectum ponat; ergo dispar est ratio de extrema Vnctione ex vna parte, & Eucharistia, & ordine ex alia.

99 Respondetur, minorem non esse vniuersaliter veram, sed verificari tantùm in ijs sacramentis, quæ sunt vnum vnitate indiuisibilitatis, non autem in alijs, quæ sunt vnum tantùm vnitate integritatis, quale est hoc sacramentum; vndè in sacramento ordinis, & Eucharistiæ in fieri quælibet forma habet significationem, & efficaciam propriam, atque ideò idem etiam de sacramento Vnctionis dici poterit ob rationes allatas, & ex ritu speciali huius sacramenti, nam ex iteratione materiæ, & formæ huius sacramenti sequitur diuersitas effectus, & efficaciæ in singulis Vnctionibus, vt suprà dictum est.

Ad Confirmationem patet ex dictis suprà num. 91. nullum esse inconueniens gratiam partialiter conferri per illa sacramenta, quæ sunt vnum vnitate integritatis tantùm, nō autem indiuisibilitatis, & remissionem peccatorum venialium, quæ est propria huius sacramenti, non esse necessariò connexam, sicut est in mortalibus, vndè quando mortalia per accidens hoc sacramento tolluntur, dicendum est per primam gratiam partialem, quæ in prima Vnctione confertur remitti omnia peccata mortalia, si quæ in subiecto sunt, inuincibiliter ignorata: Nec tandem nouum quid, & singulare de hoc sacramento asseritur, quod de nullo alio verificari possit, nam simile quid experimur in sacramentis Eucharistiæ, & ordinis, vt dictum est. Ad vltimum dicendum est cum Hiqueo, formam esse deprecatiuam, indicatiuam, aut imperatiuam, nihil facere ad eius veritatem ex instituto Christi conuenientem; hæc enim veritas fundatur in assistentia Dei, quæ completo sensu formæ ponit effectum eius infallibiliter, completur autem sensus formæ perfectus, quando supposita Vnctione correspondente profertur sacramentaliter, vt fit in proposito, quia ad singulas vnctiones completur sensus substantialis formę, & subijcitur materia. Argumentum autem aliquam habere apparentiam, vt benè discurrit præfatus Auctor, si præter formas repetitas daretur alia forma completa huius sacramenti verbalis, quia tunc dici posset significationem sacramentalem primò, & principaliter fundari in illa forma totali, & completa; sed in proposito non datur talis forma, neque formæ partiales Vnctionem aliquid componunt modum vnius orationis completæ.

Quæres, quando hoc sacramentum tribuat corporis sanitatem, certum enim est sanitatem corporis per hoc sacramentum aliquando conferri, vt colligitur ex illo Iacobi *Oratio Fidei saluabit infirmum*; certum etiam est non semper conferri, vt experientia docet, quæritur ergo, quando conferatur; Concilium Florentinum, & Tridentinum statuerunt conferri quando, & vbi ad salutē animæ expedierit, 100

sic enim Tridentinum loquitur *sess. 14. cap. 2. in fine Ægro-*
tus sanitatem corporis interdum, vbi saluti animæ expedierit,
consequatur; & hic etiam est communis Theologorum sen-
sus, & ratio est, quia sicut bona temporalia non conferuntur
Sanctis, nisi in ordine ad salutem animæ, ità etiam de sani-
tate corporali sentiendum est.

Sed quamuis hæc sit communis, vt dicebam, Theologo-
rum doctrina, & in præfatis Concilijs expressa, non tamen
recipitur à Soto *4. dist. 23. quæst. 1. art. 2.* Primò quia sæpè fit,
vt sanentur illi, quorum animæ saluti non expedit, & contra,
vt moriantur illi quos expediret viuere.

Confirmatur, quia iuxta allatam doctrinam solis præde-
stinatis, & electis talis effectus cõcedi deberet, & solis ijs, qui
deinceps essent in gratia perseueraturi, cùm tamen contin-
gat aliquos in morbo vnctos, & ex illo sanatos posteà in
multa grauia peccata labi, & in fine damnari. Tandem,
quia nec omnibus, quibus ad salutem animæ expediret, con-
ceditur; cùm enim, vt plurimum non concedatur non vide-
tur credibile, quod semper ijs non expediret ad salutem ani-
mæ, & quod longior vita esset & eis causa ruinæ. Quare
concludit Soto effectum huius sacramenti non esse sanita-
tem, sed auxilium ad sanitatem recuperandam, quod auxi-
lium Deus semper, & infallibiliter confert in extremis vn-
ctois iuuando per illud causas naturales, & medicamenta ad
facilius corporis sanitatem causandam; Quia tamen hoc au-
xilium de se non semper est sufficiens ad morbi malignita-
tem superandam, imò potest nonnunquam ars, & solertia
Medici plus ad id conferre, quam virtus sacramenti, ideò
non semper suum sortitur effectum; Verùm hæc Soti specu-
latio communiter ab omnibus reprehenditur, & temeraria
censetur, tum quia vim huius sacramenti nimis extenuat:
tum quia expressè asserere non erubescit plus interdum va-
lere peritiam Medici, quàm vim huius sacramenti; cùm tan-
dem quia est contrà expressam Conciliorum doctrinam
Florentini, & Tridentini, quæ dùm dicunt salutem corporis
per hoc sacramentum conferri, quandò animæ saluti fuerit
expediens, apertè significant sacramentum hoc vim super-
naturalem continere conferendi corporis sanitatem, quam
tamen non semper confert infirmo, sed tantùm quando ani-
mæ saluti expedierit.

101 Ad primum itaque respondendum est, quod quando ali-
qui post extremam Vnctionem acceptam sanantur, & po-
steà malè viuunt, certum non esse illos fuisse sanatos virtute
sacramẽti, sed potius supponi debere naturaliter fuisse sana-
tos, siquidem per media quoque naturalia sanari potuerunt
præsertim si morbus non fuerit læthalis; Potest etiam ad-
mitti cum Suarez posse aliquando contingere, vt hoc sacra-
mentum alicui sanitatem conferat non perseueraturo, &
decessuro in gratia, nam vt regula tradita verificetur, satis
est si pro aliquo tẽpore sanitas corporalis prosit ad salutem
animę, & spiritualem profectum, neque opus est, vt semper
qui per hoc sacramentum sanitatem recuperauit, in gratia
decedat, & cùm effectu ad æternam gloriam perueniat. Ad
alteram verò argumenti partem dicendum est, quod quan-
do aliqui boni viri moriuntur post Extremam Vnctionem,
quamuis tales fuerint, vt secundum humanam prudẽn-
tiam, & existimationem adhuc multa bona facere potuis-
sent, si superuixissent; tamen coram Deo sæpè res aliter se
habet; Quarè cùm dicitur, hoc sacramentum conferre cor-
poris sanitatem, si animæ saluti expedierit, intelligendum,
est iuxta diuinam præscientiam, & ordinationem, non verò
secundum humanam existimationem, sic enim explicuit
Concilium Coloniense anno 1536. celebratum, dum dixit
id esse intelligendum *si Deo ità visum fuerit*.

Ad Confirmationem dicunt aliqui effectum sanitatis per
hoc quidem sacramentum solis prædestinatis conferri, qui-
bus re vera sanitas corporis ad animæ salutem prodesset in
deillos, qui post conualescentiam, & sanitatem adeptam in
alia grauia peccata labuntur, dicũt resurrecturos ite-
maiorem gratiam: si qui verò in statu peccati decedunt, præ-
tandum esse eos non ex vi huius sacramenti sanitatem ac-
cepisse, sed potius ex alijs causis, & remedijs naturalibus. Sed
præstat dicere ex præcedenti doctrina opus non esse, vt se-
per qui vi huius sacramenti sanitatem recuperauit, in gra-
tia decedat, sed satis est, quod ex illo effectu sacramẽti ad
salutem corporis, iuuandus sit homo quoad salutem bo-
num animæ pro aliquo tempore, licet fortè in eo non sit
perseueraturus; cùm enim finalis perseuerantia in bono
pendeat ab hominis libertate, quæ mutari potest, id non

sequitur, vt salus, quæ pro tali tempore fuit expediens ani-
mę, sit absolutè expediens pro futura æternitate, sed satis est,
vt dicebamus, quod pro eo tempore, quo sanatus est, potue-
rit ei sanitas prodesse ad salutem animæ, quia non omnes
perseuerant in bono, quod semel adepti sunt.

Ad vltimum aliqui argumento pressi gratis concedunt in
hunc effectum interdũ quidem causari ab hoc sacramento,
non tamen infallibiliter etiam in pręfata circumstantia, hoc
est, sub conditione, quod ipsius animæ saluti, & profectui
maiori expedierit; sicut in vniuersum sacramenta non sem-
per, & omnibus cõferunt auxilia efficacia ad illos effectus,
ad quos sunt instituta, sed tantùm effectum primarium, &
principalem, ità Amicus, Tannerus, Auersa, & alij; Sed cùm
Concilia absolutè, & sine vlla limitatione dicant hunc effe-
ctum ab hoc sacramento conferri in tali circumstantia,
nempè sub conditione, quod animæ saluti expediat, præsta-
bit dicere, hoc sacramento semper conferri corporis sani-
tatem sub præfata conditione; intrà illam tamen mensu-
ram gratiæ, & gloriæ, quæ tali animæ à Deo præordinata
fuit; solus enim Deus cognoscit, qualis sit gradus gloriæ, ad
quem fuit à se prædestinatus, ideò cognoscit non expedire
interdum animabus aliquorum iustorum salutem assequi
corpoream, quam etiam solutionem approbat Auersa *quæst.*
eit. sec. 7. & quidem satis rationabiliter, alioquin in hac re
semper procederetur in infinitum, semper enim posset
Deus ipse facere, vt corporis sanitas, & vita diuturnior ad
maius augmentum gratiæ, & gloriæ prodesset; atque ideò
res hæc intelligi nequit, nisi iuxtà ordinem diuinæ proui-
dentię, ac determinationis circà singulorum salutem, & hoc
etiam significare voluit Concilium Coloniense citatum per
illa verba, *Si Deo ità visum fuerit*, vt non tam referatur
ad maiorem animæ profectum, quàm ad diuinam proui-
dentiam.

QVÆSTIO SEXTA.

De subiecto huius sacramenti capaci.

DVplex à Theologis distingui solet huius sacramenti su- 1
biectum, vnum quidem proximum, suntque ipsa sen-
suum organa immediatè inungenda; alterum vero remo-
tum, qui est totus homo, diciturque subiectum denomina-
tionis, siquidem ex vna tantùm vnctione in vna corporis
parte totus denominatur inunctus: de priori subiecto sati
dictum est suprà *quæst. 3.* vbi satis etiam declaratum est, qua
nam partes, & quot ad validitatem sacramenti huius su
necessariò inungendæ, in præsenti igitur quæstione de p
steriori subiecto agendum est.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quis possit hoc suscipere sacramentum.

HAnc quæstionem breuibus decidit Scotus disti
cat. vbi inquit subiectum huius sacramenti ca
hominem viatorem, baptizatum, adultę ętatis, & in
pęnitentem morti probabiliter proximum; ità loqu
secunda conclusione, dum inquit, quod hoc sacra
est vnctio hominis infirmi pęnitentis &c. & infr
ideò non debet conferri sano, nec qualitercunq
to periculo mortis, quia non ei, cui mors immi
culo extrinseco violentiæ, vt armorum, vel sub
vel huiusmodi, nec qualitercunque infirmo, sed
ita quod probabiliter sibi immineat exitus de
ad terminum: ità Doctor, ex quibus solutio h
nis sufficienter deduci potest.

Primò itaque certum est solum hominem
proindè in hac mortali vita degentem esse h
ti capacem, quod quidem constat ex pr
de sacramentis, quæ pro Viatoribus solu
qui sunt medicinæ capaces, vel augumen
pro alijs qui iam sunt in termino; vndè
inungendi dubitatur, inungendus est sub
tacita, si est viuus; Debet etiam hic Vi

i[illegible]atione, quod baptismus est ianua ad reliqua [illegible] habetur in decreto Eugenij, quia sine illo re[illegible]ta, validè suscipi nequeunt; vndè si hoc sacra[illegible]atur non baptizato, etiamsi sit Cathecume[illegible]ia existens, irritum est, & inualidum, & circà [illegible]itiones nulla occurrit difficultas.

[illegible]ebet etiam esse adultus, hoc est, talis vt ad ratio[illegible]uenerit, Infantes siquidem sicut non sunt capa[illegible]enti Pœnitentiæ, ità neque huius esse poterunt, [illegible]onsumatiuum pœnitentiæ, vt patet ex Tridentino, [illegible]a præcipui huius sacramenti effectus sunt remissio [illegible]um actualium præsertim venialium, & robur ad [illegible]entationes in articulo mortis vrgentes, at pueri antè [illegible]ationis horum effectuum capaces non sunt, vt per se [illegible] ergo neque huius sacramenti; Adhuc tamen plures [illegible]ogi rectè docent sacramentum extremæ vnctionis va[illegible]onferri posse pueris, qui ad ætatem, & rationis discre[illegible]m peruenerunt, vt sacramenti pœnitentiæ sint capaces, [illegible]uis sanctam Eucharistiam nondum receperint, nec [illegible]acidonei ad illam recipiendam iudicentur, atque ità præ[illegible]oi in Rituali Parisiensi tit. de extrema vnctione testatur [illegible]ellius c. 6. sec. 4. & hoc idem docent Nauarrus, Suarez, [illegible]ersa, Labatus, & plures alij Recentiores. Ex quo etiam [illegible]ducitur perpetuò amentes esse huius sacramenti incapa[illegible]s, quia in his quoque verificari nequit forma, & principa[illegible]s finis propter quem hoc sacramentum est institutum.

Dices, licet paruuli non sint capaces deletionis peccato[illegible]um, tamen sunt capaces gratiæ, & augmenti; ergò non es[illegible]et inualidum hoc sacramentum, si eis applicaretur, atque ità videntur eius capaces.

Resp. Suarez *disp. 42. sec. 1.* negando consequentiam, quia augumentum, vel infusio gratiæ est generalis effectus sacramentorum, qui per singula sacramenta non datur, nisi vt coniunctus proprijs effectibus sacramentorum ipsorum, & ideò vbi non est capacitas primarij, & proprij effectus, nec est capacitas sacramenti, nec effectus communis sacramentorum quatenus per tale sacramentum conferendus est. At hæc responsio non satisfacit, quia idem dicendum esset de Baptismo respectu eius, cui antecedenter per contritionem, vel baptismum in voto fuisset originale deletum, & tamen hic baptismus esset verum sacramentum, & vnum tantùm haberet effectum; Tùm quia idem sequeretur absurdum de ipsamet Vnctione, si applicaretur carentibus etiam peccato veniali, si omnia supponantur remissa per sacramenta præcedentia Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, vel per alia sacramentalia, & tamen adhuc esset verum, & validum sacramentum, vt dictum est supra q. 4. *art. 2. n. 80.*

106 Respondetur ergò melius sacramenta esse quidem instituta ad causandam gratiam, cùm hæc sit communis eorum effectus, non tamen instituta sunt ad eam quomodocunque causandam, sed tanquam necessarism ad aliquem peculiarem effectum eis proprium; alioquin sequeretur, quod cùm gratia habitualis ab omnibus causata sit eiusdem speciei, eosdem quoque effectus produceret in singulis sacramentis, & omnia quoque sacramenta eiusdem essent speciei; Hinc diximus in superioribus Baptismum esse institutum ad causandam gratiam, qua deletur originale, & cætera actualia; Pœnitentiam ad causandam gratiam, qua delentur actualia post baptismum commissa. Confirmationem ad causandam gratiam, qua homo valeat fortiter confiteri fidem, & sic de alijs; sic ergò in proposito extrema Vnctio instituta est ad causandam gratiam deletiuam secundùm se venialium in homine eorum capaci, ad confortandum contrà tentationes, & ad alleuiandam animam, vt constat ex dictis, cùm ergo paruuli nec peccatorum, nec tentationum Dæmonis sint capaces, consequenter neque huius sacramenti sunt capaces, nec gratiæ per illud collatæ, quæ de se est deletiua venialium in subiecto capaci eorum; & hac ratione Baptismus B. Virgini collatus fuit validus, quia licet nullum contraxisset originale peccatum gratia Dei præuenta in sua Conceptione, fuit, tamen eius capax, & debitum habuit illud contrahendi eo ipso, quod fuit filia Adæ.

107 Dices rursus, licet pueri antè vsum rationis sint incapaces exercitij Confirmationis, & ordinis, adhuc tamen vtrumque sacramentum validè possunt suscipere; ergo quamuis suscipere non possint effectum extremæ Vnctionis primarium, poterunt nihilominus validè illam suscipere.

Respond. negando paritatem, quia sacramentum Confirmationis, & Ordinis imprimunt characterem, atque ideò nullum est inconueniens quod pueri possint hæc sacramenta validè suscipere, sicut & gratiam eorum sacramentalem, quæ tribuit ius ad quædam auxilia præstanda ad actus eorum ritè exercendos tempore opportuno, quamuis enim pro illo statu pueri non sint capaces exercendi huiusmodi actus, possunt tamen illa sacramenta eis conferri, quia per se infans est in via perueniendi ad ætatem adultam, in qua poterit actus illos exercere ratione vtriusque characteris in eo indelebiliter impressi; At verò sacramentum extremæ Vnctionis characterem non imprimit, ratione cuius sit irreiterabile, & conferat ius ad auxilia quædam hic, & nunc in illa ægritudine per ordinem ad effectus, quorum pueri antè rationis vsum sunt incapaces: tùm quia extrema Vnctio datur præcisè infirmis, qui sunt in via ad propinquam mortem in eorum peccatorum remedium, quæ iam ab eis commissa sunt, non ergò dari potest tunc infantibus, qui adhuc peccare non potuerunt.

Sed oritur Difficultas an necesse sit hominem habere 108 vsum rationis, quando suscepturus est hoc sacramentum, vel licitè ministrari etiam possit ijs, qui de facto nullum ostendunt rationis vsum, dummodò illum antea habuerint. D. Thomas *quæst. 32. art. 3.* in supplemento ad 3. partem docere videtur hoc sacramentum non esse conferendum, nisi ijs, qui actualiter vsum rationis exercent, itaut cognoscant, & cum deuotione hoc sacramentum suscipiant, ideoque non debere dari furiosis, & amentibus, nisi in statu aliquo lucidi interualli, si eo fortè potiantur; Fundamentum est, quia non debet hoc sacramentum dari, cui non potest suum primarium conferre effectum, qua ratione dicebamus dari non posse infantibus; sed primarius huius sacramenti effectus est animum roborare contrà Dæmonis tentationes in articulo mortis superandas, qui participari non potest, nisi homini rationis vsum habenti, vt de se constat, ergo &c.

Confirmatur, quia non debet hoc sacramentum ministrari, nisi illud petentibus, vt constat ex illis D. Iacobi verbis significatur quis in vobis, *inducat Presbyteros &c.* quibus inducere, ficat eundem, qui infirmatur, debere Presbyteros petere non potest, sed carens vsu rationis hoc sacramentum petere non potest, ergo &c. Demum, quia hoc sacramentum suscipientis & suum effectum mediante motu, & deuotione suscipientis fecundum, ideò non potest dari illi, qui non est capax talis motus secundum præsentem statum, in quo tale sacramentum recipit.

Communis tamen Theologorum sententia docet, hoc sa- 109 cramentum conferendum esse cuicunque adulto, qui aliquando rationis vsum habuit, etiamsi de facto nullum rationis indicium ostendat, dummodò certò non constet eum, & de antequam rationis vsum amisit, fuisse in peccato, & de illo non doluisse, velut si quis blasphemus in amentiam statim incideret; ità Paludanus, Soto, Nauarrus, Siluester, Suarez, Amicus, Auersa, & ex nostris Hiribarnes, Faber, Brancatus, & alij Recentiores passim, & eandem doctrinam ferè omnia Ritualia tradunt, & Catechismus Ipse Romanus de hoc sacramentum n. 9. in fine; deducitur ex 26. q. 6. *cap. Qui recedunt cap. His, qui & cap. Agnouimus,* vbi dicitur, quod si infirmus baptismum petat, vel sacramentum pœnitentiæ, deindè obmutescat, nec possit amplius loqui, aut petere, est baptizandus, & absoluendus; ergo idem de furiosis dicendum est, & amentibus, tam in his sacramentis recipiendis, quam extrema Vnctione, in eo enim statu moraliter iudicantur, in quo erant antè amentiam, non enim diuinæ pietati consentaneum est, vt in tali misero statu tanto priuentur beneficio. Accedit, quod primarius huius sacramenti effectus non est tantum animi roboratio contra morbi difficultates, & Dæmonis tentationes, sed præsertim etiam peccatorum venialium remissio, & aliorum quoque inculpabiliter obliuiorum, vel quæ per alia sacramenta non fuerunt remissa, vt constat ex superius dictis; quamuis ergò amentes in tali statu sint illius primi effectus incapaces, adhuc tamen sunt capaces alterius, scilicet, remissionis peccatorum fieri enim potest, vt quis in peccato existens cum sola attritione in amentiam incidat, tunc enim virtute huius sacramenti amens gratiam accipiet, & de attrito fiet contritus, quia alioquin damnaretur.

Quamuis autem hæc ad sacramenti substantiam suffi- 110 ciant, docet tamen Catechismus *loc. cit.* Ministros huius sacra-

sacramenti curare debere, vt detur fidelibus eo tempore, quo sui compotes sunt, propinque actu possunt se se ad hoc Sacramentum melius præparare, estque valdè consentaneum reuerentiæ huic Sacramento debitæ, & modo operandi eius; Vnde quando amentes actus faciunt indecentes, & irriuerentes, curare debet Minister, vt Sacramentum conferat eo tempore, in quo furiosus ab illis motibus abstineat, vel saltem tempore somni; quod si neque in his circumstantijs, & cautelis hæc incommoda euitari possint, præstabit ei Sacramentum non conferre, nam absolutè loquendo potius indemnitati, & reuerentiæ Sacramenti consulendum est, quàm amentis vtilitati; vt notat Brancatus noster *loc. citat.* vel saltem debet furiosus ligari exclusis tamen Laicis ad tollendum scandalum, & ità inungi, vt volunt Auersa, Zambranus, Barbosa, Diana, & alij Summistæ.

111 Ad fundamentum in oppositum negatur minor, quamuis enim animi roboratio contrà Dæmonis tentationes sit proprius, & peculiaris huius Sacramenti effectus; non tamen est effectus principalis, & principaliter intentus, sed est finalis remissio venialium per se, mortalium verò per accidens modo iam explicato *quæst.4.art.1.* cuius homo est capax etiam in tali statu. Ex quo patet discrimen inter adultos perpetuò amentes, & alios, qui aliquando rationis vsum habuerunt, quoniam illi nullius horum effectuum, qui huius sacramenti sunt præcipui, capaces existunt, sicut isti; non debet autem hoc Sacramentum illis conferri propter solùm effectum secundarium, qui est corporis sanitas, nec semper confertur, quando etiam adest rationis vsus.

Ad Confirmationem dicendum necessariam non esse in infirmo petitionem formalem, & expressam huius Sacramenti, sed sufficere virtualem, & interpretatiuam in ipsa voluntate inclusam, quam vnusquisque habet de propria salute; nam si hoc verum est de Sacramento Baptismi, Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, vt Ritualia docent, tantò magis de hoc sacramento verificabitur, quod ab actibus suscipientis non pendet in suo effectu conferendo.

Ad vltimum, probat solùm ad maiorem reuerentiam sacramenti, & vberiorem fructum suscipientis curandum esse, vt hoc sacramentum præbeatur infirmis, quando sunt mentis compotes, distinguere autem oportet id, quod sufficit ad substantiam sacramenti, vel quod necessarium est, vt honestè, & rectè ministretur; ad illum enim non est necessarium, vt qui illud recipit tunc sit sui compos, aut rationis vsum habeat, sed satis est, quod aliquando illud habuerit, & virtualiter saltem, ac implicitè susceptioni huius Sacramenti sufficientem consensum præstiterit.

112 Tertiò, vt homo sit huius sacramenti subiectum capax, debet esse infirmus, non vtcunque sed grauiter infirmus ita vt de vita periclitetur; idque colligitur ex verbis Apostoli, *Infirmatur quis vestrum &c.* & sic de sensu horum verborum expressit Concilium Florentinum, dùm dixit, *Hoc sacramentum, nisi infirmo, de cuius morte timetur, dari non debet*, & Tridentinum. *Non nisi infirmis in exitu vitæ constitutis videantur*; Vndè, vt ait Doctor *loc. cit.* non potest hoc sacramentum ministrari constituto in articulo mortis, si talis infirmus non sit, vt qui mox ad patibulum rapiendus est, vel in maris tempestate iactatus mox submergendus, vel iturus ad prælium, in quo certò sit moriturus; Potest tamen inungi qui pestem contraxit vel qui venenum accepit, aut læthale vulnus, propter quod est in periculo mortis, quia iam verè ægrotat, licet causa ægritudinis fuerit extrinseca, & violenta, quod accidentarium est, & in hoc omnes Doctores conueniunt; Et quidem hoc ita necessarium est, vt infirmitas non solùm conditio ad effectum sacramenti requisita, sed etiam ad valorem; quamuis enim Sacramentum hoc non includat subiectum infirmum, tanquam partem constituentem, & materiam componentem, supponit tamen illud, vt conditionem ad sui valorem essentialiter requisitam, quemadmodum Sacramentum Ordinis licet subiectum, cui confertur, non includat, vt partem sui constituentem, adhuc tamen necessariò illud supponit, vt conditionem ad sui valorem essentialiter requisitam, vndè defectu capacitatis subiecti character Ordinis feminæ non imprimitur.

Ratio autem cur infirmis tantùm naturaliter non autem alijs aliàs violenter ex hac vita discessuris, paratum

per ægritudinis molestias corporei sensus adeò doloribus, & anxietatibus opprimi solent, vt facilè in desperationem laberetur infirmus, & satis difficulter Dæmonis tentationibus resisteret, nisi hoc cœlesti remedio adiuuaretur, qui animam alleuiat, & confortat, quæ incommoda in alijs decessuris protius cessant, cùm integris sensibus, & pleno vsu rationis moriantur, quarè diuina gratia suffulti ex opere operantis his omnibus incommodis occurrere possunt. Vndè colligere licet sacramentum hoc esse specialiter institutum ad roborandum hominem corpore deficientem ob ægritudinem; quando autem sanus est, licet sit morti vicinus, adhuc naturales vires habet integras, & si deficit, hoc non est ab intrinseco propter ægritudinem, sed per accidens, & ab extrinseco ob violentiam, & ideò non est pro illo Sacramentum hoc institutum.

Sed hic emergit Difficultas, an ad validitatem huius Sa- 113
cramenti pertineat, vt infirmus versetur in vero periculo vitæ, an sufficiat, vt tantùm sit in periculo probabiliter putato; Ratio dubitandi est, quoniam sicut ad valorem Sacramenti non sufficit materia, quam quisque probabiliter idoneam putat, sed necessaria est illa, quam Christus reipsa instituit, ità ad valorem huius sacramenti ea infirmitas erit necessaria conditio, quam Christus reipsa instituit, non quam quisque probabiliter putat; vndè sicut non valeret Sacramentum Ordinis fœminæ collatum probabiliter putato viro, ità nec sacramentum Extremæ Vnctionis valebit collatum infirmo non reipsa, sed probabiliter tantùm putato in periculo vitæ; non enim apparet ratio, cur probabilitas materiæ sufficiat ad huius Sacramenti valorem, & non illius, cum vtrobique eadem ratio militare videatur. 114

Dicendum tamen est, cum Scoto infrà citando ad valorem huius sacramenti sufficere, vt morbus probabiliter putetur periculosus Medicorum, & peritorum iudicio; ità Coninchius *disp.19.dub.7.* Amicus *disp.19.sec.9.* & alij Recentiores, quod satis clarè colligitur ex præcitatis Concilij Tridentini verbis, cùm inquit hoc sacramentum illis duntaxat infirmis conferendum esse, *qui in exitu vitæ constituti videantur*, non enim dixit sint, quod designat periculum in reipsa, sed *videantur*, quod ad prudens iudicium refertur. Hoc idem clarè colligitur ex communi Summistarum doctrina, qui dicunt expectandum non esse supremum mortis articulum, & ineuitabile periculum, quando infirmus animam agit, sed constitutis in mortis periculo, etiamsi alioquin spe vitæ non careant, omninò hoc sacramentum esse conferendum, vt ob sacramenti reuerentiam possi
aliquem deuotionis actum in eius susceptione elicere; si
enim corporis salus, quando animæ saluti expedierit, sup
naturali virtute ab hoc Sacramento causetur, certè ta
non est expectandum tempus, in quo sanitas corporali
traordinario modo, & per miraculum euidens confer
quando commodè & opportunè id fieri possit; nam
euenit, vt infirmus iam sit perductus in vltimum vitæ
men, & punctum, debet ei adhuc sacramentum co
etiamsi nullum possit elicere deuotionis affectum: i
muniter discurrunt Morales in hoc puncto: const
in tali tempore, & statu infirmitatis morbum pr
tantùm putari periculosum, nec adhuc periculu
rum, & omninò certum, cùm non sit adhuc penit
rata salus, sicut est in supremo mortis articulo. D
etiam ratio ipsa suadet, quia si hoc sacramentum
rem requireret verum vitæ periculum in reipsa.
multoties hoc sacramentum suo effectu frustrar
semper potest moraliter sciri, quando sit veru
periculum mortis, cùm ex causis nobis occulti
pendeat. Ex quo etiam patet solutio rationi
adductæ, dispar enim est ratio de materia sa
non enim est tanta difficultas dignoscendi ea
Christus reipsa instituit, quanta est difficu
verum mortis periculum, vt benè not
citato nam illa pendet ex causis pater
nimirum ex ipsa Christi institutione nob
hoc verò pendet à causis occultis, & pa
inter virum, & fœminam aperta interc
nibus nota. Itaque ad valorem sacram
quod morbus probabiliter putetur pe
esset reipsa talis, & hoc totum ex
citato dùm ait hoc sacramentum e
qualitercunque infirmo, sed periculosè,
[illegible] de statu viatoris ad

Beata Virgo nunquam corporali ægritudini ... n potius absque dolore, & morbo orans, ... oni vacans animam Deo reddidit, & nihilo... nente sibi morte hoc sacramentum ab Aposto... t grauescestantur Auctores Albertus Magnus, ..., Bernardinus de Bustis, Canisius, Siluester, o citrà infirmitatem homo est huius sacramenti

...ent aliqui, quod estò B. Virgo non obierit ex in... subortа ex primarum qualitatum alteratione, & ...n inordinatione; obijt tamen ex quadam corporis ...e ab intrinseco sibi proueniente, quæ imbecillitas ...e progressa fuit, vt corpus ab anima naturaliter am... formari non potuerit; & hæc imbecillitas graui in... ...ti æquiualet, & satis est ad ratitudinem, & valorem ...acramenti, passim enim concedunt Doctores homi... ...nio confectum, & propè mortem debilitatum abs... ...lia infirmitate inungi posse, quia hoc totum grauissi... æquiualet infirmitati. Verùm hac tota doctrina admis... adhuc probabilius censeo B. Virginem in obitu suo hoc ...amentum non suscepisse, vt sentiunt Paludanus, Ga...el, & Franciscus Victoria cum alijs Auctoribus, quos bre...atis causa omitto, & planè satis rationabiliter, quia nul...n istius sacramenti effectum participare poterat, non qui...m remissionem peccatorum, cum nullius actualis culpæ ...nquam rea fuerit, nec alleuiationem contrà tentationes Diaboli, aut infirmitatis molestias, contrà quas ex alijs per...ectionibus suis erat sufficientissimè munita, nec tandem re...stitutionem sanitatis siquidem ob eius dignitatem nunquam infirmitati succubuit, vt Patres testantur, nec quidem in ipso mortis articulo, qui proindè eius mortem dormitio...nem appellant, sicut ergo effectuum sacramenti huius par...ticeps esse non poterat, ità neque eiusdem capax censeri de...bet, & ità etiam ex nostris sentiunt Hiribarnes, Hiqueus, & Poncius.

116 Quartò tandem dubitatur, an hoc sacramentum ad sui validitatem postulet, vt subiectum eius aliquando peccaue...rit actualiter, Negant Henriquez, Suarez, Coninchius, Filliucius, Diana, Bonacina, & ex nostris Poncius, Bran...catus, & Aretinus; Fundamentum est, quia nec ex verbis Apostoli, nec ex Concilijs, nec ex forma, vel materia, nec ex fine, & effectu primario huius sacramenti colligitur talis conditio, vt qui vngendus est fuerit aliquando peccati reus; nam verba Iacobi sunt conditionata, *& si in peccatis sit, di...mittentur ei*, vndè etiamsi nulla sint peccata, adhuc sa...cramentum conficitur; Forma verò intelligenda est iuxtà verba Apostoli, ex quibus est desumpta, nempè conditio...natè, & potentialiter, non absolutè, & actualiter; & tan...dem finis principalis huius sacramenti est roborare infir...mum ad tentationes Dæmonis superandas, quo subsidio in...diget etiam, qui nunquam actualiter peccauit.

Confirmatur, quia ex communi omnium sententia si quis in fine vitæ baptizetur, & viaticum sumat, potest adhuc hoc sacramentum suscipere, etiamsi nullum peccatum post baptismum commiserit, & priora pœnitus per baptismum fuerint extincta; & pariter si quis post peccata actualia san...ctissimè vixerit absque vllo peccato etiam veniali ex speciali Dei priuilegio, talis adhuc esset huic sacramenti capax; er...go esset capax etiamsi nullum anteà commisisset peccatum. Tandem actualia peccata non sunt materia, nec proxima, nec remota huius sacramenti, sicut sunt Pœnitentiæ; ergo sine ijs possunt applicari omnia essentialia ad hoc sacramen...tum conficiendum: Et sicut validum est Baptismi sacramen...tum collatum subiecto, quod nunquam peccauit, idem pari...ter de hoc sacramento dici poterit, cùm vtrumque sit remis...siuum peccati, quod in subiecto sine obice inuenit. Et hanc sententiam sequuntur quicunque docent B. Virginem hoc sacramentum suscepisse; ij omnes inquam, affirmant, vt ho...mo sit capax huius sacramenti opus non esse, vt sit in actuali peccato veniali, vel aliquando in eo fuerit, sed sufficere, quod in eo esse possit, vel potuerit.

117 Opposita sententia est expressè Scoti *loc. cit.* dùm in huius sacramenti definitione ponit, quod sit Vnctio infirmi pœni...tentis, pœnitens autem non est propriè loquendo, qui nun...quam peccauit, sed solùm peccare potuit; ibidem etiam sub lit. B. excludit ab huius sacramenti capacitate perfectè innocentes, qui scilicet, actu venialia peccata non habent, nec habuerunt, licet potuerint habere; idem etiam docuit S. Bonauentura, 4. *dist.* 23. *art.* 2. *quæst.* 3. ad vltimum, licet pro alia sententia citari soleat, nam sibi obijciens, falsum esse huius sacramenti formam prolatam super organum sensus, quo semper, caruit infirmus, vt suprà cæcum à natiuitate; respondet negando sequelam, nam estò per illud nunquam peccauerit, actu tamen peccauit interno appetitu optando per tale organum peccare, si illud haberet; si autem S. Doctor putasset ad huius sacramenti valorem sufficere peccatum tantùm in potentia, ad propositam obiectionem sol...uendam non recurrisset ad actum appetitus interni, sed ad potentiam, qua potuit per tale organum peccare; Et quidem id satis clarè deducitur ex Tridentino dùm ait ex sententia Patrum hoc sacramentum esse consumatiuum pœnitentiæ, vbi enim non potest esse pœnitentia, nec etiam eius consu...matio esse poterit; perfectè autem innocens, qualis est qui nunquam peccauit, licet peccare potuerit, nequit esse subiectum pœnitentiæ capax; ergo neq; extremæ vnctionis, quæ est eius consumatiua, quatenus supplere debet id, quod sacramentum Pœnitentiæ vel non potuit, vel omisit. Idem etiam expressè Concil. indicat, dùm absque conditione ait, abstergere peccatorum reliquias, hoc enim indicare voluit non dari, nisi ijs, qui peccarunt. Hoc tandem pro...bant etiam ex veritate formæ huius sacramenti Hiqueus, & Amicus hanc opinionem tuentes, tanquam probabiliorem, & de mente Doctorum nostrorum Seraphici, & Subtilis, cùm enim forma huius sacramenti remissionem peccato...rum expressè importet, vt patet ex illis verbis *Indulgeat ti...bi Deus quicquid per visum deliquisti*, planè verificari non potest de subiecto, quod nullum vnquam peccatum com...misit, sicut nec verificaretur forma absolutionis de subie...cto, quod nunquam peccauit; nam licet neutra forma necessariò supponat actuale peccatum in subiecto, quia fieri potest, vt omnia peccata actualia supponantur remissa, vel per actum contritionis, vel per sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ; necessariò tamen supponere debet saltem pra...cessisse aliquod actuale peccatum in tali subiecto, vt forma ipsa verificetur, & vt subiectum sit capax gratiæ peccatorum remissiuæ, quam confert sacramentum Pœnitentiæ, & extremæ Vnctionis illius consumatiuæ, alioquin neutra forma verificari posset, quia nullum peccatum est in subie...cto, nec vnquam fuit. Et hoc etiam probat Auersa ex mate...ria huius sacramenti, quia Vnctio significat spiritualem cu...rationem spiritualis infirmitatis, seu debilitatis, & coniuncta cum dictis verbis formæ significat curationem debilitatis ex actualibus peccatis relictæ, & non ex solo originali vt dice...bat Suarez. 118

Ad Fundamentum oppositæ sententiæ negatur assum...ptum, vt patet ex probatione conclusionis, & Apostolus di...cendo *si in peccatis sit, remittentur ei* sub conditione quidem posuit, si adhuc maneat in peccatis, sed absolutè suppone...bat commisisse peccata, adeout sensus sit, si adhuc sit in pec...catis, quæ commisit, remittentur ei ipsamet peccata, & non solæ peccatorum reliquiæ abstergentur. Ad Confirma...tionem negatur consequentia, nam sufficit, vt aliquando actu pecca...uerint ad formam huius sacramenti verificandam, siqui...dem potest ijs etiam denuò, & sæpius dari ipsa quoque sa...cramentalis absolutio, vt *disp. præc.* dictum est, quæ tamen absque peccatis simpliciter dari non potest. Ad vltimum ne...gatur, assumptum, quia sicut remissio finalius venialium est primarius huius sacramenti effectus ità pariter venialia finalia sunt huius sacramenti propria materia, vt constat ex dictis suprà q. 4. & dato etiam antecedente adhuc negan...da est consequentia, quamuis enim peccata actualia, & eo...rum reliquiæ non esset materia huius sacramenti, sicut Pœnitentiæ; sunt tamen conditio omninò necessaria, vt ma...teria, eoque magis forma huius sacramenti suam significa...tionem, ac verificationem habeat, suumq; effectum prima...rium præbeat; quarè omninò negandum est, omnia essentia...lia huius sacramenti applicari posse subiecto, quod nūquam peccauit, quia saltem nō potest applicari forma quoad suum formale significatum, quæ est gratia peccatorum remissiua; qua ratione negatur etiam paritas assumpta de Baptismo, & hoc sacramento, quoniam in forma Baptismi nullum exprimitur peccatum, sicut exprimitur in forma extremæ Vnctionis.

Dices, posse hoc sacramentum in tali subiecto, quod nunquam peccauit, habere saltem effectum roborationis animi contra morbi molestias, & Dæmonis tentationes, ac etiam effectum sanationis corporis; ergo non omninò suo fine frustraretur. Resp. negando assumptum, quia finis prima-

primarius huius sacramenti, vt sæpè dictum est, est remis-
sio finalis venialium, vt patet ex vi verborum formæ; &
gratia, quæ per illud causatur, ad eundem tendit finem vt
scilicet, deleat venialia, & det auxilium ad superandas ten-
tationes in extremo agone, cæteri autem fines secundarij
sunt, & minus principales supposita autem in homine inca-
pacitate lapsus venialis, vel quod nunquam actualiter pec-
cauerit, cessaret etiam finis primarius, & præcipuus, ac con-
sequenter alij quoque secundarij, & minus principales, quia
cum quodlibet Sacramentum principaliter sit institutum
propter suum primarium finem in eius forma expressum,
vbi principalem finem suum habere nequit, nec etiam se-
cundarium habere poterit, quia secundarius est quid acces-
sorium; & propter primarium, vt notat etiam Amicus loco
supra citato.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Obligatione, & modo suscipiendi hoc Sacramentum.

119 QVoad primam quæstionis partem Magister sententia-
rum, Petrus Soto, Turrianus, & pauci quidam alij di-
xerunt obligari Fideles sub peccato mortali ad huius Sacra-
menti susceptionem, itaut etiam omissio ex sola negligentia
sit grauis culpa. Hoc autem præceptum Primò deducunt
ex scriptura, Iacobus enim videtur hoc præcepisse, vel Chri-
sti præceptum promulgasse dicendo *Infirmatur quis in vobis*
inducat Presbyteros Ecclesiæ &c. Secundò ex Concilijs,
nam Concilium Coloniense celebratum anno 1536. *part. 7.*
cap. 50. sic ait, *est autem Vnctio impendenda cum exposit ione*
Vnctionis, & mandati Apostolici, quod sic habet Infirmatur
quis in vobis &c. vbi vt patet, hanc Vnctionem appellat
mandatum Apostolicum, & Concilium Senonense cele-
bratum anno 1528. decreto decimo §. penultimo de Extre-
ma Vnctione vocat Christi præceptum, & Concilium
Tridentinum cap. 3. damnat eos, qui dicunt hanc Vnctio-
nem non continere mandatum Dei, & eos, qui dicunt posse
à Fidelibus sine peccato contemni. Tertio ex ipsa Ecclesiæ
consuetudine, & Fidelium, quæ sanè communissima est
tam ex parte infirmorum illud suscipientium, quam Pasto-
rum illud sollicitè ministrantium, ac etiam familiarium,
qui illud in memoriam infirmo inducere studeant, & Paro-
chum aduocare, quandò tempus adest, & commoditas, vt
id fieri possit. Tandem ex ratione, quia vnusquisque obli-
gatur ex charitate ergà seipsum consulere suæ saluti quan-
tum potest, & præsertim in mortis articulo; sed hoc Sacra-
mentum tunc est opportunissimum medium quo se ad mor-
tem præparet, ac disponat, & quo se armet, & muniat ad-
uersus molestias, & tentationes tunc vrgentes; ergo tenetur
tunc illud suscipere.

120 . Communis tamen, ac receptissima Theologorum, &
Summistarum sententia est, huius sacramenti susceptionem
per se loquendo non cadere sub obligatione, & præcepto,
sed esse tantùm de consilio; aliundè tamen, & per accidens
posse in eius omissione peccatum mortale incurri; Quo-
rum vnicum, & præcipuum fundamentum est, quia non
apparet, vndè talis obligatio deduci possit, vt patet discur-
rendo per singula capita pro obligatione adducta non enim
tale præceptum ex natura rei sequitur ex institutione huius
sacramenti, quia hoc sacramentum non est medium neces-
sarium ad salutem, sed tantum vtile, & ad melius esse,
quia potest aliquis sufficienter per Sacramentum Pœniten-
tiæ, & Eucharistiæ sanctificari, & saluari; tùm quia hoc sa-
cramentum prohibetur tempore Interdicti, vt patet in cap.
Quod in te de pœnitentijs, & remission. quo tamen non pro-
hibentur media ad salutem necessaria; quamuis autem sit
medium maximè conueniens, & opportunum, non tamen
tenetur homo facere, quod melius est, sed solùm adhibere
omne medium necessarium, & facere, quod debitum est.
Neque est medium necessarium, & facere, quod d... non
enim tale præceptum inuenitur in Scriptura, nam Apostolus
enim hoc Sacramentum promulgans nullum ap-
posuit vim præcipiendi habens, sed simpliciter *Infir-*
matur quis in vobis, inducat Presbyteros &c. Vbi non est
locutus præcipiendo, aut promulgando Christi præceptum,
sed tantum docendo, & admonendo, vt Patres exponunt.
Nec tale præceptum inuenitur in Concilijs, nam Colonien-
se, & Senonense non loquuntur de præcepto suscipiendi,

sed administrandi hoc Sacramentum, nam superiores, &
Pastores animarum ex vi sui officij vtique obligantur pe-
tentibus illud administrare, vt patebit q. *seq.* comparat enim
ibi præsertim Concilium Senonense præceptum vngendi in-
firmos præcepto, quo Apostoli ex instituto Christi ad præ-
dicandum missi infirmos vngebant Marci 6. illud autem
non obligabat infirmos, vt Vnctionem susciperent, sed Apo-
stolos, vt infirmis illam administrarent, atque ideò neque
hoc obligat infirmos, sed Pastores. Nec Concil. Trident.
aliquid eiusmodi insinuauit, nam *sess.* 7. de sacramentis in
genere solum dixit, non omnia esse singulis ad salutem ne-
cessaria, in *sess.* verò 14. agens de hoc sacramento tantùm
dixit, non posse à Christianis sine peccato contemni; &
quando damnat eos, qui dicunt hanc Vnctionem non con-
tinere mandatum Dei, accipit ibi mandatum Dei pro insti-
tutione ipsa Christi, siuè pro iussione, vt extaret in Ecclesia
hoc sacramentum, vt animarum Pastores illud haberent pa-
ratum ad ministrandum.

121 Neque etiam talis obligatio rectè deducitur ex consuetu-
dine Ecclesiæ, & Fidelium nam tempore Interdicti Sacra-
menta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ ministrantur proximè
morituris, non tamen concedit Ecclesia extremam Vnctio-
nem administrari posse, vt suprà dictum est; ergo ex con-
suetudine Ecclesiæ non sufficienter deducitur talis obligatio
præcepti; Tùm quia non quicquid solitum, & consuetum
est, eo ipso obligationem inducit, vel sub obligatione cadit,
sed solùm quando introducitur in populo, & inolescit obli-
gatio animo, & intentione obligandi, vt dicitur in tractatu
de legibus, in hac autem re hactenus nõ adfuit talis animus,
& intentio Ecclesiæ, sed sola deuotio, & pia voluntas ob ma-
iorem ægrotantium vtilitatem. Nec tandem sufficienter de-
ducitur talis obligatio ex motiuo præcepti Charitatis ergà
seipsum, nam infirmus suam reddit salutem certam, ipsique
sufficienter consulit, si sacramentum Pœnitentiæ, & Eucha-
ristiæ susceperit, vndè quamuis sacramentum extremæ Vn-
ctionis sit maximè vtile, & optimum sit consilium illud su-
scipere in mortis articulo nihilominus sub præcepto non
obligatur, quia vt dictum est, nõ tenetur homo facere, quod
melius est etiam ex præcepto charitatis extrà seipsum, sed te-
netur adhibere solùm omne medium necessarium, & facere
quod est debitum. Et hæc vera sunt per se loquendo, spectata
nimirum sola institutione, & natura huius sacramenti, nam
aliundè, & per accidens potest incurri peccatum mortale in
eius omissione vt in secunda parte assertionis dictum est; nã
ratione scandali, vel contemptus posset infirmus grauite
peccare hoc sacramentũ omittendo, vt fusè declarat Aue
sa q. cit. sec. 9. cum Suarez *disp.* 44 *sec.* 1. secluso verò conte
ptu, & scandalo, si nulla subsit causa omittendi peccabit
nialiter, vt sentiunt Coninchius, Laim. & Amicus, non
mortaliter. Atq; ità concludendum est nullam esse huiu
cramenti recipiendi obligationem, si secundum se p
consideretur, & ex vi suæ institutionis, licet enim vtili
sit, & saluberrimum, nullam tamen nec medij, nec p
necessitatem fert secum; fieri tamen potest, vt inte
firmus mortaliter peccet illud omittendo, si v.g. ex
pto omitteret, vel quamuis absit contemptus, si ex
illius scandalum sequatur, aut ipse infirmus pro
quod periculum salutis incurrat, quia nullum ali
mentum suscipere potest quo se morti præparet.
Sed quamuis hæc sit communis, vt dicebam,
sima opinio in omni Schola, adhuc tamen Pon
stris *disp.* 47. *quæst.* 4. in fine tenet infirmum ess
sub mortali; vt quando cognoscit se in periculos
ret quantum in se est, hoc sacramentum sibi a
Ratio eius est, quia vtilitas maxima spirituali
menti in ordine ad salutem animæ, ac etiam
ralis videtur, ex terminis exigere, quod qui
ret in ordine ad hoc applicare in casu, in q
media per se instituta ad supplendam illam
caret mortaliter; sed in graui infirmitate
dium à Deo per se institutum ad dandam
diat, neque ad alleuiandum infirmum, h
fortare, & adiuuare efficaciter contrà t
quæ sanè tentationes, nisi Deus sua gra
sine dubio nos impedirent.
Confirmatur, quia quamuis Deus
efficere, vt sine cultura terra produc
sarium ad restaurationem tempora
indigens illa sustentatione, & oblig

media ordinaria ad colendam terram
iter, ergo qui omitteret medium ordinatum
i, cum possit commodè illud applicare, pec-
car, vix moraliter dari posse casum, quo infir-
aliorum mediorum ad huius sacramenti susce-
geretur, quia cum hoc sacramentum à Sacerdo-
ministrari debeat, poterit infirmus loco huius
suscipere sacramentum pœnitentiæ, vi cuius di-
ueretur à peccatis confessis, & indirectè ab obli-
fficit ad animæ salutem, ac etiam ad eam confor-
ontrà Diaboli tentationes, fortior enim euadit eo
od à peccatorum onere alleuiatur, & quamuis ad
em sit præcipuè hoc sacramentum institutum, nul-
obligatio extat ad eum suscipiendum, cum non sit
ium nec necessitate medij, nec necessitate præcepti,
ex dictis; & sint alia media ad hos fines consequen-
itura, nempè Confessio, Contritio, & Eucharistia
ritione peccati inuincibiliter ignorati suscepta; Solus
fingi casus, vt notant Suarez, Auersa, Amicus, & alij,
acerdos vel nollet, vel non posset, quia absolutionem
raret, infirmi Confessionem excipere; vellet autem, &
et sacramentum Vnctionis ministrare; in hoc enim casu
probabile est, quod sub mortali teneretur hoc sacramen-
a suscipere, quia cum nequeat esse certus de vera Contri-
ne, & ex suppositione non suppetat ipsi aliud Sacramen-
m suscipiẽdum, tenetur adhibere certius medium ad suam
ificationem; hoc autem in eo casu aliud esse non posset,
iam hoc sacramentum, supposito quod nec etiam Euchari-
iam sumere possit, quod inueniens subiectum attritum fa-
ceret illud contritum.

Ad Confirmationem negatur paritas, & consequentia,
quia ad salutem animæ consequendam, & peccata remit-
tenda in articulo mortis præter hoc sacramentum sunt alia
quoque media instituta, nempè Confessio, Contritio, &
Eucharistia cum attritione peccati inuincibiliter ignorati
suscepta; at ad sustentationem temporalis vitæ cum fru-
mento, & pane necessaria est terræ cultura necessitate
medij iuxtà illud Genesis, *in sudore vultus tui vesceris pane*
&c.

124 Quoad alteram quæstionis partem de modo suscipiendi
hoc sacramentum, & dispositione ad illud requisita, est
etiam communis sententia, & Ecclesiæ praxis infirmum sui
compotem sacramentum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ reci-
pere debere, priusquam extrema Vnctio sibi conferatur si
tempus, & ipsius infirmi conditio, seù dispositio id permit-
tat, ità declarat Rituale Romanum, & etiam Catechismus
Romanus, qui vocat hanc Ecclesiæ consuetudinem perpe-
tuam, ac proindè ut esse seruandam, quod obligationem
denotat; *seruanda est* inquit num. 12. *Catholicæ Ecclesiæ per-*
petua consuetudo, vt ante extremam Vnctionem Pœnitentiæ,
& Eucharistiæ sacramentum administretur. Et hoc etiam indi-
cauit Scotus dist. 23. cit. sub B. dùm ait hominem pœniten-
tem esse huius sacramenti capacem, & rationem reddit, quia
nullus est illius capax, nisi sit in gratia, istud enim sacramen-
tum non est remedium acquirendi primam gratiam, nam
duo tantùm sunt sacramenta ad hoc per se instituta, sci-
licet, Baptismus, & Pœnitentia, quæ proindè dicun-
tur sacramenta mortuorum, hoc autem est de numero
eorum quæ viuis applicantur, ac proindè illud suscipiens
supponitur esse in gratia per sacramentum Pœnitentiæ præ-
cedens.

125 Quæres, an facta tali præparatione pro receptione huius
sacramenti, necessaria sit adhuc vlterior dispositio positiua
per aliquem virtutis actum, vel sufficiat sola dispositio ne-
gatiua idest non ponere obicem. Brancatus noster *disp. 40.*
art. 15. putat saltem dispositionem negatiuam non sufficere,
vt dignè hoc sacramentum suscipiatur, sed omninò necessa-
riam esse dispositionem aliquam positiuam per aliquem vir-
tutis actum, vel charitatis in Deum, vel pœnitentiæ virtutis,
aut Religionis circà ipsum sacramentum; quod probat præ-
sertim ex Rituali Romano cap. de extrema Vnctione, vbi
præscribit hoc sacramentum ministrari debere infirmo cum
integris sensibus existenti, hoc autem necessarium non esset,
si sufficeret, vt infirmus merè negatiuè se haberet; & ideò in-
quit *eo tempore ministrari debere, in quo adhuc in illis integra*
mens, & ratio viget, vt ad vberiorem sacramenti gratiam
percipiendam ipsi etiam suam fidem, ac piam animi volunta-
tem conferre.

Verum facta ea præparatione pro huius sacramenti perce-
ptione necessariam non esse vlteriorem dispositionem posi-
tiuam, sed sufficere negatiuam, idest non ponere obicem,
iam suprà dictum est quæst. 4. art. 1. n. 70. quod etiam expres-
sè fatetur Brancatus ipse in fine eiusdem articuli; cum enim
sibi obiecisse, solere Ecclesiam ministrare sacramentum hoc
moribundis ex improuiso, etiamsi sciat eos per plures men-
ses præcedentes caruisse sacramento pœnitentiæ; respondet
quod tales moribundi vel dederunt signa contritionis, vel si-
gna contraria, vel merè negatiuè se habuerunt; si primum
sufficienter sunt dispositi, quia Sacerdos accedens ad vngen-
dum, primò eos absoluit in vim præcedentium signorum,
deindè vngit; si contraria adfuerint signa, non confert sacra-
mentum; si tandem negatiuè se habuit circà hos actus ex-
ternos, præsumit Ecclesia, quod tales non habeant mortali,
vel internam habeant contritionem, & charitatem ergà
Deum, & ideò eis permittit dari hoc sacramentum, vt statuit
Rituale Romanum dicens, quod *si infirmi, dùm sana mente*
& integris sensibus essent, dederint signa contritionis, etiamsi
deindè loquelam amiserint, vel amentes effecti sunt, & delirent,
aut non sentiant, nihilominus præbeatur. Et posteà *art. seq. 16. §.*
2. loquens de primariò huius sacramenti effectu, qui est re-
missio venialium, ait hunc effectum causari ab hoc Sacra-
mento ex opere operato, dummodò suscipiens non ponat
obicem per complacentiam; quod probat, quia nisi ità cau-
saret, paruam, aut nullam quoad hoc vtilitatem infirmo ad-
duceret, deberet enim id præstare ex opere operantis; hoc
autem maximum esset infirmo incommodum, quia actus
multos deberet exequi cum magno labore, deberet enim
conari ad reminiscendum illa, deindè ea detestari. Ità
Brancatus verbatim *loc. citat.* quibus clarè fatetur, dum-
modò suscipiens sit in statu gratiæ, ad validitatem huius sa-
cramenti, & effectum eius consequendum non esse neces-
sariam dispositionem positiuam, sed sufficere negatiuam,
hoc est, non ponere obicem; Dùm autem ait Rituale Ro-
manum debere hoc sacramentum ministrari infirmo, quan-
do est mentis compos, & ratio viget; hoc solùm hortatur
pro maiori reuerentia sacramenti, & ad vberiorem eius gra-
tiam percipiendam ex opere operantis, vt patet ex eius ver-
bis; non autem ad simpliciter effectum eius consequendum,
nam sine huiusmodi actibus infirmi adhuc haberetur per
hoc solùm, quod non ponat obicem; vndè & infrà permittit
etiam amentibus, & delirantibus conferri posse, si anteà
dùm erant mentis compotes, illud petierunt, vel signa con-
tritionis dederunt.

Adhuc tamen verum est, quod si infirmus extremi vi 126
morbi oppressus confiteri non possit, debet actum contri-
tionis, vel saltem attritionis elicere, vt sacramenti huius vir-
tute peccatorum remissionem percipiat; sic enim adhuc, quia si
isto casu necessitatis censetur sufficienter dispositus, si ve-
veram habeat contritionem, eo ipso peccatum deletur, si ve-
rò habeat attritionem, adhuc valdè probabile est, vt inqui-
unt Suarez, Nauarrus, Isambertus, Poncius, Abellius, & alij
plures, quod hoc ipsum sacramentum, vt est consummatiuum
pœnitentiæ iuxtà phrasim Patrum, & Concil. possit per ac-
cidens tollere peccata illius, & consequenter illa attritio erit
sufficiens dispositio ad ipsius susceptionem; quamuis enim
hoc sit proprium, & singulare priuilegium Baptismi, &
Pœnitentiæ, quę proindè dicuntur sacramenta mortuorum,
ac proindè eis solùm per se, & ex vi eorum institutionis con-
ueniat; adhuc tamen valdè consentaneum est diuinæ pietati,
vt hoc etiam priuilegium saltem per accidens huic sacra-
mento conuenire possit ratione summæ indigentiæ, quam
habent infirmi in illo extremo agone, in quo maximè illis
Deus assistit iuxtà illud Psalmi *Domini Domini exitus mor-*
tis. Quod si contendas cum alijs solam attritionem non suf-
ficere in proposito casu pro sufficienti dispositione ad hoc
sacramentum recipiendum, sed esse debere, vel veram con-
tritionem, vel saltem talem putatam; quamuis iuxtà hanc
sententiam infirmus fructus sacramenti non perciperet, &
à parte rei inutiliter sacramentum esset ei collatum; adhuc
tamen Minister non inutiliter, nec malè ipsum administra-
ret, quia probabiliter putat illum esse benè, & sufficienter in-
dispositum.

QVÆ-

QVAESTIO SEPTIMA.

De Ministro huius Sacramenti idoneo.

127 DVae tantùm personae per se interueniunt in hoc Sacramento, nempè suscipiens, & ministrans, vndè ad illas tantùm pertinere possunt obligationes, seù praecepta, si quae sunt in hoc sacramento coniuncta; De suscipiente, & eius obligatione satis dictum est *quaest. praecedenti*; restat igitur, vt pro complemento huius Disputationis in hac quaestione vltima agamus de Ministro, & eius obligationibus in hoc sacramento administrando, quod duobus sequentibus articulis breuiter expediemus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quis possit hoc Sacramentum ministrare.

PRo resolutione quaestionis quoad hanc partem; primò certum est, & tanquam de fide tenendum, Ministrum huius sacramenti idoneum, qui vnctionem perficiat, & verba deprecationis proferat, esse solum Presbyterum, hoc est, Sacerdotem ritè ordinatum, & quidem non solùm de obligatione praecepti, sed maximè etiam de necessitate, & valore sacramenti, adeò quòd si Laicus attentet, nihil faciet, sicut si non Sacerdos attentet Eucharistiam conficere, nihil faciet; Et ità contra Haereticos huius temporis definitum fuit in Concilio Florentino, & Tridentino *sess. 14. de Extrema Vnctione cap. 3. & can. 4.* idque clarè deducitur ex verbis illis Iacobi, *Inducat Presbyteros Ecclesiae, & orent super eum vngentes eum oleo*, quibus verbis eisdem Presbyteris tribuitur oratio, & vnctio simul; & per Presbyteros hoc loco non intelligi aetate Seniores; vt Haeretici contendunt, sed officio, & dignitate, declarauit idem Concilium Tridentinum *cap. 3. cit.* dicens, quod *eo nomine non aetate seniores, aut primores in populo intelligendi veniunt, sed aut Episcopi, aut Sacerdotes ab ijs ritè ordinati per impositionem manuum Presbyterij*. Et hoc totum iam pridem docuit Scotus noster 4. d. 23. sub lit. D. dicens Sacerdotem esse huius Sacramenti Ministrum idoneum, non solùm, qui licitè exerceat, sed qui solus ministret, ita quod si alius attentaret, nihil faceret, & hoc ait exprimi à Iacobo per illud, *Inducat Presbyteros*. Et ratio congruitatis sic etiam postulabat, cùm enim hoc Sacramentum sit poenitentiae consummatiuum, vt Patres, & Concilia loquuntur, haec enim vnctio subnectitur ad finalem, & pleniorem peccatorum remissionem; conuenientissimè fuit à Christo institutum, vt eiusdem Ministri officium sit dicere, *Indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti*, cuius fuerat pronunciare, *Absoluo te à peccatis*; & cum Sacerdotalis ordinatio duas habeat partes, vnam qua praebetur potestas in corpus Christi verum, hoc est, potestas ad conficiendum Eucharistiae sacramentum; alteram supra corpus Christi misticum, hoc est, ad remittenda peccata poenitentium, in hac secunda parte simul continetur potestas ad ministerium Vnctionis; Ex quo tandem sequitur nulla necessitate, aut dispensatione, deficiente Sacerdote, posse hoc sacramentum ministrari ab alio Clerico, vel etiam Laico, sicuti constat de Baptismo, vt opinatus est Valdensis *tom. 2. de sacramentis cap. 163.*

128 Sed obijci solet Primò, quod Innocentius Primus Epistola ad Decentium Episcopum Eugubinum ait, non solùm Sacerdotibus, sed omnibus Christianis licitum esse vti hac vnctione in sui, ac suorum necessitate, & sunt ei formalia verba; ergo non est solius Sacerdotis hoc sacramentum ministrare.

Confirmatur, quia Baptismi quilibet homo est idoneus Minister ob eius summam necessitatem; ergo idem erit de hoc sacramento dicendum ob summam eius indigentiam in extremo vitae ad superandas morbi molestias, & Daemonis tentationes, & est diuinae pietati valdè consentaneum, vt ità hoc sacramentum instituerit. Demum quia Apostoli vngebant Marci 6. & tunc Sacerdotes non erant; ergo Laici quoque poterunt hoc sacramentum ministrare saltem in casu necessitatis; Consequentia probatur, quia tunc institutum fuit hoc sacramentum, vel saltem insinuatum, vt Concilium Tridentinum, atque ita tunc insinuatus Minister.

Respondent aliqui Innocentium in praecit. Epistola non loqui de oleo ab Episcopo consecrato, quod est huius Sacramenti materia, sed de aliquo alio oleo, quo tanquam sacramentali aliqui infirmi vtebantur, eo modo quo fideles vtuntur aqua benedicta; Sed quia haec solutio textui non est satis accomodata, in quo fit expressa mentio de oleo ab Episcopo consecrato, non est recedendum à communi solutione; Pontificem ibi non loqui de actiua administratione huius Sacramenti, sed solùm de vsu passiuo, atque ideò declarat omnes Christianos, non solùm Sacerdotes, sed etiam Laicos posse, & debere hoc sacramentum recipere, quae solutio ex ipso contextu deducitur, in quo de hoc vsu passiuo immediatè antè locutus fuerat Pontifex.

Ad Confirmationem negatur consequentia, cùm sit manifesta disparitas de baptismo, & hoc Sacramento, nam 129
conuenienter quidem ità institutum fuit de baptismo ob eius praecisam necessitatem; at hoc non est sacramentum necessitatis, sed tantùm vtilitatis, quia potest aliquis in extremo vitae per sacramentum poenitentiae, & Eucharistiae, ac etiam per contritionem sufficienter sanctificari, & saluari, vt dictum est *q. praec. art. 2. num. 123.* Ad vltimum patet ex dictis *quaest. 1. huius Disput. art. 2. num 14.* vnctionem illam Marci 6. fuisse curatiuam morborum corporis, non verò Sacramentalem.

Secundò certum est, quemlibet Sacerdotem posse validè hoc sacramentum administrare; Ità Doctores communiter, & clarè deducitur ex verbis Apostoli, *Inducat Presbyteros*, in quibus nulla fit exceptio, sed absolutè dicitur, & ratio etiam suadet valere hoc sacramentum à quocunque Sacerdote ministratum, quia omnis Sacerdos habet potestatem ordinis, quo sola hic requiritur ad valorem; Ex quo sequitur validum esse sacramentum extremae vnctionis, etiam à Sacerdote excommunicato collatum, & quauis censura ligato, imò & in Ecclesia degradato, sicut valeret etiam Eucharistiae consecratio, quia nempè character ordinis nunquam deletur, vndè quando dicitur soli Sacerdoti, & cuicunque competere hoc sacramentum infirmis conferre, intelligitur ratione potestatis ordinis; nam loquendo de potestate iurisdictionis non licet omnibus Sacerdotibus indifferenter hoc Sacramentum conferre, vt posteà dicemus.

Dices, istud sacramentum est veluti consumatiuum Sacramenti Poenitentiae; ergo debet administrari à Sacerdote eo modo, quo sacramentum Poenitentiae; at ad hoc validè ministrandum non sufficit potestas ordinis, sed requiritur etiam potestas Iurisdictionis; ergo idem pariter de Sacramento extremae vnctionis dicendum erit.

Respondetur negando paritatem, quia cùm poenitentiae sacramentum per modum iudicij exerceatur, exigit necessariò necessitate sacramenti iurisdictionem in Sacerdote, alioquin non valeret, quoniam absolutio datur in eo foro per modum iudicialis sententiae, quae certè non valet, nisi à legitimo Iudice proferatur; at verò sacramentum extremae vnctionis non est per modum iudicij, sed potius medicinae, atque adeò quamuis exigat iurisdictionem in Sacerdote, vt licitè ministretur; vt statim dicemus; nihilominus validum esset sacramentum ratione solius potestatis ordinis, quia ministeria, quae exigunt solam potestatem ordinis, seù characteris, & non iurisdictionis, à quolibet habente Sacerdotium possunt validè conferri, vt patet de Eucharistia.

Tertiò, etsi validè hoc sacramentum à quocunque Sacerdote administrari possit, non tamen licitè, nisi vel in extrema necessitate, vel de proprij Pastoris licentia saltem tacita, 1
quia hoc spectat ad debitum regiminis modum, & ordinatum exercitium potestatis ordinis; sicut sacramentum ipsum Baptismi, quod est adeò necessarium, potestque validè à quolibet ministrari etiam Laico, tamen secluso periculo, & casu necessitatis, non nisi à proprio Parocho, vel Pastore licitè conferri potest, vel committi. Quapropter in Clementina I. de Priuilegijs ipso facto excommunicantur Religiosi, qui praesumpserint absque Parochi licentia in articulo mortis, tam hoc, quàm Eucharistiae sacramentum ministrare. Vbi tamen communiter notant Doctores, Valentia, Suarez, Amicus, Auersa, Bonacina, Nauarra, & ex nostris Faber, & Hiribarnes, & plures alij, hanc excommunicationem à Religiosis non incurri hoc sacramentum administrantibus cum ratihabitione Parochi, vel quando infirmus est in mortis articulo, nec Parochus adest, nec potest tam citò vocari: quia tunc praesumitur adesse

consensus, & licentia Episcopi, vel Summi Pontificis, cùm non sit credibile Ecclesiam velle infirmos priuare tanto sacramento, & adeò vtili ipso mortis articulo; Imò dicunt, quod si constet Parochum iniustè hanc licentiam negare, posse quemcumq; Sacerdotem Sacramentum hoc in extremis constituto ministrare, quemadmodum, & sacramētum Eucharistiæ; quoniam in eo casu Ecclesia non censetur cum tanto damno Infirmi velle Sacerdotem excommunicationis vinculo innodare; Vndè communiter reijcitur opinio Syluestri, & D. Antonini 3. p. tit. 24. c. 34. vbi non concedunt Religiosis ob talem necessitatem, & præsumptam licentiam hoc sacramentum ministrare posse stante illa speciali prohibitione, & censura eos percutiente in Clementina citata; reijcitur inquam, quia rationabiliter putari non potest Pontificem voluisse pro tali casu loqui ideò Religiosi etiam tunc poterunt absq; excommunicationis periculo, vel peccati scrupulo infirmo in extremis constituto hoc sacramentum ministrare, quia in tali casu necessitatis non præsumit Religiosus in sensu Clementinæ, idest, non temerè sibi tale munus vsurpat, sed prudenter, & secundum leges charitatis ergà proximum. Et tandem etiam rectè notat Amicus ad hoc sacramentum licitè ministrandum non requiri, vt Sacerdos sit expositus, & ad confessiones audiendas iuxtà Tridentini decretum approbatus, cùm hoc nullam talem requirat in administrante iurisdictionem, eo quod non sit sacramentum iudiciale, vti est sacramentum Pœnitentiæ.

131 Quartò, nequit hoc sacramentum validè confici à pluribus Sacerdotibus, itaut vnus solam subministret materiam vngendo, altero formam tantùm proferente. Hæc etiam est communis inter Doctores, & clarè deducitur ipsis Apostoli verbis, *Orent super eum, vngentes eum oleo*, quibus significat eundem esse debere, qui materiam ministrat vngendo, & formam profert orando.

Confirmatur ex paritate Baptismi, qui est longè maioris necessitatis ad salutem Viatoris, quàm extrema vnctio, & nihilominus, si infans ab vno abluatur, & ab alio forma proferatur, non conficitur sacramentum; ergo à fortiori in hoc sacramento, si vnus infirmum vngat, & alter formam proferat, sacramentum erit nullum; Nec refert, quod forma extremæ vnctionis sit deprecatiua, baptismi verò indicatiua, quæ proindè expressè referat eundem, qui lauat, & qui verba profert; nam etiamsi forma extremæ vnctionis sit deprecatiua, adhuc tamen ex communi modo loquendi refert eundem vngentem, & verba proferentem. Tandem hoc etiam ratio ipsa suadet, quoniam sacramenta, quæ in vsu consistunt, habent pro materia proxima actionem ipsam Ministri, quæ materia determinari debet per verba ab ipsomet Ministro prolata, vt ex vtrisque vnum constituatur sacramentum; ergò quodlibet istorum sacramentorum ex vi institutionis suæ necessariò postulat, vt eiusdem Ministri, & personæ sint actio, & verba.

132 Sed Dices, in sacramento pœnitentiæ Minister solam formam adhibet, pœnitens verò materiam; & in sacramento Matrimonij, & Eucharistiæ Minister non facit vtrumque ergo idem dici potest de extrema vnctione.

Respondetur non esse eandem rationem de pœnitentiæ sacramento, & extremæ vnctionis, quia pœnitentia, vt suprà dictum est, est sacramentum iudiciale, iudicium autem iudicem exigit, & reum confessum, vel conuictum, atque ideò confessio facta à reo, hoc est, à pœnitente est essentialiter necessaria ad sacramentum pœnitentiæ; non sic est de ablutione, vnctione, & ordinatione, in quibus Minister formam adhibet, & materiam. In Matrimonio autem potest negari, Ministrum non facere vtrumq; nam si verum est, illius sacramenti Ministrum esse coniuges, vt *disp.* sequenti dicemus, argumentum est pro nobis, quia quilibet eorum profert verba, vt formam, & mutuò corpora tradunt, tanquam materiam. In Eucharistia tandem est manifesta disparitas, quia est sacramentum permanens, non enim consistit in vsu, & actione transeunte, sed in speciebus consecratis permanentibus; Quod si dicas in consecrationem saltem in vsu consistere, cuius tamen materia ab alio parari potest; Hoc minimè vrget, quia adhuc adest manifesta disparitas, cùm enim in ea actione materia proxima non requiratur, sed sufficiat remota; huic à quocunque sit parata, applicari potest forma à Ministro, & fieri sacramentum; Non sic autem est de sacramentis actionem transeuntem requirentibus, vt materiam proximam, actio enim illa ab eodem fieri debet, à quo profertur forma.

133 Quintò, potest hoc sacramentum à pluribus Sacerdotibus validè confici in hoc sensu, vt, scilicet, vnus, duas, vel tres efficiat vnctiones, & totidem proferat formas, & alter alias compleat eodem modo vsque ad quintam; & hoc fieri potest, vel simul, vel successiuè, ità nimirum, vt dùm vnus vnū sensum vngit, suamq; partialem formam enunciat, alter alterum sensum inungat eodem tempore, & suam proferat partialem formam, vel ità vt dùm vnus vnum sensum vngit, protulitque suam partialem formam, alter non quidem simul, sed successiuè alium sensum vngat, aliamq; proferat partialem formam. Hæc etiam assertio communis est inter Scholasticos, & Summistas, quam etiam tenent ex nostris Hiribarnes Faber, Brancatus, & alij passim, Istisq; expressè insinuatur ex verbis Apostoli, dùm ait plurali, inducendos esse Ecclesiæ Præsbyteros, qui orent, & vngant infirmum; Et facilè defendi potest posito, quod singulæ vnctiones sint per se sacramentum essentialiter completum, & suum partialem conferant effectum, vt dictum est suprà q. 5. *art. 2. nu.* 96. quia simile videmus in Eucharistia, & Ordine; etenim si Sacerdos, qui hostiam consecrauit, deficiat, vt non possit vinum consecrare, posset alter Sacerdos in eius defectu calicem duntaxat consecrare, non consecrata alia hostiam, imo posset, dùm vnus hostiam consecrat, validè alter hostiam consecrare; quo casu vnum integrum Eucharistiæ sacramentum à duobus efficeretur; Et in sacramento Ordinis si Episcopus, qui Sacerdotem consecrauit, deficiat, antequam eidem conferat potestatem remittendi peccata; posset, & deberet alter Episcopus huiusmodi potestatem conferre, non repetendo, quod Episcopus præcedens fecit, quia supponitur validè ab eo collatam fuisse potestatem in corpus Christi verum; Idem igitur iudicium ferendum est in proposito, si à duobus Presbyteris fierent vnctiones, vel simul, vel successiuè, ab vno, v. g. tres, & ab alio duæ, nam in eo casu mox vt tres præcedentes cum duabus sequentibus coniunguntur, & vnum integrum sacramentum constituere dicentur, & adæquatum huius sacramenti effectum consequentur in non ponente obicem, qui ex singulis partialibus effectibus vniuscuiusque vnctionis integraretur; Et quando iuxtà aliam sententiam nullus effectus gratiæ sacramentalis esset per tres præcedentes vnctiones collatus, sed solùm in fine quintæ, adhuc tamen per tres illas vnctiones esset sacramentum inchoatu per propriam partialem materiam, & formam; & hoc sufficit, ne teneatur secundus Sacerdos vnctiones à priori factas repetere, sed solùm alias duas prosequi, nisi fortè tres illæ vnctiones præcedentes completæ non fuissent per omnia verba formæ, nam in tali casu vnctiones illæ essent repetendæ cum suis formis partialibus singulis correspondentibus.

134 Sed obijcies, quod si plures possunt sic extremam vnctionem ministrare, sequitur quod vel nihil facerent, vel plura sacramenta facerēt, quorum neutrum est admittendū, quia frustrà applicatur pluries idem sacramentum, vel frustra applicaretur sensibile signum, si nihil operaretur; sequela maioris, vel assumpti probatur de primo, nam vel vnitas Ministri necessaria ad omnes vnctiones faciendas, & sic si plures eam faciunt, nihil faciunt; probatur etiam de secundo, nam secundus æquè vngeret, ac verba proferret, vt primus, ergo faceret, vt primus, quarè si primus verum conficit sacramētum, etiam secundus. Deindè non videtur par ratio de Eucharistia, & Ordine ex vna parte, & huius sacramenti ex altera, quia nec secundus Sacerdos tenetur consecrare hostiā, sed tantùm calicem in defectu prioris, siquidem hostia supponitur ab illo consecrata; nec secundus Episcopus debet iterare sacramentum, conferēdo potestatem in corpus Christi verum, quia illa à præcedenti Episcopo collata supponitur; at in proposito extremæ vnctionis potest, & debet secundus Sacerdos repetere primam, vel aliàs vnctiones ab alio Sacerdote factas, quia per illam, vel illas à primo Sacerdote adhibitas nihil omninò effectum est, cum hoc sacramentum non conficiatur, nisi quinq; vnctionibus, & solùm in fine quintæ gratia huius sacramenti conferatur. Demum ità se habet vna vnctio ad reliquas in hoc sacramento, sicut prima verba calicis, *Hic est calix*, ad reliqua subsequentia; sed si quis protulisset tantùm hæc verba, secundus Sacerdos non tantū verba subsequentia supplere deberet, quæ præcedens non protulit, sed omnia etiam, quæ præcedens protulit; ergo si quis vnam tantùm adhibuit vnctionem, debent sequens nō tantùm reliquas supplere, quas præcedens non adhibuit, sed etiam primam, quàm adhibuit, nam eodem modo nihil

hil per primam vnctionem effectum est, sicut per prima verba calicis.

135 Respondet Brancatus noster *disp. 11. cit. art. 9.* illud primum argumentum esse difficile in omni Schola etiam in doctrina communi de sacramento hoc ministrando ab vno, quia eadem est difficultas de pluribus, ac successiuis vnctionibus, quæ ab vno tantùm fierent, vel enim omnes illæ formæ, & vnctiones, quas vnus facit, vnum sunt sacramentum, vel quælibet particularis forma, & vnctio peculiare facit sacramentum; si dicitur secundum, ecce inconueniens, quod obijcitur in casu de pluribus vngentibus; Si dicitur primum, sequitur, quod primæ vnctiones non essent sacramentales, quia non efficaces, nulla enim ex illis suum effectum produceret, atq; adeò efficacia carerent. Ego tamen tantam difficultatem non video in allato argumento, & communis Scotistarum responsio etiam ab ipso allata mihi videtur sufficiēs, quod sicut in sacrificio Missæ, & Eucharistiæ licet duæ concurrant consecrationes, & duæ materiæ essentialiter diuersæ, tamen adhuc vnum integraliter constituunt sacramentum, ideò sunt duo sacramenta partialia; ità in proposito nostro licet quælibet vnctio sit sacramentalis, & veluti quoddam partiale sacramentum, quia nempè quælibet vnctio cum sua particulari forma habet iam integram, & perfectam significationem in suo gradu; omnes tamen simul siuè ab vno, siuè à pluribus factæ, siuè eodem tempore, siuè successiuè vnum tantùm efficiunt sacramentum vnitate integritatis, vt iam explicatum est supra *q. 3. art. 2.* Neq; ex hoc, quod quælibet vnctio sit singulare sacramentum, sequitur illud inconueniens, quod primæ vnctiones non essent sacramentales, quia non essent efficaces, cùm nulla ex illis suum producat effectum, sed tantùm vltima vnctio. Non sequitur, inquam, quia iuxtà nostram sententiam singulæ vnctiones suum partiales conferunt effectum, licet effectus totalis, & adæquatus huius sacramenti non habeatur, nisi in fine quintæ; Et quando etiam iuxtà aliam sententiam nullus effectus gratiæ sacramentalis per præcedentes vnctiones produceretur; adhuc tamen dici debent sacramentales, quia per ipsas sacramentum iam est inchoatum per propriam partialē materiam, & formam cuiuscumq; deberent etiam dici suo modo efficaces, quia quamuis non statim dicantur habere effectum, sed expectentur subsequentes vnctiones, & habeatur effectus in fine quintæ; nihilominus cum talis effectus nō habeatur, nisi in virtute præcedentium, ideò etiam illæ præcedentes dici debent suo modo efficaces, & sacramentales.

136 Ad aliud argumentum negatur non valere paritatem assumptam de Eucharistia, & Ordine, eo quod in proposito extremæ vnctiones debet secundus Sacerdos repetere priores vnctiones ab alio Sacerdote factas, quia per illas nihil omninò effectum est; hoc enim, vt modò dicebamus, omninò falsum est in sententia nostra, quia singulæ vnctiones proprium producunt effectum sacramentalem partialem; quando etiam per vnctiones præcedentes à priori Sacerdote factas nullus talis esset productus effectus; quia tamen per ipsas inchoatum est sacramentum, & quælibet vnctio cum sua particulari forma habet iam integram, & perfectam significationem in suo gradu; ideò priores illæ vnctiones à secundo Sacerdote repeti non debent, sed sufficit quod sequentes suppleat, vt in fine omnium totus habeatur effectus. Ad vltimum negatur assumptum, non enim est par ratio de primis verbis Calicis, & de præcedentibus Vnctionibus à priori Sacerdote iam factis, quia illa prima verba non sunt integra forma partialis consecrationis calicis, sicut vna vnctio cum sua propria forma, est integra pars sacramenti; nec illa prima verba calicis habent suam integram partialem significationem, sicut vnctiones præcedentes, vndè noster casus valdè differt ab eo, quo Minister non totam aliquam particularem formam pronunciasset, sed tantùm partem, quia si non fuisset completa verborum significatio, & ideò alius Minister deberet ex integro talem formam pronunciare simul cum exhibitione materiæ.

137 Sed rursus dices, quando plures vnctiones fiunt ab vno, tunc esse vnum sacramentum, quia tunc determinatio vnitatis habetur ex intentione Ministri volentis per plures illas vnctiones vnum tantùm facere sacramentum, quod dici nequit de vnctionibus illis factis à pluribus Ministris simul, siuè successiuè.

Respondeo vnitatem sacramenti minimè à pluralitate Ministrorum impediri, vt patet in sacramento Eucharistiæ, & Baptismi, si enim plures Sacerdotes super eandem panis materiam verba proferent consecrationis, validè consecrarent, & non nisi vnum sacramentum conficerent; & si plures Ministri eundem infantem abluerent eandem formam simul proferendo, vnum, & eundem baptismum conficerēt, vt suo loco dictum est; sic igitur dicendum est in proposito, si plures vngerent, quia singuli in tali casu aliam intentionem non haberent, quàm faciendi id sacramentum, quod per eas plures vnctiones fieri potest, & quia ex institutione illarum plurium vnctionum est, vt vnum faciant sacramentum vnitate integritatis, ideò siuè illæ omnes ab vno tantùm Ministro fiant, siuè à pluribus semper faciunt vnum integrale sacramentum, & præsertim hoc sacramentum non necessariò requirit vnitatem Ministri, quia plures habet partiales materias, & formas, quarum singulæ habent suam integram, & perfectam partialem significationem per ordinem ad suum partialem effectum, quamuis à pluribus proferantur.

138 Sextò tandem, & si validè possint duo Sacerdotes simul hoc sacramentum conficere modo iā explicato, haud tamen possent licitè, cùm sit contrà vniuersalem Ecclesiæ praxim, à qua sine vrgente necessitate non licet recedere; vndè saltem ex obligatione præcepti vnicus debet esse Minister, qui totum hoc sacramentum in vnoquoque infirmo perficiat, nec per se licet et seclusa necessitate plures sacerdotes cōcurrere, qui per partes illud præstarent; Nec obstat locus Iacobi dicentis in plurali, *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*, sensus enim est, inducat Presbyteros, hoc est, aliquem ex Presbyteris, vt vsus Ecclesiæ indicat, & patet à simili ex illo Matthæi 27. vbi dicitur, latrones improperasse Christum, idest, vnum ex latronibus, constat enim duos tantùm latrones cum Christo fuisse crucifixos, & vnum duntaxat improperasse, vt patet Lucæ 23. Duplex autem casus necessitatis assignari solet, in quibus licet hoc sacramentum à pluribus sacerdotibus ministrari; vnus est, si periculum foret, ne antequam omnes quinque vnctiones ab vno sacerdote absoluerentur, infirmus deficeret: alter verò si sacerdos, v.g. facta vna, aut duabus vnctionibus moreretur, vel ad talem statum reduceretur, in quo non posset alias vnctiones perficere, & prosequi, tunc enim aliæ vnctiones ab alio sacerdote fieri deberent; & quidem in primo casu vnctiones à pluribus deberent fieri simul, si enim rationabiliter timeatur, ne moriatur infirmus, antequā omnes vnctiones perfectæ fuerint, potuerunt tunc plures sacerdotes simul, & semel hoc sacramentum administrare, ita vt vnus sacerdos, v.g. vngat oculos proferendo formam partialem, & alter simul vngat aures proferendo formam tali sensui propriam: in secundo autem casu, quando nimirum necessitas prouenit, non ex parte ægroti, sed ex parte sacerdotis ministrantis, vnctiones deberent fieri successiuè, quia aliæ vnctiones posteriores deberent perfici ab alio sacerdote. Sed quamuis hoc totum sit satis probabiliter dictum, nihilominus cum à communi Ecclesiæ praxi, & consuetudine sine vrgenti necessitate non sit recedendum, vt dictum est, puto consultius esse, quod in primo casu vnicus Sacerdos quinq; peragat vnctiones sub hac vnica forma. *Per istam sanctam vnctionem, & suam piissimam misericordiam remittat tibi Deus quicquid per visum, auditum, olfactum, gustum, & tactum peccasti*, imò in casu necessitatis vnicam etiam sufficere vnctionem, in quacunq; corporis parte fiat, & sub vna tantùm forma omnes corporis sensus exprimente iam diximus suprà *q. 3. art. 1. n. 49.* idq; non solùm ab Vniuersitate Louaniensi approbatum fuisse, sed etiam à Pastoralibus, Mechliniensi, & Passauiensi ibidem citatis.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De obligatione Ministri ad hoc sacramentum ministrandum.

Dvplex huius sacramenti Minister distingui solet, vnus, cui ex officio incumbit, vt sunt Episcopi, Parochi, Superiores Religionum erga suos subditos; alter in defectum proprij Ministri, ac Pastoris, vt sunt omnes sacerdotes etiam curam animarum non habentes, & de vtroq; Ministro hic est agendum; Et quidem loquendo de Ministro, cui ex officio incumbit, & curam animarum habente communis est Doctorum sententia teneri ex iustitia, & sub præcepto ad mortale obligante subditis suis hoc sacramentum administrate tempore opportuno per se, vel per alium; quod expressè docet Catechismus Romanus de hoc sacramento n. 9. ait, grauissimè peccare non tantum qui de hoc sacramento mi-

ministrare negligunt, sed etiam qui non opportuno tempore, quando æger totus est sui compos, non administrant. Et ratio est, quia Pastores ex officio tenentur suis subditis administrare sacramenta non solùm necessaria, sed etiam multum conducentia eorum saluti, & præcipua remedia, quæ Christus instituit pro bono spirituali fidelium, sed vnum ex illis remedijs est administratio sacramenti extremæ vnctionis; ergo tenentur Pastores illud suis subditis suo tempore administrare. Neque in hoc Prælati Religionum à Parochis discriminari debent, vt aliqui faciunt dicentes, quod licet singuli suis subditis ex præcepto hoc sacramentum ministrare teneantur; non tamen eodem modo, quia Parochi tenentur ex iustitia, Prælati verò Religionum ex sola charitate, cuius discriminis rationem assignant, quoniam illi ad hoc ministrandum mercedem, & stipendium à suis subditis accipiunt, non autem isti. Non, inquam, in hoc discriminari debent, nam etiam Prælati Religionum ad id ex iustitia tenentur, vt Suarez aduertit *disp. 44. sess. 3.* & Amicus *disp. 19. sess. 2.* quia hi Prælati, dùm tale munus suscipiunt, loco Parochorum, vel Episcoporum respectu suorum Subditorum constituuntur, atque ideò totam illam obligationem contrahunt; Tùm quia non minus illorum subditi, quàm istorum, proprium ius habent exigendi, & petendi hoc sacramentum ab illis, alioquin Regulares quoad hoc peioris essent conditionis, quàm sæculares, & Laici. Tùm tandem quia licet Prælati Religionum à suis subditis pecuniam, & materiale stipendium non accipiat, obsequium tamen obedientiæ, & reuerentiæ recipiunt, quod est altioris ordinis pecuniario stipendio; omnes ergo Pastores tenentur, non solùm ex charitate, sed etiam ex iustitia, & in hoc reliquis Sacerdotibus præferri debent.

140 Sed fortè Dices, Parochum non teneri administrandum ouibus omnia, quæ sunt vtilia, & conducentia ad salutem, sed tantùm necessaria, si enim ad omnia media vtilia, & conducentia Parochus teneretur, intollerabile esset eius onus, continuò enim deberet prædicare, catecheses exercere, populos non solùm ad præcepta, sed etiam ad consilia incessanter hortari, & alia omnia facere, ex quibus populorum salus securius, & commodius stabilitur, hoc autem sacramentum non est ad salutem necessarium, sed tantùm vtile, vt dictum est; & ità ex nostris discurrere videtur Brancatus *disp. 11. art. 10.*

Resp. cum Suarez *loc. cit.* falsum esse antecedens vniuersaliter sumptum, quamuis enim non teneatur Parochus ex præcepto, & obligatione rigorosa omnia media vtilia ad subditorum arbitrium ministrare, nam vtique hoc intolerabile onus censeri deberet; falsum tamen est solùm teneri ad necessaria media ministranda, nam id etiam verteret in magnum fidelium detrimentum, & contra debitum Pastoris munus; siquidem ità ad hoc munus obeundum dignitatem Pastoralem accipit, & à subditis stipendia, vt teneatur eis ordinaria remedia ministrare, quę Christus pro omnibus fidelibus reliquit, & quæ sunt in ordinario Ecclesiæ vsu, quando opportuno tempore, & secundum rectam rationem petuntur, vnum autem ex his est sacramentum extremæ vnctionis in graui infirmitate applicatum, vt patet ex superius dictis; Vndè allata ratio ad summum conuincere potest, non teneri Parochum cum euidenti periculo vitæ hoc sacramentum ministrare, vt posteà dicemus, & in hoc sensu adducitur à Brancato *loc. cit.* sed citrà tale periculum minimè probat, quia Parochi ad hoc teneantur ex officio, & consequenter grauiter peccent, si illud negent, aut notabiliter differant cum morali periculo infirmi.

141 De Ministro autem, qui succedit in defectum proprij Pastoris in casu necessitatis, communis etiam opinio docet tenen ad hoc sacramentum ministrandum saltem ex motiuo charitatis, quia necessitas ęgrotātis potest existimari grauis; ergo si Parochus non adest, qui tale ministerium exercere possit; & absq; magna difficultate, & incommodo potest Sacerdos subuenire proximi necessitati, profectò tenetur. Difficultas tamen est, an teneatur sub mortali ex præcepto charitatis hoc sacramentum ministrare, quando ab infirmo petitur, vel solùm sub veniali; Primum videntur affirmare Suar. *loc. cit.* & Auersa; secundum verò Coninchius, Laiman, Diana, Amicus, & alij; omnes tamen conueniunt in casu grauis indigentiæ teneri sub mortali, talis autem casus esset, si aliàs sine vllo alio sacramento infirmus esset moriturus, quia tunc mortis æternæ periculo exponeretur, si hoc sacramentum non susciperet, quod quilibet sub peccato mortali à proximo tenetur auertere; vndè in tali casu dicunt simplicem Sacerdotem etiam ab infirmo non petitum teneri ex præcepto charitatis hoc sacramentum administrare, si absit alius, qui illud conferre non possit; extrà verò hunc casum, quando nempè infirmus alia suscepit sacramenta, nimirum Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, quia tunc moribundus non censetur hoc sacramento grauiter indigere, Auctores citati putant præfatum Sacerdotem, qui hoc sacramentum ministrare nollet, solùm venialiter peccaturum, quatenus contrà charitatem est proximo tantum bonum sine vlla iusta causa denegare, præsertim quando id facere potest sine magna difficultate, & incommodo, & hæc opinio solet probabilior censeri. 142

Sed maior adhuc est Difficultas, An tempore pestis teneatur Parochus cum periculo vitæ hoc sacramentum administrare. Affirmant Nugnus, & Siluius apud Dianam *tract. 4. de sacram. res. 174.* Gabriel, & Ioannes Echius apud Suarez *loc. cit.* in quam sententiam ipse quoque fatetur aliquando valdè propensum fuisse. Fundamentum est, quia Parochus non solùm ex charitate, sed etiam ex iustitia tenetur hoc sacramentum suis subditis administrare; ergo hæc obligatio vrget etiam tempore pestis, & cum periculo vitæ. Consequentia patet, quia ad aliquid amplius tenetur Parochus in eo casu, quàm alius, qui non est Parochus, sed reliqui Sacerdotes tenentur, quando saltem non est periculum vitæ, hoc sacramentum moribundis administrare, ergo Parochi tenentur etiam cum periculo vitæ. Tùm secundò, quia Parochus ex iustitia tenetur suis subditis sacramenta ministrare, ergò maximè tempore necessitatis, nam in ordine ad hoc tempus præcipuè stipendia accipit à subditis, intercedit que inter ipsum, & subditos virtualis quędam conuentio, vt hoc potissimum tempore spiritualibus alimentis non deserantur. Tùm tertio, quia aliàs tempore pestis totus populus esset destitutus Ministris, qui ex obligatione teneantur hoc sacramentum ministrare, quod absurdum videtur, & contrà commune bonum. Tùm quarto, quia Parochus ex iustitia tenetur sacramenta suis subditis ministrare, quoties illi petiuerint; ergo etiamsi illa perant tempore pestis, tenetur ea conferre. Tùm quinto, nam Duces Militares ex officio tenentur pro Republica vitam exponere, & præsertim in casu necessitatis; ergò à fortiori Duces spirituales pro ouibus sibi commissis, eo præsertim tempore, quo spiritualis pugna maximè contrà eas exercetur, ministrando eis sacramentum vnctionis, quod opportunissimum est ad superandas illius temporis tentationes. Tùm tandem, quia ex opposita sententia sequeretur neque Parochum in periculo vitæ teneri ministrare moribundo sacramentum Eucharistiæ, quia neq; hoc est necessarium ad salutem, ad quam sufficit sacramentum Pœnitentiæ; Imò neq; hoc etiam est simpliciter necessarium ad salutem, quia ad eam sufficit contritio cum voto tantùm suscipiendi sacramentum Pœnitentiæ, quando dabitur commoditas. 143

Secunda sententia negat, quam vocat Amicus *disp. 19. sess. 13.* communem inter Theologos, & Summistas, & docet Armilla, Tabiena, Suarez, Filliucius, Diana, & alij, quorum vnicum fundamentum est, quia hoc sacramentum non est ad salutem necessariū, neq; necessitate medij, vt Baptismus, & Pęnitentia, neq; necessitate præcepti, vt Eucharistia, quod fundamentum magis ampliat, & declarat Brancatus noster *loc. cit.* quoniam hæc obligatio non insurgit neque ex motiuo officij Parochialis, seù iustitiæ, neque ex motiuo charitatis; non ex primo, quia iustitia non exigit à Parocho, vt faciat circa subditos, nisi quæ sunt eis necessaria ad salutem, non autem ea, quę sunt maximè vtilia, & conducentia, seù conferunt ad melius; sacramentum autem extremæ vnctionis non est simpliciter necessarium ad salutem, sed tantùm vtile suscipienti, vt citius, & sine tanto incommodo gloriam ingrediatur; ergo ex iustitia cum tali periculo non tenetur; maiorē probat, quia si ad omnia media vtilia, & conducētia Parochus teneretur, insoportabile esset eius onus, continuò enim deberet prædicare, & exercitia spiritualia facere, vt supra discurrebamus. Neq; ad id tenetur ex secundo motiuo, scilicet, Charitatis, licet enim quis teneatur vitam corporalē postponere pro spirituali propria, & proximi, non tamē pro aliquo commodo, aut vtilitate, quæ non est vita spiritualis; ità autem se habet commodum, quod de extrema vnctione percipitur, non enim est vita, quia per extremam vnctionem non datur prima gratia, sed est remotio impedimenti de citò fruendo, quod quidem impedimentum per alia etiam media potest remoueri; probat antecedens, nullus enim tenetur cum periculo vitæ suscipere Eucharistiam, Confes-

mationem, vel extremam vnctionem, nam Deus cum tanto
onere non obligat ad ea, quæ non sunt de necessitate salutis
simpliciter; ergo neque Parochus habens curam aliorum ad
id tenetur, magis enim obligat Charitas alicuius ergà seip-
sum, quàm circà proximum.

144 Verùm quia affirmare absolutè cum prima sententia
temporis pestis teneri Parochum hoc sacramentum infirmis
ministrare cum periculo vitæ est nimis rigorosum: & id ab-
solutè negare cum secunda sententia est nimis laxum: ideò
media sententia inter istas extremas mihi statuenda videtur,
& dicendum, quod vel infirmus confessus fuit in infirmita-
te, aut paulò antè, & probabiliter ex statu ipsius constat eum
posteà non peccasse mortaliter, & in tali casu Parochum
non teneri ad exponendum se periculo vitæ, vt ipsi hoc sa-
cramentum administret, quia in tali casu probabiliter existi-
mari debet, quod sit in statu gratiæ, & quod non sit ipsi ne-
cessarium hoc sacramentum; quamuis enim sit vtile, hoc ta-
men non conuincit, vt teneatur Parochus sub mortali, &
cum probabili vitæ periculo hoc sacramentum ministrare,
certum enim videtur, quod quis non teneatur pro vtilitati
spirituali proximi exponere se periculo vitæ, si alias sufficien-
ter prouisum est eius saluti spirituali, & hoc duntaxat pro-
batrario adducta pro secunda sententia.

145 Si verò non sit confessus, aut post confessionem verisimi-
le sit ipsum mortaliter peccasse, & sit in statu, in quo am-
plius confiteri non possit, nec antè confessionem petierit,
videtur dicendum, quod teneatur sub mortali tale sacra-
mentum administrare etiam cum periculo vitæ, quia tunc
hoc sacramentum debet existimari esse ipsi necessarium, vt
dimittatur ipsi saltem per accidens peccatum mortale, sup-
ponitur enim communiter, quod sacramentum hoc habeat
talem virtutem, modò infirmus habeat saltem attritionem
de peccatis, sic enim mediante hoc sacramento fiet de attrito
contritus, & hoc solum probant rationes pro prima senten-
tia adductæ, & docuit Adrianus dubio octauo de Confessio-
ne ad vltimum, vbi dicit, quod quoties dubitatur verisimili-
ter de salute æterna proximi, interuenit obligatio prædicta
sub mortali etiam cum periculo vitæ, quia tenemur tempo-
ralia contemnere pro salute spirituali proximi, non solùm
quando non potest aliter saluari, sed etiam quando verisimi-
liter aliter non saluabitur, aut probabile dubium est, an sine
illo medio saluabitur; & ratio est, quia vita temporalis, &
corporalis est bonum inferioris ordinis comparatione spiri-
tualis vitæ gregis, propter quod dixit Christus Ioan. *Bonus
Pastor animam suam dat pro ouibus suis*, quo testimonio ad
hanc veritatem probandam vtitur Diuus Augustinus *serm.*
50. de verbis Domini, & *serm.* 149. de tempore; ergo in casu
proposito tenetur Parochus sub mortali etiam cum periculo
vitæ hoc sacramentum ægrotanti administrare, tam ex mo-
tiuo iustitiæ, quàm Charitatis; & hanc sententiam quoque ex
Recentioribus docent duo Parisienses Ilambertus *de disp.* 8.
art. 1. & Abellius in sua Medulla Theologica *cap.* 6. *de Sacra-
mento extremæ vnctionis sect.* 4. *in fine*, vbi dicunt, quod
quamuis infirmus morbo contagioso laboraret, nec posset
illi sacramentum hoc, nisi cum vitæ periculo administrari, si
proprius eius Sacerdos aliter ei subuenire non possit, quàm
extremam vnctionem illi conferendo, teneretur etiam cum
certissimo vitæ periculo hanc illi administrare, nisi alius Sa-
cerdos eius vices suppleat: Addunt nihilominus, quod si mo-
raliter certus sit de bona eius dispositione quoad ea, quæ fa-
lutem animæ respiciunt, puta quia nuperrimè Pœnitentiæ,
& Eucharistiæ sacramenta illi administrauit tunc non teneri
saltem sub peccato mortali extremam vnctionem illi admi-
nistrare.

146 Ex qua doctrina facilè soluuntur rationes vtriusque sen-
tentiæ; Ad primam primæ dicendum est probare tantum,
quod Parochus tenetur sub mortali, & cum periculo vitæ
hoc sacramentum infirmis administrare in casu à nobis pro-
posito, non verò extrà illum. Ad 2. concedendum est Paro-
chum simpliciter, & absolutè loquendo teneri etiam cum
morali vitæ periculo tempore necessitatis suis subditis sacra-
menta ministrare, sed illa tantùm, quæ sunt ad salutem ne-
cessaria, vt sunt Baptismus, Confessio, & Eucharistia, quæ
saltem est sub præcepto diuino, & de his tantùm simpliciter,
& absolutè administrandis etiam cum periculo vitæ interuenire
virtuale pactum inter Parochum, & suos subditos;
non tamen simpliciter, & absolutè tenetur ministrare cum
periculo vitæ sacramenta, quæ sunt vtilia tantùm, & non
per se necessaria, qualis est extrema vnctio; sed tantùm in ca-
su à nobis proposito, quia tunc per accidens fit necessaria,
cùm per aliud sacramentum infirmi indigentia subueniri
non possit. Ad 3. negatur consequentia, quia Parochi tempo-
re pestis tenentur etiam cum periculo vitæ hoc sacramen-
tum infirmis administrare in casu iam explicato, quod suffi-
cit ad eorum necessitatem subleuandam. Ad 4. negatur con-
sequentia vniuersaliter deducta de omnibus sacramentis,
etenim Superior solùm cum periculo vitæ tenetur suis sub-
ditis subuenire per sacramenta ad salutem necessaria, non
autem vtilia tantùm, nisi in casu proposito, in quo fiunt per
accidens necessaria. Ad 5. paritas in hoc tenet, quod sicut Du-
ces militares tenentur cum periculo vitæ ad subueniendum
Reipublicæ, quando est in graui, ac probabili periculo ali-
cuius ruinæ grauis, non autem quando publicum bonum
non est in periculo grauis ruinæ; ità etiam spirituales Duces
tenentur cum periculo vitæ suis ouibus subuenire per hoc
sacramentum, quando sunt in probabili periculo æternæ
damnationis, quod contingere nequit, nisi in casu proposi-
to, quod non potuerint suscipere sacramenta ad salutem ne-
cessaria antecedenter, qualia sunt Pœnitentia, & Euchari-
stia, quorum vnum est necessarium necessitate medij, aliud
verò necessitate præcepti. Ad 6. quamuis non desint conce-
dentes Parochum non teneri ad sacramentum Eucharistiæ
infirmis ministrandum cum periculo vitæ; præstat negare
paritatem de sacramento Eucharistiæ, & vnctionis extremæ,
nam illud saltem sub præcepto diuino est necessarium,
non autem illud. De sacramento autem Confessionis om-
ninò negandum est, Parochum non teneri ad illud mini-
strandum tempore necessitatis etiam cum periculo vitæ:
cùm hoc sacramentum non sit solùm necessarium necessita-
te præcepti, sicut sacramentum Eucharistiæ, sed etiam neces-
sitate medij, cùm sit per se institutum ad primam gratiam
conferendam, quæ est medium ad salutem necessarium, &
sine quo regulariter loquendo, & de potentia ordinaria nul-
li contingit salus: Et licet sola contritio cum voto confessio-
nis sufficere possit deficiente copia Confessarij: quia tamen
difficilè est actum contritionis elicere, si infirmus hoc sacra-
mento priuaretur, censeretur moraliter esse in periculo sa-
lutis. Concedi tamen potest adhuc cum aliquibus posse in
aliquo casu Parochum etiam à sacramento confessionis ad-
ministrando tempore necessitatis excusari, si esset moraliter
certus de bono statu infirmi, & ex alia parte magnum esset
vitæ periculum; nam tunc non censeretur infirmus versari
in salutis periculo, in quo tantùm cum morali vitæ periculo
tenentur Superiores sacramenta ad salutem necessaria suis
subditis ministrare; ità prudenter aduertunt Suarez *loc. cit.*
n. 15. & Amicus *n.* 207.

Ad fundamentum secundæ sententiæ, dicendum est ra- 147
tionem illam probare solùm primam partem nostræ asser-
tionis, vt dictum est *n.* 144. non autem, quod Parochus non
teneatur etiam cum periculo vitæ sacramentum extremæ
vnctionis infirmo ministrare in casu à nostro proposito *n.*
145. quia tunc hoc sacramentum non tantùm vtile, sed
etiam necessarium ad eius salutem saltem per accidens exi-
stimari debet, vt dimittatur ei per accidens peccatum mor-
tale, in quo probabiliter esse censetur, nec aliud superest re-
medium præter solam contritionem, quam humana fragili-
tas satis difficulter elicere potest præsertim in illo agone;
quarè cùm moraliter censeatur infirmus in periculo salutis
versari, si hoc sacramento priuetur, tenetur Parochus etiam
ex iustitia, & officio illud ministrare, vt saltem eo mediante
fiat de attritio contritus; Tenetur etiam ad id ex motiuo
charitatis, quia in eo casu per extremam vnctionem non
tantùm remouentur impedimenta, quæ gloriæ fruitionem
retardant, sed etiam vita spiritualis infirmo datur, qui in
peccato mortali probabiliter supponebatur, faciendo ipsum
de attritio contritum, nam in tali casu saltem per accidens
per hoc sacramentum prima gratia datur, accedente dispo-
sitione congrua, & bona fide suscipientis, vt dictum est supe-
rius q. 4. *art.* 1. *num.* 71. in casu nimirum, quod aliquis repentè
sensibus destitutus nullum confessionis signum præbuisset,
quo posset absolui, & hoc solo remedio possit iuuari; quod
etiam approbant Auersa q. 64. de sacramentis in genere sect. 7.
vbi tractat, qualiter teneantur animarum Pastores, aliique
Ministri ad Sacramenta ministranda; & hæc de Sacramen-
to vnctionis extremæ dicta sufficiant.

[Di]SPVTATIO SEPTIMA DE MATRIMONII SACRAMENTO.

QVÆSTIO PRIMA.

[De E]ssentia, & Institutione Matrimonij.

HOC Matrimonij nomine intelligitur legitima viri, & mulieris coniūctio indiuiduam vitę societatē continens, vt docet Cat. Romanus *p. 2. c. 8.* vocaturque non solùm Matrimonium, sed etiam Coniugium, Connubium, Nuptiæ; licet autem Matrimonium sit viri, & mulieris indissolubilis coniūctio, dicitur tamen potius Matrimonium à Matre, quàm Patrimonium à Patre, quia vt notauit Gregorius IX. *cap. Litteris* de Conu. Infidel. Matri maximè incūbit officium nutriendæ prolis, etenim infans dùm est in Matris vtero, eius sanguine menstruo nutritur, & post natiuitatem nutritur lacte Matris, & postquam est ablactatus, adhuc per magnum temporis spatium magis incumbit officium nutriendi, & educandi ipsum Matri, quàm Patri; è contrà verò, quia in acquisitione possessionis bonorum principalior est Pater, quàm Mater, ideò talis bonorum possessio potiùs dicitur Patrimonium, quàm Matrimonium; Vocatur etiam Coniugium eo, quod virum, & mulierum sub vno, eodemque quasi mutuo iugo ad fidem seruandam, & onera matrimonij sustinenda constituat. Dicitur tandem Connubium, & Nuptię, eo quod Virgines in matrimonium tradēdæ in signum pudoris, ac etiam subiectionis ergà virum velo quodam se operire solebant, & quasi nube tegi, vt S. Ambrosius refert *li. 1. de Abraham c. 9.* Matrimoniū autem licitum esse, ac honestū contrà quosdam Hereticos in pluribus Concilijs est definitū Grā Gengē *c. 11. can. 9.* Brāc. *can. 11.* Tolet. primo, & alijs, expresè enim id docuit Ap. 1. Cor. 7. *Qui matrimonio iungit Virginē suā, benè facit, & si nupserit Virgo non peccabit*, & ad Hæb. 13. appellatur, *honorabile connugiū, & thorus immaculatus*; Imò Scotus noster *4. d. 26. q. vn.* per plures conclusiones fusè demōstrat, nedùm ex reuelatis, sed etiam ex naturalibus matrimonium, etiam vt à sacramento pręscindit, esse actū licitū, & honestum; quia nimirū est medium proportionatum ad finem per se bonū, & honestum, scilicet, ad filiorum procreationem, & generis humani propagationem eo modo quo decet humanam naturam, vt magis in sequentibus explicabitur *art. 2. n. 19.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quid sit matrimonium, & in quo essentialiter consistat.

2] PRo resolutione quęsiti notat Doctor *loc. s. sub lit. O. vers. de quo* a contrariis in Matrimonio distingui debere, seù matrimonium tripliciter sumi posse; Primò pro vinculo, inter coniuges, quod consistit in relatione mutuæ obligationis, seù dominij, & seru iuris, qua hinc indè corpora traduntur in potestatem in ordine ad finem contractus, quę relatio est moralis, seù rationis materialiter, & permanēs. Secundò sumitur matrimonium pro ipso contractu in fieri, ex quo manat vinculum illud, tanquam eius effectus, & cōsistit in actione illa transeunti contrahendi inter coniuges, vndè matrimonium in secundo modo sumptum se habet ad matrimonium primo modo dictum, sicut causa in fieri, quē admodum generatio ad paternitatem, potius sicut baptizari, & ordinari ad characterem. Tertiò tandem sumitur pro sacramento, seù signo sensibili causant gratiam, & est simul et in fieri, & simul est, & non est cum matrimonio secundo modo sumpto, ideoque non semper manet, nec in aliquo permanenti consistit; Addit autem Doctor acceptionem huius vocis Matrimonij esse æquiuocam, si ponatur ęquè primò illa importare, sed hoc minimè asserendum esse, sed potius dicendum, quod hoc nomen absolutè prolatum directè, & principaliter significat primum, hoc est, vinculum ipsum iam explicatum in recto, alia verò duo, non nisi vt connotata, & in obliquo; itaut pro secundo dicatur contractus matrimonij, & pro tertio sacramentum matrimonij, vbi non est constructio intransitiua, sed transitiua; & hęc acceptio Matrimonij, itaut absolutè prolatum supponat pro vinculo permanenti inter coniuges, conformior est modo loquendi Canonum, & Concil. vndè Tridentinum sumit matrimonium pro ipso vinculo in *c. doctrinali*, & *c. 1. de reform. matr. sess. 24. & seq.* & etiam communiter Doctores dicunt matrimonium consistere essentialiter in vinculo; Quia tamen in communi modo loquendi matrimonij nomen ad illa tria significanda extendi solet, ideò quādo quęritur quid sit Matrimonium, & in quo eius ratio formalis consistat, seù definitio; melius est declarare prius, de quo matrimonio sit sermo, seù in qua acceptione, an scilicet, de matrimonio, quod est contractus ciuilis, tantùm, an de eo, quod etiam est sacramentum, an tandem de illo, quod est vinculum ex contractu ortum; quarè ad rem magis declarandam assignat 3 Doctor tres Matrimonij definitiones iuxtà triplicem eius acceptionem iam declaratam.

Primò itaque definit Matrimonium, vt supponit pro vinculo hoc modo. Matrimonium *est vinculum indissolubile inter marem, & fœminam ex mutua translatione potestatis corporum suorum in se inuicem facta ad procreandam prolem debitè educandā*; quæ definitio optima est; quia datur per causam formalē, dùm dicitur *vinculum indissolubile*, per materialem, dùm dicitur *inter marem, & fœminam*, per efficientē, dùm dicitur *ex mutua translatione*, & tandem per finalem, dùm additur *ad procreandam prolem*, ideoq; est exacta, & cōpleta definitio, veluti data per omnia quatuor causarum genera. Itaq; essentia matrimonij, vt est quid permanens, consistit in vinculo illo perpetuæ obligationis, seù iuris dominij mutui inter marem, & fęminam, quod est cōtractu translationis ortum est, & mutua corporum traditione; vndè quādo dicimus essentiam matrimonij hoc modo sumpti consistere in ratione vinculi, idem est ac dicere, quod consistit in ratione perpetui iuris vtriusq; coniugis in alterutrum, quod vice versa in vtroq; perpetuam importat subiectionē, & ligamē. Ratio est obuia, quia in matrimonio nihil est permanēs nisi vinculū, quod in mare, & femina mutuū permanet vsq; ad mortē ex 1. Cor. 7. *Mulier alligata est legi, quāto tēpore vir eius viuit, & mulier non habet sui corporis potestatem, sed vir neque vir habet sui corporis potestatem, sed mulier*; patet ergo hoc solum vinculum in matrimonio esse quid permanens; contractus enim, & ciuiliter, & sacramentaliter cōsideratus transit. Ex quo sequitur coniunctionem hanc maritalem non esse ipsam copulam carnalem, quia hæc etiam est transiens, & antè illam est verum, & legitimum matrimonium, imò sine copula potest per totam vitam durare, vt patet de matrimonio S. Ioseph cum B. Virgine; Neque etiam esse præcisè puram animorum coniunctionem, quia hæc etiam inter fratres, & amicos reperiri solet; sed in eo consistere, quod ex mutuo consensu, per quem semel facta est dominij corporum mutua traditio, vterque coniux ius habet, & potestatem vtendi corpore alterius ad actum coniugalem, quæ potestas, & ius potest aliquando quoad actum secundum impedimentum remanere, vel ad tempus, vel etiam per totam vitam, & posteà dicemus; Quarè copula sequens non se habet, tanquam pars essentialis, & intrinseca matrimonij, quasi absque ea non esset tota essentia matrimonij simpliciter dicti, sed se habet tanquam complementum; & consumatio matrimonij, vndè coniuges per copulā matrimoniū consumare dicitur; Hinc matrimonii distin-

Mast. in Quat. Senten.

distingui solet in ratum, & consummatum, & quamuis de ratione matrimonij consumati sit copula, quia per hanc propriè consumatur, & completur, tamen absque hac subsistit matrimonio, quod dicitur ratum.

4 Sed aliqua Difficultas est inter Doctores, quid importet hoc vinculum, vt habet vim denominandi contrahentes ligatos, quamdiù viuunt. Aliqui dixerunt esse relationem aliquam realem ex contractu præuio inter coniuges resultantem, ità Sanchez, Henriquez, Ledesma, & ex nostris Brancatus *disp.* 12. *art.* 6. Fundamentum est, quia debet omninò hoc vinculum assignari penes formam aliquam realem seclusa omni relationis, siquidem relatio rationis ab intellectu fingitur, & fabricatur, cùm non sit à parte rei; sed prorsus verè, & realiter omni intellectus fictione seclusa, coniuges habẽt inter se vinculum, & dominium, quo sunt realiter inter se coniuges, ergo &c. Alij verò dicunt esse relationem rationis quia actio præterita consensus non inducit vinculum ex natura actionis physicè, sed qua moralis est, & subest legi, & Institutioni, ideoque sub hac ratione, quæ realis non est, aut physica, sed moralis, nequit relinquere effectum physicum, qualis est relatio realis; & hanc partem magis approbare videtur Doctor *loc. cit. sub lit. O.* dum inquit hoc vinculum esse permanens in animabus coniugum, & quod est relatio tantùm realis extrinsecus adueniens, vel quod verius videtur, relatio rationis, quia nihil est ibi, nisi dominiũ nouũ, & noua seruitus per nouam commutationem, sed dominium tale, vel seruitus nihil reale ponit in domino, vel seruo; ità ibi Doctor. Tandem Poncius noster *disp.* 49. *quæst.* 1. vtrumque negat, quia nullum vinculum requiritur, nisi illud, quo sic ligantur coniuges, ligantur autem per ipsum contractum, quia habet vim perpetuo ligandi ipsos, sicut institutio Regis habet vim ipsum constituendi semper Regem, donec legitimè deponeretur. Tùm quia gratis, & absq; fundamento vllo fingeretur relatio realis, aut rationis, aut aliquid aliud, quod resultaret ex illo contractu inter matrimonio coniunctos, & absurdissimum videtur, quod nisi quis fingeret inter illos relationem rationis, non essent matrimonio coniuncti; Quando verò Scotus dicit, quod sit relatio rationis, ait Poncius intelligendum esse loqui in eo sensu, vt sit relatio rationis fundamentaliter, quatenus, scilicet, præbet occasionem intellectui apprehendendi aliquam relationẽ ex parte maritatorũ, cùm tamen nulla sit inter ipsos.

5 Sed planè nec oportet, nec expedit hoc vinculum matrimoniale explicare per relationem verè, & propriè realem, nec per relationem verè, & propriè rationis, vt benè cõuincunt vtriusque opinionis fundamenta; sed potius explicandum est per denominationem realem extrinsecam ex ipsomet contractu præterito deriuatam; hoc enim per se sufficit, quia ex vi illius verè coniuges manent inter se colligati cum dicto dominio, & subiectione, neque ad id opus est alia relatione, aut forma reali distincta.

Ratio est, quia vt dictum est *disp.* 3. *log. quæst.* 2 denominationes omnes extrinsecæ, siuè physicæ, siuè morales, licet entia realia dici non possint, quia in re denominata nihil reale ponunt; dici tamen possunt, ac debent denominationes reales, paries enim verè, & realiter dicitur visus nullo considerante intellectu, à visione in oculo existente, prout ly *realiter* determinat Inhærentiam, & non inhærens, vt explicat Doctor 1. *dist.* 30. *quæst.* 2. ad vltimum, quapropter nec dici possunt entia rationis, nisi materialiter, & fundamentaliter, quatenus nimirum ab intellectu concipi possunt per modum formæ realis intrinsecè subiectum denominantis, vt esse Creatorem in Deo per extrinsecam terminationem dependentiæ realis creaturæ ad ipsum, & esse visum in pariete per modum relationis correspondentis visioni actiuæ in oculo existenti; sic igitur discurrendum est de moralibus denominationibus ex institutione humana, vel contractibus humanis dependentibus, & resultantibus, quamuis enim sint extrinsecæ rei denominatæ, & nihil reale physicum ponant in ipsis; adhuc tamen reales sunt, & non pura entia rationis, cùm reipsa non distinguantur à formis realibus, ex quibus resultant; vnde ens morale absque abusu dici potest ens reale, quia licet non importet, vel ponat aliquid reale physicum, & intrinsecum in re denominata; ponit tamen aliquod reale extrinsecum, terminationem nempè alicuius actus realis præter quodcũque opus intellectus; & in proposito vinculum, & dominium mutuum coniugum ponit terminationem realem ex ipsomet contractu præterito desumptam, & ità quidem se habent alij similes morales effectus, & aliæ similes denominationes ex alijs contractibus humanis resultantes; Et fortasse hanc ipsam intellexerunt Auctores primæ opinionis per relationem realem, quoniam hæc denominatio extrinseca ex contractu præterito deriuata dicitur relatiuè inter duos; excepto Brancato nostro, qui intelligit relationem realem verè; & propriè dictam iuxta ea, quæ iam dixerat de relatione signi sacramentalis *tom.* 1. *disput.* 1. *art.* 3. cuius doctrinam in hoc puncto, vt ab omni schola deuiam, iam confutauimus *disputat.* 1. *de sacramentis in gener. quæst.* 1. *artic.* 2. *numer.* 28. Auctores verò secundæ opinionis, quando dicunt, hoc vinculum matrimoniale relationem rationis importare, solùm indicare voluerunt, non adesse aliam distinctam relationem præter dictam denominationem, nisi rationis; & volunt esse ens rationis, non quidem formale, sed materiale tantùm, quatenus, scilicet, coniuges, qui seinuicem obligarunt per actum consensus dant intellectui occasionem concipiendi ipsorum subiectionem, & dominium ex consensu præmisso ortum per modum alicuius formæ realis, & positiuæ, quo sensu omnes extrinsecè denominationes reales, siuè physicæ, siuè morales, entia rationis dici solent.

Secundò principaliter Doctor *loc. cit.* definit matrimonium secundo modo sumptum, nempè pro ipso contractu in fieri dicens, quod *Contractus matrimonij est maris, & fæminæ mutua translatio corporum suorum pro vsu perpetuo ad procreandam prolem debitè educendam*. Hæc etiam definitio recta, & sufficiens censeri debet, quia constat ex genere & differentia absque vlla superfluitate, & consequenter essentiam matrimonij declarat hoc secundo modo accepti, vt à quocunque alio contractu distinguitur, vt patet per singulas particulas discurrendo, dicitur *translatio*, quia in hoc conuenit, tanquam in genere cum quocunque alio contractu, & distinguitur à quocunque quod non est contractus, quilibet enim contractus fundatur in *do, vt des*, mutua autem translatio explicat hanc mutuã dationem omni contractui communem; *corporum suorum* designat materiã huius contractus, vt à cæteris secernitur; *maris, & fæminæ* personas contrahentes significat, quia alij non sunt capaces huiusmodi contractus; reliquæ tandem particulæ *vsum*, & finem huius contractus explicant; ergò hæc definitio *est bona*, quia translatio tenet locum generis, ea autẽ quę transferuntur dicto modo, scilicet, pro vsu perpetuo, & ad prædictum finem, scilicet, ad procreandam prolem, sunt differẽtiæ translationis eam contrahentes ad hanc speciem contractus. 6

Dices, contractum matrimonij consistere in verbis, seù signis externis maris, & fęminæ, ergò non sufficit dicere, quod sit mutua suorum corporum translatio; Conf. quia mutua corporum translatio non fit, nisi per actualem copulam, tunc enim corpora transferuntur, & exercetur dominium vnius coniugis suprà alium: ergò contractus matrimonialis talem translationem non importat, cùm actualem copulam præcedat.

Respondeo, contractum matrimonij cõsistere in verbis & signis externis maris, & fęminæ, non quomodocunque sed vt expressiuis internorũ actuum, quibus fit talis translatio, etenim vt notat Doctor *d.* 27. *q.* 1. ad contractum matrimonialem duo actus interni contrahentium requiruntur, [illegible] duo actus externi illorum significatiui, & manifestatiui, o[illegible]nia enim ista sunt media, quibus contractus matrimoni[illegible]lis perficitur. Ad Conf. negatur assumptum, siquidem in [illegible] ipso cõtractu fit actualis corporum translatio per ius, & actu[illegible]ale dominium, quod supra se inuicem contrahentes acqui[illegible]unt ex vi talis cõtractus; etenim vt docet Doct. *dist.* 26 *sub l*[illegible]*t. R.* vt quis dicatur Dominus, minimè opus est, vt actu i[illegible]eat, sed sufficit, si tale ius habeat, vt possit seruo vti ad pla[illegible]*itum* suum: cùm igitur ex vi solius contractus matrimonialis, *omninò* ab actuali copula præscindendo, coniuges suprà seinuicem, & corpora sua tale ius, & dominium acquirant, vt quilibet possit alterutro ad suum placitum vti, eo ipso [illegible]*enseatur* facta corporum suorum translatio, & mutua datio, *etiamsi* nunquam actualis copula inter ipsos sequeretur; tùm quidem quia in ipso matrimonij contractu propriè, & in rigore loquendo non fit mutua corporũ maris, & fęminæ translatio, sed traditio mutua potestatis corporum, vt loquitur ipse Doctor *sub liter. P.* quæ quidem potestas vtique tradi potest omninò antecedenter ad copulam carnalem, aliud enim est potestas, & aliud potestatis vsus, contractus matrimo-

solam potestatem mutuam contrahentibus prae-
ora sua, copula verò carnalis vsum, & exercitium
atis importat; & sic iam naturam huius contra-
uerat Doctor sub lit. F. dicens marem, & foemi-
ne contractus mutuae donationis transferre in se
otestatem corporum suorum pro vsu perpetuo,
durante ad finem procreandae prolis, dicitur enim
as quasi simul tractus duarum voluntatum, & per
ens necessariò requirit actus voluntatum concor-
nslatione mutua corporum suorum, sicut in per-
nibus, & venditionibus communiter accidit; Ne-
sufficit, sed oportet istos actus per aliqua certa signa
riò exprimi, alioquin neutri constaret de actu vo-
alterius, & neuter vult transferre dominium sui
ls, nisi pro quanto concipit alium velle in ipsum
erre.

Hoc tamen verum est, tam contractum matrimonia-
quàm vinculum ex ipso resultans ad copulam carna-
rdinari, quae inter coniuges exercetur, veluti aptam
tura sua ad filiorum generationem qui est primarius
matrimonij; & per hoc distinguitur contractus matri-
alis ab omni alio humano contractu; vinculum, & do-
um matrimoniale ab omni alio vinculo, & dominio;
niuntur enim alia genera contractus, & dominij, non
m circa res, sed etiam circa personas, vt inter Principem,
abditum, dominum, & seruum, à quibus matrimonij
tractus, & vinculum longè differt; Cùm igitur allata
initio haec omnia explicet, recta, & sufficiens censeri de-
; & cum ea coincidit definitio matrimonij consueta in
re canonico, & ciuili ex Alexandro III. desumpta in cap.
ad quoque de Praesumption. quod est coniunctio maritalis
ri, & mulieris inter personas legitimas indiuiduam vitae
nsuetudinem retinens, quam etiam Magister sent. assigna-
it, & Scotus approbat d. 27. q. 1. nam per ly Coniunctio, ex-
licatur matrimonium in ratione contractus, vniuntur
nim per voluntates mutuas; per ly Maritalis excluditur
coniunctio fornicaria; per ly viri, & mulieris, excluduntur
personae eiusdem sexus, quae non sunt matrimonij capaces,
& dicitur in singulari, quia matrimonium debet esse vnius
tantùm cum vna per ly inter legitimas personas excluduntur
qui aliqua lege prohibentur matrimonio copulari, hic enim
contractus fit tantùm inter personas habiles secundum le-
ges; Denique additur indiuiduam vitae consuetudinem reti-
nens, ad explicandum vinculum indissolubile, quod oritur
ex tali contractu, & per quod matrimonium ab alijs con-
tractibus differt, quorum vinculum mutuo contrahentium
consensu dissolui potest, hoc verò minimè; quod etiam in-
sinuatur in definitione à Scoto allata per illa verba, pro vsu
perpetuo, idest, vita durante ob vinculi indissolubilitatem.
Addunt alij per illa verba significari quoque finem matri-
monij, nempè amicabile coniugium, societatem, & commer-
cium; Verùm id non ita intelligendum est, quasi necessa-
riò importent continuam cohabitationem, conuictum, &
commercium inter coniuges, quia quoad hoc possunt sepa-
rari stante coniugio, quae dici solet separatio quoad tho-
rum, quamuis, vt licitè talis fiat separatio, certae conditiones
requirantur; Quarè verba illa potius important perpetuita-
tem, & indissolubilitatem huius vinculi durante vita coniu-
gum; & haec indissolubilitas adeò huic contractui est neces-
sariò connexa, vt matrimonij vinculum, etiam antequam
eleuaretur à Christo ad esse sacramentale, erat insolubile, &
tale etiam fuit ab initio in lege naturae, vt Doctor aduertit
d. 31. lit. D.

9 Ex his itaque patet, quomodo coniunctio maritalis ma-
tis, & foeminae, in qua essentialiter consistit matrimonium
in ratione contractus, explicari non debet per copulam car-
nalem, sed per mutuam dominium, & correspondentem ei
subiectionem, vt expressis verbis Apostolus ipse docuit
1. Cor. 7. vbi ait coniuges habere mutuam suorum corpo-
rum potestatem, & dominium, itaut mulier non habeat
potestatem sui corporis, sed vir, cui est obligatum, & è
contra.

Dices, multis modis contingere posse, vt coniuges per-
[illegible] nec possint sibi mu-
[illegible] consensu post matri-
[illegible] castitatem voue-
[illegible] vel si non possent vn-
[illegible] inter se copulam
[illegible] contractus con-

sistere intrinsecè, & essentialiter in illo dominio, & subie-
ctione correspondente.

Respond. negando consequentiam, indè enim sequitur
tantùm, dominium illud impediri posse, ne in actum secun-
dum exeat, sicut si quis mancipium haberet graui, & conti-
nua infirmitate oppressum, nec Dominus posset ei aliquod
opus imperare, neque hic posset imperanti obedire, & ta-
men adhuc maneret ille dominus, & hic seruus, sic igitur
coniuges illi, qui castitatem vouerunt, & Religionem in-
gressi sunt, adhuc mutuum dominium in sua corpora reti-
nent ex vi praecedentis contractus, licet ex voto impeditum,
quarè si in tali statu copulam carnalem inter se haberent, ta-
lis copula non esset propriè fornicatio, quia non est accessus
ad non suam, sed esset sacrilegium contrà ius Deo per vo-
tum acquisitum, vt ait Coninchius disp. 24. de Matrimonio
dub. 1. vndè & per nudam voti illius dispensationem, sine vl-
la alia traditione, redderetur ius illud expeditum, & omninò
in pristinum statum redirent coniuges, antequam castita-
tem vouerent.

Tertiò tandem principaliter definit Doctor loc. cit. Matri- 10
monium tertio modo sumptum, nempè prout supponit
pro sacramento dicens, quod sacramentum matrimonij est
expressio certorum verborum, vel signorum aequalentium
maris, & foeminae ad se inuicem, significantium traditionem
mutuae potestatis corporum ad prolem debitè procreandam, ex
institutione diuina efficaciter significans gratiam conferendam
mutuò contrahentibus ad coniunctionem mutuam animorum
gratiosam. Quae etiam definitio perfecta est, cùm explicet
omnia ad hoc sacramentum matrimonij essentialia; Di-
citur enim expressio certorum verborum, vel signorum &c.
quia sacramentum matrimonij fundatur in contractu ma-
trimoniali, qui consistit in praedicta expressione interni
consensus per actus externos, & sensibiles, vt patet ex
proximè dictis; Cùm verò additur, Ex institutione diui-
na efficaciter significans gratiam, &c. specificatur matri-
monium sub ratione sacramenti, & discernitur à matrimo-
nio infidelium, & antiquorum temporum, quod non est,
nec erat propriè sacramentum, nec confert, nec conferebat
gratiam, & ratio sacramenti in nostro matrimonio propriè
consistit in virtute ei à Christo collata ad conferendam gra-
tiam contrahentibus, sicut suscipientibus alia sacramenta;
& cùm dicitur hoc sacramentum ex institutione diuina
efficaciter significare gratiam conferendam contrahenti-
bus, significatur, quod sit signum sensibile conferens gra-
tiam sanctificantem ex opere operato, quae est ratio generi-
ca sacramentorum nouae legis; Cùm verò additur ad con-
iunctionem mutuam animorum gratiosam, denotatur finis,
& differentia huius gratiae sacramentalis, vt discernitur ab
alijs sacramentis, quia gratia baptismalis est ad regeneran-
dum, gratia Confirmationis ad roborandum in fide, &
sic de alijs sacramentis, quae sicut contra differentes mor-
bos viatoris sunt instituta, ità gratiam conferunt ad hunc,
vel illum finem; matrimonium verò ad finem designa-
tum, & proprium, in ordine, scilicet, ad benè ferenda one-
ra matrimonialis contractus; quia per hoc, quod sacramen-
tum istud conferat gratiam sanctificantem, & alias gratias,
& auxilia ad finem praedictum, significatur differentia ip-
sius in fine ab alijs sacramentis, quae per se ad hoc non
sunt instituta, de quo effectu loquitur Doctor d. 26. cit. sub 11
lit. N.

Et ex his satis constat rationem huius sacramenti consiste-
re in contractu, & in ipso praecisè fundari, non autem in
vinculo; & in actu illo transeunte, non in effectu perma-
nente, atque ideò esse solùm sacramentum in fieri non au-
tem deinceps in facto esse, nam solùm ille contractus, &
actus transiens institutus est, & eleuatus, tanquam medium
ad conferendam gratiam, non verò vinculum ex illo actu
resultans, & deinceps permanens; Ratio est, quia quod li-
bet sacramentum suo vsu ex institutione Christi gratiam
confert; at vinculum matrimoniale suo vsu non sanctifi-
car, alias dicendum esset, quod quoties coniuges in statu
gratiae coirent, & actum matrimonialem exercerent, toties
gratiam nouam acciperent, non solùm ex opere operantis,
sed etiam ex opere operato, quod est apertè falsum; nequa-
quam enim putandum est per ipsam copulam dari ex ope-
re operato sacramentalem gratiam, aut alium spiritua-
lem effectum, & quoties iteratur copula, dari ex opere
operato aliud gratiae augumentum, & hic est communis
Theologorum sensus, vt videri potest apud Coninchium,
Auer-

Auersam, Caspensem, & alios, in cuius probationem adduci solet, quod dicitur cap. *Connubia 32. quæst. 2. ex Origene hom. 6. in Numer. Non tamen tempore illo, quo coniugales actus geruntur, præsentia Spiritus Sancti dabitur.*

12 Vndè non satis mihi probatur, quod dicunt Bellarminus *lib. 1. de Matrimonio cap. 6. & Sanchez lib. 2. disp. 5.* vbi aiunt, quod sicut Eucharistia est sacramentum in fieri, & in facto esse; & in fieri consistit in consecratione, In facto esse in speciebus panis, & vini continentibus corpus, & sanguinem Christi; ità pariter matrimonium sit sacramentum in fieri, & consistat in contractu; & sit etiam sacramentum in facto esse, & consistat in vinculo permanente; quod ex eo probant, quia hoc vinculum permanens est maximè signum coniunctionis inter Christum, & Ecclesiam, quarè habet per se rationem sacramenti. Non, inquam, mihi probatur, ob rationem allatam, neque paritas assumpta de sacramento Eucharistiæ valet, quia vt benè aduertit Auersa *quæst. 2. sec. 1.* licet vinculum matrimoniale conueniat cum Eucharistia in ratione signi repræsentatiui, longè tamen differt in ratione medij gratiam conferentis; nam vinculum matrimonij nequaquam per vsum istum gratiam confert sacramentalem, aut conferendam significat, sed ad summum repræsentat coniunctionem Christi cum Ecclesia speculatiuo modo, non autem practico, qualis esse debet sacramentorum significatio, vt dictum est *disp. 1. de Sacramentis in genere*; Eucharistia verò per suum vsum, dùm sumitur, gratiam confert suscipienti, & species panis, & vini significant, & continent alimentum gratiæ spiritualis, quam conferunt; Cæterum contractus matrimonialis nedùm propriè rationem sacramenti habet, & fundat ratione collationis gratiæ, sed etiam secundum rationem repræsentationis, nam ipse quoque in radice, & origine coniunctionem repræsentat Christi cum Ecclesia, etenim per ipsum contractum coniugum animi colligantur, & adinuicem corpora traduntur, vt ex vi huius contractus deinceps in hac vnione debeant permanere, & duo esse debeant in carne vna, quod planè vnionem Christi cum Ecclesia repræsentat; atque ideò omni ex parte in ipso contractu inuenitur tota, & completa huius sacramenti ratio, fundatur enim in ipso, tam ratione collationis gratiæ, quàm ratione repræsentationis vnionis Christi, & Ecclesiæ, & non tantùm speculatiuo modo, sicut conuenit vinculo permanenti, sed etiam practico, qui est proprius Sacramenti.

13 Postremò declarandum remanet, quomodo matrimonium sit vnum, quam difficultatem ex professò tractat Brancatus noster *disp. 12. art. 5.* vbi tres statuit conclusiones; Prima est, quod matrimonium in ratione contractus est quid vnum integraliter, non indiuisibiliter, quia omnis contractus, licet includat duorum consensum, nihilominus vnus est tantùm specie, & numero, non enim dicitur contractus multiplicari, nisi combinatio illa consensuum multiplicetur. Secunda est, quod matrimonium in ratione vinculi, licet importet duo, tamen vnum vnitate integritatis dicendum est; quia ex omni contracto duo nascuntur vincula, & tamen vnitatis nomine gaudent, & licet duo sint in specie panis, & vini sacramentalia signa, & vnumquodque suum respiciat peculiare signatum, quod patet in verbis consecrationis, tamen ambo dicuntur vnum integrum Sacramentum, quia vnum integrum Christum animarum significant; ergò à pari duo illa particularia vincula, licet quodlibet in se totale sit, & aliud non includat, vnum tamen dicuntur, quia ad vnum ordinata tam effectum, quam signatum. Tertia tandem conclusio est, quod matrimonium siuè in ratione contractus, siuè in ratione vinculi non potest dici ens per se vnum propriè, & in rigore metaphysico, quia vnum per se constare debet ex per se actu, & per se potentia, quæ non habentur in contractu duplicis consensus, vel in nexu duplicis vinculi, nullum enim eorum respectu alterius est actus, nec aliud potentia; Et hanc totam doctrinam deducit ex Scoto *d. 27. qu. 1.* In solutione ad argumenta, vbi in fine dicit, quod matrimonium est vnum vnitate integritatis, non indiuisibilitatis, & ità est vniuersaliter in omni contractu, quia contractus includit duas partes, scilicet, assensum huius, & illius, & in vtroque etiam duos actus, scilicet, interiorem, & exteriorem significantem illum interiorem; ità Doctor ibidem.

14 Verum licet hæc sit bona doctrina, sanè tamen intelligenda est, & quamuis matrimonium, tam in ratione vinculi, & contractus, quàm sacramenti sit vnum vnitate integritatis, vt ait Doctor; tamen eius integritas non est explicanda, sicut explicari solet vnitas integralis Sacramenti Eucharistiæ, vt facit Brancatus; nam eius vnitas integralis talis est, vt species panis, & vini sint duo sacramenta partialia, ex quibus vnum totale sacramentum coalescat, nam quælibet species, vt ab altera condistincta, constat materia, & forma, & habet veram rationem signi, & causat gratiam; At matrimonium siuè in ratione contractus, siuè in ratione sacramenti consideratum non est sic integraliter vnum, quasi duos contractus partiales importet, aut duo sacramenta partialia, ex quibus vnus totalis contractus, & vnum totale sacramentum coalescat. Ratio est, quia contractus vnus est tantùm inter duos, licet vtriusque consensum includat; vndè in matrimonio, quamuis duplex interueniat consensus, neuter tamen ab altero separatus rationem habet contractus, vel sacramenti, quasi dici possint duo contractus partiales, vel duo sacramenta partialia, sicut dicuntur species Eucharistiæ, non enim vnius tantùm consensus verbis, vel signis expressus est forma huius sacramenti, sed consensus vtriusque simul, sicut etiam vterque simul, & indiuisibiliter gratiam significat, quæ per hoc Sacramentum confertur; quarè verè & propriè loquendo matrimonium dici debet vnus, & simplex contractus, vnicum, & simplex Sacramentum; & pro tanto dici potest vnus contractus, & vnum sacramentum vnitate integritatis, quatenus includit duas partes, nempè assensum huius, & illius, maris, & fœminæ, & in vtroque etiam duos actus, scilicet interiorem, & exteriorem, vt ad verbum declarat Doctor *loc. citat.* & sic etiam hanc vnitatem explicare videtur Brancatus ipse *disp. 13. art. 5.* Vbi quærit, an matrimonium respectu vtriusque coniugis sit vnum Sacramentum, & quomodo.

ARTICVLVS SECVNDVS.

A quo sumpserit originem Matrimonij institutio.

CVm Matrimonium considerari possit, vel in ratione contractus, & vinculi ciuilis, vel in ratione Sacramenti, vt suprà dictum est, nunc eius institutionis origo sub vtraque ratione vestiganda est, num scilicet, iure naturæ introductum fuerit præsertim sub ratione ciuilis contractus, an potius iure positiuo diuino, vel humano. Vasquez *disp. 1. de hoc Sacramento cap. 2.* docet matrimonium solo iure naturæ, non humana, aut diuina voluntate fuisse institutum in esse contractus; in esse tamen sacramenti fuisse à Deo institutum. Alij verò dixerunt fuisse ab Adamo institutum, quod ex illius verbis dedocunt *erunt duo in carne vna*, ità Magister in hac *dist. 26. Alensis 4. part. quæst. 2. memb. 2.* & plures alij Theologi, & Canonistæ. Alij tandem docent, non tantùm in ratione sacramenti, sed etiam in ratione contractus, & vinculi ciuilis fuisse à Deo institutum per illa verba *Crescite, & multiplicamini*, & hæc est communis Theologorum sententia in hac *dist. 26.* vbi fusius, & clarius Doctor noster rem declarat, cuius mentem per sequentes conclusiones explicabimus. 15

16 Primò itaque dicendum est matrimonium, vt est contractus indissolubilis, esse quidem valdè conforme legi naturæ, non tamen esse de lege naturæ strictè, & in rigore loquendo; Ità Doctor dist. 26. cit. F. H. & V. sequuntur ex nostris Hiqueus, Poncius, Brancatus, & alij Recentiores pro cuius probatione repetit Doctor, quod anteà dixerat [illegible] 17. *quæst. vn.* sub A. propriissimè de lege naturæ esse principium practicum per se notum, & conclusionem demonstratiuè ex tali principio descendentem; secundario autem de lege naturæ esse verum euidenter consonum talibus principijs, & conclusionibus, licet non necessariò sequens, posito autem indissolubile vinculum maris, & *feminæ* *in pro-* certissimè, & sine dubio valdè conducit ad proportionatam generis humani multiplicationem, & propagationem, ad bonam prolis educationem, & plurima inconuenientia vitanda, quæ ex Matrimonij solubilitate sequerentur; ergo talis contractus indissolubilitas legi naturæ valdè consona est, & consequenter de lege naturæ saltem secundariò. Quod autem non sit de lege naturæ propriè, & in rigore loquendo probatur, quia non est quid ex terminis notum, neque ex primis principijs practicis necessariò deductum, quod si fiat matrimonium, debeat cum hoc vinculo fieri, si enim id esset lumine naturali notum omnes natio-

gnoscerent, & cognouissent quia lex naturæ iuslibet nationis est communis; hoc autem ia apud Infideles præsertim temporibus actus, frequentia erant, vt apud Romanos, sicut re- lt. lib. de Fide, & operibus cap. 7. fuerit liberum m causa vxores repudiare, & alias nouas du-

atur, quia talis obligatio neque ex terminis pa- ex vllis principijs euidentibus necessariò deduci muis enim possit esse legis naturæ præceptum, fœmina inter se contrahant ad genus humanum lum, nullo tamen modo ex terminis apparere, l ex principijs euidentibus necessario deduci talis, & indissolubilitas contractus; nam licet talis con- dissolubilis magis aptus esset, & conueniens ad rolis educationem, & Reipublicæ conseruationem, lè sit legi naturæ valdè conueniens; hoc tamen ad iam obligationem non est sufficiens, quia prolis tio, & educatio sine contractu indissolubili consiste- , mediante nimirum contractu ad tempus, & an- rminatos, quamdiù v.g. coniuges sunt apti ad gene- ı.

Dices, Arist. 8. Ethic. cap. 12. dicit *hominem esse magis liter animal coniugale, quàm politicum, & gregale*, er- ure naturæ est Matrimonij institutio, & fauent etiam nistæ, & legisperiti, quia ex Digest. *lib. 1. tit. 1. leg. 1.* ha- , quod est ius naturale maris, & feminæ coniun- quam nos matrimonium appellamus. Respondetur ill. dicto tantùm deduci posse Matrimonium esse naturæ institutum in ratione contractus tantum, & unctionis maris, & fœminæ, non autem in ratione uli perpetui, & indissolubilis; & quando legisperiti ma- onium ius naturale appellant, per ius naturale intelli- t, quod omni nationi, & in quacunque lege notum olo naturæ lumine, sic autem notum est matrimonium ratione contractus tantùm, non autem vt habet vincu- n insolubilitatis annexum, in quo sensu vertitur quæstio esens.

Secundò Dicendum est, matrimonium in ratione contra- us indissolubilis fuisse à Deo institutum, vt scilicet, non eret, nec esset matrimonium, nisi contrahentes perpetuò obligarent; ità Scotus sub lit. H. & Q. cùm omnibus Sco- stis, D. Thomas 4. *d. 27. qu. 1. art. 3.* cum omnibus Thomi- tis, D. Bonauentura *d. 26. part. 1. q. 2.* Durandus, Riccar- lus, & Summistæ, ac Recentiores passim, & sequitur ex præcedenti; cùm enim non sit ex lege naturæ strictè sum- pta, consequens est, vt sit ex lege diuina, quia si non fuisset à Deo, verisimile non est, quod tale, & tantum onus acce- ptaretur tam vniuersaliter; Aliqui hanc institutionem dedu- cunt ex verbis illis Genes. 2. *Non est bonum hominem, esse so- lum*, quasi Deus tunc matrimonium instituerit, quando ver- ba illa protulit; Alij ex alijs verbis Genes. 9. *Crescite, & mul- tiplicamini, & replete terram.* Verum in creatione Euæ dici non potest fuisse celebratum matrimonium cum Adam, quia sine mutuo consensu id constare non potest, qui verbis illis nec exprimitur, nec insinuatur. Neque etiam verbis il- lis *crescite, & multiplicamini* dici potest matrimonium fuis- se institutum, sed potius benedictio collata primis parenti- bus etiam matrimonio coniunctis, vt docet Aug. 14. de Ci- uitate Dei c. 22. Potius ergò his verbis, & illis exprimitur du- plex finis, ob quos matrimonium fuit institutum antè pec- catum, cùm etiam Arist. dicat 8. Ethic. c. 12. matrimo- nium ad duos bonos fines ordinari, nempè ad procreatio- nem, & educationem prolis, & ad mutuum obsequium viri, & mulieris; hic duplex finis verbis illis expressè significatur, prior quidem per illa verba *Crescite, & multiplicamini*, po- sterior verò per alia *Non est bonum hominem esse solum, facia- mus adiutorium simile sibi.*

18 Melius ergo cum Scoto loc. cit. deducitur ex verbis illis Genes. 2. *Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, propter quod relinquet homo Patrem suum, & Matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*, nam illis verbis Adami consensus exprimitur, sine quo matrimo- nium stare non potest, quibus Euam suum quoque adiunxisse consensum credendum, quia est huius contractus na- tura, vt [illegible] consensu verbis, vel [illegible] exprimente enim perpetuo matrimonij vinculum per illa verba, *& adhærebit vxori suæ*, [illegible] momentaneè ac-

cipiet, inquit Doctor neque ad tempus, sed perpetuò, & to- ta vita durante. Neque ex eo, quod ista verba protulerit Adam, deduci debet, quod ipse fuerit matrimonij primus institutor, quia hæc verba protulit solum, vt ait Doctor, vt preco diuinæ institutionis, quod probat ex illo Matth. 19. vbi Christus verba Adami refert, tanquam à Deo dicta per ip- sum *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio masculum, & fœminam fecit eos, & dixit, propter hoc dimittet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna, itaque iam non sunt duo, sed vna caro, quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*, quæ verba significant Deum instituisse contractum indissolubilem inter virum, & mulierem, qui auctoritate humana dissolui nequeat; Et hæc Scoti doctrina tandem confirmata fuit in Concil. Trident. *sess. 24. cap. vnico*, vbi sic loquitur *Matrimonij per- petuum, indissolubilemque nexum primus humani generis pa- rens diuini spiritus instinctu pronunciauit cum dixit, hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea, quamobrem relin- quet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit vxori suæ &c.* ergo per inspirationem Adæ factam illud instituit; quæ enim Deo incitante, & inspirante fiunt, optimo iure ipsi, tanquam Auctori, & causæ tribuuntur, vt constat de operibus bonis, quæ eo ipso, quod ex eius inspiratione, & gratia excitante fiunt ipse dicitur Auctor, & causa eo- rum.

Sed Dices, matrimonium est quid inhonestum, ergo non est institutum à Deo, nec de lege naturæ, aut conformis ip- si; probatur assumptum, quia ordinatur ad copulam coniu- galem quæ non est honesta, nam actus matrimonialis est cuiusdem speciei cum actu fornicationis, & adulterij, qui sunt actus mali. 19

Confirmatur, quia abstinentia à coitu matrimoniali est bona, & meritoria, nam bonum est homini mulierem non tangere, vt inquit Apostolus; ergo talis coitus non potest es- se bonus, quia si vnum contrariorum est bonum, necesse est vt alterum sit malum. Denique quia copula coniugalis con- ceditur secundum veniam, ex eodem Paulo Corint. 7. *hoc dico secundum indulgentiam* id est secundum veniam, venia autem denotat culpam.

Respondetur negando assumptum cum eius probatio- ne, nam copula carnalis est omnino necessaria ad genera- tionem, & genus humanum propagandum, ergo om- ninò ex ipsa rei natura, & rationis ductu licitum est coniu- gium, & eius vsus, quia alius non extat modus ad spe- ciem humanam conseruandam; & planè naturalis ipsa constitutio corporis humani cum distinctione sexus, & aptitudine membrorum ad generationem demonstrat ex ipsa rei natura conuenientem, ac licitam esse hanc propa- gationem, sicut etiam in alijs animalibus est instituta; & quamuis actus matrimonialis sit eiusdem speciei in gene- re naturæ cum actu fornicationis, & adulterij; non ta- men in genere moris, sicut etiam actus occisionis homi- nis, siue fiat à Magistratu, siuè ab homine priuato, est eius- dem speciei in genere naturæ, valdè tamen differunt in genere moris.

Ad Confirmationem negatur consequentia, & ad proba- tionem dicendum est, actum coniugalem, & abstinentiam ab eo non esse contraria in esse morali, sed se habere vt ma- ius, vel minus bonum. Ad vltimum, sensus Apostoli, vt ex ipso contextu colligitur, est iste, quod ipse non præcipiat culpam nubere, sed quod permittat, & indulgeat, si velit nubere; quod patet ex eo, quod statim subdit dicens, *Volo enim vos omnes esse, sicut me ipsum* hoc est, sicut exponit Poncius noster magis mihi placeret, vt essetis cælibes, sed tamen non præcipio vobis, vt ità sitis, sed indulgeo, vt ma- trimonium ineatis, & ad vitandam fornicationem, & vo- luntarias pollutiones, inuicem debitum reddatis, ne si non nuberetis, nec debitum inuicem redderetis, Satanas vos tentaret ad actus carnales illicitos, & inhonestos, quarè Apostolus ibi actum coniugalem indulget, & concedit tan- quam actum minus perfectum, quàm sit cælibatus, non tanquam actum inhonestum.

Tertiò Dicendum est, quod institutio Matrimonij sub ratione contractus fuit per modum præcepti affirmatiui, ità quod obligat semper, sed non ad semper; sub ratione verò indissolubilis per modum præcepti negatiui obligantis ad semper, & pro semper. Ità Doctor *d. 26. cit. lit. H.* in ter- tia conclusione principali, vbi notat, quod aliud est præci- pere contractum illum, & aliud præcipere adhæsionem per- 20

perpetuam præmisso primo contractu, primum benè expedit præcipi pro tempore illo, pro quo esset necessitas propagationis, & maximè si homines essent ad hoc difficiles sine præcepto; sed pro alio tempore, pro quo non est necessitas, non oportet præcipi, & hinc est, quod Deus post lapsum bis dedit præceptum de contrahendo Genes. 1. & iterum deletis omnibus post diluuium præter octo animas; Sed præceptum secundum scilicet de indissolubilitate expedit dari pro semper, quia illam indissolubilitatem ostensum est esse consonam legi naturali, & minus seruaretur, nisi hoc esset præceptum diuinum ità discurrit Doctor *loc. citat.* quod rursus declarat infrà lit. Q. § *Per hoc patet*, vbi repetit quod institutio matrimonij sub ratione contractus est per modum præcepti affirmatiui, ita quod obligat semper, sed non ad semper, sed tempore necessitatis, non tantùm in principio, sed adhuc eodem modo obligare videtur, si paucitas in filijs ex aliqua causa accideret, puta ex bello, peste, vel clade, & huiusmodi; Docet itaque Doctor, aliud esse præceptum contrahendi matrimonium, aliud verò de indissolubilitate post contractum; primum ait esse affirmatiuum, quod obligat non pro semper, sed quando est necessitas multiplicationis, & propagationis, qualis fuit Genes. 1. & 9. & intelligit non de obligatione in genere tantùm, & vagè quoad totam communitatem, sed in singulis suppositis determinatè; præceptum verò de indissolubilitate ait esse negatiuum, quod obligat semper, & pro semper post contractum matrimonium. Concludendum est itaque cum Doctore, & est communis sententia, adhuc stare hoc præceptum de matrimonio contrahendo ad genus humanum propagandum, & non reuocatum esse, vt quidam dicunt; cessare tamen eius obligationem, quia cessauit causa, scilicet, necessitas propagandi genus humanum, est enim hoc præceptum affirmatiuum, quod quamuis obliget semper, non tamen obligat absolutè, sed sub illa circumstantia necessitatis propagationis, quæ cùm omninò desierit, etiam præcepti obligatio cessauit, & hoc loquendo de obligatione, non in genere tantùm, & quoad totam communitatem vagè, sic enim adhuc permanere censetur, sed de obligatione pro singulis suppositis determinatè, sicut obligabat ab initio mundi, & post diluuium ad propagandum genus humanum.

21 Quæres, an hoc præceptum de matrimonio contrahendo obligaret Religiosos in casu necessitatis, si nimirum omnes homines perirent in bello, vel peste, solis Religiosis, & Clericis exceptis, qui casus licet sit metaphysicus, & speculatiuus, mouetur tamen dubium, vt innotescat, an obligatio voti sit strictior, quàm propagationis in casu necessitatis obligante præcepto de matrimonio contrahendo.

Respondetur affirmatiuè, quia in eo casu votum continentiæ censeretur dispensatum, siquidem magis vtile est Ecclesiæ, & Christianæ Reipublicæ, quod genus humanum propagetur, quàm quod singulares personæ in virtute continentiæ perficiantur; obseruantia enim voti personalis est propagatio diuini cultus, vt concernit personam particularem, & in particulari persona proficitur, non verò in communitate; at propagatio diuini cultus in communitate per eius multiplicationem respicit vniuersalius finem virtutis, seù diuini cultus, & consequenter perfectius, vndè est regula generalis, quod quando præcepta eiusdem virtutis diuina, & naturalia in eadem materia concurrunt, tunc illud præualet, quod magis spectat ad bonum commune, & sublimius finem attingit, seù perfectiori modo, quàm aliud. Alij probant, idque confirmant ex eo, quod præceptum matrimonij sit naturale; sed hoc non conuincit, quia licet sit naturale idest conforme iuri naturæ, & de iure naturæ secundario, non tamen de stricto iure naturæ, & primario, vt suprà dictum est, ac proindè non obligaret adstrictos iure naturæ rigoroso Fidelitatis, & Religionis de non contrahendo, sed de reddendo ipsi Deo, quod iam ei per votum continentiæ promissum fuit.

22 Quartò Dicendum est, quod sicut in prima mundi conditione matrimonium à Deo institutum est, tanquam officium naturæ, vt hactenus probatum est, ità in ipsius mundi instauratione per Christum facta Sacramenti dignitas illi adiuncta est, itaut Matrimonium, quod inter Fideles legitimè contrahitur, sit ex ipsius Christi Domini institutione verum, ac propriè dictum nouæ legis sacramentum. Conclusio est de fide definita in Concilio Florentino in decretis fidei, vbi decernitur septem esse nouæ legis sacramenta, inter quæ matrimonium enumerat. Idem statuitur in Tridentino *sess. 24. cap. vnico*, & Can. 1. damnantur, qui dixerint non esse sacramentum à Christo institutum, vel non esse sacramentum nouæ legis, & eadem veritas constat ex vniuersali, & perpetua Ecclesiæ traditione à tempore Apostolorum. Solet etiam id probari ex illo Pauli ad Ephes. 5. vbi de matrimonio loquens ait, *sacramentum hoc magnum est, ego autem dico in Christo, & in Ecclesia*, quibus verbis significat Apostolus matrimonium esse sacramentum, vt exponit August. *lib. 1. de Nuptijs, & concup. cap. 21.* Scotus tamen *d. 26. sub. lit. I. vers. de quarta conclusione* putat hanc auctoritatem non esse conuincentem, quia posset quis dicere, illud ad Ephes. intelligi de Sacramento extensè accepto, pro signo, scilicet rei sacræ, cuius tamen non est causa, nec signum aliquod efficax, non enim est matrimonium signum efficax respectu coniunctionis Ecclesiæ ad Christum, sed si aliquo modo est signum efficax, ità potest esse votum Virginitatis signum coniunctionis Ecclesiæ Virginis ad Christum, sed de hoc posteà. Alij proindè id probant ex nuptijs in Cana Galileæ Io. 2. vbi dicunt Christum hoc sacramentum instituisse ex eo, quod aliqui Patres docent Christum sua præsentia nuptias sanctificasse. Sed planè in ea functione nihil prorsus de Matrimonio Christus protulit, vt fecit, quando alia sacramenta instituit, & in eo loco nil aliud de Christo legitur, nisi quod illas nuptias sua præsentia; & mirabili conuersione aquæ in vinum honorauit, Scotus tandem inquit *loc. citat.* huius sacramenti institutionem planius non posse deduci, quàm ex illis verbis à Christo prolatis Math. 19. *Quos Deus coniunxit, homo non separet*, licet enim ibi tantùm approbauerit contractum institutum Genes. 2. & per consequens illum ibi non instituerit, instituit tamen sacramentum, seù illum contractum ad dignitatem sacramenti euexit, quod potest accipi ex illo verbo, quod addidit. *Quos Deus coniunxit homo non separet*, vt non intelligatur ibi coniunxisse pro instituisse præcisè contractum matrimonij, sed coniunxisse tunc gratiosè per institutionem sacramenti concomitantis illum contractum coniungentem; ità Doctor ibi, quam sententiam tenet etiam Sanchez *lib. 2. disp. 4.* & alij plures apud ipsum. Meratius *disp. 2. sec. 7.* vt aliquid noui adferat, probabilius credit hoc sacramentum fuisse institutum post resurrectionem antè ascensionem Domini, dùm illis diebus Apostolis apparens, vt habetur Actorum 1. loquebatur cum eis de regno Dei, hoc est, de rebus ad statum Ecclesiæ pertinentibus, sed licet hoc potuerit esse, tamen quod ità fuerit non probat sufficienter.

Præthereà matrimonium esse nouæ legis Sacramentum propriè dictum probatur ex Patribus, qui matrimonium sacramenti nomine vocant, eique proprium Sacramentorum effectum tribuunt, scilicet, gratiæ collationem: vndè Augustinus lib. de fide, & operibus cap. 7. inquit, *in Ecclesia nuptiarum non solum vinculum, verumetiam Sacramentum ita commendatur, vt non liceat viro vxorem suam alteri tradere, & lib. de bono coniugali cap. 18. in nostratum nuptijs plus valet sanctitas Sacramenti, quàm fœcunditas vteri, &* Ambrosius *lib. 1. de Abraham cap. 7. ait eum qui coniugij thorum polluit peccare in Deum, eiusque gratiam soluere, ac Sacramenti cœlestis amittere consortium* Cirillus Alexandrinus *lib. 2. in Ioan. cap. 22.* vocat nuptias sanctas, & ait Christum sua institutione sanctificasse principium nostræ natiuitatis, & in ipsis nuptijs præparasse gratiam hominibus nascituris. Tandem etiam ratione suadetur, nam cæremonia externa cum significatione rei Sacræ, & cum annexa promissione gratiæ est Sacramentum, matrimonium autem in lege Euangelica est huiusmodi, nam externa contractus celebratio viri cùm fœmina efficiens obligationem perpetuam est cæremonia externa, & signum sensibile; adest etiam rei Sacræ significatio, quæ duplex est, vna est coniunctio Christi sponsi cum Ecclesia, altera verò est coniunctio viri cum fœmina per dilectionem, & charitatem, vt significat Paulus ad Ephes. 5. *Viri diligite vxores vestras, sicut Christus Ecclesiam* vbi etiam subiungit verba nuper citata *Sacramentum hoc magnum est*, quam auctoritatem licet Scotus conuincentem non putet, quam etiam Vasquez *disput. 2. cap. 6.* quia tamen Tridentinum *loc. citat.* ait, insinuari per illa verba, quod Matrimonium sit Sacramentum, eius auctoritati acquiescere debemus, quod ibi Paulus de Sacramento propriè dicto sit locutus, vt hic fusè ostendit Hiqueus in suo Commentario; Ex

quidem

Matrimonium plura secum onera ferat, tùm ... ugum inter se, tùm ad rectam, & piam prolis ..., tùm ad remedium deprimendi incontinen... m huiusmodi difficultates sine speciali gratia ... erari queant, valdè congruum fuit matrimo... isto institui, & ad statum sacramenti subleuari, vim coniugibus gratiam conferendi, vt talia & a ferre possint, sicut ob humanam indigentiam, & m tot alia instituit sacramenta.

...trà hanc catholicam veritatem plura obijciunt ; Primò quia nullibi habetur in Scriptura, matri... esse sacramentum, & conferre gratiam. Tùm 2. ...atrimonium apud nos repugnat Sacerdotio, non ...utem vnum sacramentum esse alteri oppositum. ... matrimonium retardat hominem à perfectione vi...tualis, vt docet Paulus 1. Corinth. 7. ergò non est ...ntum. Tùm 4. quia melius est recipere sacramentum ...er eius receptionem recipiatur gratia, vel gratiæ aug...um, sed qui nubit non facit melius, quàm qui non nu...ùm dicat idem Apostolus, quod qui matrimonio iungit ...inem suam benè facit, & qui non iungit melius facit ; ...o nubere non est sacramentum. Tùm 5. quia matrimo...m verum, & validum, & eiusdem rationis reperitur in... Infideles, apud quos tamen nullum inuenitur ...cramentum. Tùm 6. quia copula inter coniuges est pars ...atrimonij, nec tamen dici potest pars sacramenti, nec à ...obis dicitur conferre gratiam. Tùm 7. quia in matrimonio ...actum de dote interuenit, ergo si est sacramentum sit Si...monia. Tùm 8. sacramenta ab alijs ministris conferuntur ...cum applicatione alicuius rei sacræ suscipienti, vt patet in ...baptismo de aqua, & in pœnitentia de absolutione ; sed in ...matrimonio solus interior consensus signo exteriori expres...sus à coniugibus efficit matrimonium, nec ad est res extrin...secùs applicata suscipientibus ab aliquo Ministro. Tùm 9. matrimonium non confert gratiam, non enim confert pri...mam gratiam per se loquendo, quia solus baptismus, & pœ...nitentia sunt mortuorum sacramenta; neque secundam gra...tiam, quia professio Virginitatis est ad opus honestius, ac difficilius, quàm sit matrimonium, nequetamen professio illa gratiam secundam confert ex opere operato, ergo neque matrimonium. Tùm 10. quia apud nos non satis constat, quæ sit materia, & quæ forma, ac essentia huius sacramenti,
25 ergo &c. Tùm tandem, quia Ecclesia plura mutauit circà matrimonium, quod circa sacramenta facere nequit.

Respondetur ad primum negando assumptum, iam enim ostendimus sufficienter ex Scriptura colligi matrimonium esse verum sacramentum gratiam conferens; & alibi etiam dictum est opus non esse, vt omne dogma fidei habeatur expressè in scriptura, sed sufficere si habeatur ex primæua Ecclesiæ traditione à tempore Apostolorum, vt in proposito contingit de matrimonio. Ad 2. matrimonium repugnat cum Sacerdotio, non iure diuino, sed Ecclesiastico ob eminentiam status, & puritatem maiorem diuini cultus, qui ... [illegible] est 1. Corinth. 7. sollicitus est quæ sunt mundi, & diuisus ... qui sacrum suscepit ordinem, non potuit ex Ecclesiæ statuto, vt ... [illegible] vtrumque sit sacramentum ... non possit matrimonium ... [illegible] impedimentum vitæ spiritualis, & hominem ... [illegible] perfectione, non inquantum sacramen... [illegible] Apostolus, qui non est ita perfectus, sicut est cæ... [illegible] mundi, & diuisus est, qui cum vxore est sollici... [illegible] matrimonium contrahens in gratia crescat, ... Ad 4. patet per idem, ... [illegible] faciat, quàm qui non nubit; sim... [illegible] loquendo, siquidem melius facit, quia ... [illegible] eligit, & maioris gratiæ, meriti, vt ... [illegible] statum, vndè Apostolus in verbis allatis ... [illegible] cum statu, non ... Ad 5. reperitur vtique etiam inter infideles, verum ... [illegible] ratione contractus non tamen ... [illegible] etiam specialiter inter fideles ... rationem ... [illegible] Ad 6. negatur assumptum ... nec in ratione ... sacramenti pro... [illegible] & quamuis efficiatur ... non ... [illegible] non ob id per se confert gratiam ... ratio... [illegible] declarando essentiam ... dictum ... [illegible] nam matrimonium duplex ... Ad 7. non ... spectari potest, vel in ratione contractus, vel in ratione sacramenti, licet ergo non possit dari, vel accipi pecunia pro sacramento potest tamen pro ciuili contractu ad onera matrimonij toleranda. Ad 8. vniuersaliter loquendo quod conuenit generi conuenit omnibus, & singulis speciebus, sed quod est speciale, & proprium vnius speciei non conuenit alijs ; esse signum efficax gratiæ est commune sacramentis in genere, sed esse per applicationem ab alio non omnibus competit sacramentis; cum igitur matrimonium sit sacramentum in specie, speciales etiam habet conditiones alijs non conuenientes vndè quia in contractu consistit, qui debet per consensum partium se obligantium perfici, ideò perficientes contractum perficiunt, & sacramentum, & hoc sacramentum perfici potest sine applicatione materiæ extrinsecæ. Ad 9. negatur assumptum quoad secundam partem, quia per matrimonium confertur gratia secunda, seu gratiæ augmentum; ad probationem dicendum, quod licet professio Virginitatis sit ad opus honestius, ac difficilius, quàm sit matrimonium; quia tamen hoc institutum est pro bono publico, & totius Ecclesiæ, & non priuato tantum, sicut est status continentiæ, & cælibatus, ideo placuit Christo in matrimonio concedere gratiam ex opere operato; quia verò professio Virginitatis est in bonum priuatum personæ, ideò annexa ei non fuit gratia sacramentalis, adhuc tamen Christo non deest modus concedendi gratiam etiam Virginibus ex opere operantis, quamuis non opere operato ; Nec refert, quod Virgo nubens transit à statu perfectiori ad imperfectiorem, quia sacramentum semper auget gratiam in quocunque statu suscipiatur, & ille prior status Virginitatis, & cælibatus est consilij, & non præcepti, neque tenetur quisque semper perfectiora sequi, sed operari bonum, & obseruare legem. Ad 10. constat inter Catholicos contractum legitimum inter coniugatos esse sacramentum, quæ autem sit materia, & quæ forma illius non est res fidei, sed quæstio disputabilis, vt est etiam de quibusdam alijs sacramentis, vndè hoc non officit, quominus indubitanter sit sacramentum. Ad vltimum ; Ecclesia non mutauit materiam sacramenti, quæ est legitimus contractus, sed statuit circà ipsum contractum, vt lege reguletur, & tollantur abusus, quæ circa ipsum contingebant, & vt fiat legitimus sine vlla fraude, & detrimento; quod non est mutare materiam sacramenti, sed declarare, quinam sit legitimus contractus, & materia hic accipimus pro materiali adæquato, quod subest significationi sacramentali gratiæ, quod in omnibus sacramentis est aggregatum ex materia, & forma partiali, de quibus infrà.

ARTICVLVS TERTIVS.

Dubia quædam incidentia resoluuntur. 26

PRimum Dubium est, an Matrimonium etiam antè legem Euangelicam, & in omni populo fuerit sacramentum; Dixerunt aliqui, ab ipso mundi exordio, & ex immediata institutione diuina Matrimonium fuisse sacramentum habens vim conferendi gratiam, & ità quidem fuisse primum institutum à Deo inter Adamum, & Euam in statu innocentiæ, ac deindè post peccatum fuisse denuo reparatum ad talem statum sacramenti ex meritis Christi præuisis, ac deinceps inter omnes populos ita fuisse, ac tandem fuisse in lege Euangelica à Christo Domino confirmatum. Ità Alensis, Catherinus, Petrus Soto, Alphonsus de Castro, Albertus, Pighius, & quidam alij. Quod probant ex auctoritate veteris testamenti, quia dùm Genes. 1. dictum est *Masculum, & fœminam creauit eos, benedixitque illis Deus, & ait crescite, & multiplicamini*, illa benedictio otiosa censeri non debet, sed potius, gratiam coniugalis, & pro reliquis coniugibus promisisse, & ideò singulariter hominibus data fuit, non alijs animalibus. Deindè ad ex auctoritate etiam non testamenti, quia dùm Paulus ad Ephes. 5. de Matrimonio dixit *sacramentum hoc magnum est* de omni matrimonio loquebatur etiam antè legem Euangelicam contracto, vndè refert illa Genes. *propter hoc relinquet homo patrem, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*. Rursus ex auctoritate Patrum, qui significant matrimonium ab initio primos

primos parentes contractum, ac deinceps in omni populo fuisse sacramentum, ità Leo Papa *epist. 90. Chrysost. homil. 20. in Epist. ad Ephes. August. lib. de peccato originali cap. 24. & Innocentius in cap. Gaudemus* de Diuortijs apertè dixit. *Cum sacramentum coniugij apud Fideles, & Infideles existat.* Demum probant ex ratione, quia matrimonium statim post peccatum in remedium concupiscentiæ fuit institutum, ergò ex tunc à Deo vim habuit, gratiam conferendi, non enim concupiscentiæ aliter mederi poterat, quarè etiam antè peccatum conueniens fuit, vt vim augendi gratiam haberet.

27 Dicendum tamen est, quod licet matrimonium fuerit in omni lege honestum, & laude dignum in ratione contractus ciuilis, non tamen fuisse in omni lege sacramentum, sed tantùm in Euangelica per Christi institutionem; ità Doctor *loc. citat.* lit. K. quod postea in Tridentino definitum est *sess. 7. si quis dixerit omnia septem sacramenta non fuisse à Christo instituta anathema sit* inter quæ sacramenta etiam matrimonium recenset, *& sess. 24. can. 3* statuitur *si quis dixerit matrimonium non esse verè, & propriè sacramentum ex septem legis Euangelicæ à Christo Domino institutum, neque gratiam conferre anathema sit*, & etiam ibidem dicit matrimonium in lege noua coniugijs per Christum gratiam præstare, quod falsum esset, si matrimonium in veteri lege verum fuisset sacramentum, siquidem tunc etiam in illa lege gratiam contulisset, Idem etiam indicauit Concilium Florentinum in decreto Eugenij, vbi pariter definiuit septem esse nouæ legis sacramenta à Christo instituta, inter quæ matrimonium quoque connumerat, & de omnibus ait per hoc differre à sacramentis veteris legis, quod nostra sacramenta gratiam continent, & conferunt; Sic etiam loquuntur Patres, vndè Augustinus de bono coniugali capit. 24. ait nuptias apud omnes rationes esse propter generationem, & generis humani propagationem, & esse ex fine castitatis, at solùm habere firmitatem Sacramenti, vt pertinent ad populum Dei, hoc est, ad Christianos, & fideles baptizatos. Et tandem idem probatur ex communi axiomate, quod baptismus est ianua omnium Sacramentorum, ac proindè nullus, nisi suscepto baptismo, capax est Sacramentorum, & hæc est communis opinio in omni schola, tam Thomistarum, quàm Scotistarum, & Neotericorum.

28 Deindè hoc idem probatur descendendo ad particulares status, nam in statu innocentiæ, qui præcessit antè peccatum, & qui Adamo non peccante durasset in humano genere, dici non potest institutum fuisse matrimonij Sacramentum, quia vt ait Doctor *loc. citat.* omnia Sacramenta efficaciam habent ex passione Christi exhibita, vel præuisa; si autem status innocentiæ perseuerasset, passio Christi nec fuisset exhibita, nec præuisa. Nec etiam apparet, quod in statu naturæ lapsæ fuerit institutum, seu legis naturæ, nam ad summum tunc extabat remedium aliquod pro salute paruulorum, quo ab originali peccato emundari possent, ne penitus extrà salutis statum remanerent, quod Sacramentum posteà apud Abraham, eiusque posteros in circumcisione determinatum fuit; neque pro eo statu, & tempore alia sacramenta pro adultis instituta fuere, quibus gratia ex opere operato conferretur. Nec tandem in statu legis veteris scriptæ, & per Moysen traditæ, vlla habetur talis institutio de Matrimonio sub ratione sacramenti, sed solùm habebatur tanquam ciuilis contractus, sicut inter alias nationes; vndè nec vllo modo computatur inter Sacramenta, quæ in veteri lege agnoscebantur, nec vim conferendi gratiam habebant ex opere operato sed solùm externam quandam, & legalem sanctitatem; quarè matrimonium in veteri lege scripta non solum non erat Sacramentum propriè dictum, & gratiam conferens ex opere operato, vt erat circumcisio, sed nec etiam erat sacramentum ad instar aliorum sacramentorum illius legis conferendo nimirum aliquam externam, & legalem sanctitatem.

29 Dices, saltem post Christi aduentum matrimonium inter Infideles habere rationem sacramenti. Sed neque hoc dici potest, quia baptismus est ianua omnium sacramentorum, ac proindè nullus, nisi suscepto baptismo, est sacramentorum capax à Christo institutorum vt dictum est. Verum Brancatus noster *disp. 13. artic. 8.* esto cum communi teneat matrimonium Infidelium non esse verum, & proprium sacramentum, hanc tamen communem probationem ex illo communi axiomate deductam, quod Baptismus sit ianua omnium sacramentorum non tenet, quia ex hoc probatur tantùm, quod non baptizati non sint capaces Sacramentorum, & effectuum, qui ab ipsis sunt; at non probatur non habere sacramenta, quia hæc consistunt, seù perficiuntur, vt ait Concilium Florentinum *ex rebus, verbis, & intentione Ministri*; igitur cùm ad sint hæc omnia in Infidelibus, Sacramentum habere possent, sed non effectum eius; neque enim subiectum vnquam est de essentia sacramenti. Cæterum hæc instantia parum viget, quia esse baptizatum ità necessarium est ad capacitatem aliorum sacramentorum, vt non solum sit conditio ad eorum effectum consequendum requisita, sed etiam ad valorem; quamuis enim cætera Sacramenta non includant subiectum baptizatum, tanquam partem constituentem, & materiam componentem, supponunt tamen illud, vt conditionem ad sui valorem essentialiter requisitam; sicut sacramentum ordinis licet subiectum, cui confertur, non includat essentialiter, tanquam partem sui constituentem, adhuc tamen necessariò illud supponit, vt conditionem ad sui valorem essentialiter requisitam; vndè defectu capacitatis subiecti fœminæ character ordinis non imprimitur, si ab Episcopo ordinetur; sic etiam *disp. præced. quæst. 1.* dicebamus hominem duntaxat infirmum esse subiectum capax Sacramenti extremæ vnctionis, adeout infirmitas non solum sit conditio ad effectum Sacramenti requisita, sed etiam ad valorem, quamuis subiectum infirmum non includat, tanquam partem constituentem; sicut ergo non valeret Sacramentum ordinis fœminæ collatum, nec Extremæ Vnctionis collatum homini sano; ità pariter in proposito nec alia sacramenta valerent, homini non baptizato collata, quia supponunt in suscipiente baptismum, non solum tanquam conditionem ad eorum effectum consequendum necessario requisitam, sed etiam ad valorem, eo quia Baptismus dicitur aliorum Sacramentorum ianua, & dispositio essentialiter necessaria, & præuia ad alia Sacramenta validè suscipienda.

30 Ad Fundamentum oppositæ sententiæ, negandum est benedictionem illam Dei primis parentibus datam vim habuisse conferendi gratiam, aut sanctificandi siquidem fuit solùm approbatio quædam diuini operis in esse *naturæ*; vndè etiam falsum est illam benedictionem fuisse *hominibus* singulariter datam, & alijs animalibus, nam paulò anteà post creationem volatilium, & aquatilium pariter *benedixit eis dicens, Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris, auesque multiplicentur super terram*. Ad 2. communiter solent respondere Scotistæ, quod ibi Paulus nomen sacramenti latè accepit pro simplici signo alicuius rei sacræ quo pacto plura fuerunt in lege scripta, ac etiam anteà signa ad repræsentandas, & figurandas varias res sacras, ac præcipuè mysteria Christi, vndè Paulus ibi Sacramentum specialiter sumpsit de matrimonio loquens pro mysterio, seu signo coniunctionis Christi cum Ecclesia, & sic videtur intelligere Doctor *loc. citat.* sub K. dùm ait, quod hoc intelligitur de sacramento extensè accepto pro signo rei sacræ, cuius tamen non est causa, nec signum aliquod efficax; Verùm mihi videtur cum Hiqueo, Auersa, & alijs debere potius verba Apostoli intelligi de Sacramento propriè sumpto pro signo gratiam conferente, & verè sanctificante, idque in tali sensu de solo Christianorum Matrimonio intellexisse etenim vt dictum est *artic. præced.* num. 23. hoc manifestè conuincitur auctoritate Concilij Tridentini *sess. 24.* vbi planè in hoc sensu illum locum Apostoli adduxit, & intellexit, vt ibi diximus; & hoc etiam ex ipso contextu conuincitur, quia Paulus sub tempore præsenti loquitur dicens *Sacramentum hoc magnum est*, non dixit *fuit*, aut *erat*, quarè videtur propriè locutus de Christianorum matrimonio tempore legis Euangelicæ, quod *ipse prædicabat*; non ergo loquebatur de omni matrimonio etiam antè legem Euangelicam contracto. Ad 3. Partes, & Pontifices sic loquentes sumpserunt nomen Sacra*menti* latè pro signo rei sacræ, & mysterio, cùm enim *Matrimonium* fuerit à Deo institutum insolubile, ideò semper *fuit* in quacunque lege figura, & Sacramentum, hoc est, mysterium, seù signum rei sacræ; at quando locuti sunt de Sacramento propriè dicto pro signo efficaci gratiæ, dixerunt solùm in lege Euangelica, & populo Christiano hanc dignitatem obtinere, vt constat ex August. citat. lib. de *bono coniugali capit.* 24. Ad vltimum concedo, Matrimonium in statu innocentiæ institutum in officium naturæ, fuisse

apsum institutum etiam in remedium vitandę in-
æ, vt ait Doctor d.26.sub lit.Q. & R. nego tamen
isse à Deo vim conferendi gratiam, nec aliter po-
teri concupiscentiæ, nam ad talem finem quoque
m potuit ordinari quatenus ex natura rei ad fe-
, & frænandam concupiscentiam valebat offerendo
licitum, & honestum carnalis concubitus, & sic im-
o, ne ad illicita pertraheret; atque ità solùm in lege
lica post Christi aduentum institutum fuit, vt alio
quiori modo, nempè per collationem specialis gratiæ
cimendam incontinentiam, & concupiscentiam va-

bium Secundum est, An matrimonium Infidelium fal-
, quando ambo coniuges baptizantur, euadat Sacra-
tum, cùm anteà simplex contractus esset. Affirmant
mplures, sed duplici via gradiuntur; aliqui docent sine
consensu nouo, aut ratificatione fieri Sacramentum,
quo dicendi modo citantur D.Thomas, Paludanus, Hi-
lensis, Couarruuias, Veracruz, Sanchez, Becanus, & se-
itur Auersa qu.1. de Matrimonio sect.6. & ex nostris Pon-
us disp.49. q.3. quorum Fundamentum est, quia contra-
cus ipsorum præteritus non habuit aliud impedimentum,
t non fuerit sacramentum, quàm quod non fuerit baptiza-
orum; ergò cùm contractus præteritus maneat morali-
ter, & sit baptizatorum, euadit statim sacramentum post
susceptum baptismum; præsertim cùm tam congruum sit,
quod illis prouideatur de remedio huius Sacramenti, ac
alijs quibuscunque ad ferenda matrimonij onera. Alij ve-
rò docent, si interueniat nouus consensus, seu ratificatio fie-
ri sacramentum, ità Capreolus, Hechius, Bellarminus,
Henriquez, Bonacina, Ledesma, Abellius, & sequitur ex
nostris Brancatus disp.13. art.9. Fundamentum est, quia
matrimonium antè baptismum contractum poterat dissol-
ui, post baptismum autem non potest amplius dissolui; ergo
post baptismum sit Sacramentum, non potest autem fie-
ri, nisi per nouum consensum vel ratificationem præce-
dentis.

32 Opposita sententia absolutè negat, matrimonium con-
tractum inter Infideles posse vnquam fieri verum sacra-
mentum; ità Vasquez, Coninchius, Siluius, Ponce, Diana,
Caspensis, Hurtadus, & sequitur ex nostris Hiqueus d.36.
in Commentario n.58. & hæc sententia mihi probabilior vi-
detur, quia nullo ex duobus modis assignatis matrimonium
iam inter infideles contractum fieri potest sacramentum,
quando baptizantur, & ad fidem conuertuntur; Non qui-
dem primo modo, quia essentia sacramenti huius annexa
est fieri contractus, non autem contractui in facto esse, vel
moraliter permanenti, nec vinculo permanenti post contra-
ctum, hoc enim sacramentum est quid transiens in fieri, &
in actione consistens; cùm ergò contractus ille præteritus
non fuerit inter baptizatos, dici nequit euadere Sacramen-
tum, quando baptizantur, quia tunc actu non existit, sed
fuit antè; sacramenta namque tunc tantùm fiunt, quando
applicatur materia, & forma eorum physicè, quando autem
baptizantur infideles illi, non applicatur materia, & forma
huius sacramenti, qui est mutuus coniugum consensus, iuxtà
primum dicendi modum; ergo tunc non conficitur hoc sa-
cramentum, neque matrimonium præteritum euadit Sacra-
mentum; neque baptismus illi vinculo concedit aliam fir-
mitatem, nisi quod sit ratum, hoc est, non possit dissolui, vn-
de fatentur vinculum matrimonij consummati fieri per baptis-
mum vtriusque coniugis omninò indissolubile, non tamen
sacramentum, quia per baptismum non applicatur materia,
& forma necessaria huius Sacramenti.

Confirmatur cum Hiqueo ex regula generali de Sacramentis
in vita consistentibus, quæ talis est, vt sacramenta, quando
non fuerit in re, aut vllo suo effectu ad gratiam disponente,
non conferunt gratiam, sed inter infideles matrimonij
contractus præcessit, vt supponitur, neque tunc est dùm ba-
ptizantur, neque vllus eius effectus ad gratiam Sacramenti
posteà disponit, quia sacramentum non fuit susceptum, cum
contractum non fuerit inter baptizatos, & ratione ex vi sa-
cramenti, quod præcesserit, non debetur effectus illius, eo
modo quo dicitur in quibusdam sacramentis ficto rece-
dente fictione, eo quod eius effectus in Sacramenti receptio-
ne ob indispositionem recipientis impeditus fuerit; ergò ex
hac parte non debetur effectus sacramenti matrimonij, &
gratiæ matrimonialis collatio, nisi etiam ipsum Sacramen-
tum fuerit applicatum.

Quod autem neque secundo modo, hoc est per interuen- 33
tum noui consensus, aut ratificationem prioris iam præteri-
ti possit matrimonium infidelium ad statum Sacramenti
transire, probatur; quia nequeunt infideles illi de nouo ma-
trimonium contrahere, cum non possint sibi mutuò corpo-
ra tradere, quia neuter iam habet sui corporis potestatem, &
nemo potest alteri tradere, quod suum non est; ergo matri-
monium inter infideles iam contractum non potest fieri Sa-
cramentum per interuentum noui consensus, vel ratificatio-
nem prioris; antecedens patet, consequentia verò probatur,
ideò enim Auctores secundi modi dicendi ad nouum con-
sensum recurrunt, vel ratificationem prioris, vt fingant no-
uam materiam, & formam huius sacramenti; sed hic con-
tractus non potest innouari, quia supponit talis contractus
partes esse sui iuris, quod de iam coniugatis dici nequit,
cùm iam legitimum contractum celebrauerint, qui non
est suspensus, aut impeditus, neque posito baptismo
amplius impediri potest, si est matrimonium consuma-
tum.

Confirmatur, quia postquam coniuges semel sibi mutuò
sua corpora tradiderunt, non amplius habent in potestate
sua quid sibi inuicem in hoc genere tradere possint; alio-
quin ipsi baptizati, vel infideles postquam sunt baptizati,
possent, quoties vellent suum consensum repetere mu-
tuum, & sic matrimonij sacramentum possent inter se ad
placitum reiterare, & sic semper nouam gratiam recipere ex
vi Sacramenti toties repetiti; Denique contractus antè ba-
ptismum celebratus non fit posteà Sacramento suscepto
baptismo gratiam conferens, quamuis consensus repeta-
tur, ac eius exterior expressio; quamuis enim hæc noua
repetitio fiat, non tamen fit de nouo contractus, in quo
præcisè matrimonij Sacramentum consistit quia iam sup-
ponitur antè baptismum factus, & illa repetitio est tantum
præteriti contractus approbatio; Ex quo patet quid sit di-
cendum ad fundamentum vtriusque modi dicendi primæ
sententiæ: Quando verò addebatur congruum esse, quod
etiam infideles coniugati, ad fidem conuersi huius Sacra-
menti remedium participent ad ferenda matrimonij onera,
quæ fuit vtilitatis ratio, ob quam Christus hoc Sacramen-
tum instituit. Dicendum est, magis videri rationi con-
gruum, vt dicatur Deum per fidem, conuersionem, &
baptismum eorum supplere gratiam, & auxilia, quæ solent
coniugatis hoc sacramento conferri ad onera matrimonij
ferenda quàm vt detur gratia sacramenti huius nullo adhi-
bito sacramento.

Instabis cum Auersa, de facto matrimonium anteà ini- 34
tum inter fideles, & baptizatos valet ad successiuè conferen-
da varia auxilia gratiæ pro opportunitate; ergo etiam illud in
hoc casu matrimonium anteà initum inter fideles valet po-
steà cum baptismo suscepto, ad conferendam suam partem
gratiæ sanctificantis; ad hoc enim nihil plus requiritur,
quam Christum Dominum ità hoc sacramentum instituis-
se, & promisisse, vt non solum ijs, qui post baptismum inirent
coniugium, daretur talis gratia, sed etiam ijs, qui anteà co-
niugati venirent posteà ad baptismum, quod absque omni
dubio facere potuit, & nullum inconueniens est, si dicatur
ita fecisse.

Resp. negando consequentiam, & paritatem assumptam,
nam matrimonium inter fideles contractū valet ad confe-
renda successiuè auxilia gratiæ matrimonialis pro opportu-
nitate, quia licet sacramentū in se non permaneat, remanet
tamen in aliquo suo effectu disponente ad gratiam, nempè in
vinculo matrimoniali ex contractu sacramentali præterito
resultante; at post contractum matrimonialem inter infide-
les initum nullus talis effectus remanet positiuè disponens
ad gratiam, licet remaneat vinculum inter coniuges ex tali
contractu deriuatum, quia sacramentum non fuit positum,
cùm contractus non fuerit inter baptizatos, vt suprà diximus
est in probatione nostræ sententiæ; Quare si post baptismum
auxilia gratiæ matrimonialis etiam coniugibus infidelibus
ad fidem conuersis conferuntur, vt pium est credere, ad fe-
renda matrimonij onera hoc non erit ob sacramentum ma-
trimonij, sed ratione Fidei, ac Baptismi, vt Coninchius, &
Hiqueus aduertunt. Ex his autem solutio alterius dubij de-
duci debet, an etiam quando vnus solus conuertitur, matri-
monium anteà initum fiat sacramentum, si enim quando
coniuges ambo conuertuntur ad fidē, matrimonium ostensū
initū non transit ad statum sacramenti, vt hactenus tantùm
est, tantò minus, & ob eandē rationem, quando vnus tantùm ex

ex coniugibus venit ad fidem, eius matrimonium rationem sacramenti assumet; Licet oppositum doceant Auersa *loc. cit.* & Brancatus *art.* 10. vt consequenter loquantur ad sua principia.

35 Dubium Tertium est, An matrimonium fidelis cum infideli sit sacramentum saltem ex parte ipsius Fidelius; & difficultas procedit ex suppositione, quod inter baptizatum, & non baptizatum possit validè fieri matrimonium, obtenta nimirum dispensatione de contrahendo cum infideli; & quidem certum est non esse sacramentum ex parte coniugis infidelis, quia iste ex defectu baptismi est aliorum sacramentorum incapax, quarè est sola difficultas ex parte baptizati; Affirmant Sotus, Catherinus, Echius, Rebelius, Auersa, & ex nostris Hiqueus, Poncius, & Brancatus; Fundamentum est, quia vt arguit Auersa *loc. cit.* potuit sic optimè institui à Christo matrimonium in sacramentum, vt semper quando contrahitur ab aliquo baptizato, atq; adeò sacramentorum nouæ legis capaci, verè sit in illo sacramentum etiamsi alter ex contrahentibus ob defectum baptismi non sit capax alterius sacramenti; Eratque hæc institutio rationabilis, quia perindè indiget talis fidelis contrahens cum infideli ope, & subsidio spirituali per auxilia gratiæ, ad quæ conferenda fuit à Christo data vis ipsi matrimonio; nec oportebat hanc vim subtrahi ob incapacitatem alterius contrahentis.

Confirmatur, quia de facto, si è duobus contrahentibus vnus sit per peccatum mortale indispositus, & incapax ad recipiendum tunc effectum huius sacramenti; adhuc alter qui est dispositus, & capax verè recipit totum effectum suum, qui ad eum spectat; ergo sic pariter in proposito potest habere vim conferendi gratiam in vno, qui est capax sacramenti ratione baptismi, quamuis non in altero, qui sit incapax ob defectum baptismi, & ità in vno sit sacramentum, & non in altero.

36 Negant è contrà tale matrimonium etiam ex parte fidelis esse sacramentum Vasquez, Henriquez, Coninchius, Ilambertus, Hurtadus, Sanchez, Ponce, Caspensis, & alij Recentiores; Fundamentum est, quia essentia huius sacramenti consistit in mutuo expresso consensu vtriusque coniugis, & non vnius tantùm sed dùm alter est infidelis, scit non baptizatus, atque adeò incapax huius sacramenti, iam non potest adhibere consensum aptum ad essentiam ipsius sacramenti; ergò tale matrimonium nec ex parte illius, qui baptizatus est, erit sacramentum, cum non habeat totam sacramenti essentiam requisitam. Confirm. quia Christus Dominus in solo contractu integro hoc sacramentum constituit, vt prædictum est; sed in solo baptizato non est integer, & perfectus contractus, sed in vtroq; coniuge; ergo in solo baptizato non habet rationem sacramenti, & sicut matrimonium est vnicus contractus duorum, sic etiam est vnicum sacramentum in ambobus coniugibus.

37 Becanus *cap.* 44 *q.* 4 *n.* 8. pro resolutione dubij inquit hanc pendere ex illa quæstione, an matrimonium sit tantùm vnum sacramentum; Aliqui dicunt esse duo sacramenta partialia, ex quibus vnum perfectum integratur, quia in vno coniugum est gratia sacramentalis distincta à gratia alterius: & iuxtà hanc sententiam affirmandum est in casu proposito matrimonium ex parte fidelis esse sacramentum. Alij verò rectius dicunt, vt nos quoque diximus *art.* 1. huius *quæst.* in fine *n.* 14. esse vnum tantum sacramentum, quia est vnus tantùm contractus inter virum, & fœminam, cui contractui annexa est ratio sacramenti; vnde sequitur, vel ex vtraque, vel ex neutra parte coniugum debere esse sacramentum. Cæterum replicat, & inquit Auersa *loc. cit.* quod quamuis contractus sit ita vnus, vt non possit diuidi, quia perficitur, & integratur ex consensu amborum coniugum; tamen inquantum sacramentum potest adhuc conferre gratiam in vno, & non in altero, & ità quoque potest habere vim conferendi in vno, & non in altero, atque adeò tantum esse sacramentum in vno, & non altero; Quarè siuè dicatur duplex numero, vel vnicum sacramentum in duobus, quandò contrahitur inter ambos fideles, hoc non refert quoniam minus, dum contrahitur inter vnum fidelem, & alium infidelem, dicatur vnicum sacramentum in vno tantum è duobus contrahentibus; Et quamuis infidelis sit incapax huius sacramenti, adhuc tamen benè potest esset, vt eius actio concurrat ad constituendam essentiam sacramenti per modum materiæ, & formæ in altero coniuge fideli; sicut certè valet sacramentum baptismi datum etiam ab infideli, & non baptizato seruatis conditionibus ad valorem requisitis; quia ipsimet coniuges dicuntur huius sacramenti ministri, & hoc sacramentum conficere.

38 Verum quamuis potuerit quidem hoc sacramentum à Christo institui, vt quando contrahitur ab aliquo fideli, & baptizato, verè sit in illo sacramentum, etiamsi alter ex contrahentibus ob defectum baptismi non sit capax huius sacramenti; & potuerit etiam facere, vt ipse consensus coniugis infidelis concurreret ad constituendam essentiam sacramenti in altero coniuge fideli, quamuis ipse non suscipiat sacramentum, sicut de facto valet sacramentum baptismi datum etiam ab infideli, & non baptizato; Quamuis inquam, hoc totum concedamus, nullam tamen habemus coniecturam, quod ità de facto sit institutum, imò potius oppositum deducitur ex Scripturis, Concilijs, & Patribus expressè docentibus solum contractum matrimonialem baptizatorum esse eleuatum ad rationem sacramenti; & paritas ex sacramento baptismi desumpta, qui potest etiam ab infideli conferri, omninò claudicat, quia baptismus est sacramentum necessitatis pro animarum salute, non ità matrimonium; & quamuis talis fidelis contrahens cum infideli ope, & subsidio spirituali indigeat per auxilia gratiæ, ad quæ conferenda fuit à Christo institutum matrimonij sacramentum; hoc potest suppleri virtute ipsius fidei & baptismi, vt nuper dicebamus de matrimonio Infidelium, quando ambo baptizantur; Concludendum itaq; est, quod si vera est illa propositio ex doctrina fidei, quod solus contractus inter baptizatos est eleuatus ad rationem sacramenti, contractus fidelis cum infideli non est sacramentum etiam ex parte ipsius, quia talis non est contractus baptizatorum sed est contractus baptizati cum infideli, & non baptizato.

39 Respondet noster Poncius *loc. cit.* propositionem illam in hoc sensu intelligendam esse, vt nullus contractus sit eleuatus ad rationem sacramenti præter contractus baptizatorum, non quod quilibet contractus sit eleuatus debeat esse inter duos baptizatos, sed quod nullus sit eleuatus, nisi sit alicuius baptizati. Sed præterquam quod hæc expositio manifestè petit principium, sanè destruit omninò sensum propositionis, quem verba ipsa præseferunt; si enim extaret lex v.g. quod solùm inter nobiles possit fieri contractus emptionis, & venditionis alicuius iurisdictionis verbi gratia Comitatus, aut Marchionatus, posset adhuc ignobilis, & plebanus talem emptionem facere, quia possemus legem interpretari in eo sensu, vt sufficeret, quod alter contrahentium sit nobilis, & ingenuus; quod planè ridiculum esset, stante igitur veritate propositionis illius, quod solus contractus baptizatorum sit ad rationem sacramenti eleuatus, probabiliorem puto sententiam negatiuam, quod matrimonium fidelis cum infideli ex neutra parte sit sacramentum, quia commune est axioma, quod ad destruendum sufficit vnum; neque vnius tantum corpus, consensus & verba sunt materia, & forma huius sacramenti, sed vtriusque coniugis simul.

Ad Fundamentum primæ sententiæ patet ex dictis, quod vtique poterat sic institui sacramentum matrimonij, neq; negari potest, quod talis institutio rationabilis fuisset ob rationem ibi allatam; at non apparet ex Scriptura, & Concilijs, & Patribus, quod sic fuerit institutum, sed potius opposito modo, quia dicunt solum contractum inter baptizatos ad rationem sacramenti eleuatum esse. Neque ob id fidelis infideli coniunctus destitutus esset auxilijs necessarijs ad ferenda matrimonij onera, quæ per hoc sacramentum conferri solent, nam adhuc in hoc casu illa haberet virtute fidei, & baptismi, vt dictum est. Ad Conf. patet per idem, quod sicut de facto matrimonium inter fideles contractum confert gratiam vni, & non alteri obicem ponenti peccati mortalis, vndè respectu illius remanet informe; ità etiam taliter institui poterat, vt inter fidelem, & infidelem contractus vim haberet conferendi gratiam illi, & non isti, quia est incapax sacramenti huius ob defectum baptismi; at de facto non est ità institutum, quia ambo contrahentes debent esse baptizati, vt sit contractus sacramentalis, cùm solum matrimonium baptizatorum sit ad rationem sacramenti eleuatum: Itaque sic mihi resoluenda videntur tria Dubia proposita, quæ Scotus in particulare non tangit.

40 Quartum tandem Dubium est, An inter baptizatos possit celebrari matrimonium, quod non sit propriè sacramentum, seu an inter Fideles possit separari à matrimonio ratio sacramenti, itaut sit tantùm contractus legitimus, & non

cramentum, vt v.g. si duo fideles haberent inten- ontrahendi matrimonium validum, non tamen Sacramentum, & hoc quia fortè sunt in peccato, & nolunt committere aliud mortale per sacrile- ciendo, scilicet, & recipiendo Sacramentum ma- ij in mortali. Negant Ledesma, Coninchius, San- Auersa, & communiter nostrates Hiqueus, Pon- Brancatus, & alij Recentiores; Fundamentum est, Christus inseparabiliter addidit contractui baptizato- rationem Sacramenti, quod constare videtur ex Con- lorent. & Trident. absolutè, & absque vlla limitatione ntibus matrimonium baptizatorum esse Sacramẽtum; igitur contractus matrimonij ex Christi institutione anfecè, & necessariò sit sacramentum, non potest ex entione contrahentium separari ratio sacramenti à ratio. ntractus; vndè volens, & intendens contractum, al etiam saltem implicitè, & intendit consequenter Sacra- entum, ac proindè intentio in contrahentibus non confi- iendi sacramentum repugnat directè intentioni conficien- di matrimonium, vt contractus est, quia ex institutione Christi inseparabilis est ratio sacramenti à contractu matri- monij.

Affirmant alij inter baptizatos posse fieri, vt contrahentes ex suo arbitrio, & intentione ineant validum, & ratum matrimonium in ratione humani, ac ciuilis contractus, exclusa ratione sacramenti; si nempè intendant verè inter se contrahere, seque mutuò obligare; & sibi inuicem dominium suorum corporum tradere, non tamen conficere, seu suscipere sacramentum; ità Vasquez, Rebellus, Hurtadus, Caspensis, Ponce, Bonacina, Diana, & alij Morales; Fundamentum est, quia sine intentione Ministri nullum sit sacramentum, ad eius enim validitatem hæc tria concurrunt materia, forma, & intentio ministri; cùm ergo Ministri huius sacramenti sint coniuges vt infrà dicemus, si non habent intentionem conficiendi sacramentum, sed tantùm ciuilem contractum, planè talis contractus, esto validus, rationem sacramenti non habebit; Et absque fundamento dicitur Christum ità inseparabiliter addidisse contractui baptizatorum rationem Sacramenti, vt deficiente ratione sacramenti ex defectu intentionis conficiendi sacramentum, vel aliter, instituerit contractum irritum euadere; hoc inquiunt, dicitur sine fundamento, nam Christus euehendo matrimonium in Sacramentum, ipsum sacramentum matrimonij in sua natura reliquit, & tantùm illi adiunxit significationem infallibilem gratiæ sanctificantis; ergò non repugnat dari inter baptizatos matrimonium validum, & legitimum in ratione contractus, non verò in ratione matrimonij; Concilia verò absoluta illa locutione, quod matrimonium baptizatorum sit Sacramentum, tantùm indicare voluerunt, Christum omnem contractum matrimonij baptizatorum validum absque aliqua exceptione in sacramentum instituisse; quod non tollit posse non fieri sacramentum, si desit intentio requisita, sicut contingere potest, quod ablutio, & prolatio verborum baptismi, quas absque exceptione aliqua Christus in sacramentum instituit, ex defectu intentionis requisitæ non fiant sacramentum. Fatentur tamen Authores relati coniuges in tali casu sacrilegium committere contrà reuerentiam sacramento debitum celebrando contractum absque ratione sacramenti, quia id esset actionem sacramentalem irritare, siquidem tenebantur habere etiam intentionem sacramenti, cùm Christus Dominus matrimonium in sacramentum instituerit, sicut quilibet alius sacramentorum minister mortaliter peccat dum absque intentione conficiendi Sacramentum peragit, id quod Christus in sacramentum instituit.

42 Quænam harum opinionum sit probabilior, & magis de mente Doctoris deducendum est ex his, quæ habet *dist.* 26. *sub l. vers. sed hic est dubitatio* vbi formam huius sacramenti inquirit, & inquit, quod vel Deus determinauit aliqua verba præcisè, puta *accipio te in meam*, vel *in meum*, vel determinauit indifferenter quæcunque verba exprimentia talem consensum, si determinauit primo modo, scilicet, quod forma huius sacramenti consistit in verbis præcisis, sequitur quod multoties est contractus matrimonij sine sacramento, etiam in lege euangelica, quia multoties contrahitur per alia verba, quàm per illa; si etiam determinauit verba, sed indifferenter consensum exprimentia, quæcunque sint illa, adhuc tamen cùm contra-

Meld. In Quart. Senten.

hatur quandoque inter mutos sine verbis, sequitur, quod alicubi est contractus iste sine sacramento; Nec istud est absurdum; quia possibile est, quod vsque ad legem Euangelicam frequenter contrahebatur, vbi tamen nunquam fuit sacramentum, vt hic loquimur, scilicet, propriè; Si autem non determinauit, quod sit sacramentum gratiæ magis, quàm ex impositione humana determinetur signum sufficiens ad contractum, tunc potest dici, quod in quocunque contractu in lege Euãgelica comitatur sacramentum, quia illud signum, quod requiritur ad contractum, est ex institutione diuina sacramentum. Ità ad verbum discurrit Doctor *loc. cit.* ex quo discursu, Hiqueus, & *Brancatus* deducunt primam opinionem esse magis de mẽte eius, quia in vltimis verbis dicit, quod omnem contractum legitimum concomitatur sacramentum in lege Euangelica idest inter baptizatos, quia illud signum, quod requiritur ad contractum est ex institutione diuina sacramentum hoc est, independenter à contrahentibus, & non ex eorum voluntate. 43

Verum quamuis in fine illius discursus ità loquatur Doctor, tamen ab initio etiam dixit, quod si pro forma huius sacramenti determinata sunt verba, sequitur etiam in lege Euangelica quandoque dari contractum sine sacramento, cùm contrahatur quandoque inter mutos sine verbis, & ait istud non esse absurdum; ergo absolutè loquendo non habet pro inconuenienti, quod in lege Euangelica dari possit aliquando matrimonium in ratione contractus, & non sacramenti; Et sicut ex defectu verborum in ea suppositione, quod verba tantùm explicita, siuè præcisa, siuè indifferentia, sint forma, concedit sacramentum esse seperabile à contractu in lege Euangelica absque vllo præiudicio validitatis contractus, quia sic etiam fiebat antè legem Euangelicam; sic etiam ex suppositione, quod verba explicita non sint forma determinata, sed etiam signa sensibilia æquiualentia concederet rationem sacramenti esse separabilem à ratione contractus ob præcisionem contrahentium, qui vellent contractum inire, sed non sacramentum, quia hoc non videtur magis inconueniens in vna suppositione, quàm in alia; vndè sic intelligendo Scoticum discursum probabilior esset de mente ipsius secunda opinio, quàm prima; Sed quia hic casus præcisionis contrahentium est purè metaphysicus, quoniam moraliter possibile non apparet, vt quod velens inire contractum talem nolit ipsum inire sacramentum; quænam harum opinionum sit probabilior, non determino, sed prudentis lectoris iudicio remitto.

QVÆSTIO SECVNDA.

De Materia, Forma, & Ministro Matrimonij. 44

OMnia nouæ legis sacramenta constare ex materia, & forma, & habere ministrum satis patet ex dictis *Disp. 1. de Sacramentis in genere*. Sed quia in Concil. Florentino Eugenius Quartus in suo Fidei decreto definiẽs omnia nouæ legis sacramenta tribus perfici, rebus tanquam materia, *verbis* tanquam forma, & persona ministri sacramentum conferentis, cum intentione faciendi, quod facit Ecclesia, hæc tria in alijs sacramentis assignauit, & non in sacramento matrimonij, ideò Theologi de hac re disputant, & adeò variè discurrunt, vt hic verè locum habeat adagium, quot capita tot sententiæ, siquidem Sanchez, Becanus, & alij sex referunt opiniones Ponce septem, Auersa decem, præter quas ego quoque alias inueni apud magis Recentiores. Verùm quia harum opinionum, aliæ sunt prorsus improbabiles, aliæ minus probabiles, & aliæ tandem magis probabiles; has solùm ex professo examinabimus, alias velociori calamo percurrendo, ne tempus conteratur; & quidem rem per se satis conspicuam difficilem reddiderunt tot, tamquam diuersi modi dicendi, Hæreticis occasionem præbentes, vt contrà Catholicos glorientur nullam materiam, & formam in Matrimonio assignari posse.

ARTICVLVS PRIMVS.

Variæ opiniones de materia, & forma matrimonij examinantur, & probabiliter statuntur.

45 VT ab improbabilibus, vel minus probabilibus opinionibus exordium sumamus; Aliqui dixerunt matrimonij materiam esse vtriusque coniugis mutuum consensum verbis, vel signis sufficientibus expressum; formam verò esse verbum illud Dei, & Christi Gen. 2. & Matth. 19. sanctificans omne matrimonium, quamuis semel tantùm fuerit prolatum. *Propter hoc relinquet homo Patrem, & Matrem, & adherebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna*, ità Catherinus opusc. de matrimonio qu. 1. Sed hæc opinio communiter reijcitur, tanquam improbabilis, quia ad nouum, & distinctum sacramentum, & ad nouam, & distinctam materiam requiritur noua forma, & nouiter repetita, quia sacramenta præsertim, quæ in vsu consistunt, sicut est matrimonium, materiam, & formam habere debent simul in eodem tempore; saltem moraliter; ergò verbum illud, quod ab initio mundi in rigore fuit semel tantùm prolatum, & vnum numero, nequit esse forma pro pluribus, & omnibus matrimonijs, vsque ad finem mundi futuris. Alij dixerunt materiam in Sacramento Matrimonij esse actus contrahentium, nempè consensus, & signa externa, quibus exprimuntur, formam verò esse verba illa Sacerdotis, *Ego vos coniungo*, quatenus sacramentum est, non tamen quatenus contractus est; ità Canus lib. 8. de locis Theol. c. 5. vbi etiam consequenter ait matrimonium sine præsentia Sacerdotis esse quidem validum contractum, non tamen sacramentum. Sed hoc etiam meritò ab omnibus reijcitur Theologis, quia contrarium expressè colligitur ex Concil. Florentino, vbi Eugenius Quartus in fidei decreto loquens de sacramento Matrimonij ait, quod *causa efficiens matrimonium est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*, & nullam aliam assignat causam, sentit ergo consensum contrahentium tantùm, & verba, vel signa illum exprimentia, non autem verba Sacerdotis sacramentum matrimonij perficere; atq; ideò verba potius contrahentium erunt huius sacramenti forma, non autem verba Sacerdotis.

46 Alij putarunt priora verba vnius contrahentis, vel verba prius ab alterutro contrahente prolata esse materiam huius sacramenti; posteriora autem verba alterius contrahentis, siuè ab altero posterius prolata esse formam. Ità Riccard. 4. *dist. 26. art. 4. quæst. 2.* & Victoria in Summa *num.* 245. Henriquez *lib. 11. cap. 2.* Ledesma, & alij. Cæterum hoc quoque communiter reijcitur, quia possunt cõtrahentes simul, & semel eodem tempore suum consensum verbis, & alijs signis exprimere, in quo casu nulla adesset materia, & forma sacramenti, quia non essent verba priora, & posteriora, cùm supponantur simul, & eodem tempore ab vtroque contrahente prolata; tùm quia sic dicendo matrimonium non haberet materiam, & formam certas, sed vagas, & esset in contrahentium potestate ex materia facere formam, & è contrà. Alij docuerunt formam matrimonij esse consensum contrahentium verbis expressum, siuè verba exprimentia consensum; materiam verò esse alios contrahentium actus præcedentes ipsam consensus expressionem; ità Viguerius in Instit. cap. 16. & Syluester in Summa verbo *Matrimonium*. Hic quoque dicendi modus non recipitur, quia non manifestat, qui sint hi alij contrahentium actus rationem materiæ habentes, & planè facile non est tales actus assignare consensum præcedentes, nec alij videntur assignari posse, nisi sponsalia, quæ tamen dici non possunt materia contractus matrimonij, cùm sine illis rectè possit, & validè celebrari contractus; Nec sanè alij actus ad validitatem matrimonij per se requiruntur præter mutuam contrahentium consensum, & quicunq; actus interueniant, sunt solùm de solemnitate, & extrinsecè se habent, vt promissiones, siuè sponsalia, denunciationes, & similes.

46 Quidam etiam ex nostris Scotistis aliquid noui in hoc puncto afferre voluerunt, Hiqueus siquidem in Commentario d. 26. n. 71. postquam sententiam illam commendauit, vt alijs proferendam, quæ discernit in contractu mutuam dationem per modum formæ (de qua infrà) subdit deindè posse etiam aliter designari in hoc sacramento materiam, & formam, & fortè magis ad propositum; cùm enim contractus legitimus sit materia, seù fundamentum significationis sacramentalis, dici potest actum mutuæ translationis, & acceptationis esse materiam; conformitatem autem ad legem esse formam, per quam determinatur ad contractum legitimum, & in his duobus perfici materiam, & formam sacramenti, quorum vnum sine altero nequit fundare significationem sacramentalem; Poncius etiam ex nostris *disp. 49. qu. 5.* postquam distinxit de matrimonio in ratione contractus & in ratione sacramenti, & diuersã assignauit illius materiam, & formam sub vna, vel alia ratione consideratis tandem sub n. 27. in prima conclusione resoluit, quod absolutè loquendo melius est dicere contractum mutuum esse materiam huius sacramenti, & formam esse cætera, quæ requiruntur, vt sit legitimus; & concludit hanc conclusionem adeò esse claram, & certam, vt nullam patiatur oppositionem.

Verùm hic dicendi modus alijs mihi videtur obscurior, & minus ad rem facere, quoniam licet, vt matrimonium sit sacramẽtum; requiratur vt contractus sit legitimus, quia solùm talis contractus est fundamentum significationis sacramentalis; & nullus contractus quantumuis legitimus sufficeret, vt esse sacramentum absque diuina institutione, à qua sola habet, quod causet gratiam, & propterea possit cũ veritate dici in hoc sensu, quod conformitas ad legem in tali contractu sit forma, vel etiam diuina institutio, quia cõtractus sine conformitate ad legem non fundaret significationem sacramentalem, cùm hæc non fundetur, nisi in contractu legitimo; & nisi supponeretur diuina institutio, vtique non haberetur talis significatio sacramentalis, ab illa enim præcisè habet contractus legitimus matrimonialis, quod gratiam causet, & consequenter, quod sit sacramentum; Quamuis, inquam, hæc omnia sint vera, nihilominus, vt Poncius ipse quoque fatetur, quando quæritur absolutè de materia, & forma sacramentorum, non est sermo de materia, & forma in hoc sensu, per quam nimirum cõstituitur in esse sacramenti, sic enim forma cuiuslibet sacramenti esset diuina institutio, à qua præcisè habent, quod gratiam causent; sed sermo est de materia, & forma rei sensibilis, quam Deus instituit in signum efficax gratiæ conferendæ; certum autem est, nec conformitatem ad legem, vt dicebat Hiqueus, nec diuinam institutionem, vt dicebat Poncius, esse materiam, vel formam huius sacramenti, quia neutrum istorum est per se sensibile; ergò absolutè loquendo, quando quæritur, quænam sit materia, & forma huius sacramenti, neque conformitas ad legem, neque diuina institutio debent assignari, sed aliqua ex re sensibili à Deo instituta in signum efficax gratiæ conferendæ; Neque assignanda est diuersa materia, & forma matrimonij sub ratione contractus, & sub ratione sacramenti, vt dicebat Poncius noster, nam Theologi omnes passim fatentur eandem esse materiam, & formam matrimonij, vt sacramentum est, & vt ciuilis contractus; quia Christus Dominus in nullo penitus huius contractus ciuilis naturam immutauit, sed illum sub Principum dispositione, & potestate Ecclesiæ relinquens, id quod fuit legitimus contractus matrimonij ad statum sacramenti euexit, & eleuauit, vt esset gratiæ collatiuum; ac proindè eandem est materia, & forma matrimonij sub vtraque ratione considerari. 48

His itaque dicendi modis reiectis, vt improbabilibus, vel saltem minus probabilibus restat, vt expendamus opiniones alias, quę communi iudicio probabiliores censentur; Prima est Canonistarum *cap. Tua nos, de Sponsal.* & Nauarri in Manual. c. 22. nu. 20. Valent. *disp. 10. qu. 1. punc. 6.* & aliorum asserentium mutuum consensum contrahentium esse materiam, verba autem, quibus ille consensus exprimitur esse formam, quia consensus informatur, & determinatur per verba; quem dicendi modum valdè commendat Auersa qu. 2. sec. 3. vt alijs omnibus præferendum, sic enim dicendo tota substantia sacramenti assignatur in actibus humanis, qui realiter in hoc ministerio exercentur, & cum illo transeunt; & satis benè verificatur hoc sacramentum constare rebus, & verbis; nam exterior expressio est verbalis locutio, & interior consensus est res, quæ tali locutione exprimitur. 49

Hic tamen dicendi modus graues patitur difficultates; nam tam materia, quàm formam sacramentorum debent esse quid sensibile, cùm ipsum sacramentum sit signum sensibile ratione suarum partium, sed consensus internus 50

non

sibilis, cùm sit purè spiritualis; ergo non potest
ia huius sacramenti. Nec suffragatur, quod in-
alentia, & Auersa *loc. c.* satis esse ipsum consen-
ci sub sensus notitiam, & fieri suo modo sensibi-
lteram partem, quæ est externa expressio; sicut in
ento Pœnitentiæ contritio est materia, quamuis sit
sensibilis, quia sufficit, vt sensibilis fiat per confes-
externam; quarè de toto quidem sacramento in
finitione dicitur, quod sit signum sensibile, sed nus-
conuincitur, vt tam materia per se, quam forma per
ibilis esse debeat, sed satis censeri debet, si vna per al-
fiat suo modo sensibilis. Non, inquam, hoc sufficit,
aritas assumpta de contritione valet, nam contritio, vt
tus interior, non est totalis materia Sacramenti Pœni-
æ, sicut hic ponitur esse interior consensus materia
rimonij, sitque contritio sensibilis per confessionem
ernam, & verba, quæ etiam sunt materia Sacramenti
itentiæ; quamuis autem non sit inconueniens materiam
rtialem alicuius sacramenti non esse per se sensibilem, sed
ti sensibilem per aliam compartem; est tamen inconue-
ens de materia totali, qualis in proposito ponitur consen-
us interior respectu matrimonij; Et quando de toto Sacra-
mento dicitur in eius definitione, quod sit signum sensibile,
hoc planè intelligitur de toto sacramento, non tantùm ca-
thegorematicè, sed etiam sincathegorematicè sumpto,
quia dicitur signum sensibile ratione suarum partium, itaut
tam materia totalis, quam forma debeant esse per se sensi-
biles, licet interdum materia partialis possit esse per se
insensibilis.

Confirmatur, quia dùm dicunt consensum internum es-
se materiam, & expressionem externam per verba esse for-
mam, vel sermo est de consensu, prout est quidam actus in-
terior; & sic nequit esse materia alicuius contractus, quia
materia cōtractus in Republica debet esse aliquod sensibile,
& externum, cùm inter homines fiat, qui non per conce-
ptus internos, vt Angeli, sed per signa externa intelligunt;
Vel sermo est de consensu, non vt est actus merè interior,
sed quatenus per verba exprimitur, & sic non distinguitur à
forma, quæ sunt verba explicantia consensum; nam vel
volunt etiam expressionem per signa externa venire in par-
tem materiæ, & sic confunditur forma cum materia, vt
dicebamus; vel solum materiam perficere, & sic adhuc
remanet materia per se sumpta insensibilis, quod est incon-
ueniens illatum in præcedenti ratione. Denique probatur,
quia materia, & forma in sacramentis designari debent per
analogiam, & similitudinem ad materiam, & formam
naturalium, materiæ autem proprium est esse indifferen-
tem, & indeterminatam, formæ verò est determi-
nare materiam ad constituendum compositum in tali, vel
tali specie, vt constat in rebus naturalibus, ac etiam in alijs
sacramentis, in quibus materia, quæ ad diuersos effectus est
indifferens accedente forma determinatur ad effectum pro-
prium, & specialem cuiuscunque sacramenti; at in proposi-
to consensus per se est ità determinatus, sicut expressio ver-
borum, siuè facta per verba, quia est consensus coniugalis,
& non indifferens ad plura; verba namque & consensus ex
æquo sibi respondent, non enim quid plus importat con-
sensus, quam verba significent; nequit igitur consensus ha-
bere rationem materiæ, & verba illum exprimentia for-
mæ, non enim determinatur magis commune, nisi à mi-
nus communi; quæ ratio allata à Vasquez *disp. 3. cap. 3.* est
valdè efficax, & frustrà eam Auersa eneruare conatur *loc.*
cit. negando talem indifferentiam, & indeterminationem
esse materiæ propriam, & necessariò connexam, quod ostē-
dere nititur exemplo materiæ cælestium corporum, quæ est
per se determinata ad talem formam, & tale compositum,
& adhuc est vera materia. Hoc enim est contra omnem
Philosophiam, ideoque in lib. de Cœlo dicitur, vel tuen-
dum esse cum Arist. cælestia corpora esse simplicia, & ex-
pertia compositionis materiæ, & formæ, vel esse composita
52 ex forma, & materia, quæ sit eiusdem rationis cum materia
sublunari, ac proindè secundum rei veritatem esse corru-
ptibilia ob eius intrinsecam indifferentiam, & indetermina-
tionem ad alias formas.

Alia sententia, quæ est valdè communis apud Summi-
stas, asserit materiam remotam matrimonij esse corpora
ipsorum contrahentium, proximam verò mutuam eorun-
dem corporum traditionem verbis suis, seu alijs consen-
sum interiorem exprimentibus factam, formam verò esse

Mald. In Quart. Senten.

mutuam ipsorummet corporum acceptationem à contra-
hentibus similiter factam; quarè dicunt huius opinionis
Auctores mutuum consensum exterius expressum esse
materiam, & formam, secundum diuersam rationem, nam
in verbis contrahentium duo spectari possunt, primò ex-
pressio mutuæ traditionis, qua quilibet acceptat tradi-
tionem ab altero sibi factam, & hac ratione dicuntur for-
ma. Ratio est, quia illa traditio est imperfecta, & ineffi-
cax, donec acceptatio accedat, tunc enim perficitur, & de-
terminatur in ratione matrimonij; ità Bellarminus, Suarez,
Sanchez, Lopez, Pesantius, Becanus, Iambertus, Abellius,
Labatus, Reginaldus, Diana, Bonacina, Stephanus à S. Gre-
gorio, & alij Summistæ.

At hæc sententia quoque graues patitur difficultates,
dùm enim sacramenta dicuntur constare ex materia, & for-
ma, ex rebus, & verbis, planè intelligitur vera, & realis di-
stinctio inter has partes intercedere; at dùm dicitur idem
mutuus consensus habere rationem materiæ, quatenus est
traditio, & formæ, quatenus est acceptatio, non ponitur
realis distinctio materiæ, & formæ, sed ad summum ratio-
nis; imò neque videtur esse rationis, nam eo ipso, quod
traditio est mutua, essentialiter simul est acceptatio; non
enim fieri potest, vt vnus coniugum velit corpus suum tra-
dere, & non acceptare corpus alterius, vel acceptare corpus
alterius, & suum non tradere. Accedit, quod falsò dici-
tur traditionem per modum materiæ determinari ab acce-
ptatione per modum formæ; quia mutuò se determinant
traditio, & acceptatio, vt benè instat Ponce *lib. 1. cap. 7.* sicut
enim cùm quis alteri aliquid gratis offert, aut titulo com-
mutationis, oblatio illa contractum non implet donec acce-
ptatio alterius accedat; ità similiter si acceptatio præcedat,
sicut præcedere potest, contractum non implet, donec acce-
ptatio alterius accedat; ità similiter si acceptatio præcedat,
sicut præcedere potest, contractum non implet, neque effe-
ctum habet, donec accedat traditionis oblatio ex parte alte-
rius; id quod planè, inquit prædictus Auctor, in postulatio-
ne contingit, quæ vim acceptationis habet sine alio nouo
consensu, & præcedere debet oblationem traditionis, non
subsequi; quod confirmat ex lege 1. §. *si quis ita ff. de verbo-*
rum obligationibus, vbi dicitur, quod si quis interroget da-
bis? & alter repondeat *quid ni*? obligationem oriri stipula-
tionis, & tamen acceptatio illa postulationis effectum non
habet, donec alius tradere velit; ergo traditio suaptè natura 53
non est materia, cùm in allato casu acceptationem deter-
minet, & contractum compleat.

Vltima tandem, & meo iudicio omnium probabilior sen-
tentia docet materiam huius sacramenti esse corpora cōtra-
hentium mutuò tradita, vel tradenda; formam verò esse
verba eorundem, vel alia signa externa æquiualentia suffi-
cienter exprimentia consensum; Ità Scotus *d. 26. cit.* de ma-
teria quidem in calce quæstionis ad 2. vbi ait contrahentes
esse materiam; de forma verò sub lit. L. vbi ait, quod verba
contrahentium hincinde expressiua consensus, vel alia si-
gna externa æquiualentia sunt vna forma vnitate integrita-
tis, quia sunt vnum signum integrum respectu contractus,
& respectu gratiæ; idem sentit D. Bonau. *4. d. 26. part. 2. q. 1.*
vbi ait, quod semper vir, & mulier fuerunt materia huius
Sacramenti; & D. Thomas *d. 41. q. 3. art. 2* vbi in corpore
quæstionis ait, quod debitam materiam huius sacramenti
facit personarum legitimitas, & debitam formam expres-
sio consensus interioris per verba; hoc idem sentiunt Scoti-
stæ passim Bassolius *4. d. 27. q. 1. art. 1.* Almainus *dist. 26.*
quæst. 1. ad vltimum argumentum, Tataretus ibidem, Bran- 54
catus *disp. 23. art 3. & 4.* & sequitur magna Recentiorum
caterua Vasquez, Ponce, Meratius, Hurtadus, Caspensis,
Laiman, & alij quamplures.

Discrepant tamen huius opinionis Auctores in assignan-
da proxima materia; quidam enim dicunt corpora contra-
hentium esse materiam remotam, & circa quam contra-
ctum matrimonij, traditionem verò, & acceptationem corpo-
rum, non quidem verbalem, sed realem esse materiam proxi-
mam. Ratio est, quia omnia sacramenta habent esse in fieri,
excepta Eucharistia, atque ideò etiam matrimonio talis
materia assignari debet, quæ in fieri consistat; sed nequit
melius alia constitui, nisi traditio illa; sicut enim in Ba-
ptismo, Confirmatione, Ordine, & extrema vnctione actio,
quæ cum materia remota exercetur, dicitur proxima
materia; idem pariter dicendum est de corporum traditio-
ne in matrimonio; & sicut in alijs donationibus, & commu-
tationibus

rationibus dicitur quis verè, & realiter tradere, cùm explicat de præsenti suam rem alteri transferre, & tamen datio non est consensus, quia est causa dationis, neque verba, quia hæc exprimunt eam, sed actualis, & realis externa translatio; ità in matrimonio discurrendum est; Et sicut in donationibus regulariter interuenit actus aliquis tangendi rem datam in signum possessionis; sic etiam hic interuenit manuum tactio, qua possessus corporum mutuò datur, & fides perpetua exprimitur; hæc ergo realis datio, vt distinguitur à verbali, est matrimonij materia proxima; ità Hurtadus *disp. 3. difficult. 21.* Brancatus noster *loc. cit.* & quidam alij.

55 Alij verò dicunt necessarium non esse in hoc sacramento constituere materiam remotam à proxima diuersam, seù materiam circà quam diuersam à materia ex qua, sed sicut totum compositum ex accidente, & subiecto, dicitur constare ex subiecto, vt materia ex qua comparatione totius, & ipsum est materia circà quam comparatione accidentis; ità res ipsæ in contractu dicuntur esse materia ex qua comparatione huius totius artificialis, & materia circà quam comparatione verborum; Et est diuersa ratio huius sacramenti quoad hoc, & aliorum, nam in Baptismo, v. g. materia remota est aqua, proxima verò est illa, vt applicata per actionem sensibilem, idest, ablutionem, quæ actio diuersa est à verbis, & à forma; at verò in quouis contractu materia, vt sensibiliter applicata, non distinguitur à forma, verbis enim sit huiusmodi applicatio, non enim aliqua actio intelligi potest, qua applicetur præter verba donationis, aut traditionis. Vndè ex eo, quod in alijs sacramentis assignetur materia proxima, & remota, non sequitur esse quoque assignandas in hoc sacramento, vt diuersas, quia cùm sacramentum hoc fundetur in contractu, sequitur naturam ipsius contractus; & eadem est materia, & forma matrimonij, quatenus sacramentum est, & quatenus contractus, nam Christus naturam huius contractus in nullo prorsus immutauit, sed illam sub Principum dispositione relinquēs, id quod fuerit legitimus matrimonij contractus iure humano, eleuauit, vt sacramentum esset, & gratiam conferret, vt suprà dictum est; Dicunt itaque hoc esse peculiare in matrimonio, vt materia eius sit res permanens, & in hoc ab alijs sacramentis differre, & consistere adhuc in fieri, quia altera par eius, scilicet, forma, atque adeò totum constitutum consistit in fieri; tùm quia licet hæc materia secundum se sit permanens, non tamen habet permanentem significationem gratiæ sanctificantis, nisi pro eo tempore, quo subijcitur signis interiorem consensum exprimentibus, quæ sunt forma transiens, nam Christus non illi materiæ seorsum sumptæ, sed simul cum tali forma eam dedit significationem; vndè licet physicè materia perseueret, ratio tamen matrimonij, vt sacramentum est, non perseuerat, sed transit cum forma; ità discurrunt Ponce *lib. 1. cap. 7. n. 13.* Caspensis *disp. 2. sec. 6.* & alij.

56 Vterque dicendi modus potest admitti, nec in reipsa differunt, sed solùm in modo loquendi, vterque enim asserit corpora contrahentium, non absolutè sumpta, sed vt mutuò tradita, vel tradenda esse materiam huius sacramenti; formam verò esse verba, vel alia signa externa æquiualentia internum consensum exprimentia, qui est causa talis traditionis, & translationis; Et hæc sententia hoc modo intellecta, & declarata facilis est, & omnium probabilissima, & hac euidenti ratione probatur, quia vt sæpè dictum est, Christus Dominus in nullo penitus naturam huius contractus immutauit, sed solùm ad statum sacramenti euexit, vt esset gratiæ collatiuum; eadem ergo materia, & forma erit in hoc contractu assignanda, quæ in alijs contractibus ciuilibus assignari solent, quæ sacramenta non sunt; liquidò autem constat in alijs contractibus materiam esse eam, de quà contrahitur, & inter contrahentes conuenit, & formam esse mutuum contrahentium consensum signis externis, & sensibilibus expressum; sic in contractu venditionis res ipsæ, quæ venduntur, sunt materia contractus, vt equus, vel domus, & forma est consensus ipse, vt verbis, vel alijs signis externis expressus; cùm ergò eadē sit materia, & forma matrimonij, quatenus sacramentum est, & quatenus contractus, concludendum est in hoc sacramento consensum verbis, vel alijs signis expressum esse formam, materiam verò corpora contrahentium, vt mutuò tradita, vel tradenda; & sicut in alijs contractibus materia eorum debet esse legitima, idest, non impedita lege aliqua, sic etiam in matrimonij contractu corpora debent esse legitima, hoc est, non impedita, vel naturali, vel humana lege, de quibus impedimentis infrà erit sermo. Demum hæc sententia valdè quadrat verbis Eugenij in decreto fidei, vbi dicit omnia sacramenta tribus perfici, rebus tanquam materia, verbis tanquam forma, & intentione Ministri, nam iuxtà hanc sententiam res sunt corpora contrahentium, forma autem sunt verba eorum consensum exprimentia; posteà verò loquendo de hoc septimo sacramento, quod est matrimonium, causam eius efficientem assignauit dicens, quod *causa efficiens matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*, & cùm in alijs sacramentis materiam, & formam designasset, abstinuit ab assignandis materia, & forma huius sacramenti, non tantùm ob varias Theologorum opiniones in hoc puncto superius relatas, sed præsertim quia, cùm hoc sacramentum rationem contractus supponat, illam supponit Eugenius esse materiam, & formam matrimonij, vt sacramentum est, quæ fuerit illius, vt contractus est, tantumque assignauit causam matrimonij efficientem.

Sed obijcies, quod contrahentes sunt Ministri huius sacramenti, vt patebit art. seq. ergo non possunt esse materia; consequentia patet ex paritate aliorum sacramentorum, in quibus Minister nunquam potest esse materia, tùm quia materia non coincidit cum efficiente ex communi Philosophorum axiomate. Deindè omnia alia sacramenta per verba perficiuntur, vt patet ex Concilio Florentino in prædicto fidei decreto, vbi etiam Eugenius de matrimonio loquens expressè ait per verba de præsenti perfici; ergo sola verba sunt de essentia formæ sacramenti huius, nec alia signa externa æquiualentia sufficiunt. Tandem Ecclesia nequit mutare materiam, & formam sacramentorum, sed potest Ecclesia variare materiam prædictam, quia potest vtrumque consensum de habili ad contrahendum inhabilem reddere, & è contrà, ergo &c. 57

Respondetur negando consequentiam cum eius probatione, dispar enim est ratio aliorum sacramentorum, quia alia non consistunt in contractu personę Ministri, sicut matrimonium ideoque materia, & Minister in hoc sacramento coincidunt; illud verò axioma philosophicum, quod *materia*, & efficiens non coincidunt, licet sit verum, vt *in pluribus*, tamen vniuersaliter etiam in physicis, vt patet de agentibus actione immanenti, intellectus namq; & voluntas, ac omnes potentię vitales suos causant actus, eosque recipiunt; Ad 2. negatur etiam paritas ob eandem rationem, quia alia sacramenta in elementis fundantur, vel alijs rebus, at matrimonium consistit in contractu einsdem omninò rationis cum eo qui inter homines fieri solet, neque illum Christus Dominus vllo modo immutauit, vel eius naturam alterauit, sed solùm ad statum sacramenti euexit, vndè cum etiam per nutus fieri solear, & alia signa extrema à verbis diuersa, sic etiam remansit; Neque Eugenius in eo decreto absolutè dixit matrimonium per verba de præsenti perfici, sed addit particulam *regulariter*, per quam indicare voluit hoc sacramentum etiam nutibus, vel per epistolam perfici posse absolutè loquendo, atque adeò verba præcisè non esse de ratione, vel constitutione formæ istius sacramenti: nec aliter dici potest, quia surdis, & mutis permittitur contrahere, & frequenter in hoc contractu matrimoniali contrahentes à Parocho interrogantur, an consentiat, quibus sufficit innuere, quod sic, vt ait Trident. *sess.* 24. *cap.* 1. Ad vltimum dicendum est matrimonium ab Ecclesia variari posse ex ea parte est contractus humanus, & liber, hac enim ratione eius potestati subijcitur; non autem ex ea parte, qua est sacramentum, & gratiæ collatiuum, hoc est, inquantum est signum sensibile, & practicum gratiæ sanctificantis; Christus autem non aliam *instituit* materiam, & formam pro hoc sacramento, nisi *illam*, quam habet, vt contractus est, itaut matrimonium semel institutum sub ratione contractus ab humana potestate habet ex diuina institutione, quod sit sacramentum, & *retineat* pro materia, & forma eandem omninò, quam habebat, vt contractus; neque Ecclesia statuere potest, vt id quod pro contractu matrimonij est materia, & forma, & Minister, non sit etiam pro eo, vt sacramentum est. 58

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quis sit huius sacramenti Minister.

stio est de matrimonio sub ratione sacramenti con-lerato, non verò sub ratione contractus, certum apud omnes Ministrum matrimonij, quatenus est ntractus, esse contrahentes ipsos, is enim dicitur r alicuius contractus: qui illum facit, contrahentes per mutuum consensum faciunt matrimonij contra-; Quæritur ergo quis sit Minister matrimonij, contra-cramentum est; & quamuis communis opinio, quate-ontrahentes quoque esse Ministros matrimonij, affir-enus sacramentum est, quia vt dicebamus, circa natu-huius contractus nihil omninò immutatum est à Chri-Domino, nisi quod ad rationem sacramenti quoque il-eleuauit, atque ideò sicut est eadem materia, & forma s sub ratione sacramenti, quæ erat anteà sub ratione con-ctus, sic pariter est discurrendum de Ministro; quamuis, quam, hæc sit communis opinio, non tamen desunt, qui itauerint esse sacerdotem, vel Parochum, quia actio sacra-entalis est sacra, ideoque Minister etiam debet esse sacer, qua de causa Concil. Trid. *sess. 24. cap. 1.* mandauit, vt Paro-chus habito contrahentium consensu et verba proferat, *Ego vos coniungo*; ergo Parochus verè coniungit contrahentes & sacramentum conficit, alioquin verba eius falsa essent, vel saltem frustratoria; Hinc consequenter dicunt, matrimonia clandestina, quæ antè Tridentinum celebrabantur, fuisse quidem valida in ratione contractus, non tamen habuisse rationem sacramenti; ità Melchior Cano *lib. 8. de locis cap. 5.* Gulielmus Parisiensis, Estius, & Siluius, qui valdè propriè assignare prætendunt materiam, formam, & Ministrum huius sacramenti ad instar aliorum sacramentorum; itaut in hoc, sicut in alijs interueniat sacer Minister, *cuius verba sint* forma, & fauere videtur Rituale Romanum *nouum in Præ-*fatione, vbi Parocho tribuit administrationem *huius sacra-*menti, sicut aliorum: & in hanc opinionem *Toletus quoque* inclinare videtur *lib. 7. cap. 6.* vbi ait Ministrum *in hoc sacra-*mento antè Concilium Tridentinum non *fuisse necessa-*rium at posteà esse necessarium, & ad essentiam *matrimonij* pertinere Ministrum, & testes, quo discursu *indicare videtur* post Concil. Trid. Sacerdotem esse huius sacramenti Mini-strum.

60 Vera tamen, & communis sententia, vt dicebam, opposi-tum docet, Parochum, scilicet, non esse huius sacramenti Ministrum, sed ipsos contrahentes, quod expressè etiam do-cuit Scotus *dist. 26. in sub lit. M. versic. De Ministro est aliud dubium*, vbi ait, quod ipsimet contrahentes sibi ipsius mini-strant hoc sacramentum, vel mutuò, vel vterque sibi, inte-grant tamen vnum Ministrum, vt suprà diserat de vnitate formæ; Et hoc etiam expressè deducitur ex doctrina decreti fidei Eugenij Quarti iam citati, vbi ait, quod *causa efficiens matrimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præ-senti expressus*, quibus verbis significat nullam aliam esse causam efficientem vinculi matrimonij præter mutuum contrahentium consensum, ideoque Sacerdotem non esse huius sacramenti Ministrum, sed solos contrahentes; Nec dici potest Eugenium id affirmare de matrimonio sub ratio-ne contractus, & non sub ratione sacramenti; quia in eode-m [illegible] doctrinam Catholicam, quam tenet de singulis [illegible] Ecclesia Romana, vndè loquitur eo loco de ma-trimonio præcipuè, vt est septimum sacramentum; illud au-tem verbum regulariter non ad consensum refertur, sed ad verba, eo quod suppleri soleant nutibus [illegible], & alijs si-[illegible] Tridentinum, vt suprà dictum est *num. 38.* Neque Concilium [illegible] sacramentum assistentiam Parochi requisiuit, vnquam Mi-nistri [illegible] conficientis, sed tanquam conditionem [illegible] validitatem contractus, ac proindè verba [illegible] non pertinent ad formam huius sacramenti, [illegible] Ecclesiæ instituto adhibentur ad contrahentium [illegible] comprobandum, vel [illegible] dicentis, *Ego vos coniungo*, [illegible] approbo coniunctionem [illegible] verè antè hæc verba Parochi iam peractum [illegible] contrahentium. Nec [illegible] Rituale Romanum [illegible] administrationem huius sacramenti [illegible], & alio modo [illegible]

tribuit Parocho, nisi inquantùm debet in ipso contractu assi-stere, ac posteà benedictionem solemnem impertiri; quia tametsi Parochus non sit propriè Minister huius sacramenti tamen ex decreto Concilij Tridentini præsens esse debet, vt consensum contrahentium exquirat, & eundem approbet, & declaret, & sacerdotali benedictione confirmet; Neque obstat, quod actio sacramentalis sit sacra, hinc enim non se-quitur necessariò Ministrum quoque eius esse debere sa-crum, vt patet in Baptismo, quem etiam Laici conferre pos-sunt.

61 Probatur etiam ratione ex natura ipsius contractus dedu-cta, circa quam nihil mutatum est, nisi quod ad rationem sacramenti in lege Euangelica fuerit eleuatus; hoc sacramen-tum in contractu consistit, contractum autem non Sacer-dos, sed ipsi contrahentes celebrant; ergo non Sacerdos; sed ipsi contrahentes sunt Ministri ipsius sacramenti, ac proindè vterque efficienter concurrit, vel physicè, vel moraliter iuxtà opinionum varietatem ad gratiam producendam, non so-lùm in seipso, sed etiam in altero coniuge, & vt aiebat Scotus *loc. cit.* sunt ambo vnus Minister totalis integraliter, & duo partiales, quia sic concurrunt ad efficiendum contractum. Denique matrimonia clandestina absque vlla assistentia Pa-rochi celebrata antè Concilium Tridentinum non solùm fuere valida in ratione contractus, sed etiam in ratione veri sacramenti, & ità testatur Tridentinum ipsum *sess. 24. cap. 1.* dicens matrimonia clandestina, quamdiu Ecclesia ea non fecit irrita, fuisse valida, rata, ac legitima, atqui matrimonia rata inter baptizatos sunt sacramenta iuxtà communem Theologorum sententiam, & colligitur ex c. 4. de diuortijs; Tùm quia matrimonium sine sacerdote contractum semper Ecclesiæ praxis causam Ecclesiasticam indicauit esse, quod non alia ratione facere potuit, nisi quia talem contractum in-ter baptizatos pro sacramento agnoscebat; alias nulla posset reddi ratio, propter quam ad Ecclesiasticum forum pertine-ret, nam matrimonium in ratione simplicis contractus etiam ad forum sæculare pertinere potest; quare falsum est, quod dicebant prioris sententiæ Auctores matrimonia clandesti-na ante Trid. celebrata non habuisse rationem sacramenti, sed simplicis contractus.

62 Addendum est, supposita communiori, & probabiliori sententia, matrimonium per procuratores contractum esse verè sacramentum de quo infrà, & contrahentes non tan-tùm esse Ministros, quando immediatè per seipsos contra-ctum matrimonij efficiunt, sed etiam quando fit per procu-ratores, vt notant Vasquez, Ponce, Hurtadus, & alij Recen-tiores. Ratio est, quia tunc etiam ipsi sunt, qui moraliter con-trahere dicuntur, quamuis enim procuratores, & non ipsi physicè consensus eliciant, & eos exprimant, quia tamen nomine, virtute principalium, & ex eorum commissione, & nomi-ne eos eliciunt, & exprimunt, non autem pro seipsis, & contra-ne proprio, ideò ipsi principales dicuntur absolutè contra-here, & non procuratores, nisi cum addito nempè instru-mentaliter, seu vt Ministri instrumentales; Quod si quando matrimonium fit per procuratores, adhuc ipsi coniuges sunt Ministri contractus, & sacramenti, tantò magis id asseren-dum erit, quando contrahunt per epistolam, & per nuncios, quia tunc ipsi sunt, qui non tantùm moraliter, sed etiam phy-sicè consentiunt exprimendo consensum per epistolam; ac proindè quando contractus fit per epistolas, consensum etiam coniugum & scripturæ, quibus exprimuntur, ad essentiam contractus, & sacramenti pertinent, & quando fit per nun-cios, consensus coniugum, & verba nuntij nomine ipsorum prolata pariter etiam ad contractus, & sacramenti essentiam spectant, vt aduertit Hortad. *disp. 3. Difficul. 12.*

63 Sed objiciunt Auctores primæ sententiæ, quod Ecclesia-stici tantùm sunt Ministri Dei, & dispensatores mysterio-rum Dei ex 1. ad Corinth. 4. *Sic nos existimet homo, vt Mi-nistros Dei, & dispensatores mysteriorum Dei*; ideò primi, & plenè om-nium sunt Episcopi, deindè Parochi, & sic deinceps; & absurdum omninò videtur à collatione alicuius sacramen-ti generatim excludi sacerdotes, & Episcopos, & tantò ma-gis Laicum esse sacramenti Ministrum sacerdotem verò so-lum benedictionis accessoriæ; & feminam præsertim sacra-menta ministrare non posse habetur ex cap. *Tribus gradibus de Consecr. dist. 2.* Confirmatur, quia in alijs sacramentis idem esse nequit conferens, & suscipiens; ergo neque in hoc, item in alijs sacramentis est vnicus Minister, ergo etiam in hoc. Tandem quia si contrahentes sunt Ministri, sequitur, quod si in peccato contraherent, peccarent mortaliter, imò duplici pecca-

peccato, nempè & vt Ministri, & vt suscipientes, quod valdè durum videtur.

Respondetur assumptum verificari tantùm de mysterijs, quæ indigent consecratione, non autem de alijs; alioquin sequeretur Laicum, & multò magis non baptizatum extrà casum necessitatis inualidè baptizare, quod est apertè falsū; & negatur absurdum esse Sacerdotes excludi à collatione huius sacramenti, seù matrimonij per alios contracti, neque id magis mirum est, quàm quod nequeant seipsos, sicut alios, à peccatis absoluere, vel baptizare, nam sicut in pœnitentia, & baptismo ex institutione Christi necessariò Minister à suscipiente distinguitur, ità in matrimonio necessario est idem; negatur pariter absurdum esse Laicum esse huius sacramenti Ministrum, non verò Sacerdotem, & cum sine probatione assumatur, manifesta principij petitio committitur, hoc enim est, quod in præsenti quæstione quæritur, & disputatur; & tandem in *cap. cit.* fœmina prohibetur posse sacramentum Eucharistiæ ministrare, vel alia, quæ fiunt per consecrationem, non autem nullum absolutè, alioquin sequeretur mulierem in casu necessitatis baptismum ministrare non posse, quod est contrà Ecclesiæ praxim.

Ad Confirmationem negatur assumptum vniuersaliter sumptum, nam Minister Eucharistiæ etiam suscipiens, & præsertim in matrimonio ità esse debet, quia hoc sacramentum fundatur in contractu sensibili, idest, in consensu externè expresso per verba, vel alia signa, quarè cum contrahentes talem consensum exprimant, & consequenter ipsi formam dicant, & materiam applicent, ipsi quoque sunt Ministri; neque ex alijs sacramentis paritas rectè deduci potest, quia singula sacramenta aliquid habent speciale, quo ab alijs differunt, alioquin eodem modo probari posset sacramentum Eucharistiæ non consistere in re permanente, quia reliqua in fieri, & actione transeunte consistunt. Ad illud de vnitate Ministri iam dictum est suprà etiam in hoc sacramento coniuges ambo vnum totalem Ministrum constituere, licent sint duo partiales, quia sic concurrunt ad efficiendum contractum; alioquin per idem argumentum etiam probaretur nullum matrimonium esse verum sacramentum quia nullum aliud sacramentum potest esse vnum in duobus, quod tamen de matrimonio necessario affirmari debet, cùm enim nec contrahitur, non duo, sed vnicum confertur sacramentum.

64 Ad vltimum concedunt quamplures, eos qui manentes in statu peccati mortalis matrimonium contrahunt, peccare mortaliter, non tantùm quatenus suscipiunt, sed etiam quatenus ministrant sacramentum in tali statu, quod probant ex ea regula generali, quod Minister sacramenti debet sancta sanctè tractare, ideoque debet esse in statu gratiæ; ità Nauarrus, Petrus, Ledesma, Vasquez, Ponce, Lugus, Hurtadus, & ex nostris Hiqueus, & Brancatus; Imò Hurtadus *loc. cit.* putat eos tunc duplex peccatum mortale numero distinctum committere, quia quamuis illud efficere, & suscipere in peccato mortali eodem modo specifico opponantur Religioni, sunt tamen quasi duo actus disparati, ac proindè duo peccata numero distincta; Hoc tamen negat Brancatus noster *disp.* 12. *art.* 6. in fine, vbi vult vnum tantùm committi peccatum quia Minister matrimonij eadem actione; & eodem tempore indiuisibiliter facit, & recipit sacramentum; quæ tamen ratio non conuincit, quia eodem actu duplex potest committi peccatum, si duplici virtuti opponatur; Alij verò dicunt eos quidem peccare mortaliter suscipiendo in tali statu hoc sacramentum, quia est sacramentum viuorum per se statum gratiæ supponens, & quia sic accedendo obicem ponunt effectui eius; non tamen oportere, vt dicantur etiam mortaliter peccare, quatenus ministrant, & efficiunt sacramentum; ità Suarez, Sanchez, Coninchius, Fernandez, Ioannes de Cruce, Filliuccius, Laiman, Diana, Auersa, & alij magis communiter, quorum fundamentum est, quia solus Minister consecratus tenetur illo præcepto sancta sanctè tractandi ex vi eiusdem consecrationis, qua specialiter deputatus est ad sacramentum conficiendum; vndè etiam quando Laici in casu necessitatis baptizant, non adstringuntur illo præcepto, vt docet D. Thomas *quæst.* 64. *art.* 6. *ad* 3. iuxtà quem dicendi modum, qui mihi quoque probabilior videtur, patet quid sit dicendum ad argumentum, quod contrahentes in statu peccati mortalis ratione ministerij non peccant mortaliter, seù quatenus illud efficiunt, sed solùm quatenus illud suscipiunt in statu peccati mortalis.

Tandem obijcies, quod contrahentes præsertim simplices, & idiotæ nesciunt se esse Ministros Ecclesiæ, aut contrahendo debere habere intentionem faciendi, quod facit Ecclesia, aut suscipiendi sacramentum; ergo hæc non intendunt, & consequenter sacramentum non efficiunt. 65

Resp. cum Coninchio *disp.* 24. *dub.* 3. quicquid sit de antecedente negando consequentiam, quia aliàs sequeretur, nescientes matrimonium esse sacramentum, hoc non suscipere, etiamsi in facie Ecclesiæ contrahant, quod est absurdum; Sicut igitur, vt hi validè hoc suscipiant sacramentum, sufficit quod implicitè id intendant, volendo nimirum facere, quod alij fideles faciunt; ità talis intentio implicita, & confusa sufficiens etiam censeri debet, vt sibi sacramentum ministrent; hoc ipso enim intendunt facere, quod facit Ecclesia, & consequenter sacramentum conficere, & simul suscipere; Vide hunc Auctorem *loc. cit.* vbi viginti, & plura soluit argumenta contra hanc veritatem ab Aduersarijs adducta etiam ex Patribus, & Concilijs, & benè declarat, quo sensu aliqui Patres aliquandò dixerint Sacerdotes esse huius sacramenti Ministros, & illud dispensare; Sacerdos enim contrahentibus assistens in eo sensu potest dici matrimonii Minister, nempè ratione sacrarum cærimoniarum, quæ ei ob reuerentiam sacramenti adiunguntur, quarum Minister est Sacerdos; tùm quia quatenus matrimonium est sacramentum, ad Sacerdotes spectat in eo suscipiendo fideles dirigere, & dignos ad id admittere, & indignos, ac ineptos repellere, & hac ratione dicuntur id administrare, & dispensare; tùm tandem quia præsertim post Tridentinum Sacerdos sua præsentia dat firmitatem contractui matrimonii, qui aliàs inualidus esset.

Alia etiam instantia fieri solet ex Concil. Florentin. quod materiam videtur realiter à Ministro distinguere, dùm inquit sacramenta tribus perfici, rebus tanquam materia, verbis, tanquam forma, & persona Ministri, vbi ponit Ministrum, tanquam distinctum à materia; cùm ergo in sacramento matrimonii materia sint ipsi contrahentes, vt dictum est *art. præc.* non poterunt ipsimet esse Ministri. Sed hæc instantia iam soluta fuit *disp.* 1. *de sacramentis in genere quæst.* 3. *art.* 1. *num.* 103.

ARTICVLVS TERTIVS.

An possit inter absentes matrimonium contrahi.

QVoniam in præcedenti articulo dictum est, contrahentes non tantùm esse Ministros huius sacramenti, quando per se ipsos immediatè contractum efficiunt matrimonii, sed etiam quando fit per procuratores, vel per litteras, aut nuncios, nunc videndum est, an validè etiam celebrari possit inter absentes his tribus modis, non tantum sub ratione contractus, sed etiam sacramenti; & quamuis conueniant Doctores contractum matrimonii antiquitus celebrari potuisse validè in absentia per procuratores, vt constat ex cap. finali de Procuratoribus in 6. adhuc tamen opinati sunt aliqui post Concilium Tridentinum validè fieri non posse inter absentes per procuratorem huiusmodi contractum, vbi eius decretum de Matrimonio publicatum, & receptum est; quia nimirum Concilium ad valorem matrimonii etiam sub ratione contractus requirit, vt omninò coram Parocho, & testibus contrahatur, quod quidem per eosdem contrahentes immediatè fieri debet, & non potest fieri per procuratorem, vel per epistolam, nam Concil[illegible]sum hanc regulam tradit, *Parochus viro, & muliere interrogatis, & eorum mutuo consensu intellecto dicat, ego vos in matrimonium coniungo*, vbi planè supponit ambos contrahentes debere per se immediatè, & præsentialiter adhibere, & exprimere consensum suum, non autem mediante procuratore, vel internuncio, aut per epistolam; ità sensit vterque Ledesma, Bartholomeus quidem *dub.* 8. Petrus verò q. 44. de *matrim. art.* 3. *dub. vlt.* loquens præsertim de contractu per epistolam, quod tantò magis affirmant de matrimonio sub ratione sacramenti considerato. 66

Alii verò licet gratis concedant posse validè, & licitè, etiam stante decreto Concilii Tridentini, contrahi matrimonium per procuratorem, vel internuncium, aut litteras, sicut antè Concilium fiebat, quia suprà id, quod antè ipsum sufficiebat, tantùm præsentiam Parochi requisiuit, & aliorum testium; adhuc tamen negant talem contractum baptizatorum in absentia factum, quamuis validum, habere rationem sacra-

: esse gratiæ collatiuum, pro qua sententia ci- ...nus, Canus, Victoria, vterque Ledesma, & alij, ...entit ex nostris Bassolius dist. 27. qu. vn. art. 1. ...d eiusdem quantum ad rationem sacramenti est & consensum per verbum exprimere, quod pa- ex ipsis verbis, quæ communiter in matrimonijs ...r *accipio te in meam, accipio te in meum*, quæ non absolutè proferri ab aliquo alio; Quod etiam alij ...t ex paritate sacramenti pœnitentiæ, quæ requirit ...m ad absoluendum, quia in eius forma dicitur, *ego* ..., & similiter baptismus, & alia sacramenta ob eam- ...onem; sed etiam in matrimonio dicitur, *ego te acci-* ...*ungem*, ergo etiam in ipso præsentia contrahentium ...ur. Accedit, quod effectio sacramenti est actus per- ..., vt in alijs sacramentis patet, omnia enim alia præsen- ...ministri, & suscipientis postulant, ita vt in absentia nec ..., nec ministrari possint, ergo idem dicendum in sacra- ...o matrimonij.

...cendum tamen est validè celebrari matrimonium inter ...tes per procuratorem, epistolam, vel nuncium, & in ra- ...e contractus, & in ratione sacramenti. Hæc est commu- ...n omnia schola, & de mente Doctoris 4. dist. 26. sub lit. ... vbi docet matrimonium posse celebrari per alium no- ...ne contrahentium; & loquitur de matrimonio tam sub ...ione contractus, quàm sacramenti, & dist. 27. quæst. 2. ad 2. ...i dicit, quod ad contractum matrimonij sufficit parentes ...ontrahere pro filijs, & sufficere sine quibuscunque verbis ...ontractus per litteras, siquidem in alijs contractibus em- ...tionis, & venditionis firmior contractus habetur in litte- ...tis, quam in verbis nudis, & an in tali contractu saluetur ...quoque ratio sacramenti se remittit ad ea, quæ dixerat dist. ...26. concl. 4. & quidem quod sit validum matrimonium inter absentes celebratum sub ratione contractus satis constat ex Cap. vltimo cit. de Procuratoribus in 6. & cap. Honorantur 32. quæst. 2. eaque dispositio etiam post Tridentinum locum ha- bere potest, siquidem Concilium circa hoc nihil innotauit, sed tantùm aliquid addidit ex parte formæ ad tollendos abu- sus, & fraudes, neque ab eo hic modus contrahendi inter ab- sentes reuocatus est, quinimo Concilium in suo Decreto di- cit, Ecclesiam semper detestatam fuisse, ac prohibuisse ma- trimonia clandestina, tametsi ea non irritauerit, & Conci- lium ea ibi irritat, quæ scilicet, absque Parocho, & testibus contraherentur; at Ecclesia nunquam prohibuit, sed potius vltrò concessit modum contrahendi per Procuratorem, ne- que Concilium ibi irritat, aut irritare intendit hunc modum, quia adhuc optimè seruari potest forma à Concilio præscri- pta, quamuis per Procuratores contrahatur celebrandi ma- trimonium coram Parocho, & testibus, & id quidem praxis Ecclesiæ ... vt etiam per Procuratores in absentia nu- bentium matrimonium contrahatur; quarè modus ille in- terrogandi contrahentes, & dicendi illa verba *ego vos in ma-* *trimonium coniungo* ponitur à Concilio, tanquam ordina- rius, & consuetus, non in rigore loquendo sufficit, si profe- ratur, & exprimatur consensus absque vlla interrogatione, nec vlla verba Parochi sunt de essentia huius contractus, & interrogari ... quod, quando interuenit Procurator, potest à Parocho interrogari de consensu pro suo principali, & de fa- cto ita practicetur, quando contractus fit per procuratorem, quod Procurator coram Parocho, & testibus dicit, talis acci- pit te in vxorem mediante me, aut ego nomine talis verbi gratia Petri accipio te in illius vxorem, aut alio simili mo- do, quo ipse exprimatur debitus consensus sui princi- palis.

69 Eodem modo potest etiam contractus matrimonij per epistolam validè celebrari, vt patet ex *l. mulierem ff. de ritu nuptiarum*, quia per epistolam potest quis proprium con- sensum coram Parocho, & alijs testibus exprimere, & ex- tunc per eandem alterius consensum, si verè consentiat, co- ram eisdem acceptare, quod sufficienter fiet his verbis scri- ptis, vel æquiualentibus *accipio te in meam coniugem*, celebra- tur enim contractus per litteras eisdem verbis scriptis, qui, ... voce prolatis in præsentia celebrari solet. Tandem etiam validè celebrari potest per internuncium, qui referat, & ex- primat, vt nuncius est, nomine mittentis consensum ipsius dicendo Petrus v. g. *mittit me*, *vt suo nomine nunciem tibi*, ... contractus matrimonij; Et in his casibus quando nimirum ... vel internuntius epistola, aut nuncius exprimens consen- ... mittentis, etiam debet suum consensum, & acce- ptationem traditionis sibi factæ à mittente exprimere ipsi mittenti, vel per alteram epistolam, vel per nuncium, quia illa facienda est expressio talis, siuè in sua persona per, episto- lam, siuè alteri ad id commissionem habenti, vt nuncius ha- bere solet; Hoc autem interest, quando celebratur matrimo- nium medio nuncio, vel procuratore, quod nuncius non consentit pro suo principali, à quo mittitur, sed tantùm illius consensum exprimit; at procurator non tantùm debet illius consensum exprimere, sed etiam actum consensus pro suo principali elicere, quia principalis integrum contractum illi committit, scilicet, & quoad consensum eliciendum, & quoad expressionem, eius vbi simplici internuncio hoc se- cundum tantùm committitur.

Vt autem contractus matrimonij per Procuratorem va- lidè celebretur tria in dicto Cap. Finali de Procuratoribus in 6. requiruntur, seù tres conditiones. Prima est, quod Procu- rator ad id specialem habeat commissionem, nempè ad con- trahendum cum tali, vndè non sufficit mandatum genera- le ad contrahendum matrimonium, nemò enim censetur cum aliqua contrahere velle, nisi prius aliquo modo nouerit, & expressè in eam consenserit; Secunda est, quod Procu- rator per seipsum hoc faciat, nec possit ad illud negotium substituere alium, licet aliàs posse hoc fieri in alijs negotijs minoris ponderis. Tertia tandem conditio est, vt huiusmo- di commissio non reuocetur antè contractum matrimo- nium, etenim si aliter coniugum talem commissionem re- uocasset, matrimonium non subsisteret. Nec est necesse ad inualidandum matrimonium ex hoc capite, quod reuo- catio mandati innotescat Procuratori, vel parti; vndè si re- uocata sit commissio, quamuis solùm internè, etiamsi Pro- curator reuocationem ignoret, nihil fit, quia si reuocatum est, quamuis solùm internè, procurator nequit amplius consen- tire nomine principalis, quia commissionem reuocauit; Et quamuis alij contractus validè fiant per Procuratores, etiam post reuocatum mandatum, quamdiù reuocatio nec Procu- ratori, nec parti innotuit secus tamen est in matrimonio, & ratio est, quia in alijs contractibus ius potest consensus par- tis supplere, nô tamen in matrimonio, quod si deficiat vnius partis consensus, nullo subsistere potest; & in foro conscien- tiæ sufficeret sola reuocatio mentalis, & interna, hæc enim sola impediret, ne Procurator validè consensum præstare possit nomine principalis, quia supponitur commissionem si reuocasse antè contractum matrimonium; Vndè etiam si reuocatio sit merè interna, non valet contractus matrimo- nij in foro conscientiæ, quamuis in foro externo requiratur probatio reuocationis per testes, quocunque enim modo deficiat consensus, annullatur contractus, vt porè omninò essentialis, & necessarius ad eius validitatem, & subsisten- tiam.

71 Quod verò matrimonium inter absentes prædicto mo- do contractum sit etiam validum in ratione sacramenti pro- priè dicti probatur, quia in matrimonio sic celebrato con- currunt omnia ad substantiam sacramenti seruandam neces- saria, scilicet, materia, forma, & intentio contrahentium; da- tur enim materia, nempè contrahentium corpora; datur le- gitima forma, vtriusque nempè consensus sufficienter ex- pressus per verba, vel signa mandantis; quatenus per Procu- ratorem innotescunt, vel per epistolam, aut internuncium; ergo intentionem etiam contrahentium adesse supponimus. Contrario nihil deest ad substantiam sacramenti necessarium. ... saluatur ... matur, nam quotiescunque in matrimonio saluatur ratio veri, & legitimi contractus, saluatur etiam ratio sacramenti, quia vt sæpè dictum est, Christus in nullo prorsus naturam matrimonij immutauit, sed illam ad rationem sacramenti euexit; atqui in matrimonio contracto inter absentes fideles ac baptizatos saluatur ratio contractus naturalis, & ciuilis, nam ad hoc exigitur, quod contrahentes per verba, vel signa, vel æquiualentia consensum interiorem mutuum exprimant, quod sufficienter fieri potest, per litteras, aut nuncium, aut per procuratorem in absentia; & prætereà seruari etiam possunt omnes conditiones posteà à Tridentino statutæ, & præscri- ptæ, exprimendo nimirum prædictum consensum coram proprio parocho, & duobus testibus, interueniente etiam ipso procu- ratore, vel nuncio: ergo nihil omninò deest, quin sit verum sacramentum. Tandem antè Concilium Tridentinum ma- trimonium per procuratores celebratum erat verum sacra- mentum, nam Florentinum absolutè, & absque vlla restri- ctione omne matrimonium inter fideles, & baptizatos con- tractum in lege gratiæ esse vnum ex septem Ecclesiæ sacra- mentis

mentis definiuit; ergò nunc etiam sic contractum veram habet rationem sacramenti; consequentia patet, quia Tridentinum nihil immutauit in matrimonio, nisi vt celebraretur coram Parocho, & duobus testibus ad tollendas fraudes, & abusus, ac proindè si seruetur prædicta conditio, quæ etiam in absentia contrahentium seruari potest modo iam explicato, veram rationem sacramenti habebit; Et planè si matrimonium inter absentes celebratum non esset verè sacramentum, vtique vetitum fuisset à Tridentino inter fideles, cum deceat fideles vinculo matrimonij coniungi sine sacramento; vel saltem præcepisset iis, qui eo modo contraherent, vt posteà præsentes iterum contraherent, vt eorum contractus fieret sacramentum, quod tamen præceptum nullibi extat, & praxis Ecclesiæ est in contrarium.

72 Nec fundamentum oppositæ sententiæ vrget ex paritate aliorum sacramentorum desumptum, quia hoc est speciale in sacramento matrimonij eo quod fundatur in contractu, eiusque naturam subsequitur, contractus autem ex sua natura præsentiam contrahentium necessariò non postulat, sed etiam potest inter absentes perfici; Et in alijs sacramentis illa determinata verba cum illis pronominibus ex institutione Christi sunt de necessitate sacramenti, & ad eorum veritatem requiritur præsentia ministrantis, & suscipientis; at illa verba *Ego accipio te in coniugem* non sunt determinatè requisita, quia per quæcunque verba, vel etiam signa consensum traditionis dominij corporum exprimentia potest matrimonium perfici; huiusmodi autem consensus, & traditio, & etiam consensus mutui expressio possunt esse inter absentes per Procuratorem, vel nuncium, vel epistolam.

Dices, etiam iudicium, & sententis ferri potest in absentia Iudicis à reo, maximè si sit sententia gratiæ, & absolutoria; & tamen si sententia copulari debeat cum ratione sacramenti, non potest fieri in distans; ergò licet contractus matrimonij fieri possit inter distantes, cùm tamen copula nodus est sacramento, non poterit sic fieri. Deindè quia fieri potest, quod Procurator habeat intentionem contrariam suo principali, atque ità nunquam de sacramento constaret. Tandem quia aliàs dormiens posset gratiam recipere, si ipso dormiente, & existente in gratia, fieret matrimonium à suo Procuratore; imò etiam dormiens posset peccare, si ipso dormiente, & existente in peccato mortali, fieret à suo Procuratore.

73 Respondeo ea ratione aliquando in Ecclesia permissam fuisse confessionem per litteras; verùm postea re melius perpensa vetita fuit, quia vt etiam Brancatus noster notauit *disput.* 13. *art.* 2. in fine, sacramentum pœnitentiæ confessionem exigit, non quomodocunque, & historicè, sed vt partem pœnitentiæ, quæ annexam habere debet attritionem, vel contritionem, & quandam erubescentiam, de peccati turpitudine, quæ est motiuum partiale attritionis, hanc autem non habebat confessio per litteras, quia vt habet adagium *litteram non erubescit*, ideò permitti non debuit, vt per litteras fieret confessio, & in absentia daretur absolutio, quia nec Sacerdos certus esse posset de pœnitentis contritione, quæ ex modo loquendi pœnitentis facilè deprehendi potest; hæc autem in sacramento matrimonij non occurrunt, cùm solum consensum externum exigat, qui per epistolam, nuncium, vel procuratorem parti innotescere potest.

Ad secundum, neganda est consequentia, quia vt constat ex dictis *art. præced. num.* 62. in eo casu non procurator, sed principalis mittens est minister sacramenti; procurator verò exprimit tantùm consensum sui principalis, vndè non potest dici Minister, nisi instrumentalis, quia se habet, vt carta referens alterius verba, & voluntatem, quibus expressis, & audito consensu alterius coniugis iam perfectus est contractus, & ità etiam respondet Brancatus *artic.* 13. Magis tamen vrgeret argumentum, si dicatur cum Auersa *quæst.* 3. *sec.* 5. & aliis Ministrum quoque huius sacramenti esse procuratorem, & Ministerium eius esse quoque de substantia sacramenti ita vt tota substantia constituatur, tùm ex eo actu, quo contrahens constituit procuratorem, tùm ex Ministerio procuratoris; quod etiam videtur innuere licet sub dubio Scotus *dist.* 26. *lit. M.* vbi ait, quod quando parentes contrahunt pro filijs, vel filiabus præsentibus, & non exprimentibus signa propria, si ibi est sacramentum, oportet dicere, quod Minister huius sacramenti potest esse indifferenter quicunque potest esse Minister in contractu matrimonij; Sed quando etiam hoc admitteretur, adhuc neganda est consequentia, id enim in alijs quoque sacramentis accidere potest, cùm possit minister contrariam habere intentionem, & tamen si materiam, & formam applicaret, in foro Ecclesiæ haberetur pro sacramento, quia Ministri intentio sibi occulta foret, nec tamen ob id dicimus, non constare de sacramentis in Ecclesia.

Ad vltimum dicendum est non esse inconueniens illum dormientium recipere sacramentum, & gratiam, quia id etiam accidere potest in alijs sacramentis recipiendis, vt patet de baptismo, & pœnitentia in ijs, qui antea petierunt, & postea obmutuerunt, & tamen eis danda sunt hæc sacramenta ex 26. *quæst.* 6. *cap. qui recedunt cap. hic, quis, & capit. Agnouimus* obligatur tamen sub mortali, vt sit in statu gratiæ eo tempore, quo prudenter iudicat celebrandum esse contractum, & peccat mortaliter, si non sit in gratia; Nec est inconueniens dormientem peccare mortaliter ratione consensus liberi in vigilia habiti, sicut pariter ebrius peccat hominem occidendo in ebrietate ratione liberæ voluntatis, qua se voluit inebriare, non obstante periculo homicidij præuiso, iuxtà communem doctrinam *lib.* 2. traditam *disp.* de peccatis in causa.

QVÆSTIO TERTIA.

De mutuo contrahentium consensu ad Matrimonium necessario.

ADeò necessarius est mutuus contrahentium consensus ad matrimonium constituendum, vt non in vno tantum genere causæ, sed duplici eius necessitas appareat, nam si consensus contrahentium ad ipsam essentiam contractus ciuilis referatur iam inter Fideles eleuati ad statum sacramenti, in genere causæ formalis ad illud constituendum concurrit vt satis patet ex dictis, nam consensus mutuus contrahentium verbis, vel alijs signis exterius expressus est forma, siuè causa formalis illius, tam sub ratione contractus, quàm sacramenti; si verò referatur ad potissimum eius effectum, quod est vinculum coniugale etiam post celebratum contractum durans, & perseuerans, verè & propriè est causa efficiens illius saltem in genere moris, sic enim apertè deducitur ex Concilio Florentino, vbi in decreto Fidei Eugenius Quartus id expressè definit, dum ait quod *causa efficiens matrimonij est mutuus consensus per verba de præsenti expressus*; examinandum igitur est in præsenti quæstione, quanta sit eius necessitas ad matrimonium constituendum, & qualis esse debeat, vt ad validitatem matrimonij sufficiat, & quodnam sit eius obiectum, & finis. 74

ARTICVLVS PRIMVS.

Quanta sit necessitas mutua consensus ad matrimonium constituendum.

COnueniunt Doctores ad essentiam, & valorem contractus matrimonii mutuum consensum contrahentium necessario requiri, vt patet ex decreto Eugenii iam relato, & ex *capit. Tua* 26. de sponsalibus, & deducitur ex natura ipsa, & speciali conditione huius contractus, quicquid sit de aliis contractibus, in quibus alioquin potest contrahentium consensus aliundè suppleri; nec sufficit, quod consensus iste sit simplex quædam voluntas, & complacentia, sed esse debet volitio efficax, vt in dicto *c. Tua significatur*, & ratio est, quia per matrimonii contractum dominium corporum inuicem traditur, quod absque consensu efficaci tradi nequit; nec sufficit, vt ex quacunque deliberatione procedat, sed ex plena deliberatione procedere de[illegible]ber ad peccatum mortale sufficiente, siquidem matrimoniis contractus magni ponderis est, & momenti vtpotè dominii corporis translatiuus in alteram personam in ordine ad carnalem coniunctionem, & grauis obligationis inductiuus in ipso transferente dominium. Hæc inquam, est communis doctrina in omni schola, quam ex professio tradidit etiam Scotus 4. *dist.* 26. *lit. G. dist.* 27. *quæst.* 2. & 2. *dist.* 28. 29. & 30. vt autem pateat qualis, & quanta sit huiusmodi necessitas mutui consensus maris, & feminæ ad matrimonium constituendum, 75

ifficultates sunt hic examinandæ, vna est an per , & extraordinariam potestatem Ecclesiæ, & : possint vir, & fœmina absque proprio consensu onium copulari; altera est, an saltem id fieri pos- te diuina.

primam difficultatem conueniunt Doctores ne- publicam, neque Ecclesiam posse talem obligatio- icere independenter à consensu contrahentium, us hoc sibi reseruauit, & instituit absolutè contractū ensum maris, & fœminæ, cui alligauit contractum, ne illo nequeat iniri; vndè quamuis Princeps Eccle- is, aut sæcularis possit præcipere, vt vir, aut fœmina in nonium consentiant, tamen sine eorum cōsensu neu- n potest eosdem maritali vinculo copulare, etiamsi is necessitas appareat; ità Soto, Sanchez, Coninchius, adus, Calpensis, Becanus, Auersa, & alij passim contrà tientem. Ratio est, quia Respublica tantùm habet pote- em suprà res, & corpora ciuium, quatenus publico bono edit; at bono communitatis minimè expedit, vt vir, & mina contrà eorum voluntatem ac ipsis inuitis matrimo- aliter coniungantur imò matrimonia sic inita infelices abent exitus, nam coniugium suaptè natura ordinatur d suscipiendam, & educandam prolem per mutuum amo- emiuter coniuges; nulla ergo humana potestas ad hoc se extendit, vt vni tradat dominium coniugale corporis alte- tius absque proprio eorum consensu, sed ipsimet homines habent singuli suorum corporum potestatem ad tradendum sui dominium in vsum coniugalem.

Sed pro parte affirmatiua vrgeri potest, quod ob bonum publicum potest Princeps disponere de rebus, ac etiam de vita subditorum, ergò etiam de eorum corporibus tradendo illis mutuum dominium in vsum coniugalem. Tùm 2. quia potest inuitos ciues compellere ad alios contractus ineun- dos, vt ad vendendum frumentum tempore necessitatis; er- go etiam ad contractum matrimonialem, & paritas tenet, quia alij quoque contractus ex natura suum mutuum re- quirunt consensum contrahentium non minus, quam ma- trimonium. Tùm 3. quia vrgente necessitate potest aliquem Pontifex cogere ad Episcopatum, in quo fit matrimonium spirituale inter Episcopum, & Ecclesiam, ergo ob similem necessitatem poterit etiam cogere ad corporale. Tùm 4. quia probabile est posse Deum aliquos coniugere matrimo- nio sine eorum consensu, vt mox dicemus, quia Deus ple- num habet dominium in corpus humanum; sed etiam Pon- tifex, & Imperator dominium in corpus humanum habent in corpora subdito- rum, quia in quibusdam casibus possunt illos priuare vita, & omnibus bonis, ergo sicut possunt illis corpus, & bona au- ferre sine eorum consensu ità à fortiori poterunt transferre dominium corporis eorum per matrimonium. Tùm 5. quia Eugenius Quartus loc. cit. dixit causam efficientem matrimo- nij regulariter esse mutuum consensum contrahentium, vndè per illam particulam regulariter innuit, quod aliquando ex- trà morem ordinarium potest esse alia causa efficiens matri- monij, ac nempè humana potestas. Tum tandem, quia videtur Ecclesia de facto aliquid huiusmodi statuisse, nam capit. [illegible] 3. de sponsalibus, decernitur sponsalia transire in matrimonium per copulam subsecutam, vndè coguntur post co- pulam ab Ecclesia in matrimonio viuere, neque admittitur exceptio [illegible], quod non consenserint; & capit. [illegible] de conditionibus appositis etiam decernitur matrimo- nium sub conditione impossibili contractum esse validum; &

78 [illegible], ergo potest Ecclesia in aliquibus casibus sæpè deficit consensus contra- matrimonialis coniungere absque coniugum consensu eos.

Respondetur negando consequentiam, & paritatem, nam potest quidem Princeps, vel Respublica de naturalis dispo- nere, ac etiam de ipsa subditorum vita ob bonum publicum; non tamen de eorum corporibus disponere potest in ordine ad vsum coniugalem; sed solum potest in certo casu, & iusta causa pro publico bono compellere aliquem ad præstandum consensum, eumque obligare, vt matrimonium contrahat; & in tali casu tenebitur ille suum præstare consensum, vt publico bono consulatur, ac inire coniugium absque pro- prio consensu simpliciter nequit matrimonio iungi. Ad 2. potest, imò etiam negari assumptum, quia propriè loquendo nullus im potest inter duas personas contractus mutuo [illegible] contrahentes in aliquam rem [illegible], quem doctores Doctor disp. 26 Art. G. contractus [illegible] duorum simul tractus quia essentialiter inuoluit amborum volunta- tem, & ideò quando Princeps aliquem cogit ad contrahen- dum, non est contractus propriè loquendo ex parte eius, qui cogitur, nisi suo consensu concurrat, sed tantùm erit contra- ctus ex parte Principis, qui aliquando ius habet in bona subditorum, vt possit ea legitimè contrahere, etiam ipsis in- uitis; Deindè admisso etiam antecedente, quia in alijs con- tractibus ius potest supplere consensum partis, adhuc ne- ganda est consequentia, quia hæc regula in matrimonio lo- cum non habet, cùm eius fini repugnet, qui est, vt coniuges in mutuis obsequijs, & charitate filios procreent, & insti- tuant, quod inuiti facere nequeunt. Ad 3. non potest Ponti- fex cogere ad Episcopatum, nisi præcepto, quod etiam facere potest in matrimonio modo iam explicato, compellendo nimirum aliquem habere consensum iustis de causis, in quo casu tenebitur ille suum præstare consensum, & inire coniu- gium. Ad 4. negant quamplures antecedens, quia si Deus coniungeret marem, & fœminam sine eorum consensu, non esset matrimonium, sed genus dominij, seu aliud simile ius, quo quis facere potest de re sibi subiecta, quod sibi placet, & ità tenet Brancatus ex nostris disput. 17. artic. 1. num. 14. Sed quicquid sit de hoc de quo statim dicemus, neganda est cum alijs consequentia, & paritas, quia vt inquit Becanus cap. 45. quæst. 1. Deus non solùm in sua habet potestate hominum facultates, & corpora, sed etiam animas, & corda, ac proindè potest illorum, quos inuitos ad matrimonium compelleret, mutare animum, vt libenter sint in matrimonio, & mutuam habeant charitatem, quæ ad finem matrimonij est necessa- ria, hoc autem Pontifex facere non potest, vel Imperator, & ideò compellendo aliquos ad matrimonium inuitos, contrà finem matrimonij directè facerent; quia animos hominum mutare non possunt, sicut Deus. Ad 5. negatur consequen- tia, quia vt superius dictum est, particula regulariter non est construenda cum illo verbo, consensus mutuus, sed cùm illis per verba de præsenti expressus, quia expressio consensu est regulariter fiat per verba, quandoque tamen fieri potest per nutus, & alia signa, vt suprà dictum est, & adhuc infrà ma- gis declarabitur. Ad vltimum Ecclesia in illis ritibus non de- cernit contractus illos esse verum matrimonium, si re vera consensus non adfuit, sed solùm in foro externo præsumit illos verum consensum habuisse, & in tali casu ad copulam affectu maritali accessisse, & sic reputat eos verum matri- monium contraxisse & validum esse iudicat, nec vllam admit- tit probationem dissensus contrà talem præsumptionem, obligat eos, & si fortè consensum non habuerunt, vt habeant, atque adeò vt tali matrimonio permanere debeant. 79

Quoad aliam Difficultatem, an saltem potestate diuina possint vir, & fœmina absque proprio consensu in matri- monium copulari, conueniunt Doctores Deum posse do- minium corporis fœminæ viro tradere, & è contra, in ordi- ne ad comixtionem carnalem absque eorum consensu, quia Deus est omnium etiam corporum Dominus non minus, quam ipsi contrahentes, imo est supremus, ac independens: atque ideò potest dictum dominium mutuum tradere in- dependenter ab eorum consensu, sicut ipsi possunt; est ta- men difficultas; an etiam independenter ab eorum consensu possit à Deo fieri vinculum ipsum matrimonij, hoc est, an status ipse matrimonialis, qui transacto contractu permanet, possit à Deo fieri absque consensu contrahentium; nam su- mendo matrimonium formaliter pro ipso humano, & ciuili contractu conueniunt omnes non posse consistere sine eo- rum consensu, quia huiusmodi contractus ciuilis vtroque consensu viri, & fœminæ essentialiter constat; est itaque so- lùm difficultas de matrimonio sumpto pro vinculo perma- nente, siuè pro mutuo dominio corporum inter coniuges, & controuertitur, an huiusmodi ius datum à Deo viro, & fœ- minæ in eorum corpora mutuò verè, ac propriè esse, & dici possit vinculum coniugale, & matrimoniale.

In qua difficultate tres sunt opiniones, duæ extremæ, & vna media, quæ duas extremas conciliare nititur. Prima ab- solutè negat huiusmodi ius datum à Deo esse, vel dici posse vinculum coniugale, ità Sanch. Ponce, Stephanus à S. Gre- gorio, Ochogauia, Filliucius, & ex nostris Brancatus loc. cit. quod probant, quia consensus coniugum est de essentia [illegible] tus, & vinculi matrimonialis, aut essentialiter debet supponi ad illud: ergo vinculum matrimoniale nequit esse sine mu- tuo consensu.

Confirmatur, quia vinculum matrimoniale est mutuum animo-

animorum vinculum, definitur enim matrimonium esse animorum, corporumque coniunctio; ergo nequit fieri absque mutuo animorum consensu. Denique vinculum matrimonij est relatio quædam consurgens ex mutuo coniugum consensu, tanquam ex fundamento, sed non potest à Deo constitui relatio aliquo subiecto absque proprio eius fundamento, vt paternitas absque actu generandi, ergo non potest constitui vinculum matrimonij inter coniuges absque mutuo eorum consensu. Aliam rationem quoque addit Sanchez, quæ dicit consensum esse causam formalem etiam huius vinculi, & non efficientem tantùm; Sed hoc assumptum est falsum, quia communi Doctorum calculo consensus est causa efficiens solùm vinculi matrimonialis, & ab ipso distinguitur, tanquam à suo effectu, quem inducit.

81 Secunda opinio absolutè affirmant, quam tenent Soto, Palatius, Victoria, Valentia, Henriquez, Coninchius, vterque Ledesma, Hurtadus, Meratius, Becanus, Auersa, & alij Recentiores passim, & ex nostris Hiqueus *dist. 28. quæst. vnic. in Comment. num.* 7. quam etiam dicit esse magis consonam Doctori *dist. 26 conclus.* 2. vbi docet magis congruum esse, vt induceretur hæc obligatio per mutuum consensum, quàm quod à Legislatore instituente, supple à Deo, induceretur, supponens induci potuisse; pluribus rationibus id probant citati Auctores, vt videri potest apud Hiqueum *loc. citat.* sed hæc vna mihi cæteris efficacior videtur, quia Deus, tanquam supremus, & absolutissimus Dominus potest vtique tradere mutuum dominium corporum inter virum, & fœminam in ordine ad vsum coniugalem ob supremum, & absolutum dominium in res omnes creatas, & hoc etiam Aduersarij ipsi concedunt, si enim possunt ipsi homines per se id facere, poterit vtique idipsum Deus efficere sublimiori, & plenissima sua potestate; Sed prædictum vinculum à Deo immediatè inductum inter virum, & fœminam planè aliud esse nequit, quàm coniugale; ergo diuinæ omnipotentiæ id denegari non potest; Minor in qua consistit tota difficultas, probatur, quia vinculum matrimonij essentialiter consistit in prædicto mutuo dominio, & obligatione ex illo naturaliter resultante, quia eoipso, quod vni traditur dominium corporis alterius, hinc alteri necessariò concomitanter inest obligatio respectu eius, cui traditum est dominium, ac proindè qui est auctor, & causa illius mutui iuris necessariò est auctor, & causa istius mutuæ obligationis; & certè coniuges nullo alio modo se possunt constringere, nec actualiter se constringunt vinculo matrimonij, quàm inuicem illud ius tribuendo.

Imò aliqui dicunt ità de facto Deum per se hoc modo coniunxisse Adamum, & Euam in matrimonium, cùm non legatur eos suomet consensu matrimonium contraxisse, & Christus Matth. 19. satis insinuat solum Deum eos coniunxisse independenter ab eorum consensu. Hoc tamen admittendum non est, sed omninò dicendum Adamum, & Euam suomet consensu se accepisse in coniuges, iussu tamen, & instinctu Dei, & in hoc sensu dici à Deo coniunctos, non tamen independenter ab eorum consensu, & planè hoc ad suauem Dei prouidentiam spectabat, vt ait Becanus, & Doctor significauit *loc. citat.* ne primum matrimonium, quod aliorum norma, & exemplar esse debeat, sine proprio coniugum consensu institutum fuisset, & ità iam determinauimus q. 1. huius Disputationis *art.* 2.

82 Tertia opinio media cum distinctione procedit, & inquit, quod si per vinculum coniugale intelligatur illud, quod tantùm oritur ex mutuo contrahentium consensu, dicendum est vinculum, quod potest à Deo induci inter virum, & fœminam in ordine ad copulam carnalem independenter ab eorum consensu non esse coniugale; Si verò per vinculum coniugale intelligatur vinculum inter virum, & fœminam, vt alter potestatem habeat in corpus alterius, siuè tale vinculum immediatè oriatur à Deo, siuè aliundè ex consensu contrahentium, negari non potest prædictum vinculum esse coniugale; ità Caspensis *tract. 26. disp. 3. sect.* 1. & cum hac distinctione inquit illas duas extremas sententias facilè conciliari posse, nam in priori sensu procedit sententia prior, in secundo verò posterior, vndè ait hanc esse potius controuersiam de nomine, quàm de re.

Cæterùm hæc conciliatio parui momenti mihi videtur, quia primæ opinionis sectatores non tantùm dicunt vinculum matrimoniale esse illud tantùm, quod oritur ex mutuo contrahentium consensu; sed vlterius etiam omninò negant dari posse vinculum inter virum, & fœminam, vt alter potestatem habeat in corpus alterius, quod aliundè oriri possit, quàm ex mutuo contrahentium consensu; vndè Sanchez illius opinionis Antesignanus fatetur quidem posse Deum dare viro ius, & potestatem in corpus fœminæ in ordine ad copulam carnalem, & è contrà, absque illorum consensu; sed negat omninò ex tali iure, & potestate tradita vllum oriri posse vinculum, & obligationem ex vtraque parte.

Et hoc est, quod directè impugnat alia opinio, quia vinculum in prædicto mutuo iure essentialiter consistit, & obligatio viri ad fœminam, & è contrà, ex illo iure naturaliter resultat, ac proindè qui est auctor, & causa illius mutui iuris, necessariò quoque est auctor, & causa illius mutuæ obligationis; & hoc vinculum, ac mutua obligatio dici potest, ac debet coniugalis, & matrimonialis, quia coniuges ex nullo alio capite inuicem sunt constricti vinculo matrimonij, quàm tribuendo illud ius adinuicem; atque ideò controuersia ista non de solo nomine censeri debet, sed etiam de re; & si potest Deus dare viro potestatem, & ius in corpus fœminæ, & è contrà, in ordine ad copulam carnalem independenter ab eorum consensu, non consequenter etiam est necessariò concedendum posse quoque vinculum coniugale inter eos inducere, quia tale vinculum, & obligatio naturaliter ex mutuo illo iure resultat, & oritur; atque ideò secunda opinio cæteris mihi præferenda videtur; est enim regula Theologorum generalis, quod quando agitur de potentia Dei absoluta nihil est ei denegandum possibile, nisi vbi apparet patens, & manifesta implicantia, quod non contingit in proposito.

Ad fundamentum primæ sententiæ cum suis confirmationibus dicendum est, quæ in ipso assumuntur, & suis confirmationibus vera esse de matrimonio sumpto pro actuali contractu, sic enim est de eius essentia mutuus contrahentium consensus, tam sub ratione contractus, quàm sacramenti, cùm in hoc sensu sit forma, seu causa formalis illius; at falsa sunt de matrimonio accepto pro vinculo coniugali permanente post contractum initum, quia in hoc sensu mutuus consensus est tantùm causa efficiens illius, vt docet Concilium Florentinum ab initio quæstionis adductum, atque ideò est omninò extrà eius essentiam, & quid extrinsecum; & cùm Deus supplere possit vices causæ efficientis, vt est commune Theologorum axioma, & non tantùm in ordine causarum naturalium, vt ait Stephanus à S. Gregorio, sed etiam liberarum, consequenter fatendum est posse quoque supplere consensum viri, & mulieris, & sine hoc efficere vinculum matrimonij. Hinc ad primam rationem negandum est consensum esse de essentia status, & vinculi matrimonialis, quia est tantùm causa efficiens illius, quamuis sit de essentia contractus matrimonij, & quamuis regulariter supponatur ad illud, non tamen essentialiter, nam talis efficientia potest etiam de potentia absoluta à Deo impleri, itaquod huiusmodi vinculum non solùm ex proprio contrahentium consensu oriri possit, sed etiam ex voluntate, & dispositione diuina mutuum dominium corporum tradente. 83

Ad Confirmationem respondetur vinculum Matrimonij dici vinculum animorum, non quia essentialiter consistat in actuali animorum vnione, aliàs vinculum non perseueraret inter coniuges animo dissidentes, aut quia necessariò & essentialiter ab animorum consensu dependeat; sed dicitur vinculum animorum, quia mutui amoris occasio, & fomes esse solet; vndè potius coniunctio animorum habitualis, qua sunt duo in carne vna, est de essentia matrimonij, seu ipsum matrimonij vinculum, quæ coniunctio perseuerat, siuè dissentiant coniuges quoad effectum, siuè non; & vtique supponit de facto consensum, seu contractum in fieri, tanquam causam efficientem, de possibili tamen inesset etiam sine tali consensu Deo solo operante, vt notat Hiqueus *loc. citat.*

Ad vltimum, siuè matrimonium dicatur relatio, siuè potius realis denominatio ex præterito contractu inter coniuges relicta, vt q. 1. dictum est, de facto quidem consurgit ex mutuo contrahentium consensu, sed absolutè loquendo posset etiam consurgere ex dispositione diuina tribuente, & transferente illud dominium corporum, quod de facto eorundem contrahentium voluntate, & dispositione transfertur; quod constat exemplo relationis serui ad Dominum, cuius fundamentum etiam esse potest diuin- 84

...io in eum dominio, potest eum tradere in ...cuerit; ità, inquam, de fundamento relatio... ...ges dicendum est, hæc enim de facto consur... ...su contrahentium, non quidem ex natura rei, ...andem legem, & vt habet annexam voluntatē ...s specialiter in ipsa lege contentam, quę voluntas ...osset per aliam causam hoc vinculum inducere, vt ...n sum parentum, vel Reipublicæ, aut alio modo ...denter ab omni consensu proprio, atque ideò fun... ...um relationis per vinculum matrimoniale impor... ...solutè loquendo est omne illud, ex quo potest oriri ...que coniuge mutuum ius in corpora sua, siuè sit ...us contrahentium consensus, vt est de facto, siuè do... ...m à Deo immediatè concessum, vt de possibili con... ...re posset.

...ices, nequit Deus inducere vinculum Religionis ortū ...o sine consensu, & actu vouentis; ergo neque simi... ...vinculum matrimoniale.

Respondetur primò negādo assumptum, quamuis enim ...lum Religionis non possit à Deo induci absque libero ...nsu Religiosi, si vinculum Religionis sumatur pro ...ali promissione, quæ Deo fit; tamen si sumatur pro vin... ...seu obligatione naturaliter illam promissionem conse... ...ente, potest etiam à solo Deo fieri, imponendo illi obli... ...tionem, & præceptum, quod obligetur ad id, ad quod ip... ...se obligat, dùm vouet. Deindè potest negari consequen... ...concesso antecedente, quia votum essentialiter includit promissionem, quia nequit esse sine proprio actu promit... ...tentis; atque ideò Deus non potest se solo absque Religiosi consensu vinculum Religionis in eo efficere consistens in obligatione fidelitatis religiosæ, seu sacræ ortæ ex voto; at vinculum matrimoniale consistit in obligatione iustitiæ ad commixtionem carnalem, & in dominio, cui ea obligatio correspondet, quæ ex consen su dominorum corporum oriuntur; quia igitur non tantùm coniuges, sed etiam Deus est dominus corporum illorum, & melius quàm ipsi, & omninò ab ipsis independenter; ideò ipse quoque solus absque eorum consensu, ac independenter ab eo potest dictum dominium viro, & feminæ tradere, & dictam obligationem inducere, quæ vinculum matrimoniale dicitur, vt benè discurrit Hurtadus *disp. 3. diffic. 6.*

85 Itaque ex dictis infertur, verum consensum internum contrahentium esse simpliciter necessarium ad matrimonium conficiendum, adeout si quis animo simulato, & ficto contrahat absque interiori consensu, etiā si externis verbis se consentire dicat, verè, & in foro conscientiæ matrimonium non contrahit, nec eius verbo ligatur, nec vnquam amplius valebit, nisi defectus illius interni consensus suppleatur, etiamsi pluries absque tali animo coniugali copula carnalis habeatur; & ratio est, quia matrimonium, non concubitus, & coitus, sed consensus, & voluntas facit, atque ideò vbi consensus interior deest, consequenter etiam deest contractus matrimonialis, & matrimonij vinculum ex tali contractu procedens, talis enim est natura, & specialis conditio huius contractus, quicquid sit de alijs, in quibus aliquin potest contrahentium consensus aliundè suppleri, & ità habetur *in cap. Tua nos de Sponsalibus, & cap. sufficiat 27. q. 2. & c. Cum locum de sponsalibus*; Vbi etiā Canonistæ & omnes Theologi aduertunt sibi fictè contrahentem grauiter peccare committere, tùm contrà reuerentiam sacramento debitam, quod reddit vanum, & irritum, tùm in iniuriam coniugis, cum quo fingit; Vndè tenetur deposita simulatione verè consentire secundum communiorem, & probabiliorem opinionem, quam docuit Scotus 4. d. 30. q. 1. vbi ex professo hoc punctum discutit, nisi fortè alter coniux hac obligationem remitteret, & contentus esset à tali coniugio recedere, quia tunc volenti non fit iniuria; & hoc est valdè rationi consentaneum, quia sicut qui contrahit tunc verum, & sincerum tenetur adhibere consensum, ..., quando contrahit, si tunc deficit, manebit posteà obligatus tamen reluere defectum.

86 Sed Difficultas est, quomodo renouandus sit contractus matrimonij nullus ex defectu consensus veri, & legitimi; Aliqui dicunt, quando matrimonium fuit nullum ex defectu consensus tantùm fictè esse, vt suppleatur defectus tantùm ex parte illius, qui ficte, nempè ex parte fingentis, eliciendo interius verum consensum, vel copulam habendo maritali affectu, qui et virtualis quidam consensus, quando opus sit exterius illum exprimere, ità Sanchez, Henriquez, Conin-chus, Nauarrus, Bonacina, Diana, Auersa, & quidam alij. Oppositum docent alij asserētes non sufficere, quod ille cui defuit consensus verus, de nouo consentiat, sed necessarium esse vtrumque coniugem de nouo consentire, & nouum consensum elicere, ità Barthol. Ledesma, Felinus, Comitolus, Ponce, Hurtadus, & Caspensis, qui pro se adducunt quoddam responsum Clementis VIII. asserentis in tali casu opus esse iterari consensum vtriusque coniugis, tam, scilicet, illius, qui verè consensit, quàm alterius, qui simulauit, quæ opinio mihi quoque probabilior videtur hac ratione, ..., quamuis aliam quoque adducam inferius *q. 13. art. 2.* quia forma huius sacramenti est consensus vtriusque mutuus signo exteriori expressus ex dictis *q. praeced.* quarè nisi sint simul moraliter itaue ad eandem rationem ordinentur, non habetur tota forma sacramenti; sed pars formæ, ergo contractus ille ab initio fuit nullus ex defectu veritatis formæ, ac proindè nō potest cum sequenti consensu alterius vnum contractum legitimum matrimonij efficere, sed vterque simul renouari debet. Nec respondere valet consensum illius, qui verè, & legitimè consensit, perseuerare habitualiter, atque ideò accedente de nouo consensu illius, qui fictè consensit, fieri nouiter contractum, & sacramentum matrimonij. Non valet inquam, quia qui verè, & legitimè semel consensit ab initio, credit contractum iam esse perfectum, atque ideò desistit ab eo consensu, seu intentione, & voluntate iterum contrahendi, & ad efficiendum nouum contractum, & sacramentum requiritur noua forma, quæ consistit in consensu vtriusque coniugis, quæ doctrina magis declarabitur *art. seq. num.* 100. Nec satis erit interius renouari consensum, sed necessarium est, vt exterius quoque renouetur, quia expressio exterior antiqua exhibita, quando fuit fictio consensus, nequit esse expressio consensus posteà eliciti, & hoc totum anteà docuit Scotus 4. *d. 35. qu. vn. sub lit. C.*

87 Et in hoc casu probabilius etiam puto cum Hurtado *cit. disp. 3. diffi. 10.* & alijs ab ipso adductis vtrumque coniugem conscium debere fieri de nullitate matrimonij, vt omninò ignarus nullitatis sufficienter cōsentire possit ad reualidandum matrimonium nullum, quod etiam docuit Scotus *loc. cit.* Ratio est, quia contractus ille à principio fuit nullus ex defectu consensus, saltem vnius coniugis, ac proindè reualidari debet cum intētione tradendi denuò dominium corporis, & de nouo se obligandi, nam sine hac intentione cōtractus matrimonij validus esse ne quit; at in eo qui notitia caret huiusmodi nullitatis credens ab initio validū fuisse, talis intentio esse nequit de nouo tradendi corporis dominium, & se obligandi adhuc sub conditione, si fortè contractus fuit nullus, nisi adsit aliqua notitia saltem formidolosa, qua iudicet saltem sub dubio contractum fuisse nullum; ergò ad reualidandum dictum contractum aliqua notitia talis nullitatis requiritur, vt sic formidolosè iudicans, intendat seriò tradere dominium sui corporis, & se obligare sub hac conditione, si fortè contractus fuit nullus; nam tali notitia carens putaret absolutè nō amplius habere sui corporis dominium, atque ideò neque potestatem illud amplius tradendi. Et tandem in eodem casu probabilius puto cum eodem Hurtado, & alijs Doctoribus ab ipso citatis, quando prius matrimonium celebratum coram Parocho, & alijs testibus fuit nullum ob defectum consensus occultum, aut ob impedimentum aliquod occultum, necessarium non esse ad illud reualidandum, quod iterum coram Parocho, & alijs testibus celebretur, sed solùm esse supplendum defectum ex parte consensus; nam quando in Trident. *Sess. 24. cap. 1.* irritantur matrimonia facta absque præsentia Parochi, & aliorum testium, sermo ibi est de matrimonijs clandestinis, quæ antiquo iure prohibita erant, & ex quibus incommoda multa oriri poterant, non autem de Matrimonijs coram Parocho, & alijs testibus inualidè celebratis ob defectum aliquem, aut impedimentum occultum; hæc enim validè celebrantur absque noua præsentia Parochi, & aliorum testium, quia præsentia antiqua, quæ præcessit, in casu impedimenti, vel defectus occulti, sufficit ad euitanda prædicta incommoda. Sed de modo reualidandi matrimonium nullum ex defectu alicuius impedimenti occulti tractabimus infra q. 13. *art. 2.*

Tt ART-

ARTICVLVS SECVNDVS.

An ad contractum Matrimonij sufficiat consensus internus, vel etiam requiratur expressus, & quomodo.

88 PRimò Dicendum est ad huiusmodi contractum non sufficere consensum merè internum, sed requiri, vt exterius significetur, & exprimatur. Ità Theologi passim, & Iuristæ, & Scotus noster 4. *dist.* 26. *lit.* G. vbi loquens de actibus consentiendi maris, & feminæ ait, oportere istos actus per aliqua certa signa mutuò exprimi, alioquin neutri constaret de actu voluntatis alterius, & idem repetit d. 27. q. 2. Probatur ex Conc. Flor. in decreto Eugenij, vbi hęc expressio ponitur, tanquam pars essentialis, & constitutiua matrimonij; idem constat ex iure Canonico, & Ciuili, vbi passim hæc expressio interuenire supponitur, tanquam ipsius coniugij constitutiua, vt habetur *cap. Licet*, & *cap. Tuæ fraternitatis*, & *cap. final. de sponsalibus*; Hoc etiam suadet ratio, quia matrimonium est humanus contractus, est enim mutua traditio, & acceptatio corporum ad vsum coniugalem, at omnis humanus contractus per actus humanos, & ab hominibus perceptibiles fieri debet, alioquin vt inquit Doctor, neutri contrahentium constaret de actu voluntatis alterius, quoniam per voces, & signa externa conceptus interni manifestantur; est etiam Matrimonium in lege noua sacramentum; ergo non sufficit ad illud consensus merè internus, nisi externo, & sensibili signo fit expressus.

89 Sed Dubium est, num saltem ex dispositione diuina posset constitui matrimonium solo interno viri, & feminæ consensu, absque alia expressione externa, sed Deo ipso reuelante vtrique alterius consensum, & ità supplente humanam expressionem, Coninchius *disput.* 14. *dub.* 8. admittit sic constitui posse matrimonium in ratione contractus, sed non in ratione sacramenti, quod de sui ratione est signum sensibile. Auersa *quæst.* 3. *sec.* 2. admitti si constitui posse ex diuina dispositione sub vtraque ratione tam contractus, quàm sacramenti, quia si Deus reuelare mutuum consensum vtriusque fieri posset, vt vterque diuina reuelatione mediante intenderet tradere corpus suum alteri, & acceptare corpus alterius sibi traditum, atque ità contraheretur vinculum, & constitueretur matrimonium in ratione contractus, nam posset facere Deus, vt more angelico locutione mentali suos consensus ad seinuicem dirigerent; Posset quoque Deus statuere per talem modum internum contractus conferre gratiam, sicut nunc confert per actum externum sensibilem; quarè sic perficeretur etiam matrimonium in ratione signi, & instrumenti sacri conferentis gratiam, licet non in ratione signi sensibilis; ac proindè licet tale matrimonium non esset sacramentum, prout modo institutum est in ratione signi sensibilis, esset tamen sacramentum tanquam signum sanctificans non sensibile, sicut si tali signa, & sacramenta instituta fuissent spirituali modo inter Angelos.

Negant ex aduerso etiam ex dispositione diuina posse matrimonium constitui, nec sub ratione contractus, nec sacramenti per solam Dei reuelationem vtrique contrahenti factam mutui consensus eorum absque alia ipsorum expressione externa Sanchez *lib.* 2. *disp.* 30. Ponce *lib.* 2. *cap.* 6. Ca[...]pensis *d.* 1. 3. *sec.* 4. & alij passim; non quidem sub ratione contractus, quia quamuis Deus reuelaret consensum vtriusque neuter acquireret actionem in consentiente, quia contractus sunt humani, ac proindè hominum degentium, & constituentium Rempublicam politicam, & externam quæ ex natura sua petit, vt externo sermone, vel signis res quælibet agatur, & contractus celebrentur; Sacramenta etiam prout de facto sunt instituta sunt signa sensibilia gratiæ collatæ, & ideò matrimonium neque sub ratione sacramenti institui potest absque vllo signo externo, & sensibili; Hæc tamen mihi videtur contentio solùm de nomine, & quoad communem loquendi modum de matrimonio posterior sententia probabilior videtur; hic enim sermo est de matrimonio, & alijs contractibus inter homines ex natura rei, & spectata ipsa contractuum humana institutione, & in hoc sensu dicemus etiam ex diuina dispositione

[...] consensu absque alia expressione externa, sed Deo ipso vtrique reuelante alterius consensuum; Nam in alio statu loquendo de contractibus, & sacramentis, sicut spirituali modo inter Angelos constitui potuerunt, si Deus miraculosè efficeret, vt homines sibi inuicem per conceptus loquerentur, vt Angeli loquuntur, planè negandum non est, internum consensum per signa intellectus tunc manifestatum sufficientem esse ad contrahendam obligationem, & vinculum matrimoniale & per talem modum internum contractus posse Deum conferre gratiam, sicut nunc confert per actum externum sensibilem. Hoc autem non tollit, quin ex ipsa naturali contractuum institutione inter homines necessaria sint signa externa sensibilia, quandoquidem natura nos animo, & sensu constare voluit, & non alio modo intelligere, quàm per sensus.

Secundò Dicendum est verba non esse simpliciter necessaria ad valorem huius contractus, sed adhuc sufficere nutus, & alia signa externa verbis æquiualentia, & sufficientia ad exprimendum consensum; Hæc etiam est communis sententia, omnes enim concedunt verba non esse in omnibus necessaria, nam benè potest inter mutos, & surdos, qui loqui, & audire non valent, contrahi matrimonium per alia signa, & nutus, vt habetur *cap. cit. Tuæ* de sponsalibus, vbi dicitur surdos, & mutos contrahere posse sine verbis, & hoc idem Scotus insinuat *d.* 6. *lit.* L. & adhuc expressius *dist.* 28. q. 2. vbi monens dubium de contractu matrimonij, an possit fieri sine verbis, sed aliter, affirmatiuè respondet; Hoc autem intelligendum est de valore matrimonij, non tantum sub ratione contractus, sed etiam sacramenti, quoniam in e. *cit. Tuæ* de sponsalibus sermo est de matrimonio, quod etiam fit sacramentum inter Fideles; & hoc idem insinuat Florentinum in decreto Eugenij, vbi loquens de sacramēto matrimonij ait regulariter per Verba perfici, significās per illam particulam *regulariter* posse etiam in aliquo casu aliter perfici, per nutus, scilicet, & signa verbis æquiualentia. 90

Sed difficultas est, an in potentibus loqui requirantur verba necessitate sacramenti, aut saltem ex præcepto; Affirmant aliqui Iuristæ speciali iure Ecclesiastico necessaria esse verba in potētibus loqui ad valorem matrimonij, & necessitate sacramenti, eo quod in prædicto *cap. Tuæ* apertè dicitur, quod *necessaria sunt quantum ad Ecclesiam verba consensum exprimentia de præsenti.* Quidam verò Theologi, licet non admittant ea esse necessaria necessitate sacramenti, dicunt tamen esse necessaria de necessitate, & obligatione præcepti; ità Siluius, Petrus Ledesma, Rodriquez, & Auersa, quod probat *quæst.* 3. *sec.* 2. quia saltem ille textus in *cap. Tuæ* satis indicat necessitatem, & obligationem præcepti; similiter consuetudo Ecclesiæ, nec enim admitteretur, vt qui loqui possunt, non exprimerent suum consensum verbis, sed solis nutibus. Nec apparet, quæ iusta causa hoc excusare possit; cùm tam facile sit ad interrogationem Parochi vnum proferre verbum, Nec est iusta causa verecundia in puella, nam dùm re vera consentit matrimonium inire, & debeat id exprimere, perindè est verbo, ac nutu, idque omninò expedit, quia in ijs, qui loqui possunt, si nolint posset indè suboriri occasio alicuius litis, & controuersiæ de veritate consensus. 91

Communis tamen sententia docet verba etiam in potētibus loqui necessaria non esse necessitate sacramenti, quod expressè habetur ex *cap.* 1. *de Despons. Impuber. in* 6. vbi statuitur valere matrimonium; quando parentes exprimunt consensum nomine filiorum præsentium, & non contradicentium, quia hoc est sufficiens signum, quod ipsi consentiunt, quod totum etiam docuit Scotus *d.* 27. *quæst.* 2. *ad* 2. & hoc etiam ratio ipsa suadet, quia cùm ad rationem contractus, & ad veram expressionem consensus partium alia signa exteriora sufficere possint præter verba, & in matrimonio debeant omninò sufficere inter Surdos, & Mutos; congruum non erat, neque expediens, vt Ecclesia in reliquis præfigeret verba, tanquam necessaria necessitate sacramenti ad valorem matrimonij. Non sunt igitur verba necessaria iure naturalis, seu ex natura ipsius contractus, quia contrahentes possunt alijs signis de mutua corporum traditione pacisci. Nec sunt necessaria ex institutione Christi, quia ipse eleuando matrimonium ad esse sacramenti, *nihil* tamen circa naturam ipsius immutauit. Neque sunt necessaria iure Ecclesiastico ad valorem matri- 92

consensus contrahentium clarius constet Ec- ... n iudicat de occultis, & tanquam id, quod re- ... ad probationem matrimonij faciliorem, non ... illis verbis significare Pontifex, quod Ecclesia ... m verba, alioquin statim sibi contradiceret ... lit, quod Surdi, & Muti possunt contrahere matri- ... sine verbis per mutuum consensum alijs signis ex- ...

Et hoc tandem constat ex praxi Ecclesiæ in Ritua- ... de Sacramento Matrimonij, vbi dicitur, quod ... contrahendum *non sufficit consensus vnius, sed debet* ... *borum, & expressus aliquo signo sensibili, siue fiat per se,* ... *Procuratorem*; neque id restringit Rituale ad solos ... s, sed indifferenter loquitur de omnibus, & loquitur ... atrimonio non tantùm, vt contractus ciuilis est, sed ... a vt sacramentum.

... egat etiam communior opinio in potentibus loqui ver- ... necessaria necessitate præcepti, ità Sanchez, Ponce, ... chius, Hurtadus, Filliucius, Diana, Bartol. Ledesma, ... x nostris Hiqueus *dist. 26. in Comment. & Branatus* ... 7. *art. 3.* ac alij Recentiores dicentes, quod licet sit val- ... ngruum, vt matrimonium per verba celebretur, & hæc ... valdè conuenientia ad rem tanti momenti, secluso ta- ... scandalo non videtur esse de præcepto diuino, aut Ec- ... siastico, modo subsit aliqua causa sufficiens, quia recedere ... ommuni forma, quæ est in vsu per verba, & in re graui, si ... ret ex contemptu, peccatum vtique esset; si tamen ex cau- ... excusante qualis in puellis est pudor, non est peccatum, ... uia onera non sunt aggrauanda, nisi lex sit expressa, nulla ... autem lex in contrarium apparet, quæ verba esse adhibenda ... præcipiat; Et planè gratis omninò negat Auersa verecun- ... diam in puellis esse causam iustè excusantem, & perindè esse in ipsis verbo, vel nutu consensum internum exprimere; si- quidem experientia ipsa contrarium docet, videmus enim puellas à Parocho interrogatas de consensu præstando lon- gè facilius, & libentius respondere per capitis inclinationem, quàm per verborum prolationem; Imò ex *cap. vlt. de Despons. impub.* validè celebratur contractus etiam taciturnitate puellæ, vel pueri, quando altero contrahente consensum ex- primente Pater, vel Mater, vel etiam Tutores, & Curatores pupillorum curam gerentes respondent pro puella, vel pue- ro eius consensum exprimendo; Quamuis ergò verba sit conuenientissima, adhuc tamen contractus validè celebra- tur etiam à valentibus loqui nutibus, scriptura, vel alijs si- gnis æquiualentibus, & consensum sufficienter exprimenti- bus. Communiter etiam aduertunt Morales, & innuit Do- ctor *loc. cit.* quod in contrahendo matrimonio per verba, non sunt præscripta certa, ac præcisa verba, quasi vel neces- saria ad valorem, vel sub obligatione præcepti; & similiter quando contrahitur per alia signa, & nutus, non sunt deter- minata certa signa; & ideò quando contrahitur per verba, sufficiunt quæcunque verba consensum exprimentia, vt ac- cipio te in meum, vel meam coniugem, siuè trado me tibi in coniugem, in virum, in vxorem, aut alia æquiualentia; si- militer quando matrimonium per alia signa contrahitur, cautè, & prudenter procedendum est, ac obseruandum, vt sufficienter animi consensum indicent, ac demonstrent, vt v. g. caput inclinando eo modo, quo consuetum est inter homi- nes aliquid affirmare per nutus, si à Parocho vir, vel mulier interrogetur, an consentiat talem accipere in coniugem.

94 Tertiò Dicendum est, verba, vel alia signa, quibus contra- hitur matrimonium, talia esse debere, vt exprimant de præ- senti, & tunc, quando proferuntur, coniuges mutuò trans- ferre, seù dare sua corpora adinuicem. Hæc est communis in omni schola, D. Thomæ, *D. Bonauentura*, & Scoti 4. *d.* 28. *quæst.* 1. vbi ait significationem verborum debere esse talem, vt exprimat consensum, & contractum de præsenti, quia sunt signa repræsentatiua, non autem prognostica, quod qui- dem est commune omnibus Sacramentis. Probatur ex *cap.* fuit de sponsa duorum, & ex toto tit. de Sponsalibus, & de Clandestina Desponsatione, vbi contractus matrimonialis per hoc à sponsalibus secernitur, seù à simplici promissione, quod ille fit per verba de præsenti translationem exprimen- tia, & propterea; hæc verò per promissionem de futuro, & per verba exprimentia translationem faciendam. Dein- dè probatur ex Concilio Florentino in Decreto Eugenij, vbi loquens de Matrimonio inquit, quod *causa efficiens ma- trimonij regulariter est mutuus consensus per verba de præsen- ti expressus.* Tandem probatur ratione à Scoto ibi insinua- *Mich. in Quat. Sentent.*

ta, quia contractus matrimonialis est actualis traditio mu- tua potestatis corporum adinuicem; sed sola verba, & signa, quæ eam exprimant de præsenti, significant actua- lem dationem, & traditionem, non autem verba de futu- ro, quia nullus promittendo tradit illud, quod promittit, imò est contradictio, quia promissio est de tradendo in fu- turum; ergò consensus, & contractus matrimonialis non potest exprimi, & celebrari, nisi per verba de præsenti; Hoc etiam probat Doctor de Matrimonio ea ratione, quia sacramentum est, quia intentio Ministri de sacramento conficiendo, quando verba profert, non potest esse de fu- turo, sed necessariò esse debet de præsenti, nec intendere pro futuro est sufficiens intentio in Ministro ad Sacramen- tum conficiendum, sed oportet, quod intendat pro præ- senti, sicut signum significat; omnia enim verba Sacra- mentorum talia sunt, quæ significant repræsentatiuè effe- ctum tunc fieri, quando proferuntur, non autem prognosti- cè scilicet faciendum; ergò contrahentes non contrahunt, nec sacramentum efficiunt, si consensum præstant per verba de futuro, sed necessariò debent esse de præsenti, vt appa- reat consensum esse de translatione dominij corporum pro præsenti, & vt manifestent exterius tunc fieri translationem dominij in corpora contrahentium, quandò verba profe- runtur ab illis, vel signa æquiualentia demonstrant. Quali- ter etiam huiusmodi nubentium consensus possit adhiberi, & exprimi per procuratorem, nuncium, aut Epistolam iam declaratum; est *d.* 2. *art.* 3. vbi etiam statuimus talia matri- monia non solùm valere in ratione contractus, sed habere etiam veri sacramenti rationem etiam stante decreto Con- cilij Tridentini.

Quartò Dicendum est, quod vbi promulgatum est prædi- 95
ctum Tridentini decretum de matrimonijs clandestinis, re- quiritur etiam ad matrimonij validitatem præsentia Paro- chi, aut alterius Sacerdotis de illius, vel Ordinarij licentia, adeout si non adsint non sufficiat contrahentium consensus modo præfato expressus. Hæc etiam est communis inter Theologos, qui proindè dicunt, quod vbi decretum illud est promulgatum, si matrimonium contrahatur per procu- ratorem, per nuncium, vel per litteras, necesse sit, vt etiam Parochus, & teste adhibeantur, qui restari possint de con- sensu vtrique præstito per litteras, vel internuncium; Et quidem vt Matrimonium prædicto modo validè per Pro- curatorem celebretur necesse non est, vt coram Parocho, & testibus Procuratori detur mandatum ità pro altero con- trahendi, aut vt tam Pastor, quam testes, coram quibus con- tractus celebratur, videant instrumenta, quibus Procurato- ri tale mandatum datur, quia Tridentinum solum requirit, vt Parochus, & alij assistant præsentes testes externi con- tractus, ad hoc autem sufficit, vt adsint præsentes, dùm hic à procuratoribus celebratur, & sufficienter intelligant quid, & quorum nomine celebratur, vt notat Sanchez *lib.* 2. *disp.* 11. & *lib.* 5. *disp.* 8. & decretum Tridentini seruari etiam po- test, si matrimonium contrahatur per litteras, si Titius v. g. scribat Bertæ se in eam de præsenti consentire, & ipsius con- sensum ex hoc nunc acceptare pro eo tempore, quo eum Pa- legitimè ipsa præstabit, & Berta acceptas litteras coram Pa- rocho, & testibus legens, vel legere faciens coram ijsdem in Petrum de præsenti consentiat.

Sed hic occurrit grauis Difficultas, an simultas temporis 96
requiratur ad consensum mutuum de præsenti, vt sit vali- dus, in qua difficultate tres sunt Opiniones, duæ Extremæ, & tertia media; Prima extrema absolutè affirmat vtriusque consensum debere simul exprimi, & incontinenti absque interuallo temporis, ità nonnulli Iuristæ; Fundamentum est, quia si matrimonium consideretur sub ratione contra- ctus, iam vniuersaliter de ratione contractus esse videtur, vt simul fiat conuentio contrahentium, vt sumitur ex L. *Continuus* F. f. de Verborum obligatione, vbi dicitur, quod *continuus actus stipulantis, & promittentis esse debet*; Si verò matrimonium sub ratione sacramenti consideretur, iam similiter constat de ratione sacramenti esse, vt eius materia, & forma, seù quæcunque partes substantiales simul coniun- gantur; ergo ad valorem matrimonij tam in ratione con- tractus, quàm sacramenti requiritur, vt simul tempore con- expressus amborum contrahentium consensus coniungatur; Imò etiam quidam Theologi id requirunt saltem ex iure no- uo Conc. Trident. cùm enim decernat consensum præstari debere coram Parocho, & testibus, ita ut ambo contrahentes præ-

præbeant, & accepten consensum, hoc planè fieri non potest, nisi simul, & coniunctim; ità Bartol. Ledesma de Matrimonio dub.17. & Vega lib.3. Summæ casu 75. Secunda sententia extrema docet nihil referre quantocunque tempore consensus inter se distent, & nullam temporis concomitantiam, aut propinquitatem requiri ad matrimonium validitatem, vt patet de contractu facto per litteras, vel Procuratorem inter absentes, & longè distantes, potest enim esse, vt vnus existens in Europa velit contrahere cum existente in India, nam in tali casu magna temporis distantia inter vtriusque consensum intercedere debet; ità Maior 4.d.27.q.1. & Nauarrus in Summa c.22. nu.80. & sequitur Hurtadus disp.3. diffic.8.

95 Tertia sententia media negat contrà primam necessarium esse quod consensus contrahentium simul tempore exprimatur, & contrà secundam nihil referre quantocunque tempore consensus inter se distent, & inquit sufficere, & requiri inter consensum, & expressionem amborum contrahentium talem coniunctionem, vt moraliter permanere censeatur consensus, & expressio ex parte vnius quousque adhibeatur ex parte alterius, censerique moraliter permanere iuxta intentionem, & dispositionem illius, qui prior consentit; Ita colligitur ex Scoto d.26. conclus.3. & 5. vbi ait ad validitatem matrimonij non esse semper necessariam simultaneam existentiam consensuum, sed eam sufficere, quæ sufficit ad contractum legitimum, & sequuntur Recentiores passim, Sotus, Lopez, Henriquez, vterque Ledesma, Sanchez, Ponce, Diana, Auersa, Coninchius, Hurtadus, Caspensis & ex nostris Hiqueus d.28. q.vn. num.3. & quoad primam partem, quod scilicet necessaria non sit physica consensuum coexistentia probatur cum Scoto ex alijs contractibus, in quibus non requiritur, quod contrahentes simul tempore proprias voluntates manifestent L.1.§.1.ff. de verborum obligatione, & L.1.§. sed verior ff. de contrahenda emptione; ergo neque requiritur ad matrimonium, vt contractus est; Sed nec etiam quatenus sacramentum est, quia si illud non exigit in ratione contractus, neque illud exiget, vt sacramentum, siquidem vt sæpè dictum est, natura contractus in nullo immutata fuit ex eius eleuatione ad esse sacramenti; tùm etiam quia in sacramento pœnitentiæ ipsa Confessio, quæ est eius Materia, potest dici præcedere absolutionem, quæ est ipsius forma; ergo neque matrimonio repugnat, quatenus sacramentum est, vnam eius partem diù poni antè aliam; Tandem hoc manifesta experientia conuincitur in matrimonijs per epistolam, nuncium, aut Procuratorem celebratis, in quibus consensus partium simul exprimi non potest; ergo simultanea consensuum coexistentia ad validitatem matrimonij non est necessaria; Ex qua doctrina ruit fundamentum prioris sententiæ, falsum enim esse vniuersaliter de ratione contractus, vt simul fiat conuentio contrahentium, vt patet ex legibus citatis, in illa autem lege vt Continuus ff. de verb. signif. solùm agitur de stipulatione, vt patet ex verbis textus, cui hoc est singulare contrà naturam aliorum contractuum; falsum item est vniuersaliter de ratione sacramenti esse, vt eius partes sint semper simul tempore & physicè coniungantur, quia in alijs quoque sacramentis in prolatione formæ, & applicatione materiæ aliquando non parua temporis distantia intercedere solet, vt diximus de confessione peccatorum & eorum absolutione; Neque etiam aliquid vrget ius nouum Concilij Tridentini, solùm enim decreuit, vt contractus fiat, siuè vt consensus exprimatur coram Parocho, & testibus, vbi adhuc fieri potest, vt consensus vnius anteà præcesserit, nempè quando contractus fit per Procuratorem, nuncium, aut epistolam, & etiam inter principales ipsos fieri potest, vt vnus nunc dicat se accipere talem in coniugem, & post aliquod temporis interuallum alter id similiter dicat, & vtrumque coram eodem Parocho, & testibus.

98 Quod autem inter consensus contrahentium necessaria sit aliqua simultas, vel propinquitas saltem moralis, & talem opus sit interuenire coniunctionem, vt moraliter permanere censeatur consensus, & expressio ex parte vnius quousque adhibeatur ex parte alterius, contrà secundam opinionem, quæ dicebat nullam temporis concomitantiam, aut propinquitatem requiri inter consensus contrahentium, sed matrimonium valere quocunque temporis spatio inter consensum vnius, & alterius interposito: Hanc inquam temporis moralem simultatem, & propinquitatem esse necessariam, nec ad valorem matrimonij sufficere qualemcunque & quantamcunque temporis intercapedinem probatur; nam quamuis nullum tempus definitè præscribatur ad expectandum alterius contrahentis consensum, omnes tamen implicitè censentur saltem indeterminatè aliquod tempus contractui perficiendo ità præscribere, quia nemo est, qui velit perpetuò alterius consensum expectare, & de statu suo continuò permanere suspensus; ergò omninò dici debet aliquam moralem coniunctionem requiri inter consensum, & expressionem amborum contrahentium, vt matrimonium valeat; & hæc tamdiù permanere censetur quamdiu durat moralis, seù habitualis permanentia consensus, consensus autem tamdiù moraliter, vel habitualiter perseuerat, donec explicitè, vel saltem implicitè reuocetur; Quantum autem tempus hoc casu debeat effluxisse, vt quis censeatur suum reuocasse consensum non potest generatim præscribi, sed ex intentione, & dispositione contrahentis, & varijs rerum circumstantijs discerni debet, nam potest fieri, & quandoque sit breue, vt quandò contrahitur matrimonium inter præsentes, etenim in hoc casu regulariter ille, qui prior suum consensum exprimit, cum hac intentione profert, vt alter etiam incontinenti, non recedendo ab illo congressu, suum mutuum consensum adiungat, nec alioquin censetur velle permanere suspensus; è contrà etiam fieri potest, vt sit longum, vt quando matrimonium per litteras, vel Procuratorem contrahitur, nam in tali casu tamdiù moraliter, vel habitualiter durare censetur consensus prioris contrahentis, quantum temporis humano more intercedere solet, quousque procurator, vel epistola perueniat ad locum alterius contrahentibus absentis, & commodè altera pars conueniri possit, vt suum consensum adiungat cum debita solemnitate, in quo casu potest esse notabilis diuersitas iuxta locorum distantiam; Non potest ergo regula certa dari de tempore, quo permanere moraliter censeatur consensus datus suspensus à priori contrahente, sed totum dependet ex modo consentiendi, & circumstantijs, quæ in re morali occurrunt; nisi tamen ipsemet contrahens oppositum expresserit, nempè se esse contentum expectare per annum, vel per tot annos, in quo nulla temporis mensura taxanda est, nisi iuxtà eius voluntatem non retractatam nec explicitè, nec implicitè; ità discurrunt in proposito Sanchez, Ponce, Coninchius, Auersa, Caspensis, Hiqueus, & alij Recentiores.

99 Et planè hic dicendi modus est cæteris præferendus; non enim ex vna parte ratione videtur taxare certam temporis distantiam, atque mensuram, quæ valori huius contractus obstet, vt fecerunt Sotus, qui existimat distantiam septennij obstare, Henriquez distantiam bienij, Ledesma vnius anni, & alij maiorem, vel minorem; Neque etiam ex alia parte ratione est, nullam temporis distantiam inter vtriusque consensum, quamuis maximam obstare valore matrimonij, dummodò prior consensus saltem moraliter, vel habitualiter permaneat, vt secunda sententia asserebat; quia vt dicebamus, quandò nullum tempus determinatè præscribitur, quilibet censetur implicitè saltem indefinitè aliquod tempus contractui perficiendo ità præscribere; nemo enim prudens, & cordatus censetur velle perpetuò alterius consensum expectare, & de statu suo continuò suspensus permanere; atque ideò in tali casu consensus ab eo iam pridem datus post valdè longam temporis distantiam non vlterius moraliter, aut habitualiter permanere censetur; Ad discernendam itaque moram sufficientem inter expressionem vtriusque coniugis, vt dicatur simultas moralis, concludendum est cum nostro dicendi modo certam regulam assignari non posse, sed hoc relinquendum esse iudicio prudentis attentis peculiaribus circumstantijs; si enim valdè longa intercederet temporis distantia inter consensum vtriusque, moraliter non censetur consensus primi contrahentis permanere, seù habitualiter perseuerare, nam nemo est, qui tanto tempore velit suspensus permanere, & alterius consensum expectare, vndè rectè dicit Sanchez lib.2. disp.32. & cum eo Ponce lib.1. cap.16. & Caspensis disp.3. sect.5. quod si multum temporis intercedat, magna est in iure præsumptio contrà huiusmodi matrimonium, cum homines facilè sententiam mutare soleant.

100 Dices, hanc doctrinam non cohærere cum his, quæ suprà docuimus art.prec. n.86. scilicet eum, qui verè consentit in eam, quæ fictè consensit, non perseuerare habitualiter in

...nsu, & intentione contrahendi, ac proindè ...ere vtriusque consensum, & non tantùm illius, ...traxit, vt matrimonium sit validum.

...etur cum Caspensi *loc. cit.* negando assumptum, ...dictum est, qui verè consensit, credit iam contra... perfectum, ac proindè nec habitualiter perseue... ntione contrahendi, atque ideò longè dispar est ra... a, de quo hic loquimur; quam disparitatem ità de... melius intelligatur sententia, quam ibi secuti sumus, abiliorem; etenim in casu nostro, qui per procurato... vel epistolam consensum dedit expectans expressio... lterius partis, tam diù habitualiter in eo consensu per... re censetur, hoc est moraliter, & secundùm prudentem num æstimationem, quousque alterius partis consen... recipit, vel illum non reuocat consentiendo in aliam; enim illo tempore quasi suspensus manet alterius partis cessionem expectans, de qua certificatus à continuatio... llius consensus desistit videns contractum iam esse perfe... m; explicata autem in hoc sensu morali, vel habituali per... uerantia consensus primi contrahentis per procuratorem, el epistolam, quo pacto re vera explicari debet, & non ali... er; iam euidenter patet in casu de eo, qui verè consensit in eam, quæ fictè consensit, dici non posse habitualiter perma... nere, & durare in consensu iam præstito; quia enim firmiter credidit iam contractum fuisse perfectum, in intentione con... trahendi non amplius perseuerat quasi alterius consensum expectans, sed à tali intentione penitus cessat, putat enim ab... solutè non habere amplius sui corporis dominium, atq; ideò neque potestatem illud amplius tradendi; vndè ex doctrina hic tradita de perseuerantia habituali consensus in primo contrahente per procuratorem, vel epistolam, donec habeat certitudinem de consensu alterius partis, quia habita statim censetur ab huiusmodi habituali consensu cessare, potius confirmatur doctrina superius tradita de vere contrahente cum ficto, putans enim alterum quoque verè consensisse, ac proindè contractum iam esse perfectum, moraliter censetur etiam habitualiter à suo consensu desistere, & cessare, vtpotè qui suum iam est consecutus effectum; atque ideò vt reualidetur contractus, vtriusque consensum esse necessarium, tam eius qui fictè, quàm qui verè consensit, & non sufficere, vt suppleatur defectus tantùm ex parte eius, in quo fuit, nempè ex parte fingentis, quamuis ingenue fatear etiam oppositam sententiam, quam plures sequuntur, sua probabilitate non carere.

101 Et quidem hæc habitualis permanentia consensus illius, qui per procuratorem contraxit, vel per Epistolam, nec aliter, nec alio modò explicari potest, nam si solùm explicetur, vt merè consistat in actu præterito non retractato, sequeretur omnes actus volendi præteritos, & non retractatos ab initio vsque ad finem vitæ habitualiter permanere, & perseuerare quod est falsum, & contrà communem omnium æstimationem, vt diximus *disp. 1. de Sacramentis in genere quæst. 7. art. 2. num. 277.* explicando quid sit intentio habitualis; Adhuc tamen in alio sensu consensus contrahentium dici potest habitualiter permanere etiam postquam contractus est ex vtraque parte perfectus, nimirum in vinculo matrimoniali ex mutuo eorum consensu iam subsecuto; hoc enim pacto, vt *loc. cit.* dicebamus, actus contrahendi vniuersaliter loquendo, vt votum, promissio, donatio, emptio, venditio &c. postquam facti sunt, 94 moraliter permanere dicuntur, quatenus ex eis transactis manet ius, & obligatio in ordine ad potestatem aliquam tale ius, & obligationem exigentem, & per eam dicitur habitualiter permanere, non quidem secundum aliquod esse physicum, sed tantùm morale, quo quidem modo explicat Doctor *4. d. 14. q. 1.* permanentiam peccati habitualis.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quidnam sit proprium, & per se obiectum coniugum consensus.

102 Conueniunt Theologi de ratione matrimonij esse, vt ...entes consentiant, & habeant intentionem tradendi sibi inuicem, & acquirendi dominium suorum corporum in ordine ad copulam carnalem; non tamen esse vt habeant intentionem reipsa exercendi copulam, quasi etiam copula ipsa ingrediatur obiectum proprium, & per se huius contractus, & consensus coniugum ad essentiam Sacramenti necessarius debeat etiam esse expressus in copulam carnalem, vt opinatus est Michael Medina *lib. 5. cap. 7.* postulans ad matrimonium explicitum consensum, & propositum copulæ carnalis, quia ad hoc propriè matrimonium est institutum, vt vir, & fœmina hoc pacto filiorum procreationi incumbant. Et quidem proprium, & per se obiectum consensus maritalis esse ius, & mutuum dominium in corpora coniugum, itaut præfatus consensus expressè ferri debeat, vt in obiectum, & materiam, circà quam, in mutuam dominij corporum traditionem, & acceptationem, & in vinculum, seù ius & potestatem, & corporibus vtendi in ordine ad actum coniugalem, & copulam carnalem ex professò docet Scotus 4. *dist. 30. qu. 2. art. 2.* & hoc conuincenter deducitur ex essentia, & substantia matrimonij superius declarata, vbi diximus mutuam illam corporum traditionem, & acceptationem in ordine ad copulam, & actum coniugalem ad essentiam matrimonij pertinere; ergo vt matrimonium subsistat, necessariò, & essentialiter ferri debet expressè, tanquam in proprium, & per se obiectum, in mutuam corporum traditionem, & acceptationem, adeout si contrahentes vel exterius exprimerent, vel in mente haberent nolle tradere, & acquirere huiusmodi dominium, re vera matrimonium non contraherent; includitur autem hæc intentio in eo ipso consensu quo se inuicem accipiunt in coniuges, quia hæc est essentia coniugij, & hoc est propriè obiectum illius consensus. 103

Quod autem copula carnalis non sit proprium & per se obiectum huiusmodi consensus, quasi consensus coniugum ad essentiam sacramenti necessarius debeat etiam expressè ferri in copulam carnalem; deducitur etiam euidenter ex supradictis de essentia matrimonij, ad quam iam diximus copulam carnalem non pertinere, nec etiam ad eius integritatem, nam copula carnalis est tantùm actus, & vsus potestatis, & dominij per matrimonij contractum acquisiti in corpora coniugum; actus autem, & vsus contractus, vel rei contractæ nunquam dicitur pars contractus nec essentialis; vndè quando matrimonium dicitur per copulam consumari, non ideò dicitur, quia matrimonium per talem actum compleatur quoad aliquam sui partem essentialem, vel integralem, sed quia potestas, & dominium rei per propriam operationem, & actum complectur; atque ideò tota matrimonij essentia consistere potest absque consensu saltem explicito in copulam, sicut etiam verum matrimonium consistere potest, etiamsi copula nunquam sequatur.

104 Tota difficultas est, an saltem necesse sit, vt consensus coniugum indirectè, & implicitè feratur in copulam. In qua difficultate tres sunt opiniones, duæ extremæ, & tertia media. Prima affirmat consensum coniugalem inter nubentes esse debere, si non explicitè, & formaliter, saltem implicitè, & virtualiter de habenda copula, ità quod si aliqui contraherent cum conditione, & pacto opposito de non exercenda inter se copula, sed perpetuam castitatem seruandi, talis contractus non valeat, nec sit verum matrimonium, ità Capreolus, Sotus, Adrianus, Petrus Ledesma, Lopez, & latè Sanchez *lib. 2. disp. 28. & lib. 5. disp. 10.* plures alios referens, quod etiam indicasse videtur D. Thomas *4. d. 28. q. 1. art. 4.* vbi ait, quod licet matrimonium non sit essentialiter ipsa carnalis coniunctio, tamen consentire in matrimonium est consentire in carnalem copulam implicitè, non explicitè. Fundamentum eorum est, quia de ratione & essentiali matrimonij est, vt coniuges mutuò habeant potestatem in sua corpora, vtique quoad carnalem copulam, alioquin esset aliud genus contractus, & non coniugalis; ergo debent habere intentionem tradendi, & acquirendi inter se huiusmodi potestatem, vt suprà dictum est; at hoc est implicitè, & virtualiter consentire in copulam, & contrà substantiam huius contractus esset pacisci, & se obligare de non habenda copula.

Confirmatur ex D. August. *lib. 19.* contrà Manich. vbi ait matrimonium indè appellari, quia fœmina nubit, vt Mater filiorum efficiatur, vtique per copulam cum viro, cui coniugatur; & fauet Eugenius Quartus, dùm cum D. Paulo 1. ad Corinth. 7. primum, & potissimum bonum matri-

matrimonij prolem designat, quod sine implicito saltem or-
dine ad copulam carnalem, qua proles procreantur, stare non
potest. Denique probat Sanchez, ex iure *cap. vlt. de Condit.*
apposit. vbi dicitur conditionem additam in matrimonio
contrà bonum prolis reddere irritum matrimonium, at cer-
tè talis intentio, & conditio maximè esset contrà bonum
prolis, ergo &c.

105 Secunda sententia extrema negat opus esse ad essentiam,
& consistentiam matrimonij, vt consensus coniugum in-
directè, & implicitè feratur in copulam carnalem, & asse-
rit posse stare verum, & perfectum matrimonium amoto
omni ordine etiam implicito ad copulam carnalem; imò
si quis habeat animum contrarium in contrahendo, nem-
pè nunquam exercendi copulam carnalem, adhuc matri-
monium valere; ità Coninchius *disp.24. dub.4* Hurtadus
disp.3. diffic.5. Auersa *quæst.3. sect.3.* Ponce *de impedim. Ma-*
trimonij cap.31. Hiqueus ex nostris *4. dist.30. quæst.2.* in
Commentario, & alij Recentiores. Fundamentum est,
quia intentio contraria copulæ idest non vtendi matrimo-
nio non est incompossibilis cum intentione tradendi domi-
nium corporis ad dictum vsum, & se obligandi ad illum,
quæ sola sufficit ad valorem contractus matrimonij quia
dicta traditio, & obligatio est sufficiens materia substan-
tialis contractus matrimonij, & effectus immediatus il-
lius.

106 Confirmatur, quia B. Virgo contraxit verum matrimo-
nium cum S. Ioseph, & tamen nullo modo consensit in co-
pulam, quia Virginitatis votum habebat, vt Patres testantur.
Tandem quia si quis contrahat matrimonium, & simul in-
tendat ingredi Religionem antè consumationem, validum
est matrimonium, vt patet ex *cap. Commissum* de sponsalibus,
at in tali casu nullus est consensus in copulam nec explicitus,
nec implicitus, imò omninò contrarius.

Tertia demum opinio media distinguit, quod dupliciter
Intelligi potest consensum implicitè ferri in copulam, pri-
mò ex parte ipsius contractus, secundò ex parte contrahen-
tium, priori modo inquit necessarium esse consensum fal-
tem implicitum in copulam, quia contractus matrimonij
ex sua natura ordinatur ad copulam; ergo consensus, qui
expresè, & directè fertur in contractum, simul indirectè,
& implicitè fertur in copulam: at posteriori modo non est
necessarium, vt consensus implicitè feratur in copulam,
quod declarat exemplo illius, qui sicut potest verum votum
solemne Religionis emittere cum intentione se obligandi,
etiamsi aliundè habeat simul propositum firmum peccami-
nosum non persoluendi promissa Deo, ità potest quis pro-
mittere, aut dare ius in corpus proprium cum efficaci inten-
tione non exequendi illud, seù non vtendi illo iure in copu-
la carnali, siquidem illa executio non est finis necessarius in
matrimonio, neque an eius rationem spectat, ità Beccanus
c.45.q.5. Petrus Labatus *tract.3. disp.6. dub.7.* Caspensis *tract.*
26. disp.3. sec.3. & alij Recentiores.

107 Et hic dicendi modus mihi videtur omnium probabilioris
quamuis enim Meratius *disp.7. sess.3.* illam distinctionem
redarguat nimirum implicitum consensum ad copulam
carnalem necessarium esse ad essentiam, & integritatem
matrimonij, ex parte quidem contractus, non autem ex
parte contrahentium; tamen si rectè intelligatur optimè
est, vt Caspensis aduertit *loc. cit.* nimirum in hoc sensu, quod
implicitus consensus ad copulam necessarius est ex parte
contractus idest ex parte illius consensus, quem contractus
matrimonialis essentialiter requirit; quamuis non sit nec
sarius vlus alter consensus ad copulam ex parte ipsorum
contrahentium, in quibus potest esse voluntas alia pœnit
exclusiua omnis actualis copulæ carnalis, vt communiter
fertur de sanctissimo coniugio Deiparæ, & S. Ioseph; Quod
probat Doctor *loc. cit.* euidenti ratione, qua vtuntur Auer
Caspensis, & alij Recentiores passim, quia cùm dominium
rei distinguatur ab vsu, potest optimè fieri, vt quis habeat,
retineat dominium rei, & tamen promittat, ac se oblig
non vti tali dominio, quod tribus exemplis probat Doct
loc. cit. potest igitur dari explicita volitio iuris, ac dominij in
aliquem actum cum explicita nolitione vnquam exercendi
illum actum, quia potest aliquis potestatem illam velle, non
ve liberam, & expeditam ad actum, sed vt ligatam, & im-
peditam ob promissionem Deo, vel homini factam nun-
quam exercendi talem actum. Hoc ergo modo fieri potest
in proposito, vt nubentes non habeant animum se obligan-
di absolutè ad copulam imò potius se mutuo obligent ad
seruandam perpetuam continentiam, & castitatem, &
possint etiam communi consensu ad hoc se voto astringere
apud Deum; & quidem cùm possint hoc coniuges facere
post contractum ac etiam consumatum matrimonium, vt
omnes concedunt, concedendum est id etiam facere po-
tuisse ab initio antè matrimonium contractum, vt nempè
acquiratur hoc idem dominium, & eius vsus impediatur.
Quamuis igitur de ratione matrimonij sit mutua corporum
traditio, & dominij traslatio, vt vterque coniugum habeat
ius petendi ab alio debitum coniugale; adhuc tamen opti-
mè stare potest, vt ex communi pacto nolint tali dominio
vti, & tali iure, aut etiam per votum apud Deum; Et
quamuis matrimonium sub hac conditione subsistere ne-
queat, vt non transferatur tale dominium, & tale ius
adinuicem, quia talis conditio esset prorsus contrà matri-
monij substantiam; adhuc tamen cùm tali conditione sub-
sistere potest, & valere, vt coniuges tali dominio, & iure
non vtantur, nec coniugale debitum petant, imò vt votum
emittant non petendi, sed perpetuam castitatem seruandi,
quia talis conditio non est contrà matrimonij substan-
tiam.

Dices, tale dominium mutuum in corpora coniugum 108
est omninò inutile & frustratorium, quia nullum habet
vsum, & effectum; ergo est nullum. *Resp.* ex Scoto negan-
do assumptum, quia tale ius, & dominium adhuc certos suos
haberet effectus; nam constitueret eos in tali statu, quod si
post talem conuentionem, & votum coniuges se cogno-
scerent, non peccarent peccato fornicationis, sicut inter so-
lutos, siquidem, verè habent potestatem in sua corpora
adinuicem, licet ex pacto inito de castitate seruanda impedi-
tam, sed solùm peccato sacrilegij contrà promissionem, &
votum; & si quis eorum cum extranea persona copulam
haberet non delinqueret solùm simplici fornicationis pec-
cato, sed etiam peccato adulterij con rà fidem matrimonij
iam cum suo coniuge contracti, nec habet sui corporis pote-
statem, quàm illi iam tradidit; Et demum facit, vt neuter eo-
rum possit altero superstite ad alias nuptias transire, & aliud
matrimonium contrahere, siquidem non est liber, & solutus
sed verè priori vinculo matrimonij est ligatus; potest ergo
verum esse matrimonium cum illa conditione, promissione,
& voto inter coniuges nunquam coeundi, nec vtendi illa
potestate, & dominio, quod sibi inuicem in propria corpora
tradiderunt, nec adhuc illud dominium sic impeditum esset
prorsus frustatorium, & inutile, quia adhuc hoc non obstan-
te certos quosdam haberet effectus.

Hinc patet ad Fundamentum primæ sententiæ, solùm 109
enim probat in matrimonio acquiri mutuum dominium in
corpora contrahentium, vt sine fornicationis peccato pos-
sint inuicem coniungi, & filios procreare; item ex vi contra-
ctus coniuges implicitè, & virtualiter consentire in copulam
non autem ex parte contrahentium; modo iam explicito
atq; ideò coniugem teneri habere animum non negandi de-
bitum, si iustè exigatur; at cum hoc benè stat, quod possit
talis dominij vsus eorundem contrahentium voluntate, &
consensu impediri, & quod simul se obligent debitum non
exigere, atq; ità non possit iustè debitum exigi impedito vsu
dicti dominij; Et hoc modo declarat Doctor *d.3. cit. q.2. art.*
2. quomodo B. Virgo verè cum S. Ioseph matrimonium
contrahere potuerit, non obstante Virginitatis voto, quod
præmiserat, non tantùm conditionato, sed etiam absoluto,
quia inquit, in contractu matrimoniali est mutua datio cor-
porum ad copulam carnalem, non nisi sub conditione impli-
cita, scilicet, si petatur, vndè contrahentes cum proposito
statim vouendi castitatem verè contrahunt, neq; illa condi-
tio præiudicat voto castitatis, posito etiam contractu matri-
monij, nisi illa conditio ponatur in effectu, atque ideò vbi
est certitudo simpliciter, quod nunquam ponetur in effectu,
ibi in nullo præiudicat voto castitatis contractus matrimo-
nij, & quia B. Virgo talem habuit certitudinem, quod illa
conditio non poneretur in effectu ob specialem reuelatio-
nem ei à Deo factam ideò validè potuit contrahere sine vllo
præiudicio voti castitatis; ita discurrit ibi Doct. de matrimo-
nio B. Virginis, vndè in solutione ad vltimum in fine quæ-
stionis concludit quod consensus eius in contractione ma-
trimonij cum Ioseph fuit in traditionem mutuæ potestatis
corporum ad prolem procreandam, & per consequens in
vsum, si petatur, sed hic fuit certitudo, quod nunquam
vsus ille à coniuge peteretur; Ex qua doctrina patet, non
tantùm nõ esse de ratione matrimonij, vt habeant coniuges inten-

ipsa exercendi copulam, sed nec etiam contractam obligationem habendi copulam, sed tantione implicita, si petatur, cum qua voluntate potest stare voluntas absoluta, seu obligatio, & quam habendi copulam sine vllo prorsus prææmonialis contractus, vndè mulier contrahennium non obligatur ad carnalem copulam, nisi quare toto tempore vitæ suæ mulier potest non igatur tamen, & tenetur reddere, si requiratur

afirmationem, ibi D. Augustinus solùm innuere matrimonio acquiri à contrahentibus mutuum m in corpora sua in ordine ad copulam carnalem, o matrimonij consistit in tradendo tantùm ius, & tem ad copulam; quod si etiam innuere voluit consensum coniugalem esse de habenda copula carnali, saltem itè, & virtualiter; hoc intellexit de consensu implicito, enet ex parte contractus, non autem ex parte contratum iuxtà distinctionem consensus impliciti à tertia ione media assignatam, quam etiam ipse D. Augustinus expresse indicauit, vt habetur in *cap. Beata Maria* 27. *q.* 2. vbi loquens de eius matrimonio cum S. Ioseph ait *atam Virginem consensisse in copulam carnalem scilicet, implicitè, & secundum id quod spectabat ad contractum, absque tamen vllo proposito actualis copulæ, cum tamen de illo fuerat certificata*, & dicere voluit eam in radice, & causa habuisse consensum ad copulam consentiendo in matrimonium, quod de se ad eam ordinatur, non autem per alium vlteriorem actum ipsius explicitum, vel implicitum, in quo sensu nos etiam concedimus consensum coniugum ferri debere in copulam implicitè, & virtualiter, & talem consensum ad essentiam, & integritatem matrimonij spectare; & in hoc eodem sensu concedimus finem matrimonij principalem, & à contrahentibus implicitè saltem, & virtualiter intentum esse prolis procreationem, quia consentiendo in matrimonium consequenter etiam consentiunt in copulam, ad quam matrimonium de se ordinatur.

111 Ad vltimum Pontifex in eo *cap. vlt. de Condit. apposit.* intellexit conditionem additam de euitanda, seù impedienda generatione, habendo tamen copulam, quæ conditio est contrà substantiam matrimonij, essentiale enim est matrimonio, vt coniuges subeant obligationem non impediendi prolem in copula coniugali, & educandi nascentem, vndè si contrahentes haberent animum se ad id non obligandi, aut obligandi se ad oppositum, scilicet, ad sumenda venena pro sterilitate, ne concipiatur proles, aut enecandi nascentem, nõ conficerent matrimonium, quia absque tali obligatione nequit matrimonium consistere; hæc autem conditio, vel pactum inter coniuges de non habenda copula, & castitate seruanda substantiæ matrimonij non repugnat, vt suprà probatum est, neque bono prolis, hoc enim coniuges non obligat, vt dent operam generationi, aut non obligent se ad non dandam ei operam, sed solùm, vt dùm matrimonio vtuntur, eius generationem non impediant, sterilitatem procurando, vel alio modo, & vt si nascatur proles, alatur, & Christianè educetur.

Dices matrimonium essentialiter consistit in mutuo iure, ac obligatione petendi, ac reddendi debitum sed hæc consistere non possunt cum tali obligatione ex pacto inter coniuges nunquam habendi copulam; ergò matrimonium cum hac obligatione nequit validè contrahi. Respondetur Coninch. *disp. 24. dub. 4. num. 47* maiorem, vt sit vera, debere intelligi de iure, & obligatione remotis, quæ in ipso mutuo corporum dominio includuntur: & talis obligatio, ac ius possunt consistere cum pacto, ac obligatione nunquam reddendi debitum, vt patet de coniugibus vouentibus mutuo consensu castitatem, & eo sensu inquit negandam esse minorem. Sed potius absolutè neganda est maior, quod matrimonium essentialiter consistat in obligatione absoluta exercendi copulam, consistit enim in mutua traditione, & acquisitione dominij corporum contrahentium in ordine ad copulam carnalem, & quia optimè fieri potest, vt quis habeat, & retineat dominium rei, & tamen promittat, ac se obliget non vtendi tali dominio; ideò potest etiam optimè intelligi, vt salvo prædicto corporum dominio contrahentes inuicem promittant nunquam illo dominio vti, & nunquam ad actum, & exercitium eius deuenire, & quamuis coniux habeat obligationem reddendi debitum, & habendi copulam carnalem, hæc tamen obligatio non est absoluta, sed conditionata, nimirum si petatur, cum qua obligatione conditionata potest stare obligatio quoque absoluta de non reddendo debito, si votum præcessit, vel pactum inter coniuges de castitate seruanda, quia vt idem Coninch. aduertit *loc. cit.* nec fides matrimonij exigit, vt coniugi quacunque ratione petenti debitum reddatur, sed vt reddatur debitè exigenti, posito autem tali pacto, siuè antè, siuè post contractum coniux indebitè exigit copulam, quarè alter non tenetur ei obsequi, vnde talis in eo casu re vera debitum non petit, sed indebitum, idcoque etiam alter non tenetur ei reddere.

Ad Fundamentum secundæ sententiæ patet etiam ex dictis, probare tantùm ad matrimonium constituendum necessarium non esse, vt consensus implicitè feratur in copulam, accipiendo consensum, vt se tenet ex parte contrahentium, non autem vt se tenet ex parte contractus; quia contractus matrimonij ex natura sua ad copulam ordinatur; vndè eo ipso, quod contrahentes matrimonio consentiunt, consequenter etiam in radice, & causa ad copulam consensum habuisse dicuntur, ad quam ex sui natura matrimonium ordinatur; & in hoc sensu etiam B. Virgo dicitur implicitè in copulam consensisse, nempè secundum id, quod spectabat ad contractum ex D. Aug. *loc. cit.* & sic pariter in copulam implicitè consentiunt contrahentes matrimonium cum intentione ingrediendi Religionem antè eius consummationem; & sic etiam gratis concedimus cum tali consensu implicito in copulam compossibilem esse intentionem, & votum de castitate seruanda, & copula nunquam exercenda ob rationem assignatam, cum Scoto *loc. citat.* quia, scilicet, dominium separari potest ab vsu, & exercitio illius, potest enim optimè fieri, vt quis habeat, & retineat dominium rei, & tamen promittat, ac se obliget non vti tali dominio, vt patet in alijs contractibus, & adhuc magis declarabitur infrà *q. 5. art. 1. num. 162. 163.* 112

QVÆSTIO QVARTA.

De libertate ad consensum coniugalem requisita.

113 CONsensum ad matrimonium requisitum liberum esse debere idest à ratione deliberata profectum iam diximus ab initio quæstionis præcedentis *num. 75.* nam alioquin consensus obligationem non induceret, cùm hæc sit in contractibus effectus quidam deliberatæ rationis contrahentium; imò Scotus *4. dist. 29. quæst. vn. art. 2.* docet liberum consensum ad matrimonium requiri non tantùm de iure humano, sed etiam de iure diuino; vt infrà dicemus patet enim quod etiam in lege naturæ erat istud requisitum in contractu matrimonij, cùm enim Genes. 24. parentes vellent desponsare Rebeccam, quærunt eius voluntatem, *Vocemus puellam, & quæramus eius voluntatem*, illo autem tempore ius diuinum naturale vigebat, & ità ius diuinum promulgauit Adam dicens *relinquet homo patrem suum, & matrem suam, & adhærebit vxori suæ*, hæc autem adhæsio fit per consensum liberum, quia non adhæret quis illi, quod inuitò tenet; talem etiam consensum liberum à Deo fuisse institutum in contractu matrimonij testatur Christus Math. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, videndum igitur est in præsenti quæstione, quæ & qualis esse debeat libertas ad consensum coniugalem necessaria.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæ, & qualis esse debeat libertas ad consensum coniugalem requisita.

114 DVplex libertas considerari potest; vna dicitur à necessitate, quæ nimirum opponitur omnimodæ necessitati, & determinationi ad vnum, quo pacto actiones humanæ dicuntur liberæ ad differentiam actionum naturalium, quæ dicuntur omninò necessariæ, & hæc appellari solet libertas physica, qua fruitur sola rationalis natura, eo quia vsum rationis participat; Altera dicitur libertas à coactione, quæ opponitur externo impulsui, & motiuo, quo dicitur quis inuitus consentire, & cogi ad aliquid faciendum, quo impulsu actus redditur secundum quid inuoluntarius, salua adhuc physica libertate, quia vt docet Scotus *loc. cit. art. 1.* voluntas ... non

non potest cogi simpliciter ad actum volendi, quia tunc volens nollet, vel nollens vellet, sed tantùm cogi potest secundum quid, metu scilicet maioris mali, quam sit ille actus, vndè quando aliquis minus malum eligit ad euitandum maius, vt quando mercator vult merces in mare proijcere, tanquam minus malum, vt submersionem euitet, tunc in actibus suis est voluntarium, non simpliciter, sed secundum quid hoc est, mixtum cum inuoluntario, & libertas huic extrinsecæ coactioni, & violentiæ opposita libertas ciuilis appellari solet.

115 Certum est libertatem primi generis, nempè physicam, quæ opponitur necessitati, & determinationi ad vnum, ad contractum matrimonij necessariò requiri; ratio est, quia matrimonium est contractus humanus, cuius obiectum, & materia, circà quàm versatur, est valdè grauis, nimirum proprij corporis traditio sub alterius potestate, ergò necessariò libertatem in contrahentibus postulat, non qualemcunque, sed plenam, & perfectam, & ex plena, & perfecta deliberatione, & aduertentiam procedentem, sine qua peccatum mortale esse non potest; Vndè pueri, qui nondum ad perfectum vsum rationis peruenerunt, insani, & mente capti tempore, quo vsu rationis carent, non possunt validè contractum matrimonij celebrare ex defectu plenæ libertatis, quam diximus requiri, & de furioso definitur in *cap. Dilectus* de sponsalibus, & in lege 6. *tit. 2. part. 4.* & in alijs iuribus declarantur tales prorsus inhabiles ad alios humanos contractus, atque ideò tantò magis ad istum, qui est de re grauissima; dixi *tempore quo vsu rationis carent*, quia si defectus iste matrimonio iam contracto superueniat, non dirimit illud vt ait Fabianus Papa 32. *q. 7. cap. Neque Furiosus* aut si qui furiosi, & amentes non perpetuo careant vsu rationis, sed lucida interdum habeant interualla, valeret sanè matrimonium eo tempore contractum, & statu, quo sunt mentis compotes; & habetur ex *capit. Quamuis 7. qu. 1.* & ratio etiam suadet, quia tales eo tempore, quo vsu rationis, & libertatis pollent, nec ex natura rei, nec iure aliquo ad hoc censentur inhabiles, cùm tunc sint ad alios humanos actus idonei, esset tamen illicitum ijs contrahere, & id permittere, tùm ob huius sacramenti irreuerentiam, tùm ob educandæ prolis periculum. Idem dicendum est de matrimonio tempore ebrietatis, aut somni contracto, nimirum si in statu ebrietatis contrahatur, aut tempore somni, prout interdum aliqui quasdam actiones externas exercent, & locutiones dùm dormiunt; in his omnibus eadem est ratio de matrimonij inualiditate; quia siuè hoc, siuè alio modo sit homo rationis, & libertatis vsu destitutus, quamuis alijs horis alioquin mente constet, & vsu rationis polleat, tamen pro eo tempore non est habilis ad se obligandum, & contrahendum in negotio præsertim tam graui. Et hoc asserendum est, etiamsi antè ebrietatem voluntatem habuisset contrahendi siuè formalem, & expressam directè volendo matrimonium in seipso, siuè solùm virtualem, & in causa, vt si aduertentes ex sua ebrietate futurum esse, vt matrimonium contraherent nihilominus se voluntariè inebriauerint; ità Caspensis *disp. 5. sec. 1.* & Auersa *quæst. 4. sect. 1.* dicentes hunc esse communem omnium sensum, quod in eo casu non valeat matrimonium tempore ebrietatis contractum etiam fuerint antè præuisum, & volitum, sed omninò requiri actualem vsum rationis, & libertatis tunc, quandò contrahitur.

Sed Contrà hoc vltimum dictum obijci solet, non videri necessariam in tali casu actualem ipsam voluntatem contrahendi, sed sufficere virtualem, quia talis voluntas sufficit, vt imputentur peccata, quæ in ebrietate committuntur, si sunt præuisa, & hoc modo virtualiter volita; sic peccatum homicidij imputatur ebrio si antè ebrietatem præuiderit ex ea secuturum homicidium, & nihilominus liberè se voluerit inebriare.

116 Confirmatur, quia sic etiam valet susceptio sacramenti si quis anteà illud desiderauit, & posteà ei sensibus destituto conferatur qua ratione Baptismus tempore ebrietatis, vel insaniæ receptos validus est ratione voluntatis formalis, & expressæ antecedentis recipiendi illud, ergo idem dicendum est in proposito de matrimonio. Demum in matrimonio ipso valet contractus per Procuratorem initus, vel per epistolam ob voluntatem habitam in constituendo procuratore, vel scribenda epistola, quamuis deindè principalis contrahens de hoc non amplius cogitet, & quamuis tempore sequentis contractus sōno, vel ebrietate oppressus inueniatur.

117 Nihilominus quamuis instantia aliquam apparentiam habere videatur, si tamen res bene perpendatur, diuersa est omninò ratio de matrimonio, & alijs exemplis in obiectione adductis; nam in primis, si matrimonium consideretur in ratione contractus, certum est vniuersaliter loquendo humanos contractus non valere, nisi contrahentes sint tunc, quandò fiunt, rationis compotes; ergo id tantò magis in contractu coniugali asserendum erit, qua ratione etiam sponsalia inter Fideles valida non censentur, nisi celebrentur tempore quo promittentes sunt præditi vsu rationis, & libertatis; Deindè si matrimonium consideretur in ratione sacramenti, contrahentes non tantùm habent rationem suscipientis, sed etiam ministri, vt constat ex anteà dictis; ac loquendo vniuersaliter de omnibus sacramentis, eorum minister debet esse mentis compos, quandò illud efficit, vndè si quis anteà habuit animum baptizandi, & posteà in somno, aut in ebrietate baptizet, nihil facit; nec est vera, & valida absolutio, si quis anteà amentiam, vel ebrietatem confessionem audiuit, & voluntatem absoluendi habuit, & posteà in amentia, vel ebrietate absoluit, & sic in alijs sacramentis, vt patet ex dictis *disp. 1. de sacramentis in genere*; hac ergo generali ratione matrimonium, non valebit in tali statu celebratum.

Hinc ad obiectionem adductam neganda est paritas de matrimonio, & homicidio in ebrietate secuto, benè enim sufficit præcedens illa deliberatio, & libera voluntas de aliquo effectu præuiso, siuè sit in se volitus, siuè solùm in causa ad hoc, vt imputetur ad culpam, quia per se tenebatur homo ab illa causa abstinere, ex qua secuturum talem effectum nempè homicidium præuidebat, quod de effectu matrimonij dici non potest; tùm etiam quia, nec etiam homicidium ipsum in ebrietate commissum imputatur ad culpam tempore, quo committitur, quia tunc non est actus humanus ex actuali rationis aduertentia, voluntatis libertate procedens, sed tantùm eo tempore, quo ebrietas liberè, & directè volita fuit, & ideò dicitur peccatum in causa commissum.

Ad Confirmationem negatur etiam paritas, quia plus omninò requiritur, vt validè sacramentum conficiatur, quàm vt suscipiatur, ad illud enim validè suscipiendum sufficit illa præcedens, & non retractata voluntas, sufficit illa prior intentio, & vt non ponat obicem; imò quoad Baptismum suscipiendum in infantibus, & perpetuis ab initio amentibus non requiritur vlla voluntas; at conficiens, & conferens sacramentum est agens per rationem, & intellectum, & per operationem humanam, ac proindè debet habere intentionem, quando illud efficit, & humano modo operari. Ad vltimum etiam in matrimonio ipso ad illud validè contrahendum sufficit præsens deliberatio ipsius procuratoris à suo principali iam liberè constituti, sicut & in alijs contractibus, quoniam in tali casu voluntas principalis contrahentis in constitutum ab ipso Procuratorem censetur quodamodo translata; omninò etiam requiritur, vt & ipse principalis in procuratore constituendo, & procurator ipse in contractu posteà celebrando, sint ambo tunc temporis in illis actionibus mentis compotes, & ratione, ac libertate vtentes, ità respondent Sanchez, Auersa, & plures alij.

118 Hanc solutionem, & doctrinam, tanquam insufficientem impugnant Ponce *lib. 4. cap. 1.* & Caspensis *disp. 5. sect. 1.* quia per eam inexplicatum manet virtualis intentio, vt etiamsi aliàs ei placuerit, voluit baptizari, & tenere videtur, cur in ebrietate non sufficiat constat in eo, qui antè Baptismum, manet in ebrietate, quia quamuis verum dem virtualis intentio, si manet. Confir. & administrantem pro matrimonij contractu. sit illud discrimen inter suscipientem, non sit humana actio, ad sacramentum, quod susceptio proindè debeat esse ex delibe- ministratio verò maximè, ac proindè videtur verum debere simul ratione profecta; tamen non videtur consensum, quia sufficit cum verbis concurrere actualem contractus, siuè ad rationem virtualis, siuè ad rationem contractus est, & constat in Sacerdote sacramenti, vt superius dictum actualis intentio in conse- consecrante; licet enim non adsit, si intentio præcessit, eo cratione, adhuc consecratio tenet ex illa expressa intentio- quod alijs medijs actionibus, quæ continuantur; Et idem est ne præcedente oriuntur, virtute requiritur actio humana, in contractu, ad quem tantùm potest, vt constat; quæ cum intentione virtuali esse Vasquez *disp. 5. cap. 3.* aliam solutionem assignant cum

videri potest, & non est melior sanè, quàm nè valdè obscurior, vt potè ex principijs obpendens.

noua instantia facilè soluitur ex dictis *disp. 1. s in genere quaest. 7.* quae, & qualis intentio requiratur in Ministro ad sacramenti valorem, imò ibidem 83. eam in terminis adduximus, & explicauimus, quàm sit intentio saltem virtualis ad sacramentum conficiendum in Ministro omninò necessaria, & quomodo differat ab intentione habituali, & interpretatiua; et sufficiat ad merendum, & demerendum, & sacramentum suscipiendum non tamen ad sacramentum valide conficiendum, quia talis voluntas; & intentio non est humana, & libera secundum se, qualis debet esse actio sacramentalis, sed tantùm est libera, & humana in causa; & dixi pariter maiorem intentionem requiri in baptizante, quàm in suscipiente baptismum, quia ex parte ipsius solùm requiritur, vt dispositio, & conditio, per quam suscipiens intelligitur non repugnare sacramento, nec ponere obicem, & ad hoc sufficit voluntas, vel intentio virtualis latè sumpta, prout coincidit cum interpretatiua, imò quandoque nulla, vt patet in paruulis; talis autem intentio non sufficit in Ministro ad sacramentum conficiendum, sed ad minus requiritur intentio virtualis propriè dicta, & strictè sumpta, qua quis benè mentis compos actuali solùm aliqua cogitatione distractus actionem intentam exercet, & ideò est adhuc actio humana, & libera secundum se, & non tantùm in causa; vndè omninò falsum est, quod in ebrietate maneat virtualis intentio propriè dicta, qualis ad valorem sacramenti requiritur, nam manet tantùm intentio virtualis latè sumpta, prout cum interpretatiua coincidit, quae vtique sufficit ad sacramentum suscipiendum, non tamen ad illud efficiendum. Ad Confirmationem patet ex eadem doctrina, nam ad sacramentum conficiendum vtique sufficit virtualis intentio propriè dicta, nam haec adhuc est actio humana, & libera in se, & non tantùm in causa; non tamen sufficit intentio interpretatiua, qualis censetur illa, quae manet in ebrietate; quod manifestè deducitur ex ipsa instantia facta de Sacerdote consecrante, licet enim non sit actualis intentio in consecratione, adhuc tamen consecratio tenet, si intentio consecrandi praecessit, eo quod alijs medijs actionibus, quae ex illa expressa intentione praecedente oriuntur, virtute continuatur, quod planè de ebrietate affirmari nequit, non enim per actiones in eo statu contingentes dici potest continuari illa praecedens intentio, quam habuit ebrius de matrimonio contrahendo, sicut per actiones, quae fiunt à Sacerdote in altari, dicitur continuari praecedens intentio, quam habuit consecrandi, etiamsi in actuali consecratione sit aliqua alia cogitatione distractus; & ad matrimonij valorem gratis concedimus talem intentionem virtualem sufficere, tam sub ratione contractus, quàm sacramenti, non tamen intentionem interpretatiuam, qualis duntaxat in ebrietate remanere potest, quae licet sufficiens esse possit ad merendum, & demerendum, ac etiam sacramentum suscipiendum, non tamen ad illud conficiendum, vt *loc. cit.* declaratum est.

120 Maior difficultas est de libertate ciuili, seù à coactione, an scilicet, haec etiam ad validitatem matrimonij sit necessaria, itaut consensus ad illud requisitus debeat esse, non tantùm physicè, sed etiam ciuiliter liber, & minimè coactus; Pro cuius decisione de duplici metu distingui solet graui, & leui; grauis est, qui cadit in constantem virum, leuis est, qui non cadit, ille est, quem vir constans, & fortis prudenter, & rationabiliter concipit, econtrà verò metus leuis non cadens in constantem virum est ille, quem concipit vir exili, & pusillo animo, vel etiam fortis imprudenter, & irrationabiliter; vndè Scotus *quaest. cit. art.* 1. duas conditiones assignat metus cadentis in constantem virum; prima est, quod malum sit graue, & quod secundum rectam rationem à viro forti, & constante caueri non possit, & haec grauitas attendi debet ex natura mali in se, vt patet in exemplis, quae Doctor adducit de morte, carcere, captiuitate, mutilatione enormi, stupro, & similibus, non autem ex vana, & non fundata aestimatione patientis, aut metuentis; altera conditio est, vt illa mala certò immineant, hoc est, secundum prudentem, & fundatam aestimationem, quae sufficit ad electionem rectam in actibus humanis: quòd si conditiones istae non concurrant simul, metus non censetur grauis, sed leuis. Rursus aduertendum est grauem metum dupliciter incurri posse, vel incuti, vel iniustè, vt cùm Tyrannus mortem minatur alicui, nisi adoret Idola, vel iustè, vt cùm Princeps minatur subdito mortem, si rebellionem tenet: hisque omnibus modis potest quis induci ad matrimonium contrahendum, quae omnia exactè declarat Almainus noster *4. dist. 29. q. vn.*

Hoc praenotato inquit Doctor *loc. cit.* ad valorem matrimonij requiri consensum ità liberum, & voluntarium, vt non sit metu graui iniustè incusso extortus, & alioquin, etiamsi in mente talis consensus adhibeatur, matrimonium esse ipso facto nullum, & irritum in vtroque foro, scilicet, conscientiae, & externo; Et haec est communis Theologorum, Iuristarum, & Moralium sententia, quam docuerunt D. Thom. Scotus, D. Bonauent. Riccardus, Durandus, Paludanus, & veteres alij Scholastici, & sequuntur passim Recentiores: Estque expressa in Iure *cap. Cum locum, & cap. Veniens eod. tit. de Sponsalibus, & cap. Significauit*, in quibus locis apertè deciditur, vt Doctor aduertit, matrimonium contractum ex metu cadente in constantem virum esse ipso facto nullum, & irritum in vtroque foro, & non solùm sensus est, quando deest consensus internus, sed etiam quando adest, sed ipso metu extortus. Hoc idem probat Doctor ratione, primò à causa formali, quia iste contractus est datio, & licet non sit liberalis, quia dat vt detur sibi aequale, est tamen libera datio, quia contrà dationis rationem est, quod non sit libera. Deindè à causa efficiente contractus, & instituente, qui est Deus qui talem formam tribuit contractui matrimonij, vt deducit ex Genes. 2. & 24. & fuit etiam talis forma eius in lege naturae. Tandem probat ex parte finis, quae est proles procreanda, quia ad educationem prolis hoc erat necessarium, & competit istam dationem esse simpliciter liberam, nam vt habet 20. q. 3. *quod quis non diligit, facilè contemnit*. Quarè tenet Doctor tale matrimonium ex metu graui contractum non tantùm iure Ecclesiastico esse nullum, & irritum, vt putant Sanchez, Laiman, Hurtadus, Bonacina, & alij Recentiores, sed etiam iure diuino naturali, vt etiam latè defendit Ponce de impedimentis matrimonij *cap. 31.* plures alios adducens, de quo infrà *art. 3.* 121

Hic autem aduertendum est, duplicem esse metum grauem, alium intrinsecum, qui nempè prouenit à causa intrinseca, vt si oriatur ex remorsu conscientiae, vel metu gehennae, alium extrinsecum, qui scilicet, prouenit à causa extrinseca, vt ab homine priuato, vel à Iudice; Quandò hic dicimus matrimonium ex metu graui contractum ipso facto nullum esse, & irritum, sermo est de metu à causa extrinseca proueniente, quia si ab intrinseco proueniat, certum est non irritare matrimonium, quia spontè fit, & totum est ab intrinseco absque vlla vi: debet ergo intelligi de metu graui à causa extrinseca proueniente, ac etiam iniustè incusso, vt si quem velit aliquis interficere, aut infamare, nisi in matrimonium consentiat, nam si iustè sit incussus, vt cùm Episcopus excommunicationem minatur Petro, nisi Mariam ducat, cùm qua sponsalia contraxit, vel Iudex cogit illum ad ducendam Virginem, quam violauit, hoc inquam, pacto metus ad extorquendum consensum iustè incussus matrimonium non irritat, quia hoc modo cogitur ad id, quod ipse contrahens facere tenebatur, qua ratione metus potius videtur esse ab intrinseco, quàm ab extrinseco quia ipsemet dedit iustam causam istius metus incutiendi. Deminum quia etiam metus iniustè incussus adhuc dupliciter incuti potest, vel directè in finem extorquendi consensum, vel non directè in eum finem, sed in alium, cui coniungitur per accident consensus in matrimonium; solum primo modo, vel in primo casu intelligendum est matrimonium contractum ex graui metu iniustè incusso esse nullum, & irritum, non autem in secundo casu: Vndè si quis comminetur alteri malum, quod iustè infligere non potest, non tamen comminetur ad hunc finem, & effectum, vt compellat matrimonium contrahere, sed ex odio, vel vindicta; alter autem speret se offerendo ad matrimonium malum sibi comminatum euadere, & ideò ad matrimonium se offerat, vt si Pater puellae velit occidere iuuenem cum illa in fragranti deprehensum, & ipse se offerat eius filiam, putans hoc modo placare iram illius aggressoris, & mortem euadere, hic metus inquam, valorem matrimonij non impediret, quia non diceretur iniustè incussus in finem extorquendi consensum, quamuis interueniat in tali aggressione alia iniuria, & iniustitia, scilicet, contrà vitam proximi, sed potius talis timor ad alium modum timoris spectabit spontè assumptum; & hic est communis dicendi modus apud Theologos, & Iuristas; qui etiam aduertunt, & consentit 122

sentit Scotus *4. dist. 29. art. 2. ad 3.* metum grauem, & cadentem in virum constantem, ac proinde sufficientem ad reddendum irritum matrimonium esse, non solùm quando timetur malum in propria persona, sed etiam in quibusdam alijs coniunctis, vt potè si incutiens metum comminetur mortem filijs, aut parentibus, vel fratribus; ac præterea alijs etiam consanguineis saltem vsque ad quartum gradum, & aliqui etiam extendunt ad amicos.

123 Sed Dubium est apud Doctores de metu reuerentiali, quando v. g. puella iubenti Patri, vt cum tali viro nubat, contradicere non est causa, an scilicet, metus ille debeat censeri grauis, atque sufficiens ad matrimonium irritandum; Nonnulli multæ significarunt metum reuerentialem sufficere ad irritandum matrimonium, aliosque contractus, itaut consensus ab aliquo præstitus ex reuerentia ergà maiores non valeat ex defectu libertatis ad matrimonium requisitæ, & sequuntur Nauarrus, & quidam alij, quos citat Layman *par. 2. de sacramento matrimonij cap. 5.* Melius tamen alij docent solam reuerentiam ergà Maiores, siuè metum reuerentialem, non sufficere ad reddendum irritum matrimonium, nisi accedente rationabili timore grauis mali, ità Sotus, Henriquez, Lessius, Coninchius, Lopez, Sanchez, Auersa, Abellius, & alij Morales dicentes metum illum reuerentialem tunc solummodo censeri grauem, ac proindè validitati matrimonij contrarium, quando voluntati, & imperio Patris, aut alterius superioris coniunctæ sunt minæ graues, aut aliqua sæuitia, idemque dicendum, si timeatur grauis, & diù duratura indignatio Patris. Neque dicas metum reuerentialem se solo sufficere ad annullandam professionem, vt plures docent Doctores, atque ideò etiam esse sufficientem ad annullandum matrimoniũ; cùm tam ad professionem, quam ad matrimonium liber requiratur consensus, eo quod agatur de electione status. Nam longè probabilior est opinio contraria asserens dictum metum reuerentialem se solo non sufficere ad reddendam inualidam professionem, nisi pariter adsint minæ vel sæuitia coniunctæ modo iam explicato, alioquin professio adhuc valida erit, vt colligitur ex *cap. Puella 20. q. 1.* vbi textus ad annullandam puellæ professionem non solùm Patris imperium ponderat, sed etiam coactionem, ità docent Sanchez *lib. 4. disp. 6.* Stephanus à S. Gregorio *lib. 3. de matrimonio*, qui plures alios citant.

124 Postremò Dubium est, an blanditiæ, ac etiam præces importunæ possint afferre metum cadentem in costantem virum, atque ità matrimonium annullare. Negant Iuristæ nonnulli, etiamsi dictæ præces adhibeantur à Superiore, vbi simul coniungitur reuerentia, quæ illi debetur, ac defertur, sufficere ad incutiendum metum grauem, seù cadentem in constantem virum, ità Abbas *cap. Cùm inter de elect. num. 8.* vbi ait præces instantissimas Principum iustum non inducere ad rescindendum actum, nisi sæuitias sibi non obtemperantes exequi; sic etiam dicunt Henriquez, Lopez, Ledesma, Auersa, & alij dicentes solas præces, & blanditias, quamuis importunas, non sufficere ad reddendum irritum matrimonium, nisi tamen adiungatur metus alterius damni, aut indignationis, qui quidem metus facilè adiungetur in repellendis præcibus Principis, aut superioris, cuius gratia, & beneuolentia subditus indigeat. Fundamentum est, quia sola præcum importunitas, & frequentia, & sola blanditiarum suauitas, non debet tantam vim viro constanti inferre; & hæc molestia non est tam magna, vt quis ad se liberandum ab ea debeat prudenter facere rem tam magnam, sicut est contrahere matrimoniũ sibi alioquin ingratum, sed ad summum hæc importunitas comparabitur metui leui, qui non sufficit ad matrimonium irritandum.

125 Affirmant alij Iuristæ dictas præces importunas cum metu reuerentiali iunctas sufficienter posse incutere timorem in virum constantem cadentem, quod probant ex *cap. Petitio de iureiurando*, vbi dicitur iuramentum, quod Antiochenus Princeps extorsit, non esse seruandum; & rationem reddunt Innoc. Hostien. Ioan. Andreas, & alij quia præcibus importunis extorsit; & in proprijs terminis professionis, & matrimonij docet annullari per dictas præces importunas cum metu reuerentiali Couar. *4. decretal. 2. p. cap. 3.* & alij Iuristæ, quos sequitur Sanchez *lib. 4. disp. 7.* explicans per præces importunas debere intelligi instantissimas, ac sæpius, replicatas, & inculcatas; etenim præces Principis dicuntur in iure extorquere, & cogere, vt habetur in *cap. cit. Petitio de iureiurando, & cap. Cùm inter de Elect.* & hoc idem sentit Stephanus à S. Gregorio *loc. citat.* cum alijs Recentioribus. Inter has opiniones media via mihi incedendum videtur, & distinguendum, quod vel præces, & blanditiæ adhiberi possunt ab æqualibus, aut etiam inferioribus, vel à Superioribus, & maioribus; primo modo quia non sunt cum metu reuerentiali coniunctæ, quantumuis sint instantissimæ, & importunæ, certum esse debet sufficientes non esse ad metum inducendum cadentem in virum constantem, nec consequenter ad matrimonium annullandum; at secundo modo, cùm metui reuerentiali sint coniunctæ, quando sunt importunæ, hoc est, instantissimæ, ac sæpius repetitæ, & inculcatæ, sufficiens mihi videntur cum secunda sententia ad inducendum metum grauem, & matrimonium irritandum. Nec iuuat dicere cum Auersa *quæst. 4. sect. 5.* non quascunque Principis præces habere vim coactionis, sed tantùm, quæ ferunt periculum grauis indignationis. Nam vt ipse quoque fatetur ibidem, facillimum est tale periculum adesse in repellendis præcibus Principum, & Superiorum, qui ob supremam eorum auctoritatem solis nutibus obediri prætendunt, vt ipsa experientia docet, qua de causa simpliciter, & absolutè, & absque vlla limitatione Principis præces in iure *cap. cit.* consensum subditorum cogere, & extorquere dicuntur; vndè ratio adducta pro prima sententia locum non habet in præcibus Principum, quando sunt importunæ, ac sæpius inculcatæ, quia quando sunt tales, eo ipso prudenter iudicari possunt habere periculum annexum grauis indignationis superioris; quod si præces Principis non sunt tales, in tali casu ratio adducta valet, & prima sententia rectè discurrit, neque secunda contradicit. Et hoc à fortiori de blanditijs asserendum est, quod nempè non inducant coactionem matrimonium irritantem, quia vt inquit Doctor *dist. 26. cit. ad 3. prin.* in eis est multum de voluntario, siquidem voluntas frequenter appetitui sensitiuo concordat, qui nata est delectari.

126 Brancatus noster *disp. 19. art. 6.* ait præces quascunque, à quocunque factas, etiamsi sint importunæ, dummodò non sint æquiualenter minæ, non inducere coactionem, nec matrimonium irritare, quod ait deduci ex Scoto *loc. citat. ad 3.* quia eadem est ratio, ac de blanditijs; & subdit non sibi placere limitationem illam, quod quando sunt coniunctæ cum metu reuerentiali, tunc cogunt, nam si quodlibet ex his non facit id separatim, neque faciet coniunctim, ratio autem cur non facit separatim ea est, quia non est metus cadens in constantem per allationem grauis damni, sed neque coniunctim afferunt graue damnum, vt supponitur; ergo vana est illa limitatio. Hoc tamen gratis omninò dicitur, falsum enim omninò est eandem esse rationem de blanditijs, & præcibus importunis, siquidem in eis est multum de voluntario, & voluntas suauiter illis trahitur, & allicitur, non ità à præcibus importunis; Et rursus falsum est illam limitationem esse vanam, quod quando sunt cum metu reuerentiali coniunctæ, facillimum sit in illis repellendis periculum adesse grauis indignationis Principis, vel Superioris, ac proindè damni grauis, quod metum cadentem in constantem virum inducere possit; quandò enim præces sunt Principis, & Superioris, & sunt importunæ, ac instantissimæ, possunt dici æquiualenter minæ, quia eo ipso prudenter iudicari possunt habere periculum annexum grauis indignationis, quæ damnum graue potest afferre rogato secundum prudentem æstimationem, qua ratione in iure præces Principum, & Superiorum cogere, & extorquere dicuntur, & hoc etiam suadet commune prouerbium ab ipso Brancato ibi adductum de præcibus Principum, & grandium, *est orare ducum species violenta iubendi*; Et tandem falsum est, quod si præces importunæ, & metus reuerentialis non possunt grauem metum inducere separatim, nec etiam id facere possint coniunctim posita; nam possunt duo coniunctim trahere nauim, vel aliud pondus, quod facere non possent seiunctim, & intensiorem effectum producunt duo gradus caloris simul sumpti, quàm faceret alter separatim, & seorsim sumptus.

127 Ex dictis infertur metum leuem, qui satis patet à contrario ex explicatione metus grauis, non sufficere ad reddendum matrimonium irritum, nec in foro externo, nec in foro interno, vt putauit Nauarrus in Summa cap. 22. contrà communem aliorum opinionem; Fundamentum est, quia in Iure non irritatur, nisi matrimonium contractum

...n costantem virum, nam metum le-
...solent, vt patet L. Nec timorem ff. de
&c. & cap. Cum dilectus, de his quæ vi
tractus ex simili metu irritari non fo-
...ssione religiosa; & ratio à priori est, quia
...is aliqualiter rationem voluntarij mi-
...ationem tamen perfectam voluntarij non
...dum est id verificari non tantùm in foro
... in interno, quamuis etiam ex dispositione
...us sit ipsi grauis ex causa in seipsa leui; &
...ic metus irritans matrimonium debet esse
...e grauis, & secundum rectam rationem cui
...otat Doctor in explicatione metus grauis su-
quia de hoc tantùm in Canonibus fit mentio.
casibus particularibus, & per accidens ex cor-
dispositione particularis personæ non est proui-
...matrimonij præiudicium, alioquin de facto plu-
...tes, & scrupulorum occasiones, imò & prætensio-
...itate matrimonij orirentur, siquidem facillimum
...odi metum leuem in fœminis præsertim contin-
...matrimonio contrahendo. Tùm tandem quia si
...uis sufficeret ad irritandum matrimonium saltem
...nterno, dùm quis probaret in matrimonij contra-
...talem timorem sibi incussum fuisse, deberet Iudex in
...xterno in eius fauorem pronunciare matrimonium
...ritum, quod sine magno huius sacramenti præiudicio
...i nequit; fatendum ergo est re vera, & in conscientia ta-
...matrimonium esse validum; & hæc est sententia commu-
...et recepta, vt videri potest apud Tancredum lib. 4. disp. 17.
...i ait Sanchez pro ea referre plusquam sexdecim Theolo-
...os.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Soluuntur Obiectiones contrà præmissam doctrinam de consensu coacto.

28 IN oppositum plura afferri possunt argumenta probantia consensum etiam graui metu coactum ad verum matri-
monium sufficere; Primus quia consensus simpliciter sufficit
ad matrimonium, ergo & consensus coactus, consequentia
patet, quoniam voluntas non potest simpliciter cogi ad vel-
le, & nolle, sed tantùm secundùm quid, vndè si vult simpli-
citer vult, & consentit; ergo consensus etiam coactus est sim-
pliciter voluntarius, quia procedit ex principio intrinseco
singula cognoscente, omnis autem talis actus est simpliciter
voluntarius ex 3. Ethic. cap. 1. Confirmatur, quia contrahens
coactè secundùm quid verba externè proferret, & intrinsecè
consentiret, vt supponitur; ergò nihil deesset, quin esset verus
contractus, nam per actum simpliciter voluntarium verè
potest transferri dominium. Tandem quia alij etiam con-
tractus, vt venditio, emptio, locatio &c. etiam ex coactione
facti sunt validi, dummodò habeant iustum titulum, & à lege
non prohibitum, & detur res pro re; ergò idem de matrimo-
nio dicendum; consequentia patet, nam eatenus illi contra-
ctus ad hoc sunt validi, quia esto habeant admixtionem in-
voluntarij, adhuc tamen sunt actus verè humani, & simpli-
citer voluntarij, quia hæc non tollit libertatem, & mortalita-
tem, alioquin negans fidem coram Tyranno ad mortem ef-
fugiendam non peccaret, nec talis negatio esset ad peccatum
imputabilis, quia mixta cum inuoluntario: sed talis contra-
ctus esset quoque matrimonium ex metu factum, quia ad-
hoc esset simpliciter voluntarium, ergo &c.

129 Resp. distinguendo antecedens, si enim intelligatur, con-
sensum simpliciter voluntarium sufficere ad matrimonium,
hoc est, effectiuiter, & intrinsecè voluntarium falsum est,
quia ad consensum coniugalem non sufficit quodcunque
voluntarium, & liberum, sed requiritur omnimodè liberum;
si verò per consensum simpliciter voluntarium intelligatur
consensus omninò liber, & sine vlla inuoluntarij admixtio-
ne concedimus antecedens, sed negamus consequentiam, quia ad
hunc consensum non sufficit quodcunque liberum, & vo-
luntarium, sed debet esse absque vlla inuoluntarij admixtio-
ne. Ad Confirmationem patet per idem, negatur enim
consequentia ob eandem rationem, quamuis enim internè
consentiret, & cum actus externo esset coniunctus internus,
quia coactè contrahens non vult peccare mentiendo, non
conformando tamen verba cum corde; adhuc tamen non esset
verus contractus coniugalis; quia ad eum requiritur plena

libertas, & consensum simpliciter voluntarius, & non tan-
tùm secundùm quid, hoc est, cum admixtione inuoluntarij,
vt probatum est. Ad vltimum negatur consequentia, quia ad
matrimonium non sufficit consensus vtcunque voluntarius
sed consensus plenè voluntarius absque admixtione inuo-
luntarij; ratio autem disparitatis est, quia alij contractus pos-
sunt per Principem, vel Iudicem rescindi, si contrahentes ve-
-lint à contractu recedere; quia se oneratos sentiant, aut alia
de causa, quod in matrimonio fieri nequit, cùm iure diuino
sit indissolubile; atque ideò congruum fuit, vt cum tali, & adeò
plena libertate institueretur quod si aliquandò coniuges pœ-
niteant de contractu, sibi ipsis imputare debeant, qui ad tales
spontè sed redegerunt angustias nullo compellente; Tùm
etiam quia alij contractus non exigunt post se conditiones
mutuæ dilectionis amicabiles, ideoque ad illorum valorem
sufficit voluntarium illud, quo rerum transmutatio fieri pos-
sit, nec maiorem in contrahentibus requirunt libertatem;
hoc autem ad matrimonium non sufficit, quod etiam post-
quam initum est, exigit in coniugibus nedùm corporum,
sed etiam animorum coniunctionem; Et cùm addebatur,
quod admixtio inuoluntarij non tollit libertatem, & mora-
litatem, alioquin negans Christum timore mortis non pec-
caret mortaliter; atque ideò etiam consensum coactum ad
verum matrimonium sufficere. Resp. in coactione duplex
malum posse proponi, iniusti scilicet, vel incommodi, pri-
mum nunquam debet recipi, ac eligi, quia non cadit in con-
stantem virum, qui plus horret peccatum saltem mortale,
quàm incommoda omnia; alterum verò vtique in virum
constantem cadere potest, quia minus malum est consentire
in matrimonium, inquantùm potest, & consensum verbis
exprimere, licet inualidè, quàm pati mortem, carcerem, flu-
prum, & similia in se, vel suis.

130 Secundò arguitur, quia iuramentum, & votum factum
ex metu cadente in constantem virum valida sunt iure na-
turæ, vel diuino, item & Baptismus simili metu receptus,
quia baptizatus timore pœnarum sufficienter consensit, ità
quod verè baptismum recipit, & cogendus est ad obseruan-
tiam fidei iam susceptæ ex cap. Maiores de baptismo, &c. er-
go idem de matrimonio dicendum est in proposito. Confir-
matur, quia nihil magis repugnat consensui contrahentium,
& matrimonij validitati, quàm dolus, & error; sed hoc non
obstante matrimonium dolo, aut errore contractum quan-
doque valet scilicet dùm dolus, & error non est contrà sub-
stantiam personæ, sed contrà illius accidentia tantùm, vt in-
ferius suo loco dicetur, ergo multò magis erit validum, &
ratum matrimonium, etiam per metum grauem contra-
ctum. Denique coactio facta per metum aliud non est, nisi
quædam inductio ad faciendum matrimonium: ergò non
impedit validitatem consensus. Consequentia probatur,
nam etiam blanditiæ, & preces aliquem inducentes ad ma-
trimonium contrahendum illud non inualidant, vt suprà di-
ctum est, ergo neque metus, minæ, vel terrores, cùm omnia
sint de genere inductiuorum.

131 Respondetur negando paritatem de matrimonio, & voto
ex vna parte, ac de iuramento, & baptismo ex altera, illa
namque proficiscuntur ex sola voluntate vouentis, & con-
trahentis quantùm ad obligationem, & ideò hæc obligatio,
& vinculum postulat perfectum voluntarium à graui metu
liberum: at iuramentum obiectiuè est quædam religiosa in-
terpositio diuinæ auctoritatis in testimonium veritatis, ac
proindè non habet ex solo consensu, & voluntate iurantis
obligare, quinimò etiam & principalius ex ipsa Dei aucto-
ritate; vndè factum est, ad hoc vt inferat obligationem, suffi-
cere voluntarium absolutè, mixtum inuoluntario coactio-
nis, vt sufficit ad peccatum mortale, quod aliter est in matri-
monio, & voto, quorum vis obligandi ex sola contrahentis,
& vouentis voluntate oritur; Et tandem de Baptismo adhuc
est maior disparitas propter tria, vt notat Doctor dist. 29. ad
1. principale. Primò quia conditio baptizati fit melior per
obligationem ex baptismo ortam, non sic conditio matri-
monio adstricti. Deindè quia voluntas Superioris scilicet
Dei ratificat per talem consensum coactum aliquem fieri fi-
lium Ecclesiæ, non sic autem in matrimonio, quod sit liga-
tus vinculo perpetuo. Tandem quia in baptismo homo in fi-
lium Dei adoptatur, in adoptatione autem quilibet adoptari
consensus sufficit, imo quandoque nullus nam carens vsu
rationis potest adoptari, & baptizari, non sic autem in ma-
trimonio. Ad Confirmationem negatur quoque paritas de
impedimento erroris, & coactionis, dolus enim circa acci-
dentia

dentia personę præcisè valorem matrimonium non impedit, duinmodò circà substantiam non versetur, quia hoc modo non obstat legitimo contrahentis consensui, vt inferius suo loco patebit; at metus grauis, & iniuriosus obstat legitimo matrimonij consensu, & perfecto voluntario, quod requirit ob rationes allatas. Ad vltimum inquit Doctor in solutione ad 3. principale adhuc maiorem apparere disparitatem, quia in inductione per minas, & terrores multum est de inuoluntario, & parum de voluntario, vndè si voluntas sibi dimittatur statim, resilit ac refugit à consensu; è conuersò autem in inductione per blanditias multum est de voluntario, & parum de inuoluntario, vndè si voluntas sibi dimittatur, forsitan subsequeretur illud, ad quod allecta est, quia voluntas frequenter concordat appetitui sensitiuo, & ideò non sic inuoluntaria est coactio per blanditias, & preces sicut illa, quæ fit per terrores, & minas.

132 Tertiò arguitur, quia metus, seù malum, quod metuitur, non destruit, naturam consensus, seù libertatem, non enim tale damnum, aut metus illius causat consensum, sed ipsamet, voluntas, ergo &c. Confirmatur, quia hinc sequeretur metum etiam iustè incussum ea ratione, & titulo facere nullum matrimonium, cuius oppositum docet communis opinio, et suprà dictum est; Consequentia probatur, quia talis metus etiam iustè incussus æquè euertit, & minuit illam perfectam rationem liberi, & voluntarij, sicut quando est iniustè incussus, nam vtrobique contrahens præsumitur ab extrinseco ad consensum præstandum. Deinum consensus per metum cadentem in constantem virum extortus nunquam dari potest in matrimonio, quia consensus per metum extortus est peccatum mortale in tali contractu, nam qui ità consentit, facit inualidum matrimonium, ac proindè Sacrilegus est; at vir constans non est, qui peccatus, & sacrilegium committit, nam vir constans, & fortis plus debet abhorrere peccatum, quàm mortem ipsam.

133 Respondetur negando consequentiam, quamuis enim metus grauis, seù malum graue, quod timetur, naturam liberi, vt sic, & simpliciter non destruat; destruit tamen naturam completè, & totaliter liberi, seù plenæ libertatis, quam suprà diximus ad validitatem matrimonij omnino requiri; quia ergo metus grauis damni plenam libertatem minuit, quamuis non omninò destruat, & consensum reddit mixtum inuoluntario, ideò matrimonium inualidat, & irritat. Ad Confirmat. negatur consequentia, quia licet quoad substantiam æquæ minuatur ratio liberi, & voluntarij per metum iustè incussum, sicut iniustè; non tamen quoad modum, nam iniusta coactio, cùm sit iniuriosa, moraliter, & ciuiliter impedit valorem, & effectum consensus, & perfectam voluntarij rationem, qualem ad coniugalem contractum requiri diximus ob onera ipsius subeunda in perpetuam, & indiuiduam vitæ societatem; at iusta coactio absque iniuria facit contrahentem consentire, vt ipse alioquin tenebatur, ex quo fit, vt moraliter, & ciuiliter loquendo sic se habeat coactio, ac si prorsus non esset, cùm ipsemet coactus iustam dederit causam coactionis, qua propter talis coactio effectum, & valorem consensus non impedit, quam daret consentiens, si omnino à metu incusso liber esset, quod de iniusta coactione dici nequit: Ad vltimum neganda est maior, ad probationem dicendum est consensum illum non esse peccatum, nam consentiens sciat, & cogitet suum consensum ex metu iniustè incusso extortum iure esse inualidum, non consentit tanquam Sacramenti Minister, neque cum intentione faciendi contractum, atque ità non peccat; si autem id nesciat aut cogitet, à peccato excusatur; Sed de hoc videantur Aliamainus noster 4. dist. 19. qu. vn. Hurtadus disp. 6. difficul. 3. Bonacina qu. 3. punct. 8. & Tancred. lib. 4. disp. 16.

134 Quartò objicitur, quia metus damni grauis, & iniustè incussus cogit solum ad verba externa proferenda, non autem ad eliciendum actum consensus internum; ergò si iste elicitur, liberè omninò elicitur, & non coactè, atque ideò contractum coniugalem inualidare nequit; probatur assumptum, qui enim per minas, & terrores alium inducit ad contrahendum, ad aliud non compellit, nisi ad ponendum ea, quibus ipse percipit matrimonium perfici, at sola verba externa, vel signa æquiualentia percipit, & videt, non autem internum consensum; ergò contrahens ad eum cogi non videtur, ac proindè ...

que verum consensum internum illis correspondentem, non apparet quomodo hic sit inualidus, cùm non sit coactus.

Respondeo, quosdam putasse apud Scotum d. 29. ab initio quæstionis §. *Hic dicitur* valere matrimonium adhuc tali metu contractum, si is, cui timor incutitur, re vera consensum internum habeat; & tunc solùm non valere, quando is profert quidem verba, sed in mente non habet animum contrahendi, nec habet verum consensum, quia nempè metus ad summum cogit verba externa proferre, non autem ad consensum internum eliciendum, quarè consensus internus erit plenè liber, atque ideò ad matrimonium re vera sufficiens; sed tamen iudicio Ecclesiæ, & in foro externo matrimonium tali censebitur nullum, quia præsumetur defuisse consensus internus. Hanc opinionem impugnat ibi Doctor, quia qui cogitur ad aliquid, quod non potest esse sine altero absque peccato mortali cogitur etiam ad illud alterum; sed verba externa consensum exprimentia in contractu coniugali sine mortali dici non possunt absque consensu interno correspondente, quia tale mendacium perniciosum esset, & in re graui; ergo si potest cogi ad illa externa verba proferenda, sic etiam ad eliciendum consensum internum cogi poterit; & quia nullus est grauior metus, quàm peccati mortalis, & ideò dici non potest, quod si cogatur ad illa verba proferenda, non cogatur ad consensum eliciendum, quia ne mortaliter peccet debet verba menti internæ conformare, alioquin mentiretur; quarè sicut ad vitandum aliquod graue damnum corporale, illa verba externa proferre cogitur, ità ad vitandum mortale peccatum, quod est maius quocunque damno corporali, etiam cogi debebit ad internum consensum præstandum; ex qua Scoti doctrina ad argumentum debet absolutè negari assumptum cum eius probatione.

Dices, hac ratione probari tantùm, quod non potest quis verba illa externa cum veritate proferre, nisi internè consentiat, sed non probari, quod si ille consentiat, consensus ille sit coactus; ergo metus non inualidat consensum, cùm adhuc sit liber. Respondet Doctor ex ratione vtrumque probari, quia sicut proferens verba externè ad euitandum graue damnum dicitur coactè agere, & tamē nullus mouet linguam suam, sed à se eam mouet, ità quia peccatum mortale metuitur, quod à viro forti, & constanti maximè timendum est, si mens externis verbis non correspondeat, licet per se ipsum id faciat, & non per alium, adhuc consensus ille coactus dici debet, & aliter dicendo datur multis, inquit Doctor, occasio perniciosè mentiendi.

Instabis rursus, eatenus Ecclesiam declarare, & facere matrimonium irritum, si ex metu graui sit contractum, quia præsumit, quod in tali casu contrahens internè non consentiat; ergò si consentit, cessat præsumptio, & essentialiter talis contractus subsistit. Respondet Doctor negando assumptum, non enim Ecclesia dicit matrimonium illud esse inualidum ob talem præsumptionem, alioquin cùm esse possit, vt etiam internè consentiatur, & ferè semper ità fit ad euitandum mortale peccatum, inualidum faceret, quod est validum; tùm quia Ecclesia semper præsumit pro meliori parte, vt habetur ex cap. *Estote* de regulis iuris, nisi sit maxima coniectura in oppositum; ergo Ecclesia præsumere non debet, quod talia verba sine consensu proferantur, nisi vehementem habeat coniecturam, quod ille velit peccare mentiendo.

Quintò tamen objicitur contrà id, quod diximus in fine præcedentis articuli, scilicet, metum leuem non esse sufficientem ad reddendum irritum matrimonium nec in foro externo, nec in foro conscientiæ; quia etiam metus leuis minuit libertatem, qui enim cum eo operatur, si non adesset non operaretur, sic autem operans voluntariè conditionatè operatur, de ratione verò matrimonij est plena, & perfecta libertas; ergò si grauis metus matrimonium irritat, etiam leuis. 136

Confirmatur, quia tantundem operatur metus leuis in homine timido, & inconstanti, vt in simplici, & delicata puella magnam parentibus reuerentiam profitente, quantum grauis in homine forti, & constanti; sicut ergo metus qui in homine fortiori est leuis, potest esse grauis in homine imbecilliori, ità quicunque metus leuis se habebit in homine prorsus timido, & imbecilli. Denique metus leuis ità virum inconstantem necessitat, sicut grauis virum constantem.

do antecedens, ad probationem di-
etus leuis dicatur libertatem minue-
parum minuere, quod pro nihilo re-
olibet metus, quo non existente opera-
ipsam inuoluntariam, quia non omne
etuendum, siquidem prudenter pro ni-
, & quando dicitur de ratione matrimo-
c perfectam libertatem, id debet intelligi
otabiliter, & grauiter imminuta, nam si
odò sit imminuta; adhuc habebitur pro
a in genere moris.

ationem negatur assumptum, scilicet, tan-
ri metum leuem in homine timido, quanti
mine forti, nisi in comparatione hominis ti-
rauis, & vrgens, quia tunc habet locum re-
autem loquimur de metu in se leui, & in casu
s pensatis, ac etiam comparatione facta ad ta-
em metus sit, & maneat leuis, & tamen eo mo-
, tunc enim non tantumdem operatur, quia
antumdem impellit, & vrget illum libertatem
o, sed potius ipse pro sua libertate tali metui cedit
estando consensum, quandò adhuc facilè eum de-
oterat. Ad vltimum negatur consequentia, quia
causa sufficiens in re, & secundum rectam ratio-
bsistere debet, & non tantùm in corrupta apprehen-
, & ad annulandum consensum, & contractum ma-
nij nō sufficit metus leuis, quamuis ex dispositione ti-
tis metus ille sit ipsi grauis ex causa in reipsa leui. Ita-
quando dicitur timorem, qui cadit in virum constan-
, esse sufficientem ad matrimonium irritandum, non
et id restringi ad vnam certam regulam, & mensuram,
asi solùm grauis sit ille timor, qui aptus sit mouere quē-
anque virum fortem, & constantem, sed debet amplè in-
elligi iuxtà personarum varietatem, vt includat etiam me-
tum cadentem in fœminam constantem, in iuuenem, aut
senem constantem idest qui aptus sit concutere constantiā
proportionatam talium personarum; vt enim communiter
Doctores aduertunt in huius rei explicatione, & præsertim
Auersa q.4. sec.3. facilè contingere potest ex diuersitate per-
sonarum, vt metus qui non sit grauis in vno, sit grauis in
alio, stante adhuc integra, & non corrupta apprehensione,
& qui non esset sufficiens ad labefactandam vnius constan-
tiam, sit validus in altero; certè enim euenire potest, vt ma-
lum quod non esset graue in vno, sit graue in alio, nam ia-
ctura v.g. mille aureorum, quæ diuitem non valdè grauaret,
opprimeret alium qui non plus, aut paulò plus habe-
ret; & contumelia, vel infamia, quæ personam plebeiam, &
infimam non multum grauaret, in persona nobili, & illustri
intolerabilis esset; & cruciatus corporis, qui sustinetur ab
vno, non potest ab altero sustineri; & rursus etiam conside-
rari potest, vt idem periculum, quod alter comminatur,
plus vigeat in vno, quàm in altero, siuè quia vnus sit for-
tior, & prudentior ad sibi consulendum, & prouidendum,
siuè quia vnus magis apprehendit, quàm alter, quo in ge-
nere regulariter timidiores sunt fœminæ quàm viri, & se-
nes, quàm iuuenes, & viles ac pusillanimi, quàm nobiles, &
ingenui; Quarè non potest alia determinata regula tradi,
nisi prudens arbitrium ad discernendum quando in vna, vel
alia persona censeatur metus ità grauis, vt dici debeat suffi-
ciens ad matrimonium irritandum, quare grauitas metus
non absolutè sumi debet, quasi in omnibus æqualis esse
debeat, sed respectiuè considerata qualitate personæ, quæ
metum patitur, ità Tancred. lib.4. disp.3. plures alios ci-
tans, & Brancatus disp.19. art.3. §.6.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quæritur vtrùm sit Matrimonium integrè contractum, & quomodo validari possit.

138 QVamuis omnes Theologi in eo conueniant, quod coa-
ctionis impedimentum matrimonij contractum di-
rimat, & inualidet, discordant tamen quo iure sit inductū,
num iure naturali, quod rebus conuenit ex natura rei pe-
nes dictamen rationis, num diuino positiuo, vel potius
humano, siuè ciuili, siuè Ecclesiastico; in qua controuersia
tres sunt sententiæ, duæ extremæ, & altera media; Prima
tenet esse tantùm irritum iure naturali, non Ecclesiastico,
ità Couarruuias, Rebellus, Mercatus, & alij. Secunda affirmat
Molin. de Quæst. Sentent.

esse irritum tantùm iure Ecclesiastico positiuo, non autem
iure naturali, aut positiuo diuino, ità Molina, Sanchez, Lai-
mā, Tancredi, Bonacina, Auersa, Hurtadus & est satis com-
munis inter Iuresperitos. Tertia tandem sententia media
affirmat vtroque iure prædictum matrimonium metu gra-
ui contractum irritum, & inualidum esse, & ità iam deter-
minauimus art.1. huius quæstionis num. 121. cum Scoto d.
19. art.1. vbi ait esse de iure naturæ, vel saltem diuino posi-
tiuo, & impedimentum coactionis non esse à sola Ecclesia
inductum, sed à Deo, ab Ecclesia tamen fuisse expressum,
& explicatum, ità etiam D. Thomas, & D. Bonauentura
4. d.29. q.1. Altisiodorensis, Turrecremata; Ponce de Im-
pedimentis matrimonij cap.31. Caspensis disp.5. sec.2. & Sco-
tistæ passim Bassolius, Almainus, Hiqueus, Brancatus, &
alij Recentiores.

Probatur autem euidentibus rationibus, quia matrimo- 139
nium secum affert vinculum perpetuum, & humana pote-
state insolubile iuxtà illud *Quos Deus coniunxit, homo non
separet*; ergo contrà eius naturam, & institutionem est coa-
ctio, quæ huic perpetuitati repugnat, nam si sic coactus ab
extrinseco contraheret potest petere restitutionem in inte-
grum, quæ est impossibilis. Tum 2. quia matrimonium
non dicit tantùm corporum coniunctionem, sed præcipuè
animorum, non enim coitus facit matrimonium, sed vo-
luntas ex *cap. Beata Maria, & cap. Coniuges 27 q.2.* ergò ex
natura rei exigitur libera voluntas ab omni iniusta coactio-
ne, quæ impediret perpetuam, & indiuiduam animorum,
& vitæ societatem, & reciprocum amorem coniugalem,
inuita enim matrimonia difficiles habent euentus. Tùm 3.
quia matrimonium institutum fuit ad procreandam, &
educandam prolem hic enim est finis eius præcipuus; ma-
xima ergo irrogatur iniuria diuinæ sapientiæ, & prouiden-
tiæ, si dicatur eam hoc impedimentum matrimonio non
assignasse, & permisisse coactionem illud non impedire, sic
enim aliquid contrà finem matrimonij in ipso admisisset.
Tùm 4. quia vt ostendit Doctor ex Genes. 2. & 24. in statu
legis naturæ consensus liber, & voluntarius ad contractum
matrimonij validum requirebatur; ergo non ab Ecclesia
tantùm, sed etiam iure diuino fuit inductum coactionis im-
pedimentum. Tùm tandem quia si solo iure positiuo Ec-
clesiastico essent irrita hæc matrimonia coacta, & non iure
naturali, vel saltem positiuo diuino, apud infideles saltem
modò valerent, qui non ligantur Ecclesiæ legibus, quod
est falsum vt constat ex eorum legibus, & præcipuè in pra-
xi iudeorum patet talia matrimonia coacta esse inualida,
vt omninò contrà finem matrimonij; imò etiam apud fide-
les in Ecclesia valuissent mille retrò annis antè tempora
Alexandri Tertij, & Honorij Tertij, qui mille annis à Chri-
sti natiuitate illa capita ediderunt; ex quibus irritatio positi-
ua Ecclesiæ colligitur, & deducitur; imò in illis capitibus
declarant tantùm Pontifices illi, quod matrimonium me-
tu contractum sit irritum, at non faciunt irritum, ergo ex
se antè declarationem erat tale, & ideò ait Doctor loc. c.
hoc non fuisse ab Ecclesia determinatum, sed tantùm ex-
pressum; quædam verò argumenta, quæ in contrarium
adduci solent ad probandum nullitatem matrimonij coa-
cti ex iure naturæ non deduci iam soluta fuerunt artic. 140
præcedent.

Dices, hinc sequi non tantùm metum iniustè, sed etiam
iustè illatum annullare matrimonium cuius oppositum su-
perius in 2. art. determinatum est, quia si libertatem à tali
metu graui exigit matrimonium ex diuina institutione, &
ex ipso iure naturæ, sicut nulla humana potestas derogare
potest libertati matrimonij, sic etiam nulla lex humana
quantumuis iusta potest inducere per metum directè, &
per se ad matrimonium contrahendum.

Respondeo, quod Hiqueus ex nostris disp.19. quæst. vn.
in Commentario n. 17. hac ratione conuictus putauit me-
tum etiam iustè illatum annullare matrimonium, quod ait
etiam plures tenere Canonistas. Hoc tamen gratis omninò
dicitur, & contrà communem opinionem, nam benè
potest Iudicis iusta de causa aliquem ad contrahendum cō-
pellere in quibusdam casibus sub pœnæ grauis comminatio-
ne, & adhuc erit validum matrimonium, & ità expressè
habetur Exodi 22. si quis seduxerit Virginem nondum de-
sponsatam, dormieritque cum ea, dotabit eam, habebit-
que eam vxorem; & Deuter. cap. 22. si inuenerit vir puel-
lam virginem, & apprehensam concubuerit cum ea, & res
ad iudicium venerit, habebit eam vxorem, nec poterit eam
dimit-

dimittere cunctis diebus vitæ suæ: ergò metus iustè illatus à Iudice ad extorquendum matrimonium nō irritat illud: Et ratio est, quia tali metus in hic casibus non est cadens in constantem virum, vt, benè Brancatus aduertit *disp. 19. art. 3. num. 129.* quia vir constans, & prudens tenetur secundum rectam rationem operari, & fugere quod secundum eam est sibi maius inconueniens, sed maius inconueniens est, non exequi, quod lex iusta præcipit in hoc casu stupri, quàm aliud malum, quod ex matrimonio contracto sequitur, incurrere; ergo si hoc eligit, vt illud fugiat, metus non irritat, quia tenetur sic facere; eadem ratione potest etiam quis cogi ad ducendam Virginem in vxorem, cum qua sponsalia contraxit. Accedit, quod vt suprà dicebamus *art. 1. num. 122.* metus in his casibus potius videtur esse ab intrinseco, quàm ab extrinseco incussus, quia ipsemet reus facti per consensum voluntarium seipsum ligauit ordinatione legis, cui ea obnoxius, & causa metus ab intrinseco oritur, nempè ex pacto, in quod consensit, & quod ex lege talem ordinationem exigit, vndè ipsimet iustam causam dedit iustius metus incutiendi; qua etiam ratione dicebamus *art. præced. num. 133.* quod iusta coactio absque iniuria facit contrahentem consentire, vt ipse alioquin tenebatur, vndè moraliter loquendo ità se habet coactio Iudicis in his casibus, ac si prorsus non esset, ideoque nullo modo præiudicat libertati matrimonij etiamsi sit de iure naturali, & diuino; ex qua doctrina patet adductam instantiam non vrgere.

141 Et hoc etiam fatetur Hiqueus ipse, dùm inquit, quod licet directè, & per se non possit lex aliqua humana obligare ad matrimonium per coactionem; tamē per accidens, & ex alia circumstantia potest quis cogi ad matrimonium per legem indirectè, quia potest compellere ad implendam promissionem, & contractum initum liberè per sponsalia directè; & potest inferentem iniuriam cogere ad debitam satisfactionem, vt si Virginem deflorauit, ad eam ducendam, vel dotandam, si per vim, aut dolum eam seduxit, & simpliciter ad ducendam illam, quam violauit per vim, quia in his casibus alia restitutio iniuriam passæ nō est congrua, nisi ducatur; & iura decernentia coactionem inferendam non respiciunt directè libertatem matrimonij, sed culpam per se adiunctam violantis contractum, aut inferentis iniuriam, & voluntatem eius, vt huic oneri se subiecit liberè, vel per contractum sponsalium, vel inducendo damnum, quod resarciri debet per condignam restitutionem, & sic lex respicit directè medium iustitiæ seruandæ, indirectè verò, & per accidens matrimonium, vt in eo consistit æqualitas reddenda parti læsę. Ità discurrit Hiqueus loco citato, quo discursu ipse quoq; fatetur posse aliquem à Iudice induci ad contrahendum sub comminatione grauis pœnæ, & saltem per accidens, & indirectè, & contractus adhuc erit validus, adeo quod in re ipse quoque nobiscum conuenit, & solum differt in modo loquendi.

142 Aduertit tamē Brancatus loco citato metum etiam iustè illatum à persona priuata ad extorquendum matrimonium irritare illud, vndè si Pater, tutor, vel alius inueniens cōsanguineam cum aliquo rem habentem mortis, mutilationis, vel alterius mali grauis timorem incuteret, si eam non duceret, ait tale matrimonium ex tali metu contractum, quamuis iustè incusso, esse nullum, & irritum, quia à persona priuata incutitur quod probat ex cap. *Veniens*, vbi supponitur matrimonium contractum cum filia cuiusdam qui iuuenem cum ea repetat, esse nullum, quia eos coegit contrahere, & tamen tunc metus fuit iustè incussus, quia ob iustam causam iniuriæ illatæ; & ità etiam tenent Gloss. in illud cap. Couar. Sotus, & quidam alij. Fateor ego quoque matrimonium ex tali metu contractum esse nullum, & inualidum, sed falsum est metum huiusmodi esse iustè incussum, quia in tali agressione interuenit alia iniuria, & iniustitia scilicet contrà vitam proximi, nam timor mortis in eo casu est grauis, & iniustus, & ei illatus iuris ordine non seruato, & talis fuit metus, ex quo contraxit iuuenis ille, cuius fit mentio in dicto cap. *Veniens*, ideoque tale matrimonium ex eo metu contractum supponitur ibi fuisse irritum, & nullum; Quod si quis inuentus cum fœmina à Patre, vel fratre, aut tutore cum ea coactus contrahi ex metu accusationis incusso, validè contrahit quia tali metu censeri debet iustè illatus, & quamuis incutiatur à persona priuata auctoritatem non habente, incutitur tamen iuris ordine seruato comminando accusationem ad Superiorem.

& quod fit ex metu iusto, siuè à persona priuata illato, siuè à Iudice, non tam dicitur fieri ab extrinseco, quàm ab ipso qui cogitur, cùm ipse dederit causam, vt sibi licitè, & iustè coactio possit inferri; & planè negari non potest, quod si mulier vim passa minaretur inferentem accusare, nisi eam duceret, validè contraheret. Nec valet dicere talem habere quidem ius, vt alterum accuset, non autem vt priuata auctoritate cogat illum contrahere; Quia etiam priuata auctoritate possumus ad multa alios cogere, vt patet in eo, qui nolendo reddere pignus, cogit alterum sibi soluere; & id sentiunt Coninchius *disp. 28. dub. 1. num. 15.* Hurtadus *disp. 6. diffic. 3.* qui alios plures citant.

Quoad alteram quæsiti partem quærunt Doctores, an Matrimonium metu coactum iuramento, aut sequenti cōsensu, vel copula validari possit; & quidem est communis opinio matrimonium metu graui extortum, licet iuramento firmetur, irritum esse; & expresè habetur in iure cap. 2. De eo qui duxit in matrimonium, vbi declaratur non fuisse validum matrimonium quoddam metu contractum, & iuramento firmatum, & ratio etiam id suadet, quia eo ipso, quod Ecclesia irritum declarauit matrimonium metu contractum, supponitur etiam declarasse irritum tale matrimonium etiam iuramento firmatum, quia nempè semper consensus est coactus, & iuramentum ipsum est coactum, ac vi extortum: Tùm quia si tale iuramentum validum redderet matrimonium, vanum esset remedium ab Ecclesia statutum declarando, & decernendo tale matrimonium irritum esse, qui enim compellit ad matrimonium, posset etiam ad iuramentum compellere, & ità mens Ecclesiæ delusa remaneret; ità Sanchez, Tancred. Hurtadus, Ponce, Corduba, Auersa, Caspensis, Stephanus à S. Gregorio, qui alios citant. 143

Dices, saltem iuramentum in tali contractu adhibitum habere vim obligandi, vt posteà qui iurauit debeat remoto metu ratificare, seù de nouo validè contrahere; quia nimirum sic qui à Latrone vi, & metu coactus promisit, ac iurauit dare certam pecuniæ summam, manet obligatus in conscientia: Et qui in contractu vsurario iurauit soluere vsuras, licet contractus sit nullus, tamen ratione iuramenti tenetur soluere.

Respondeo, quod quamuis aliqui Iuristæ, & Summistę id concedant apud Auersam *quæst. 4. sect. 6.* quia tamen fatētur posse peti relaxationem talis iuramenti, posseque ab Episcopo concedi, & sic obligationem cessare; dicendum tamen est neque tale iuramentum inducere obligationem ratificandi, seù iterum contrahendi tale matrimonium, vt raddatur validum, nec alia relaxatione indigere, vt eius obligatio soluatur; & ità docent Theologi iam citati, dicentes, quod si iuramentum apponatur matrimonio contracto per verba de præsenti verb. grat. iuro me te ducere, iuramentum esse nullum, sicut ipsum matrimonium, nec vlla relaxatione indigere; Et si etiam contrahatur matrimonium per verba de futuro, & addatur iuramentum de non contraueniendo tali matrimonio, tunc nisi posteà adsit nouus consensus spontaneus, dicunt etiam matrimonium fore similiter nullum, nec aliqua indigere iuramenti relaxatione; hoc enim perindè est, ac si tunc nullo modo contraheretur matrimonium de præsenti, sed solùm per modum sponsalium quis promitteret, & iuraret se talem ducere in futurum, & in hoc etiam promissum, & iuramentum, cùm supponatur graui metu extortum, ipso facto nullum est, & ad nihil obligare videtur, sicut absolutè sponsalia tali metu contracta sunt simpliciter ipso facto nulla, vt suo loco dicemus; Et hoc quidem satis rationabile videtur, dùm enim Ecclesia statuit, vt matrimonium metu graui contractum sit ipso facto irritum, consequens etiam erat, atque conueniens, vt si iuramentum quoque extorqueretur cum promissione ratificandi, vel iterum contrahendi tale matrimonium, hoc etiam iuramentum esset ipso facto nullum, & ad nihil obligaret, nullaque proindè relaxatione indigeret. Ad exempla autem adducta promissionis iuratæ de soluendis vsuris, & pecunia Latroni danda, vel etiam talia iuramenta sunt irrita, & ad nihil obligant prominentem; vel quicquid sit de hoc specialis est ratio, ac iuris dispositio de matrimonio, seù sponsalibus, vt promissio iurata de ratificando, seù contrahendo matrimonio, sic ipso facto inualida, dùm est metu extorta: nam iuramentum sortitur naturam contractus, vel actus, cui apponitur, & rimanet ...

omninò liber, tale etiam supponitur m ei appositum; Cumque matrimo. i plena libertate contrahatur, ex spe- , in hoc ipso quædam apparet repu- tu iurare cogatur se ex plena libertate imonium, & tali iuramento obligatus ahere. Et hæc est mens expressa Docto- o quæstionis, vbi ait quod *matrimonium* *tum non tenet, nec obligatus est, qui hoc fa-* am materiam latè prosequitur, & decla- ster *disp. 19. art. 7.*

eniunt Doctores, matrimonium metu con- validari per nouum consensum spontaneum m, sed non conueniunt in modo declarandi; dicũt ad faciendum validum matrimonium, est inualidũ defectu consensus interni, vel ra- metus, sufficere, si consensus de nouo præstetur onsenserat fictè, aut per metum graué, perseue- c altero coniuge in suo priori consensu; Et ratio x parte alterius Sponsi adsunt omnia requisita ad adum matrimonium, & deest tantũmodò consen- qui fictè, vel cum metu consensit; ergo accedente nsensu ex parte istius validum fit matrimonium, im adest mutuus consensus, quo matrimonium ur, & nihil aliud deest; ità Nauarrus, Rodriquez, quez, Coninchius, Sanchez, Auersa, Bonacina, & alij am aliqui addunt non esse necessarium in hoc casu ali- igno externo exprimere consensum, qui de nouo pre- r, sed sufficere consensum internum; nec etiam opus est liquid dicere alteri coniugi, qui verè consensit, nam ex te ipsius non requiritur nouus consensus.

Sed sicut hunc dicendi modum non approbauimus in fu- eriotibus q 3. *art. 1. n. 86. & 87.* dùm explicauimus, quomo- o renouandus sit matrimonij cõtractus nullus ex defectu veri consensus, ità nec in præsenti casu approbamus, cùm vtrobiq; eadem ratio militet; & dicimus in vtroque casu ne- cessarium esse iterari consensum vtriusque coniugis, & ne- cessariũ esse, vt exterius quoq; renouetur quia expressio ex- terior antiqua exhibita ab eo, qui fictè cõsensit, vel ex me- tu graui, nõ est expressio sufficiens consensus posteà eliciti; & tandem in vtroque casu vtrumque coniugem conscium debere fieri de nullitate matrimonij, quia alter coniux talis nullitatis ignarus alio modo non potest sufficienter consen- tire ad reualidandum matrimonium nullum, quę omnia ibi latè probata sunt, & iterum probantur; quia vbi nequit da- ri sacramentum, nequit etiam dari matrimonium, nam in lege Euangelica nequit dari matrimonium sine sacramen- to; sed in hoc casu si alter tantùm internè consentiat absque vlla exteriori expressione, non potest dari sacramentũ, quia forma huius sacramenti est consensus vtriusq; mutuus signo exteriori expressus, & huiusmodi cõsensus debet esse simul saltem simultaneè morali; Nec respondere valet consensum illius, qui verè, & legitimè consensit, perseuerare habitua- liter, atque ideò accedente nouo consensu illius, qui ex me- tu consensit, fieri nouiter contractum, & sacramentum matrimonij; quia hæc euasio ibi sufficienter præclusa est; ergò etiam in hoc casu renouãdus est consensus vtriusque, & exterius manifestandus, vt verum sacramentum habea- tur, & hunc dicendi modum sequitur etiam ex nostris Brã- catus *disp. 19. art. 4. num. 177.* vbi probabilius existimat, vt manifestetur nouus consẽsus ab eo, qui ex metu ab initio contraxit, ad hoc vt sacramentum matrimonij habeatur, imò & ex parte ab altero coniuge, vt verè mutuus sit; & hoc etiam ex professò defendit Hurtadus *disp. 3. difficul. 9.* pro quo dicendi modo plures alios adducit, atà nobis re- latos loc. c. vbi etiam rationi Aduersariorum satisfactum est, negando adesse habitualem perseuerantia illius, qui verè, & legitimè consensit, quia enim credit contractum iam esse perfectum, desistit ab eo consensu, & intentione, & voluntate contrahendi, & absolutè putat non amplius habere sui corporis dominium; atque ideò neque potesta- tem illud acceptandi, & tradendi; quarè vt de nouo contractus matrimonij reualidetur, & præsertim in ratione sacramen- ti, necessarium est vtrumque iterum de nouo consentire, ac proindè etiam, quod vterque de nouo externis consen- sum exprimat, quia nulla ipsorum antiqua expressione nouum expressit consensum. In quæstione tale, quoniam alter coniux iniuriam passus per metum sibi alteri con sentit ac proindè nullum est matrimonium ex parte vtriusque

dicunt communiter Doctores, posse eum qui spontè, & abs- que vi consensit, à matrimonio resilire, antequam ille, qui inuitus contraxit per nouum consensum renouet pristi- num matrimonium.

Hoc idem tanto magis dicendum est, quando matrimo- nium fuit inualidum defectu consensus vtriusque contra- 147
hentis, vel propter metum vtrique incussum, tunc enim etiam Aduersarij ipsi concedunt, non sufficere, vt consensus internus ab vtroque præstetur, sed vlterius etiam requiri, vt aliquo signo externo manifestetur, vt Bonacina testatur *q. 2. punc. propos. 1.* & rationem adducit, quia matrimonium in- ualidè celebratum defectu consensus vtriusq; contrahentis fuit omninò irritum, ac si non fuisset celebratum, ergo de nouo est celebrandum, ac si antea celebratum non fuisset; sed si anteà non fuisset celebratum necessarius esset mutuus consensus vtriusque *contrahentis* signo externo expressus; ergo ad validandum matrimonium inualidum defectu cõ- sensus vtriusq; contrahentis necessarius est mutuus consen- sus vtriusque signo externo expressus; quæ ratio optima est sed idem probare videtur etiam quando tantùm ex parte vnius defuit verus, & legitimus consensus, quia etiam in ta- li casu matrimonium ab initio contractum fuit omninò ir- ritum, ac si non fuisset celebratũ, quia ad verum matrimo- nium requiritur mutuus vtriusque coniugis consensus, nec sufficit vnum illorum verè, & legitimè consensisse; Prętereà in his casibus non oportet coram Parocho, & testibus repe- tere consensum contrahentium, quando defectus ex parte vnius, vel etiam vtriusque fuerit occultus, vt diximus *loc. cit. q. 3. art. 1.* in fine, dummodò prius matrimonium, quam- uis nullum, fuerit coram Parocho, & testibus semel celebra- tum, at si violentia illata alicui notoria fuisset, & in foro ex- terno plenè probari posset, tunc sanè de nouo opus esset cũ tota ea solemnitate renouare contractum cum præsentia Parochi, & testium, presertim vbi viget Concilij Tridentini obseruantia, quod quidem vniuersaliter verum est, quando- cunque matrimonium ab initio irritum, & nullum ob ali- quod impedimentum debeat tali impedimento sublato cõ- ualidari; si enim fuit occultum, talis solemnitas non est ne- cessaria, si autem est notorium itaut possit in foro externo probari, necessariò est adhibenda, & repetenda.

Denique loquendo de copula carnali cõueniunt Docto- 148
res matrimonium metu graui contractum, & simul eodem metu consummatum nullum esse, & neutiquam ratificari per copulam consummatam, vt docent Sanchez, Ponce, Hurtadus, Caspensis, & alij communiter, qui etiam conue- niunt conualidari per sequentem copulã effectu coniugali spontè habitam idest animo se habendi perpetuò in coniu- ges, non autem animo fornicario explendi scilicet tunc suã libidinem absq; intentioni perpetui coniugij, & hoc expressè habetur in Cap. *Is qui fidem* de Sponsalibus, & suadet ipsa ratio, quia hęc est expressa renouatio consensus coniugalis, non metu, sed spontè facta; aduertunt tamen Hurtadus *disp. 6. diffic. 6.* Auersa *q. 4. sec. 6.* & Brancatus noster *disp. 19. art. 4.* prędicta matrimonia reualidari per subsequentem copu- lam coniugalem spontè habitam, non quoad veritatem, & reipsa in foro conscientiæ, sed tantùm in foro exteriori, & quoad præsumptionem, vt scilicet præsumatur consensus; quia quoad forum internum statim ac habebit quis debi- tum consensum conualescet matrimonium, sicut è contrà si post longissimam cohabitationem, ac etiam copulam subsecutam cum altero coniuge, adhuc non habeat talem consensum nunquã matrimonium in foro conscientię con- ualescet. Itaque Ecclesia *cap. cit. & cap. Ad id* habet pro valido matrimonium factum ex metu, dũmodò copula suc- cedat voluntaria, quia præsumit, quod metum passus noluit fornicariè copulari, sed habeat nouum cõsensum per copu- lam expressum; quia copula maritalis gerit vicem externę expressionis. Quia tamen copula simplex non est signum sufficiens exterius, seù expressio exterior maritalis consen- sus, sed tantùm pium, & prudens iudicium expressionis ma- anteà factæ, vt ait Hurtadus loc. cit. & coitus non facit ma- trimonium, sed voluntas *ex c. Beata Maria, & cap. Coniuges,* Doctores aliquid dicunt in pręfato casu copulę metum pas- sum debere manifestare nouum suum consensum coniugi, vel antè copulam, vel in ea, quod si ità fiat tunc per eã con- sensus expressionẽ propriè loquẽdo validatur matrimoniũ, anteà nullum, & per copulã quodãmodò confirmatur, tan- quam per pium, & prudẽs iudiciũ expressionis anteà factę; & in hoc sensu dicit Ecclesia matrimonium metu contractũ per

per subsequentem copulā affectu maritali habitam validari; Et hoc etiam mihi magis placet, quia cùm renouari nequeat, & ratificari matrimonium anteà nullum, nisi fiat sacramentum; magis pium est dicere, quod sacramentum fiat expressionem consensus factam antè copulam, vel in ea, quàm per actum ipsius carnalis concubitus, quia vt sępè Iura inculcant, coitus non facit matrimonium, sed voluntas.

QVÆSTIO QVINTA.

De qualitate Matrimonij sub conditione contracti.

49 SVpponendum est in quolibet contractu posse aliquem suum pręstare consensum dupliciter absolutè scilicet vel conditionatè; tunc absolutè pręstatur, quando datur absque vlla conditione, vel limitatione; tunc verò conditionatè, quando datur dependenter à conditione, à cuius existentia valor contractus, aut dispositionis dependet, quia fit dependenter ab illa, & explicabatur particula *Si* vel *dummodo*, vt quādo dicitur, Do tibi equum, si Pater meus consenserit, vel dummodò Pater meus cōsentiat; Rursus supponendum est, conditiones, quę contractui matrimonij apponi possunt, & cuicunque alij, duplicis esse generis; quædam enim dicuntur necessariæ contractui, & ipsi quasi intrinsecæ, sine quibus contractus validè fieri nequit, & sunt illæ, quæ licet nō apponerentur, adhuc subintelligerentur v.g. Do tibi equum si est meus & in matrimonio contraho tecum si es fęmina, vel mas; Aliæ verò sunt conditiones non necessariæ contractui, & ei quasi extrinsecæ, sine quibus contractus potest validè fieri; & illæ possunt esse, alia de præterito, alia de pręsenti, & alia de futuro; Hæc autem de futuro alia est impossibilis, quædam verò possibilis, & hęc rursus duplex alia necessaria, quæ scilicet necessariò eueniet, & non potest non euenire, alia contingens, quę potest euenire, vel nō euenire; Et hæc rursus alia est turpis & inhonesta, alia honesta, & licita: Et tandem ex turpibus, aliæ sunt contrà intrinsecam matrimonij substantiam, vel aliquam eius inseparabilem proprietatem, aliæ verò non, & de omnibus his est difficultas, an matrimonium inualident.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quęnam conditiones matrimonium inualident, & quæ non.

150 PRimò Dicendum, matrimonium contractum sub conditione de pręsenti, aut pręterito statim absolutè valere, aut esse omninò nullum, valere quidem absolutè, si conditio existat, & esse omninò nullum, si non existat, vndè si conditio apposita à contrahente est de pręterito, aut de pręsenti, si non sit illicita, aut contrà substantiam, vel proprietatem aliquam inseparabilem matrimonij, quęcunque illa sit, consensus sub ea conditione valet, & est tantùm matrimonium, si verè, & realiter extitit, vel existit conditio; inualidus autem est consensus, & matrimonium irritum, si verè & realiter conditio non extitit, nec existit; vt v.g. si contrahens dicat, contraho tecum, si Pater tuus vult, tunc si Pater vult, matrimonium statim est ratum, si verò Pater non vult matrimonium est nullum. Hęc est communis Doctorum sententia, vt testantur Sanchez, Tancred. Hurtad. Caspensis, Brancatus ex nostris, & alij passim; Et ratio est euidens, nam qui sub ea conditione consensit, solum se obligare intendit supposita talis cōditionis veritate: ergo si detur, statim obligatus manet, secus si non detur; consequentia patet, quia totus matrimonij valor, & obligatio ex sola cōtrahentis voluntate oritur, & consequenter si se obligare non intendit nisi tali conditione supposita, & existente, vtique obligatus non manebit, si illa non existat, ipsa verò existente statim obligatus manet, quia nihil aliud in tali casu ad verum matrimonium desideratur.

151 Est tamen Difficultas, an etiam sit necessaria notitia existentiæ, seu impletionis talis conditionis, Affirmat Coninchius *disp.* 29. *dub.* 1. vbi ait matrimonium factum sub conditione, quamuis de præsenti, & præterito, non valere etiam si conditio existat, & impleta sit, sed suspendi vsque ad notitiam saltem probabilem existentiæ conditionis appositæ habitam à contrahentibus. Probabilius tamen puto cū Sanchez *lib.* 5. *disp.* 7. & Hurtado *disp.* 7. *diffic.* 2. talem notitiam necessariam non esse, sed ad valorem, & subsistentiam matrimonij satis esse, si conditio reipsa existat, quamuis qui consensit cum tali conditione notitiam eius existentiæ non habeat, & ratio est, quia ille qui consensit, non intendebat ad se obligandum notitiam existentiæ talis conditionis, quando consensit, sed nudam eius existentiam; vndè si Petrus v.g. dedit consensum contrahendi cum Maria sub conditione quod sit nobilis, & filia Equitis, cōtraxit, & consensit sub conditione existentiæ rei significatæ per eam conditionem, nempè nobilitatis, & non sub conditione notitię nobilitatis, & suum consensum alligauit existentiæ nobilitatis, & non notitiæ illius; vt patet ex verbis, quibus tale matrimonium fuit contractum, nempè, duco te in vxorem, si es nobilis; ergo non suspenditur matrimonium vsque ad notitiam existentiæ conditionis, sed statim valet, & eo ipso, quod conditio subsistit; & sic etiam sentit Caspensis *disp.* 6. *sec.* 1. & Brancatus noster *disp.* 20. *art.* 2. *num.* 33.

Dices, formę sacramentorum non sunt conditionatę, neque intentio ministri, sed sunt determinatę, ergo &c. Resp. quod licet non sint conditionatæ, nec soleant sub cōditione proferri, si tamen proferantur cum conditione eorum substantiam non destruente, adhuc sunt validè, quia non ob id suspenditur eorum effectus; vndè si Minister baptismi formam eius cum hac conditione proferat, *Si es homo, te baptizo, &c.* adhuc baptismus est validus, cùm talis conditio eius effectum non suspendat.

Secundò Dicendum est matrimonium factum sub cōditione necessaria de futuro v.g. *si sol orietur cras* statim ac fit antè euentum conditionis absolutè valere, & perfici, non solùm in foro interno, sed etiam externo, dūmodo talis cōditio cognoscatur à contrahentibus, vt necessaria, & nō habuerint intentionem suspendendi consensum vsque ad cōditionis euentum. Ità etiam Doctores cōmuniter Sanchez, Hēriquez, Rebell. Tancred. Coninch. Pōce, Becanus, Auersa, Caspensis, Hurtadus, Bonacina, & alij passim. Ratio est, quia cùm talis conditio necessariò euentura sit, & iam certò sit, vel existat in suis causis naturalibus, putandum non est personam prudentem velle consensum suspendere, donec impleatur conditio, quasi de eius euentu incertus esset; Et quamuis verbis dictæ conditionis in rigore significetur dependentia consensus ab euentu posteà futuro, & posset sic à contrahentibus intendi, tamen id non intenditur regulariter, & iuxtà communem sensum, & intētionem contrahentium, quia cùm euentus illius sit necessariò in suis causis naturalibus cōtentus, & vt talis cognoscatur, ita est certus, vt eam conditionem apponentes non tam ad consensum suspendēdum apponant, quàm ad significandam certitudinem consensus præsentis absoluti, quasi dicere velint, sicut certum est Solem cras oriturum, ità te firmiter accipio, & in vxorem duco, atq; ideò eo ipso est validum absolutè, & firmum tale matrimonium. Et idem existimandū esse dicunt præfati Doctores de conditione de futuro contingenti infallibili, seù certò futura cognita, vt tali v. g. *si Antichristus venerit*, quia contrahentibus non minus constare supponitur in tali casu conditionem hanc certò futuram, seù extituram, quàm conditionem necessariam; si tamen matrimonio apponeretur hæc conditio. Si Antichristus venerit intrà decem annos, verè illud suspenderet vsque ad tempus additum, quia ratione temporis superadditi aduentui Antichristi conditio non est certa. 152

153 Secus tamen dicendum est, quando conditiones necessariæ, & infallibiles non cognoscerentur, vt tales à contrahentibus, & earū euentus ęstimaretur incertus, tunc enim matrimonium sub qualibet earum celebratum non valet absolutè vsque ad earum euentum, quia tunc apponerentur ad suspendendum consensum vsque ad earum euentum: Et idem dicendum, quando vterque contrahens, vel alter eorū suum consensum suspendere intenderet vsque ad conditionis euentum, tunc enim matrimonium sub necessaria cōditione celebratum non est validum de præsenti, cùm non adsit mutuus consensus de pręsenti; & ità etiam discurrit Brancatus noster *disp.* 20. *cit. art.* 2. §. 2. quænam autem, & qualis sit contrahentium intentio, ex verbis ipsorū attendi debet, alijsq; circumstantijs, & quando aliud non constet, vel appareat, cēsendū potius erit illos simpliciter, & absolutè voluisse pro tunc contrahere iuxtà priorē sensum iam explicatum, & pro tunc verè perfecisse contractū, vt notauit Auersa q. 5. *sec.* 3. vbi hac de causa inquit permittendum non esse, vt contrahentes huiusmodi conditiones apponāt, [illegible]

randum esse, vt clarè se explicent.
ando contrahentes ità seriò apponunt
bilem, vt contrahere non intendant,
ius subsistentia, vt si dicatur, Contraho
ito tetigeris illud matrimonium in foro
um esse. Ità Doctores omnes supracita-
sia talis conditionis adiectio est indubita-
nsu, nam qui se vult obligare nisi sub con-
i, & cognita vt tali, simpliciter non se obli-
entionem se obligandi, cùm impossibilium
. Conf. quia qui non consentit nisi sub condi-
ti, re vera non consentit, vt habetur in L.
de action. & obligation. deficiente autem con-
onium subsistere nequit. Tandem alij contra-
n conditione impossibili sunt nulli ipso facto L.
7 *ff. de Verborum oblig.* ergo idem quoq; dicen-
imonio, consequentia patet, quia ideò contra-
nsensu sit conditionato initus inualidus est, quia
uam consensus inuoluit, & à qua totaliter pendet
c, nec existere potest, sed neque stare potest condi-
monij sic contracti, quandoquidem possibilis est;
que contractus matrimonij stare potest.
Difficultas est, quomodo stante hac veritate, & com-
entia de inualidieate matrimonij sub conditione
sibili contracti in foro conscientiæ, potuerit Grego-
Nonus c. finali de conditionibus oppositis statuere con-
nem impossibilem matrimonio adiectam, habendam
pro non adiecta, quia ea reiecta, seu habita pro non adie-
, matrimonium manet validum, aut verè, & reipsa, quod
ontifex efficere nequit absq; consensu contrahentium, qui
erè deficit, quando sub conditione impossibili contrahitur;
aut manet validum quoad præsumptionem, quod neque vi-
detur posse Pontificem præsumere, vbi appositio conditio-
nis impossibilis est signum adeò manifestum dissensus; ideò
enim alij contractus sub conditione impossibili eo ipso in
iure nulli censentur, quia adest euidens præsumptio, imò
certum signum dissensus, cùm enim aliquid negandum est
alicui, dici solet, dabo, si mundum creabis, si Cœlum digito
tetigeris &c.

Varias dicti decreti expositiones adducit *Sanchez lib. 5.*
disp. 3. & sex præsertim refert Auersa *q. 5. sect. 4.* communior
tamen, & frequentior expositio est, vt videri potest apud Co-
ninchium, Hurtadus, Caspensem, & alios, decretum Pontifi-
cis intelligendum esse quoad forum exterius, & presumptio-
nem, quia Ecclesia, quando oppositum non constat præsu-
mit conditionem impossibilem non fuisse seriò appositam,
sed iocosè, ac proindè matrimonium fuisse validum; nec id
absque ratione præsumit, quia quando oppositum non con-
stat, præsumit contrahentes in re adeò graui noluisse nuga-
ri, & suum actum irritum reddere, vndè quando aliundè
non constat contrahentes seriò apposuisse conditionem im-
possibilem, talis conditio reijcitur ab Ecclesia, & habetur pro
non adiecta, & coguntur ab ea procedere, vt coniuges, in
quo casu ipsi, vt licitè procedant, tenentur verè contrahere,
si dubium est, an conditio impossibilis fuerit seriò apposita,
nec ne, vt securi sint in foro conscientiæ, & sic etiam sentit
Brancatus noster decretalem Pontificis esse saluandam
disp. 20. ar. art. 2. §. 4.

156 Verùm quamuis hic sit communior dicendi modus, &
magis recepta illius decretalis explicatio, difficultatem ta-
men propositam exactè non soluit, quia non declarat, quo-
modo potuerit Pontifex de validitate talis matrimonij præ-
sumere, vbi appositio conditionis impossibilis est signum
adeò manifestum dissensus; nam regulariter, cùm aliquid
alicui concedere nolumus, solemus apponere conditionem
aliquam impossibilem, quarè Ecclesia ex tali conditione
apposita debet potius oppositum præsumere, quod scilicet
verus consensus non adsit in tali contractu; nam per verba
intentionem exprimentia non potest aliud præsumi, nisi
quod ipsa verba sonant; sed in tali casu verba ex communi
modo loquendi potius dissensum indicant, quàm consen-
sum; ergo nullum est fundamentum, vel motiuum præsu-
mendi, quod contrahens in eo casu oppositam habeat inten-
tionem illi, quam verba ostendit. Quarè magis mihi placet
explicatio Paludani 4. d. 19. q. 2. art. 5. vbi exponendo illam
decretalem inquit, Pontificem ibi nequaquam dicere voluis-
se, valere de facto statim illud matrimonium, sed solùm te-
neri illum, qui eam conditionem apposuit, denuo verè con-
trahere, & in hoc sensu conditionem impossibilem haberi

Ibid. In Quart. Sent.

pro non adiecta, idest, non excusare illum, quominus debeat
verè contrahere, itaut saltem ille prior contractus habeat
vim promissionis, & sic censeri debere in foro externo, in
quo cogendus sit verè contrahere, sicut in alijs sponsalibus,
idque fecit in fauorem matrimonij ad tollendos abusus, & il-
lusiones, quia Ecclesia vult, & intendit, vt verè, & purè
matrimonium contrahatur absq; illusione, & fraude. Hoc
mihi dicendum videtur in hoc casu, qui tamen post Conci-
lium Tridentinum merè metaphisicus censeri debet, quia
modò à Parocho non permitteretur, vt cum tali conditione
contraheretur, sed alteri coniugi suaderet, ne in tali casu
consentiret; Sic inquam explicari potest illa Decretalis, si ibi
loquatur de conditionibus ab intrinseco, & ex natura sua
impossibilibus, vt aliqui volunt.

Quod si loquatur tantùm de conditionibus ab extrinse- 157
co, siuè ex qualitate peculiari talium personarum impossi-
bilibus, vt si contrahens cum paupere dicat, contraho te-
cum, si dederis mihi in dotem ducentos mille aureos, ex-
plicari potest, quod Pontifex intellexerit de conditionibus
appositis non per modum suspensionis, sed per modum
obligationis, quando nimirum contrahens intendit tunc
quidem absolutè inire contractum, sed sub certis pactis, &
obligationibus cum altera parte, intendens illi talem impo-
nere obligationem, siuè ab illa exigens talem promissionem,
& hæc altera pars talem obligationem acceptat, & promis-
sionem firmat. Quando ergo quis cum altera matrimonium
contraheret, simpliciter quidem, & absolutè intendens con-
trahere, requirens tamen adimpletionem alicuius conditio-
nis per modum pacti, quàm fortè putabat possibilem, vtpo-
tè dare tantam dotem, posteà tamen inueniatur adimpleri
non posse, determinat Pontifex in ea Decretali valere adhuc
matrimonium tali defectu non obstante, & eam obliga-
tionem, & conditionem haberi pro non adiecta, & illum
qui talem conditionem requisiuit, & illam obligationem
imposuit, teneri adhuc matrimonium illud ratum habere,
& in eo persistere, quam explicationem approbant quo-
que Rebellus, Ponce, Auersa, & plures alij, & adhuc
magis declarabimus assertione sequenti circà conditiones
turpes.

Quartò Dicendum est, conditionem turpes, quæ ta- 158
men non sit contrà matrimonij substantiam, v. g. si quis di-
cat, tecum contraho, si furtum commiseris, posse quidem
eius valorem suspendere, non tamen irritare. Hoc etiam de-
cernit Pontifex in præfata Decretali illis verbis. *Aliæ condi-*
tiones, si turpes, aut impossibiles fuerint, debent pro non adie-
ctis haberi, pro cuius maiori intelligentia obseruandum est,
vt mox dicebamus, & etiam aduertit Auersa *qu. 4. sect. 5.* du-
pliciter apponi posse conditionem in contractu, vel per mo-
dum simplicis obligationis, vel etiam per modum suspen-
sionis; apponitur primo modo, quandò contrahens inten-
dit tunc quidem absolutè, & simpliciter contractum inire,
sed sub certis pactis, & obligationibus cum altera parte mo-
do iam explicato *num. præc.* quo quidem contractus humani
frequenter celebrari solent cum certis conditionibus, & pa-
ctis, in quibus sanè non remanet suspensus contractus vs-
que ad conditionis præmissæ impletionem, sed ex tunc fit-
mus, & absolutus est contractus cum obligatione tamen
partium ad seruandas, & implendas conditiones impositas;
Apponitur verò conditio secundo modo, nempè per viam
suspensionis, quando contrahens vult, & intendit suum con-
tractum non aliter valere, & perfici, nisi per adimpletionem
conditionis appositæ, ideoque valor contractus tunc suspen-
ditur vsque ad conditionis euentum, & implementum. Si
ergò apponatur conditio turpis, & illicita, non tamen sub-
stantiæ matrimonij contraria, & apponatur de præterito,
vel præsenti, dicendo v. g. tecum contraho, si furtum com-
misisti, vel si es hæretica, & contrahens non habeat animum
perficiendi matrimonium, nisi dependenter à tali conditio-
ne, & eius impletione, verè matrimonium valet, quãdo adest
talis conditio, quia non deficit intentio, nec aliquid aliud
ad substantiam contractus requisitum, nec Ecclesia talem
contrahendi modum irritauit, quando verò talis conditio
non adest, matrimonium non valet, quia contrahens, vt
supponimus, animum contrahendi non habet, nisi tali con-
ditione existente, quare illa deficiente deest consensus ad
substantiam matrimonij omninò necessarius, qui per Ec-
clesiam suppleri non potest; Si verò conditio turpis opponi-
tur de futuro, & contrahens verè contrahere non intren-
dat, nisi pro quando altera pars conditionem adimplebit;
licet

155

licet contractum non annullet, suspendit tamen, siquidem adhuc deest intentio, quæ est simpliciter necessaria; nec pariter per Ecclesiam suppleri potest; adimpleta autem conditione verè contractus perficitur, & matrimonium subsistit, quia tunc non deest intentio, nec aliquid aliud ad substantiam matrimonij requisitum, vt supponimus: nec Ecclesia in odium talis conditionis turpis huiusmodi modum contrahendi annullauit, licet graue peccatum esset ità contrahere, & sacrilegium ob iniuriam sacramenti inter fideles.

159 Si verò conditio turpis simplex, & non contraria substantiæ matrimonij, apponatur primo modo scilicet per viam obligationis, vt si dicatur, contraho, tecum, si furtum commiseris, vel talem occides, hoc est, cum pacto, & obligatione furandi, vel occidendi, altera parte acceptante, & promittente; sic sanè nec contractum annullat, nec eius valorem suspendit, sed tunc matrimonium valet, & perficitur, quia adest tunc intentio absoluta contrahendi nec aliquid deficit ad substantiam matrimonij necessarium, nec quicquam interuenit ei contrarium; Nulla tamen remanet obligatio adimplendi tales conditiones, & pactiones vtpotè de re turpi, & illicita, habenturque pro non adiectis, imò potius adest obligatio legis naturalis, ac positiuæ ad non facienda talia, nullaque humana conuentio ad hæc facienda obligare potest; Et hoc modo explicari possunt relata verba Decretalis, quando dicit conditiones turpes in matrimonio contrahendo haberi debere pro non adiectis, vt scilicet intelligantur per viam obligationis, adeout sensus sit, si contrahentes ad aliquas conditiones turpes se obligent, debent pro non adiectis haberi, saluo & integro coniugali contractu, & ratio est, quia talis obligatio, seù intentio se obligandi non inuoluit animum substantiæ matrimonij contrarium, nec excludit consensum matrimonio necessarium, & licet admixtam habeat aliam intentionem irrationabilem, hæc tamen matrimonium non vitiat, nec irritat, nec deinceps obligabit, sed censenda est, ac si non fuisset adiecta, & hanc explicationem quoque affert, & approbat Auersa loc. cit. quæ mihi quoque cæteris clarior, & probabilior videtur.

160 Quintò Dicendum est, matrimonium celebratum sub aliqua conditione turpi quæ sit contrà substantiam matrimonij, seù quæ tribus præcipuis illius bonis aduersetur, irritum esse, si conditio adiungatur, vt de futuro præstanda, siuè apponatur per viam suspensionis, siuè per viam obligationis. Hæc etiam assertio est communis, vtpotè expressa in prædicta Decretali, vbi dicit; quod *si conditiones contrà substantiam coniugij inferantur, matrimonialis contractus caret effectu*, & hoc etiam expressit Scotus *4. dist. 31. lit. E.* vbi absolutè docet contractum matrimonialem factum cum aliqua conditione contractui contraria esse inualidum; Probatur, & declaratur, quia tria sunt bona matrimonij; Primum perpetuitas, & indissolubilitas matrimonij; Secundum susceptio, & educatio prolis, Tertium fides, seù fidelitas inter ipsos coniuges, nempè de non adulterando cum alijs; & de reddendo inuicem debito, ità designantur in Iure *cap. Omne 27. quæst. 2. & cap. final. de Condit. apposit.* & à D. Aug. *lib. de Bono coniugali cap. 6. & 7.* & dicuntur esse de substantia matrimonij, nempè quantum ad obligationem licet non omnia quantum ad effectum; vndè si quis contrahat cum conditione ducendi vxorem ad tempus v. gr. vsque ad obitum patris, vel donec inueniat aliam ditiorem, vel formosiorem, vel non obseruandi fidem, aut non procreandi prolem, esset irritum matrimonium; quia matrimonij substantia in illis tribus bonis consistit, in consensu scilicet & obligatione, ad societatem coniugalem, ad fidem; mutuò obseruandam, & prolem suscipiendam; cùm igitur prædictæ conditiones his tribus repugnent bonis, sequitur matrimonij naturam, & essentiam per illas conditiones appositas omninò destrui, siuè per modum suspensionis apponatur, siuè per modum obligationis; Nam si conditio sit merè suspensiua, hoc est, quod contrahens intendat contractum suspendere vsque ad illius executionem, sanè tunc matrimonium non perficitur, siquidem tunc deest intentio absoluta perficiendi; & stante etiam quod posteà ea conditio adimpleatur, adhuc non perficitur, quia conualidari non potest matrimonium per adimplementum talis conditionis, quæ tam directè pugnat principali effectui, & fini, ob quem ex natura rei institutum est ipsum matrimonium, & cum matrimonium celebretur dependenter ab existentia conditionis cum ipso contractu incompossibilis. Si verò conditio turpis substantiæ matrimonij contraria apponatur per viam obligationis, vtpotè contrahendo cum pacto, & obligatione euitandi prolem, vel non seruandi fidem, vel dissoluendi matrimonium certo tempore elapso; sic etiam tale matrimonium est nullum, & irritum; est enim de substantia matrimonij obligatio seruandi fidem coniugalem, non impediendi prolem in copula, & perpetuitas, ac indissolubilitas vinculi; quarè si contrahentes, vel eorum alter animum, & intentionem non habeant ad hæc se obligandi, planè deficiunt in consensu ad matrimonium essentiali, & necessario; dico autem, si animum non habeant ad hæc se obligandi, non autem, si non habeant animum hæc seruandi, quia ipsa actualis obseruatio, & sic etiam intentio obseruandi non est de essentia, & valore contractus, sed sufficit intentio se obligandi, qua deficiente nullum est matrimonium, vt notauit Auersa *loc. cit.* Dixi etiam huiusmodi turpes conditiones matrimonium annullare, si apponantur, vt de futuro præstandæ, quia si apponantur de præterito, vel præsenti, matrimonium non irritant, vt si contrahens dicat, Duco te, si adulterium commisisti, dùm eras cum priori viro iam mortuo, validum est matrimonium, si commissum fuit adulterium; sed si in re non adest illa conditio, non valet matrimonium, quia deest intentio, & consensus, qui dependenter à tali conditione præstitus fuit, & conditio de præsenti, vel præterito non suspendit actum L. Institutio talis ff de Conditionibus, tùm quia talis conditio contrà bona matrimonij non censetur, cum supponatur præcessisse ipsum matrimonium; ità Sanchez, Perez, Bonacina, & Auersa, & alij passim.

Verùm quia duplices sunt conditiones, quæ aliquo modo 161
repugnant matrimonio, nam quædam sunt turpes, de quibus procedit præsens assertio, quia contrahentes matrimonium debent saltem interpretatiuè se obligare ad non euitandam, vel impediendam prolem per media illicita, vt per receptionem veneni, aut per abiectionem seminis recepti, aut procurationem abortus: quædam verò sunt honestæ, quæ nimirum per media licita prolem impedire possunt, vt conditio voti castitatis mutuò consensu emittendi, vel religionis ingressus; & de his dubitatur, an matrimonium irritent, vt si contrahens dicat Ego tecum contraho, si post coniugium emiseris votum castitatis. Affirmant Sanchez, Sotus, Couar. Henriquez, Stephanus à S. Gregorio, Tancred. & alij. Fundamentum est, quia talis conditio estò honesta, est contrà substantiam matrimonij, & illud irritat, vt dicitur in cap. finali, vbi absolutè, & absque vlla distinctione dicitur conditionem contrà bonum prolis matrimonium annullare, conditio enim nunquam se copulandi, seù semper seruandi castitatem est euitandi prolem, quia non copulando, seù castitatem seruando impeditur proles: ergò hæc conditio est contrà substantiam matrimonij, & illud irritat.

Confirmatur, quia licet de essentia matrimonij non sit, vt intendatur proles, & copula, est tamen de matrimonij substantia mutuum ius petendi, & mutua obligatio reddendi ob corporum translationem factam in matrimonij contractu; sed dicta conditio cum iure petendi, & obligatione reddendi consistere nequit, quia ex ea conditione oritur de obligatio reddendi, & priuatio iuris ad petendum; imò etiam positiua obligatio oriri potest non petendi, & non reddendi, si id etiam dicta conditione contrahentes intendant: ergo prædicta conditio est contrà substantiam matrimonij, & illud irritat. His tamen non obstantibus. 162

Sextò dicendum est, validum esse matrimonium cum his conditionibus contractum, Duco te, si te ad seruandam perpetuò castitatem obliges, vel ad professionem in Religione faciendam. Ità iam determinauimus *quæst. 3. art. 3.* vbi ostendimus, quomodo possit verum matrimonium consistere cum conditione, promissione, & voto inter coniunges nunquam coeundi, & cum obligatione, & pacto nunquam habendi copulam, quod etiam tenent Ledesma, Rebell. Coninch. Auersa, Caspensis, Hurtadus, Bonacina, & alij, & probant ratione superius adducta est Scoto *4. dist. 30. quæst. 2. art. 2.* quia vt ibi dictum est, essentia matrimonij consistit in mutuo dominio, & subiectione corporum per ordinem ad vsum matrimonij: sed potest subsistere dominium, & subiectio corporum cum prædicta obligatione, cùm enim dominium distinguatur ab vsu, potest verum dominium subsistere cum obligatione, seù conditione non vtendi reipsa.

Confir-

.alis separatio dominij alicuius rei ab ndi illa potest etiam in alijs contracti- cè Hurtad. aduertit *disp.9.diffic.9.* nam locaret omnem operam sui mancipij, inium in mancipium retineret, & ius m in ordine ad operas illius, & in ipso aret adhuc obligatio radicalis, & remota; omino maneret dominium impeditum, s proximum, sed hoc esset in conductore & mancipio non esset obligatio proxima inio, sed conductori, quamuis in eo esset alis, & remota correspondens dominio Do- omino manere posset obligatio positiua non ninium in mancipium, & mancipio non obe- e eo conuenirent Dominus, & conductor, aut & Dominus; ergò hoc idem matrimonio con- st, quod nempè dominium in corpora ad vsum, , & obligatio radicalis ad eundem maneat absq; e ad eum, seu absque iure proximo ad peten- bsque obligatione proxima ad reddendum, imò iua obligatione ad non petendum, & ad non red-

undamentum oppositæ sententiæ constat ex ibi di- lum esse dictas conditiones repugnare substantiæ, & matrimonij, & obligationem in copulam, & in vsum monij requiri, quando contrahentes cedunt iuri suo; nquam, repugnant bonis matrimonij, quia non repu- t eius indissolubilitati, siquidem illis conditionibus non antibus adhuc matrimonium esset indissolubile, & vin- um perpetuum; Neque repugnant Fidei; quia contra- ntes non se obligant ad communicandum corpus alieno; lec tandem repugnant proli quia contrahentes non se obli- gant ad prolem impediendam per media illicita, quod solum impedimentum substantiæ matrimonij repugnat non autem per media licita, vt per votum castitatis mutuo cōsensu emis- sum, vel per Religionis ingressum; & de tali prolis impedi- mento loquitur Pontifex in eo *cap. Finali*, & intellexit con- ditionem appositam de euitanda, seù impedienda generatio- ne, habendo tamen copulam, & procurando per venena sterilitatem, aut abortum, & similia, vt iam diximus *quest.3. cit. art.3. n.111.* & patet ex ipso Decretalia contextu.

Ad Confirmationem neganda est minor, nimirum ex di- cta conditione apposita sequi aliquid incompossibile cum mutuo dominio ad petendum, & cum mutua obligatione radicali ad reddendum, in quibus materia substantialis, & essentialis matrimonij præcisè consistit; etenim ex illa con- ditione apposita oritur tantùm priuatio iuris proximi ad pe- tendum, & priuatio obligationis proximæ ad reddendum; & ad summum etiam positiua obligatio proxima ad non petendum, & non ad reddendum, quæ cum dicto domi- nio non sunt incompossibiles, quod est ius remotum ad pe- tendum, & cum dicta obligatione radicali ad reddendum, ita Hurtadus *loc. cit.* quæ doctrina satis declarata manet ex adducto exemplo de Domino, & eius mancipio conducto ab alio; potest igitur cum prædicta conditione validum esse matrimonium, si alter consentiat, & vterque in actu primo corporis sui potestatem tradat; quia contrahentes cum tali conditione non se priuant mutuo dominio remoto, & in actu primò ad petendum, & mutua obligatione radi- cali ad reddendum, quæ tantùm sunt de essentia matrimo- nij, sed tantùm se priuant iure proximo ad petendum, & obligatione proxima ad reddendum, quæ non sunt de essen- tia matrimonij.

ARTICVLVS TERTIVS.

An impleta conditione honesta de futuro matrimonium statim reddatur firmum, & absolutum, vel requiratur nouus consensus.

164 Hic supponendum est, quod si contractus sub conditio- ne honesta iuris de futuro, vt si Titius Claræ dicat, contraho tecum, si tuus Pater consenserit, habito con- sensu hæc esse sponsalia, non matrimonium; si verò verba fuerint de præsenti, vt contraho tecum &c. tunc necessi- tandum, vt contrahentium consensus vsque ad habitum Patris consensum perseueret alioquin si consensus fuerit reuoca- tis, matrimonium erit nullum, & hæc est communis om- nium doctrina, sensus ergo quæsiti est, an huiusmodi ma- trimonium expleta conditione de futuro, hoc est, habito Patris consensu statim reddatur firmum, & absolutum non expectato nouo contrahentium consensu, an potius hic expectandus sit, vt matrimonium valeat; in qua difficulta- te duæ sunt opiniones extremæ, quarum quælibet plures habet sectatores.

Prima asserit statim adimpleta conditione de futuro ho- nesta fieri, & firmari matrimonium absque nouo consen- su, & est communis inter Canonistas, quam sequuntur Pa- ludanus, Viguerius, Innocentius, Hostiensis, Panormita- nus, Ioan. Andrea, Nauarrus, Soto, Sanchez, Bonacina, ex Coninch. Rebell. Hurtad. Auersa, Tancred. Brancatus, ex nostris, Caspensis, & alij Recentiores. Fundamentum su- mitur ex pluribus vtriusq; iuris textibus, ex quibus deduci- tur omnes contractus cum conditione de futuro celebratos, ea adimpleta, absque nouo consensu perfectos censeri, ac proindè tunc valere contractum sub conditione initum, ac si esset absolutus a conditione, vt patet ex L. *Hæc venditio ff. de contractu emptionis*, vbi habetur, *Conditionales venditio- nes tunc perficiuntur, cum impleta fuerit conditio* patet etiam ex L. *Potior ff.* Qui potiores in pignore, vbi dicitur, quod *Cum conditio semel extiterit, perinde habetur ac si illo tempo- re, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset*; igi- tur etiam matrimonium adimpleta conditione validum erit absque nouo consensu.

Confirmatur, quia si nouus requiritur consensus ad va- lidandum matrimonium conditionatum, tale matrimo- nium conditionatum, & consensus conditionatus frustato- ria essent, & haberentur pro non factis, quia nihil operaren- tur, & quod est falsum, quia sacri Canones tale genus ma- trimonij admittunt, & dicunt, quod contractus condi- tionatus purificata conditione redditur absolutus; ergo & matrimonium expleta conditione obligat, non expectato nouo consensu ex vi prioris consensus ex vi præcisè purifi- catæ conditionis. Tandem probatur ratione, quia nec ex ratione sacramenti, nec ex ratione contractus plus requiri- tur, nam ratio huius sacramenti talis est, vt non plus requi- rat, quàm ratio contractus, igitur specialiter ex se non aliud exigit, sed quod erit contractus validus inter alios homines, erit validum sacramentum inter fideles; ratio autem com- munis contractus optimè perfici potest per consensum an- teà præstitum sub conditione de futuro, & per adimpletio- nem posteà sequentem talis conditionis, vt patet ex iuribus 165 citatis.

Secunda sententia, quæ est communis inter Theologos, asserit ad validitatem dicti matrimonij requiri nouum con- sensum sponsorum post adimpletam conditionem; & ex- pectandum esse nouum consensum, vt sit vinculum matri- monij, & ex vi prioris consensus, & expleta conditione, solùm consurgere sponsalia de futuro. Ità D. Thomas, D. Bonauentura, Durandus, Riccardus, Adrianus, Maior, Henriquez, Ponce, vterque Ledesma, Beccanus, Barbosa, Diana, & plures alij. Fundamentum est, quia ad sacra- mentum est necessarium signum sensibile, sed contractus matrimonij sub conditione de futuro absque nouo consensu verbis, vel signis expresso nunquam est sacramentum, ergo &c. Minor probatur, nam antè expletam conditionem non est sacramentum, quia pro eo tempore adhuc est suspensus valor contractus, & consequenter non est validus, sed ne- que expleta conditione potest tunc esse sacramentum seclu- so nouo consensu signis expresso, quandoquidem tunc nihil est actu sensibile ex parte contrahentium, quod possit eleua- ri per modum formæ ad rationem sacramenti, vel etiam ad causandam gratiam, ergo &c.

Confirmatur, quia sacramenta nouæ legis in suo effe- ctu conferendo non possunt pendere à futuro euentu, aliàs etiam forma absolutionis in sacramento pœnitentiæ sub con- ditione de futuro prolata posset suspendi vsque ad existen- tiam conditionis dicendo verb. gr. ego te absoluo, si cra- stina die restitues; quod est falsum, & contrà omnes Do- ctores; sic etiam nihil faceret, qui formam baptismi sub contritione de futuro preferret verb. grat. dicendo, Ego te baptizo, si tuus Pater consensum præstiterit. Tandem in quoque deduci videtur ex *cap. Super eo* de Conditionibus, vbi dicitur eum, qui matrimonium contraxit cum fœmina sub conditione, si patet illius consentiret, non esse compellen-

pellendum ad matrimonium antè conditionis euentum, quia ibi supponi videtur impleta conditione compellendum fore ad contrahendum matrimonium, ac proindè non esse perfectum solo euentu, & impletione conditionis.

166 Quamuis vtraque sententia sit probabilis nobis tamen cum Hiqueo nostro 4. *dist.* 30. *quæst.* 1. *in Commentario num.* 58. media sententia videtur eligenda dicendo illum consensum conditionatum de præsenti transire in consensum absolutum, & ratum adimpleta conditione, ac proindè ad eius validitatem sub ratione contractus non requiri nouum consensum, prout rationes primæ sententiæ rectè probant, quia consensus conditionatus ex iuribus citatis purificata conditione transit in absolutum; nouum tamen consensum requirere, vt fiat sacramentum, ille contractus, nam et regula generali de Sacramentis requiritur, vt rectè discurrit Hiqueus *loc. cit.* quod materia, & forma sit in actu, & non in habitu tantùm ad causandum effectum Sacramentalem, & per Ministros applicentur; sed ministri huius Sacramenti sunt ipsi contrahentes, vt suprà dictum est, & per consensum conditionatum non ponitur materia, & forma sacramenti in effectu, quia requiritur consensus absolutus verbis de præsenti expressus, vt fiat Sacramentum, cuius effectus neque per arbitrium Ministri, neque alterius, cuius est conditionem adimplere, suppleri potest. Itaque Canones adducti pro prima opinione probant solùm matrimonium in ratione contractus nouum consensum non requirere expleta conditione ad eius validitatem, non autem id probant in ratione Sacramenti; Et hac de causa matrimonium sub conditione contractum; quod Canones admittunt, non suo effectu frustratur, quia expleta conditione obligat, non expectato nouo consensu, vndè ex *cap. cit. super eo* habetur ex vi præmissæ conditionis, quando impleta fuerit, posse compelli, qui sic consensit ad contrahendum matrimonium etiam sub ratione sacramenti, quarè nouus consensus requiritur non ad obligationem vinculi inducendam, sed ad perficiendum talem contractum sub ratione sacramenti; Quando tandem dicebatur Christum Dominum in matrimonio naturam contractus non mutasse, sed tantum rationem sacramenti addidisse; hoc vtique verum est, at ratio sacramenti in matrimonio requirit consensum absolutum verbis de præsenti expressum, primus autem consensus sub conditione non erat talis; ergò nisi sit nouus consensus, non est verum matrimonium, & Sacramentum. Nec sufficit dicere consensum prius conditionatum conditione adimpleta statim transire in absolutum, & inducere vinculum indissolubile, atque ideò rationem quoque Sacramenti inducere posse. Hoc enim vltimum gratis omninò dicitur, quia vinculum matrimonij induci potest absque eo, quod sacramentum, quod concomitanter se habet, conferatur, quia præter rationem legitimam contractus, qui sufficit ad obligationem inducendam; vt sit Sacramentum requiritur, vt sit completus, & absolutus de præsenti ex vi consensus verbis expressi; nam ex Concilio Florentino ad Sacramentum perficiendum requiruntur res, & verba, vel his æquiualentia, & quod hæc actu applicentur à Ministro ad effectum sacramenti; sed consensus conditionatus, quando conditio impletur, non est, cùm etiam dormientibus contrahentibus impleri possit; ergo nequit esse materia, nec forma sacramenti, nec tunc applicari per intentionem ministri, atque ideò neque rationem Sacramenti fundare.

167 Dices, quod estò non existat physicè tunc forma Sacramenti, quando conditio adimpletur, existit tamen; & perseuerat moraliter quod sufficit, vt possit moraliter causare gratiam, seruata proportione in Sacramento baptismi, quod recedente fictione causat moraliter gratiam ob solam præsentiam, & perseuerantiam moralem; Ità ergò discurrendum esse aiunt Auctores primæ opinionis in proposito nostro; alioquin sequeretur matrimonium factum per procuratorem, vel literas non esse sacramentum, quia consensus præteritus absentis tunc non est.

Hæc tamen instantia non vrget, est enim manifesta disparitas de matrimonio conditionato, & Baptismo gratiam conferente recedente fictione, benè enim baptismus potest moraliter causare gratiam recedente fictione ob solam præsentiam, & perseuerantiam moralem, quia Sacramentum iam confectum, & perfectum fuit per materiam, & formam actu applicatas à Ministro ad effectum Sacramenti, & moraliter permanere dicitur ratione characteris impressi, qua ratione in baptizato gratia producere potest recedente fictione; hoc autem dici non potest in proposito de consensu conditionato iam præstito, quia talis consensus non est sufficiens materia, vel forma matrimonij, quia præter rationem legitimam contractus requiritur, vt sit completus, & absolutus ex vi consensus expressi per verba de præsenti, vt sit sacramentum. Est etiam manifesta disparitas inter contractum conditionatum ex vna parte, & absolutum per litteras, & procuratorem ex alia, quia consensus à principali præstitus manet in suo effectu, quatenus manet expressus in mandato, & literis, quæ verbis de præsenti æquiualent; hoc autem de consensu conditionato dici non potest, qui neque completus est sicut ille, neque manet in vllo suo sensibili effectu, qui ei æquiualeat, quando conditio purificatur, & adimpletur.

Hæc eadem quæstio fit etiam de matrimonio contracto inter inhabiles sub conditione, si Pontifex dispensauerit; & quidem plures Auctores iam pro prima opinione adducti sic etiam consequenter discurrunt in hoc casu, & dicunt matrimonium statim habita dispensatione fieri validum absque nouo consensu. Fundamentum est, quia contrahentes sub illa conditione non contrahunt pro tunc, sed pro tempore futuro, scilicet, pro tempore conditionis adimpletæ, quo tempore sunt habiles, & nihil obstat, quominus matrimonium perficiatur; ergò verè perficitur matrimonium tempore illius conditionis adimpletæ per dispensationem. Tùm quia ità deduci videtur ex L. *si tempus* vbi habetur factum in tempore inhabili, sed relatum ad tempus habile validum esse, qua de causa sponsalia contracta à fideli cum infideli sub conditione, si infidelis conuertatur, valida sunt posita conditione; ità discurrit Bonacina *qu.* 2. *punc.* 10. *proposit.* 4. plures alios citans Auctores. 168

Oppositum tamen docent non solùm Auctores pro secunda opinione adducti in præcedenti Difficultate, sed etiam plures ex citatis pro prima, ità præsertim Brancatus ex nostris *disp.* 20. *art.* 2. §. 2. & *Auersa quæst.* 5. *sec.* 2. qui alios quoque citant dicentes tale matrimonium non valere, sed ex integro requiri nouum alium consensum, & contractum post sublatum impedimentum. Quamuis autem pro hac assertione plures soleant adduci rationes, vt apud Brancatum videri post *loc. citat.* hæc tamen sola mihi sufficere, videtur quia matrimonium absque consensu de præsenti absoluto, & inter personas habiles nequit esse validum, & perfectum; sed in casu proposito nunquam est consensus de præsenti absolutus, & inter personas habiles, & quamuis tempore conditionis adimpletæ, & sublati impedimenti personæ sint habiles, tamen tunc non est consensus de præsenti, sed præteritus, & antiquus, ergo rursus ex integro, & de nouo consensus præstari debebit, & contractus iniri. 169

Confirmatur, quia Ecclesia habet pro nullo, & irrito consensum præstitum à personis, vel cum personis impeditis, hoc est, inter quas statuit, ne matrimonium valeat; ergò contractus inter tales personas initus, quamuis sub ea conditione, si impedimentum auferatur, verè ad validitatem matrimonij non sufficit etiam dùm adimplebitur conditio, sed renouari debet.

Ex qua doctrina fundamentum soluitur oppositæ sententiæ, non enim ad matrimonij validitatem sufficit, vt contractus, & consensus referatur ad tempus, quo personæ erunt habiles; sed omninò requiritur, vt proferatur à personis, quæ tunc sunt habiles, consensus enim vtilis, & validus non solùm debet referri ad casum, & tempus habilitatis; sed à persona etiam habili, & legitima proferri debet, ac proindè consensus præteritus, & antiquus ad valorem matrimonij non sufficit, etiam adimpleta conditione, quia à personis impeditis, & inhabilibus præstitus fuit, & tempore inhabilitatis, & impedimenti. 170

Ad Confirmationem dicendum, quod etiamsi sponsalia cum tali conditione facta valere dicantur tempore conditionis adimpletæ, ita ut qui sub conditione promisit, si impedimentum tollatur, teneatur posteà promissum adimplere, & contractum inire, non ob id sequitur valere etiam matrimonium sub eadem conditione contractum; nam benè stare potest, vt quis sit inhabilis, & impeditus ad contrahendum, non tamen ad promittendum pro quando erit habilis, & expeditus; vt benè aduertit Auersa *loc. citat.* vbi etiam ait, non sequi quod si Ecclesia inhabilitauit ad contrahendum constituendo impedimentum dirimens, inhabi-

attendum; vel si reliquit in liber- i reliquerit etiam ad contrahendum, us, qui possunt quidem promittere, n tamen possunt tunc contrahere, & Ex quo patet in præsenti casu maio- n noui consensus, & contractus, quam difficultatis, quia in eo casu contractus nitus inter personas habiles, & non ideò adimpleta conditione matrimonium ontractus censetur firmum, & validum terato consensu, licet non sub ratione sacra- præsenti consensus conditionatus præstitus npeditis, & inhabilibus, & ideò matrimo- actum nec etiam sub ratione contractus valet ditione, & impedimento sublato, sed ex de nouo debebit præstari consensus, & initi

, quia per Concilium Tridentinum additum valorem matrimonij præsentia Parochi, & te- iratur, adhuc restat difficultas, an necesse sit Pa- & testes assistere vigore huius decreti in locis, vbi ar, dum expletur conditio, vt de valore matrimo- nt ipsi testificari, an potius sufficiat adstitisse, dum præstitus est consensus sub ea conditione de futuro , aut signis illum exprimentibus. Prima sententia requiri nouam assistentiam Parochi, & testium, dùm pletur conditio, & ait sufficere præteritam; quia inquit ente Concilij satis esse, vt Parochus, & testes inter- contractui, nec necesse est, vt ipsis etiam constent om- aliæ circumstantiæ ad valorem matrimonij requisitæ; patet valere matrimonium coram Parocho, & testibus itum per procuratorem, quamuis illi mandatum procu- ationis non videant, aut de eius validitate certiorentur; xem matrimonium inter consanguineos, vel affines ini- tum obtenta dispensatione, quamuis illi talem dispensatio- nem non videant; Cùm igitur in casu nostro contractus conditionatus supponatur in facie Ecclesiæ initus, videtur satisfieri ad intentum Concilij, scilicet, ne fraudulenter aliud matrimonium contrahatur durante primo, quia iam Ec- clesia non admittet ad contrahendum secundum matrimo- nium illos, qui primum sub conditione contraxerunt, nisi doceant de non verificata conditione, & consequenter de sua libertate; ità Sanchez, Tancred. Caspensis, Strepha. mus à S. Gregorio, Brancatus ex nostris *loc. cit.* §.9. & qui- dam alij.

72 Sed quamuis hæc opinio sit probabilis, probabilior ta- men videtur opposita sententia docens non esse tale matri- monium firmum, & validum, donec Parocho, & testibus constet etiam de verificatione conditionis appositæ in co- niugali contractu; & planè cùm hanc opinionem defendant quamplures tenentes matrimonium conditionatum condi- tione de futuro ratificari, & validari sola impletione condi- tionis absque alio nouo consensu, vt Bonacina, Conin- chius, Hurtadus, Auersa, & alij ab ipsis citati; tantò ma- gis eam nos tueri tenemur asserentes matrimonium sic con- tractum non purificari sola impletione conditionis, sed re- quiri nouum consensum, nam iuxtà hanc opinionem con- sequenter asserendum est, necessarium esse nouum illum consensum exprimi coram Parocho, & alijs testibus, quia tunc tantùm integrè fit matrimonium, & non anteà; Sua- detur autem, quia ideò Concilium requirit contractum matrimonij coram Parocho, & testibus deputatis perfe- ctum, & celebratum, vt hoc modo, & hac adhibita solem- nitate constet de illo contractu in facie Ecclesiæ; sed con- tractus sub conditione initus planè non est perfectus, & completus, nisi conditione adimpleta, & purificata, nec constat esse perfectum, nisi pariter de conditionis adimple- tione constet, ergo de hac etiam Parocho, & testibus con- stare debet.

Confirmatur, quia vt efficaciter instat Auersa *quæst. 5. sec.* 2. illo quidem modo potest adhuc talis perfici contractus conditionatus, nempè si contrahentes ab illa conditione re- cedant, & absolutè consentiant independenter ab ea, vel ergo in tali casu opus est hunc recessum à conditione, & no- uum consensum absolutum coram Parocho, & testibus ad- hiberi, vel non; si primum ergò pariter in alio modo perfi- ciendi talem contractum, scilicet, per conditionis impletio- nem, hæc Parocho, & testibus constare debebit; si secun- dum, ergo isto nouo consensu etiam inter contrahentes præ- stito nullatenus coram Ecclesia hoc matrimonium probari poterit; imò contingere potest, vt posteà non adimpleatur conditio, & de hoc publicè constet, in quo casu tale matri- monium nullum ab Ecclesia iudicari deberet, quod tamen in re validum esset, quod est maximum inconueniens.

Ad fundamentum in oppositum respondetur, quod quam- 173 uis opus non sit Parochum, & testes ità matrimonio assi- stere, vt possint de eius valore testificari assistendo omnibus quoquomodo ad valorem requisitis; necessarium tamen est, vt illis hæ circumstantiæ constent, quæ sunt de forma ip- sius contractus, & in quibus consistit essentia exterior matri- monij, & quia essentia exterior matrimonij impletione con- ditionis essentialiter perficitur, hæc vtique Parocho, & testi- bus constare debebit; Quarè distinguere oportet, vt ait Auersa *loc. cit.* circumstantias debitas ex parte contractus, & alias debitas ex parte contrahentium, nempè vt procura- tor sit legitimus, & consanguinei, vel affines sint dispen- sati, vt contrahentes sint puberes, & similes; Concilium itaque non requirit, vt de his circumstantijs contrahentium constet coram Parocho, & testibus ad hoc, vt matrimo- nium sit validum, sed de illis, quæ sunt de forma ipsius contractus, & de essentia exteriori matrimonij, qualis om- ninò est purificatio, & adimpletio conditionis; Nec aliter satisfieret intentioni Concilij, quia alioquin posset condi- tio secretò adimpleri, & tunc si vna pars negaret conditio- nem esse adimpletam, & alia affirmaret, maxima oriretur perplexitas in materia adeò graui; Adhuc tamen fatendum est necessarium non esse, vt Parochus, & testes per se vi- deant conditionem esse adimpletam, vel adimpleri, sed satis esse, si contrahentes ipsi id coram illis asserant, quia sicut satis est de eorum consensu per eorum verbo constare, ità pariter de conditionis verificatione discurrendum est; Imò vt notat Auersa cit. etiamsi conditio non esset verè purifica- ta, adhuc illa contrahentium assertio se haberet, tanquam nouus assensus absolutus ab incertitudine illius conditionis non amplius dependens. 174

Dices, id non cohærere doctrinæ iam traditæ *quæst. 3. ar.* *1. num. 87.* vbi diximus, quod quandò prius matrimonium celebratum coram Parocho, & alijs testibus fuit nullum ob defectum consensus occultum, aut ob impedimentum ali- quod occultum, necessarium non est ad illud reualidandum, quod iterum coram Parocho, & alijs testibus celebretur, sed solùm esse supplendum defectum ex parte consensus, vel impedimenti occulti; ergò idem pariter in hoc casu dicen- dum erit.

Respondetur non currere paritatem in hoc, & illo casu, nam in eo casu optimè validatur matrimonium absque noua Parochi præsentia, & aliorum testium, quia vt ibi diceba- mus, præsentia antiqua, quæ præcessit, in casu impedi- menti, vel defectus occulti sufficit ad euitanda incommoda, quorum intuitu Tridentinum *sess. 24. cap. 1.* irritauit matri- monia facta absque Parochi præsentia, & aliorum testium; quod in casu præsenti dici nequit de matrimonio sub condi- tione contracto; ibi enim matrimonium prius contractum in facie Ecclesiæ, & foro exteriori habetur, tanquam vali- dum, vndè solùm sufficit in foro exteriori supplere defe- ctum ex parte consensus, vel impedimenti occulti, at in præsenti casu matrimonium sub conditione initum etiam coram Parocho, & testibus non censetur validum, & perfectum, nisi per conditionis adimpletionem, quæ proindè etiam illis aliquo modo nota esse debet, alioquin in facie Ec- clesiæ non magis constaret matrimonium esse perfectum, & validum, quam esse rescissum, & nullum ex defectu condi- tionis; Nec sufficit dicere, posse etiam alijs modis apud Ec- clesiam constare de conditionis adimpletione, quia etiam de contrahentium consensu posset aliundè Ecclesiæ consta- re, & nihilominus Concilium requirit, vt præcisè illo modo constare debeat ad euitanda plura incommoda, quæ in ma- teria tam graui oriri possent.

QVÆSTIO SEXTA.

De Indissolubitate, & perpetuitate Matrimonij.

MAtrimonium communiter à Doctoribus diuiditur in legitimum, ratum, & consummatum; legitimum dici- 175

dicitur, quod iuxtà leges est, & legitimo consensu inter personas non impeditas contractum est, quale olim erat antè Christi Domini aduentum, & etiam nunc inter Gentiles, & infideles esse solet, vndè matrimonium infidelium, quod ipse iure naturali spectato contrahitur, legitimum appellatur; Matrimonium verò ratum includit in se legitimum, & addit rationem Sacramenti, per quod maiorem firmitatem, & indissolubilitatem acquirit, & solùm inter Fideles, & baptizatos contrahitur, vndè Innocentius Tertius in cap. *Quanto* de diuortijs inquit; *etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum*, inter Fideles autem non tantùm legitimum, sed & ratum existit, ac proindè indissolubile. Matrimonium denique consumatum dicitur, quod reali corporis vsu, & legitima copula ad prolis generationem apta perficitur, & completur, vndè ad matrimonij consumationem non sufficit quicunque tactus etiam cum carnis penetratione absque seminis infusione, sed hæc omninò requiritur, & intrà vas naturale, alioquin generationi apta non esset; Imò est etiam valdè probabile, vt notat Sanchez *lib.2.disp.21.*& approbat Diana *part.3.trac.5.resol.19.* Auersa *q.2.sec.4.* & ex nostris Brancatus *disp.12.art.10.§.4.* non sufficere effusionem seminis solùm ex parte viri, sed requiri etiam ex parte fœminæ, supponendo hanc quoque concurrere, & requiri ad generationem; & ità iudicauit D. Bonauentura *4.d.41.qu.1.art.1.* & D. Thomas ibidem *qu.1.art.1.* Item ad matrimonij consumationem non sufficeret præfata copula, si antè contractum coniugalem haberetur, sed omninò requiritur post contractum, alioquin copula matrimonialis non esset, sed fornicaria. De matrimonio itaque rato, & consummato hic discurrendum est, & declarandum quomodo indissolubilia dicantur.

ARTICVLVS PRIMVS.

An & qualiter matrimonium sit insolubile.

176 Conueniunt Catholici omnes contrà quosdam Hæreticos sectarios turpiter affirmantes pro libito contrahentium posse matrimonium dissolui, & vnanimiter asserunt, matrimonium legitimè contractum siuè ratum, siuè etiam consummatum inter fideles, & infideles continere nexum perpetuum, & insolubilem; & ità præsertim docuit Scotus noster in toto tractatu de Matrimonio, *à d.36. vsque ad 42.* vbi nil aliud tam frequenter repetit, & inculcat, quàm matrimonialis vinculi insolubilitatem, non tantùm sub ratione sacramenti, sed etiam sub ratione legitimi contractus à Sacramento præscindentis, & ità expressè docet *dist.31. quæst.1.§.ad Quæstionem sub lit.D.* vbi mouens dubium, an ista insolubilitas conueniat matrimonio Euangelico propter rationem Sacramenti, respondet; Dico quod in lege naturæ fuisset insolubile, & tunc non fuisset propriè Sacramentum annexum contractui matrimonij, & Christus potuisset istam indissolubilitatem præcepisse in matrimonio suæ legis, licet nullum sacramentum adiunxisset illi contractui; ità Doctor quæ omnia posteà per Tridentinum confirmata videntur *sess.14.* in principio de matrimonij reformatione vbi hoc ipsum de omni matrimonio generaliter docet; idemque insinuat Gregorius Nonus in cap. finali de Conditionibus appositis, vbi ait conditionem perpetuitati matrimonij repugnantem esse contrà substantiam illius, & manifestè deducitur ex Genes. 2. vbi generaliter dicitur *Quamobrem relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna* hoc est, vt explicat Scotus d. 26. F. & H. non momentaneè accipiet, vel ad tempus, sed perpetuò, & tota vita durante; idem deducitur ex Math. 19. vbi de matrimonio dicitur, *Quod ergò Deus coniunxit, homo non separet*, & Marci 10. & Lucæ 16. vbi omnis, qui vxorem dimittit, & aliam ducit mœchari dicitur; Idcircò Paulus ad Rom. 7. dixit *Mulier viuente viro alligata est legi*, nam durante coniugum vita maritali vinculo, & lege matrimonij sunt deuincti, vndè ortum habuit vulgaris matrimonij definitio, quod *est viri, & fœminæ maritalis coniunctio indiuiduam vitæ Societatem, & consuetudinem retinens.* Et tandem hac de causa communiter Doctores aiunt cessare in matrimonio, & exceptionem pati vulgarem, & communem regulam de contractibus traditam cap. 1. de Regulis iuris, *omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem soluitur*, hæc enim regula solùm tenet in alijs contractibus in quibus ratione materiæ possunt contractus dissolui, & ipsamet contrahentium voluntate, qui vt liberè contraxerunt, ita & pro arbitratu suo possunt contractum rescindere cedentes iuri suo; vel ex potestate superioris illos ex iusta causa rescindentis; hæc autem regula in matrimonio non tenet, tùm propter bonum commune, cùm matrimonij dissolutio in detrimentum publicum vergat, tùm propter ius diuinum, quo matrimonium indissolubile fuit institutum, vt mox dicemus.

Hoc itaque supposito ex communi Doctorum, remanet controuersia, quo iure matrimonium sit indissolubile, 177 siuè præcisè ratum, siuè etiam consummatum, de quo plures sententias, & varios dicendi modos refert Ponce *lib.1.cap.12.* quæ tamen ad tres reduci possunt. Prima affirmat non iure naturali, sed supernaturali diuino, vel ab origine mundi, vel etiam à Christo Domino in lege gratiæ matrimonij contractum insolubilitatem accepisse, ità Sanchez *lib.2.disp.13. Tancred. ibidem, Coninch. disp.26. dub.2.* & alij ab ipsis citati. Secunda opinio affirmat etiam Iure naturali esse matrimonium indissolubile tam consummatum, quàm ratum etiam in ratione contractus, vt à Sacramento præscindit, ità communiter Scholastici *4. dist.33.* quos sequuntur Vasquez, Meratius, Ponce, Corduba, Lopez, Hurtadus, Bellarmin. Rebel. Auersa, Bonacina, Caspensis, Azorius, & alij passim. Tertia tandem sententia docet ex sola Ecclesiæ institutione; & dispensatione insolubilitatem matrimonij prouenire, ità plures Iurisperiti apud Sanchez *loc.cit.*

178 Pro resolutione quæstionis Primò Dicendum est matrimonium fuisse institutum insolubile iure diuino super naturali à mundo condito, & posteà tale confirmatum fuisse à Christo Domino in lege gratiæ. Ità iam statuimus *quæst.1. huius Disput.art.2.concl.2. cum Scoto dist.26.quæst.vnic.lit.* H. & Q. vbi ait obligationem matrimonij indissolubilem fuisse à Deo institutam lege sua positiua, & est communis Theologorum sensus tam veterum, quàm Recentiorum, quod probat Doctor ex illo Genes. 2. *Adhærebit vxori suæ* idest non momentaneè accipiet inquit Doctor, & probat etiam ex oraculo Christi, qui Math. 19. interrogatus, an liceret vxorem dimittere ex quacunque causa, respondit *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam creauit eos, & dixit, Propter hoc dimittet homo Patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ &c.* & concludit *Quod ergo Deus coniunxit homo non separet*, quibus verbis Christus expressit, non posse vxorem dimitti, quia à Deo facta est coniunctio, & Deum instituisse contractum insolubilem inter virum, & fœminam, qui auctoritate humana dissolui nequeat, vt *loc.citat.* dictum est. Et cùm rursus Christum vrgerent Pharisæi argumento repudii, & dimissionis vxoris à Moyse concessæ, ipse respondit *Quoniam ad duritiam cordis vestri Moyses permisit vobis dimittere vxores vestras, ab initio autem non fuit sic*, quasi diceret, institutionem matrimonii à Deo factam ab initio non fuisse cum potestate dimittendi, seù soluendi, quibus verbis expressè docet, matrimonii insolubilitatem à Deo fuisse institutam, mundi initio.

179 Dices, si lege diuina matrimonium indissolubile fuisset, Iudæi in lege Moysi peccassent faciendo repudium, quod est falsum; ergo &c.

Respondeo plures Theologos id concedere cum Magistro *4. dist.33.* Iudæos nimirum peccasse suas vxores dimittendo, quia vinculum matrimonii non soluebatur, ac proindè si nouas vxores acciperent, non erat nouum matrimonium, sed adulterium, & ità videtur colligi ex Deuteronom. 24. vbi dicitur *mulierem repudiatam, si alteri nupserit, fieri pollutam, & abominabilem coram Deo*, quarè dicunt repudia fuisse Hæbreis permissa, tanquam minus malum ad maius euitandum, ne suas, scilicet, vxores occiderent, præstat enim eas dimittere, quam interficere; Probabilius tamen est Hebreis promissa fuisse repudia ex speciali dispensatione diuina itaut vxores dimittere possent non solùm impunè, sed etiam licitè, ita vt non peccarent dimittendo; benè enim potest legislator supremus in sua lege dispensare, lex enim communis non præiudicat priuilegio alicui nationi concesso ad euitandum maius malum; Et hoc præsertim tenet Scotus *4. dist.33.quæst.3.* vbi ex instituto quærit, an pro lege Moysi repudium fuerit licitum, & soluere vinculum matrimonij, & expressis verbis lit. A. & B. inquit fuisse pro eo tempore licita Iudæis vxorum repudia, quæ Christus

tum posteà in lege sua reuocauit, reducens matrimonium ad
statum pristinum; & hæc sententia communior est, ac sa-
cræ Scripturæ conformior, vt testatur Beccanus *cap.47. q.*
2. quia lex Mosaica non puniebat nuptias repudiatarum
cum alijs viris, vt patet Deuter. 24. ergo tales nuptiæ non
erant adulteria, sed vera matrimonia, lex enim Mosaica iu-
bebat lapidari mulierem semel in adulterio deprehensam;
Tùm quia lex prohibebat, ne repudiatam post mortem se-
cundi mariti posset vnquam ad priorem redire; at si post re-
pudium non soluebatur, vinculum matrimonij, id prohiben-
dum non erat, sed potius consulendum, & optandum, vt
vxor ad suum priorem rediret maritum; Nec vrget locus
Deuteronom. pro opposita opinione adductus, ideò enim
mulier repudiata ibi vocatur polluta, & abominabilis coram
Deo, si alteri nupserit, quia maritus eam publica infamia
notauit, hoc ipso, quod eam publicè dimisit, ac proinde
æquum non erat, vt alteri nuberet, & ad secundas nuptias
transiret; Hoc idem sentiunt Sanchez, Ponce, Bellarminus;
180 Coninc. Auersa, & alij.

Secundò Dicendum est, matrimonij indissolubilitatem
esse quidem legi naturæ valdè conformem, non tamen esse
de lege naturæ strictè, & in rigore loquendo. Ità etiam iam
statuimus *quæst.1.* huius Disput. *art.2. num.16.* cum Doctore
dist.26. F. & Q. vbi diximus propriè, & in rigore loquen-
do de lege naturæ esse, vel iure naturali, cuius veritas est no-
ta ex terminis, & tale est principium practicam in lege na-
turæ, sicut & principium notum ex terminis in speculabili-
bus; siuè quod sequitur euidenter ex tali principio sic noto,
cuiusmodi est conclusio practica demonstrata, vndè strictè
loquendo nihil aliud est de lege naturæ, nisi principium, vel
conclusio demonstrata; secundariò autem de lege naturę est
verum euidenter consonum talibus principijs, & conclusio-
nibus licet non necessariò sequens ex illis, vt declarat Doctor
4. dist.17. lit.A. Quod igitur indissolubilitas matrimonij non
sit de iure naturæ propriè, & in rigore loquendo iam ibi pro-
batum est, quia non est quid ex terminis notum, neque ex
primis principijs practicis necessariò deductum, si enim sic
nota esset, omnes nationes id cognoscerent, & cognouis-
sent, quia lex naturæ omnibus, & singulis hominibus nota
est, hoc autem falsum esse iam ibi ostendimus; Et quamuis
possit esse legis naturæ præceptum, & lumine naturæ no-
tum, esse necessarium ad genus humanum propagandum,
& conueniens ad bonam prolis educationem, & Reipublicę
conseruationem, vt mas, & fœmina inter se contrahant cum
tali obligatione; non tamen potest ex terminis apparere, vel
ex principijs euidentibus necessariò deduci talis obligatio, &
indissolubilitas contractus, vt omninò necessaria ad talem
finem consequendum, sed solùm magis apta, & ad talem fi-
nem idonea, ac proindè quod sit legi naturæ valdè conue-
niens, nam sine tali contractu indissolubili adhuc prolis pro-
pagatio, & educatio consistere posset, mediante nimirum
contractu ad tempus, & annos determinatos, quamdiù v.
g. coniuges sint apti ad generationem, & nati ad consisten-
tem ætatem peruenerint; vbi discurrebamus. Tandem id
etiam gratis concedunt Auctores primæ opinionis, non
enim absolutè negant matrimonij indissolubilitatem esse de
iure naturali, sed esse de iure naturali strictè, & in rigore lo-
quendo, alioquin gratis fatentur matrimonium ex sua natu-
ra, siuè ex iure ipso naturali aliqualem habuisse inseparabili-
tatem, omnimodam tamen inseparabilitatem accedisse ex
iure supernaturali diuino, vel ab origine mundi, vel à Chri-
sto Domino in lege gratiæ, in qua ipsum eleuauit ad statum
sacramenti significantis vnionem Christi cum Ecclesia, quæ
vsque indissolubilis.

181 Sed instant Auctores secundæ sententiæ contendentes
matrimonium, tam consummatum, quàm ratum esse in-
dissolubile iure ipso naturali propriè, & in rigore loquendo.
Quia propria ratio, & definitio matrimonij essentialiter in-
cludit indiuiduam vitæ societatem non pro hoc, aut illo tem-
pore, sed in perpetuum; vndè non possunt contrahentes vali-
dè contrahere ad tempus, sed pro tota vitæ periodo; hoc
postulat essentialiter prolis generatio, & educatio; quæ est fi-
nis matrimonij à natura intentus, & non posset consistere,
si aliquando solueretur ex voluntate contrahentium, vel
alia humana potestate. Confirmatur, quia viuente viro ra-
tio dictat, ne fœmina nubere possit alteri viro, quia hoc mo-
do esset omninò prolis incertitudo, quo circa aliam quamuis
polygamia vnius viri cum pluribus fœminis fuerit à Deo
permissa, nunquam tamen permissa fuit polygamia vnius
fœminæ cum pluribus viris, quia proli educandæ hæc poly-
gamia obstabat; sed similiter solubilitas matrimonij pluri-
mum obstat educandæ proli, ergo hæc à natura omninò ir-
ritatur, ac proindè matrimonium à natura est insolubile; ità
arguit Caspensis *tract.26. disp.7. sec.1.* Deniq; hoc idem pro-
bat Auersa *q.2. sec.4.* eadem ratione, qua solet ostendi non li-
cere vagum concubitum inter viros, & fœminas, neq; licere
communicatione vxorum inter viros; nam si matrimo-
nium ex natura sua dissolui posset, iam licitum erit viro di-
mittere vnam vxorem, & aliam sumere, itemque erit fœmi-
næ licitum recedere ab vno viro, & accedere ad alium, ac
rursus ad alium, sicque licita erit de iure naturæ communi-
catio vxorum inter viros dissoluendo, ac ineundo matrimo-
nia; planè ergo eadem ratione, qua supponitur non licere
vagum concubitum, & communicationem vxorum, con-
uincitur non licere, nec valere matrimonij dissolutionem,
nec esse cuique liberum de vno ad aliud transire coniugum,
aut mutuo consensu vtriusque coniugis, aut ex causa vlla
prætensa à quoquam coniugum, & ideò ex natura rei, &
dictamine ipso naturali nunquam potest inter coniuges vi-
uentes matrimonium dissolui.

Respondeo in definitione matrimonii includi essentiali- 182
ter indiuiduam vitæ societatem, non ex natura sua, sed ex
suppositione, quod sic à Deo fuerit institutum, vt notat Bran-
catus noster *disp.16. art.3.* ideoque natura matrimonii diui-
na lege instituti cum indissolubilitate est illa, quæ definitur;
Sicut ergò sacramentum, quod ex Dei institutione est si-
gnum efficax gratiæ, definitur per talem formam, seù prædi-
catum, nec ob id sequitur, quod sacramentum ex sua natu-
ra, vel de iure naturali sit causa gratiæ; ità in proposito est de
matrimonio discurrendum; illud ergo formam aliquam
positiuam, vel negatiuam habere dicitur de iure naturæ,
quod non lege positiua diuina, vel humana eam habet, ne-
que ex reuelatione eius notitia habetur, sed ex suis intrinse-
cis principiis legem positiuam præcedentibus illam obtinet,
eiusque notitia cuicunque propriis viribus est perfecta, quia
cordi insita, qualis non est notitia de matrimonii insolubili-
tate, vt pluribus historiis, & exemplis hic Auctor ibi osten-
dit; & licet prolis generatio, & educatio, quo est finis ma-
trimonii à natura intentus, longè melius, & commodius
cum tali indissolubilitate consisteret, vt medio magis apto ad
talem finem consequendum, ac proindè etiam legi naturæ
magis conuenienti, hoc tamen ad talem obligationem indu-
cendam non est sufficiens, quia adhuc prolis generatio, & na-
educatio absolutè loquendo consistere potest, mediante ni-
mirum contractum ad certum tempus, & annos determi-
natos indissolubili, quamdiù scilicet, coniuges sunt apti ad
generandum, & nati ad consistentem ætatem peruenerint,
vt dicebamus, & perfectam educationem.

Ad Confirmationem concedo, quod viuente viro ratio 183
dictat, ne fœmina possit nubere alteri viro, non tamen tan-
quam aliquid ex terminis notum, aut ex primis principiis
practicis necessariò deductum, quod requiritur, vt aliquid
dicatur esse lumine naturali notum, & de lege naturę strictè,
& in rigore loquendo; sed tantum id ratio dictat tanquam
aliquid verum valdè conforme legi naturæ, & euidenter
consonum talibus principiis, & conclusionibus, licet non
necessariò sequens; quia adhuc sine contractu simpliciter in-
dissolubili, sed tantum ad certum tempus prolis certitudo
consistere posset, si nimirum contractus indissolubilis esset,
quamdiù coniuges essent apti ad generandum, vt dictum
est; vndè ex contractu sic dissolubili non sequerentur in-
commoda, quæ sequerentur ex polygamia vnius fœminæ
cum multis viris. Ad vltimum, negatur eadem ratione, &
qua probatur non licere vagum concubitum inter viros, &
fœminas, & communicationem vxorum, conuinci pariter
non licere vllam prorsus matrimonii dissolutionem; si enim
contraharetur matrimonium contractu indissolubili vsque
ad tempus senectutis, quando coniuges non sunt amplius ad
generandú apti, & non vsque ad tempus mortis, ad hæc euitarentur
tarentur inconuenientia, & incommoda, quæ sequerentur
ex vago concubitu inter viros, & fœminas, & ex matrimo-
nio ad libitum coniugum dissolubili, atque ideò negatur vl-
tima consequentia, scilicet, ex natura rei sequi nunquam
posse inter coniuges viuentes matrimonium dissolui; Quia
rè hæc, & similia argumenta ab Auctoribus secundæ
sententiæ adducta solùm probant, matrimonij indissolu-
bilitatem, vitam coniugum durante, esse quidem legi na-
turę conformem, & dictamini rationis valdè consentaneam,
non

non tamen de lege naturæ strictè, & in rigore loquen-
do.
184 Sed adhuc instat Hurtad. *disp.* 18. *diff.* 2. quia dissolubi-
litas matrimonii ex se, & natura sua est contrà præcipuum
matrimonij finem, nempè contrà prolis propagationem,&
contrà eius bonam educationem, etiamsi aliquandò per ac-
cidens non noceret, vt postquam matrimonio superuenit
sterilitas, vel senium, & post perfectam prolis educatio-
nem, ergo dissolubilitas est contrà naturam matrimonij ad
illas ex se, & sua natura ordinati, ac proindè matrimo-
nium sua natura est indissolubile, & perpetuum, & ali-
ter factum non solùm esset licitum, sed etiam inuali-
dum.
Respondeo assumptum esse probandum, si enim semel
concedatur, vt arguens de facto concedit, posse dari talem
matrimonij dissolutionem, vita adhuc coniugum durante,
quæ illi præcipuo eius fini non noceret, vt si dissolueretur,
postquam matrimonio superuenit sterilitas, vel senectus, &
post perfectam prolis educationem; planè non video, quo-
modo deduci possit talem indissolubilitatem esse contrà na-
turam matrimonij, solùm enim deduci potest ad summum
eam dissolubilitatem esse contrà eius naturam, quæ prolis
generationi, & eius bonæ educationi noceret, & obstaret;
Fateor quidem etiam talem dissolubilitatem, quæ prolis ge-
nerationi, & educationi non præiudicaret, cum matrimo-
nio consistere non posse, quale institutum fuit à Deo ab
origine mundi de facto, & posteà à Christo Domino in
lege Euangelica confirmatum, quia in tali contractu non
est accommodatio, sed permutatio potestatis, non ad tem-
pus, sed perpetua, alioquin non esset verum matrimonium
nouæ legis institutum à Christo Math. 19. & reuocatum ad
primum statum suæ institutionis à principio excluso repu-
dio, quod in lege Mosaica permittebatur.
Et planè quando Auctores secundæ sententiæ dicunt ma-
trimonium tam ratum, quàm consummatum etiam iure
naturali, seù ex natura rei esse indissolubile; nec aliter, nec
alio modo puto hoc dixisse, nisi in sensu iam à nobis expli-
cato, nempè secundariò tantùm, & remotè, non autem
primariò, & proximè, & in rigore loquendo de iure natu-
ræ; Moueor ad hoc credendum, quia quidam ex illis re-
nentes summum Pontificem posse aliquando dispensare in
matrimonio rato; dùm ipsis obijcitur, matrimonium esse
indissolubile iure naturæ, & diuino, ac proindè non posse
Pontificem dispensare, vt matrimonium ratum dissoluatur,
cùm Pontifex in iure naturæ, & diuino dispensare non
possit; respondent summum Pontificem posse diuina au-
ctoritate sibi concessa dispensare in aliquibus, quæ non de-
ducuntur proximè ex principijs iure naturæ, sed remotè,
& quæ habent admixtum aliquid obligationis humanæ,
modò interueniat iusta, & legitima causa, & consequenter
non esse mirum summum Pontificem posse ex iusta causa
dispensare in matrimonio rato; & ità ad verbum respondet
Bonacina *qu.* 2. *punct.* 11. *num.* 4. pro qua doctrina adducit
Sanchez, Henriquez, Rebell. & alios, quæ planè coin-
cidit cum explicatione, & limitatione à nobis allata.
185 Tertiò tandem Dicendum est, quod licet matrimonij
vinculum antequam eleuaretur à Christo ad statum Sacra-
menti, erat insolubile, & tale etiam fuit ab initio; adhuc
tamen ex tali eleuatione eius insolubilitas magis firmata est,
ac stabilita, itaut ex nullo capite humana auctoritate solui
possit. Ità declarauit Innocentius Tertius in *capit. Quanto*
de Diuortiis iam ab initio quæstionis citato, vbi Pontifex
assignans discrimen inter Fidelium, & infidelium coniugia
sic loquitur. *Et si matrimonium verum inter Infideles exi-
stat, non tamen est ratum, inter Fideles autem verum, & ra-
tum existit, quia sacramentum Fidei, quod semel est admis-
sum, nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugij Sacra-
mentum, vt ipsum in coniugibus illo durante perduret.* Hoc
etiam adhuc magis constat de matrimonio consummato,
quia nulla adest dispensatio ad soluendum matrimonium
consummatum fidelium, sicut adest ad soluendum matri-
monium Infidelium, vt habetur ex *dist.* 28. *quæst.* 2. *capit.
final.* Si infideles, vbi permittur, quod si vnus ex coniu-
gibus conuertatur ad fidem, & alius remanens vult disce-
dere, potest discedere, nec est ei seruanda fides coniugij;
sed hoc non ex alio capite prouenire potest, nisi quia matri-
monium Fidelium est Sacramentum in fidelium verò mi-
nimè: ergo per eleuationem ad statum sacramentalem habet
maiorem firmitatem, & ligamen; Hoc autem præserc im

affertur de matrimonio consummato, quia *hoc in ratione*
sacramenti significat, & repræsentat vnionem *hyposta-*
ticam Verbi cum natura humana, quæ vnio est *sicut indis-*
solubilis, ità etiam insolubile est matrimonium consumma-
tum inter Fideles, quod illam repræsentat; vt ait Inno-
centius Tertius *de Bigamis, capit. Debitum*; Ratum verò
significat vnionem Christi cum Ecclesia per gratiam, &
charitatem ex eodem *capit. Debitum*; ista autem vnio so-
lubilis est, & frequenter soluitur, quia per peccata fide-
lium perditur charitas; & hac de causa licet Deus dispen-
sauerit, vt ratum in aliquibus casibus solui possit, vt per
professionem in Religione, non tamen consummatum,
& hoc ratione misterij per ipsum significati, quia Christus
ab Ecclesia nunquam separabitur, quæ omnia adhuc magis
patebunt ex dicendis *art. seq.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

An matrimonium dissolui possit ob aliquam causam in lege Euangelica.

POsse dissolui ob adulterium alterius coniugis sentiunt 186
Græci omnes, qui reipsa matrimonia dissoluunt, &
coniugibus potestatem faciunt alia matrimonia ineundi in
causa adulterij; ex Latinis idem sentiunt Lutherani, &
Anabaptistæ, ac etiam pauci quidam ex Catholicis, vt re-
fert Alphonsus de Castro Verbo *Nuptiæ* §. *Quinta Hære-
sis*, qui tamen suam sententiam iudicio Ecclesiæ subij-
ciunt.
Fundamentum huius opinionis desumpserunt ex verbis
Christi malè intellectis Mathæi 19. vbi Christus à Pharisæis
interrogatus, an liceret dimittere vxorem quacunque
ex causa, ipse respondit non licere, quia Deus dixit, re-
linquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit vxori
suæ, & erunt duo in carne vna; & cùm rursus Pharisæi re-
plicarent; Cur ergo Moyses præcepit dare libellum repu-
dij, & dimittere? Christus respondit. Quoniam ad duri-
tiam cordis vestris Moyses permisit vobis dimittere vxores
vestras, ab initio autem non fuit sic; Et posteà quasi fir-
mans generalem regulam agendorum in hac materia dimis-
sionis concludit. *Dico autem vobis, quia quicunque dimise-
rit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit,
mœchatur, & qui dimissam duxerit mœchatur*; Ex quibus
verbis occasionem sumpserunt Hæretici relati dicendi, quod
Christus repudium abrogauit ex cæteris causis prouueniens,
sed non abrogauit, imò potius stabiliuit, quod vir posset
vxorem dimittere, & aliam accipere ob causam adulterij;
Pro resolutione quæsiti, & veritate Catholica aperienda in
hac materia.
Primò Dicendum est, Matrimonium Christianorum
consummatum esse omninò indissolubile, itaut neque ob 187
adulterium alterius coniugis, neque ob hæresim, aut mo-
lestam cohabitationem, vel aliam similem causam dissolui
possit, ac proindè alio coniuge superstite nunquam licitum
est ad aliàs nuptias transire. Hæc est communis Catholico-
rum sententia, quàm Scotus ex instituto docuit 4. *dist.* 31.
lit. G. & dist. 33. *quæst.* 3. §. Alia opinio, vbi ait repudium
à Deo concessum pro lege Moysi fuisse à Christo pro lege
sua Euangelica penitus, & quacunque ex causa abroga-
tum; Quod posteà confirmatum est in Concilio Florenti-
no, & Tridentino *sess.* 24. *can.* 5. & 7. & probatur euidenter
ex Sacra Scriptura Marci 10. vbi Christus Dominus gene-
raliter loquens ait: *Quicunque dimiserit vxorem suam, &
aliam duxerit, adulterium committit super eam, & si vxor
dimiserit virum, & alij nupserit, mœchatur*; idem habetur
Lucæ 16. *omnis qui dimittit vxorem suam, & aliam ducit,
mœchatur, & qui dimissam à viro ducit, mœchatur*; & Rom.
7. *Quæ sub viro est mulier viuente viro alligata est legi, &
viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro*, &
Corinth. 1. capit. 7. *ijs, qui matrimonio iuncti sunt, præci-
pio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere,
quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconci-
liari.*
Deindè probatur hæc veritas pluribus Sanctorum Pa-
trum testimonijs, & Pontificum rescriptis, quæ fusè refe-
runtur à Bellarmino *capit.* 16. & *Brancato nostro disp.* 16.
artic. 7. Tandem probatur ratione iam insinuata, quia
matrimonium Christianorum consummatum est signum
coniunctionis Christi cùm Ecclesia, quatenus sub ra-
tione

tione sacramenti repræsentat vnionem hypostaticam Verbi cum natura humana, vt ait Paulus ad Ephes. 5. sed illa coniunctio est indissolubilis; ergo & matrimonium Christianorum consummatum est indissolubile.

188 Ad fundamentum in oppositum sumptum ex verbis Math. 19. *quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur* respondetur ex doctrina Patrum, Conciliorum, & rescriptis Pontificum in repudio, seù perfecta dimissione quoad vinculum duo esse consideranda, nempè dimissionem vnius, & potestatem ducendi aliam; Christus igitur in præfatis verbis hæc duo distinguit, & vnum in causa fornicationis concedit, scilicet, dimissionem, alterum verò, scilicet, potestatem aliam ducendi omninò abrogauit, alioquin esset manifesta contradictio cum præcedentibus verbis, quibus repudium, quod erat in lege Mosayca permissum, & solutionem quoad vinculum omninò reprobauerat; solùm ergo concedit illis verbis, quod ex causa fornicationis possit quis vxorem dimittere quoad cohabitationem, & thorum, non tamen quoad vinculum, nec in vllo casu permittit licere aliam ducere priore coniuge viuente, quia vinculum non est solutum, & sic patet quod idem dicit Matthæus, quod Lucas, & Marcus, & in hoc sensu hunc locum exposuit præsertim Augustin. *lib. 2. de adulterio Coniug. cap. 9.*

Sed Dices, matrimonium ratum potest dissolui saltem ex diuina dispensatione, vt mox dicemus; ergo & consummatum, sequela patet, quia non essentialiter, sed tantùm accidentaliter differunt, alioquin vt ait Scotus *dist. 31. lit. B.* indissolubilitas ista competeret matrimonio, non ex contractu matrimonij simpliciter, qui est datio mutua, sed ex actu carnali superaddito, quod non videtur probabile, quia hic actus non est aliquid noui contractus, nec per consequens aliquam nouam indissolubilitatem inducit; Tum etiam quia loca Scripturæ allata pro matrimonio consummato æquè benè rato intelligi possunt; Tùm tandem quia vtrumque est signum coniunctionis Christi cum Ecclesia, quæ indissolubilis est, ergo ex hac parte non est magis vnum indissolubile, quàm aliud.

189 Respondetur negando consequentiam, & paritatem, ad cuius probationem dicendum, quod licet, hæc duo matrimonia ratum, scilicet, & consummatum essentialiter non differant, differunt tamen extrinsecè, & ratione significati, quia ratum significat tantùm vnionem Christi cum Ecclesia per charitatem, seù gratiam, quæ solui potest, vt suprà dictum est; sed matrimonium consummatum Christianorum, significat vnionem Christi cum Ecclesia per humanitatem, quatenus sub ratione sacramenti repræsentat vnionem hypostaticam Verbi cum humanitate, quæ omninò indissolubilis est, vt dixit Innocentius Tertius in *cap. Debitum* de Bigamis. Sed quamuis hæc sit communis solutio, adhuc tamen fatendum est ex natura rei, & ex se tam indissolubile esse matrimonium ratum, quàm consummatum, vt benè probat argumentum ideoque neutrum posse humana auctoritate dissolui, cùm vtrumque iure diuino sit insolubile adhuc tamen vtrumque potest à Deo dissolui per specialem dispensationem, quia qui fecit legem potest in aliquo casu eam dispensare; Deus autem voluit matrimonium tantummodò ratum per ingressum Religionis dissolui posse per specialem dispensationem, vt habemus ex Ecclesiæ traditione, & declaratione, vt mox dicemus, non autem consummatum inter Fideles, quod si Deus vtrumque dissolui voluisset, vtrumque dissolui posset, & hæc est vera, & fundamentalis argumenti solutio.

190 Secundò Dicendum est matrimonium Christianorum ratum, & nondùm consumatum, iure diuino deriuato à Christo Domino in fauorem professionis religiosæ, posse dissolui quoad vinculum per ingressum alterius coniugis in Religionem. Ità communiter Doctores, quos allegant, & sequuntur Sanchez, & Tancred. *lib. 2. disp. 19.* Ponce *lib. 9. cap. 5.* Mennius *disp. 8. sect. 3.* Caspensis *disp. 7. sect. 2.* & alij passim, & Scotus noster ex professo *4. dist. 30. quæst. vn. lit. C.* vbi inquit, quod Christus, qui indissolubilitatem induxit Matth. 19. reprobans pro lege sua repudium Mosaicum, ipse relaxauit indissolubilitatem, quando alter coniugium conuertitur ad Religionem; vndè Ecclesia nunquam attentasset post matrimonia rata non consummata licentiare alterum ad Religionem, altero manente in sæculo, nisi Christus hoc insinuasset; habetur autem hoc ex facto Christi vocantis Ioannem Apostolum, & Euangelistam à *Medit. Quart. Sentent.* nuptijs Ioan. 2. cuius exemplum imitati sunt alij. Ità Doctor *loc. cit.* Quod totum posteà confirmatum est in Concilio Tridentino *sess. 14. can. 6.* & in Iure canonico *cap. Ex publico* de conuersione coniugatorum, & *cap. Ex parte tua* eodem titulo, vbi asseritur, *Ex sacri eloquij interpretatione, & diuina reuelatione in Ecclesia Christi semper fuit custoditum, vt ratum matrimonium per professionem solemnem dissolueretur*, vndè ex Christi priuilegio, vt Scotus dicebat, professio religiosa vim obtinuisse creditur dirimendi matrimonium ratum, quod non aliundè constat, quàm per Ecclesiæ traditionem. Hoc etiam ratione suadetur, quia recta ratio dictat, semper esse licitum transitum de statu minus perfecto ad perfectionem, si absque alterius detrimento id fieri possit; at status Religionis perfectior est, & status coniugij imperfectior; ergo potest quis ab isto ad illum transire, si absque alterius detrimento id fieri possit, quod fit quando matrimonium est tantummodò ratum, & non consummatum, quia tunc nulla est proles, & vxor si velit, alteri nubere, nubere potest, & æquè benè ac anteà, cùm sit Virgo, & ex tali separatione nihil infamiæ incurrat, vt de se patet; neque vlla fit ei iniuria, sed marito consentire tenetur perfectiores nuptias cum Christo inire volenti, cùm id sine vllo suo incommodo facere possit; quàm materiam fusè prosequitur Brancatus noster *disp. 16. art. 13. 14. & 15.*

Dices, ergo pariter matrimonium consummatum inter fideles eodem modo dissolui poterit per Religionis ingressum, quia consummato matrimonio possunt coniuges ex mutuo consensu Religionem ingredi, & validè profiteri, vel etiam fœmina potest profiteri ex consensu viri, ipso etiam in sæculo manente, si grandæuus sit, & prouectæ ætatis, sicut etiam vir consensu fœminæ potest profiteri ipsa in sæculo manente, si grandæua sit, & prouectæ ætatis, eadem enim quoad hoc est vtriusque ratio, & par conditio, vt notat Ponce *lib. 8. cap. 12.* 191

Deindè sequitur non solùm per Religionem, sed etiam per sacrorum Ordinum susceptionem, & maximè per dignitatem Episcopalem dissolui posse matrimonium ratum, quia illi duo status sunt etiam perfectiores statu coniugali. Denique matrimonium ratum, vt dictum est *art. præced.* est omninò indissolubile; ergo per religiosam professionem dissolui non potest.

Respondetur negando consequentiam, & paritatem, quia solùm in matrimonio rato hanc dissolubilitatem Christus dispensauit etiam quoad vinculum, vt constat ex Ecclesiæ traditione, in fauorem religiosæ professionis; non autem in matrimonio consummato, nam in hoc casu per professionem religiosam non dirimitur matrimonium quoad vinculum, & ius remotum petendi debitum, & obligationem reddendi, sed tantum quoad ius proximum, quod per religiosam professionem omninò euanescit.

Ad secundum negatur etiam paritas, quamuis enim ordo, & dignitas Episcopalis sit perfectior status, quàm religiosa professio; adhuc tamen per ipsam solùm dirimitur matrimonium ratum, quia matrimonium ex natura rei, & per se, vel saltem ex iure diuino religiosæ professioni repugnat, nec possunt simul consistere; non autem sic repugnat sacris ordinibus, sed solùm ex decreto ecclesiæ, sinè iure ecclesiastico, vndè absolutè loquendo simul consistere possunt; Tum etiam quia per professionem religiosam homo ciuiliter, & spiritualiter habetur pro mortuo huic mundo, vt dici solet, quod non fit per Episcopalem dignitatem, vel sacros ordines, & ideò sola religiosa professio matrimonium ratum, non consumatum dirimere potest, vt habetur in Extrauag. *Antiquæ* de voto.

Ad vltimum, matrimonium non dicitur indissolubile eo, quia nec etiam per diuinam auctoritatem dissolui possit, sed quia non potest per humanam contrahentium, vel superiorum non habentium potestatem à Deo, & hac ratione matrimonium ratum, non consummatum per professionem religiosam dissolui potest. Itaque matrimonium ratum, & nondùm consumatum dicitur ex natura sua indissolubile, quia non potest eorundem coniugum consensu, vel non quacunque alia purè humana auctoritate dissolui, quia natura ipsa contractus coniugalis etiam nondùm secuta copula, videtur per se ferre talem indissolubilitatem modo iam declarato *art. præced. num. 180.* nec se habet ad instar aliorum humanorum contractuum, quos vel ipsimet contrahentes voluntate sua rescindere possunt, vel 192

Principes superiori sua auctoritate. Adhuc tamen putandum non est professionem religiosam præcisè ex mero iure naturæ matrimonium ratum dissoluere, neque in hoc dici potest per se valere sicut mors naturalis, alioquin etiam matrimonium consummatum dissolueret; sed dicendum est dissoluere auctoritate diuina à Christo Domino suæ Ecclesiæ concessa, quatenus conueniens erat, & rationabile, attenta natura religiosæ professionis, qua quis sæculo moritur, & statum tantæ perfectionis assumit, & attenta ratione matrimonij rati, sed nondum consumati, vt talis facultas concederetur Religionem ingrediendi soluendo matrimonij vinculum, & alteri coniugi in sæculo remanenti relinquendo facultatem denuò contrahendi. Et per professionem religiosam hic intelligenda est omnis, & sola professio solemnis in Religione per Ecclesiam approbata, quia alioqui ingressus in Religionem, & commoratio in statu probationis antè ipsam professionem tale matrimonium non adhuc dirimit, nec quæcunque vota simplicia absque solemnitate professionis, nec etiam illorum virorum, vel fœminarum, qui alicuius Ordinis regularis habitum assumunt, & quædam vota emittunt adhuc in sæculo manentes, quia non per hoc solemniter in Religione profitentur, vt hic communiter Doctores aduertunt; & hoc totum intelligitur de matrimonio tantummodò rato, non autem consummato, quia vt ait Doctor 4. dist. 31. etiamsi ambo coniuges Religionem ingrederentur, & profiterentur, adhuc remanerent coniuges, & vinculum non esset solutum, quæ est omnium communis opinio, vt dictum est conclusione præcedenti.

193 Tertiò Dicendum est, matrimonium inter infideles contractum dissolui posse quoad vinculum, si alter coniugum conuertatur ad fidem, & alter nolit alteri cohabitare sine iniuria Creatoris. Ità Doctor 4. dist. 39. *sub E. & F.* idem docent D. Thomas, D. Bonauentura, & Canonistarum sententia, quam deducunt ex verbis Pauli 1. ad Corinth. 7. *Si infidelis discedit, discedat, non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi*, quæ verba non sunt intelligenda tantùm de separatione quoad thorum, & cohabitationem, sed etiam quoad vinculum matrimonij, & est res decisa in Ecclesia, & expressa in iure cap. *Si infideles*, ex Ambrosio dicente, vt in eius loci expositione refert Cornelius à Lapide, *Qui in infidelitate perseuerat non debetur ei reuerentia coniugij, qui horret auctorem coniugij, sed potest alter se coniungere*, & D. Gregorio sic etiam exponente *contumelia Creatoris soluit ius matrimonij circa eum, qui relinquitur, infidelis autem discedens, & in Deum peccat, & in matrimonium, nec est ei infideles seruanda coniugij*. Item habetur *cap. Quanto* & *cap. Gaudemus* de Diuortijs ex Innocentio Tertio, vbi Pontifex declarat, quod frater, aut soror infidelis non subijciatur seruituti, & ligamini prioris coniugij, sed possit illud dissoluere, & aliud inire coniugium cum altera, scilicet, persona fideli. Hoc autem ità intelligendum est, vt notat Auersa *quæst. 2. sect. 5.* quod hæc facultas dissoluendi coniugium in tali casu non quidem competat fideli ex ipsa rei natura, sed dici debet concessa fuisse à Christo sua auctoritate suprema, & ab Apostolo promulgata, atque sit accepta, & intellecta ab Ecclesia; Quarè aliam non oportet quærere rationem, nisi quod valdè conueniens fuit, & humanæ fragilitati accomodatum, & fidei fauorabile id concessisse, ne scilicet, infideles coniugati aut cogerentur per susceptionem Fidei seruare deinceps vitam cælibem, quàm tamen Christus Dominus nulli sub obligatione imponere voluit: aut à susceptione fidei deterrerentur timore huius incommodi; quarè valdè opportuna fuit talis concessio, vt veniens ad fidem à priori coniugio liberari posset, & aliud legitimum cum alio fideli inire, si vellet.

194 Declarat autem Pontifex in illo *cap. Quanto* id esse intelligendum, non solum quando alter in sua infidelitate pertinax non vult prorsus cum coniuge permanere deinceps, sed corporaliter ab eo recedit; sed etiam si consentiat quidem habitare cum illo, iactando tamen iniurias, & blasphemias contrà Christum, & christianam fidem, aut conando illum pertrahere ad pristinam infidelitatem, vel aliud quodcunque peccatum mortale. Si autem coniux infidelis consentiat habitare cum fideli conuerso pacificè absque iniuria Creatoris, & sine periculo pertrahendi ipsum in Apostasiam à fide, vel in aliud mortale peccatum, plures Theologi, & Iuristæ dicunt in tali casu non posse coniugem fidelem dissoluere tale matrimonium, & aliud de nouo contrahere; quorum fundamentum est, quia Apostolus *loc. cit.* non solùm id non concedit, sed potius oppositum iubere videtur dicens, *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: & si quæ mulier fidelis habeat virum infidelem, & hoc consentit habitare cum illa, ne dimittat virum*. Et idem etiam insinuare videtur Pontifex in *cap. cit.* vbi ait matrimonium posse dissolui in eo tantum casu, quod alter coniugum infidelis nolit alteri conuerso cohabitare sine iniuria creatoris: ergò præter hunc casum non potest matrimonium dissolui; ita sentiunt Nauarrus, Valentia, Toletus, Rebellus, Hurtadus, & alij apud Dianam *resol. 252.*

Attamen etiam in tali casu satis recepta est inter Recentiores sententia posse coniugem fidelem dissoluere tale matrimonium, & aliud cum persona fideli inire; ità Sanchez, Tancredus, Coninchius, Becanus, Meratius, Diana, Caspensis, Auersa, & alij. Ratio est, quia quando Apostolus *loc. cit.* dixit, quod si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentiat habitare cum illo, non dimittat illam; ibidem clarè insinuat hoc non esse præceptum Christi, sed suum consilium, vt patet ex eius verbis *Ego dico, non Dominus, si quis frater &c.* ergo adhuc liberum est fideli dimittere illam, vel non dimittere, & ratio est, quia fidelis per baptismum regeneratur in nouam planè vitam, & moritur priori vitæ; ergò non decet, vt obligatus maneat ad habitandum cum infideli; Et quamuis liceat in eo casu habitare cum infideli, & matrimonium non dissoluere spe sanctificandi, & lucrandi illum ad fidem, vt Paulus vbi suprà consulit, quia fieri potest, vt saluetur vir infidelis per mulierem fidelem, & è contrà; adhuc tamen non est obligatio, & præceptum Christi, vt necessariò permaneat in matrimonio cum tali infideli, sed poterit conuersus, si velit, aliud inire matrimonium, quamuis Ecclesia non præcipiat eius discessum ab infideli. Et ex declaratione Pontificis in illo *cap. Quanto* hoc etiam sufficienter deducitur, quia vt licitè fidelis discedat ab infideli, sufficit ipsa Creatoris iniuria, quam infidelis in ipsa permanentia in infidelitate præcisè committit, vt constat ex verbis Ambrosij paulò suprà relatis *Non debetur ei reuerentia, qui horret Auctorem coniugij*, scilicet, dùm permanet in sua infidelitate, per quam Deo horret coniugij auctorem.

196 Sed Contrà prædicta objicies, quia Christus Dominus in lege gratiæ potius abrogauit concessionem in lege veteri factam de repudio, & matrimonij dissolutione, & absque vlla exceptione pronunciauit *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, & similiter Apostolus Roman. 7. & 1. ad Corint. 7. in vniuersum dixit non solui matrimonium, nisi per mortem alterius coniugis.

Confirmatur ex Math. 19. vbi Christus dixit *Qui dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mæchatur*; ergo fidelis vxorem dimittere non potest ob solam infidelitatem; Tandem propter hæresim non soluitur vinculum matrimonij, & tamen hæresis est quædam species infidelitatis; ergo matrimonium non semper solui potest ob infidelitatem.

Respondetur sustulisse quidem Christum illam concessionem in lege veteri factam, & hanc nouam vtiliorem fecisse pro matrimonio inter infideles contracto; & licet in illis verbis talem exceptionem non interposuerit, nec illam Euangelistæ commemorent; satis tamen est, quod aliàs eam discipulis proposuerit, & per Apostolum Paulum promulgauerit, qui eam 1. ad Corinth. 7. in verbis iam relatis satis expressit, & hunc etiam modum dissoluendi matrimonium inter infideles contractum præter mortem coniugis assignauit; ac etiam sufficienter expressit talem separationem non fieri ab homine, & iure humano, sed à Deo, & iure diuino.

Ad Confirmationem dicendum Christum ibi locutum esse de matrimonio inter fideles contracto, vt patet ex dictis conclusione prima, etenim inter fideles non potest vnus coniugum ab alio separari etiam quoad thorum, nisi ob fornicationem; at quando matrimonium est inter infideles contractum tunc alter potest ab altero separari etiam quoad vinculum ob infidelitatem. Quod autem Christus ibi loquatur matrimonio Fidelium duntaxat, colligitur ex D. Paulo *loc. cit.* vbi cùm dixisset *Præcipio non ego, sed Dominus vxorem à viro non discedere*, deinde subiungit, *Cæteris autem*

autem ego dico, non Dominus, si quis habet vxorem infidelẽ, &c. vbi per *cæteros* intelligit eos, qui matrimonium antè conuersionem ad fidem contraxerunt, de quibus Christus nihil præceperat, & his Apostolus consilium præbet, vt vir vxorem infidelem non dimittat, si secum ea cohabitare velit absque creatoris iniuria, quia fieri potest vt vxor infidelis saluetur per virum fidelem.

Ad vltimum negatur consequentia, & paritas, magnum siquidem vertit discrimen inter hęresim, & infidelitatem propriè dictam, siquidem matrimonium in infidelitate propriè dicta contractum vt inter Gentiles, & Iudæos, non est sacramentum, ideoque facilius dissolui potest; at matrimonium post baptismum contractum est sacramentum, & ideò minus dissolui potest cùm sacramentum magis illum firmet in sua indissolubilitate; quarè mirum non est, si matrimonium Christianorum non soluatur, quando alter conuertitur ab hæresi, altero in ea manente, quia illud matrimonium est sacramentum, non autem contractum inter infideles.

ARTICVLVS TERTIVS.

An matrimonium ratum non consummatum auctoritate Pontificia dissolui possit.

197 OMnes Catholici conueniunt matrimonium consummatum non posse dissolui per dispensationem Pontificis; conueniunt etiam omnes Theologi matrimonium tantummodò ratum per professionem Religiosam posse dissolui dicẽtes id prouenire vel ex natura rei, & ipsius professionis, vel ex speciali Christi institutione; vndè hic tantùm est quæstio de matrimonio rato extrà casum professionis Religiosæ; itaut sensus sit, an possit etiam in alijs casibus ex dispensatione summi Pontificis absq; solemni professione alterutrius coniugum, verè dissolui matrimonium ratũ nondùm consummatum, itaut ambo liberè possint ad alia transire coniugia, an inquam, id fieri possit ex eiusdem Pontificis dispensatione, graui interueniente causa, hac enim deficiente certum videtur non posse validè dissolui etiam per dispensationem Romani Pontificis. Affirmant quamplures matrimonium ratum esse ex natura sua, ac diuino iure indissolubile, vt propterea nec summus Pontifex in hoc dispensare possit, nempè ex communi principio, & fundamento, quod nequeat Pontifex dispensare in iure naturali, & diuino vt dicitur in tractatu de legibus. Hanc tenent communiter Scholastici veteres, pro qua etiã passim citatus Scotus 4. *dist.* 31. non solùm ab exteris, sed etiam à nostris, vt videri potest apud Brancatum *disp.* 16. *art.* 12. ab initio, vbi pro hac opinione non tantum citat Doctorem nostrum, sed etiam vniuersam Scotistarum scholam, & D. Bonauent. *4. d. 27. part. 3. quæst. 2.* in corpore, vbi per mortem tantum docet solui posse matrimonium ratum, excepto casu Religionis; idem tenuerunt Paludanus, Almainus, Palatius, Corduba, Victoria, & plures ex Recentioribus, vterq; Soto, vterque Ledesma, Loquez. Valentia, Poncius, Arragõ. Veracruz, Meratius, & plures alij etiam ex legistis.

Alij è contrà volunt matrimonium ratum esse quidem ex natura sua indissolubile propria contrahentium auctoritate, tamen non solùm potestate diuina, sed etiam humana summi Pontificis posse dissolui, & tenent omnes, qui dicunt insolubilitatem matrimonij rati esse iuris Ecclesiastici; ita D. Antonin. Caiet. Caterin. Bellarm. Henriquez, Kellisonus, Bonacina, Aueria, Caspensis, Laimã. Nauarrus, Hurtad. Rebell. Stephanus à S. Gregorio, & ex professò Sanchez *lib. 2. disp. 14.* & Tancred. eius assecla, & vindicator ibid. Qui tamen Doctores inter se discrepant in hac opione tuenda, quidam enim dicunt id facere posse auctoritate propria, & merè humana, & in hoc sensu Iuristę communiter affirmãt posse ex dispensatione Papę dissolui huiusmodi matrimonium, quos refert Sanchez *loc. cit.* Alij verò, & melius pro hac sententia dicunt summum Pontificem id facere posse, non ex solo humano iure, sed auctoritate sibi à Deo specialiter concessa, vt eius Vicario.

198 Pro resolutione quæstionis huius, quæ est vna ex præcipuis controuersijs in hac materia, vt eam pro dignitate declaremus, & ad mentem Doctoris nostri, maximè aduertendum est, quod notauit Hiqueus *4. d. 31. q. vn.* in Comment. num. 43. Scotum ibi hunc casum non tractare, sed solùm asserere, quo iure conueniat matrimonio rato esse insolubile, & resoluens quæsitum inquit conuenire iure diuino positiuo, & ex alia parte dicit eximi casum professionis in Religione; & volens huius dicti assignare rationem, eam adducit à posteriori, vt dictum est *art. præced. conclus. 2. n.* 190. quia scilicet, aliàs nunquã Ecclesia licentiaret ad Religionẽ coniugẽ post matrimonium ratum, nisi Christus id voluisset, sumens fundamentum relaxatæ legis à Christo in hoc casu ex praxi Ecclesiæ, & præcisè differit de solubilitate matrimonij respectiuè ad hunc casum, sed an Pontifex possit id facere etiam in alijs casibus, non differit, & hoc etiã notauit Brancatus ipse *art. 12. cit.* ab initio, vndè non video qua ratione posteà ibidem Doctorẽ nostrum pro sententia negatiua absolutè citauerit cũ tota eius Schola, cui nec ipse adhæret. Nam potiùs ex modo decidendi casum de solubilitate matrimonij in fauorem professionis religiosæ, quem ibi Doctor adhibuit ex praxi Ecclesiæ, contrarium deducere debeat; cùm enim Doctor ibi legem diuinam interpretetur iuxtà vsum, & praxim Ecclesiæ, consequenter credendum est, vt inquit Hiqueus, quod idem dixisset Doctor in alijs casibus, si vidisset in praxi aliquam Pontificis dispensationem in Matrimonio rato, aut Ecclesiæ, & quod in omnibus similibus sustineret interpretationem diuinę legis iuxtà sensum, & praxim Ecclesię; Et hoc supponit prędicta eius ratio, ex qua colligit relaxationẽ matrimonij rati in fauorẽ Religionis, quia ab Ecclesia id practicatur, Non extat autẽ inter Canones, aut decreta, quę antè Doctorẽ fuerũt in vsu Ecclesię, talis dispẽsatio, & sic non fuit occasio eius asserendę, aut etiam differendi de alijs casibus de quibus modo disputatur; & eodem modo discurrendum est de mente, & intentione Seraphici Doctoris *loc. c.* Hoc itaque adnotato. 199

Primò Dicendum est, posse etiam ex dispensationis Summi Pontificis in alijs quoque casibus, præter casum professionis Religiosæ, verè dissolui matrimonium ratum, nondùm consummatum, itaut ambo liberè possint ad alia transire coniugia. Hæc est modò valdè communis sententia, & probabilior, quia Põtificię auctoritati fauorabilior in re ipsa, & suadetur ex ipso facto, quia sępè in hac re Summi Pontifices dispensarunt post tempora Scoti, quod si ipse vidisset, vtique huic sententiæ subscripsisset ex regula ab ipso seruata in decisione casus solubilitatis matrimonij occasione professionis religiosæ; Posteriores itaq; Pontifices hac vsi sunt potestate, vt de Martino Quinto, & Eugenio Quarto testatur D. Antoninus 3. *par. tit. 1. c.* 21. & de suo tempore testatur Caietan. *to. 1. Opusc. tra.* 28. & de Paulo Tertio, & Pio Quinto testatur Nauar. in Summa *c.* 12. & de Gregorio Decimotertio refert Henriquez *l. 11.* de Matrimonio *cap.* 8. vna die cum vndecim dispensasse. Conf. quia Summus Pontifex potest dispensare, & de facto dispensauit in professione solemni, quod est vinculum potentius, cum hoc dirimat vinculum matrimonij non consũmati, quod etiam deducitur ex principijs Doctoris 4. *dist.* 38. ergò à simili, vel à fortiori Pontificia potestas extenditur ad matrimoniũ ratum, quod est minoris vinculi. Consequentia patet, quia sicut ad commodã, & prudentẽ gubernationem Fidelium conuenienter Christus Ecclesiæ suæ potestatem reliquit dispensandi in votis, quæ alioquin cùm sint promissiones factæ Deo obligant de iure diuino naturali; tantò magis ob eandem rationem de dispensatione matrimonij rati hoc asseri poterit, quod solo iure diuino positiuo est indissolubile, non autem in rigore loquendo, vt suprà declaratum est. Assumptum verò, quod scilicet de facto Pontifices dispensauerint in professione solemni, latè probant Sanchez *lib. 9. de matrim. disput.* 8. Nauarrus *libr. 3. de voto cons.* 37. Lessius *dub. 14. de Voto num.* 111. Bonacina *tract. de legibus disp. 4. q. 2. punct.* 7. & alij Recentiores passim referentes dispensatum fuisse cum Nicolao Iustiniano Monaco post votum solemne professionis, cum Rege Aragoniæ, vt diximus *lib. 2. Sent. disp. 5. q. 2. de Conscientia probabili art. 2. num.* 59. & cum Constantia Moniali filia Rogerij Regis Siciliæ, vt nuberet cum Henrico VI. Regi, ac etiam cum alijs.

200 Non me latet notabilis responsio Siluestri Magistri Sacri Palatij *part. 2. Summæ verbo Votum 4. quæst.* 5. vbi specialiter quærit, an Papa dispensare possit in voto solemni continentiæ, & opinionem sequitur negatiuam, & ad fundamentum affirmatiuæ plures casus adducentis, in quibus Papa de facto dispensauit, his formalibus verbis intrepidè occurrit: *Quod autem dicunt quidam se vidisse Papam sic fecisse de facto, dico primò, quod secundum aliquos dispensauit cum Nouitio, non cum Professo. Dico secundò, quod dispensauit de pleni-*

Mold. In Quart. Senten.

Xx 2 dine

dine potestatis, non de iure, quomodo [illegible] *potest optimo S. Thomæ secundum glos. in d. cap. Cum ad* [illegible] *Dico tertiò, quod etiam vidi Pontificem facere* [illegible] *maiorem scandalo totius Christianitatis: vnde aliud est facere de facto, aliud determinare, quod si posset fieri de* [illegible]*, quod si faceret Papa, vt Papa, idest, vt caput* [illegible] *membrorum cōsultando falsum, & faciendo, quod in se est, vt sciat veritatem, tali determinationi standum esset necessariò.* Hæc ibi siluestrè Siluester gratitudinis ergo pro dignitate Magisterij Sacri Palatij sibi, suæque Religioni à Sede Apostolica collati, quæ planè responsio adeò Siluestris est, & audax, vt nec à *Soto lib. 7. de iustitia, & iure q. 4. art. 2.* neque à Petro Labat *tract. 3. & vlt. 3. p. disp. 6. dub. 8.* neque ab alio eiusdem Ordinis auctore approbari potuerit; & meritò, quia impudens nimis, & imprudens; & minimè dubito, quod si ab alio Auctore prolata esset, iam dudùm iussu S. Congregationis S. Officij expuncta, & abrogata fuisset; nec semel audiui pios, ac eruditos vehementer conquestos talia verba ab ore viri, qui in Vrbe Magistri Sacri Palatij officio fungeretur, fuisse prolata, vtpotè quæ apud hostes Fidei Catholicæ non nisi graue nimis scandalum parere possunt in regiminis Pontificij præiudicium; Et quamuis mihi persuadeam prudentem, ac pium Doctorem, qualis Siluester fuit, non nisi zelo ductum in hæc prorupisse verba, negari tamen nequit zelum huiusmodi fuisse indiscretum; & hæc pro huius responsionis confutatione sufficiant.

201 Secundò Dicendum est, Pontificem hanc habere auctoritatem non ex solo humano iure, quasi solùm humana lege, & constitutione, atque inter Christianos Pontificia, iussum sit ne matrimonium ratum dissoluatur; sed dici debet, Pontifex hanc auctoritatem habere ex diuina concessione Christi Domini, vt eius Vicarium in Ecclesia. Hæc conclusio est plurium Theologorum secundæ opinionis contrà plures Iuristas eiusdem opinionis, & probatur, quia Rom. Pontifici à Christo Domino collata est potestas dispensandi in iure Ecclesiastico non solùm, sed etiam in iure diuino, quando hoc ad bonum Ecclesiæ regimen expedire censetur, vt deducitur expressè ex illo Ioan. 21. ad Petrum, & eius Successoribus *Pasce oues meas*, sed quandoque expedit sic dispensare in matrimonio rato nondum consummato, vt mox patebit in assignandis causis talis dispensationis ergo hæc potestas Romano Pontifici neganda non est, atque dici debet Pontificem hanc habere auctoritatem ex diuina concessione Christi, quo pacto licet matrimonium ratum ex natura sua dicatur non posse dissolui, adhuc tamen plenè diuinæ subditur potestati, vt Dei auctoritate dissolui possit; Et valdè consentaneum est hanc auctoritatem à Christo Domino Ecclesiæ fuisse concessam in Summo Pontifice eius Vicario, ita vt aliter facta huius matrimonij dissolutio non valeat: quia si solùm auctoritate propria, & merè humana id facere posset, vt Iuristæ dicunt, sic etiam inter Infideles matrimonium dissolui posset eorum Principum auctoritate, aut vbi nulla esset lex in contrarium, sola eorundem contrahentium voluntate. Quarè præstat dicere, quod sicut Christus eidem suæ Ecclesiæ potestatem reliquit dispensandi in voto professionis, quod est maius vinculum, sic etiam ad meliorem fidelium gubernationem huiusmodi potestatem reliquit dispensandi in matrimonio, graui interueniente causa. Et per hoc patet ad fundamentum primæ sententiæ negantis posse Pontificem dispensare ad dissoluendum matrimonium ratum, eo quod neque dispensare in iure naturali, & diuino; nam satis dictum est id non posse Pōtificem auctoritate humana, sed solū auctoritate diuina sibi à Christo Domino concessa.

203 Tertiò Dicendum est, iustam requiri causam ad hoc, vt Pontifex non solum licitè, & absque peccato, sed etiam vt validè dispenset in matrimonio rato. Hæc conclusio non solùm est contrà Iuristas asserentes insolubilitatem matrimonij rati esse Iuris humani, sed etiam contrà quosdam Theologos qui licet fateantur esse iuris diuini naturalis, vel positiui, dicunt tamen Christum concessisse absolutè hanc dispensandi potestatem Pontifici etiam sine causa, ne relinqueret locum perplexitati; hancque vt tutiorem, & probabiliorem sequuntur Sanchez, & Tranced. Auersa, & Barbosa, & ex nostris Hiqueus, & Brancatus *loc. cit.* Ratio est in promptu, cùm enim supponamus ex dictis etiam hoc matrimonium ratum esse iure diuino insolubile, ad summum ex iusta causa dici debet concessa potestas illud dissoluendi, sicut pariter requiritur in voti dispensatione, vt ex suo loco supponimus; nequit enim Pontifex vti potestate dispensatiua in lege diuina, quæ ex speciali concessione eius dispositioni hic, & nunc subijcitur, nisi vt fidelis Dispensator in ædificationem, & iusta causa interueniente: aliàs non ratificatur talis dispensatio à Deo, qui potestatē tribuit in ædificationem, nō in dissipationem, & destructionē, vt ait Hiqueus *loc. c.* & Pontifices aliter facientes, & potestate sibi à Domino concessa abutentes, nedum Hæreticis, & infidelibus, sed etiam Fidelibus ipsis causam præbent obloquendi, vt fecit Siluester *loc. c.* licet piè credendum sit ob assistentiam specialem Spiritus Sancti, per quam Pontifices in regimine Ecclesiæ infallibiliter diriguntur, nunquam tali potestate abutantur.

Plures autem, & varias huius dispensationis solent assignare Doctores causas, vtiustas, & legitimas, magnam nimirum inæqualitatem inter virum, & fœminam, vel periculum magni scandali, vel damni inter coniunctos, aut perpetuæ discordiæ inter coniuges ipsos; item perpetuum morbū alteri coniugum superuenientem, itaut non possint absque periculo, & contagio alterius inuicem commisceri; & similia incommoda, sed res hæc prudenti iudicio dispēsantis potius relinquenda est; vniuersaliter tamē causa sufficiens censetur impotentia consumandi post contractum matrimonium, quæ si fuisset etiam anteà, vim habuisset impedimenti dirimētis, ne ab initio fuisset validū: & quicquid sufficit ad relaxandū votū solemne Religionis, vel etiam annexum ordini sacro, nec videtur sufficere mutuus contrahentium consensus, nisi alia legitima causa subsistat; Ex quo rectè deducit Hiqueus *loc. cit.* non posse Pontificem vniuersali lege matrimonium ratum annullare, aut facere, vt matrimonio consummato superuenienti cedat, quia iure diuino tenet matrimonium ratum, quod est vnius cum vna, ac proindè impedit iure diuino matrimonium cum altera, donec dirimatur, vndè huiusmodi potestas Pontifici à Domino concessa exerceri tantùm potest in casu particulari, & necessario, & sufficiente, extrà quem non est concessa. 203

204 *Sed Obijcies pro prima sententia*, quod nequit Pontifex dispensare in matrimonio cōsummato; ergo neque in rato, consequentia probatur, quia quando Christus dixit Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, non solùm locutus est de matrimonio consummato; sed etiam tantummodò rato. Conf. quia matrimonium est indissolubile iure naturæ, & diuino; ergò summus Pontifex dispensare non potest, vt matrimonium ratum dissoluatur, cùm Summus Pōtifex in iure naturæ, & diuino dispensare nō possit. Tandem quia eadē ratione affirmare liceret, posse Summū Pontificē dispensare in poligamia vnius viri cum multis vxoribus.

Resp. negando consequentiam, & paritatem, quia Christus hanc potestatem non tribuit Ecclesiæ super matrimonium consummatum, ne dissoluatur in præiudicium prolis, siuè hæc habeatur, siuè non, quia lex vniuersalis casum particularem non respicit, sed absolutè disponit, & id congruè factum est in fauorem prolis; ad probationem consequentiæ dicendum est, quod quamuis sub illa Christi sententia etiam matrimonium ratum comprehendatur, solùm indè deducitur Summum Pontificem tale matrimonium dissoluere nō posse, vt hominem, & vt sola humana potestate pollentē, sed solùm vt Christi Vicarium, & diuina pollētem auctoritate, quo sensu non dicitur homo, sed quasi Deus, & eius vices gerens. Ad Conf. dicendum cum Auctoribus secundæ sententiæ, Summum Pontificem posse diuina auctoritate sibi concessa dispensare in aliquibus, quæ non deducuntur proximè, & primariò ex principijs iuris naturalis, sed remotè, & secundariò, & quæ habēt admixtum aliquid obligationis humanæ, modò interueniat iusta, & legitima causa, & consequenter mirum esse non debet, si potest summus Pontifex ex iusta causa in matrimonio rato dispensare. Ità Sanchez, Henriquez, Rebell. Bonacina, & alij, quæ est ipsissima Scoti doctrina, vt patet ex dictis art. 1. huius q. n. 184. Ad vltimum negatur cōsequentia, & paritas quia dispēsatio in poligamia esset omninò cōtraria, & præiudicialis cōmodæ, & prudenti fidelium gubernationi, & bono Ecclesiæ regimini propter grauia incommoda, quæ secum affert, vt constabit ex dicendis q. seq. atq; ideò congruū non fuit, vt talis potestas dispensandi in poligamia cōcederetur à Christo eius in Terris Vicario, sicut concessa fuit dispensatio in matrimonio rato.

Rursus obijcies, non potest Pontifex tota auctoritate sua impedire aliquem effectum sacramentalem, vt v. g. facere non potest, quod baptizatus per baptismum iam receptum non reddatur de familia Christi, neque vt hostia consecrata corpus Christi non contineat, neq; vt sacramenta subie- 205

cto

suo capaci collata suos nō faciant effectus, & sic de alijs, quos sacramenta infallibiliter producunt ex Dei institutione; cùm ergo matrimonij etiam tantummodo rati insolubilitas sit ei annexa ex Dei institutione, vt suprà dictum est, non videtur quoquomodo auferri possit à Pontifice durante vita coniugum. Confirmatur, quia alioquin sequeretur Principē quoq; Gentilem posse suorum subditorum matrimonia rata dissoluere, quia non habet minorem auctoritatem circà contractus ciuiles, & prophanos suorum, qualis est contractus matrimonij eorum; quàm Pontifex circà contractum matrimonij sacrum baptizatorum, nā etiam Princeps Gentilis supremam habet in suos auctoritatem. Tandem quia matrimonium ratum, & consummatum essentialiter non differunt, sed eandem naturam habent, ac essentiam; si ergò Pontifex potestatem soluendi habet matrimonium ratum baptizatorum, poterit quoq; soluere consummatum, quod est falsum.

Respondetur concesso assumpto negando consequentiam, ex hoc enim, quod Pontifex dispensare possit potestate sibi à Christo communicata super matrimonium ratum, non sequitur quod impediat, vel impedire possit aliquem effectum sacramenti matrimonij; sed solùm quod declarare possit Deum non posuisse tantam insolubilitatem in matrimonio rato, quantam in consummato, & ideò Ecclesiæ potestatem reliquisse, vt iustis de causis interdum posset eam auferre à matrimonio tantummodò rato, sicut dicitur de obligatione orta ex iuramēto, quæ quidem perpetua est, & tamen auctoritate Pontificis in multis casibus maioris boni auferri potest.

Ad Confirmationem negatur consequentia, quia Princeps Gentilis, nec licitè, nec validè potest dissoluere matrimonium suorum subditorum etiam tantummodò ratum, quia non tantùm iure humano est indissolubile, sed etiam diuino naturali, ac etiam positiuo, nec potestatem peculiarem ad id habet à Deo, sicut habet summus Pontifex, sed tantùm habet ordinariam Superioris humani, qua neque Pontifex potest matrimonium ratum dissoluere, sed extraordinaria requiritur, & diuina sibi à Christo concessa. Ad vltimum patet ex dictis in solutione argumenti præcedentis, quod quamuis matrimonium ratum, & consummatum essentialiter non differant, sed tantùm accidentaliter; quia tamen consummatum suprà ratum addit commixtione coniugum carnalem, ratione cuius esse dissolutio regulariter fieri nequit absq; inconuenienti, & graui prolis præiudicio; ideò Christus Dominus peculiarem potestatem Pontifici suo Vicario ad dissolutionem consummati inter fideles non concessit, sed tantummodò rati, cuius dissolutio incommoda illa non affert, imò alia plura interdum auferre potest.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Matrimonij Vnitate.

205 VNitati Matrimonij polygamia opponitur, seù vxorem pluralitas, quę duplex esse potest, vna successiua, quādo scilicet, quis successiuè plures habet vxores, altera simultanea, quando scilicet, simul habet plures; Et quidem pluritatem coniugum successiuam validam esse, & licitam, altero coniugum mortuo, est communis Catholicorū sensus contrà Montanistas, & Nouatianos olim secundas nuptias damnantes, & apertè colligitur ex D Paulo 1. Corint. 7. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit, quod si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat, tātùm in Domino* & Rom. 7. *si mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro*; Quod posteà confirmatum est in Concil. Flor. quod expresśè definit non solùm secundas nuptias licitas esse, sed etiam tertias, & quartas, ac vlteriores quoq; esse licitas; & ità loquitur in Armen. instructione; Et tandem ratione constat, quia morte vnius coniugis soluitur in superstite vinculum, & obligatio; ergò cum altero liberè contrahere potest, siquidem ex priori matrimonio nullum relinquitur ligaminis impedimentum. Vndè Christus Dominus Math. 12. non damnauit mulierem, quod septem viros legitimè habuisset, & Io. 3. Samaritanam, quod quinq; habuisset; ex quo manifestè liquet nec ex iure diuino, nec ex iure naturali impediri, aut prohiberi secundas, & vlteriores nuptias, ideoq; coniugem superstitem post mortem alterius liberum manere, & expeditum ad validè, & licitè aliud matrimoniū ineundum, & non solùm secundò, sed etiam tertiò, & quoties voluerit post solutum antecedens matrimonium. Instantias verò Hęreticorum, & præsertim Kemnitij deductas ex quibusdā Scripturę locis, sacris Canonibus, & legibus ciuilibus male intellectis optimè soluunt Aueria q. 14. *sect.* 2. Becanus c. 46. q. 1. & alij passim illa loca declarando; Quare remanet sola de polygamia, & pluralitate vxorum simultanea, quā licet omnes matrimonio repugnare concedant, & inualidam, ac illicitam esse in lege Euangelica, disputant tamen quo iure sit prohibita, & an aliquando fuerit licita, & permissa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quo iure prohibita sit Polygamia, siue vxorum pluralitas.

COnueniunt Primò Catholici omnes polygamiam, seù 207
pluralitatem vxorum iure diuino esse prohibitam, & repugnare primę institutioni matrimonij, quę à Deo facta est in Paradiso. Hoc deducunt Hieron. Chrisostomus, Anselmus, Theophilactus, Beda in c. 19. Matth. ex ipsa Adami, & Euæ creatione, quia si Deus voluisset matrimonium esse vnius cum multis, creasset Adamo non vnam tantùm, sed plures feminas, quas in vxores ducere potuisset; cum ergo vnam tantùm creauerit, satis constat voluisse, vt vnam tantū haberet vxorem, non plures; qua ratione Innocent. Tertius in *cap. Gaudemus* de Diuortijs dicit vnam tantùm costam in vnam tantùm feminam conuersam fuisse & non plures in plures. Hoc etiam deducitur ex verbis illis à Deo prolatis Gen. 2. *& erunt duo in carne vna*, vbi supponitur coniuges non posse esse plures, quam duos; ac etiam ex verbis Christi Matth. 19. & Marci. 10. *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & feminam creauit eos*, quibus etiam verbis in singulari prolatis significatur vnitas matrimonij; vt nequeat esse ex primęua sui institutione, nisi inter duos masculum, & feminam, non autem feminas, vt ibi Hieronymus ait. 208

Conueniunt etiam, Polygamiam iure diuino positiuo prohibitam esse in lege quoq; euangelica; & colligitur apertè ex eisdem locis Marci, & Matthęi citatis, vbi Christus expresśè docet esse adulterum eum, qui dimissa vxore ducit aliam, quod non esset, si viuente priori alia quoque esset vxor eius legitima. Firmata quoq; est hæc vnitas, & singularitas matrimonij eodem iure diuino in lege euangelica ex institutione sacramenti, nam sic sacramentum significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quæ vnica est, & tanquam vnica Christi sponsa vbiq; nominatur; quarè non solum illicitum, sed inualidum etiam erit aliud matrimonium viuente priori vxore. Et in hoc Ecclesia dispensare non potest, cùm huiusmodi impedimentum ligaminis non sit de puro iure Ecclesiastico, sed sit de iure diuino. Hinc ad antiquioribus sacris Canonibus, & Concilijs, & Pontificum decretis asseritur hæc prohibitio ex ipso iure diuino, & lege Euangelica; quod posteà tanquam de fide definitum est in Concil. Trid. *sess.* 14. *can.* 2. *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum, anathema sit*; quod etiam anteà docuerunt Doctor Angelicus D. Thom. Seraphicus 209
D. Bonau. & Subtilis Scotus 4. *d.* 33.

Conueniunt tandem, pluralitatem Maritorum simul cum vna vxore esse etiam iure naturali illicitam, & nullam, quia hęc polygamia directè militat contrà finem primarium matrimonij, nempè contrà prolis generationem, & commodam eius educationem; siquidem coniunctio plurium virorum cum eadem muliere maximè generationem impedit, vt docent Medici, & experientia constat in Meretricibus quæ hac de causa nunquam, vel rarò concipiunt, quando pluribus miscentur viris, nocet etiam hæc pluralitas virorum prolis debitæ educationi, quia nullus virorum quibus eadem vxor communis esset, sufficienter filiorum educationi incumberet ob incertitudinem prolis, quia nullus proprium filium agnosceret; Tùm tandem quia ex tali polygamia iurgia, & contentiones orirentur immortales, præsertim ex eo quod si mulier vni faueret potius, quàm alteri grauiter alterum offenderet, & vnus vellet vxore vti, quandò alter vellet, nemo alteri cedere deberet. Et hac de causa Canones, Concilia, & Patres nunquam de Poliuiria, hoc est, virorum pluralitate locuti sunt quia nunquam de hac fuit quæstio, sed solùm de polygamia, seù pluralitate vxorum.

Restat itaque sola difficultas, an pluralitas vxorum simul 210
etiam iure naturali sit illicita, & irrita, & quidem communis opinio affirmat; Primò quia contrà legem naturæ est, quod res vni tradita, & ab illo legitimè possessa alteri tradatur; sed Maritus in matrimonium tradit potestatem sui corporis vxori,

vxori; ergò iure naturæ non potest eam alteri dare: nec dicere sufficit in tali casu virum cum prima contrahentem non totaliter ei tradere sui corporis potestatem, sed partialiter tantùm ad effectum eam fœcundandi; Etenim eodem modo coniuges sibi mutuò tradunt in contrahendo sui corporis dominium, vt ait Paulus *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, similiter vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*; ergò sicut mulier se donat viro totaliter, vt nihil naturalis iuris retineat ad se donandum alteri, & ineundum validè cum eo coniugium; sic mulier i ità se donat vir, vt nihil retineat iuris naturalis ad se donandum alteri mulieri simul, & contrahendum cum ea; nam ex vi huius contractus vterque se donat, & tradit alteri æqualiter, itaut quantum est ius, quod acquirit vir in corpus mulieris, tantum est ius, quod mulier acquirit in corpus viri. Confirmatur, quia pluralitas vxorum, estò non repugnet primariò fini matrimonij, nempè propagationi prolis, repugnat tamen alijs finibus secundarijs, qui potissimum duo sunt, vnus est mutui obsequium viri, & fœminę, alter est remedium concupiscentiæ; vtriq; autem repugnat vxorum pluralitas, ergo &c. probatur assumptum, nam primo fini repugnat, quia nihil magis charitati repugnat & mutuo obsequio coniugum in domestica viuendi ratione, quàm rixæ, & contentiones; sed si vni viro plures fœminæ iungerentur, facilè inter illas oriretur contentio, & inuidia, maximè si alia minus, quam alia à viro diligeretur, vt patet de Sara, & Agar Gen. 21. Rachel, & Lia Gen. 30. Phenenna, & Anna 1. Regum 1. Repugnat etiã vxorum pluralitas secundo fini matrimonij, quod est remedium concupiscentiæ, quia qui plures habet vxores, non posset semper omnibus satisfacere quoad libidinis extinctionem vt enim inquit adagium, pluribus intentus minor est ad singula sensus. Tandem probatur, quia si polygamia conformis esset naturæ, sine dubio Deus illam instituisset ab initio, & origine Mundi, præsertim cum eo tempore esset maximè necessaria ad genus humanum propagandum, & naturalis origo tunc formaretur; at Deus non polygamiam, sed monogamiam instituit, & posteà etiam confirmauit, quia non solùm in principio Mundi, sed etiam post diluuium fuisset polygamia valdè necessaria ad genus humanum reparandum, & tamen eo tempore nemo plures habuit vxores, nam antè diluuium solus Lamech dicitur plures habuisse, & ideò à SS. Patribus reprehenditur, præsertim à D. Hieron. in epist. ad Geruntiam; post diluuium verò nec Noè, nec filij eius plures habuere vxores, vt patet ex 1. Petri 3. quod *octo animæ saluæ factæ sunt per aquam*, idest Noè, tres filij eius, & vxores eorũ.

211 Pro resolutione quęstionis resoluendum est, quod dictum est *quęst. præced.* ex Scoto *4. d. 17. & d. 26. F.* & repetit in proposito *d. 33 q. 1. §. ad argumenta* in solutione ad primum, quod lex naturæ dupliciter sumitur, primò pro primis principijs practicis notis ex terminis, vel pro conclusionibus demonstratis ex his principijs, & hoc modo dicitur esse de lege naturæ, quod est verum practicum simpliciter notum lumine rationis naturalis, & ibi primum, & potissimum gradum tenet principium practicum notum ex terminis, secundum gradum tenet conclusio demonstrata ex talibus principijs. Secundò sumitur lex naturæ latius pro omni eo, quod est consonum legi naturæ primo modo dictę, & dicitur lex naturæ secundariò; & addit quod circa primum, seù quod est de lege naturæ primo modo, nulla cadit dispensatio, & id eò oppositum semper videtur esse peccatum, at circà secundam potest cadere dispensatio; & concludit tantùm secundo modo monogamiam esse de lege naturæ, & polygamiam contrà illam, non verò primo modo. Quam Scoti doctrinam erudité declarat Hiqueus ibidem in comment. *n. 17.* & 18. dicens, quod aliud est loqui de iure naturæ sumendo ius naturæ strictè pro principijs, & conclusionibus necessarijs, in quę non cadit mutatio neque dispensatio, aliud loqui de iure naturæ latè sumpto, vt dicitur consonum prioribus secundam rectam rationem, nam ius naturæ hoc modo sumptum sicut in omnibus circumstantijs non dicit confirmitatem ad principia, & conclusiones necessariò ex illis sequentes; ità etiam id, quod in certis circumstantijs est consonum iuri naturæ primo modo sumptum, in alijs circumstantijs non est consonum, in quibus materia ipsa mutatur; Neque hoc mirum esse debet, quia quotquot dicunt præcepta Decalogi esse indispensabilia, hoc etiam modo respondent ad exempla Scripturæ, ex quibus dispensatio probatur, non fieri, scilicet, tunc dispensationem, neq; factam fuisse, sed declaratum materiam legis naturalis per tales circumstantias mutari, vt in ijs non comprehendatur sub lege: Si ergò per ipsos ità mutabilis est materia iuris naturalis strictè sumpti per particulares circunstantias, non est mirum, si materia iuris naturalis secundo modo sumpti per mutationem circumstantiarum ipsa quoque mutetur, itaut quæ aliàs fuit consona rationi, & legi naturali, in alijs circumstantijs non sit consona, neque consequenter iuris naturalis secundo modo sumpti.

Ad propositum ergò, inquit Hiqueus, cùm matrimonium ex natura contractus, & secundum iustitiam eius ordinetur 212 ad finem tam primarium, quàm secundarium in his circumstantijs, in quibus alterutrum sine detrimento alterius attingere potest, obligat secundum naturam contractus in ordine ad vtrumque finem, & sic polygamia est contra ius naturæ, quia finis primarius non derogat secundario in his circumstantijs, & consequenter contrahentes debent ordinatè contrahere, vt consentiant in vtrumque finem contractus, quem non debent abstrahere ab alterutro, neq; sibi inuicem præiudicare. Hæ circumstantiæ sunt, quando nulla est necessitas multiplicationis populi Dei, neque consequenter pluralitatis vxorum ad hunc finem, qui est primarius, & ex cuius tantùm necessitate liceret dicta pluralitas; In circumstantijs necessitatis finis primarij aliter euenit, quia magis consonum est rectæ rationi, vt vsus contractus fiat iuxtà exigentiam finis primarij, quàm secundarij cum detrimento primarij, cùm præceptum matrimonij siuè diuinum, sinè naturale vrgeat ad ineundum contractum in ordine ad finem primarium magis consonum legi naturæ strictè sumptæ, vt ineatur eo modo, quo subuenit necessitati, & detrimento finis primarij, quàm vt fauet fini secundario cum detrimento prioris, & hoc in ijs circumstantijs magis consonum rectæ rationi, quàm contrarium; Vndè sequitur polygamiam in his circumstantijs non esse contrà ius naturæ considerando iustitiam in hoc casu, & circumstantijs ex parte contractus, & contrahentium, & supposito diuino mandato, & dispositione in lege positiua, qua vetatur polygamia. Hæc Hiquæus *loc. cit.* cuius totum hunc discursum ad literam hic referre placuit, quia optimè rem declarat, & mentem Doctoris. Hoc prænotato.

Dicendum est, polygamiam esse contra ius naturæ latè 213 sumptum, non autem strictè, & in rigore modo iam explicato. Ità *Scotistæ* omnes *loc. cit.* tam veteres, quàm Recentes, Bassolius, Almainus, Tataretus, Hiqueus, Poncius noster *disp. 49. q. 4.* Brancatus *disp. 24. art. 3.* & alij plures, & quidem polygamiam esse contrà ius naturæ latè sumptum omnes concedunt, & satis de se patet, nam est consonum legi naturę vt vnus vnam ducat, & cum ea perpetuò contrahat, nec ipsa viuente aliam ducat; ergò polygamia est contrà ius naturæ latè sumptum; consequentiam patet, & probatur assumptum, nam est legi naturæ consonum, quod prolis benè, & commodè educeretur, quod concupiscentiæ, & incontinentiæ commodè, & opportunè ex vtraque parte prouideatur, & tandem vt pax, & amicitia in domo, familia, & Republica quantùm fieri potest conseruaretur; at hæc omnia benè, & facilè cum vnitate vxoris seruantur, & valdè difficulter cum pluralitate, vt rectè ostendunt argumenta pro *prima sententia* adducta, ergo &c.

Quod autem polygamia non sit contrà ius naturę strictè, & in rigore sumptum, quæ erat altera conclusionis pars probatur, quia illud dicitur esse de iure naturæ hoc modo, quod est ex terminis notum, vel ex principijs per se notis necessariò deductum; sed coniugatum cum vna non posse simul etiam cum alia coniugari non est sic notum, ergo &c. Minor probatur, quia hoc non includitur in illo primo principio; *Quod tibi non vis alteri ne feceris, & quod tibi vis alteri feceris*, etenim in tali contractu non læderetur ius alienum; quia supponitur quod fieret cum tali scientia, & implicito primæ vxoris consensu, vt si viro placeret, posset aliam deinceps ducere; tùm quia sicut potest mulier renunciare totaliter iuri suo ità quod si posteà petat, non teneatur vir reddere ità potest renunciare parti iuris sui idest, partialiter iuri suo cedere, quod transferat ius, quod cedit in aliam, & hoc videtur licitũ, dummodò non sit specialis Superioris prohibitio; Neq; iniustitia adesset in hac secunda permutatione, inquit Doctor, quia quantum ad finem principalem matrimonij, scilicet, prolis procreationem, plus valet vir, quàm mulier, quia vir potest simul, & proximo tempore plures fœcundare mulieres; sed mulier non nisi ab vno viro fœcundari potest & ideò quoad hunc finem matrimonij præcipuum plus valet vir, quàm mulier, quarè concludit Doct. quod nisi diuina

lex

lex polygamiam prohiberet, iurè naturæ licita esset.

Confirmatur quia talis Polygamia non esset contrà primarium matrimonij finem, qui est prolis procreatio, & commoda educatio, nam prolis procreatio ex pluralitate vxorum potius adiuuatur, plures enim filios potest vnus vir ex pluribus procreare mulieribus quam ex vna tantùm; nec est contrà prolis educationem, quia potest tot ducere, quarū proli educandæ cùm subsidio præsertim ipsarum sufficere possit, nam cùm vna esset grauida, posset vti altera vxore, & relicta illi cura pariendi, & lactandi filium, quem pareret, redire ad primam, quæ iam peperit; & hoc commodius esset, quam vni fœminæ semper obligari, cùm esset grauida, vel filium lactaret, vel laboraret menstruis, vt rectè discurrit Poncius *loc. citat.* Neque talis polygamia esset contra secundarium matrimonij finem, nimirum concupiscentiæ remedium, nam in statu innocentiæ, si perseuerasset, hic finis non adfuisset; in statu verò naturæ lapsæ non tenetur vir vxori pro tali remedio ità satisfacere, quin multis de causis sine peccato possit illud non adhibere nam de facto propter negotia, & varias occupationes potest vir notabili temporis spatio abesse ab vxore; ergò obligatio ex hoc fine inducta non obstat, quin etiam de iure naturæ multas vxores possit quis ducere; tùm tandem quia hic finis non est talis, qui semper in matrimonio intendi debeat, & sine quo matrimonium iure naturæ illicitum esset, alias senex iuniorem ducere non posset, cui ad sufficientiam satisfacere non valeret. Denique si polygamia esset contra ius naturæ strictè sumptum, nunquam à Deo fuisset in hoc dispensatum, quia supra tale ius nulla cadit dispensatio inquit Doctor; patet autem quod in veteri lege fuit polygamia aliquando dispensata, vt dicemus art. seq. ergo &c.

214 Ad Fundamentum primæ opinionis, concedendum est non posse matrimonium consistere sine mutua permutatione coniugum; hæc tamen permutatio in casu polygamiæ in solidum non esset quantum ad finem secundarium, sicut est in monogamia, vt notat Hiqueus *loc. cit.* sed esset permutatio, sicut exigeret finis primarius matrimonij, & secundum medium rectæ rationis in circumstantijs iam declaratis, quoniam corpus viri in ordine ad finem primarium pluribus corporibus mulierum æquiualet in ordine ad generationem, vt dictum est; & licet hæc permutatio corporis viri non esset in solidum cuilibet ex pluribus, itaut illi soli deberetur, sicut in monogamia contingit; esset tamen sufficiens in ordine ad generationem, & ea permutatio in ordine ad finem principalem matrimonij, & per se intentum æquiualeret traditioni in solidum corporis mulieris, ideoque in tali permutatione nulla interueniret iniustitia; Apostolus verò requirens in matrimonio mutuam corporum traditionem in solidum, & totalem hinc indè, loquitur de matrimonio, vt reformatum est in lege noua iuxtà primam eius institutionem, & sic polygamiam excludit, non autem agit de matrimonio in casu nostro, & supposita diuina dispensatione, & necessitate propagationis in cultum Dei.

Ad confirmationem negatur polygamiam simpliciter repugnare duobus illis finibus secundarijs matrimonij, scilicet concordiæ inter coniuges, & remedio cõcupiscentiæ; quamuis enim non ità commodè in polygamia haberi possent, sicut in monogamia, simpliciter tamen, & absolutè haberi possent, præsertim quando vir esset prudens, vt legitur de vxoribus Dauid, & Salomonis; & si argumentum valeret, sequeretur quod etiam modò mala conditio mulieris, aut viri, vel eorum antipathia, ex qua sequerentur inter ipsos iurgia, & rixæ, matrimonium impediret, sic etiam grauia viri negotia, & occupationes, quæ possunt notabili temporis spatio ipsum tenere ab vxore absentem, in quo non potest altero fini satisfacere adhibendo per copulam concupiscentiæ remedium. Ad vltimum dicendum est Deum ab initio Mundi monogamiam instituisse, non polygamiam, ac etiam posteà constituisse, tanquam conformiorem legi naturæ, quam sit polygamia; hoc autem non facit, quod polygamia sit contrà legem naturæ simpliciter, & absolutè loquendo, & quod in casu necessitatis dispensari non possit, quam necessitatem solus Deus cognoscit, & in quibusdam temporum circumstantijs dispensauit, vt dicemus art. sequenti.

215 Sed instabis adhuc; contrà primum principium naturæ est, vt vir ergà vxorem hoc faciat quod circà se fieri nollet; sed ipse nollet vxorem nubere alteri simul; ergò perindè est contrà primum principium, quod ipse alteram ducat. Confirmatur, quia illud est de iure naturæ ad matrimonij substantiam spectans, quod ex prima sui institutione eidem competit, sed illud est, vt vir sit vnius vxoris tantùm ergo &c. Tandem in polygamia tolleretur obligatio debiti, quod est de substantia matrimonij, quia non semper posset vnus vir cuicunque vxori debitum reddere, quando ipsa peteret, ergo &c. Respondetur cum Hiqueo cit. concedendo maiorem in ijs, in quibus vxor habet æquale ius cum marito, & quæ illi inferunt præiudicium simile, & æquale; negando autem in alijs in quibus de lege, & iustitia aliquid competit viro, quod non vxori, vt suprà explicatum est, & sic concessa minori, neganda est consequentia. Ad Confirmationem dicendum est maiorem esse veram regulariter loquendo, & secundum communem naturæ cursum, non autem vniuersaliter loquendo, & in quibuscunque circumstantijs etiam extraordinarijs iuxtà doctrinam suprà traditam *nu.* 212. Ad vltimum negatur consequentia, nam etiam tunc teneretur vir debitum reddere, licet non eodem modo, quo nunc in monogamia; tunc enim inter plures seruaretur ordo, sicut seruauit Iacob inter Rachelem, & Liam, vt notat D. August. *cap.* 49. contrà Faustum, vndè tunc teneretur reddere, quoties vxor debitum exigeret, aut obligationem eius pro tempore congruo, & ordinatè, vt est ad finem primarium, quod in eo casu ad substantiam matrimonij spectaret.

216 Neque Thomistæ ab hoc nostro dicendi modo multum distant, non enim absolutè, & simpliciter dicunt polygamiam repugnare legi naturæ, sed aliquo modo, quatenus vxorum pluralitas non repugnat legi naturæ quoad primaria eius præcepta, sed solùm quoad secundaria, vt docet D. Thomas *qu.* 65. *art.* 1. vndè dicunt duplicia esse legis naturæ præcepta, quædam sunt vniuersalia, & communissima, quæ sunt veluti prima principia legis naturæ; quædam sunt secundaria, quæ ex illis, tanquam conclusiones deriuantur; primaria præcepta ordinantur ad principalem finem à natura in quauis operatione intentum, secundaria verò ad secundarium; Cùm igitur pluralitas vxorum in proposito non repugnet fini principali matrimonij, sed tantùm secundario, ideò dicunt legi naturæ non repugnare quoad eius primaria præcepta, sed tantum quoad secundaria; & ideò inquiunt Deum supra pluritatem vxorum dispensare posse, sicut de facto antiquis temporibus dispensauit, vt maior multitudo esset hominum fidelium, qui in cultu veri Dei educarentur; licet enim non possit Deus dispensare contrà primaria præcepta legis naturæ, potest tamen dispensare contrà secundaria, quando recta ratio sic dictat, & circumstantiæ extraordinariæ id exigunt; ità refert, & rem declarat Beccanus c. 46. q. 2. de mente D. Thomæ, quæ doctrina, vt patet, cum nostro dicendi modo coincidit, vel saltem parum distat, & sic etiam discurrit Stephanus à S. Gregorio *lib.* 3. *cap.* 109. qui plures alios citat.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Polygamia fuerit aliquando valida, & licita.

PRimò Dicendum est, polygamiam plurium virorum cum vna vxore semper fuisse illicitam, & contrà ius naturale, & positiuum, nec vnquam fuisse permissam. 217 Ità communiter Theologi, & Iuristæ, & Scotus *dist.* 33. *citat.* §. *ad argumenta* in solutione ad 2. prin. vbi ait, quod nunquam fuit ex parte iustitiæ inter commutantes sic commutate, vt minus eueniret finis principalior; & magis eueniret finis minus principalis, quia finis principalis est magis intendendus, sed pluralitas maritorum magis esset ad finem minus principalem, scilicet, ad sedandam libidinem, & multò minus ad finem principaliorem, scilicet fœtus generationem, quia eadem mulier infrà idem tempus à pluribus viris fœcundari non posset; Quod ex D. Augustinus desumpsit *lib. de bono coniug. capit.* 17. vbi inquit, quod non sicut vni viro fœminæ plures licebat habere vxores, ità vni fœminæ plures viros; duobus enim, seu pluribus maritis viuis nullam legimus seruisse Sanctarum, plures autem fęminas vni viro legimus coniunctas, plures enim fęminæ ab vno viro fœtari possunt, vna verò à pluribus non potest; ità Augustin. *loc. cit.* ergò nunquam à Deo dispensatum fuit pro poliuiria, seu maritorum pluralitate.

tate. Imò Bellarminus, Soto, & alij dicunt nec Deum dispensare posse, vt vna mulier plures ducet maritos; Communior tamen opinio oppositum docet, & ratio est, quia Deus dispensare potest in alijs quoque præceptis iuris naturæ, vt in fornicatione, furto, homicidio, & similibus, vt docet Doctor 3. *dist.* 36. ergo pariter etiam in hoc dispensare posset, cùm non sit præceptum vrgentius illis; Tum quia Deus in tali casu posset ità res disponere, vt ex huiusmodi polygamia non sequerentur illa inconuenientia, ob quæ à lege naturæ est prohibita; atque ideò tali dispositione facta lex naturæ non obligaret.

218 Secundò Dicendum est, polygamiam, seù pluralitatem vxorum per singularem Dei dispositionem olim concessam fuisse antiquis Patribus. Ità Scotus *dist.* 33. *citat. artic.* 2. & Diuus Thomas, ac Diuus Bonauentura ibidem, quod probat Doctor ex Genes. 16. & 25. de Abrahamo, qui habuit Saram, Agar, & Cæturam; de Iacob, qui habuit Rachelem, & Liam, & de Dauid 2. Reg. 5. qui plures habuit vxores; probabile autem non est, quod hi Patres sic contrahendo aliquid fecerint illicitum, sed potius credendum est, quod illas non accepissent, nisi fuisset cùm illis dispensatum; & hoc in casu paucitatis fidelium procreantium prolem, vt hoc modo plures mulieres ab vno fœcundarentur, & sic proles ad diuinum cultum propagaretur, & multiplicaretur. Quod verò id sit contra ius naturale non obstat, vt id Deus concedere possit, quia non est contrà ius naturale strictè sumptum, & primariò, sed tantùm latè sumptum, & secundariò, vt dictum est *artic. praceden.* Tùm quia vt docet Scotus 3. *dist.* 36. *& sequitur Hurtad. disput.* 9. *difficul.* 2. cùm alij Recentioribus, ipsius Dei concessione, & dispensatione, quæ est iuris declaratio, vel iuris reuocatio, desinit esse contrà ius naturæ, quia desinit esse contrà ius vxoris, cùm Deus vt Supremus corporum Dominus possit viro facultatem concedere, vt validè, & absque iniustitia in vxorem alijs quoque vxoribus suum tradat corpus, sicut etiam concessione diuina facta alicui, vt alterum occidat, vel eius bona accipiat, occisio illius, & bonorum acceptio desinit esse iniusta, & contrà ius naturale, quia Deus est supremus Dominus bonorum, & vitæ omnium, Tùm tandem quia Scotus *loc. citat.* optimè declarat, quomodo aduc in tali casu seruabatur Iustitia considerando contractum ex parte contrahentium, quando enim aliquid ordinatur ad duos fines, vnum principalem, & alium minus principalem, rationabile est vti illo eo modo, quo magis confert ad finem principalem, licet per hoc aliquid detrahatur fini minus principali, v. grat. cibus valat ad duo, scilicet ad delectationem, quæ est finis minus principalis, & ad nutritionem, qui est magis principalis secundum rectam rationem, & conueniens est, vt aliquis vtatur cibo eo modo, quo magis expedit nutritioni, licet in hoc aliquid detrahatur delectationi; Ità ergo in proposito iste contractus matrimonij est ad bonum prolis, vt ad finem principalem, & ad vitandam fornicationem, vt ad finem minus principalem, ergò secundum rectam rationem debent contrahentes sic commutare, vt commutatio plus valeat ad procreationem prolis, licet minus valeat ad illam redditionem debiti; sed hoc fit in commutatione corporis vnius viri pro pluribus corporibus mulierum, quia corpus viri ad prolis procreationem, qui est finis principalior, plus valet, quàm corpus mulieris, vt su prà declaratum est; ergò hoc absolutè faciendum est in casu necessitatis, quia quando est valdè necessarius finis principalis, negligendus est finis minus principalis.

219 Verum quia hæc dispensatio circà pluralitatem vxorum non legitur facta per externam aliquam locutionem, vel scripturam, quærunt Theologi vbi, & quando, & quibus, ac quomodo facta fuerit dicta diuina concessio. Dixerunt aliqui hanc dispensationem non vtique esse factam per externam aliquam locutionem, vel scripturam, sed per peculiarem inspirationem, vt ait D. Thomas *quæst.* 65. *artic.* 2. quod etiam significauit Innocentius Tertius *in cap. Gaudemus de Diuortijs*, vbi sic habet circà medium. *Nec vnquam licuit insimul plures vxores habere, nisi cui fuit diuina reuelatione concessum*, & hanc concessionem à populo Hebreo fuisse factam ad maiorem multiplicationem populi fidelis; & Bellarminus, Valentia, Ponce, & alij addunt indè extensam fuisse talem concessionem ad alias etiam nationes. Primò quia Scriptura non reprehendit Gentiles, quod eo tempore plures haberent vxores, ergò probabile est fuisse generalem permissionem. Deindè quia Sanct. August. 16. *de Ciuit.* 38. *& lib.* 22. *contra Faustum cap.* 47. scribit in ijs locis, vbi Iacob duxit quatuor vxores, fuisse morem ducendi plures vxores posteritatis causa, & eum morem fuisse inculpabilem, locus autem, in quo Iacob tunc erat, fuit Gentilium, non Hebreorum, quia Laban, cuius filias accepit Iacob vxores, erat Idolatra Genes. 31.

Sed quamuis valdè probabile sit hanc dispensationem circà vxorum pluralitatem non fuisse factam per externam aliquam locutionem, vel scripturam, quia nulla talis apparet, sed per peculiarem inspirationem, vt plures Patres affirmant; non tamen mihi probatur fuisse generalem, imò communis fuerit non solùm Hæbreis, sed etiam Gentilibus, nam ratio talis concessionis iam assignata est, quod fuerit ad multiplicationem populi fidelis; sed hæc ratio non valet, si ea concessio etiam ad alias nationes infidelium, & Gentilium extensa fuit, nisi extendatur etiam ratio ad maiorem multiplicationem totius generis humani absolutè loquendo; At ob hanc rationem videretur magis debuisse ab initio mundi plures fœminas formari, & Adamo plures vxores concedi, ac similiter in diluuio vniuersali plures fœminas conseruari, ac Noë, & filijs eius plures concedi, quod tamen factum non est. Præstat ergo dicere, & magis ad mentem Doctoris, hanc concessionem primis Patriarchis populi Dei fuisse factam pro ipsis, & pro toto populo Dei, quia in toto illo pluralitas vxorum vsitata erat, vt patet ex Deuteronom. 21. & à nullo Propheta reprehensa; & hanc consuetudinem exemplo populi fidelis vtique etiam ad reliquas gentes fuisse extensam, sed non diuinam concessionem, vt sentiunt Sanchez *lib.* 7. *disp.* 80. *Tancred. ibidem*, *Hurtad. disp.* 9. *diffi.* 2. & plures alij, quia Deus soli populo suo, ex quo Messias venturus erat, id concessit, vt ait Doctor, vt tunc exiguus multiplicaretur, sicut arena maris, & consequenter pluralitas vxorum in gentibus erat nulla, & ex obiecto illicita, quamuis ob ignorantiam, & bonam fidem communiter à culpa excusarentur. 220

Tertiò Dicendum est, quod polygamia consistens in hoc quod aliquis post repudium vnius vxoris acciperet alteram, qualis erat in vsu apud Iudæos, fuit licita ex dispensatione diuina in lege Mosaica. Ita Scotus *disp.* 33. *cit. quæst.* 3. quem posteà Moderni omnes sunt secuti, & ità iam determinauimus superius *quæst.* 6. *art.* 1. *num.* 179. contrà illos, qui dicebant repudium in lege Mosaica non fuisse concessum per veram, & propriam dispensationem, quæ faceret illud licitum, sed fuisse solùm permissum, & toleratum ad maius malum euitandum nempè vxoricidium; hoc idem defendunt ibidem Scotistæ veteres Bassolius, Almainus, Tataretus, & alij, ac posteà Recentiores, vt Poncius *disp.* 49. *quæst.* 4. *concl.* 6. *Brancatus disp.* 16. *art.* 5. *&* 6. licet Hiqueus propter quasdam Patrum auctoritates oppositam sententiam probabiliorem putet. Fundamentum est, quia Moises hanc permissionem scripsit in legum Codice, non per modum puræ permissionis, & tolerantiæ, sed etiam dispositionis, & legis, vt patet in *Deuteron. c.* 24. *& Malachiæ* 2. vbi præceptiuo modo repudium permittitur; ergo non potuit esse simplex tolerantia, vel conniuentia, consequentia patet; quia nullus legislator aliquid tolerans contrà legem propriam, vel alterius superioris, positiua lege, vel edicto eas tolerantias scribit in codice legum, sed in facto per punitionis suspensionem easdem suffert. 221

Confirmatur, quia lex iusta non debet dare alicui occasionem peccandi mortaliter; sed si repudium in lege Mosaica fuit simpliciter illicitum, & peccatum mortale, tunc lex Moisis dedisset per se, & directè occasionem peccandi. Denique aliud est permittere tantùm, & dissimulare aliquid; aliud est ipsum dictare, vel consulere, aut præcipere, primum fieri potest à lege, vel legislatore respectu mali per suspensionem punitionis; sed secundum nunquam fit respectu mali à lege iusta, vel legislatore; cùm ergo lex Moisis iusta fuerit, & non solùm repudium permiserit, sed faciendum dictauerit, sequitur repudium sub illa lege non tantùm fuisse permissum, & toleratum ad maius malum euitandum, sed etiam iustum, & licitum ex diuina dispensatione, quia Moises, vt legislator, inquit Doctor, non fuit, nisi preco Dei, nam si sola permissio fuisset, ac tolerantia Moisis, sequeretur ipsum manifestè populum decepisse, scandalum perpetuum cõmisisse, & Deum grauiter offendisse, quod de Moise nefas est cogitare, dùm Dei legem tunc populo præscribebat.

Sed obijci solet, quod Christus Math. 19. dixit Moisen per- 222

permisisse repudium ad duritiam cordis Iudæorum; ergò secundum se non erat permissibile, & consequenter illicitum. Confirmatur, quia permissio non est, nisi de malo, non autem de bono, & licito; ergò si repudium fuit solum permissum in leges Moysis, fuit malum, & illicitum, & ideò Magister sent. 4. dist. 33. c. 2. ait quod hoc fuit à Moyse permissum, non vt concederetur diuortium, sed vt tolleretur homicidium. Demum, quia contractus matrimonij; est ratio mutuæ potestatis sui corporis inter coniuges pro toto perpetuo contrahentium vsu, atque ideò irreuocabilis, vt dictum est suprà, quia hoc est conueniens de lege naturæ ad commodam prolis educationem, & bonum Reipublicæ; ergo repudium nequit esse concessibile, & licitum.

Respondetur ex Scoto loc. cit. sub lit. C. quod Christus ibi non accepit permissionem propriè, sed pro insinuatione rei licitè, & licitè concessæ, non tamen simpliciter, sed supposita duritia, & intractabilitatem Iudæorum, ita quod licet istud esset esse licitum, scilicet repudiare, adhuc tamen simpliciter, & absolutè loquendo magis licitum fuisset eis non repudiare, & magis expediens; Vnde quod additur ibi, ad duritiam cordis vestri, ait Doctor, non concludit hoc fuisse eis illicitum, quia frequenter duritia subditorum est causa, vt aliquid relaxetur eis, quod aliàs esset eis vtile non relaxari si essent tractabiles, sicut Prælatus videns Collegium pronum ad aliquid, cuius oppositum esset honestius, & vtilius seruare, si posset, illud oppositum statueret vtiliter, si Subditi essent faciliter inclinabiles; potest tamen non statuere, vel si statutum est, relaxare verè potest, & hoc iustè ne stante illo ipsi multiplicius peccent; sic Deus per Moysen fecit Iudæis, ideoque accipitur ibi permissio, vt dicebam, pro insinuatione minoris boni, liciti tamen, ne arctando ad maius bonum secutum fuisset maius malum ex duritia, & intractabilitate ipsorum.

Ad Confirmationem patet per idem, nam maior verificatur de permissione propriè dicta, ibi autem non fuit propriè permissio, sed insinuatio de minori bono, ne magnum malum sequeretur; Vndè ad id, quoad ait Magister, respondet Doctor ibidem quod vtique non fuit primaria Dei voluntas, vel Moysis faciendi præceptum aliquod de repudio; sed videns maximam illius populi propensionem ad dimittendas vxores sibi non gratas, data fuit lex, vt si eas amplius nollent, libellum repudij darent, quæ permissio licet sit ex suppositione, adhuc tamen licita est.

Ad vltimum dicendum est cum Bassolio dist. 33. qu. vnic. in fine, quod contractus matrimonij in illa lege fuit datio ad tempus quousque, scilicet vxor displiceret viro ob aliquam eis fœditatem, & repudiaret eam, nec obligauit illa institutio matrimonij quantum ad perpetuitatem vinculi sub illa lege, sed ad tempus, & adhuc fuit verus contractus tunc ex ratificatione diuina, sicut modò, licet non esset ibi perpetuitas vinculi, & adhuc fuit verum matrimonium, & eiusdem speciei cum nostro, quia obligari ad aliquid pro maiori, vel minori tempore non variat speciem; Plures etiam solent adduci Patrum auctoritates pro parte opposita, propter quas Hiqueus eam censet probabiliorem, quæ solutæ videri possunt apud Scotistas citatos Bassolium, Poncium, & Brancatum, & etiam apud Doctorem ipsum.

223 Quartò tandem Dicendum est, in lege Euangelica nullo modo esse licitam polygamiam, nec habendo plures vxores simul, nec habendo successiuè plures repudianda primam. Ita Doctor loc. cit. & est communis inter Catholicos, quia concessio populo fidei facta reuocata fuit à Christo Domino Matth. 5. & 19. qui matrimonium reduxit ad suam primam, & naturalem institutionem, quando dixit, erunt duo in carne vna, non tres, vel quatuor, & eum qui dimiserit vxorem aliam ducit, mœchari, & esse adulterum; cùm ergo prima matrimonii institutio polygamiam excludat, vt supra dictum est, sequitur hanc dispensatione fuisse à Christo penitus sublatam. Hoc totum etiam definitum est in Concil. Tridentin. sess. 24. canon. 2. Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum, anathema sit. Accedit tandem ratio, quia matrimonium in noua lege est sacramentum significans vnionem Christi cum Ecclesia; ergo debet esse necessariò vnius cum vna. Addunt etiam communiter Doctores non solum quoad Christianos prædictam concessionem fuisse penitus sublatam per legem Christi, sed etiam quoad Iudæos, & vniuersas nationes, ita ut iam non Christianis solùm, sed etiam alijs omnibus polygamia sit vetita. Ratio est, quia Christus Dominus simpliciter, & absolutè pro omnibus hominibus, & non pro Christianis tantùm, matrimonium reduxit ad primæuum suum statum, & modum de iure naturæ; vnde apud Iudæos, & alios Infideles iam vlteriora connubia nec valent, nec licent, non quia id mera Christi lege sit vetitum, cui lege sine baptismo præcedente alij populi non sunt subiecti, sed quia cum iure ipso naturali omnes nationes ad hoc adstringantur, sublata est per Christum concessio, seù dispensatio de polygamia; Ex quo factum est, vt quando infidelis coniugatus ad fidem conuertitur, & baptismum suscepit, non permittatur in coniugio permanere, nisi cum prima, quam habebat vxore.

Addit tamen Doctor posse casum necessitatis occurrere 224 ex bello, vel peste in quibus multitudo virorum caderet, & multitudo mulierum maneret, & tunc in tali casu licitam esse posse polygamiam ex parte commutantium, sicut olim in antiqua lege ad propagationem, & multiplicationem cultorum veri Dei; nec deficeret ibi, nisi completio iustitiæ, quæ est ex approbatione diuina, quæ fortè tunc fieret, & Ecclesiæ specialiter reuelaretur; ità concludit Doctor loc. cit. & meritò, quia talis dispensatio in præfato casu à Deo reuelata à Sede Apostolica iudicanda esset, an sit verè à Deo concessa, nec ne, vt definitum est in Concil. Lateran. 5. sess. 11. constitut. 1. vbi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibetur, ne inspirationes, ac reuelationes nouæ publicentur, nisi examinentur, & approbentur à Summo Pontifice, & Sedes enim Apostolica sola in toto orbe est regula fidei, & ipsa sola soluit dubia, & quæstiones fidei, vt passim habetur in Concilijs, Patribus, & Iure Canonico.

QVÆSTIO OCTAVA.

De Matrimonio Clandestino.

Licet hoc nomen matrimonij clandestini apud Canonistas plures habeat acceptiones, tamen apud Theologos duobus tantùm modis matrimonium dicitur clandestinum; vno modo ex defectu solemnitatis nouo iure requisitæ, quando nimirum sine Parocho, & testibus celebratur, 225 alio modo ex defectu proclamationum, seù denunciationum, quæ antè contractum matrimonij præmitti solent, inter quas clandestini matrimonij acceptiones hoc interest, quod priori modo sumptum post definitionem Concil. Trident. sess. 24. de reformatione matrimonij cap. 1. est nedum illicitum, sed etiam inualidum, quandò fit sine Parocho, & testibus; at posteriori modo sumptum, quamuis ex eodem Tridentin. ibidem sit prohibitum, non tamen est irritum, & inualidum, quia nullo iure irritatur; vndè matrimonium sine denunciationibus præuijs, & absque earum dispensatione contractum est tantùm illicitum, non autem inualidum, vt posteà dicemus; de matrimonio itaque clandestino in vtroque sensu in hac quæstione agendum est, & videndum quo iure, & ex quo tempore sint prohibita.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quo iure, & ex quo tempore matrimonium clandestinum sit prohibitum; & inualidum.

Conueniunt Canonistæ, & Theologi, matrimonium 226 clandestinum non esse prohibitum iure diuino, sed tantùm iure Ecclesiastico, quia ex solis Ecclesiæ decretis habetur talis prohibitio in pluribus Concilijs, vt patet in Capit. finali de Clandestina desponsatione; non autem ex Sacra Scriptura, quia nullum tale extat præceptum, nec in veteri, nec in nouo testamento; Conueniunt etiam ex antiquis temporibus, imò à principio Ecclesiæ fuisse prohibitum, nam antiquissima sanè in Ecclesiæ inter Christi fideles prohibitio, nec clàm, & occultè matrimonia inirentur, vt testatur Trident. loc. cit. vbi loquens de matrimonijs clandestinis, ait Sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit. Et in iure habetur contrà huiusmodi matrimonia decretum Euaristi Papæ cap. 30. quæst. 2. qui Quartus post Petrum sedit anno 110. obij. que

licet contractum non annullet, suspendit tamen, siquidem adhuc deest intentio, quæ est simpliciter necessaria; nec pariter per Ecclesiam suppleri potest; adimpleta autem conditione verè contractus perficitur, & matrimonium subsistit, quia tunc non deest intentio, nec aliquid aliud ad substantiam matrimonij requisitum, vt supponimus: nec Ecclesia in odium talis conditionis turpis huiusmodi modum contrahendi annullauit, licet graue peccatum esset ità contrahere, & sacrilegium ob iniuriam sacramenti inter fideles.

159 Si verò conditio turpis simplex, & non contraria substantiæ matrimonij, apponatur primo modo scilicet per viam obligationis, vt si dicatur, contraho, tecum, si furtum commiseris, vel talem occides, hoc est, cum pacto, & obligatione furandi, vel occidendi, altera parte acceptante, & promittente; sic sanè nec contractum annullat, nec eius valorem suspendit, sed tunc matrimonium valet, & perficitur, quia adest tunc intentio absoluta contrahendi nec aliquid deficit ad substantiam matrimonij necessarium, nec quicquam interuenit ei contrarium; Nulla tamen remanet obligatio adimplendi tales conditiones, & pactiones vtpotè de re turpi, & illicita, habenturque pro non adiectis, imò potius adest obligatio legis naturalis, ac positiuæ ad non facienda talia, nullaque humana conuentio ad hæc facienda obligare potest; Et hoc modo explicari possunt relata verba Decretalis, quando dicit conditiones turpes in matrimonio contrahendo haberi debere pro non adiectis, vt scilicet intelligantur per viam obligationis, adeout sensus sit, si contrahentes ad aliquas conditiones turpes se obligent, debent pro non adiectis haberi, saluo & integro coniugali contractu, & ratio est, quia talis obligatio, seù intentio se obligandi non inuoluit animum substantiæ matrimonij contrarium, nec excludit consensum matrimonio necessarium, & licet admixtam habeat aliam intentionem irrationabilem, hæc tamen matrimonium non vitiat, nec irritat, nec deinceps obligabit, sed censenda est, ac si non fuisset adiecta, & hanc explicationem quoque affert, & approbat Auersa *loc. cit.* quæ mihi quoque cæteris clarior, & probabilior videtur.

160 Quintò Dicendum est, matrimonium celebratum sub aliqua conditione turpi quæ sit contrà substantiam matrimonij, seù quæ tribus præcipuis illius bonis aduersetur irritum esse, si conditio adiungatur, vt de futuro præstanda, siuè apponatur per viam suspensionis, siuè per viam obligationis. Hæc etiam assertio est communis, vtpotè expressa in prædicta Decretali, vbi dicit; quod *si conditiones contrà substantiam coniugij inferantur, matrimonialis contractus caret effectu*, & hoc etiam expressit Scotus *4. dist. 31. lit. E.* vbi absolutè docet contractum matrimonialem factum cum aliqua conditione contractui contraria esse inualidum; Probatur, & declaratur, quia tria sunt bona matrimonij; Primum perpetuitas, & indissolubilitas matrimonij; Secundum susceptio, & educatio prolis, Tertium fides, seù fidelitas inter ipsos coniuges, nempè de non adulterando cum alijs; & de reddendo inuicem debito, ità designantur in Iure *cap. Omne 27. quæst. 2. & cap. final. de Condit. apposit.* & à D. Aug. *lib. de Bono coniugali cap. 6. & 7.* & dicuntur esse de substantia matrimonij, nempè quantum ad obligationem licet non omnino quantum ad effectum; vndè si quis contrahat cum conditione ducendi vxorem ad tempus v. gr. vsque ad obitum patris, vel donec inueniat aliam ditiorem, vel formosiorem, vel non obseruandi fidem, aut non procreandi prolem, esset irritum matrimonium; quia matrimonij substantia in illis tribus bonis consistit, in consensu scilicet & obligatione, ad societatem coniugalem, ad fidem; mutuò obseruandam, & prolem suscipiendam; cùm igitur prædictæ conditiones hic tribus repugnent bonis, sequitur matrimonij naturam, & essentiam per illas conditiones appositas omninò destrui, siuè per modum suspensionis apponatur, siuè per modum obligationis; Nam si conditio sit merè suspensiua, hoc est, quod contrahens intendat contractum suspendere vsque ad illius executionem, sanè tunc matrimonium non perficitur, siquidem tunc deest intentio absoluta perficiendi; & stante etiam quod posteà ea conditio adimpleatur, adhuc non perficitur, quia conualidari non potest matrimonium per adimplementum talis conditionis, quæ tam directè pugnat principali effectui, & fini, ob quem ex natura rei institutum est ipsum matrimonium, & cum matrimonium celebretur dependenter ab existentia conditionis cum ipso contractu incompossibilis. Si verò conditio turpis substantiali matrimonij contraria apponatur per viam obligationis, vtpotè contrahendo cum pacto, & obligatione euitandi prolem, vel non seruandi fidem, vel dissoluendi matrimonium certo tempore elapso; sic etiam tale matrimonium est nullum, & irritum; est enim de substantia matrimonij obligatio seruandi fidem coniugalem, non impediendi prolem in copula, & perpetuitas, ac indissolubilitas vinculi; quarè si contrahentes, vel eorum alter animum, & intentionem non habeant ad hæc se obligandi, planè deficiunt in consensu ad matrimonium essentiali, & necessario; dico autem, si animum non habeant ad hæc se obligandi, non autem, si non habeant animum hæc seruandi, quia ipsa actualis obseruatio, & sic etiam intentio obseruandi non est de essentia, & valore contractus, sed sufficit intentio se obligandi, qua deficiente nullum est matrimonium, vt notauit Auersa *loc. cit.* Dixi etiam huiusmodi turpes conditiones matrimonium annullare, si apponantur, vt de futuro præstandæ, quia si apponantur de præterito, vel præsenti, matrimonium non irritant, vt si contrahens dicat, Duco te, si adulterium commisisti, dùm eras cum priori viro iam mortuo, validum est matrimonium, si commissum fuit adulterium; sed si in re non adest illa conditio, non valet matrimonium, quia deest intentio, & consensus, qui dependenter à tali conditione præstitus fuit, & conditio de præsenti, vel præterito non suspendit actum L. Institutio talis ff de Conditionibus, tùm quia talis conditio contrà bona matrimonij non censetur, cum supponatur præcessisse ipsum matrimonium; ità Sanchez, Perez, Bonacina, & Auersa, & alij passim.

Verùm quia duplices sunt conditiones, quæ aliquo modo 161
repugnant matrimonio, nam quædam sunt turpes, de quibus procedit præsens assertio, quia contrahentes matrimonium debent saltem interpretatiuè se obligare ad non euitandam, vel impediendam prolem per media illicita, vt per receptionem veneni, aut per abiectionem seminis recepti, aut procurationem abortus: quædam verò sunt honestæ, quæ nimirum per media licita prolem impedire possunt, vt conditio voti castitatis mutuò consensu emittendi, vel religionis ingressus; & de his dubitatur, an matrimonium irritent, vt si contrahens dicat Ego tecum contraho, si post coniugium emiseris votum castitatis. Affirmant Sanchez, Sotus, Couar. Henriquez, Stephanus à S. Gregorio, Tancred. & alij. Fundamentum est, quia talis conditio estò honesta, est contrà substantiam matrimonij, & illud irritat, vt dicitur in cap. finali, vbi absolutè, & absque vlla distinctione dicitur conditionem contrà bonum prolis matrimonium annullare, conditio enim nunquam se copulandi, seù semper seruandi castitatem est euitandi prolem, quia non copulando, seù castitatem seruando impeditur proles: ergò hæc conditio est contrà substantiam matrimonij, & illud irritat.

Confirmatur, quia licet de essentia matrimonij non sit, vt intendatur proles, & copula, est tamen de matrimonij substantia mutuum ius petendi, & mutua obligatio reddendi ob corporum translationem factam in matrimonij contractu; sed dicta conditio cum iure petendi, & obligatione reddendi consistere nequit, quia ex ea conditione oritur de obligatio reddendi, & priuatio iuris ad petendum; imò etiam positiua obligatio oriri potest non petendi, & non reddendi, si id etiam dicta conditione contrahentes intendant: ergo prædicta conditio est contrà substantiam matrimonij, & illud irritat. His tamen non obstantibus.

Sextò dicendum est, validum esse matrimonium cum his 162
conditionibus contractum, Duco te, si te ad seruandam perpetuò castitatem obliges, vel ad professionem in Religione faciendam. Ità iam determinauimus *quæst. 3. art. 3.* vbi ostendimus, quomodo possit verum matrimonium consistere cum conditione, promissione, & voto inter coniunges nunquam coendi, & cum obligatione, & pacto nunquam habendi copulam, quod etiam tenent Ledesma, Rebell. Coninch. Auersa, Caspensis, Hurtadus, Bonacina, & alij, & probant ratione superius adducta est Scoto *4. dist. 30. quæst. 2. art. 2.* quia vt ibi dictum est, essentia matrimonij consistit in mutuo dominio, & subiectione corporum per ordinem ad vsum matrimonij: sed potest subsistere dominium, & subiectio corporum cum prædicta obligatione, cùm enim dominium distinguatur ab vsu, potest verum dominium subsistere cum obligatione, seù conditione non vtendi reipsa.

Confir-

Confirmatur, quia talis separatio dominij alicuius rei ab vsu, & obligatione vtendi illa potest etiam in alijs contractibus contingere, vt rectè Hurtad. aduertit *disp.9. diffic.9.* nam Dominus, qui alteri locaret omnem operam sui mancipij, quamuis adhuc dominium in mancipium retineret, radicale, & remotum in ordine ad operas illius, & in ipso mancipio perseueraret adhuc obligatio radicalis, & remota; nihilominus in Domino maneret dominium impeditum, & non maneret ius proximum, sed hoc esset in conductore absque dominio, & mancipio non esset obligatio proxima obediendi Dominio, sed conductori, quamuis in eo esset obligatio radicalis, & remota correspondens dominio Domini, imò in Domino manere posset obligatio positiua non exercendi dominium in mancipium, & mancipio non obediendi illi, si de eo conuenirent Dominus, & conductor, aut mancipium, & Dominus; ergò hoc idem matrimonio contingere potest, quod nempè dominium in corpora ad vsum coniugalem, & obligatio radicalis ad eundem maneat absque expeditione ad eum, seu absque iure proximo ad petendum, & absque obligatione proxima ad reddendum, imò cum positiua obligatione ad non petendum, & ad non reddendum.

163 Ad Fundamentum oppositæ sententiæ constat ex ibi dictis, falsum esse dictas conditiones repugnare substantiæ, & bonis matrimonij, & obligationem in copulam, & in vsum matrimonij requiri, quando contrahentes cedunt iuri suo; non inquam, repugnant bonis matrimonij, quia non repugnant eius indissolubilitati, siquidem illis conditionibus non obstantibus adhuc matrimonium esset indissolubile, & vinculum perpetuum; Neque repugnant Fidei; quia contrahentes non se obligant ad communicandum corpus alieno; Nec tandem repugnant proli quia contrahentes non se obligant ad prolem impediendam per media illicita, quod solum impedimentum substantiæ matrimonij repugnat non autem per media licita, vt per votum castitatis mutuo cōsensu emissum, vel per Religionis ingressum; & de tali prolis impedimento loquitur Pontifex in eo *cap. Finali*, & intellexit conditionem appositam de euitanda, seù impedienda generatione, habendo tamen copulam, & procurando per venena sterilitatem, aut abortum, & similia, vt iam diximus *quest.3. cit. art.3. n.111.* & patet ex ipso Decretalis contextu.

Ad Confirmationem neganda est minor, nimirum ex dicta conditione apposita sequi aliquid incompossibile cum mutuo dominio ad petendum, & cum mutua obligatione radicali ad reddendum, in quibus materia substantialis, & essentialis matrimonij præcisè consistit; etenim ex illa conditione apposita oritur tantùm priuatio iuris proximi ad petendum, & priuatio obligationis proximæ ad reddendum; & ad summum etiam positiua obligatio proxima ad non petendum, & non ad reddendum, quæ cum dicto dominio non sunt incompossibiles, quod est ius remotum ad petendum, & cum dicta obligatione radicali ad reddendum, ita Hurtadus *loc. cit.* quæ doctrina satis declarata manet ex adducto exemplo de Domino, & eius mancipio conducto ab alio; potest igitur cum prædicta conditione validum esse matrimonium, si alter consentiat, & vterque in actu primo corporis sui potestatem tradat; quia contrahentes cum tali conditione non se priuant mutuo dominio remoto, & in actu primò ad petendum, & mutua obligatione radicali ad reddendum, quæ tantùm sunt de essentia matrimonij, sed tantùm se priuant iure proximo ad petendum, & obligatione proxima ad reddendum, quæ non sunt de essentia matrimonij.

ARTICVLVS TERTIVS.

An impleta conditione honesta de futuro matrimonium statim reddatur firmum, & absolutum, vel requiratur nouus consensus.

164 Hic supponendum est, quod si contractus sub conditione honesta fuerit de futuro, vt si Titius Claræ dicat, contraho tecum, si tuus Pater consenserit, habito consensu hæc esse sponsalia, non matrimonium; si verò verba fuerint de præsenti, vt contraho tecum &c. tunc necessariò, vt tamen consensus vsque ad habitum Patris consensum perseueret alioquin si consensus fuerit reuocatus, matrimonium erit nullum, & hæc est communis omnium doctrina, sensus ergo quæsiti est, an huiusmodi matrimonium expleta conditione de futuro, hoc est, habito Patris consensu statim reddatur firmum, & absolutum non expectato nouo contrahentium consensu; an potius hic expectandus sit, vt matrimonium valeat; in qua difficultate duæ sunt opiniones extremæ, quarum quælibet plures habet sectatores.

Prima asserit statim adimpleta conditione de futuro honesta fieri, & firmari matrimonium absque nouo consensu, & est communis inter Canonistas, quam sequuntur Paludanus, Viguerius, Innocentius, Hostiensis, Panormitanus, Ioan. Andrea, Nauarrus, Soto, Sanchez, Bonacina, Coninch, Rebell. Hurtad. Auersa, Tancred. Brancatus, ex nostris, Caspensis, & alij Recentiores. Fundamentum sumitur ex pluribus vtriusque iuris textibus, ex quibus deducitur omnes contractus cum conditione de futuro celebratos, ea adimpleta, absque nouo consensu perfectos censeri, ac proindè tunc valere contractum sub conditione initum, ac si esset absolutus à conditione, vt patet ex L. *Hæc venditio ff. de contractu emptionis*, vbi habetur, *Conditionales venditiones tunc perficiuntur, cùm impleta fuerit conditio* patet etiam ex L. *Potior ff.* Qui potiores in pignore, vbi dicitur, quod *Cùm conditio semel extiterit, perinde habetur ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset*; igitur etiam matrimonium adimpleta conditione validum erit absque nouo consensu.

Confirmatur, quia si nouus requiritur consensus ad validandum matrimonium conditionatum, tale matrimonium conditionatum, & consensus conditionatus frustratoria essent, & haberentur pro non factis, quia nihil operarentur, & quod est falsum, quia sacri Canones tale genus conditionati matrimonij admittunt, & dicunt, quod contractus conditionatus purificata conditione redditur absolutus; ergo & matrimonium expleta conditione obligat, non expectato nouo consensu ex vi prioris consensus ex vi præcisè purificatæ conditionis. Tandem probatur ratione, quia nec ex ratione sacramenti, nec ex ratione contractus plus requiritur, nam ratio huius sacramenti talis est, vt non plus requirat, quàm ratio contractus; igitur specialiter ex se non aliud exigit, sed quod erit contractus validus inter alios homines erit validum sacramentum inter fideles; ratio autem communis contractus optimè perfici potest per consensum anteà præstitum sub conditione de futuro, & per adimpletionem posteà sequentem talis conditionis, vt patet ex iuribus citatis.

Secunda sententia, quæ est communis inter Theologos, asserit ad validitatem dicti matrimonij requiri nouum consensum sponsorum post adimpletam conditionem; & expectandum esse nouum consensum, vt sit vinculum matrimonij, & ex vi prioris consensus, & expleta conditione solùm consurgere sponsalia de futuro. Ità D. Thomas, D. Bonauentura, Durandus, Riccardus, Adrianus, Maior, Henriquez, Ponce, vterque Ledesma, Beccanus, Barbosa, Diana, & plures alij. Fundamentum est, quia ad sacramentum est necessarium signum sensibile, sed contractus matrimonij sub conditione de futuro absque nouo consensu verbis, vel signis expresso nunquam est sacramentum, ergo &c. Minor probatur, nam antè expletam conditionem non est sacramentum, quia pro eo tempore adhuc est suspensus valor contractus, & consequenter non est validus, sed neque expleta conditione potest tunc esse sacramentum secluso nouo consensu signis expresso, quandoquidem tunc nihil est actu sensibile ex parte contrahentium, quod possit eleuari per modum formæ ad rationem sacramenti, vel etiam ad causandam gratiam, ergo &c. 165

Confirmatur, quia sacramenta nouæ legis in suo effectu conferendo non possunt pendere à futuro euentu, aliàs etiam forma absolutionis in sacramento pœnitentiæ sub conditione de futuro prolata posset suspendi vsque ad existentiam conditionis dicendo verb. gr. ego te absoluo, si crastina die restitues; quod est falsum, & contrà omnes Doctores; sic etiam nihil faceret, qui formam baptismi sub conditione de futuro preferret verb. grat. dicendo, Ego te baptizo, si tuus Pater consensum præstiterit. Tandem in quoque deduci videtur ex *cap. Super eo* de Conditionibus, vbi dicitur eum, qui matrimonium contraxit cum fœmina sub conditione, si pater illius consentiret, non esse compellen-

pellendum ad matrimonium antè conditionis euentum, quia ibi supponi videtur impleta conditione compellendum fore ad contrahendum matrimonium, ac proindè non esse perfectum solo euentu, & impletione conditionis.

166 Quamuis vtraque sententia sit probabilis nobis tamen cum Hiqueo nostro *4. dist. 30. quæst. 1. in Commentario num.* 58. media sententia videtur eligenda dicendo illum consensum conditionatum de præsenti transire in consensum absolutum, & ratum adimpleta conditione, ac proindè ad eius validitatem sub ratione contractus non requiri nouum consensum, prout rationes primæ sententiæ rectè probant, quia consensus conditionatus ex iuribus citatis purificata conditione transit in absolutum; nouum tamen consensum requirere, vt fiat sacramentum, ille contractus, nam ex regula generali de Sacramentis requiritur, vt rectè discurrit Hiqueus *loc. cit.* quod materia, & forma sit in actu, & non in habitu tantum ad causandum effectum Sacramentalem, & per Ministros applicentur; sed ministri huius Sacramenti sunt ipsi contrahentes, vt suprà dictum est, & per consensum conditionatum non ponitur materia, & forma sacramenti in effectu, quia requiritur consensus absolutus verbis de præsenti expressus, vt fiat Sacramentum, cuius effectus neque per arbitrium Ministri, neque alterius, cuius est conditionem adimplere, suppleri potest. Itaque Canones adducti pro prima opinione probant solùm matrimonium in ratione contractus nouum consensum non requirere expleta conditione ad eius validitatem, non autem id probant in ratione Sacramenti; Et hac de causa matrimonium sub conditione contractum; quod Canones admittunt, non suo effectu frustratur, quia expleta conditione obligat, non expectato nouo consensu, vndè ex *cap. cit. super eo* habetur ex vi præmissæ conditionis, quando impleta fuerit, posse compelli, qui sic consensit ad contrahendum matrimonium etiam sub ratione sacramenti, quarè nouus consensus requiritur non ad obligationem vinculi inducendam, sed ad perficiendum talem contractum sub ratione sacramenti; Quando tandem dicebatur Christum Dominum in matrimonio naturam contractus non mutasse, sed tantum rationem sacramenti addidisse; hoc vtique verum est, at ratio sacramenti in matrimonio requirit consensum absolutum verbis de præsenti expressum, primus autem consensus sub conditione non erat talis; ergò nisi sit nouus consensus, non est verum matrimonium, & Sacramentum. Nec sufficit dicere consensum prius conditionatum conditione adimpleta statim transire in absolutum, & inducere vinculum indissolubile, atque ideò rationem quoque Sacramenti inducere posse. Hoc enim vltimum gratis omninò dicitur, quia vinculum matrimonij induci potest absque eo, quod sacramentum, quod concomitanter se habet, conferatur, quia præter rationem legitimam contractus, qui sufficit ad obligationem inducendam; vt sit Sacramentum requiritur, vt sit completus, & absolutus de præsenti ex vi consensus verbis expressi; nam ex Concilio Florentino ad Sacramentum perficiendum requiruntur res, & verba, vel his æquiualentia, & quod hæc actu applicentur à Ministro ad effectum sacramenti; sed consensus conditionatus, quando conditio impletur, non est, cùm etiam dormientibus contrahentibus impleri possit; ergo nequit esse materia, nec forma sacramenti, nec tunc applicari per intentionem ministri, atque ideò neque rationem Sacramenti fundare.

167 Dices, quod esto non existat physicè tunc forma Sacramenti, quando conditio adimpletur, existit tamen; & perseuerat moraliter quod sufficit, vt possit moraliter causare gratiam, seruata proportione in Sacramento baptismi, quod recedente fictione causat moraliter gratiam ob solam præsentiam, & perseuerantiam moralem; Ità ergò discurrendum esse aiunt Auctores primæ opinionis in proposito nostro; alioquin sequeretur matrimonium factum per procuratorem, vel literas non esse sacramentum, quia consensus præteritus absentis tunc non est.

Hæc tamen instantia non vrget, est enim manifesta disparitas de matrimonio conditionato, & Baptismo gratiam conferente recedente fictione, benè enim baptismus potest moraliter causare gratiam recedente fictione ob solam præsentiam, & perseuerantiam moralem, quia Sacramentum iam confectum, & perfectum fuit per materiam, & formam actu applicatas à Ministro ad effectum Sacramenti, & moraliter permanere dicitur ratione characteris impressi, qua ratione in baptizato gratia producere potest recedente fictione; hoc autem dici non potest in proposito de consensu conditionato iam præstito, quia talis consensus non est sufficiens materia, vel forma matrimonij, quia præter rationem legitimam contractus requiritur, vt sit completus, & absolutus ex vi consensus expressi per verba de præsenti, vt sit sacramentum. Est etiam manifesta disparitas inter contractum conditionatum ex vna parte, & absolutum per litteras, & procuratorem ex alia, quia consensus à principali præstitus manet in suo effectu, quatenus manet expressus in mandato, & literis, quæ verbis de præsenti æquiualent; hoc autem de consensu conditionato dici non potest, qui neque completus est sicut ille, neque manet in vllo suo sensibili effectu, qui ei æquiualeat, quando conditio purificatur, & adimpletur.

Hæc eadem quæstio fit etiam de matrimonio contracto inter inhabiles sub conditione, si Pontifex dispensauerit; & quidem plures Auctores iam pro prima opinione adducti sic etiam consequenter discurrunt in hoc casu, & dicunt matrimonium statim habita dispensatione fieri validum absque nouo consensu. Fundamentum est, quia contrahentes sub illa conditione non contrahunt pro nunc, sed pro tempore futuro, scilicet, pro tempore conditionis adimpletæ, quo tempore sunt habiles, & nihil obstat, quominus matrimonium perficiatur; ergò verè perficitur matrimonium tempore illius conditionis adimpletæ per dispensationem. Tùm quia ità deduci videtur ex L. *si tempus* vbi habetur factum in tempore inhabili, sed relatum ad tempus habile validum esse, qua de causa sponsalia contracta à fideli cum infideli sub conditione, si infidelis conuertatur, valida sunt posita conditione; ità discurrit Bonacina *qu. 2. punc. 10. proposit. 4* plures alios citans Auctores. 168

Oppositum tamen docent non solùm Auctores pro secunda opinione adducti in præcedenti Difficultate, sed etiam plures ex citatis pro prima, ità præsertim Brancatus ex nostris *disp. 20. art. 2. §. 2. & Auersa quæst. 5. sec. 2.* qui alios quoque citant dicentes tale matrimonium non valere, sed ex integro requiri nouum alium consensum, & contractum post sublatum impedimentum. Quamuis autem pro hac assertione plures soleant adduci rationes, vt apud Brancatum videri post *loc. citat.* hæc tamen sola mihi sufficere, videtur quia matrimonium absque consensu de præsenti absoluto, & inter personas habiles nequit esse validum, & perfectum; sed in casu proposito nunquam est consensus de præsenti absolutus, & inter personas habiles, & quamuis tempore conditionis adimpletæ, & sublati impedimenti personæ sint habiles, tamen tunc non est consensus de præsenti, sed præteritus, & antiquus, ergo rursus ex integro, & de nouo consensus præstari debebit, & contractus initi. 169

Confirmatur, quia Ecclesia habet pro nullo, & irrito consensum præstitum à personis, vel cum personis impeditis, hoc est, inter quas statuit, ne matrimonium valeat; ergò contractus inter tales personas initus, quamuis sub ea conditione, si impedimentum auferatur, verè ad validitatem matrimonij non sufficit etiam dùm adimplebitur conditio, sed renouari debet.

Ex qua doctrina fundamentum soluitur oppositæ sententiæ, non enim ad matrimonij validitatem sufficit, vt contractus, & consensus referatur ad tempus, quo personæ erunt habiles; sed omninò requiritur, vt proferatur à personis, quæ tunc sunt habiles, consensus enim vtilis, & validus non solùm debet referri ad casum, & tempus habilitatis; sed à persona etiam habili, & legitima proferri debet, ac proindè consensus præteritus, & antiquus ad valorem matrimonij non sufficit, etiam adimpleta conditione, quia à personis impeditis, & inhabilibus præstitus fuit, & tempore inhabilitatis, & impedimenti. 170

Ad Confirmationem dicendum, quod etiamsi sponsalia cum tali conditione facta valere dicantur tempore conditionis adimpletæ, itaut qui sub conditione promisit, si impedimentum tollatur, teneatur posteà promissum adimplere, & contractum inire, non ob id sequitur valere etiam matrimonium sub eadem conditione contractum; nam benè stare potest, vt quis sit inhabilis, & impeditus ad contrahendum, non tamen ad promittendum pro quando erit habilis, & expeditus; vt benè aduertit Auersa *loc. citat.* vbi etiam ait, non sequi quod si Ecclesia inhabilitauit ad contrahendum constituendo impedimentum dirimens, inhabi-

habilitasse etiam ad promittendum; vel si reliquit in libertate ad promittendum, si reliquerit etiam ad contrahendum, vt patet in impuberibus, qui possunt quidem promittere, & sponsalia inire, non tamen possunt tunc contrahere, & matrimonium inire; Ex quo patet in præsenti casu maiorem esse necessitatem noui consensus, & contractus, quam in casu præcedentis difficultatis, quia in eo casu contractus conditionatus fuit initus inter personas habiles, & non impeditas, atque ideò adimpleta conditione matrimonium illud sub ratione contractus censetur firmum, & validum absque nouo, & iterato consensu, licet non sub ratione sacramenti; at in casu præsenti consensus conditionatus præstitus fuit à personis impeditis, & inhabilibus, & ideò matrimonium ità contractum nec etiam sub ratione contractus valet adimpleta conditione, & impedimento sublato, sed ex integro, & de nouo debebit præstari consensus, & initi contractus.

171 Postremò quia per Concilium Tridentinum additum est, vt ad valorem matrimonij præsentia Parochi, & testium requiratur, adhuc restat difficultas, an necesse sit Parochum, & testes assistere vigore huius decreti in locis, vbi obseruatur, dum expletur conditio, vt de valore matrimonij valeant ipsi testificari; an potius sufficiat adstitisse, dùm primùm præstitus est consensus sub ea conditione de futuro verbis, aut signis illum exprimentibus. Prima sententia negat requiri nouam assistentiam Parochi, & testium, dùm adimpletur conditio, & ait sufficere præteritam; quia inquit de mente Concilij satis esse, vt Parochus, & testes intersint contractui, nec necesse est, vt ipsis etiam constent omnes aliæ circumstantiæ ad valorem matrimonij requisitæ; ità patet valere matrimonium coram Parocho, & testibus initum per procuratorem, quamuis illi mandatum procurationis non videant, aut de eius validitate certiorentur; item matrimonium inter consanguineos, vel affines initum obtenta dispensatione, quamuis illi talem dispensationem non videant; Cùm igitur in casu nostro contractus conditionatus supponatur in facie Ecclesiæ initus, videtur satisfieri ad intentum Concilij, scilicet, ne fraudulenter aliud matrimonium contrahatur durante primo, quia Iam Ecclesia non admittet ad contrahendum secundum matrimonium illos, qui primum sub conditione contraxerunt, nisi doceant de non verificata conditione, & consequenter de sua libertate; ità Sanchez, Tancred. Caspensis, Stephanus à S. Gregorio, Brancatus ex nostris *loc. cit.* §.9. & quidam alij.

72 Sed quamuis hæc opinio sit probabilis, probabilior tamen videtur opposita sententia docens non esse tale matrimonium firmum, & validum, donec Parocho, & testibus constet etiam de verificatione conditionis appositæ in coniugali contractu; & planè cùm hanc opinionem defendant quamplures tenentes matrimonium conditionatum conditione de futuro ratificari, & validari sola impletione conditionis absque alio nouo consensu, vt Bonacina, Coninchius, Hurtadus, Auersa, & alij ab ipsis citati; tantò magis eam nos tueri tenemur asserentes matrimonium sic contractum non purificari sola impletione conditionis, sed requiri nouum consensum, nam iuxtà hanc opinionem consequenter asserendum est, necessarium esse nouum illum consensum exprimi coram Parocho, & alijs testibus, quia tunc tantùm integrè fit matrimonium, & non anteà; Suadetur autem, quia ideò Concilium requirit contractum matrimonij coram Parocho, & testibus deputatis perfectum, & celebratum, vt hoc modo, & hac adhibita solemnitate constet de illo contractu in facie Ecclesiæ; sed contractus sub conditione initus planè non est perfectus, & completus, nisi conditione adimpleta, & purificata, nec constat esse perfectum, nisi pariter de conditionis adimpletione constet; ergo de hac etiam Parocho, & testibus constare debet.

Confirmatur, quia vt efficaciter instat Auersa *quæst.5. sec. 1.* alio quidem modo potest adhuc talis perfici contractus conditionatus, nempè si contrahentes ab illa conditione recedant, & absolutè consentiant independenter ab ea, vel ergo in tali casu opus est hunc recessum à conditione, & nouum consensum absolutum coram Parocho, & testibus adhiberi, vel non; si primum ergò pariter in alio modo perficiendi talem contractum, scilicet, per conditionis impletionem, hæc Parocho, & testibus constare debebit; si secundum, ergo illo nouo consensu clàm inter contrahentes præstito nullatenus coram Ecclesia hoc matrimonium probari poterit; imò contingere potest, vt posteà non adimpleatur conditio, & de hoc publicè constet, in quo casu tale matrimonium nullum ab Ecclesia iudicari deberet, quod tamen in re validum esset, quod est maximum inconueniens.

Ad fundamentum in oppositum respondetur, quod quamuis opus non sit Parochum, & testes ità matrimonio assistere, vt possint de eius valore testificari assistendo omnibus quoquomodo ad valorem requisitis; necessarium tamen est, vt illis hæ circumstantiæ constent, quæ sunt de forma ipsius contractus, & in quibus consistit essentia exterior matrimonij, & quia essentia exterior matrimonij impletione conditionis essentialiter perficitur, hæc vtique Parocho, & testibus constare debebit; Quarè distinguere oportet, vt ait Auersa *loc. cit.* circumstantias debitas ex parte contractus, & alias debitas ex parte contrahentium, nempè vt procurator sit legitimus, & consanguinei, vel affines sint dispensati, vt contrahentes sint puberes, & similes; Concilium itaque non requirit, vt de his circumstantijs contrahentium constet coram Parocho, & testibus ad hoc, vt matrimonium sit validum, sed de illis, quæ sunt de forma ipsius contractus, & de essentia exteriori matrimonij, qualis omninò est purificatio, & adimpletio conditionis; Nec aliter satisfieret intentioni Concilij, quia alioquin posset conditio secretò adimpleri, & tunc si vna pars negaret conditionem esse adimpletam, & alia affirmaret, maxima orietur perplexitas in materia adeò graui; Adhuc tamen fatendum est necessarium non esse, vt Parochus, & testes per se videant conditionem esse adimpletam, vel adimpleri, sed satis esse, si contrahentes ipsi id coram illis asserant, quia sicut satis est de eorum consensu per eorum verbo constare, ità pariter de conditionis verificatione discurrendum est; Imò vt notat Auersa cit. etiamsi conditio non esset verè purificata, adhuc illa contrahentium assertio se haberet, tanquam nouus assensus absolutus ab incertitudine illius conditionis non amplius dependens. 173

Dices, id non cohærere doctrinæ iam traditæ *quæst. 3. ar. 1. num. 87.* vbi diximus, quod quandò prius matrimonium celebratum coram Parocho, & alijs testibus fuit nullum ob defectum consensus occultum, aut ob impedimentum aliquod occultum, necessarium non est ad illud reualidandum, quod iterum coram Parocho, & alijs testibus celebretur, sed solùm esse supplendum defectum ex parte consensus, vel impedimenti occulti; ergò idem pariter in hoc casu dicendum erit. 174

Respondetur non currere paritatem in hoc, & illo casu, nam in eo casu optimè validatur matrimonium absque noua Parochi præsentia, & aliorum testium, quia vt ibi dicebamus, præsentia antiqua, quæ præcessit, in casu impedimenti, vel defectus occulti sufficit ad euitanda incommoda, quorum intuitu Tridentinum *sess. 24. cap. 1.* irritauit matrimonia facta absque Parochi præsentia, & aliorum testium; quod in casu præsenti dici nequit de matrimonio sub conditione contracto; ibi enim matrimonium prius contractum in facie Ecclesiæ, & foro exteriori habetur, tanquam validum, vndè solùm sufficit in foro exteriori supplere defectum ex parte consensus, vel impedimenti occulti, at in præsenti casu matrimonium sub conditione initum etiam coram Parocho, & testibus non censetur validum, & perfectum, nisi per conditionis adimpletionem, quę proindè etiam illis aliquo modo nota esse debet, alioquin in facie Ecclesiæ non magis constaret matrimonium esse perfectum, & validum, quam esse rescissum, & nullum ex defectu conditionis; Nec sufficit dicere, posse etiam alijs modis apud Ecclesiam constare de conditionis adimpletione, quia etiam de contrahentium consensu posset aliundè Ecclesiæ constare, & nihilominus Concilium requirit, vt præcisè illo modo constare debeat ad euitanda plura incommoda, quæ in materia tam graui oriri possent.

QVÆSTIO SEXTA.

De Indissolubilitate, & perpetuitate Matrimonij.

Matrimonium communiter à Doctoribus diuiditur in legitimum, ratum, & consummatum; legitimum dici- 175

dicitur, quod iuxtà leges est, & legitimo consensu inter personas non impeditas contractum est, quale olim erat antè Christi Domini aduentum, & etiam nunc inter Gentiles, & infideles esse solet, vndè matrimonium infidelium, quod ipse iure naturali spectato contrahitur, legitimum appellatur; Matrimonium verò ratum includit in se legitimum, & addit rationem Sacramenti, per quod maiorem firmitatem, & indissolubilitatem acquirit, & solùm inter Fideles, & baptizatos contrahitur, vndè Innocentius Tertius in *cap. Quanto* de diuortijs inquit; *etsi matrimonium verum inter infideles existat, non tamen est ratum*, inter Fideles autem non tantùm legitimum, sed & ratum existit, ac proindè indissolubile. Matrimonium denique consumatum dicitur, quod reali corporis vsu, & legitima copula ad prolis generationem apta perficitur, & completur, vndè ad matrimonij consumationem non sufficit quicunque tactus etiam cum carnis penetratione absque seminis infusione, sed hæc omninò requiritur, & intrà vas naturale, alioquin generationi apta non esset; Imò est etiam valdè probabile, vt notat Sanchez *lib. 2. disp. 21.* & approbat Diana *part. 3. trac. 5. resol. 19.* Auersa *q. 2. sec. 4.* & ex nostris Brancatus *disp. 12. art. 10. §. 4.* non sufficere effusionem seminis solùm ex parte viri, sed requiri etiam ex parte fœminæ, supponendo hanc quoque concurrere, & requiri ad generationem; & ità iudicauit D. Bonauentura *4. d. 41. qu. 1. art. 1.* & D. Thomas ibidem *qu. 1. art. 1.* Item ad matrimonij consumationem non sufficeret præfata copula, si antè contractum coniugalem haberetur, sed omninò requiritur post contractum, alioquin copula matrimonialis non esset, sed fornicaria. De matrimonio itaque rato, & consummato hic discurrendum est, & declarandum quomodo indissolubilia dicantur.

ARTICVLVS PRIMVS.

An & qualiter matrimonium sit insolubile.

176 Conueniunt Catholici omnes contrà quosdam Hæreticos sectarios turpiter affirmantes pro libito contrahentium posse matrimonium dissolui, & vnanimiter asserunt, matrimonium legitimè contractum siuè ratum, siuè etiam consummatum inter fideles, & infideles continere nexum perpetuum, & insolubilem; & ità præsertim docuit Scotus noster in toto tractatu de Matrimonio, *à d. 36. vsque ad 42.* vbi nil aliud tam frequenter reperit, & inculcat, quàm matrimonialis vinculi insolubilitatem, non tantùm sub ratione sacramenti, sed etiam sub ratione legitimi contractus à Sacramento præscindentis, & ità expresè docet *dist. 31. quæst. 1. §. ad Quæstionem sub lit. D.* vbi mouens dubium, an ista insolubilitas conueniat matrimonio Euangelico propter rationem Sacramenti, respondet; Dico quod in lege naturæ fuisset insolubile, & tunc non fuisset propriè Sacramentum annexum contractui matrimonij, & Christus potuisset istam indissolubilitatem præcepisse in matrimonio suæ legis, licet nullum sacramentum adiunxisset illi contractui ità Doctor quæ omnia posteà per Tridentinum confirmata videntur *sess. 14.* in principio de matrimonij reformatione vbi hoc ipsum de omni matrimonio generaliter docet; idemque insinuat Gregorius Nonus in cap. finali de Conditionibus appositis, vbi ait conditionem perpetuitati matrimonij repugnantem esse contrà substantiam illius, & manifestè deducitur ex Genes. 2. vbi generaliter dicitur *Quamobrem relinquet homo patrem, & matrem, & adherebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna* hoc est, vt explicat Scotus *d. 26.* F. & H. non momentaneè accipiet, vel ad tempus, sed perpetuò, & tota vita durante; idem deducitur ex Math. 19. vbi de matrimonio dicitur, *Quod ergo Deus coniunxit, homo non separet*, & Marci 10. & Lucæ 16. vbi omnis, qui vxorem dimittit, & aliam ducit mœchari dicitur; Idcircò Paulus ad Rom. 7. dixit *Mulier viuente viro alligata est legi*, nam durante coniugum vita maritali vinculo, & lege matrimonij sunt deuincti, vndè ortum habuit vulgaris matrimonij definitio, quod *est viri, & fœminæ maritalis coniunctio indiuiduam vitæ Societatem, & consuetudinem retinens*. Et tandem hac de causa communiter Doctores aiunt cessare in matrimonio, & exceptionem pati vulgarem, & communem regulam de contractibus traditam cap. 1. de Regulis iuris, *omnis res per quascunque causas nascitur, per easdem soluitur*, hæc enim regula solùm tenet in alijs contractibus in quibus ratione materiæ possunt contractus dissolui, et ipsamet contrahentium voluntate, qui vt liberè contraxerunt, ita & pro arbitratu suo possunt contractum rescindere cedentes iuri suo; vel ex potestate superioris illos ex iusta causa rescindentis; hæc autem regula in matrimonio non tenet, tùm propter bonum commune, cùm matrimonij dissolutio in detrimentum publicum vergat, tùm propter ius diuinum, quo matrimonium indissolubile fuit institutum, vt mox dicemus.

Hoc itaque supposito ex communi Doctorum, remanet controuersia, quo iure matrimonium sit indissolubile, 177 siuè præcisè ratum, siuè etiam consummatum, de quo plures sententias, & varios dicendi modos refert Ponce *lib. 1. cap. 12.* quæ tamen ad tres reduci possunt. Prima affirmat non iure naturali, sed supernaturali diuino, vel ab origine mundi, vel etiam à Christo Domino in lege gratiæ matrimonij contractum insolubilitatem accepisse, ità Sanchez *lib. 2. disp. 13.* *Tancred. ibidem*, *Coninch. disp. 26. dub. 2.* & alij ab ipsis citati. Secunda opinio affirmat etiam Iure naturali esse matrimonium indissolubile tam consummatum, quàm ratum etiam in ratione contractus, vt à Sacramento præscindit, ità communiter Scholastici *4. dist. 33.* quos sequuntur Vasquez, Meratius, Ponce, Corduba, Lopez, Hurtadus, Bellarmin. Rebel. Auersa, Bonacina, Caspensis, Azorius, & alij passim. Tertia tandem sententia docet ex sola Ecclesiæ institutione; & dispensatione insolubilitatem matrimonij prouenire, ità plures Iurisperiti apud Sanchez *loc. cit.*

Pro resolutione quæstionis Primò Dicendum est matrimonium 178 fuisse institutum insolubile iure diuino supernaturali à mundo condito, & posteà tale confirmatum fuisse à Christo Domino in lege gratiæ. Ità iam statuimus *quæst. 1. huius Disput. art. 2. concl. 2. cum Scoto dist. 26. quæst. vnic. lit.* H. & Q. vbi ait obligationem matrimonij indissolubilem fuisse à Deo institutam lege sua positiua, & est communis Theologorum sensus tam veterum, quàm Recentiorum, quod probat Doctor ex illo Genes. 2. *Adherebit vxori suæ* idest non momentaneè accipiet inquit Doctor, & probat etiam ex oraculo Christi, qui Math. 19. interrogatus, an liceret vxorem dimittere ex quacunque causa, respondit *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fœminam creauit eos, & dixit, Propter hoc dimittet homo Patrem, & matrem, & adherebit vxori suæ &c.* & concludit *Quod ergo Deus coniunxit homo non separet*, quibus verbis Christus expressit, non posse vxorem dimitti, quia à Deo facta est coniunctio, & Deum instituisse contractum insolubilem inter virum, & fœminam, qui auctoritate humana dissolui nequeat, vt *loc. citat.* dictum est. Et cùm rursus Christum vrgerent Pharisæi argumento repudii, & dimissionis vxoris à Moyse concessæ, ipse respondit *Quoniam ad duritiam cordis vestri Moyses permisit vobis dimittere vxores vestras, ab initio autem non fuit sic*, quasi diceret, institutionem matrimonii à Deo factam ab initio non fuisse cum potestate dimittendi, seù soluendi, quibus verbis expresè docet, matrimonii insolubilitatem à Deo fuisse institutam, mundi initio.

Dices, si lege diuina matrimonium indissolubile fuisset, 179 Iudæi in lege Moysi peccassent faciendo repudium, quod est falsum; ergo &c.

Respondeo plures Theologos id concedere cum Magistro *4. dist. 33.* Iudæos nimirum peccasse suas vxores dimittendo, quia vinculum matrimonii non soluebatur, ac proindè si nouas vxores acciperent, non erat nouum matrimonium, sed adulterium, & ità videtur colligi ex Deuteronom. 24. vbi dicitur *mulierem repudiatam, si alteri nupserit, fieri pollutam, & abominabilem coram Deo*, quarè dicunt repudia fuisse Hæbreis permissa, tanquam minus malum ad maius euitandum, ne suas, scilicet, vxores occiderent, præstat enim eas dimittere, quam interficere; Probabilius tamen est Hebreis promissa fuisse repudia ex speciali dispensatione diuina itaut vxores dimittere possent non solùm impunè, sed etiam licitè, ita vt non peccarent dimittendo; benè enim potest legislator supremus in sua lege dispensare, lex enim communis non præiudicat priuilegio alicui nationi concesso ad euitandum maius malum; Et hoc præsertim tenet Scotus *4. dist. 33. quæst. 3.* vbi ex instituto quærit, an pro lege Moysi repudium fuerit licitum, & soluere vinculum matrimonij, & expressis verbis lit. A. & B. inquit fuisse pro eo tempore licita Iudæis vxorum repudia, quæ Christus

stiut posteà in lege sua reuocauit, reducens matrimonium ad statum pristinum; & hæc sententia communior est, ac sacræ Scripturæ conformior, vt testatur Beccanus *cap.47. qu.2.* quia lex Mosaica non puniebat nuptias repudiatarum cum alijs viris, vt patet Deuter. 24. ergo tales nuptiæ non erant adulteria, sed vera matrimonia, lex enim Mosaica iubebat lapidari mulierem semel in adulterio deprehensam; Tùm quia lex prohibebat, ne repudiatam post mortem secundi mariti posset vnquam ad priorem redire; at si post repudium non soluebatur, vinculum matrimonij, id prohibendum non erat, sed potius consulendum, & optandum, vt vxor ad suum priorem rediret maritum; Nec vrget locus Deuteronom. pro opposita opinione adductus, ideò enim mulier repudiata ibi vocatur polluta, & abominabilis coram Deo, si alteri nupserit, quia maritus eam publica infamia notauit, hoc ipso, quod eam publicè dimisit, ac proinde æquum non erat, vt alteri nuberet, & ad secundas nuptias transiret; Hoc idem sentiunt Sanchez, Ponce, Bellarminus; Coninc. Auersa, & alij.

180 Secundò Dicendum est, matrimonij indissolubilitatem esse quidem legi naturæ valdè conformem, non tamen esse de lege naturæ strictè, & in rigore loquendo. Ità etiam iam statuimus *quæst.1.* huius Disput. *art.2. num.16.* cum Doctore *dist.26.* F. & Q. vbi diximus propriè, & in rigore loquendo de lege naturæ esse, vel iure naturali, cuius veritas est nota ex terminis, & tale est principium practicum in lege naturæ, sicut & principium notum ex terminis in speculabilibus; siuè quod sequitur euidenter ex tali principio sic noto, cuiusmodi est conclusio practica demonstrata, vndè strictè loquendo nihil aliud est de lege naturæ, nisi principium, vel conclusio demonstrata; secundariò autem de lege naturę est verum euidenter consonum talibus principijs, & conclusionibus licet non necessariò sequens ex illis, vt declarat Doctor *4.dist.17.lit.*A. Quod igitur indissolubilitas matrimonij non sit de iure naturæ propriè, & in rigore loquendo iam ibi probatum est, quia non est quid ex terminis notum, neque ex primis principijs practicis necessariò deductum, si enim sic nota esset, omnes nationes id cognoscerent, & cognouissent, quia lex naturæ omnibus, & singulis hominibus nota est, hoc autem falsum esse iam ibi ostendimus; Et quamuis possit esse legis naturæ præceptum, & lumine naturæ notum, esse necessarium ad genus humanum propagandum, & conueniens ad bonam prolis educationem, & Reipublicę conseruationem, vt mas, & fœmina inter se contrahant cum tali obligatione; non tamen potest ex terminis apparere, vel ex principijs euidentibus necessariò deduci talis obligatio, & indissolubilitas contractus, vt omninò necessaria ad talem finem consequendum, sed solùm magis apta, & ad talem finem idonea, ac proindè quod sit legi naturæ valdè conueniens, nam sine tali contractu indissolubili adhuc prolis propagatio, & educatio consistere posset, mediante nimirum contractu ad tempus, & annos determinatos, quamdiù v.g. coniuges sint apti ad generationem, & nati ad consistentem ætatem peruenerint; vbi discurrebamus. Tandem id etiam gratis concedunt Auctores primæ opinionis, non enim absolutè negant matrimonij indissolubilitatem esse de iure naturali, sed esse de iure naturali strictè, & in rigore loquendo, alioquin gratis fatentur matrimonium ex sua natura, siuè ex iure ipso naturali aliqualem habuisse inseparabilitatem, omnimodam tamen inseparabilitatem accedisse ex iure supernaturali diuino, vel ab origine mundi, vel à Christo Domino in lege gratiæ, in qua ipsum eleuauit ad statum sacramenti significantis vnionem Christi cum Ecclesia, quæ vtque indissolubilis.

181 Sed instant Auctores secundæ sententiæ contendentes matrimonium, tam consummatum, quàm ratum esse indissolubile iure ipso naturali propriè, & in rigore loquendo. Quia propria ratio, & definitio matrimonij essentialiter includit indiuiduam vitæ societatem non pro hoc, aut illo tempore, sed in perpetuum; vndè non possunt contrahentes validè contrahere ad tempus, sed pro tota vitæ periodo; hoc postulat essentialiter prolis generatio, & educatio; quæ est finis matrimonij à natura intentus, & non posset consistere, si aliquando solueretur ex voluntate contrahentium, vel alia humana potestate. Confirmatur, quia viuente viro ratio dictat, ne fœmina nubere possit alteri viro, quia hoc modo esset omninò prolis incertitudo, quo circa aliam quamuis polygamia vnius viri cum pluribus fœminis fuerit à Deo permissa, nunquam tamen permissa fuit polygamia vnius fœminæ cum pluribus viris, quia proli educandæ hæc polygamia obstabat; sed similiter solubilitas matrimonij plurimum obstat educandæ proli, ergo hæc à natura omninò irritatur, ac proindè matrimonium à natura est insolubile; ità arguit Caspensis *tract.26.disp.7.sec.1.* Deniq; hoc idem probat Auersa *q.2.sec.4.* eadem ratione, qua solet ostendi non licere vagum concubitum inter viros, & fœminas, neq; licere communicatione vxorum inter viros; nam si matrimonium ex natura sua dissolui posset, iam licitum erit viro dimittere vnam vxorem, & aliam sumere, itemque erit fœminæ licitum recedere ab vno viro, & accedere ad alium, ac rursus ad alium, sicque licita erit de iure naturæ communicatio vxorum inter viros dissoluendo, ac incundo matrimonia; planè ergo eadem ratione, qua supponitur non licere vagum concubitum, & communicationem vxorum, conuincitur non licere, nec valere matrimonij dissolutionem, nec esse cuique liberum de vno ad aliud transire coniugum, aut mutuo consensu vtriusque coniugis, aut ex causa vlla prætensa à quoquam coniugum, & ideò ex natura rei, & dictamine ipso naturali nunquam potest inter coniuges viuentes matrimonium dissolui.

Respondeo in definitione matrimonii includi essentialiter indiuiduam vitæ societatem, non ex natura sua, sed ex 182
suppositione, quod sic à Deo fuerit institutum, vt notat Brancatus noster *disp.16. art.3.* ideoque natura matrimonii diuina lege instituti cum indissolubilitate est illa, quæ definitur; Sicut ergò sacramentum, quod ex Dei institutione est signum efficax gratiæ, definitur per talem formam, seù prædicatum, nec ob id sequitur, quod sacramentum ex sua natura, vel de iure naturali sit causa gratiæ; ità in proposito est de matrimonio discuttendum; illud ergo formam aliquam positiuam, vel negatiuam habere dicitur de iure naturæ, quod non lege positiua diuina, vel humana eam habet, neque ex reuelatione eius notitia habetur, sed ex suis intrinsecis principiis legem positiuam præcedentibus illam obtinet, eiusque notitia cuicunque propriis viribus est perfecta, quia cordi insita, qualis non est notitia de matrimonii insolubilitate, vt pluribus historiis, & exemplis hic Auctor ibi ostendit; & licet prolis generatio, & educatio, quo est finis matrimonii à natura intentus, longè melius, & commodius cum tali indissolubilitate consisteret, vt medio magis apto ad talem finem consequendum, ac proindè etiam legi naturæ magis conuenienti, hoc tamen ad talem obligationem inducendam non est sufficiens, quia adhuc prolis generatio, & educatio absolutè loquendo consistere potest, mediante nimirum contractum ad certum tempus, & annos determinatos indissolubili, quamdiù scilicet, coniuges sunt apti ad generandum, & nati ad consistentem ætatem peruenerint, vt dicebamus, & perfectam educationem.

Ad Confirmationem concedo, quod viuente viro ratio 183
dictat, ne fœmina possit nubere alteri viro, non tamen tanquam aliquid ex terminis notum, aut ex primis principiis practicis necessariò deductum, quod requiritur, vt aliquid dicatur esse lumine naturali notum, & de lege naturę strictè, & in rigore loquendo; sed tantum id ratio dictat tanquam aliquid verum valdè conforme legi naturæ, & euidenter consonum talibus principiis, & conclusionibus, licet non necessariò sequens; quia adhuc sine contractu simpliciter indissolubili, sed tantum ad certum tempus prolis certitudo consistere posset, si nimirum contractus indissolubilis esset, quamdiù coniuges essent apti ad generandum, vt dictum est; vndè ex contractu sic dissolubili non sequerentur incommoda, quæ sequerentur ex polygamia vnius fœminæ cum multis viris. Ad vltimum, negatur eadem ratione, qua probatur non licere vagum concubitum inter viros, & fœminas, & communicationem vxorum, conuinci pariter non licere vllam prorsus matrimonii dissolutionem; si enim contraheretur matrimonium contractu indissolubili vsque ad tempus senectutis, quando coniuges non sunt amplius ad generandũ apti, & non vsque ad tempus mortis, adhuc euitarentur inconuenientia, & incommoda, quæ sequerentur ex vago concubitu inter viros, & fœminas, & ex matrimonio ad libitum coniugum dissolubili, atque ideò negatur vltima consequentia, scilicet, ex natura rei sequi nunquam posse inter coniuges viuentes matrimonium dissolui; Quarè hæc, & similia argumenta ab Auctoribus secundæ sententiæ adducta solùm probant, matrimonij indissolubilitatem, vitam coniugum durante, esse quidem legi naturę conformem, & dictamini rationis valdè consentaneam,

non

non tamen de lege naturæ strictè, & in rigore loquendo.

184 Sed adhuc instat Hurtad. *disp.* 18. *diffic.* 2. quia dissolubilitas matrimonii ex se, & natura sua est contrà præcipuum matrimonij finem, nempè contrà prolis propagationem, & contrà eius bonam educationem, etiamsi aliquandò per accidens non noceret, vt postquam matrimonio superuenit sterilitas, vel senium, & post perfectam prolis educationem, ergo dissolubilitas est contrà naturam matrimonij ad illas ex se, & sua natura ordinari, ac proindè matrimonium sua natura est indissolubile, & perpetuum, & aliter factum non solùm esset licitum, sed etiam inualidum.

Respondeo assumptum esse probandum, si enim semel concedatur, vt arguens de facto concedit, posse dari talem matrimonij dissolutionem, vita adhuc coniugum durante, quæ illi præcipuo eius fini non noceret, vt si dissolueretur, postquam matrimonio superuenit sterilitas, vel senectus, & post perfectam prolis educationem; planè non video, quomodo deduci possit talem indissolubilitatem esse contrà naturam matrimonij, solùm enim deduci potest ad summum eam dissolubilitatem esse contrà eius naturam, quæ prolis generationi, & eius bonæ educationi noceret, & obstaret; Fateor quidem etiam talem dissolubilitatem, quæ prolis generationi, & educationi non præiudicaret, cum matrimonio consistere non posse, quale institutum fuit à Deo ab origine mundi de facto, & posteà à Christo Domino in lege Euangelica confirmatum, quia in tali contractu non est accommodatio, sed permutatio potestatis, non ad tempus, sed perpetua, alioquin non esset verum matrimonium nouæ legis institutum à Christo Math. 19. & reuocatum ad primum statum suæ institutionis à principio excluso repudio, quod in lege Mosaica permittebatur.

Et planè quando Auctores secundæ sententiæ dicunt matrimonium tam ratum, quàm consummatum etiam iure naturali, seù ex natura rei esse indissolubile; nec aliter, nec alio modo puto hoc dixisse, nisi in sensu iam à nobis explicato, nempè secundariò tantùm, & remotè, non autem primariò, & proximè, & in rigore loquendo de iure naturæ; Moueor ad hoc credendum, quia quidam ex illis tenentes summum Pontificem posse aliquando dispensare in matrimonio rato; dùm ipsis obijcitur, matrimonium esse indissolubile iure naturæ, & diuino, ac proindè non posse Pontificem dispensare, vt matrimonium ratum dissoluatur, cùm Pontifex in iure naturæ, & diuino dispensare non possit; respondent summum Pontificem posse diuina auctoritate sibi concessa dispensare in aliquibus, quæ non deducuntur proximè ex principijs iure naturæ, sed remotè, & quæ habent admixtum aliquid obligationis humanæ, modò interueniat iusta, & legitima causa, & consequenter non esse mirum summum Pontificem posse ex iusta causa dispensare in matrimonio rato; & ita ad verbum respondet Bonacina *qu.* 2. *punct.* 11. *num.* 4. pro qua doctrina adducit Sanchez, Henriquez, Rebell. & alios, quæ planè coincidit eum explicatione, & limitatione à nobis allata.

185 Tertiò tandem Dicendum est, quod licet matrimonij vinculum antequam eleuaretur à Christo ad statum Sacramenti, erat insolubile, & tale etiam fuit ab initio; adhuc tamen ex tali eleuatione eius insolubilitas magis firmata est, ac stabilita, ita ut ex nullo capite humana auctoritate solui possit. Ità declarauit Innocentius Tertius in *capit. Quanto* de Diuortijs iam ab initio quæstionis citato, vbi Pontifex assignans discrimen inter Fidelium, & infidelium coniugia sic loquitur. *Et si matrimonium verum inter Infideles existat, non tamen est ratum. inter Fideles autem verum, & ratum existit, quia sacramentum Fidei, quod semel est admissum, nunquam amittitur, sed ratum efficit coniugij Sacramentum, vt ipsum in coniugibus illo durante perduret.* Hoc etiam adhuc magis constat de matrimonio consummato, quia nulla adest dispensatio ad soluendum matrimonium consummatum fidelium, sicut adest ad soluendum matrimonium Infidelium, vt habetur ex *dist.* 28. *quæst.* 2. *capit. final. Si infideles*, vbi permittitur, quod si vnus ex coniugibus conuertatur ad fidem, & alius remanens vult discedere, potest discedere, nec est ei seruanda fides coniugij; sed hoc non ex alio capite prouenire potest, nisi quia matrimonium Fidelium est Sacramentum, infidelium verò minimè: ergo per eleuationem ad statum sacramentalem habet maiorem firmitatem, & ligamen; Hoc autem præsertim asseritur de matrimonio consummato, quia hoc in ratione sacramenti significat, & repræsentat vnionem hypostaticam Verbi cum natura humana, quæ vnio est sicut indissolubilis, ità etiam insolubile est matrimonium consummatum inter Fideles, quod illam repræsentat; vt ait Innocentius Tertius *de Bigamis, capit. Debitum*; Ratum verò significat vnionem Christi cum Ecclesia per gratiam, & charitatem ex eodem *capit. Debitum*; ista autem vnio solubilis est, & frequenter soluitur, quia per peccata fidelium perditur charitas; & hac de causa licet Deus dispensauerit, vt ratum in aliquibus casibus solui possit, vt per professionem in Religione, non tamen consummatum, & hoc ratione misterij per ipsum significati, quia Christus ab Ecclesia nunquam separabitur, quæ omnia adhuc magis patebunt ex dicendis *art. seq.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

An matrimonium dissolui possit ob aliquam causam in lege Euangelica.

POsse dissolui ob adulterium alterius coniugis sentiunt Græci omnes, qui reipsa matrimonia dissoluunt, & coniugibus potestatem faciunt alia matrimonia ineundi in causa adulterij; ex Latinis idem sentiunt Lutherani, & Anabaptistæ, ac etiam pauci quidam ex Catholicis, vt refert Alphonsus de Castro Verbo *Nuptiæ* §. *Quarta Heresis*, qui tamen suam sententiam iudicio Ecclesiæ subijciunt. 186

Fundamentum huius opinionis desumpserunt ex verbis Christi malè intellectis Mathæi 19. vbi Christus à Pharisæis interrogatus, an liceret dimittere vxorem quacunque ex causa, ipse respondit non licere, quia Deus dixit, relinquet homo Patrem, & Matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna; & cùm rursus Pharisæi replicarent; Cur ergo Moyses præcepit dare libellum repudij, & dimittere? Christus respondit. Quoniam ad duritiam cordis vestris Moyses permisit vobis dimittere vxores vestras, ab initio autem non fuit sic; Et posteà quasi firmans generalem regulam agendorum in hac materia dimissionis concludit. *Dico autem vobis, quia quicunque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur, & qui dimissam duxerit mœchatur*; Ex quibus verbis occasionem sumpserunt Hæretici relati dicendi, quod Christus repudium abrogauit ex cæteris causis, reuertens, sed non abrogauit, imò potius stabiliuit, quod vir posset vxorem dimittere, & aliam accipere ob causam adulterij; Pro resolutione quæsiti, & veritate Catholica aperienda in hac materia.

Primò Dicendum est, Matrimonium Christianorum consummatum esse omninò indissolubile, ita ut neque ob adulterium alterius coniugis, neque ob hæresim, aut molestam cohabitationem, vel aliam similem causam dissolui possit, ac proindè alio coniuge superstite nunquam licitum est ad aliàs nuptias transire. Hæc est communis Catholicorum sententia, quàm Scotus ex instituto docuit 4. *dist.* 31. *lit.G.* & *dist.* 33. *quæst.* 3. §. Alia opinio, vbi ait repudium à Deo concessum pro lege Moysi fuisse à Christo pro lege sua Euangelica penitus, & quacunque ex causa abrogatum; Quod posteà confirmatum est in Concilio Florentino, & Tridentino *sess.* 24. *can.* 5. & 7. & probatur euidenter ex Sacra Scriptura Marci 10. vbi Christus Dominus generaliter loquens ait: *Quicunque dimiserit vxorem suam, & aliam duxerit, adulterium committit super eam. & si vxor dimiserit virum, & alij nupserit, mœchatur*; idem habetur Lucæ 16. *omnis qui dimittit vxorem suam, & aliam ducit, mœchatur, & qui dimissam à viro ducit, mœchatur*; & Rom. 7. *Quæ sub viro est mulier viuente viro alligata est legi, & viuente viro vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro*, & Corinth. 1. capit. 7. *ijs, qui matrimonio iuncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quod si discesserit, manere innuptam, aut viro suo reconciliari.* 187

Deindè probatur hæc veritas pluribus Sanctorum Patrum testimonijs, & Pontificum rescriptis, quæ fusè referuntur à Bellarmino *capit.* 16. & *Brancato nostro disp.* 16. *artic.* 7. Tandem probatur ratione iam insinuata, quia matrimonium Christianorum consummatum est signum coniunctionis Christi cùm Ecclesia, quatenus sub ratione

tione sacramenti repræsentat vnionem hypostaticam Verbi cum natura humana, vt ait Paulus ad Ephes.5. sed illa coniunctio est indissolubilis; ergo & matrimonium Christianorum consummatum est indissolubile.

188 Ad fundamentum in oppositum sumptum ex verbis Math.19. *quicumque dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit, mœchatur* respondetur ex doctrina Patrum, Conciliorum, & rescriptis Pontificum in repudio, seù perfecta dimissione quoad vinculum duo esse considerenda, nempè dimissionem vnius, & potestatem ducendi aliam; Christus igitur in præfatis verbis hæc duo distinguit, & vnum in causa fornicationis concedit, scilicet, dimissionem, alterum verò, scilicet, potestatem aliam ducendi omninò abrogauit, alioquin esset manifesta contradictio cum præcedentibus verbis, quibus repudium, quod erat in lege Mosayca permissum, & solutionem quoad vinculum omninò reprobauerat; solùm ergo concedit illis verbis, quod ex causa fornicationis possit quis vxorem dimittere quoad cohabitationem, & thorum, non tamen quoad vinculum, nec in vllo casu permittit licere aliam ducere priore coniuge viuente, quia vinculum non est solutum, & sic patet quod idem dicit Matheus, quod Lucas, & Marcus, & in hoc sensu hunc locum exposuit præsertim Augustin. *lib.2. de adulterio Coniug. cap.9.*

Sed Dices, matrimonium ratum potest dissolui saltem ex diuina dispensatione, vt mox dicemus; ergo & consummatum, sequela patet, quia non essentialiter, sed tantùm accidentaliter differunt, alioquin vt ait Scotus *dist.31.lit.B.* indissolubilitas ista competeret matrimonio, non ex contractu matrimonij simpliciter, qui est datio mutua, sed ex actu carnali superaddito, quod non videtur probabile, quia hic actus non est aliquid noui contractus, nec per consequens aliquam nouam indissolubilitatem inducit; Tum etiam quia loca Scripturæ allata pro matrimonio consummato æquè benè rato intelligi possunt; Tùm tandem quia vtrumque est signum coniunctionis Christi cum Ecclesia, quæ indissolubilis est, ergo ex hac parte non est magis vnum indissolubile, quàm aliud.

189 Respondetur negando consequentiam, & paritatem, ad cuius probationem dicendum, quod licet, hæc duo matrimonia ratum, scilicet, & consumatum essentialiter non differant, differunt tamen extrinsecè, & ratione significati, quia ratum significat tantùm vnionem Christi cum Ecclesia per charitatem, seù gratiam, quæ solui potest, vt suprà dictum est; sed matrimonium consummatum Christianorum, significat vnionem Christi cum Ecclesia per humanitatem, quatenus sub ratione sacramenti repræsentat vnionem hypostaticam Verbi cum humanitate, quæ omninò indissolubilis est, vt dixit Innocentius Tertius in *cap. Debitum* de Bigamis. Sed quamuis hæc sit communis solutio, adhuc tamen fatendum est ex natura rei, & ex se tam indissolubile esse matrimonium ratum, quàm consummatum, vt benè probat argumentum ideoque neutrum posse humana auctoritate dissolui, cùm vtrumque iure diuino sit insolubile adhuc tamen vtrumque potest à Deo dissolui per specialem dispensationem, quia qui fecit legem potest in aliquo casu eam dispensare; Deus autem voluit matrimonium tantummodò ratum per ingressum Religionis dissolui posse per specialem dispensationem, vt habemus ex Ecclesiæ traditione, & declaratione, vt mox dicemus, non autem consummatum inter Fideles, quod si Deus vtrumque dissolui voluisset, vtrumque dissolui posset, & hæc est vera, & fundamentalis argumenti solutio.

190 Secundò Dicendum est matrimonium Christianorum ratum, & nondùm consumatum, iure diuino deriuato à Christo Domino in fauorem professionis religiosæ, posse dissolui quoad vinculum per ingressum alterius coniugis in Religionem. Ità communiter Doctores, quos allegant, & sequuntur Sanchez, & Tancred. *lib.2. disp.19.* Ponce *lib.9. cap.5.* Meratius *disp.8. sect.3.* Caspensis *disp.7. sess.2.* & alij passim, & Scotus noster ex professo *4. dist.30. quæst.vn.lit.C.* vbi inquit, quod Christus, qui indissolubilitatem induxit Matth.19. reprobans pro lege sua repudium Mosaicum, ipse relaxauit indissolubilitatem, quando alter coniugium conuertitur ad Religionem; vndè Ecclesia nunquam attentasset post matrimonia rata non consummata licentiare alterum ad Religionem, altero manente in sæculo, nisi Christus hoc instituisset; habetur autem hoc ex facto Christi vocantis Ioannem Apostolum, & Euangelistam à nuptijs Ioan. 2. cuius exemplum imitati sunt alij. Ità Doctor *loc.cit.* Quod totum posteà confirmatum est in Concilio Tridentino *sess.24. can.6.* & in Iure canonico *cap. Ex publico* de conuersione coniugatorum, & *cap. Ex parte tua* eodem titulo, vbi asseritur, *Ex sacri eloquij interpretatione, & diuina reuelatione in Ecclesia Christi semper fuit custoditum, vt ratum matrimonium per professionem solemnem dissolueretur*, vndè ex Christi priuilegio, vt Scotus dicebat, professio religiosa vim obtinuisse creditur dirimendi matrimonium ratum, quod non aliundè constat, quàm per Ecclesiæ traditionem. Hoc etiam ratione suadetur, quia recta ratio dictat, semper esse licitum transitum de statu minus perfecto ad perfectionem, si absque alterius detrimento id fieri possit; at status Religionis perfectior est, & status coniugi imperfectior; ergo potest quis ab isto ad illum transire, si absque alterius detrimento id fieri possit, quod fit quando matrimonium est tantummodò ratum, & non consummatum, quia tunc nulla est proles, & vxor si velit, alteri nubere, nubere potest, & æquè benè ac anteà, cùm sit Virgo, & ex tali separatione nihil infamiæ incurrat, vt de se patet; neque vlla fit ei iniuria, sed marito consentire tenetur perfectiores nuptias cum Christo inire volenti, cùm id sine vllo suo incommodo facere possit; quàm materiam fusè prosequitur Brancatus noster *disp.16. art. 13. 14. & 15.*

Dices, ergo pariter matrimonium consummatum inter fideles eodem modo dissolui poterit per Religionis ingressum, quia consummato matrimonio possunt coniuges ex mutuo consensu Religionem ingredi, & validè profiteri, vel etiam fœmina potest profiteri ex consensu viri, ipso etiam in sæculo manente, si grandeuus sit, & prouectæ ætatis, sicut etiam vir consensu fœminæ potest profiteri ipsa in sæculo manente, si grandæua sit, & prouectæ ætatis, eadem enim quoad hoc est vtriusque ratio, & par conditio, vt notat Ponce *lib.8. cap.12.* 191

Deindè sequitur non solùm per Religionem, sed etiam per sacrorum Ordinum susceptionem, & maximè per dignitatem Episcopalem dissolui posse matrimonium ratum, quia illi duo status sunt etiam perfectiores statu coniugali; Denique matrimonium ratum, vt dictum est *art. præced.* est omninò indissolubile; ergo per religiosam professionem dissolui non potest.

Respondetur negando consequentiam, & paritatem, quia solùm in matrimonio rato hanc dissolubilitatem Christus dispensauit etiam quoad vinculum, vt constat ex Ecclesiæ traditione, in fauorem religiosæ professionis; non autem in matrimonio consummato, nam in hoc casu per professionem religiosam non dirimitur matrimonium quoad vinculum, & ius remotum petendi debitum, & obligationem reddendi, sed tantum quoad ius proximum, quod per religiosam professionem omninò euanescit.

Ad secundum negatur etiam paritas, quamuis enim ordo, & dignitas Episcopalis sit perfectior status, quàm religiosa professio; adhuc tamen per ipsam solùm dirimitur matrimonium ratum, quia matrimonium ex natura rei, & per se, vel saltem ex iure diuino religiosæ professioni repugnat, nec possunt simul consistere; non autem sic repugnat sacris ordinibus, sed solùm ex decreto ecclesiæ, siuè iure ecclesiastico, vndè absolutè loquendo simul consistere possunt; Tum etiam quia per professionem religiosam homo ciuiliter, & spiritualiter habetur pro mortuo huic mundo, vt dici solet, quod non fit per Episcopalem dignitatem, vel sacros ordines, & ideò sola religiosa professio matrimonium ratum, non consumatum dirimere potest, vt habetur in Extrauag. *Antiquæ* de voto.

Ad vltimum, matrimonium non dicitur indissolubile eo, quia nec etiam per diuinam auctoritatem dissolui possit, sed quia non potest per humanam contrahentium, vel superiorum non habentium potestatem à Deo, & hac ratione matrimonium ratum, non consummatum per professionem religiosam dissolui potest. Itaque matrimonium ratum, & nondùm consumatum dicitur ex natura sua indissolubile, quia non potest eorundem coniugum consensu, vel non quacunque alia purè humana auctoritate dissolui, quia natura ipsa contractus coniugalis etiam nondùm secuta copula, videtur per se ferre talem indissolubilitatem modo iam declarato *art. præced. num.180.* nec se habet ad instar aliorum humanorum contractuum, quos vel ipsimet contrahentes voluntate sua rescindere possunt, vel 192

Principes superiori sua auctoritate. Adhuc tamen putandum non est professionem religiosam præcisè ex mero iure naturæ matrimonium ratum dissoluere, neque in hoc dici potest per se valere sicut mors naturalis, alioquin etiam matrimonium consummatum dissolueret; sed dicendum est dissoluere auctoritate diuina à Christo Domino suæ Ecclesiæ concessa, quatenus conueniens erat, & rationabile, attenta natura religiosæ professionis, qua quis sæculo moritur, & statum tantæ perfectionis assumit, & attenta ratione matrimonij rati, sed nondum consumati, vt talis facultas concederetur Religionem ingrediendi soluendo matrimonij vinculum, & alteri coniugi in sæculo remanenti relinquendo facultatem denuò contrahendi; Et per professionem religiosam hic intelligenda est omnis, & sola professio solemnis in Religione per Ecclesiam approbata, quia alioqui ingressus in Religionem, & commoratio in statu probationis antè ipsam professionem tale matrimonium non adhuc dirimit, nec quæcunque vota simplicia absque solemnitate professionis, nec etiam illorum virorum, vel fœminarum, qui alicuius Ordinis regularis habitum assumunt, & quædam vota emittunt adhuc in sæculo manentes, quia non per hoc solemniter in Religione profitentur. vt hic communiter Doctores aduertunt; & hoc totum intelligitur de matrimonio tantummodò rato, non autem consummato, quia vt ait Doctor 4. dist. 31. etiamsi ambo coniuges Religionem ingrederentur, & profiterentur, adhuc remanerent coniuges, & vinculum non esset solutum, quæ est omnium communis opinio, vt dictum est conclusione præcedenti.

193 Tertiò Dicendum est, matrimonium inter infideles contractum dissolui posse quoad vinculum, si alter coniugum conuertatur ad fidem, & alter nolit alteri cohabitare sine iniuria Creatoris. Ita Doctor 4. dist. 39. sub E. & F. idem docent D. Thomas, D. Bonauentura, & est certa, & communis omnium Theologorum, & Canonistarum sententia, quam deducunt ex verbis Pauli 1. ad Corinth. 7. *Si infidelis discedit, discedat, non enim seruituti subiectus est frater, aut soror in huiusmodi*, quæ verba non sunt intelligenda tantùm de separatione quoad thorum, & cohabitationem, sed etiam quoad vinculum matrimonij, & est res decisa in Ecclesia, & expressa in iure cap. *Si infideles*, ex Ambrosio dicente, vt in eius loci expositione refert Cornelius à Lapide, *Qui in infidelitate perseuerat non debetur ei reuerentia coniugij, qui horret auctorem coniugij, sed potest alter se coniungere*, & D. Gregorio sic etiam exponente *contumelia Creatoris soluit ius matrimonij circa eum, qui relinquitur, infidelis autem discedens, & in Deum peccat, & in matrimonium, nec est ei infideles seruanda coniugij*. Item habetur cap. *Quanto* & cap. *Gaudemus* de Diuortijs ex Innocentio Tertio, vbi Pontifex declarat, quod frater, aut soror infidelis non subijciatur seruituti, & ligamini prioris coniugij, sed possit illud dissoluere, & aliud inire coniugium cum altera, scilicet, persona fideli. Hoc autem ità intelligendum est, vt notat Auersa *quæst. 2. sect. 5.* quod hæc facultas dissoluendi coniugium in tali casu non quidem competat fideli ex ipsa rei natura, sed dici debet concessa fuisse à Christo sua auctoritate suprema, & ab Apostolo promulgata, atque sit accepta, & intellecta ab Ecclesia; Quarè aliam non oportet quærere rationem, nisi quod valdè conueniens fuit, & humanæ fragilitati accomodatum, & fidei fauorabile id concessisse, ne scilicet, infideles conuigati aut cogerentur per susceptionem Fidei seruare deinceps vitam cælibem, quàm tamen Christus Dominus nulli sub obligatione imponere voluit: aut à susceptione fidei deterrerentur timore huius incommodi; quarè valdè opportuna fuit talis concessio, vt veniens ad fidem à priori coniugio liberari posset, & aliud legitimum cum alio fideli inire, si vellet.

194 Declarat autem Pontifex in illo cap. *Quanto* id esse intelligendum, non solum quando alter in sua infidelitate pertinax non vult prorsus cum coniuge permanere deinceps, sed corporaliter ab eo recedit; sed etiamsi consentiat quidem habitare cum illo, iactando tamen iniurias, & blasphemias contrà Christum, & christianam fidem, aut conando illum pertrahere ad pristinam infidelitatem, vel aliud quodcunque peccatum mortale. Si autem coniux infidelis consentiat habitare cum fideli conuerso pacificè absque iniuria Creatoris, & sine periculo pertrahendi ipsum in Apostasiam à fide, vel in aliud mortale peccatum, plures Theologi, & Iuristæ dicunt in tali casu non posse coniugem fidelem dissoluere tale matrimonium, & aliud de nouo contrahere; quorum fundamentum est, quia Apostolus loc. cit. non solùm id non concedit, sed potius oppositum iubere videtur dicens, *Si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: & si qua mulier fidelis habeat virum infidelem, & hic consentit habitare cum illa, non dimittat virum*. Et idem etiam insinuare videtur Pontifex in *cap. cit.* vbi ait matrimonium posse dissolui in eo tantum casu, quod alter coniugum infidelis nolit alteri conuerso cohabitare sine iniuria creatoris: ergò præter hunc casum non potest matrimonium dissolui; ita sentiunt Nauarrus, Valencia, Toletus, Rebellus, Hurtadus, & alij apud Dianam *resol. 252.*

Attamen etiam in tali casu satis recepta est inter Recentiores sententia posse coniugem fidelem dissoluere tale matrimonium, & aliud cum persona fideli inire; ità Sanchez, Tancredus, Coninchius, Becanus, Meratius, Diana, Caspensis, Auersa, & alij. Ratio est, quia quando Apostolus *loc. cit.* dixit, quod si quis frater vxorem habet infidelem, & hæc consentiat habitare cum illo, non dimittat illam; ibidem clarè insinuat hoc non esse præceptum Christi, sed suum consilium, vt patet ex eius verbis *Ego dico, non Dominus, si quis frater &c.* ergo adhuc liberum est fideli dimittere illam, vel non dimittere, & ratio est, quia fidelis per baptismum regeneratur in nouam planè vitam, & moritur priori vitæ; ergò non decet, vt obligatus maneat ad habitandum cum infideli; Et quamuis liceat in eo casu habitare cum infideli, & matrimonium non dissoluere spe sanctificandi, & lucrandi illum ad fidem, vt Paulus vbi suprà consulit, quia fieri potest, vt saluetur vir infidelis per mulierem fidelem, & è contrà; adhuc tamen non est obligatio, & præceptum Christi, vt necessariò permaneat in matrimonio cum tali infideli, sed poterit conuersus, si velit, aliud inire matrimonium, quamuis Ecclesia non præcipiat eius discessum ab infideli. Et ex declaratione Pontificis in illo cap. *Quanto* hoc etiam sufficienter deducitur, quia vt licitè fidelis discedat ab infideli, sufficit ipsa Creatoris iniuria, quam infidelia in ipsa permanentia in infidelitate præcisè committit, vt constat ex verbis Ambrosij paulò suprà relatis *Non debetur ei reuerentia, qui horret Auctorem coniugij*, scilicet, dùm permanet in sua infidelitate, per quam Deo horret coniugij auctorem. 195

Sed Contrà prædicta obijcies, quia Christus Dominus in lege gratiæ potius abrogauit concessionem in lege veteri factam de repudio, & matrimonij dissolutione, & absque vlla exceptione pronunciauit *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, & similiter Apostolus Roman. 7. & 1. ad Corint. 7. in vniuersum dixit non solui matrimonium, nisi per mortem alterius coniugis. 196

Confirmatur ex Math. 19. vbi Christus dixit *Qui dimiserit vxorem suam, nisi ob fornicationem, & aliam duxerit mœchatur*; ergo fidelis vxorem dimittere non potest ob solam infidelitatem; Tandem propter hæresim non soluitur vinculum matrimonij, & tamen hæresis est quædam species infidelitatis; ergo matrimonium non semper solui potest ob infidelitatem.

Respondetur sustulisse quidem Christum illam concessionem in lege veteri factam, & hanc nouam vtiliorem fecisse pro matrimonio inter infideles contracto; & licet in illis verbis talem exceptionem non interposuerit, nec illam Euangelistæ commemorent; satis tamen est, quod aliàs eam discipulis proposuerit, & per Apostolum Paulum promulgauerit, qui eam 1. ad Corinth. 7. in verbis iam relatis satis expressit, & hunc etiam modum dissoluendi matrimonium inter infideles contractum præter mortem coniugis assignauit; ac etiam sufficienter expressit talem separationem non fieri ab homine, & iure humano, sed à Deo, & iure diuino.

Ad Confirmationem dicendum Christum ibi locutum esse de matrimonio inter fideles contracto, vt patet ex dictis conclusione prima, etenim inter fideles non potest vnus coniugum ab alio separari etiam quoad thorum, nisi ob fornicationem; at quando matrimonium est inter infideles contractum tunc alter potest ab altero separari etiam quoad vinculum ob infidelitatem. Quod autem Christus ibi loquatur matrimonio Fidelium duntaxat, colligitur ex D. Paulo *loc. cit.* vbi cùm dixisset *Præcipio non ego, sed Dominus vxorem à viro non discedere*, deinde subiungit, *Cæteris autem*

autem ego dico, non Dominus, si quis habet uxorem infidelē, &c. vbi per *cæteros* intelligit eos, qui matrimonium antè conuersionem ad fidem contraxerunt, de quibus Christus nihil præceperat, & his Apostolus consilium præbet, vt vir vxorem infidelem non dimittat, si secum ea cohabitare velit absque creatoris iniuria, quia fieri potest vt vxor infidelis saluetur per virum fidelem.

Ad vltimum negatur consequentia, & paritas, magnum siquidem vertit discrimen inter hæresim, & infidelitatem propriè dictam, siquidem matrimonium in infidelitate propriè dicta contractum vt inter Gentiles, & Iudæos, non est sacramentum, ideoque facilius dissolui potest; at matrimonium post baptismum contractum est sacramentum, & ideò minus dissolui potest cùm sacramentum magis illum firmet in sua indissolubilitate; quarè mirum non est, si matrimonium Christianorum non soluatur, quando alter conuertitur ab hæresi, altero in ea manente, quia illud matrimonium est sacramentum, non autem contractum inter infideles.

ARTICVLVS TERTIVS.

An matrimonium ratum non consummatum auctoritate Pontificia dissolui possit.

197 OMnes Catholici conueniunt matrimonium consummatum non posse dissolui per dispensationem Pontificis; conueniunt etiam omnes Theologi matrimonium tantummodò ratum per professionem Religiosam posse dissolui dicētes id prouenire vel ex natura rei, & ipsius professionis, vel ex speciali Christi institutione; vndè hic tantùm est quæstio de matrimonio rato extrà casum professionis Religiosæ; itaut sensus sit, an possit etiam in alijs casibus ex dispensatione summi Pontificis absq; solemni professione alterutrius coniugum, verè dissolui matrimonium ratū nondùm consummatum, itaut ambo liberè possint ad alia transire coniugia, an inquam, id fieri possit ex eiusdem Pontificis dispensatione, graui interueniente causa, hac enim deficiente certum videtur non posse validè dissolui etiam per dispensationem Romani Pontificis. Affirmant quamplures matrimonium ratum esse ex natura sua, ac diuino iure indissolubile, vt propterea nec summus Pontifex in hoc dispensare possit, nempè ex communi principio, & fundamento, quod nequeat Pontifex dispensare in iure naturali, & diuino vt dicitur in tractatu de legibus. Hanc tenent communiter Scholastici veteres, pro qua etiā passim citatus Scotus 4. *dist.* 31. non solum ab exteris, sed etiam à nostris, vt videri potest apud Brancatum *disp.* 16. *art.* 12. ab initio, vbi pro hac opinione non tantum citat Doctorem nostrum, sed etiam vniuersam Scotistarum scholam, & D. Bonauent. *4. d. 27. part. 3. quæst. 2.* in corpore, vbi per mortem tantum docet solui posse matrimonium ratum, excepto casu Religionis; idem tenuerunt Paludanus, Almainus, Palatius, Corduba, Victoria, & plures ex Recentioribus, vterq; Soto, vterque Ledesma, Loquez, Valentia, Poncius, Arragō. Veracruz, Meratius, & plures alij etiam ex legistis.

Alij è contrà volunt matrimonium ratum esse quidem ex natura sua indissolubile propria contrahentium auctoritate, tamen non solùm potestate diuina, sed etiam humana summi Pontificis posse dissolui, & tenent omnes, qui dicunt insolubilitatem matrimonij rati esse iuris Ecclesiastici; ità D. Antonin. Caiet. Caterin. Bellarm. Henriquez, Kellisonus, Bonacina, Aneria, Caspensis, Laimā. Nauarrus, Hurtad. Rebell. Stephanus à S. Gregorio, & ex professò Sanchez *lib. 2. disp.* 14. & Tancred. eius asseclā, & vindicator ibid. Qui tamen Doctores inter se discrepant in hac opione tuends, quidam enim dicunt id facere posse auctoritate propria, & merè humana, & in hoc sensu Iuristę communiter affirmāt posse ex dispensatione Papę dissolui huiusmodi matrimonium, quos refert Sanchez *loc. cit.* Alij verò, & melius pro hac sententia dicunt summum Pontificem id facere posse, non ex solo humano iure, sed auctoritate sibi à Deo specialiter concessa, vt eius Vicario.

198 Pro resolutione quæstionis huius, quæ est vna ex præcipuis controuersijs in hac materia, vt eam pro dignitate decidamus, & ad mentem Doctoris nostri, maximè aduertendum est, quod notauit Hiqueus *4. d. 31. q. vn.* in Commentario *num.* 43. Scotum ibi hunc casum non tractare, sed solùm differere, quo iure conueniat matrimonio rato esse insolubile, & resoluens quæsitum inquit conuenire iure diuino positiuo, & ex alia parte dicit eximi casum professionis in Religione; & volens huius dicti assignare rationem, eam adducit à posteriori, vt dictum est *art. præced. conclus. 2. n.* 190. quia scilicet, aliàs nunquā Ecclesia licentiaret ad Religionē coniugē post matrimonium ratum, nisi Christus ità voluisset, sumens fundamentum relaxatæ legis à Christo in hoc casu ex praxi Ecclesiæ, & præcisè differit de solubilitate matrimonij respectiuè ad hunc casum, sed an Pontifex possit id facere etiam in alijs casibus, non differit, & hoc etiā notauit Brancatus ipse *art. 12. cit.* ab initio, vndè non video qua ratione posteà ibidem Doctorē nostrum pro sententia negatiua absolutè citauerit cū tota eius Schola, cui nec ipse adhæret. Nam potius ex modo decidendi casum de solubilitate matrimonij in fauorem professionis religiosæ, quem ibi Doctor adhibuit ex praxi Ecclesiæ, contrarium deducere debeat; cùm enim Doctor ibi legem diuinam interpretetur iuxtà vsum, & praxim Ecclesiæ, consequenter credendum est, vt inquit Hiqueus, quod idem dixisset Doctor in alijs casibus, si vidisset in praxi aliquam Pontificis dispensationem in Matrimonio rato, aut Ecclesiæ, & quod in omnibus similibus sustineret interpretationem diuinę legis iuxtà sensum, & praxim Ecclesię; Et hoc supponit prędicta eius ratio, ex qua colligit relaxationē matrimonij rati in fauorē Religionis, quia ab Ecclesia id practicatur, Non extat autē inter Canones, aut decreta, quę antè Doctorē fuerūt in vsu Ecclesię, talis dispēsatio, & sic non fuit occasio eius asserendę, aut etiam differendi de alijs casibus de quibus modo disputatur; & eodem modo discurrendum est de mente, & intentione Seraphici Doctoris *loc. c.* Hoc itaque adnotato.

199 Primò Dicendum est, posse etiam ex dispensationis Summi Pontificis in alijs quoque casibus, præter casum professionis Religiosæ, verè dissolui matrimonium ratum, nondùm consummatum, itaut ambo liberè possint ad alia transire coniugia. Hæc est modò valdè communis sententia, & probabilior, quia Pōtificię auctoritati fauorabilior in re ista, & suadetur ex ipso facto, quia sępè in hac re Summi Pōtifices dispensarunt post tempora Scoti, quod si ipse vidisset, vtique huic sententiæ subscripsisset ex regula ab ipso seruata in decisione casus solubilitatis matrimonij occasione professionis religiosæ; Posteriores itaq; Pontifices hac vsi sunt potestate, vt de Martino Quinto, & Eugenio Quarto testatur D. Antoninus 3. *par. tit. 1. c.* 21. & de suo tempore testatur Caietan. *to. 1. Opusc. tra.* 28. & de Paulo Tertio, & Pio Quinto testatur Nauar. in Summa *c.* 12. & de Gregorio Decimotertio refert Henriquez *l.* 11. de Matrimonio *cap.* 8. vna die cum vndecim dispensasse. Conf. quia Summus Pontifex potest dispensare, & de facto dispensauit in professione solemni, quod est vinculum potentius, cùm hoc dirimat vinculū matrimonij non consūmati, quod etiam deducitur ex principijs Doctoris *4. dist.* 38. ergò à simili, vel à fortiori Pontificia potestas extenditur ad matrimoniū ratum, quod est minoris vinculi. Consequentia patet, quia sicut ad commodā, & prudentē gubernationem Fidelium conuenienter Christus Ecclesiæ suæ potestatem reliquit dispensandi in votis, quæ alioquin cùm sint promissiones factæ Deo obligant de iure diuino naturali; tantò magis ob eandem rationem de dispensatione matrimonij rati hoc asseri poterit, quod solo iure diuino positiuo est indissolubile, non autem in rigore loquendo, vt suprà declaratum est. Assumptum verò, quod scilicet de facto Pontifices dispensauerint in professione solemni, latè probant Sanchez *lib. 9. de matrim. disput.* 8. Nauarrus *libr. 3. de voto cons.* 37. *Lessius dub. 14. de Voto num.* 111. Bonacina *tract. de legibus disp* 4. *q. 2. punct.* 7. & alij Recentiores passim referentes dispensatum fuisse cum Nicolao Iustiniano Monaco post votum solemne professionis, cum Rege Aragoniæ, vt diximus *lib. 2. sent. disp. 5. q. 2. de Conscientia probabili art. 2. num.* 59. & cum Constantia Moniali filia Rogerij Regis Siciliæ, vt nuberet cum Henrico VI. Regi, ac etiam cum alijs.

Non me latet notabilis responsio Siluestri Magistri Sacri 200
Palatij *part. 2. Summæ verbo Votum 4. quæst.* 5. vbi specialiter quærit, an Papa dispensare possit in voto solemni continentiæ, & opinionem sequitur negatiuam, & ad fundamentum affirmatiuæ plures casus adducentis, in quibus Papa de facto dispensauit, his formalibus verbis intrepidè occurrit. *Quod autem dicunt quidam se vidisse Papam sic fecisse de facto, dico primò, quod secundum aliquos dispensauit cum Nouitio, non cum Professo. Dico secundo, quod dispensauit de plenitu-*

dine potestatis, non de iure, quomodo intelligi potest opinio S. Thomæ secundum glos. ait d. cap. Cum ad Monasterium. Dico tertiò, quod etiam vidi Pontificem facientem maiora cum scandalo totius Christianitatis: vnde aliud est facere de facto, aliud determinare, quod ita possit fieri de iure, quod si faceret Papa, vt Papa, adesset, vt caput vtens adiutorio membrorum cōsultando factum, & faciendo, quod in se est, vt sciat veritatem, tali determinationi standum esset necessario. Hæc ibi siluestrè Siluester gratitudinis ergo pro dignitate Magisterij Sacri Palatij sibi, suæque Religioni à Sede Apostolica collati, quæ planè responsio adeò Siluestris est, & audax, vt nec à Soto *lib. 7. de iustitia, & iure q. 4. art. 2.* neque à Petro Labar *tract. 3. & vlt. 3. p. disp. 6. dub. 8.* neque ab alio eiusdem Ordinis auctore approbari potuerit; & meritò, quia impudens nimis, & imprudens; & minimè dubito, quod si ab alio Auctore prolata esset, iam dudùm iussu S. Congregationis S. Officij expuncta, & abrogata fuisset; nec semel audiui pios, ac eruditos vehementer conquestos talia verba ab ore viri, qui in Vrbe Magistri Sacri Palatij officio fungeretur, fuisse prolata, vtpotè quæ apud hostes Fidei Catholicæ non nisi graue nimis scandalum parere possunt in regiminis Pontificij præiudicium; Et quamuis mihi persuadeam prudentem, ac pium Doctorem, qualis Siluester fuit, non nisi zelo ductum in hæc prorupisse verba, negari tamen nequit zelum huiusmodi fuisse indiscretum; & hæc pro huius responsionis confutatione sufficiant.

201 Secundò Dicendum est, Pontificem hanc habere auctoritatem non ex solo humano iure, quasi solùm humana lege, & constitutione, atque inter Christianos Pontificia, iussum sit ne matrimonium ratum dissoluatur; sed dici debet, Pontifex hanc auctoritatem habere ex diuina concessione Christi Domini, vt eius Vicarium in Ecclesia. Hæc conclusio est plurium Theologorum secundæ opinionis contrà plures Iuristas eiusdem opinionis, & probatur, quia Rom. Pontifici à Christo Domino collata est potestas dispensandi in iure Ecclesiastico non solùm, sed etiam in iure diuino, quando hoc ad bonum Ecclesiæ regimen expedire censetur, vt deducitur expressè ex illo Ioan. 21. ad Petrum, & eius Successoribus *Pasce oues meas*, sed quandoque expedit sic dispensare in matrimonio rato nondum consummato, vt mox patebit in assignandis causis talis dispensationis ergo hæc potestas Romano Pontifici neganda non est, atque dici debet Pontificem hanc habere auctoritatem ex diuina concessione Christi, quo pacto licet matrimonium ratum ex natura sua dicatur non posse dissolui, adhuc tamen plenè diuinæ subditur potestati, vt Dei auctoritate dissolui possit; Et valdè consentaneum est hanc auctoritatem à Christo Domino Ecclesiæ fuisse concessam in Summo Pontifice eius Vicario, itaut aliter facta huius matrimonij dissolutio non valeat: quia si solùm auctoritate propria, & merè humana id facere posset, vt Iuristæ dicunt, sic etiam inter Infideles matrimonium dissolui posset eorum Principum auctoritate, aut vbi nulla esset lex in contrarium, sola eorundem contrahentium voluntate. Quarè præstat dicere, quod sicut Christus eidem suæ Ecclesiæ potestatem reliquit dispensandi in voto professionis, quod est maius vinculum, sic etiam ad meliorem fidelium gubernationem huiusmodi potestatem reliquit dispensandi in matrimonio, graui interueniente causa. Et per hoc patet ad fundamentum primę sententię negantis posse Pontificem dispensare ad dissoluendum matrimonium ratum, eo quod neque dispensare in iure naturali, & diuino; nam satis dictum est id non posse Pōtificem auctoritate humana, sed solū auctoritate diuina sibi à Christo Domino concessa.

202 Tertiò Dicendum est, iustam requiri causam ad hoc, vt Pontifex non solum licitè, & absque peccato, sed etiam vt validè dispenset in matrimonio rato. Hæc conclusio non solùm est contrà Iuristas asserentes insolubilitatem matrimonij rati esse Iuris humani, sed etiam contrà quosdam Theologos qui licet fateantur esse iuris diuini naturalis, vel positiui, dicunt tamen Christum concessisse absolutè hanc dispensandi potestatem Pontifici etiam sine causa, ne relinqueret locum perplexitati; hancque vt tutiorem, & probabiliorem sequuntur Sanchez, & Trancred. Auersa, & Barbosa, & ex nostris Hiqueus, & Brancatus *loc. cit.* Ratio est in promptu, cum enim supponamus ex dictis etiam hoc matrimonium ratum esse iure diuino insolubile, ad summum ex iusta causa dici debet concessa potestas illud dissoluendi, sicut pariter requiritur in voti dispensatione, vt ex suo loco supponimus; nequit enim Pontifex vti potestate dispensatiua in lege diuina, quæ ex speciali concessione eius dispositioni hic, & nunc subijcitur, nisi vt fidelis Dispensator in ædificationem, & iusta causa interueniente: alias non ratificatur talis dispensatio à Deo, qui potestatē tribuit in ædificationem, nō in dissipationem, & destructionē, vt ait Hiqueus *loc. c.* & Pontifices aliter facientes, & potestate sibi à Domino concessa abutentes, nedùm Hæreticis, & infidelibus, sed etiam Fidelibus ipsis causam præbent obloquendi, vt fecit Siluester *loc. c.* licet piè credendum sit ob assistentiam specialem Spiritus Sancti, per quam Pontifices in regimine Ecclesiæ infallibiliter diriguntur, nunquam tali potestate abutantur.

203 Plures autem, & varias huius dispensationis solent assignare Doctores causas, vt iustas, & legitimas, magnam nimirum inæqualitatem inter virum, & fœminam, vel periculum magni scandali, vel damni inter coniunctos, aut perpetuæ discordię inter coniuges ipsos; item perpetuum morbū alteri coniugum superuenientem, itaut non possint absque periculo, & contagio alterius inuicem commisceri; & similia incommoda, sed res hęc prudenti iudicio dispēsantis potius relinquenda est; vniuersaliter tamē causa sufficiens censetur impotentia consummandi post contractum matrimoniū, quę si fuisset etiam anteà, vim habuisset impedimenti dirimētis, ne ab initio fuisset validū: & quicquid sufficit ad relaxandū votū solemne Religionis, vel etiam annexum ordini sacro, nec videtur sufficere mutuus contrahentium consensus, nisi alia legitima causa subsistat; Ex quo rectè deducit Hiqueus loc. cit. non posse Pontificem vniuersali lege matrimonium ratum annullare, aut facere, vt matrimonio consummato superuenienti cedat, quia iure diuino tenet matrimonium ratum, quod est vnus cum vna, ac proindè impedit iure diuino matrimonium cum altera, donec dirimatur, vndè huiusmodi potestas Pontifici à Domino concessa exerceri tantùm potest in casu particulari, & necessario, & sufficiente, extrà quem non est concessa.

204 Sed Obijcies pro prima sententia, quod nequit Pontifex dispensare in matrimonio cōsummato; ergo neque in rato, consequentia probatur, quia quando Christus dixit Matth. 19. *Quod Deus coniunxit, homo non separet*, non solùm locutus est de matrimonio consummato, sed etiam tantummodò rato. Conf. quia matrimonium est indissolubile iure naturæ, & diuino; ergò summus Pontifex dispensare non potest, vt matrimonium ratum dissoluatur, cùm Summus Pōtifex in iure naturę, & diuino dispensare nō possit. Tandem quia eadē ratione affirmare liceret, posse Summū Pontificē dispensare in poligamia vnius viri cum multis vxoribus.

Resp. negando consequentiam, & paritatem, quia Christus hanc potestatem non tribuit Ecclesiæ super matrimonium consummatum, ne dissoluatur in præiudicium prolis, siuè hæc habeatur, siuè non; quia lex vniuersalis casum particularem non respicit, sed absolutè disponit, & id congruè factum est in fauorem prolis; ad probationem consequentię dicendum est, quod quamuis sub illa Christi sententia etiam matrimonium ratum comprehendatur, solùm indè deducitur Summum Pontificem tale matrimonium dissoluere nō posse, vt hominem, & vt sola humana potestate pollentē; sed solùm vt Christi Vicarium, & diuina pollētem auctoritate, quo sensu non dicitur homo, sed quasi Deus, & eius vices gerens. Ad Conf. dicendum cum Auctoribus secundæ sententiæ, Summum Pontificem posse diuina auctoritate sibi concessa dispensare in aliquibus, quæ non deducuntur proximè, & primariò ex principijs iuris naturalis, sed remotè, & secundariò, & quæ habēt admixtum aliquid obligationis humanæ, modò interueniat iusta, & legitima causa, & consequenter mirum esse non debet, si potest summus Pontifex ex iusta causa in matrimonio rato dispensare. Ità Sanchez, Henriquez, Rebell. Bonacina, & alij, quę est ipsissima Scoti doctrina, vt patet ex dictis art. 1. huius q. n. 184. Ad vltimum negatur cōsequentia, & paritas quia dispēsatio in poligamia esset omninò cōtraria, & pręiudicialis cōmodę, & prudenti fidelium gubernationi, & bono Ecclesiæ regiminis propter grauia incommoda, quæ secum affert, vt constabit ex dicendis q. seq. atq; ideò congruū non fuit, vt talis potestas dispensandi in poligamia cōcederetur à Christo eius in Terris Vicario, sicut concessa fuit dispensatio in matrimonio rato.

205 Rursus obijcies, non potest Pontifex tota auctoritate sua impedire aliquem effectum sacramentalem, vt v. g. facere non potest, quod baptizatus per baptismum iam receptum non reddatur de familia Christi, neque vt hostia consecrata corpus Christi non contineat, neq; vt sacramenta subie-

&o

cto capaci collata suos nõ faciant effectus, & sic de alijs, quos sacramenta infallibiliter producunt ex Dei institutione; cùm ergo matrimonij etiam tantummodo rati insolubilitas sit ei annexa ex Dei institutione, vt suprà dictum est, non videtur quoquomodo auferri possit à Pontifice durante vita coniugum. Confirmatur, quia alioquin sequeretur Principẽ quoq; Gentilem posse suorum subditorum matrimonia rata dissoluere, quia non habet minorem auctoritatem circà contractus ciuiles, & prophanos suorum, qualis est contractus matrimonij eorum; quàm Pontifex circà contractum matrimonij sacrum baptizatorum, nã etiam Princeps Gentilis supremam habet in suos auctoritatem. Tandem quia matrimonium ratum, & consummatum essentialiter non differunt, sed eandem naturam habent, ac essentiam; si ergò Pontifex potestatem soluendi habet matrimonium ratum baptizatorum, poterit quoq; soluere consummatum, quod est falsum.

Respondetur concesso assumpto negando consequentiam, ex hoc enim, quod Pontifex dispensare possit potestate sibi à Christo communicata super matrimonium ratum, non sequitur quod impediat, vel impedire possit aliquem effectum sacramenti matrimonij; sed solùm quod declarare possit Deum non posuisse tantam insolubilitatem in matrimonio rato, quantam in consummato, & ideò Ecclesiæ potestatem reliquisse, vt iustis de causis interdum posset eam auferre à matrimonio tantummodò rato, sicut dicitur de obligatione orta ex iuramẽto, quæ quidem perpetua est, & tamen auctoritate Pontificis in multis casibus maioris boni auferri potest.

Ad Confirmationem negatur consequentia, quia Princeps Gentilis, nec licitè, nec validè potest dissoluere matrimonium suorum subditorum etiam tantummodò ratum, quia non tantùm iure humano est indissolubile, sed etiam diuino naturali, ac etiam positiuo, nec potestatem peculiarem ad id habet à Deo, sicut habet summus Pontifex, sed tantùm habet ordinariam Superioris humani, qua neque Pontifex potest matrimonium ratum dissoluere, sed extraordinaria requiritur, & diuina sibi à Christo concessa. Ad vltimum patet ex dictis in solutione argumenti præcedentis, quod quamuis matrimonium ratum, & consummatum essentialiter non differant, sed tantùm accidentaliter; quia tamen consummatum suprà ratum addit commixtione coniugum carnalem, ratione cuius esse dissolutio regulariter fieri nequit absq; inconuenienti, & graui prolis præiudicio; ideò Christus Dominus peculiarem potestatem Pontifici suo Vicario ad dissolutionem consummati inter fideles non concessit, sed tantummodò rati, cuius dissolutio incommoda illa non affert, imò alia plura interdum auferre potest.

QVÆSTIO SEPTIMA.

De Matrimonij Vnitate.

205 VNitati Matrimonij polygamia opponitur, seù vxorem pluralitas, quę duplex esse potest, vna successiua, quãdo scilicet, quis successiuè plures habet vxores, altera simultanea, quando scilicet, simul habet plures; Et quidem pluritatem coniugum successiuam validam esse, & licitam, altero coniugum mortuo, est communis Catholicorũ sensus contrà Montanistas, & Nouatianos olim secundas nuptias damnantes, & apertè colligitur ex D Paulo 1. Corint. 7. *Mulier alligata est legi, quanto tempore vir eius viuit, quod si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat, tãtùm in Domino* & Rom. 7. *si mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera, si fuerit cum alio viro*; Quod posteà confirmatum est in Concil. Flor. quod expressè definit non solùm secundas nuptias licitas esse, sed etiam tertias, & quartas, ac vlteriores quoq; esse licitas; & ità loquitur in Armen. instructione; Et tandem ratione constat, quia morte vnius coniugis soluitur in superstite vinculum, & obligatio; ergò cum altero liberè contrahere potest, siquidem ex priori matrimonio nullum relinquitur ligaminis impedimentum. Vndè Christus Dominus Math. 12. non damnauit mulierem, quod septem viros legitimè habuisset, & Io. 3. Samaritanam, quod quinq; habuisset; ex quo manifestè liquet nec ex iure diuino, nec ex iure naturali impediri, aut prohiberi secundas, & vlteriores nuptias, ideoq; coniugem superstitem post mortem alterius liberum manere, & expeditum ad validè, & licitè aliud matrimoniũ ineundum, & non solùm secundò, sed etiam tertiò, & quoties voluerit post solutum antecedens matrimonium. Instantias verò Hereticorum, & præsertim Kemnitij deductas ex quibusdã Scripturę locis, sacris Canonibus, & legibus ciuilibus male intellectis optimè soluunt Auersa q. 14. *sect.* 2. Becanus c. 46. q. 1. & alij passim illa loca declarando; Quare remanet sola de polygamia, & pluralitate vxorum simultanea, quã licet omnes matrimonio repugnare concedant, & inualidam, ac illicitam esse in lege Euangelica, disputant tamen quo iure sit prohibita, & an aliquando fuerit licita, & permissa.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quo iure prohibita sit Polygamia, seù vxorum pluralitas.

COnueniunt Primò Catholici omnes polygamiam, seù 207
pluralitatem vxorum iure diuino esse prohibitam, & repugnare primę institutioni matrimonij, quę à Deo facta est in Paradiso. Hoc deducunt Hieron. Chrisostomus, Anselmus, Theophilactus, Beda in c. 19. Matth. ex ipsa Adami, & Euæ creatione, quia si Deus voluisset matrimonium esse vnius cum multis, creasset Adamo non vnam tantùm, sed plures fęminas, quas in vxores ducere potuisset; cum ergo vnam tantùm creauerit, satis constat voluisse, vt vnam tantũ haberet vxorem, non plures; qua rationes Innocent. Tertius *cap. Gaudemus* de Diuortijs dicit vnam tantùm costam in vnam tantùm fęminam conuersam fuisse & non plures in plures. Hoc etiam deducitur ex verbis illis à Deo prolatis Gen. 2. *& erunt duo in carne vna*, vbi supponitur coniuges non posse esse plures, quam duos; ac etiam ex verbis Christi Matth. 19. & Marci. 10. *Non legistis, quia qui fecit hominem ab initio, masculum, & fęminam creauit eos*, quibus etiam verbis in singulari prolatis significatur vnitas matrimonij; vt nequeat esse ex primęua sui institutione, nisi inter duos masculum, & fęminam, non autem fęminas, vt ibi Hieronymus ait.

Conueniunt etiam, Polygamiam iure diuino positiuo pro- 208
hibitam esse in lege quoq; euangelica; & colligitur apertè ex eisdem locis Marci, & Matthęi citatis, vbi Christus expressè docet esse adulterum eum, qui dimissa vxore ducit aliam, quod non esset, si viuente priori alia quoque esset vxor eius legitima. Firmata quoq; est hæc vnitas, & singularitas matrimonij eodem iure diuino in lege euangelica ex institutione sacramenti, nam sic sacramentum significat coniunctionem Christi cum Ecclesia, quæ vnica est, & tanquam vnica Christi sponsa vbiq; nominatur; quarè non solùm illicitum, sed inualidum etiam erit aliud matrimonium viuente priori vxore. Et in hoc Ecclesia dispensare non potest, cùm huiusmodi Impedimentum ligaminis non sit de puro iure Ecclesiastico, sed sit de iure diuino. Hinc ad antiquioribus sacris Canonibus, & Concilijs, & Pontificum decretis asseritur hæc prohibitio ex ipso iure diuino, & lege Euangelica; quod posteà tanquam de fide definitum est in Concil. Trid. *sess.* 14. *can.* 2. *Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum, anathema sit*; quod etiam anteà docuerunt Doctor Angelicus D. Thom. Seraphicus D. Bonau. & Subtilis Scotus 4. d. 33.

Conueniunt tandem, pluralitatem Maritorum simul cum 209
vna vxore esse etiam iure naturali illicitam, & nullam, quia hęc polygamia directè militat contrà finem primarium matrimonij, nempè contrà prolis generationem, & commodam eius educationem; siquidem coniunctio plurium virorum cum eadem muliere maximè generationem impedit, vt docent Medici, & experientia constat in Meretricibus quæ hac de causa nunquam, vel rarò concipiunt, quando pluribus miscentur viris, nocet etiam hæc pluralitas virorum prolis debitæ educationi, quia nullus virorum quibus eadem vxor communis esset, sufficienter filiorum educationi incumberet ob incertitudinem prolis, quia nullus proprium filium agnosceret; Tùm tandem quia ex tali polygamia iurgia, & contentiones orirentur immortales, præsertim ex eo quod si mulier vni faueret potius, quàm alteri grauiter alterum offenderet, & vnus vellet vxore vti, quandò alter vellet, nemo alteri cedere deberet. Et hac de causa Canones, Concilia, & Patres nunquam de Poliuiria, hoc est, virorum pluralitate locuti sunt quia nunquam de hac fuit quæstio, sed solùm de polygamia, seù pluralitate vxorum.

Restat itaque sola difficultas, an pluralitas vxorum simul 210
etiam iure naturali sit illicita, & irrita, & quidem communis opinio affirmat; Primò quia contrà legem naturæ est, quod res vni tradita, & ab illo legitimè possessa alteri tradatur; sed Maritus in matrimonium tradit potestatem sui corporis

vxori; ergò iure naturæ non potest eam alteri dare: nec dicere sufficit in tali casu virum cum prima contrahentem non totaliter ei tradere sui corporis potestatem, sed partialiter tantùm ad effectum eam fœcundandi; Etenim eodem modo coniuges sibi mutuò tradunt in contrahendo sui corporis dominium, vt ait Paulus *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir, similiter vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*; ergò sicut mulier se donat viro totaliter, vt nihil naturalis iuris retineat ad se donandum alteri, & ineundum validè cum eo coniugium; sic mulieri ità se donat vir, vt nihil retineat iuris naturalis ad se donandum alteri mulieri simul, & contrahendum cum ea; nam ex vi huius contractus vterque se donat, & tradit alteri æqualiter, itaut quãtum est ius, quod acquirit vir in corpus mulieris, tantum est ius, quod mulier acquirit in corpus viri. Confirmatur, quia pluralitas vxorum, estò non repugnet primariò fini matrimonij, nempè propagationi prolis, repugnat tamen alijs finibus secundarijs, qui potissimum duo sunt, vnus est mutuũ obsequium viri, & feminæ, alter est remedium concupiscentiæ; vtriq; autem repugnat vxorum pluralitas, ergo &c. probatur assumptum, nam primo fini repugnat, quia nihil magis charitati repugnat & mutuo obsequio coniugum in domestica viuendi ratione, quàm rixæ, & contentiones; sed si vni viro plures feminæ iungerentur, facilè inter illas oriretur contentio, & inuidia, maximè si alia minus, quam alia à viro diligeretur, vt patet de Sara, & Agar Gen. 21. Rachel, & Lia Gen. 30. Phenenna, & Anna 1. Regum 1. Repugnat etiã vxorum pluralitas secundo fini matrimonij, quod est remedium concupiscentiæ, quia qui plures habet vxores, non posset semper omnibus satisfacere quoad libidinis extinctionem vt enim inquit adagium, pluribus intentus minor est ad singula sensus. Tandem probatur, quia si polygamia conformis esset naturæ, sine dubio Deus illam instituisset ab initio, & origine Mundi, præsertim cum eo tempore esset maximè necessaria ad genus humanum propagandum, & naturalis origo tunc formaretur; at Deus non polygamiam, sed monogamiam instituit, & posteà etiam confirmauit, quia non solùm in principio Mundi, sed etiam post diluuium fuisset polygamia valdè necessaria ad genus humanum reparandum, & tamen eo tempore nemo plures habuit vxores, nam antè diluuium solus Lamech dicitur plures habuisse, & ideò à SS. Patribus reprehenditur, præsertim à D. Hieron. in epist. ad Geruntism; post diluuium verò nec Noè, nec filij eius plures habuere vxores, vt patet ex 1. Petri 3. quod *octo animæ salui factæ sunt per aquam*, idest Noè, tres filij eius, & vxores eorũ.

211 Pro resolutione quæstionis resoluendum est, quod dictum est *quæst. præced.* ex Scoto 4. *d.* 17. & *d.* 26. *F.* & repetit in proposito *d.* 33 *q.* 1. §. *ad argumenta* in solutione ad primum, quod lex naturæ dupliciter sumitur, primò pro primis principijs practicis notis ex terminis, vel pro conclusionibus demonstratis ex his principijs, & hoc modo dicitur esse de lege naturæ, quod est verum practicum simpliciter notum lumine rationis naturalis, & ibi primum, & potissimum gradum tenet principium practicum notum ex terminis, secundum gradum tenet conclusio demonstrata ex talibus principijs. Secundò sumitur lex naturæ latius pro omni eo, quod est consonum legi naturæ primo modo dictę, & dicitur lex naturæ secundariò; & addit quod circa primum, seù quod est de lege naturæ primo modo, nulla cadit dispensatio, & ideò oppositum semper videtur esse peccatum, at circà secundum potest cadere dispensatio; & concludit tantùm secundo modo monogamiam esse de lege naturæ, & polygamiam contrà illam, non verò primo modo. Quam Scoti doctrinam eruditè declarat Hiqueus ibidem in coment. *n.* 17. & 18. dicens, quod aliud est loqui de iure naturæ sumendo ius naturæ strictè pro principijs, & conclusionibus necessarijs, in quę non cadit mutatio neque dispensatio, aliud loqui de iure naturæ latè sumpto, vt dicitur consonum prioribus secundum rectam rationem, nam ius naturæ hoc modo sumptum sicut in omnibus circumstantijs non dicit confirmitatem ad principia, & conclusiones necessariò ex illis sequentes; ità etiam id, quod in certis circumstantijs est consonum iuri naturæ primo modo sumptum, in alijs circumstantijs non est consonum, in quibus materia ipsa mutatur; Neque hoc mirum esse debet, quia quotquot dicunt præcepta Decalogi esse indispensabilia, hoc etiam modo respondent ad exempla Scripturæ, ex quibus dispensatio probatur, non fieri, scilicet, tunc dispensationem, neq; factam fuisse, sed declaratum materiam legis naturalis per tales circumstantias mutari, vt in ijs non comprehendatur sub lege: Si ergò per ipsos ità mutabilis est materia iuris naturalis strictè sumpti per particulares circunstantias, non est mirum, si materia iuris naturalis secundo modo sumpti per mutationem circumstantiarum ipsa quoque mutetur, itaut quæ aliàs fuit consona rationi, & legi naturali, in alijs circumstantijs non sit consona, neque consequenter iuris naturalis secundo modo sumpti.

Ad propositum ergò, inquit Hiqueus, cùm matrimonium 212 ex natura contractus, & secundum iustitiam eius ordinetur ad finem tam primarium, quàm secundarium in his circumstantijs, in quibus alterutrum sine detrimento alterius attingere potest, obligat secundum naturam contractus in ordine ad vtrumque finem, & sic polygamia est contra ius naturæ, quia finis primarius non derogat secundario in his circumstantijs, & consequenter contrahentes debent ordinatè contrahere, vt consentiant in vtrumque finem contractus, quem non debent abstrahere ab alterutro, neq; sibi inuicem præiudicare. Hæ circumstantiæ sunt, quando nulla est necessitas multiplicationis populi Dei, neque consequenter pluralitatis vxorum ad hunc finem, qui est primarius, & ex cuius tantùm necessitate liceret dicta pluralitas; In circumstantijs necessitatis finis primarij aliter euenit, quia magis consonum est rectæ rationi, vt vsus contractus fiat iuxtà exigentiam finis primarij, quàm secundarij cum detrimento primarij, cùm præceptum matrimonij siuè diuinum, siuè naturale vrgeat ad ineundum contractum in ordine ad finem primarium magis consonum legi naturæ strictè sumptæ, vt ineatur eo modo, quo subuenit necessitati, & detrimento finis primarij, quàm vt fauet fini secundario cum detrimento prioris, & hoc in ijs circumstantijs magis consonum rectæ rationi, quàm contrarium; Vndè sequitur polygamiam in his circumstantijs non esse contrà ius naturæ considerando iustitiam in hoc casu, & circumstantijs ex parte contractus, & contrahentium, & supposito diuino mandato, & dispositione in lege positiua, qua vetatur polygamia. Hæc Hiquæus *loc. cit.* cuius totum hunc discursum ad literam hic referre placuit, quia optimè rem declarat, & mentem Doctoris. Hoc prænotato.

Dicendum est, polygamiam esse contra ius naturæ latè 213 sumptum, non autem strictè, & in rigore modo iam explicato. Ità Scotistæ omnes *loc. cit.* tam veteres, quàm Recentes, Bassolius, Almainus, Tataretus, Hiqueus, Poncius noster *disp.* 49. *q.* 4. Brancatus *disp.* 24. *art.* 3. & alij plures, & quidem polygamiam esse contrà ius naturæ latè sumptum omnes concedunt, & satis de se patet, nam est consonum legi naturę vt vnus vnam ducat, & cum ea perpetuò contrahat, nec ipsa viuente aliam ducat; ergò polygamia est contrà ius naturæ latè sumptum; consequentiam patet, & probatur assumptum, nam est legi naturæ consonum, quod prolis benè, & commodè educeretur, quod concupiscentiæ, & incontinentiæ commodè, & opportunè ex vtraque parte prouideatur, & tandem vt pax, & amicitia in domo, familia, & Republica quantùm fieri potest conseruaretur; at hæc omnia benè, & facilè cum vnitate vxoris seruantur, & valdè difficulter cum pluralitate, vt rectè ostendunt argumenta pro prima sententia adducta, ergo &c.

Quod autem polygamia non sit contrà ius naturę strictè, & in rigore sumptum, quæ erat altera conclusionis pars probatur, quia illud dicitur esse de iure naturæ hoc modo, quod est ex terminis notum, vel ex principijs per se notis necessariò deductum; sed coniugatum cum vna non posse simul etiam cum alia coniugari non est sic notum, ergo &c. Minor probatur, quia hoc non includitur in illo primo principio; *Quod tibi non vis alteri ne feceris, & quod tibi vis alteri feceris*, etenim in tali contractu non læderetur ius alienum, quia supponitur quod fieret cum tali scientia, & implicito primæ vxoris consensu, vt si viro placeret, posset aliam deinceps ducere; tùm quia sicut potest mulier renunciare totaliter iuri suo ita quod si posteà petat, non teneatur vir reddere ità potest renunciare parti iuris sui idest, partialiter iuri suo cedere, quod transferat ius, quod cedit in aliam, & hoc videtur licitu, dummodò non sit specialis Superioris prohibitio; Neq; iniustitia adesset in hac secunda permutatione, inquit Doctor, quia quantum ad finem principalem matrimonij, scilicet, prolis procreationem, plus valet vir, quàm mulier, quia vir potest simul, & proximo tempore plures fœcundare mulieres; sed mulier non nisi ab vno viro fœcundari potest & ideò quoad hunc finem matrimonij præcipuum plus valet vir, quàm mulier, quarè concludit Doct. quod nisi diuina

lex

lex polygamiam prohiberet, iurè naturæ licita esset.

Confirmatur quia talis Polygamia non esset contrà primarium matrimonij finem, qui est prolis procreatio, & commoda educatio, nam prolis procreatio ex pluralitate vxorum potius adiuuatur, plures enim filios potest vnus vir ex pluribus procreare mulieribus quam ex vna tantùm; nec est contrà prolis educationem, quia potest tot ducere, quarũ proli educandæ cùm subsidio præsertim ipsarum sufficere possit, nam cùm vna esset grauida, posset vti altera vxore, & relicta illi cura pariendi, & lactandi filium, quem pareret, redire ad primam, quæ iam peperit; & hoc commodius esset, quam vni fœminæ semper obligari, cùm esset grauida, vel filium lactaret, vel laboraret menstruis, vt rectè discurrit Poncius *loc. citat.* Neque talis polygamia esset contra secundarium matrimonij finem, nimirum concupiscentiæ remedium, nam in statu innocentiæ, si perseuerasset, hic finis non adfuisset; in statu verò naturæ lapsæ non tenetur vir vxori pro tali remedio ità satisfacere, quin multis de causis sine peccato possit illud non adhibere nam de facto propter negotia, & varias occupationes potest vir notabili temporis spatio abesse ab vxore; ergò obligatio ex hoc fine inducta non obstat, quin etiam de iure naturæ multas vxores possit quis ducere; tùm tandem quia hic finis non est talis, qui semper in matrimonio intendi debeat, & sine quo matrimonium iure naturæ illicitum esset, alias senex iuniorem ducere non posset, cui ad sufficientiam satisfacere non valeret. Denique si polygamia esset contra ius naturæ strictè sumptum, nunquam à Deo fuisset in hoc dispensatum, quia supra tale ius nulla cadit dispensatio inquit Doctor; patet autem quod in veteri lege fuit polygamia aliquando dispensata, vt dicemus art. seq. ergo &c.

214 Ad Fundamentum primæ opinionis, concedendum est non posse matrimonium consistere sine mutua permutatione coniugum; hæc tamen permutatio in casu polygamiæ in solidum non esset quantum ad finem secundarium, sicut est in monogamia, vt notat Hiqueus *loc. cit.* sed esset permutatio, sicut exigeret finis primarius matrimonij, & secundum medium rectæ rationis in circumstantijs iam declaratis, quoniam corpus viri in ordine ad finem primarium pluribus corporibus mulierum æquiualet in ordine ad generationem, vt dictum est; & licet hæc permutatio corporis viri non esset in solidum cuilibet ex pluribus, itaut illi soli deberetur, sicut in monogamia contingit; esset tamen sufficiens in ordine ad generationem, & ea permutatio in ordine ad finem principalem matrimonij, & per se intentum æquiualeret traditioni in solidum corporis mulieris, ideoque in tali permutatione nulla interueniret iniustitia; Apostolus verò requirens in matrimonio mutuam corporum traditionem in solidum, & totalem hinc indè, loquitur de matrimonio, vt reformatum est in lege noua iuxtà primam eius institutionem, & sic polygamiam excludit, non autem agit de matrimonio in casu nostro, & supposita diuina dispensatione, & necessitate propagationis in cultum Dei.

Ad confirmationem negatur polygamiam simpliciter repugnare duobus illis finibus secundarijs matrimonij, scilicet concordiæ inter coniuges, & remedio cõcupiscentiæ; quamuis enim non ità commodè in polygamia haberi possent, sicut in monogamia, simpliciter tamen, & absolutè haberi possunt, præsertim quando vir esset prudens, vt legitur de vxoribus Dauid, & Salomonis; & si argumentum valeret, sequeretur quod etiam modò mala conditio mulieris, aut viri, vel eorum antipathia, ex qua sequerentur inter ipsos iurgia, & rixæ, matrimonium impediret, sic etiam grauia viri negotia, & occupationes, quæ possunt notabili temporis spatio ipsum tenere ab vxore absentem, in quo non potest altero fini satisfacere adhibendo per copulam concupiscentiæ remedium. Ad vltimum dicendum est Deum ab initio Mundi monogamiam instituisse, non polygamiam, ac etiam posteà confirmasse, tanquam conformiorem legi naturæ, quam sit polygamia; hoc autem non facit, quod polygamia sit contrà legem naturæ simpliciter, & absolutè loquendo, & quod in casu necessitatis dispensari non possit, quam necessitatem solus Deus cognoscit, & in quibusdam temporum circumstantijs etiam dispensauit, vt dicemus art. sequenti.

215 Sed instabis adhuc; contrà primum principium naturæ est, vt vir ergà vxorem hoc faciat quod circà se fieri nollet; at ipse nollet vxorem nubere alteri simul; ergò perindè est contra primum principium, quod ipse alteram ducat. Confirmatur, quia illud est de iure naturæ ad matrimonij substantiam spectans, quod ex prima sui institutione eidem competit, sed illud est, vt vir sit vnius vxoris tantùm ergo &c. Tandem in polygamia tolleretur obligatio debiti, quod est de substantia matrimonij, quia non semper posset vnus vir cuicunque vxori debitum reddere, quando ipsa peteret, ergo &c. Respondetur cum Hiqueo cit. concedendo maiorem in ijs, in quibus vxor habet æquale ius cum marito, & quæ illi inferunt præiudicium simile, & æquale; negando autem in alijs in quibus de lege, & iustitia aliquid competit viro, quod non vxori, vt suprà explicatum est, & sic concessa minori, neganda est consequentia. Ad Confirmationem dicendum est maiorem esse veram regulariter loquendo, & secundum communem naturæ cursum, non autem vniuersaliter loquendo, & in quibuscunque circumstantijs etiam extraordinarijs iuxtà doctrinam suprà traditam *nu.* 212. Ad vltimum negatur consequentia, nam etiam tunc teneretur vir debitum reddere, licet non eodem modo, quo nunc in monogamia; tunc enim inter plures seruaretur ordo, sicut seruauit Iacob inter Rachelem, & Liam, vt notat D. August. *cap.* 49. contrà Faustum, vndè tunc teneretur reddere, quoties vxor debitum exigeret, aut obligationem eius pro tempore congruo, & ordinatè, vt est ad finem primarium, quod in eo casu ad substantiam matrimonij spectaret.

Neque Thomistæ ab hoc nostro dicendi modo multum 216 distant, non enim absolutè, & simpliciter dicunt polygamiam repugnare legi naturæ, sed aliquo modo, quatenus vxorum pluralitas non repugnat legi naturæ quoad primaria eius præcepta, sed solùm quoad secundaria, vt docet D. Thomas *qu.* 65. *art.* 1. vndè dicunt duplicia esse legis naturæ præcepta, quædam sunt vniuersalia, & communissima, quæ sunt veluti prima principia legis naturæ; quædam sunt secundaria, quæ ex illis, tanquam conclusiones deriuantur; primaria præcepta ordinantur ad principalem finem à natura in quauis operatione intentum, secundaria verò ad secundarium; Cum igitur pluralitas vxorum in proposito non repugnet fini principali matrimonij, sed tantùm secundario; ideò dicunt legi naturæ non repugnare quoad eius primaria præcepta, sed tantùm quoad secundaria; & ideò inquiunt Deum supra pluritatem vxorum dispensare posse, sicut de facto antiquis temporibus dispensauit, vt maior multitudo esset hominum fidelium, qui in cultu veri Dei educarentur; licet enim non possit Deus dispensare contrà primaria præcepta legis naturæ, potest tamen dispensare contrà secundaria, quando recta ratio sic dictat, & circumstantiæ extraordinariæ id exigunt; ità refert, & rem declarat Beccanus *c.* 46. q. 2. de mente D. Thomæ, quæ doctrina, vt patet, cum nostro dicendi modo coincidit, vel saltem parum distat, & sic etiam discurrit Stephanus à S. Gregorio *lib.* 3. *cap.* 109. qui plures alios citat.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An Polygamia fuerit aliquando valida, & licita.

PRimò Dicendum est, polygamiam plurium virorum 217 cum vna vxore semper fuisse illicitam, & contrà ius naturale, & positiuum, nec vnquam fuisse permissam. Ità communiter Theologi, & Iuristæ, & Scotus *dist.* 33. *citat.* §. *ad argumenta* in solutione ad 2. prin. vbi ait, quod nunquam fuit ex parte iustitiæ inter commutantes sic commutare, vt minus eueniret finis principalior; & magis eueniret finis minus principalis, quia finis principalis est magis intendendus, sed pluralitas maritorum magis esset ad finem minus principalem, scilicet, ad sedandam libidinem, & multò minus ad finem principaliorem, scilicet, fœtus generationem, quia eadem mulier infrà idem tempus à pluribus viris fœcundari non posset; Quod ex D. Augustinus desumpsit *lib. de bono coniug. capit.* 17. vbi inquit, quod non sicut vni viro fœminæ plures licebat habere vxores, ità vni fœminæ plures viros; duobus enim, seù pluribus maritis viuis nullam legimus seruisse Sanctarum, plures autem feminas vni viro legimus coniunctas, plures enim feminæ ab vno viro fœtari possunt, vna verò à pluribus non potest; ità Augustin. *loc. cit.* ergò nunquam à Deo dispensatum fuit pro poliuiria, seù maritorum pluralitate.

permisisse repudium ad duritiam cordis Iudæorum; ergò secundum se non erat permissibile, & consequenter illicitum. Confirmatur, quia permissio non est, nisi de malo, non autem de bono, & licito; ergò si repudium fuit solum permissum in leges Moysis, fuit malum, & illicitum, & ideò Magister *sent. 4. dist. 33. c. 2.* ait quod hoc fuit à Moyse permissum, non vt concederetur diuortium, sed vt tolleretur homicidium. Demum, quia contractus matrimonij; est ratio mutua potestatis sui corporis inter coniuges pro toto perpetuo contrahentium vsu, atque ideò irreuocabilis, vt dictum est suprà, quia hoc est conueniens de lege naturæ ad commodam prolis educationem, & bonum Reipublicæ; ergo repudium nequit esse concessibile, & licitum.

Respondetur ex Scoto *loc. cit.* sub lit. C. quod Christus ibi non accepit permissionem propriè, sed pro insinuatione rei licitè, & licitè concessa, non tamen simpliciter, sed supposita duritia, & intractabilitatem Iudæorum, ita quod licet istud esset esse licitum, scilicet repudiare, adhuc tamen simpliciter, & absolutè loquendo magis licitum fuisset eis non repudiare, & magis expediens; Vnde quod additur ibi, ad duritiam cordis vestri, ait Doctor, non concludit hoc fuisse eis illicitum, quia frequenter duritia subditorum est causa, vt aliquid relaxetur eis, quod aliàs esset eis vtile non relaxari si essent tractabiles, sicut Prælatus videns Collegium pronum ad aliquid, cuius oppositum esset honestius, & vtilius seruare, si posset, illud oppositum statueret vtiliter, si Subditi essent faciliter inclinabiles; potest tamen non statuere, vel si statutum est, relaxare verè potest, & hoc iustè ne stante illo ipsi multiplicius peccent; sic Deus per Moysen fecit Iudæis, ideoque accipitur ibi permissio, vt dicebam, pro insinuatione minoris boni, liciti tamen, ne arctando ad maius bonum secutum fuisset maius malum ex duritia, & intractabilitate ipsorum.

Ad Confirmationem patet per idem, nam maior verificatur de permissione propriè dicta, ibi autem non fuit propriè permissio, sed insinuatio de minori bono, ne magnum malum sequeretur; Vndè ad id, quoad ait Magister, respondet Doctor ibidem quod vtique non fuit primaria Dei voluntas, vel Moysis faciendi præceptum aliquod de repudio; sed videns maximam illius populi propensionem ad dimittendas vxores sibi non gratas, data fuit lex, vt si eas amplius nollent, libellum repudij darent, quæ permissio licet sit ex suppositione, adhuc tamen licita est.

Ad vltimum dicendum est cum Bassolio *dist. 33. qu. vnic.* in fine, quod contractus matrimonij in illa lege fuit datio ad tempus quousque, scilicet vxor displiceret viro ob aliquam eis fœditatem, & repudiaret eam, nec obligauit illa institutio matrimonij quantum ad perpetuitatem vinculi sub illa lege, sed ad tempus, & adhuc fuit verus contractus tunc ex ratificatione diuina, sicut modò, licet non esset ibi perpetuitas vinculi, & adhuc fuit verum matrimonium, & eiusdem speciei cum nostro, quia obligari ad aliquid pro maiori, vel minori tempore non variat speciem; Plures etiam solent adduci Patrum auctoritates pro parte opposita, propter quas Hiqueus eam censet probabiliorem, quæ solutæ videri possunt apud Scotistas citatos Bassolium, Poncium, & Brancatum, & etiam apud Doctorem ipsum.

223 Quartò tandem Dicendum est, in lege Euangelica nullo modo esse licitam polygamiam, nec habendo plures vxores simul, nec habendo successiuè plures repudianda primam. Ità Doctor *loc. cit.* & est communis inter Catholicos, quia concessio populo fidei facta reuocata fuit à Christo Domino Matth. 5. & 19. qui matrimonium reduxit ad suam primam, & naturalem institutionem, quando dixit, *erunt duo in carne vna*, non tres, vel quatuor, *& eum qui dimissa vxore aliam ducit, mœchari, & esse adulterum*; cùm ergo prima matrimonii institutio polygamiam excludat, vt supra dictum est, sequitur hanc dispensatione fuisse à Christo penitus sublatam. Hoc totum etiam definitum est in Concil. Tridentin. *sess. 24. canon. 2. Si quis dixerit licere Christianis plures simul habere vxores, & hoc nulla lege diuina esse prohibitum, anathema sit*. Accedit tandem ratio, quia matrimonium in noua lege est sacramentum significans vnionem Christi cum Ecclesia; ergo debet esse necessariò vnius cum vna. Addunt etiam communiter Doctores non solùm quoad Christianos prędictam concessionem fuisse penitus sublatam per legem Christi, sed etiam quoad Iudæos, & omnes alias nationes, itaut iam non Christianis solùm, sed etiam alijs omnibus polygamia sit vetita. Ratio est, quia Christus Dominus simpliciter, & absolutè pro omnibus hominibus, & non pro Christianis tantùm, matrimonium reduxit ad primæuum suum statum, & modum de iure naturæ; vnde apud Iudæos, & alios Infideles iam vlteriora connubia nec valent, nec licent, non quia id mera Christi lege sit vetitum, cui lege sine baptismo præcedente alij populi non sunt subiecti, sed quia cum iure ipso naturali omnes nationes ad hoc adstringantur, sublata est per Christum concessio, seù dispensatio de polygamia; Ex quo factum est, vt quando infidelis coniugatus ad fidem conuertitur, & baptismum suscepit, non permittatur in coniugio permanere, nisi cum prima, quam habebat vxore.

Addit tamen Doctor posse casum necessitatis occurrere 224
ex bello, vel peste in quibus multitudo virorum caderet, & multitudo mulierum maneret, & tunc in tali casu licitam esse posse polygamiam ex parte commutantium, sicut olim in antiqua lege ad propagationem, & multiplicationem cultorum veri Dei; nec deficeret ibi, nisi completio iustitię, quæ est ex approbatione diuina, quæ fortè tunc fieret, & Ecclesiæ specialiter reuelaretur; ità concludit Doctor *loc. cit.* & meritò, quia talis dispensatio in præfato casu à Deo reuelata à Sede Apostolica iudicanda esset, an sit verè à Deo concessa, nec ne, vt definitum est in Concil. Lateran. 5. *sess. 11. constitut. 1.* vbi sub pœna excommunicationis latæ sententiæ prohibetur, ne ispirationes, ac reuelationes nouæ publicentur, nisi examinentur, & approbentur à Summo Pontifice, Sedes enim Apostolica sola in toto orbe est regula fidei, & ipsa sola soluit dubia, & quæstiones fidei, vt passim habetur in Concilijs, Patribus, & Iure Canonico.

QVÆSTIO OCTAVA.

De Matrimonio Clandestino.

Licet hoc nomen matrimonij clandestini apud Canoni- 225
stas plures habeat acceptiones, tamen apud Theologos duobus tantùm modis matrimonium dicitur clandestinum; vno modo ex defectu solemnitatis nouo iure requisitæ, quando nimirum sine Parocho, & testibus celebratur, alio modo ex defectu proclamationum, seù denunciationum, quæ antè contractum matrimonij præmitti solent, inter quas clandestini matrimonij acceptiones hoc interest, quod priori modo sumptum post definitionem, Concil. Trident. *sess. 24. de reformatione matrimonij cap. 1.* est nedum illicitum, sed etiam inualidum, quandò fit sine Parocho, & testibus; at posteriori modo sumptum, quamuis ex eodem Tridentin. ibidem sit prohibitum, non tamen est irritum, & inualidum, quia nullo iure irritatur; vndè matrimonium sine denunciationibus præuijs, & absque earum dispensatione contractum est tantùm illicitum, non autem inualidum, vt posteà dicemus; de matrimonio itaque clandestino in vtroque sensu in hac quęstione agendum est, & videndum quo iure, & ex quo tempore sint prohibita.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quo iure, & ex quo tempore matrimonium clandestinum sit prohibitum; & inualidum.

Conueniunt Canonistæ, & Theologi, matrimonium 226
clandestinum non esse prohibitum iure diuino, sed tantùm iure Ecclesiastico, quia ex solis Ecclesiæ decretis habetur talis prohibitio in pluribus Concilijs, vt patet in Capit. finali de Clandestina desponsatione; non autem ex Sacra Scriptura, quia nullum tale extat præceptum, nec in veteri, nec in nouo testamento; Conueniunt etiam ex antiquis temporibus, imò à principio Ecclesiæ fuisse prohibitum, nam antiquissima sanè in Ecclesiæ inter Christi fideles prohibitio, nec clàm, & occultè matrimonia inirentur, vt testatur Trident. *loc. cit.* vbi loquens de matrimonijs clandestinis, ait *Sancta Dei Ecclesia ex iustissimis causis illa semper detestata est, atque prohibuit*. Et in iure habetur contrà huiusmodi matrimonia decretum Euaristi Papę *ca. 1. 30. quæst. 2.* qui Quartus post Petrum sedit anno 110. obijque

que anno 118. & quia Euaristus loquitur ibi tanquam supponens rem iam illicitam, ac detestabilem dum inquit, *vt à Patribus accepimus, & S.S. Apostolis, eorumque successoribus traditum inuenimus*, putandum est etiam anteà, & ab ipso Apostolorum tempore huiusmodi matrimonia prohibita fuisse, & illicita. Atque hæc prohibitio adhuc etiam viget vbique locorum inter Christi fideles, etiam vbi tale matrimonium adhuc est validum, & vbi non est receptum Concilium Tridentinum, quia stante validitate potuit prohiberi, & de facto prohibitum fuit, nec huiusmodi prohibitio ex Concilio Tridentino manauit, sed ab initio Ecclesiæ fuit vbique recepta; Ex quo sequitur sic contrahentes, etiam vbi Tridentinum non viget, peccare mortaliter, vt Brancatus noster aduertit *disp. 22. art. 2. in fine*.

227 Est tamen Difficultas, an secluso iure positiuo contrahere matrimonium clandestinè absque testibus sit illicitum, & prohibitum iure naturali; non dico absque Parocho, quia certum est præsentiam eius iure naturali non requiri, quia hic solùm in Ecclesia reperitur, vndè licet non possit circà infideles moueri dubium de clandestino consensu ex defectu Parochi, potest tamen esse dubium de eo ex defectu testium. Affirmant Caietanus, Palatus, Petrus Soto, Veracruz, Sanchez, & alij, quorum fundamentum est, quia natura ipsa matrimonij, & recta ordinatio generis humani exigere videtur, vt in Republica, & Communitate notum sit, quinam sint coniuges, vt discernantur filij legitimi, & quorum parentum sit filij, & ne coniugati possint impunè separari, ac noua inire coniugia; vndè etiam inter barbaras nationes, & citra legem Ecclesiasticam consuetum est matrimonia publicè, & solemniter celebrari, vt populo innotescant. Negant Dominicus Sotus, Coninch. vterque Ledesma, Hurtadus, Auersa, & alij, quorum fundamentum est, quia si contrahere matrimonium absque testibus esset iure naturali illicitum, & prohibitum, maximè quia sic contrahentes dicto periculo exponerentur, & prædicta inconuenientia in Republica sequerentur; sed regulariter non exponuntur, quia quamuis aliquando in aliquibus ob eorum peculiarem malitiam, aut fragilitatem sit dictum periculum, non tamen in omnibus, neque semper in malis, & fragilibus; imò in his quoque dicto periculo subueniri potest paulò post matrimonij celebrationem illud publicando, & alijs vijs, ergo sic contrahere non est iure naturali, seù ex natura rei illicitum, cùm ex natura rei non sit ipsi dictum periculum annexum; quia hoc tantùm est aliquando, & non in omnibus, sed in aliquibus, & in his potest dicto periculo alia via obuiari, ità discurrit Hurtad. *disp. 5. diffic. 1. in fine*.

228 Hæ tamen sententiæ extremæ facilè conciliari possunt, vbi ait Brancatus *loc. citat.* dicendo, quod licet videatur consonum iuri naturæ, vt matrimonium non fiat clam absque præsentia alicuius testis, verè tamen, & propriè loquendo non potest dici esse iure naturæ prohibitum; Ratio est, quia ius naturæ explicitè non dictat contractum matrimonialem coram testibus esse faciendum, nullum enim apparet tale dictamen, neque ex immediatis iuris naturæ principijs hoc immediatè deducitur; etenim si consideretur matrimonium sub ratione contractus, nullum iuris naturæ principium obstare videtur, quin possint vir, & mulier proprio consensu, absque aliorum concursu, & interuentu, tradere sibi mutuò dominium suorum corporum, seque inuicem coniuges accipere; Tùm quia, si matrimonia clandestina essent iure naturæ prohibita, cùm Concil. Tridentin. talia matrimonia anteà facta declarauerit esse vera, & rata, vt constat *sess. 24. citat. cap. 1.* sequeretur Ecclesiam approbasse, vt valida, & rata, quæ sunt contrà ius naturæ, quod est omninò falsum, quia certè Ecclesia ius naturæ immutare non potest. Itaque ad summum solùm dici potest aliquo modo iuri naturæ videri consonum, vt matrimonium non fiat clam, & absque præsentia alicuius testis, nam iuri naturæ consonum est vitare mala, & damna, quæ ex aliquo actu possunt humano generi, & Reipublicæ accidere; sed ex matrimonio clandestino talia accidere possunt, vt rectè probat ratio prioris opinionis, ergò & cæt. & quidem si ratio illa benè ponderetur, probat solùm illa inconuenientia posse interdum ex matrimonio clandestino accidere, non autem semper, ac necessariò, vt rectè ostendit ratio posterioris sententiæ; nam si certè, & necessariò ex matrimonio clandestino talia damna humanæ naturæ, ac Reipublicæ acciderent, vtique talis contractus directè, ac immediatè esset contrarius iuri naturæ; Et hoc modo discurrendo facilè prima opinio potest cum secunda conciliari dicendo, quod illa nomine iuris naturæ intelligit omne id, quod vel directè, proximè, & immediatè est contrà principia, vel conclusiones iuris naturæ, vel indirectè, remotè, & mediatè.

229 Quò autem ad inualiditatem matrimonij clandestini, Dicendum est, quod quamuis antè Tridentinum validum fuerit, tamen post eius definitionem omninò inualidum, & illicitum est; adeoquod inualiditas clandestini matrimonij non fuit in Ecclesia introducta ab eius initio, neque in alio tempore sequenti vsque ad Concilium Tridentinum, in quo declarata, & firmata est. Hæc assertio communis est inter Catholicos, & quoad vtramque partem patet ex eiusdem Concilij verbis *sess. cit. cap. 1.* de matrimonij reformatione, vbi sic loquitur. Dubitandum non est, clandestina matrimonia libero contrahentium consensu facta, rata, & vera esse matrimonia, quamdiù Ecclesia ea irrita non fecit, & proindè iure damnandi sunt illi, vt eos Sancta Synodus anathematè damnat, qui ea vera, & rata esse negant. Ità Concilium ibi, quod posteà subdit. Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, vel Ordinarij licentia, & duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad sic contrahendum omninò inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat. Ità Concilium ibi, ex quibus verbis constat, hanc inualiditatem non solùm esse circà personas, sed etiam circà contractum ipsum, itaut matrimonium clandestinum ex defectu Parochi, & testium non solùm sit inualidum, eo quod personæ sic contrahentes redditæ sunt inhabiles, sed etiam quia ipsemet contractus redditus est inhabilis, & insufficiens ad obligandum contrahentes; Finis autem, & motiuum, quod habuit Ecclesia ad irritandum clandestinum fuit, vt polygamias impediret, & perpetuos concubinatus, & alia plura Reipublicæ incommoda ex illo deriuata, quæ per simplicem prohibitionem eo vsque impediri non poterant, vt *loc. cit.* verbis expressis Concilium se declarat.

Porrò præsentia Parochi, vel alterius ab eo, vel Ordinario substituti, & testium, quàm Concilium ad matrimonij validitatem requirit, non tantùm physica esse debet, sed etiam moralis, itaut intelligant, quid agatur, & de eo testari possint, qua ratione Testes à Concilio vocantur, vt aduertunt Laiman, Petrus de Ledesma, Abellius, & alij Recentiores. 230 Parochi autem nomine intelligitur ille, qui ordinariam in contrahentes habet iurisdictionem, quales sunt Papa, Episcopus, & proprius ipsorum contrahentium Parochus; quod si contrahentes diuersarum sint Parochiarum, opus non est, quod ambo Parochi assistant, sed sufficit ille, in cuius Parochia matrimonium celebratur, vt habetur in Rituali Romano, & ex praxi constat Ecclesiæ; Quamuis igitur matrimonia clandestinè contracta essent olim solummodò illicita, & prohibita ex antiquioribus Ecclesiæ legibus, vt suprà dictum est, nouo tamen iure Concilij Tridentini non tantùm illicita sunt, sed etiam irrita, & inualida in ijs tamen locis, vbi receptum est Concilium, & eius decretum promulgatum; quod appositè dixi, quia quamuis Concilium suam legem pro tota Ecclesia condiderit, omnibusque Prouincijs, in quibusdam tamen locis etiam apud Catholicos, in quibus Tridentinum non viget, & etiam quando celebratur à non baptizatis, quamuis temporaliter Ecclesiæ subditis, & habitantibus, vbi Tridentinum est receptum, matrimonium clandestinè contractum absque Parochi, & testium præsentia adhuc validum est, licet illicitum, quia nimirum leges Ecclesiasticæ eos non comprehendunt, qui sunt extra Ecclesiam, nec ei sunt spiritualiter subiecti. Et quia contingit interdum, vt incolæ locorum, in quibus Tridentinum viget, pergant ad loca, in quibus non est promulgatum, adhuc dici debet validum esse matrimonium inter coniuges ibi contractum absque præsentia Parochi, & testium; & è contrà, si incolæ locorum in quibus Tridentinum non viget, ad loca deueniant, in quibus eius decretum promulgatum est, ac receptum, quamuis solùm per transitum, non valet ibi eorum matrimonium, nisi coram Parocho, & testibus celebratum; Quamuis enim aliàs disputari soleat, an peregrini legibus suæ patriæ adstringantur, vel loci, in quo sunt; tamen quantum ad formam contractuum, & vt validè contrahant, probabilius est, standum esse legibus loci, in quo celebrantur

brantur contractus, vt notat Auersa q.6.*sec.* 2. cum communiori Doctorum, quarè extranei, & peregrini suos debent celebrare contractus iuxtà formam loci, in quo sunt, non verò suæ patriæ, vt habetur in *cap.final. De foro competen.* & *L.Si fundus ff.de Euictionibus*.

231 Sed hic duæ occurrunt præcipuæ difficultates discutiendæ; Prima est qualiter Ecclesia reddere potuerit irritum matrimonium clandestinum anteà validum, & ratum. Ratio dubitandi est, quia si consideretur matrimonium in ratione contractus, de iure ipso naturæ poterant vir, & mulier proprio consensu, absque aliorum consensu, & interuentu, tradere sibi mutuò dominium suorum corporum, seque inuicem in coniuges accipere; at certè Ecclesia ius naturæ immutare non potest, videtur ergò non potuisse facere, vt quod iure naturæ valebat, seù validum erat, nullum reddatur, & irritum. Si verò matrimonium consideretur, vt sacramentum, nec videtur id facere potuisse, quia tota sacramentorum substantia, & quicquid ad eorum valorem requiritur, fuit iure ipso diuino à Christo Domino institutum, & ad quodlibet sacramentum sua materia sufficit, & forma, & intentio Ministri; materia autem, & forma huius sacramenti est ipse consensus contrahentium expressus, susceptores, & ministri sunt contrahentes ipsi; non ergo videtur Ecclesia potuisse matrimonium clandestinum inualidare, & eam legem matrimonij statuere, quia nequit ius diuinum Christi, aut sacramentorum institutionem, & substantiam immutare, nec quicquam detrahere potest, aut addere ad ea, quæ in singulis sacramentis à Christo ipso sunt instituta.

232 Verùm hæc Difficultas ex communi Doctorum iam resoluta est *disp.1. de Sacramentis in genere quest.3.art.1. num.* 111. vbi dictum est, quod licet Ecclesia facere non possit, quod verus, & legitimus contractus non sit materia sacramenti matrimonij, vt à Christo institutum est; potest tamen facere, vt ille, qui anteà verus, & legitimus erat contractus, non sit deinceps legitimus, & verus, nouas instituendo leges, & solemnitates; quia humana potestas variare potest ea, quæ spectant ad validitatem contractus, & ideò Ecclesia mutare potuit conditiones, & circumstantias huius contractus, sicut & aliorum, requirens ad eius validitatem solemnitatem illam, quæ antea necessaria non erat, præsentiam nempè Parochi, & aliorum testium. Quod modò amplius declaratur, quia Republica politica Christianorum quoad actiones ciuiles dependet, & subest saltem indirectè potestati Ecclesiæ, itaut leges, & actiones publicæ, si ad finem supernaturalem expedire visum fuerit, possint ab illa corrigi, & limitari, vt constat ex Concil. Trident.*loc.citat.* dùm loquitur de matrimonij impedimentis ab Ecclesia constitutis; Hinc sequitur in proposito contractum ciuilem matrimonij, ex quo eleuatus est à Christo ad ordinem supernaturalem, seù ad statum sacramentalem, ità subesse potestati Ecclesiæ, vt si ipsa ad talem finem expedire iudicet, nonnullas possit apponere conditiones ad valorem illius contractus, & statuere, vt illis non adhibitis irritus sit omninò ciuilis ille contractus, & nullus.

233 Hinc patet rationem dubitandi propositam non vrgere, si enim consideretur matrimonium, vt contractus, possunt omninò Superiores legitimam facultatem habentes statuendi, & condendi leges, certam formam præscribere, vt talis contractus valeat, itaut ea non adhibita irritus sit, & nullus, vt constat factum esse in pluribus alijs contractibus; Neque in hoc facta est vlla iuris naturæ immutatio, quasi prohibitum sit, quod iure naturæ præceptum erat; quamuis enim nullum iuris naturæ principium obstare videatur, quin possint vir, & mulier proprio consensu, absque aliorum concursu, & interuentu, seipsos inuicem in coniuges accipere; hoc tamen non est iure naturæ præceptum, imò potius consonum iuri naturæ videtur, vt matrimonium non fiat clam absque præsentia alicuius testis, vt dictum est suprà *nu.* 228. ad plura incommoda euitanda in humana Republica. Si verò consideretur vlterius matrimonium, vt sacramentum est, neque adhuc obstat, quin potuerit Ecclesia aliquid statuere circa valorem contractus matrimonij; quamuis enim Ecclesia efficere non possit, vt validus contractus non sit ad rationem huius sacramenti sufficiens, quin substãtia matrimonij est contractus legitimus, & validus, & à Christo ad rationem sacramenti eleuatus est, ideoq; Ecclesia facere non potest, vt contractus legitimus non sit sacramentum; adhuc tamen Ecclesia immutare potest, vt talis contractus sit, vel non sit legitimus, & ad hoc, vt contractus validus existat, certas conditiones apponere, quæ si desint, censebitur inualidus, nec proindè ad sacramenti huius substantiam, seù validitatem sufficiens erit; & hoc non est per se, & directè substãtiam sacramenti immutare, sed tantum per accidens, remotè & indirectè, quatenus inualidando matrimonium clandestinum, impeditur ne talis contractus fiat sacramentum, seù ad statum sacramentalem eleuetur; Non ergo Ecclesia inualidando clandestinum immutauit substantiam, & institutionem sacramenti huius, quia licet Christus instituerit, vt contractus coniugalis legitimus inter fideles sit sacramentum, tamen instituit quisnam esset contractus coniugalis legitimus, sed hoc statuendum in potestate Ecclesiæ reliquit; Quãuis igitur Ecclesia institutionem Christi immutare non possit faciendo, vt contractus legitimus non esset sacramentum, optimè tamen facere potuit, vt non esset legitimus contractus, nisi qui tali forma, & publicitate ineatur, nempè coram Parocho, & testibus; ità Scotus *4.d.26.q.vn.* in fine, vbi ait, quod Ecclesia benè potest aliquid immutare circà materiam habilem, vel inhabilem, & declarare personas idoneas, vel non idoneas, sed non potest circà illud, quod est essentiale contractui matrimonij, præsupposita materia idonea.

Sed Obijcies, non potest Ecclesia facere, vt oleum, chrisma, aqua &c. quæ à Christo sunt assumpta in materias sufficientes sacramentorum Extremæ vnctionis, Confirmationis & Baptismi, non sint deinceps materia illorum; ergo idẽ dicendum erit in proposito, quia contractus matrimonij, qui fiebat inter homines, fuit à Christo assumptus in materiam, & formam sacramenti matrimonij addens eidem efficaciam gratiæ, & eleuationem ad statum sacramenti. 234

Respondetur, negando paritatem, quia materiæ illæ pro illis sacramentis assumptæ sunt res merè naturales non dependentes ab hominum voluntate, vt contractus ciuiles; imò sicut humana industria fieri potest, & passim fit, vt per actionem, & mutationem physicam aqua, panis, vinum, & oleum corrumpantur, & in aliam substantiam cõuertantur, & tunc non sunt amplius idonea sacramentorum materia; neque ob id dicitur fieri mutatio circà substantiam, & institutionem horum sacramentorum; ità etiam contractus coniugalis, qui à Christo assumptus est in materiã, & formam huius sacramenti, sola morali potestate, & iussione variari potest, vt factum est, neque per hoc dicendum est fieri mutationem circà substantiam, & institutionem huius sacramenti; quando enim Christus coniugalem contractum in sacramentum assumpsit, non restrinxit, aut determinauit modũ illum contractus, vel contrahendi, qui tunc in praxi erat apud homines, sed absolutè contractum, ciuilem assumpsit, qui inter homines validus existimaretur pro temporum varietate, & circumstantiarum contingentia, atque ideò cùm Tridentinum iustis de causis nouo iure statuerit pro validitate contractus publicitatem illam, in eo tantùm sit celebrato ratio huius sacramenti fundari potest.

Altera difficultas est, an matrimonium clandestinum post Tridentinum sit ità inualidatum, vt in nullo casu sit validum inter fideles, ver.gr. quando absque graui nocumento, siuè in articulo mortis, siuè extrà nequit matrimonium omitti, seù differri, celebretur inualidè absque Parocho, cuius non est copia. Aliqui apud Sanchez *lib.3. disp* 17. & Hurtadum *disp.5.diffic.3.* docent in prædicto casu validè fieri matrimonium absque Parocho, dummodò fit coram alijs testibus, quia lex positiua præsertim humana non obligat cum graui incommodò, & nocumento, vt constat de lege audiendi missam, aut ieiunandi, vel diuinum Officium recitandi, quarè huiusmodi casum possumus coniectari Concilium comprehendere noluisse; præsertim quia in hoc casu cessat finis legis inualidantis, scilicet, periculum transeundi ad secundas nuptias, & perpetui concubinatus, ad quæ Tridentinum respexit, quando clandestinum inualidauit; quia licet non adsit Parochus, adsunt tamen alij testes, qui sufficiunt ad ea incommoda præcauenda. Imò Soto *4.dist.22. quæst.1* quem sequitur Graffius *lib.2. decis.cap.* 85. aliquos casus adducunt, in quibus valeat matrimonium clandestinum, etiam sine Parocho, & testibus celebrato, vt potè si quis lethaliter vulneratus, vel morti proximus contrahit clandestinè cum fœmina concubina tùm ob salutem animæ suæ, tùm ob mulieris existimationem, tùm vt filios legitimos reddat, si tunc copia Parochi, & testium haberi non potest; nam etiam in tali casu cessat finis legis, quia statim sequitur mors, & sic damna illa concubinatus, polygamiæ impunis, & alia incommoda non militant. 235

Com-

236 Communis tamen opinio oppositum docet nempè ob nullam necessitatem tale matrimonium validum, sicut neque inter consanguineos, aut aliter iure Ecclesiastico impeditos. Ratio est, quia Tridentinum *loc. cit. at.* absolutè, & absque vlla limitatione irritat matrimonium absque Parocho, & testibus celebratum, & reddit personas inhabiles, quæ nulla necessitate habiles fieri possunt, & vniuersaliter loquitur de omni contractu clandestino, & de omnibus contrahentibus toti Ecclesiæ, præscribens, quinam contractus matrimonialis sit validus; ergo neque præfati casus, neque præfati contrahentes excipiuntur; Ità Sanchez, Ponce, Hurtad. Auersa, Brancat. & alij.

Ad rationem in oppositum respondent, quod quamuis vrgens necessitas excuset ab obligatione legis positiuæ præcipientis, aut prohibentis etiam diuinæ, non tamen efficit habilem aliàs lege inhabilem, neque validum, quod lege irritante est nullum, vt constat de lege irritante matrimonium inter consanguineos intrà quartum gradum, quæ nulla necessitate absque dispensatione euanescit, ita Hurtadus *loc. cit. at.* & Caspensis *disp. 4. sect.* 2. & licet motiuum legis inualidantis fuerit illud iam in argumento adductum, & illud cesset in assignatis casibus, non ob id censendus est cessare vigor legis, quia lex contrà omnes contractus clandestinos lata est, vniuersaliter, & absolutè loquendo, quia Ecclesia præscribere voluit formam, & validitatem legitimi contractus in vniuersum, & formam essentialem, & necessariam in omni casu nullam permittens exceptionem; & moribundus ille benè saluari potest per pœnitentiam de præterito, neque existimatio famæ mulieris, & legitimatio prolis tanti ponderis est, vt aditum relinquere debeat ad infringendam Ecclesiæ legem præscribentem formam substantialem coniugij inter fideles. Dices; pro casibus similibus extremis Ecclesia de remedio prouidit in alijs materijs, vt casuum reseruatorum, censurarum &c. ergo etiam in hac.

Respondeo negando consequentiam, & ratio disparitatis est, quia illa sunt ad salutem necessaria, non autem matrimonium, nam si moribundus sit concubinarius; poterit conteri, & confiteri absque matrimonij contractione, vt dicebam, ac proindè Ecclesia pro hoc casu non dispensauit in matrimonio clandestino.

237 Instabis rursus, in alijs casibus validum esse matrimonium clandestinum quando prius matrimonium celebratum coram Parocho, & alijs testibus fuit nullum ob defectum consensus occultum, aut ob impedimentum aliquod occultum, necessarium non est illud ad reualidandum, quod iterum coram Parocho, & alijs testibus celebretur, sed satis est, vt vir, & mulier de nouo consentiant in matrimonium inter se mutuò contrahendum, & consensum illum signo aliquo exteriori sibi inuicem manifestent, vt docent Nauarrus, Sanchez, Hurtadus, Meratius, Petrus de Ledesma, Caspensis, & alij, qui etiam referunt à Pio V. summo Pontifice ità declaratum fuisse, quam opinionem nos quoque approbauimus, & secuti sumus *q. 3. ar. 1. nu. 87. & q. 5. ar. 2. nu.* 174. si ergo in his casibus sufficit clandestinè nouum consensum exprimere ad matrimonium reualidandum sine præsentia Parochi, & testium, sequitur aliquando matrimonium clandestinum valere, ac etiam in alijs casibus in præcedenti argumento allatis.

Respondetur concesso assumpto negando consequentiā, nam in illis duobus casibus nunc adductis optimè validatur matrimonium absque noua Parochi præsentia, & aliorum testium, quia præsentia antiqua, & præcedens, vt ibi dictum est, in casu impedimenti, vel defectus occulti sufficit ad euitanda incommoda, quorum intuitu Tridentinum irritauit matrimonia facta absque Parochi præsentia, & aliorum testium; quod in alijs casibus superius adductis dici non potest, quia nulla præcessit Parochi, & testium præsentia; sufficit, inquam, antiqua præsentia parochi, & testium in illis duobus casibus ad euitanda peccata ex clandestinis matrimonijs consurgentia, quia tunc matrimonium, estò inualidum ex occulto defectu, publicum fuit in facie Ecclesiæ, & ideò si aliud matrimonium contrahere vellent, impedirentur ab Ecclesia, quæ primum matrimonium in foro externo validum iudicaret; qua de causa matrimonium sic contractum nequit dici clandestinum, quia semel in facie Ecclesiæ contractum fuit, quod sufficit ad tollendam clandestinitatem. Dices tandem, saltem valere matrimonium publicè coram populo contractum absente Parocho, quia planè tunc clandestinum dici non posset. Negatur consequentia, quia et præscripto Concilij præsentia Parochi omninò requiritur, hanc enim specificè expressit, & hanc formam publicitatis in Ecclesia præscripsit, nempè coram ipso animarum pastore, & publico Ministro, ità Nauarrus *cap. 25.* Auersa *quæst. 6. sec.* 2. & alij Doctores passim. Aliæ difficultates merè morales de matrimonio clandestino disputari solent, quæ apud Brancatum nostrum videri possunt *disp. 22. c. 2.* vbi de illis fusissimè tractat.

ARTICVLVS SECVNDVS.

An vt validè, & licitè matrimonium contrahatur, præmittendæ sint Denunciationes.

238 DEnunciationes vocantur admonitiones quædam, quibus in Ecclesia publicè prolatis nominibus nubere cupiunt monentur Christiani, vt si aliquod impedimentum nouerint inter eos, illud reuelare teneantur, vocanturque etiam publicationes, & proclamationes. Concilium Lateranense sub Innocentio Tertio *cap.* 51. præcipit *vt cùm matrimonium fuerit contrahenda in Ecclesiis per Presbyteros publicè proponantur* quod refertur *cap. Cùm inhibitio* de Clandest. Desponsat. & rursus innouat, ac præcipit Trident. *cit. sess. 24. cap.* 1. vbi decernit, vt antequam matrimonium contrahatur, ter à proprio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festiuis in Ecclesia inter Missarum solemnia publicè denuncientur qui volunt matrimonium contrahere; est ergo difficultas an dictæ Denunciationes, vbi Tridentinum viget, sint necessariæ ad valorem matrimonij, itaut eis omissis inualidè fiat.

Non desunt Iuristæ, qui putarunt has denunciationes ità ad valorem matrimonij esse necessarias, vt ijs non præmissis contractus sit irritus, & nullus, sicut de assistentia Parochi, & testium statutum est *art. præced.* Fundamentum est, quia Tridentinum eodem decreto, eodemque verborum tenore præcipit, vt antea præmittantur denunciationes, ac posteà cum assistentia Parochi, & testium matrimonium contrahatur; sicut ergò irritum est prætermissa Parochi, & testium assistentia, ità etiam prætermissis denunciationibus, quia absque eis non validè assistet, Concilium enim talem formam, & modum præscribit assistentiæ Parochi, ac proindè matrimonium inualidè fiet, quia ad eius valorem requiritur valida Parochi assistentia cum testibus.

Confirmatur, quia matrimonium essentialiter requirit publicitatem, cùm clandestinum sit irritum, & inualidum, at denunciationes non minus ad publicitatem spectant, quam Parochi assistentia, imò magis, quia inseruiunt ad detegendum, si quæ sint impedimenta inter contrahentes; ergò si assistentia Parochi est ad valorem matrimonij necessaria, tantò magis denunciationes. Tandem quia frustratorium esset Concilij præceptum de Denunciationibus, nisi ad valorem requirantur, nam æquè abire possent in desuetudinem, sicut olim antè Tridentinum.

239 Verùm sicut diximus ab initio quæstionis, certum est ad hoc, vt matrimonium sit validum; non requiri prævias denunciationes, sicut requiritur Parochi, & testium assistentia, sed illis dimissis absque dispensatione adhuc validum, & ratum est matrimonium, dummodò non interueniat alius substantialis defectus, ità passim Theologi omnes ac Canonistæ docent. Ratio est, quia denunciationes non sunt necessariæ ad substantiam huiusmodi contractus ex natura rei, seù iure naturali, quia alij contractus his proclamationibus non egent; & antè Conc. Lateran. 4. non constat fuisse in vsu, & inter infideles, in quibus vera sunt matrimonia in ratione contractus, non adhibentur; Neque sunt necessariæ ex institutione Christi, quia neque ex Scriptura, neque ex traditionibus id habetur, & tamen antè dictum Lateran. Concilium vera matrimonia fiebant. Nec tandem sunt necessariæ ad valorem matrimonij ex Ecclesiæ decreto, sed tantùm ad solemnitatem, & ex præcepto, quod satis patet ex ipso Concil. Trident. cùm enim decretum commune præceptiuum tulisset de præmittendis denunciationibus, ac de assistentia Parochi, & testium in ipso contractu, posteà clausulam irritantem adiecit solùm de assistentia Parochi, & testium, non autem de præuijs denunciationibus, inquit enim; *Qui aliter, quàm præsente Parocho, vel alio Sacerdote de ipsius Parochi, seù Ordinarij licentia, & duo-*

& duobus, vel tribus testibus matrimonium contrahere attentabunt, eos Sancta Synodus ad contrahendum omnino inhabiles reddit, & huiusmodi contractus irritos, & nullos esse decernit, prout eos præsenti decreto irritos facit, & annullat; ex quibus verbis patet Concilium non ponere denunciationes inter requisita ad valorem, & substantiam matrimonij, quia inter ea, sine quibus matrimonium est nullum, ipsas non recenset, non enim dixit qui alter quàm præmissis denunciationibus contrahere attentabunt, contractum nullum, & irritum decernit, sicut dixit, qui aliter, quàm præsente Parocho &c.

Confirmatur, quia Concilium ibidem arbitrio Episcopi, & ordinarij remittit, si expedire iudicauerit, prætermitti denunciationes, signum euidens non illas constituisse, tanquam de substantia contractus, sed ad summum tanquam de obligatione. Denique Ponce *lib. 5. capit. 30.* & alij Recentiores referunt ità declaratum fuisse à Sacra Congregat. Concil. quæ de hoc requisita respondit, Matrimonium sic contractum, hoc est, sine denunciationibus, & proclamationibus, quæ solent, & debent præmitti, non esse inualidum, & nullum, sicut illud, quod sine præsentia Parochi, & testium contrahitur, nec illegitimam reddere prolem.

240 Hinc patet ad fundamentum oppositum, quod ex eodem Concilio desumi videbatur, licet enim ea omnia requirat, non tamen omnia tanquam ad valorem, & substantiam matrimonij requisita, & licet in priori parte decreti eodem tenore verborum præceptum iniungat de præmittendis denunciationibus, & assistentia Parochi, non tamen clausulam irritantem apponit, sicut in posteriori parte facit, vbi solum loquitur de assistentia Parochi, & testium, & clausulam irritantem apponit; tùm quia etiam ibi præcipitur, vt Parochus contrahentes interroget de eorum consensu, & tamen hoc non est de essentia, neque ad valorem sacramenti spectat, quia ex seipsis possunt illum exprimere; non ergò omnia, quæ in eo decreto præscribuntur, sunt intrinsecè ad valorem sacramenti necessaria; sed ad summum dicetur Concilium in prima parte illius decreti præscribere formam, & limitare modum, vt matrimonium licitè contrahatur, non autem vt validè, quasi omnia illa sint etiam dè necessitate valoris.

Ad Confirmationem negatur minor, quia vt patet ex modo dictis, licet tota illa publicitas à Concilio præcipiatur, & per denunciationes, & per Parochi, & testium assistentiam, tamen in posteriori parte decreti pro validitate secunda tantùm publicitas præscripta est, & ad hanc tantùm clausula irritans apposita est, non ad primam; & si prima publicitas inseruit ad impedimenta detegenda, si quæ fortè sint inter contrahentes, vel contrahere volentes, secunda inseruit ad probationem matrimonij, & euitanda peccata, quæ ex matrimonijs clandestinis cousurgere possunt quod adhuc maioris est momenti.

Ad vltimum negatur consequentia, non enim frustratorium est præceptum de denuntiationibus præmittendis, cùm sit ad finem detegendi impedimenta, quæ inter eos esse possunt, qui matrimonium contrahere intendunt; & ad hoc, vt denunciationes non habeant in desuetudinem, sicut olim antè Tridentinum, sufficit vt sint impositæ ex obligatione præcepti, & sub grauibus pœnis, quibus Parochi subiacent, si eas omiserint.

241 Quæres, quam vim habeant Denunciationes, & quam obligationem qui sciunt impedimentum ad illud detegendum. Communis sententia docet quemlibet teneri deferre impedimentum, quod probari potest, quamuis infamiam importet, veluti exortum ex fornicatione cum consanguinea in gradu prohibito alterius contrahentis; aduertunt tamen Doctores, quod quando impedimentum tale esset, nimirum occultum, & infamiam parere potens, qui id nouit iuxtà regulam fraternæ correctionis debet prius admonere secretò illos ipsos, qui contrahere volunt, vel eorum alterum ad hoc, vt à tali coniugio contrahendo desistant, illisque desistentibus obligationi quoq; satisfactum erit; Quod si desistere noluerint debebit id quantumuis occultum Parocho, vel Prælato reuelare, quia bonum animæ, & valor sacramenti bono famæ omninò præferri debet; Est tamen difficultas, an ex vi denunciationum sit etiam obligatio deferendi impedimentum occultum, quod quis solus nouit, ideoque testibus illud probare non potest. Negant Maior, Gabriel, & Ponce *lib. 5. cap. 34.* & approbat Diana *part. 3. trac. 4. resol. 221.* ea ratione ducti, quia nemo denunciare tenetur, quod sufficienter probare non potest, in casu autem proposito absque testibus nequit sufficienter probare.

Communis tamen sententia docet, quemlibet teneri impedimentum occultum etiam sibi soli notum deferre, ità Sanchez, Tancred. Coninch. Hurtadus, Caspensis, Auersa, & Brancatus ex nostris, & alij passim. Ratio est, quia vnusquisque tenetur vitare peccatum mortale proximi, si id commodè possit (quod appositè additur, quia si non potest signe graui sui ipsius incommodo, aut aliorum scandalo non tenetur) præsertim quando id à Superiore præcipitur; at denunciando impedimentum occultum; & sibi soli notum plura vitantur peccata, quæ contrahentes cum impedimento committerent; ergo vnusquisque tenetur impedimentum occultum denunciare quamuis testibus illud probare non possit; Tùm quia reuelanti in hoc casu, & ex mandato Ecclesiæ onus probandi non incumbit, sed ad Parochum, seù Prælatum spectabit prospicere quidnam faciendum sit; & sufficiet etiam vnus ipse testis; siuè denunciator ad matrimonium impediendum, vt habetur ex *capit. præterea de sponsalibus*. Aduertunt etiam præfati Doctores id quod dictum est verum esse, etiamsi quis id sciuerit sub secreto naturali, & sub iuramento secreti, & quamuis ex illo infamiam passurus sit denunciatus, quia maior ratio habenda est salutis animæ proximi, quam seruandi secretum, & famam illius, neque iuramentum in tali casu obligat ad non denunciandum, esset enim contrà charitatem, & contrà Superioris præceptum, quod per denunciationes imponitur. Appositè autem dicitur sub secreto, & sub iuramento, non autem sub sigillo sacramentali, quia in tali casu sanè non teneretur, nec posset quis reuelare impedimentum occultum, nec eius reuelatio acceptanda esset, non enim ob quodcunque damnum vitandum confessionis sigillum frangere licet. Tandem non solùm alij, sed etiam ipsi contrahere volentes interrogati à Parocho, num impedimento aliquo detineantur, sua impedimenta fateri tenentur, si nolint à matrimonio desistere, etiamsi impedimentum occultum sit, & infame; tunc enim cùm non agatur de supplicio, sed de vitando peccato, quod in fauorem contrahentium est, possunt ab ordinario interrogari, quamuis nulla præcesserit infamia, quia hoc totum est in beneficium, & salutem eorum, non in supplicium, aut iacturam, quo casu nemo se prodere tenetur; Non tamen tenentur impedimentum occultum manifestare, quandò est dispensatum, quamuis occultè tantum, & in foro conscientiæ, quia tunc impedimentum reputatur, vt nullum, ac proindè interrogati negare possunt mentali restrictione, & ob eandem rationem alij etiam, qui sciunt impedimentum occultum, si etiam sciant dispensationem, quamuis occultam, illud reuelare non tenentur, vt notat Hurtadus *disput. 5. difficul. 21.* cum alijs Doctoribus citatis.

Hoc totum autem verificatur, quando impedimentum est occultum, quia si esset publicum, & plenè probari posset, estò quis sciat habentes illud fuisse in foro conscientiæ dispensatos, adhuc illud reuelare tenetur, vt notat Sanchez, & cum eo Tancred. *disput. 14.* & Brancatus noster *art. 21. cit.* Ratio est, quia dispensatio in foro conscientiæ in hoc casu non prodesset, quia causa agitur in foro externo, nam impeditus pro vtroque foro interno, scilicet, & externo, si dispensatur in interno, non ob id remanet liber pro externo, debet enim Ecclesiæ satisfacere in hoc foro; quarè quamdiù non est solutus in foro externo à ligamine, semper in hoc foro impedimentum vrget, & sciens illud tenetur impedimentum ad talem forum deducere, non obstante notitia dispensationis habitæ in foro conscientiæ. Alia plura disputari solent in hac materia de Denunciationibus præmittendis ad Matrimonium, quæ quia purè moralia sunt, & ad casus conscientiæ spectantia apud citatos Auctores videri possunt de illis fusè tractantes. 242 243

244 Ex dictis in hac quæstione, & præcedentis clarè patent, quænam requirantur ad hoc, vt matrimonium validè contrahatur, & insuper quæ sunt necessaria non solùm vt validè, sed etiam vt licitè contrahatur; Etenim ad matrimonij validitatem quatuor præsertim requiruntur. Primum est, vt contrahentes liberum consensum præbeant,

itaut est ex parte alicuius contrahentium desit liber ille
consensus, matrimonium nullum sit, vt patet ex *cap. Cum*
locum, & cap. Tuæ fraternitatis De sponsalibus item ex *cap.*
Sufficiat & cap. Si quippè 27. quæst. 3. Insuper consensus
ille debet esse de præsenti, vt constat ex *cap. Tuæ fraternita-*
ti, & cap. Licet de sponsalibus, & ex decreto Eugenij in Con-
cil. Florent. vbi dicitur, quod *causa efficiens matrimonij est*
mutuus consensus per verba de præsenti regulariter expressus,
ex quibus verbis habetur etiam consensum illum per verba,
aut signa aliqua exteriora exprimi debere, quia cùm
Matrimonium baptizatorum sit sacraméto in aliquo signo
externo consistere debet, quæ omnia iam ex professò de-
clarat sunt *quæst. 3. & 4. huius Disput.* Secundum, quod ad
matrimonij valorem requiritur est, quod consensus illius
expressio fiat coram Parocho, & duobus vel tribus testi-
bus, quamuis enim matrimonia clandestinè contracta es-
sent olim valida, licet illicita, nouo tamen iure nedùm illi-
cita, sed etiam inualida esse declaratum est, vt cóstat ex Tri-
dentino *sess. 24. cap. 1. de reformatione, & ex dictis art. præced.*
Tertium, quod ad matrimonij validitatem etiam requiri-
tur, est ætas pubertatis in vtroque contrahentium, in viro
quidem quatuordecim annorum completorum, in fœmina
vero duodecim etiam completorum, vt habetur ex cap. *Con-*
tinebatur ex cap. Attestatione, & ex cap. vlt. de dispensatione
impuberum, vbi antè dictam ætatem pueri, & puellæ inha-
biles declaratum ad contrahendum, nisi malitia ætatem
suppleat, & ob iustam aliquam causam cum illis dispense-
tur, vt habetur cap. *Vbi* eodem titulo. Quartum denique ad
matrimonij validitatem requisitum est, vt nullum in con-
trahentibus reperiatur impedimentum canonicum, quod
matrimonium contrahendum impediat, & contractum di-
rimat; impedimenta enim in vniuersum sunt illa, quæ ob-
stant ne ritè matrimonium contrahatur; & vel solum ob-
stant, ne licitè contrahatur, vel etiam ne validè, de quibus
impedimentis infrà suo loco agemus.

245 Rursus ad debitam, & licitam matrimonij celebratio-
nem quatuor alio præsertim sunt necessaria; Primum est,
vt matrimonium à filijs cum consensu parentum contraha-
tur, quamuis enim quidam Hęretici, Lutherani, & Caluini-
stæ dixerint talem consensum requiri etiam ad matrimonij
validitatem, hoc tamen omninò falsum est, vt habetur cap.
Cum virum de Regularibus, & ratio est, quia tametsi Pa-
ter ius habeat dirigendi filium in suis actionibus, & filius
teneatur illi obedire in rebus licitis, & honestis, tamen na-
turalis facultas generandi, quæ in filio est, non est Patris,
sed solius filij ideoque filius potest de illa validè disponere,
& ex Scriptura constat aliquos contraxisse matrimonium
inuitis parentibus vt Esau, alios parentibus inscijs, vt To-
biam iuniorem, tamen matrimonia valida fuere, & ideò
Concil. Trid. *sess. 24. de reform. mat. cap. 1.* damna eos, qui
affirmant, matrimonia à filijs familias, sine consensu pa-
rentum contracta irrita esse, & parentes ea rata, vel irrita
facere posse; quod etiam anteà docuerant D. Thomas 1. 2.
qu. 104. art. 5. & Scotus *4. d. 27. qu. 2.* Sed quamuis matrimo-
nium etiam inuitis parentibus contractu, si aliæ códitiones
necessariæ obseruentur, sit validum; certum tamen est ad-
huc ex communi Theologorum sententia grauiter peccare
filios, si inuitis rationabiliter parentibus, vel eorum cósensu
non requisito matrimonium cótrahant; Dixi *rationabiliter*
inuitis, quia si parentes filium inducere vellent ad nuptias
illicitas, vel contrà rectam rationem v.g. ad ducendam vxo-
rem hæreticam, aut infamem, vel malis moribus prædi-
tam; vel è contrà, si parentes nolint permittere filij, vt nu-
bant, sed domi perpetuò retinere velint vt seruos, in his, &
similibus casibus, in quibus parentes honestam; & Christia-
nam libertatem in matrimonio contrahendo impedire vel-
lent, filij obedire non tenentur ex communi pariter Theo-
logorum sententia.

246 Alterum ad licitam matrimonij celebrationem requisi-
tum est, vt antequam matrimonium contrahatur ter à pro-
prio contrahentium Parocho tribus continuis diebus festi-
uis in Ecclesia inter Missar. solemnia publicè denuncietur,
inter quos matrimonium sit contrahendum, vt dictum
est suprà, & in citato decreto Concil. Trid. statutum est, &
anteà in Concil. Later. sub Innocentio Tertio constitutum
fuerat; quæ denunciantes ad vtriusque contrahentis m-
Parochis fieri debent, si fortè ad diuersas Parochias perti-
nent, vt si quæ subsint impedimenta, ex vtraque parte
detegi possint, à quibus denunciationibus aut aliquibus illa-
rum Episcopus ex iusta causa dispensare potest, quod qui-
dem illius prudentiæ, & iudicio relinquitur; vt in prædi-
cto decreto declaratum est. Tertium requisitum est, vt
contrahentes ipsi nullius peccati mortalis sibi sint conscij,
cùm enim matrimonium sit sacramentum viuorum, ab ijs
qui per peccatum mortale spiritualiter mortui sunt, nec vti-
liter, nec licitè suscipi potest, vndè Concil. Trident. in de-
creto citato monet coniuges, vt antequam contrahant, sua
peccata diligenter confiteantur. Quartum denique requisi-
tum est vt matrimonium celebretur tempore idoneo, &
conuenienti, seruetur que Ecclesiæ interdictum prohiben-
tis celebrationem nuptiarum à prima Aduentus Dominica
vsque ad festum Epiphaniæ, & à feria quarta Cinerum
vsque ad Octauam Paschatis inclusiuè, vt habetur in Con-
cil. Trid. sess. 24. cap. 10. de reform. & hoc præceptum Eccle-
siæ grauiter obligat, tùm Sacerdotes ne his temporibus
hanc nuptiarum benedictionem impendant, tum Laicos
ipsos coniugatos, ne eam petant, vel suscipiant, quia res est
grauis, & sub verbis præceptiuis præscripta, & in praxi quo-
que seruatur.

QVÆSTIO NONA.

De Sponsalibus Matrimonio præuijs.

247 ANtè Matrimonium non solum Denunciationes præ-
mitti solent, sed etiam Sponsalia, hoc est, promis-
sio, & conuentio contrahendi, non quidem quasi id ne-
cessarium sit ex natura matrimonij, vel ad eius valorem,
aut ex præcepto Ecclesiæ, vt de Denunciationibus dictum
est, sed quia ad præuentionem, & securitatem futuri ma-
trimonij hoc est vtile, & opportunum; sicut enim in na-
turalibus ad introductionem formæ substantialis præuiæ
quędam exiguntur dispositiones materiam pręparantes, ita
etiam in moralibus quædam in eodem ordine requiruntur
conditiones vel ad valorem, vel saltim ad decentiam con-
tractus moralis prærequisitæ; & sic in proposito quoad
matrimonium etiam quædam præmitti solent cęremoniæ,
seù dispositiones, quæ Sponsalia dici consueuerunt à verbo
Spondeo, quod est promitto, seù à spondendo, aut spontè
promittendo, & significant spontaneam promissionem
mutuam inter virum, & fęminam de matrimonio in fu-
turum contrahendo; sponsaliorum namque obligatio non
contrahitur per solum desiderium, aut propositum matri-
monij contrahendi, nisi promissio intercedat, eaque mu-
tua, & reciproca; vndè Sponsalia propriè dicta, de quibu
sermonem hic instituimus, definiútur, quod *sunt futurarum*
nuptiarum mutua promissio vt habetur in cap. *Nostrates 3*
q. 5. & L. 1. ff. de sponsalibus, quarè licet quandoque in com-
muni modo loquendi sponsalia accipi etiam soleant pro ma-
trimonio iam per verba de præsenti contracto, & nond[um]
consumato, & interdum etiam post consummatum matri-
monium vocentur sponsi recenter coniugati; propriè ta-
men Sponsalia dicuntur, & ità in hac quæstione accipi[un]-
tur pro sponsione, & promissione futuri matrimonij,
& quia de his Scotus ex professo non tractat, ex Sacris
Canonibus, & Theologis Moralibus doctrinam dedu[ce]-
mus.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæ, & quot ad Sponsalium valorem requirantur.

VT certa ab incertis in hac quæstione discernamus
Conueniunt Primò Doctores communiter in hoc, 248
quod promissio ad valorem sponsalium requisita necessa-
rio esse debeat libera, & voluntaria, & ratio est quia spon-
salia obligationem inducunt, vis autem obligandi ex vo-
luntate oritur; ergo talis promissio libera
esse debet, ac proindè etiam deliberata, & voluntaria
actus potest esse perfectè humanus, siquidem nullus
neque sufficiens ad inducendam obligationem humanam,
nisi ex plena aduertentia, & deliberatione procedat, [illegible]
tione nó solùm deliberata esse debet, sed etiam [illegible]
vt excludatur promissio metu, vel fraude exto[rta] [illegible]
est valida, vt suprà dictum est qu. 4. art. 3. de [illegible] matrimonio

ex metu contracto; ex quo sequitur promissionem factam animo ficto nullam inducere obligationem ex vi promissionis, quamuis eam possit aliundè inducere v.gr. ratione damni, vt infrè dicemus.

249 Quæ autem, & qualis deliberatio requiratur, & sufficiat ad sponsalia, non omninò Doctores conueniunt, quamuis enim communiter dicant requiri & sufficere illam, quæ ad peccatum mortale requiritur, & sufficit; nihilominus Bonacina *quæst.1. punct.4. num.4.* maiorem vsum rationis ait requiri ad sponsalia, quàm ad peccatum mortale, pro qua sententia citat D.Thomam, Henriquez, Gutierez, Ledesm. Rebellus & alios; fundamentum est, quia ad peccatum mortale sufficit consensus, & aduertentia mali præsentis; ad sponsalia verò requiritur cognitio futurorum, cum sponsalia sint promissio futuri matrimonij, negari autem non potest, quin requiratur maior vsus rationis ad prouidentiam futurorum, quàm ad consensum alicuius actus præsentis. Hæc tamen ratio, non vrget vt recedi debeat à communi, quam docet Sanchez *lib.1. disp.16.* & sequuntur Nauarrus, Molina, Becanus, Tancredus, Caspensis, & alij passim dicentes ad valorem sponsalium requiri promissionem vt minimum cum tali deliberatione, & aduertentia, qualis requiritur ad peccatum mortale; Cùm enim sponsalia obligent sub mortali, petunt plenam deliberationem, & maturum iudicium, quale ad mortale requiritur, vndè si quis cum semiplena deliberatione sponsalia promittat, non satis aduertens quid faciat, non obligatur ad implendum, nequidem sub veniali peccato, quia cùm hæc obligatio sit onus quoddam quod spontè suscipitur, alicui impositum censeri non debet, nisi in illud perfectè consenserit, quod vtique sine perfecta deliberatione, & aduertentia fieri nequit; ergo ad valorem sponsalium ad minus tanta requiritur deliberatio, quanta sufficit ad peccatum mortale, & ad meritum, & ad votum validum, talis enim deliberatio, & aduertentia ad omnem validam promissionem requiritur.

250 Non tamen maior aduertentia necessariò requiritur, vt alia opinio dicebat, quia Ecclesia ætatem sufficientem ad sponsalia septennium designauit, siquidem vsus rationis, & libertas regulariter septennio incipit, ità habetur in cap. *Literas in 4. in capit. Accessit 5. in cap. Ad dissoluendum* 13. & in cap. vnico de sponsalibus impub. & rationabiliter hæc ætas assignatur, vt sufficiens ad sponsalia, quia talis ætas sufficiens est ad vsum rationis, & ad grauiter peccandum, ac proindè hic vsus rationis ad sponsalia sufficiens censeri debet.

Confirmatur, quia vt notat Caspensis *disp.1. sect.1.* hic rationis vsus in septennario incipiens sufficiens est ad se obligandum per votum solemne ordinis sacri, vel per votum simplex Religionis; quæ est obligatio status perpetui, & maior, quam sponsalium; ergo etiam ad ipsa sponsalia sufficiet. Ex quibus patet hanc promissionem ad valorem sponsalium requisitam duos includere actus, vnum intellectus deliberantis, & ordinantis; alterum voluntatis propositum habentis se obligandi, & promittendi, vndè ex duplici capite fieri potest, vt promissio ad sponsalia non sufficiat, primò ex defectu deliberationis, deindè ex defectu se obligandi, & promittendi; Tandem, quod de sponsalibus tractari solet non valere, si absque rationis vsu, & à furioso, seù ebrio, etiamsi non præuisa, & volita ineantur, iam nos de ipso matrimonio superius *quæst.4.* tractauimus, & sic pariter in præsenti de sponsalibus sunt intelligenda, de quibus omnibus fusè tractat Brancatus *disp.37. art.4.*

251 Secundò principaliter conueniunt Doctores, ad valorem Sponsalium necessariam esse mutuam promissionem sponsi & sponsæ & ità deducitur ex lege 1. ff. de sponsalibus, vbi sponsalia vocantur repromissio, hoc est, reciproca promissio; & ratio est, quia sponsalia promissionem continent futuri matrimonij; sicut ergo matrimonium vtriusque partis consensu perficitur, dum vir, & fœmina se se inuicem in coniuges accipiunt, ità sponsalia non nisi mutua vtriusque partis promissione de contrahendo matrimonio perficiuntur, & sicut matrimonium est duorum, mutuam, & reciprocam corporum potestatem tradentium, ità sponsalia sunt duorum mutuam, & reciprocam suorum corporum potestatem promittentium, siquidem res quæ in matrimonij contractu traditur, in contractu sponsalium promittitur. Tum quia sicut matrimonium est quidam contractus, ità & sponsalia, contractus autem non est, nisi duorum saltim inter se paciscentium, & ex pacto mutuam inter se obligationem subeuntium, vndè hæc promissio debet esse hinc indè acceptata, vt obligationem inducat, vt posteà dicemus, quia ante acceptationem non obligat; Ex quo sequitur sponsalia non nisi per mutuam promissionem ipsorum contrahentium constitui, ità vt verè non fiant vno promittente pro alio, etiamsi Pater pro filio, vel filia promitteret, absque promissione propria ipsius partis, vel saltim absque eius mandato, vt alius tanquam Procurator promittere valeat, & ità habetur *L. In sponsalibus & L. filiusfamilias ff. de sponsalibus, & Cap. Accessit de Desponsat. impuber. & cap. vn. sub eodem titulo in 6.* Itaque vt promissio matrimonij futuri vera sponsalia constituat, debet esse mutua vtriusque partis spondentis; ità communiter Theologi, & Canonistæ.

Mad. in Quart. Sentent.

Verùm est Difficultas, an censenda sit repromissio ad sponsalia sufficiens quando alter fidem dedit de matrimonio contrahendo, alter verò non expressè repromisit, sed alterius promissionem acceptauit dicendo, accepto, gratias ago, placet quod mihi offertur, & similia, non tamen explicitè repromittendo. Affirmant Paludanus, Antoninus, Rosella, Siluester, Henriquez, Vasquez, Ponce, & alij; Ratio est, quia sicut Matrimonium claudicare non potest, sed vel ex vtraque, vel ex neutra parte validum esse debet, ità & sponsalia; sed dicente altero per verba de præsenti *accipio te in meam*, si mulier respondeat *placet* est verum Matrimonium, vt docent Canonistæ capit. *Si inter De sponsalibus*; ergo pariter dicente altero per verba de futuro *Accipiam te in meam* si mulier respondet *Placet* erunt vera sponsalia, & illa acceptatio censeri debet repromissio. 252

Confirmatur, quia acceptans censetur virtualiter repromittere censetur enim velle, vt vtrinque sit par obligatio, sicut in matrimonio contingit. Demum, promittens matrimonium, illud promittit sub conditione repromissionis; ergo eo ipso quod alter acceptat promissionem sub tali conditione, repromittere censetur.

Alij verò docent non sufficere acceptationem promissionis, vt censeatur repromissio, & acceptans obligetur ad exequendam promissionem, ita Dominicus Soto, Petrus Ledesma, Lopez, Sanchez, Hurtadus, Becanus, Brancatus ex nostris *disp.37. art.2.* Et hæc sicut est communior, ità etiam est probabilior opinio, & probatur, quia sola acceptatio promissionis factæ ab alio non est formaliter repromissio, neque cum ea necessariò coniungitur, ergò acceptans promissionem matrimonij ab alio exhibitam non eo ipso repromittit formaliter nec interpretatiuè; Consequentia patet, probatur assumptum, quia sola externa acceptatio non est sufficiens signum repromissionis, qui enim sit acceptat potest velle tantùm acceptare alterius promissionem, & non repromittere, & acceptans in eo casu potest velle tantùm, quod est in sui fauorem, nihil dans, vel dare decernens de suo, qui enim tacet, videtur consentire quantum est in sui fauorem, non autem in sui præiudicium, vt docet Glossa in regula *Qui tacet* de Regulis Iuris in 6. ergo ex illo dubio signo præsumere non debemus quod repromiserit, sed solùm quod acceptauerit quod est in sui fauorem, vt alter sibi obligatus maneat, non autem in sui præiudicium, vt alteri obligetur. 253

Confirmatur, quia in dubio melior est conditio possidentis, vt omnia iura docent; sed in foro externo dubium est, an acceptans promissionem alterius habeat internam voluntatem vicissim promittendi, an solùm acceptandi alterius promissionem, & libertatem possidet alterutrum faciendi; ergo in tali dubio melior est conditio acceptantis, & per solam externam acceptationem non potest obligari ad exequendam promissionem, nisi eam exprimat, quia taciturnitas non est sufficiens signum ad obligandam personam, vt benè dicit Glossa *L. filius familias ff. de Procuratoribus.*

Ad rationem in oppositum respondetur cum Beccano *cap.43. quæst.3.* & alijs non currere omnimodam paritatem de matrimonio, & sponsalibus, nam matrimonium nulla ratione claudicare potest, nec alia ratione acceptari quam vt matrimonium; sponsalia verò, quamuis etiam claudicare non possint, quatenus sponsalia sunt, possunt tamen quatenus promissionem continent, quia potest esse promissio vnius sine alterius repromissione, possunt ergo acce- 254

acceptari modum simplicis promissionis, quæ solum promittentem obliget.

Ad Confirmationem dicendum est acceptantem censeri acceptare quantum est in sui fauorem, non autem quod est in eius præiudicium. Ad vltimum dicendum cum Hurtad. *disp.* 1. *diffic.* 4. quod quamuis promittens matrimonium regulariter promittat sub conditione repromissionis, id tamen non est necessarium, quia promissio absolutè fieri potest sine illa conditione; & quamuis necessariò fieret sub ea conditione, ac proindè promissionem illam acceptaret sub conditione repromissionis; non tamen eo ipso repromitteret, quia potest non apponere conditionem illam sub qua promittens promisit, & non efficere promissionem promittentis absolutam, sed eam relinquere conditionatam. Dices, acceptans promissionem futuri matrimonij aliquid decernit circa illud, nec assignari potest, quid sit illud, nisi consensus in matrimonium futurum; ergo reuera repromittit, consentire enim in futurum est reuera promittere. Negatur assumptum, nam acceptas alterius promissionem re verà non promittit, nec aliquid decernit de matrimonio futuro, sed pro tunc consensum suspendit, nec aliquid dare decernit, sed gaudet tantùm de exhibitione promissionis factæ, & si præter hoc habet etiam voluntatem de matrimonio contrahendo cum promittente, nisi per aliquod verbum, vel signum hanc voluntatem insinuet, & manifestet, re verà non promittit, nec promittere censetur, vt ad sponsalia contrahenda requiritur.

255 Quæres si sola acceptatio non sufficit, vt acceptans censeatur repromittere, & obligari, an saltem sufficiat ad obligandum, qui promisit; Negant aliqui asserentes si alter non repromittit, neutrum obligari; Ratio est, quia promissio futuri matrimonij non est gratuita, sed onerosa nempè faciam, si facies; ergò promissor non obligat se, nisi cum hac tacita conditione, si alter vicissim se obliget. Confirmatur, quia quando actus qui promittitur, ita pendet ex duorum voluntate, vt sine mutuo ipsorum consensu perfici non possit, tunc promittens nihil censetur disponere, nisi vtriusque consensus accedat, vt notat Glossa L. *in vendendis C. de contrahenda emptione*, & ratio est, quia verba contractus iuxtà ipsius naturam intelligi debent; atqui matrimonium ex duorum consensu perficitur; ergo illud promittens nihil disponere censetur nisi vtriusque consensus accedat, atque ita concludunt vnius tantùm partis promissionem vim obligandi non habere, nisi vtraque pars promittendo se obliget. Ità Veracruz, Vasquez, Ponce, & alij apud Hurtad. *diffic.* 5. & Auersam q. 8. *sect.* 1. Affirmant alij, promissionem veram, & deliberatam matrimonij vnius alteri intimatam, & ab eo acceptatam esto sine repromissione, obligare promittentem ad exequendum, seù ad matrimonium contrahendum, non quidem vi sponsalium, cùm ea nulla sint, quia repromissio defuit, sed vi simplicis promissionis acceptatæ. Ratio est, quia licet sponsalia claudicare non possint, sed necesse sit, vel vtrumque obligari, vel neutrum vi sponsalium; tamen simplex promissio potest esse ex parte vnius, altero repromittente, sed tantùm acceptante, sicut contingit in promissione liberali, seù gratuita; & ità dicetur promissio, & obligatio claudicare adstringens vna tantum partem, & non alteram, quia fieri potest, vt hæc altera pars acceptet promissionem, & obligationem illius, volens illum sic manere obligatum, & interim recusans se tunc vicissim obligare, sed remanere volens in sua libertate; ità Sotus, Nauarrus, vterque Ledesma, Bonacina, Sanchez, Auersa, Caspensis, Brancatus ex nostris, & alij passim.

256 Pro resolutione huius Difficultatis in primis certum esse debet promissionem matrimonij ad sui valorem requirere acceptationem contrà quosdam, qui necessariam non esse putant acceptationem alterius partis ad hanc simplicem obligationem inducendam, & hoc adeò verum est, vt passim concedatur ab Auctoribus primæ, & secundæ sententiæ, & euidenti ratione probant Ponce *lib.* 12. *cap.* 4. & Hurtadus *disp.* 1. *diffic.* 3. quia antè acceptationem promissio illa non obligat nec ex iustitia, nec ex fidelitate, ex quibus solis obligatio promissionis oriri potest; non ex iustitia, quia nihil potest ad aliquem v. gr. ad me ex iustitia pertinere, tanquam meum, vel quasi meum absque meo consensu, alias posset etiam ad me pertinere me resistente, & recusante; Neque ex fidelitate, quia ei cui fides oblata est, & eam ab offerente non acceptauit, non est necessario seruanda, nam ei, qui nihil curat de promissione, non debetur fidelitas in promissis, sicut neque debetur ei, qui promissum remittit, quia qui illam non acceptauit, ità se habet, ac ille, qui postquam eam accepit, illam remisit.

Dices, promittens, & promissa non complens, quamuis alter non acceptet, non conformat facta promissis; ergò facit contrà fidelitatem, & veritatem in factis, sicut qui mentitur facit contrà fidelitatem, & veritatem in dictis.

Respondetur cum Hurtado *loc. cit.* negando consequentiam, & paritatem, est enim discrimen inter veritatem in dicendo, & in operando, quia veritas in dicendo absolutè obligat, & sine respectu ad eum, quem alloquimur; secus verò veritas in operando, ideoque non implere oblationem non acceptatam non est contrà fidelitatem, seù veritatem in operando ob discrimen assignatum inter vtramque veritatem; Vndè hanc assertionem non benè probat Brancatus noster *disp.* 37. *cit. art.* 2. *num.* 35. vbi hac paritate vtitur sic arguens; sicut se habet loquens in ordine ad conceptum mentis, ità promittens in ordine ad præstandum de futuro; sed loquens tenetur verùm dicere; ergò & promittens præstare, & non adimpiendo mendax esset, & falsus. Hæc, inquam, ratio ex tali paritate desumpta non valet, quia probat promissionem vnius partis habere vim obligandi etiam sine acceptatione alterius partis, quod nec etiam ipse Brancatus admittit, & oppositum per illam rationem probare contendit.

An verò promissio partis vnius habeat vim obligandi, 257 supposita sola alterius partis acceptatione, non autem repromissione; distinguendum est de promissione; vel enim hæc est merè liberalis, & gratuita, & consequenter absoluta, quia facta independenter ab alterius repromissione, & obligatione; vel est respectiua, & per modum contractus onerosi facta, vt pretij in emptione, & ducendi vxorem in sponsalibus; Si promissio vnius partis sit huius secundi generis, in tali casu vt vim habeat obligandi, necessaria est, nedum alterius partis acceptatio, sed etiam repromissio, quia in contractu vltrò, citròque obligatio vtriusque partis necessaria est, alias contractus esse non potest; & promissio sic facta continet hanc tacitam conditionem, si repromiseris promitto, contractus autem conditionatus non habet vim obligandi, nisi verificata conditione. Si verò promissio non fuerit facta reciprocè, & per modum contractus onerosi, seb potius per modum promissionis gratuitæ, si aliter acceptet, stante tali acceptatione sola absque repromissione, promittens obligabitur, & in hoc sensu benè procedit secunda sententia, nam hoc pacto dari potest simplex vnius tantùm partis promissio, quæ ad sponsalia non sufficiat, quia repromissio deest, & adhuc vim habeat obligandi promittentem. Idque manifestum est in humanis alijs contractus contingere posse, vt scilicet aliquis se obliget ad ineundum cum altero certum contractum, hoc libero manente ad contrahendum si velit, itaut quamuis absque mutuo amborum consensu, & obligatione, contractus ipse perfici non possit; adhuc tamen benè possit vnus antecedenter obligari, & alter manere liber ad contrahendum, vt potest verbigratia vnus promittere, seque obligare alteri agrum suum vendere, si hic emere velit, quamuis hic non se obliget emere, & sic in alijs contractibus; & ratio à priori est, quia contractus est essentialiter mutuus, & ideò absque mutuo consensu, & obligatione amborum perfici non potest, non verò promissio illius; sic ergo etiam de coniugali contractu dicendum est in proposito, quod quamuis ipse perfici non possit nisi mutuo contrahentium consensu, & obligatione; benè tamen potest antecedenter fieri, vt vna pars sua promissione se obliget, altera adhuc libera manente ad contrahendum.

Ad fundamentum prioris sententiæ, assumptum est verum regulariter loquendo, & iuxtà naturam contractus, 258 regulariter enim non solet quisquam promittere, seque obligare alteri parti ad matrimonium contrahendum, nisi respectiuè, & sub conditione mutuæ repromissionis, ac obligationis; ideoque altera parte nolente pariter promittere, & se obligare, nec etiam subsistit promissio, & obligatio illius partis; atque ideò sic etiam in dubio de illius intentione præsumendum est; ait absolutè loquendo benè potest, vt vnus ex parte sua contentus sit promittere, & se obligare, etiamsi altera pars nolit adhuc promittere, & se obli-

obligare; Nec Aduersarij id negare possunt, nam ipsi quoque concedunt illum, qui parentibus promisit puellæ infantis illam ducere, cùm adoleuerit, teneri expectare tempus idoneum, & seruare promissum; & qui promisit feminæ illam ducere, & illi tantùm temporis spatium concessit ad deliberandum, manere obligatum tale tempus expectandi, nec suam promissionem posse interim reuocare; sic ergò benè stare potest promissio, & obligatio vnius partis ad matrimonium contrahendum, absque repromissione, & obligatione alterius, & absque perfecto sponsalium contractu, sponsalia namque non perficiuntur, nisi per mutuam vtriusque partis promissionem, & obligationem.

259 Ad Confirmationem negatur paritas assumpta de contractu ipso matrimonij, & eius promissione, ob discrimen nuper inter illa assignatum, quia contractus est essentialiter mutuus, non sic promissio illius. Dices, promissio futuri matrimonij non est promissio de donando, sed de commutando, hoc est, non est promissio rei donandæ gratis, sed commutandi cum altero, sicut contractus matrimonij non est gratuitus, & quasi donationis, sed est mutuus, & quasi commutationis; ergo promissio contrahendi matrimonium ab vno solo facta absque repromissione alterius nequit esse valida ad obligandum, sicut neque etiam traditio corporis potest fieri validè ab vno solo, quando etiam non fit ab altero.

Respondeo negando rursus consequentiam, quia non benè infertur, nec est eadem ratio de Matrimonio, ac promissione illius; quamuis enim contractus matrimonij fieri non possit, quia corpus viri cum corpore mulieris commutetur, adhuc tamen benè fieri potest promissio, si nimirum vir mulieri promittat v.g. intra tale temporis spatium corpus suum traditurum, si ipsa vicissim suum quoque voluerit illi tradere, hac enim promissione facta, & acceptata, manebit vir obligatus, mulier verò libera, & adhuc retinens liberam tradendi, vel non tradendi potestatem per contractum matrimonij; & quidem vir tenetur, & obligatur sub mortali, quamuis simplex fuerit promissio, & non sponsalitia, quia est in materia graui; Refert autem multum, an aliquis sit obligatus vt sponsalium, an tantùm vt simplicis promissionis, siquidem notabiliter versatur discrimen inter obligationem ex simplici promissione orientem, atque ex perfectis sponsalibus, quia minor causa sufficere potest ad rescindendam obligationem simplicis promissionis, & præcipuè quia ex perfectis sponsalibus oritur impedimentum, quod dicitur publicæ honestatis, non autem ex simplici promissione.

260 Tertiò tandem conueniunt Doctores, promissionem declaratam de matrimonio contrahendo ad valorem sponsalium necessariam signo aliquo sensibili exprimi debere, quia hæc promissio debet contrahentibus innotescere, aliàs non posset esse mutua; quarè ad definitionem Sponsalium traditam à Canonistis, quod *sunt futurarum nuptiarum mutua promissio* ab initio quæstionis relatam addunt Theologi Morales hanc aliam particulam *signo aliquo sensibili expressa*, vt constat apud Valentiam *disput. 10. quæst. 2. punc. 1. & Tolletum lib. 7. cap. 2.* Vndè posteà communiter deducunt tres esse præcipuas conditiones ad validitatem sponsalium requisitas. Prima est, vt adsit promissio voluntaria. Secunda, quod sit mutua, & acceptata. Tertia, vt signo aliquo externo sit sufficienter expressa, & manifestata. Ratio autem huius tertiæ conditionis est, quia talis promissio fit homini, homo autem non potest acceptare promissionem, & eius obligationem acquirere, nisi aliquo signo externo sibi manifestetur; Ex quo infertur ad validitatem sponsalium promissionem merè internam non sufficere, nam contractus sponsalium est contractus obligatorius inter duos, & requirens acceptationem, ac reciprocam promissionem, ac proindè debet esse externus, & vtrique contrahenti manifestus. Ex quo patet discrimen, quod versatur inter promissionem, quæ fit Deo per votum, & inter promissionem, quæ fit homini; promissio enim, quæ fit Deo sufficit vt sit interna, cùm Deus intuentur Cor. 1. Reg. 16. non verò sufficit, si fiat homini, quia actu humano interno, & homini imperceptibili, qualis est actus merè internus, non acquiritur obligatio cum alio homine.

261 Qui autem, & qualis expressio per verba, aut signa requiratur ad constituenda sponsalia, passim Theologi docent, & Scotus in 4. Sentent. dicentes non sufficere, vt promissio, & con- *Mol. in Quart. Sent.* sensus manifestetur alteri quouis modo, sed debere sufficienter manifestari per signum aliquod externum, siuè hoc signum sit verbum, siuè aliquid illi æquiualens; debet ergo talis externa expressio esse sufficiens ad denotandam veram promissionem inter certas personas, quæ expressio optimè quidem fieri potest per verba, licet fieri quoque possit per alia signa, si igitur verbis fiat, verba debent denotare positiuam intentionem contrahendi cum certa persona, & debet expressio talibus verbis fieri, quæ satis indicent promissionem & obligationem; vndè non sufficeret, si quis diceret, ego propono, siuè propositum habeo ducendi talem, hęc enim verba in communi vsu loquendi voluntatem tantum aliquid faciendi significant, non tamen promissionem, & obligationem, quæ maximè his verbis exprimi solet, promitto, me obligo, vel tibi do fidem meam, vel sub fide mea te ducam, vel accipiam te, ducam te in coniugem, & si quæ sint similia verba.

Deindè præter verba possunt esse sufficientia alia quædam signa ad constituenda sponsalia, dùm satis exprimant intentionem promittentium, si enim hæc ad matrimonium sufficiunt, vt in superioribus dictum est, tantò magis ad sponsalia erunt sufficientia, huiusmodi autem signa erunt illis similia, quæ ibi pro matrimonio sunt assignata, vtpotè nutus significantes voluntatem, & acceptationem, manuum porrectio, & tactus in signum promissionis, & fidei inuicem exhibitæ, immissio annuli in digitum ad idem significandum, vel missio torquis ad collum, vbi consuetudine receptum est, vt sponsalia hoc modo celebrentur, eo quod illud factum sufficienter exprimat consensum, & promissionem, sicut etiam sufficere potest ad ipsum matrimonium contrahendum, vbi talis est consuetudo, vt notat Bonacina *q. 1. punc. 1.* & alij passim, de quo videri potest Auersa *quæst. 8. sec. 3.* & Brancatus noster *disp. 37. art. 2. §. 6.* Solet etiam hic disputari, an & qualiter promissio in sponsalibus debeat esse absoluta, vel possit esse conditionata, & limitata; sed de sponsalibus conditionatis, seu factis sub conditione, quæ & quando, & quomodo obligent discurrendum est seruata proportione, sicut iam dictum est suprà q. 5. de matrimonio conditionato.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quomodo sponsalia celebrari possint, ac debeant, & in qua ætate.

262 PRima Difficultas est, Vtrum sponsalia clandestina sint valida, & licita, seù an sponsalia debeant publicè, vel possint validè, & licitè etiam clàm iniri. Non defuerunt ex Canonistis qui dixerint, quod sicut ad matrimonij valorem requiritur illa solemnitas, vt publicè coram Parocho, & testibus contrahatur, ex decreto Concilij Tridentini, vt suprà dictum est, ità etiam requiritur ad validitatem sponsalium. Fundamentum est, quia eadem iuris dispositio, quæ facta est de matrimonio, censetur etiam extendi ad sponsalia, quæ sunt via ad matrimonium, vt indicatur L. *Oratio ff. de sponsalibus*, & ratio est, quia prohibito aliquo censetur prohibitum omne id, per quod ad illud peruenitur ex capit. Finali de Clandestina desponsatione; sed per sponsalia peruenitur ad matrimonium; ergo prohibito matrimonio clandestino censentur etiam prohibita sponsalia clandestina.

Tùm quia eadem ratio, ob quam Ecclesia prohibuit olim, & postea in Tridentino irritauit matrimonium clandestinum, procedit etiam in sponsalibus, ne scilicet quisquam postquam vni promisit clàm, & priuatim, impunè deinceps promittat, aut contrahat cum altera, dùm prior promissio in facie Ecclesiæ probari non potest, & ob alia huiusmodi inconuenientia.

Tùm etiam quia inhabilis ad matrimonium, est etiam inhabilis ad sponsalia, sed post Tridentinum homines sunt inhabiles ad clandestinè contrahendum matrimonium; ergo etiam ad contrahenda clandestinè sponsalia.

Tùm tandem quia sicut se habet matrimonium absolutum ad sponsalia absoluta, ità clandestinum ad clandestina; sed prohibito absolutè matrimonio eo ipso sunt irrita absolutè sponsalia, ergo prohibito matrimonio clandestino eo ipso etiam irritantur sponsalia clandestina. His igitur rationibus dixerunt nonnulli sponsalia clandestina vel valida non esse, vel saltem non licita; ità Paludanus, Caieta-

Caietanus, Siluester, Angelus, Armilla, Tabiena, Rosella, & alij Summistæ.

263 Communis tamen sententia oppositum docet, nempè non esse de necessitate nec de obligatione spõsalium, vt publicè, sinè coram Parocho; & testibus ineantur, sed benè possent etiam clàm, & priuatè inter ipsos promittentes iniri, non solùm validè, sed etiam licitè, ità Sanchez, & cum eo Tancred. Lopez, Petrus Ledesma, Veracruz, Hurtados, Beccanus, Rebellus, Auersa, Coninchius, Brancatus ex nostris, & alij passim. Fundamentum est, quia sponsalia clandestina neque irrita sunt, neque prohibita iure naturali, vt patet, neque aliquo iure positiuo de ipsi specialiter lato, quia si aliquo, maximè prædicto Tridentini, eo autem non irritatur, nec prohibetur nisi matrimonium clandestinum; ergo cùm solum irritet, & prohibeat matrimonium clandestinum non debet extendi ad sponsalia, lex enim Tridentini irritans, & prohibens tale matrimonium est correctoria iuris communis, ac proindè vltrà casum ab ea expressum extendi non debet *L. præcipimus C. de Appellationibus*, & ex eo, quod matrimonium clandestinum sit prohibitum, tantùm deduci potest etiam sponsalia ad tale matrimoniũ ordinata, quãuis sint publica esse prohibita, vt posteà patebit soluẽdo rationem in oppositũ.

Confirmatur, quia ità de facto declarauit sacra Cardinalium Congregatio, vt refert Hurtadus *disput. 1. diffic. 16.* vbi etiam Rebellum citat hæc verba S. Congregationis referentem, *Decretum Tridentini, quo statuit, vt matrimonium fiat coram Parocho, & alijs testibus, non habere locum in Spõsalibus*, & ità etiam vsus Ecclesiæ suadet, non enim consuetum est inter Fideles, vt sponsalia coram Parocho celebrentur, & interdum inter solos contrahere volentes nullis alijs præsentibus, vel conscijs perficiuntur; Quod si quandoque alij interueniunt, & præsertim cum participatione parentum, & aliorum propinquorum sæpè fieri soleant, id non censetur esse de necessitate, & valore sponsalium, aut de præcepto Ecclesiæ, sed ità fit ex ciuili quadam decentia, & vt firmius in foro exteriori constare, & probari possint; hæc tamen solemnitas, & publicitas ab ipsa Ecclesia instituta non est sicut in matrimonio, ideoque neque est de necessitate, neque de præcepto.

Tandem probatur ratione, quia quando non militat eadem ratio prohibitionis, tunc prohibito matrimonio non intelliguntur, neque censentur sponsalia prohiberi; at in nostro casu non militat eadem prohibitionis ratio pro matrimonio, & sponsalibus, ergo, minor probatur, non enim eadem ratio, qui Ecclesiam induxit ad irritandum, & prohibendum matrimonium clandestinum, vrgebat etiam vt id statuere deberet de sponsalibus clandestinis; nam matrimonium clandestinum à Tridentino prohibitum est ad adulteria vitanda, solebant enim aliqui spretò priori matrimonio clàm inito, publicè aliam ducere, & cum ea in perpetuo adulterio viuere, cùm enim de priori matrimonio Ecclesiæ non constaret, ad secundum cogebat, quod erat adulterium coram Deo, vndè in matrimonio maximum aderat periculum, quia post vnum matrimonium contractum omne aliud subsequens erat inualidum, & ita maximum erat inconueniens, vt aliud denuò contraheretur; Hoc autem periculum non habet locum in sponsalibus, nam matrimonium contractum prioribus sponsalibus cum alia contemptis, validum est, quamuis illicitè contrahatur cum iniuria prioris sponsæ, & promissionis; non ergo vrgebat eadem ratio, & necessitas de matrimonijs, & sponsalibus clandestinis; & hoc periculum ne aliud validum matrimonium spretis prioribus sponsalibus, illicitè contraheretur, non tanti erat, vt Ecclesia etiam sponsalia clandestina irritare, aut prohibree deberet.

264 Ad fundamentum oppositæ sententiæ dicendum est cum Hurtado, & Auersa *loc. cit.* legem matrimonium prohibentem etiam vitiare promissionem efficiendi matrimonium, eo modo quo matrimonium prohibetur effici, quia eo ipso promissio est rei illicitæ, & prohibitæ; ac proindè promissio contrahendi clandestinè Matrimonium est nulla, particula *clandestinè* cadente super contrahere matrimonium, non supra permissionem, quia contrahere clandestinè matrimonium est prohibitum, & id tantùm continetur in dicta *L. Oratio*; at verò quando lex prohibet ne Matrimonium tali modò contrahatur, nempe clàm, & secretò, non per hoc idem prohibet, aut præcipit de sponsalibus, quæ sunt sola promissio matrimonii. quia optimè stat, vt aliqui clàm inter se promittant, promittant tamen contrahere in forma Ecclesiæ consueta, & debita; & ideò promissio clandestina contrahendi solemniter, & publicè matrimonium non est nulla, sed solùm promissio contrahendi clandestinè, & sic intelligendum est dictum illud in capit. Finali, quod *prohibito aliquo censetur prohiberi, id per quod ad illud peruenitur*, in hoc nimirum in sensu, quod prohibito matrimonio clandestino censetur etiam prohiberi sponsalia clandestina, per quæ ad matrimonium clandestinum peruenitur, non tamen sponsalia clandestina, per quæ peruenitur ad matrimonium publicum, & coram Parocho, & testibus celebratum.

Ad secundum negatur assumptum, quod eadem ratio prohibitionis procedat de matrimonio clandestino, & sponsalibus, nam matrimonium contractum, prioribus sponsalibus contemptis, est validum, non autem posterius matrimonium priori contempto, vt constat ex vltima nostræ assertionis probatione.

Ad tertium dicendum est eum, qui inhabilis est ad matrimonium, etiam ad sponsalitia inhabilem esse, seù ad promissionem contrahendi matrimonium eo modo, quo inualidè contrahitur, & à Tridentino prohibitum est contrahi, vt explicatum est in solutione ad primum.

Ad vltimum neganda est paritas in maiori assumpta, siquidem supposito quod matrimonium sit absolutè prohibitum, tunc sponsalia super materiam licitam cadere non possunt, & ideò tali data hypotesi absolutè censentur esse prohibita; Quando autem prohibetur solùm matrimonium clandestinum, vt de facto contingit, tunc sponsalia etiam clandestina super materiam licitam cadere possunt, nempè super matrimonium publicè contractum, & in facie Ecclesiæ, vndè si qui inter se promittent contrahere clàm, & secretò, tunc planè promissio nulla esset, & illicita, non tamen si secretò promittant contrahere matrimonium coram Parocho, & testibus, vt præcipit Ecclesia.

Secunda Difficultas est, quæ habilitas, & quæ ætas ad sponsalia ineunda requiratur; & quidem quo ad habilitatem conueniunt Doctores omnes illas solas personas ad sponsalia habiles esse, inter quas matrimonium consistere potest, adeout ad sponsalia eadem requiritur habilitas, quæ ad matrimonium, sponsalia namque sunt futuri matrimonij promissio, ideoque inhabiles ad matrimonium inhabiles quoque ad sponsalia censentur; duplicis autem generis sunt inhabiles ad matrimonium, alij sunt inhabiles tantum ad licitè contrahendum ob impedimenta solùm impedientia, non dirimentia matrimonium; alij verò sunt inhabiles non solùm ad licitè, sed etiam ad validè contrahendum propter impedimenta non solum impedientia, sed etiam dirimentia matrimonium, de quibus impedimentis infrà dicemus. Conueniunt similiter, quod quantùm est ex parte ætatis iure naturali nulla ætas excludatur, dummodò adsit sufficiens rationis vsus, iure tamen positiuo in vtroque sponso septennium completum requiritur, quia vsus rationis, & libertas septennio incipere solet regulariter loquendo secundum communem naturæ cursum; ità habetur in *cap. Litteras 4. & in cap. Accessit 5. & in cap. ad dissoluendum 13. & in cap. vnico de Sponsal. impub.* Quod si septennio vsus rationis nondum illuxit, sponsalia nulla censentur, quia debent cum plena deliberatione, & vsu rationis fieri, vt supra dictum est. Solùm ergò Difficultas est, an ad valorem sponsalium requiratur septennium mathematicè completum, & an si malitia suppleat ætatem, hoc est quando antè septennium vsus rationis est perfectus, sponsalia sint valida antè illud contracta, & si valida, an etiam licita.

269 Negant plerique ad valorem sponsalium necessarios esse septem annos mathematicè completos, asserentes posse etiam anteà tam licitè, quàm validè iniri sponsalia, & satis esse si puer sit proximus septennio, eique desint paucia dies ad illud complendum, pro qua opinione citari solent D. Thomas, Sotus, D. Antoninus, Barthol. Ledesma, Victoria, Viualdus, Gutierez, Rebellus, Diana, & alij, quorum fundamentum est, quia in Moralibus parum pro nihilo reputatur, & quod parum distat nihil distare videtur, vndè qui proximè completurus est septennium moraliter habetur, ac si complesset; Imò volunt insuper dicti Auctores valere etiam sponsalia quando malitia ætatem suppleat, idest prudentia, & [illegible]

rationis septennium præuenit, in præsenti enim materia malitia nihil aliud significat, quàm discretionem, & vsum rationis perfectum; & fundamentum est, quia cùm etiam in iure præscripta sit certa ætas ad matrimonij valorem, tamen declaratur sufficere minor ætas, si malitia ætatem suppleat cap. De illis 2. de Desponsat. Impub. At quod dicitur de matrimonio debet pariter ad sponsalia extendi ex L. Oratio ff. de sponsalibus; ergo pariter sponsalia antè septennium validè contrahi poterunt malitia supplente ætatem; & hoc secundum docent, non solùm allegati Auctores, sed etiam alij plures ex illis, qui alioqui absolutè negant sufficere ad valorem matrimonij ætatem septennio complendo proximam etiamsi deesset vnus solus dies, quod minus consequenter dictum videtur, ità Sanchez, Tancred. Ponce, Becanus, Coninchius, Caspensis, & alij.

Confirmant hoc idem in specie de sponsalibus ex textu in cap. Iuuenis de sponsalibus, vbi quidam qui duxerat puellam nondùm septennem, quamuis ætas repugnaret, dicitur incurrisse impedimentum publicæ honestatis, ne posteà ducere posset consobrinam illius, quod non esset si sponsalia valida non fuissent, & Pontifex non iudicasset malitiam ætatem suppleuisse. Denique plures etiam ex præfatis Auctoribus notant, & asserunt contrahentes sponsalia antè septennium nec quidem venialiter peccare, quod probant, quia si malitia supplet ætatem, valent sponsalia; si non supplet, nihil agunt & more Psittacorum verba proferunt, neque alicui sacramento iniuria irrogatur, cùm sponsalia non sint sacramentum; ergo non est, vndè hoc peccatum assignari possit.

267 Communior tamen, & probabilior opinio docet, verè requiri septennium completum ad validè ineunda sponsalia; ità Sanchez, Ponce, Coninchius, Tancred. Caspensis, Hurtadus, Auersa, Brancatus ex nostris, & alij passim: Ratio est, quia professio antè annum 16. completum est ipso iure irrita ex Tridentin. sess. 25. cap. 15. & testamentum conditum antè annum 14. completum est inualidum L. Qua ætate ff. Qui testamentum concedere possint: ergò similiter sponsalia antè septennium completum celebrata erunt inualida, cùm eadem sit vtrobique iuris dispositio; habentur enim textus expressi in iure Canonico, in quibus hæc ætas præscribitur;

Neque admittenda est illa exceptio, & limitatio, valere sponsalia, si desint tantùm parui dies ad complendum septimum annum; dùm enim ex ipso iure expresso requiritur certus annus completus iam deficit præscripta ætas, si vel vnus dies desit, vndè communiter Doctores requirunt etiam vltimum diem anni septimi saltem inchoatum, vt septennium dicatur completum, & sufficiens ad validè ineunda sponsalia; Imò Hurtadus disput. 1. diffic. 14. contendit non sufficere, vltimum diem septennij esse incæptum, sed debere esse completum, quia quousque completus sit, non est septennium mathematicè completum, nec in indiuisibili consistens, idem sentit Brancatus noster disp. 27. cit. art. 5. n. 191. sicut de tempore ordinationis in sacris certum est inquit, quod nisi completus sit 21. & incipiat 22. ætas non sufficit ex Concil. Trid. sess. 23. cap. 12. & idem inquit esse de professione Regularium, quia statuitur, vt professio non fiat antè 16. annum expletum, & nisi dies vltimus anni 16. sit expletus, irrita esset professio, quia re vera non esset expletus annus 16. Verùm Ponce lib. 12. cap. 5. Auersa quæst. 8. sec. 5. Caspensis disp. 1. sec. 6. Beccanus cap. 43. quæst. 8. & alij Doctores magis communiter dicunt sufficere, si vltimus dies anni septimi sit inchoatus, licet nondùm totus effluxerit, quia in rebus fauorabilibus id sufficit, qualia sunt testamentum, & contractus matrimonij, & sponsalium, & ità in fauorem testamenti statutum est L. qua ætate ff. de Testamentis, & idem sentiendum est de tempore ordinationis in sacris, & Religiosæ professionis: nimis enim rigorosum videtur mathematicum illud complementum, eo enim ipso quod vltimus dies est inchoatus licet nondùm totus effluxerit, verè & propriè iuxta iuris statutum septennium completum dici potest; non autem si desint dies pauci, dùm enim ex iure ipso requiritur certus annus completus, si vel vnus dies deficit, iam deficit ætas à iure præscripta, vt dictum est; Vndè regula illa, quod parum distat nihil distare videtur, non habet locum, vbi terminus est à iure præscriptus, neque pro nihilo reputatur illud parum, quod iure ipso exigitur, nec mortuus in iure habetur, ac si complesset annum, si desint pauci dies, & vnus solum ad complendum septimum annum, sed oportet, vt saltem sit inchoatus vltimus dies talis anni, etiamsi nondum totus effluxerit; & iuxtà hunc dicendi modum regula illa potest habere locum, quod parum pro nihilo reputatur, & quod parum distare videtur, si enim vltimus dies anni septimi sit inchoatus, etiamsi nondùm totus effluxerit, adhuc in rei veritate, & absque iuris præiudicio septennium completum, dici potest, quia nullus anni dies deficit etiam vltimus cùm iam supponatur inchoatus: hoc idem docet Stephanus à S. Gregorio lib. 3. de sponsalibus cap. 87. n. 17. plures alios citant.

268 Nec rursus admittenda est alia exceptio, & limitatio, valere sponsalia antè septennium, si malitia supplet ætatem, ità probabilius tenent Abbas, Angelus, Rosella, Vasquez, Hurtadus, Auersa, Brancatus noster, & alij. Ratio est, quia ius talem exceptionem non apponit in sponsalibus: & planè si apponeretur, frustratoria omninò fuisset lex de ætate septem annorum, siquidem sufficeret quæcunque ætas, in qua vsus rationis adesset, & ad nihil prorsus dicta iuris dispositio deseruiret, quia si malitia supplex ætatem, sponsalia eodem modo fiunt, aut non fiunt validè, siuè adsit septennium à iure præscriptum, siuè non; Neque ex eo, quod hæc exceptio in ætate ad matrimonium requisita apposita fuerit, debet pariter extendi ad ætatem in sponsalibus requisitam: non enim generaliter, quod decretum: & statutum est in matrimonio etiam de sponsalibus intelligi debet, vt de publicitate dictum est Difficul. præced. nec specialiter in præsenti casu eadem ratio exceptionis militat in sponsalibus, quæ in matrimonio, nam ætas sufficiens ad matrimonium definitur pro habilitate ad generandum, quæ si citius adueniat, minor etiam sufficiet ætas, sicut de facto sufficit in fœmina ætas duodecim annorum, cùm in viro requiratur quatuordecim, & ità habetur eo cap. De illis 2. de Despons. Impub. vbi dicitur, quod si ità fuerint ætati proximi, quod carnali copula coniugi potuerint, minoris ætatis intuitu separari non debent & hæc est ratio, quæ communiter assignari solet, cur ius canonicum eandem ætatem in viris, & fœminis ad sponsalia præscripserit, cùm tamen diuersam ad matrimonium exigat, nam ad sponsalia sufficit vsus rationis, qui regulariter eodem tempore viris, & fœminis obuenit septennio expleto, ad matrimonium autem requiritur potentia generandi, quæ tardius in viris reperitur, vt ita D. Thom. q. 43. art. 2. & 3. In cap. verò Iuuenis dicitur non debuisse permitti, vt ille iuuenis consobrinam prioris puellæ duceret propter dubium, ne completo septennio renouatus fuisset, & confirmatus fuisse sensus, & hac de causa ait ibi Glosa priora sponsalia fuisse validata, non autem quia sponsalia antè septennium inita absolutè valida forent ob supplementum ætatis per malitiam.

269 Verùm Auctores docentes, malitia ætatem supplente; adhuc validè contrahi sponsalia antè septennium, vt Sanchez, Ponce, Becanus, Caspensis, & alij respondent, non ob id sequi frustrà esse dispositionem iuris septennium completum præscribentis ad sponsalium validitatem; ideò enim præscriptum est septennium, vt præsumatur vsus rationis, nam in ea ætate, nisi contrarium manifestè appareat, præsumitur vsus rationis in puero, non autem antè eam ætatem, vndè sequitur antè septennium non esse sponsalia, nisi probetur contrahentes esse dolo capaces; hac igitur de caosa iura ad sponsalium validitatem septennium præscripsisse dicunt, vt in dubijs quando non constat, an sponsi vsum rationis habuerint, valida fuisse sponsalia, vel inualida censeamus, si antè, vel post septennium celebrata fuerint, quia in illa ætate vsus rationis aduenire præsumitur, & non antè, ità Becanus cap. 43. quæst. 8. & Caspensis disp. 1. sec. 6. Hæc tamen solutio non satisfacit, imò potius instantiam factam confirmat, quia ex vna parte in prædictis capitibus vbi iura septennium præscribunt ad sponsalium valorem, declaratur sponsalia non valere etiam post septennium completum, si non adsit discretio, & vsus rationis appareat; ex alia autem parte prædicti Auctores asserunt adhuc antè septennium valere sponsalia, quandò adsit vsus rationis, & malitia ætatem suppleat; ergò frustrà à iure communi præscriptum est septennium, & ad nihil deseruit prædicta dispositio, quia adhuc validè, vel inualidè sponsalia contrahi possent antè, & post septennium, si antè præuenit vsus rationis, & post non adhuc aduenerit, vndè multò melius decisum esset valere sponsalia contracta ab habentibus vsum rationis absolutè loquendo, & nullum præscribendo terminum; Et præsertim præfati Auctores, qui volebant septennium ad valorem sponsalium esse debere, vel mathe-

mathematicè completum, vel saltem physicè per vltimum diem saltem inchoatum, nullo modo admittere possunt sanis esse minorem ætatem, si malitia suppleat, & vsus rationis præueneri t; nam alij quoque Auctores iam citati, qui admittebant ad valorem sponsalium satis esse septennium proximè complendum per paucos dies, vtique intelligebant, dummodò tunc adesset plenus rationis vsus, atque adeò malitia suppleret ætatem vt notauit Auersa *quæst. 8. cit. sec. 7.* & hinc sententiæ fauet etiam Astesanus noster in sua summa *lib. 8. de matrim. tit. 4.*

270 Denique quantum spectat ad vltimam huius Difficultatis partem, an esset peccatum mortale, si quis sponsalia contraheret antè legitimam ætatem à iure præscriptam; negantem sententiam probabiliorem censeo cum eisdem Auctoribus, Sanchez, Tancred. Coninch. Ponce, Hurtado, Auersa, Becano, Caspensis, & alijs; Ratio est euidens, quia pueri antè legitimam ætatem sponsalia contrahere nequeunt, nisi contrahant antè vsum rationis, vt constat ex dictis; sed antè vsum rationis peccare non possunt saltem mortaliter; ergò contrahendo antè legitimam ætatem non peccat; Quod si pueri antè septennium plenum rationis vsum habere supponantur, & promittant inter se matrimonium, neque per hoc adhuc dici debent peccare, licet non possint adhuc sponsalia perficere, quia promittunt sibi quantum possunt humano modo, & valebit promissio quantum in ea infantili ætate valere potest per modum simplicis promissionis, vnde neque subeunt impedimentum publicæ honestatis in Ecclesia institutum, super quod cadit ius Ecclesiæ, vt sponsalia non valeant antè completum septennium, sicut Auersa notauit *loc. cit.* Nec obstat *cap. 2.* de Despons. Impub. vbi districtè inhibetur, ne aliqui quorum vterque, vel alter ad ætatem legibus, vel Canonibus præscriptam non peruenerit, coniungantur, nisi fortè aliqua vrgentissima causa interueniente; quæ districta inhibitio continet vim præcepti, vndè qui contrà eam facit, videtur peccare mortaliter, & in re graui. Non obstat inquam, quia textus ille iuris Canonici, vt explicat Panormitanus, de matrimonio intelligendus est, non de sponsalibus, loquitur enim de coniunctione, non de promissione, vt liquido constat ex particula *coniungatur*, sponsalia autem non sunt coniunctio, sed coniunctionis promissio; & cùm res sit pœnalis, & prohibitoria vltrà proprium sensum, & significatum extendi non debet; idem etiam sentit Stephanus à S. Gregorio *lib. 3. cap. 87. cit.* vbi tamen inquit, quod si malitia suppleat ætatem tàm in mare, quàm in fœmina, itaut verè sint rationis compotes, & sciat quid faciant, tunc in foro conscientiæ valida fore sponsalia, non autem in foro externo, & iudiciali; cùm adsit legis præsumptio. Verùm rationes adductæ contrà validitatem sponsalium antè septennium initorum, etiamsi malitia ætatem suppleat, conuincere videntur idem iudicium ferendum in foro conscientiæ, quod est ferendum in foro externo, in quo tamen puncto prudentum iudicio me remitto, nam oppositum quoque est satis probabile, scilicet, in eo casu sponsalia valida fore in foro conscientiæ.

ARTICVLVS TERTIVS.

Quam obligationem sponsalia inducant.

271 CONueniunt Doctores sponsalia valida obligare in foro conscientiæ sub mortali, itaut ex veris sponsalibus per se loquendo oriatur obligatio sub mortali ad promissionem implendam, contrahendum scilicet matrimonium, & maiorem adhuc esse hanc obligationem, si sponsalia fuerint iuramento firmata; Ità habetur in iure cap. *ex Litteris*, & capit. *Requisiuit* de sponsalibus cap. *Desponsata*, & cap. *de Coniugalis 27. quæst. 2.* quibus in locis obligatio grauis insinuatur inter sponsos ad matrimonium contrahendum, atque adeo sub culpa mortali; Accedit etiam ratio ex ipsa rei natura, & ex vi ipsius contractus promissorij deducta, quia ex contractu oritur obligatio iustitiæ sub mortali quandò materia est grauis, vt constat ex tractatu de Contractibus, hæc enim est natura, & vis contractus, qui est mutuus, & onerosus ex vtraque parte, & grauiter obliget ex iustitia ad sui obseruationem; sed sponsalia sunt contractus mutuus, vt onerosus inter sponsos in materia graui, itaut iniustè agat, & grauem iniuriam irroget alteri parti illa pas, quæ resilit, & recusat adimplere promissa; ergo &c. Diximus verò sponsalia obligare sub mortali per se loquendo, quia alioquin ex iusta causa, & iusto modo potest esse licitum resilire, nimirum si ex adimpletione promissionis, siuè ex illo matrimonio præuideatur secuturum aliquod graue malum, vel magnum scandalum, vt graues rixas inter parentes contrahentium, vel aliud graue incommodum, etenim iustitia non obligat ad faciendum malum, est autem malum celebrare matrimonium cum scandalo aliorum, ità Sanchez, Nauarrus, Vasquez, Ponce, Azorius, Reginaldus, Coninchius, Lessius, Gutierez, Tancred. Hurtad. Auersa, Bonacina, Brancatus, ex nostris, & alij passim.

Dices, saltem ex voluntate, & intentione eorundem promittentium fieri posse, vt sponsalia non obligent sub mortali, sed tantùm sub veniali si nempè ipsimet promittentes non intendant aliter promittere, nec plus se obligare. Respondeo, Sanchez *lib. 1. disp. 9.* & Tancred. ibidem gratis adminere fieri posse, vt sponsalia obligent tantùm sub veniali, quia promissio est veluti priuata lex, quam quis sibi imponit ex cap. 1. *de Donat.* igitur in sua potestate fuit grauiter, vel leuiter se obligare. Hoc tamen negant Vasquez, Ponce, Coninchius, Auersa, Brancatus noster, & alij passim, & meritò, quia materia ipsa sponsalium talis est naturæ, vt sub leui lege cadere nequeat, sed vel sponsalia non sunt, vel sub graui lege cadunt, quia sponsalia impedimentum publicæ honestatis inducunt, reddunt licita inter sponsos am, lexus, & oscula, qui sanè effectus absque graui obligatione inter sponsos ad matrimonium contrahendum non conferuntur; nisi enim homines grauiter ex vi sponsalium obligarentur, planè nullius existimationis sponsalia essent, & facilè ab eis recedi poterit, & multa oriri scandala, & incommoda, quia semper exponitur periculo alterius fama, & facilè periclitabitur, si alter fræno culpæ mortalis non cohibeatur à recedendo. Nec ratio in oppositum vrget, probat enim solùm, vt notat Auersa *q. 8. sec. 8.* posse quidem fieri, vt promittentes intendant se obligare tantùm sub veniali, in quo casu re vera non plus obligarentur, at non probat talem promissionem propriè sponsalia esse, esset enim solùm imperfecta promissio, ac etiam ius aliquod promissario conferens, ius tamen quoddam leue iuxtà promittentis intentionem, & hoc ius obligaret sub veniali, etenim etiam in materia iuris, & iustitiæ dari potest leuis obligatio, & leue peccatum, quando non adest graue præiudicium alterius. Certum igitur est in foro conscientiæ compellendos esse sponsos à Confessario, si datam fidem seruare recusent, quia cùm sponsalia obligent ex iustitia, nisi rationabilis causa à contrahendo excuset; tamdiù in peccato mortali perseuerant, quamdiù sine iusta causa promissum implere recusant, ac proindè à Confessario non sunt absoluendi, sed ad finem seruandam compellendi; licet autem Doctores passim in hoc conueniant, in pluribus tamen alijs discrepant circà obligationem ex sponsalibus consurgentem. 272

Primò itaque dubitatur, an Sponsalia obligent etiam in foro externo, itaut ad implendum promissum matrimonium possit Iudex Ecclesiasticus compellere sponsum iniustè à Sponsalibus resilientem; Aliqui dixerunt tunc solùm esse cogendum, quando sponsalia iuramento firmauit, quod deducunt ex *cap. Ex litteris Siluani* de sponsalibus, vbi Pontifex rescribit compellendum esse promissorem censuram Ecclesiasticam, si promissionem iuramento firmauerit, quia contrà iuramentum venire periculosum est; ità Dom. Sotus, Viguerius, Bartol. Ledesma, Tabiena, & fauet D. Thomas *4. dist. 27. q. 2. art. 1.* vbi ait non debere recusantem compelli, nisi fortè iuramentum interuenerit, quia tunc cogendus est, qui promisit. Alij verò asserunt, non esse cogendum, etiamsi iuramento sponsalia confirmauerit, sed tantùm esse monendum, etsi monitis non acquieuerit, relinquendum; Quod probant ex *cap. Requisiuit* de sponsalibus, vbi Pontifex expressè definit mulierum, quæ etiam cum iuramento promisit, monendam esse potius, quàm cogendam, quia matrimonia debent esse libera, & coactiones solent habere difficiles exitus. Tùm quia qui cogitur per metum excommunicationis contrahere matrimonium inualidè contrahit cùm talis metus cadat in constantem virum; ità Angelus, Armilla, & pauci quidam alij. 273

Communis tamen opinio docet, per se loquendo iniustè à sponsalibus resilientem, petente parte, debere primò admoneri, & si nolit parere, per censuras, & alia iuris remedia cogendum esse, siue sponsalia iuramento confirmata, siue sola fide firmata. Ità Sanchez, Tancred. Po[illegible] 274

Caspensis, Becanus, Brancatus noster, Coninchius, Hurtadus, & alij passim, qui tamen addunt aliquando per accidens non esse cogendum, quamuis sponsalia sint iurata, quando nimirum ex matrimonio prudenter timetur malus exitus. Et quidem quod per se, idest excluso periculo mali exitus, & grauis incommodi cogendus sit, quando sponsalia sunt iuramento firmata satis patet ex cit. cap. ex litteris, & ratione constat, quia ad Iudicem præsertim Ecclesiasticum spectat iuramento obstrictum cogere ad iuramenti impletionem, cum eius violatione nimia Deo inferatur iniuria; Et etiam quod sit cogendus, si iuramentum non præcessit, sed sola fide sponsalia fuerint firmata, euidens ratio conuincit, quia contrahentes sponsalia tenentur seruare fidem ex iustitia, & ad Iudicem compellere spectat, vt vnicuique potenti, quod suum est, reddatur debitum ex iustitia; quod adhuc potiori iure asserendum erit, quando puella sub spe futuri matrimonij deflorata fuit, aut copula cum fœmina alioqui honesta sub eadem spe matrimonij præcessit, vel aliud graue damnum incurrit; tunc enim Iudex in tali casu eiusmodi vrgere tenetur, vt matrimonium contrahatur, & tale damnum resarciatur. Nec obstat caput cit. ex litteris vbi cogendus dicitur, qui iurauerit, non enim ob id negat obligationem ex sponsalibus ortam, vt sic, non sufficere, vt Iudex compellat; sed solum iuramentum adducitur pro causa, quia erat sufficiens, & maior, quàm sola sponsalium promissio, vt notat Hurtad. disp. 1. diffic. 17. Neque sequitur eum inualidè matrimonium contrahere, qui metu excommunicationis ad id compellitur, nam metus excommunicationis iustè incussus, vt in præcenti supponitur, non cadit in constantem virum, & consequenter matrimonium non irritat; Et quod adducitur ex cap. requisiuit, vbi dicitur sponsam recusantem monendam esse potius, quàm compellendam intelligitur de compulsione, seu coactione extraordinaria, quia ex matrimonio extraordinariè coacto exitus difficiles frequenter eueniunt; Vndè Doctores communiter obseruant, Iudices vt compellant sponsos matrimonium contrahere, quando præcisè agitur tantùm de fide promissa, etiam iuramento firmata, nec ex violatione damnum aliud sequitur nimia pœnarum acerbitate vti non debere, & hoc etiam aduertitur in dicto cap. ex litteris, vbi dicitur nolentem compellendum esse, nisi rationabilis causa obsistat, qualis est prudens timor mali exitus; nam existente huiusmodi rationabili causa, quæ ad prædicta mala extendi potest, compellendus non erit.

275 Ex quo probata manet altera pars asserti, nimirum quod per accidens, quando scilicet timetur periculum mali exitus, non sit cogendus renitens ad implenda sponsalia etiam iurata; & ratio etiam suadet, quia minus malum sæpè permittendum est ad vitandum maius, ac maius malum est scandala, & perpetuas rixas, & inimicitias oriri, quam fidem sponsalium frangi; ergo quando ex matrimonio coacto maius malum grauius timetur, quam sit non implere sponsalia, vt quando timentur perpetuæ rixæ, aut vxoris desertio, aut matrimonij fictio, nolens non est cogendus, & hoc minus malum permitti potest, vt illud maius euitetur. Confirmatur, quia ad Iudicem spectat compellere nolentem, quando id expedit fini matrimonij, cùm ex fine mediorum necessitas, & vtilitas dependeat; sed in hoc casu cogere fini matrimonij non expedit, vt de se constat, ergo &c. Vndè vt optimè notant citati Auctores, quando Iudex nolentem admonuit, & excommunicauit, non debet contrà eum, si pertinax est, vltrà procedere, ne grauiora mala sequantur ex matrimonio tam vehementi coactione contracto, eo vel maximè quia talis coactio in graue damnum petentis cedit; sed eum absoluere debet, quia ex matrimonio sic coacto nequit non alteri grauius damnum, etiamsi dictum periculum, aut alia rationabilis causa nolentem non deobliget.

276 Secundò Dubitatur, an ex Sponsalibus suboriatur noua malitia propter fornicationem in actibus carnalibus spondentium cum alijs personis. Affirmant plures Doctores sponsalia addere fornicationi sponsæ, aut sponsi cum alia persona nouam malitiam iniustitiæ specie distinctam, & in confessione necessariò explicandam, ità Sanchez, Coninchius, Hurtadus, Tancred. Diana, Filliucius, & alij, qui tamen non eodem modo eam declarant, nam Sanchez, Tancred. & Filliucius fatentur id tantùm verificari de fornicatione sponsæ, quæ, si quis cum illa mœchatur, grauem iniuriam inferunt sponso; secus verò in fornicatione sponsi, per quam leuis iniuria sponsæ irrogatur; Coninch. verò, Hurtadus, & alij eodem modo de vtraque discurrunt, quia si iniustitia est, opus est, vt sit ex vtraque parte, & cùm sit in re graui; erit ex vtraque parte culpa lethalis, ac proindè in confessione aperienda; parum autem referre dicunt, quod apud homines non adeò grauis reputetur iniuria, si sponsus fornicetur, vt reputatur de sponsa, quia etiam post contractum matrimonium apud homines non tam grauis censetur fornicatio mariti, sicut vxoris, & tamen ex vtraque parte fornicationi supperadditur malitia adulterij ratione matrimonij.

277 Negant alij sponsalia nouam superaddere malitiam fornicationi, qui proindè dicunt hanc circumstantiam non mutare speciem, nec esse necessariò in confessione aperiendam; ita Ponce *lib. 12. cap. 6.* Mercacius *sec. 8.* Caspensis *disp. 1. sec. 5.* Brancatus noster *art. 7. cit.* & alij communiter, & probatur, quia peccatum huiusmodi adulterium non esset, vt deducitur ex eius definitione, quàm D. August. assignat *lib. 2. de adulter. coniug. cap. 13.* & habetur *cap. 2. Causa 36. quæst. 1.* *Adulterium est alieni tori violatio*, & est etiam Isidori ex cap. Non mœchaberis, vbi super Exod. *cap. 29.* sic habet *specialiter adulterium facit, qui præter suam ad alteram accedit* & sic etiam omnia Iura loquuntur, quæ statuunt adulterum, eum esse, qui habens vxorem alteri commiscetur, & è contrà, vndè adulterium, dicitur quasi ad alterius torum accessus; sed spondens tantùm alicui eam accipere in vxorem non adhuc eam habet vxorem, & spondentes non habent vnum torum; ergo copula eorum cum alijs non est adulterium propriè loquendo de adulterio, & accedens ad sponsam de futuro cum alio non violat alienum torum, ac proindè nec adulterium committit. Deindè nec committitur alia iniustitia, quia sponsalium substantia in eo consistit, vt spondentes futuro tempore matrimonium mutuò promittant contrahendum, & ad id se obligent; sed dùm cum alia persona fornicantur, contra hanc obligationem nihil faciunt, nec alter quoad hoc læditur ius alterius, quia tali fornicatione non obstante semper talis obligatio manet, & voluntas implendi promissum, ergo &c. & ob hanc rationem hæc secunda sententia nobis probabilior videtur.

278 Sed Obijcies, quod sponsi per sponsalia sibi mutuò reddunt ius in ad corpora; ergo violatio corporis promissi sponsi, vel sponsæ est iniusta, scilicet contrà ius, quod quilibet sponsus habet in corpus alterius: & hoc etiam deduci videtur ex L. *si vxor* 13. vbi tale rescriptum habetur his verbis expressum, *Diui Seuerus, & Antoninus rescripserunt etiam in sponsa hoc idem vindicandum, quia neque in matrimonium qualecumque, neque in spem matrimonij violare permittunt*; quibus innuitur adulterium in sponso committi perindè, ac in vxore.

Respondetur cum Caspensi *loc. cit.* negando consequentiam, quia illud ius non est aliud quàm ius in vno habendi alium aliquando in coniugem, & acquirendi dominium corporis eius, quod ius nec tollitur, nec violatur per fornicationem, quia planè ei satisfiet dùm alteri se in coniugem tradet; Neque oppositum deducitur ex L. cit. *Si vxor*, quia vt notat Brancatus *loc. cit.* adulterium ibi non sumitur propriè, & in rigore, sed latè, & impropriè iuxtà illud, quod habetur ex Causa 31. q. 4. *cap. Nemo Quicquid in ea, quæ non est legitima vxor commissum fuerit, adulterij crimine damnatur*, constat enim ex dictis adulterium propriè dictum esse alterius tori violationem; à lege autem Canonica, non à Ciuili peccatorum distinctio, & specierum mutatio accipi debet, neque ex eo, quod lex Ciuilis statuerit vtramque copulationem eadem pœna puniri debere, rectè deducitur, quod vtraque sit verum, & proprium adulterium, quia identitas pœnæ non semper concludit, & infert identitatem culpæ, & delicti: Cùm igitur sponsus, vel sponsa ex vi sponsalium suum corpus, & ius in illud alteri non dederit, sed tantùm promiserit, iniustitiam contra promissarium non committit, si illud alteri ad fornicandum commodauerit, sicut si promittens alteri agrum vendere, interim illud alteri commodet etiam ad damnificandum, nullam ob id iniustitiam promissario facit.

279 Tertiò Dubitatur, An qui prius votum simplex castitatis, vel Religionis emisit, & puellam defloruit cum promissione matrimonij, teneatur ad matrimonium, vel potius ad votum; Et difficultas procedit, quando virgo voti ignara erat, quia si conscia esset, nulla erit obligatio eam ducendi, imò nec resarciendi illi damnum illatum, quia mala fide permisit damnum illud sibi inferri. Prima opinio docet votum castitatis, vel Religionis impedire obligationem ducendi sic defloratam, ac proindè deflorantem teneri voto; ità Nauarrus,

rus, Rudriquez, Vitaldus, Laiman, Hurtadus, Diana, & alij. Ratio est, quia per votum prius Deus acquisiuit ius, quod non potest vouens propria auctoritate tollere, maiorem cum altero obligationem contrahendo, aut suscipiendo statum voto contrarium. Confirmatur, quia prædictus non tenetur illam ducere ratione promissionis, quia fuit nolla, vt potè rei illicitæ ratione voti præsuppositi, neque tenetur ratione damni illati, quia huic satisfieri potest constitutione dotis, aut aliter; ergò non tenetur illam ducere, sed tenetur votum implere, & etiam alia via dicto damno satisfacere, quando necessaria sit satisfactio.

280 Alia Opinio docet votum simplex castitatis, aut Religionis prius emissum non impedire obligationem ducendi illam, etiam cum animo consommandi, vndè consequenter asserit eum, qui tale votum emisit, & posteà Virginem, vel fœminam honestæ vitæ deflorauit promissione matrimonij, non obstante voto teneri eam ducere, ità Sanchez, Tancred. Lessius, Vasquez, Rebellus, Caspensis, Ponce, & alij plures; Ratio est, quia ex voto oritur sola obligatio spectans ad virtutem Religionis, ex sponsalibus verò obligatio rigorosa iustitiæ, quæ arctior, & strictior est, vndè in omnium opinione qui vouit castitatem, & posteà ducit vxorem, tenetur reddere debitum, quamuis non possit petere, ne contra iustitiam iniuriam faciat vxori; ex quo satis patet voti obligationem cedere obligationi iustitiæ. Confirmatur, quia promissio voti ad Deum fuit merè liberalis, at promissio sponsalitia ad alteram fuit onerosa cum reciproca obligatione ex parte alterius; nec Deus ità rigidè exigit obseruantiam promissionis sibi factæ, præsertim cum iniuria alterius, & ità censetur in eo casu eam relaxare; at inter homines vnusquisque insistit in iure suo, non curans de iniuria alterius, dum non vult relaxare obligationem sibi prius factam. Demum quia votum non obligat cum damno notabili debiti alteri ex iustitia, ergo qui sub spe matrimonij virginem deflorauit talis voti ignaram, etiam post votum emissum tenetur illam ducere, non obstante voto, quia hoc impleretur cum damno notabili debiti Virgini ex iustitia.

281 Sed facilè opiniones istæ extremæ conciliari possunt media via incedendo, & dicendo, quod si damno illato nequit alia via satisfieri, nisi eam ducendo, vt regulariter contingit, quando defloratione non cautè facta à viro, aut ab eo publicata, virgo est infamata, non cessat ipso facto obligatio voti, sed emergit sufficiens causa petendæ, & obtinendæ dispensationis, vt infrà dicemus circà impedimentum voti ad matrimonium, qua obtenta tenetur illam ducere ob rationes secundæ opinionis, quia scilicet, votum non obligat cum damno notabili debiti alteri ex iustitia; Et hoc asserendum est, quando necessaria sit satisfactio, quia non semper est necessaria, vt notat Hurtad. difficul. 21. tunc scilicet, quando deflorata non est infamata à viro, & æquè benè nubit, ac si deflorata non esset; & quandu est necessaria, vt cùm non potest æquè benè nubere, tunc satisfieri potest per constitutionem dotis sufficientis ad resarcimentum damni per deflorationem illati, & vniuersaliter loquendo impleri potest, ac debet votum castitatis emissum absque damno defloratæ, quando alia via, quàm ducendo illam, potest ei satisfieri, vt sæpè potest; Quando autem non potest alia via satisfieri, nisi eam ducendo, erit obligatio eam ducendi, & tunc votum non obligabit quoad redditionem debiti coniugalis, etiamsi quoad petitionem obliget, & quoad alios actus; Quod si ad tollendam omnem dubietatem, & scrupulum peratur in tali casu, & obtineatur voti dispensatio, vt consultius iudico, tunc votum penitus euanescet tam quoad redditionem debiti coniugalis, quàm quoad petitionem, & cæteros actus.

282 Quartò Dubitatur, an qui deflorauit Virginem spe fictæ promissionis matrimonij eam ducere teneatur. In qua difficultate conueniunt Doctores, quod si fictus promissor signa dedit, quibus fœmina sufficienter agnoscere potuit subesse dolum promissioni, vel ipsa agnoscendo inæqualitatem conditionis re vera intellexit, vel suspicata est fictè sibi promitti matrimonium, in eo casu non tenetur fictus promissor ad promissionem implendam; & ratio est, quia in hoc casu virgo non consensit in copulam ex vi contractus initi, quem satis intellexit nullum esse, nec spe futuri matrimonij, quia satis agnouit sibi fictè promitti, sed simulauit hac spe in copulam consentire, re tamen vera ex mera sua voluntate consensit, atque ità decepta non fuit, ergo ad nihil amplius fictus promissor tenetur nec etiam ratione damni illati, quia volenti, & scienti nulla fit iniuria; Quod si fœmina sufficienter agnoscere non potuit subesse dolum promissioni, & consensit decepta, & spe fictæ promissionis matrimonij inducta, conueniunt etiam Doctores eum, qui fictè seù verbaliter tantum promittens matrimonium sub ea spe Virginem deflorauit, teneri aut ad eam ducendam, aut ad satisfaciendum damno deflorationis; Est autem Difficultas, an teneatur determinatè ad eam ducendam in vxorem.

283 Prima Opinio docet eum, quod sic Virginem deflorauit, non teneri eam in vxorem ducere, præsertim si disparis sint conditionis in nobilitate, vel diuitijs, sed satisfacere constituendo ei dotem sufficientem ad supplendum damnum defloratonis. Ratio est, quia ille nullam incurrit obligationem ratione promissionis, quæ fuit omninò ficta, sed solùm ratione damni illati; ergò ad nihil amplius tenetur, quàm ad satisfaciendum damno illato, dotem sufficientem addendo, vt nubat viro sibi simili in qualitate, & conditione, ità D. Antoninus *3. part. tit. 1. cap. 3.* & Bartol. Ledesma de matrimonio dub. 19. & quidam alij. Secunda Opinio docet eum, qui sub spe fictæ promissionis Virginem defloraui teneri determinatè ex iustitia eam ducere in vxorem, & non satisfacere iuuando ad nuptias illi aliàs æqualem. Ratio est, quia ille verè intulit damnum Virgini contrà eius voluntatem, quæ solùm consensit sub conditione promissionis veræ, & non fictæ; ergo tenetur ex iustitia ad matrimonium, quia quamuis damnum deflorationis possit pecunia compensari, non autem iniusta deceptio, nisi eam in vxorem ducendo; ità Sanchez *disput.* 10. Tancred. ibidem, Vasquez *disput. 6.* Meratius *disput. 12. sec. 7.* Becanus *cap. 43. quæst. 2.* Caspensis *disput. 1. sec. 4.* Ponce *lib. 12. cap. 2.* & plures alij. Tertia tandem opinio docet prædictum teneri ex fidelitate ad eam ducendam in vxorem, quamuis sit multò nobilior, quàm illa; ex iustitia verò ad id non teneri, sed satisfacere, si damnum deflorationis pecunia compensari, aut constitutione dotis sufficientis, aut aliter; Ratio prioris partis est, quia prædicta promissio, quamuis solùm verbalis, est vera promissio respectu hominis, ergo obligat ex fidelitate ad standum promissioni matrimonij. Ratio posterioris est, quia qui ità fictè promisit, non tenetur promissione ipsa, aut contractu, aut ex iustitia, quia ea promissione noluit conferre ius iustitiæ, sed tantum tenetur ratione damni illati, quia iniustè, vtpotè deceptione illatum est; ergo satisfacit recompensando tale damnum collatione dotis, aut aliter, quamuis deceptione illatum sit, quia deceptio ratione sui est contra veritatem, non contra iustitiam, sed tantùm ratione damni ex ipsa illati, quod sufficienter compensantur collatione dotis, aut aliter, ità d... scurrit Hurtadus *disput. 1. diffic. 12.* & quidam alij cum ipso.

Quamuis omnes istæ opiniones sint probabiles, secunda tamen mihi probabilior videtur, quod scilicet qui sub spe fictæ promissionis Virginem deflorauit, eam ducere tenetur sub mortali in vxorem, nec damno illato satisfacit constituendo ei dotem sufficientem, vt nubat viro sibi simili in qualitate; quod probant Caspensis, & Becanus *loc. cit.* ratione satis euidenti, & conuincenti, quia esto fictus promissor non obligetur ex promissione, quia reipsa non fuit vera promissio, sed promissionis fictio; obligatur tamen ex iustitia commutatiua, nimirum ex contractu ad hanc iustitiam pertinente; iustitia autem commutatiua non tantùm petit reddi æquale, sed interdum vt idemmet reddatur, vt si equum furatus es, non satisfacis reddendo pecuniam, & vnum pro alio creditore inuito, reddi non potest L. 2. ff. si *certum petatur*, sed in hoc casu interuenit perfectus contractus scilicet do, vt des, vel facio, vt facias; ergo cum puella promissionem impleuerit tradendo corpus suum innitens promissioni matrimonij, si se deflorandam dedisset, tenetur fictus promissor implere ducendo eam, & adhibendo consensum ex iustitia debitum, non quidem ratione damni illati, vt prima, & tertia opinio dicebat, quia nullum damnum illatum est Virgini sub tali conditione consentienti, sed ratione contractus, & pacti initi; Consequentia est manifesta ex omnibus alijs contractibus commutatiuis, vbi interuenit pactum, & illa conditio do, vt des, vel facio, vt facias, nam in his contractibus, si vnus ex sua parte impleuit, tenetur etiam alter implere, quamuis fictè contraxerit, quia ex iustitia verè contr... tenetur;

284

etiamsi ex animo promisisset, non maneret, sua per omissione ex iustitia obligatus ob eandem in æqualitatem, sed tantùm ex fidelitate; Tum quia vt rectè prædicti Auctores annotarunt, ad substantiam contractus matrimonij spectant solùm corpora coniugum, nobilitas verò, diuitiæ, pulchritudo, & similia sunt potius accidentaria, ac proindè quantumcunque illa inæqualitas cognoscatur nihil deest ad æqualitatem in contractu seruandam, & essentialiter requisitam. Nec refert, quod hæc inæqualitas Virgini nota fuit indicium sufficiens, & argumentum doli, aut fraudis in viro nobili in promissione facienda, ac proindè saltem in tali casu non teneri fictum promissorem ad promissionem implendam. Quia Virgo non consensit hac data hypotesi, spe futuri matrimonij in copulam, sed liberè, & independenter à tali spe, satis agnouit sibi fictè promitti. Hoc enim gratis omninò dicitur, quia vt ait Caspensis sæpè Nobiles, vel diuites, & hoc passim videmus, non solùm sponsalia, sed matrimonium quoque cùm mulieribus abiectis, & plebeis, & pauperibus contrahere solent, atque ideò Virgo illa potuit credere, & sperare secum fieri, quod cum alijs suæ conditionis sæpè factum est; vndè si bona fide, & simplici animo consensit, contractus tenet, & fictus promissor promissum implere tenetur, nec satisfacit dotem constituendo, nisi ipsa complaceat, & remittat. Vndè non satis mihi probatur, quod ait Bonacina q. 1. punct. 2. n. 7. plures alios adducens, virum in tali casu non solùm non teneri ad illam fœminam ducendam, sed neque ad illam dotandam, vir enim non censetur in tali casu illi fecisse iniuriam, cùm fœmina videatur sciens consensisse; Non inquam, id mihi probatur, quia licet supponatur conscia notabilis disparitas, adhuc bona fide id scit, & simplici animo inducta spe futuri matrimonij ob alios similes casus sæpè secutos, quarè contractus adhuc tenet, & fictus promissor tenetur implere promissum non quidem ratione damni illati, quia nullum damnum est illatum Virgini consentienti, sed ratione contractus, & pacti initi, hoc inquam, mihi probabilius videtur, tanquam obligationi Sponsalium fauorabilibus, nil interim detrahendo probabilitati oppositæ sententiæ, quam Bonacina tuetur loco citato, cum pluribus alijs ab ipso citatis. Hoc tamen adhuc cum hac limitatione intelligendum est, nisi magnum scandalum ex eo matrimonio probabiliter timeretur, tunc enim sufficiet dotem dare deceptæ Virgini, & nisi fœmina deceperit virum dicendo se esse Virginem cum non esset. De hoc videri potest Brancatus noster disp. 37. art. 2. vbi in hac difficultate sequitur in omnibus opinionem Sanchez sub §. 4.

ARTICVLVS QVARTVS.

Quid dicendum de ficta matrimonij promissione quoad vim obligandi.

286 IN promissione Matrimonij triplex potest esse voluntas, vt Doctores passim aduertunt; vna promittendi; altera obligandi se per promissionem; tertia implendi, quod promissum est; & sic è contrà tribus modis fieri potest promissio ficta; primò quando quis exterius, & verbaliter promittit, interius verò animum promittendi non habet; secundò si promittens habeat animum promittendi, non tamen se obligandi; Tertiò non tamen promissum implendi; Conueniunt Doctores in hoc tertio genere promissionis eum qui habet animum promittendi, & se obligandi, non tamen implendi, re vera contrahere sponsalia, & obligari ad præstandum id, quod promisit; ratio est, quia obligatio sequitur naturaliter ex voluntaria promissione animo se obligandi facta, ergò sicut posito igne necessariò sequitur calor, etiamsi nolit apponens, ità posita voluntaria promissione animo se obligandi facta sequitur naturaliter obligatio, quæ per contrariam voluntatem non adimplendi impediri non potest, quia positis rerum causis impediri non possunt effectus necessarios impedire potest. Dicemus tamen de alijs duobus promissionis fictæ generibus.

Dubitatur itaque Primò, an promissio matrimonij omnino ficta, quæ scilicet fit à promittente, non solùm animo non implendi promissum, nec se obligandi, sed etiam non promittendi, quia verbis solùm, & oretenus fit, sit valida ad obligandum, in qua difficultate tres sunt opiniones duæ extremæ, & vna media. Prima absolutè affirmat, quia promissio, quamuis tantùm exterior, & verbalis, est vera promissio respectu hominis, qui cor non intuetur; ergo est valida ad obligandum; ità Vasquez disp. 6. n. 27. & Ponce lib. 12. cap. 2. Secunda absolutè negat ex contrario fundamento, quia promissio solis verbis exterioribus facta absque animo promittendi non est vera promissio, sed fictio, seù simulatio promissionis: ergo non obligat, vt promissio, quia obligatio propria promissionis oritur tantùm ex promissione, quæ est vera promissio, & non simulata; ità Sanchez lib. 1. disp. 9. & Tancred. ibidem, Coninch. disp. 21. Meratius disp. 12. sec. 5. Becanus cap. 43. q. 2. Caspensis disp. 1. sec. 3. Auersa q. 8. sec. 2. Brancatus noster disp. 37. art. 2. §. 3. & alij passim. Tertia tandem sententia media existimat promissionem matrimonij, & cuiusque alterius rei, solis verbis homini factam absque alio animo, quàm proferendi verba, quamuis non obliget ex iustitia, validam tamen esse ad obligandum ex fidelitate; primum probat, quia ius iustitiæ ad rem promissam non confertur promissario solis verbis absque animo, & intentione conferendi illud, ac proindè in verbaliter tantum promittente non oritur obligatio iustitiæ; secundùm verò probat quod scilicet obliget ex fidelitate, quia prædicta verbalis oblatio fidei est vera, & sufficiens promissio respectu hominis: ergo est valida ad obligandum ex fidelitate, quia contrà fidelitatem est non stare verè, & sufficienter promissis: antecedens probatur, quia promissio nihil aliud est, quam enunciatio, qua fidem offerimus, solis autem verbis sufficienter fidem homini offerimus, imò ex animo, quia prædicta verba ex animo proferuntur, ità discurrit Hurtadus disp. 1. diffic. 11.

Harum trium opinionum secunda, sicut est communior, 288 ità verior, & probabilior, quarè cum ea Dicendum est promissionem matrimonij externam solis verbis, & oretenus factam absque animo promittendi non sufficere ad sponsalia, & in foro interno non obligare: Quod probatur ex ratione contractus, siquidem contractus, seù pactum essentialiter est duorum consensus, & conuentio ex L. 1. ff. de Pactis, sponsalia verò sunt verus contractus, verumque pactum: ergo impossibile est, vt subsistant sine intentione promittendi, seù consensu interno, ideòque dictum est suprà, si fiant ab impuberibus infrà septennium esse irrita, & nulla ex defectu consensus ex cap. litteras, & cap. Continebatur de Desponsat. Impuber. Deindè probatur à pari de voto, & matrimonio ipso, si enim in his deficiat intentio vouendi, & contrahendi ipso facto nulla sunt, & nihil fit in foro interno, licet Ecclesia in externo præsumat esse verum votum, & verum matrimonium. Denique probatur ratione cum Auersa cit. quia intentio promittendi, & se obligandi planè ab externa promissione separari possunt, etenim benè potest esse, vt quis exterius fictè promittat, & fingat se promittere, & obligare dicendo, ego promitto, aut etiam me obligo, absque tamen vero animo, & intentione promittendi, & se obligandi, sed vel ioco, vel dolo, vt experientia patet; cùm enim huiusmodi obligatoria promissio non imponatur ab extrinseco, aut ab alio superiore, sed ex voluntate, & intentione propria promittentis, iam deficiente hac intentione, etiamsi verba promissoria proferantur, non consurget ex eis vera promissio, nec talia obligatio: Et cum hoc omnes concedant, & supponant de matrimonio, scilicet fieri posse, vt quis fictè matrimonium ipsum contrahat proferendo verba consensus absque tamen vero animo contrahendi, eumque proindè non verè contrahere; non video qua ratione negetur hoc idem etiam in sponsalibus continere posse, cum vtrobique eadem prorsus ratio militet; Nec etiam valet, quod Hurtadus aiebat talem verbalem, & fictam promissionem absque vero animo promittendi inducere saltem obligationem ex fidelitate; nam totus eius discursus valet vtique de promissione vera, non tamen de omninò ficta, de qua hic loquimur, in qua promittens, nec animum verè promittendi habuit, nec se obligandi, vndè non ex quacunque promissione consequitur naturalis obligatio standi promissis, sed tantùm ex illa, quæ est vera promissio; Quod verò promissio re quamuis tantùm exterior, & verbalis sit vera promissio respectu hominis, qui cor non intuetur, sed tantùm externa verba; probat tantùm vt dicebamus, quod talis promissio vera reputaretur in foro externo, & talem Ecclesia esse præsumeret, non tamen probat, quod vera, & legitima esset in foro interno, de quo hic loquimur.

Sed Vasquez, & probare conatur intentionem promittendi internam ab externa promissione verbali separari non 289 posse

posse stare, vt proferatur externa promissio absque vero animo promittendi; quia promissio non est aliud, quam enunciatio faciendi aliquid in gratiam alterius, quæ enunciatio Deum quidem fit per actum intellectus in mente, ad homines verò per verba, aut alia signa externa, ergò velle promittere ad homines non est aliud, quàm velle proferre talia verba, & signa, ideoque non alia intentio promittendi requiritur nec potest stare externa promissio absque interna voluntate promittendi; sicut stare non potest hominem velle verba infamatoria proferre coram multis sine animo detrahendi, aut velle lethaliter aliquem ferire exterius absque animo feriendi, sequitur ergò ex natura ipsa promissionis, neminem posse exterius promittere voluntariè, & verba promissionis proferre absque animo, & voluntate promittendi. Confirmatur, quia externè promittere est verba promissoria proferre, & exprimere, quod sine animo proferendi, & exprimendi fieri nequit, & expressio promissionia absque implicantia fieri nequit absque animo eam faciendi; ergo neque absque animo promittendi.

290 Respondetur negando assumptum, nam etiam promissio apud homines præter verba, vel signa promissionis externa, actum quoque intellectus internum importat, qui talibus verbis correspondere debet, vt promissio vera, & seria dicatur, sicut etiam quando votum, ac promissio ad Deum verbis quoque profertur; & rursus de ratione promissionis est, vt verba externa serio, & ex animo proferantur, vt expressiua, & significatiua talis promissionis, & obligationis; cùm ergò tantùm ioco proferuntur, & ludendi, vel decipiendi gratia, tunc veram promissionem non constituunt; Nec valet paritas adducta de voluntariè verba infamatoria proferente, & lethaliter feriente, quia sic faciens eo ipso habet animum, & intentionem infamandi, & feriendi, quia lethale vulnus ex se præcisè habet independenter à voluntate vulnerantis, quod sit lethale; & diffamatio inest externis verbis infamatorijs independenter à voluntate proferentis, à qua eorum verborum significatio non dependet; & ideò qui sciens, & volens facit huiusmodi actus externos, eo ipso animum, & intentionem habet faciendi rem per illos significatam ex se, & independenter à voluntate loquentis, vel ferientis; At promissio verbo tantùm externo prolata absque animo promittendi, non est promissio præcisè, seù non est ex se vera, & seria promissio, sed dependenter ab animo, & intentione adstringendi suam fidem ei, cui verbum illud dicitur, ac proindè intentioneni illa deficiente non est vera, & seria promissio, sed tantùm ficta, & simulata. Ad Confirmationem patet per idem, quando enim promissio exterius profertur ioco, vel dolo absque animo, & intentione promittendi, & fidem alteri adstringendi, talis promissio non dicitur formalis, sed tantùm materialis, ad hoc enim vt verba dicantur formaliter promissoria, non sufficit sola verborum prolatio, sed vlterius requiritur propositum, & intentio promittendi, & alteri fidem adstringendi, quæ si desit, non erit vera, & formalis promissio, sed tantùm materialis, & simulata: Vndè in proposito, & intentione promissionis veræ, & formalis adest ordinatio non solùm mentis ad verba illa materialia, sed verborum etiam ad mentem, quæ vult ità esse, sicut dicit, & verba ipsa significant; in proposito verò promissionis materialis adest solùm ordinatio voluntatis ad dicendum illa verba, quæ solùm sunt conformia menti ex proferre volenti cum deceptione, & dolo, non autem seriò, & cum veritate; quarè in promissione ficta, & verbali adest tantùm propositum proferendi verba illa materialiter *faciam*, *dabo* &c. non autem formaliter, hoc est, faciendi, quod per ea verba significatur, & ideò verba illa sunt quidem conformia proposito de ijs dicendi, & proferendis, non autem menti promissiuæ, quæ in casu non adest.

291 Dubitatur secundò de secundò genere promissionis, quando nimirum habet quis animum promittendi, non tamen se obligandi, & quæritur, an obliget promissio, quæ fit animo promittendi, non tamen se obligandi; Affirmant aliqui, & consequenter dicunt sic promittentem verè sponsalia contrahere, & obligari, ità idem Vasquez, Ponce, Turrianus, Petrus Ledesma, Dominicus Soto, Aragonius, & alij. Hurtadus verò *disp. cit. diffic.* 10. consequenter ad sua principia inquit prædictam promissionem esse validam ad obligandam ex fidelitate, non tamen ad obligandum ex iustitia. Fundamentum huius opinionis est, quia sicut calor est effectus naturalis ignis, sic obligatio, romissionis; ergo sicut calor necessariò sequitur ignem, etiamsi quis nolit, sic obligatio promissionem; ergò qui verè promittit, verè obligatur, etiamsi nolit. Confirmatur, quia ad promissionem de iure naturæ sequitur obligatio, alias esset frustratoria; ergo promissio semper est cùm obligatione anneza, alioquin à promissis omnes recedere possent. Demum, promittens tenetur saltem ex fidelitate obseruare; ergo etiamsi desit voluntas obligandi, debet obseruare fidem; probatur assumptum, quia fidelitas obligat, vt verba oris mente correspondeant; dùm ergo quis verba promissionis protulit, iam eo ipso manet obligatus saltem ex fidelitate implere, quod dixit, vt nempè seruetur fides in conformitate futuri euentus cum verbis præteritis; & sic talis promissio externa cum animo promittendi sufficit ad sponsalia.

Opposita sententia communior, & probabilior docet, 292 promissionem factam ex animo promittendi, sed cum animo non se obligandi, non esse validam ad obligandum, ac proindè sic promittentem non contrahere sponsalia, nec obligari ex vi talis promissionis; ità Sanchez, Tancred. Henriquez, Auersa, Coninch. Becanus, Caspensis, Brancatus ex nostris, & alij passim, quod omnes probant hac vnica ratione, quæ est efficacissima, quia conditio verbis expressa, vel mente retenta, quæ aduersatur substantiæ matrimonij ipsum annullat, quamuis contrahens cum illa conditione habeat animum contrahendi ex *cap. finali* de Condition. apposit. vt dictum est in superioribus; ergò similiter inualidabit sponsalia, & quamcunque promissionem conditio contraria substantiæ illorum; at de intrinseca ratione sponsalium, & cuiusuis alterius contractus est animus, & intentio se obligandi, ergo conditio, quæ huic animo aduersatur, promissionem reddit inualidam; Minor subillata probatur, quia consensus sine obligatione non sufficit ad contractum onerosum, ideò enim contractus dicitur onerosus, quia imponit contrahenti onus ad aliquid faciendum, dandum, & permutandum, ergo si desit consensus ad dandum, faciendum &c. non est contractus. Et planè immeritò prorsus negat Hurtadus *loc. cit.* intentionem non se obligandi esse contrà substantiam promissionis; hoc enim exprimitur in matrimonio, si enim quis consentiat absque animo se obligandi non tenet, vt omnes fatentur, ergò idem dicendum erit in sponsalibus, cum sint contractus eiusdem rationis; idem etiam experimur in voto, si enim desit animus obligandi non est votum ex *cap. litteraturam* de Voto, ergo de sponsalibus idem dicendum est, cùm sit eadem ratio, sicut enim per votum aliquid Deo promittimus, ita per sponsalia matrimonium promittitur sponsæ. Imò hac etiam ratione deducunt Auctores citati, nec huiusmodi promissionem animo non se obligandi factam obligare etiamsi firmetur iuramento, supposito promittentem non habere animum obligandi se, tametsi habeat animum promittendi, & iurandi; & ratio est quia sicut promissio per se non obligat, nisi adsit animus obligandi; ità similiter iuramentum non obligat, nisi adsit animus obligandi, nec Deus acceptat iuramentum, nisi secundum hominis intentionem *cap. humanæ aures* 22. q. 5.

Diximus autem promittentem eo modo scilicet cum animo promittendi, non autem cum animo se obligandi, non obligari ex vi talis promissionis ad eam seruandam, quia vt notat Bonacina *q. 1. punc. 2.* cum Ledesma, Rebell. Lessius, & alijs, fieri potest, vt ob aliam rationem seruanda sit promissio, vt ratione vitandi scandali, si aliter euitari non potest, quàm per adimpletionem promissionis; Imò fictè promittens etiam hoc modo cogetur in foro externo stare promissionis, eaque seruare, quia vt suprà dictum est, iurasse præsumetur cum intentione iurandi, & se obligandi, Similiter fieri potest, vt obligetur stare promissioni, non solùm ratione scandali vitandi, sed etiam ratione damni præcauendi, vt quando quia ficta promissione matrimonij, aut ficto iuramento aliquam decepit illam deflorando, quamuis enim in tali casu non teneatur ex vi promissionis, aut iuramenti seruare promissionem, matrimonium celebrando cum decepta, tenetetur tamen ratione damni iniustè illati, vt dictum est *art. præcedent. diffic.* 4. & ratio est, quia censeretur causa iniusta illius damni, si eam non duceret, tum quia alioquin mille fraudibus via in contractibus aperiretur; neque satisfaciet dotando defloratam, si ipsa non est dote contenta, quia promissio præcedens non fuit de dote, sed de ipso matrimonio contrahendo.

293 Ad fundamentum primæ opinionis respondent communiter Auctores secundæ, non ex quacunq; promissione sequi necessariò obligationem standi promissis

tilla, quæ est vera promissio, non est autem vera promissio, si desit animus se obligandi, nam hic animus, & hæc intentio est de essentia promissionis. Verùm hæc communis solutio non omninò vim argumenti tollit, quia promissio secundi generis, de qua disputatur in hac secunda Difficultate, non est omninò ficta, & deceptoria, sicut est promissio primi generis, quæ est merè verbalis; supponimus enim promissionem huius secundi generis, de qua hic est sermo, fieri cum animo, & intentione promittendi, licet non cum animo, & intentione se obligandi, quarè cùm tali intentione fiat, & non sit merè verbalis, videtur esse vera, & seria quantùm sufficit ad rationem promissionis; & ideò si ad veram promissionem obligatio consequitur, quando quis habet animum promittendi, non tamen se obligandi, si sic promittat adhuc contrahere verè sponsalia, & obligari videtur; & sic data responsio non satisfacit; Quod si ita respondentes velint illam tantùm promissionem dici veram, & seriam, quæ fit non solùm cum animo promittendi, sed etiam cum animo obligandi, planè repugnabit omninò habere animum promittendi, & non se obligandi, quia hæc duo erunt de essentia veræ promissionis, & deficiente altera intentione, scilicet se obligandi, promissio dici debebit omninò ficta, & deceptoria, quod rationabiliter dici nequit, cum supponatur adesse intentio promittendi, licet non se obligandi, vndè saltem ex parte dici debet vera promissio; Mihi itaque dicendum videtur non aliter contingere posse, vt quis habeat animum promittendi, sed non se obligandi, nisi quia putet promissionem factam cum solo animo promittendi non obligare, nisi etiam addatur intentio se obligandi, alioqui enim si putet obligare, planè repugnat omninò habere animum promittendi & non se obligandi, & sic frustrà agεretur hæc difficultas; Dato ergo casu, qui vtique contingere potest, vt quis putet promissionem ex se non obligare, nisi addatur intentio se obligandi, si matrimonium promittat cum intentione promittendi, sed non se obligandi, sponsalia verè non contrahet, nec obligatus manet ad matrimonium ex vi talis promissionis, quia absque sua voluntate in hoc obligari non potest; cùm enim huiusmodi obligatio promissoria non imponatur ab extrinseco, aut ab alio Superiore, sed ex voluntate, & intentione propria promittentis, iam deficiente hac intentione, talis obligatio non consurget ex vi simplicis promissionem etiam factæ cum intentione promittendi; quarè ad valorem sponsalium requiritur voluntas promittendi cognoscendo vim promissionis ad obligandum, vel si putet promissionem ex se talem vim non habere, requiritur vlterius voluntas, & intentio se obligandi, aliter verè sponsalia non erunt, nec verus contractus, sed sola simplex promissio, vt etiam notauit Auersa q. 8. sect. 2.

Hoc idem sensit Tancred. lib. 1. disp. 1. q. 2. n. 8. vbi ait esse vera sponsalia, si promittens habuit animum se obligandi, quamuis non habuerit animum ea seruandi, vt dictum est ab initio articuli; sicuti etiam si quis sciens naturam promissionis promittat sponsalia valida erunt, quamuis non habeat explicitè animum se obligandi, quia qui vult antecedens vult necessariò consequens l. 1. ff. si vsusfructus, vel statim ac promisit cum animo se obligandi, mutauit talem animum, quia iam sunt vera sponsalia, nec per illam mutationem fiunt irrita; at si promittens sit ignarus omninò naturæ promissionis, quæ scilicet est, vt pariat obligationem iuxta commune axioma promissio boni viri est obligatio, tunc si promittat etiam cum verò animo promittendi, non autem se obligandi, nulla erunt sponsalia, quia hic talis per hanc vocem, promitto, non intelligit obligationem oriri, supponitur enim nescire promissionis naturam, & vim, quæ est obligatoria, nisi tamen vellet ea intentione promittere, qua operi solent; ita discurrit Tancred. loc. cit. qui discursus coincidit cum doctrina iam tradita pro solutione argumenti in oppositum.

295 Ad Confirmationem concedo ex natura veræ promissionis obligationem oriri, nec esse in potestate promittentis ex animo promittere, & non manere obligatum ad promissa servanda, si vim promissionis agnoscit; at si eam non agnoscat, vt in nostro casu supponitur, promissio obligatoria non erit, nisi addit etiam expressa intentio se per eam obligandi; & gratis concedo huiusmodi promissionem in tali casu factam sine animo obligandi frustratoriam fore, & in tali casu sic promittentem à promissis recedere posse in foro interno, non tamen sineretur recedere in externo, quia Iudex præsumit promittentem habuisse animum requisitum ad veram promissionem, & eius vim, & naturam sufficienter agnouisse.

Ad vltimum dico, quod licet promittens teneatur ex fidelitate habere animum se obligandi, aliàs si de re graui agatur, mortaliter peccat, & venialiter tantùm, si de re leui; si tamen promisit absque animo se obligandi, quòd est promissarium decipere, non tenetur stare promissis ex iustitia, quia obligatio promissoria, vt suprà dictum est, non imponitur ab extrinseco, aut ab alio superiore, sed ex voluntate, & intentione propria promittentis; adhuc tamen fidelitatem veracitatis violauit dicendo verba promissoria, quæ obligationem significabant, & tamen non erant menti conformia, quæ animum se obligandi non habebat; ac proindè hoc modo matrimonium promittens contrà fidelitatem veracitatis mortaliter peccaret, non tamen teneretur ex iustitia exequi, & stare promissis, quia nulla adest obligatio; & in hoc sensu benè dixit Hurtadus loc. cit. promissionem matrimonij ex animo promittendi factam cum animo non se obligandi esse validam ad obligandum ex fidelitate, quia dicta promissio, quamuis ex animo non se obligandi facta, est vera promissio, cùm sit enunciatio, qua promittens ex animo offert fidem contrahendi matrimonium, in qua sita est natura promissionis, ex natura autem, seù ex iure naturali veræ promissionis nequit non oriri obligatio fidelitatis ad standum promissis, quia quamuis promittens nolit ad id obligari, est contrà fidelitatem veracitatis non conformare dictum menti, quia fidelitas obligat, vt verba oris menti correspondeant; Sed quicquid sit de his metaphysicis quæstionibus, an promissio externa dari possit absque animo promittendi, & an vera promissio interna, & externa separari possint ab obligatione exequendi, & standi promissis, ac non, concludendum est, quod si promittenti matrimonium deficiat animus non se obligandi, talis promissio non est valida, nec sufficit ad contrahenda sponsalia; Alia hic disputari solent de Sponsalibus. An scilicet in sponsalibus apponi possit pena in eum, qui fidem frangit; An in contractu sponsalium liceat arras apponere; An possint interuenire fideiussores, & pignora, & alia huiusmodi, quæ cum sint merè moralia apud Summistas videri possunt.

QVÆSTIO DECIMA.

De dissolutione Sponsalium.

296 QVia contractus sponsalitius non est natura sua indissolubilis, sicut coniugalis, vt habetur in cap. 2. de Sponsalibus, conueniunt Doctores omnes tam Theologi, quàm Canonistæ, obligationem in sponsalibus contractam aliquando cessare, & dissolui posse ob aliqua impedimenta superuenientia, seù ob iustam aliquam causam cùm enim in sola promissione de futuro consistat, potest omninò dissolui, ita ut promissionis obligatio cesset; possuntque sponsalia pluribus modis, & causis dissolui, quæ ad quinque capita reuocari possunt, vt notat Auersa qu. 8. sect. 11. Primum ex simplici eorundem sponsalium voluntate. Secundum ex mutatione status incompossibilis cum matrimonio. Tertium ex permutatione in alia sponsalia, vel aliud matrimonium. Quartum ex nouis causis post sponsalia superuenientibus. Quintum tandem ex causis antecedentibus nouiter posteà detectis, de quibus singulis breuiter nobis in hac quæstione agendum est sequentibus articulis.

ARTICVLVS PRIMVS.

De varijs modis, quibus sponsalia dissolui possunt.

297 PRimò sponsalia dissolui possunt per mutuum consensum, & mutuam ipsorum sponsorum remissionem liberè factam, dùm scilicet vterque fidem sibi ab altero traditam remittit, & obligationem relaxat; ità Doctores communiter, & ratio est, quia contractus hic natura sua est dissolubilis, vt dictum est, contractus autem dissolubilis dissolui potest ex voluntate contrahentium, res enim per quas causas nascitur, per easdem dissoluitur, vt patet ex regula generali omnium contractuum, & obligationum, quę summi-tur ex c. 1. de regulis iuris; & idem dicendum est, quamuis spon-

sponsalia fuerint iuramento confirmata, quia cum materia iuramenti, in quam cadit, sit promissio facta homini, altero promissionem remittente, cessat obligatio iuramenti, quæ in illa fundabatur *cap. Debitores de iureiurando*; Et hoc etiam asserendum est, quando iuramentum esset principaliter factum intuitu pietatis in ordine ad Deum, vt si quis iurasset cuidam puellæ pauperi eam ducere & ratio est, quia adhuc res promissa cedit in vtilitatem partis, vndè iuramentum censetur factum sub tacita conditione, si illa persona, in cuius commodum fit, non respuat, & iuri suo cedere nolit; quarè ipsa parte obligationem relaxante, vel non seruante, quod debet, ipsum quoque iuramentum desinit obligare.

298 Hoc autem totum de sponsalibus puberum intelligendum est, non autem impuberum, impuberes dicuntur pueri, qui annum ætatis 14. non attingunt, & puellæ non attingentes 12. & consequenter puberes dicuntur, qui 14. annum iam attigerunt, & puellæ quæ annum 12. Quandò igitur sponsalia inter impuberes inita fuerunt vel ambos, vel vnum impuberem, & alterum puberem, non possunt impuberes sua voluntate sponsalia rescindere, antequam ad pubertatem peruenint, sed solum possunt statim ac pubertatem attigerint, ità definitum est in *cap. De illis 7. de sponf. impub.* cuius dispositionis hæc ratio fuit, vt immaturitati impuberum occurratur, qui ob eam sæpius contraherent, & dissoluerent, tùm quia vt si fortè minus prudēter se obligauerint, possint obligationem excutere, cùm ad maiorem ætatem peruenerint, & vsus rationis magis capacem; vndè sponsalia antè pubertatem inita non habent vim simpliciter obligandi ad contrahendum in pubertate, sed habent vim ligādi, ne interim alia sponsalia ineantur, & inducunt publicæ honestatis impedimentum; Et si impuberes, qui sponsalia contraxerūt, ità se habeant, vt vnus prius ad pubertatem perueniat, quā alter, non possunt sponsalia dissolui, nisi alter quoq; ad pubertatis annos peruenerit, & habetur ex *eod. cap. De illis*, vndè non approbo, quod Beccanus cum quibusdam alijs *c. 43. q. 16.* quod prius factus pubes potest statim resilire, nec tenetur expectare pubertatem alterius; contrarium enim habetur in dicto Canone, vbi solùm docetur posse illos resilire, dum ambo pubertatem attigerint, vt patet legenti textum; posse inquam, vnumquemq; eorum resilire etiam altero inuito; quod si ambo non sint in pubertate constituti, sed vnus tantùm, falsum est sponsalia ab eis contracta dissolui posse per solùm dissensum alterius pubertatē adepti, ex quo apparet, quod in hoc sunt æquales, vt neuter audiendus sit, donec ambo sint puberes, vt rectè notauit Brancat. *disp. 17. art. 11. n. 345.* neq; huius alia ratio assignari potest, nisi quæ à Glossa affertur ibidem, quia lex præsumit impuberes nec scire, nec intelligere perfectè antè pubertatem; tamen minus rectè Brancatus dixit sponsalia in tali casu dissolui non posse, nisi vterq; ad dissolutionem consenserit, nam oppositum habetur in verbis Canonis ab ipso ibi adductis, vt patet legenti textum; Et in hoc differunt sponsalia ab impuberibus contracta ab alijs, quæ in pubertate contrahuntur; hæc enim cum in pleno, & perfecto rationis vsu contrahantur, vim habent simpliciter obligandi ad contrahendū, nec dissolui possunt, nisi mutuo vtriusq; consensu, & per mutuam amborum remissionem liberè factam; at sponsalia ab impuberibus contracta non habent vim simpliciter obligādi ad contrahendum in pubertate, se habent vim ligandi tātum, ne interim alia sponsalia ineantur vt dictum est, & ideò cùm ambo ad pubertatem peruenerint, possunt sponsalia dissolui etiam altero inuito, & reclamante, vt patet ex verbis Canonis ab ipso Brancato allatis, & benè aduertit Auersa *q. 8. sect. 11.* & hoc non solùm intelligitur permissiuè, & in foro externo, quia non cogetur ab Ecclesia contrahere, sed etiam in foro conscientiæ, & coram Deo, ideoque sponsalia impuberum dici solent imperfecta.

299 Sed Dubium est, an qui factus est pubes possit à sponsalibus antè pubertatem contractis resilire, si iurata fuerint; Et quidem communior sententia docet, non posse posteà alterum eorum ad pubertatem prouectum sua voluntate resilire, quia ità decisum videtur *cap. Ex litteris 2. de sponsalibus*, vbi casus erat de duobus impuberibus, qui sponsalia iuramento firmauerant, & posteà eorum alter volebat ad alia vota migrare, sed Pontifex respondet intuitu iuramenti debuisse compelli priorem sponsum accipere dicens, *cur impuberes qui sponsalia contraxerunt, & iuramento confirmarunt cogendos esse ad contrahendum matrimonium*, & ità tenent Sanchez, Tancred. Coninch. Bonacina, Hurtadus, Beccanus, Auersa, Rebelius, Reginaldus, Caspensis, & alij passim.

Oppositum tamen docet Ponce *l. 12. cap. 9. num. 7.* hac efficaci ratione, quod iuramentum additum contractui sequitur naturam, & conditionem contractus *L. final. C. de non numerata pecunia*; sed sponsalia impuberum, super quæ cadit iuramentum, ex iuris dispositione habent hanc tacitam conditionem, *nisi facti puberes resilierint*, ergo idem dicendum est de illis, quamuis iuramentum accedat. Et planè non video qua ratione communis opinio doceat sponsalia pubertate contracta, etiamsi fuerint iuramento confirmata, posse adhuc dissolui altero promissionem remittente, quia eo ipso cessat quoque obligatio iuramenti; & posteà id neget de sponsalibus in impubertate contractis, & iuramento firmatis; hoc enim iuramentum minus validum, & firmum videtur esse, quàm illud, quia lex præsumit impuberes ratione scire, nec intelligere perfectè antè pubertatem, qua ratione impuberes iurare prohibentur *cap. Paruuli 22. q. 5.* si ergò sponsalia puberum etiam iuramento firmata dissolui possunt, idque concedit communis opinio, tanto magis de iuramento impuberum id concedi debebit; Ad auctoritatem verò Canonis adductam responderi potest, eius dispositionem esse intelligendam, quando facti puberes tempore debito non reclamant, casus enim ibi adductus talis fuisse censetur; licet in Canone non exprimatur; nam quando tempore debito non reclamant, etiamsi non iurauerint, cogendi sunt ratione obligationis fidelitatis, & iustitiæ; tanto ergò magis id fieri debet, si iuramentum intercesserit, & ideo Pontifex ait ibi cogendos esse ad matrimonium contrahendum maximè intuitu iuramenti. Aduertendum tamen est in tali casu reclamationem, & contradictionem ad dissoluenda sponsalia apud Episcopum, vel Vicarium fieri debere, vel ipsis deficientibus apud personas honestas, vt constat ex *cap. 1. de Desponf. impub.* vbi habetur, *si reclamauerint, iudicio Ecclesiæ separentur*, & potest Episcopus dispensare in eo iuramento, vt alter eorum licitè reclamet, quandò nimirum iurans non habuit sufficiens iudicium, vt possit omninò, & perfectè intelligere vim obligationis, quam iuramento subijt, quod non præsumitur habere antè ætatem pubertatis, quod etiam concedit Sanchez *disp. 51. num. 25.* Hoc tamen videtur necessarium tantùm in foro externo, vt Iudex ferat sententiam pro sponsalibus dirimendis, in foro autem conscientiæ videtur sufficere, vt pubes statim acquisita pubertate interius dissentiat ex Bonacina *q. 1. punct. 6. n. 5.* & ratio est, quia reclamatio requiritur in foro externo, ne pubes ratificare videatur sponsalia prius facta; sed quando interius dissentit, verè non ratificat, ergo in foro conscientiæ videtur sufficere, si interius dissentiat, quamuis in foro externo ratificasse præsumatur non reclamando apud Iudicem.

Secundò concedunt Doctores sponsalia quoque dissolui per Religionis ingressum, sed non eodem modo rem declarant; Aliqui enim dicunt sponsalia non dissolui per Religionis ingressum, nisi professione secuta, ac proindè si sponsus tempore Nouitiatus Religionem deserat, teneri ad fidem seruandam, nam ingrediens Religionem non statim cedit iuri suo, sed sub ea conditione, si professus fuerit, sponsalia namq; per ingressum Religionis dirimi dicuntur, quia est mors quædam spiritualis, at non est mors spiritualis Religionis ingressus, nisi facta professione; ità Durandus, Paludanus, Viguerius, Veracrux, & Armilla. Ex aduerso autem plures alij probabilius existimant sponsalia dirimi per solùm Religionis ingressum antè professionem, ac proindè manentem in seculo posse statim aliud matrimonium contrahere, & à fide priorum sponsalium omninò solutum esse, ità Nauarrus, Sotus, Bartol. Ledesma, Siluester, Angelus, Vi- 300
raldus, Becanus, Auersa, Sanchez, Tancred. Bonacina, Toletus, & alij passim. Ratio est, quia eo ipso, quod quis Religionem ingreditur satis se declarat sponsalibus renunciare, siquidem in eo notabilis fit mutatio status, nam vulgò magnum censetur dedecus matrimonium inire cum eo, qui fuit Monachus, aut cum ea, quæ fuit Monialis, ergò manens in sæculo liber est ab obligatione.

Rursus aliqui volunt sponsalia per Religionis ingressum penitus dissolui ex parte vtriusq; sponsi, tam scilicet ex parte ingredientis Religionem, quàm ex parte manentis in sæculo, itaut hic sit liber ad aliud matrimonium contrahendum, & ille, si è Religione egrediatur, sit etiā liber a[illegible] 301

dum cum alia, ità Sanchez, Tancred. Henriquez, Becanus, Bonacina, Stephanus à S. Gregorio, & alij. Ex aduerso autem probabilius tenent alij quamplures solui quidem statim sponsalia ex parte illius, qui remanet in sæculo, itaut ille eo ipso liber sit ad aliud matrimonium contrahendum, non tamen statim solui ex parte alterius, qui religionem ingreditur, sed hanc adhuc obligatum manere, vt si fortè egrediatur, & altera pars eum acceptet, teneatur adhuc cum ea contrahere; ità Ponce, Coninch. Hurtadus, Rebellus, Aueria, Caspensis, Brancatus ex nostris, & plures alij; Et quidem statim sponsalia dissolui ex parte manentis in sæculo conceditur etiam ab Auctoribus primæ opinionis, & facilè probatur, quia quando fit notabilis mutatio status in altero sponsorum, cessat obligatio sponsalium in omnium sententia, nam contractus sponsalitius hanc conditionem tacitam inuoluit, nisi fiat notabilis mutatio status, vel res, pro qua facta est promissio non fiat notabiliter deterior, aut eius impletio notabiliter durior; hæc autem omnia in illo casu concurrunt, nam ingressu Religionis notabilis mutatio status fit in persona ingrediente, vt supra dictum est, adeout è Religione egrediens fiat moraliter minus aptus ad nuptias, quia magnum dedecus censetur inire matrimonium cum ta-li ob notam grauem leuitatis, & inconstantiæ ostensam in egressu, & permanens in sæculo cogitur expectare, an alter

302 profiteatur, quod est onus graue, ergo &c.

Quod autem non soluantur sponsalia statim ex parte alterius, qui Religionem ingreditur, sed adhuc maneat obligatus, si è Religione egrediatur, ad fidem seruandam, & cum ea contrahere, quæ remansit in sæculo, si parata sit eum acceptare, probatur, quia non fit liber iure aliquo positiuo, cum nullum tale extet neq; in ingressu ipso, quia antè professionem potest egredi, ergò si egrediatur, & alter velit, tenetur adhuc stare promissis non enim rationi consonum est, vt qui retrocedit, gaudeat fauore Religionis, sed vt in sæculo redeat cum antiquis obligationibus. Confirmatur, quia hæc sponsalia soluuntur ex parte remanentis in sæculo ob renunciationem eius, qui Religionem ingreditur, & ob rerum mutationem, non autem simpliciter ex rationatus Religiosi in anno probationis, quia talis status incæptum est cū matrimonio incompatibilis, in quantum perseuerat ille in Religione, quarè cùm possit egredi, poterit quoque coniugium inire, atque ideò non sit liber ab obligatione sponsalium ex ipso Religionis ingressu, alioqui aditus aperiretur fraudi ad priora sponsalia eludenda, nam fraudolenter, & dolosè posset Religionem ingredi, vt se ab obligatione prioris sponsæ liberaret, & aliam ducere posset.

Sed Obijciunt Auctores primæ opinionis, quia sicut se habent sponsalia, & matrimonium, ità etiam ingressus Religionis, seù Nouitiatus, & Professio; sed professio dissoluit matrimonium ratum ex parte vtriusque, ergò etiam ingressus Religionis dirimit sponsalia ex parte vtriusque. Confirmatur, quia votum Religionis dirimitur per ingressum [illegible] bona fide animo permanendi in ea, itaut si vouens egrediatur experiens eum statum non sibi conuenire, liber [illegible] à voto; ergo talis ingressus sufficit etiam ad dirimenda sponsalia. Denique quia sponsalia non obligant vltra intentionem promittentis, promittens autem non habet intentionem obligandi se superueniente Religionis ingressu; nam promissio censetur facta cum hac tacita conditione, nisi melior status eligatur; cùm ergò melior status eligatur per Religionis ingressum, eò ipso cessat ex parte ipsius obligatio matrimonij.

Respondetur non currere omnimodam paritatem de solutione sponsalium per Religionis ingressum, & matrimonij rati per professionem, quia nec ex iure diuino, nec humano [illegible] est solutio sponsalium per solum ingressum, sicut matrimonij per professionem, sed ex sola conuenientia [illegible] quia status probationis non est irretractabilis, sicut status professionis, nec coniugium potest stare [illegible], sicut potest stare promissio, vel [illegible] obligatio; tùm tandem quia, vt suprà dicebamus, [illegible] rationi consonum, vt qui à Religione retrocedit, [illegible] gaudeat, sed vt cum antiquis obligationibus [illegible] redeat.

Ad Confirmationem negatur similiter consequentia, & [illegible] per Religionis ingressum, & eius experientiam [illegible] sufficienter impletur votum Religionis, [illegible] dicitur eius obligatio cessare, etiamsi non [illegible] professio, si bona fide factus est ingressus, & sine fraude, & dolo; ingressus autem in Religionem non est impletio sponsalium, neque mutatio in melius, donec perseueret, & profiteatur. Ad vltimum patet per idem, quia non eligitur melior status per solum Religionis ingressum, nisi permanens fuerit, & per professionem irretractabilis reddatur.

Demum dubium est, an sponsalia etiam iuramento fir- 303
mata dissoluantur per Religionis ingressum. Negant aliqui, quia ità statutum videtur cap. *Commissum de sponsalibus*, vbi dicitur, *Tutius est ex religione iuramenti seruata prius cōtrahere, & posteà si elegerit ad Religionem migrare si tamen post desponsationem copula non dignoscitur interuenisse carnalis*, quia nempè sic seruatur iuramentum, & non impeditur quis ab assumendo perfectiori statu, cùm possit post matrimonium ratum, & non consummatum ad Religionem transire. Accedit etiam ratio, quia qui tenetur soluere debita, tenetur ea prius soluere, quàm Religionem ingrediatur, vt omnes concedunt; sed sponsus, qui iurauit sponsæ, futurum matrimonium, est illi debitor, & potest soluere debitum antè ingressum, ergò tenetur; ita Nauarrus, Ledesma, Rebellus, & ex nostris Brancatus *disp. 17. cit. art. 11. num. 363.* eò quia Scotus huic opinioni fauet *4. d. 30. q. 2.*

Communis tamen opinio oppositum docet, sponsalia scilicet etiam iuramento firmata dissolui per Religionis ingressum, & qui sponsalia contraxit posse Religionem ingredi matrimonio non contracto, nisi aliud obstet, quia cùm iuramentum fit in confirmationem sponsalium, cessante sponsalium obligatione, cessat etiam iuramenti obligatio; Et ratio est, quia iuramentum sequitur naturam, & conditionem actus, cui apponitur, ac proindè conditio tacitè inclusa in actu includitur etiam in iuramento ex *cap. quemadmodum de iureiurando, & L. fin. C. de non numerata pecunia*, sed promissioni matrimonij inest hæc tacita conditio, nisi promittens elegerit Religionem; ergò & iuramento inest hæc conditio; Minor patet, quia ipsimet matrimonio rato inest hęc conditio, alias post illud ad Religionem transire non liceret, ergò etiam sponsalibus, quarè cùm Religionem ingrediens post inita sponsalia conditionem impleat, non erit periurus non contrahendo; ità Sanchz, Henriquez, Reginaldus, Gutierez, Rodriquez, Coninchius, Tancred. Hurtadus, Aueria, Becanus, Caspensis, Bonacina, & alij passim, quæ sententia sicut est communior, sic etiam probabilior censeri debet.

Neq; obstat, quod adducebatur ex dicto cap. *Commissum*, quia Pontifex ibi non obligat eum, qui sponsalia iniuit, debere prius contrahere, quàm Religionem ingrediatur, sed solùm consulit tanquam tutius, vt prius contrahat, & in eodē sensu loquitur Scotus *loc. cit.* dicens id esse consulendum conformans se dicto Pontificis in eo cap. vbi ait *tutius esse ea contrahere*, quibus verbis supponit Pontifex tutum esse absolutè loquendo non contracto matrimonio Religionem ingredi; Nec etiam ratio adducta vrget, quia solutioni aliorum debitorum non inest tacita conditio, *nisi promittens elegerit Religionem*, sicut inest promissioni sponsalium; Dixi autem in resolutione dubij, etiam qui sponsalia cum iuramēto contraxit posse Religionem ingrendi matrimonio non contracto, nisi aliud obstet, quia ex accidenti euenire potest, vt aliquid obstet, ratione cuius non possit Religionem ingredi, siuè sponsalia cum iuramento celebrauerit, siuè non, vel nempè ad legitimandam prolem anteà fortè susceptam, vel ad [illegible] endum famæ mulieris, cum qua nimia familiaritas intercessit, aut ex alio motiuo, ob quod ex vinculo iustitiæ obligaretur sponsus damnum sponsæ resarcire, nec aliter resarciri posset, quàm contrahendo matrimonium cum ea, de quo videri potest Bonacina *q. 1. punc. 5. num. 4.*

Tertiò conueniunt Doctores, quando vnus ex sponsis vo[illegible] castitatem, alterum manere liberum à sponsalibus quia vouens suo voto obligationi alterius renunciare censetur, quia intendit ad id se obligare; quod cum matrimonio sibi promisso est incompossibile; Conueniunt etiam susceptionem ordinis sacri, vt potè ad matrimonium inhabilitantis, dissoluere sponsalia prius facta, imò ob votum suscipiendi sacros ordines sponsam manere liberam à sponsalibus; quia [illegible] voto sponsus suo iuri, & obligationi sponsæ renunciare censetur; Dixi per votum suscipiendi ordines sacros, quia sponsalia non dirimuntur per votum suscipiendi ordines minores, imò neque per realem eorum susceptionem, cum minores Ordines statui matrimonij non repugnent. Est tamen Difficultas, an per dictum votum simplex castitatis

tis subsequens, vel suscipiendi sacros Ordines soluantur spõsalia etiam ex parte sponsi vouentis,& liber maneat ab ipsis; Et quidem communior, & probabilior opinio affirmat, & ratio est, quia in sponsalibus, vt dictum est, subintelligitur illa conditio, nisi perfectior vitæ status eligatur, non enim debent perfectionem impedire, cum ergo per votum castitatis, vel suscipiendi ordines sacros perfectior vitæ status eligatur, status enim cælibatus, & Clericatus perfectior est statu matrimonij, vt constat ex *Trident. sess. 24. can. 10.* sequitur sponsalia dirimi per votum simplex castitatis, vel sacros ordines suscipiendi, eorumque obligationem cessare ex vtraque parte. Ità Sotus, Henriquez, Ponce, Gutierez, Rodriquez, Ledesma, Naldus, Angelus, Vasquez, Suarez, Caietanus, Azorius, Auersa, Bonacina, Caspensis, Brancatus noster, & alij passim, ac Stephanus à S. Gregorio.

305 Oppositum docent alij, nempè simplex votum castitatis, vel suscipiendi ordines sacros non dirimere sponsalia, nec obligationem soluere ex parte eius, qui votum emittit; idque probant ex opposito fundamento, quia supradicta conditio nullo iure inest sponsalibus, quia non iure aliquo positiuo, vt patet, neque iure naturali, aut ex natura sponsalium, quamuis celibatus sit perfectior statu matrimoniali, alias qui promisit Petro diuiti rem aliquam, posset illam pauperibus erogare, quia hoc etiam est melius, quod est absurdum; ergo non ab hanc rationem soluuntur sponsalia ex parte vouentis. Deindè probant ratione, quia illicitè, & inualidè promittitur Deo res prius alteri homini promissa, & debita, vt siquis prædium dedit, vel promisit Petro cum titulo oneroso, non potest illud dare, vel promittere Ecclesiæ; sed per sponsalia promiserat quis corpus suum alteri homini; ergo non valet promittere per votum castitatis Deo, vel sacrorũ ordinum in præiudicium prioris promissionis. Tandem probat ex *cap. Veniens*, vbi Pontifex iubet pœnitentiam imponi ob mentitam fidem mulieri, quæ post sponsalia votum castitatis emiserat; ergo votum castitatis subsequens sponsalia non dirimit. Ità Nauarrus, Sanchez, Tancred, Reginald. Rebel. Coninch. Hurtad. Valentia, Beccanus, & alij.

306 Respondetur negando assumptum quoad vtramque partem, nam in primis satis consonum est rationi, & iuri naturali, quod prædicta conditio, & reseruatio in promissione quoque sponsalitia includeretur, nam consonum est rationi, vt licitum sit cuique transire ad statu perfectiorem, & sublimiorem; & se Deo dicare, & tradere, non obstante promissione homini facta; quod etiam à contrario magis apparet, vt ait Auersa *q. 8. sec. 12.* non enim laudaretur, nec valeret, si quis excludendo talem conditionem diceret, promitto tecum contrahere, & promitto tibi non recedere etiam per dedicationem mei ipsius Deo factam mediante voto; debet ergo de iure naturæ in ipsis sponsalibus hæc tacita conditio subintelligi, promitto contrahere tecum, nisi tamen voluero potius me dedicare Deo non solùm per ingressum Religionis, sed etiam per votum castitatis subsequens; nec sanè posset altera para iustè conqueri, si sponsus eam relinquat, & à promissione recedat per huiusmodi dedicationem sui ipsius Deo factam, & per assumptionem status continentiæ mediante voto; Addo hoc etiam per ius positiuum satis insinuaris per ipsum enim conceditur etiam, post matrimonium ratum per verba de præsenti posse quemcunque licitè, & iustè Religionem ingredi, & in ea profiteri, ac ità prorsus in tali casu matrimonium ratum ex vtraque dissolui, vt altera enim pars possit liberè cum alio contrahere, vt habetur *c. 2. de Conuers. coniugator.* & iam suprà diximus *q. 6. art. 2. nu.* 190. tantò magis igitur id supponendum est concedi eodem iure de sponsalibus, quæ minus ligant, & obligant, quam matrimonium. Nec demum hinc sequitur, quod qui promisit Petro diuiti rem aliquam posset illam pauperibus erogare, quia hoc etiam est melius; licet enim hoc esset opus melius, non tamen per id se Deo specialiter dedicaret, & in statu perfectiori constitueretur, vt facit per votũ castitatis emissum, vel Religionis ingressum, & religiosam professionẽ, ac proindè nõ ob id cẽsendus esset solutus à promissione illi diuiti facta.

307 Ad secundum, si argumentum valeret magis vrgeret contrà Religionis ingressum post matrimonium ratum, quam contra votũ post sponsalia emissum, quia ibi facta est traditio, & translatio corporum, quæ non est facta in sponsalibus, & tamen Deus acceptat rem alterius, tantò ergo magis poterit Deus acceptare rem alteri promissam, & adhuc non collatam; Maior ergo est falsa, quandò prior promissio est obstaculum implendi perfectiorem statum ob rationem allatam; in alijs verò promissionibus, quæ perfectiori statui non obstant, qualis est in argumento assignata, & similes, est vera illa doctrina; & Deus talem rem alteri promissam acceptat, quia promittens conditionalem habuit intentionem de non stando contractui, si vellet vel diuino priuilegio soluendi illum, & Deo se dicandi. Ad vltimum ex Canone cit. deductum dicendum est, per mentitam fidem non intelligi fidem sponsalitiæ promissionis, sed fidem Deo datam per votum, quia mulier illa post votum Deo factum cum alio contrahere volebat, vt patet ex verbis textus, & Glosa ibidem; vel si per fidem intelligatur sponsalitia promissio, adhuc aliqua debuit pœnitentia iniungi, eo quod illa mulier diu anteà matrimonium contrahere distulerat, & posteà nõ tàm castitatis amore, quam potius ne compelleretur cum illo sponso contrahere, votum emisit, vt narratur in textu, ob quam dilationem, & intentionem non erat culpæ immunis, & ideò alicuius pœnitentiæ digna censebatur, vt notat Auersa *loc. cit.*

Dices, hanc assertionem, quod per votum castitatis subsequens, vel suscipienti sacros ordines soluantur sponsalia iam inita etiam ex parte sponsi vouentis, ità vt maneat liber ab illis, non cohærere dictis supra in hoc articulo num. 302. de solutione sponsalium per religionis ingressum, diximus enim ibi vtique per talem ingressum dissolui sponsalia statim ex parte manentis in sæculo, non tamen ex parte alterius, qui Religionem ingreditur; ergo ad consequenter loquendum sic etiam dici debet in proposito, de voto castitatis, & Religionis, aut suscipiendi sacros ordines, non solum sponsalia ex parte vouentis, sed tantum ex parte alterius, cui facta est renunciatio obligationis. 308 Respondetur negando paritatem, quia per tale votum assumit quis statum perfectiorem, & sibi vtilem, ac Deo gratum, quarè licitum ei erit in talem statum se transferre relinquendo statum coniugalem, non obstante promissione homini facta; hoc autem de simplici ingressu Religionis sine voto præcedente, de quo ibi sermo erat, asseri nequit, quia vt ibi dictum est, non eligitur melior status per solum, & simplicem Religionis ingressum, nisi permanens fuerit, & per votum professionis reddatur irretractabilis, & cum matrimonio incompossibilis; Vndè si quis Religionem ingrediatur ob votum antecedenter factum vtique talis Religionis ingressus etiam pro anno probationis dirimit sponsalia ex parte amborum contrahentium, quamuis iurata, cum semper intelligantur iurata cum tali conditione, nisi perfectiorem statum eligam, vt sæpè diximus.

Quartò conueniunt Doctores, quod si matrimonium de præsenti cum alia contractum sit validũ dissoluuntur priora sponsalia, *cap. si inter de Sponsalibus*; quamuis peccet mortaliter, qui sic contraxit, vt habetur *cap. sicut ex litteris de sponsalibus*; Ratio est, quia obligatio matrimonij est maior, quam sponsalium; ergo si illa adhæsit, hæc cessat: Si verò matrimonium cum alia contractum sit irritum, adhuc obligant priora sponsalia, quia non præstat impedimentum, quod de iure non sortitur effectum, vt habet 52. *regula iuris in 6.* hoc autem intelligendum est respectu illius, qui cum alia matrimonium contraxit inualidum, non autem respectu innocentis, hic enim liber est à sponsalium obligatione, eo quia alter recessit à contractu cum illo iam inito.

Difficultas tamen est, an ità cesset, vt penitus extinguatur, vel an sponsus soluto matrimonio cum alia contracto per mortem illius non amplius ad priora sponsalia teneatur. Prima opinio docet omninò cessare, & penitus extingui, itaut soluto matrimonio siuè morte, siuè professione secundæ contrahere cum prima, siuè relicta non teneatur etiam ipsa volente. Ratio est, quia iam per subsequens matrimonium extincta prorsus erat vis priorum sponsalium ex iuribus antea adductis, sed obligatio semel extincta non reuiuiscit ex *cap. Quæris de Consecr. dist. 4.* Confirmatur, quia matrimonium superueniens est vinculum fortius vinculo sponsalium præcedentium, & eiusdem rationis cum illo, & cum eo incompossibile; ergo extinguit illud, sicut etiam qui vult profiteri in strictiori Religione liberatur omninò ab eo voto per professionem factam in Religione laxiore, ità Sanchez, Henriquez, Tancred. Bonacina, Villalobos, Becanus, Lessius, Fillucius, Stephanus à S. Gregorio & alij.

Communior tamen, & probabilior opinio docet teneri, 310 ità Adrianus, Petrus, Ledesma, Hurtadus, Coninchius, Vega, Ponce, Auersa, Caspensis, Brancatus noster, & alij quamplures. Ratio est, quia in tantùm ille manet liber ab obli-

obligatione sponsalium præcedentium, quia per sequens matrimonium impeditur, ne eam adimplere possit, sed per dissolutionem matrimonij tale impedimentum tollitur, & redditur habilis, & expeditus ad illam adimplendam; ergò tenetur adimplere, si prior sponsa cum eo contrahere velit; Vndè quamuis vinculo matrimonij durante cum secunda sopita sit obligatio sponsalitia respectu primæ, non tamen omninò extinguitur, ideoque tali vinculo deficiente cum secunda, reuiuiscit obligatio sponsalitia cum prima ad contrahendum matrimonium cum ipsa, si velit. Confirmatur, quia obligatio validè contracta non semper extinguitur per impedimentum fortius superueniens, sed suspenditur, vt cùm quis votum Religionis emisit, & postea matrimonium contraxit, & consumauit, mortua vxore adhuc Religionem ingredi tenetur; ergo ob eandem rationem idem erit in præsenti dicendum, quia denuò redditus est potens adimplere priorem illam promissionem, & obligationem, & sicut matrimonium consummatum post votum ingrediendi Religionem non est incompossibile cum obligatione voti, quamuis eius impletionem impediat; ita matrimonium contractum cum secunda non esse incompossibile cum obligatione sponsalitia respectu primæ, etiamsi quamdiu durat impediat impletionem illius, & sit incompossibile cum ipsa impletione.

Respondent Auctores primæ opinionis cum Sanchez, quod obligatio voti, & iugum matrimonij sunt diuersæ rationis, & ideò illa non extinguitur per matrimonium superueniens, sed tantùm suspenditur durante matrimonio, at obligatio sponsalium est eiusdem rationis cum obligatione matrimonij, & ideò illa per hanc tanquam per fortiorem omninò tollitur, & extinguitur, vt patet exemplo ab eis suprà adducto, quod votum factum de ingredienda Religione aliqua strictiori extinguitur per professionem emissam in alia Laxiori, quia sunt obligationes eiusdem rationis, sed fortior est per professionem, quàm per simplex votum. Hæc tamen solutionem non satisfacit, parum enim refert obligationem esse eiusdem, vel diuersæ rationis, & adhuc viget exemplum allatum, quod sicut quis post solutum matrimonium tenetur votum antè factum adimplere, ità teneatur adimplere sponsalitiam promissionem anteà factam; imò exemplum allatum duplicis Religionis potest cum Auersa q. 8. sec. 13. retorqueri; tantum enim per professionem in Religione Laxiori extinguitur penitus votum de ingredienda strictiori, quia professio est vinculum perpetuum, & indissolubile, & in hoc est simile matrimonij, quod quamdiu durat posterius matrimonium, non obligat prior sponsalitia promissio; at si ponatur casus, vt solueretur vinculum professionis, si v. g. Religio illa supprimeretur, in qua emissa est professio, alijs rebus, & conditionibus immutatis, tunc resurgeret voti obligatio de ingredienda Religione strictiori.

311 Ad fundamentum oppositæ sententiæ negatur assumptum, illa enim iura vtique definiunt debere hominem manere in matrimonio post priora sponsalia contracto, quia ipso durante priorem promissionem sponsalitiam nequit implere; sed non dicunt priorem illam obligationem ita penitus extingui, vt etiamsi matrimonium cum secunda contractum per eius mortem dissoluatur, nō teneatur amplius homo factus liber à coniugio eam adimplere. Ad Confirmationē negatur assumptum quoad secundam partem, quamuis enim vinculum matrimonij sit fortius obligatione sponsalitia, eiusque ratione cum ea, non tamen est incompossibile cum ea, transfertur ad tempus cessationis ipsius vinculi; vndè licet quamdiu vinculum matrimonij durat, eius impletionem impediat, & obligationem suspendat, non tamen omninò tollit, & extinguit; Nec valet assumpta paritas de voto ingrediendi Religionem strictiorem, quod omninò extinguitur per professionem in Religione Laxiori; & ratio disparitatis est, quia votum illud simplex commutatur in eam professionem, & votum solemne, aut ex priuilegio Ecclesiæ, & iure Pontificio, aut ab ipso profitente, quia professio quamuis in Religione Laxiori, certè maius bonum est, quàm votum profitendi in strictiori, vt ait Hurtad. disp. 2. diffic. 3.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quibus alijs de causis Sponsalia dissoluantur.

312 Vnicuique præterea conueniunt Doctores, priora sponsalia non dissolui per posteriora, si nihil aliud accedat, quia fides posterius data in præiudicium prioris fidei est irrita, & inter has duas promissiones prior præualere debet, & de priori sponsa rectè dici potest priori in tempore potior iure; Imò id etiam affirmant contrà Innocentium cap. *Veniens de iureiurando*, si posteriora sponsalitia fuerint iuramento firmata, quia quando iuramentum est de re iniqua, & in præiudicium tertij non obligat 58. *regula iuris in 6.* at tale iuramentum in casu posito super factum iniustum, & illicitum cadebat; promittebat enim & iurabat, quod iustè, & licitè facere non poterat in præiudicium promissionis cum priori sponsa; ergo huiusmodi iuramentum non solum non est fortius vinculum, vt Innocentius *cap. citat.* indicauit, sed simpliciter non est vinculum; ex parte tamen illius, cui prior fides dat erat, soluta sunt sponsalia, vt sæpè diximus, quia innocens est.

313 Difficultas tamen est, an priora sponsalia dissoluantur per posteriora subsecuta copula cum posteriori sponsa cum spe matrimonij, & ignara priorum sponsalium, nam si conscia fuit tunc non potest dici decepta; affirmant quamplures in tali casu priora sponsalia dissolui, virumque teneri hanc posteriorem ducere ratione damni ei illati, quod aliter reparari non potest, ac proindè præualere debet priori simplici promissioni absque simili damno, sicut etiam pleri que idem dicunt, si quis post votum simplex castitatis, aut Religionis virginem violauit, aut honestam viduam sub promissione futuri matrimonij. Confirmatur, quia quando duo contendunt, vnus de lucro acquirendo, alter de damno vitando, huic potius fauendum est, quàm primo; sed secunda fæmina damnum patitur, & id agit, vt damnum euitet; prior verò, vt lucrum acquirat; ergo illi potius faciendum est, quia prior vel nullum, vel leue patitur nocumentum. Demum probatur exemplo contractus venditionis, in quo secunda venditio secuta traditione præualet priori *L. Quoties, C. de rei vendic.* ità Maior, Palatius, Conninchius, Reginaldus, Rebellius, Ponce, Capensis, & alij.

314 Negant quamplures alij, vt Henriquez, Nauarrus, Lopez, Bartol. Ledesma, Sotus, Sanchez, Tancred. Auersa, Becanus, Stephanus à S. Gregorio, Hurtadus, Brancatus ex nostris, & alij passim. Ratio est, quia per sponsalia secunda cum copula non acquiritur maius vinculum, quàm sponsalium; ergò secunda nequeunt præiudicare primis; probatur assumptum, nam copula non facit vinculum matrimoniale, quod abrogat sponsalia, sed potius est iniuria illata secundæ, vndè, quamuis antè decretum Concil. Trident. *sess. 24. cap. 1. de matrimonio*, priora sponsalia dissoluerentur per copulam subsecutam cum posteriori sponsa affectu coniugali, quia posteriora sponsalia per talem copulam transibant in matrimonium *cap. ss, qui fidem de sponsal.* attamen post Tridentini decretum non ità fit, quia posteriora sponsalia non transeunt in matrimonium per solam copulam, ergò qui hæc contraxit tenetur adhuc ad priora redire, licet alter sponsorum, qui innocens est, non maneat obligatus, & respuere possit. Confirmatur quia cùm corpus sponsi sit promissum primæ, illi ex iustitia debetur, & adhuc viget ius illius, nec ex noua promissione cum violatione potest hoc ius transferri in alteram personam, quarè adhuc prior promissio obligabit, cuius etiam rei signum est, quod non oritur impedimentum publicæ honestatis ex secundis sponsalibus, quia nimirum non sunt valida obstante adhuc vigore priorum, quæ non rescinduntur. Tandem probatur, quia qui posteriora contraxit non tenetur ratione promissionis, cùm sit nulla, vt relata ad tempus iuris alterius, quia est rei illicitæ præsuppositis prioribus sponsalibus; neque ratione damni illati posteriori sponsæ, quia huic damno satisfieri potest constitutione dotis, aut alia via; ergo non tenetur posteriorem ducere, sed priorem, & posteriori damnum alia via satisfacere, vt benè discurrit Hurtadus *disp. 2. diff. 8.* Quod si aliquando alia via damno illato satisfieri nequeat, nisi eam ducendo, tenetur eam ducere ob rationes prioris sententiæ, quæ id solum probant, & non amplius, in hoc tamen casu cessante matrimonio inito cum hac posteriori inquit Hurtad. *loc. cit.* teneri posteà contrahere cum priori, si ipsa velit; & hæc secunda opinio sic explicata mihi probabilior videtur & tenenda.

315 Sextò conueniunt Doctores fornicationem sponsi, vel sponsæ sponsalibus superuenientem innocenti præbere ius dissoluendi sponsalia; ità enim definitum est in cap. *Quemadmodum 25. de iureiurando*, etiāsi sponsalia fuissent iuramento firmata, & ratio est, quia iuramentum illud hanc tacitam includit

includit conditionem, si alter contrà desponsationis fidem non peccauerit, aliàs fidem frangenti fides seruanda non est, quæ ratio æquè probat de sponso, qui fornicando similiter fidem notabiliter frangit.

Confirmatur à fortiori, quia vir post matrimonium contractum potest ob fornicationem vxorem à sua cohabitatione dimittere; ergò multò magis antè matrimonium contractum potest ob eandem causam eam dimittere, & sponsalia dissoluere, nam facilius possunt sponsalia solui, quam separari matrimonium quoad torum; quamuis ergò qui fornicationem commisit ex parte sua obligatus maneat ad sponsalia implenda, alter tamen innocens potest ab illis resilire, si velit. Si verò post sponsalia vterque sponsus fornicetur, volunt aliqui in tali casu delictum vnius compensari delicto alterius, itaut neutri liceat à sponsalibus resilire, quia in causa matrimonij vterque æqualis est ità Paludanus, quem sequitur Bonacina q. 1. punct. 8. n. 6. & Stephanus à S. Gregorio lib. 3. c. 90. & Brancatus noster disp. 27. art. 11. Alij autem magis communiter negant, & volunt sponso quidem fas esse resilire, non autem sponsæ. Ratio est, quia multò turpior est fornicatio in sponsa, quàm in sponso in iure ciuili, & sponsa notabiliter fit vilior per talem fornicationem, non autem sponsus; & ex fornicatione sponsæ grauis damnum sponso resultat, & imminet, propter incertitudinem secuturæ prolis; quarè delicta sunt valdè imparia, nec debent inter se compensari, quamuis enim quoad fidei fractionem facta sit æqualis compensatio, non tamen quoad vtilitatem, siquidem longè ignominiosius est sponso talem ducere, quam sponsæ tali nubere; Nec valet paritas de matrimonio assumpta, nam facilius possunt solui sponsalia, quàm matrimonium separari quoad torum, & ideò inter coniuges possunt compensari delicta, vt neuter possit separationem petere; ità Sanchez, Henriquez, Tancred. Coninch. Ponce, Reginald. Diana, Beccanus, Caspensis Auersa, & alij passim.

316 Est tamen duplex Difficultas, Prima est, an dissoluantur sponsalia quando fornicatio est inuoluntaria, vt quando sponsa per vim cognita est. Secunda est, an ob fornicationẽ à sponsa existente ita Virgine antè sponsalia commissam, & post sponsalia à sponso cognitam, possint sponsalia ex parte sponsi dissolui. Circa primam aliqui negant, ratio est sponsa in tali casu est inculpabilis, nec censetur fregisse fidem, nec in futurum suspecta redditur. Confirmatur, quia in simili casu non potest vxor separari a toro coniugali, nulla ergo apparet legitima causa dissoluendi sponsalia. Tandem ità deducitur ex cap. desponsatas 27. q. 2. vbi sic habetur, *desponsatas puellas, & post ab alijs raptas placuit eris, & reddi eis, quibus antea fuerant desponsata, etiamsi eis à raptoribus vis illata constiterit*, ità Couar. 4. Decr. 1. par. cap. 5. Tabiena verbo sponsalia qu. 9. & alij. Communis tamen opinio putat posse dissolui; ratio est, quia ista censetur notabilis mutatio ex parte sponsæ, ex qua vir dedecus graue pati potest, cùm vulgò satis infame sit corruptam ducere in vxorem, præsertim cùm non ità facile constare possit sponsam per vim, & omninò inuoluntariè cognitam esse; & quamuis etiam id constaret, & sponsa in tali casu inculpabilis esset, adhuc tamen facta est talis mutatio circà eam, propter quam meritò sponsus eam repudiare potest; & hoc clarè deducitur ex cap. Raptor 33. q. 1. vbi sic dicitur, *Raptor pœnitentia publica mulctetur, raptam verò si sponsus accipere noluerit, & ipsa eidem crimini consentiens non fuerit licentia nubendi alij nõ negetur*. Nec obstat textus in oppositum allatus, quia ibi agitur de puellis per verba de præsenti desponsatis; nec est simile de matrimonio, quia, vt dictum est, multò facilius sponsalia dissoluuntur, quàm matrimonium quoad torum. Ita Henriquez, Sanchez, Tancred. Reginald. Gutierez, Nauarrus, Coninch Rodriquez, Ledesma, Beccanus, Bonacina, Hurtadus, Stephann à S. Gregorio, & alij passim, qui etiam addunt ob eandem Rationem sponsalia dissolui posse ex parte sponsi, si sponsa permittat se turpiter tãgi, quia eo ipso habetur omninò impudica, ac proindè vilior, & etiã quia notabiliter frangit, seù in re graui legem sponsalium, seù fidem; ob fornicationem tamen sponsi vi sibi illata factam dicunt sponsalia non posse dissolui ex parte sponsæ, quia non frangit fidem sponsalium, neque fit notabiliter vilior in ordine ad matrimonium.

317 Circa secundam Difficultatem Paludanus cum quibusdam alijs partem tuentur negatiuam, quod deducunt ex cap. Quemadmodum 25. de iureiurando, vbi dicitur sponsum non posse obijcere sponsæ fornicationem sponsalia præcedentem. Communis tamen opinio affirmat sponsum adhuc resilire posse, non quia sponsa fidem fregerit, aut quia ob fornicationem sponsalia præcedentem in posterum suspecta reddatur, sed quia adhuc per talem fornicationem est notabiliter vilior, quam æstimaretur à sponso; Quarè sponsus in tali casu grauiter deceptus censeri debet, & quod tantùm per errorem consenserit, contractus autem cui error grauis causam dedit, potest à decepto irritari; & ob eandem rationem propter fornicationem præcedentem viduæ existimatæ honestæ antè sponsalia commissam, & posteà cognitam à sponso, potest sponsus à sponsalibus resilire, quia scilicet illa fornicatione reddita est notabiliter vilior, quamuis non tam vilis, ac putata Virgo; Neque contrà id obstat prædictum cap. Quemadmodum, quia ibi apertè loquitur de fornicatione præcedente cognita antè sponsalia, vt Glossa ibi aduertit, & passim Doctores exponunt; sponsa autem è contrà ob fornicationem sponsi præcedentem, quamuis ignoratam, & posteà cognitam resilire non potest, quia sponsus ob illam non est notabiliter vilior in ordine ad matrimonium; Ità docent Sanchez, Tancred. Coninchius, Hurtadus, Caspẽsis, & alij Auctores suprà citati; licet oppositum teneat Brancatus noster loc. cit. disp. 37. art. 11. n. 437. ea ratione fultus, quia mulier semper suspecta remaneret de amore, ac fide viri, vndè exitum malum sortitur matrimonium; qua ratione addunt alij etiam propter tactus impudicos sponsi cum alia fœmina posse sponsam resilire; Hæc tamen ratio vrget solùm in casu, quo tales actus sponsi cum altera fuissent adeò frequentes, vt indicarent animum sponsi valdè in alteram propensum, vt meritò timeri possit, ne ipse minus sit sponsam amaturus, & fidem ei non seruaturus, in tali enim casu si sponsa cum tali contrahere abhorreret, & grauatæ ferret non videtur cogenda, aut culpæ damnanda, vt aduertunt Coninchius, Laiman, Auersa, Caspensis, & alij; extrà verò talem casum à communi opinione recedendum non est, quia id sponsæ non est dedecus, nam per eiusmodi actus vir non redditur ità infamis, vt nota inuratur sponsæ, nec ignominiosum esset sponsæ talem virum ducere, sicut erat sponso talem mulierem ducere

Septimò conueniunt Doctores, sponsalia quoque dissolui per lapsum termini constituti ad contrahendum matrimonium, si terminus ille præfixus sit, tanquam terminus finiens obligationem vltrà quem contrahentes obligari nolunt, dissolui inquam, ex parte illius, per quem non stetit, quominus matrimonium iniretur; Ratio est, quia prædictus terminus in tali casu ad id fuit assignatus, vt eo transacto finiatur obligatio, ergo is, per quem non stetit, ab obligatione liber manet, quia obligari tantùm voluit vsque ad præfatum terminum, & non vltrà. Confirmatur, quia promissio non obligat vltrà promittentium intentionem, promittentes autem in tali casu intentionem habuerunt obligandi se solùm pro tali termino assignato. Tandem quia omnis contractus conditionalis deficiente conditione eo ipso irritus est; ergo contractus sponsalium cum ea conditione initus, si conditio deficiat, statim irritus est, & ità habetur cap. Sicut 22. de sponsalibus, atque ideò qui præfixit terminum in sponsalibus, & per eum non stetit, illo transacto non tenetur; Alter verò, per quem stetit, non manet liber, vt supponitur in dicto cap. sicut, quia tunc quamuis finita fuerit obligatio orta per se ex dictis sponsalibus, obligatur tamen per accidens, vt reddat, quod debuit ex iustitia reddere; hoc autem limitant Sanchez, Tancred. Poncius, Bonacina, Caspensis, & alij, quando alter absque iusta causa differt, nam si alioquin sit legitimè impeditus, sponsalia ex vi termini transacti non præcisè dissoluuntur, quia legitimè impedito non currit tempus l. 1. C. de annual. except. in fine; Alij verò, vt Nauarrus, Coninchius, & Hurtadus neque hanc limitationem admittunt, quia nempè sic videtur absq; tali limitatione fuisse præfixus terminus, quare eo lapsu absolutè sponsalia soluantur. Verum, vt notat Auersa q. 8. sec. 11. hæc res dependet ex intentione eorundem contrahentiũ, & coniecturis de eorum mente, & circumstantijs posteà occurrentibus iuxtà maiorem, aut minorem dilationem eius, qui iustam causam habet, & maiorem, aut minorem incommoditatem, & molestiam eius, qui expeditus est ad contrahendum. Quòd si per vtrumque stetit, ne matrimonium sequatur, vterque manet liber, quia in tali casu vterque iuri suo renunciasse censetur, & mutuo consensu sponsalia dissoluisse.

Si verò terminus obligationi adijciatur, [illegible] non ad finiendam obligationem, sed ad soli[illegible] [illegible] tandem obligatio.

gationis effectum, seù ad constituendum tempus, vt deinceps debitor in mora constituatur non soluendo, tunc lapsus termini obligationem non extinguit; Ratio est, quia tunc terminus non fuit præfixus ad finiendam obligationem, sed tantùm ad soluendum eius effectum, ac proindè eo finito, & translato, non eo ipso finitur obligatio, vndè in hoc casu diuersæ interueniunt obligationes vna contrahendi absolutè matrimonium, altera contrahendi intrà tale tempus, cessante autem obligatione contrahendi matrimonium statuto tempore, non propterea cessat prima obligatio contrahendi absolutè, nisi fortè mora, & dilatio tanta sit, vt dilatorem constituat moralis culpæ reum, tunc enim frangenti fidem fides seruanda non est; ita Reginaldus, Coninchius, Hurtados, Becanus, Gutierez, Rebellus, & alij Auctores supracitati. Si tandem nullus terminus erit præfixus, nec alia conditio, non tenetur promissor statim implere, sed tantùm requirente eo, cui est facta promissio, hoc enim generale est in omni debito absque diei præfixione quod solum tenetur debitor soluere à creditore requisitus; Et in hoc casu sponsalia dissolui possunt, quandò dilator requisitus ab altero sponso ad perficienda sponsalia, & matrimonium contrahendum ità differt, & prorogat, vt iudicio prudentum censeatur sponsalibus renunciasse, aut quando mora est tanta, vt alter non censeatur se vsque ad tantùm obligasse, quæ omnia prudentum arbitrio discernenda sunt; ita Doctores omnes supracitati.

320 Octauò conueniunt Doctores, sponsalia quamuis iuramento firmata per discessum alterius sponsi in longinquas partes absque consensu alterius dirimi, & dissolui ex parte relicti. Ità habetur expressè in cap. *De illis 5. de sponsalibus*, cuius dispositionis ratio est, quia sponsus tam longè discedens cum mutatione domicilij, & absque alterius licentia iuri suo renunciare videtur, atque ità potest alter eam tacitam renunciationem acceptare, & matrimonium cum alio contrahere. Et quamuis ius ciuile *L.2.C. de repudio* præscribat talem sponsum expectandum esse per triennium, si fuerit extrà Prouinciam, vel per biennium intra Prouinciam, tamen vel dictum ius habet vim tantùm in foro externo, vt habet Bonacina *q.1. punc.6. in fine*, vel melius dicendum cum alijs ius ciuile fuisse correctum per ius Canon. cum *loc. cit.* cuius decisioni sine dubio in hac materia standum est, cùm sit satis consona rationi; dùm enim vna pars absque alterius consensu in longinquam regionem, & remotas Prouincias abit censetur sponte cedere sponsalibus, & altera pars iustam habet causam ea rescindendi, quia sponsa de futuro virum alio commigrantem, vel vagabundum sequi non cogitur, cùm ad hunc euentum se obligasse non censeatur. Si autem sponsus fuerit in propinquas partes commigratus, tunc est expectandus, & requirendus, & si absque iusta causa matrimonium contrahere noluerit, censendus est iuri suo renunciasse, & poterit sponsa cum alio contrahere; ità Reginaldus, Sanchez, Tancred. Filliucius, Hurtadus, Bonacina, Becanus, Caspensis, Ponce, Auersa, & alij passim.

321 Sed Dubium est, quid agendum sit, quando sponsus non relicta sponsa, sed ex causa iusta, siuè necessaria, siuè libera, absens est absque consensu sponsæ in terras remotas animo quidem redeundi, sed absque spe celeris reditus: dubium inquam est, an etiam in tali casu sponsa maneat libera. Paludanus, Siluester, Canisius, & alij censent in tali casu seruandam esse dispositionem iuris ciuilis allatam, vt si Sponsus intra Prouinciam abiit, per biennium expectandus sit, & si extra Prouinciam per triennium expectare teneatur, & eo biennio, aut triennio transacto liberam manere, & non antea. At Sanchez, Tancred. Henriquez, Toletus, & alij docent, quod si sponsus discessit in terras remotas siuè intra, siuè extra Prouinciam absque spe celeris reditus, quamuis animo redeundi, tunc sponsam manere liberam ad contrahendum statim, & ità dispositum censent in dicto Cap. *De illis*. Hoc tamen falsum esse aiunt Ponce, Hurtadus, Caspensis, & alij, quia casus de quo hic est dubium non est in iure Canonico decisus, & in cap. *cit. De illis*. Sermo est de diuersa, loquitur enim ibi tantùm de discessu sponsi relicta sponsa, & mutato domicilio, vt patet legenti textum. Quare Hurtadus *disp. 2. diffic. 10.* inquit, rem hanc discernendam esse iuxta dicta *diffic. praeced.* quod si sponsus absens perseueret post terminum præfixum ad finiendam obligationem, tunc sponsa libera maneat; & quod quandò post terminum præfixum tantùm ad finiendam licentiam differendi notabiliter moratur, & perseuerat absens, vt sponsalibus renunciasse videatur, aut fidem notabiliter fregisse, etiam ex tunc libera maneat, & quod quando nullo sponsalibus assignato termino ità moratur, vt moraliter, sponsalibus renunciasse videatur, aut sponsa non censeatur se obligasse vsque ad tantam moram, etiam ex tunc sponsa libera maneat, quæ tamen prudentum arbitrio discernenda sunt. Laiman verò *tract. 10. part. 1. cap. 1.* quem sequitur Caspensis *disp. 1. sec. 11. § 7.* inquiunt in tali casu vel standum esse priori sententiæ, quia cum res hæc non sit in iure Canonico decisa vt secunda sententia putabat, definitio iuris ciuilis tenenda, & obseruanda est, cùm enim ex illa per se iusta sit, seruari debet, quando non reperitur aliud in contrarium iure Canonico constitutum; Vel hoc iudici Ecclesiastico remitti debet, qui inspecta qualitate personæ, & alijs circumstantijs, tempus moderari poterit, & interim iubere, vt sponso significetur cum protestatione, si intrà id tempus non redeat, sponsam liberam fore certò sciat, & vterque dicendi modus probabilis est.

Nonò conueniunt insuper Doctores ob impedimenta dirimentia, nempè ob affinitatem, & cognationem, & alia sponsalibus superuenientia dissolui posse sponsalia ex parte alterius, qui non fuit causa impedimenti; Ratio est, quia non est obligatio ad id, quod fieri non potest, esset autem obligatio ad id, quod fieri non potest, si sponsalia non dissoluerentur superueniente impedimento dirimente, nam tale impedimentum facit, vt subsequens matrimonium validè contrahi non possit absque dispensatione; ex quo sequitur sponsalia dissolui, si sponsus peccet cum consanguinea sponsæ in primo vel secundo gradu, quia per eiusmodi copulam contraheretur affinitas cum sponsa, affinitas autem dirimit matrimonium vsque ad secundum gradum, quandò ex copula illicita procedit. Si verò impedimentum fuerit tantùm prohibens, vel merè impediens matrimonium, non autem dirimens, negant sponsalia dissolui posse, excepto voto simplici castitatis, Sanchez, Tancred. Coninchius, Bonacina, Filliucius, Stephanus a S.Gregorio, & alij, quia non adest sufficiens ratio, ob quam dicere debeamus per talia impedimenta sponsalia contracta dissolui, quia iam non videntur esse in viu, nec etiam si præcedant, impediunt à sponsalibus, & matrimonio. Sed absolutè de omnibus impedimentis absque distinctione affirmant Sotus, Petrus, Ledesma, Auersa, Caspensis, & alij, quia si impedimentum sit dirimens, facit vt subsequens matrimonium validè contrahi non possit, si autem sit tantùm impediens, facit vt non possit licitè contrahi; ergò per ea omninò cessat sponsalium obligatio; consequentia patet, quia ad contrahendum matrimonium, quod contrahi non potest, nisi aut inualidè, aut illicitè, nulla esse potest obligatio: & hoc præsertim asserendum est de ijs impedimentis prohibentibus, quæ adhuc sunt in via, & in vigore. 322

Disputant verò præcitati Doctores an sponsus, qui post sponsalia contraxit impedimentum, teneatur impetrare dispensationem impedimenti altero id exigente, & quidem absolutè, & absque vlla limitatione affirmant teneri Petrus Ledesma, Ochagauia, & quidam alij, quia contra ius alterius apposuit libere impedimentum, ac proindè ex iustitia tenetur illud auferre. Probabilius tamen alij cum limitatione affirmant teneri, nisi dispensatio absque notabili incommodo, vel absque magnis sumptibus impetrari non possit, quia non videtur se obligasse ad implementum medio adeò difficili; & eò magis adhuc teneri, si sequeretur aliquod graue damnum sponsæ, vt accidit, quandò à sponso deflorata fuit, aut quando grauem famæ iacturam pateretur; tenetur enim omninò in tali casu sponsam ab omni malo, & infamia liberare, ne ex suo peccato ipse commodum, & sponsa innocens incommodum reportet; ita Sanchez, Tancred. Coninc. Gutierez, Bonacina, Caspensis, Auersa, Stephanus à S.Gregorio, & alij passim. 323

Decimò tandem conueniunt Doctores, sponsalia dissolui posse per notabilem aliquam mutationem post sponsalia contracta superuenientem, quæ si ab initio extitisse, aut præuisa fuisse, viri prudentis iudicio à sponsalibus contrahendis meritò abstinuisset, vt si alter sponsorum in morbum contagiosum incidat, lepram, paralysim, morbum gallicum, aut notabilem corporis defectum, vel deformitatem, vt si oculos, vel oculum, aures, siuè nasum amiserit; Item si notabilem famæ, aut bonorum iacturam patiatur, si sponsa dotem promissam afferre nequeat, si graues inter sponsos, aut eorum parentes inimicitiæ oriantur; idem etiam, & ob eandem rationem dicendum, si superueniat notabilis mo- 324

rum

rum asperitas, quæ etiam est sufficiens causa diuortij, vel noscatur sponsus de nouo grauiter ebrietati deditus, scortationibus, Ludo, alijsque similibus vitijs; & idem tandem dicendum est, si sponsus, vel sponsa incideret in hæresim, vel fieret Apostata à fide, esset enim hæc quoque notabilis mutatio, ob quam licitum esset à promissis resilire. Ratio horum omnium est, quia contractus sponsalitius tacitè fit sub hac conditione, quod si adsit rerum notabilis mutatio, ob quam sponsalium impletio fit notabiliter grauior, & onerosior, is cui fit, resilire possit; Accedit quod promissio semper supponitur, & intelligitur facta rebus in eodem statu permanentibus ex *cap. Quemadmodum de iureiurando*; Imò etiamsi aliqua eiusmodi causa tempore ipso sponsalium extiterit, nec nisi post illa contracta deprehendatur, adhuc in hoc casu sponsalia dissolui possunt; cum enim sponsalium tempore defectus non appareret, perindè erat, ac si non esset; quando verò apparere incipit, perindè est, ac si de nouo existat, nam in iure paria censentur non esse, & non apparere *L. in fundis ff. de contrah. empt.* & hæc omnia intelligenda sunt etiamsi sponsalia essent iuramento firmata, quia iuramentum naturam sequitur promissionis, & huius obligatione cessante, cessat etiam iuramenti obligatio, vt sæpè dictum est; ita Sanchez, Tancred. Ponce, Coninchius, Tusius, Riccius, Reginaldus, Gutierez, Molina, Ledesma, Valentia, Auersa, Hurtadus, Caspensis, Stephanus à S. Gregorio, & alij passim, & ex nostris Brancatus *disp. 37. art. 11. §. 8.*

324 Est tamen difficultas, an qui huiusmodi defectibus occultis laborat, dum vult contrahere sponsalia, teneatur eos alteri parti manifestare, & procedit difficultas, quando iudicat alterum non contracturum si sciret, nam si probabiliter indicaret etiam contracturum, si eos agnosceret, certum est non teneri, quia nullus tenetur propriam manifestare turpitudinem, maximè quando eius occultatio nulli nocet. Cui difficultati Doctores communiter respondere solent distinguendo duplex defectuum genus. Primum est eorum, qui nuptias reddunt non solum minus appetibiles, sed etiam perniciosas, vt infamia, morbus contagiosus, improbi mores, vita inhonesta absque proposito emendationis, & similes, & hos defectus patientem inquiunt teneri manifestare alteri parti, vel sponsalia recusare, quia hi defectus sunt nuptijs perniciosi, & ad vsum nuptiarum, generationis actum, & prolis educationem prorsus incongrui, & contrarij; quilibet autem contrahens tenetur detegere id, quod destruit finem principalem contractus, sicut qui alicui vendit ligna putrida ad ædificandum, tenetur antè traditionem hoc aperire vitium, quod finem principalem destruit talis contractus, ergo tales defectus in proposito sunt aperiendi, nam eos celans nedum peccaret ob einsmodi damna, & deceptionem, sed etiam quia celando cooperari censetur ad omnia mala, quæ præuideret a coniuge innocente perpetranda.

325 Aliud genus defectuum est eorum, qui reddunt quidem nuptias minus appetibiles, non tamen perniciosas, vt paupertas, ignobilitas, deformitas, alijque huiusmodi, qui facili negotio sciri poterant, & hos defectus dicunt non teneri contrahentem aperire, sed qui contraxit, sibi imputare debet, quod eos indagare omiserit, nec diligenter inquisiuerit, cum potuerit facilè rescire, & licet si eos aduertisset, non contraxisset, tamen non erat graue motiuum retrahens ipsum à contractu. Addunt tamen in tali casu non licere habenti tales defectus dicto, vel facto positiuè illos dissimulare, vndè si patiens tales defectus dolo, fraude, seu deceptiones eos tegit, & occultat, cùm perquiruntur ab altera parte, ad effectum contrahendi, mortaliter peccat, nam in tali casu vel à sponsalibus cessare debet, vel defectum manifestare, alioquin mendacium diceret, in regtaui; Vndè si quis fingat se diuitem, nobilem, aut similia, cùm non sit, & sic huiusmodi actu alteram partem circumueniat, & ad matrimonium alliciat, planè illi iniuriam facit, & grauiter delinquit. Non tamen censetur dolus, & fraus huius generis, si puella fortè deflorata ad tegendum talem defectum vtatur aliqua industria, & medijs aliàs licitis, ne à viro deprehendatur; imò si interrogetur, an sit Virgo, & affirmatiuè respondeat subintelligendo mentaliter in communi existimatione, excusatur à culpa mortali, quia nempè hoc spectat ad suam famam tuendam, nec tenetur ad interrogationem tam duram vniuocè respondere, ità Ponce, Coninchius, Hurtadus, Caspensis, Auersa, Diana, Brancatus ex nostris *loc. cit.* & alijquamplures.

Denique disputari solet, vtrum propria auctoritate liceat à sponsalibus resilire iusta de causa, vel opus sit auctoritate Iudicis Ecclesiastici. Cui etiam dubio Doctores communiter respondere solent, quod si causa dissoluendi matrimonium moraliter certa sit, nulla Iudicis Ecclesiastici auctoritate opus est, nisi ratione vitandi scandali, quando sponsalia publicè contracta fuere, vndè etiam pluribus in locis obseruatur, vt à sponsalibus publicè notis resilire non liceat, nisi causa prius ad Ordinarium delata, & ab ipso probata; Itaque in duobus præsertim casibus propria, & priuata auctoritate licet sponsalia dissoluere, vt notat Caspensis *tract. 26. disput. 1. sec. 1 in fine*. Primò dùm hæc clam contracta fuerunt, & causa ea dissoluendi occulta est, iusta tamen, & certa, Secundò dùm publicè contracta sunt, & causa ea dissoluendi certò etiam, & publicè constat, quia ex hac dissolutionem sponsalium propria, & priuata auctoritate facta nullum oritur scandalum; Si autem causa dissoluendi sponsalia dubia sit, nec certò constet esse iustam, & sufficientem, tunc propria, & priuata auctoritate ea dissoluere non licet, quia quilibet sponsus vi contractus sponsalitij est in possessione iuris acquisiti, vt fiat quod promissum est, in dubio autem nemini licet propria, & priuata auctoritate alterum de possessione sui iuris deturbare, sed ad hoc decidendum requiritur legitima sentis, & Ordinarij auctoritas.

QVÆSTIO VNDECIMA.

De Impedimentis Matrimonij in genere.

POstquam in præcedentibus de quidditate Matrimonij & Sponsalium actum est, disputandum nobis est de eius impedimentis, de quibus Scotus *tractat. 4. d. 34. ad 42. vbi lit. D.* ea generatim diuidit in aliqua, quæ dicuntur simpliciter talia, & in alia, quæ non sunt simpliciter talia, sed tantum secundum quid; primi generis inquit esse illa, quibus interuenientibus matrimonium est irritum, & nullum, secundi generis inquit esse illa, quibus positis illicitè quidem fit, tamen non est irritum; Et est communis diuisio, quæ assignari solet, quod impedimenta matrimonij duplicis sunt generis, quædam enim matrimonium contrahendum solumodò impediunt, alia verò etiam contractum dirimunt, hæc dicuntur simpliciter talia, quia non solum obstant, ne licitè contrahatur, sed etiam ne validè, illa verò non sunt simpliciter talia, quia prohibent quidem matrimonium, non tamen reddunt illud irritum, & nullum, si cum ipsis contrahatur. Vndè impedimenta primi generis dicuntur merè prohibentia, secundi generis verò dicuntur etiam dirimentia iuxta diuisionem communiter à Moralibus traditam; De his igitur impedimentis primò in communi agendum est in hac quæstione, deindè in particulari in sequentibus. 326 327

ARTICVLVS PRIMVS.

An sit potestas humana ad inducenda impedimenta Matrimonij, & apud quos resideat.

CErtum est apud omnes esse potestatem humanam ad statuenda impedimenta tantùm prohibentia fieri matrimonium non minus quam ad prohibendam aliorum contractuum celebrationem, & aliorum sacramentorum administrationem, & susceptionem; quarè sola difficultas est, an detur potestas humana ad statuenda impedimenta dirimentia, & irritantia matrimonia contrahenda. Et quidem non defuerunt Hæretici, qui negauerint posse iure humano constitui impedimenta dirimentia matrimonia contrahenda. Ratio est, quia si consideretur matrimonium iustè, vt contractus, debet relinqui sub tota libertate, quæ illi conuenit de iure naturali, quarè cùm contractus matrimonij sit de iure naturali, nequit humano iure immutari impedimenta inducendo; Si verò consideretur specialiter, vt sacramentum, debet relinqui in sua institutione à Christo Domino facta, qui quidem determinauit quid ad singulorum sacramentorum substantiam, & [illegible] dicat

liditatem spectat: cùm ergo non sit potestas humana ad mutandas sacramentorum essentias; consequenter nequit esse ad statuenda impedimenta matrimonium inualidantia, nam mutaret per hæc impedimenta quæ ad substantiam huius sacramenti spectant; vel enim sunt circà contractum, & sic mutaretur materia, vel forma; vel circà contrahentes, & sic mutaretur Minister, ipsi enim sunt ministri huius sacramenti, vt patet ex dictis in superioribus.

329 Nihilominus conueniunt Catholici omnes ad id esse potestatem humana, & verè posse humano iure aliqua matrimonij impedimenta institui, non tantùm prohibentia, sed etiam dirimentia, & ità de fide definitum est in Conc. Trid. *sess. 24. can. 3. & 4.* & constat ex praxi, & vsu Ecclesiæ, & sicut in veteri Testamento quædam impedimenta matrimonij constituta fuere ità expediens fuit, vt in lege quoque noua constituerentur, & quamuis a Christo Domino non fuerint immediatè constituta, hoc tamen prudenter, & valiter fecit Ecclesia, in qua hæc potestas remanebat, vt docet Scotus noster *d. 35. 37. 39. & 42.* quibus in locis expressè docet, potuisse Ecclesiam statuere impedimenta matrimonium dirimentia, & de facto statuisse. Hoc etiam ratio ipsa suadet, quia iure humano nemo negat statui posse nonnullas conditiones humanorum contractuum, vt licitè, & validè celebrentur: cùm ergò matrimonium sit quidam contractus humanus, ex ea parte qua talis est, poterat vtique ex ipso iure humano huiusmodi conditionibus subijci, & poterat humana potestate irritari non minus, quam reliqui contractus, statuendo vt matrimonium ab his, vel illis personis, aut hoc, vel illo modo factum sit nullum. Neque id sublatum est per eleuationem talis contractus ad statum sacramenti; sed ex hoc tantùm fit contractum, qui alias esset validus, non esse validum ab his, vel illis personis, vel hoc, aut illo modo initum, sicut enim alij contractus ciuiles potestati, & legibus Principum subiecti sunt, ità etiam matrimonij contractus; & ideò humana potestas, quamuis materiam, & formam matrimonij mutare non possit, potest tamen statuere, vt contractus ciuilis sit irritus, nisi tali vel tali modo fiat; quare quandò Pontifex aliquam personam facit ad matrimonium inhabilem, circà sacramenti essentiam nihil mutat, sed tantùm aliquid circà contractum, quod sacramento præsupponitur; vnde Ecclesia potest quidem facere vt talis contractus sit legitimus, vel non, tamen facere non potest, quod legitimus non sit huius sacramenti materia, & licet Christus instituerit, vt contractus coniugalis legitimus inter fideles sit sacramentum, non tamen statuit quoinam esset contractus coniugalis legitimus, sed hoc determinandum in potestate Ecclesiæ reliquit, vt dictum est *quæst. 8. art. 1. num. 233.*

330 Hinc patet ad rationem in oppositum adductam; non enim expediens erat, vt modus matrimonialis contractus in tota naturali libertate relinqueretur, sed benè poterat restringi, & coarctari ad certas conditiones, & qualitates personarū, quæ conditiones, ex ipso iure naturæ præscriptæ non erant, sicut etiam in alijs contractibus factum est, & quamuis contractus matrimonialis sit de iure naturali in eo sensu, quatenus ex natura rei in quolibet homine est ius, & facultas contrahendi matrimonium, non tamen in eo, quod ex natura rei nequeat non esse validus. Neque hinc sequitur humanam potestatem immutare aliquid ad substantiam huius sacramenti spectans, vt à Christo institutum est, quia instituit quidem Christus, vt contractus legitimus coniugalis inter fideles esset sacramentum, non tamen instituit, neque determinauit quinam esset legitimus contractus, sed hoc reliquit in humana potestate, sicut anteà erat; atque ideò potuit Ecclesia certas conditiones apponere, quibus deficientibus contractus sit inualidus, nec proindè ad huius sacramenti substantiam, vel validitatem sufficiens, & hoc non est per se, & directè substantiam sacramenti immutare, sed tantùm per accidens, remotè, & indirectè, vt declaratum est loc. cit. Et sic etiam cùm aliquos illegitimat, ne contrahant, non dicitur huius sacramenti mutare ministros, nisi pariter remotè, & per accidens, quatenus illegitimat, ne possint contrahere, ex quo sequitur, vt non possint esse ministri, non enim Christus instituit huius sacramenti ministros virum, & fæminam simpliciter, & absolutè loquendo, sed instituit marem, & fæminam potentes contrahere.

331 Quoad aliam quæstionis partem conueniunt Catholici omnes hanc potestatem instituendi impedimenta matrimonij, tam prohibentia tantùm, quàm dirimentia esse in Ecclesia, vt constat ex Trid. loc. cit. & perpetua praxi, & vsu Ecclesiæ; conueniunt etiam eam non tantum esse in Concilio generali, quod Ecclesiam repræsentat vniuersalem, sed etiam in Summo Pontifice, vtpotè totius Ecclesiæ capite, quod quidem constat ex pluribus Conciliorum generalium, & Pontificum decretis, quibus non pauca impedimenta sunt introducta; Et hoc etiam ratio ipsa suadet, quia omnis Respublica rectè instituta, qualis est Ecclesia Catholica, debet habere potestatem, & facultatem ad tollendos abusus, qui in contractibus, & societate humana contingere possunt, & præsertim in contractu matrimonij, qui cætera præcellit; addunt tamen hanc potestatem in Pontifice, & Ecclesia extendi tantum ad matrimonium baptizatorum, quia tantùm est caput eorum, non autem eorum, qui sunt extrà Ecclesiam, vt fatetur, Innocentius Tertius cap. *Gaudemus de Diuortijs*, & probat ex verbis Apostoli Corint. 1. cap. 5. *quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare*. Adhuc tamen dicendum est, quod licet Pontifex, vt caput Ecclesiæ iurisdictionem non habeat in eos, qui non sunt de gremio Ecclesiæ, & consequenter nequeat eorum ciuiles contractus rescindere, & impedire, potest tamen vt Princeps temporalis, & sic etiam potest impedimenta dirimentia statuere in matrimonijs infidelium in ijs locis habitantium, quæ Pontifici tanquam Domino temporali subijciuntur, vtpotè Iudæorum in ditione Pontificia commorantium; 332 Qualis autem, & quanta sit hæc Ecclesiastica potestas ad impedimenta matrimonij statuenda variè a Doctoribus declarari solet, & quomodo exerceri possit, ac debeat.

Primò fatentur omnes, vt Pontifex huiusmodi impedimenta statuat, & licitè, ac iustè id faciat, ex aliqua iusta causa moueri debere, alioqui grauiter peccaret; Ratio est, quia potestas Pontificis non est data ad destruendum, sed ad ædificandum, & vniuersaliter loquendo non nisi ex iusta causa Superiores moueri debent ad leges condendas, & præcepta ferenda; ergo restringi, & coarctari non debet libertas, & facultas, quam alioqui homines habent ad matrimonia contrahenda, nisi iusta, & legitima causa subsit. Dubitatur tamē, num etiam vt validè Pontifex aliquod statuat impedimentum, desideretur iusta causa, ità vt ea deficiente adhuc sit peccatum cum eo impedimento contrahere, si solùm impediens sit, & præterea matrimonium sit irritum, & nullum, si impedimentum sit etiam dirimens.

Affirmant aliqui adhuc valere impedimentum quamuis sine iusta causa impositum, estò enim in tali casu desit legitima causa id faciendi, non tamen deest potestas, & iurisdictio, atque ideò quamuis Pontifex sic faciendo peccet, & tamen alij [illegible] tenet pià Hostiensis, Veracrux, Vega, & quidam ad hoc [illegible]. Communia tamen opinio iustam requirit causam, [illegible] vt impedimenta matrimonij non solùm licitè, sed [illegible] validè imponantur, ac proindè si iusta causa non ad [illegible] tale matrimonium contra talem prohibitionem contractum adhuc fore validum, & licitum.

Ratio est, quia potestas hæc Superioribus data est ad [illegible] stam gubernationem, & vtilitatem Subditorum, ideoque [illegible] iusta causa deficiente non possunt validè subditos [illegible] te, & eorum libertatem limitare, neque Pontifex [illegible] bitratu potest aliquid immutare in ijs, quæ iure n[illegible] diuino licita, & valida sunt, sed requiritur legitima [illegible] quam aliquid sit mutandum, ità Sanchez, Ponce, [illegible] Becanus, Auersa, & alij passim.

333 Deindè Dubitatur, an Pontifex sicut potest gener[illegible] gem statuere, qua matrimonium ex iusta causa ir[illegible] certum personarum genus, ità etiam possit licitè [illegible] impedimentum imponere certis singularibus per[illegible] hibendo nempè ne matrimonium inter se contrah[illegible] etiam reddendo illos ad contrahendum inhabiles, [illegible] monium derimendo, si contrahant; Henriquez [illegible] & quidam alij dicunt Pontificem nunquam id fec[illegible] expedire, vt faciat, an autem id possit facere con[illegible] dentur de impedimento merè prohibente, sed dub[illegible] dirimente; Alij autem affirmant id posse etiam lo[illegible] dirimente; & facilè suadetur, quia sicut iusta ca[illegible] rit, vt Pontifex generali lege statuat impedimentum [illegible] mune pro omnibus personis illo detentis, vtpotè pr[illegible] bus consanguineis vsque ad quartum gradum, sic [illegible] occurrere potest causa iusta pro tali, & tali persona [illegible] cet, si magnum timeatur damnum, aut scandalum [illegible] matrimonio, vel si aliquod graue talium personar[illegible] ctam id mereri videatur.

Confirmatur, quia qui potest in totum, potest etiam in partem; ergò si Pontifex personas in communi illegitimare potest ad matrimonium contrahendum ob aliquem bonum, & honestum finem; poterit etiam ob eandem rationem illegitimare personas aliquas in particulari in aliquo casu, in quo iudicet ità expedire homo communitatis, pacis publicæ, & alterius finis similis; ità Sanchez, Tancred. Coninch. Becanus, Ponce, Auersa, qui etiam referunt aliquos casus, in quibus Pontifex id fecerit, & Brancatus ex nostris *disp.* 18. *art.* 4.

334 Rursus est alia quæstio, An etiam possit Pontifex ex causa iusta personam aliquam perpetuò reddere inhabilem ad matrimonium, quæ alioqui iure naturali, & diuino habilis est; & hic casus multum differt à præcedenti, vt Becanus aduertit *cap.* 49. *quæst.* 1. nam in illo non faceret personas simpliciter inhabiles, sed tantùm respectu quarundam personarum, ac proindè non cogeret illos ad perpetuum cælibatum. Cui Dubio affirmatiuè respondet Becanus *loc. cit.* Auersa *quæst.* 9. *sec.* 4. in fine Stephanus à S. Gregorio *lib.* 3. *cap.* 102. & alij communiter; Ratio est, quia licet ius naturæ concedat vnicuique matrimonium, potest tamen Pontifex in pœnam alicuius delicti aliquem hoc iure priuare reddendo ipsum inhabilem, ne penitus cum quacunque persona contrahat, sed prorsus à matrimonio abstineat; sicut etiam ob patratum graue delictum possunt variæ pœnæ imponi, vt perpetua pœna carceris, vel perpetuæ seruitutis in triremibus, ac etiam pœna ipsa capitis, & perpetuæ inhabilitatis ad alios actus, ita etiam posset hæc pœna infligi inhabilitatis perpetuæ ad matrimonium contrahendum, & libertatem eripere illud contrahendi. Imò relati Auctores ex Alexandro de Neuo *cap. T uas* despons. duorum testantur hanc quæstionem disputatam, ac decisam fuisse sub Vrbano Quinto, qui ad matrimonium contrahendum dicitur inhabilem declarasse Bernabonem Mediolani Vicecomitem, ac eius filios eò, quod essent Ecclesiæ rebellus.

335 Postremò disputant Doctores, an etiam consuetudine possint introduci, & auferri impedimenta matrimonij; & quidem induci posse communiter Doctores affirmant quibusdam adiectis limitationibus; posse scilicet dummodò concurrant conditiones in consuetudine, quibus ipsa vim habet legis, & præcipuè quod ea consuetudo sit cognita, & approbata saltem tacitè à superiore potente illa impedimenta statuere, vel abrogare, quia nulla irritatio, nec prohibitio fieri potest, nisi ab habente iurisdictionem; & hoc specialiter expressum habetur in ipso iure, nam *cap.* 1. *de Cognat. spiritual.* statuitur, ac declaratur valere matrimonium inter duntum compatrum filios *Nisi consuetudo Ecclesiæ, quæ scandalum generet, aliter se habere noscatur*, vbi planè supponitur ex consuetudine fieri potuisse, vt illud esset impedimentum dirimens; Limitant etiam aliqui, vt Sanchez, Lopez, Tancred. Stephanus à S. Greg., & alij, tunc solum consuetudinem posse aliquod matrimonij impedimentum inducere, quando est mixta Clericorum, & laicorum simul, non verò si sit tantummodò Laicorum, quia nempè non sufficit consuetudo Laicorum tantùm ad abrogandas leges Ecclesiæ. Sed vt aduertit Auersa *quæst.* 9. *cit. sec.* 3. neque hoc modo addenda videtur hæc limitatio, & conditio in hac re, plusquam sit in alijs rebus Ecclesiasticis; quinimò multò minus potest habere locum in hac re, quia non ad Clericos, sed ad Laicos pertinet matrimonium contrahere; in vniuersum nec Laici, nec etiam Clerici possunt auctoritate propria quicquam circà leges Ecclesiasticas immutare, sed tota vis consuetudinis ex superioris potestate deriuatur, & in hac re summi Pontificis, vel specialiter ex certa notitia, vel saltem generaliter ex iure ipso communi eam approbantis.

336 Sic etiam pariter affirmant Sanchez, Coninchius, Tancred. Ponce, & quidam alij posse consuetudine aboleri aliquod impedimentum dirimens per legem Ecclesiasticam statutum; eo quod ex communi regula, sicut consuetudo vim habet inducendi nouam legem; ità etiam abrogandi antiquam, ac etiam si per legem ipsam reprobetur consuetudo, potest adhuc per sequentem consuetudinem abrogari ipsamet talis lex. Communis tamen opinio id negat ex *cap. Quod super his de consanguin. & affinit.* vbi Pontifex definit non valere matrimonium in gradibus prohibitis contractum, *Non obstante consuetudine, quæ dicenda est potius corruptela*, ex quo loquendi modo non solum deducitur vera ratio nostræ assertionis, sed etiam [illegible] rationis adductæ pro parte opposita, vt notat Auersa *loc. cit.* quia nimirum licet alioqui consuetudo possit abrogare legem absolutè loquendo, tamen consuetudo per ipsam legem reprobata, non potest legitimè introduci, nec legem abrogare potest; dicitur autem consuetudo per legem reprobata, non quando lex dicit solùm, non obstante consuetudine in contrarium, quia per hæc, & similia verba reuocatur tantum consuetudo, non autem reprobatur, sed quando contrarium consuetudinem vocat abusum, & corruptelam, vt loquitur Pontifex *loc. cit.* etenim intantum consuetudo vim legis habet, inquantum legislator ipse eam valere voluit, sed quando legislator ipse eam non tantum reuocat, sed expressè eam reprobat & reijcit, ac corruptelam vocat, vtique non censetur voluisse, vt valeat, atque ideò talis consuetudo vim non habebit, nisi denuò legislator sciens, & videns eam introduci verbo, aut facto illam approbet, quia tunc de nouo censetur velle, vt valeat, vt rectè discurrit Auersa *loc. cit.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

An etiam Episcopi, & Principes sæculares possint matrimonij impedimenta statuere.

PRimò est Difficultas de Episcopo, an dictam potestatem habeat in sua Diœcesi, sicut habet Pontifex in tota Ecclesia, ita ut statuere possit impedimenta matrimonium dirimentia respectu suorum subditorum circà quam; conueniunt Doctores de facto saltem non esse in eo talem potestatem expeditam, quia antiqua Ecclesiæ consuetudine Concilio generali, & summo Pontifici id reseruatum est, quare est sola difficultas, an sit in eo ex vi sui muneris, & officij Episcopalis, quamuis consuetudine sit impedita. Negant Suarez, Coninchius, Brancatus noster, & quidam alij, quia Episcopus ex vi suæ ordinationis nullam habet iurisdictionem, quia quam habet accipit à summo Pontifice, vndè Brancatus ait *loc. cit.* Episcopum posse statuere solum in sua Diœcesi aliquod impedimentum merè prohibens matrimonium, non verò dirimens. 337

338 Oppositum tamen probabilius asserunt Couar. Sanchez, Tancred. Hurtad. Becanus, Ponce, Auersa, Bonacina, & alij [illegible] dicentes, quod si solum ius diuinum, & naturale spectemus sicut Pontifex in tota Ecclesia, ita Episcopus potest in sua Diœcesi statuere impedimenta matrimonium dirimentia, generatim enim loquendo quicquid potest Pontifex in tota Ecclesia quoad æternam iurisdictionem, potest Episcopus in sua Diœcesi, nisi Pontifex sibi reseruet, talem enim habet potestatem summo Pontifici reseruatam, vt capiti totius Ecclesiæ, quod facili, & obuia ratione suadetur, quia Episcopus ex vi sui officij est plenè, & perfectè Pastor, & Princeps in sua Diœcesi, quamuis subordinatus Pontifici, ergo plenam habet potestatem condendi quascunque leges in sua Diœcesi, & statuendi quicquid saluti suarum ouium expedire videbit, & consequenter statuendi etiam impedimenta matrimonium dirimentia, vndè Episcopus dictam potestatem non accipit à summo Pontifice, vt Auctores oppositæ sententiæ dicebant, sed ex vi suæ ordinationis, & consequenter immediatè à Christo, vt patet ex Actorum 20. *Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo Spiritus Sanctus posuit vos Episcopus regere Ecclesiam Dei &c.* benè tamen verum est talem potestatem esse summo Pontifici subordinatam, qua ratione potest à summo Pontifice in partem, aut totum impediri.

339 Secundò est Difficultas, An Princeps Christianus possit huiusmodi impedimenta statuere, & quidem Doctores in eo conueniunt, de facto in Principe Christiano non esse talem potestatem expeditam, & id significatur in *cap. Per venerabilem* 4. de ordine cognit. vbi dicuntur causas natalium, seu matrimoniales ad forum Ecclesiasticum pertinere, & ità etiam definiuit Conc. Trident. *can.* 12. *de Matrimonio*, & in hunc etiam sensus Scotus noster 4. *d.* 42. 1. & N. aliam potestatem inter Fideles non agnoscit, quæ hæc impedimenta statuere possit, nisi Ecclesiasticam, & ad eam solam spectare in matrimonium ordinationem, & dispositionem; Est igitur sola Difficultas, an dicta potestas sit in Principe Christiano ex vi suæ iurisdictionis, & officij, quamuis de facto sit ab Ecclesia illi impedita, in qua tres extant opiniones duæ extremæ, & tertia media. Prima absolutè affirmat, quia nim-rum

rum contractus matrimonij est ciuilis, & sæcularis, sicut reliqui; ergo est subditus potestati sæculari, seù ciuili non minus, quàm reliqui; ità Petrus Soto, Sanch. Henriquez, Coninchus, & alij. Secunda absolutè negat, quia contractus matrimonij in baptizatis ex institutione Christi desinit esse ciuilis, & sæcularis, vtpotè factus Sacer, & sacramentum; ergo desinit esse subditus potestati ciuili, seù sæculari, quam habet Princeps sæcularis; ex quo inferunt Principem sæcularem, quamuis Christianum, nec ex vi suæ iurisdictionis, & officij posse instituere impedimenta matrimonio baptizatorum, posse tamen matrimonio non baptizatorum, quia horum matrimonium non est sacrum; ità Vasquez, Ponce, Hurtadus, Auersa, Brancatus ex nostris, & alij.

340 Media sententia, quæ communior est, & probabilior tria asserit. Primum est, quod Princeps Christianus, si præcisè huius potestas spectetur, statuere potest prædicta impedimenta respectu suorum subditorum; Ratio est, quia Principibus, & regibus data est à Deo potestas condendi leges pro subditis pro eorum gubernatione in bonum Reipublicæ; sed quandoque expedit ad bonum Reipublicæ prædicta impedimenta matrimonij inducere, ergo ex vi suæ iurisdictionis & officij possunt illa statuere respectu suorum subditorum. Confirm. quia respectu eorum non minorem habet potestatem Princeps Christianus, quàm infidelis; sed hic potest instituere impedimenta circa matrimonium suorum subditorum, vt statim dicemus, ergo & ille. Nec obstat, quod matrimonium Christianorum sit sacramentum, quia impedimenta non statuuntur circà matrimonium, vt sacramentum est, sed solùm, vt contractus ciuilis. Tandem quia Principes eodem titulo, & iure possunt alios contractus ciuiles irritare, & has vel illas personas inhabiles reddere ad eos contrahendos, appositis impedimentis eosdem contractus dirimentibus, ergo id pariter possunt in ordine ad matrimonium, quatenus contractus ciuilis est. Secundum, quod asserit hæc sententia est, quod talis potestas in Principe Christiano sibi conueniens ex vi sui regalis dominij impedire potest à Pontifice, quia potestas sæcularis subiecta est Ecclesiasticæ, & de facto impedita est, quia Pontifex causas matrimoniales sibi reseruauit, plures enim leges ciuiles, quæ in quibusdam casibus matrimonium prohibebant, per ius Canonicum correctæ sunt; & fortè per hæc duo asserta huius tertiæ mediæ sententiæ cōciliari possunt aliæ duæ extremæ, dicendo quod prima sententia affirmans loquitur iuxtà sensum primi asserti, secunda verò negans loquitur iuxtà sensum secundi asserti, & re vera nonnulli ex Auctoribus pro vtraque citati in hoc sensu loquuntur. Tertium tandem, quod hæc sententia media asserit, est quod quamuis Principum Christianorum potestas in causis matrimonialibus impedita sit respectu subditorum fidelium, non tamen respectu infidelium, ideò enim hoc ius sibi Pontifex reseruauit respectu fidelium, quia horum matrimonium est sacramentum, at infidelium matrimonium non est sacramentum; & hanc mediam sententiam docent Becanus, Bonacina, Ledesma, Valentia, Victoria, Perez, Caspensis, Stephanus à S. Gregorio, & alij communiter.

341 Tertiò est Difficultas, An Princeps infidelis possit statuere impedimenta matrimonium dirimentia respectu suorū subditorum; & quidem Doctores conueniunt posse id facere respectu suorum subditorum infidelium; Ratio est; quia ex vna parte matrimonium infidelium non est sacramentum, sed tantùm ciuilis quidam contractus, & ex alia parte Princeps in suo Regno potest ea omnia statuere, quæ ad commune bonum, & Reipublicæ tranquillitatem spectant; sicut ergo ex iusta causa alios potest irritare contractus, quando bonum Reipublicæ id exigit, sic etiam contractum matrimonialem irritare poterit. Ex quo sequitur quod si infidelis matrimonium contraxisset cum aliquo impedimento secundum eorum leges dirimente, & posteà Christianus fieret, & ad fidem conuerteretur, si vellet in coniugio perseuerare, deberet rursus cōtrahere, quia prior contractus fuit inualidus. Disputant verò. An Princeps infidelis non solùm respectu subditorum infidelium, sed etiam fidelium talia impedimenta statuere possit. Affirmant Sanchez, Tancred. Coninch. Becanus, & alij, nam licet matrimonium fidelium sit sacramentum, non tamen potest esse sacramentum, nisi supponatur esse legitimus contractus ciuilis: at non esset talis contractus, nisi esset celebratus secundum leges ciuiles illius Regni, præsertim, si iustæ sint; ex quo deducunt, quod sicut Christiani habitantes sub potestate Principum infidelium alias quoque leges ciuiles seruare tenentur, quæ ad pacem Reipublicæ spectant, ità etiam legem irritantem certa matrimonia, modò non sit iniusta.

Negant verò Ponce, Caspensis, Auersa, & alij. Ratio 342 est, quia ex quo fidelium matrimonium ad statum sacramenti est eleuatum, iam extractum est è potestate, lege omnis Principis sæcularis præsertim infidelis, & ideò si aliquis Christianus est subditus Regis infidelis, qui pro sua Republica aliqua instituit impedimenta dirimentia, non subiacet illis impedimentis, sed solùm statutis ab Ecclesia, quia in eo articulo non est subditus illius Regis, sed solius Ecclesiæ, quia eius matrimonium contrahendum est verè sacramentum, & hæc sententia mihi videtur probabilior, & potestati Ecclesiæ fauorabilior. Quando verò præfati Doctores asserunt Principem infidelem posse prædicta impedimenta statuere respectu suorum subditorum, Rempublicam Hæbreorum excipiunt, quæ cum libera non sit, non potest statuere similia impedimenta, nec habent proprium, & legitimum Principem, nec possunt vti legibus Mosaicis, quæ ad causas matrimoniales spectant, quia omnes leges ceremoniales per mortem Christi expirarunt. Vnde si aliquis Iudæus sit subditus Regis infidelis, seruare tenetur impedimenta ab illo Rege statuta, quia neque ipse est Christianus, nec eius matrimonium est sacramentum; Si verò subditus sit Romano Pontifici, ei non subiacet in impedimentis ab Ecclesia institutis pro solis baptizatis, sed si Pontifex vellet eis aliqua imponere impedimenta, vt Princeps rerum temporalis, Iudæi eis subiacerent, & illa seruare tenerentur, cùm hæc non essent Ecclesiastica impedimenta, sed purè ciuilia.

Quartò tandem est Difficultas, an contrahere cum tali 343 impedimento dirimente sit peccatum mortale habens duas malitias, vnam ex transgressione præcepti iuris naturalis vel Ecclesiastici, & consequenter inobedientiæ, alteram contrà religionem ex eo, quod fiat irritum sacramentum. Et quidem certum est apud omnes esse peccatum mortale scienter contrahere cum impedimento, quia est contrà Ecclesiæ prohibitionem in re graui; esset enim culpa mortalis ob præceptum naturale, si impedimentum fuerit ex iure naturali, vt si quis contraheret in primo gradu descendentium, vel ascendentium: vel ob præceptum Ecclesiæ, vt si quis contraheret inter alios gradus ab ipsa Ecclesia prohibitos. Sed dubium est, an tale peccatum duas contineat malitias, & quidem multi negant dicentes præter culpam [illegible] transgressionis contrà legem, quæ constituit impedimentum dirimens, opus non esse addere aliam distinctam [illegible] malitiam sacrilegij contrà reuerentiā sacramento [illegible] si quis cum impedimento dirimente contrahere [illegible] sicut hanc specialem culpam incurrunt, qui [illegible] administrandis, vel suscipiendis alijs sacramentis [illegible] ta reddunt; & disparitatem assignant, quia in [illegible] titatio cadit directè super matrimonium, vt contractus [illegible] non verò, vt sacramentum; & talis irritatio per [illegible] ab ipsa Ecclesia, quæ tale impedimentum induxit [illegible] tem ab ijsdem contrahentibus: ità Sanchez, Tancred. [illegible] Ledesma, Filliucius, Diana, Hurtadus, Caspensis, [illegible] à S. Gregorio, & alij.

Sed probabilius affirmant alij interuenire in tali 344 casu culpam, & malitiam sacrilegij, & ratio est, [illegible] peccatum inobedientiæ contrà ius naturale aut [illegible] cum, quo impedimentum fuit introductum, etiam [illegible] tur iniuria sacramento, quo fit contrahentes ab [illegible] Coninchius aduertit *disp. 30. dub. 2.* Tùm etiam qui [illegible] nè discurrit Auersa *quæst. 9. sect. 5.* culpa transgressionis [illegible] trà legem irritantem communis esse etiam infidelibus [illegible] Paganis cum aliquo impedimento dirimente con[illegible] tentantibus, siuè hoc esset ex iure naturali, siuè ex [illegible] tiuo sui Principis; at fideles, & Christiani, qui [illegible] monium in Ecclesia eleuatum esse ad statum sacramenti [illegible] prætereà sciunt se cum impedimento dirimēte nullum [illegible] dere, & irritum sacramentum, planè grauius pec[illegible] proindè etiam ex hac parte delinquere videntur [illegible] quenter malitiam sacrilegij quoque contrahere [illegible] sacramento irrogatam: Et quamuis irritatio directè [illegible] supra matrimonium, vt contractus est, concomitanter [illegible] men cadit etiam suprà rationem sacramenti, quia in [illegible] monio fidelium ratio contractus, & sacramenti non [illegible] rantur. Et tandem quamuis lex irritans lata sit ab Ec[illegible] attamen vt in facto ità contrahatur matrimonium nulli[illegible]

nullum, & irritum, ab ipsis contrahentibus prouenit, qui cum tali impedimento, & contra talem legem contrahere tentant.

QVÆSTIO DVODECIMA.

De impedimentis non dirimentibus, se is merè prohibentibus.

345 IAm separatim agendum est, & in particulari de impedimentis matrimonium merè prohibentibus, & de impedimentis etiam dirimentibus, sed primò de illis, quàm de istis, quia res est facilis, & breuis, vndè ea omnia, & singula hac vnica quæstione complectemur; Et quidem Scotus de his impedimentis in particulari non loquitur ex professo, sed obiter aliquando, quia nimirum matrimonij constitutionem non inualidant, quam præsertim tractandam, & declarandam propostierat, ideoque ex Sacris Canonibus, & Theologis Moralibus horum notitiam inuestigare curabimus, & pariter fecimus de Sponsalibus *quæst. 9. & 10.*

ARTICVLVS PRIMVS,

Quæ, & quo sint impedimenta non dirimentia, sed merè prohibentia.

346 IMpedimenta huius generis quinq; communiter à Theologis numerantur, vt videre est apud Bonacinam *quæst. 3 punc. 14.* qui alios citat, & Brancatum nostrum *disput. 36.* nimirum Interdictum, Catechismus, Votum simplex, Sponsalia, & Crimen, quæ memoriæ iuuandæ causa versibus comprehenduntur quibusdam, qui passim à Summistis referuntur.

Primum itaque impedimentum est Ecclesiæ interdictū, seù prohibitio, vt habetur ex *cap. Non vxorem 33. quæst. 1. & cap. Capellanus* de Ferijs. Interdicti autem nomen idem sonat, quod prohibitio, quarè si amplè in hac significatione sumatur, omnia impedimenta generaliter comprehendit; specialiter autem hic nomine interdicti intelligitur prohibitio matrimonium ratione Feriarum; interdictum enim, seù prohibitum est ab Ecclesia, ne quibusdam anni temporibus matrimonia fiant, & diuersa de hoc fuit prohibitio pro temporum varietate, nunc autem impedit ab Aduentu vsq; ad Epiphaniam, & à Feria quarta Cinerum vsque ad octauam Paschatis inclusiuè, vt habetur ex Tridentin. *sess. 24. cap. 10.* Verum tamen est Concil. *loc. citat.* prohibere solùm dictis temporibus solemnitatem Nuptiarum, vndè de licentia Ordinarij possunt etiam in illis sponsalia, & matrimonia celebrari sine solemnitate, vt ait Glossa communiter recepta in dicto *cap. Capellanus de Ferijs*; seclusa verò licentia prohibitum est dictis temporibus matrimonia celebrare, vt hic notant Sanchez, Reginald. Coninch. Bonacina, & alij, non est tamen vetitum his temporibus consumare matrimonium anteà contractum, nam iura non loquontur de consumatione matrimonij, vt notant relati Auctores, prohibitio igitur matrimoniorum in prædictis temporibus complectitur solùm solemnia cum publica benedictione in Ecclesia, & alijs eiusmodi pompis, vt patet expresè ex ipsis Concilij verbis, quod etiam anteà adnotauit D. Bonauentura *4. d. 32. par. 4. q. 1.* vbi etiam congruentiam assignat, cur illis præsertim temporibus Ecclesia matrimonia prohibuerit sic celebrari; Interdicti etiam nomine in proposito intelligendum venit, quando ab Episcopo prohibentur nuptiæ donec aliqua causa examinetur, vt notat Nouellus in Instructione Christiana ad Parochos de Sacramento matrimonij versus finem, pro quo citat *cap. 1. 2. & 3. de matrimonio contracto contra interdictum*, quod etiam aduertit Castropensis *disp. 9. sect. vlt.* Interdicti enim nomine intelligi potest peculiaris prohibitio, non à iure, sed ab homine, quæ interdum fit certis aliquibus personis, ne contrahant, & potest iustè fieri non solùm à Pontifice, sed etiam ab Episcopo, vt dictum est, imò etiam à Parocho ex causa, & ad tempus, vt ait Auersa *quæst. 10. sec. 2.* vbi etiam aduertit, quod quandocunque in tali prohibitione, & interdicto, etiamsi sit à Pontifice, non apponitur expresè clausula irritans, remanet purum impedimentum prohibens, & non dirimens.

347 Quis autem possit dispensare, vt dictis temporibus matrimonia solemniter celebrentur; dicendum est iure ordinario hanc dispensationem soli Papæ competere, & Episcopum iure ordinario dispensare non posse, vt aliqui docent & ratio est, quia prohibitio est de iure communi, & vigore Concilij Tridentini, & Episcopus dispensare non potest in lege Pontificis, aut Concilij, nam iure ordinario nullus inferior relaxare potest leges à Superiore conditas, quod ex naturæ dictamine est notum, & habetur ex *dist. 21. cap. Inferior*; Vndè ad summum dispensare potest in vrgenti necessitate, & quando aditus ad summum Pontificem non facilè pateret, qui etiam casus vix, & rarissimè accidere potest, vt notat Sanchez *lib. 7. disp. 7. num. 6. in fine*, & cum eo Brancatus noster *disp. 36. cit. art. 1. §. 3. in fine*, nisi fortè ob bonum publicum, vt pacis &c. sit in Republica necessarium ea lætitiæ signa demonstrare, vel de vna regione in aliam data opportuna occasione magnificè traducenda sit sponsa; in hoc enim casu, & similibus satis probabile est ex Epichea Episcopum in hac lege dispensare posse, non autem ex iure ordinario.

348 Secundum impedimentum est Catechismus; est autem Catechismus institutio Fidei, quæ fit antè ianuam Ecclesiæ super baptizando à patrino, qui ad interrogationem factam à Parocho respondet nomine eius, qui baptizari debet; per hanc ergò factam ceremoniam contrahit hic patrinus cognationem quandam spiritualem cum eo, quem tenet, ob quam prohibitum est illi cum eo posteà contrahere, ità habetur ex *cap. Contracto de Cognat. spirit. & c. 2. de Cognat. spirit. in 6.* & hoc dicitur impedimentum Catechismi prohibens, sed non dirimens; estque rationi consonum, vt sicut patrinus tenens in Baptismo contrahit in baptizato perfectam cognationem spiritualem matrimonium dirimentem, ità patrinus tenens tantùm in Catechismo quandam contraheret imperfectam, ac veluti inchoatam cognationem spiritualem solummodò prohibentem; & de hoc impedimento mentionem facit Doctor *4. dist. 42. K.* vbi ait per Catechismum, qui præcedit baptismum, oriri cognationem spiritualem, per quam impeditur matrimonium contrahendum, licet non dirimatur contractum, ac etiam D. Bonauen. *ibid. par. 1. qu. 1.*

349 Sed dubium est, an hoc impedimentum iure nouo Concilij Tridentini *sess. 24. cap. 2. de Matrimon.* fuerit sublatum. Communis opinio affirmat fuisse sublatum, ibi enim Concilium cognationem spiritualem restringit ad eas tantùm personas, quas ibi enumerat; cùm ergo ibi nullam faciat mentionem tenentis Catechismo, signum est huiusmodi cognationem fuisse sublatam, & hac de causa quamplures qui post Concilium scripserunt de hoc impedimento nullam faciunt mentionem, nec illud inter alia enumerant; itaque iure nouo Concilij Tridentini sublatum fuisse docent Henriq. Reginaldus, Sanchez, Tancred. Gutierez, Coninc. Ponte, vtergue Ledesma, Filliucius, Emanuel Sà, Diana, Becanus, Bonacina, Auersa, Abellius, Stephanus à S. Gregorio, & tota ferè Recentiorum caterua. Alij verò negant hoc impedimentum per Concilium fuisse sublatum *loc. cit.* sed aiunt ibi tantùm fuisse restrictum ad easdem personas, & gradus cum cognatione spirituali perfecta oriente ex baptismo, ità Palaus, Vgolinus, Nauarrus, Vega, & quidam alij, quos sequitur Brancatus noster *disp. 36. cit. art. 2. vbi nu. 138.* inquit hoc impedimentum per Concil. Trident. *loc. cit.* nec explicitè, nec implicitè fuisse sublatum, quia ibi nunquam loquitur de impedimentis prohibentibus tantùm, sed de dirimentibus, quia attendebat solùm ad substantiam, & validitatem matrimonij.

350 Nihilominus cum prima, & communiori opinione probabilius puto dicendum non amplius extare hoc impedimentum, sed per Concilium fuisse sublatum, ità enim clarè habetur ex verbis eiusdem *loc. cit.* vt etiam notauit Auersa *10. sec. 3. in fine*, ibi enim post designatas personas, inter quas voluit contrahi spiritualem cognationem concludit, *personis inter alias personas huiusmodi spirituales cognationes impedimentis omninò sublatas*, quo loquendi modo non tantùm impedimentum dirimens, de quo vtique præsertim agebat, sed etiam merè prohibens istis attingit, & cum hoc impedimentum in nulla parte designauerit, iam in omnibus sustulit; Et quando etiam Concilium dubiè, & obscurè locutum esset, adhuc prior opinio, vt communior, & probabilior amplectenda est, quàm opposita, quia lex dubiè loquens pro parte fauorabili est declaranda, cùm priuilegia sint ampliand, & pœnæ restringendæ; Sed dato etiam, quod

impedimentum non fuerit sublatum in Trident. *loc. cit.* dicendum adhuc videtur, vt notat Bonac. *qu. 3. cit. punc. 14.* tenentem in solo Catechismo non cogi ad petendam illius impedimenti dispensationem à Sede Apostolica, sed sufficere, si eam ab Episcopo petat; imò Sanch. *lib. 7. disp. 17. n. 9.* existimat etiam absq; vllo peccato contrahi posse matrimonium non obtenta tali dispensatione, eo quod existimet per consuetudinem introductum esse, vt dispensatio non petatur in impedimentis merè prohibentibus, excepto Voto, sponsalibus, & interdicto Ecclesiæ. Tutius tamen est dicere tale impedimentum per Concilium fuisse sublatum, eo præsertim quia ità etiam declarasse refertur sacra Congregatio, vt attestatur Ponce *l. 6. c. 11.* cuius verba ibidem refert.

351 Tertium matrimonij impedimentum est votum castitatis, hoc autem potest esse duplex, aut solemne, quale est in professione Religiosa, vel etiam in susceptione ordinis sacri, aut simplex, quale priuatim fieri solet; de voto solemni agemus posteà inter impedimenta dirimentia; nunc verò sermo est de voto simplici castitatis vel ingrediendæ Religionis, vel suscipiendi sacros ordines, vel non nubendi; & de hoc impedimento etiam loquitur Scotus noster *4. d. 38. q. vn. lit. C.* vbi inquit, quod votum simplex continentiæ non impedit simpliciter, licet enim impediat matrimonium contrahendum, non tamen dirimit iam contractum, quod solùm impedimentum dirimens dicitur simpliciter impedire. Hoc igitur votum simplex castitatis iam declarandum est impedimentum prohibens matrimonium contrahendum, vt constat ex *cap. si quis votum 27. q. 1. & c. vn. de voto in 6.* ratio est, quia matrimonium repugnat adimpletioni huiusmodi voti, & huiusmodi voto adstrictus contrahendo matrimonium grauiter peccat, cum faciat contrà votum in re graui, quamuis matrimonium ab eo factum sit validum; quarè Doctores communiter dicunt, quod qui cum huiusmodi voto matrimonium contrahit dispensatione illius minimè obtenta, non solùm mortaliter peccat, sed nec etiam debitum coniugale licitè petere potest, quamuis reddere possit, ac debeat, & hoc etiam iam pridem docuerunt D. Thomas *4. d. 38. q. 1. art. 4.* & D. Bon. *ibidem part. 2. q. 1.* Hæc autem vis inest voto, non tam ex præcepto positiuo Ecclesiæ, quàm per se ex iure diuino, & naturali, quia hoc sua natura, seu suo iure naturali impedit sub mortali, ne fiat matrimonium, quia sic contrahere est contrà fidem Deo datam in re graui, & ex natura rei tenetur quisque seruare, quæ Deo promisit, quarè hoc matrimonij impedimentum est de Iure diuino naturali; & peccaret quoque alter coniugum, qui talis voti conscius contraheret, tanquam alterius peccato cooperans.

352 Sed Dubium, est, an sic vouent possit sine peccato matrimonium contrahere animo determinato non consumandi. Affirmant plures absolutè loquendo, quia votum castitatis, & Religionis impediunt tantum contrahere cùm animo consumandi, quarè si talis animus absit, votum castitatis matrimonium non impedit, ità Hurtadus *disp. 11. diffic. vn.* Caspensis *disp. 8. sec. vlt.* & alij; Sed hoc non placet sic absolutè prolatum, vt enim hoc licitè fieri possit, requiritur etiam alterius coniugis consensus, alioquin fieret ei iniuria, & esset quædam illusio; si autem in hoc alter etiam coniugum consentit, aut etiam simili voto ad perpetuam continentiam se obligat, tunc quidem votum castitatis matrimonium non prohibet, nec contrahens peccat, dummodo periculum copulæ absit, hoc enim modo valere, & licere matrimonium, & ità de facto contraxisse B. Virginem, & S. Ioseph iam dictum est in superioribus; secluso autem alterius coniugis consensu, is qui contraheret animo non consumandi licet non peccaret contrà votum castitatis, nisi ratione periculi, cui se exponeret, peccaret tamen contrà Iustitiam, & debitum coniugale, vt etiam benè aduertit Auersa *q. 10. cit. sect. 4.*

353 Rursus Dubium est, an peccaret si quis voto castitatis adstrictus, non requisito alterius coniugis consensu, contraheret matrimonium eodem animo non consumandi, sed cum determinatione ingrediendi Religionem intra bimestre, prout de Iure potest, & ità dissoluendi matrimonium ratum per professionem Religiosam; Et quidem certum est, quod si votum fuisset explicite de non contrahendo, aut de suscipiendo ordine sacro, peccaret directè contra votum, dùm contraheret, quia tunc obiectum voti fuisset directè ipsi contractus negatio, & sic se inhabilem etiam redderet ad sacros Ordines suscipiendos, ad quos admitti non potest sine alterius coniugis consensu; sola ergò difficultas est, si votum fuisset de ingredienda Religione ad quam, & in ea profiteri matrimonium ratum dissoluendo etiam altero inuito; & quidem licitè sic contrahere posse absq; alterius coniugis consensu plures affirmant, quia in tali casu iste nihil faceret contrà votum, nam illesum remanet votum, si actualis copula non sequatur; & ex alia parte contingere potest, vt non possit absque graui scandalo tale matrimonium omittere ob famam, & honorem coniugis, cùm qua fortè conuersatus est; Nec tandem ex hoc, quod alter coniux non sit conscius talis voti, & propositi, vllam patitur iniuriam, quia diuina institutione concessum est hominibus, vt possint post contractum intrà bimestre ante consumationem Religionem ingredi, siuè ergò sciat, siuè nesciat nullam patitur iniuriam, cùm non possit obligare contrahentem, ne transeat ad Religionem, & vterque coniux potest hac facultate vt sibi à iure concessa; & vndè cùm in hac facultate sint æquales, nulla fit alteri iniuria; ità Ponce *lib. 6. cap. 12.* vbi plures alios citat, & sequitur Brancatius noster *disp. cit. art. 3. §. 1.* pro se Scotum adducens *4. dist. 37. quæst. vn. C.* in fine etiam ab alijs citatum.

354 Sed quamuis in tali casu non peccaret iste directè contrà votum, si votum castitatis obligabat tantùm ad actus carnales non exercendos, quos hic habet animum non exercendi; adhuc tamen peccare videtur contrà Iustitiam, si inscio altero coniuge ità contrahat; licet enim habeat ius ingrediendi Religionem etiam post matrimonium ratum intrà bimestre, tamen ab initio contrahere cum eo animo mente retento, est decipere consortem in re graui, remque valdè molestam ei facere, & plerunque etiam cum non leui eius iactura, & detrimento, vt scitè discurrit Auersa *sec. 4. cit.* constituit enim illam in necessitate expectandi totum tempus suæ probationis, & posteà si fortè egrediatur è Religione ad professionem non receptus, infert notabilem molestiam, & verecundiam, vt in coniugio maneat [illegible] cum persona è Religione egressa; quod si profiteatur [illegible] illi fortasse aliud coniugium difficilius; quæ quidem [illegible] licet illicitum non faciant Religionis ingressum post [illegible] ctum sincera fide matrimonium, saltem reddunt [illegible] animum, quo sic ab initio contraheretur, atque [illegible] dum est, non licere ab initio cum tali animo [illegible] nisi de consensu alterius partis, & secus faciendo [illegible] contrà iustitiam; & fortè etiam saltem indirectè [illegible] votum castitatis, quia se exponit periculo illud [illegible] di, & maximè quia contingere potest, vt ad professionem non admittatur, & ad sæculum redire cogatur [illegible] re matrimonium; & hunc dicendi modum tenent [illegible] ninus, Siluester, Henriquez, vterque Sotus, Sanchez [illegible] cted. Gutierez, Coninchus, Diana, Auersa, & alij [illegible] neque oppositum docet Scotus noster *loc. cit.* solùm [illegible] dicit, quod sic vouens potest licitè contrahere [illegible] tione intrandi Religionem, non tamen exprimit [illegible] facere possit sine consensu alterius partis, in quo consistit tota puncti huius difficultas.

355 Demum Dubium est, an si post sponsalia votum [illegible] ciat castitatis possit licitè contrahere; Omnes [illegible] quod si quis voto adstrictus sponsalia iniret, ad [illegible] tur voto contrahere matrimonium, imò hæc [illegible] per se nulla, & irrita, quia promissionem contra [illegible] re illicita, idque affirmant, etiamsi sponsalia [illegible] mento firmata, quia contrà votum emissum [illegible] iuramentum; At si è contrà quis post sponsalia [illegible] iurata votum emitteret castitatis, volunt aliqui [illegible] non impediri, sed debere potius matrimonium [illegible] vt priorem adimpleat obligationem. Verum [illegible] casu impediri voto, & solui potius sponsalia, [illegible] beat, nec possit contrahere iam suprà statuimus [illegible] dissolutione sponsalium *art. 1. nu. 304.* quia votum [illegible] castitatis soluit obligationem sponsalium, cùm sit [illegible] ri bono, & sequens voti vinculum, & promissio [illegible] Deo est fortius, & hoc idem tenet Auersa *loc. cit.* [illegible] catus noster *art. 3. cit. §. 2.* Adhuc tamen Difficultas [illegible] qui prius votum simplex castitatis, vel Religionis [illegible] puellam deflorauit cum promissione matrimonij [illegible] citè cū violata contrahere, in qua difficultate variè [illegible] di dicendi, nam Auersa *loc. cit.* cum pluribus aliis [illegible] quod in hoc casu non impediretur voto, sed tene[illegible] tius contrahere ad reparandum nempè damnum [illegible]

quod non est aliter reparabile, quàm per matrimonium, idque procedit siuè votum emiserit post sponsalia, & copulam, siuè post votum inierit sponsalia, & copulam cum muliere talis voti ignara, addit tamen, quod teneretur abstinere à secundis nuptijs moriente priori coniuge. Brancatus verò *loc. cit.* cum Nauarro, & alijs hoc negat, & ait §. 3. quod etiamsi post votum adsit defloratio, vel corruptio alterius personæ honestæ, adhuc viget votum; & impedit contrahere; Ratio est, quia voti obligatio ex sui natura, vel ex vouentis arbitrio non remittitur per quodcunque sequens, & maximè propter delictum, alioquin de iniquitate commodum reportaret, dolus autem nulli debet patrocinari ex *cap. Ex litteris* de dolo, & contum. Tum quia eius corpus quoad actus continentiæ iam esset Deo obligatum per votum præcedens, ergo non posset illud alteri dare licitè ad oppositos actus. Verùm hanc difficultatem ex professò superius tractauimus *q. 3. de sponsalibus art. 3.* de sponsalium obligatione *dub. 3. n. 279. & seq.* vbi diximus has extremas opiniones conciliari posse media via incedendo, vt ibi explicatum est.

356 Quintum Matrimonij impedimentum est contractus sponsalium cum alia persona initus, hæc enim sponsalia antea celebrata impediunt inire matrimonium cum alio, vel cum alia; quod si de facto celebretur, valebit, erit tamen iniustum, & illicitum contrà obligationem iustitiæ ex sponsalibus ortam, qui enim contraxit sponsalia cum vna persona, grauem contraxit obligationem standi sponsalibus, siquidem sponsalia sunt promissio matrimonij, quæ obligationem inducit sub mortali, vt *loc. cit.* fusè declaratum est; an verò licitum sit aliquando à sponsalibus resilire, & in quibus casibus, iam etiam ex professo tractauimus *q. 10.* De dissolutione sponsalium, & hic est communis dicendi modus omnium Doctorum circa hoc impedimentum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Impedimento prohibente Criminis.

357 QVintum denique Matrimonij impedimentum est crimen, vbi tamen aduertendum est, Crimen duo impedimenta constituere, vnum dirimens, de quo dicemus infra, aliud verò merè prohibens, de quo modo tractandum est, & videndum, quotuplex sit hoc genus Criminis, quod constituit hoc impedimentum merè prohibens; Hoc itaque Crimen, quod matrimonium prohibet, licet non dirimat, septem delicta sub se continere dicitur ex antiquo Iure Canonico.

Primum Crimen, ob quod olim fuit prohibitum alicui contrahere matrimonium, est incestus, qui in præsenti est fornicatio cum affine in gradu prohibito, scilicet quando vir habet copulam cum consanguinea vxoris vsque ad quartum gradum, vel è contrà, vxor copulam habuit cum consanguineo viri vsque ad quartum gradum, talis enim incestus impedit, ne vir possit amplius contrahere cum alia quacunque post mortem vxoris, & è contrà, nisi in casu quo dictus affinis cognosceretur, vt extraneus, vt expressè sumitur ex cap. de eo, qui cognouit consang. & ratio est, quia sicut ignorantia excusat à culpa, ità à pena; ità docent Doctores passim ex antiquis Canonibus, quos per extensum refert Brancatus noster *disp. 36. cit. art. 4.* Aliqui hoc impedimentum extendunt etiam ad incestum commissum cum proprijs consanguineis, eo quod hic incestus sit maior, quàm cum affinibus, vndè si statutum est pro incestu affinitatis, tanto magis statutum erat pro incestu consanguinitatis; ità Poncius *lib. 6. cap. 13.* plures alios citans, & Brancatus noster *disp. 36. citat. art. 4.* Negant alij, eo quod hic incestus potius sit inimicus naturæ, quàm matrimonio, & quia iura tantùm agunt de incestu cum affine, ità Sanchez, Tancred. Bonacina, Auersa, Petrus de Ledesma, Filliucius, Stephanus a S. Gregorio, & alij passim, quæ opinio est communior, & probabilior, cùm iura videantur loqui de incestu tantùm cum affine, & versentur in materia pœnali, quæ restringenda est. Rursus aliqui volunt hoc impedimentum habere vim tantùm viuente vxore, itaut qui mortua vxore copulam habet cum vxoris consanguinea hoc impedimentum non contrahat. Alij verò magis communiter, & probabilius affirmant vim habere etiam post mortem vxoris, quia committens incestum cum affine contrahit impedimentum Criminis matrimonium impediens, sed habens copulam cum consanguinea vxoris committit incestum, etiamsi cum ea copulam habeat mortua vxore; ità Sanchez, Rebel. Gutierez, Petrus, Ledesma, Brancatus, Tancredus, Stephanus à S. Greg. & alij passim. Demum extendunt etiam communiter Doctores impedimentum hoc ad copulam habitam cum persona consanguinea sponsæ, vel sponsi de futuro, quia licet non sit propriè incestus cedit tamen in iniuriam matrimonij promissi, quod amplius contrahi non poterit ob affinitatem cum sponsa ex tali copula deriuatam cum eius consanguinea, & ità habetur ex cap. 2. De eo qui cognouit consangu. volunt tamen hanc esse consanguineam sponsæ in primo gradu, quia impedimentum publicæ honestatis non excedit primum gradum ex Concil. Tridentin. *sess. 24. cap. 3.* & addunt hoc impedimentum non esse perpetuum, sed temporale, viuente nimirum ipsa consanguinea, cum qua habita fuit copula; illa enim mortua potest contrahere cum sponsa; & ratio est, quia cum huiusmodi delictum propriè non sit incestus, congruum fuit, vt pena perpetua non puniretur, sed temporali, quamdiu scilicet viuit alter delicti complex, ità Sanchez, Gutierez, Lopez, Bonacina, Auersa, Filliucius, & alij passim.

Secundum Crimen inducens impedimentum matrimonij prohibitiuum est raptus alienæ sponsæ, per quem contrahitur impedimentum, vt non possit raptor nec cum rapta, nec cum alia matrimonium contrahere, & si rapta consensum raptui præbuit sponso resistente in eandem incidit pœnam, & impeditur ne cum alio matrimonium contrahere possit; habetur hoc impedimentum cap. *Statutum 27. q. 2.* & ea ratione inductum fuit, quia alienum matrimonium perturbans dignus erat arceri à proprio contrahendo cum quacunque alia persona. Sed Difficultas est, an nomine sponsæ intelligi debeat sola sponsa de præsenti scilicet post contractum matrimonium, an etiam sponsa de futuro; Primum affirmant Sanchez, Tancred. Ponce, Coninchius, Filliucius, & alij. Sed vtramque intelligunt Rebell. Bonacina, Auersa, & alij, quod etiam magis textui, & rationi consonum videtur, quia etiam per raptum sponsæ de futuro alienum matrimonium perturbatur, & hoc etiam tenet Brancatus noster *loc. cit.* 358

Tertium Crimen inducens impedimentum matrimonij prohibitiuum est vxoricidium, vndè qui propriam vxorem occidit non potest matrimonium inire cum alia; ità habetur cap. *Interfectores, & cap. Admonere, & cap. Quicunque 33. quæst. 2.* Bonacina tamen *quæst. 3. citat. punct. 14.* cum quibusdam alijs negat hoc impedimentum induci, quando vxor occiditur deprehensa in fragranti delicto adulterij, quia tunc vir impunè per leges occidit, quamuis in conscientia peccet; Sed melius alij communiter dicunt hoc impedimentum induci etiam per Vxoricidium ob adulterium illatum, quia licet leges sæculares in tali casu impunitatem concedant, non tamen leges Ecclesiasticæ agnoscentes, & punientes tale delictum; cùm igitur in casu etiam adulterij vxoricidium sit peccatum, semper secum adducit hoc impedimentum, quod ratione peccati statutum est, vt probat Brancatus *art. 4 cit.* § 1. Rursus Bonacina ibidem cum Sanchez *l. 6. disp. 16.* hoc impedimentum restringit ad solum virum occidentem vxorem, & negat hoc extendi ad vxorem virum occidentem, quia nullus textus loquitur de homicidio viri ab vxore patrato, sed tantum de homicidio vxoris patrato à viro. Sed melius alij hoc impedimentum extendunt quoque ad Viricidium, itaut vxor etiam maritum occidens cum alio viro contrahere nequeat, ita Sanch. Tancred. Auersa, & Brancatus noster *loc. cit.* vbi id expressè probat *cap. 1.* de Diuortijs, vbi deducitur, quod mulier insidiatrix mortis mariti absque spe coniugij stet pœnitentiæ subiecta; quod etiam probari potest ex paritate iuris, & exemplo impedimenti dirimentis ex huiusmodi crimine correlatione inter virum, & vxorem. Hoc autem impedimentum cum altera certa persona est etiam dirimens, quando ex præuia promissione eam ducendi, illata fuit mors alteri coniugi; sine autem hac circumstantia pura occisio vxoris, vel viri, est impedimentum solùm prohibens, & est vniuersale cum omni alia persona, vt suo loco declarabitur. 359

Quartum Crimen inducens impedimentum matrimonij prohibitiuum est Presbytericidium, qui enim Sacerdotem occidisset priuatur matrimonio contrahendo *cap. 1. de Pœnitent. & remiss.* & quidem satis rationabiliter, hoc enim quo[illegible] ho[illegible] 360

homicidium sacramento matrimonij reputatur iniuriosum quia Sacerdotis officium est assistere, & benedicere matrimonio, & ideò Sacerdotem occidens dignus censebatur, vt ab eo contrahendo arceretur. Hoc tamen intelligendum est, quando homicida fuerit de tali delicto conuictus, vt Nauarrus *cap.27.* probat ex Panormitano, & patet etiam ex verbis *cit. cap.* vbi sic habetur: *Qui Presbyterum occiderit &c. coniugibus vsque ad vltimum vitæ suæ tempus modis se cingulo careat, & absque spe coniugij maneat*, de quo plura Sanchez *lib.7. disp. 16. cit.*

361 Quintum præterea Crimen inducens aliud impedimentum matrimonij prohibitiuum erat pœnitentia solemnis, & publica, quæ quidem in sacris Canonibus ob varia crimina solebat iniungi, & matrimonium impediebat *cap. De his, & cap. vlt. 33. q.2.* non impediebat autem simpliciter, & absolutè, quasi sic pœnitens per talem pœnitentiam redderetur ad matrimonium inhabilis, sed impediebatur ad tempus, durante enim dicto tempore pœnitentiæ, nullus contrahere licitè poterat, quia tempus pœnitentiæ non debet esse tempus lætitiæ ex citatis capitibus, & abstinere à matrimonio erat pars quædam publicæ pœnitentiæ; quarè hoc intelligebatur durante solùm tempore talis pœnitentiæ, qua peracta matrimonium amplius non impediebatur; notat tamen Sanchez *loc. cit.* ad præsens hoc impedimentum non adesse, cùm huiusmodi pœnitentiæ publicæ non sint in vsu.

362 Sextum vlterius Crimen impedimentum matrimonij prohibitiuum inducens erat susceptio propriæ prolis in Baptismo ex *cap. De eo 30. q.1.* vnde qui in baptismo tenet, seù de sacro fonte suscipit proprium filium ex se, & altero coniuge natum, & hoc malo animo, vt contrahendo cognationem spiritualem cum altero coniuge, eximat se à debito coniugali reddendo, in pœnam fraudis huius, & insidiæ in vsum proprij matrimonij, aliud matrimonium inire prohibetur post mortem alterius coniugis, Et quamuis Canon loquatur solùm de susceptione filij in Baptismo, communiter tamen Doctores hoc quoque impedimentum extendunt ad susceptionem propriæ sobolis etiam in Confirmatione, quia vtrobique eadem ratio militat, ità Sanchez, Tancred. Bonacina, Filliucius, Auersa, Brancatus, Stephanus à S. Greg. & alij passim.

363 Septimum tandem, & vltimum Crimen impedimentum matrimonij prohibitiuum inducens est matrimonium contractum scienter cum Moniali professa, in hoc enim casu non solùm contractus est irritus, & inualidus, verum etiam sic contrahens impeditur, ne possit cum alia contrahere, vt habetur *cap. Si quis, & cap. Hi ergo 27. q.1.* ex Concilio Tiburiensi *c.6.* & quidem satis rationabiliter, quia sic contrahens non solùm in matrimonium carnale delinquit tentans, quod non potest, sed etiam in matrimonium spirituale sponsam Christo dicatam sibi vsurpare volens; vbi etiam aduertit Auersa hoc idem impedimentum ad fœminam quoque extendi debere, si cum viro Religioso contrahere tentaret, idem enim ipsa quoque impedimentum incurreret ex paritate iuris, & identitate rationis.

364 Sed Circa hæc omnia impedimenta ex crimine orta occurrit difficultas, num hæc impedimenta adhuc vigeant, & obligent, in qua tres sunt opiniones, duæ extremæ, & vna media; Prima est huiusmodi impedimenta semper obligasse sub mortali, & adhuc etiam sic obligare, sicut & alia impedimenta iam relata *art. præced.* non ex crimine orta, ità Rebellus *lib.3. cap.18.* Toletus *lib.7. cap.19.* Brancatus noster *disp. cit. art.5.* & alij. Ratio est, quia nulla est facta Canonum, & Decretorum circà hæc impedimenta immutatio, ergo sicut prius, ità & nunc adest obligatio. Nec valet dicere hæc impedimenta prohibentia ex crimine orta esse iam per consuetudinem abrogata, nec amplius obligare. Quia consuetudo mala contrà legem est corruptela non sequenda, sed abjicienda ex *dist. 8. cap. Mala m*, & consuetudo obstans Canonicis institutis est nulla ex *c. Ad nostram De Consuetud.* ne demum valet præscriptio consuetudinis, quando obstat ius commune, etiamsi in bona fide aliquid fiat ex *c. de præscript. in 6.* Secunda sententia extrema asserit hæc omnia impedimenta merè prohibentia, & ex crimine orta esse iam per consuetudinem abrogata, nec amplius obligare, nec oportere de ijs petere dispensationem ad licitè contrahendum; aut saltem cum limitatione hæc impedimenta non amplius vigere in locis, vt constet de consuetudine abrogante, aut saltem non amplius ligare, vbi talis contra-

ria consuetudo scientibus, & approbantibus, seù tolerantibus Prælatis inualuerit; ità Nauarrus, Sanchez, Tancred. Coninch. Ponce, Diana, Ledesma, Bonacina, Gutierez, & Auersa *loc. cit.* vbi hanc affert rationem, quia sanè de facto non apparet talia impedimenta esse in vsu, nec solet de ijs dispensatio peti, nec rei talium criminum solent propterea ab ineundo coniugio abstinere, & quidem poterant consuetudine abrogari, quia in ijs abrogandis non obstant illæ leges, quæ contrariam consuetudinem reprobabant, vt corruptelam, loquebantur enim tantùm de impedimentis dirimentibus, non autem mere prohibentibus. Et prætereà in hac re bene sciunt, ac vident Prælati, ac Pontifex ipse, non solere peti dispensationem super his impedimentis, & tamen ea renouare, aut de eorum obseruatione solicitè esse non curarunt, quarè dici possunt de consensu ipsius Ecclesiæ abrogata esse.

365 Tertia sententia media, quæ mihi magis placet, & per quam duæ extremæ conciliari possunt, est quod etiam olim iure antiquo non aliter accepta sunt hæc impedimenta ex crimine orta, nisi vt quando crimina essent publica, aut in iudicio Ecclesiastico conuicta, talis pœna pro ijs imponeretur, vt delinquentes ad matrimonium contrahendum non admitterentur, vndè etiam nunc possent Iudices Ecclesiastici ob huiusmodi crimina talem pœnam imponere, neque hoc sit abrogatum, si causa ad iudicium Ecclesiæ deducatur. Et est falsum, quod in hoc sensu super his impedimentis crimine ortis Prælati conniueant, loquendo de formali conniuentia, imò experientia est in contrarium, quia conniuentia formalis est quando cum scientia, quæ pro foro externo est necessaria, nempè publicè tacetur, non enim alitenentur, neque possunt de occultis iudicare; si autem compertos quos huiusmodi impedimentis irretitos contraxisse, contrà eos nant iuridicè, & cum sufficienti probatione, contrà non alio iuris remedijs vtique procedunt, & hoc quidem loquendo hæc impedimenta adhuc vigent, & obligant; & hanc tertiam sententiam etiam docere videtur Brancatus noster *loc. cit.* & approbat Auersa in fine *sect. 3.* & plures alij sequuntur, quæ etiam tantò magis tenenda est de alijs impedimentis merè prohibentibus non ex crimine ortis, nam etiam experientia constat, quod si Prælati iuridicè comperiant aliquos tempore interdicti, vel feriarum, vel alijs impedimentis non ex crimine ortis detentos contraxisse, contra eos procedunt, & pœnis à lege præscriptis, tanquam reos plectuntur.

366 Prætereà est alia Difficultas, an contrahere cum dictis impedimentis non dirimentibus sit peccatum mortale; Sanchez, Tancred. Ledesma, & quidam alij sentiunt non peccare mortaliter, præterquam in voto, sponsalibus, & interdicto, eo quod consuetudine receptum esse videatur, vt obstrictus aliquo ex his impedimentis soleat matrimonium [illegible] contrahere absque dispensatione; nec puniatur [illegible] do. Communis tamen opinio affirmat omnia [illegible] pedimenta, quæ non fuerunt reuocata, vt dictum [illegible] Catechismo *art. præced. n.350.* obligare sub peccato [illegible] quia contrahens cum eis facit contrà Ecclesiæ [illegible] nem in re graui, & ità quidem sentiendum est [illegible] vim huius Ecclesiasticæ prohibitionis, quia sanè [illegible] & de re graui, vt conuincenter probat Brancatus [illegible] *loc. cit.* ferè discurrendo per singula, nam lex in [illegible] ui semper obligat sub mortali; sententia verò Sanchez [illegible] Bonacina *punct. 14.* in fine, ad summum admitti [illegible] consuetudo inualuit, vt dispensatio dictorum im[illegible] rum non petatur, nec transgressores puniantur, [illegible] talis consuetudo inualuerit de Superiorum licentia [illegible] niuentia difficile est assignare, vt suprà dictum est [illegible] enim apud Christianos, & Catholicos, quando [illegible] causæ ad iudicium Ecclesiæ deducuntur, transgre[illegible] uiter puniuntur, & tanquam culpæ mortalis rei [illegible]

Postremò Difficultas est, quis dispensare possit [illegible] impedimentis non dirimentibus. Communis opi[illegible] in impedimentis non dirimentibus posse Episcopos [illegible] pensare excepto voto castitatis, & Religionis, ità [illegible] Bonacina *qu.3. punct. 15.* vbi rationem adducit, ex [illegible] to, quia quamuis inferior non possit dispensare in [illegible] superioris per se loquendo, nihilominus consuetudine [illegible] ptum est, vt dispensatio istorum impedimentorum [illegible] tinicatur à Papa excepto voto Religionis, & Castitatis [illegible] Pontifici reseruatum est. Verùm hæc communis [illegible]

nonnullas patitur exceptiones. Nam in primis excipi etiam debet impedimentum sponsalium, quod etiam non solo humano iure, sed ex natura ipsa rei obligat, & pertinet ad debitum iustitiæ, vndè quamuis vbi causa esset controuersa, aut imminente damno, debeat expectari sententia Episcopi, tanquam Iudicis pronunciantis veram sponsaliuin dissolutionem, de reliquo tamen non potest Episcopus in hoc dispensare, vt notauit Auersa *quæst.* 19. *sec.* 2. Deindè incestus verus scilicet post consummatum matrimonium commissus cum consanguinea vxoris a solo Pontifice dispensari potest, vt incestuosus contrahere possit, vt aduertit Stephanus a S. Greg. *lib.* 3. *cap.* 110. ex *cap. Si duo* 35. *quæst.* 6. licet si incestus non fuerit verus, hoc est, post matrimonium consumatum commissus, eius dispensatio ad Episcopum quoque pertinere possit ex eodem *cap.* Denique, vt tempore feriatum matrimonia solemniter celebrari possint, solus Pontifex dispensare potest, non autem Episcopus, nisi in vrgente casu necessitatis, vt iam dictum est *artic. præced. num.* 347. & concedit etiam ipse Sanchez ibi citatus *lib.* 7. *disp.* 7. qui tamen a Bonacina, & alijs pro priori opinione citatur, quæ proindè non est sic absolutè tenenda, sed cum prædictis exceptionibus.

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

De Impedimentis Matrimonium dirimentibus.

368 IAm superius q. 11. diximus impedimenta ad matrimonium duplicis esse generis, quædam impedientia, vel prohibentia tantùm, alia verò etiam dirimentia, quibus nimirum efficitur, vt matrimonium non tantùm illicitè, sed etiam inualidè contrahatur; vndè hæc impedimenta non consuetè dirimentia dicuntur, quasi dissoluant matrimonium iam factum, & validè contractum, vt ex vi ipsius vocabuli insignari videtur, siquidem ex anteà dictis satis constat matrimonium semel validè contractum dissolui non posse, etiamsi sit tantùm ratum, nisi per solemnem religionis professionem; sed in hoc sensu tantùm dirimentia vocantur, quia impediunt, ne matrimonium validè contrahi possit; postquam igitur *quæst. præced.* actum est de impedimentis tantùm prohibentibus, in præsenti quæstione agendum est de dirimentibus generatim, & in sequentibus postea de alijs singillatim, & specialiter.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæ, & quot sint impedimenta dirimentia, & quando, aut quomodo dirimant.

369 QVoad primam articuli partem impedimenta dirimentia duodecim communiter à Theologis numerantur, quæ his tribus versibus comprehenduntur, quia etiam à Scoto referuntur, 4. *d.* 42. *q. vn lit. M.*

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis.

Hæc sunt duodecim impedimenta ex antiquo iure Canonico recensita, sed præter hæc aliud quoque impedimentum dirimens iure nouo institutum fuit in Concil. Trident. nempè Raptus irritans, & dirimens matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiù hæc in potestate illius fuerit, ità enim decreuit *sess.* 23. *cap.* 6 *Inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa est in potestate raptoris nullum posse consistere matrimonium*, hoc tamen non est omninò nouum, quia facilè reduci potest ad impedimentum vis, seù violentiæ contrà matrimonij libertatem. Aliqui etiam sub nomine alterius impedimenti dirimentis, nimirum Clandestinitatis, ex eodem Concilio recensent absentiam Parochi, & duorum testium; Verùm vt notat Auersa *q.* 1. *sess.* 1. cum præsentia Parochi, & testium sit forma in ipso actu contrahendi requisita, pariter quoque eorum absentia solùm, vt defectus in ipso actu contrahendi censeri debet, non verò tanquam inhabilitas & impedimentum præcedens, quarè non oportet, vt sub nomine impedimenti inter alia recenseatur, sed potius circà spectantia ad substantiam matrimonij recenseri debet, ideoque de Clandestinitate tractauimus supra *quæst.* 8.

Quoniam verò ordo impedimentorum in præfatis versibus assignatus potius est commoditatis gratia, & ad disponendos illos versus, quibus memoria faciliùs retineri possent, quàm vt sic ordo doctrinæ postularet, vt obseruat idem Auersa ex Scoto loco citato, ideò vt distinctè, & ordinatè de ipsis agamus, prout ordo doctrinæ, ac etiam ipsius naturæ postulat cum eodem Auctore ità congruenter disponenda sunt, & ordinanda præsertim, quia hunc ordinem etiam insinuat, Doctor *loc. cit. disp.* 42. vt fusè explicat Brancatus [illegible] *disp.* 38. *art.* 1. Quædam impedimenta sunt, quæ immediatè, & directè ipsum contractum coniugalem respiciunt, tolluntque debitum consensum ad matrimonialem contractum requisitum, ideoque illum reddunt irritum, & nullum, cuiusmodi sunt impedimenta erroris, conditionis, & vis, seù violentiæ, includendo etiam sub violentia raptum, proindè de his quatuor primò loco agemus, vt potè quæ consensum in coniugio requisitum directè inficiunt. Alia impedimenta sunt, quæ immediatè, & directè ipsos contrahentes respiciunt, seu afficiunt, & quoddam est, quod inhabilitatem physicam, seu naturalem importat ad exercendum ipsum coniugij actum, & proprio nomine Impotentia appellatur; Aliud verò est, quod inhabilitatem importat, & incapacitatem moralem ad contrahendum cum alijs personis post contractum cum vna in[illegible] ex ipsa lege naturæ deriuatum, & hoc dicitur impedimentum ligaminis. Alia deindè impedimenta sunt, quæ inhabilitatem quoque moralem important ad contrahendum absolutè cum quacunque persona, quæ tamen ex natura rei non deriuantur, seù ex lege naturæ, vt præcedens, sed ex institutione legis positiuæ, & sunt peculiaria in Ecclesia Christi inter fideles, [illegible] hæc sunt impedimenta Voti solemnis, & Ordinis. Præterea alia sunt, quæ incongruitatem, & inhabilitatem etiam moralem important ad contrahendum cum certis tantùm personis ob specialem coniunctionem cum eis, & hæc sunt impedimenta cognationis includendo naturalem, spiritualem, & legalem, itemque affinitatis, & publicæ honestatis. Vlterius aliud impedimentum est, quod [illegible] incongruitatem, & inhabilitatem importat ob fidei, & religionis difformitatem, & dissonantiam, & dicitur Cultus disparitas. Et aliud demum, quod eandem inhabilitatem, & incapacitatem importat ob crimen, & delictum ipsi matrimonio contrarium nimis, & perniciosum, & hoc dicitur impedimentum Criminis; vt igitur dilucidè, & sinè confusione de his impedimentis agamus, præfatum ordinem seruabimus, vt ipse ordo doctrinæ expostulat, tractando nempè coniunctim de illis, quæ maiorem inter se habent connexionem, & propinquitatem, nam impedimentum v. gr. Ordinis cum impedimento Voti proximè conuenit, ideoque de illis coniunctim agemus, & impedimentum affinitatis cum impedimento cognationis, & impedimentum honestatis cum impedimento affinitatis, & sic de alijs.

37[illegible] Quoad alteram articuli partem, quando scilicet, & quando hæc impedimenta matrimonium dirimant, & inualidum [illegible]dant, conueniunt Doctores non solùm inualidè prorsus [illegible] contrahere illos, qui verè se agnoscunt aliquo horum impedimentorum detentos, sed etiam quando impedimentum subest, & est eis ignotum, etiamsi bona fide contrahant, [illegible] præmissis anteà debitis diligentijs, si ignorent v. g. talem [illegible] gradum consanguinitatis, vel affinitatis inter se versari, vel [illegible] gradum affinitatis esse matrimonij impeditiuum, & [illegible]ilia; & ratio est, quia dùm re vera talia subiunt impedi[illegible] eo ipso inhabiles sunt ad contrahendum, quamuis [illegible] id ignorent, & propterea eorum matrimonium reipsa [illegible] nullum, & inualidum, & detecto errore statim tenentur quærere debent ad matrimonium conualidandum, [illegible] in peccato permaneant. Dices, in tali casu illi excusantur à culpa, eo quia culpa non incurritur, nisi cum cognitione malitiæ, aut saltem cum negligentia eam cognoscendi, [illegible] in proposito non supponitur adesse; ergò neque pœnam nullitatis matrimonij incurrere debent, sed validè contrahere, præsertim quando impedimentum solo humano [illegible] est institutum. Respondeo, quod nullitatem matrimonij [illegible] incurrunt, tanquam pœnam illi culpæ debitam, sed [illegible] tanquam effectum suæ inhabilitatis, ad quod opus non [illegible] antecedenter cognoscere.

[illegible] Difficultas tamen est inter Doctores controuersa, num [illegible] matrimonium, si è contrà aliqui cõtrahant, putantes [illegible] aliquo impedimento dirimente laborare, cùm tamen [illegible] vel [illegible]

vera tale impedimentum non adsit, & scientes matrimonium cum tali impedimento contractum esse inualidum; In qua difficultate tres sunt opiniones, duæ extremæ, & tertia media. Prima absolutè affirmant matrimonium in tali casu validum esse, si contrahentes intendant contrahere, quantum in ipsis est. Ratio est, quia matrimonium validè celebratur, quando contrahentes sunt habiles, & habent sufficientem consensum; sed in hoc casu contrahentes sunt habiles, cùm nullo vero impedimento detineantur, quamuis falsò putent adesse, & habent sufficientem consensum ad contrahendum, nam intendunt facere totum, quod possunt, intendunt quantùm in ipsis est verè contrahere, ergo adest consensus, & intentio requisita, & consequenter matrimonium validè celebratur. Confirmatur à simile de eo, qui credit Baptismum nihil valere, sed nihilominus baptizando intendit facere, quod potest, & quod intendit S. Mater Ecclesia, certum enim est istum validè baptizare, vt communiter Doctores fatentur; ergo idem dicèdum videtur in proposito casu, ità Bonacina *quæst. 2. punc. 9. num. 8.* citans Nauar. P. Ledesm. Sanchez, Gutierez, Henriquez, Rodriquez, & Siluium; idem etiam tenent Roiella, Tabiena, & alij. Secunda sententia absolutè negat tale matrimonium esse validum; Ratio est, quia humana voluntas non potest efficaciter intendere id, quod ei repræsentatur impossibile, nam voluntas efficax est possibilium, non impossibilium; sed illi qui putant se adstringi aliquo impedimento dirimente, iam existimant se non posse validè contrahere; ergo non intendunt, nec verè, & serio intendere possunt contrahere, sed ad summum facere actum illum externum contrahendi fictum, & simulatum, quod vtique ad verum, & validum matrimonium sufficere nequit ità Scotus, Ponce, Coninchius, Angelus, Angles, Siluester, Lopez, Abbas, Præpositus, & alij.

373 Tertia sententia media partim affirmat, partim negat, & sic vtramque sententiam conciliare prætendit; vndè cum secunda sententia gratis concedit ex illa existimatione, qua contrahentes putant subesse aliquod impedimentum dirimens, cùm tamen re vera non adsit, non posse habere efficacem voluntatem validè cotrahendi, quia id existimant impossibile, sed solùm intendere possunt facere illum externum actum, & proferre verba illa consensum exprimentia, quæ voluntas planè ad validum matrimonium non sufficit, cum talem habeant quoque qui fictè, & simulatè contrahunt, & quoad hoc sententia negatiua verum dicit. At simpliciter loquendo optimè stare potest, vt cum ea existimatione absoluta habeant contrahentes conditionatam intentionem, vt si inter eos stare possit validum matrimonium, omninò velint illud perficere, & facere quicquid possunt, & ex hac intentione conditionata valebit sanè tale matrimonium, cùm reuera non subsit tale impedimentum, & contrahentes sint in rei veritate habiles ad contrahendum, & hoc pacto verificatur sententia affirmatiua, quę planè talem intentionem conditionatam supponit saltem implicitè, cùm dicat contrahentes in tali casu facere totum, quod possunt, & quantum in ipsis est; & hanc mediam sententiam amplectitur Auersa *q. 12. sec. 2.* per quam putat extremas sẽtentias inuicem conciliare; nam prima sententia supponit, & plures eius sectatores expressè indicant, huiusmodi intentionem conditionatam illi existimationi absolutę, & cõtrariæ esse coniunctam, quæ intentio simpliciter sufficit ad matrimonij validatem, dùm in re verificatur conditio, nullo nempè existente impedimento dirimente. Nec ratio secundę sententię obstat, probat enim solùm ex vi illius existimationis absolutæ de impedimento dirimẽte non posse haberi intentionem efficacem validè contrahendi, atque adeò ex vi illius simpliciter non posse tale matrimonium valere, quod etiam prima sententia non negaret. Sed non tollit, quominus simul adesse possit suspicio aliqua, quod fortè non adsit tale impedimentum, & conditionata intentio validè contrahendi, si & quantum fieri potest, qua intentione adiuncta neque secũda sententia negaret validum esse matrimonium, in tali enim casu tam in foro externo, quàm in interno pro hac potius parte in fauorem matrimonij cẽsendum est, quia ex vi intentionis conditionatæ adiunctæ potest matrimonium validum censeri.

374 Quæres, quid facere debeant Coniuges, quando aduertunt se cũ impedimento dirimente contraxisse. Conueniũt Doctores in tali casu coniuges per se loquendo separari debere quoad vsum matrimonij, quia reuera non sunt coniu-

Meld. In Quart. Sentent.

ges, cùm inter eos verum non sit matrimonium; imò consulũt regulariter loquẽdo separari debere quoad habitationem ob morale periculum carnalis commercij; Tota Difficultas est, si vnus solus impedimentum aduertat, nec possit absque maxima sui infamia alteri coniugi illud manifestare, vt v. g. si mulier fuit antea cognita à fratre mariti, aut non possit absq; alio magno periculo, & damno à viro separari, vel debitũ coniugale negare. Aliqui dixerunt talem coniugem in huiusmodi casu non teneri impedimentum detegere, nec ab altero coniuge separari, sed posse iustè, & licitè debitum coniugale reddere, licet non petere, saltem donec à Sede Apostolica dispensatio impetretur. Ratio est, quia dùm alter coniux manet in bona fide, habet ius petendi debitum, ergò alter coniux impedimenti conscius potest, ac debet reddere, & licitè poterit minus malum eligere scilicet in copulam consentire ad vitanda grauiora mala, vt homicidium, & alia scandala, & damna; ità Magister, Hugo de Sancto Victore, Hostiensis, & alij Iurisperiti antiquores.

375 Communis tamen, & firma sententia est inter Theologos, & Iuristas modernos nullatenus posse coniugem impedimenti conscium licitè debitum reddere alteri in bona fide manenti, sed teneri potius aut vitæ, aut famæ iacturam pati, & quamcunque Ecclesiasticam censuram, cùm sciat censuram in tali casu non ligare, quia excommunicatio incurritur tantùm ob lęthalem inobedientiam. Ità Nauarrus, Siluester, Victoria, Ledesma, Sanchez, Tancred. Sotus, Medina, Auersa, & alij Moralas Scriptores.

Probatur expressè ex Iure Canonico *cap. Inquisitioni de sent. excommunic.* vbi Pontifex ipse docet, quando aliquis coniugum est certus de impedimento, debere potius excommunicationem pati, quàm in carnalem copulam consentire; Accedit etiam manifesta ratio, quia fornicatio nunquam est licita, etiam ad vitandam quamcunque iacturam, quia est ex genere suo mala; sed vbi non est matrimonium, vt est in casu nostro, copula non est coniugalis, sed fornicatia; ergo nullatenus est licita, nec pars talis impedimenti conscia vlla ratione excusari potest, vt debitum petat, aut reddat, quia tunc tantùm abest, vt sit debitum, quod potius est scelus, & crimen; Nec ille qui manet in bona fide habet re vera ius petendi, sed ex errore putat se habere, sicut non est verè coniux, sed falsò putat esse talis, ideoque alter sciens non esse verum matrimonium non debet, nec potest licitè reddere, nec debet, aut potestis vllum [illegible] malum facere ad maiora mala euitanda, sicut non sunt abscienda mala, vt eueniat bona, habere autem copulam Coniuge coniugio esset facere, & committere malum [illegible] sulunt tamen Doctores in tali casu coniugem impedimenti conscium cautè, & prudenter gerere se debere ad [illegible] illa pericula, & damna, quæ ex tali casu sibi [illegible] occurrere possunt, prout conditio personarum [illegible] patietur, quæ autem media, & remedia ad [illegible] docent Sanchez *lib. 2. disp. 39.* Tancred. *ibid.* *quæst. 12. sec. 3.* & alij passim; Et quamuis opti[illegible] dium sit à Sede Apostolica dispensationem impe[illegible] huiusmodi impedimento, non propterea tunc [illegible] ticipata copula, etiamsi interim talis dispensatio [illegible] & expectetur, quia hoc non obstante adhuc copula [illegible] ria foret, & non coniugalis, non est autem vllus [illegible] admittendum ob quodcunque periculum, vel d[illegible] Et hæc etiam est mẽs Doctoris expressa 4. d. 35. q[illegible] C. vbi inquit, quod si nesciente muliere viri con[illegible] tus est cum ea contractus vxore propria adhuc vi[illegible] nõ est matrimonium etiam post mortem istius qu[illegible] consensit in eum, tanquam in potentem contra[illegible] autem ex parte sui non est talis, qualem eum cre[illegible] subdit, quod ille non potest eam matrimonialiter [illegible] quia ex parte eius fornicatio est, sed illa potest [illegible] monialiter copulari, quia ignorantia inuincibilis [illegible] eam.

ARTICVLVS SECVND[illegible]

Qualiter Matrimonium cum impedimento dirimen[illegible] ctum conualidari debeat sublato impedimento.

SEnsus quæstionis est, quid sufficiat, vel requi[illegible] re ualidandum matrimonium, quando per di[illegible]

sponsalia fuerint iuramento confirmata, quia cum materia iuramenti, in quam cadit, sit promissio facta homini, altero promissionem remittente, cessat obligatio iuramenti, quæ in illa fundabatur *cap. Debitores de iureiurando*; Et hoc etiam asserendum est, quando iuramentum esset principaliter factum intuitu pietatis in ordine ad Deum, vt si quis iurasset cuidam puellæ pauperi eam ducere & ratio est, quia adhuc res promissa cedit in vtilitatem partis, vndè iuramentum censetur factum sub tacita conditione, si illa persona, in cuius commodum fit, non respuat, & iuri suo cedere nolit; quare ipsa parte obligationem relaxante, vel non seruante, quod debet, ipsum quoque iuramentum desinit obligare.

298 Hoc autem totum de sponsalibus puberum intelligendum est, non autem impuberum, impuberes dicuntur pueri, qui annum ætatis 14. non attingunt, & puellæ non attingentes 12. & consequenter puberes dicuntur, qui 14. annum iam attigerunt, & puellæ quæ annum 12. Quandò igitur sponsalia inter impuberes inita fuerunt vel ambos, vel vnum impuberem, & alterum puberem, non possunt impuberes sua voluntate sponsalia rescindere, antequam ad pubertatem perueniat, sed solum possunt statim ac pubertatem attigerint, ità definitum est in *cap. De illis 7. de sponsf. impub.* cuius dispositionis hæc ratio fuit, vt immaturitati impuberum occurratur, qui ob eam sæpius contraherent, & dissoluerent, tùm quia vt si fortè minus prudèter se obligauerint, possint obligationem excutere, cùm ad maiorem ætatem peruenerint, & vsus rationis magis capacem; vndè sponsalia antè pubertatem inita non habent vim simpliciter obligandi ad contrahendum in pubertate, sed habent vim ligãdi, ne interim alia sponsalia ineantur, & inducunt publicæ honestatis impedimentum; Et si impuberes, qui sponsalia contraxerũt, ità se habeant, vt vnus prius ad pubertatem perueniat, quã alter, non possunt sponsalia dissolui, nisi alter quoq; ad pubertatis annos peruenerit, & habetur ex *eod. cap. De illis*, vndè non approbo, quod Beccanus cum quibusdam alijs c. 43. q. 16. quod prius factus pubes potest statim resilire, nec tenetur expectare pubertatem alterius; contrarium enim habetur in dicto Canone, vbi solùm docetur posse illos resilire, dum ambo pubertatem attigerint, vt patet legenti textũ, posse inquam, vnumquemq; eorum resilire etiam altero inuito; quod si ambo non sint in pubertate constituti, sed vnus tantum, falsum est sponsalia ab eis contracta dissolui posse per solùm dissensum alterius pubertatē adepti, ex quo apparet, quod in hoc sunt æquales, vt neuter audiendus sit, donec ambo sint puberes, vt rectè notauit Brancat. *disp. 17. art. 11. n. 345.* neq; huius alia ratio assignari potest, nisi quę à Glossa affertur ibidem, quia lex præsumit impuberes nec scire, nec intelligere perfectè antè pubertatem; tamen minus rectè Brancatus dixit sponsalia in tali casu dissolui non posse, nisi vterq; ad dissolutionem consenserit, nam oppositum habetur in verbis Canonis ab ipso ibi adductis, vt patet legenti textum; Et in hoc differunt sponsalia ab impuberibus contracta ab alijs, quæ in pubertate contrahuntur; hæc enim cum in pleno, & perfecto rationis vsu contrahantur, vim habent simpliciter obligandi ad contrahendũ, nec dissolui possunt, nisi mutuo vtriusq; consensu, & per mutuam amborum remissionem liberè factam; at sponsalia ab impuberibus contracta non habent vim simpliciter obligãdi ad contrahendum in pubertate, se habent vim ligandi tãtum, ne interim alia sponsalia ineantur vt dictum est, & ideò cùm ambo ad pubertatem peruenerint, possunt sponsalia dissolui etiam altero inuito, & reclamante, vt patet ex verbis Canonis ab ipso Brancato allatis, & benè aduertit Auersa *q. 8. sect. 11.* & hoc non solùm intelligitur permissiuè, & in foro externo, quia non cogetur ab Ecclesia contrahere, sed etiam in foro conscientiæ, & coram Deo, idcoque sponsalia impuberum dici solent imperfecta.

299 Sed Dubium est, an qui factus est pubes possit à sponsalibus antè pubertatem contractis resilire, si iurata fuerint; Et quidem communior sententia docet, non posse posteà alterum eorum ad pubertatem prouectum sua voluntate resilire, quia ità decisum videtur *cap. Ex litteris 2. de sponsalibus*, vbi casus erat de duobus impuberibus, qui sponsalia iuramento firmauerant, & posteà eorum alter volebat ad alia vota migrare, sed Pontifex respondet intuitu iuramenti debuisse compelli priorem sponsam accipere dicens, *eos impuberes qui sponsalia contraxerunt, & iuramento confirmarunt cogendos esse ad contrahendum matrimonium*, & ità tenent Sanchez, Tancred. Coninch. Bonacina, Hurtadus, Beccanus, Auersa, Rebellus, Reginaldus, Caspensis, & alij passim.

Oppositum tamen docet Ponce *l. 12. cap. 9. num. 7.* hac efficaci ratione, quod iuramentum additum contractui sequitur naturam, & conditionem contractus L. final. C. de non numerata pecunia; sed sponsalia impuberum, super quæ cadit iuramentum, ex iuris dispositione habent hanc tacitam conditionem, *nisi facti puberes resilierint*, ergo idem dicendum est de illis, quamuis iuramentum accedat. Et planè non video qua ratione communis opinio doceat sponsalia pubertate contracta, etiamsi fuerint iuramento confirmata, posse adhuc dissolui altero promissionem remittente, quia eo ipso cessat quoque obligatio iuramenti; & posteà id neget de sponsalibus in impubertate contractis, & iuramento firmatis; hoc enim iuramentum minus validum, & firmum videtur esse, quàm illud, quia lex præsumit impuberes ne scire, nec intelligere perfectè antè pubertatem, qua ratione impuberes iurare prohibentur *cap. Paruuls 22. q. 5.* si ergò sponsalia puberum etiam iuramento firmata dissolui possunt, idque concedit communis opinio, tanto magis de iuramento impuberum id concedi debebit; Ad auctoritatem verò Canonis adductam responderi potest, eius dispositionem esse intelligendam, quando facti puberes tempore debito non reclamant, casus enim ibi adductus talis fuisse censetur; licet in Canone non exprimatur; nam quando tempore debito non reclamant, etiamsi non iurauerint, cogendi sunt ratione obligationis fidelitatis, & iustitiæ; tanto ergò magis id fieri debet, si iuramentum intercesserit, & ideo Pontifex ait ibi cogendos esse ad matrimonium contrahendum maximè intuitu iuramenti. Aduertendum tamen est in tali casu reclamationem, & contradictionem ad dissoluenda sponsalia apud Episcopum, vel Vicarium fieri debere, vel ipsis deficientibus apud personas honestas, constat ex *cap. 1. de Despons. impub.* vbi habetur, *si reclamauerint, iudicio Ecclesiæ separentur*, & potest Episcopus dispensare in eo iuramento, vt alter eorum licitè reclamet, quia nimirum iurans non habuit sufficiens iudicium, vt posset omninò, & perfectè intelligere vim obligationis, quam iuramento subijt, quod non præsumitur habere antè ætatem pubertatis, quod etiam concedit Sanchez *disp. 51. num.* Hoc tamen videtur necessarium tantùm in foro externo, vt Iudex ferat sententiam pro sponsalibus dirimendis, foro autem conscientiæ videtur sufficere, vt pubes statim acquisita pubertate interius dissentiat ex Bonacina *punct. 6. n. 5.* & ratio est, quia reclamatio requiritur in foro externo, ne pubes ratificare videatur sponsalia prius facta; sed quando interius dissentit, verè non ratificat; ergo in foro conscientiæ videtur sufficere, si interius dissentiat, quamuis in foro externo ratificasse præsumatur non reclamando apud Iudicem.

Secundò concedunt Doctores sponsalia quoque dissolui per Religionis ingressum, sed non eodem modo rem declarant. 300

Aliqui enim dicunt sponsalia non dissolui per Religionis ingressum, nisi professione secuta, ac proindè si sponsus tempore Nouitiatus Religionem deserat, teneri ad fidem seruandam, nam ingrediens Religionem non statim cedit iuri suo, sed sub ea conditione, si professus fuerit, sponsalia namq; per ingressum Religionis dirimi dicuntur, quia est mors quædam spiritualis, at non est mors spiritualis Religionis ingressus, nisi facta professione; ita Durandus, Paludanus, Viguerius, Veracrux, & Armilla. Ex aduerso autem plures alij probabilius existimant sponsalia dirimi per solùm Religionis ingressum antè professionem, ac proindè manentem in seculo posse statim aliud matrimonium contrahere, & à fide priorum sponsalium omninò solutum esse, & Nauarrus, Sotus, Bartol. Ledesma, Siluester, Angelus, Villalobos, Becanus, Auersa, Sanchez, Tancred. Bonacina, Coninchius, & alij passim. Ratio est, quia eo ipso, quod quis Religionem ingreditur satis se declarat sponsalibus renunciare, & quidem in eo notabilis fit mutatio status, nam vulgò maximum censetur dedecus matrimonium inire cum eo, qui fuit Monachus, aut cum ea, quæ fuit Monialis; ergò manens in seculo liber est ab obligatione.

Rursus aliqui volunt sponsalia per Religionis ingressum dissolui ex parte vtriusq; sponsi, tam scilicet ex parte ingredientis Religionem, quàm ex parte manentis in seculo, ita vt hic sit liber ad aliud matrimonium contrahendum, & si ille è Religione egrediatur, sit etiã liber ad contrahendum 301

dum cum alia, itá Sanchez, Tancred. Henriquez. Becanus, Bonacina, Stephanus à S. Gregorio, & alij. Ex aduerso autem probabilius tenent alij quamplures solui quidem statim sponsalia ex parte illius, qui remanet in sæculo, itaut ille eo ipso liber sit ad aliud matrimonium contrahendum, non tamen statim solui ex parte alterius, qui religionem ingreditur, sed hanc adhuc obligatum manere, vt si fortè egrediatur, & altera pars eum acceptet, teneatur adhuc cum eâ contrahere; itá Ponce, Coninch. Hurtadus, Rebellus, Auersa, Caspensis, Brancatus ex nostris, & plures alij; Et quidem statim sponsalia dissolui ex parte manentis in sæculo conceditur etiam ab Auctoribus primæ opinionis, & facilè probatur, quia quando fit notabilis mutatio status in altero sponsorum, cessat obligatio sponsalium in omnium sententia, nam contractus sponsalitius hanc conditionem tacitam inuoluit, nisi fiat notabilis mutatio status, vel res, pro qua facta est promissio non fiat notabiliter deterior, aut eius impletio notabiliter durior; hæc autem omnia in illo casu concurrunt, nam ingressu Religionis notabilis mutatio status fit in persona ingrediente, vt supra dictum est, adeout è Religione egrediens fiat moraliter minus aptus ad nuptias, quia magnum dedecus censetur inire matrimonium cum tali ob notam grauem leuitatis, & inconstantiæ ostensam in egressu, & permanens in sæculo cogitur expectare, an alter profiteatur, quod est onus graue, ergo &c.

302 Quod autem non soluantur sponsalia statim ex parte alterius, qui Religionem ingreditur, sed adhuc maneat obligatus, si è Religione egrediatur, ad fidem seruandam, & cum ea contrahere, quæ remansit in sæculo, si parata sit eum acceptare, probatur, quia non fit liber iure aliquo positiuo, cum nullum tale extet neq; in ingressu ipso, quia antè professionem potest egredi, ergò si egrediatur, & alter velit, tenetur adhuc stare promissis non enim rationi consonum est, vt qui retrocedit, gaudeat fauore Religionis, sed vt in sæculo redeat cum antiquis obligationibus. Confirmatur, quia hæc sponsalia soluuntur ex parte remanentis in sæculo ob renunciationem eius, qui Religionem ingreditur, & ob rerum mutationem, non autem simpliciter ex rationibus Religiosi in anno probationis, quia talis status intantum est cū matrimonio incompatibilis, in quantum perseuerat ille in Religione, quarè cùm possit egredi, poterit quoque coniugium inire, atque ideò non fit liber ab obligatione sponsalium ex ipso Religionis ingressu, alioqui aditus aperiretur fraudi ad priora sponsalia eludenda, nam fraudolenter, & dolosè posset Religionem ingredi, vt se ab obligatione prioris sponsæ liberaret, & aliam ducere posset.

Sed Obijciunt Auctores primæ opinionis, quia sicut se habent sponsalia, & matrimonium, ità etiam ingressus Religionis, seù Nouitiatus, & Professio; sed professio dissoluit matrimonium ratum ex parte vtriusque, ergò etiam ingressus Religionis dirimit sponsalia ex parte vtriusque. Confirmatur, quia votum Religionis dirimitur per ingressum eius bona fide animo permanendi in ea, itaut si vouens egrediatur experiens eum statum non sibi conuenire, liber maneat à voto; ergo talis ingressus sufficit etiam ad dirimenda sponsalia. Denique quia sponsalia non obligant vltrà intentionem promittentis, promittens autem non habet intentionem obligandi se superueniente Religionis ingressu; nam promissio censetur facta cum hac tacita conditione, nisi melior status eligatur; cùm ergò melior status eligatur per Religionis ingressum, eò ipso cessat ex parte ipsius obligatio matrimonij.

Respondetur non currere omnimodam paritatem de solutione sponsalium per Religionis ingressum, & matrimonij rati per professionem, quia nec ex iure diuino, nec humano inducta est solutio sponsalium per solum ingressum, sicut matrimonij per professionem, sed ex sola conuenientia rationis, tùm quia status probationis non est irretractabilis, sicut status professionis, nec coniugium potest stare ex parte vnius tantùm, sicut potest stare promissio, vel promissionis obligatio; tùm tandem quia, vt suprà dicebamus, non est rationi consonum, vt qui à Religione retrocedit, eiusdem fauoribus gaudeat, sed vt cum antiquis obligationibus ad sæculum redeat.

Ad Confirmationem negatur similiter consequentia, & paritas, quia per Religionis ingressum, & eius experientiam in anno probationis sufficienter impletur votum Religionis, & ipso ingressu dicitur eius obligatio cessare, etiamsi non sequatur professio, si bona fide factus est ingressus, & sine fraude, & dolo; ingressus autem in Religionem non est impletio sponsalium, neque mutatio in melius, donec perseueret, & profiteatur. Ad vltimum patet per idem, quia non eligitur melior status per solum Religionis ingressum, nisi permanens fuerit, & per professionem irretractabilis reddatur.

Meld. In Quart. Sentent.

303 Demum dubium est, an sponsalia etiam iuramento firmata dissoluantur per Religionis ingressum. Negant aliqui, quia ità statutum videtur cap. *Commissum de sponsalibus*, vbi dicitur, *Tutius est ex religione iuramenti seruata prius contrahere, & postea si elegerit ad Religionem migrare si tamen post desponsationem copula non dignoscitur interuenisse carnalis*, quia nempè sic seruatur iuramentum, & non impeditur quis ab assumendo perfectiori statu, cùm possit post matrimonium ratum, & non consumatum ad Religionem transire. Accedit etiam ratio, quia qui tenetur soluere debita, ve tenetur ea prius soluere, quàm Religionem ingrediatur, vt omnes concedunt; sed sponsus, qui iurauit sponsæ, futurum matrimonium, est illi debitor, & potest soluere debitum ante ingressum, ergò tenetur; ita Nauarrus, Ledesma, Rebellus, & ex nostris Brancatus *disp. 17. cit. art. 11. num. 363.* eo quia Scotus huic opinioni fauet *4. d. 30. q. 2.*

Communis tamen opinio oppositum docet, sponsalia scilicet etiam iuramento firmata dissolui per Religionis ingressum, & qui sponsalia contraxit posse Religionem ingredi matrimonio non contracto, nisi aliud obstet, quia cùm iuramentum fit in confirmationem sponsalium, cessante sponsalium obligatione, cessat etiam iuramenti obligatio; Et ratio est, quia iuramentum sequitur naturam, & conditionem actus, cui apponitur, ac proindè conditio tacitè inclusa in actu includitur etiam in iuramento ex cap. *quemadmodum de iureiurando, & L. fin. C. de non numerata pecunia*, sed promissioni matrimonij inest hæc tacita conditio, nisi promittens elegerit Religionem; ergò & iuramento inest hæc conditio; Minor patet, quia ipsimet matrimonio rato non licè conditio, alias post illud ad Religionem transire non liceret, ergò etiam sponsalibus, quarè cùm Religionem ingrediens post inita sponsalia conditionem impleat, non erit pe titurus non contrahendo; ità Sanchz, Henriquez, Reginaldus, Gutierez, Rodriquez, Coninchius, Tancred, Hurtadus, Auersa, Becanus, Caspensis, Bonacina, & alij passim, quæ sententia sicut est communior, sic etiam probabilior censeri debet.

Neq; obstat, quod adducebatur ex dicto cap. *Commissum*, quia Pontifex ibi non obligat eum, qui sponsalia iniit, sed [illegible] re prius contrahere, quàm Religionem ingrediatur, [illegible] lùm consulit tanquam tutius, vt prius contrahat, [illegible] sensu loquitur Scotus *loc. cit.* dicens id esse consulendum [illegible] formans se dicto Pontificis in eo cap. vbi ait *tutius esse* [illegible] *trahere*, quibus verbis supponit Pontifex tutum esse [illegible] loquendo non contracto matrimonio Religionem [illegible]. Nec etiam ratio adducta vrget, quia solutioni aliorum [illegible] torum non inest tacita conditio, *nisi promittens elegerit* [illegible] *gionem*, sicut inest promissioni sponsalium; Dixi autem [illegible] resolutione dubij, etiam qui sponsalia cum iuramento [illegible] xit posse Religionem ingredi matrimonio non con[illegible] nisi aliud obstet, quia ex accidenti euenire potest, vt [illegible] obstet, ratione cuius non possit Religionem ingredi [illegible] sponsalia cum iuramento celebrauerit, siuè non, vel [illegible] ad legitimandam prolem anteà fortè susceptam, vel [illegible] lendum famæ mulieris, cum qua nimia familiaritas [illegible] cessit, aut ex alio motiuo, ob quod ex vinculo iustitiæ [illegible] garetur sponsus damnum sponsæ resarcire, nec aliter [illegible] ciri posset, quàm contrahendo matrimonium cum [illegible] quo videri potest Bonacina *q. 1. punc. 5. num. 4.*

Tertiò conueniunt Doctores, quando vnus ex sponsis [illegible] uet castitatem, alterum manere liberum à sponsalibus [illegible] vouens suo voto obligationi alterius renunciare cen[illegible] quia intendit ad id se obligare, quod cum matrimon[illegible] promisso est incompossibile; Conueniunt etiam susce[illegible] nem ordinis sacri, vt potè ad matrimonium inhabili[illegible] dissoluere sponsalia prius facta, imò ob votum susci[illegible] sacros ordines sponsam manere liberam à sponsalibus; [illegible] eo voto sponsus suo iuri, & obligationi sponsæ renun[illegible] censetur; Dixi per votum suscipiendi ordines sacros [illegible] sponsalia non dirimuntur per votum suscipiendi ordin[illegible] nores, imò neque per realem eorum susceptionem, cu[illegible] minores Ordines statui matrimonij non repugnent [illegible] tamen Difficultas, an per dictum votum simplex [illegible]

tis subsequens, vel suscipiendi sacros Ordines soluantur spõ-
salia etiam ex parte sponsi vouentis,& liber maneat ab ipsis;
Et quidem communior, & probabilior opinio affirmat, &
ratio est, quia in sponsalibus, vt dictum est, subintelligitur
illa conditio, nisi perfectior vitæ status eligatur, non enim
debent perfectionem impedire, cùm ergo per votum castita-
tis, vel suscipiendi ordines sacros perfectior vitæ status eli-
gatur, status enim cælibatus, & Clericatus perfectior est sta-
tu matrimonij, vt constat ex *Trident. sess. 24. can. 10.* sequi-
tur sponsalia dirimi per votum simplex castitatis, vel sacros
ordines suscipiendi, eorumque obligationem cessare ex vtra-
que parte. Ità Sotus, Henriquez, Ponce, Gutierez, Rodri-
quez, Ledesma, Naldus, Angelus, Vasquez, Suarez, Caieta-
nus, Azorius, Auersa, Bonacina, Caspensis, Brancatus noster,
& alij passim, ac Stephanus à S. Gregorio.

305 Oppositum docent alij, nempè simplex votum castitatis,
vel suscipiendi ordines sacros non dirimere sponsalia, nec ob-
ligationem soluere ex parte eius, qui votum emittit; idque
probant ex opposito fundamento, quia supradicta conditio
nullo iure inest sponsalibus, quia non iure aliquo positiuo,
vt patet, neque iure naturali, aut ex natura sponsalium,
quamuis celibatus sit perfectior statu matrimoniali, alias
qui promisit Petro diuiti rem aliquam, posset illam pauperi-
bus erogare, quia hoc etiam est melius, quod est absurdum;
ergo non ab hanc rationem soluuntur sponsalia ex parte vo-
uentis. Deindè probant ratione, quia illicitè, & inualidè
promittitur Deo res prius alteri homini promissa, & debita,
vt si quis prædium dedit, vel promisit Petro cum titulo one-
roso, non potest illud dare, vel promittere Ecclesiæ; sed per
sponsalia promiserat quis corpus suum alteri homini; ergo
non valet promittere per votum castitatis Deo, vel sacrorũ
ordinum in præiudicium prioris promissionis. Tandem
probat ex *cap. Veniens*, vbi Pontifex iubet pœnitentiam im-
poni ob mentitam fidem mulieri, quæ post sponsalia votum
castitatis emiserat; ego votum castitatis subsequens sponsalia
non dirimit. Ità Nauarrus, Sanchez, Tancred, Reginald. Re-
bel. Coninch. Hurtad. Valentia, Becanus, & alij.

306 Respondetur negando assumptum quoad vtramque par-
tem, nam in primis satis conformum est rationi, & iuri natu-
rali, quod prædicta conditio, & reseruatio in promissione
quoque sponsalitia includeretur, nam consonum est rationi,
vt licitum sit cuique transire ad statu perfectiorem, & subli-
miorem; & se Deo dicare, & tradere, non obstante promis-
sione homini facta; quod etiam à contratio magis apparet,
vt ait Auersa *q. 8. sec. 12.* non enim laudaretur, nec valeret, si
quis excludendo talem conditionem diceret, promitto te-
cum contrahere, & promitto tibi non recedere etiam per
dedicationem mei ipsius Deo factam mediante voto; debet
ergo de iure naturæ in ipsis sponsalibus hæc tacita conditio
subintelligi, promitto contrahere tecum, nisi tamen voluero
potius me dedicare Deo non solùm per ingressum Religio-
nis, sed etiam per votum castitatis subsequens; nec sanè
posset altera pars iustè conqueri, si sponsus eam relinquat,
& à promissione recedat per huiusmodi dedicationem sui
ipsius Deo factam, & per assumptionem status continentiæ
mediante voto; Addo hoc etiam per ius positiuum satis insi-
nuari; per ipsum enim conceditur etiam, post matrimonium
ratum per verba de præsenti posse quemcunque licitè, & iu-
stè Religionem ingredi, & in ea profiteri, ac ità prorsus in
tali casu matrimonium ratum ex vtraque dissolui, vt altera
enim pars possit liberè cum alio contrahere, vt habetur *c. 2.*
de Conuers. coniugator. & iam suprà diximus *q. 6. art. 2. nu. 190.*
tantò magis igitur id supponendum est concedi eodem iure
de sponsalibus, quæ minus ligant, & obligant, quam matri-
monium. Nec demum hinc sequitur, quod qui promisit Pe-
tro diuiti rem aliquam posset illam pauperibus erogare, quia
hoc etiam est melius; licet enim hoc esset opus melius, non
tamen per id se Deo specialiter dedicaret, & in statu perfe-
ctiori constitueretur, vt facit per votũ castitatis emissum, vel
Religionis ingressum, & religiosam professioné, ac proindè
nõ ob id cẽsendus esset solutus à promissione illi diuiti facta.

307 Ad secundum, si argumentum valeret magis vrgeret con-
trà Religionis ingressum post matrimonium ratum, quam
contra votũ post sponsalia emissum, quia ibi facta est tradi-
tio, & translatio corporum, quæ non est facta in sponsalibus,
& tamen Deus acceptat rem alterius, tantò ergo magis po-
terit Deus acceptare rem alteri promissam, & adhuc non
collatam; Maior ergo est falsa, quandò prior promissio est
obstaculum implendi perfectiorem statum ob rationem al-

latam; in alijs verò promissionibus, quæ perfectiori statui
non obstant, qualis est in argumento assignata, & similes, est
vera illa doctrina; & Deus talem rem alteri promissam acce-
ptat, quia promittens conditionalem habuit intentionem
de non stando contractui, si vellet vti diuino priuilegio sol-
uendi illum, & Deo se dicandi. Ad vltimum ex Canone cit.
deductum dicendum est, per mentitam fidem non intelligi
fidem sponsalitiæ promissionis, sed fidem Deo datam per
votum, quia mulier illa post votum Deo factum cum alio
contrahere volebat, vt patet ex verbis textus, & Glosa ibi-
dem; vel si per fidem intelligatur sponsalitia promissio, ad-
huc aliqua debuit pœnitentia iniungi, eo quod illa mulier
diu anteà matrimonium contrahere distulerat, & postea nõ
tàm castitatis amore, quam potius ne compelleretur cum
illo sponso contrahere, votum emisit, vt narratur in textu,
ob quam dilationem, & intentionem non erat culpæ im-
munis, & ideò alicuius pœnitentiæ digna censebatur, vt no-
tat Auersa *loc. cit.*

Dices, hanc assertionem, quod per votum castitatis sub- 308
sequens, vel suscipienti sacros ordines soluantur sponsalia
iam inita etiam ex parte sponsi vouentis, itaut maneat liber
ab illis, non cohærere dictis supra in hoc articulo num. 302.
de solutione sponsalium per religionis ingressum, dixi-
mus enim ibi vtique per talem ingressum dissolui sponsalia
statim ex parte manentis in sæculo, non tamen ex parte
alterius, qui Religionem ingreditur; ergo ad consequen-
ter loquendum sic etiam dici debet in proposito, de voto
castitatis, & Religionis, aut suscipiendi sacros ordines,
non solui sponsalia ex parte vouentis, sed tantum ex parte
alterius, cui facta est renunciatio obligationis. Responde-
tur negando paritatem, quia per tale votum assumit quis
statum perfectiorem, & sibi vtilem, ac Deo gratum, quare
licitum ei erit in talem statum se transferre relinquendo sta-
tum coniugalem, non obstante promissione homini facta;
hoc autem de simplici ingressu Religionis sine voto præce-
dente, de quo ibi sermo erat, asseri nequit, quia vt ibi dictum
est, non eligitur melior status per solum, & simplicem Reli-
gionis ingressum, nisi permanens fuerit, & per votum profes-
sionis reddatur irretractabilis, & cum matrimonio incom-
possibilis; Vndè si quis Religionem ingrediatur ob votum
antecedenter factum vtique talis Religionis ingressus etiam
pro anno probationis dirimit sponsalia ex parte amborum
contrahentium, quamuis iurata, cum semper intelligantur
iurata cum tali conditione, nisi perfectiorem statum eligam,
vt sæpè diximus.

Quartò conueniunt Doctores, quod si matrimonium de 309
præsenti cum alia contractum sit validũ dissoluuntur priora
sponsalia, *cap. si inter de Sponsalibus*, quamuis peccet mortali-
ter, qui sic contraxit, vt habetur *cap. sicut ex litteris de spon-
salibus*, Ratio est, quia obligatio matrimonij est maior, quàm
sponsalium; ergo si illa adhæsit, hæc cessat: Si verò matrimo-
nium cum alia contractum sit irritum, adhuc obligant prio-
ra sponsalia, quia non præstat impedimentum, quod de iure
non sortitur effectum, vt habet 52. *regula iuris in 6.* hoc au-
tem intelligendum est respectu illius, qui cum alia matrimo-
nium contraxit inualidum, non autem respectu innocentis,
hic enim liber est à sponsalium obligatione, eo quia alter re-
cessit à contractu cum illo iam inito.

Difficultas tamen est, an ità cesset, vt penitus extinguatur,
vel an sponsus soluto matrimonio cum alia contracto per
mortem illius non amplius ad priora sponsalia teneatur. Pri-
ma opinio docet omninò cessare, & penitus extingui itaut
soluto matrimonio siuè morte, siuè professione secundæ
contrahere cum prima, siuè relicta non teneatur etiam ipsa
volente. Ratio est, quia iam per subsequens matrimonium
extincta prorsus erat vis priorum sponsalium ex iuribus an-
tea adductis, sed obligatio semel extincta non reuiuiscit ex.
reg. Quæris de Consecr. dist. 4. Confirmatur, quia matrimo-
nium superueniens est vinculum fortius vinculo sponsalium
præcedentium, & eiusdem rationis cum illo, & cum eo in-
compossibile; ergo extinguit illud, sicut etiam qui vult pro-
fiteri in strictiori Religione liberatur omninò ab eo voto per
professionem factam in Religione laxiore, ità Sanchez, Hen-
riquez, Tancred. Bonacina, Villalobos, Becanus, Lessius, Fi-
liucius, Stephanus à S. Gregorio & alij.

Communior tamen, & probabilior opinio docet contrà, 310
Adrianus, Petrus, Ledesma, Hurtadus, Coninchius,
Vega, Ponce, Auersa, Caspensis, Brancatus noster, &
alij quamplures. Ratio est, quia in tantùm ille manet liber

obligatione sponsalium præcedentium, quia per sequens matrimonium impeditur, ne eam adimplere possit, sed per dissolutionem matrimonij tale impedimentum tollitur, & redditur habilis, & expeditus ad illam adimplendam; ergò tenetur adimplere, si prior sponsa cum eo contrahere velit; Vndè quamuis vinculo matrimonij durante cum secunda sopita sit obligatio sponsalitia respectu primæ, non tamen omninò extinguitur, ideoque tali vinculo deficiente cum secunda, reuiuiscit obligatio sponsalitia cum prima ad contrahendum matrimonium cum ipsa, si velit. Confirmatur, quia obligatio validè contracta non semper extinguitur per impedimentum fortius superueniens, sed suspenditur, vt cum quis votum Religionis emisit, & postea matrimonium contraxit, & consummauit, mortua vxore adhuc Religionem ingredi tenetur; ergo ob eandem rationem idem erit in præsenti dicendum, quia denuò redditus est potens adimplere priorem illam promissionem, & obligationem, & sicut matrimonium consummatum post votum ingrediendi Religionem non est incompossibile cum obligatione voti, quamuis eius impletionem impediat; ità matrimonium contractum cum secunda non esse incompossibile cum obligatione sponsalitia respectu primæ, etiamsi quamdiù durat impediat impletionem illius, & sit incompossibile cum ipsa impletione.

Respondent Auctores primæ opinionis cum Sanchez, quod obligatio voti, & iugum matrimonij sunt diuersæ rationis, & ideò illa non extinguitur per matrimonium superueniens, sed tantum suspenditur durante matrimonio, at obligatio sponsalium est eiusdem rationis cum obligatione matrimonij, & ideò illa per hanc tanquam per fortiorem omninò tollitur, & extinguitur, vt patet exemplo ab eis suprà adducto, quod votum factum de ingredienda Religione aliqua strictiori extinguitur per professionem emissam in alia Laxiori, quia sunt obligationes eiusdem rationis, sed fortior est per professionem, quàm per simplex votum. Hæc tamen solutionem non satisfacit, parum enim refert obligationem esse eiusdem, vel diuersæ rationis, & adhuc viget exemplum allatum, quod sicut quis post solutum matrimonium tenetur votum antè factum adimplere, ità teneatur adimplere sponsalitiam promissionem anteà factam; imò exemplum allatum duplicis Religionis potest cum Auersa q. 8. *sec.* 13. retorqueri; tantum enim per professionem in Religione Laxiori extinguitur penitus votum de ingredienda strictiori, quia professio est vinculum perpetuum, & indissolubile, & in hoc est simile matrimonio, quod quamdiù durat posterius matrimonium, non obligat prior sponsalitia promissio; at si ponatur casus, vt solueretur vinculum professionis, si v. g. Religio illa supprimeretur, in qua emissa est professio, alijs rebus, & conditionibus immutatis, tunc resurgeret voti obligatio de ingredienda Religione strictiori.

311 Ad fundamentum oppositæ sententiæ negatur assumptum, illa enim iura vtique definiunt debere hominem manere in matrimonio post priora sponsalia contracto, quia ipso durante priorem promissionem sponsalitiam nequit implere; sed non dicunt priorem illam obligationem ita penitus extingui, vt etiamsi matrimonium cum secunda contractum per eius mortem dissoluatur, nō teneatur amplius homo factus liber à coniugio eam adimplere. Ad Confirmationē negatur assumptum quoad secundam partem, quamuis enim vinculum matrimonij sit fortius obligatione sponsalitia, eiusdemque rationis cum ea, non tamen est incompossibile cum ea, vt refertur ad tempus cessationis ipsius vinculi; vndè licet quamdiù vinculum matrimonij durat, eius implectionē impediat, & obligationem suspendat, non tamen omninò tollit, & extinguit; Nec valet assumpta paritas de voto ingrediendi Religionem strictiorem, quod omninò extinguitur per professionem in Religione Laxiori; & ratio disparitatis est, quia votum illud simplex commutatur in eam professionem, & votum solemne, aut ex priuilegio Ecclesiæ, & iure Pontificio, aut ab ipso profitente, quia professio quamuis in Religione Laxiori, certè maius bonum est, quam votum profitendi in strictiori, vt ait Hurtad. *disp.* 2. *diffic.* 3.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quibus alijs de causis Sponsalia dissoluantur.

312 QVintò præterea conueniunt Doctores, priora sponsalia non dissolui per posteriora, si nihil aliud accedat, *Mela. in Quart. Sentent.* quia fides posterius data in præiudicium prioris fidei est irrita, & inter has duas promissiones prior præualere debet, & de priori sponsa rectè dici potest priori in tempore, potior iure; Imò id etiam affirmant contrà Innocentium cap. *Veniens de iureiurando*, si posteriora sponsalitia fuerint iuramento firmata, quia quando iuramentum est de re iniqua, & in præiuditium tertij non obligat 38. *regula iuris in* 6. at tale iuramentum in casu posito super factum iniustum, & illicitum cadebat; promittebat enim & iurabat, quod iustè, & licitè facere non poterat in præiuditium promissionis cum priori sponsa; ergo huiusmodi iuramentum non solum non est fortius vinculum, vt Innocentius *cap. citat.* indicauit, sed simpliciter non est vinculum; ex parte tamen illius, cui prior fides data erat, soluta sunt sponsalia, vt sæpè diximus, quia innocens est.

313 Difficultas tamen est, an priora sponsalia dissoluantur per posteriora subsecuta copula cum posteriori sponsa cum spe matrimonij, & ignara priorum sponsalium, nam si contracta fuit tunc non potest dici decepta; affirmant quamplures in tali casu priora sponsalia dissolui, virumque teneri hanc posteriorem ducere ratione damni ei illati, quod aliter reparari non potest, ac proindè præualere debet priori simplici promissioni absque simili damno, sicut enim plerique idem dicunt, si quis post votum simplex castitatis, aut Religionis virginem violauit, aut honestam viduam sub promissione futuri matrimonij. Confirmatur, quia quando duo contendunt, vnus de lucro acquirendo, alter de damno vitando, huic potius fauendum est, quàm primo, sed secunda fœmina damnum patitur, & id agit, vt damnum euitet; prior verò, vt lucrum acquirat; ergo illi potius faciendum est, quia prior vel nullum, vel leue patitur nocumentum. Demum probatur exemplo contractus venditionis, in quo secunda venditio secuta traditione præualet priori *l. Quoties, C. de rei vendic.* ità Maior, Palatius, Coninchius, Reginaldus, Rebellius, Ponce, Capensis, & alij.

314 Negant quamplures alij, vt Henriquez, Nauarrus, Lopez, Bartol. Ledesma, Sotus, Sanchez, Tancred. Auersa, Becanus, Stephanus à S. Gregorio, Hurtadus, Brancatus ex nostris, & alij passim. Ratio est, quia per sponsalia secunda cum copula non acquiritur maius vinculum, quàm sponsalium; ergò secunda nequeunt præiudicare primis; probatur assumptum, nam copula non facit vinculum matrimoniale, quod abrogat sponsalia, sed potius est initium illata secunda, vndè, quamuis antè decretum Concil. Trident. *sess.* 24. *cap. 1. de matrimonio*, priora sponsalia dissoluerentur per copulam subsecutam cum posteriori sponsa [illegible] quia posteriora sponsalia per talem copulam transibant in matrimonium *cap. Is, qui fidem de sponsal.* attamen post Tridentini decretum non ità fit, quia posteriora sponsalia non transeunt in matrimonium per solam copulam; ergo qui hæc contraxit tenetur adhuc ad priora redire, [illegible] ter sponsorum, qui innocens est, non maneat obligatus [illegible] respuere possit. Confirmatur quia cùm corpus sponsi [illegible] missum primæ, illi ex iustitia debetur, & adhuc [illegible] lius, nec ex noua promissione cum violatione [illegible] transfertur in alteram personam, quarè adhuc prior [illegible] sio obligabit, cuius etiam rei signum est, quod non [illegible] impedimentum publicæ honestatis ex secunda sponsalia [illegible] quia nimirum non sunt valida obstante adhuc vigore [illegible] rum, quæ non rescinduntur. Tandem probatur [illegible] posteriora contraxit non tenetur ratione promissionis [illegible] sit nulla, vt relata ad tempus iuris alterius, quia [illegible] citæ præsuppositis prioribus sponsalibus; neque ratione [illegible] mni illati posteriori sponsæ, quia huic damno satisfieri [illegible] test constitutione dotis, aut alia via; ergo non tenetur [illegible] riorem ducere, sed priorem, & posteriori damnum [illegible] satisfacere, vt benè discurrit Hurtadus *disp.* 2. *diffi.* 8. [illegible] aliquando alia via damno illato satisfieri nequeat, [illegible] ducendo, tenetur eam ducere ob rationes prioris [illegible] quæ id solum probant, & non amplius, in hoc tamen [illegible] cessante matrimonio inito cum hac posteriori inquit [illegible] tad. *loc. cit.* teneri posteà contrahere cum priori, si ipsa [illegible] & hæc secunda opinio sic explicata mihi probabilior [illegible] & tenenda.

Sextò conueniunt Doctores fornicationem sponsi [illegible] sponsæ sponsalibus superuenientem innocenti præbere [illegible] dissoluendi sponsalia; ità enim definitum est in cap. *Quemadmodum* 25. *de iureiurando*, etiamsi sponsalia fuissent iuramento firmata; & ratio est, quia iuramentum illud hanc tacitè [illegible] [illegible] 315

includit conditionem, si alter contrà desponsationis fidem non peccauerit, aliàs fidem frangenti fides seruanda non est, quæ ratio æquè probat de sponso, qui fornicando similiter fidem notabiliter frangit.

Confirmatur à fortiori, quia vir post matrimonium contractum potest ob fornicationem vxorem à sua cohabitatione dimittere, ergò multò magis antè matrimonium contractum potest ob eandem causam eam dimittere, & sponsalia dissoluere, nam faciliùs possunt sponsalia solui, quàm separari matrimonium quoad torum; quamuis ergò qui fornicationem committit ex parte sua obligatus maneat ad sponsalia implenda, alter tamen innocens potest ab illis resilire, si velit. Si verò post sponsalia vterque sponsus fornicetur, volunt aliqui in tali casu delictum vnius compensari delicto alterius, itaut neutri liceat à sponsalibus resilire, quia in causa matrimonij vterque æqualis est ità Paludanus, quem sequitur Bonacina q. 1. punct. 8. n. 6. & Stephanus à S. Gregorio lib. 3. c. 90. & Brancatus noster disp. 27. art. 11. Alij autem magis communiter negant, & volunt sponso quidem fas esse resilire, non autem sponsæ. Ratio est, quia multò turpior est fornicatio in sponsa, quàm in sponso in iure ciuili, & sponsa notabiliter fit vilior per talem fornicationem, non autem sponsus; & ex fornicatione sponsæ graue damnum sponso resultat, & imminet, propter incertitudinem secuturæ prolis; quare delicta sunt valdè imparia, nec debent inter se compensari, quamuis enim quoad fidei fractionem facta sit æqualis compensatio, non tamen quoad vtilitatem, siquidem longè ignominiosius est sponso talem ducere, quàm sponsæ tali nubere; Nec valet paritas de matrimonio assumpta, nam faciliùs possunt solui sponsalia, quàm matrimonium separari quoad torum, & ideò inter coniuges possunt compensari delicta, vt neuter possit separationem petere; ita Sanchez, Henriquez, Tancred. Coninch. Ponce, Reginald. Diana, Beccanus, Caspensis Auersa, & alij passim.

316 Est tamen duplex Difficultas, Prima est, an dissoluantur sponsalia quando fornicatio est inuoluntaria, vt quando sponsa per vim cognita est. Secunda est, an ob fornicationē à sponsa existente ita Virgine antè sponsalia commissam, & post sponsalia à sponso cognitam, possint sponsalia ex parte sponsi dissolui. Circa primam aliqui negant, ratio est sponsam in tali casu est inculpabilis, nec censetur fregisse fidem, nec in futurum suspecta redditur. Confirmatur, quia in simili casu non potest vxor separari a toro coniugali, nulla ergo adest legitima causa dissoluendi sponsalia. Tandem ità probatur ex cap. desponsatas 27. q. 2. vbi sic habetur, desponsatas puellas, & post ab alijs raptas placuit erui, & reddi eis, quibus antea fuerant desponsatæ, etiamsi eis à raptoribus vis illata constiterit, ità Couar. de sponsal. 4. Decr. 1. par. cap. 5. Tabiena verbo sponsalia qu. 9. & alij. Communis tamen opinio putat posse dissolui; ratio est, quia illa censetur notabilis mutatio ex parte sponsæ, ex qua vir dedecus graue pati potest, cùm vulgò satis infame sit corruptam ducere in vxorem, præsertim cum non ità facile constare possit sponsam per vim, & omninò inuoluntariè cognitam esse; & quamuis etiam id constaret, & sponsa in tali casu inculpabilis esset, adhuc tamen facta est talis mutatio circà eam, propter quam meritò sponsus eam repudiare potest; & hoc clarè deducitur ex cap. Raptor 33. q. 1. vbi sic dicitur, Raptor pœnitentia publica mulctetur, raptam verò si sponsus accipere noluerit, & ipsa eidem crimini consentiens non fuerat licentia nubendi alij no negetur. Nec obstat textus in oppositum allatus, quia ibi agitur de puellis per verba de præsenti desponsatis, vt ibi Glossa aduertit; nec est simile de matrimonio, quia, vt dictum est, multò faciliùs sponsalia dissoluuntur, quàm matrimonium quoad torum. Ita Henriquez, Sanchez, Tancred, Reginald. Gutierez, Nauarrus, Coninch Rodriquez, Ledesma, Beccanus, Bonacina, Hurtadus, Stephano à S. Gregorio, & alij passim, qui etiam addunt ob eandem Rationem sponsalia dissolui posse ex parte sponsi, si sponsa permittat se turpiter tagi, quia eo ipso habetur omninò impudica, ac proindè vilior, & etiā quia notabiliter frangit, seù in re graui legem sponsalium, seù fidem; ob fornicationem tamen sponsi vt sibi illatã factam dicunt sponsalia non posse dissolui ex parte sponsæ, quia non frangit fidem sponsalium, neque fit notabiliter vilior in ordine ad matrimonium.

317 Circà secundam Difficultatem Paludanus cum quibusdam alijs partem tuentur negatiuam, quod deducunt ex capit. Quemadmodum 25. de iureiurando, vbi dicitur sponsum non posse obijcere sponsæ fornicationem sponsalia præcedentem. Communis tamen opinio affirmat sponsum adhuc resilire posse, non quia sponsa fidem fregerit, aut quia ob fornicationem sponsalia præcedentem in posterum suspecta reddatur, sed quia adhuc per talem fornicationem est notabiliter vilior, quam æstimaretur à sponso; Quarè sponsus in tali casu grauiter deceptus censeri debet, & quod tantùm per errorem consenserit, contractus autem cui error grauis causam dedit, potest à decepto irritari; & ob eandem rationem propter fornicationem præcedentem viduæ existimatæ honestæ antè sponsalia commissam, & posteà cognitam à sponso, potest sponsus à sponsalibus resilire, quia scilicet illa fornicatione reddita est notabiliter vilior, quamuis non tam vilis, ac putata Virgo; Neque contrà id obstat prædictum cap. Quemadmodum, quia ibi apertè loquitur de fornicatione præcedente cognita antè sponsalia, vt Glossa ibi aduertit, & passim Doctores exponunt; sponsa autem è contrà ob fornicationem sponsi præcedentem, quamuis ignoratam, & posteà cognitam resilire non potest, quia sponsus ob illam non est notabiliter vilior in ordine ad matrimonium; Ità docent Sanchez, Tancred. Coninchius, Hurtadus, Caspēsis, & alij Auctores supracitati; licet oppositum teneat Brancatus noster loc. cit. disp. 37. art. 11. n. 437. ea ratione fultus, quia mulier semper suspecta remaneret de amore, ac fide viri, vnde exitum malum sortitur matrimonium; qua ratione addunt alij etiam propter tactus impudicos sponsi cum alia fœmina posse sponsam resilire; Hæc tamen ratio vrget solùm in casu, quo talia actus sponsi cum altera fuissent adeò frequentes, vt indicarent animum sponsi valdè in alteram propensum, vt meritò timeri possit, ne ipse mansa sit sponsam amaturus, & fidem ei non seruaturus, in tali enim casu si sponsa cum tali contrahere abhorreret, & grauatæ ferret non videtur cogenda, aut culpæ damnanda, vt aduertunt Coninchius, Laiman, Auersa, Caspensis, & alij; extrà verò talem casum à communi opinione recedendum non est, quia id sponsæ non est dedecus, nam per eiusmodi actus vir non redditur ità infamis, vt nota inuratur sponsæ, nec ignominiosum esset sponsæ talem virum ducere, sicut erat sponso talem mulierem ducere

Septimò conueniunt Doctores, sponsalia quoque dissolui 318
per lapsum termini constituti ad contrahendum matrimonium, si terminus ille præfixus sit, tanquam terminus finiens obligationem vltrà quem contrahentes obligari nolunt, dissolui inquam, ex parte illius, per quem non stetit, quominùs matrimonium ineretur; Ratio est, quia prædictus terminus in tali casu ad id fuit assignatus, vt eo transacto finiatur obligatio, ergo is, per quem non stetit, ab obligatione liber manet, quia obligari tantùm voluit vsque ad præfatum terminum, & non vltrà. Confirmatur, quia promissio non obligat vltrà promittentium intentionem, promittentes autem in tali casu intentionem habuerunt obligandi se solùm pro tali termino assignato. Tandem quia omnis contractus conditionalis deficiente conditione eo ipso irritus est; ergo contractus sponsalium cum ea conditione initus, si conditio deficiat, statim irritus est, & ità habetur cap. Sicut 22. de sponsalibus, atque ideò qui præfixit terminum in sponsalibus, si per eum non stetit, illo transacto non tenetur; Alter verò, per quem stetit, non manet liber, vt supponitur in dicto cap. Sicut, quia tunc quamuis finita fuerit obligatio orta per ex dictis sponsalibus, obligatur tamen per accidens, vt recidat, quod debuit ex iustitia reddere; hoc autem limitant Sanchez, Tancred. Poncius, Bonacina, Caspensis, & alij, quando alter absque iusta causa differt, nam si alioqui sit legitimè impeditus, sponsalia ex vi termini transacti præcisè non dissoluuntur, quia legitimè impedito non currit tempus l. 1. C. de annual. except. in fine; Alij verò, vt Nauarrus, Coninchius, & Hurtadus neque hanc limitationem admittunt, quia nempè sic videtur absq; tali limitatione fuisse præfixus terminus, quare eo lapsu absolutè sponsalia soluantur. Verùm, vt notat Auersa q. 8. sec. 11. hæc res dependet ex intentione eorundem contrahentiū, & coniecturis de eorum mente, & circumstantijs posteà occurrentibus iuxta maiorem, aut minorem dilationem eius, qui iustam causam habet, & maiorem, aut minorem incommoditatem, & molestiam eius, qui expeditus est ad contrahendum. Quod si per vtrumque stetit, ne matrimonium sequatur, vterque manet liber, quia in tali casu vterque iuri suo renunciasse censetur, & mutuo consensu sponsalia dissoluisse.

Si verò terminus obligationi adijciatur, & præfigatur non ad finiendam obligationem, sed ad solicitandam obli-

gatio

gationis effectum, seù ad constituendum tempus, vt deinceps debitor in mora constituatur non soluendo, tunc lapsus termini obligationem non extinguit; Ratio est, quia tunc terminus non fuit præfixus ad finiendam obligationem, sed tantum ad solicitandum eius effectum, ac proindè eo finito, & transacto, non eo ipso finitur obligatio, vndè in hoc casu diuersæ interueniunt obligationes vna contrahendi absolutè matrimonium, altera contrahendi intra tale tempus, cessante autem obligatione contrahendi matrimonium statuto tempore, non propterea cessat prima obligatio contrahendi absolutè, nisi fortè mora, & dilatio tanta sit, vt dilatorem constituat moralis culpæ reum, tunc enim frangenti fidem fides seruanda non est; ita Reginaldus, Coninchius, Hurtadus, Becanus, Gutierez, Rebellus, & alij Auctores supracitati. Si tandem nullus terminus erit præfixus, nec alia conditio, non tenetur promissor statim implere, sed tantùm requirente eo, cui est facta promissio, hoc enim generale est in omni debito absque diei præfixione quod solum tenetur debitor soluere à creditore requisitus; Et in hoc casu sponsalia dissolui possunt, quandò dilator requisitus ab altero sponso ad perficienda sponsalia, & matrimonium contrahendum ità differt, & prorogat, vt iudicio prudentum censeatur sponsalibus renunciasse, aut quando mora est tanta, vt alter non censeatur se vsque ad tantum obligasse, quæ omnia prudentum arbitrio discernenda sunt; ita Doctores omnes supracitati.

320 Octauò conueniunt Doctores, sponsalia quamuis iuramento firmata per discessum alterius sponsi in longinquas partes absque consensu alterius dirimi, & dissolui ex parte relicti. Ità habetur expressè in cap. *De illis 5. de sponsalibus*, cuius dispositionis ratio est, quia sponsus tam longè discedens cum mutatione domicilij, & absque alterius licentia iuri suo renunciare videtur, atque ità potest alter eam tacitam renunciationem acceptare, & matrimonium cum alio contrahere; Et quamuis ius ciuile *L. 2. C. de repudijs* præscribat talem sponsum expectandum esse per triennium, si fuerit extra Prouinciam, vel per biennium intra Prouinciam, tamen vel dictum ius habet vim tantum in foro externo, vt habet Bonacina q. 1. *punct. 6. in fine*, vel melius dicendum cum alijs ius ciuile fuisse correctum per ius Canon. cum *loc. cit.* cuius decisioni sine dubio in hac materia standum est, cùm sit satis consona rationi; dùm enim vna pars absque alterius consensu in longinquam regionem, & remotas Prouincias abit censetur sponte cedere sponsalibus, & altera pars iustam habet causam ea rescindendi, quia sponsa de futuro virum aliò commigrantem, vel vagabundum sequi non cogitur, cùm ad hunc euentum se obligare non censeatur. Si autem sponsus fuerit in propinquas partes commigratus, tunc est expectandus, & requirendus, & si absque iusta causa matrimonium contrahere noluerit, censendus est iuri suo renunciasse, & poterit sponsa cum alio contrahere; ità Reginaldus, Sanchez, Tancred. Filliucius, Hurtadus, Bonacina, Becanus, Caspensis, Ponce, Auersa, & alij passim.

321 Sed Dubium est, quid agendum sit, quando sponsus non relicta sponsa, sed ex causa iusta, siuè necessaria, siuè libera, absens est absque consensu sponsæ in terras remotas animo quidem redeundi, sed absque spe celeris reditus: dubium inquam est, an etiam in tali casu sponsa maneat libera. Paludanus, Siluester, Canisius, & alij censent in tali casu seruandam esse dispositionem iuris ciuilis allatam, vt si Sponsus intra Prouinciam absit, per biennium expectandus sit, & si extra Prouinciam per triennium expectare teneatur, & eo biennio, aut triennio transacto liberam manere, & non antea. At Sanchez, Tancred. Henriquez, Toletus, & alij docent, quod si sponsus discessit in terras remotas siuè intra, siuè extra Prouinciam absque spe celeris reditus, quamuis animo redeundi, ex tunc sponsam manere liberam ad contrahendum cum alio, & ità dispositum censent in dicto Cap. *De illis*. Hoc tamen falsum esse aiunt Ponce, Hurtadus, Caspensis, & alij, quia casus de quo hic est dubium non est in iure Canonico decisus, & in cap. *cit. De illis*. Sermo est de diuersa facti specie, loquitur enim ibi tantùm de discessu sponsi relicta sponsa, & mutato domicilio, vt patet legenti textum; Quarè Hurtadus *disp. 2. diffic. 10.* inquit, rem hanc discernendam esse iuxtà dicta *diffic. præced.* quod si sponsus absens perseueret post terminum præfixum ad finiendam obligationem ex tunc sponsa libera maneat; & quod quandò post terminum præfixum tantùm ad finiendam licentiam differendi ita notabiliter moratur, & perseuerat absens, vt sponsalibus renunciasse videatur, aut fidem notabiliter fregisse, etiam ex tunc libera maneat, & quod quando nullo sponsalibus assignato termino ità moratur, vt moraliter, sponsalibus renunciasse videatur, aut sponsa non censeatur se obligasse vsque ad tantam moram, etiam ex tunc sponsa libera maneat, quæ tamen prudentum arbitrio discernenda sunt. Laiman verò *tract. 10. part. 1. cap. 1.* quem sequitur Caspensis *disp. 1. sect. 11. § 7.* inquiunt in tali casu vel standum esse priori sententiæ, quia cum res hæc non sit in iure Canonico decisa vt secunda sententia putabat, definitio iuris ciuilis tenenda, & obseruanda est, cùm enim ex illa per se iusta sit, seruari debet, quando non reperitur aliud in contrarium iure Canonico constitutum; Vel hoc iudici Ecclesiastico remitti debet, qui inspecta qualitate personæ, & alijs circumstantijs, tempus moderari poterit, & interim iubere, vt sponso significetur cum protestatione, si intrà id tempus non redeat, sponsam liberam fore certò sciat, & vterque dicendi modus probabilis est.

Nonò conueniunt insuper Doctores ob impedimenta dirimentia, nempè ob affinitatem, & cognationem, & alia 322 sponsalibus superuenientia dissolui posse sponsalia ex parte alterius, qui non fuit causa impedimenti; Ratio est, quia non est obligatio ad id, quod fieri non potest, esset autem obligatio ad id, quod fieri non potest, si sponsalia non dissoluerentur superueniente impedimento dirimente, nam tale impedimentum facit, vt subsequens matrimonium validè contrahi non possit absque dispensatione; ex quo sequitur sponsalia dissolui, si sponsus peccet cum consanguinea sponsæ in primo vel secundo gradu, quia per eiusmodi copulam contraheretur affinitas cum sponsa, affinitas autem dirimit matrimonium vsque ad secundum gradum, quandò ex copula illicita procedit. Si verò impedimentum fuerit tantum prohibens, vel merè impediens matrimonium, non autem simpliciter dirimens, negant sponsalia dissolui posse, excepto voto simplici castitatis, Sanchez, Tancred, Coninchius, Bonacina, Filliucius, Stephanus à S. Gregorio, & alij, quia non adest sufficiens ratio, ob quam dicere debeamus per talia impedimenta sponsalia contracta dissolui, quia iam non videntur [illegible] vi, nec etiam si præcedant, impediunt à sponsalibus, & matrimonio. Sed absolutè de omnibus impedimentis absque distinctione affirmant Sotus, Petrus, Ledesma, Auersa, Caspensis, & alij, quia si impedimentum sit dirimens, facit vt subsequens matrimonium validè contrahi non possit, si autem sit tantum impediens, facit vt non possit licitè contrahi; ergò per ea omninò cessat sponsalium obligatio, quod [illegible] sequentia patet, quia ad contrahendum matrimonium, quod contrahi non potest, nisi aut inualidè, aut illicitè, nulla esse potest obligatio: & hoc præsertim asserendum est de impedimentis prohibentibus, quæ adhuc sunt in vi, & in vigore.

Disputant verò præcitati Doctores an sponsus qui post sponsalia contraxit impedimentum, teneatur impetrare 323 dispensationem impedimenti altero id exigente. [illegible] Petrus Ledesma, Ochagauia, & quidam alij absolutè [illegible] absque vlla limitatione affirmant teneri, quia contra iustitiam [illegible] iniustè apposuit liberè impedimentum, ac proindè tenetur illud auferre. Probabilius tamen aliqui [illegible] ne affirmant teneri, nisi dispensatio absque notabili incommodo, vel absque magnis impensis impetrari [illegible] quia non videtur se obligasse ad impletionem [illegible] difficili; & eò magis adhuc teneri, si sequeretur aliquod [illegible] ue damnum sponsæ, vt accidit, quando à sponso [illegible] fuit, aut quando grauem famæ iacturam pateretur, [illegible] enim omninò in tali casu sponsam ab omni molestia liberare, ne ex suo peccato ipse commodum, innocens incommodum reportet; ità Sanchez, Coninc. Gutierez, Bonacina, Caspensis, Auersa, Stephanus à S. Gregorio, & alij passim.

Decimò tandem conueniunt Doctores, sponsalia dissolui 324 posse per notabilem aliquam mutationem post sponsalia contracta superuenientem, quæ si ab initio extitisset [illegible] præuisa fuisset, viri prudentis iudicio à sponsalibus contrahendis meritò abstinuisset, vt si alter sponsorum in [illegible] contagiosum incidat, lepram, paralysim, morbum [illegible] aut notabilem corporis defectum, vel deformitatem [illegible] oculos, vel oculum, aures, siuè nasum amiserit; Item [illegible] tabilem famæ, aut bonorum iacturam patiatur, si sponsus [illegible] tem promissam afferre nequeat, si graues inter sponsos [illegible] eorum parentes inimicitiæ oriantur; idem etiam [illegible] eandem rationem dicendum, si superueniat notabilis [illegible]

rum asperitas, quæ etiam est sufficiente causa diuortij, vel noscatur sponsus de nouo grauiter ebrietati deditus, scortationibus, Ludo, alijsque similibus vitijs; & id ipsum tandem dicendum est, si sponsus, vel sponsa incideret in hæresim, vel fieret Apostata à fide, esset enim hæc quoque notabilis mutatio, ob quam licitum esset à promissis resilire. Ratio horum omnium est, quia contractus sponsalitius tacitè fit sub hac conditione, quod si adsit rerum notabilis mutatio, ob quam sponsalium impletio fit notabiliter grauior, & onerosior, is cui fit, resilire possit; Accedit quod promissio semper supponitur, & intelligitur facta rebus in eodem statu permanentibus ex *cap. Quemadmodum de iureiurando*; Imò etiamsi aliqua eiusmodi causa tempore ipso sponsalium extiterit, nec nisi post illa contracta deprehendatur, adhuc in hoc casu sponsalia dissolui possunt; cum enim sponsalium tempore defectus non appareret, perindè erat, ac si non esset; quando verò apparere incipit, perindè est, ac si de nouo existat, nam in iure paria censentur non esse, & non apparere *L. in fundo ff. de contrah. empt.* & hæc omnia intelligenda sunt etiamsi sponsalia essent iuramento firmata, quia iuramentum naturam sequitur promissionis, & huius obligatione cessante, cessat etiam iuramenti obligatio, vt sæpè dictum est; ità Sanchez, Tancred. Ponce, Coninchius, Tuscus, Riccius, Reginaldus, Gutierez, Molina, Ledesma, Valentia, Auersa, Hurtadus, Caspensis, Stephanus à S. Gregorio, & alij passim, & ex nostris Brancatus *disp. 37. art. 11. §. 8.*

324 Est tamen difficultas, an qui huiusmodi defectibus occultè laborat, dùm vult contrahere sponsalia, teneatur eos alteri parti manifestare, & procedit difficultas, quando iudicat alterum non contracturum si sciret, nam si probabiliter iudicaret etiam contracturum, si eos agnosceret, certum est non teneri, quia nullus tenetur propriam manifestare turpitudinem, maximè quando eius occultatio nulli nocet. Cui difficultati Doctores communiter respondere solent distinguendo duplex defectuum genus. Primum est eorum, qui nuptias reddunt non solùm minus appetibiles, sed etiam perniciosas, vt infamia, morbus contagiosus, improbi mores, vita inhonesta absque proposito emendationis, & similes, & hos defectus patientem inquiunt teneri manifestare alteri parti, vel sponsalia recusare, quia hi defectus sunt nuptijs perniciosi, & ad vsum nuptiarum, generationis actum, & prolis educationem prorsus incongrui, & contrarij; quilibet autem contrahens tenetur detegere id, quod destruit finem principalem contractus, sicut qui alicui vendit ligna putrida ad ædificandum, tenetur antè traditionem hoc aperire vitium, quod finem principalem destruit talis contractus, ergo tales defectus in proposito sunt aperiendi, nam eos celans nedum peccaret ob eiusmodi damna, & deceptionem, sed etiam quia celando cooperari censetur ad omnia mala, quæ prævideret à coniuge innocente perpetranda.

325 Aliud genus defectuum est eorum, qui reddunt quidem nuptias minus appetibiles, non tamen perniciosas, vt paupertas, ignobilitas, deformitas, alijque huiusmodi, qui facili negotio sciri poterant, & hos defectus dicunt non teneri contrahentem aperire, sed qui contraxit, sibi imputare debet, quod eos indagare omiserit, nec diligenter inquisiuerit, cum potuerit facilè rescire, & licet si eos aduertisset, non contraxisset, tamen non erat graue motiuum retrahens ipsum à contractu. Addunt tamen in tali casu non licere habenti tales defectus dicto, vel facto positiuè illos dissimulare, vndè si patiens tales defectus dolo, fraude, seù deceptiones eos tegit, & occultat, cùm perquiruntur ab altera parte, ad effectum contrahendi, mortaliter peccat, nam in tali casu vel à sponsalibus cessare debet, vel defectum manifestare, alioquin mendacium diceret, in re graui; Vndè si quis fingat se diuitem, nobilem, aut similia, cùm non sit, & sic huiusmodi actu alteram partem circumueniat, & ad matrimonium alliciat, planè illi iniuriam facit, & grauiter delinquit. Non tamen censetur dolus, & fraus huius generis, si puella fortè deflorata ad tegendum talem defectum vtatur aliqua industria, & medijs aliàs licitis, ne à viro deprehendatur; imò si interrogetur, an sit Virgo, & affirmatiuè respondeat subintelligendo mentaliter in communi existimatione, excusatur à culpa mortali, quia nempè hoc spectat ad suam famam tuendam, nec tenetur ad interrogationem tam duram vniuocè respondere, ità Ponce, Coninchius, Hurtadus, Caspensis, Auersa, Diana, Brancatus ex nostris *loc. cit.* & alij plures.

Denique disputari solet, vtrum propria auctoritate [illegible] velit à sponsalibus resilire iusta de causa, vel ex [illegible] ritate Iudicis Ecclesiastici. Cui etiam dubio [illegible] muniter respondere solent, quod si causa dissoluendi [illegible] monium moraliter certa sit, nulla Iudicis Ecclesiastici auctoritate opus est, nisi ratione vitandi scandali [illegible] sponsalia publicè contracta fuere, vndè etiam [illegible] locu obseruatur, vt à sponsalibus publicè notis [illegible] liceat, nisi causa prius ad Ordinarium delata, & ab ipso probata; Itaque in duobus præsertim casibus propria, & priuata auctoritate licet sponsalia dissoluere, vt notat Caspensis *tract. 26 disput. 1. sec. 11. in fine*. Primò dùm hæc clàm contracta fuerunt, & causa ea dissoluendi occulta est, iusta tamen, & certa; Secundò dùm publicè contracta sunt, & iusta causa ea dissoluendi certò etiam, & publicè constat quia ex hac dissolutionem sponsalium propria, & priuata auctoritate facta nullum oritur scandalum; Si autem causa dissoluendi sponsalia dubia sit, nec certò constet esse iustam & sufficientem, tunc propria, & priuata auctoritate ea dissoluere non licet, quia quilibet sponsus vi contractus sponsalitij est in possessione iuris acquisiti, vt fiat quod promissum est, in dubio autem nemini licet propria, & priuata auctoritate alterum de possessione sui iuris deturbare, sed ad hoc decidendum requiritur legitima Iuris, & Ordinarij auctoritas.

QVÆSTIO VNDECIMA.

De Impedimentis Matrimonij in genere.

POstquam in præcedentibus de quidditate Matrimonij & Sponsalium actum est, disputandum nobis est de eius impedimentis, de quibus Scotus *tractat. 4. d. 34.* [illegible] *ad 42. vbi lit. D.* ea generatim diuidit in aliqua, quæ dicuntur simpliciter talia, & in alia, quæ non sunt simpliciter talia, sed tantùm secundùm quid; primi generis inquit esse illa, quibus interuenientibus matrimonium est irritum, nullum, secundi generis inquit esse illa, quibus positis illicitè quidem fit, tamen non est irritum; Et est communis diuisio, quæ assignari solet, quod impedimenta matrimonij duplicis sunt generis, quædam enim matrimonium contrahendum solummodò impediunt, alia verò etiam contractum dirimunt, hæc dicuntur simpliciter talia, quia non solum obstant, ne licitè contrahatur, sed etiam ne validè, illa verò non sunt simpliciter talia, quia prohibent quidem matrimonium, non tamen reddunt illud irritum, & nullum, si cum ipsis contrahatur. Vndè impedimenta primi generis dicuntur merè prohibentia, secundi generis verò dicuntur etiam dirimentia iuxta diuisionem communiter à Moralibus traditam; De his igitur impedimentis primò in communi agendum est in hac quæstione, deindè in particulari in sequentibus.

ARTICVLVS PRIMVS.

An sit potestas humana ad inducendum impedimenta Matrimonij, & apud quos resideat.

CErtum est apud omnes esse potestatem humanam ad statuenda impedimenta tantùm prohibentia fieri matrimonium non minus quam ad prohibendam aliorum contractuum celebrationem, & aliorum sacramentorum administrationem, & susceptionem; quarè sola difficultas est, an detur potestas humana ad statuenda impedimenta dirimentia, & irritantia matrimonia contrahenda. Et quidem non defuerunt Hæretici, qui negauerint posse iure humano constitui impedimenta dirimentia matrimonia contrahenda. Ratio est, quia si consideretur matrimonium ciuiliter, vt contractus, debet relinqui sub tota libertate, quæ illi conuenit de iure naturali, quarè cùm contractus matrimonij sit de iure naturali, nequit humano iure inualidari impedimenta inducendo; Si verò consideretur spiritualiter, vt sacramentum, debet relinqui in sua institutione à Christo Domino facta, qui quidem determinauit quid ad singulorum sacramentorum substantiam, & validitatem 328

liditatem spectat; cum ergo non sit potestas humana ad mutandas sacramentorum essentias; consequenter nequit esse ad statuenda impedimenta matrimonium inualidantia, nam mutaret per hæc impedimenta quæ ad substantiam huius sacramenti spectant; vel enim sunt circà contractum, & sic mutaretur materia, vel forma; vel circà contrahentes, & sic mutaretur Minister, ipsi enim sunt ministri huius sacramenti, vt patet ex dictis in superioribus.

329 Nihilominus conueniunt Catholici omnes ad id esse potestatem humana, & verè posse humano iure aliqua matrimonij impedimenta institui, non tantùm prohibentia, sed etiam dirimentia, & ità de fide definitum est in Conc. Trid. *sess. 24. can. 3. & 4.* & constat ex praxi, & vsu Ecclesiæ, & sicut in veteri Testamento quædam impedimenta matrimonij constituta fuere ità expediens fuit, vt in lege quoque noua constituerentur, & quamuis à Christo Domino non fuerint immediatè constituta, hoc tamen prudenter, & valide fecit Ecclesia, in qua hæc potestas remanebat, vt docet Scotus noster *d. 35. 37. 39. & 42.* quibus in locis expressè docet, potuisse Ecclesiam statuere impedimenta matrimonium dirimentia, & de facto statuisse. Hoc etiam ratio ipsa suadet, quia iure humano nemo negat statui posse nonnullas conditiones humanorum contractuum, vt licitè, & validè celebrentur: cùm ergò matrimonium sit quidam contractus humanus, ex ea parte qua talis est, poterat vtique ex ipso iure humano huiusmodi conditionibus subijci, & poterat humana potestate irritari non minus, quam reliqui contractus, statuendo vt matrimonium ab his, vel illis personis, aut hoc, vel illo modo factum sit nullum. Neque id sublatum est per eleuationem talis contractus ad statum sacramenti; sed ex hoc tantùm fit contractum, qui alias esset validus, non esse validum ab his, vel illis personis, vel hoc, aut illo modo initum, sicut enim alij contractus ciuiles potestati, & legibus Principum subiecti sunt, ita etiam matrimonij contractus; & ideò humana potestas, quamuis materiam, & formam matrimonij mutare non possit, potest tamen statuere, vt contractus ciuilis sit irritus, nisi tali vel tali modo fiat; quarè quandò Pontifex aliquam personam facit ad matrimonium inhabilem, circà sacramenti essentiam nihil mutat, sed tantùm aliquid circà contractum, quod sacramento præsupponitur; vndè Ecclesia potest quidem facere vt talis contractus sit legitimus, vel non, tamen facere non potest, quod legitimus non sit huius sacramenti materia, & licet Christus instituerit, vt contractus coniugalis legitimus inter fideles sit sacramentum, non tamen statuit quoniam esset contractus coniugalis legitimus, sed hoc determinandum in potestate Ecclesiæ reliquit, vt dictum est *quæst. 8. art. 1. num. 233.*

330 Hinc patet ad rationem in oppositum adductam; non enim expediens erat, vt modus matrimonialis contractus in tota naturali libertate relinqueretur, sed benè poterat restringi, & coarctari ad certas conditiones, & qualitates personarũ, quæ conditiones, ex ipso iure naturæ præscriptæ non erant, sicut etiam in alijs contractibus factum est, & quamuis contractus matrimonialis sit de iure naturali in eo sensu, quatenus ex natura rei in quolibet homine est ius, & facultas contrahendi matrimonium, non tamen in eo, quod ex natura rei nequeat non esse validus. Neque hinc sequitur humanam potestatem immutare aliquid ad substantiam huius sacramenti spectans, vt à Christo institutum est, quia instituit quidem Christus, vt contractus legitimus coniugalis inter fideles esset sacramentum, non tamen instituit, neque determinauit quisnam esset legitimus contractus, sed hoc reliquit in humana potestate, sicut antea erat; atque ideò potuit Ecclesia certas conditiones apponere, quibus deficientibus contractus sit inualidus, nec proindè ad huius sacramenti substantiam, vel validitatem sufficiens, & hoc non est per se, & directè substantiam sacramenti immutare, sed tantùm per accidens, remotè, & indirectè, vt declaratum est loc. cit. Et sic etiam cùm aliquos illegitimat, ne contrahant, non dicitur huius sacramenti mutare ministros, nisi pariter remotè, & per accidens, quatenus illegitimat, ne possint contrahere, ex quo sequitur, vt non possint esse ministri, non enim Christus instituit huius sacramenti ministros virum, & fœminam simpliciter, & absolutè loquendo, sed instituit marem, & fœminam potentes contrahere.

331 Quoad aliam quæstionis partem conueniunt Catholici omnes hanc potestatem instituendi impedimenta matrimonij, tam prohibentia tantùm, quàm dirimentia esse in Ecclesia, vt constat ex Trid. loc. cit. & perpetua praxi, & vsu Ecclesiæ; conueniunt etiam eam non tantum esse in Concilio generali, quod Ecclesiam repræsentat vniuersalem, sed etiam in Summo Pontifice, vtpote totius Ecclesiæ capite, quod quidem constat ex pluribus Conciliorum generalium, & Pontificum decretis, quibus non pauca impedimenta sunt introducta; Et hoc etiam ratio ipsa suadet, quia omnis Respublica rectè instituta, qualis est Ecclesia Catholica, debet habere potestatem, & facultatem ad tollendos abusus, qui in contractibus, & societate humana contingere possunt, & præsertim in contractu matrimonij, qui cæteris præcellit. & Ecclesia ex[illegible] addunt tamen hanc potestatem in Pontefice, & Ecclesia extendi tantum ad matrimonium baptizatorum, quia tantum est caput eorum, non autem eorum, qui sunt extra Ecclesiam, vt fatetur, Innocentius Tertius cap. *Gaudemus de Diuortijs*, & probat ex verbis Apostoli 1. Corint. 1. cap. 5. *quid enim mihi de ijs, qui foris sunt, iudicare.* Adhuc tamen dicendum est, quod licet Pontifex, vt caput Ecclesiæ iurisdictionem non habeat in eos, qui non sunt de gremio Ecclesiæ, & consequenter nequeat eorum ciuiles contractus rescindere, & impedire, potest tamen vt Princeps temporalis, & sic etiam potest impedimenta dirimentia statuere in matrimonijs infidelium in ijs locis habitantium, quæ Pontifici tanquam Domino temporali subijciuntur, vtpote Iudæorum in ditione Pontificia commorantium; Qualis autem, & 332 quanta sit hæc Ecclesiastica potestas ad impedimenta matrimonij statuenda variè à Doctoribus declarari solet, & quomodo exerceri possit, ac debeat.

Primò fatentur omnes, vt Pontifex huiusmodi impedimenta statuat, & licitè, ac iustè id faciat, ex aliqua iusta causa moueri debere, alioqui grauiter peccaret; Ratio est, quia potestas Pontificis non est data ad destruendum, sed ad ædificandum, & vniuersaliter loquendo nonnisi ex iusta causa Superiores moueri debent ad leges condendas, & præcepta ferenda; ergo restringi, & coarctari non debet libertas, & facultas, quam alioqui homines habent ad matrimonia contrahenda, nisi iusta, & legitima causa subsit. Dubitatur tamen etiam vt validè Pontifex aliquod statuat impedimentum, desideretur iusta causa, ita ut ea deficiente adhuc sit peccatum cum eo impedimento contrahere, si solùm sit impediens, & prætereà matrimonium sit irritum, & nullum, si impedimentum sit etiam dirimens.

Affirmant aliqui adhuc valere impedimentum, quamuis sine iusta causa impositum, estò enim in tali casu deficit legitima causa id faciendi, non tamen deest potestas, & iurisdictio, atque ideò quamuis Pontifex sic faciendo peccet, tamen [illegible] factum tenet; ità Hostiensis, Veracrux, Vega, & quidam alij. Communis tamen opinio iustam requirit causam, ad hoc vt impedimenta matrimonij non solùm licitè, sed etiam validè imponantur, ac proindè si iusta causa non adsit, afferunt tale matrimonium contrà talem prohibitionem contractum adhuc fore validum, & licitum.

Ratio est, quia potestas hæc Superioribus data est ad iustam gubernationem, & vtilitatem Subditorum, ideoque iusta causa deficiente non possunt validè subditos adstringere, & eorum libertatem limitare; neque Pontifex pro suo arbitratu potest aliquid immutare in ijs, quæ iure naturali, & diuino licita, & valida sunt, sed requiritur legitima causa, ob quam aliquid sit mutandum, ità Sanchez, Ponce, Tancred. Beanus, Auersa, & alij passim. 333

Deindè Dubitatur, an Pontifex sicut potest generalem legem statuere, qua matrimonium ex iusta causa irritet inter certum personarum genus, ità etiam possit licitè, & validè impedimentum imponere certis singularibus personis, prohibendo nempè ne matrimonium inter se contrahant, & etiam reddendo illos ad contrahendum inhabiles, matrimonium dirimendo, si contrahant; Henriquez, [illegible] & quidam alij dicunt Pontificem nunquam id fecisse, nec expedire, vt faciat, an autem id possit facere concedunt [illegible] denter de impedimento merè prohibente, sed dubitant de dirimente; Alij autem affirmant id posse etiam loqui de dirimente; & facilè suadetur, quia sicut iusta causa [illegible] rit, vt Pontifex generali lege statuat impedimentum commune pro omnibus personis illo detentis, vtpote pro omnibus consanguineis vsque ad quartum gradum, sic etiam occurrere potest causa iusta pro tali, & tali persona, [illegible] cet, si magnum timeatur damnum, aut scandalum [illegible] matrimonio, vel si aliquod graue talium personarum [illegible] ctum id mereri videatur.

rum contractus matrimonij est ciuilis, & sæcularis, sicut reliqui; ergo est subditus potestati sæculari, seù ciuili non minus, quàm reliqui; ità Petrus Soto, Sanch. Henriquez, Coninckus, & alij. Secunda absolutè negat, quia contractus matrimonij in baptizatis ex institutione Christi desinit esse ciuilis, & sæcularis, vtpotè factus Sacer, & sacramentum; ergo desinit esse subditus potestati ciuili, seù sæculari, quam habet Princeps sæcularis; ex quo inferunt Principem sæcularem, quamuis Christianum, nec ex vi suæ iurisdictionis, & officij posse instituere impedimenta matrimonio baptizatorum, posse tamen matrimonio non baptizatorum, quia horum matrimonium non est sacrum; ità Vasquez, Ponce, Hurtadus, Auersa, Brancatus ex nostris, & alij.

340 Media sententia, quæ communior est, & probabilior tria asserit. Primum est, quod Princeps Christianus, si præcisè huius potestas spectetur, statuere potest prædicta impedimenta respectu suorum subditorum; Ratio est, quia Principibus, & regibus data est à Deo potestas condendi leges pro subditis pro eorum gubernatione in bonum Reipublicæ; sed quandoque expedit ad bonum Reipublicæ prædicta impedimenta matrimonij inducere, ergo ex vi suæ iurisdictionis & officij possunt illa statuere respectu suorum subditorum. Confirm. quia respectu eorum non minorem habet potestatem Princeps Christianus, quàm infidelis; sed hic potest instituere impedimenta circa matrimonium suorum subditorum, vt statim dicemus, ergo & ille. Nec obstat, quod matrimonium Christianorum sit sacramentum, quia impedimenta non statuuntur circà matrimonium, vt sacramentũ est, sed solùm, vt contractus ciuilis. Tandem quia Principes eodem titulo, & iure possunt alios contractus ciuiles irritare, & has vel illas personas inhabiles reddere ad eos contrahendos, appositis impedimentis eosdem contractus dirimentibus, ergo id pariter possunt in ordine ad matrimonium, quatenus contractus ciuilis est. Secundum, quod asserit hæc sententia est, quod talis potestas in Principe Christiano sibi conueniens ex vi suæ regalis dominij impedire potest à Pontifice, quia potestas sæcularis subiecta est Ecclesiasticæ, & de facto impedita est, quia Pontifex causas matrimoniales sibi reseruauit, plures enim leges ciuiles, quæ in quibusdam casibus matrimonium prohibebant, per ius Canonicum correctæ sunt; & forte per hæc duo asserta huius tertiæ mediæ sententiæ cõciliari possunt aliæ duæ extremæ, dicendo quod prima sententia affirmans loquitur iuxtà sensum primi asserti, secunda verò negans loquitur iuxtà sensum secundi asserti, & re vera nonnulli ex Auctoribus pro vtraque citati in hoc sensu loquuntur. Tertium tandem, quod hæc sententia media asserit, est quod quamuis Principum Christianorum potestas in causis matrimonialibus impedita sit respectu subditorum fidelium, non tamen respectu infidelium, ideò enim hoc ius sibi Pontifex reseruauit respectu fidelium, quia horum matrimonium est sacramentum, at infidelium matrimonium non est sacramentum; & hanc mediam sententiam docent Becanus, Bonacina, Ledesma, Valentia, Victoria, Perez, Caspensis, Stephanus à S. Gregorio, & alij communiter.

341 Tertiò est Difficultas, An Princeps infidelis possit statuere impedimenta matrimonium dirimentia respectu suorũ subditorum; & quidem Doctores conueniunt posse id facere respectu suorum subditorum infidelium; Ratio est; quia ex vna parte matrimonium infidelium non est sacramentum, sed tantùm ciuilis quidam contractus, & ex alia parte Princeps in suo Regno potest ea omnia statuere, quæ ad commune bonum, & Reipublicæ tranquillitatem spectant; sicut ergo ex iusta causa alios potest irritare contractus, quando bonum Reipublicæ id exigit, sic etiam contractum matrimonialem irritare poterit. Ex quo sequitur quod si infidelis matrimonium contraxisset cum aliquo impedimento secundum eorum leges dirimente, & posteà Christianus fieret, & ad fidem conuerteretur, si vellet in coniugio perseuerare, deberet rursus cõtrahere, quia prior contractus fuit inualidus. Disputant verò, An Princeps infidelis non solùm respectu subditorum infidelium, sed etiam fidelium talia impedimenta statuere possit. Affirmant Sanchez, Tancred. Coninck. Becanus, & alij, nam licet matrimonium fidelium sit sacramentum, non tamen potest esse sacramentum, nisi supponatur esse legitimus contractus ciuilis: at non esset talis contractus, nisi esset celebratus secundum leges ciuiles illius Regni, præsertim, si iustæ sint; ex quo deducunt, quod sicut Christiani habitantes sub potestate Principum infidelium alias quoque leges ciuiles seruare tenentur, quæ ad pacem Reipublicæ spectant, ità etiam legem irritantem certa matrimonia, modò non sit iniusta.

Negant verò Ponce, Caspensis, Auersa, & alij. Ratio 342
est, quia ex quo fidelium matrimonium ad statum sacramenti est eleuatum, iam extractum est è potestate, lege omnis Principis sæcularis præsertim infidelis, & ideò si aliquis Christianus est subditus Regis infidelis, qui pro sua Republica aliqua instituit impedimenta dirimentia, non subiacet illis impedimentis, sed solùm statutis ab Ecclesia, quia in eo articulo non est subditus illius Regis, sed solius Ecclesiæ, quia eius matrimonium contrahendum est verè sacramentum, & hæc sententia mihi videtur probabilior, & potestati Ecclesiæ fauorabilior. Quando verò præfati Doctores asserunt Principem infidelem posse prædicta impedimenta statuere respectu suorum subditorum, Rempublicam Hæbreorum excipiunt, quæ cum libera non sit, non potest statuere similia impedimenta, nec habent proprium, & legitimum Principem, nec possunt vti legibus Mosaicis, quæ ad causas matrimoniales spectant, quia omnes leges ceremoniales per mortem Christi expirarunt. Vnde si aliquis Iudæus sit subditus Regis infidelis, seruare tenetur impedimenta ab illo Rege statuta, quia neque ipse est Christianus, nec eius matrimonium est sacramentum; Si verò subditus sit Romano Pontifici, ei non subiacet in impedimentis ab Ecclesia institutis pro solis baptizatis, sed si Pontifex [illegible] vellet eis aliqua imponere impedimenta, vt Princeps [illegible] 343
tum temporalis, Iudæi eis subiacerent, & illa seruare tenerentur, cùm hæc non essent Ecclesiastica impedimenta, sed purè ciuilia.

Quartò tandem est Difficultas, an contrahere cum tali impedimento dirimente sit peccatum mortale habens duas malitias, vnam ex transgressione præcepti iuris naturalis vel Ecclesiastici, & consequenter inobedientiæ, alteram contrà religionem ex eo, quod fiat irritum sacramentum; Et quidem certum est apud omnes esse peccatum mortale scienter contrahere cum impedimento, quia est contrà Ecclesiæ prohibitionem in re graui; esset etiam culpa mortalis ob præceptum naturale, si impedimentum foret ex iure naturali, vt si quis contraheret in primo gradu descendentium, vel ascendentium: vel ob præceptum Ecclesiæ, vt si quis contraheret inter alios gradus ab ipsa Ecclesia prohibitos. Sed dubium est, an tale peccatum duas contineat malitias, & quidem multi negant dicentes præter culpam, & malitiam transgressionis contrà legem, quæ constituit impedimentum dirimens, opus non esse addere aliam distinctam culpam, & malitiam sacrilegij contrà reuerentiã sacramento [illegible] si quis cum impedimento dirimente contrahere [illegible] sicut hanc specialem culpam incurrunt, qui delinquunt [illegible] administrandis, vel suscipiendis alijs sacramentis, [illegible] ta reddunt; & disparitatem assignant, quia in nostro [illegible] ritatio cadit directè super matrimonium, vt contractus [illegible] non verò, vt sacramentum; & talis irritatio per se [illegible] ab ipsa Ecclesia, quæ tale impedimentum induxit, [illegible] tem ab ijsdem contrahentibus: ità Sanchez, Tancred. [illegible] Ledesma, Filliucius, Diana, Hurtadus, Caspensis, Stephanus à S. Gregorio, & alij.

Sed probabilius affirmant alij interuenire etiam in tali 344
casu culpam, & malitiam sacrilegij, & ratio est, quia [illegible] peccatum inobedientiæ contrà ius naturale aut [illegible] cum, quo impedimentum fuit introductum, etiam [illegible] tur iniuria sacramento, quo sit contrahentes abu- [illegible] Coninchius aduertit *disp. 30. dub. 2.* Tum etiam quia [illegible] nè discurrit Auersa *quæst. 9. sect. 5.* culpa transgressionis [illegible] trà legem irritantem communis esse etiam infidelibus [illegible] Paganis cum aliquo impedimento dirimente con- [illegible] tentantibus, siuè hoc esset ex iure naturali, siuè ex [illegible] tiuo sui Principis; at fideles, & Christiani, qui sciunt [illegible] monium in Ecclesia eleuatum esse ad statum sacramenti [illegible] prætereà sciunt se cum impedimento dirimẽte nullum [illegible] dere, & irritum sacramentum, planè grauius pec- [illegible] proindè etiam ex hac parte delinquere videntur, & [illegible] quenter malitiam sacrilegij quoque contrahere [illegible] sacramento irrogatam: Et quamuis irritatio directè [illegible] supra matrimonium, vt contractus est, concomitanter [illegible] men cadit etiam suprà rationem sacramenti, quia in ma- [illegible] monio fidelium ratio contractus, & sacramenti non [illegible] rantur. Et tandem quamuis lex irritans lata sit ab Eccle- [illegible] attamen vt in facto ità contrahatur matrimonium nullum [illegible]

nullum, & irritum, ab ipsis contrahentibus prouenit, qui cum tali impedimento, & contra talem legem contrahere tentant.

QVÆSTIO DVODECIMA.

De Impedimentis non dirimentibus, seù merè prohibentibus.

345 IAm separatim agendum est, & in particulari de impedimentis matrimonium merè prohibentibus, & de impedimentis etiam dirimentibus, sed primò de illis, quàm de istis, quia res est facilis, & breuis, vndè ea omnia, & singula hac vnica quæstione complectemur; Et quidem Scotus de his impedimentis in particulari non loquitur ex professo, sed obiter aliquando, quia nimirum matrimonij constitutionem non inualidant, quam præsertim tractandam, & declarandam proposuerat, ideoque ex Sacris Canonibus, & Theologis Moralibus horum notitiam inuestigare curabimus, & pariter fecimus de Sponsalibus *quæst. 9. & 10.*

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæ, & quot sint impedimenta non dirimentia, sed merè prohibentia.

346 IMpedimenta huius generis quinq; communiter à Theologis numerantur, vt videre est apud Bonacinam *quæst. 3 punc. 14.* qui alios citat, & Brancatum nostrum *disput. 36.* nimirum Interdictum, Catechismus, Votum simplex, Sponsalia, & Crimen, quæ memoriæ iuuandæ causa versibus comprehenduntur quibusdam, qui passim à Summistis referuntur.

Primum itaque impedimentum est Ecclesiæ interdictū, seù prohibitio, vt habetur ex *cap. Non vxorem 33. quæst. 1. & cap. Capellanus* de Ferijs. Interdicti autem nomen idem sonat, quod prohibitio, quarè si amplè in hac significatione sumatur, omnia impedimenta generaliter comprehendit; specialiter autem hic nomine interdicti intelligitur prohibitio matrimonium ratione Feriarum; interdictum enim, seù prohibitum est ab Ecclesia, ne quibusdam anni temporibus matrimonia fiant, & diuersa de hoc fuit prohibitio pro temporum varietate, nunc autem impedit ab Aduentu vsq; ad Epiphaniam, & à Feria quarta Cinerum vsque ad octauam Paschatis inclusiuè, vt habetur ex Tridentin. *sess. 24. cap. 10.* Verùm tamen est Concil. *loc. citat.* prohibere solùm dictis temporibus solemnitatem Nuptiarum, vndè de licentia Ordinarij possunt etiam in illis sponsalia, & matrimonia celebrari sine solemnitate, vt ait Glossa communiter recepta in dicto *cap. Capellanus de Ferijs*; seclusa verò licentia prohibitum est dictis temporibus matrimonia celebrare, vt hic notant Sanchez, Reginald. Coninch. Bonacina, & alij, non est tamen vetitum his temporibus consumare matrimonium anteà contractum, nam iura non loquuntur de consumatione matrimonij, vt notant relati Auctores, prohibitio igitur matrimoniorum in prædictis temporibus complectitur solùm solemnia cum publica benedictione in Ecclesia, & alijs eiusmodi pompis, vt patet expressè ex ipsis Concilij verbis, quod etiam anteà adnotauit D. Bonauentura 4. d. 32. *par.* 4. q. 1. vbi etiam congruentiam assignat, cur illis præter cæteris temporibus Ecclesia matrimonia prohibuerit sic celebrari; Interdicti etiam nomine in proposito intelligendum venit, quando ab Episcopo prohibentur nuptiæ donec aliqua causa examinetur, vt notat Nouellus in Instructione Christiana ad Parochos de Sacramento matrimonij versus finem, pro quo citat *cap. 1. 2. & 3. de matrimonio contracto contra interdictum*, quod etiam aduertit Caspensis *disp. 9. sect. vlt.* Interdicti enim nomine intelligi potest peculiaris prohibitio, non à iure, sed ab homine, quæ interdum fit certis aliquibus personis, ne contrahant, & potest iustè fieri non solùm à Pontifice, sed etiam ab Episcopo, vt dictum est, imò etiam à Parocho ex causa, & ad tempus, vt ait Auersa *quæst. 10. sec. 2.* vbi etiam aduertit, quod quandocunque in tali prohibitione, & interdicto, etiamsi fit à Pontifice, non apponitur expressè clausula irritans, remanet purum impedimentum prohibens, & non dirimens.

347 Quis autem possit dispensare, vt dictis temporibus matrimonia solemniter celebrentur; dicend[illegible] nario hanc dispensationem soli Papæ comp[illegible] pum iure ordinario dispensare non posse, v[illegible] & ratio est, quia prohibitio est de iure com[illegible] Concilij Tridentini, & Episcopus dispensa[illegible] lege Pontificis, aut Concilij, nam iure ordinar[illegible] ferior relaxare potest legem è Superiore conditam, [illegible] naturæ dictamine est notum, & habetur ex *dist.* [illegible] *ferior*; Vndè ad summum dispensare potest in vrgenti necessitate, & quando aditus ad summum Pontificem non facilè patet, qui etiam casus vix, & rarissimè accidere potest, vt notat Sanchez *lib. 7. disp. 7. num. 6. in fine*, & cum eo Brancatus noster *disp. 36. cit. art. 1. §. 3. in fine*, nisi fortè ob bonum publicum, vt pacis &c. sit in Republica necessarium [illegible] lætitiæ signa demonstrare, vel de vna regione in aliam dat[illegible] opportuna occasione magnificè traducenda sit sponsa; i[illegible] hoc enim casu, & similibus satis probabile est ex Epichei[a] Episcopum in hac lege dispensare posse, non autem ex iure ordinario.

Secundum impedimentum est Catechismus; est autem Catechismus instructio Fidei, quæ fit antè ianuam Ecclesiæ super baptizando à patrino, qui ad interrogationem [illegible] ctam à Parocho respōdet nomine eius, qui baptizari debe[t] 348 per hanc ergò sacram ceremoniam contrahit hic patrin[us] cognationem quandam spiritualem cum eo, quem tenet, [illegible] quam prohibitum est illi cum eo posteà contrahere, ità h[a]betur ex *cap. Contracto de Cognat. spirit. & c. 2. de Cognat. spirit. in 6.* & hoc dicitur impedimentum Catechismi prohibens, sed non dirimens; estque rationi consonum, vt sic patrinus tenens in Baptismo contrahit in baptizato per[fe]ctam cognationem spiritualem matrimonium dirimentem, [illegible] ità patrinus tenens tantùm in Catechismo quandam co[n]traheret imperfectam, ac veluti inchoatam cognationem spiritualem solummodò prohibentem; & de hoc impedimento mentionem facit Doctor *4. dist. 42. K.* vbi ait per Catechismum, qui præcedit baptismum, oriri cognationem spiritualem, per quam impeditur matrimonium contrahendum, licet non dirimatur contractum, ac etiam D. Bonauent. *ibid. par. 1. qu. 1.*

Sed dubium est, an hoc impedimentum iure nouo Concilij Tridentini *sess. 24. cap. 2. de Matrimon.* fuerit sublatum. 349 Comunis opinio affirmat fuisse sublatum, ibi enim Concilium cognationem spiritualem restringit ad eas tantùm personas, quas ibi enumerat; cùm ergo ibi nullam faciat mentionem tenentis Catechismo, signum est huiusmodi cognationem fuisse sublatam, & hac de causa quamplures qui post Concilium scripserunt de hoc impedimento nullam faciunt mentionem, nec illud inter alia enumerant; itaque iure nouo Concilij Tridentini sublatum fuisse docent Henriq. Reginaldus, Sanchez, Tancred. Gutierez, Coninc. Ponce, vterque Ledesma, Filliucius, Emanuel Sà, Diana, Becanus, Bonacina, Auersa, Abellius, Stephanus à S. Gregorio, & tota ferè Recentiorum caterua. Alij verò negant hoc impedimentum per Concilium fuisse sublatum *loc. cit.* sed aiunt ibi tantùm fuisse restrictum ad easdem personas, & gradus cum cognatione spirituali perfecta oriente ex baptismo, ità Palacius, Vgolinus, Nauarrus, Vega, & quidam alij, quos sequitur Brancatus noster *disp. 36. cit. art. 2. vbi nu. 138.* inquit hoc impedimentum per Concil. Trident. *loc. cit.* nec explicitè, nec implicitè fuisse sublatum, quia ibi nunquam loquitur de impedimentis prohibentibus tantùm, sed de dirimentibus, quia attendebat solùm ad substantiam, & validitatem matrimonij.

Nihilominus cum prima, & communiori opinione probabilius puto dicendum non amplius extare hoc impedimentum, sed per Concilium fuisse sublatum, ità enim clarè habetur ex verbis eiusdem *loc. cit.* vt etiam notauit Auersa 350 *q. 10. sec. 3.* in fine, ibi enim post designatas personas, inter quas voluit contrahi spiritualem cognationem concludit, *Omnibus inter alias personas huiusmodi spiritualis cognationis impedimentis omnino sublatis*, quo loquendi modo non tantùm impedimentum dirimens, de quo vtique præsertim agebat, sed etiam merè prohibens satis attingit, & cum hoc impedimentum in nulla parte designauerit, iam in omnibus sustulit; Et quando etiam Concilium dubiè, & obscurè locutum esset, adhuc prior opinio, vt communior, & probabilior amplectenda est, quàm opposita, quia lex dubiè loquens pro parte fauorabili est declaranda, cùm priuilegia sint ampliands, & pœnæ restringendæ; Sed dato etiam, quod hoc im-

impedimentum non fuerit sublatum in Trident. *loc. cit.* dicendum adhuc videtur, vt notat Bonac. *qu. 3. cit. punc. 14.* tenentem in solo Catechismo non cogi ad petendam illius impedimenti dispensationem à Sede Apostolica, sed sufficere, si eam ab Episcopo petat; imò Sanch. *lib. 7. disp. 17. n. 9.* existimat etiam absq; vllo peccato contrahi posse matrimonium non obtenta tali dispensatione, eo quod existimet per consuetudinem introductum esse, vt dispensatio non petatur in impedimentis merè prohibentibus, excepto Voto, sponsalibus, & interdicto Ecclesiæ. Tutius tamen est dicere tale impedimentum per Concilium fuisse sublatum, eo præsertim quia ità etiam declarasse refertur sacra Congregatio, vt attestatur Ponce *l. 6. c. 11.* cuius verba ibidem refert.

351 Tertium matrimonij impedimentum est votum castitatis, hoc autem potest esse duplex, aut solemne, quale est in professione Religiosa, vel etiam in susceptione ordinis sacri, aut simplex, quale priuatim fieri solet; de voto solemni agemus posteà inter impedimenta dirimentia; nunc verò sermo est de voto simplici castitatis vel ingrediendæ Religionis, vel suscipiendi sacros ordines, vel non nubendi; & de hoc impedimento etiam loquitur Scotus noster *4. d. 38. q. vn. lit. C.* vbi inquit, quod votum simplex continentiæ non impedit simpliciter, licet enim impediat matrimonium contrahendum, non tamen dirimit iam contractum, quod solum impedimentum dirimens dicunt simpliciter impedire. Hoc igitur votum simplex castitatis iam declarandum est impedimentum prohibens matrimonium contrahendum, vt constat ex *cap. si quis votum 27. q. 1. & c. vn. de voto in 6.* ratio est, quia matrimonium repugnat adimpletioni huiusmodi voti, & huiusmodi voto adstrictus contrahendo matrimonium grauiter peccat, cum faciat contrà votum in re graui, quamuis matrimonium ab eo factum sit validum; quarè Doctores communiter dicunt, quod qui cum huiusmodi voto matrimonium contrahit dispensatione illius minimè obtenta, non solùm mortaliter peccat, sed nec etiam debitum coniugale licitè petere potest, quamuis reddere possit, ac debeat, & hoc etiam iam pridem docuerunt D. Thomas *4. d. 38. q. 1. art. 4.* & D. Bon. *ibidem part. 2. q. 1.* Hæc autem vis inest voto, non tam ex præcepto positiuo Ecclesiæ, quàm per se ex iure diuino, & naturali, quia hoc sua natura, seu suo iure naturali impedit sub mortali, ne fiat matrimonium, quia sic contrahere est contrà fidem Deo datam in re graui, & ex natura rei tenetur quisque seruare, quæ Deo promisit, quarè hoc matrimonij impedimentum est de iure diuino naturali; & peccaret quoque alter coniugum, qui talis voti conscius contraheret, tanquam alterius peccato cooperans.

352 Sed Dubium, est, an sic vouens possit sine peccato matrimonium contrahere animo determinato non consumandi. Affirmant plures absolutè loquendo, quia votum castitatis, & Religionis impediunt tantum contrahere cùm animo consumandi, quarè si talis animus absit, votum castitatis matrimonium non impedit, ità Hurtadus *disp. 21. diffic. vn.* Caspensis *disp. 8. sec. vlt.* & alij; Sed hoc non placet sic absolutè prolatum, vt enim hoc licitè fieri possit, requiritur etiam alterius coniugis consensus, alioquin fieret ei iniuria, & esset quædam illusio; si autem in hoc alter etiam coniugum consentit, aut etiam simili voto ad perpetuam continentiam se obligat, tunc quidem votum castitatis matrimonium non prohibet, nec contrahens peccat, dummodo periculum copulæ absit, hoc enim modo valere, & licere matrimonium, & ità de facto contraxisse B. Virginem, & S. Ioseph iam dictum est in superioribus; secluso autem alterius coniugis consensu, is qui contraheret animo non consumandi licet non peccaret contrà votum castitatis, nisi ratione periculi, cui se exponeret, peccaret tamen contrà iustitiam, & debitum coniugale, vt etiam benè aduertit Auersa *q. 10. cit. sect. 4.*

353 Rutius Dubium est, an peccaret si quis voto castitatis adstrictus, non requisito alterius coniugis consensu, contraheret matrimonium eodem animo non consumandi, sed cum determinatione ingrediendi Religionem intra bimestre, prout de iure potest, & ità dissoluendi matrimonium ratum per professionem Religiosam; Et quidem certum est, quod si votum fuisset explicite de non contrahendo, aut de suscipiendo ordine sacro, peccaret directè contra votum, dùm contraheret, quia tunc obiectum voti fuisset directè ipsa contractus negatio, & sic se inhabilem etiam redderet ad sacros Ordines suscipiendos, ad quos admitti non potest sine alterius coniugis consensu; sola ergò difficultas est, si votum fuisset de ingredienda Religione ad quam transire potest, & in ea profiteri matrimonium ratum dissoluendo etiam altero inuito; & quidem licitè sic contrahere posse absq; alterius coniugis consensu plures affirmant, quia in tali casu iste nihil faceret contrà votum, nam illęsum remanet votum, si actualis copula non sequatur; & ex alia parte contingere potest, vt non possit absque graui scandalo tale matrimonium omittere ob famam, & honorem coniugis, cùm qua fortè conuersatus est; Nec tandem ex hoc, quod alter coniux non sit conscius talis voti, & propositi, vllam patitur iniuriam, quia diuina institutione concessum est hominibus, vt possint post contractum intrà bimestre ante consumationem Religionem ingredi, siuè ergò sciat, siuè nesciat nullam patitur iniuriam, cùm non possit obligare contrahentem, ne transeat ad Religionem, & vterque coniux potest hac facultate vti sibi à iure concessa; vndè cùm in hac facultate sint æquales, nulla fit alteri iniuria; ità Ponce *lib. 6. cap. 12.* vbi plures alios citat, & sequitur Brancatus noster *disp. cit. art. 3. §. 1.* pro se Scotum adducens *4. dist. 37. quæst. vn. C.* in fine etiam ab alijs citatum.

354 Sed quamuis in tali casu non peccaret iste directè contrà votum, si votum castitatis obligabat tantùm ad actus carnales non exercendos, quos hic habet animum non exercendi; adhuc tamen peccare videtur contrà iustitiam, si inscio altero coniuge ità contrahat; licet enim habeat ius ingrediendi Religionem etiam post matrimonium ratum intrà bimestre, tamen ab initio contrahere cum eo animo [illegible] mente retento, est decipere consortem in re graui, rem qui valdè molestam ei facere, & plerunque etiam cum non leui eius iactura, & detrimento, vt scitè discurrit Auersa *sec. 4. cit.* constituit enim illam in necessitate expectandi totum tempus suæ probationis, & posteà si fortè egrediatur à Religione ad professionem non receptus, infert notabilem molestiam, & verecundiam, vt in coniugio manere debeat cum persona è Religione egressa; quod si profiteatur reddet illi fortasse aliud coniugium difficilius; quæ quidem omnia licet illicitum non faciant Religionis ingressum post contractum sincera fide matrimonium, saltem reddunt illicitum animum, quo sic ab initio contraheretur; atque ideò dicendum est, non licere ab initio cum tali animo contrahere nisi de consensu alterius partis, & secus faciendo peccare contrà iustitiam; & fortè etiam saltem indirectè contrà votum castitatis, quia se exponit periculo illud non seruandi, & maximè quia contingere potest, vt ad professionem non admittatur, & ad sæculum redire cogatur, & consumare matrimonium; & hunc dicendi modum tenent D. Antoninus, Siluester, Henriquez, vterque Sotus, Sanchez, Tancred. Gutierez, Coninchius, Diana, Auersa, & alij passim, ibi neque oppositum docet Scotus noster *loc. cit.* solùm enim intendicit, quod sic vouens potest licitè contrahere cum hoc intentione intrandi Religionem, non tamen exprimit, quod id facere possit sine consensu alterius partis, in quo consistit tota puncti huius difficultas.

355 Demum Dubium est, an si post sponsalia votum quis faciat castitatis possit licitè contrahere; Omnes concedunt, quod si quis voto adstrictus sponsalia iniret, adhuc impeditur voto contrahere matrimonium, imò hæc sponsalia esse per se nulla, & irrita, quia promissionem continent de re illicita, idque affirmant, etiamsi sponsalia [illegible] iuramento firmata, quia contrà votum emissum [illegible] iuramentum; At si è contrà quis post sponsalia [illegible] iurata votum emitteret castitatis, volunt aliqui [illegible] non impediri, sed debere potius matrimonium [illegible] vt priorem adimpleat obligationem. Verùm etiam [illegible] casu impediri voto, & solui potius sponsalia, [illegible] beat, nec possit contrahere iam suprà statuimus [illegible] dissolutione sponsalium *art. 1. nu. 304.* quia votum [illegible] castitatis soluit obligationem sponsalium, cùm sit [illegible] ri bono, & sequens voti vinculum, & promissio [illegible] Deo est fortius, & hoc idem tenet Auersa *loc. cit.* [illegible] catus noster *art. 3. cit. §. 2.* Adhuc tamen Difficultas [illegible] qui prius votum simplex castitatis, vel Religionis [illegible] puellam defloraut cum promissione matrimonij [illegible] citè cũ violata contrahere, in qua difficultate varij [illegible] di dicendi, nam Auersa *loc. cit.* cum pluribus alijs [illegible] quod in hoc casu non impediretur voto, sed teneretur [illegible] tius contrahere ad reparandum nempè damnum [illegible]

quod non est aliter reparabile, quam per matrimonium, idque procedit siuè votum emiserit post sponsalia, & copulam, siuè post votum inierit sponsalia, & copulam cum muliere talis voti ignara, addit tamen, quod teneretur abstinere à secundis nuptijs moriente priori coniuge. Brancatus verò *loc. cit.* cum Nauarro, & alijs hoc negat, & ait §. 3. quod etiamsi post votum addit defloratio, vel corruptio alterius personæ honestæ, adhuc viget votum; & impedit contrahere; Ratio est, quia voti obligatio ex sui natura, vel ex vouentis arbitrio non remittitur per quodcunque sequens, & maximè propter delictum, alioquin de iniquitate commodum reportaret, dolus autem nulli debet patrocinari ex *cap. Ex litteris* de dolo, & contum. Tum quia eius corpus quoad actus continentiæ iam esset Deo obligatum per votum præcedens, ergo non posset illud alteri dare licitè ad oppositos actus. Verùm hanc difficultatem ex professò superius tractauimus q. 3. *de sponsalibus art.* 3. de sponsalium obligatione *dub.* 3. *n.* 279. *& seq.* vbi diximus has extremas opiniones conciliari posse media via incedendo, vt ibi explicatum est.

356 Quartum Matrimonij impedimentum est contractus sponsalium cum alia persona initus, hæc enim sponsalia antea celebrata impediunt inire matrimonium cum alio, vel cum alia; quod si de facto celebretur, valebit, erit tamen iniustum, & illicitum contrà obligationem iustitiæ ex sponsalibus ortam, qui enim contraxit sponsalia cum vna persona, grauem contraxit obligationem standi sponsalibus, siquidem sponsalia sunt promissio matrimonij, quæ obligationem inducit sub mortali, vt *loc. cit.* fusè declaratum est; an verò licitum sit aliquando à sponsalibus resilire, & in quibus casibus, iam etiam ex professo tractauimus q. 10. De dissolutione sponsalium, & hic est communis dicendi modus omnium Doctorum circa hoc impedimentum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Impedimento prohibente Criminis.

357 QVintum denique Matrimonij impedimentum est crimen, vbi tamen aduertendum est, Crimen duo impedimenta constituere, vnum dirimens, de quo dicemus infrà, aliud verò merè prohibens, de quo modo tractandum est, & videndum, quodnam sit hoc genus Criminis, quod constituit hoc impedimentum merè prohibens; Hoc itaque Crimen, quod matrimonium prohibet, licet non dirimat, septem delicta sub se continere dicitur ex antiquo Iure Canonico.

Primum Crimen, ob quod olim fuit prohibitum alicui contrahere matrimonium, est incestus, qui in præsenti est fornicatio cum affine in gradu prohibito, scilicet quando vir habet copulam cum consanguinea vxoris vsque ad quartum gradum, vel è contrà, vxor copulam habuit cum consanguineo viri vsque ad quartum gradum, talis enim incestus impedit, ne vir possit amplius contrahere cum alia quacunque post mortem vxoris, & è contra, nisi in casu quo dictus affinis cognosceretur, vt extraneus, vt expressè innuitur ex cap. de eo, qui cognouit consang. & ratio est, quia sicut ignorantia excusat à culpa, ità à pęna; ità docent Doctores passim ex antiquis Canonibus, quos per extensum refert Brancatus noster *disp.* 36. *cit. art.* 4. Aliqui hoc impedimentum extendunt etiam ad incestum commissum cum proprijs consanguineis, eo quod hic incestus sit maior, quàm cum affinibus, vndè si statutum est pro incestu affinitatis, tanto magis statuendum erat pro incestu consanguinitatis, ità Poncius *lib.* 6. *cap.* 13. plures alios citans, & Brancatus noster *disp.* 36. *citat. art.* 4. Negant alij, eo quod hic incestus potius sit iniuriosus naturæ, quàm matrimonio, & quia iura tantùm agunt de incestu cum affine, ità Sanchez, Tancred. Bonacina, Auersa, Petrus de Ledesma, Filliucius, Stephanus à S. Gregorio, & alij passim, quæ opinio est communior, & probabilior, cùm iura videantur loqui de incestu tantùm cum affine, & versentur in materia pęnali, quæ restringenda est. Rursus aliqui volunt hoc impedimentum habere vim tantùm viuente vxore, itaut qui mortua vxore copulam habet cum vxoris consanguinea hoc impedimentum non contrahat. Alij verò magis communiter, & probabilius affirmant vim habere etiam post mortem vxoris, quia committens incestum cum affine contrahit impedimentum Criminis matrimonium impedi[illegible] copulam cum consanguinea vxoris comm[illegible] etiamsi cum ea copulam habeat mortua vxore [illegible] Rebel. Gutierez, Petrus, Ledesma, Brancatus, Stephanus à S. Greg. & alij passim. Denique etiam communiter Doctores impedimentum [illegible] copulam habitam cum persona consanguinea sponsi de futuro, quia licet non sit propriè incestus, [illegible] men in iniuriam matrimonij promissi, quod [illegible] trahi non poterit ob affinitatem cum sponsa ex tali copula deriuatam cum eius consanguinea, & ità habetur ex cap. 2. De eo qui cognouit consangu. volunt tamen hanc esse consanguineam sponsæ in primo gradu, quia impedimentum publicæ honestatis non excedit primum gradum ex Concil. Tridentin. *sess.* 24. *cap.* 3. & addunt hoc impedimentum non esse perpetuum, sed temporale, viuente nimirum ipsa consanguinea, cum qua habita fuit copula; illa enim mortua potest contrahere cum sponsa; & ratio est, quia cum huiusmodi delictum propriè non sit incestus, congruum fuit, vt pęna perpetua non puniretur, sed temporali, quamdiù scilicet viuit alter delicti complex, ità Sanchez, Gutierez, Lopez, Bonacina, Auersa, Filliucius, & alij passim.

358 Secundum Crimen inducens impedimentum matrimonij prohibitiuum est raptus alienæ sponsæ, per quem contrahitur impedimentum, vt non possit raptor nec cum rapta, nec cum alia matrimonium contrahere, & si rapta consensum raptui præbuit sponso resistente in eandem incidit pęnam, & impeditur ne cum alio matrimonium contrahere possit; habetur hoc impedimentum cap. *Statuum* 27. q. [illegible] & ea ratione inductum fuit, quia alienum matrimonium perturbans dignus erat arceri à proprio contrahendo cum quacunque alia persona. Sed Difficultas est, an nomine sponsæ intelligi debeat sola sponsa de præsenti scilicet po[illegible] contractum matrimonium, an etiam sponsa de futuro; Primum affirmant Sanchez, Tancred. Ponce, Coninchius, Filliucius, & alij. Sed vtramque intelligunt Rebell. Bonacina, Auersa, & alij, quod etiam magis textui, & rationi consonum videtur, quia etiam per raptum sponsæ de futuro alienum matrimonium perturbatur, & hoc etiam tenet Brancatus noster *loc. cit.*

359 Tertium Crimen inducens impedimentum matrimonij prohibitiuum est vxoricidium, vndè qui propriam vxorem occidit non potest matrimonium inire cum alia, ità habetur *cap. Interfectores, & cap. Admonere, & cap. Quicunque quæst.* 2. Bonacina tamen *quæst.* 3. *citat. punct.* 14. cum quibusdam alijs negat hoc impedimentum induci, quando vxor occiditur deprehensa in fraganti delicto adulterij, quia tunc vir impunè per leges occidit, quamuis in conscientia peccet; Sed melius alij communiter dicunt hoc impedimentum induci etiam per Vxoricidium ob adulterium illatum, quia licet leges sęculares in tali casu impunitatem concedant, non tamen leges Ecclesiasticæ agnoscentes, & punientes tale delictum; cùm igitur in casu etiam adulterij Vxoricidium sit peccatum, semper secum adducit hoc impedimentum, quod ratione peccati statutum est, vt probat Brancatus *art.* 4 *cit.* § 1. Rursus Bonacina ibidem cum Sanchez *l.* 6. *disp.* 16. hoc impedimentum restringit ad solum virum occidentem vxorem, & negat hoc extendi ad vxorem virum occidentem, quia nullus textus loquitur de vxoricidio viri ab vxore patrato, sed tantum de homicidio vxoris patrato à viro. Sed melius alij hoc impedimentum extendunt quoque ad Viricidium, itaut vxor etiam maritum occidens cum alio viro contrahere nequeat, ita Sanch. Tancred. Auersa, & Brancatus noster *loc. cit.* vbi id probat *cap.* 1. de Diuortijs, vbi deducitur, quod mulier insidiatrix mortis mariti absque spe coniugij stet pœnitentiæ subiecta; quod etiam probari potest ex paritate iuris, & exemplo impedimenti dirimentis ex huiusmodi crimine, & correlatione inter virum, & vxorem. Hoc autem impedimentum cum altera certa persona est etiam dirimens, quando ex prævia promissione eam ducendi, illata fuit mors priori coniugi; sine autem hac circumstantia pura occisio vxoris, vel viri, est impedimentum solùm prohibens, & est vniuersale cum omni alia persona, vt suo loco declarabitur.

360 Quartum Crimen inducens impedimentum matrimonij impeditiuum est Presbytericidium, qui enim Sacerdotem occidisset priuatur matrimonio contrahendo *cap.* 2. *de Pen. & remiss.* & quidem satis rationabiliter, hoc enim quoque homi-

homicidium sacramento matrimonij reputatur iniuriosum quia Sacerdotis officium est assistere, & benedicere matrimonio, & ideò Sacerdotem occidens dignus censebatur, vt ab eo contrahendo arceretur. Hoc tamen intelligendum est, quando homicida fuerit de tali delicto conuictus, vt Nauarrus *cap.* 27. probat ex Panormitano, & patet etiam ex verbis *cit. cap.* vbi si habetur: *Qui Presbyterum occiderit &c. conuictus vsque ad vltimum vitæ suæ tempus militiæ cingulo careat, & absque spe coniugij maneat*, de quo plura Sanchez *lib. 7. disp. 16. cit.*

361 Quintum prætereà Crimen inducens aliud impedimentum matrimonij prohibitiuum erat pœnitentia solemnis, & publica, quæ quidem in sacris Canonibus ob varia crimina solebat iniungi, & matrimonium impediebat *cap. De his, & cap. vlt.* 33. q. 2. non impediebat autem simpliciter, & absolutè, quasi sic pœnitens per talem pœnitentiam redderetur ad matrimonium inhabilis, sed impediebatur ad tempus, durante enim dicto tempore pœnitentiæ, nullus contrahere licitè poterat, quia tempus pœnitentiæ non debet esse tempus lætitiæ ex citatis capitibus, & abstinere à matrimonio erat pars quædam publicæ pœnitentiæ; quarè hoc intelligebatur durante solum tempore talis pœnitentiæ, qua peracta matrimonium amplius non impediebatur; notat tamen Sanchez *loc. cit.* ad præsens hoc impedimentum non adesse, cùm huiusmodi pœnitentiæ publicæ non sint in vsu.

362 Sextum vlterius Crimen impedimentum matrimonij prohibitiuum inducens erat susceptio propriæ prolis in Baptismo ex *cap. De eo* 30. q. 1. vnde qui in baptismo tenet, seù de sacro fonte suscipit proprium filium ex se, & altero coniuge natum, & hoc malo animo, vt contrahendo cognationem spiritualem cum altero coniuge, eximat se à debitu coniugali reddendo, in pœnam fraudis huius, & insidiæ in vsum proprij matrimonij, aliud matrimonium inire prohibetur post mortem alterius coniugis; Et quamuis Canon loquatur solùm de susceptione filij in Baptismo, communiter tamen Doctores hoc quoque impedimentum extendunt ad susceptionem propriæ sobolis etiam in Confirmatione, quia vtrobique eadem ratio militat, ità Sanchez, Tancred. Bonacina, Filliucius, Auersa, Brancatus, Stephanus à S. Greg. & alij passim.

363 Septimum tandem, & vltimum Crimen impedimentum matrimonij prohibitiuum inducens est matrimonium contractum scienter cum Moniali professa, in hoc enim casu non solùm contractus est irritus, & inualidus, verum etiam sic contrahens impeditur, ne possit cum alia contrahere, vt habetur *cap. Si quis, & cap. His ergo* 27. q. 1. ex Concilio Tiburiensi c. 6. & quidem satis rationabiliter, quia sic contrahens non solùm in matrimonium carnale delinquit tentans, quod non potest, sed etiam in matrimonium spirituale sponsam Christo dicatam sibi vsurpata volens; vbi etiam aduertit Auersa hoc idem impedimentum ad fœminam quoque extendi debere, si cum viro Religioso contrahere tentaret, idem enim ipsa quoque impedimentum incurreret ex paritate iuris, & identitate rationis.

364 Sed Circa hæc omnia impedimenta ex crimine orta occurrit difficultas, num hæc impedimenta adhuc vigeant, & obligent, in qua tres sunt opiniones, duæ extremæ, & vna media; Prima est huiusmodi impedimenta semper obligasse sub mortali, & adhuc etiam sic obligare, sicut & alia impedimenta iam relata *art. præced.* non ex crimine orta, ità Rebellus *lib. 3. cap. 18.* Toletus *lib. 7. cap. 19.* Brancatus noster *disp. cit. art. 5.* & alij. Ratio est, quia nulla est facta Canonum, & Decretorum circà hæc impedimenta immutatio, ergo sicut prius, ità & nunc adest obligatio. Nec valet dicere hæc impedimenta prohibentia ex crimine orta esse iam per consuetudinem abrogata, nec amplius obligare. Quia consuetudo mala contrà legem est corruptela non sequenda, sed abijcienda ex *dist. 8. cap. Mala*, & consuetudo obstans Canonicis institutis est nulla ex *c. Ad nostram De Consuetud.* ne demum valet præscriptio consuetudinis, quando obstat ius commune, etiamsi in bona fide aliquid fiat ex *c. de præscript. in 6.* Secunda sententia extrema asserit hæc omnia impedimenta merè prohibentia, & ex crimine orta esse iam per consuetudinem abrogata, nec amplius obligare, nec oportere de ijs petere dispensationem ad licitè contrahendum; aut saltem cum limitatione hæc impedimenta non amplius vigere in locis, vt constet de consuetudine abrogante, aut saltem non amplius ligare, vbi talis contraria consuetudo scientibus, & approbantibus, seu tolerantibus Prælatis inualuerit; ita Nauarrus, Sanchez, Tancred. Coninch. Ponce, Diana, Ledesma, Bonacina, Gutierez, & Auersa *loc. cit.* vbi hanc affert rationem, quia sanè de facto non apparet talia impedimenta esse in vsu, nec solet de ijs dispensatio peti, nec rei talium criminum solent propterea ab ineundo coniugio abstinere, & quidem poterant consuetudine abrogari, quia in ijs abrogandis non obstant illæ leges, quæ contrariam consuetudinem reprobabant, vt corruptelam, loquebantur enim tantùm de impedimentis dirimentibus, non autem mere prohibentibus. Et prætereà in hac re bene sciunt, ac vident Prælati, ac Pontifex ipse, non solere peti dispensationem super his impedimentis, & tamen ea renouare, aut de eorum obseruatione solicitos esse non curarunt, quarè dici possunt de consensu ipsius Ecclesiæ abrogata esse.

Tertia sententia media, quæ mihi magis placet, & per 365
quam duæ extremæ conciliari possunt, est quod etiam olim iure antiquo non aliter accepta sunt hæc impedimenta ex crimine orta, nisi vt quando crimina essent publica, aut in iudicio Ecclesiastico conuicta, talis pœna pro ijs imponeretur, vt delinquentes ad matrimonium contrahendum non admitterentur, vndè etiam nunc possent Iudices Ecclesiastici ob huiusmodi crimina talem pœnam imponere, neque hoc sit abrogatum, si causa ad iudicium Ecclesiæ deducatur. Et est falsum, quod in hoc sensu super his impedimentis crimine ortis Prælati conniueant, loquendo de formali conniuentia, imò experientia est in contrarium, quia conniuentia formalis est quando cum scientia, quæ pro foro externo est necessaria, nempè publica, tacetur, non enim [illegible] tenentur, neque possunt de occultis iudicare; si autem compe- [illegible] quos huiusmodi impedimentis irretitos contraxisse, contrà eos riant iuridicè, & cum sufficienti probatione, [illegible] non alio iuris remedijs vtique procedunt, & hoc quidem [illegible] ture, quàm antiquo; ergo in hoc sensu loquendo [illegible] pedimenta adhuc vigent, & obligant; & hanc tertiam sententiam etiam docere videtur Brancatus noster *loc. cit.* & approbat Auersa in fine *sect.* 5. & plures alij sequuntur, quæ etiam tantò magis tenenda est de alijs impedimentis [illegible] prohibentibus non ex crimine ortis, nam etiam experientia constat, quod si Prælati iuridicè comperiant aliquos tempore interdicti, vel feriarum, vel alijs impedimentis non ex crimine ortis detentos contraxisse, contrà eos procedunt, & pœnis à lege præscriptis, tanquam reos plectuntur.

Prætereà est alia Difficultas, an contrahere cum dictis 366
impedimentis non dirimentibus sit peccatum mortale; Sanchez, Tancred. Ledesma, & quidam alij sentiunt non peccare mortaliter, præterquam in voto, sponsalibus, & interdicto, eo quod consuetudine receptum esse videatur, vt obstrictus aliquo ex his impedimentis soleat matrimonium [illegible] contrahere absque dispensatione; nec puniatur aliter [illegible] do. Communis tamen opinio affirmat omnia prædicta impedimenta, quæ non fuerunt reuocata, vt dictum [illegible] Catechismo *art. præced. n.* 350. obligare sub peccato [illegible] quia contrahens cum eis facit contrà Ecclesiæ [illegible] nem in re graui, & ità quidem sentiendum est [illegible] vim huius Ecclesiasticæ prohibitionis, quia sanè [illegible] & de re graui, vt conuincenter probat Brancatus [illegible] *loc. cit.* ferè discurrendo per singula, nam lex in [illegible] ni semper obligat sub mortali; sententia verò Sanchez [illegible] Bonacina *punc.* 14. in fine, ad summum admitti potest [illegible] consuetudo inualuit, vt dispensatio dictorum impedimentorum non petatur, nec transgressores puniantur, sed [illegible] talis consuetudo inualuerit de Superiorum licentia, [illegible] niuentia difficile est assignare, vt suprà dictum est, [illegible] enim apud Christianos, & Catholicos, quando huius [illegible] causæ ad iudicium Ecclesiæ deducuntur, transgressores [illegible] titer puniuntur, & tanquam culpæ mortalis rei.

Postremò Difficultas est, quis dispensare possit in dictis 367
impedimentis non dirimentibus. Communis opinio [illegible] in impedimentis non dirimentibus posse Episcopum [illegible] pensare excepto voto castitatis, & Religionis, ità [illegible] Bonacina *qu.* 3. *punct.* 15. vbi rationem adducit, ex [illegible] ro, quia quamuis inferior non possit dispensare in [illegible] superioris per se loquendo, nihilominus consuetudine [illegible] ptum est, vt dispensatio istorum impedimentorum [illegible] tineatur à Papa excepto voto Religionis, & Castitatis [illegible] Pontifici reseruatum est. Verùm hæc communis sententia non [illegible]

nonnullas patitur exceptiones. Nam in primis excipi etiam debet impedimentum sponsalium, quod etiam non solo humano iure, sed ex natura ipsa rei obligat, & pertinet ad debitum iustitiæ, vndè quamuis vbi causa esset controuersa, aut imminente damno, debeat expectari sententia Episcopi, tanquam Iudicis pronunciantis veram sponsalium dissolutionem, de reliquo tamen non potest Episcopus in hoc dispensare, vt notauit Auersa *quæst. 19. sec. 2.* Deindè incestus verus scilicet post consummatum matrimonium commissus cum consanguinea vxoris a solo Pontifice dispensari potest, vt incestuosus contrahere possit, vt aduertit Stephanus a S. Greg. *lib. 3. cap. 1 10. ex cap. Si duo 35. quæst. 6.* licet si incestus non fuerit verus, hoc est, post matrimonium consummatum commissus, eius dispensatio ad Episcopum quoque pertinere possit ex eodem *cap.* Denique, vt tempore feriarum matrimonia solemniter celebrari possint, solus Pontifex dispensare potest, non autem Episcopus, nisi in vrgente casu necessitatis, vt iam dictum est *artic. præced. num. 347.* & concedit etiam ipse Sanchez ibi citatus *lib. 7. disp. 7.* qui tamen a Bonacina, & alijs pro priori opinione citatur, quæ proindè non est sic absolutè tenenda, sed cum prædictis exceptionibus.

QVÆSTIO DECIMATERTIA.

De Impedimentis Matrimonium dirimentibus.

368 IAm superius q. 11. diximus impedimenta ad matrimonium duplicis esse generis, quædam impedientia, vel prohibentia tantùm, alia verò etiam dirimentia, quibus nimirum efficitur, vt matrimonium non tantùm illicitè, sed etiam inualidè contrahatur; vndè hæc impedimenta non eo sensu dirimentia dicuntur, quasi dissoluant matrimonium iam factum, & validè contractum, vt ex vi ipsius vocabuli designari videtur, siquidem ex anteà dictis satis constat matrimonium semel validè contractum dissolui non posse, etiamsi sit tantùm ratum, nisi per solemnem religionis professionem; sed in hoc sensu tantùm dirimentia vocantur, quia impediunt, ne matrimonium validè contrahi possit; postquam igitur *quæst. præced.* actum est de impedimentis tantum prohibentibus, in præsenti quæstione agendum est de dirimentibus generatim, & in sequentibus posteà de alijs singillatim, & specialiter.

ARTICVLVS PRIMVS.

Quæ, & quot sint impedimenta dirimentia, & quando, aut quomodo dirimant.

369 QVoad primam articuli partem impedimenta dirimentia duodecim communiter à Theologis numerantur, quæ his tribus versibus comprehenduntur, quia etiam à Scoto referuntur, *4. d. 42. q. vn. lit. M.*

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, vis, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis.

Hæc sunt duodecim impedimenta ex antiquo iure Canonico recensita, sed præter hæc aliud quoque impedimentum dirimens iure nouo institutum fuit in Concil. Trident. nempè Raptus irritans, & dirimens matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiù hæc in potestate illius fuerit, ità enim decreuit *sess. 25. cap. 6. Inter raptorem, & raptam, quamdiu ipsa est in potestate raptoris nullum posse consistere matrimonium,* hoc tamen non est omninò nouum, quia facilè reduci potest ad impedimentum vis, seù violentiæ contrà matrimonij libertatem. Aliqui etiam sub nomine alterius impedimenti dirimentis, nimirum Clandestinitatis, ex eodem Concilio recensent absentiam Parochi, & duorum testium; Verùm vt notat Auersa *q. 1. sess. 1.* cum præsentia Parochi, & testium sit forma in ipso actu contrahendi requisita, pariter quoque eorum absentia solùm, vt defectus in ipso actu contrahendi censeri debet, non verò tanquam inhabilitas & impedimentum præcedens, quarè non oportet, vt sub nomine impedimenti inter alia recenseatur, sed potius circà spectantia ad substantiam matrimonij recenseri debet, ideoque de Clandestinitate tractauimus supra *quæst. 8.*

Quoniam verò ordo impedimentorum in præfatis versibus assignatus potius est commoditatis gratia, & vt facilius retinendos illos versus, quibus memoria facil[illegible] ... sent, quàm vt sic ordo doctrinæ postularet, vt observat Auersa ex Scoto loco citato, ideò vt distinctè, & [illegible] ipsis agamus, prout ordo doctrinæ, ac etiam ipsa [illegible] postulat cum eodem Auctore ità congruenter [illegible] sunt, & ordinanda præsertim, quia hunc ordinem [illegible] sinuat, Doctor *loc. cit. disp. 42.* vt fusè explicat *Bra[illegible]*ster, *disp. 38. art. 1.* Quædam impedimenta sunt, *quæ imme*diatè, & directè ipsum contractum coniugalem *respiciunt,* tolluntque debitum consensum ad matrimonialem *contra*ctum requisitum, ideoque illum reddunt irritum, & nullum, cuiusmodi sunt impedimenta erroris, conditionis, & vis, seù violentiæ, includendo etiam sub violentia raptum proindè de his quatuor primò loco agemus, vt potè quæ consensum in coniugio requisitum directè inficiunt. Alia impedimenta sunt, quæ immediatè, & directè ipsos contrahentes respiciunt, seù afficiunt, & quoddam est, quod inhabilitatem physicam, seù naturalem importat ad exercendum ipsum coniugij actum, & proprio nomine Impotentia appellatur; Aliud verò est, quod inhabilitatem importat, & incapacitatem moralem ad contrahendum cum alijs personis post contractum cum vna initum ex ipsa lege naturæ deriuatum, & hoc dicitur impedimentum ligaminis. Alia deindè impedimenta sunt, quæ inhabilitatem quoque moralem important ad contrahendum absolutè cum quacunque persona, quæ tamen ex natura rei non deriuantur, seù ex lege naturæ, vt præcedens, sed ex institutione legis positiuæ, & sunt peculiaria in Ecclesia Christi inter fideles & hæc sunt impedimenta Voti solemnis, & Ordinis. Præterea alia sunt, quæ incongruitatem, & inhabilitatem etiam moralem important ad contrahendum cum certis tantùm personis ob specialem coniunctionem cum eis, & hæc sunt impedimenta cognationis includendo naturalem & spiritualem, & legalem, itemque affinitatis, & publicè honestatis. Vlterius aliud impedimentum est, quod hanc incongruitatem, & inhabilitatem importat ob fidei Religionis difformitatem, & dissonantiam, & dicitur Cultus disparitas. Et aliud demum, quod eandem inhabilitatem, & incapacitatem importat ob crimen, & delictum in matrimonio contrarium nimis, & perniciosum, & hoc dicitur impedimentum Criminis; vt igitur dilucidè, & sine confusione de his impedimentis agamus, præfatum ordinem seruabimus, vt ipse ordo doctrinæ expostulat, tractando nempè coniunctim de illis, quæ maiorem inter se habent connexionem, & propinquitatem, nam impedimentum v.gr. Ordinis cum impedimento Voti proximè connectitur, ideoque de illis coniunctim agemus, & impedimentum affinitatis cum impedimento cognationis, & impedimentum honestatis cum impedimento affinitatis, & sic de alijs.

Quoad alteram articuli partem, quando scilicet, & quando hęc impedimenta matrimonium dirimant, & inualidum reddant, conueniunt Doctores non solùm inualidè profectus contrahere illos, qui verè se agnoscunt aliquo horum impedimentorum detentos, sed etiam quando impedimentum subest, & est eis ignotum, etiamsi bona fide contrahant, & præmissis anteà debitis diligentijs, si ignorent v.g. talem gradum consanguinitatis, vel affinitatis inter se versari, vel talem gradum affinitatis esse matrimonij impeditiuum, & similia; & ratio est, quia dùm re vera talia subsunt impedimenta eo ipso inhabiles sunt ad contrahendum, quamuis ipsi id ignorent, & propterea eorum matrimonium reipsa est nullum, & inualidum, & detecto errore statim remedium quærere debent ad matrimonium conualidandum, ne in peccato permaneant. Dices, in tali casu illi excusantur à culpa, eo quia culpa non incurritur, nisi cum cognitione malitiæ, aut saltem cum negligentia eam cognoscendi, quæ in proposito non supponitur adesse; ergò neque pœnam nullitatis matrimonij incurrere debent, sed validè contrahere, præsertim quando impedimentum solo humano iure est institutum. Respondeo, quod nullitatem matrimonij non incurrunt, tanquam pœnam illi culpæ debitam, sed solùm tanquam effectum suæ inhabilitatis, ad quod opus non est eam antecedenter cognoscere. 371

Difficultas tamen est inter Doctores controuersa, num valeat matrimonium, si è contrà aliqui côtrahant, putantes se aliquo impedimento dirimente laborare, cùm tamen re vera 372

vera tale impedimentum non adsit, & scientes matrimonium cum tali impedimento contractum esse inualidum; In qua difficultate tres sunt opiniones, duæ extremæ, & tertia media. Prima absolutè affirmant matrimonium in tali casu validum esse, si contrahentes intendant contrahere, quantum in ipsis est. Ratio est, quia matrimonium validè celebratur, quando contrahentes sunt habiles, & habent sufficientem consensum; sed in hoc casu contrahentes sunt habiles, cùm nullo vero impedimento detineantur, quamuis falsò putent ad esse, & habent sufficientem consensum ad contrahendum, nam intendunt facere totum, quod possunt, intendunt quantùm in ipsis est verè contrahere, ergo adest consensus, & intentio requisita, & consequenter matrimonium validè celebratur. Confirmatur à simile de eo, qui credit Baptismum nihil valere, sed nihilominus baptizando intendit facere, quod potest, & quod intendit S. Mater Ecclesia, certum enim est illum validè baptizare, vt communiter Doctores fatentur; ergo idem dicêdum videtur in proposito casu, ità Bonacina *quæst. 2. punc. 9. num. 8.* citans Nauar. P. Ledesm. Sanchez, Gutierez, Henriquez, Rodriquez, & Siluium; idem etiam tenent Rosella, Tabiena, & alij. Secunda sententia absolutè negat tale matrimonium esse validum; Ratio est, quia humana voluntas non potest efficaciter intendere id, quod ei representatur impossibile, nam voluntas efficax est possibilium, non impossibilium; sed illi qui putant se adstringi aliquo impedimento dirimente, iam existimant se non posse validè contrahere; ergo non intendunt, nec verè, & seriò intendere possunt contrahere, sed ad summum facere actum illum externum contrahendi fictum, & simulatum, quod vtique ad verum, & validum matrimonium sufficere nequit ità Scotus, Ponce, Coninchius, Angelus, Angles, Siluester, Lopez, Abbas, Præpositus, & alij.

373 Tertia sententia media partim affirmat, partim negat, & sic vtramque sententiam conciliare prætendit; vndè cum secunda sententia gratis concedit ex illa existimatione, qua contrahentes putant subesse aliquod impedimentum dirimens, cùm tamen re vera non adsit, non posse habere efficacem voluntatem validè cotrahendi, quia id existimant impossibile, sed solùm intendere possunt facere illum externum actum, & proferre verba illa consensum exprimentia, quæ voluntas planè ad validum matrimonium non sufficit, cum talem habeant quoque qui fictè, & simulatè contrahunt, & quoad hoc sententia negatiua verum dicit. At simpliciter loquendo optimè stare potest, vt cum ea existimatione absoluta habeant contrahentes conditionatam intentionem, vt si inter eos stare possit validum matrimonium, omninò velint illud perficere, & facere quicquid possunt, & ex hac intentione conditionata valebit sanè tale matrimonium, cùm reuera non subsit tale impedimentum, & contrahentes sint in rei veritate habiles ad contrahendum, & hoc pacto verificatur sententia affirmatiua, quę planè talem intentionem conditionatam supponit saltem implicitè, cùm dicat contrahentes in tali casu facere totum, quod possunt, & quantum in ipsis est; & hanc mediam sententiam amplectitur Auersa *q. 11. sec. 2.* per quam putat extremas sêtentias inuicem conciliare; nam prima sententia supponit, & plures eius sectatores expressè indicant, huiusmodi intentionem conditionatam illi existimationi absolutę, & côtrariæ esse coniunctam, quæ intentio simpliciter sufficit ad matrimonij validatem, dùm in re verificatur conditio, nullo nempè existente impedimento dirimente. Nec ratio secundę sententię obstat, probat enim solùm ex vi illius existimationis absolutæ de impedimento dirimête non posse haberi intentionem efficacem validè contrahendi, atque adeò ex vi illius simpliciter non posse tale matrimonium valere, quod etiam prima sententia non negaret. Sed non tollit, quominus simul adesse possit suspicio aliqua, quod fortè non adsit tale impedimentum, & conditionata intentio validè contrahendi, si & quantum fieri potest, qua intentione adiuncta neque secûda sententia negaret validum esse matrimonium, in tali enim casu tam in foro externo, quàm in interno pro hac potius parte in fauorem matrimonij cêsendum est, quia ex vi intentionis conditionatæ adiunctæ potest matrimonium validum censeri.

374 Quæres, quid facere debeant Coniuges, quando aduertunt se cû impedimento dirimente contraxisse. Conueniût Doctores in tali casu coniuges per se loquendo separari debere quoad vsum matrimonij, quia reuera non sunt coniuges, cùm inter eos verum non sit matrimonium; imò consulût regulariter loquêdo separari debere quoad habitationem ob morale periculum carnalis commercij. Tota Difficultas est, si vnus solus impedimentum aduertat, nec possit absque maxima sui infamia alteri coniugi illud manifestare, vt v. g. si mulier fuit anteà cognita à fratre mariti, aut non possit absq; alio magno periculo, & damno à viro separari, vel debitû coniugale negare. Aliqui dixerunt talem coniugem in huiusmodi casu non teneri impedimentum detegere, nec ab altero coniuge separari, sed posse istè, & licitè debitum coniugale reddere, licet non petere, saltem donec à Sede Apostolica dispensatio impetretur. Ratio est, quia dùm alter coniux manet in bona fide, habet ius petendi debitum, ergò alter coniux impedimenti conscius potest, ac debet reddere, & licitè poterit minus malum eligere scilicet in copulam consentire ad vitanda grauiora mala, vt homicidium, & alia scandala, & damna; ità Magister, Hugo de Sancto Victore, Hostiensis, & alij Iurisperiti antiquores.

375 Communis tamen, & firma sententia est inter Theologos, & Iuristas modernos nullatenus posse coniugem impedimenti conscium licitè debitum reddere alteri in bona fide manenti, sed teneri potius aut vitæ, aut famæ iacturam pati, & quamcunque Ecclesiasticam censuram, cùm sciat censuram in tali casu non ligare, quia excommunicatio incurritur tantùm ob læthalem inobedientiam. Ità Nauarrus, Siluester, Victoria, Ledesma, Sanchez, Tancred. Sotus, Medina, Auersa, & alij Moralas Scriptores.

Probatur expressè ex Iure Canonico *cap. Inquisitioni de sent. excommunic.* vbi Pontifex ipse docet, quando aliquis coniugum est certus de impedimento, debere potius excommunicationem pati, quàm in carnalem copulam consentire; Accedit etiam manifesta ratio, quia fornicario nunquam est licita, etiam ad vitandam quamcunque iacturam, quia est ex genere suo mala; sed vbi non est matrimonium, vt est in casu nostro, copula non est coniugalis, sed fornicaria; ergo nullatenus est licita, nec pars talis impedimenti conscia vlla ratione excusari potest, vt debitum petat, aut reddat, quia tunc tantùm abest, vt sit debitum, quod potius est scelus, & crimen; Nec ille qui manet in bona fide habet re vera ius petendi, sed ex errore putat se habere, sicut non est verè coniux, sed falsò putat talis, ideo que alter sciens non esse verum matrimonium non debet, nec potest licitè reddere, nec debet, aut potest [illegible] malum facere ad maiora mala euitanda, sicut non [illegible] cienda mala, vt eueniat bona. habere autem copulam [illegible] que coniugio esset facere, & committere [illegible] sulunt tamen Doctores in tali casu coniugem [illegible] conscium cautè, & prudenter gerere se debere [illegible] illa pericula, & damna, quæ ex tali casu sibi [illegible] occurrere possunt, prout conditio personarum [illegible] patietur, quæ autem media, & remedia adhi[illegible] docent Sanchez *lib. 2. disp. 39.* Tancred. *ibid. quæst. 11. sec. 3.* & alij passim; Et quamuis op[illegible] dium sit à Sede Apostolica dispensationem imp[illegible] huiusmodi impedimento, non propterea tunc [illegible] ticipata copula, etiamsi interim talis dispensatio [illegible] & expectetur, quia hoc non obstante adhuc copula [illegible] ria foret, & non coniugalis, non est autem vllum [illegible] admittendum ob quodcunque periculum, vel da[illegible] Et hæc etiam est mês Doctoris expressa *4. d. 35. q.* [illegible] C. vbi inquit, quod si nesciente muliere viri con[illegible] tus est cum ea contractus vxore propria adhuc viua [illegible] nô est matrimonium etiam post mortem istius quia [illegible] consensit in eum, tanquam in potentem contrahere [illegible] autem ex parte sui non est talis, qualem eum credidit [illegible] subdit, quod ille non potest eam matrimonialiter [illegible] quia ex parte eius fornicatio est, sed illa potest sibi [illegible] monialiter copulari, quia ignorantia inuincibilis [illegible] eam.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Qualiter Matrimonium cum impedimento dirimente contractum conualidari debeat sublato impedimento.

376 SEnsus quæstionis est, quid sufficiat, vel requiratur [illegible] reualidandum matrimonium, quando per dispensationem [illegible]

nem Superioris sublatum est impedimentum, vt contingere solet in impedimentis iure ecclesiastico institutis, vt in certis gradibus cognationis, affinitatis, vel alijs, & in primis certum esse debet ad validandum matrimonium anteà cõtractum non sufficere solam impedimenti ablationem, sed nouum consensum requiri, & ità iam determinauimus *quæst. 3. art. 1. num. 86.* explicando, quomodo renouandus sit matrimonij, contractus nullus ex defectu consensus legitimi, vel alterius occulti impedimenti, & ità expressè docet Doctor *4. dist. 35. quæst. vnica sub lit. C.* vbi inquit, quod stante tali impedimento primus consensus non fuit matrimonialis, & ideò nullus actus potest esse licitus in virtute illius consensus, & ideò ad hoc quod sint coniuges, requiritur nouus consensus, primus autem consensus non fuit matrimonialis, quia præstitus fuit inter personas tunc inhabiles, atque ideò nullius erat valoris, nec virtute illius matrimonium vnquam perfici potest, sed opus est, vt postquam per impedimenti dispensationem personæ factæ sunt habiles nouus adhibeatur consensus, quo matrimonium perficiatur. Addit vlterius Doctor ibidem non sufficere nouum consensum illius tantùm coniugis, qui impedimentum nouit, & postmodum scit esse sublatum, sed requiri nouum consensu ex parte vtriusque, & ità communiter sentiunt Doctores, & ratio est, quia ex vtraque parte defuerat consensus legitimus, & validus, cùm esset inter personas inhabiles, & incapaces; quod si impedimentum erat ex parte vnius tantùm, vt quando nesciente muliere viri coniugium initus est cum ea contractus viuente adhuc propria vxore, post istius mortem, & habita dispensatione adhuc ex parte vtriusque necessarius est nouus cõsensus ad validandum matrimonim quia licet nullum esset impedimentum ex parte mulieris, eius tamen consensus non fuit validus inquit Doctor, quia consensit in eum, tanquam in potentem contrahere, ipse autem ex parte sui non erat talis, qualem eum credidit; Ex hac ratione etiam diximus loco citato *quæst. 3. art. 1. num. 86.* hoc necessarium esse ad reualidandum matrimonium nullum ex defectu consensus veri, & legitimi, diximus inquam, non sufficere renouari consensum tantum illius, qui fictè, aut vi consenserat absque nouo consensu alterius, vt tenent quamplures Doctores ibi citati, & ratio est præter aliam ibi adductam quia licet consensus alterius fuerit serius, & liber, tamen consensit in alterum, tanquam in seriò consentientem, & liberè, non autem fictè, vel coactè, & ideò etiam consensus ipsius fuit nullius roboris, & valoris quia nihil est magis contrarium consensui quam error l. si per errorem ff. de iurisdict. sed ignorans fictionem alteris consentit per errorem, cùm intendat consentire in suum coniugem verè, & non fictè cõsentientem, atque ideò etiam est ex parte ipsius renouandus, quarè disparitas in vtroque casu allata ab Auersa *quæst. 11. sect. 4.* nihil vrget. Tandem diximus etiam loco citato in his casibus non satis esse interius renouari consensum, sed requiri simul nouum consensum externum, sinè nouam expressionem consensus, quoniam totus antecedens contractus tam quoad actum internum, quàm externum erat nullus, & irritus ex vtraque parte ob rationem modò allatam.

377 Difficultas tamẽ est, an ad validitatem matrimonij, & legitimam consensus renouationem requiratur vt coniux ignarus fiat conscius nullitatis. Aliqui id absolutè negant apud Auersum loc. cit. quia potest dari casus, & potest etiam cotingere frequenter, in quo id fieri nequeat absque maximo periculo famæ, & vitæ, vt potè in casu, quo mulier fornicata fuisset cum fratre viri sui, & non solùm si id viro retegat, sed etiam si suspicionem aliquam præbeat, in maximum periculum incurrat. Alij verò id absolutè affirmant, quia ille qui renouat consensum inscius nullitatis, & putans suum matrimonium esse validum ducitur ex errore, & renouat per errorem, præsertim si sit ità dispositus, quod si sciret nullitatem sui matrimonij, & qualitatem impedimenti quamuis sublati, nullatenus tunc contrahere vellet, sed quia id nescit, ideò suum consensum repetit; error autem destruit voluntarium, vt constat ex Tractatu de actibus humanis. Sanchez verò *lib. 2. disp. 36.* media graditur via, & inquit necessarium esse notificare ignaro nullitatem contractus, si nullum timetur scandalum, nec infamia, nec periculum attenta conditione viri, & fœminæ; si verò timeatur nec possit extorqueri consensus, aliqua cautela vtendum est, vt si coniux impedimenti conscius sic ab alio petat, vt consentiat, quasi tunc contraheretur matrimonium: Diligis me, ità vt si inter nos non fuisset matrimonium con[illegible] nunc vis me in coniugem, ac si non fuisset [illegible] dum? Quod si neque hoc modo extorqua[illegible] poterit absque verbis matrimonium illud con[illegible] copula carnali affectu maritali habita, & hanc [illegible] dum sequitur Bonacina cum pluribus alijs q. [illegible]

Vt pateat quid probabilius sit dicendum in [illegible] Morales satis molesto, in primis certum est ex[illegible] ad reualidãdum talem matrimonium necessarium [illegible] uum consensum ex parte vtriusque coniugis; nec [illegible] consensus, quo solùm approbare, & ratificare intendant priorem contractum cùm enim matrimonium iam contractum non sit re vera validum, planè neque hoc nouo consensu approbatiuo redderetur validum, sed relinqueretur tale, quale erat; requiritur ergo consensus, quo intendant etiamsi id quod antè fecerunt, non valeat, ex tunc validè facere, & vt ex tunc valeat; & sic requiritur cõsensus nouus contrahendi. Et in hoc casu valdè iuuat, quod impedimentum manifestetur coniugi illud ignoranti, quando manifestari potest absque graui periculo, & incõmodo, hoc enim modo tollitur omne dubiũ nullitatis matrimonij, c[illegible] vterque de nouo cõsentiat habita cognatione nullitatis matrimonij, & hoc etiam fieri debere, quando matrimoniũ e[illegible] nullum ex defectu consensus veri, & legitimi iam diximus *loc. cit. q. 3. art. 1. n. 87.* & in hoc sensu intelligi debet prima opinio, & Scot. *4. d. 35. q. vn. sub lit. C.* dùm ait in reualidatione matrimonij inualidi ex defectu impedimẽti occulti vtrumque coniugem debere fieri conscium nullitatis matrimonij vt nouum præstet consensum; & sit de præsenti, idest non solùm dicat, quod si matrimonium non esset validum vellet de nouo contrahere sed, vt dicat, se tunc contrahere & alterum in coniugem accipere.

Tota autem huius puncti difficultas est, an talis cõsensus haberi possit à coniuge nullitatis ignaro absque eo quod i[illegible] manifestetur impedimentum ab alio coniuge iam per dispensationem sublatum; nam si sic haberi potest, hac via in[illegible] dendum est, quando sine graui periculo, & incommodo manifestari non potest; Et planè haberi potest, vt in[illegible] Auersa *loc. cit.* si coniux nullitatis ignarus ex proprio mo[illegible] vel ab alio coniuge inductus prætextu coniugalis amor[illegible] talem sub conditione dicat, quod etiamsi non valeret m[illegible] trimonium anteà factum, velit tunc de nouo facere, nam ad hunc actum conditionatum habendum planè non requiritur, vt absolutè sciat non valere matrimoniũ anteà factum, sed benè stare potest cùm opinione, & existimatione, quod valeat anteà factum; vndè si de nouo habeat animum confirmandi suum contractum sub hac cõditione, etiamsi anteà fuisset inualidus, verè huiusmodi consensus matrimonium conualidat, nec vitiatur errore, quo putatur contractus ab initio fuisse validus; & benè potest vnus coniux alium inducere ad renouandum consensum hoc modo conditionato, non solum vir à muliere, sed etiam mulier à viro vtens [illegible] qua dexteritate prætextu amoris coniugalis, & ad hoc à prudenti Confessario diligenter instrui debebit. Et ex hac doctrina soluitur fundamentum sententiæ affirmantis, quia ratio illa procedit, quando coniux nullitatis ignarus, & putãs suum matrimonium esse validum intendit tantùm illud cõfirmare, sic enim talis error est contrarius consensui, & ità rationem voluntarij destrui, vt re vera per talem consensũ matrimonium non validetur, vt benè discurrit Auersa loco citato. Si verò illud confirmare intendat in casu, & sub conditione nullitatis modo iam explicato, iam error, quo putat matrimonium etiam anteà fuisse validum non est contrarius huic consensui, nec destruit rationem voluntarij, quia planè hoc æquiualenter se habet, ac si sciens fuisse nullum, de nouo adhuc ratificare vellet, quia consensus hic sub ea conditione est elicitus, quod etiamsi non valeret anteà, factum velit tunc de nouo facere.

In casu verò, quod coniux nullitatis ignarus esset ità dispositus, quod si sciret nullitatẽ sui matrimonij, & qualitatẽ impedimenti quamuis sublati, nullatenus tunc contrahere vellet, sed quia nescit, ideò suum consensum repetit, distinguendum est cum eodem Auersa *loc. cit.* Vel enim est ità dispositus in actu secundo itaquod actualiter habeat talem voluntatem, & intentionem; Vel solum est ità dispositus in actu primo, & habitualiter; si primo modo est dispositus, planè cum tali intentione, & repetitio consensu matrimonium non perficit, quia hæc intentio directè repugnat intentioni conditionatæ, quam dicebamus requiri, quarè in tali casu [illegible] illam 380

illam intentionem requisitam non habet, si quidem vna repugnat alteri, & duas intentiones contrarias simul habere non potest; si verò secundo modo est dispositus, nempè habitualiter solùm, & in actu primo, cum hæc dispositio non tollat oppositam intentionem in actu secundo, sed cum ea compossibilis sit, consequenter neque vitiat matrimonium, sed sufficit ad illud conualidandum; & ratio est, quia sæpè talis casus contingit in contractione matrimonij, quod si quis sciret certam conditionem alterius coniugis, nollet contrahere, si v.g. sciret mulierem esse corruptam, vel spuriam, & nihilominus dùm contrahit, valet matrimonium, quia talem intentionem, & dispositionem habet solum in actu primo, & habitualiter, non autem in actu secundò, & actualiter; sic ergò in casu nostro, si mulier antè contractum fuisset cognita à fratre viri cum quo contraxit, & impetrasset huius impedimenti dispensationem, adhuc valebit matrimonium, & sufficienter reualidabitur per nouum consensu viri repertum sub conditione declarata, quamuis vir sit ità in actu primo dispositus, quod nequaquam eam duceret, si resciret dummodo non habeat intentionem contrariam in actu secundo; idem enim quod valeret ab initio in matrimonio contrahendo, etiam valere potest, & debet ad confirmandum, & ratificandum matrimonium antea nulliter contractum. Itaque ex dictis colligendum, & concludendum est in vniuersum nunquam validari contractum, alium uè actum nullum, quacunque ratificatione, & renouatione facta absque scientia nullitatis in vtroq; coniuge, aut saltem absq; expressione illa conditionata, quod etiamsi contractus fuisset nullus, intendat coniux nullitatis inscius eum denuò confirmare.

381 Quod autem addebat Sanchez media via incedendo inter extremas illas opiniones, quod si neq; modo ab ipso indicato possit haberi nouus consensus à coniuge nullitatis inscio ad matrimonium reualidandum, poterit matrimonium illud reualidari absque verbis media copula carnali affectu maritali habita; hoc inquam, absolutè dici non potest, & maiori indiget examine, quia in primis, vt inquit Hurtadus *disp. 6. diffic. 6.* copula carnalis non est sufficiens signum exterius, seù expressio exterior consensus interni maritalis, quia per eam percipi nequit, an sit facta affectu maritali, vel fornicario, sed tantùm est pium, & prudens indicium expressionis exterioris anteà factæ; vndè non satis approbo, quod inquit Bonacina cum alijs *quæst. 2. punc. 1. num. 4.* ad contrahendum matrimonium sufficere copulam animo maritali, & non fornicario habitam coram Parocho, & testibus modo Parochus, & testes intelligant copulam haberi animo maritali, & intentione contrahendi matrimonium, nam in primis valdè ridiculum est, & incredibile, quod sponsi sint adeò leues, vt inducantur ad habendum talem actum carnalem coram Parocho, & testibus, & si habeant, non video, quomodo ex illa simplici copula Parochus & testes deducere possint esse factam animo maritali, & non fornicario, nisi aliqua dicta, vel signa exteriora ad hoc exprimendum idonea præcesserint, quia copula sola de se non est sufficiens signum exterius interni consensus maritalis, cùm de se indifferenter fieri possit tam affectu maritali, quàm fornicario, sed tantùm pium, & prudens indicium expressionis exterioris anteà factæ per alia signa exteriora ad hoc exprimendum idonea; si ergò simpliciter, & absolutè loquendo sola, & simplex carnalis copula etiam animo maritali habita non est sufficiens signum externum ad matrimonium ab initio contrahendum, neque etiam sufficiet ad illud reualidandum, si anteà fuit nulliter contractum.

382 Itaque in proposito dicendum est, quod eo modo, quo ab initio validè matrimonium contrahi potest per alia signa sine expressione facta per verba, & in specie per copulam; ità poterit quoq; eodem modo validari matrimonium nulliter antea contractum, vt habetur in *cap. 2. & cap. vlt. de Coniug. seruor.* vbi definitur validari matrimonium anteà nulliter contractum cum serua per copulam, cum serua habitam post cognitam conditionem seruitutis, quæ prius ignorata matrimonium impediebat, ac dirimebat. Hoc autem intelligendum est vt aduertit Auersa *quæst. cit. sec. 5.* tantum ex parte illius, qui est nullitatis conscius, non autem eius, qui est inscius; nam ex parte istius durante ea bona fide, potest copula semper censeri ex vi eius existimationis fieri, qua credit matrimonium valuisse, & ab initio validum fuisse, quo pacto se habet solum, tanquam approbatio, & confirmatio coniugij anteà initi, inquantum reputati validi, qui consensus vt dictum est non sufficit ad validandum matrimonium reuera nullum. Potest tamen validari ex parte illius, qui est conscius nullitatis, per copulam, non quomodocunq; habitam, sed solùm quando ab initio bona fide contraxit, & posteà detecto impedimento ab vsu coniugij abstinuit, nec illum iterauit, nisi impedimento sublato, nunc enim copula post ablationem impedimenti habita non præsumitur haberi animo fornicario, sed coniugali, atque ideò poterit hoc modo esse signum idoneum coniugalis consensus.

Postremò est Difficultas, an Matrimonium cum assistentia Parochi, & testium semel celebratum, nulliter tamen ob impedimentum dirimens occultum, sublato posteà impedimento, possit clàm inter solos cōtrahentes eorum proprio consensu absq; tali assistentia reualidari. Negant quamplures eo quod forma illa à Conc. Trid. præscripta est de necessitate, & substantia huius contractus; sed quando matrimonium ab initio fuit nulliter celebratum, vtiq; tunc factus non fuit verus contractus, sed se habet tanquam nō factus, solumque fit quando sublato impedimento renouatur consensus; ergo nisi iuuat antecedens illa Parochi, & testium assistentia, sed iterum est necessaria in reualidatione matrimonij. Confirmatur, quia in dispensationibus, quæ à Sede Apostolica impetrari solent, dispensari etiam solet, vt priuatim absq; Parocho, & testibus coniugium renouetur, supponendo vtiq; absque speciali dispensatione id fieri non posse, ita Nauarrus, Bartolomeus Ledesma, Gutierez, Comitolus, Ponce, & quidam alij. 383

Communior tamen, & probabilior opinio docet, matrimonium nulliter ab initio contractum ob impedimentum occultum cum assistentia Parochi, & testium posse validari solo contrahentium nouo consensu absque hac iterata assistentia, quam sententiam nos quoque secuti sumus superius *quæst. 3. art. 1. num. 87.* vbi satisfactum esse diximus decreto Concilij, dum semel celebratus fuit externus contractus matrimonij cum solemnitate requisita coram Parocho & testibus, per hoc enim satis constat de tali contractu coram facie Ecclesiæ, vt ibi prætendit Concilium; loquitur enim de matrimonijs clandestinis, quæ antiquo iure prohibita erant, vt porè ex quibus incommoda multa oriri poterant, non autem de matrimonijs coram Parocho, & testibus inualidè celebratis ob aliquod impedimentum occultum, quia antiqua eorum assistentia, quæ præcessit, in casu impedimenti, vel defectus occulti sufficit ad euitanda prædicta incommoda, vt loc. cit. dicebamus; quare dum tale matrimonium est solùm irritum, & nullum ob impedimentum occultum, satis erit clam, & occultè inter eosdem contrahentes sublato impedimento reualidari; In Dispensationibus autem ex sacra Pœnitentiaria emanantibus ponitur ille clausula, tùm ad tollendum omnem scrupulum ob contrariam sententiam, tùm ad [illegible] dium, si fortè impedimentum matrimonij non esset prorsus occultum, vt supponitur, in tali enim casu [illegible] nè notat Auersa loc. cit. si impedimentum erat notum Parocho, aut alicui ex testibus extra confessionem, siuè per quoscunque alios duos testes posset probari [illegible] cio, quamuis de reliquo sit cæteris occultum, non potest matrimonium validari absque noua Parochi, & testium assistentia. Ratio est, quia in tali casu iam non [illegible] de validitate, sed potius de nullitate talis contractus [illegible] facie Ecclesiæ; ideoque omninò oportebit, vt post sublatum impedimentum denuò constet de renouatione, & forma illa ualidatione talis contractus, ea solemnitate, & testium assistentia per Concilium requisita, nempè Parochi, & testium assistentia, nisi in dispensatione apponeretur clausula, vt priuatim absque Parocho, & testibus coniugium renouetur, & validetur; hæc est communis sententia Theologorum, & Iuristarum, ita Graffius, Philiarcus, Henriquez, Sanchez, Tancred. Rebel. Hurt. Reginaldus, Petrus Ledesma, Corduba, Lopez, Vega, Rodriq. Coninch. Bonac. Dian. & alij passim. 384

QVÆ-

QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

De Impedimentis Erroris, & Conditionis Violentiæ, & Raptus.

385 IAm descendimus ad impedimenta dirimentia in particulari examinanda iuxtà ordinem institutum *quæst. præced. art.* 1. ab initio & primò de his quatuor agimus in præsenti quæstione, quia maiorem habent inter se connexionem, quàm cum cæteris, siquidem omnes, & singuli directè inficiunt consensum, eiusq; libertatem ad contractum coniugalem requisitam, ideoque matrimonium dirimunt; imò Error, & Conditio tantum inter se habent connexionem, quod cùm impedimentum conditionis aliud non sit, quàm ignorantia status seruilis in persona, cum qua quis contrahit, includi poterat sub impedimento erroris; & impedimentum Raptus includi poterat sub impedimento Vis, seu Violentiæ contrà Matrimonij libertatem, aut ad illud reduci, vt suprà dictum est.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Impedimento Erroris.

386 CIrcà hoc impedimentum Erroris summistæ communiter dicunt Errorem dupliciter contingere posse, vel circa substantiam personæ, vt si quis ducat Claram existimans esse Annam, vel circà ipsius personæ qualitatem, vt si quis ducat Claram existimans esse nobilem, diuitem &c. quam posteà comperit esse ignobilem, pauperem &c. & quidem priori modo reddere matrimonium inualidum, non item posteriori. Vt autem res clarius, & magis fundatè percipiatur, aduertendum est ignorantiam ab errore differre, eo quod ignorantia dicat tantummodò negationē scientiæ, quæ dici solet ignorantia simplicis negationis; error autem dicat iudicium peruersum intellectus, qui dici solet ignorantia prauæ dispositionis; vterque tamen sufficit ad causandum actum inuoluntarium, quia voluntas non fertur in incognitum. Duplex autem error præcipuè in hac re est assignandus, vnus circà substantiam personæ, alter circà qualitates modo iam declarato, & nomine qualitatis hic intelliguntur quæcunque circumstantiæ, seù accidentia personæ. Alios duos errores aliqui addere solent, nempè circà conditionem seruilem, vt dùm quis putat contrahere cum libera, & contrahit cum serua; & circà fortunam, vt cum quis putat contrahere cum diuite, & contrahit cum paupere, qui tamen duo errores sub errore qualitatis comprehendi possunt, nam seruitus, & libertas, diuitiæ, & inopia sunt quædam personæ qualitates, & circumstantiæ; & de inopia, seu fortuna est prorsus eadem ratio, ac de alijs qualitatibus accidentalibus, ideoque ab ijs minimè est separanda. De seruitute autem est diuersa, & specialis quædam ratio, aliud enim impedimentum constituit, quod distinctè cum alijs numeratur, & dicitur impedimentum Conditionis, de quo *art. seq.* Quarè vel subdiuidendus est Error qualitatis in communi in seruitutem, & alias qualitates, vel cùm alijs ab initio diuidendus est triplex error, nempè personæ, qualitatis, & seruitutis. Quilibet autem ex his erroribus duplex est scilicet vel antecedens contractum, & causans illum, qui à Iurisperitis dans causam contractu appellatur, & est dum aliquis nollet matrimonium inire cum tali, si sciret esse talem, & non eam, quam ipse putat, & intendit, v.g. quia intendit determinatè Claram, & tamen offertur ei Anna, quam existimat esse Claram. Ille verò error dicitur concomitans, dùm re vera ignorat illam sibi oblatam esse Annam, sed existimat esse Claram, si tamen id agnosceret, idipsum vellet, nam dispositus est contrahere etiam cum illa persona, quæ illi offertur, si eam agnosceret. Hoc supposito.

387 Communis sententia docet errorem circà substantiam personæ; siuè sit antecedens, siuè etiam concomitans, dirimire matrimonium, non tantùm iure positiuo, sed etiam naturali, & est præsertim D. Thomæ, & Bonauent. 4. *d.* 30. *quæst.* 1. & Scoti ibidem, vbi ait errorem substantiæ in omni contractu illum inualidare, vt si vendatur auricalcum pro auro nulla est venditio, & sic de alijs. Probatur autem specialiter in proposito, quod sit de iure naturæ, nam quod sit de iure positiuo satis constat ex cap. Vnico 29. *quæst.* 1. quia iure naturali exigitur consensus liber ad [...] saltem circà id quod est per[...] cuius contractus, sed ad libertatem requiritur [...] talis contractus; sed ad libertatem requiritur [...] aduertentia rationis, quæ in vtroque errore [...] reperitur, quamuis enim error concomitans non [...] voluntarium positiuè, causat tamen non volun[tarium] [...] nihil sit volitum quin præcognitum, nec positiuè [...] tarium, quod est ignoratum, ac proindè etiam non [...] tur libertas sufficiens & necessaria ad valorem illius [...] sus, consensus enim coniugalis circà talem personam [...] solùm debet esse inuoluntarius negatiuè, aut non volunta[rius] [...] tius, sed debet esse voluntarius positiuè cum tali person[a] ad hoc vt valeat, & vinculum matrimonij inducat. Nec di[...] cas talem errorem esse posse vincibilem, & superabilem [...] nam error personæ, quamuis etiam sit vincibilis, matrimonium dirimit, licet enim talis error sufficiat ad peccandum non tamen ad validè contrahendum; nam ad peccandum sufficit exponere se periculo faciendi contrà præceptum, cu[m] periculo se exponit, qui cum errore, aut ignorantia vincibili peccati operatur ad validè autem contrahendum cum aliqua persona, non sufficit exponere se periculo contrahendi cum ea, sed requiritur vera voluntas contrahend[i] cum ea, & explicitus, ac formalis consensus, quem tollit error etiam alioqui vincibilis.

Nihilominus non obstante, quod hæc sit communis opinio apud omnes nemine discrepante communiter recepta [...] 388
Branc. noster *disp.* 21. *art.* 1. oppositum docet, quod scilic[et] consensus cum errore concomitante circa personam no[n] est inualidus, & quod magis mirandum est, inquit nulla [...] videre esse in hoc controuersiam, quasi nullus opposit[um] doceat. Fundamentum eius est, quod talis contrahens non est determinatus tantùm ad vnam personam, qua non po[...] ta non contraheret, sed paratus etiam est contrahere cu[m] alia; ergo nihil deficeret ad validitatem matrimonij; con[se]quentia patet, quia haberetur mutuus consensus circà pe[r]sonas præsentes. Hæc tamen ratio non probat intent[...] quia per huiusmodi animi præparationem, ac indifferen[...] tiam non habet talis contrahens actualem consensum, [...] animum ducendi hanc personam, quamuis sit ità habitu[ali]ter dispositus, siquidem matrimonium non perficitur per habitualem dispositionem, & intentionem, sed solùm per actualem animum, & consensum; Vndè argumentum ad summum probat, quod talis contrahens habuerit volun[ta]tem, & consensum in habitu, hoc est, in præparatione ani[mi] mi ad contrahendum cum tali, consensus autem in an[imi] præparatione non sufficit ad matrimonij contractum, ad quem requiritur consensus actualis, & de præsenti, non au[tem] virtualis, & interpretatiuus. Vndè solum, si quis de præsenti haberet talem consensum, etiamsi hæc sit alia per[sona] ab ea, quam puto, vel quæcunque sit hæc persona, eam duco in coniugem; solum inquam, in tali casu, & cum tali expressione matrimonium perficeretur, quia iam adesset consensus determinatus cum ipsa persona, quæ offertur, quamuis ignota, quæ sit, vt notat Auersa *loc. cit.* Et hanc quoque fuisse expressam Scoti mentem docet Hiqueu[s] 4. d. 30. q. 1. in Commentario nu. 4. quia consensus actualis de præsenti est causa matrimonij de mente Doctoris *d.* 27. *qu.* 2. & *d.* 28. *q. vn.* nec sufficit habitualis, quia talis non transfert dominium corporis in aliam, non enim ad valorem contractus attenditur, quid facturus esset consentiens, si abesset error, sed quid de præsenti per scientiam actualem præstet, qua eius consensus regulatur. Maneat ergo communi sententia stabilitum errorem circa substantiam personæ, siuè sit antecedens, siuè etiam concomitans, dirimere matrimonium, non tantum iure positiuo Ecclesiastico sed etiam naturali, ità Sanch. Henriquez, Gutierez, Perez, Ledesma, Reginaldus, Coninch. Tancred. Rebell. Auersa, Ponce, Hurtad. Bonacina, Caspensis Labat. Stephanus à S. Gregor. & alij Recentiores, & Veteres; ex quo etiam deducunt matrimonium cum errore contractum circà substantiam personæ non solùm esse inualidum inter fideles, sed etiam inter Infideles, nam huiusmodi matrimonium est inualidum iure naturæ, cui non solum Fideles subduntur, sed etiam Infideles.

Contrà præfatam doctrinam quædam argumenta fieri solent, quæ Doctor adducit *loc. cit.* & soluit; Primò quia inter Iacob, & Liam fuit verum matrimonium in veteri testamento, & tamen ibi fuit error personæ, quia Iacob 389
putabat contrahere cum Rachele. Deindè quia Genes. 27. dum

dùm Isaac benedixit filio suo Iacob existimans esse Esau errauit in persona, & tamen fuit valida benedictio. Rursus validi sunt alij contractus, quamuis cum simili errore contingant. Tandem, quia error personæ alia Sacramenta non irritat, vt si quis baptizet, confirmet, absoluat &c. Petrum putans esse Paulum conficit verum Sacramentum; ergo nec is error irritat Sacramentum matrimonij.

Respondetur cum Scoto *loc. cit.* in solutione ad 1. consensum erroneum præcedentem non fecisse Iacob, & Liam veros coniuges, sed consensum subsequentem, postquam enim deprehendit illam esse Liam consensit nouo consensu, & contentus fuit habere illam in vxorem vt constat ex textu; Qua de causa dicitur in iure *cap. Vnico cit.* quod quando Iacob cognouit Liam existimans esse Rachelem non fuit verum matrimonium, donec Iacob consensit positiuè prædicto matrimonio cum Lia determinate. Ad 2. dicendum validam fuisse benedictionem datam ab Isaac ipsi Iacob, vel quia a Patre directa fuit ad filium præsentem, quicunque ille esset, vel quia vt inquit Doctor *loc. cit.* ex diuina illustratione confirmata fuit à Patre cognita veritate, vt docuit D. Augu. 16. *de Ciuit. Dei cap.* 37. Ad 3. dicendum neque validos esse alios contractus, quando fiunt cum errore circa substantiā contractus contingente, sed ad summum quando fiunt cum errore circa qualitates, & circumstantias accidentales, vndè in hoc contractui coniugali assimilantur; Benè tamen esse potest, vt hic Auctores aduertunt, quod error personæ, qui est substantialis in matrimonio, sit accidentalis in alio contractu, vt per accidens esse potest in emptione, & venditione, si quis emat ab vna, vel alia persona, dùm non erratur circa rem, & pretium; maximè tamen est per se in matrimonio, ac de eius substantia, quod hæc vel illa persona ducatur. Ad vltimum respondet Doctor, quod neque valida essent alia Sacramenta, si Minister intenderet determinatè vni personæ conferre, & non alteri; tamen solet, nec debet Minister in alijs Sacramentis administrandis ità suam limitare intentionem, sed debet intendere illa conferre personæ sibi præsenti, & propositæ, quæcumque illa sit aliàs manifesto periculo sacrilegij se exponeret; at in matrimonio error circa personam nequit non esse substantialis, & auferre æqualitatem, quam essentialiter petit, quia est contractus ad iustitiam pertinens, & qui versatur circa corpora coniugum tanquam circa materiam.

390 Circa errorem qualitatis, vt nobilitatis, aut diuitiarum, conueniunt Doctores in duobus casibus iure etiam naturali matrimonium dirimere. Primò quando fit matrimonium dependenter ab ea qualitate, tanquam à conditione, vt si contrahens his verbis suam exprimeret intentionem, *contraho tecum modo sit diues, vel nobilis*, esset enim inualidum matrimonium, nisi illa conditio, quæ tunc spectat ad obiectum per se illius intentionis, verificaretur, & ratio est, quia cùm tunc deficiat conditio, sub qua fit contractus, etiam deficit ipse contractus. Secundò dirimit matrimonium hic error, quando refunditur in personam, & transit in errorem personæ, interdum enim penes certam aliquam qualitatem concipimus certam indiuiduam personam, siquidem non solum proprio nomine personæ, sed etiam aliqua alia peculiari circumstantia conceptum certæ singularis personæ formare possumus, & solemus; Quando igitur penes huiusmodi qualitatem, vel circumstantia certam personam concipimus, & postea alia persona offertur, in quam talis qualitas, & circumstantia non cadit, tunc planè in ipsa persona erramus, & error qualitatis in personam refunditur, & in errorem personæ transit; quod obuio, & communi exemplo sic declarari solet v. gr. si nobilis aliqua mulier intentionem habeat, eamque exterius exponat volēdi nubere cum primogenito Regis sibi ex sola fama cognito, Rex autem offerat illi loco alterius filium suum secundo genitum, tunc nullum esset matrimonium ex errore personæ, aut potius errore qualitatis in personam redundantis. Extra autem hos duos casus conueniunt Doctores errorem qualitatis per se non dirimere matrimonium, & ità expressum habetur in *cap. Vnico 29. quæst. 1.* vbi dicitur, quod error fortunæ, & qualitatis non excludit consensum, vndè quæ nubit pauperi putans illum esse diuitem non potest renunciare priori conditioni, quamuis errauerit; similiter qui accipit corruptam, vel deformem, quam existimabat virginem, vel pulchram non potest illam dimittere, & cum alia contrahere; & optimam rationem reddit Sanchez *lib. 7. disp. 18.* quia cùm nihil sit volitum, quin præcognitum quando error est in apprehensione rei non necessariæ ad essentiam contractus, & ad ipsius finem, sed in aliqua accidenti, efficit quod contractus sit quoad essentiam voluntarius, & quod tantùm sit inuoluntarius secundum quid, & quantum ad illud accidens in quo versatur error, non verò reddit illud inuoluntarium simpliciter quantum ad substantiam; siquidem intentio non respicit qualitatem, tanquam obiectum per se, sed tanquam aliquid accidentarium obiecto per se.

391 Verùm est Difficultas, an error qualitatis dirimat matrimonium, quando dat causam contractui, quando scilicet error circa qualitatem personæ talis est, vt quis nisi sic circa qualitatem deceptus non contraheret, sed vno voluntatis actu fertur in personam, prout tali qualitate indutam. Affirmant aliqui, vt Præposit. Medina, Ponce, & ex nostris Brancatus *disp. 20. cit. art. 5.* vbi ait, quod si contrahens determinatè, & explicitè intendit aliquam qualitatem in coniuge, quam putat adesse, ita quod non consentiret, si non adesset, si cum tali errore contrahit, licet talis contractus habeatur adhuc pro valido in foro externo, in re tamen est inualidus, & pro foro conscientiæ; Et ait hanc assertionem esse communem cum Scoto *4. d. 15. art. 3.* & 10. vbi tractat de contractu donationis cum errore. Probat autem, quia consensus non est validus, nisi adsit in obiecto id, quod requirit consentiens, nam sic non in illud, sed in aliud consentit, & deceptus, & ità inuoluntariè, ignorantia enim tollit voluntarium ex 3 *Ethic. cap. 1. & c. 3.* vbi Arist. ait errorem cuiuscunque circumstantiæ tollere voluntarium, quia deficiente tali qualitate, deficit etiam consensus, mutata enim vel ablata ratione aliqua in obiecto vnius actus simplicis, & indiuisibilis mutatur, seu tollitur totus actus.

Confirmatur, quia si quis intendit dare eleemosinam egeno, si dat alicui apparenti egeno, qui re vera talis nō est, donatio illa non est voluntaria, & accipiens eleemosinam non acquirit dominium illius defectu consensus largientis; ergo nec coniux fingens diuitias, aut nobilitatem acquirit dominium corporis alterius coniugis sibi per matrimonium traditi; & hoc est commune omni contractui, venditioni, permutationi &c. quod error circa qualitatem censetur sufficere ad reddendum actum irritum, & nullum; sunt enim contractus quasi conditionati, in quibus verificanda est conditio, vt sint validi. 392

Communis tamen, & certa sententia est, errorem qualitatis per se non dirimere matrimonium, etiamsi fuerit antecedens, & dans causam contractui, nisi tamen consensus fuisset conditionatus sub tali qualitate, aut nisi error qualitatis transeat in errorē personæ, vt supra dictum est. Ita Theologi passim, & Iuristæ apud Auctores supracit. Ratio est, quia substantia huius contractus consistit in consensu inter personas, & de reliquo qualitates se habent accidentaliter, sed error circa accidentia non debet dirimere contractum, quando eius substantia subsistit: ergo error qualitatis matrimonium non dirimit, etiamsi errans contrahat expressè motus à qualitate circa quam errat, quia ex cogit[illegible] moueatur à qualitate illa, & ita, vt si non erraret [illegible] non contraheret, non ob id contrahit dependenter [illegible] qualitate tanquam à conditione, sed tantum [illegible] tanquam à causa finali, vt notat Hurtadus *disp.* [illegible]

Deindè probatur à posteriori, & ex absurdis, q[illegible] rum esset, pariter non valeret matrimonium [illegible] qua accipitur, vt virgo, quæ tamen talis non est [illegible] men neque Brancatus ipse concedit art. 4. præced[illegible] oppositum expressè habetur in dicto *cap. Vnico* 29. [illegible] consequentia patet ex paritate rationis, vt enim [illegible] lam ex errore, quo putat eam Virginem alioqui [illegible] cturus, si sciret eam vitiatam, & contrahens regula[illegible] qualitatem intendit in coniuge determinatè, & explic[illegible] go si hoc Brancatus concedit de Virginitatis qualita[illegible] quin confunderetur societas fidelium, pateret [illegible] familiæ multæ publico infamiæ contemptui expone[illegible] vt benè discurrit in fine præcedentis articuli, tantò [illegible] ipsum concedere debebat art. sequenti de alijs qualit[illegible] minoris momenti, quod scilicet etiam determin[illegible] explicitè intentæ in coniuge matrimonium non dir[illegible] nisi hoc esset per modum conditionis tali contractu [illegible] gnatæ. 393

Ad Fundamentum oppositæ sententiæ dicendum [illegible] consensum non est conditionatus, sed simpliciter ab[illegible] vt supponitur, quamuis feratur in personam, in qua [illegible]

ctus apprehendit, & existimat, in esse talem, vel talem qualitatem, quæ tamen re vera non insit, non per hoc deficit, aut de facto tollitur consensus; vt enim aduertit Auersa *loc. cit.* aliud est, quod quis actualem consensum voluntatis habeat conditionatum v. g. accipio te, si talis conditio adsit, aliud verò quod per intellectum indicetur talem circumstantiam adesse alioqui non acceperetur, si sciuisset non adesse; ille enim consensus conditionatus destruit matrimonium deficiente conditione, sed iudicium conditionatum non præiudicat; & deficiente qualitate deficit consensus, quando est conditionatus sub tali qualitate, quia non purificata conditione, nec etiam purificatur consensus, nec transit in absolutum, sicut requiritur ad matrimonium; at si consensus non est conditionatus, sed simpliciter absolutus, quamuis feratur in personam, in qua intellectus apprehendit, & existimat inesse talem, vel talem qualitatem, quæ tamen re vera non inest, non per hoc deficit, aut de facto tollitur consensus, sed ad summum dicere valebit, quod defecisset, si ille sciuisset talem qualitatem non adesse, quod ad reddendum irritum matrimonium non sufficit, vt suprà dictum est; Et quando dicitur, ignorantiam causare inuoluntarium ex 3. Ethica respondetur errorem qualitatis personæ non impedire perfectum, & simpliciter voluntarium, & consensum circà ipsam personam, quæ est materia substantialis matrimonij, sed tantùm efficere inuoluntarium secundum quid, quando est causa contractus matrimonij, cùm quo optimè stat voluntarium simpliciter, quod sufficit ad valorem contractus matrimonij.

394 Ad Confirmationem respondetur cum Hurtad. cit. & alijs concesso antecedente negando consequentiam, & paritatem, & ratio disparitatis est, quia tunc in elargitione eleemosinæ deficit titulus, nempè paupertas, ac proindè deficit valor elargitionis eleemosinæ, & ratio acquirendi dominium illius ex parte accipientis; in traditione verò corporis in matrimonio, quamuis deficiat qualitas intenta, non tamen deficit titulus, & ratio acquirendi dominium corporum, quia traditio corporis non fit pro qualitate, sed pro corpore, aut pro persona. Et licet in alijs contractibus error circa qualitatem censeatur sufficere ad reddendum actum irritum, & nullum, etiam in Sponsalibus ipsis per dolum celebrati dantem causam ipsis; non propterea sic etiam de matrimonio discurrendum est; & ratio disparitatis est, quia in alijs contractibus, de quibus præsertim agit Doctor *disp. 15. cit.* interdum error qualitas spectat ad substantiam certi contractus, nempè vel ex speciali dispositione iuris positiui, vel ex conuentione ipsorum contrahentium, quandò nempè cadit super materiam talis, vel talis, & qualitatis sic reddit irritum contractum; constat autem diuersam esse rationem de matrimonio, & plurimas esse causas, quæ alios vitiant contractus, non verò matrimonium, vndè doctrina à Scoto allata *loc. cit.* de alijs contractibus, de quibus ibi præsertim loquitur Doctor, non potest hic totaliter matrimonio applicari, & ex integro omni seruata paritate; imò inter sponsalia ipsa, & matrimonium adhuc est longè diuersa ratio, & plures possunt esse causæ, quæ sponsalia vitiant, non verò matrimonium, ob maiorem eius indissolubilitatem, & hoc præsertim peculiare est in matrimonio, vt non irritetur per dolum, & errorem qualitatis etiam dantem illi causam, quamuis irritentur sponsalia, & cæteri contractus bonæ fidei, vt ex communi Doctorum docet Bonacina q. 3. punc. 2.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Impedimento Conditionis Seruitutis.

395 CVm nomen Conditionis sit in sua significatione adeò amplum inter impedimenta matrimonij adaptatum est ad denotandum peculiariter statum seruilem, & hoc ex communi vsu, vel abusu, quia propriè loquendo ait Scotus *4. d. 4. lit. N.* impedimentum conditionis importat consensum conditionatum contrà tria bona matrimonij, vt habetur *cap. final. de condit. apposit.* & seruilis conditio intelligitur eorum, qui sunt propriè serui idest mancipia; etenim apud Iurisperitos serui sunt triplicis generis; Quidam enim dicuntur serui adscriptitij, & sunt illi, qui sunt perpetuò adstricti ad colenda prædia, quorum prædiorum redditus acquirunt Domino præter sumptus, & victum. Alij dicuntur originarij, & sunt illi, qui ortum habent ex dictis adscriptitijs, & tam isti, quàm illi sunt verè liberi [illegible] Alij tandem [illegible] aliquas operas teneantur. [illegible] sub eius potestate, vt eos vendere possit, [illegible] Hoc supposito [illegible] seruitutis in hoc sensu hic est sermo. [illegible] niunt Doctores matrimonium contractum [illegible] conditionis non esse inualidum, quando persona [illegible] contrahitur, est æqualis, aut melioris conditionis [illegible] præsertim docet Scotus *d. 30. vn. quæst. 1. B. & d. [illegible]* vbi dicit errorem in meliori, & etiam æquali conditione non annullare matrimonium, quia in vtroque casu conditio contrahentis non fit deterior, sed melior in primo, æqualis in altero casu; Ecclesia enim hoc impedimentum apposuit, vt non fiat iniuria personis liberis; cùm igitur nulla inæqualitas interueniat, vel iniuria, quando persona cum qua contrahitur, est æqualis, vel melioris conditionis sequitur matrimonium in tali casu cum conditionis errore contractum esse validum; ex qua fit seruum contrahentem cum serua, quam credebat esse liberam, aut contrahentem cum libera, quam putabat esse seruam validè contrahere & ità habetur *cap. Si quis, & cap. Ad nostram.* De coniugio seruorum, nam in primo casu fieret æqualis conditionis, i[illegible] secundo melioris.

396 Conueniunt etiam Doctores matrimonium contractu cum errore conditionis esse inualidum, quando conditio e[illegible] rantis fit deterior, vt quando liber contrahit cum serua, quam credebat liberam. Hoc etiam constat ex Iuribus ia[illegible] citatis, & ex ratione adducta, cùm enim ab Ecclesia h[illegible] impedimentum fuerit inductum ad tollendam inæqualitatem, & ne iniuria fieret alteri contrahenti; magna adesse[illegible] inæqualitas, si validum esset matrimonium, quando deterior conditio errantis, vt in casu posito contingeret [illegible] quando scilicet liber contrahere cum serua, quam libera[illegible] esse credebat; Ita etiam Doctor *loc. cit.* quod probat ratione satis euidenti, quia liber intendit commutationem corporis liberam facere pro potestate libera corporis a[illegible] tius, sed seruus non potest hanc liberam facere, quia est o[illegible] ninò subditus Domino per seruitutem, qui eum vendere potest etiam extrà patria in longinquas regiones; ergo l[illegible] non censetur in seruum scienter consentire, & sic ex defectu consensus liberi contractus est nullus; Et hoc etiam asserendum est, quando ignorantia seruitutis esset vincibilis, vt [illegible] notant Sanchez, Coninchius, Auersa, & alij, quia nempè hic non agitur de culpa vitanda, sed de validitate matrimonij, quæ omninò requirit scientiam huius conditionis, [illegible] *art. præced.* dicebamus de errore personæ, quarè in hoc ca[illegible] su ignorantia vincibilis, & crassa non æquiparatur scientiæ. Quando tamen contrahens opinionem haberet, aut probabilem dubitationem de conditione seruili personæ, cum qua contrahit, tunc benè matrimonium valeret, vt hic aduertunt Bonacina, Ponce, Rebellus, Auersa, & alii, quia hæc opinio, & dubitatio venit sub nomine scientiæ, idest notitiæ in hac re, & in hoc casu contrahenti non fit iniuria, eo quod inæqualitas videatur esse voluntaria.

397 Est tamen Difficultas, an error seruitutis, seù ignorantia in persona libera dirimat matrimonium iure naturali, aut tantùm Ecclesiastico. Hoc secundum asserunt Sanchez, Tancred. Hurtadus, Coninch. Auersa, Caspensis, & plures alij. Fundamentum est, quia seruitus non est defectus substantialis personæ, sed qualitatis; ergo error, aut ignorantia illius non aufert consensum perfectum, & simpliciter circà materiam substantialem matrimonij, ac proindè non dirimit, illud ex natura rei, sed tantùm iure Ecclesiastico in dictis capitibus habito.

Confirmatur, quia matrimonium liberi cum ancilla, cognita seruitutis conditione, validum est, vt omnes fatentur; ergò seruitus suaptè natura matrimonio non aduersatur, ac proindè non dirimit illud iure naturæ; consequentia probatur, quia quæ iure naturæ ad matrimonium sunt requisita, aut illi aduersantur, nequeunt contrahentium voluntate renunciari, sicut quia iure naturæ naturalis impotentia dirimit matrimonium, non potest fœmina cum viro, quem impotentem cognoscit, validè contrahere, & iuri suo renunciare. Denique probatur, quia seruitus non tollit simpliciter liberum matrimonij vsum, sed solùm impedit certis temporibus, quando scilicet Dominus licitè seruum occupat, ac proindè non aduersatur naturæ matrimonij, quod non obligat ad reddendum debitum pro semper, sed tantum quando legitimum impedimentum non obstet.

Oppo-

398 Oppositam verò sententiam, quod scilicet error conditionis per se matrimonium irritet, non tantùm iure Ecclesiastico, sed etiam naturali, & diuino, docent Palacios, Siluester, Petrus de Soto, Mairon, Almanus, Angles, & plures alii ex nostra schola, quarè Hiquæus *loc. cit.* ait hanc esse veram Doctoris sententiam *d. 30. quæst. 1.* dum ait hunc errorem esse contrà conditionem per se requisitam ad hunc contractum, idque clarius docere *d. 42. quæst. vn. §. Ex dictis breuiter*, vbi connumerat hoc impedimentum inter ea, quæ ex natura contractus irritant, & distinguit impedimenta, quæ iure naturali, aut diuino irritant ab aliis, quæ tantum iure Ecclesiastico; idem etiam sentit Poncius ex nostris *disp. 46. q. 10.* & approbare videtur Brancatus *disp. 21. art. 2.* Fundamentum autem huius asserti, vt notat Hiquæus ibidem, non sumitur ex eo, quod seruitus repugnet ex natura rei cōtractui matrimonij, nam quoque nos concedimus, & Scotus ipse docet *d. 36.* quod non repugnat alioquin coniugia seruorum scienter tacta essent inualida, quod est falsum ex *c. 1.* De coniugio seruorum; sed ex ratione, quam Doctor adducit, nempè ex defectu consensus per se requisiti ad contractum, quem talis error impedit; Quod autem talis error hūc consensum impediat, probatur, quia error circà personā iure naturali impedit contractum, & similiter error in qualitate, quando in personam redundat, seù quando transit in errorem personæ, vt constat ex dictis *art. præced.* sed error conditionis redundat in personam, ergo etiam eodem iure impedit, quo error personæ; minor probatur, quia contrahens non solùm intendit contractum, sed etiam æqualitatem ex vi præsenti consensus, ita quod sicut transfert liberam potestatem sui in alium, ità etiam acquirat liberum alterius potestatem; in contractu etiam oneroso alius consensus interpretari nequit, quo sibi præiudicaret; ergo non solum personam respicit, tanquam materiam, sed etiam quoad æqualitatem dati, & accepti seruando medium rei; atque ideò consensus eius præsens ex errore antecedente conditionis non solum, & præcisè respicit personam, sed etiam æqualitatem in commutatione, & sic personam respicit, vt ei affixa est hæc conditio, qua seruetur talis æqualitas; Quarè cùm in contractu liberi cum serua talis non adsit æqualitas, si talis conditio ignoratur à contrahente, eius consensus debet censeri inuoluntarius, & consequenter deest consensus liber ad validitatem matrimonij per se requisitus; Idque concedere debent Aduersarij dicentes hoc impedimentum fuisse ab Ecclesia inductum ad tollendam in æqualitatem, quæ adesset, si validum esset matrimonium, quando fit deterior conditio errantis, idest quando liber contrahit cum serua, quam credebat liberam esse. Quoniam igitur ius naturæ, ideò ius positiuum statuit, vt si quis aduertens coniugem, cum qua contraxit, esse seruam, reclamet, & sit audiendus, & matrimonium declarandum etiam in foro externo nullum, quale reuera est, vt declaratum est in dictis capitibus.

Confirmatur ex paritate consensus coacti, qui ex defectu libertatis annullat contractum non tantum iure positiuo, sed etiam naturali, & diuino, quia hic contractus ex natura sua talem libertatem requirit in consensu contrahentis; sed hic similiter est defectus libertatis in contrahente, sicut & scientiæ requisitæ ad libertatem ergo lex naturalis, & diuina, quæ matrimonia non libera annullat, habet eundem effectum, siuè tollatur libertas per coactionem siue per ignorantiam, cùm eadem causa subsit non minus enim ad libertatem consensus requiritur, vt absit coactio, quam vt adsit scientia requisita.

399 Ad Fundamentum in oppositum dicendum est, quod etiam error in qualitate matrimonium irritat iure naturali, & inualidum reddit, quando refunditur in personam, seù transit in errorem personæ; sic autem in proposito facit error conditionis, quando ignoratur à contrahente, quia contrahens non solum intendit contractum, sed etiam æqualitatem dati, & accepti ex vi præsentis consensus, qui tendit in personam, vt ei affixa est hæc conditio, qua seruetur talis æqualitas, quæ proindè conditio est per se requisita ad matrimonii validitatem, quia in eo non solùm personæ respicitur, tanquam materia substantialis contractus, sed etiam quoad æqualitatem dati, & accepti. Ad Confirmationem concesso antecedente negatur consequentia, ad cuius probationem patet ex dictis nullitatē huius contractus nō prouenire per se ex conditione seruitutis, sed ex defectu consensus liberi, qui per se ad matrimonium requiritur, vndè seruitus vt talis, vtique naturæ matrimonij non repugnat, vt supradictum est; sed vt ignorata à contrahente, quia sic est contra naturam consensus voluntarij, non enim consentitur in personam seruam, si ignoratur, sed in liberam, secus si ea cognoscatur. Ad vltimum concesso antecedente negatur consequentia, non enim matrimonium cum serua ex errore conditionis succedente est nullum quia seruitus tollat simpliciter, & absolutè liberum matrimonij vsum, sed quia ex tali ignorantia consensus liber, & per se requisitus deficit; licet enim serua habeat ius permutandi corpus cum libero, & hic posset ab ea exigere iura sufficientia matrimonij, vt ait Scot. *d. 36. q. 1.* ad 1. nihilominus non vult in vxore, cum qua fit vna caro, seruitutem, quæ est pœna quædam atrox, & nimis inæqualem sibi reddit vxorem in conditione, quæ inæqualitas, & pœna ignorata reddit consensum eius inuoluntarium, & ad validè contrahendum omninò ineptum; nam in contractibus in re permutata semper æqualitas dati, & accepti intenditur à contrahentibus vt per se requisita ad valorem contractus.

Dices, consensum contrahentis in tali casu non esse erroneum, circà substantiam matrimonij, quæ respicit personam, sed circa qualitatem, & sic esse inuoluntarium tantum secundum quid. Respondetur esse errorem in substantia, quia in tali casu error in qualitate redundat in personam, seu transit in errorem personæ, quia in personam non fit consensus, nisi seruata æqualitate, & vt libera censetur, & vt excluditur graue detrimentum repugnans fini ipsius matrimonij, & ideò in tali casu error est etiam in substantia contractus, & non tantum in circumstantiis. Vtraque ex dictis opinionibus probabilis est, si prima teneatur scilicet quod error conditionis seruilis matrimonium dirimat iure tantùm Ecclesiastico, tunc consequenter dicendum est matrimonium contractum inter infideles cum errore conditionis seruilis validum esse, nisi ex alio eorum iure irritum esset; si verò teneatur secunda, quod scilicet matrimonium cum tali errore contractum sit etiam irritum iure naturæ, tunc etiam consequenter dicendum est, matrimonium inter infideles contractum inualidum esse, cùm ipsi quoque tali iuri sint subditi.

400 Sed adhuc est Difficultas, an matrimonium contractum cum serua, quam coniux putabat liberam, fiat validum, si eo defectu cognito coniux habeat copulam cum ea affectu maritali. Affirmant communiter Doctores, dummodò [illegible] fit nouus consensus verbis, vel alio signo expressus, [illegible] decisum est *cap. 2. & vlt. de Coniug. Seruorum*, vbi definitur [illegible] validari matrimonium anteà nulliter contractum cum [illegible] per copulam cum tali serua habitam post cognitam [illegible] tis conditionem, quæ prius ignorata matrimonium [illegible] diebat, ac dirimebat, & ratio est, quia consensus [illegible] non solùm verbis exprimitur, sed etiam signis, [illegible] quæ est copula animo tamen coniugali habita, [illegible] intelligēdum est iuxtà explicationem superius [illegible] *art. 2. n. 381. & 382.* Hoc autem quamplures [illegible] habuisse antè tempore Concilij Trident. [illegible] solutè procedere, vbi non viget Concilii decretum [illegible] sentia Parochi, & testium; vbi autem viget [illegible] subsecutam post agnitam seruitutem, esto [illegible] habitam, non validare matrimonium. Ratio est [illegible] Concilium non est validum matrimonium per [illegible] secretum contractum, & multò minus matrimonium [illegible] sumptum, vt esset hoc, sed debet fieri cum consensu [illegible] valido coram Parocho, & testibus; Et licet [illegible] esse

401 [illegible] fuisset factus coram Parocho, & testibus, illa tamen [illegible] tas nihil influeret in matrimonium, quod extitit [illegible] trahi, vel realiter fieret per nouum consensum [illegible] actu, vel antè actum copulæ carnalis subsecutæ [illegible] ex nostris Brancatus *disp. 21. cit. art. 2.* adducens pro [illegible] bosam, & Poncius.

Sed quamuis verum sit post decretum Concilij [illegible] validum matrimonium per consensum secretum [illegible] ctum sine Parocho, & testibus, vt superius dictum [illegible] Matrimonio Clandestino; quando tamen contractus [illegible] cum serua fuisset ab initio factus coram Parocho, & [illegible] talis solemnitas non est amplius necessario adhibenda [illegible] ualidatione matrimonij prius inualidi iuxtà iam dicta [illegible] *art. 2. n. 384.* nisi in casu, quod impedimentum [illegible] nō esset ità prorsus occultum, vt supponitur, sed [illegible] bus notum, ità ut posset probari, aut sciri, in tali casu [illegible] requiritur denuò solemnitas à Concilio præscripta [illegible]

reualidatione matrimonij ob rationem ibi adductam, vt etiam notauit Auersa q. 12. art. 2.

402 Tandem Disputatur etiam, num validetur matrimonium nullum per liberationem serui, vt v. g. si quis ducat Annam, quàm putat liberam, sed est ancilla, & posteà contingat illam à Domino libertate donari adhuc inscio viro, ac deindè vir illam habeat quoque in vxorem, & affectu maritali cognoscat vt anteà solebat, disputatur, inquam, an per talem liberationem posteà à Domino habitam matrimonium anteà nullum perficiatur, & validetur. Et quamuis aliqui affirment, vel saltem probabile reputent, negant tamen communiter alij tam Theologi, quam Iuristæ, & ratio est, quia coniux ille, quamdiu inscius est nullitatis, per actus coniugales sequentes censetur approbare solùm, & ratificare præcedens matrimonium, quod bona fide validum putat; cùm ergò re vera illud sit inualidum, non adhuc illud reualidat, donec conscius nullitatis illud per nouum consensum ratificet, aut saltem intendat, & dicat quod etiamsi præcedens matrimonium cum Anna fuisset inualidum, vult de nouo contrahere iuxtà dicta superius quæst. 13. art. 2. de modo validandi matrimonium cum impedimento dirimente contractum sublato impedimento. Alia plura à Theologis, & Canonistis de hoc impedimento seruitutis disputari solent, quæ apud alios videnda relinquo, quia huiusmodi impedimentum hodiè inter Christianos rarissimè contingit, nisi fortè respectu eorum, qui per Iudicis sententiam damnati sunt ad triremes in perpetuum eorum vita durante, aut carceri perpetuò mancipati, talea enim cùm sint serui pœnæ, vt iura loquuntur, seruilis conditionis leges subire debent. Hæc autem omnia videri possunt apud Scotum clarè discussa d. 36. q. 1. vbi ex professo agit de Impedimento seruitutis.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Impedimento Violentiæ, & Raptus.

403 DE Violentia tractatum est suprà circà matrimonij libertatem q. 4. de libertate ad contractum coniugalem requisita, violentia enim, seù vis, quæ inter impedimenta dirimentia recensetur, coactionem significat, qua quis minis, & metu ad contrahendum inducitur, qualiter autem matrimonium metu contractum sit irritum, & nullum ex defectu libertatis ad talem contractum requisitæ iam ex instituto discussum est qu. cit. art. 3. Quarè hic solùm restat agendum de impedimento raptus, qui proximè ad violentiam accedit, neque hic est sermo de raptu, prout importat quandam luxuriæ speciem, sed solùm quatenus impedit, seù dirimit matrimonium, & quidem quatenus tantùm impedit egimus supra qu. 12. art. 2. nunc autem agendum est de raptu etiam dirimente. Hic autem importat violentam fœminæ extractionem puellæ, vel mulieris, qualiscunque illa sit, de domicilio, seu loco, in quo morabatur, siuè esset domus parentum, siuè alius quicunque, itaut violentia, qua abducitur sit physica aut moralis nempè minis, & metu graui, non autem solis precibus, aut blanditijs, seù donis, aut promissis, vel etiam dolo, & fallacijs. Et quidem iure antiquiori hoc impedimentumità matrimonium dirimebat, vt nullatenus inter raptorem, & raptam consistere posset, etiamsi rapta in pristinam libertatem remissa consentire, & contrahere vellet, ità habetur cap. Placuit 36. quæst. 2. Iure tamen Canonico nouiori correctum est, vel potius ablatum in cap. final. De Raptoribus, vbi sub Innocentio Tertio statutum fuit matrimonium inter raptorem, & raptam valere, si rapta consentiat liberè, absque clausula, quod rapta prius esset in locum alium liberum restituta. Iure tandem nouissimo Tridentini sess. 24. cap. 6. de matrimonio irritatur matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiù rapta manet in potestate raptoris, non verò si fuerit separata, & in loco tuto, & libero restituta, vnde Concilium limitate hoc impedimentum constituit, scilicet pro eo solùm tempore, quo rapta in potestate raptoris manserit; sed postquam in locum liberum fuerit restituta extrà potestatem raptoris, possit cum eodem raptore contrahere, si velit, absque vlla impedimenti dispensatione, vbi etiam aduertendum est hoc impedimentum tantùm habere locum, vbi Tridentinum receptum fuit, & viget; Circà tamen hoc Tridentini decretum aliquæ contingunt difficultates hic breuiter expediendæ.

Primò itaque Dubitatur, an raptus quo [illegible] dis[illegible] parentibus ipsa tamen consentiente, rapitur, [illegible] monium. Affirmant nonnulli dicentes, quod [illegible] priè dicitur, quando persona aliqua inuita, [illegible] bus eius parentibus, seù illis, sub quorum cura [illegible] tur per vim ad matrimonium contrahendum [illegible] nem explendam. Vndè quando nulla vis inferentur [illegible] cenda fœmina, sed ipsa spontè, aut etiam præ[illegible] cum amatore nescientibus parentibus, non est pro[illegible] ptus, sed potius est fuga voluntaria, nulli enim vis infertur [illegible] at secus dicendum est, quando parentes sciunt, & renuunt [illegible] Ità Bonacina q. 4. punc. 18. citans Henriquez, Gutierez, Tus[illegible] cum, Molinam, & alios.

Negant verò Sanchez, Tancred. Coninch. Hurtad. Ca[illegible] pensis, & alij, & meritò quidem, quia vt ait Hurtad. disp. 23. diffic. 3. Tridentinum in dicto decreto loquitur tantùm de Raptu, quo læditur libertas ad matrimonium requisita, quia huic læsioni tantùm occurrere intendit; dicto autem raptu, quamuis vero, non læditur libertas ad matrimonium, quia non fit inuita fœmina, cuius tantùm libertas & non parentum ad matrimonium conducit, ideoque in dicto decreto consulitur libertati, non parentum, sed ipsorum contrahentium tantùm.

Secundò Dubitatur, an raptus non factus causa contra[illegible] hendi matrimonium cum rapta, sed causa satiandæ libidin[illegible] tantum, dirimat matrimonium. Affirmant aliqui dicen[illegible] tes non solùm esse raptorem, qui abduxit fœminam contr[illegible] hendi causa, sed etiam qui abduxit causa tantùm explend[illegible] libidinis & consequenter subiacere pœnis contrà Raptore[illegible] à Tridentino constitutis. Fundamentum eorum, est, qu[illegible] Tridentinum generaliter loquitur, & absque illa limit[illegible] tione; cùm autem constet illum esse raptorem, qui abd[illegible] xit fœminam causa explendæ libidinis, aut causa contr[illegible] hendi matrimonium, sequitur etiam ipsum pœnis Tride[illegible] tini subiacere. Deindè quia raptus etiam non factus ca[illegible] contrahendi matrimonium lædit libertatem fœminæ a[illegible] ilud. Tandem quia Trident. ibi punit raptores, & fa[illegible] res, quamuis Clericos, & tamen Clerici non rapiun[illegible] ad contrahendum matrimonium, ergo &c. ità Bonacina [illegible] cit. Emanuel Sà, Ochagauias, & alij. Negant è contra S[illegible] chez, Gutierez, Reginaldus, Diana, Tancred. Coni[illegible] Hurtad. & alij asserentes matrimonium inter raptorem [illegible] raptam esse inualidum, si rapta sit ad contrahendum ma[illegible] monium, secus si rapta sit ad explendam tantùm libidin[illegible] & hæc opinio mihi probabilior videtur. 405

Fundamentum est, quia vt ait Hurtad. loc. cit. Tride[illegible] num in dicto decreto, & reliquis pœnis punire tantùm [illegible] intendit eum, qui libertatem lædit ad matrimonium requisitam, vt sic puniendo dictam læsionem impediat; qui au[illegible] tem fœminam rapit, non ad contrahendum matrimonium, sed tantùm ad libidinem explendam, non violauit libertatem ad matrimonium requisitam, neque ad illud coegit, ergò ad nullam pœnam pro dicto impedimento à Tridentino assignatam incurrit. Ex quo patet ad primam rationem in oppositum falsum esse assumptum, quod Tridentinum absolutè, & generaliter loquatur. Ad 2. patet per idem, quia Tridentinum ibi loquitur tantùm de raptu intentione contrahendi matrimonium facto, & deducitur ex eo, quod in dicto capite incipit agere de matrimonio contrahendo inter raptorem, & raptam. Ad vltimum respondetur ibi puniri tantùm Clericos, vt fautores, non vt raptores: addit Hurtadus Clericos posse etiam esse raptores intentione contrahendi matrimonium, quandò non sunt in Sacris. Hoc idem sentit Auersa q. 12. cit. sect. 3. vbi ait; quod solummodò quando quis rapit fœminam ad finem, & effectum contrahendi matrimonium, videtur reddi sic inhabilis ad contrahendum, & tam alii cooperantes, quam ipse, incurrere alias pœnas à Concilio impositas. Alioqui si quis fœminam rapiat ad effectum solùm fornicationis, committit quidem raptum speciem luxuriæ, non tamen de hoc raptu videtur Concilium loqui loc. cit.

Tertiò Dubitatur, an ille dicendus sit raptor, qui puellam, cum qua matrimonium contraxit nondùm consummatum, abducit inuitam per vim, quandò ipsa vult vti spatio duorum mensium sibi à iure concesso antè matrimonij consummationem. Affirmat Bonacina loc. cit. adducens Azorium, Molinam, & alios; Ratio est, quia abducit inuitam per vim ad explendam libidinem, & facit illi iniuriam, cùm sponsa habeat ius denegandi debitum intrà bimestre, vt interim 406 deli-

deliberare queat de statu eligendo. Hoc tamen mihi non placet, quia Tridentinum *loc. cit.* loquitur de raptu, quo libertas ad matrimonium læditur, in hoc autem casu non læditur, quia Sponsi quoad hoc iam functi sunt iure suo, & matrimonium cum tota eorum libertate iam contractum supponitur, & ratum. Imò hoc ipsum affirmat Henriquez cum alijs de raptu propriæ sponsæ post inita sponsalia, & antè matrimonium contractum, affirmat inquam, si rapiatur ipsa inuita, non ob id reddi inhabilem ad matrimonium contrahendum, immeritò tamē, vt Sanchez, & Hurtad. aduertunt, quia Tridentinum indiscriminatim loquitur de raptu, quo libertas ad matrimonium læditur in hoc autem casu verè læditur, vndè concilium non sufficienter prouidisset malo vitando, si sponsalia, quæ obligationem ad matrimonium inducunt, stante tali raptu sponsæ adhuc valida essent.

407 Quarto Dubitatur, an ad raptum necessaria sit extractio feminæ è propria domo, siuè parentum. Affirmat Sanchez *lib. 7. disp. 13.* plures alios adducens; & videtur communis opinio. Probabile tamen est, vt inquit Brancatus noster *disp. 24. art. 1.* quod raptus etiam sit, si ad effectum contrahendi persona non extrahatur è domo, siuè propria, siuè parentum, sed in ea ità obsideatur, vt non sit libera ad euadendum, & aliò se conferendum, quod etiam fundatè probat, quia finis Concil. Trident. & aliorum statuentium impedimentum raptus fuit, vt matrimonia fierēt cum omni libertate, absq; vlla violentia; sed etiamsi mulier non extrahatur, sed in aliqua domo ità obsideatur, vt indè exire nequeat, nec aliò se conferre, adhuc manifesta est violentia; ergo re vera inter raptus species talis obsessio est constituenda. Confirmatur, quia Concilium innalidat matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiù hæc est in potestate raptoris, & vult quod separetur ab eo, & in loco tuto reponatur, & non alia de causa, nisi quia stando sub potestate raptoris violentia patitur; sed quamdiù mulier manet in propria domo oppressa, & obsessa à raptore, est in potestate illius, nec est in loco tuto. Denique nisi ità dicatur, non esset sufficienter prouisum libertati mulierum, & matrimonium, & personæ potentes impunè possent cum obsidione mulierum absque abductione, & extractione è propria domo cum eis contrahere, ergo &c.

408 Quintò Dubitatur, an raptus, quo fœmina rapit virū, dirimat matrimonium, si è conuerso v. g. fœmina quædam potestate, & auctoritate pollens virum rapiat, nempè inuitum abstrahendo è propria domo ad finem cōtrahendi cum illo matrimonium. Negant Sanchez, Tancred. Rebell. Bonacina, Hurtad. Caspensis, Coninch. & alij, quia dictum decretum Tridentini est factum contrà raptorem tantùm, non contrà raptricem, cùm loquatur tãtum de raptore, & rapta, quibus nominibus solùm veniunt vir rapiens, & fœmina rapta, non autem fœmina rapiens, & vir raptus, & cùm tale decretum sit odiosum, & pœnale non est extendendum ad raptricem, præsertim cum sit maior ratio ad fauendum fœminis ne cogantur, quàm viris. Affirmat vero Henriquez, Rodriquez, Gutierez, Mercatius, Vaga, Auersa, & ex nostris Brancatus *loc. cit.* Fundamentum est, quia quoad hoc nō est maior ratio de raptu viri, quam mulieris, eadem enim ratio pro vtrisque militat, nempè ob libertatem matrimonij, quæ prorsus eodem modo requiritur in viro, & fœmina; ergo si alteruter abducatur absq; consensu, æque rapitur; & quamuis facilius, ac frequentius contingat, vt vir fœminam rapiat, tamen hoc non facit, vt ab hac lege sit exempta fœmina virū rapiens, alioquin fœmina potens rapere posset impunè adolescentē, eumq; cum violentia ad matrimoniū inducere. Conf. quia non minus libertati mulieris, quàm viri consulendum fuit, finis autem Ecclesiæ, & Cōciliorum in statuēdo impedimētū fuit matrimoniorū libertas; Et licet Cōcilia, & Canones, quasi sēper de mulieribus raptis loqui videantur, nō proindè viri excludi debent, sed ità loquūtur, quia regulariter loquēdo id in mulieribus accidere solet, nō in viris.

Hinc patet quid dicendum ad rationem in oppositum, quia vt ait Auersa *loc. cit.* in hac materia ob diuersitatem nominum generis masculini, & fœminini leges commoditatis gratia ex vna parte proferunt nomen masculinum, & ex alia fœmininum, vt in hoc casu raptorem, & raptam, non quia legem, & iussionem suam velint iuxtà sonum materiarum ipsorum nominum restringere, sed potius volentes ob identitatem rationis pariter commutatis nominibus intelligi, vt in hoc casu etiam inter raptricem, & raptam, quia vt dicebamus, eadem ratio prorsus militat pro mari, & fœmina ob libertatem matrimonij æquè ex vtraq; parte requisitam. Nec obstat, quod cùm decretum Concilij sit correctorium, & pœnale, non debet vltrà proprios terminos extendi, neque ad casus in eo non nominatos. Quia cùm ex alio capite matrimonij causa sit fauorabilis, pro eius libertate præsumendum est, & ipse Sanchez etiam fatetur ea *disp. 13. n. 17.* legem correctoriam pœnalem, vbi eadem omninò ratio militat, vt est in proposito, extendi debere, qualē cum per decretum Tridentini consulatur libertati contrahentium generatim loquendo, æquè militat, siuè vir rapiat, siuè femina.

409 Sextò tandem loquendo de pœnis Raptorum, & cooperantium ad ipsum, ommissis varijs pœnis, quæ habentur in iure ciuili, quas refert Iulius Clarus § Raptus tria pœnarum genera sunt cōstituta in Trident. *sess. 24. cap. 6. de reform. matrim.* Prima est, vt Raptor, & omnes consilium, auxilium, & fauorem præbentes sint ipso iure excommunicati, perpetuò infames, & omnium dignitatum incapaces; verum tamen est excommunicationem istam iure communi non esse reseruatam, cùm in Tridentino nulla fiat reseruationis mentio. Secunda est, vt raptor, siuè matrimonium contrahat cum rapta, siuè nō, teneatur ad decenter dotandam raptam Iudicis arbitrio; quoad alia vero damna tenetur iure naturæ, etiam antè Iudicis sententiam, vt ait Sanchez *loc. cit.* Tertia tandem est, vt sit inualidum matrimonium inter raptorem, & raptam celebratum, quamdiù rapta est in potestate raptoris, etiamsi liberè consentiat; Ex quo patet solùm raptorem incurrere impedimentū contrahendi cum rapta, & non alios ad raptum cooperantes, sed ij alia pœnas incurrunt; & hoc ex ipsis Concilij verbis expressè deducitur, inquit enim inter raptorem, & raptam non posse matrimonium consistere, ac deinde subdit non solum raptorem, sed etiam alios præbentes consilium, auxilium, & fauorem excommunicationi obnoxios esse, alijsque pœnis. Vndè si quis mādet alteri, vt pro ipso fœminam rapiat, raptor censebitur mandans, non exequens, sed hic se habebit, tanquam auxilium præbens, ac proindè is, qui mandat, non qui exequitur, impedimentum incurrit, & inhabilis redditur ad contrahēdum cum tali fœmina rapta, quādiù in eius potestate māserit.

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

De Impedimento Impotentiæ.

410 CVm finis primarius matrimonij sit prolis generatio, & hæc non nisi per carnalem copulam naturali modo obtineri possit, planè vir, & fœmina qui matrimonio sunt iungendi, ad huiusmodi copulam habiles esse debent, & quare impotentia, & inhabilitas ad exercendam talem copulam ad humanam generationem necessariam maximè matrimonium impedit, & hoc est impedimentum dirimens, de quo in præsenti quæstione agendum, est, siuè proueniat ex parte viri, siuè ex parte mulieris, dummodò fuerit eo tempore; quo matrimonium contractum est, non si postea subsecutum sit; Sed quia varij sunt huius impotentiæ gradus, prius absolutè videndum est, & in generali, an dicta ter impotentia simpliciter impediat, ac dirimat matrimonium, deindè singillatim, & in particulari, quænam impotentia dirimat iuxtà ordinem, quem serua Doctor noster 4. *d. 34. q. vn.* vbi agit de hoc impedimento.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Impotentia simpliciter ad copulam sit impedimentum dirimens matrimonium.

411 PEr Impotentiam in præsenti, vt dixi, intelligitur inhabilitas consummandi matrimonium, siuè a parte [illegible] teneat, siuè ex parte fœminæ, quæ inhabilitas non est [illegible] præcisè, quod alteruter coniugum, aut vterque sint steriles [illegible] quia impotentia ad generandum, seù ad prolificandum [illegible] dummodò adsit potentia ad copulam carnalem, & seminis [illegible] tionem, non est impedimentum dirimens, vt omnes pa[illegible] concedunt cum Scoto 4. *d. 81. q. vn. ad. 3. prin.* vbi ait [illegible] contrahens non tenetur absolutè ad prolem sed conditionaliter [illegible] te, si eueniat ad gratanter suscipiendum, & religiosè educandum, & nō ad procurandum studiosè oppositum scilicet [illegible]

eueniat; & vbi est certa impossibilitas ad bonum prolis, tunc matrimonium est ibi in remedium, non in officium, quia vt suprà dixerat *disp. 26. sub Q & R.* institutio diuina respectu contractus matrimonij licet fuerit ad procreandam prolē, tanquam propter finem principalem, & primarium, tamen præter hoc fuit institutum etiam in remedium scilicet vitandæ incontinentiæ post lapsum, tanquam propter finem secundarium, & minus principalem; quarè in casu sterilitatis matrimonium est in remedium concupiscentiæ, & quia homo post Adæ lapsum vritur à concupiscentia, Deus autem huic morbo pijssimè subuenit, vt etiamsi proles non possit haberi matrimonia fiant, & ideò dixit Apostolus 1. Corint. 7. propter vitandam fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat, & mulier suum virum, & posteà nulla prolis mentione facta subdit *melius est nubere, quam vri*, quarè Doctores omnes docent validum esse matrimonium inter steriles contractum, quia inter istos adhuc intercedit vera copula apta ex sua natura ad generationem, & videre est apud Bonacina q. 3. *punc.* 13. *num.* 17. vbi alios citat.

412 Hoc itaque supposito cōtrouersia est, an impotentia simpliciter ad coeundum sit impedimentum dirimens: & quæstio est de impotentia existente, vel adueniente, antequam matrimonium cōtrahatur, nam si superueniat matrimonio iam contracto, conueniunt omnes non dirimere, ob indissolubilitatem matrimonij semel validè contracti, siuè sit consummatum, siuè tantùmmodò ratum; Et quidem D. Thomas 4. *dist.* 33. q. 1. *art.* 2. *ad* 4. expressè docet validum esse matrimonium inter impotentes, vel potentem, & impotentem contractum ad seruandam scilicet continentiam, & ad castè viuendum tantum; quam opinionem fusissimè, & mordicus defendit Basilius Ponce *lib. 7. cap. 56.* & tribus alijs sequentibus, vbi contendit posse validè contrahi matrimonium inter impotentes ad finem castè viuendi, & non ad finem habendi copulam, & hoc pacto valere, sed si contrahatur ad finem habendi copulam non valere, quam etiam sententiam, vt de mente Doctoris Angelici nouissimè tenuit Petrus Labat. *disp.* 6. & vl. cum quibusdam alijs Thomistis in explicatione huius impedimenti impotentiæ.

413 Fundamentum est, quia ad matrimonium non videtur necessaria mutua corporum traditio ad coitum, sed tantùm mutua animorum coniunctio in naturalem vitæ societatē cum diuersitate sexus, quia matrimonium sua natura non tantùm ordinatur ad prolis generationem, sed etiam ad eā societatem; ergo quamuis impotentia ad coitum inhabilitet ad matrimonium contrahendum in ordine ad prolis generationem, non tamen ad dictam societatem. Confirm. quia potest consistere matrimonium cum traditione dominij corporum absque vsu, ac etiam cum antecedenti Virginitatis voto, vt de facto in B. Virgine absque vllo consensu in copulam, & cum quadam impotentia morali ad illam habendam, ergo similiter cum impotentia physica consistere potest, & etiam inter impotentes poterit traditio dominium corporum, quamuis vsus copulæ sit impossibilis. Denique quia si superueniat impotentia post matrimonium contractum, permanente tamen diuersitate sexus, vinculum non dissoluitur, vt omnes fatentur; ergò nec si impotentia præcedebat, redditur irritum matrimonium; His itaque rationibus fidentes prædicti Auctores dicunt cum D. Thoma *loc. cit.* quod impotentia vnius coniugis, si sit alteri nota, matrimonium non dirimit, sed solùm quando est ignorata, vt dicitur de seruitute, imò addunt alij impotentiam etiam ignoratam matrimonium dirimere solo iure Ecclesiastico, non autem naturali, ad instar seruitutis ignoratæ.

Communis tamen opinio tam Iuristarum, quàm Theologorum absolutè docet impotentiam simpliciter impedire matrimonium, ac dirimere, non solùm ignoratam, sed etiā alteri parti cognitam, nec solùm in ordine ad coniugales actus exercendos, sed etiam ad castè viuendum, & non solùm iure Ecclesiastico, sed etiam naturali; & hoc præter alios inter alios expressè docuerunt D. Bonauent. 4. *d.* 34. *art.* 2. q. 1. & Scotus noster ibidem, vbi ait ab initio quæstionis, quod in generali omnis impotentia simpliciter, & perpetua, scilicet non potest subueniri per naturam, vel artem, simpliciter impedit contrahendum, & dirimit contractū; Hoc etiam tenent Recentiores passim Sanchez, Hurtad. Tanner, Vasquez, Auersa, Caspēsis, qui alios citant, & ex nostris [illegible] 4. *d.* 34. & Brancatus *disp.* 23. *art.* 10. Et quidem in iure Ecclesiastico statutum, siuè expressum inuenitur hoc impedimentum dirimens per plures Canones sub titulo de Frigid. & Maleficiat. præsertim verò in cap. *Consultationi, & Laudabilem*, dùm in eis absque vlla limitatione, & discrimine impotentiæ ignoratæ, vel cognitæ, & absque discrimine intentionis ad actus coniugales, vel ad castè viuendum, absolutè dicitur, quando est impotentia ad coitum, fœminam nō posse haberi, vt vxorē, sed tantùm vt sororem, quos Canones per extensū more suo refert Brancatus noster *disp. 23. cit. art.* 2. Idem etiam definitum legitur in motu proprio Sixti V. in Constit. 59. incipiente *Cum frequenter* vbi ait *Secundum Canonicas sanctiones, & naturæ rationem qui frigidæ naturæ sunt, & impotentes, ijdem minimè apti ad matrimonia contrahenda reputantur*, quibus verbis nō solùm irrita esse, & inhibenda huiusmodi matrimonia impotentium declarauit absque vlla distinctione matrimonij ad hunc, vel illum vsum, sed etiam indicauit ità esse non tantùm ex iure Ecclesiastico, sed etiam naturali.

Hinc autem rationem naturalem adducit *dist. cit.* ab initio, quia contractus est datio potestatis corporum ad copulam, si petatur, sed impotens simpliciter non habet potestatem ad talem actum; ergo non potest eam dare, & sic neque contrahere; & hæc est ratio à priori, quàm adducunt Recentiores passim, nempè quia essentialis ratio huius contractus consistit in eo, quod traditur mutua potestas, ius, & dominium inter virum, & fœminam ad habendam copulam carnalem; sed vbi adest impotentia physica ad habendam huiusmodi copulam, talis potestas, & ius planè tradi non potest; ergò ex natura rei non potest cum ea absoluta impotentia cōtractus coniugalis consistere, nec validè matrimonium contrahi. Confirmat id Doctor ibidem, quia impotens in contractu isto obligat se ad actum illum, si petatur, sed huiusmodi actus est sibi impossibilis etiamsi petatur; ergo obligat se ad impossibile, obligatio autem ad impossibile est nulla ex lege diuina, ergo nulla est. Tandem arguit, quia alter coniux non impotens intendit commutare potestatem sui corporis pro potestate corporis alterius, & credit alium è conuersò posse commutare, sed non potest, ergo hic contrahit cum errore pertinente ad aliquid, quod est per se requisitum ad contractum, talis autem error facit contractum nullū, vt patet ex *quæst. præced.* Hoc idem probari vlterius potest ex eodem Scoto 4. *d.* 31. vbi ait matrimonium ex sui institutione ob duplicem finem contrahi posse, vnum primarium scilicet ad prolificandum, alterum secundarium scilicet in remedium concupiscentiæ, cùm igitur impotens nullum ex finibus his habere possit in contrahendo, consequens est, vt impotens simpliciter sint huius contractus incapaces; Et quidem hæ rationes planè conuincunt, non solùm si impotentia vnius coniugis, erat alter ignota, sed etiam si erat cognita, ac etiam nec posse validè contrahi matrimonium ad castè viuendum cum tali impotētia, quia licet nō sit de essentia matrimonij, vt coniuges habeant voluntatem exercendi copulam, imò possint è contrà animū habere ab ea abstinendi, & nunquam coniugali sua potestate vtendi, imò quoque id sibi promittere possint, & voto se inuicem obligare; omninò tamē de ratione matrimonij est, vt dicebamus cum Scoto, quod coniuges per hunc contractum acquirant inter se potestatem, ius, & dominium ad habendam copulam, si alter eorum petierit, quod quidem cum totali impotentia physica stare non potest. 414

Deindè probatur hoc idem ratione à posteriori ex absurdis deducta, quam latè prosequitur Auersa q. 13. *sec.* 1. & latius adhuc Brancatus *art. 10. cit.* nam si cum hac physica impotentia posset validè contrahi matrimonium ad naturalē vitæ, & officiorum in diuerso sexu societatem, & ad castè viuendum, nō præstita inter coniuges corporum potestate; Primò sequeretur matrimonium ex se nō esse perpetuum, quia est tantùm tale ob bonum prolis. Secundò posset etiam contrahi inter potentes, qui si posteà haberent inter se copulam, peccarent peccato fornicationis, siquidem non sibi tradiderunt mutuum corporum dominium, absurdum autem est, imò omninò repugnans, quod coniugium sit verum, & copula fornicaria. Tertiò sequeretur posse matrimonium contrahi inter patrem, & filiam, fratrem, & sorores cum exclusione obligationis ad copulam, quia sunt personæ aptæ ad dictam societatem. Tandem sequeretur, si tali matrimonium esset validum, quod si coniux potens commisceretur cū alio, non committeret adulterium, sed simplicem fornicationem, quia non faceret cōtrà iustitiam alterius coniugis, cùm illi suum corpus ad affectum copulæ non obligauerit; ideoq; in nullo læsus esset. Quarè ex his rationibus deduci debet 415

hæc

hæc matrimonia ad castè viuendum solùm contracta, & naturalem vitæ, & officiorum societatem in diuerso sexu, absque vllo corporum dominio, & obligatione ad copulam, esse Chimerica, & absque vllo fundamento inuenta; siquidem vt ait Brancatus *loc. cit.* matrimonia non sunt ab hominibus instituta, sed à Deo, & natura, Deus autem in officium naturæ ad prolificandum, & in concupiscentiæ remedium ea instituit; ergò si ad aliud ordinentur, non erunt ex ijs, quæ Deus instituit, nec vinculum eorum habebunt, sed erunt aliæ societates, colligationesque, & contractus innominati; Neque Ecclesia hoc matrimonij genus vnquam cognouit, imò semper declarauit matrimonia impotentium inualida, quod non fecisset, si in aliquo casu valida forent, hunc enim casum sacri Canones expressissent, quod nempè si sponsi contraxerint ad castè viuendum, estò sint impotentes, separari non possint, & exceptionem expressissent, & tamen numquam expresserunt, signum ergò euidens est tales contractus ab Ecclesia non haberi, vt matrimoniales.

417 Sed instat Ponce *loc. cit.* & probat ex summis Pontificibus, & sacris Canonibus, nec etiam Ecclesiastico irritum esse matrimonium impotentium, atque adeò inter fideles posse adhuc validè contrahi eo modo, nam Lucius Tertius Papa *cap. Consultationi de frigid. & Malefic.* in huiusmodi casibus, in quibus viri duxerint fœminas, quas nouerint impotentes ad copulam, respondet *Vt quas tanquam vxores habere non possunt, habeant vt sorores*, vbi Pontifex supponere videtur valere quidem tale matrimonium, vt tales coniuges simul maneant ad castè viuendum, tanquam frater, & soror, quamuis rei vxoris, & actibus carnalibus vacare non valeant, nec debeant. Similiter loquitur Gregorius Papa *cap. Requisisti, si non potest ea vti pro vxore, habeat vt sororem, quod si retinaculum coniugale voluerint rescindere, maneant vterque innupti*, quibus verbis supponit Pontifex inter eos inueniri retinaculum coniugale, hoc est, validum matrimonij vinculum; Sic etiam loquitur Celestinus Papa Tertius in *cap. laudabilem* proposito sibi casu de impotente, à quo vxor cognosci non potuit carnaliter per triennium *Si ambo simul esse, vir tam etsi non vt vxorem, saltem vt sororem habeat.* Denique Sixtus Quintus in Const. *cit.* declarauit nulla, & irrita Eunuchorum matrimonia, qui non ad castè viuendum, sed ad carnales actus exercendos contraxerant, vbi supponit etiam ipse inter impotentes matrimonium celebrari posse in ordine ad castè viuendum, & vt frater, & soror. Imò Scotus ipse hoc approbare videtur *disp. 34. in fine*, dùm soluens argumentum de sene impotente ait, si senex esset omninò impotens dicerem, quod non contraheret matrimonium, licet aliqua posset consentire in eum, sicut frater, & soror, & ità fortè multæ magis disponsant diuitias, quàm personas; quibus verbis innuit posse dari matrimonium tantùm ad castè viuendum.

418 Respondeo Canones istos optimè, & singillatim ponderari, & explicari à Brancato nostro *art. 10. cit.* sed breuiter dicendum est, illos solùm voluisse, posse quidem tales coniugatos cohabitare simul, si velint, nec esse cogendos abinuicem separari dummodò tamen castè viuant ad instar fratris, & sororis; & consilium illud de simul cohabitando, vt frater, & soror, non firmat cohabitationem illam esse verè coniugalem, cùm dicant posse separari, si velint; Et planè de hoc chimerico matrimonio ad solùm castè viuendum contracto Pontifices ibi non loquuntur, sed de matrimonio, quod tales contraxerant modo consueto ad vacandum actibus coniugalibus, & concedunt illis triennium ad experiendum, si coire possint, & copulari, & rursùs, vt si velit is, qui potens est, contrahere valeat cum alia persona potente; inquit enim præsertim Gregorius, si mulier, quæ potens est, velit, *secundùm nuptias contrahere posse, vir autem, qui frigidæ est naturæ, maneat sine coniuge*. Quod verò dicat *si retinaculum coniugale voluerint rescindere*, non per hoc indicare voluit, quod verè sint vinculati, & ligati ab initio, quia tunc non possent amplius solui, & separari, sed tantùm intellexit mutuam cohabitationem, siuè apparens, & putatiuum coniugium. Sic pariter, & in eodem sensu locutus est Sixtus Quintus in Const. *cit.* vbi non de nouo Eunuchos reddidit inhabiles ad quomodolibet contrahendum, sed declarauit esse omninò inhabiles. Et sic tandem locutus est Scotus *loc. cit.* loquitur enim de cohabitatione, vt frater, & soror, non autem de cohabitatione verè coniugali, & de consensu ad cohabitandum simul, non ad matrimonialiter contrahendum, aliàs ipsi sibimet contradiceret, cùm immediate antea dixisset, *si senex esset omninò impotens, dicerem, quod non contraheret matrimonium.*

419 Ad rationem in oppositum adductam negatur assumptum; nam de essentia matrimonij prout à Deo, & natura institutum est traditio mutuæ potestatis in corpora coniugum ad habendam copulam carnalem, quæ planè physicam potentiam importat, ideoque cùm physica impotentia matrimonium consistere nequit; & quamuis matrimonium ordinetur quoque ad naturalem vitæ, & officiorum in diuerso sexu societatem, quia tamen etiam, & primario ordinatur ad prolis generationem, ideò ab impotentibus ad coitum, vt potè ad eam ineptis, validè contrahi nequit. Ad Confirmationem concesso assumpto quoad vtramque partem, neganda adhuc est consequentia, quia tradi potest quidem dominium absque vsu, sed non absque potestate, & potentia vtendi, vt dictum est suprà *q. 5. art. 1. n. 162.* potest item contrahi matrimonium cum obligatione morali ex voto abstinendi à copula, vt etiam dictum est *q. 3. art. 3. n. 111.* & ratio est, quia hæc obligatio spectat ad virtutem Religionis, & hæc matrimonio non repugnat; at nequaquam contrahi potest cum impotentia physica coeundi, & copulam habendi, quia talis impotentia per se impedit ius, & dominium mutuum in corpora, quod coniuges in matrimonio præstare debent, & est de essentia contractus coniugalis, vbi autem essentia contractus non potest esse, non possunt illam contrahentes efficere, & cedere iuri suo, & ad illud de B. Virgine iam suo loco diximus adfuisse in ea obligationem ad copulam sub conditio, si peteretur, & Deus dispensasset, etenim sine hac obligatione matrimonium consistere nequit. Ad vltimum negatur consequentia, & paritas, & ratio disparitatis est, quia per superuenientem impotentiam iam matrimonium non dissoluitur, eo quod existente potentia inter corpora coniugum traditum erat ius, & dominium mutuum, sed præcedente impotentia tale ius, & dominium tradi non potest.

420 Dices, copula non est de essentia matrimonij, & Senes possunt validè contrahere, & Ecclesia id permittit, vt patet ex praxi, & tamen sunt impotentes ad copulam, quod etiam confirmari potest ex facto Dauidis, qui in senectute habuit Sunamitidem, cum tamen tunc esset impotens; ergo impotentia simpliciter ad copulam non est impedimentum dirimens. Resp. negando consequentiam, estò enim actualis copula non sit de essentia; tamen obligatio ad eam est de essentia, sicut licet actualis discursus non sit de hominis essentia, est tamen potentia ad discurrendum, cum enim traditio contractus coniugalis consistat in mutua corporum traditione in ordine ad copulam, si petatur, debet necessariò in contrahentibus reperiri potestas ad eam, alioquin consensus inualidus esset, quia nihil transferretur; Ad illud de senibus inquit Doctor *d. 34. ad 2.* senes impotentes non possunt validè contrahere, neque Ecclesia id eis permittit sed tantùm senibus coire potentibus; & talis erat Dauid, quando Sunamitidem duxit, quamuis enim scriptura dicat, quod non cognouit eam, non tamen dicit, quod cognoscere non potuerit; Quandò igitur senes possunt copulam perficere seminando, non habent impedimentum impotentiæ, quia dare possunt sui corporis potestatem coniugi ad aliquem ex duobus matrimonij finibus, & possunt carnalem copulam consumare ad finem procreandi prolem, vel ad remedium concupiscentiæ, vel ad vtrumque, & quando etiam prolificare non possent ob seminis in fœcunditatem, & debilitatem, hoc non obstat, nec eos facit impotentes ad contrahendum, aliòquin sequeretur matrimonia sterilium esse inualida, quod est falsum, quia nullus est Canon, qui inter impedimenta impotentiæ numeret sterilitatem, sed solùm impotentiam coeundi, & alioquin antequam quis contraheret, prius fœcunditatem seminis probare deberet, quod omninò falsum est, & contrà praxim Ecclesiæ; Senes verò qui coire nequeunt, nec copulam perficere, impedimentum impotentiæ censentur habere, quia dare non possunt potestatem corporis alteri ad copulam carnalem perficiendam, nec vlli ex duobus matrimonij finibus iam relatis satisfacere, & ideò reuera impedimentum habent impotentiæ ex omni parte; Alia Basilij Ponce argumenta ex ratione, & Patrum auctoritate deducta vide soluta apud Hiqueum *disp. 34.* in *Commentario num. 34. & seq.* vbi fusè hanc quæstionem pertractat.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quæ, & qualis Impotentia matrimonium dir[illegible]at.

421 SCotus *dist.* 34. *cit.* dicit, quod Impotentia, quæ est defectus potentiæ ad coeundum idest ad habendam copulam carnalem perfectam, potest esse duplex, vel perpetua, cui scilicet subueniri non potest per naturam, vel artem, vel temporalis, seù ad tempus, quæ naturalibus remedijs tolli potest: Item potest esse vel absoluta idest in ordine ad omnem personam, vel respectiua idest non in ordine ad omnem personam, sed tantùm respectiuè in ordine ad aliquam determinatam personam: Vtriusque autem impotentiæ duplex causa esse potest, vna naturalis, alia præternaturalis, vel casualis, vt ait Doctor: Naturalis potest esse vel ab intrinseco nimirum ex naturali corporis dispositione, & complexione, & prouenire potest vel ex nimia frigiditate, quæ reddit copulam impossibilem, vel ex nimia arctatione in muliere, quæ à viro effringi nequeat, vel ex nimio calore, quo vir accensus statim ad primum conatum congrediendi cum fœmina præpoperè extrà vas semen effundit; vel potest esse ab extrinseco, vt ex mutilatione virilium, aut testium in viris. Præternaturalis verò, seù causalis accidit per maleficium Dæmonis, qui solet ligare maximè in viris potentiam ad carnalem congressum, vt ipsa experientia docet. His præsuppositis.

422 Primò satis patet ex dictis *art. præced.* omnem impotentiam coeundi simpliciter, & perpetuam, cui non potest adhiberi remedium nec per naturam, nec per artem, si præcedat contractum matrimonij, simpliciter impedire matrimoniũ contrahendum, & dirimere contractum respectu cuiuscunque est tale impedimentum, quod ideò dicitur, quia posset esse aliquis perpetuò maleficiatus respectu vnius, & non respectu alterius, & similiter aliqua posset esse arcta, non simpliciter respectu cuiuscunque viri, sed respectu vnius, & non respectu alterius; si verò talis impotentia eueniat post matrimonium consummatum, aut etiam si sequatur matrimonium ratum, licet præcedat consummationem, non dirimit matrimonium, quia cum matrimonio rato fuit potestas irreuocabiliter tradita, licet posteà eueniat impedimentum actus; ità de omni matrimonio decisum est *cap.* [illegible] *qu.* 32. *quæst.* 7. tam consummato, quam rato, siquidem etiam matrimonium ratum ex institutione sua indissolubile est, solùmque ex concessione Christi factum est, vt per auctoritatem Ecclesiæ solui possit, sicut de facto soluitur per solemnem professionem, sed statutum non est, vt per superuenientem impotentiam dissoluatur; ità Scotus *loc. cit.* Sanchez, Henriquez, Fillincius, Auersa, Stephanus à S. Greg. Brancatus noster, & communiter omnes; Si verò dubitetur, an impotentia præcesserit, vel superuenerit ad coniugalem contractum, licet aliqui dixerint non debere dirimi matrimonium, sed potius præsumi, ac sustineri debere validum; communior tamen sententia est in tali dubio debere potius præsumi impedimentum præcessisse, atque matrimonium non valere, sed dirimi debere, ità Auersa q. 13. *sect.* 4. & Bonacina q. 13. *punct.* 13. qui alios adducunt.

423 Secundò certum etiam est ex Scoto *loc. cit.* [illegible] *d.* 42. impotentiam temporaneam, seù ad tempus non dirimere matrimonium, etiamsi erat ignota alteri contrahenti, vt patet ex cap. *Fraternitatis*, etenim in iure conceditur potius certum tempus experientiæ ad videndum, si impotentia sit perpetua, vel temporalis, vt constet de nullitate, aut valore matrimonij, & iubetur etiam restaurari matrimonium dissolutum, si posteà comperiatur impotentia fuisse temporalis, & non perpetua; & similiter ratio dictat, quod si quis ad tempus sit impotens, sed possit fieri potens, verè sit capax matrimonij, quia licet cum impotentia perpetua non possit haberi finis matrimonij, potest tamen haberi cum impotentia ad tempus, & lex matrimonij obligat ad instar præceptorum affirmatiuorum, quæ obligant semper, sed non pro semper, sic etiam matrimonium non obligat pro semper ad reddendum debitum, sed dum potens est, & benè potest quis obligari pro debito, quod de præsenti non est soluendum, sed pro tempore, quo soluendum erit, vt notat Sanchez *lib.* 7. *num.* 92. Excipi tamen debet impotentia temporalis ex defectu ætatis, quæ iure Ecclesiastico interim dirimit, ità enim statutum est per plura capita sub titulo de Desponsat. impuberum, vbi cautum est ne pueri antè pubertatem matrimonium contrahere valeant, & præfigitur ætas pubertatis in maribus quidem quatuordecim annorum, in fœminis duodecim; ità communiter omnes, sed præsertim Scotus *dist.* 36. *quæst.* 2. vbi etiam in fine ait, aliquando malitia supplente ætatem valida esse posse matrimonia, & ità omnes Doctores intelligunt, & fatentur, & eodem iure statutum est Cap. *De illis cap. Puberes & cap. vlt. de Desponsf.* impuberum vbi nomine malitiæ præcipuè accipitur potentia generandi, idest habendi copulam perfectam cum emissione seminis, de quo plura exempla refert Tiraquel. *lib.* 6. *Connub. num.* 37. dignoscitur autem hæc potentia ad copulam ante solitam ætatem, non solum ex copula ipsa realiter secuta, sed ex alijs quoque signis; vt pote habitu, & qualitate corporis, dispositione membrorum, attenta etiam propinquitate ad annos pubertatis, de quo plura videri possunt apud Brancatum nostrum *disp.* 23. *art.* 7. vbi ex professo de hac re disserit, an impotentia ratione ætatis puerilis sit impedimentum dirimens.

Tertiò, impotentia etiam respectiua perpetua ex quauis 424
proueniat causa, siuè ex parte vnius tantum interueniat, siuè ex parte vtriusque dirimit matrimonium, ità Doctores communiter, & præsertim Sanchez, Tancred. Meratus, Ponce, Hurtadus, Caspensis, & alij, quod probant ex cap. *Fraternitatis*, de frigidis, & ex *cap.* 33. *quæst.* 1. ac etiam ratione, quia vt arguit Hurtad. *disp.* 22. *diffic.* 6. contingere potest, vt vir sit ità debilis, & mulier ità arcta, aut membrum viri sit ità grossum, & os vasis fœminei adeò angustum, quod fœmina nulla humana industrijs absque vitæ periculo possit proportionari, vt ab eo cognoscatur; & quod sit proportionata alteri, aut possit proportionari absque dicto periculo, vt possit ab eo cognosci; ergo negari non potest possibilem esse impotentiam aliquem naturalem respectiuam, quæ sit perpetua, ac proindè dirimens matrimonium; & hoc etiam tenet tanquam de mente Doctoris, Brancatus noster *disp. cit. art.* 4. *num.* 102. Neque oppositum deducitur ex Can. 33. q. 1. vbi dicitur *Nam si huic non poterit concordare naturaliter, quomodo alteri conueniet?* Non inquam, ex eo Canone oppositum deducitur, vt aliqui contendunt, quia vt patet ex genui textum, ibi tantum est sermo de impedimento proueniente à naturali frigiditate, quod non est respectiuum, sed absolutum, & de eodem est sermo in Cap. *laudabile* [illegible] de Frigidis, vt patet ex initio ipsius.

Quartò Dicendum etiam est, impotentiam ortam ex 425
maleficio, & arte Dæmonis inductam dirimere pariter matrimonium, si perpetua sit, & absoluta in ordine ad omnes, vel respectiua in ordine ad eos, ad quos priuatim est impotentia. Ità etiam docent communiter Doctores, & deducitur ex Scoto loco citato, ratio est, quia si impotentia est perpetua absoluta, vel respectiua, parum refert, quod proueniat à causa maleficij, vel ab alia causa naturali intrinseca, vel extrinseca, vt constat ex toto titulo De Frigid. & Maleficiat. Quomodo autem dignosci possit impotentiam esse perpetuam vel temporalem, hæc regula communiter assignari solet, quod quantum ad impotentiam naturalem id dignoscendum est ex iudicio Medicorum & peritorum; quantum verò ad illam, quæ oritur ex maleficio, in cap. *finali* De Frigid. & Maleficiat. datur tempus triennij ad id experiendum, & si eo temporis spatio impotentia non tollitur, supponitur esse perpetua, & matrimonium dissoluitur, possuntque vir, & mulier cum alijs contrahere, quia qui est ex tali impedimento inhabilis cum vna, potest non esse cum alia, & si cum alia sit habilis, non propterea ad priorem coniugem redire tenetur, quia censendum est, quod respectu ipsius erat perpetuò impotens. Ex quo sequitur male negasse aliquos impotentiam ex maleficio prouenientem dirimere matrimonium, quod inquiunt deduci ex cap. *ex litteris* 3. De frigidis, dùm dicitur *si vitium illud mulier à natura contraxit, viro aliam accipiendi liberam tribuas potestatem*, vbi supponi videtur, quod quando impotentia non prouenit à natura, nõ dirimit matrimonium. Male inquam id negatur, quia quæcunque impotentia, quando perpetua est, dirimit matrimoniũ, vt constat ex toto titulo de Frigidis, ex maleficio autem potest prouenire impotentia perpetua, quia ex maleficio tanta frigiditas effici potest, quanta est naturalis, ex qua prouenit impotentia naturalis absoluta, & perpetua, & D. Bonau. *dist.* 34. *part.* 2. *quæst.* 2. *num.* 26. inquit, quod non omne maleficium potest destrui à maleficis

nam

tam ex eorum confessione sciunt quædam facere quæ non possunt destruere; Et quamuis Exorcismus valeat ad pellendos Dæmones, tamen ex iusto Dei iudicio non semper habet effectum vt patet de ipsis Apostolis, qui non potuerunt Dæmonium eijcere Matth. 17. Neque ex cap. cit. oppositum deducitur, quamuis enim ibi dicatur, impotentiam perpetuam quando prouenit à natura matrimonium dirimere; non propterea negat dirimere, si ex alio capite proueniat, nempè ex maleficio, cùm id expressè habeatur cap. final. 33. quæst. 1. de quo videri potest Brancatus noster disp. cit. art. 3. & Hurtad. disp. 12. diffic. 6. qui alios citat.

426 Quintò, carentia vtriusque testis est impotentia naturalis matrimonium dirimens, non verò carentia vnius tantùm, quarè perfectè Eunuchi sunt inhabiles ad matrimonium, & ità eos declarauit Sixtus Quintus Const. an. 1581. & ratio ex ipsa rei natura deducitur, quia Eunuchi esto cum fœmina coire valeant, & aliquem humorem fundant, tamen semen propriè dictum emittere non valent, sed solùm humorem quendam aqueum à verò semine substantialiter diuersum, ac etiam à semine sterili sexum, aut aliorum, qui non generant; quarè ad perficiendam copulam sunt prorsus inepti, quæ non nisi per veri seminis immissionem perficitur, & ideò ex natura rei sunt prorsus ad matrimonium inhabiles. Nec refert, quod licet non possint consequi finem matrimonij primarium, scilicet generationem prolis, possint tamen consequi secundarium, scilicet satisfacere concupiscentiæ mulieris, & propriæ, qua ratione matrimonium est validum in senibus, & sterilibus. Non refert, inquam, nam non est matrimonium ordinatum in remedium concupiscentiæ, nisi quatenus coniunctio, qua sit satis concupiscentiæ, ex natura rei ordinatur ad finem principaliorem generationis, qualis non est Eunuchorum; non enim potest valor matrimonij ab eius fine primario seiungi, saltem quoad hoc, vt possint coniuges copulari per se ad gignendam prolem; Et licet ad valorem matrimonij non requiratur, vt possit effundi semen simpliciter fœcundum; omninò tamen requiritur, vt verum semen possit effundi, quod vtique fundunt senes, aut aliter steriles, quamuis tale verum semen adhuc sit ex accidentali indispositione infœcundum; at Eunuchi verum semen non effundunt, sed solùm quemdam humorem aqueum à verò semine essentialiter diuersum, & hoc est discrimen, quod inter Eunuchos ex vna parte versatur, & senes, & steriles ex altera quoad matrimonij capacitatem; Secus autem dicendum de Eunuchis imperfectè, qui scilicet carent tantùm vno teste, nam isti validè contrahunt, cùm isti non tantùm verum semen emittant, sed etiam fœcundum, & ad generationem sint apti, & hæc est communi Theologorum sententia.

427 Sextò Difficultas est, an Hermaphroditus idest habens vtrumque sexum possit validè contrahere, & quomodo; & primò conueniunt Doctores posse licitè, & validè matrimonium contrahere iuxtà sexum in eo preualentem l. Quæritur ff. de statu hominum, & ratio est, quia in eo sexu potest generare, & ratione illius præminentiæ potius vir, aut fœmina appellabitur.

Deinde conueniunt in eo, quod si sexus sit æqualis possit vtrumlibet sexum, quem elegerit, matrimonium contrahere, præstito iuramento se alio nunquam vsurum durante matrimonio, ità ex Can. 15. Presbyteros 16. quæst. 1. Quod si facto voto de facto contraxerit iuxta alterum sexum adhuc validè contrahet, quia etiam iuxtà eum habet potentiam ad perfectam copulam, & nullo iure contractus irritatur, & forsan etiam licitè contrahet, saltem absque mortali, si illud iuramentum non præcesserit, siquidem eo iuramento seclusso, nulla in hoc apparet inordinatio saltem grauis; Ita Hurtadus disp. 12. diffic. 10. Bonacina tamen quæst. 2. punct. 13. cum Sanchez, Gutierez, Vgolino, Coninch, & alijs ait hoc non posse facere absque graui peccato, licet validè contraheret, quia electionem variaret in re grauissima, nam sit vallè indecens vti modò vno sexu, modo altero.

428 Et tamen Difficultas, an possit validè contrahere secundum sexum minus præualentem, quando vterque sexus est inæqualis. Negat Bonacina ibidem cum Sanchez posse hoc validè fieri, sicut enim matrimonium celebratum inter personas eiusdem sexus est inualidum; ità quoque tale natura inualidum est matrimonium ab Hermaphrodito celebratum iuxta sexum inferiorem, nam si in eo præualet fæmineus sexus censetur fœmina. l. Quæritur, & consequenter cum fœmina contrahere nequit; si præualet virilis non potest cum viro contrahere, eo quod contrahere censeatur cum persona eiusdem sexus. Hurtadus verò cum Ponce, Caspensis, & alij ait Hermaphroditum posse etiam validè contrahere iuxtà sexum minus præualentem, quando iuxta talem sexum est potentia ad perfectam copulam, vt esse potest, quia iure naturali non est inhabilis, cùm verè sit potens iuxtà eum sexum, vt supponitur, neque iure aliquo positiuo, quia nullum extat. Quod autem dicitur in dicta l. Quæritur magis censeri virum, quàm fœminam, quando virilis sexus præualet & è contrà, non obstat, quia etiam tunc est sufficienter fœmina; & quamuis magis censeatur fœmina, quàm vir, quando sexus fœmineus præualet, etiam non obstat, quia etiam tunc est sufficienter vir.

Dices, quando fœmineus sexus præualet non est Hermaphroditus Ordinum clericalium capax, sed tantùm quando sexus virilis præeminet; ergo similiter in sexu minus præualente contrahere nequit. Negatur consequentia, & paritas, quia ad sacros ordines suscipiédos requiritur virilitas, vndè vel vir tantùm est illorum capax, vel saltem ille, in quo talis sexus præualet, si est Hermaphroditus; ad statum autem matrimonij vterque sexus, est idoneus, & hæc secunda opinio mihi quoque probabilior videtur.

Postremò est Difficultas, an fœmina arcta incisionem pati teneatur, vt ad coitum apta reddatur, seu an impotentia arctationis in fœmina sit impedimentum dirimens; & sensus quæsiti est, an Virgo, quæ ratione arctitudinis non potest perfectè à viro cognosci, potest tamen reserato pudoris claustro, teneatur scissionem pati, vt ab eo valeat cognosci, & matrimonium cum ea initum validum sit. Basilius Poncius lib. 7. cap. 26. quem sequitus etiam Poncius noster disp. 46. quæst. 13. ait Virginem illam nec teneri, nec posse licitè scissionem pati, quia est contrà honestatem, quod mulier patiatur se incidi, ac proindè ex natura rei tale matrimonium ab initio nullum, & irritum censeri debere, & impotentiam censendam esse perpetuam respectiuè ad talem fœminam, si peractis tribus annis à iure designatis ad experiendam viri potentiam, adhuc non valuerit pudoris claustra reseruare, & consequenter in hoc casu integrum esse vtrique ad secundas nuptias transire. 429

Opposita tamen opinio communior, & probabilior asserit, Virginem sponsam debere in tali casu scissionem pati, si absit vitæ periculum, & graue incommodum, quia potest secundum rectam rationem pati illam, vt posset ob alias infirmitates tollendas pati simile remedium, aut etiam illud ipsum, si hoc esset necessarium; non est autem inhonestum, quod fit secundum rectam rationem, nulla enim apparet turpitudo in eo, quod natura arte iuuetur ad actum honestum exercendum, qualis est actus coniugalis, ac proindè si aliàs fieri potest absque periculo vitæ, vt sæpè fieri potest, dictam impotentiam non censeri perpetuam, nec matrimonium dirimere; Et quidem tota hæc doctrina clarè deducitur ex sacris Canonibus Cap. ex Litteris, & cap. Fraternitatis De Frigid. & Maleficiat. vbi declaratur eam censendã esse impotentiam perpetuam, quæ Medicorum ope iuuari non potest, & ità etiam loquitur Scotus dist. 34. cit. ab initio, vbi eam dicit esse impotentiam simpliciter, & perpetuam, cui subueniri non potest per naturam, vel artem; ergo si sponsa, quæ arcta est aliquo artificio iuuari potest, vt coniugali copulæ reddatur apta, censeri non debet impotentia laborare perpetua, nec matrimoniũ ab initio cum ea initum nullum, & inualidum. Ità Sanchez, Henriquez, Tancred. Gutierez, Bonacina, Hurtadus, Auersa, Caspensi, & alij passim, qui etiam ad hoc adducunt rationem satis obuiam, quia dum fœmina contrahit, absolutè se obligat ad copulam coniugalem; ergò simpliciter etiam se obligat ad media necessaria eam copulam, si non adsit vitæ periculum, aut aliud graue incommodum; ergo cõsequenter se obligat etiã ad prædictam scissionem, à qua obligatione non liberatur ob molestiam doloris, quia similem quoque interdum fœmina patitur, dum virginale claustrum reseratur, & primos edit partus; nec etiam à tali obligatione liberatur, quia talis scissura sit contrà honestatem, quia inhonestum non est, quod fit secundum rectam rationem, vt dicebamus, & in ordine ad actum honestum exercendum, qualis est actus coniugalis. Adhuc tamen verum est, vt prædicti Auctores vltrò fatentur, non teneri sponsam huiusmodi incisionem

nem pati cum grauissimo morbi incommodo, quia non videtur obliganda cum tanto suo incommodo ad debitum coniugale reddendum, & matrimonium adhuc validum censet Bonacina *loc. cit.* ego tamen censerem inualidum, quia impotentia in tali casu perpetua censeri deberet respectiuè in ordine ad talem fœminam.

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

De Impedimentis Ligaminis, voti Solemnis & Ordinis.

430 IVxtà ordinem ab initio *quæst.* 13. constitutum in declarandis impedimentis dirimentibus, post impedimentum iam declaratum, quod importat inhabilitatem, & impotentiam physicam, seu naturalem ad exercendum actum coniugij; nunc agendum est de impedimentis importantibus inhabilitatem, & incapacitatem moralem. Et quidem primò de ligamine, quod talem moralem inhabilitatem importat ad contrahendum vniuersaliter cum omnibus alijs personis post contractum cum vna persona initum, quod quidem oritur etiam ex natura rei, siuè ex ipsa lege naturæ, ac proindè per se afficit, & obligat omnes nationes. Deindè agendum est de impedimentis Voti solemnis, & ordinis, quæ important quoque inhabilitatem moralem ad contrahendum absolutè cum quacunq; persona, sed tamen oriuntur ex institutione legis positiuæ, & sunt peculiaria inter Christi Fideles in Ecclesia Christi.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Impedimento Ligaminis.

431 DE hoc Impedimento agit Doctor ex instituto 4. *dist.* 33. per duas integras quæstiones, vbi ait hoc ligamen nil aliud importare, quam vinculum viri cum vxore post contractum matrimonium legitimum siuè consummatum siuè tantummodò ratum impediens, & dirimens iure diuino cum altera matrimonium, vt colligitur ex Matth. capit. 19. & Marci cap. 10. vbi dicitur *quicumque dimiserit vxorem, & aliam duxerit, mœchatur*, ex quibus verbis sic arguit à fortiori Innocentius Tertius cap. *Gaudemus* extrà de diuortijs *si ergo vxore dimissa, duci alia non potest, quanto fortius, & ipsa retenta*, & ratio est, quia vxor dimissa post legitimum matrimonium adhuc est verè vxor, & hoc idem ex Ecclesiæ praxi, & communi Christianorum vsu expressè deducitur, vndè Concil. Trid. *sess.* 24. *can.* 2. hoc idem his verbis definit *Si quis dixerit licere Christianis plures habere vxores, & hoc nulla diuina lege esse prohibitum anathema sit*, & hoc idem satis patet ex dictis suprà *quæst.* 6. de indissolubilitate matrimonij præsertim accepti in ratione sacramenti, & *quæst.* 7. de Vnitate eiusdem, vbi etiam discussum est, quo iure Polygamia sit prohibita; Et hoc intelligendum est de ligamine inducto non tantum per matrimonium consummatum, sed etiam ratum, ligatus enim per ratũ nihil amplius habet viuente priori vxore, cum qua contraxit, quod communicare matrimonialiter possit cum altera, quia tũc fit permutatio, & ligamen, seu vinculum oritur ex interno consensu mutuo externè expresso per verba de præsenti ex cap. *Tuæ Fraternitatis* De sponsalibus, actus autem copulæ est vsus rei permutatæ, & non est pars aliqua noua, & essentialis huius cõtractus, vt ait Doctor 4. *d.* 31. B. sicut emptio, & venditio equi consistit in consensu mutuo, quo duo per pecuniam, vel aliud permutant equum, vsus autem equi ad legitimam permutationem nihil facit, sed est eius effectus. Hinc sequitur, quod si quis ex secundo matrimonio prolem suscepisset, teneretur tamẽ ad priorem redire coniugem, si adhuc viueret ex cap. *Licet* de sponsa duorum.

432 Soluitur autem hoc ligamen, & impedimentum per mortem alterius coniugis, vndè coniux, qui superstes in vita remanet, non est amplius vinculo matrimonialis ligatus, sed solutus, & validè, & licitè ad secundas nuptias potest transire, vt iam diximus *quæst.* 7. ab initio, & hoc expressè deducitur ex D. Paulo ad Rom. 7. *Quæ sub viro est mulier viuente viro alligata est legi, si autem mortuus fuerit vir eius, liberata est à lege viri, vt non sit adultera si fuerit cum alio viro, & similiter* 1. *ad Corint.* 7. *mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit, quod si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat tantum in Domino.* In quibusdã vero antiquis Canonibus, in quibus secundæ nuptiæ reprehendi videntur, sensus solùm est, vt notat Auersa q. 14. *sec.* 2. quod minus laudantur, & habentur, tanquam signum cuiusdam intemperantiæ, & nimiæ concupiscentiæ. Et non solum primæ, verum etiam secundæ, & tertiæ nuptiæ sunt sacramentum inter fideles, nihil enim eis deest, ratione cuius non sint sacramentum, cum in illis omnia reperiantur, quæ ad rationem sacramenti matrimonij requiruntur. Adhuc tamen verum est, vt passim Doctores aduertunt per secundas, vel tertias nuptias induci irregularitatem, cùm non perfectè significet coniunctionem vnius Christi cum vna Ecclesia modò copula sit consummata cum secunda vxore; imò irregularitas, non solum per Bigamiam inducitur, qua plures vxores successiuè habentur, sed etiam per eam Bigamiam, quæ incurritur per contractum matrimonij cum Vidua celebratum, vel cum alia ab alio carnaliter cognita, vt notat Bonacina cum alijs q. 3. *punct.* 10. An autem secundæ nuptiæ sint etiam benedicendæ, diuersæ sunt sententiæ, quæ videri possunt apud Stephanum à S. Gregorio *lib.* 3. *cap.* 109. verior tamẽ, & probabilior sententia est, in dictis benedictionibus seruandam esse consuetudinem cuiusque Ecclesiæ, siuè dicta consuetudo sciatur à Pontefice, & tolleretur, siuè non sciatur, vt ait Sanchez *lib.* 7. *disp.* 82. *n.* 20.

Sed quia in rebus moralibus, & præsertim in hac re non semper haberi potest certitudo physica, & euidens de obitu alterius coniugis, vt potè in casu absentiæ, disputari solet qualis certitudo moralis requiratur, vt superstes possit tum tam in foro interno, quàm in externo aliud inire coniugium. Et relictis varijs dicendi modis communior, & probabilior est mortem coniugis in casu absentiæ non haberi pro sufficienter probata ad soluendum ligamen nec pro foro interno nec pro externo per cuiuscunque temporis præscriptionem de absentia; ità statutum est cap. *in Præsentia* de sponsalibus, & quidem rationabiliter, quia certitudo moralis, quæ in casu requiritur, non habetur per absentiam multorum annorum; sicut nec habetur per solam famam, cum fama oriri soleat ex auctore incerto, & plerumque fallaci, vndè in causis criminalibus fama non sufficit ad concludendum in cap. *Tum vos De cohabit. cleric. & mul.* Nec etiam sufficit probabilis existimatio mortis prioris coniugis ex varijs coniecturis, & inditijs, vt patet ex *cap. cit. In præsentia & cap. Dominus* de secundis nuptijs, vbi dicitur *Nullus ad secũdas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ex hac vita migrauerit coniux eius*, illud autem constare dicitur quod sub certam saltem moralẽ notitiam cadit, & quidem in re graui qualis est materia matrimonij non debet vir prudens sola probabili existimatione duci cum periculo magni incommodi in casu, quo res verè non ità se habeat. Talis ergò, & tanta certitudo requiritur, quanta iudicio prudentis sufficit ad credendum priorem coniugem certò mortuum esse, vt ait Bonacina *loc. cit.* & ratio est, quia nisi adsit tanta certitudo, contrahentes exponunt se periculo adulterij, cùm fieri possit, vt prior coniux sit superstes, quæ autem, & qualis censeri debeat certitudo prædicta; pluribus declarat Brancatus noster *disp.* 24. *art.* 6. per plures conclusiones; Adhuc tamen verum est, quod si coniugi superstiti ex propria scientia constaret, vt de visu, alterum coniugem esse mortuum, hoc quidem ei sufficeret ad aliud matrimonium validè contrahendum, quamuis ei absque alia probatione non concederetur à Iudice. 433

Sed hic duplex occurrit difficultas. Prima est, an validè secundum contrahat matrimonium, qui sine sufficienti probatione, & certitudine de morte prioris coniugis illud contrahit, sed re vera posteà inuenitur illũ fuisse anteà defunctũ dit an validè contrahat, quia quod illicitè contrahat concedunt omnes, constat enim illum in tali casu grauiter peccasse, quia periculo se exposuit nulliter contrahendi, siuè in adulterio permanendi. Ponce *lib.* 7 *cap.* 53. tenet tale matrimonium esse irritum, & nullum, quia ex cap. *In præsenti*, inhabilis reddita est persona coniugata ad iterum contrahendum, donec certum nuncium accipiat de morte alterius coniugis, ita quod negligentia ipsa expectandi certum nuncium, quamuis sine vero ligamine prioris coniugij, sit impedimentum dirimens, & irritans nouum matrimonium. 434

Communis tamen opinio oppositum docet, nempè tale matrimonium esse validum, cum sit re vera contractũ mortuo

tuo

tum priori coniuge, ità Auersa, & Brancatus noster *loc. cit.* &
hoc expressè habetur in *cap. Dominus*. De secundis nuptijs,
quamuis enim, ne matrimonium illicitè contrahatur, præ-
cipiat Pontifex ibi quod nullus ad secundas nuptias migrare
præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migrauerit
coniux eius; adhuc tamen supponit, & docet valere tale ma-
trimonium absque tali certitudine contractum, & solùm
dirimi, quando de vita eius constiterit; Et hoc etiam suadet
ratio, quia in tali casu vterque coniux esset liber, nec vllum
haberet impedimentum, non enim prohibitio de non con-
trahendo absque certo nuncio est impedimentum dirimens
ratione ligaminis, sed ipsum ligamen à parte rei existens, vt
patet ex *cap. Dominus* nuper allato, vbi non dicit Pontifex
matrimonium esse in re nullum per hoc quod temerè fuit
contractum, & absque morali certitudine de morte alterius
coniugis, sed eo quod superueniens primus comparuerit.
Neq; in dicto *cap. In præsentia* à Ponce adducto dicitur oppo-
situm, sed tantum declaratur ibi illicitum secundum matri-
monium antè habitum certum nuncium de morte prioris
coniugis; non autem redditur per hoc irritum, & nullum,
nec persona inhabilis ad contrahendum, in casu, in quo re
vera prior coniux mortuus erat, sed non adhuc cum suffi-
cienti probatione; & ibi redditur solùm matrimonium nul-
lum, & irritum, quando contingit inueniri viuum priorem
435 coniugem, vt patet ex verbis ipsius textus.

Altera Difficultas est, si è contrà contingat quempiam
adhibita omni debita diligẽtia, & cum morali certitudine de
morte prioris coniugis, contrahere nouum matrimonium,
sed posteà detegatur priorem consortem adhuc viuere, an
valeat hoc secundum matrimonium bona fide contractum.
Et quidem absq; vlla controuersia certum est apud omnes,
hoc secundum matrimonium quantumuis bona fide con-
tractum irritum esse, & nullum, & mulierem teneri ad prio-
rem coniugem reuerti dimisso secundo, quia bona illa fides
ad ligamen contractum cum priori non dissoluit, & ità ex-
pressè decisum est in iure *cap. cit. Dominus De secundis nu-*
ptijs his verbis si post de prioris coniugis vita constiterat, relic-
tis adulterinis complexibus ad priorem coniugem reuertatur,
& in cap. Cum per bellicam dicitur compellendas esse mulie-
res, vt nouos viros relinquant, & ad priores redeant, quan-
dò adhuc viui reuertuntur.

Dices in dicto cap. *Cum per bellicam* Pontifex remittit in
arbitrium prioris coniugis, si velit redintegrare suum ma-
trimonium; ergo supponit solutum fuisse per secundum ma-
trimonium bona fide contractum.

Confirmatur, quia Alexander Tertius cap. *Prelatum* de-
clarat filios in tali casu ex secundo matrimonio bona fide
contracto ortos esse legitimos; ergo supponere videtur se-
cundas nuptias in tali casu initas sine peccato, & bona fide
esse validas.

Respondetur negando consequentiam, illis enim verbis
suum remittitur viri arbitrio, si velit denuò cum sua vxore
cohabitare, & eam ad suum consortium reuocare, in quo
potius supponitur adhuc prioris matrimonij vinculum ma-
nere, & non valere secundum, quarè argumentum potius
est ad oppositum.

At Confirmationem negatur pariter consequentia, etè-
nim filijex secundo matrimonio orti declarantur quoque
legitimi, non quia matrimonium illud sit validum, sed quia
fuit bona fide, & sine peccato contractum.

ARTICVLVS SECVNDUS.

De Impedimento Voti Solemnis Professionis, & Ordinis.

436 Conueniunt Doctores votum castitatis esse duplex,
aliud simplex, & aliud solemne; votum solemne est
illud, quod emittitur, vel in susceptione sacrorum Ordinum,
vel in professione Religionis; votum simplex est illud, quod
fit ad libitum cuiuscumque. Docent insuper ex communi
consensu non omne votum dirimere, & inualidam redde-
re matrimonium, licet impediat, & illicitum reddat, vt di-
ctum est supra §. 12. de impedimentis non dirimentibus,
sed tantum professionibus; specialiter ergò voto, quod di-
citur solemne, hæc vis adscribitur dirimendi matrimo-
nium, ità ut si post hoc votum contrahatur, sit nullum,
& irritum, & ità definitum est in Concilio Viennensi Cle-
mentina vnica de Consanguinit. in Trident *sess. 24. can. 9.* &
in alijs Concilijs relatis à *Sanchez lib. 7. disp. 26.* & alijs
Theologis.

Grauis tamen controuersia est inter eosdem, quænam
differentia sit inter votum solemne, & votum simplex, & in
quo propriè solemnitas voti consistat; & rursus quo iure
votum solemne matrimonium irritet an tantum iure Eccle-
siastico, vel etiam iure naturali diuino; Et quidem quam-
plures docent hoc esse discrimen inter votum simplex, &
votum solemne, quod votum simplex est sola promissio ca-
stitatis, & continentiæ seruandæ; sed votum solemne est
etiam actualis traditio, quarè illud se habet, vt sponsalia, hoc
autem vt matrimonium; vndè concludunt votum solemne
Religionis consistere in actuali traditione dominij sui ipsius
in manus Dei, & superiorum Religionis, & in hoc à voto
simplici differre, quod tantùm continet promissionem, &
non traditionem. Et hinc posteà deducunt votum solemne
irritare matrimonium, non tantùm iure Ecclesiastico, sed
etiam iure naturali diuino; quia res semel tradita vni, & in
eius dominium translata, ab eoq; possessa iam ex natura ip-
sa rei, siuè ex naturali iure, non potest amplius alteri tradi,
& in dominium alterius transferri; sed professus per votum
solemne iam seipsum in totum tradidit Religioni, transtulit
dominium sui in Religionem, & possidetur à Religione,
ergo ex natura ipsa rei amplius non potest validè tradere, si-
uè transferre seipsum, siuè corpus suum in dominium
coniugis per matrimonium; & hæc etiam est ratio, cur
votum solemne matrimonium dirimat, simplex verò tan-
tùm impediat, quia res vni promissa potest quidem validè,
quamuis illicitè, tradi alteri, sed res semel tradita vni, & in
eius dominio reposita non potest amplius validè alteri tra-
di, vndè votum solemne se habet; tanquam spirituale coniu-
gium, non potest autem quisquam postquam semel tradidit
dominium sui per matrimonium vni coniugi, tradere am-
plius alteri; pro hac sententia citantur D. Thomas, D. Bona-
uent. Ricardus, Durandus, Caietanus, Valentia, vterque
Sotus, vterque Ledesma, Henriquez, Vgolinus, Grassius,
Cou. Turrecremata, & alij tam ex Iuristis, quàm ex Theo-
logis; qui vlterius ex præmisso fundamento inferunt, quod
etiamsi solemnitas voti dicatur iure Ecclesiastico instituta,
tamẽ adhuc videtur iure naturali matrimonium dirimere;
quia postquam Ecclesia instituit vt exirent Ordines Religio-
si, & tales Ordines approbauit, & constituit, vt professio so-
lemnis sit actualis traditio sui facta Religioni, & postquam
Religio eam acceptauit, iam ex natura ipsa rei sequitur, vt
non possit quis validè se tradere alteri per coniugium, &
hanc sententiam cum tali limitatione approbare quoque vi-
detur ex nostris Poncius *dist. 46. q. 11.* 437

Opposita sententia est Scoti *4. d. 38. q. vn.* vbi postquam
plures reicit differẽtias ab alijs positas inter votum solemne
& simplex, adducit etiam hanc, quod solemnitas voti consi-
stit in ipsa traditione, qua quis plenum sui dominium tradit
Deo mediante Ecclesia acceptante; non ita fit in voto sim-
plici, quo emisso manet adhuc vouens sui iuris, quia nulla
sequitur traditio, aut possessio eius acceptata, & completur
contractus tantùm per acceptationem, sicut qui rem suam
promitit, non ideò re ipsa, aut dominio priuatur, sed manet
apud promittentem, donec sequatur traditio. Hanc autem
differentiam impugnat Doctor, quia vouens voto simplici
dat potestatem, & ius ipsius Deo, cui vouet ad prosequen-
dum votum, sicut vouens voto solemni, non enim minus
transfert aliquis à se, quod immediatè dat Deo, quam quod
dat sibi mediante homine Vicario, & omnia quæ requirun-
tur ad essentiam voti æqualiter reperiuntur hinc, & indè
tam in voto simplici, quam in solemni quoad translationem
dominij, & acceptationem.

Quod si dicas Deum noluisse potestatem corporis imme-
diatè sibi dari sic quod datio sequens ad coniugium simpli-
citer nulla esset, sed sic voluisse tantum de datione facta sibi
mediante homine, siuè Ecclesia acceptante. Hoc omninò
gratis dicitur inquit Doctor, quia Deus etiam votum sim-
plex acceptare censetur cum sit sibi gratum ac proindè trã-
sit in pactum, nec apparet ratio, cur Deus hoc votum quo-
que non accepter, tam quoad obligationem, quàm etiam
quoad dominij trãslationem rei promissæ in ipsum Deum;
nec ex vllo textu Scripturæ probatur posse Ecclesiam im-
pedire, quin homo possit per votum corpus suum tradere
ad perpetuam continentiam seruandam, sed tantùm defi-
nitur cap. Vnico in 6. eam traditionem esse solemnem,
quæ matrimonium posteà contractum dirimit; ergo ista
solem-

solemnitas ex sola traditione non habetur, nam [illegible] etiam in voto simplici de re præsenti est traditio, sed ex [illegible] Ecclesiæ institutione, & sic expressè habetur in dicto ca[illegible] *Vnico* his verbis, *Voti solemnitas ex sola Ecclesiæ constituti*[illegible] *est inuenta*; Vndè concludit Doctor in fine quæstionis [illegible] D. quod ratio huius differentiæ est tantùm Ecclesiæ sta[illegible]tum, quæ illegitimat personam solemniter vouentem ad [illegible] contractum matrimonium, non autem vouentem sim[illegible]pliciter, & congruentia huius esse potest inquit Scotus, [illegible] vouens simpliciter non sic posuit se in potestate Ecclesi[illegible] quantum ad propositum contractus, sicut vouens solem[illegible]niter, nam vouens solemniter non solùm in manu Dei se [illegible]posuit, sicut vouens simpliciter, sed etiam in potestate Eccl[illegible]siæ, & ideò vouentem solemniter cogit Ecclesia ad non co[illegible]hendum, & illegitimat talem contractum, sed vouentem [illegible] simpliciter relinquit diuino iudicio tantùm, vndè licet co[illegible]trahendo mortaliter peccet, non tamen Ecclesia talem co[illegible]tractum dirimit; quarè concludit Doctor omnia, quæ [illegible] in voto solemni sunt intrinsecè, inquantum est actus volu[illegible]tatis transferentis suum dominium in Deum, reperiri etiam in voto simplici, quod fit de re præsenti, vt voueo castitatem, paupertatem &c. nec in vno esse magis traditio[illegible], quàm in alio, aut aliquam differentiam essentialem, sed tantum ex Ecclesiæ constitutione minorem vim habere, & ità sentiunt ibidem Tataretus, Bassolius, Aureolus, & alij Scotistæ.

438 Et hanc sententiam non solùm sequuntur Scotistæ, sed etiam Recentiores ferè omnes, vt Sanchez, [illegible] Tancred. Gutierez, Ponce, Coninchius, Auersa, Caspensis, Hurtad. Bonacina, Becanus, Stephanus à S. Gregor. & ali[illegible], qui proindè asserunt votum solemne, & simplex ei[illegible] materiæ v. g. castitatis non differre essentialiter, nec ex ipsius voti natura, nec iure diuino, sed tantùm accidentaliter ex sola Ecclesiæ constitutione, quę constituit, vt votum solemne dirimat matrimonium subsequens, non autem simplex; votum enim solemne nihil habet suprà votum simplex, ratione cuius magis dirimat matrimonium, quàm simplex, excepto Ecclesiæ decreto, sicut enim in voto sole[illegible] traditur persona Deo, ità etiam in simplici; Quod no[illegible] [illegible]tantum probant ex dicto cap. *Vnico* de Voto in 6. sed et[illegible] quia antè tempora Cælestini Tertij, & Alexandri Ter[illegible] non est in Ecclesia facta mentio voti solemnis, & simpli[illegible] & Gregorius XIII. in Bulla concessa Societati Iesu an[illegible] 1584. incipiente *Ascendente Domino* decidit vota emiss[illegible] Religiosis Societatis Iesu post biennium esse simplicia, & [illegible] huc esse in eis veram traditionem, & acceptationem Ecclesiæ; ex quo patet quod sublato Ecclesię statuto nullum votum esset solemne, vndè Congregatio quarundam femi[illegible]rum, quas vocant Beatas, licet emittant vota in manibu[illegible] superioris, cui se tradunt non proindè emittunt vota solem[illegible], quia Ecclesia ea non accipit, vt talia; Quarè conclu[illegible], votum ex eo tantùm dici solemne, quod in eo adhibe[illegible] cæremonia, & formula iure Ecclesiastico petita, sicuti [illegible]amentum simplex non in alio à solemni differt, quod in [illegible] seruatur formula quædam præscripta de iure; Vndè si[illegible] quod aliud votum solemne ab Ecclesia institueretur ex[illegible] professionem Religionis, & extrà ordinis sacros, illud ad[illegible] esset ve-

439 rè votum solemne, & consequenter haberet e[illegible] ctum irritandi matrimonium.

Ex qua doctrina sequitur votum emissum pe[illegible] professionem solemnem Religionis non irritare matri[illegible]onium postea contractum iure diuino, aut naturali, sed [illegible] tum iure Ecclesiastico, quia antequam Ecclesia constitu[illegible]et vota solemnia, erant vota simplicia, de quorum na[illegible]a non est matrimonium dirimere, sed tantùm impedire, [illegible] prohibere, vt suprà dictum est; Vndè inferri potest eti[illegible] vim dirimendi matrimonium solo iure Ecclesiastico e[illegible] in eodem voto solemni inductam, vel quia solemnitas ipsa [illegible] parte consistit in hac ipsa matrimonij irritatione, v[illegible] quia sicut Ecclesia effecit, vt tale votum esset solemne, it[illegible] eadem Ecclesia sua peculiari lege instituit, vt per votum [illegible] tantùm matrimonium dirimeretur, & irritaretur [illegible] ius ratio satis congrua iam à Scoto assignata est, quia vo[illegible]s solemniter posuit se in potestate Ecclesiæ quantum ad [illegible] positum eius, ad quod est matrimonij contractus, vouen[illegible] autem priuatè non illegitimanit, quia non sic se posuit i[illegible] eius potestate, sed solum in manu Dei, & ideò Ecclesia e[illegible] relinquit iudicio diuino.

Confirmant hoc etiam Recentiores citatis, quia per vota simplicia Societati Iesu fiunt veri Religiosi, cum per ipsa fiat vera traditio propriæ personæ ad Religionem, & acceptatio ab ipsa Religione, prout fuit definitum à Gregorio XIII. in Bulla adducta; & tamen dicta vota spectato iure naturæ matrimonium non dirimerent, sed tantùm illud dirimunt virtute dictæ Bullæ; igitur vota ex solo iure Ecclesiastico matrimonium dirimunt, quia nimirum solemnitas est tantùm ex eodem iure Ecclesiastico.

Demum probatur ratione, quia si aliqua esset ratio, cur dicere debeamus professionem iure naturali reddere irritum matrimonium, esset traditio, quæ per illam fit, & translatio dominij, vt vrgent Auctores primæ opinionis; sed hæc ratio non obstat, quia quantumuis dicatur dictum votum solemne habere nō solùm rationem promissionis, sed etiam traditionis, hæc ipsa traditio non propterea habet ex natura sua vim dirimendi matrimonium, quia alteritas generis, & rationis est ab ea traditione, quæ fit per matrimonium, neque hæc traditio facta in voto pugnat cum traditione, quæ fit in matrimonio; quod pluribus exemplis constare potest; nam traditio, qua quis se vendit alteri in seruum, & dominium, quod emens acquirit in illum, non per hoc reddit seruum inhabilem ad contrahendum matrimonium, vt suprà dictum est, eo quod sint traditiones diuersi generis, & ordinis; & coniugatus etiam post matrimonium consummatum potest de licentia vxoris validè profiteri, & si illa adulteretur, sine licentia; & tamen prior traditio per matrimonium facta non dissoluitur, cùm maneat adhuc vinculum matrimonij, & hoc non alia ratione, nisi quia sunt traditiones alterius generis, & ordinis; ergo nulla est ratio, cur dicamus votum in professione emissum iure naturæ matrimonium subsequens dirimere.

Ex his patet quid sit dicendum ad oppositę sententiæ fundamentum, quia traditio, quæ fit per votum solemne professionis, non pugnat ex natura rei cum traditione, quæ fit in matrimonio, eo quod sunt alterius generis, & ordinis, neque ex natura rei in hoc differt votum solemne à simplici, sed ex positiuo iure Ecclesiæ, & tam via dirimen[illegible] matrimonium, quàm absolutè solemnitat ipsa voti inflicta est ab Ecclesia; de quo puncto plura habet Hique[illegible] 4. 38. q. *vn.* in Commentario, vbi probat votum solemne ratione solius solemnitatis differre à simplici voto, & [illegible] solemnitatem esse tantùm iuris Ecclesiastici; plura etiā [illegible] habet de votis simplicibus Societatis, quæ ait acceptari [illegible] Ecclesia cum tali limitatione, vt non simpliciter, & absolutè essent perpetua ex parte Religionis acceptantis, & ob id dici simplicia ad distinctionem votorum, quæ in alijs, & in hac ipsa Religione sunt perpetua absolutè tam ex parte votarij, quàm ex parte Religionis, quo non obstante ait adhuc talia vota simplicia verè Religiosum constituere quoad omnia substantialia, & essentialia ex definitione Gregorij XIII. in extrauagā̄ti *Ascendente Domino* contrà quosdam Theologos, quia asserebant vota simplicia Societatis Iesu non constituere Religiosum propriè dictum, ac proindè Iesuitas per professionem trium votorum tantum non euadere Religiosos, sed remanere sæculares, & Ordinarijs subiectos, eo quod vota illa ab ipsis emissa non sint solemnia sed simplicia. 440

De hac quoque materia fusè agit, & eruditè Brancatus noster *disp.* 30. *art.* 2. §. 4. vbi ipse quoque asserit solemnitatem voti continentiæ non consistere præcisè in hoc, quod per ipsum transfertur dominium corporis vouentis in alium, quia hæc etiam translatio intrinseca est voto simplici; sed consistere in hoc, quod vouens tradit se, & ponit sub alterius hominis potestate vices Dei agentis, & hoc quidem immobiliter tam ex parte vouentis, quàm acceptantis, & Ecclesiæ illegitimantis ipsum ad contractum coniugalem. Ex quo infert *num.* 76. pro solemnitate voti non sufficere sui corporis traditionem Deo factam ad actus continentiæ perpetuò exercendos, quia id adest in omni voto puro, & priuato, neque sufficere præter hoc traditionem factam homini, quia Iesuitæ in professione trium votorum se tradunt Religioni, vt ait Gregorius XIII. in Constit. 89. cit. & tamen ea sunt simplicia ex eodem; neque sufficere, quod traditio sit perpetua ex parte profitētium, quia talis est prædictorum Patrum Societatis, non enim possunt à sui donatione resilire, & tamen vota ab eis emissa post biennium Nouitiatus non sunt solemnia; sed requiri hæc omnia, & prætereà vt etiam ex parte acceptantium sit perpetua, vt 441

scilicet

fessionem ipsi non possint vouentes dimittere, seù licentiare, & hoc modo habetur voti solemnitas. Et tandem *art.* 5. ipse quoque de mente Doctoris concludit iure tantum Ecclesiastico, non autem naturali, aut diuino, votum continentiæ Religiosorum esse impedimentum dirimens, quod ibi fusè probat pluribus Canonum, & Pontificum decretis, ac rationibus, & præterea *art.* 6. ostendit ex quo tempore inductum sit in Ecclesia hoc impedimentum dirimens voti professionis Religiosæ; Vbi etiam aduertendum est cum Scoto *loc. cit.* non tantum id intelligi debere de professione expressa, sed etiam tacita, vt habetur in cap. Vn. de Voto in 6. quod etiam iure nouo confirmatum est, & post Concil. Trid. vt docent Nauarrus, Azorius, Tamburinus, Barbosa, & alij Canonistæ, & per plura decreta sacra Congregat. Concil. à Brancato relata disput. cit. art. 4.

442 Quoad impedimentum Ordinis conueniunt Doctores, primam Tonsuram, quatuor minores Ordines matrimonium non dirimere, imò neque impedire nec iure naturali, vt patet, nec iure aliquo positiuo, quia nullum extat; Sacros autem Ordines etiam subdiaconatus iure Ecclesiastico dirimere matrimonium post Ordinem contractum, ità præsertim docuit Scotus 4. *d.* 37. *q.* *vn.* & habetur expressè ex *cap.* 1. & 2. *Qui Clerici, vel vouentes, & ex cap. Vn. de voto in* 6. quod à Concil. Trid. posteà confirmatum est *sess.* 24. *can.* 9. *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto anathema sit.* Quod autem de omni Ordine sacro id intelligatur est euidens, quia Canones, & Concilia loquuntur de Ordine sacro id intelligatur est euidens, quia muni, vt omnes, & singulos comprehendit. Maxima autem, ait Doctor *cit. loc.* §. *Dico ergo*, fuit congruentia ad hoc statuendum, quia talis deputatur Ministerio sacro, quod munditiam requirit mentis, & carnis, perspicacitatem intellectus, & feruorem affectus, ad quæ omnia disponit continentia, & ad eorum opposita frequentia carnalis actus; nec in hoc debet aliquis dicere Ecclesiam sibi præiudicare in suo iure, quia Ecclesia communiter non cogit aliquem ad susceptionem Ordinis sacri, & satis publicauit, quod post talem Ordinem susceptum suscipiens est inhabilis ad contrahendum, igitur voluntariè incurrit talem inhabilitatem; ità Doctor *loc. cit.*

443 Sed hic triplex occurrit Difficultas; Prima est, an Ordinibus sacris de iure diuino, vel tantùm Ecclesiastico annexa sit obligatio continentiæ, quæ sit impedimentum dirimens matrimonium post Ordines sacros contractum. Affirmant nonnulli antiquiores passim ab Auctoribus citati, non tantùm iure Ecclesiastico, sed etiam iure diuino sacris Ordinibus institutum non posse matrimonium inire, quorum fundamenta adducit Auersa cum alijs *q.* 4. *de Ordinis sacramento sec.* 3. Communis tamen sententia tam Veterum, quam Recentiorum oppositum docet, nempè iure Ecclesiastico tantùm, & non diuino, hanc continentiam præscribi, & eodem iure impedimentum Ordinis fuisse inductum, & ita præsertim tenet Doctor *loc. cit.* asserens contrarium non esse probabile.

Probatur autem, quia nullum extat diuinum præceptum de hac re, neque ex lumine naturali colligi potest, quamuis enim ratio naturalis dictet esse valdè consentaneum, vt ministri, quod sacri homines ab actibus carnalibus abstineant, & vsu matrimonij, non tamen dictat esse necessarium. alioquin veteris testamenti Sacerdotes vxores habere non potuissent. Confirmat id Doctor ex consuetudine pr[illegible] Ecclesiæ, quæ multis iam sæculis Græcis Sacerdotibus vsum matrimonij concessit antè Ordinationem contracti, vt patet in C. *cum olim in Decretal. De Clericis coniugat.* hoc autem non fecisset, si cælibatus diuino iure esset Sacerdotio annexus. Demum id expressè deducitur ex *Can.* 9. *cit.* Tridentini, vbi totam inhibitionem vitæ coniugalis refert in legem Ecclesiasticam quoad Ordines sacros, & ad votum solemne quoad regulares. Fundamenta priori sententiæ vide soluta apud Auersam, & alios *loc. cit.* & apud Brancatum nostrum *disp.* 9. *art.* 9. vbi de hac re fusè tractat per plures.

444 Altera difficultas est, Vndè oriatur in Ordinatis in hoc impedimentum dirimens, an scilicet hæc inhabilitas prouenias ex vi voti cum Sacris Ordinibus coniuncti, an verò ex statuto Ecclesiæ inhabilitantis existentem in Sacris Ordinibus ad matrimonium. Prima Opinio affirmat hanc obligationem continentiæ Ordinibus annecti mediante voto proprio ordinatorum, non quidem explicito, & expresso, siquidem non inuenitur talis forma voti in ritu Ordinationis, sed tacito, & implicito, quod fit opere ipso, nempè reali Ordinum susceptione, sicut & datur professio tacita, quæ fit opere ipso complendo scilicet annum probationis, & gestando habitum, ac gerendo munera professorum. Fundamentum est, quia in Iure per plura capita sub *dist.* 28. in Clerico in sacris Ordinato hæc obligatio continentiæ vocatur etiam nomine voti, & professionis, & præsertim *cap.* 1. vbi dicitur, *Nullum facere Diaconum audeant Episcopi, nisi qui se virginum caste promiserit*; ergo hæc obligatio continentiæ est ex voto Castitatis, quod Ecclesia suo præcepto cogit emittere eos, qui sacros ordines suscipiunt facto ipso sine alijs verbis. Accedit etiam ratio, quia si Clerici in Sacris Ordinati tenentur ex præcepto Ecclesiæ, & non ex proprio voto ad continentiam, lapsus carnis in ipsis non esset diuersæ speciei, nec haberet circumstantiam addentem nouam speciem præ lapsu Laicorum, præceptum enim Superioris, quando cadit super materiam alias debitam, per se non addit aliam speciem malitiæ; sed qui constitutus in sacris carne labitur, peccat ea specie peccati, quæ est contrà votum, nam peccat in eadem specie, ac Religiosus professus, qui vtique peccat contrà suum castitatis votum, ergo obligatio continentiæ sacros ordines comitatur ex proprio voto eorum, qui ordinantur, & non immediatè ex præcepto Ecclesiæ. Ità D. Thomas, Riccardus, Capreolus, Hispalensis, Palatius, & alij antiquiores, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 7. *disp.* 27. *q.* 2. cum pluribus alijs.

445 Secunda sententia è contrà asserit obligationem continentiæ sacris Ordinibus annexam esse directè, & immediatè ex præcepto Ecclesiæ imponentis talem obligationem ijs, qui ordinantur in sacris, sicut præcipit, & obligat ad recitandum diuinum officium; addit tamen, quod Ordo sacer sit impedimentum dirimens, non oriri formaliter ex tali præcepto ab Ecclesia facto, ne ordinati in sacris contrahant, sed ex eo, quod vlterius Ecclesia illegitimat, & inhabilitat Ordinatos in sacris, ne validè contrahant; Ita Scotus *loc. cit.* cum omnibus Scotistis, & pluribus alijs tùm Antiquioribus tùm Recentioribus quos citat, & sequitur Auersa *q.* 4. *cit. sec.* 7. & quidem quoad primam partem optimè probatur ab ipso. Primò ex Iure Canonico, quia in pluribus sacris Canonibus, & decretis inuenitur hæc obligatio imposita absolutè, & simpliciter per modum præcepti ab ipsa Ecclesia, sicut per se imponuntur alia præcepta; Nec in sua Ordinatione præcis iniungitur, vt Clerici debeant in sua Ordinatione promittere, & vouere continentiam, sed absolutè vt deinceps continentiam seruare debeant. Deindè probat ex modo loquendi Doctorum, apud quos talis Clericorum obligatio ad continentiam vocari, & nominari solet lex continentiæ, præceptum continentiæ, ità quod talis obligatio per se imposita sit per modum legis, & præcepti, & non tanquam fuerit lex Ecclesiæ tantùm de hoc, vt qui ordinantur promittant, & voueant continentiam; idque præsertim deducit ex modo loquendi Concilij Tridentini *sess.* 24. *can.* 9. cuius verba paulò supra retulimus *num.* 442. vbi Concilium distinctè nominat legem Ecclesiasticam, & Votum, sicut distinctè nominat Clericos in sacris constitutos, & Regulares solemniter professos, nimirum referens legem Ecclesiasticam ad Clericos ordinatos, & votum ad Regulares professos; non ergo per medium voti, sed immediatè per legem Ecclesiæ sacris ordinibus annexa est obligatio continentiæ. Tandem hoc ipsum probat ex ipso Ordinationis ritu, quia si obligatio continentiæ in Clericis solùm per modum voti instituta fuisset, conueniebat sanè, vt hoc votum esset explicitum, & expressum, quod in ipsa Ordinatione emitteretur, sicut in Regularibus dùm solemniter profitentur; sed in Ordinatione tale votum non exprimitur ab ordinandis, vndè Subdiacono intimatur quidem continentiæ obligatio, non tamen votum eius exigitur; ergò obligatio continentiæ ipsos adstringit potius per modum Ecclesiastici præcepti, quam proprij voti; Vndè etiam addit, quod si quis ordinaretur cognoscens quidem, & intendens suscipere sacrum Ordinem, ignorans prorsus annexum esse sacro Ordini continentiæ votum, vtique nec explicitè, nec implicitè voueret, & tamen adhuc in tali casu ad continentiam obligaretur; ergo non ex voto proprio, sed ex præcepto Ecclesiæ, & sic omnes alij obligantur; Imò ait Scotus

tus fieri posse, vt quis in susceptione Ordinis animum non habeat vouendi castitatem, ac etiam contrarium habeat, & hic planè remaneat obligatus adhuc ad seruandam continentiam, & tamen non ex vi voti; ergò immediatè ex vi præcepti Ecclesiastici.

446 Quo autem ad secundam partem probat Doctor assertum, quia licet Ecclesia præciperet existenti in sacris continentiam, & matrimonium prohiberet, non ob id solum matrimonium irritatur, quia non omnis prohibitio irritat factum, vt probat *extra de matr. contr. contra interdictum*; ex eo ergo, quod Ecclesia Ordini sacro prohibitionem illam adiunxit ineundi matrimonij, non ideò matrimonium est nullum, nisi etiam personam simul inhabilitauerit.

Confirmatur, quia pluries ex Ecclesiæ præcepto prohibetur personis, ne contrahant, & tamen si faciant, validè faciunt, vt tempore interdicti, tempore aduentus, & quadragesimæ est prohibitum contrahere, & tamen si aliqui prædicto tempore id faciant, validè faciunt, ergo prohibitio ab Ecclesia facta ordinans non sufficit ad inualidandum matrimonium posteà factum, nisi aliud accedat, nimirum illegitimatio, & inhabilitatio personarum; Consequentia patet, quia non adest maior ratio, cur præceptum Ecclesiæ inualidet in vno casu, & non alio, nulla facta variatione. Tandem probatur à pari, quia consanguinitas, affinitas, honestas publica, raptus, & alia huiusmodi impedimenta ab Ecclesia inducta ideò dirimunt, quia tales personæ ab Ecclesia factæ sunt illegitimæ ad coniugalem contractum; ergò idem dicendum est in proposito de ordine Sacro, qui ideò est impedimentum dirimens, quia, sic ordinatus factus est ab Ecclesia ad talem contractum inhabilis, & illegitimus.

447 Ad fundamentum primæ opinionis ex iure desumptum dicendum est per votum & professionem continentiæ in illis iuribus intelligi simpliciter, & absolutè hanc obligationem, prout erat ab Ecclesia instituta, siuè voluntariam ipsam susceptionem Ordinis sacri cum hac obligatione, & sit vocari votum implicitum, & tacitum, quia licet non expressione verborum, tamen facto ipso recipitur talis obligatio, & fit talis professio; & hoc speciali titulo susceptio ordinis sacri vocata est votum, & professio continentiæ, vt iudicaretur spontanea, & libera electio eorum, qui cum Sacro ordine hanc obligationem subire consentiunt, etenim ob difficultatem, & præstantiam ipsius continentiæ nullatenus Ecclesia quemquam obligare voluit ad illam seruandam, nisi sua sponte volentem Ordinis suscipere. Ad [illegible] rationem dicendum est, verè adhuc esse nouam speciem malitiæ in peccato Clerici, sicut Religiosi fornicantis, quia in re vera additur noua deformitas contrà rationem, & contrà aliam distinctam virtutem à castitate, & hoc quidem satis patet in habente votum castitatis, quia frangitur promissio Deo facta, & delinquitur contra virtutem Religionis; in non habente etiam præceptum absque voto hoc idem dicendum est, licet enim præceptum simpliciter, & absolutè loquendo non distinguat nouam malitiam in actu, quando seruatur ex motiuo eiusdem virtutis, in quo res est alias debita, vt dictum est *lib. 2 disp.* de actibus humanis; quandò tamen fertur ex motiuo alterius distinctæ virtutis, verè distinguitur, & sic autem est in casu nostro, vbi præcipitur continentia Clericis ob reuerentiam diuini misterij, & sacri Ordinis, atque adeò ex motiuo Religionis erga Deum, vt notat etiam Auersa *loc. cit.* qui proindè ait omninò teneri Clericum in his peccati hanc circumstantiam in confessione aperire, tamquam mutantem speciem, ità tamen quod quandò confitetur alicui scienti illum esse in sacris, eo ipso confitetur peccatum cum hac circumstantia, etiamsi non amplius illam verbis explicet. Vndè etiam infert diuersam speciem esse hanc deformitatem peccati carnalis ex circumstantia Ordinis, atque ex circumstantia Voti, quia licet vtraque sit contra virtutem Religionis sub genere sacrilegij, tamen Religio diuersas habet partes, & sacrilegium diuersas species, sicut & distincta malitia sacrilegij contrà Religionem est fractio voti, & fractio iuramenti; atque ideò quando quis simul professus, & ordinatus in sacris carne delinquit, verè præter malitiam luxuriæ incurrere quoque duas alias sacrilegij, vnam ratione voti in professione, & alteram ratione præcepti sacro ordini annexi, atque adeò debere vtraque circumstantia distinctè in Confessione aperiri, & notificari.

Vltima demum Difficultas est, an obligatio continentiæ se extendat etiam ad inualidè ordinatos, vel ante ætatem, vel vi, & metu; Et relictis paucorum quorundam opinionibus, sequendo communiorem, & probabiliorem. Primò dicendum est inualidè ordinatum, ex quocunque defectu prouematiat inualiditas nullo modo ad continentiam teneri, atque adeò non solum validè, sed etiam licitè, & liberè ex hac parte posse matrimonium contrahere; Ità Sanchez Coninc. Tancred. Auersa, Bonacina, Barbosa, & alij passim tam Theologi, quam Iuristæ fundamentum sumitur ex iure, & ratione, quia quando actus principalis non valet, seu est inualidus, nec etiam subsistit effectus consequens *L. cùm principalis ff. de Regulis Iuris*; sed in hac re actus principalis est ordinatio, effectus verò consequens obligatio continentiæ; ergo si ordinatio non valet, nec consequenter obligatio; & hoc verificatur, siuè hæc obligatio dicatur immediatè ordi ex præcepto Ecclesiæ, vt suprà diximus siuè ex proprio voto, vt alij dicebant; nam Ecclesiæ præceptum non dirigitur, nisi ad eos, qui verè, & validè ordinati sunt, nec aliter Ecclesia eos obligare intendit; nec aliter quis castitatem vouere intendit in susceptione ordinum, nisi inquantum verè, & validè ordines suscipit, alloquin votum simplex castitatis etiam independenter ab Ordinationem emittere potest. 448

Deindè, supposita validitate Ordinationis in infantili ætate ex Innocentio Tertio in cap. Vn. de Clerico per saltum promoto, quia licet in adultis requiratur quidem intentio suscipiendi ad validitatem Sacramenti, in paruulis tamen adhuc Sacramenta valent absque tali intentione, exceptis ijs quæ intrinsecè tanquam partem suam requirunt actum suscipientis, qualia sunt Pœnitentia, & Matrimonium, & Extrema Vnctio, quæ peccata commissa supponit, facta inquam talis validitatis suppositione; Dicendum est obligationem continentiæ non se extendere ad sic ordinatos, scilicet in infantili ætate, ita Auctores supracitati, & alij communiter, fundamentum est, quia sic ordinatus non tenetur ad castitatem seruandam ratione præcepti, siquidem credibile non est *Ecclesiam* velle ipsum sua lege obligare ad castitatem seruandam, nisi Ordines susceptos ratificauerit in competenti ætate; Ecclesia enim per se non obligat ad continentiam, nisi illos qui rationis compotes scientes, ac volentes suscipiunt sacros ordines. Neque talis tenetur ratione voti Ordinibus sacris annexi, nam votum est voluntaria promissio facta Deo, infans autem antè rationis vsum non potest Deo voluntariè promissionem facere; ergo neque ex vi voti tenetur ad continentiam, & castitatem seruandam. 449

Sed obijcit Hurtad. *disp. 16. diffic. 2.* oppositum tenens cum quibusdam alijs, quia sic ordinatus licet non teneretur ratione voti sacris Ordinibus annexi, quia absque vsu rationis votum fieri nequit, adhuc tamen teneretur ratione iuris Ecclesiastici ipsi Ordini annexi, quià ius Ecclesiasticum dirimens matrimonium est absolutè annexum Ordini sacro non minus quàm iura Ecclesiastica sunt annexa baptismo; ergo sicut iura Ecclesiastica comprehendunt baptizatum ante rationis vsum, ità etiam ius Ecclesiasticum dirimens matrimonium annexum Ordini sacro comprehendit sacris initiatum ante rationis vsum. Respondetur negando consequentiam, & paritatem assumptam de Baptismo ad fidem obligante, & alias Ecclesiasticas leges; nam ad fidem obligantur omnes de iure ipso diuino etiam antè Baptismum, & fides omnibus necessaria est ad salutem, aliæ vero lege baptizatum obligantes vel sunt etiam diuinæ, & de rebus ad salutem necessarijs, vel quæ sunt ab Ecclesia latæ, non sunt ità arduæ, quæ subditorum consensum requirere debeant ad hoc, vt obligent, sicut lex de Continentia Clericorum; hæc enim est res adeò ardua, & insignis, & præter naturæ inclinationem, vt nisi quis voluntariè statum continentiæ assumat, non possit ab humana potestate ab extrinseco cogi, & ligari, vt rectè discurrit Auersa *q. 4. cit. sec. 8.*

Demum ob eandem rationem Dicendum est, obligationem continentiæ neque se extendere ad ordinatos per vim, & metum, intelligendo vim, & metum iniustum, & grauem, etiamsi habuerint intentionem suscipiendi Ordinem, alioqui Ordinatio non valeret, in tali inquam, casu obligatio continentiæ non contrahitur nisi posteà sublata vi, & metu status sacri Ordinis denuò ratificetur, & acceptetur; Ità etiam Auctores omnes iam relati, & alij communiter; Fundamentum est idem, quod præcedentis asserti, vt dicebam, 450

bum, quia talis obligatio non induceretur ex Ecclesiæ præcepto, nam ad validitatem huius præcepti requirit etiam Ecclesia liberum consensum Clerici ad sacros ordines suscipiendos, sicut requirit ad validitatem voti, & requirit libertatem non solùm ab omnimoda necessitate, sed etiam è vi, & metu graui. Nec etiam induceretur talis obligatio ex vi voti sacris ordinibus annexi, quia votum saltem solemne vi, & metu graui extortum est nullum, & irritum ipso iure, vt habetur ex *cap. Prælatum, & cap. Cum dilectus* De his, quæ vi &c. vbi est sermo de voto professionis Religiosæ; & ex communi regula circà ea, quæ fiunt per vim, & metum in humanis, & moralibus actionibus facilè deducitur.

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

De Impedimento cognationis.

451 Cognatio, quæ inter impedimenta dirimentia recensetur, significat coniunctionem quandam inter certas personas, ob quam inter eas matrimonium non admittitur. Triplex autem est Cognatio, prima est naturalis, & est præcipua coniunctio inter certas personas per naturalem propagationem, & generationem, quæ proindè dicitur coniunctio carnalis, seù sanguinis, & proprio nomine Consanguinitas vocatur tam à Theologis, quàm à Iuristis. Secunda Cognatio est spiritualis, & appellatur hoc nomine ad imitationem, & similitudinem quandam cum præcedenti, quatenus est coniunctio quædam inter certas personas in spirituali generatione per sacramentum Baptismi, & Confirmationis. Tertia Cognatio est legalis, quæ ex filiorum adoptione nascitur, & est coniunctio quædam per institutionem legis, qua quis loco filij naturalis sibi alium in hæredem adoptat; de hoc igitur triplici cognatione matrimonium dirimente in præsenti quæstione agendum est, de quibus etiam exactissimè tractat Astesanus noster *lib. 8. tit. 17. 18. & 19.*

ARTICVLVS PRIMVS.

De cognatione naturali, seù Consanguinitate.

452 Scotus de hoc impedimento tractat *4. d. 40. q. vn.* & ad declarandum, quomodo cognoscendi, & computandi sint gradus consanguinitatis, in primo articulo assignat descriptionem consanguinitatis, & distributionem graduum, & tres regulas generales, quæ communiter à Canonistis, & Theologis sunt receptæ; inquit itaque Consanguinitatem describi posse, quod sit vinculum personarum ab eadem persona carnali propagatione descendentium, illa autem persona, à qua descendunt dicitur stipes; linea verò dicitur linea recta, & in transuersalem, seù collateralem; linea recta descendens est à persona propagante ad propagatos, vt pater, filius, nepos &c. linea ascendens est è conuersò, vt pater, auus, proauus, &c. linea verò transuersalis est quando ambæ personæ descendunt ab eadem, & neutra ab altera, vt frater, soror, consobrini, &c. In his autem lineis sunt diuersi gradus cognitionis; gradus autem est determinata propinquitas personæ ad personam, siquidem in linea ascendentium, & descendentium quælibet persona addita alteri facit gradum, vndè pater, & filius sunt in primo gradu, nepos in secundo, pronepos in tertio, abnepos in quarto; In linea verò transuersali duo fratres sunt in primo gradu, horum filij in secundo, & sic consequenter.

453 Deindè ad distantiam illam dignoscendam, & computandum consanguinitatis gradus tres regulas generales assignat, quas alij etiam passim adducunt. Prima regula est, quod in linea recta ascendentium, & descendentium tot numerantur gradus, quot Personæ. Vndè pater, & filius in primo consanguinitatis gradu coniuncti esse dicuntur, quia filius à Patre vna generatione descendit, & nepos est in secundo cum auo, quia ab eo descendit duabus generationibus, proauus, & pronepos sunt in tertio, abauus, & abnepos in quarto gradu, & sic deinceps. Secunda regula est, quod in linea transuersali æquali tot gradibus vnus coniungitur alteri, & ab eo distat, quot quilibet, coniungitur suo communi stipiti proximo, & ab eo distat.

Ratio est, quia ratione illius tantùm coniunguntur, & in ordine ad illum distant, vndè frater, & soror sunt in primo gradu lineæ transuersalis, quia in eo gradu sunt cum suo communi stipite proximo, quo mediante inter se coniunguntur, & in ordine ad quem distant; Patrueles verò, & consobrini, seù filij, & filiæ fratris, & filij ac filiæ sororis sunt in secundo gradu. Nepotes, & Neptes ex fratre, & nepotes, ac neptes ex sorore sunt in tertio gradu. Pronepotes, & proneptes ex fratre, & pronepotes, & proneptes ex sorore sunt in quarto gradu, & sic deinceps. Tertia regula est, quod in linea transuersali inæquali tot gradibus vnus coniungitur alteri, & ab eo distat, quot qui remotior est à communi stipite proximo, ei coniungitur, & ab eo distat. Ratio est, inquit Doctor, quia personæ, quæ sunt in linea transuersali, non habent inter se propinquitatem, nisi ratione communis stipitis, à quo originem ducunt, & ideò non possunt inter se propinquius coniungi, quam remotior eorum coniungatur stipiti, vndè Patruus, Nepos ex fratre sunt in secundo gradu, quia eodem distat nepos ex fratre ab alio, qui est stipes vtriusque & similiter pronepos distat à Patruo in tertio gradu, quia eodem distat à Proauo, & sic deinceps. Ex his deducit Doctor, quod ex naturæ congruentia efficacior est gradus in linea recta, quam in transuersali ad remouendum matrimonium, & ratio naturalis est, quia plus coniuncta est proles parenti, & auo, &c. quàm alteri proli, & ideò magis est contrà legem naturæ coniungi in primo gradu in linea recta, quàm in linea transuersali, semper enim fuit contrà matrimonium illa coniunctio, & magis filij ad matrem, quàm Patris ad filiam, quia maior irreuerentia est; ità Doctor lit. C.

454 His præmissis Doctor *loc. cit. art. 2.* descendit ad solutionem quæstionis, an, & qui gradus consanguinitatis sit impedimentum dirimens matrimonium, & ait diuersam habendam esse rationem talis impedimenti, tam in lege naturæ, & innocentiæ, quam Mosaica, & Euangelica, diuersosque gradus assignat prohibentes in illis; & tandem descendens ad Euangelicam ait, quod aliqua variatio facta est pro decursu temporis in designatione graduum, ad quem se extendat hæc prohibitio, & irritatio matrimonij, etenim olim extendebatur vsque ad septimum gradum, vt patet ex pluribus capitibus 35. q. 3. sed posteà sub Innocentio Tertio restricta est vsque ad quartum gradum inclusiuè, vt patet ex *cap. Non debet de consanguinitate, & affinitate*, & Confirmatur à Trident. *sess. 24. cap. 5.* explicant autem Doctores, quod intelligendum esse aiunt, quod si vnus recedat vltrà quartum, imò & alium propinquiorem, potest inter eos matrimonium contrahi, quia absolutè attenditur remotior gradus. Rationem posteà congruentiæ adducit Doctor, cur aliquando Ecclesia personas consanguineas illegitimauerit ad contrahendum in gradu remotiori, & posteà in quarto gradu tantùm inclusiuè, & ratio illegitimationis fuit propter pacem, & amicitiam in Ecclesia seruandam; vsque enim ad quartum gradum manet amicitia ratione consanguinitatis, & extunc incipiunt esse quasi extranei, & amore tepescere, & ideò congruum est tunc per vinculum coniugale tepescentem amicitiam reuocare.

455 Sed hic duplex occurrit Difficultas. Prima est, an consanguinitas in linea recta dirimat matrimonium de iure naturæ; Et quidem communis sententia cum Scoto *loc. cit.* conuenire videtur lineam consanguinitatis rectam saltem in primo gradu de iure ipso naturæ matrimonium dirimere, quod Doctor colligit ex illis verbis Adami Genes. 2. *Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ*, quasi supponendo non posse filiam esse vxorem Patris, aut Matrem filij; & hoc etiam ex ipso lumine naturæ dictari videtur ob reuerentiam debitam filiorum ergà parentes, & ob confusionem ipsam naturalem filiorum cum parentibus, filij enim sunt veluti pars parentum, adeout pater, & mater in filio dicantur fieri vna caro; vndè communiter apud omnes nationes connubium inter parentes, & filios semper nefandum, & abominabile reputatum est, quia natura ipsa etiam in animalibus brutis id abhorrere videtur, vt Doctor *loc. cit.* probat quibusdam exemplis ex historijs deductis. Solùm est aliqua difficultas, an saltem in casu extremæ necessitatis esset ex natura rei licitum, & validum tale coniugium, si duæ solùm humanæ personæ, pater, & filia, aut mater, & filius superessent in mundo; Affirmant aliqui excusari posse in tali casu ob necessitatem propagandi genus humanum, quia reuerentiæ paternæ bonum cedit in

eo

QVÆSTIO DECIMAQVARTA.

De Impedimentis Erroris, & Conditionis Violentiæ, & Raptus.

385 IAm descendimus ad impedimenta dirimentia in particulari examinanda iuxta ordinem institutum quæst. præced. *art.* 1. ab initio & primò de his quatuor agimus in præsenti quæstione, quia maiorem habent inter se connexionem, quàm cum cæteris, siquidem omnes, & singuli directè inficiunt consensum, eiusq; libertatem ad contractum coniugalem requisitam, ideoque matrimonium dirimunt; imò Error, & Conditio tantum inter se habent connexionem, quod cùm impedimentum conditionis aliud non sit, quàm ignorantia status seruilis in persona, cum qua quis contrahit, includi poterat sub impedimento erroris; & impedimentum Raptus includi poterat sub impedimento Vis, seu Violentiæ contrà Matrimonij libertatem, aut ad illud reduci, vt suprà dictum est.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Impedimento Erroris.

386 CIrcà hoc impedimentum Erroris summistæ communiter dicunt Errorem dupliciter contingere posse, vel circa substantiam personæ, vt si quis ducat Claram existimans esse Annam, vel circà ipsius personæ qualitatem, vt si quis ducat Claram existimans esse nobilem, diuitem &c. quam posteà comperit esse ignobilem, pauperem &c. & quidem priori modo reddere matrimonium inualidum, non item posteriori. Vt autem res clarius, & magis fundatè percipiatur, aduertendum est ignorantiam ab errore differre, eo quod ignorantia dicat tantummodò negationem scientiæ, quæ dici solet ignorantia simplicis negationis; error autem dicat iudicium peruersum intellectus, qui dici solet igorantia prauæ dispositionis; vterque tamen sufficit ad causandum actum inuoluntarium, quia voluntas non fertur in incognitum. Duplex autem error præcipuè in hac re est assignandus, vnus circà substantiam personæ, alter circà qualitates modo iam declarato, & nomine qualitatis hic intelliguntur quæcunque circumstantiæ, seù accidentia personæ. Alios duos errores aliqui addere solent, nempè circà conditionem seruilem, vt dùm quis putat contrahere cum libera, & contrahit cum serua; & circà fortunam, vt cùm quis putat contrahere cum diuite, & contrahit cum paupere, qui tamen duo errores sub errore qualitatis comprehendi possunt, nam seruitus, & libertas, diuitiæ, & inopia sunt quædam personæ qualitates, & circumstantiæ; & de inopia, seu fortuna est prorsus eadem ratio, ac de alijs qualitatibus accidentalibus, ideoque ab ijs minimè est separanda. De seruitute autem est diuersa, & specialis quædam ratio, aliud enim impedimentum constituit, quod distinctè cum alijs numeratur, & dicitur impedimentum Conditionis, de quo *art. seq.* Quarè vel subdiuidendus est Error qualitatis in communi in seruitutem, & alias qualitates, vel cùm alijs ab initio diuidendus est triplex error, nempè personæ, qualitatis, & seruitutis. Quilibet autem ex his erroribus duplex est scilicet vel antecedens contractum, & causans illum, qui à Iurisperitis dans causam contractui appellatur, & est dum aliquis nollet matrimonium inire cum tali, si sciret esse talem, & non eam, quam ipse intendit, v.g. quia intendit determinatè Claram, & tamen offertur ei Anna, quam existimat esse Claram. Ille verò error dicitur concomitans, dùm re vera ignorat illam sibi oblatam esse Annam, sed existimat esse Claram, si tamen id agnosceret, idipsum vellet, nam dispositus est contrahere etiam cum illa persona, quæ illi offertur, si eam agnosceret. Hoc supposito.

387 Communis sententia docet errorem circà substantiam personæ, siuè sit antecedens, siuè etiam concomitans, dirimere matrimonium, non tantùm iure positiuo, sed etiam naturali, & est præsertim D.Thomæ, & Bonauenturæ in 4. d.30. *quæst.* 1. & Scoti ibidem, vbi ait errorem substantiæ in omni contractu illum inualidare, vt si vendatur aurichalcum pro auro nulla est venditio, & sic de alijs. Probatur autem specialiter in proposito, quod sit de iure naturæ, nam quod sit de iure positiuo satis constat ex cap. Vnico 29. *quæst.* 1. quia iure naturali exigitur consensus liber ad valorem alicuius contractus, saltem circà id quod est per se obiectum talis contractus; sed ad libertatem requiritur cognitio, & aduertentia rationis, quæ in vtroque errore nequaquàm reperitur, quamuis enim error concomitans non causet inuoluntarium positiuè, causat tamen non voluntarium, cum nihil sit volitum quin præcognitum, nec possit esse voluntarium, quod est ignoratum, ac proindè etiam non reperitur libertas sufficiens & necessaria ad valorem illius consensus, consensus enim coniugalis circà talem personam non solùm debet esse inuoluntarius negatiuè, aut non voluntarius, sed debet esset voluntarius positiuè cùm tali persona ad hoc vt valeat, & vinculum matrimonij inducat. Nec dicas talem errorem esse posse vincibilem, & superabilem; nam error personæ, quamuis etiam sit vincibilis, matrimonium dirimit, licet enim talis error sufficiat ad peccandum, non tamen ad validè contrahendum; nam ad peccandum sufficit exponere se periculo faciendi contrà præceptum, cui periculo se exponit, qui cum errore, aut ignorantia vincibili peccati operatur ad validè autem contrahendum cum aliqua persona, non sufficit exponere se periculo contrahendi cum ea, sed requiritur vera voluntas contrahendi cum ea, & explicitus, ac formalis consensus, quem tollit error etiam alioqui vincibilis.

Nihilominus non obstante, quod hæc sit communis opi- 388
nio apud omnes nemine discrepante communiter recepta, Branc. noster *disp.* 21. *art.* 1. oppositum docet, quod scilicet consensus cum errore concomitante circa personam non est inualidus, & quod magis mirandum est, inquit nullam videre esse in hoc controuersiam, quasi nullus oppositum doceat. Fundamentum eius est, quod talis contrahens non est determinatus tantùm ad vnam personam, qua non posita non contraheret, sed paratus etiam est contrahere cum alia; ergo nihil deficeret ad validitatem matrimonij; consequentia patet, quia haberetur mutuus consensus circà personas præsentes. Hæc tamen ratio non probat intentum, quia per huiusmodi animi præparationem, ac indifferentiam non habet talis contrahens actualem consensum, & animum ducendi hanc personam, quamuis sit ità habitualiter dispositus, siquidem matrimonium non perficitur per habitualem dispositionem, & intentionem, sed solùm per actualem animum, & consensum; Vndè argumentum illud summum probat, quod talis contrahens habuerit voluntatem, & consensum in habitu, hoc est, in præparatione animi ad contrahendum cum tali, consensus autem in animi præparatione non sufficit ad matrimonij contractum, ad quem requiritur consensus actualis, & de præsenti, non autem virtualis, & interpretatiuus. Vndè solùm, si quis de præsenti haberet talem consensum, etiamsi hæc sit alia persona ab ea, quam puto, vel quæcunque sit hæc persona, eam duco in coniugem; solùm inquam, in tali casu, & cum tali expressione matrimonium perficeretur, quia iam adesset consensus determinatus cum ipsa persona, quæ offertur, quamuis ignota, quæ sit, vt notat Auersa *loc. cit.* Et hanc quoque fuisse expressam Scoti mentem docet Hiqueus 4. d. 30. q. 1. in Commentario nu. 4. quia consensus actualis de præsenti est causa matrimonij de mente Doctoris *d.* 27. *q. n.* 2. & *d.* 28. *q. vn.* nec sufficit habitualis, quia talis non transfert dominium corporis in aliam, non enim ad valorem contractus attenditur, quid facturus esset consentiens, si abesset error, sed quid de præsenti per scientiam actualem præstet, qua eius consensus regulatur. Maneat ergo communi sententia stabilitum errorem circa substantiam personæ, siuè sit antecedens, siuè etiam concomitans, dirimere matrimonium, non tantum iure positiuo Ecclesiastico sed etiam naturali, ità Sanch. Henriquez, Gutierez, Perez, Ledesma, Reginaldus, Coninch. Tancred. Rebell. Auersa, Ponce, Hurtad. Bonacina, Caspensis Labat. Stephanus à S.Gregor. & alij Recentiores, & Veteres; ex quo etiam deducunt matrimonium cum errore contractum circà substantiam personæ non solùm esse inualidum inter fideles, sed etiam inter Infideles, nam huiusmodi matrimonium est inualidum iure naturæ, cui non solum Fideles subduntur, sed etiam Infideles.

389 Contrà præfatam doctrinam quædam argumenta fieri solent, quæ Doctor adducit *loc. cit.* & soluit; Primò quia inter Iacob, & Liam fuit verum matrimonium in veteri testamento, & tamen ibi fuit error personæ, quia Iacob putabat contrahere cum Rachele. Deindè quia Genes. 27. dùm

dùm Isaac benedixit filio suo Iacob existimans esse Esau errauit in persona, & tamen fuit valida benedictio. Rursus validi sunt alij contractus, quamuis cum simili errore contingant. Tandem, quia error personæ alia Sacramenta non irritat, vt si quis baptizet, confirmet, absoluat &c. Petrum putans esse Paulum conficit verum Sacramentum; ergo nec is error irritat Sacramentum matrimonij.

Respondetur cum Scoto *loc. cit.* in solutione ad 1. consensum erroneum præcedentem non fecisse Iacob, & Liam veros coniuges, sed consensum subsequentem, postquam enim deprehendit illam esse Liam consensit nouo consensu, & contentus fuit habere illam in vxorem vt constat ex textu; Qua de causa dicitur in iure *cap. Vnico cit.* quod quando Iacob cognouit Liam existimans esse Rachelem non fuit verum matrimonium, donec Iacob consensit positiuè prædicto matrimonio cum Lia determinatè. Ad 2. dicendum validam fuisse benedictionem datam ab Isaac ipsi Iacob, vel quia à Patre directa fuit ad filium præsentem, quicunque ille esset, vel quia vt inquit Doctor *loc. cit.* ex diuina illustratione confirmata fuit à Patre cognita veritate, vt docuit D. Augu. 16. *de Ciuit. Dei cap.* 37. Ad 3. dicendum neque validos esse alios contractus, quando fiunt cum errore circa substantiā contractus contingente, sed ad summum quando fiunt cum errore circà qualitates, & circumstantias accidentales, vndè in hoc contractui coniugali assimilantur; Benè tamen esse potest, vt hic Auctores aduertunt, quod error personæ, qui est substantialis in matrimonio, sit accidentalis in alio contractu, vt per accidens esse potest in emptione, & venditione, si quis emat ab vna, vel alia persona, dùm non erratur circà rem, & pretium; maximè tamen est per se in matrimonio, ac de eius substantia, quod hæc vel illa persona ducatur. Ad vltimum respondet Doctor, quod neque valida essent alia Sacramenta, si Minister intenderet determinatè vni personæ conferre, & non alteri; tamen solet, nec debet Minister in alijs Sacramentis administrandis ità suam limitare intentionem, sed debet intendere illa conferre personæ sibi præsenti, & propositæ, quæcumque illa sit alias manifesto periculo sacrilegij se exponeret; at in matrimonio error circà personam nequit non esse substantialis, & auferre æqualitatem, quam essentialiter petit, quia est contractus ad iustitiam pertinens, & qui versatur circà corpora coniugum tanquam circà materiam.

390 Circà errorem qualitatis, vt nobilitatis, aut diuitiarum, conueniunt Doctores in duobus casibus iure etiam naturali matrimonium dirimere. Primò quando fit matrimonium dependenter ab ea qualitate, tanquam à conditione, vt si contrahens his verbis suam exprimeret intentionem, *contraho tecum modo sit diues, vel nobilis*, esset enim inualidum matrimonium, nisi illa conditio, quæ tunc spectat ad obiectum per se illius intentionis, verificaretur, & ratio est, quia cùm tunc deficiat conditio, sub qua fit contractus, etiam deficit ipse contractus. Secundò dirimit matrimonium hic error, quando refunditur in personam, & transit in errorem personæ, interdum enim penes certam aliquam qualitatem concipimus certam indiuiduam personam, siquidem non solùm proprio nomine personæ, sed etiam aliqua alia peculiari circumstantia conceptum certæ singularis personæ formare possumus, & solemus; Quando igitur penes huiusmodi qualitatem, vel circumstantiam certam personam concipimus, & posteà alia persona offertur, in quam talis qualitas, & circumstantia non cadit, tunc planè in ipsa persona erramus, & error qualitatis in personam refunditur, & in errorem personæ transit; quod obuio, & communi exemplo sic declarari solet v. gr. si nobilis aliqua mulier intentionem habeat, eamque exterius exponat volēdi nubere cum primogenito Regis sibi ex sola fama cognito, Rex autem offerat illi loco alterius filium suum secundo genitum, tunc nullum esset matrimonium ex errore personæ, aut potius errore qualitatis in personam redundantis. Extrà autem hos duos casus conueniunt Doctores errorem qualitatis per se non dirimere matrimonium, & ità expressum habetur in *cap. Vnico 29. quæst. 1.* vbi dicitur, quod error fortunæ, & qualitatis non excludit consensum, vndè quæ nubit pauperi putans illum esse diuitem non potest renunciare priori conditioni, quamuis errauerit; similiter qui accipit corruptam, vel deformem, quam existimabat virginem, vel pulchram non potest illam dimittere, & cum alia contrahere; & optimam rationem reddit Sanches *lib. 7. disp. 18.* quia cùm nihil sit volitum, quin præcognitum quando error est in apprehensione rei non necessariæ ad essentiam contractus, & ad ipsius finem, sed in aliquo accidenti, efficit quod contractus sit quoad essentiam voluntarius, & quod tantùm sit inuoluntarius secundum quid, & quantum ad illud accidens in quo versatur error, non verò reddit illud inuoluntarium simpliciter quantum ad substantiam; siquidem intentio non respicit qualitatem, tanquam obiectum per se, sed tanquam aliquid accidentarium obiecto per se.

Verùm est Difficultas, an error qualitatis dirimat matrimonium, quando dat causam contractui, quando scilicet error circa qualitatem personæ talis est, vt quis nisi sic circa qualitatem deceptus non contraheret, sed vno voluntatis actu fertur in personam, prout tali qualitate indutam. Affirmant aliqui, vt Præposit. Medina, Ponce, & ex nostris Brancatus *disp. 20. cit. art. 5.* vbi ait, quod si contrahens determinatè, & explicitè intendit aliquam qualitatem in coniuge, quam putat adesse, ita quod non consentiret, si non adesset, si cum tali errore contrahit, licet talis contractus habeatur adhuc pro valido in foro externo, in re tamen est inualidus, & pro foro conscientiæ; Et ait hanc assertionem esse communem cum Scoto 4. *d. 15. art. 3.* & 10. vbi tractat de contractu donationis cum errore. Probat autem, quia consensus non est validus, nisi adsit in obiecto id, quod requirit consentiens, nam sic non in illud, sed in aliud consentit, & deceptus, & ità inuoluntariè, ignorantia enim tollit voluntarium ex 3. *Ethic. cap. 1. & c. 3.* vbi Arist. ait errorem cuiuscunque circumstantiæ tollere voluntarium, quia deficiente tali qualitate, deficit etiam consensus, mutata enim vel ablata ratione aliqua in obiecto vnius actus simplicis, & indiuisibilis mutatur, seu tollitur totus actus. 391

Confirmatur, quia si quis intendit dare eleemosynam egeno, si dat alicui apparenti egeno, qui re vera talis nō est, donatio illa non est voluntaria, & accipiens eleemosynam non acquirit dominium illius defectu consensus largientis; ergo nec coniux fingens diuitias, aut nobilitatem acquirit dominium corporis alterius coniugis sibi per matrimonium traditi; & hoc est commune omni contractui, venditioni, permutationi &c. quod error circà qualitatem censetur sufficere ad reddendum actum irritum, & nullum; sunt enim contractus quasi conditionati, in quibus verificanda est conditio, vt sint validi.

Communis tamen, & certa sententia est, errorem qualitatis per se non dirimere matrimonium, etiamsi fuerit antecedens, & dans causam contractui, nisi tamen consensus fuisset conditionatus sub tali qualitate, aut nisi error qualitatis transeat in errorē personæ, vt supra dictum est. Ita Theologi passim, & Iuristæ apud Auctores supra cit. Ratio est, quia substantia huius contractus consistit in consensu inter personas, & de reliquo qualitates se habent accidentaliter, sed error circà accidentia non debet dirimere contractum, quando eius substantia subsistit: ergo error qualitatis matrimonium non dirimit, etiamsi errans contrahat expressè motus à qualitate circà quam errat, quia ex eo quod expressè mouetur à qualitate illa, & ita, vt si non erraret circà illam, non contraheret, non ob id contrahit dependenter ab illa qualitate tanquam à conditione, sed tantum motus ab illa tanquam à causa finali, vt notat Hurtadus *disp. 13. diffic. 2.* Deindè probatur à posteriori, & ex absurdis, quia si hoc verum esset, pariter non valeret matrimonium, quando aliqua accipitur, vt virgo, quæ tamen talis non esset, quod tamen neque Brancatus ipse concedit art. 4. præcedenti, quia oppositum expressè habetur in dicto *cap. Vnico 29. quæst. 1.* consequentia patet ex paritate rationis, vir enim ducit illam ex errore, quo putat eam Virginem alioquin non ducturus, si sciret eam vitiatam, & contrahens regulariter hāc qualitatem intendit in coniuge determinatè, & explicitè; ergo si hoc Brancatus concedit de Virginitatis qualitate, alioquin confunderetur societas fidelium, pax turbaretur, & familiæ multæ publico infamiæ contemptui exponerentur, vt benè discurrit in fine præcedentis articuli, tantò magis idipsum concedere debebat art. sequenti de alijs qualitatibus minoris momenti, quod scilicet etiam determinatè, & explicitè intentæ in coniuge matrimonium non dirimunt, nisi hoc esset per modum conditionis tali contractui assignatæ. 392

Ad Fundamentum oppositæ sententiæ dicendum, quod si consensus non est conditionatus, sed simpliciter absolutus, vt supponitur, quamuis feratur in personam, in qua intelle- 393

ctus

ctus apprehendit, & existimat, in esse talem, vel talem qualitatem, quæ tamen re vera non insit, non per hoc deficit, aut de facto tollitur consensus; vt enim aduertit Auersa loc. cit. aliud est, quod quis actualem consensum voluntatis habeat conditionatum v. g. accipio te, si talis conditio adsit, aliud verò quod per intellectum iudicet talem circumstantiam adesse alioqui non accepturus, si sciuisset non adesse; ille enim consensus conditionatus destruit matrimonium deficiente conditione, sed iudicium conditionatum non præiudicat; & deficiente qualitate deficit consensus, quando est conditionatus sub tali qualitate, quia non purificata conditione, nec etiam purificatur consensus, nec transit in absolutum, sicut requiritur ad matrimonium; at si consensus non est conditionatus, sed simpliciter absolutus, quamuis feratur in personam, in qua intellectus apprehendit, & existimat inesse talem, vel talem qualitatem, quæ tamen re vera non insit, non per hoc deficit, aut de facto tollitur consensus, sed ad summum dicere valebit, quod defecisset, si ille sciuisset talem qualitatem non adesse, quod ad reddendum irritum matrimonium non sufficit, vt suprà dictum est; Et quando dicitur, ignorantiam causare inuoluntarium ex 3. Ethica respondetur errorem qualitatis personæ non impedire perfectum, & simpliciter voluntarium, & consensum circà ipsam personam, quæ est materia substantialis matrimonij, sed tantùm efficere inuoluntarium secundum quid, quando est causa contractus matrimonij, cùm quo optimè stat voluntarium simpliciter, quod sufficit ad valorem contractus matrimonij.

394 Ad Confirmationem respondetur cum Hurtad. cit. & alijs concesso antecedente negando consequentiam, & paritatem, & ratio disparitatis est, quia tunc in elargitione eleemosinæ deficit titulus, nempè paupertas, ac proindè deficit valor elargitionis eleemosinæ, & ratio acquirendi dominium illius ex parte accipientis; in traditione verò corporis in matrimonio, quamuis deficiat qualitas intenta, non tamen deficit titulus, & ratio acquirendi dominium corporum, quia traditio corporis non fit pro qualitate, sed pro corpore, aut pro persona. Et licet in alijs contractibus error circa qualitatem censeatur sufficere ad reddendum actum irritum, & nullum, etiam in Sponsalibus ipsis per dolum celebrati dantem causam ipsis; non propterea sic etiam de matrimonio discurrendum est; & ratio disparitatis est, quia in alijs contractibus, de quibus præsertim agit Doctor *disp. 15. cit.* interdum error qualitas spectat ad substantiam certi contractus, nempè vel ex speciali dispositione iuris positiui, vel ex conuentione ipsorum contrahentium, quandò nempè cadit super materiam talis, vel talis, & qualitatis sic reddit irritum contractum; constat autem diuersam esse rationem de matrimonio, & plurimas esse causas, quæ alios vitient contractus, non verò matrimonium, vndè doctrina à Scoto allata *loc. cit.* de alijs contractibus, de quibus ibi præsertim loquitur Doctor, non potest hic totaliter matrimonio applicari, & ex integro omni separata paritate; imò inter sponsalia ipsa, & matrimonium adhuc est longè diuersa ratio, & plures possunt esse causæ, quæ sponsalia vitiant, non verò matrimonium, ob maiorem eius indissolubilitatem, & hoc præsertim peculiare est in matrimonio, vt non irritetur per dolum, & errorem qualitatis etiam dantem illi causam, quamuis irritentur sponsalia, & cæteri contractus bonæ fidei, vt ex communi Doctorum docet Bonacina *q. 3. punc. 2.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Impedimento Conditionis Seruitutis.

395 CVm nomen Conditionis sit in sua significatione adeò amplum inter impedimenta matrimonij assumptum est ad denotandum peculiariter statum seruilem; & hoc ex communi vsu, vel abusu, quia propriè loquendo, vt ait Scotus *q. 4. 4. lit. N.* impedimentum conditionis importat consensum conditionatum contrà tria bona matrimonij, vt habetur *cap. final. de condit. apposit.* & seruilis conditio intelligitur eorum, qui sunt propriè serui idest mancipia; etenim apud Iurisperitos serui sunt triplicis generis; Quidam enim dicuntur serui adscriptitij, & sunt illi, qui sunt perpetuò addicti ad colenda prædia, quorum prædiorum reditus acquirunt Domino præter sumptus, & victum. Alij dicuntur originarij, & sunt illi, qui ortum habent ex dictis adscriptitijs, & tam isti, quàm illi sunt verè liberi, quamuis ad aliquas operas teneantur. Alij tandem sunt ita Domini, & sub eius potestate, vt eos vendere possit, & de Conditione seruitutis in hoc sensu hic est sermo. Hoc supposito conueniunt Doctores matrimonium contractum cum errore conditionis non esse inualidum, quando persona, cum qua contrahitur, est æqualis, aut melioris conditionis, & ità præsertim docet Scotus *d. 30. cit. quæst. 1. B. & d. 36. q. 1. art. 1.* vbi dicit errorem in meliori, & etiam æquali conditione non annullare matrimonium, quia in vtroque casu conditio contrahentis non fit deterior, sed melior in primo, & æqualis in altero casu; Ecclesia enim hoc impedimentum apposuit, vt non fiat iniuria personis liberis; cùm igitur nulla inæqualitas interueniat, vel iniuria, quando persona, cùm qua contrahitur, est æqualis, vel melioris conditionis, sequitur matrimonium in tali casu cum conditionis errore contractum esse validum; ex qua fit seruum contrahentem cum serua, quam credebat esse liberam, aut contrahentem cum libera, quam putabat esse seruam validè contrahere, & ità habetur *cap. Si quis, & cap. Ad nostram.* De coniugio seruorum, nam in primo casu fieret æqualis conditionis, in secundo melioris.

Conueniunt etiam Doctores matrimonium contractum cum errore conditionis esse inualidum, quando conditio errantis fit deterior, vt quando liber contrahit cum serua, quam credebat liberam. Hoc etiam constat ex Iuribus iam citatis, & ex ratione adducta, cùm enim ab Ecclesia hoc impedimentum fuerit inductum ad tollendam inæqualitatem, & ne iniuria fieret alteri contrahenti; magna adesset inæqualitas, si validum esset matrimonium, quando in deterior conditio errantis, vt in casu posito contingeret, quando scilicet liber contraheret cum serua, quam liberam esse credebat; Ita etiam Doctor *loc. cit.* quod probat ratione satis euidenti, quia liber intendit commutationem in corporis liberam facere pro potestate libera corporis alterius, sed seruus non potest hanc liberam facere, quia est omninò subditus Domino per seruitutem, qui eum vendere potest etiam extrà patria in longinquas regiones; ergo liber non censetur in seruum scienter consentire, & sic ex defectu consensus liberi contractus est nullus; Et hoc etiam aduertendum est, quando ignorantia seruitutis esset vincibilis, vt benè notant Sanchez, Coninchius, Auersa, & alij, quia hic non agitur de culpa vitanda, sed de validitate matrimonij, quæ omninò requirit scientiam huius conditionis, sicut *art. praeced.* dicebamus de errore personæ, quarè in hoc casu ignorantia vincibilis, & crassa non æquiparatur scientiæ. Quando tamen contrahens opinionem haberet, aut probabilem dubitationem de conditione seruili personæ, cum qua contrahit, tunc benè matrimonium valeret, vt hic aduertunt Bonacina, Ponce, Rebellus, Auersa, & alii, quia hæc opinio, & dubitatio venit sub nomine scientiæ, idest notitiæ in hac re, & in hoc casu contrahenti non fit iniuria, eo quod inæqualitas videatur esse voluntaria. 396

Est tamen Difficultas, an error seruitutis, seù ignorantia in persona libera dirimat matrimonium iure naturali, aut tantùm Ecclesiastico. Hoc secundum asserunt Sanchez, Tancred. Hurtadus, Coninch. Auersa, Caspensis, & plures alij. Fundamentum est, quia seruitus non est defectus substantialis personæ, sed qualitatis; ergo error, aut ignorantia illius non aufert consensum perfectum, & simpliciter circà materiam substantialem matrimonij, ac proindè non dirimit illud ex natura rei, sed tantùm iure Ecclesiastico in dictis capitibus habito. 397

Confirmatur, quia matrimonium liberi cum ancilla, cognita seruitutis conditione, validum est, vt omnes fatentur; ergò seruitus suaptè natura matrimonio non aduersatur, ac proindè non dirimit illud iure naturæ; consequentia probatur, quia quæ iure naturæ ad matrimonium sunt requisita, aut illi aduersantur, nequeunt contrahentium voluntate renunciari, sicut quia iure naturæ naturalis impotentia dirimit matrimonium, non potest fœmina cum viro, quem impotentem cognoscit, validè contrahere, & iuri suo renunciare. Denique probatur, quia seruitus non tollit simpliciter liberum matrimonij vsum, sed solùm impedit certis temporibus, quando scilicet Dominus licitè seruum occupat, ac proindè non aduersatur naturæ matrimonij, quod non obligat ad reddendum debitum pro semper, sed tantum quando legitimum impedimentum non obstet.

398 Oppositam verò sententiam, quod scilicet error conditionis personæ matrimonium irritet, non tantum iure Ecclesiastico, sed etiam naturali, & diuino, docent Palacios, Siluester, Petrus de Soto, Mairon, Almanus, Angles, & plures alii ex nostra schola, quarè Hiqueus *loc. cit.* ait hanc esse veram Doctoris sententiam *d. 30. quæst. 1.* dum ait hunc errorem esse contra conditionem per se requisitam ad hunc contractum, idque clarius docere *d. 42. quæst. vn. §. Ex dictis breuiter*, vbi connumerat hoc impedimentum inter ea, quæ ex natura contractus irritant, & distinguit impedimenta, quæ iure naturali, aut diuino irritant ab aliis, quæ tantum iure Ecclesiastico; idem etiam sentit Poncius ex nostris *disp. 46. q. 10.* & approbare videtur Brancatus *disp. 21. art. 2.* Fundamentum autem huius asserti, vt notat Hiqueus ibidem, non sumitur ex eo, quod seruitus repugnet ex natura rei contractui matrimonij, nam quoque nos concessimus, & Scotus ipse docet *d. 36.* quod non repugnat alioquin coniugia seruorum scienter tacta essent inualida, quod est falsum ex *c. 1. De coniugio seruorum*; sed ex ratione, quam Doctor adducit, nempè ex defectu consensus per se requisiti ad contractum, quem talis error impedit; Quod autem talis error hùic consensum impediat, probatur, quia error circà personã iure naturali impedit contractum, & similiter error in qualitate, quando in personam reddundat, seù quando transit in errorem personæ, vt constat ex dictis *art. præced.* sed error conditionis redundat in personam, ergo etiam eodem iure impedit, quo error personæ; minor probatur, quia contrahens non solùm intendit contractum, sed etiam æqualitatem ex vi præsenti consensus, ità quod sicut transfert liberam potestatem sui in alium, ità etiam acquirat liberam alterius potestatem; in contractu enim oneroso alius consensus interpretari nequit, quo sibi præiudicaret; ergo non solum personam respicit, tanquam materiam, sed etiam quoad æqualitatem dati, & accepti seruando medium rei; atque ideò consensus eius præsens ex errore antecedente conditionis non solùm, & præcisè respicit personam, sed etiam æqualitatem in commutatione, & sic personam respicit, vt ei affixa est hæc conditio, qua seruetur talis æqualitas; Quarè cùm in contractu liberi cum serua talis non adsit æqualitas, si talis conditio ignoratur à contrahente, eius consensus debet censeri inuoluntarius, & consequenter deest consensus liber ad validitatem matrimonij per se requisitus; Idque concedere debent Aduersarij dicentes hoc impedimentum fuisse ab Ecclesia inductum ad tollendam inæqualitatem, quæ adesset, si validum esset matrimonium, quando fit deterior conditio errantis, id est quando liber contrahit cum serua, quam credebat liberam esse. Quoniam igitur ius naturæ, ideò ius positiuum statuit, vt si quis aduertens coniugem, cum qua contraxit, esse seruam, reclamet, & sit audiendus, & matrimonium declarandum etiam in foro externo nullum, quale reuera est, vt declaratum est in dictis capitibus.

Confirmatur ex paritate consensus coacti, qui ex defectu libertatis annullat contractum non tantum iure positiuo, sed etiam naturali, & diuino, quia hic contractus ex natura sua talem libertatem requirit in consensu contrahentis; sed hic similiter est defectus libertatis in contrahente, sicut & scientiæ requisitæ ad libertatem ergo lex naturalis, & diuina, quæ matrimonia non libera annullat, habet eundem effectum, siuè tollatur libertas per coactionem siue per ignorantiam, cùm eadem causa subsit non minus enim ad libertatem consensus requiritur, vt absit coactio, quam vt adsit scientia requisita.

399 Ad Fundamentum in oppositum dicendum est, quod etiam error in qualitate matrimonium irritat iure naturali, & inualidum reddit, quando refunditur in personam, seù transit in errorem personæ; sic autem in proposito facit error conditionis, quando ignoratur à contrahente, quia contrahens non solùm intendit contractum, sed etiam æqualitatem ex vi præsentis consensus, qui tendit in personam, vt ei affixa est hæc conditio, qua seruetur talis æqualitas, quæ proindè conditio est per se requisita ad matrimonii validitatem, quia in eo non solum personæ respicitur, tanquam materia substantialis contractus, sed etiam quoad æqualitatem dati, & accepti. Ad Confirmationem concesso antecedente negatur consequentia, ad cuius probationem patet ex dictis nullitatẽ huius contractus nõ prouenire per se ex conditione seruitutis, sed ex defectu consensus liberi, qui per se ad matrimonium requiritur, vndè seruitus vt talis, vtique naturæ matrimonii non repugnat, vt supradictum est; sed vt ignorata à contrahente, quia sic est contrà naturam consensus voluntati, non enim consentitur in personam seruam, si ignoratur, sed in liberam, secus si ea cognoscatur. *Ad vltimum* concesso antecedente negatur consequentia, non enim matrimonium cum serua ex errore conditionis antecedente est nullum quia seruitus tollat simpliciter, & absolutè liberum matrimonij vsum, sed quia ex tali ignorantia consensus liber, & per se requisitus deficit; licet enim serua habeat ius permutandi corpus cum libero, & hic posset ab ea exigere iura sufficientia matrimonii, vt ait *Scot. d. 36. q. 1. ad 1.* nihilominus non vult in vxorem, cum qua fit vna caro, seruitutem, quæ est pœna quædam atrox, & nimis inæqualem sibi reddit vxorem in conditione, quæ inæqualitas, & pœna ignorata reddit consensum eius inuoluntarium, & ad validè contrahendum omninò ineptum: nam in contractibus in re permutata semper æqualitas dati, & accepti intenditur à contrahentibus vt per se requisita ad valorem contractus.

Dices, consensum contrahentis in tali casu non esset erroneum, circà substantiam matrimonij, quæ respicit personam tantum, sed circà qualitatem, & sic esse inuoluntarium secundum quid. Respondetur esse errorem in substãtia, quia in tali casu error in qualitate redundat in personam, seù trãsit in errorem personæ, quia in personam non fit consensus, & vt excluditur nisi seruata æqualitate, & vt libera censetur, & graue detrimentum repugnans fini ipsius matrimonij, & ideò in tali casu error est etiam in substantia contractus, non tantum in circumstantiis. Vtraque ex dictis opinionibus probabilis est, si prima teneatur scilicet quod error conditionis seruilis matrimonium dirimat iure tantùm Ecclesiastico, tunc consequenter dicendum est matrimonium contractum inter infideles cum errore conditionis seruilis validum esse, nisi ex alio eorum iure irritum esset; si verò teneatur secunda, quod scilicet matrimonium cum tali errore contractum sit etiam irritum iure naturæ, tunc etiam consequenter dicendum est, matrimonium inter infideles contractum inualidum esse, cùm ipsi quoque tali iuri sint subditi.

400 Sed adhuc est Difficultas, an matrimonium contractum cum serua, quam coniux putabat liberam, fiat validum, si eo defectu cognito coniux habeat copulam cum ea affectu maritali. Affirmant communiter Doctores, dummodò adsit nouus consensus verbis, vel alio signo expressus, & ità decisum est *cap. 2. & vlt. de Coniug. Seruorum* vbi definitur validari matrimonium anteà nuliter contractum cum serua per copulam cum tali serua habitam post cognitam seruitutis conditionem, quæ prius ignorata matrimonium impediebat, ac dirimebat, & ratio est, quia consensus coniugalis non solùm verbis exprimitur, sed etiam signis, & factis, inter quæ est copula animo tamen coniugali habita, quod tamen intelligẽdum est iuxtà explicationem superius allatam *q. 13. art. 2. n. 381. & 382.* Hoc autem quamplures dicunt locum habuisse antè tempore Concilij Trident. ac etiam nunc absolutè procedere, vbi non viget Concilii decretum de assistentia Parochi, & testium; vbi autem viget dicunt copulam subsecutam post agnitam seruitutem, esto animo maritali habitam, non validare matrimonium. Ratio est, quia post Concilium non est validum matrimonium per consensum secretum contractum, & multò minus matrimonium præsumptum, vt esset hoc, sed debet fieri cum consensu externo valido coram Parocho, & testibus; Et licet contractus ille fuisset factus coram Parocho, & testibus, illa tamen publicitas nihil influeret in matrimonium, quod existimaretur cõtrahi, vel realiter fieret per nouum consensum habitum in actu, vel antè actum copulæ carnalis subsecutæ; ità discurrit ex nostris Brancatus *disp. 21. cit. art. 2.* adducens pro se Barbosam, & Poncius.

401 Sed quamuis verum sit post decretum Concilij non esse validum matrimonium per consensum secretum contractum sine Parocho, & testibus, vt superius dictum est *q. 8. de Matrimonio Clandestino*; quando tamen contractus ille cum serua fuisset ab initio factus coram Parocho, & testibus talis solemnitas non est amplius necessario adhibenda in reualidatione matrimonij prius inualidi iuxtà iam dicta *q. 13. art. 2. nu. 384.* nisi in casu, quod impedimentum matrimonij nõ esset ità prorsus occultum, vt supponitur, sed esset aliquibus notum, itaut posset probari, aut sciri, in tali enim casu requiritur denuò solemnitas à Concilio præscripta in reua-

reualidatione matrimonij ob rationem ibi adductam, vt etiam notauit Auersa q. 12. art. 2.

402 Tandem Disputatur etiam, num validetur matrimonium nullum per liberationem serui, vt v. g. si quis ducat Annam, quàm putat liberam, sed est ancilla, & posteà contingat illam à Domino libertate donari adhuc in initio viro, ac deindè vir illam habeat quoque in vxorem, & affectu maritali cognoscat vt anteà solebat, disputatur, inquam, an per talem liberationem posteà à Domino habitam matrimonium anteà nullum perficiatur, & validetur. Et quamuis aliqui affirment, vel saltem probabile reputent, negant tamen communiter alij tam Theologi, quam Iuristæ, & ratio est, quia coniux ille, quamdiù inscius est nullitatis, per actus coniugales sequentes censetur approbare solùm, & ratificare præcedens matrimonium, quod bona fide validum putat; cùm ergò re vera illud sit inualidum, non adhuc illud reualidat, donec conscius nullitatis illud per nouum consensum ratificet, aut saltem intendat, & dicat quod etiamsi præcedens matrimonium cum Anna fuisset inualidum, vult de nouo contrahere iuxtà dicta superius quæst. 13. art. 2. de modo validandi matrimonium cum impedimento dirimente contractum sublato impedimento. Alia plura à Theologis, & Canonistis de hoc impedimento seruitutis disputari solent, quæ apud alios videnda relinquo, quia huiusmodi impedimentum hodiè inter Christianos rarissimè contingit, nisi fortè respectu eorum, qui per Iudicis sententiam damnati sunt ad triremes in perpetuum eorum vita durante, aut carceri perpetuò mancipati, tales enim cùm sint serui pœnæ, vt iura loquuntur, seruilis conditionis leges subire debent. Hæc autem omnia videri possunt apud Scotum clarè discussa d. 36. q. 1. vbi ex professo agit de Impedimento seruitutis.

ARTICVLVS TERTIVS.

De Impedimento Violentiæ, & Raptus.

403 DE Violentia tractatum est suprà circà matrimonij libertatem q. 4. de libertate ad contractum coniugalem requisita, violentia enim, seù vis, quæ inter impedimenta dirimentia recensetur, coactionem significat, qua quis minis, & metu ad contrahendum inducitur, qualiter autem matrimonium metu contractum sit irritum, & nullum ex defectu libertatis ad talem contractum requisitæ iam ex instituto discussum est qu. cit. art. 3. Quarè hic solùm restat agendum de impedimento raptus, qui proximè ad violentiam accedit, neque hic est sermo de raptu, prout importat quandam luxuriæ speciem, sed solùm quatenus impedit, seù dirimit matrimonium, & quidem quatenus tantum impedit egimus supra qu. 12. art. 2. nunc autem agendum est de raptu etiam dirimente. Hic autem importat violentam fœminæ extractionem puellæ, vel mulieris qualiscunque illa sit, de domicilio, seu loco, in quo morabatur, siuè esset domus parentum, siuè alius quicunque, ita vt violentia, qua abducitur sit physica aut moralis nempè minis, & metu graui, non autem solis precibus, aut blanditijs, seù donis, aut promissis, vel etiam dolo, & fallacijs. Et quidem iure antiquiori hoc impedimentum ità matrimonium dirimebat, vt nullatenus inter raptorem, & raptam consistere posset, etiamsi rapta in pristinam libertatem remissa consentire, & contrahere vellet, ità habetur cap. Placuit 36. quæst. 2. Iure tamen Canonico nouiori correctum est, vel potius ablatum in cap. final. De Raptoribus, vbi sub Innocentio Tertio statutum fuit matrimonium inter raptorem, & raptam valere, si rapta consentiat libere, absque clausula, quod rapta prius esset in locum alium liberum restituta. Iure tandem nouissimo Tridentini sess. 24. cap. 6. de matrimonio irritatur matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiù rapta manet in potestate raptoris, non verò si fuerit separata, & in loco tuto, & libero restituta, vnde Concilium limitate hoc impedimentum constituit, scilicet pro eo solùm tempore, quo rapta in potestate raptoris manserit; sed postquam in locum liberum fuerit restituta extrà potestatem raptoris, possit cum eodem raptore contrahere, si velit, absque vlla impedimenti dispensatione, vbi etiam aduertendum est hoc impedimentum tantùm habere locum, vbi Tridentinum receptum fuit, & viget. Circà tamen hoc Tridentini decretum aliquæ contingunt difficultates hic breuiter expediendæ.

404 Primò itaque Dubitatur, an raptus quo fœmina inuitis parentibus ipsa tamen consentiente, rapitur, dirimat matrimonium. Affirmant nonnulli dicentes, quod Raptus propriè dicitur, quando persona aliqua inuita, vel resistentibus eius parentibus, seù illis, sub quorum cura est abducitur per vim ad matrimonium contrahendum, vel libidinem explendam. Vndè quando nulla vis infertur in abducenda fœmina, sed ipsa sponrè, aut etiam precibus discedit cum amatore nescientibus parentibus, non est propriè Raptus, sed potius est fuga voluntaria, nulli enim vis infertur, at secus dicendum est, quando parentes sciunt, & renuunt, Ità Bonacina q. 4. punc. 18. citans Henriquez, Gutierez, Tuscum, Molinam, & alios.

Negant verò Sanchez, Tancred. Coninch. Hurtad. Caspensis, & alij, & meritò quidem, quia vt ait Hurtad. disp. 23. diffic. 3. Tridentinum in dicto decreto loquitur tantum de Raptu, quo læditur libertas ad matrimonium requisita, quia huic læsioni tantùm occurrere intendit; dicto autem raptu, quamuis vero, non læditur libertas ad matrimonium, quia non fit inuita fœmina, cuius tantùm libertati, & non parentum ad matrimonium conducit, ideoque in dicto decreto consulitur libertati, non parentum, sed ipsorum contrahentium tantùm.

405 Secundò Dubitatur, an raptus non factus causa contrahendi matrimonium cum rapta, sed causa satiandæ libidinis tantum, dirimat matrimonium. Affirmant aliqui dicentes non solùm esse raptorem, qui abduxit fœminam contrahendi causa, sed etiam qui abduxit causa tantùm explendæ libidinis & consequenter subiacere pœnis contrà Raptorem à Tridentino constitutis. Fundamentum eorum, est, quia Tridentinum generaliter loquitur, & absque illa limitatione; cùm autem constet illum esse raptorem, qui abduxit fœminam causa explendæ libidinis, aut causa contrahendi matrimonium, sequitur etiam ipsum pœnis Tridentini subiacere. Deindè quia raptus etiam non factus causa contrahendi matrimonium lædit libertatem fœminæ ad illud. Tandem quia Trident. ibi punit raptores, & fautores, quamuis Clericos, & tamen Clerici non rapiunt ad contrahendum matrimonium, ergo &c. ità Bonacina loc. cit. Emanuel Sà, Ochagauias, & alij. Negant è contra Sanchez, Gutierez, Reginaldus, Diana, Tancred. Coninch, Hurtad. & alij asserentes matrimonium inter raptorem, & raptam esse inualidum, si rapta sit ad contrahendum matrimonium, secus si rapta sit ad explendam tantùm libidinem, & hæc opinio mihi probabilior videtur.

Fundamentum est, quia vt ait Hurtad. loc. cit. Tridentinum in dicto decreto, & reliquis pœnis punire tantùm intendit eum, qui libertatem lædit ad matrimonium requisitam, vt sic puniendo dictam læsionem impediat; qui autem fœminam rapit, non ad contrahendum matrimonium, sed tantùm ad libidinem explendam, non violauit libertatem ad matrimonium requisitam, neque ad illud coegit, ergò ad nullam pœnam pro dicto impedimento à Tridentino assignatam incurrit. Ex quo patet ad primam rationem in oppositum falsum esse assumptum, quod Tridentinum absolutè, & generaliter loquatur. Ad 2. patet per idem, quia Tridentinum ibi loquitur tantùm de raptu intentione contrahendi matrimonium facto, & deducitur ex eo, quod in dicto capite incipit agere de matrimonio contrahendo inter raptorem, & raptam. Ad vltimum respondetur ibi puniri tantùm Clericos, vt fautores, non vt raptores: addit Hurtadus Clericos posse etiam esse raptores intentione contrahendi matrimonium, quandò non sunt in Sacris. Hoc idem sentit Auersa q. 12. cit. sect. 3. vbi ait; quod solummodò quando quis rapit fœminam ad finem, & effectum contrahendi matrimonium, videtur reddit sic inhabilis ad contrahendum, & tam alii cooperantes, quam ipse, incurrere alias pœnas à Concilio impositas. Alioqui si quis fœminam rapiat ad effectum solùm fornicationis, committit quidem raptum speciem luxuriæ, non tamen de hoc raptu videtur Concilium loqui loc. cit.

Tertiò Dubitatur, an ille dicendus sit raptor, qui puellam, cum qua matrimonium contraxit nondum consumatum, abducit inuitam per vim, quandò ipsa vult vti spatio duorum mensium sibi à iure concesso antè matrimonij consummationem. Affirmat Bonacina loc. cit. adducens Azorium, Molinam, & alios; Ratio est, quia abducit inuitam per vim ad explendam libidinem, & facit illi iniuriam, cùm sponsa habeat ius denegandi debitum intrà bimestre, vt interim deli-

deliberare queat de statu eligendo. Hoc tamen mihi non placet, quia Tridentinum *loc. cit.* loquitur de raptu, quo libertas ad matrimonium læditur, in hoc autem casu non læditur, quia Sponsi quoad hoc iam functi sunt iure suo, & matrimonium cum tota eorum libertate iam contractum supponitur, & ratum. Immò hoc ipsum affirmat Henriquez cum alijs de raptu propriæ sponsæ post inita sponsalia, & antè matrimonium contractum, affirmat inquam, si rapiatur ipsa inuita, non ob id reddi inhabilem ad matrimonium contrahendum, immeritò tamē, vt Sanchez, & Hurtad. aduertunt, quia Tridentinum indiscriminatim loquitur de raptu, quo libertas ad matrimonium læditur in hoc autem casu verè læditur, vndè concilium non sufficienter prouidisset malo vitando, si sponsalia, quæ obligationem ad matrimonium inducunt, stante tali raptu sponsæ adhuc valida essent.

407 Quarto Dubitatur, an ad raptum necessaria sit extractio feminæ è propria domo, siuè parentum: Affirmat Sanchez *lib. 7. disp. 13.* plures alios adducens; & videtur communis opinio. Probabile tamen est, vt inquit Brancatus noster *de... sp. 24. art. 1.* quod raptus etiam sit, si ad effectum contrahendi persona non extrahatur è domo, siuè propria, siuè parentum, sed in ea ità obsideatur, vt non sit libera ad euadendum, & aliò se conferendum, quod etiam fundatè probat, quia finis Concil. Trident. & aliorum statuentium impedimentum raptus fuit, vt matrimonia fierét cum omni libertate, absq; vlla violentia; sed etiamsi mulier non extrahatur, sed in aliqua domo ità obsideatur, vt indè exire nequeat, nec aliò se conferre, adhuc manifesta est violentia; ergo re vera inter raptus species talis obsessio est constituenda. Confirmatur, quia Concilium inualidat matrimonium inter raptorem, & raptam, quamdiù hæc est in potestate raptoris, & vult quod separetur ab eo, & in loco tuto reponatur, non alia de causa, nisi quia stando sub potestate raptoris violentia patitur; sed quamdiù mulier manet in propria domo oppressa, & obsessa à raptore, est in potestate illius, nec est in loco tuto. Denique nisi ità dicatur, non esset sufficienter prouisum libertati mulierum, & matrimonium, & personæ potentes impunè possent cum obsidione mulierum absque abductione, & extractione è propria domo cum eis contrahere, ergo &c.

408 Quintò Dubitatur, an raptus, quo fœmina rapit virū, dirimat matrimonium, si è conuerso v.g. fœmina quædam potestate, & auctoritate pollens virum rapiat, nempè inuitum abstrahendo è propria domo ad finem cōtrahendi cum illo matrimonium. Negant Sanchez, Tancred. Rebell. Bonacina, Hurtad. Caspensis, Coninch. & alij, quia dictum decretum Tridentini est factum contrà raptorem tantùm, non contrà raptricem, cùm loquatur tātum de raptore, & rapta, quibus nominibus solùm veniunt vir rapiens, & fœmina rapta, non autem fœmina rapiens, & vir raptus, & cùm tale decretum sit odiosum, & pœnale non est extendendum ad raptricem, præsertim cum sit maior ratio ad fauendum fœminis ne cogantur, quàm viris. Affirmat vero Henriquez, Rodriquez, Gutierez, Metatius, Vaga, Auersa, & ex nostris Brancatus *loc. cit.* Fundamentum est, quia quoad hoc nō est maior ratio de raptu viri, quàm mulieris, eadem enim ratio pro vtrisque militat, nempè ob libertatem matrimonij, quæ prorsus eodem modo requiritur in viro, & fœmina; ergo si alterutrum abducatur absq; consensu, æque raptus; & quamuis facilius, ac frequentius contingat, vt vir fœminam rapiat, tamen hoc non facit, vt ab hac lege sit exempta fœmina viri rapiens, alioquin fœmina potens rapere posset impunè adolescentē, eumq; cum violentia ad matrimoniū inducere. Conf. quia non minus libertati mulieris, quàm viri consulendum fuit; finis autem Ecclesiæ, & Cōciliorum in statuēdo impedimēnti fuit matrimoniorū libertas; Et licet Cōcilia, & Canones, quasi sēper de mulieribus raptis loqui videantur, nō proindè viri excludi debent, sed ità loquuntur, quia regulariter loquēdo id in mulieribus accidere solet, nō in viris. Hinc patet quid dicendum ad rationem in oppositum, quia vt ait Auersa *loc. cit.* in hac materia ob diuersitatem nominum generis masculini, & fœminini leges commoditatis gratia ex vna parte proferunt nomen masculinum, & ex alia fœmininum, vt in hoc casu raptorem, & raptam, non quia legem, & iussionem suam velint iuxtà sonum materialem ipsorum nominum restringere, sed potius volentes ob identitatem rationis pariter commutatis nominibus intelligi, vt in hoc casu etiam inter raptricem, & raptam, quia vt dictum est, eadem ratio prorsus militat pro mari, & fœmina ob libertatem matrimonij æquè ex vtraq; parte requisitam. Nec obstat, quod cùm decretum Concilij sit correctorium, & pœnale, non debet vltrà proprios terminos extendi, neq; ad casus in eo non nominatos. Quia cùm ex alio capite matrimonij causa sit fauorabilis, pro eius libertate præsumendum est, & ipse Sanchez etiam fatetur ea *disp. 13. n. 17.* legem correctoriam pœnalem, vbi eadem omninò ratio militat, vt est in proposito, extendi debere, quarè cum per decretum Tridentini consulatur libertati contrahentium generatim loquendo, æquè militat, siuè vir rapiat, siuè fœmina.

409 Sextò tandem loquendo de pœnis Raptorum, & cooperantium ad ipsum, ommissis varijs pœnis, quæ habentur in iure ciuili, quas refert Iulius Clarius §. Raptus tria pœnarum genera sunt cōstituta in Trident. *sess. 24. cap. 6. de reform. matrim.* Prima est, vt Raptor, & omnes consilium, auxilium, & fauorem præbentes sint ipso iure excommunicati, perpetuò infames, & omnium dignitatum incapaces; verum tamen excommunicationem istam iure communi non esse reseruatam, cùm in Tridentino nulla fiat reseruationis mentio. Secunda est, vt raptor, siuè matrimonium contrahat cum rapta, siuè nō, teneatur ad decenter dotandam raptam Iudicis arbitrio; quoad alia vero damna tenetur iure naturæ, etiam antè Iudicis sententiam, vt ait Sanchez *loc. cit.* Tertia tandem est, vt sit inualidum matrimonium inter raptorem, & raptam celebratum, quamdiù rapta est in potestate raptoris, etiamsi liberè consentiat; Ex quo patet solùm raptorem incurrere impedimentū contrahendi cum rapta, & non alios ad raptum cooperantes, sed ij alia pœnas incurrunt; & hoc ex ipsis Concilij verbis expressè deducitur, inquit enim inter raptorem, & raptam non posse matrimonium consistere, ac deinde subdit non solùm raptorem, sed etiam alios præbentes consilium, auxilium, & fauorum excommunicationi obnoxios esse, alijsque pœnis. Vndè si quis mādet alteri, vt pro ipso fœminam rapiat, raptor censebitur mandans, non exequens, sed hic se habebit, tanquam auxilium præbens, ac proindè is, qui mandat, non qui exequitur, impedimentum incurrit, & inhabilis redditur ad contrahendum cum tali fœmina rapta, quādiù in eius potestate mãserit.

QVÆSTIO DECIMAQVINTA.

De Impedimento Impotentiæ.

410 CVm finis primarius matrimonij sit prolis generatio, & hæc non nisi per carnalem copulam naturali modo obtineri possit, planè vir, & fœmina qui matrimonio sunt iungendi, ad huiusmodi copulam habiles esse debent, quare impotentia, & inhabilitas ad exercendam talem copulam ad humanam generationem necessariam maximè matrimonium impedit, & hoc est impedimentum dirimens, de quo in præsenti quæstione agendum, est, siuè hoc se teneat ex parte viri, siuè ex parte mulieris, dummodò fuerit eo tempore, quo matrimonium contractum est, non verò postea subsecutum sit; Sed quia varij sunt huius impotentiæ gradus, prius absolutè videndum est, & in generali, qualiter impotentia simpliciter impediat, ac dirimat matrimonium, deindè singillatim, & in particulari, quænam impotentia dirimat iuxtà ordinem, quem seruat Doctor noster *4. d. 34. q. vn.* vbi agit de hoc impedimento.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Impotentia simpliciter ad copulam sit impedimentum dirimens matrimonium.

411 PEr Impotentiam in præsenti, vt dixi, intelligitur inhabilitas consummandi matrimonium, siuè ex parte viri teneat, siuè ex parte fœminæ, quæ inhabilitas non est ex eo præcisè, quod alterutrer coniugum, aut vterque sint steriles, seù ad prolificandum quia impotentia ad generandum, dummodò adsit potentia ad copulam carnalem, & feminationem, non est impedimentum dirimens, vt omnes passim concedunt cum Scoto *4. d. 81. q. vn. ad 3. prin.* vbi ait, quod contrahens non tenetur absolutè ad prolem sed conditionate, si eueniat ad gratanter suscipiendum, & religiosè educandum, & nō ad procurandum studiosè oppositum scilicet ne eue-

eueniat;& vbi est certa impossibilitas ad bonum [illegible] prolis, tunc matrimonium est ibi in remedium, non in offici[illegible], quia vt suprà dixerat *disp. 26. sub Q & R.* institutio diui[illegible] respectu contractus matrimonij licet fuerit ad procrean[illegible] prolé, tanquam propter finem principalem, & primari[illegible], tamen præter hoc fuit institutum etiam in remedium [illegible] vitandæ incontinentiæ post lapsum, tanquam prop[illegible] finem secundarium, & minus principalem; quarè in cas[illegible] sterilitatis matrimonium est in remedium concupiscentiæ [illegible] à homo post Adæ lapsum vritur à concupiscentia, Deus [illegible] autem huic morbo pijssimè subuenit, vt etiamsi proles non [illegible] habe-ri matrimonia fiant, & ideò dixit Apostolus 1. Co[illegible] 7. propter vitandam fornicationem vnusquisque su[illegible] vxorem habeat, & mulier suum virum, & postea nulla [illegible] prolis mentione facta subdit *melius est nubere, quam vri*, qu[illegible]rè Doctores omnes docent validum esse matrimonium [illegible] steriles contractum, quia inter istos adhuc intercedit [illegible] copula apta ex sua natura ad generationem, & videre est apud Bonacina q. 3. *punc. 13. num. 17.* vbi alios citat.

412 Hoc itaque supposito cõtrouersia est, an impotentia simpliciter ad coeundum sit impedimentum dirimens: & quæstio est de impotentia existente, vel adueniente [illegible] antequam matrimonium cõtrahatur, nam si superueniat [illegible] matrimonio iam contracto, conueniunt omnes non dirime[illegible] ob indissolubilitatem matrimonij semel validè contracti [illegible] è sit consummatum, siuè tantùmmodò ratum; Et quidem [illegible] D. Thomas *4. dist. 33. q. 1. art. 2. ad 4.* expressè docet validu[illegible] esse matrimonium inter impotentes, vel potentem, & impotentem contractum ad seruandam scilicet continentia[illegible] & ad castè viuendum tantum; quam opinionem fusi[illegible]mè, & mordicus defendit Basilius Ponce *lib. 7. cap. 56.* & [illegible] alijs sequentibus, vbi contendit posse validè contra[illegible] matrimonium inter impotentes ad fidem castè viuendi, & non ad finem habendi copulam, & hoc pacto valere, se[illegible] contrahatur ad finem habendi copulam non valere, qua[illegible] etiam sententiam, vt de mente Doctoris Angelici noui[illegible]mè tuetur Petrus Labat. *disp. 6.* & vl. cum quibusdam alijs [illegible] explicatione huius impedimenti impotentiæ.

413 . Fundamentum est, quia ad matrimonium non videtur necessaria mutua corporum traditio ad coitum, sed tantùm mutua animorum coniunctio in naturalem vitæ societaté cum diuersitate sexus, quia matrimonium su[illegible] natura non tantùm ordinatur ad prolis generationem, sed etiam ad eã societatem; ergo quamuis impotentia ad coitu[illegible] inhabilitet ad matrimonium contrahendum in ordine ad proli generationem, non tamen ad dictam societatem. Confirmatur, quia potest consistere matrimonium cum traditi[illegible] dominij corporum absque vsu, ac etiam cum antecede[illegible] Virginitatis voto, vt de facto in B. Virgine absque vllo [illegible] sensu in[illegible] copulam, & cum quadam impotentia morali [illegible] illam habendam, ergo similiter cum impotentia phys[illegible] consistere potest, & etiam inter impotentes poterit tra[illegible] dominium corporum, quamuis vsus copulæ sit impossibil[illegible]. Denique quia si superueniat impotentia post matrimo[illegible] contractum, permanente tamen diuersitate sexus, v[illegible] non dissoluitur, vt omnes fatentur; ergò nec si impote[illegible] præcedebat, redditur irritum matrimonium; His itaq[illegible] rationibus fidentes prædicti Auctores dicunt cum D. Th[illegible] *loc. cit.* quod impotentia vnius coniugis, si sit alteri no[illegible], matrimonium non dirimit, sed solùm quando est ignor[illegible], vt dicitur de seruitute, imò addunt alij impotentiam etia[illegible] ignoratam matrimonium dirimere solo iure Ecclesiastic[illegible] non autem naturali, ad instar seruitutis ignoratæ.

Communis tamen opinio tam Iuristarum, [illegible] Theologorum absolutè docet impotentiam simplic[illegible] impedire matrimonium, ac dirimere, non solùm ignor[illegible], sed etiã alteri parti cognitam, nec solùm in ordine ad [illegible] ales actus exercendos, sed etiam ad castè viuendum, & n[illegible] solùm iure Ecclesiastico, sed etiam naturali; & hoc præsert[illegible] inter alios expressè docuerunt D. Bonauent. *4. d. 34. art. 2.* [illegible]. & Scotus noster ibidem, vbi ait ab initio quæstionis, qu[illegible] in generali omnis impotentia simpliciter, & perpetua, [illegible] scilicet non potest subueniri per naturam, vel artem, simp[illegible] impedit contrahendum, & dirimit contractũ; Hoc [illegible] tenent Recentiores passim Sanchez, Hurtad. Tanc[illegible] Valquez, Auersa, Castrensis, qui alios citant, & ex nostris [illegible] 4. *d.* 34. & Brancatus *disp. 23. art. 10.* Et quidem [illegible] Ecclesiastico statutum, siuè expressum inuenitur hoc [illegible] impedimentum dirimens per plures Canones sub titulo d[illegible] Frigid. & Maleficiat. præsertim verò in cap. *Consultationi, & Laudabilem*, dùm in eis absque vlla limitatione, & discrimine impotentiæ ignoratæ, vel cognitæ, & absque discrimine intentionis ad actus coniugales, vel ad castè viuendum, absolutè dicitur, quando est impotentia ad coitum, fœminam nõ posse haberi, vt vxoré, sed tantùm vt sororem, quos Canones per extensũ more suo refert Brancatus noster *disp. 23. cit. art. 2.* Idem etiam definitum legitur in motu proprio Sixti V. in Constit. 59. incipiente *Cum frequenter* vbi ait *Secundum Canonicas sanctiones, & naturæ rationem qui frigidæ naturæ sunt, & impotentes, ijdem minimè apti ad matrimonia contrahenda reputantur*, quibus verbis nõ solùm irrita esse, & nulla huiusmodi matrimonia impotentium declarauit absque vlla distinctione matrimonij ad hunc, vel illum vsum, sed etiam indicauit ità esse non tantùm ex iure Ecclesiastico, sed etiam naturali.

Hinc autem rationem naturalem adducit *dist. cit.* ab initio, quia contractus est datio potestatis corporum ad copulam, si petatur, sed impotens simpliciter non habet potestatem ad talem actum; ergo non potest eam dare, & sic neque contrahere; & hæc est ratio à priori, quàm adducunt Recentiores passim, nempè quia essentialis ratio huius contractus consistit in eo, quod tradatur mutua potestas, ius, & dominium inter virum, & fœminam ad habendam copulam carnalem; sed vbi adest impotentia physica ad habendam huiusmodi copulam, talis potestas, & ius planè tradi non potest; ergò ex natura rei non potest cum ea absoluta impotentia cõtractus coniugalis consistere, nec validè matrimonium contrahi. Confirmat id Doctor ibidem, quia impotens in contractu isto obligat se ad actum illum si petatur, sed huiusmodi actus est sibi impossibilis etiam si petatur; ergo obligat se ad impossibile, obligatio autem ad impossibile est nulla ex lege diuina, ergo nulla est. Tandem argu[illegible] quia alter coniux non impotens intendit commutare potestatem sui corporis pro potestate corporis alterius, [illegible] credit alium è conuersò posse commutare, sed non pot[illegible], ergo hic contrahit cum errore pertinente ad aliquid, quod est per se requisitum ad contractum, talis autem error facit contractum nullũ, vt patet ex *quæst. præced.* Hoc idem probari vlterius potest ex eodem Scoto *4. d. 31.* vbi ait m[illegible] nium ex sui institutione ob duplicem finem contra[illegible] vnum primarium scilicet ad prolificandum, alterum [illegible] darium scilicet in remedium concupiscentiæ, cum [illegible] impotens nullum ex finibus his habere possit in con[illegible] do, consequens est, vt impotens simpliciter sint huius con[illegible] tractus incapaces; Et quidem hæ rationes planè conuincu[illegible] non solùm si impotentia vnius coniugis, erat alter ignota, sed etiam si erat cognita, ac etiam nec posse validè contrahi matrimonium ad castè viuendum cum tali impotẽtia, quia licet nõ sit de essentia matrimonij, vt coniuges habeant voluntatem exercendi copulam, imò possint è contrà animũ habere ab ea abstinendi, & nunquam coniugali sua potestate vtendi, imò quoque id sibi promittere possint, & voto se inuicem obligare; omninò tamẽ de ratione matrimonij est, vt dicebamus cum Scoto, quod coniuges per hunc contractum acquirant inter se potestatem, ius, & dominium ad habendam copulam, si alter eorum petierit, quod quidem cum totali impotentia physica stare non potest.

Deindè probatur hoc idem ratione à posteriori ex absurdis deducta, quam latè prosequitur Auersa *q. 13. sec. 1.* & latius adhuc Brancatus *art. 10. cit.* nam si cum hac physica impotentia posset validè contrahi matrimonium ad naturalẽ vitæ, & officiorum in diuerso sexu societatem, & ad castè viuendum, nõ præstita inter coniuges corporum potestate; Primò sequeretur matrimonium ex se nõ esse perpetuum, quia est tantùm tale ob bonum prolis. Secundò posset etiam contrahi inter potentes, qui si posteà haberent inter se copulam, peccarent peccato fornicationis, siquidem non sibi tradiderunt mutuum corporum dominium, absurdum autem est, imò omninò repugnans, quod coniugium sit verum, & copula fornicaria. Tertiò sequeretur posse matrimonium contrahi inter patrem, & filiam, fratrem, & sorores cum exclusione obligationis ad copulam, quia sunt personæ aptæ ad dictam societatem. Tandem sequeretur, si tali matrimonium esset validum, quod si coniux potens commisceretur cũ alio, non committeret adulterium, sed simplicem fornicationem, quia non faceret cõtrà iustitiam alterius coniugis, cùm illi suum corpus ad affectum copulæ non obligauerit; ideoq; in nullo læsus esset. Quarè ex his rationibus deduci debe[illegible]

41[redacted]

hæc

hæc matrimonia ad castè viuendum solùm contracta, & naturalem vitæ, & officiorum societatem in diuerso sexu, absque vllo corporum dominio, & obligatione ad copulam, esse Chimerica, & absq; vllo fundamento inuenta; siquidem vt ait Brancatus loc. cit. matrimonia non sunt ab hominibus instituta, sed à Deo, & natura, Deus autem in officium naturæ ad prolificandum, & in concupiscentiæ remedium ea instituit, ergò si ad aliud ordinentur, non erunt ex ijs, quæ Deus instituit, nec vinculum eorum habebunt, sed erunt aliæ societates, colligationesque, & contractus innominati; Neque Ecclesia hoc matrimonij genus vnquam cognouit, imò semper declarauit matrimonia impotentium inualida, quod non fecisset, si in aliquo casu valida forent, hunc enim casum sacri Canones expressissent, & excepissent, quod nempè si sponsi contraxerint ad castè viuendum, estò sint impotentes, separari non possint, & tamen nunquam expresserunt; signum ergò euidens est tales contractus ab Ecclesia non habeti, vt matrimoniales.

417 Sed instat Ponce loc. cit. & probat ex summis Pontificibus, & sacris Canonibus, nec etiam Ecclesiastico irritum esse matrimonium impotentium, atque adeò inter fideles posse adhuc validè contrahi eo modo, nam Lucius Tertius Papa *cap. Consult. at. sons de frigid. & Maleficiat.* in huiusmodi casibus, in quibus viri duxerint fœminas, quas nouerint impotentes ad copulam, respondet *Vt quas tanquam vxores habere non possunt, habeant vt sorores*, vbi Pontifex supponere videtur valere quidem tale matrimonium, vt tales coniuges simul maneant ad castè viuendum, tanquam frater, & soror, quamuis rei vxoris, & actibus carnalibus vacare non valeans, nec debeant. Similiter loquitur Gregorius Papa *cap. Requisisti si non potest ea vti pro vxore, habeat vt Sororem, quod si retinaculum coniugale voluerint rescindere, maneant vterque innupti*, quibus verbis supponit Pontifex inter eos inueniri retinaculum coniugale, hoc est, validum matrimonij vinculum; Sic etiam loquitur Celestinus Papa Tertius in *cap. laudabilem* proposito sibi casu de impotente, à quo vxor cognosci non potuit carnaliter per triennium *Si ambo simul esse, vir eam etsi non vt vxorem, saltem vt sororem habeat.* Denique Sixtus Quintus in Const. cit. declarauit nulla, & irrita Eunuchorum matrimonia, qui non ad castè viuendum, sed ad carnales actus exercendos contraxerant, vbi supponit etiam ipse inter impotentes matrimonium celebrari posse in ordine ad castè viuendum, & vt fratres. Imò Scotus ipse hoc approbare videtur *disp. 34.* in fine, dum soluens argumentum de sene impotente ait, si senex esset omninò impotens dicerem, quod non contraheret matrimonium, licet aliqua posset consentire in eum, sicut frater, & soror, & ità fortè multæ magis disponsant diuitias, quàm personas; quibus verbis innuit posse dari matrimonium tantùm ad castè viuendum.

418 Respondeo Canones istos optimè, & singillatim ponderari, & explicari à Brancato nostro *art. 10. cit.* sed breuiter dicendum est, illos solùm voluisse, posse quidem tales coniugatos cohabitare simul, si velint, nec esse cogendos ab inuicem separari dummodò tamen castè viuant ad instar fratris, & sororis; & consilium illud de simul cohabitando, vt frater, & soror, non firmat cohabitationem illam esse verè coniugalem, cum dicant posse separari, si velint; Et planè de hoc chimerico matrimonio ad solùm castè viuendum contracto Pontifices ibi non loquuntur, sed de matrimonio quod tales contraxerant modo consueto ad vacandum actibus coniugalibus, & concedunt illis triennium ad experiendum, si coire possint, & copulari, & rursus, vt si velit is qui potens est, contrahere valeat cum alia persona potente, inquit enim præsertim Gregorius, si mulier, quæ potens est, velit, *si modo nuptias contrahere posse, vir autem, qui frigidæ est naturæ, maneat sine coniuge.* Quod verò dicat *si retinaculum coniugale voluerint rescindere*, non per hoc indicare voluit, quod verè fuerint vinculati, & ligati ab initio, quia tunc non possent amplius solui, & separari, sed tantùm intellexit mutuam cohabitationem, siue apparens, & putatiuum coniugium. Sic pariter, & in eodem sensu locutus est Sixtus Quintus in *Const. cit.* vbi non de nouo Eunuchos reddidit inhabiles ad quomodolibet contrahendum, sed declarauit esse omninò inhabiles. Et sic tandem locutus est Scotus *loc. cit.* loquitur enim de cohabitatione, vt frater, & soror, non autem de cohabitatione verè coniugali, & de consensu ad cohabitandum simul, non ad matrimonialiter contrahendum, alioquin sibi ipsi contradiceret, cùm immediatè antea dixisset, *si senex esset omninò impotens, dicerem, quod non contraheret matrimonium.* *Mth. in Quart. Sentent.*

Ad rationem in oppositum adductam negatur assumptum; 419
nam de essentia matrimonij prout à Deo, & natura institutum est traditio mutuæ potestatis in corpora coniugum ad habendam copulam carnalem, quæ planè physicam potentiam importat, ideoque cùm physica impotentia matrimonium consistere nequit; & quamuis matrimonium ordinetur quoque ad naturalem vitæ, & officiorum in diuerso sexu societatem, quia tamen etiam, & primariò ordinatur ad prolis generationem, ideò ab impotentibus ad coitum, vt potè ad eam ineptis, validè contrahi nequit. Ad Confirmationem concesso assumpto quoad vtramque partem, neganda adhuc est consequentia, quia tradi potest quidem dominium absque vsu, sed non absque potestate, & potentia vtendi, vt dictum est suprà *q. 5. art. 8. n. 162.* potest item contrahi matrimonium cum obligatione morali ex voto abstinendi à copula, vt etiam dictum est *q. 3. art. 3. n. 111.* & ratio est, quia hæc obligatio spectat ad virtutem Religionis, & hæc matrimonio non repugnat; at nequaquam contrahi potest cum impotentia physica coeundi, & copulam habendi, quia talis impotentia per se impedit ius, & dominium mutuum in corpora, quod coniuges in matrimonio præstare debent, & est de essentia contractus coniugalis, vbi autem essentia contractus non potest esse, non possunt illam contrahentes efficere, & cedere iuri suo, & ad illud de B. Virgine iam suo loco diximus adfuisse in ea obligationem ad copulam sub conditione, si peteretur, & Deus dispensasset, etenim sine hac obligatione matrimonium consistere nequit. Ad vltimum negatur consequentia, & paritas, & ratio disparitatis est, quia per superuenientem impotentiam matrimonium non dissoluitur, eo quod existente potentia iam traditum erat ius, & dominium mutuum inter corpora coniugum, sed præcedente impotentia tale ius, & dominium tradi non potest.

Dices, copula non est de essentia matrimonij, & Senes 420 possunt validè contrahere, & Ecclesia id permittit, vt patet ex praxi, & tamen sunt impotentes ad copulam, quod etiam confirmari potest ex facto Dauidis, qui in senectute habuit Sunamitidem, cum tamen tunc esset impotens; ergo impotentia simpliciter ad copulam non est impedimentum dirimens. Resp. negando consequentiam, estò enim actualis copula non sit de essentia; tamen obligatio ad eam est de essentia, sicut licet actualis discursus non sit de hominis essentia, est tamen potentia ad discurrendum, cum enim contractus coniugalis consistat in mutua corporum traditione in ordine ad copulam, si petatur, debet necessariò in contrahentibus reperiri potestas ad eam, alioquin consensus inualidus esset, quia nihil transferretur; Ad illud de senibus inquit Doctor *d. 34. ad 2.* senes impotentes non possunt validè contrahere, neque Ecclesia id eis permittit sed tantùm senibus coire potentibus; & talis erat Dauid, quando Sunamitidem duxit, quamuis enim scriptura dicat, quod cognoscere non potuerit, non tamen dicit, quod cognouit eam; Quandò igitur senes possunt copulam perficere seminando, non habens impedimentum impotentiæ, quia dare possunt sui corporis potestatem coniugi ad aliquem ex duobus matrimonij finibus, & possunt carnalem copulam consumare ad finem procreandi prolem, vel ad remedium concupiscentiæ, vel ad vtrumque, & quando etiam prolificare non possent ob seminis infœcunditatem, & debilitatem, hoc non obstat, nec eos facit impotentes ad contrahendum, alioquin sequeretur matrimonia sterilium esse inualida, quod est falsum, quia nullus est Canon, qui inter impedimenta impotentiæ numeret sterilitatem, sed solum impotentiam coeundi, & alioquin antequam quis contraheret, prius fœcunditatem seminis probare deberet, quod omninò falsum est, & contrà praxim Ecclesiæ; Senes verò qui coire nequeunt, nec copulam perficere, impedimentum impotentiæ censentur habere, quia dare non possunt potestatem corporis alteri ad copulam carnalem perficiendam, nec vlli ex duobus matrimonij finibus iam relatis satisfacere, & ideò reuera impedimentum habent impotentiæ ex omni parte; Alia Basilij Ponce argumenta ex ratione, & Patrum auctoritate deducta vide soluta apud Hiqueum *disp. 34. in Commentario num. 34. & seq.* vbi fusè hanc quæstionem pertractat.

iam ex eorum confessione sciunt quædam facere quæ non possunt destruere; Et quamuis Exorcismus valeat ad pellendos Dæmones, tamen ex iusto Dei iudicio non semper habet effectum vt patet de ipsis Apostolis, qui non potuerunt Dæmonium eijcere Matth. 17. Neque ex *cap. cit.* oppositum deducitur, quamuis enim ibi dicatur, impotentiam perpetuam quando prouenit à natura matrimonium dirimere; non propterea negat dirimere, si ex alio capite proueniat, nempè ex maleficio, cùm id expressè habeatur *cap. final.* 33. *quæst.* 1. de quo videri potest Brancatus noster *disp. cit. art.* 3. & Hurtad. *disp.* 12. *diffic.* 6. qui alios citat.

426 Quintò, carentia vtriusque testis est impotentia naturalis matrimonium dirimens, non verò carentia vnius tantùm, quarè perfectè Eunuchi sunt inhabiles ad matrimonium, & ità eos declarauit Sixtus Quintus Const. cit. 1581. & ratio ex ipsa rei natura deducitur, quia Eunuchi esto cum fæmina coire valeant, & aliquem humorem fundant, tamen semen propriè dictum emittere non valent, sed solùm humorem quendam aqueum à verò semine substantialiter diuersum, ac etiam à semine sterili sexum, aut aliorum, qui non generant; quarè ad perficiendam copulam sunt prorsus inepti, quæ non nisi per veri seminis immissionem perficitur, & ideò ex natura rei sunt prorsus ad matrimonium inhabiles. Nec refert, quod licet non possint consequi finem matrimonij primarium, scilicet generationem prolis, possint tamen consequi secundarium, scilicet satisfacere concupiscentiæ mulieris, & propriæ, qua ratione matrimonium est validum in senibus, & sterilibus. Non refert, inquam, nam non est matrimonium ordinatum in remedium concupiscentiæ, nisi quatenus coniunctio, qua fit satis concupiscentiæ, ex natura rei ordinatur ad finem principaliorem generationis, qualis non est Eunuchorum; non enim potest valor matrimonij ab eius fine primario seiungi, saltem quoad hoc, vt possint coniuges copulari per se ad gignendam prolem; Et licet ad valorem matrimonij non requiratur, vt possit effundi semen simpliciter fœcundum; omninò tamen requiritur, vt verum semen possit effundi, quod vtique fundunt senes, aut aliter steriles, quamuis tale verum semen adhuc sit ex accidentali indispositione infœcundum; at Eunuchi verum semen non effundunt, sed solùm quemdam humorem aqueum à verò semine assentialiter diuersum, & hoc est discrimen, quod inter Eunuchos ex vna parte versatur, & senes, & steriles ex altera quoad matrimonij capacitatem; Secus autem dicendum de Eunuchis imperfectè, qui scilicet carent tantùm vno teste, nam isti validè contrahunt, cùm isti non tantùm verum semen emittant, sed etiam fœcundum, & ad generationem sint apti, & hæc est communi Theologorum sententia.

427 Sextò Difficultas est, an Hermaphroditus idest habens vtrumque sexum possit validè contrahere, & quomodo; & primò conueniunt Doctores posse licitè, & validè matrimonium contrahere iuxtà sexum in eo prævalentem *l. Quæritur ff.* de statu hominum, & ratio est, quia in eo sexu potest generare, & ratione illius præeminentiæ potius vir, aut fæmina appellabitur.

Deindè conueniunt in eo, quod si sexus sit æqualis, possit iuxta sexum, quem elegerit, matrimonium contrahere, præstito iuramento se alio nunquam vsurum durante matrimonio, ità ex Can. 55. *Presbyteros* 16. *quæst.* 1. Quod si facto viduus de facto contraxerit iuxta alterum sexum, adhuc validè contrahet, quia etiam iuxtà eum habet potentiam ad perfectam copulam, & nullo iure contractus ille irritatur, & forsan etiam licitè contrahet, saltem absque mortali, si illud iuramentum non præcesserit, siquidem eo iuramento secluso, nulla in hoc apparet inordinatio saltem grauis; Ità Hurtadus *disp.* 12. *diffic.* 10. Bonacina tamen *quæst.* 3. *punc.* 13. cum Sanchez, Gutierez, Vgolino, Coninchio, & alij ait hoc non posse facere absque graui peccato, licet validè contraheret, quia electionem variaret in re grauissima, cum sit valdè indecens vti modò vno sexu, modò altero.

428 Est tamen Difficultas, an possit validè contrahere secundum sexum minus prævalentem, quando vterque sexus est inæqualis. Negat Bonacina ibidem cum Sanchez posse hoc validè facere, sicut enim matrimonium celebratum inter personas eiusdem sexus est inualidum iure naturæ inualidum est matrimonium; ità quoque celebratum iuxtà sexum inferiorem ab Hermaphrodito, nam si in eo præualet fæmineus sexus censetur fæmina. *l. Quæritur*, & consequenter cum fæmina contrahere nequit; si prævalet virilis non potest cum viro contrahere, eo quod contrahere censeatur cum persona eiusdem sexus. Hurtadus verò cum Ponce, Caspensis, & alij ait Hermaphroditum posse etiam validè contrahere iuxtà sexum minus prævalentem, quando iuxtà talem sexum est potentia ad perfectam copulam, vt esse potest, quia iure naturali non est inhabilis, cùm verè sit potens iuxtà eum sexum, vt supponitur, neque iure aliquo positiuo, quia nullum extat. Quod autem dicitur in dicta *l. Quæritur* magis censeri virum, quàm fæminam, quando virilis sexus prævalet & è contrà, non obstat, quia etiam tunc est sufficienter fæmina; & quamuis magis censeatur fæmina, quàm vir, quando sexus fæmineus prævalet, etiam non obstat, quia etiam tunc est sufficienter vir.

Dices, quando fæmineus sexus præualet non est Hermaphroditus Ordinum clericalium capax, sed tantùm quando sexus virilis præeminet; ergo similiter in sexu minus prævalente contrahere nequit. Negatur consequentia, & paritas, quia ad sacros ordines suscipiēdos requiritur virilitas, vndè vel vir tantùm est illorum capax, vel saltem ille, in quo talis sexus præualet, si est Hermaphroditus; ad statum autem matrimonij vterque sexus, est idoneus, & hæc secunda opinio mihi quoque probabilior videtur.

Postremò est Difficultas, an fæmina arcta incisionem pati teneatur, vt ad coitum apta reddatur, seù an impotentia arctationis in fæmina sit impedimentum dirimens; & sensus quæsiti est, an Virgo, quæ ratione arctitudinis non potest perfectè à viro cognosci, potest tamen reserato pudoris claustro, teneatur scissionem pati, vt abeo valeat cognosci, & matrimonium cum ea initum validum sit. Basilius Poncius *lib.* 7. *cap.* 26. quem sequitur etiam Poncius noster *disp.* 46. *quæst.* 13. ait Virginem illam nec teneri, nec posse licitè scissionem pati, quia est contrà honestatem, quod mulier patiatur se incidi, ac proindè ex natura rei tale matrimonium ab initio nullum, & irritum cēseri debere, & impotentiam censendam esse perpetuam respectiuè ad talem fæminam, si peractis tribus annis à iure designatis ad experiendam viri potentiam, adhuc non valuerit pudoris claustra reseruare, & consequenter in hoc casu integrum esse vtrique ad secundas nuptias transire. 429

Opposita tamen opinio communior, & probabilior asserit, Virginem sponsam debere in tali casu scissionem pati, si absit vitæ periculum, & graue incommodum, quia potest secundum rectam rationem pati illam, vt posset ob alias infirmitates tollendas pati simile remedium, aut etiam illud ipsum, si hoc esset necessarium; non est autem inhonestum, quod fit secundum rectam rationem, nulla enim apparet turpitudo in eo, quod natura arte iuuetur ad actum honestum exercendum, qualis est actus coniugalis, ac proindè si aliàs fieri potest absque periculo vitæ, vt sæpè fieri potest, dictam impotentiam non censeri perpetuam, nec matrimonium dirimere; Et quidem tota hæc doctrina clarè deducitur ex sacris Canonibus *Cap. ex Litteris, & cap. Fraternitatis De Frigid. & Maleficiat.* vbi declaratur eam censendā esse impotentiam perpetuam, quæ Medicorum ope iuuari non potest, & ità etiam loquitur Scotus *dist.* 34. *cit.* ab initio, vbi eam dicit esse impotentiam simpliciter, & perpetuam, cui subueniri non potest per naturam, vel artem; ergo si sponsa, quæ arcta est aliquo artificio iuuari potest, vt coniugali copulæ reddatur apta, censeri non debet impotentia laborare perpetua, nec matrimoniū ab initio cum ea initum nullum, & inualidum. Ità Sanchez, Henriquez, Tancred. Gutierez, Bonacina, Hurtadus, Auersa, Caspensi, & alij passim, qui etiam ad hoc adducunt rationem satis obuiam, quia dum fæmina contrahit, absolutè se obligat ad copulam coniugalem; ergò simpliciter etiam se obligat ad media necessaria eam copulam, si non adsit vitæ periculum, aut aliud graue incommodum; ergo cōsequenter se obligat etiā ad prædictam scissionem, à qua obligatione non liberatur ob molestiam doloris, quia similem quoque interdum fæmina patitur, dum virginale claustrum referatur, & primos edit partos; nec etiam à tali obligatione liberatur, quia talis scissura fit contrà honestatem, quia inhonestum non est, quod fit secundum rectam rationem, vt dicebamus, & in ordine ad actum honestum exercendum, qualis est actus coniugalis. Adhuc tamen verum est, vt prædicti Auctores vltrò fatentur, non teneri sponsam huiusmodi incisionem

nem pari cum grauissimo morbi incommodo, quia non videtur obliganda cum tanto suo incomodo ad debitum coniugale reddendum, & matrimonium adhuc validum censet Bonacina *loc. cit.* ego tamen censerem inualidum, quia impotentia in tali casu perpetua censeri debet respectiuè in ordine ad talem fœminam.

QVÆSTIO DECIMASEXTA.

De Impedimentis Ligaminis, voti Solemnis & Ordinis.

430 IVxtà ordinem ab initio *quæst.* 13. constitutum in declarandis impedimentis dirimentibus, post impedimentum iam declaratum, quod importat inhabilitatem, & impotentiam physicam, seù naturalem ad exercendum actum coniugij; nunc agendum est de impedimentis importantibus inhabilitatem, & incapacitatem moralem; Et quidem primò de ligamine, quod talem moralem inhabilitatem importat ad contrahendum vniuersaliter cum omnibus alijs personis post contractum cum vna persona initum, quod quidem oritur etiam ex natura rei, siuè ex ipsa lege naturæ, ac proindè per se afficit, & obligat omnes nationes. Deindè agendum est de impedimentis Voti solemnis, & ordinis, quæ important quoque inhabilitatem moralem ad contrahendum absolutè cum quacunq; persona, sed tamen oriuntur ex institutione legis positiuæ, & sunt peculiaria inter Christi Fideles in Ecclesia Christi.

ARTICVLVS PRIMVS.

De Impedimento Ligaminis.

431 DE hoc Impedimento agit Doctor ex instituto 4. *dist.* 33. per duas integras quæstiones, vbi ait hoc ligamen nil aliud importare, quàm vinculum viri cum vxore post contractum matrimonium legitimum siuè consummatum siuè tantummodò ratum impediens, & dirimens iure diuino cum altera matrimonium, vt colligitur ex Math. capit. 19. & Marci cap. 10. vbi dicitur *quicunque dimiserit vxorem, & aliam duxerit, mœchatur*, ex quibus verbis sic arguit à fortiori Innocentius Tertius cap. *Gaudemus* extrà de diuortijs *si ergo vxore dimissa, duci alia non potest, quanto fortius, & ipsa retenta*, & ratio est, quia vxor dimissa post legitimum matrimonium adhuc est verè vxor, & hoc idem ex Ecclesiæ praxi, & communi Christianorum vsu expressè deducitur, vndè Concil. Trid. *sess.* 24. *can.* 2. hoc idem his verbis definit *Si quis dixerit licere Christianis plures habere vxores, & hoc nulla diuina lege esse prohibitum anathema sit*, & hoc idem satis patet ex dictis suprà *quæst.* 6. de indissolubilitate matrimonij præsertim accepti in ratione sacramenti, & *quæst.* 7. de Vnitate eiusdem, vbi etiam discussum est, quo iure Polygamia sit prohibita; Et hoc intelligendum est de ligamine inducto non tantùm per matrimonium consummatum, sed etiam ratum, ligatus enim per ratũ nihil amplius habet viuente priori vxore, cum qua contraxit, quod communicare matrimonialiter possit cum altera, quia tũc sit permutatio, & ligamen, seù vinculum oritur ex interno consensu mutuo externè expresso per verba de præsenti ex cap. *Tuæ Fraternitatis* De sponsalibus, actus autem copulæ est vsus rei permutatæ, & non est pars aliqua noua, & essentialis huius contractus, vt ait Doctor 4. *d.* 31. B. sicut emptio, & venditio qui consistit in consensu mutuo, quo duo per pecuniam, vel aliud permutant equum, vsus autem equi ad legitimam permutationem nihil facit, sed est eius effectus. Hinc sequitur, quod si quis ex secundo matrimonio prolem suscepisset teneretur tamẽ ad priorem redire coniugem, si adhuc viueret ex cap. *Licet* de sponsa duorum.

432 Soluitur autem hoc ligamen, & impedimentũ per mortem alterius coniugis, vndè coniux, qui superstes in vita remanet, non est amplius vinculo matrimonialis ligatus, sed solutus, & validè, & licitè ad secundas nuptias potest transire, vt iam diximus *quæst.* 7. ab initio, & hoc expresè deducitur ex D. Paulo ad Rom. 7. *Quæ sub viro est mulier viuente viro alligata est lege, si autem mortuus fuerit vir eius liberata est à lege viri, vt non sit adultera si fuerit cum alio viro, & 1. ad Corint. 7. mulier alligata est lege quanto tempore vir eius viuit, quod si dormierit vir eius, liberata est, cui vult nubat tantum in Domino.* In quibusdã verò antiquis Canonibus, in quibus secundæ nuptiæ reprehendi videntur, sensus solùm est, vt notat Aueria q. 14. *sec.* 2. quod minus laudantur, & habentur, tanquam signum cuiusdam intemperantiæ, & nimiæ concupiscentiæ. Et non solùm primæ, verùm etiam secundæ, & tertiæ nuptiæ sunt sacramentum inter fideles, nihil enim eis deest, ratione cuius non sint sacramentum, cum in illis omnia reperiantur, quæ ad rationem sacramenti matrimonij requiruntur. Adhuc tamen verum est, vt passim Doctores aduertunt per secundas, vel tertias nuptias induci irregularitatem, cùm non perfectè significent coniunctionem vnius Christi cum vna Ecclesia modò copula sit consumata cum secunda vxore; imò irregularitas, non solum per Bigamiam inducitur, qua plures vxores successiuè habentur, sed etiam per eam Bigamiam, quæ incurritur per contractum matrimonij cum Vidua celebratum, vel cum alia ab alio carnaliter cognita, vt notat Bonacina cum alijs q. 3. *punct.* 10. An autem secundæ nuptiæ sint etiam benedicendæ, diuersæ sunt sententiæ, quæ videri possunt apud Stephanum à S. Gregorio *lib.* 3. *cap.* 109. verior tamẽ, & probabilior sententia est, in dictis benedictionibus seruandam esse consuetudinem cuiusque Ecclesiæ, siuè dicta consuetudo sciatur à Pontefice, & toleretur, siuè non sciatur, vt ait Sanchez *lib.* 7. *disp.* 82. *n.* 20.

Sed quia in rebus moralibus, & præsertim in hac re non 433
semper haberi potest certitudo physica, & euidens de obitu alterius coniugis, vt potè in casu absentiæ, disputari solet qualis certitudo moralis requiratur, vt superstes possit tutò tam in foro interno, quàm in externo aliud inire coniugiũ; Et relictis varijs dicendi modis communior, & probabilior est mortem coniugis in casu absentiæ non haberi pro sufficienter probata ad soluendum ligamen nec pro foro interno nec pro externo per cuiuscunque temporis præscriptionem de absentia; ità statutum est cap. *in Præsentia* de sponsalibus, & quidem rationabiliter, quia certitudo moralis, qualis in casu requiritur, non habetur per absentiam multorum annorum; sicut nec habetur per solam famam, cum fama oriri soleat ex auctore incerto, & plerumque fallaci, vndè in causis criminalibus fama non sufficit ad concludendum cap. *Tuam vos De cohabit. cleric. & mul.* Nec etiam sufficit probabilis existimatio mortis prioris coniugis ex varijs coniecturis, & inditijs, vt patet ex *cap. cit. In præsentia & cap. Dominus de secundis nuptijs*, vbi dicitur *Nullus ad secũdas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ex hac vita migrauerit coniux eius*, illud autem constare dicitur quod sub certam saltem moralẽ notitiam cadit, & quidem in re graui qualis est materia matrimonij non debet vir prudens sola probabili existimatione duci cum periculo magni incommodi in casu, quo res verè non ità se habeat. Talis ergò, & tanta certitudo requiritur, quanta iudicio prudentis sufficit ad credendum priorem coniugem certò mortuum esse, vt ait Bonacina *loc. cit.* & ratio est, quia nisi adsit tanta certitudo, contrahentes exponunt se periculo adulterij, cùm fieri possit, vt prior coniux sit superstes, quæ autem, & qualis censeri debeat certitudo prædicta; pluribus declarat Brancatus noster *disp.* 24. *art.* 6. per plures conclusiones; Adhuc tamen verum est, quod si coniugi superstiti ex propria scientia constaret, vt de visu, alterum coniugem esse mortuum, hoc quidem ei sufficeret ad aliud matrimonium validè contrahendum, quamuis ei absque alia probatione non concederetur à iudice.

Sed hic duplex occurrit difficultas. Prima est, an validè secundum contrahat matrimonium, qui sine sufficienti probatione, & certitudine de morte prioris coniugis illud contrahit, sed re vera posteà inuenitur illũ fuisse anteà defunctum, dixi an validè contrahat, quia quod illicitè contrahat conce dunt omnes, constat enim illum in tali casu grauiter peccasse, quia periculo se exposuit nulliter contrahendi, siuè in adulterio permanendi. Ponce *lib.* 7 *cap.* 53. tenet tale matrimonium esse irritum, & nullum, quia ex cap. *In præsentia* inhabilis reddita est persona coniugata ad iterum contrahendum, donec certum nuncium accipiat de morte alterius coniugis, ita quod negligentia ipsa expectandi certum nuncium, quamuis sine vero ligamine prioris coniugij sit impedimentum dirimens, & irritans nouum matrimonium. 434

Communis tamen opinio oppositum docet, nempè tale matrimonium esse validum, cùm sit re vera contractũ mortuo

tuo priori coniuge, ità Auersa, & Brancatus noster *loc. cit.* & hoc expressè habetur in *cap. Dominus*. De secundis nuptijs, quamuis enim, ne matrimonium illicitè contrahatur, præcipiat Pontifex ibi quod nullus ad secundas nuptias migrare præsumat, donec ei constet, quod ab hac vita migrauerit coniux eius; adhuc tamen supponit, & docet valere tale matrimonium absque tali certitudine contractum, & solum dirimi, quando de vita eius constiterit; Et hoc etiam suadet ratio, quia in tali casu vterque coniux esset liber, nec vllum haberet impedimentum, non enim prohibitio de non contrahendo absque certo nuncio est impedimentum dirimens ratione ligaminis, sed ipsum ligamen à parte rei existens, vt patet ex *cap. Dominus* nuper allato, vbi non dicit Pontifex matrimonium esse in re nullum per hoc quod temerè fuit contractum, & absque morali certitudine de morte alterius coniugis, sed eo quod superueniens primus comparuerit. Neq; in dicto *cap. In præsentia* à Ponce adducto dicitur oppositum, sed tantùm declaratur ibi illicitum secundum matrimonium antè habitum certum nuncium de morte prioris coniugis; non autem redditur per hoc irritum, & nullum, nec persona inhabilis ad contrahendum, in casu, in quo re vera prior coniux mortuus erat, sed non adhuc cùm sufficienti probatione; & ibi redditur solùm matrimonium nullum, & irritum, quando contingit inueniri viuum priorem coniugem, vt patet ex verbis ipsius textus.

435 Altera Difficultas est, si è contrà contingat quempiam adhibita omni debita diligẽtia, & cum morali certitudine de morte prioris coniugis, contrahere nouum matrimonium, sed posteà detegatur priorem consortem adhuc viuere, an valeat hoc secundum matrimonium bona fide contractum. Et quidem absq; vlla controuersia certum est apud omnes, hoc secundum matrimonium quantumuis bona fide contractum irritum esse, & nullum, & mulierem teneri ad priorem coniugem reuerti dimisso secundo, quia bona illa fides ad ligamen contractum cum priori non dissoluit, & ità expressè decisum est in iure *cap. cit. Dominus De secundis nuptijs his verbis si post de prioris coniugis vita constiterat, relictis adulterinis complexibus ad priorem coniugem reuertatur*, *& in cap. Cùm per bellicam* dicitur compellendas esse mulieres, vt nouos viros relinquant, & ad priores redeant, quandò adhuc viui reuertantur.

Dices in dicto cap. *Cùm per bellicam* Pontifex remittit in arbitrium prioris coniugis, si velit redintegrare suum matrimonium; ergo supponit solutum fuisse per secundum matrimonium bona fide contractum.

Confirmatur, quia Alexander Tertius cap. *Prelatum* declarat filios in tali casu ex secundo matrimonio bona fide contracto ortos esse legitimos; ergo supponere videtur secundas nuptias in tali casu initas sine peccato, & bona fide esse validas.

Respondetur negando consequentiam, illis enim verbis solum remittitur viri arbitrio, si velit denuò cum sua vxore cohabitare, & eam ad suum consortium reuocare, in quo potius supponitur adhuc prioris matrimonij vinculum manere, & non valere secundum, quarè argumentum potius est ad oppositum.

Ad Confirmationem negatur pariter consequentia, etenim filij ex secundo matrimonio orti declarantur quoque legitimi, non quia matrimonium illud sit validum, sed quia fuit bona fide, & sine peccato contractum.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Impedimento Voti Solemnis Professionis, & Ordinis.

436 Conueniunt Doctores votum castitatis esse duplex, aliud simplex, & aliud solemne; votum solemne est illud, quod emittitur, vel in susceptione sacrorum Ordinum, vel in professione Religionis; votum simplex est illud, quod fit ad libitum cuiuscumque. Docent insuper ex communi consensu non omne votum dirimere, & inualidum reddere matrimonium, licet impediat, & illicitum reddat, vt dictum est supra q. 12. de impedimentis non dirimentibus, sed tantum prohibentibus; specialiter ergò voto, quod dicitur solemne, hæc vis adscribitur dirimendi matrimonium, itaut si post hoc votum contrahatur, sit nullum, & irritum, & ità definitum est in Concilio Viennensi Clementina vnica de Consanguinit. in Trident *sess. 24. can. 9.* & in alijs Concilijs relatis à Sanchez *lib. 7. disp. 26.* & alijs Theologis.

Grauis tamen controuersia est inter eosdem, quænam differentia sit inter votum solemne, & votum simplex, & in quo propriè solemnitas voti consistat; & rursus quo iure votum solemne matrimonium irritet an tantum iure Ecclesiastico, vel etiam iure naturali diuino; Et quidem quamplures docent hoc esse discrimen inter votum simplex, & votum solemne, quod votum simplex est sola promissio castitatis, & continentiæ seruandæ; sed votum solemne est etiam actualis traditio, quarè illud se habet, vt sponsalia, hoc autem vt matrimonium; vndè concludunt votum solemne Religionis consistere in actuali traditione dominij sui ipsius in manus Dei, & superiorum Religionis, & in hoc à voto simplici differre, quod tantùm continet promissionem, & non traditionem. Et hinc posteà deducunt votum solemne irritare matrimonium, non tantùm iure Ecclesiastico, sed etiam iure naturali diuino; quia res semel tradita vni, & in eius dominium translata, ab eoq; possessa iam ex natura ipsa rei, siuè ex naturali iure, non potest amplius alteri tradi, & in dominium alterius transferri; sed professus per votum solemne iam seipsum in totum tradidit Religioni, transtulit dominium sui in Religionem, & possidetur à Religione, ergo ex natura ipsa rei amplius non potest validè tradere, siuè transferre seipsum, siuè corpus suum in dominium coniugis per matrimonium; & hæc etiam est ratio, cur votum solemne matrimonium dirimat, simplex verò tantùm impediat, quia res vni promissa potest quidem validè, quamuis illicitè, tradi alteri, sed res semel tradita vni, & in eius dominio reposita non potest amplius validè alteri tradi, vndè votum solemne se habet; tanquam spirituale coniugium, non potest autem quisquam postquam semel tradidit dominium sui per matrimonium vni coniugi, tradere amplius alteri; pro hac sententia citantur D. Thomas, D. Bonauent. Rictardus, Durandus, Caietanus, Valentia, vterque Sotus, vterque Ledesma, Henriquez, Vgolinus, Graffius, Cou. Turrecremata, & alij tam ex Iuristis, quàm ex Theologis; qui vlterius ex præmisso fundamento inferunt, quod etiamsi solemnitas voti dicatur iure Ecclesiastico instituta; tamẽ adhuc videtur iure naturali matrimonium dirimere; quia postquam Ecclesia instituit vt extent Ordines Religiosi, & tales Ordines approbauit, & constituit, vt professio solemnis sit actualis traditio sui facta Religioni, & postquam Religio eam acceptauit, iam ex natura ipsa rei sequitur, vt non possit quis validè se tradere alteri per coniugium, & hanc sententiam cum tali limitatione approbare quoque videtur ex nostris Poncius *dist. 46. q. 11.*

Opposita sententia est Scoti *4. d. 38. q. vn.* vbi postquam plures reicit differẽtias ab alijs positas inter votum solemne & simplex, adducit etiam hanc, quod solemnitas voti consistit in ipsa traditione, qua quis plenum sui dominium tradit Deo mediante Ecclesia acceptante; non ita fit in voto simplici, quo emisso manet adhuc vouens sui iuris, quia nulla sequitur traditio, aut possessio eius acceptata, & completur contractus tantùm per acceptationem, sicut qui rem suam promisit, non ideò re ipsa, aut dominio priuatur, sed manet apud promittentem, donec sequatur traditio. Hanc autem differentiam impugnat Doctor, quia vouens voto simplici dat potestatem, & ius ipsius Deo, cui vouet ad prosequendum votum, sicut vouens voto solemni, non enim minus transfert aliquis à se, quod immediatè dat Deo, quam quod dat sibi mediante homine Vicario, & omnia quæ requiruntur ad essentiam voti æqualiter reperiuntur hinc, & inde tam in voto simplici, quam in solemni quoad translationem dominij, & acceptationem.

Quod si dicas Deum noluisse potestatem corporis immediatè sibi dari sic quod datio sequens ad coniugium simpliciter nulla esset, sed sic voluisse tantum de datione facta sibi mediante homine, siuè Ecclesia acceptante. Hoc omninò gratis dicitur inquit Doctor, quia Deus etiam votum simplex acceptare censetur cum sit sibi gratum ac proindè translatum in pactum, nec apparet ratio, cur Deus hoc votum quoque non acceptet, tam quoad obligationem, quàm etiam quoad dominij trãslationem rei promissæ in ipsum Deum; nec ex vllo textu Scripturæ probatur posse Ecclesiam impedire, quin homo possit per votum corpus suum tradere ad perpetuam continentiam seruandam; sed tantùm definitur cap. Vnico in 6. eam traditionem esse solemnem, quæ matrimonium posteà contractum dirimit; ergo ista

solem-

solemnitas ex sola traditione non habetur, nam etiam in voto simplici de re præsenti est traditio, sed ex Ecclesiæ institutione, & sic expressè habetur in dicto cap. *Vnico* his verbis, *Voti solemnitas ex sola Ecclesiæ constitutione est inuenta*; Vndè concludit Doctor in fine quæstionis lit. D. quod ratio huius differentiæ est tantùm Ecclesiæ statutum, quæ illegitimat personam solemniter vouentem ad contractum matrimonialem, non autem vouentem simpliciter, & congruentia huius esse potest inquit Scotus, quia vouens simpliciter non sic ponit se in potestate Ecclesiæ quantum ad propositum contractus, sicut vouens solemniter, nam vouens solemniter non solùm in manu Dei se ponit, sicut vouens simpliciter, sed etiam in potestate Ecclesiæ, & ideò vouentem solemniter cogit Ecclesia ad non cōtrahendum, & illegitimat talem contractum, sed vouentem simpliciter relinquit diuino iudicio tantùm, vndè licet contrahendo mortaliter peccet, non tamen Ecclesia talem contractum dirimit; quarè concludit Doctor omnia, quæ in voto solemni sunt intrinsecè, inquantum est actus voluntatis transferentis suum dominium in Deum, reperiri etiam in voto simplici, quod fit de re præsenti, vt voueo castitatem, paupertatem &c. nec in vno esse magis traditionem, quàm in alio, aut aliquam differentiam essentialem, sed tantùm ex Ecclesiæ constitutione minorem vim habere, & ità sentiunt ibidem Tatarentis, Bassolius, Aureolus, & alij Scotistæ.

438 Et hanc sententiam non solùm sequuntur Scotistæ, sed etiam Recentiores ferè omnes, vt Sanchez, Tancred. Gutierez, Ponce, Coninchius, Auersa, Caspensis, Hurtad. Bonacina, Becanus, Stephanus à S. Gregor. & alij passim, qui proindè asserunt votum solemne, & simplex eiusdem materiæ v. g. castitatis non differre essentialiter, nec ex ipsius voti natura, nec iure diuino, sed tantùm accidentaliter ex sola Ecclesiæ constitutione, quę constituit, vt votum solemne dirimat matrimonium subsequens, non autem simplex; votum enim solemne nihil habet suprà votum simplex, ratione cuius magis dirimat matrimonium, quàm simplex, excepto Ecclesiæ decreto, sicut enim in voto solemni traditur persona Deo, ità etiam in simplici; Quod non tantùm probant ex dicto cap. *Vnico* de Voto in 6. sed etiam quia antè tempora Cælestini Tertij, & Alexandri Tertij non est in Ecclesia facta mentio voti solemnis, & simplicis; & Gregorius XIII. in Bulla concessa Societati Iesu anno 1584. incipiente *Ascendente Domino* decidit vota emissa à Religiosis Societatis Iesu post biennium esse simplicia, & adhuc esse in eis veram traditionem, & acceptationem Ecclesiæ; ex quo patet quod sublato Ecclesię statuto nullum votum esset solemne, vndè Congregatio quarundam fœminarum, quas vocant Beatas, licet emittant vota in manibus superioris, cui se tradunt non proindè emittunt vota solemnia, quia Ecclesia ea non accipit, vt talia; Quarè concludunt, votum ex eo tantùm dici solemne, quod in eo adhibeatur certa formula iure Ecclesiastico petita, sicut iuramentum simplex non in alio à solemni differt, quàm quod in hoc seruatur formula quædam præscripta de iure; Vndè si aliquod aliud votum solemne ab Ecclesia institueretur extrà professionem Religionis, & extrà ordinis sacros, illud adhuc esset verè votum solemne, & consequenter haberet effectum irritandi matrimonium.

439 Ex qua doctrina sequitur votum emissum per professionem solemnem Religionis non irritare matrimonium postea contractum iure diuino, aut naturali, sed tantùm iure Ecclesiastico, quia antequam Ecclesia constitueret vota solemnia, erant vota simplicia, de quorum natura non est matrimonium dirimere, sed tantùm impedire, & prohibere, vt suprà dictum est; Vndè inferri potest etiam vim dirimendi matrimonium solo iure Ecclesiastico esse in eodem voto solemni inductam, vel quia solemnitas ipsa ex parte constitit in hac ipsa matrimonij irritatione, vel quia sicut Ecclesia effecit, vt tale votum esset solemne, ità eadem Ecclesia sua peculiari lege instituit, vt per votum solemne tantùm matrimonium dirimeretur, & irritaretur; cuius ratio satis congrua iam à Scoto assignata est, quia vouens solemniter posuit se in potestate Ecclesiæ quantum ad oppositum eius, ad quod est matrimonij contractus, vouentem autem priuatè non illegitimauit, quia non sic se posuit in eius potestate, sed solum in manu Dei, & ideò Ecclesia eum reliquit iudicio diuino.

Confirmant hoc etiam Recentiores citatis, quia per vota simplicia Societati Iesu fiunt veri Religiosi, cum per ipsa fiat vera traditio propriæ personæ ad Religionem, & acceptatio ab ipsa Religione, prout fuit definitum à Gregorio XIII. in Bulla adducta; & tamen dicta vota spectato iure naturæ matrimonium non dirimerent, sed tantùm illud dirimunt virtute dictæ Bullę; igitur vota ex solo iure Ecclesiastico matrimonium dirimunt, quia nimirum solemnitas est tantùm ex eodem iure Ecclesiastico.

Demum probata ratione, quia si aliqua esset ratio, cur dicere debeamus professionem iure naturali reddere irritum matrimonium, esset traditio, quæ per illam fit, & translatio dominij, vt vrgent Auctores primæ opinionis; sed hæc ratio non obstat, quia quantumuis dicatur dictum votum solemne habere nō solùm rationem promissionis, sed etiam traditionis, hæc ipsa traditio non propterea habet ex natura sua vim dirimendi matrimonium, quia alterius generis, & rationis est ab ea traditione, quæ fit per matrimonium, neque hæc traditio facta in voto pugnat cum traditione, quæ fit in matrimonio; quod pluribus exemplis constare potest; nam traditio, qua quis se vendit alteri in seruum, & dominium, quod emens acquirit in illum, non per hoc reddit seruum inhabilem ad contrahendum matrimonium, vt suprà dictum est, eo quod sint traditiones diuersi generis, & ordinis; & coniugatus etiam post matrimonium consumatum potest de licentia vxoris validè profiteri, & si illa adulteretur, sine licentia; & tamen prior traditio per matrimonium facta non dissoluitur, cùm maneat adhuc vinculum matrimonij, & hoc non alia ratione, nisi quia sunt traditiones alterius generis, & ordinis; ergo nulla est ratio, cur dicamus votum in professione emissum iure naturæ matrimonium subsequens dirimere.

Ex his patet quid sit dicendum ad oppositę sententię fundamentum, quia traditio, quæ fit per votum solemne professionis, non pugnat ex natura rei cum traditione, quæ fit in matrimonio, eo quod sint alterius generis, & ordinis; neque ex natura rei in hoc differt votum solemne à simplici, sed ex positiuo iure Ecclesiæ, & tam vis dirimendi matrimonium, quàm absolutè solemnitas ipsa voti instituta est ab Ecclesia; de quo puncto plura habet Hiquæus 4. d. 38. q. vn. in Commentario, vbi probat votum solemne ratione solius solemnitatis differre à simplici voto, & hanc solemnitatem esse tantùm iuris Ecclesiastici; plura etiam habet de votis simplicibus Societatis, quæ ait acceptari ab Ecclesia cum tali limitatione, vt non simpliciter, & absolutè essent perpetua ex parte Religionis acceptantis, & ob id dici simplicia ad distinctionem votorum, quæ in alijs, & in hac ipsa Religione sunt perpetua absolutè tam ex parte votarij, quàm ex parte Religionis, quo non obstante ait adhuc talia vota simplicia verè Religiosum constituere quoad omnia substantialia, & essentialia ex definitione Gregorij XIII. in extrauagāti *Ascendente Domino* contrà quosdam Theologos, qui asserebant vota simplicia Societatis Iesu non constituere Religiosum propriè dictum, ac proindè Iesuitas per professionem trium votorum tantum non euadere Religiosos, sed remanere sæculares, & Ordinarijs subiectos, eo quod vota illa ab ipsis emissa non sint solemnia sed simplicia. 440

De hac quoque materia fusè agit, & eruditè Brancatus noster *disp. 30. art. 2. §. 4.* vbi ipse quoque asserit solemnitatem voti continentiæ non consistere præcisè in hoc, quod per ipsum transfertur dominium corporis vouentis in alium, quia hæc etiam translatio intrinseca est voto simplici; sed consistere in hoc, quod vouens tradit se, & ponit sub alterius hominis potestate vices Dei agentis, & hoc quidem immobiliter tam ex parte vouentis, quàm acceptantis, & Ecclesiæ illegitimantis ipsum ad contractum coniugalem. Ex quo infert *num. 76.* pro solemnitate voti non sufficere sui corporis traditionem Deo factam ad actus continentiæ perpetuo exercendos, quia id adest in omni voto puro, & priuato, neque sufficere præter hoc traditionem factam homini, quia Iesuitæ in professione trium votorum se tradunt Religioni, vt ait Gregorius XIII. in Constit. 89. cit. & tamen ea sunt simplicia ex eodem; neque sufficere, quod traditio sit perpetua ex parte profitētium, quia talis est prædictorum Patrum Societatis, non enim possunt à sui donatione resilire, & tamen vota ab eis emissa post biennium Nouitiatus non sunt solemnia; sed requiri hæc omnia, & præterea vt etiam ex parte acceptantium sit perpetua, vt scilicet 441

scilicet ipsi non possint vouentes dimittere, seù licentiare, & hoc modo habetur voti solemnitas. Et tandem *art.* 5. ipse quoque de mente Doctoris concludit iure tantum Ecclesiastico, non autem naturali, aut diuino, votum continentiæ Religiosorum esse impedimentum dirimens, quod ibi fusè probat pluribus Canonum, & Pontificum decretis, ac rationibus; & prætereà *art.* 6. ostendit ex quo tempore inductum sit in Ecclesia hoc impedimentum dirimens voti professionis Religiosæ; Vbi etiam aduertendum est cum Scoto *loc. cit.* non tantùm id intelligi debere de professione expressa, sed etiam tacita, vt habetur in cap. Vn. de Voto in 6. quod etiam iure nouo confirmatum est, & post Concil. Trid. vt docent Nauarrus, Azorius, Tamburinus, Barbosa, & alij Canonistæ, & per plura decreta sacra Congregat. Concil. à Brancato relata disput. cit. art. 4.

442 Quoad impedimentum Ordinis conueniunt Doctores, primam Tonsuram, quatuor minores Ordines matrimonium non dirimere, imò neque impedire nec iure naturali, vt patet, nec iure aliquo positiuo, quia nullum extat; Sacros autem Ordines etiam subdiaconatus iure Ecclesiastico dirimere matrimonium post Ordinem contractum, ità præter tim docui Scotus 4. d. 37. q. vn. & habetur expresè *ex cap.* 1. *& 2. Qui Clerici, vel vouentes, & ex cap. Vn. de voto in 6.* quod à Concil. Trid. posteà confirmatum est *sess.* 24. *can.* 9. *Si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse, non obstante lege Ecclesiastica, vel voto anathema sit.* Quod autem de omni Ordine sacro id intelligatur est euidens, quia Canones, & Concilia loquuntur de Ordine sacro id intelligatur est euidens, quia Canones, & Concilia loquuntur de Ordine sacro in Communi, vt omnes, & singulos comprehendit. Maxima autem, ait Doctor *cit. loc.* §. *Dico ergo*, fuit congruentia ad hoc statuendum, quia talis deputatur Ministerio sacro, quod munditiam requirit mentis, & carnis, perspicacitatem intellectus, & feruorem affectus, ad quæ omnia disponit continentia, & ad eorum opposita frequentia carnalis actus; nec in hoc debet aliquis dicere Ecclesiam sibi præiudicare in suo iure, quia Ecclesia communiter non cogit aliquem ad susceptionem Ordinis sacri, & satis publicauit, quod post talem Ordinem susceptum suscipiens est inhabilis ad contrahendum, igitur voluntariè incurrit talem inhabilitatem; ità Doctor *loc. cit.*

443 Sed hic triplex occurrit Difficultas; Prima est, an Ordinibus sacris de iure diuino, vel tantùm Ecclesiastico annexa sit obligatio continentiæ, quæ sit impedimentum dirimens matrimonium post Ordines sacros contractum. Affirmant nonnulli antiquiores passim ab Auctoribus citati, non tantùm iure Ecclesiastico, sed etiam iure diuino sacris Ordinibus institutum non posse matrimonium inire, quorum fundamenta adducit Auersa cum alijs *q.* 4. *de Ordinis sacramento sec.* 3. Communis tamen sententia tam Veterum, quam Recentiorum oppositum docet, nempè iure Ecclesiastico tantùm, & non diuino, hanc continentiam præscribi, & eodem iure impedimentum Ordinis fuisse inductum, & ita præsertim tenet Doctor *loc. cit.* asserens contrarium non esse probabile.

Probatur autem, quia nullum extat diuinum præceptum de hac re, neque ex lumine naturali colligi potest, quamuis enim ratio naturalis dictet esse valdè consentaneum, vt diximus, quod sacri homines ab actibus carnalibus abstineant, & vsu matrimonij, non tamen dictat esse necessarium, alioquin veteris testamenti Sacerdotes vxores habere non potuissent. Confirmat id Doctor ex consuetudine primitiuæ Ecclesiæ, quæ multis iam sæculis Græcis Sacerdotibus vsum matrimonij concessit antè Ordinationem contracti, autem non fecisset, si cælibatus diuino iure esset Sacerdotio annexus. Demum id expresè deducitur ex *Can.* 9. *cit. Tridentini*, vbi totam inhibitionem vitæ coniugalis refert in legem Ecclesiasticam quoad Ordines sacros, & ad votum solemne quoad regulares. Fundamenta priori sententiæ vide soluta apud Auersam, & alios *loc. cit.* & apud Brancatum nostrum *disp.* 9. *art.* 9. vbi de hac re fusè tractat per plures §.

444 Altera difficultas est, Vndè oriatur in Ordinatis in hoc impedimentum dirimens, an scilicet hæc inhabilitas proueniat ex vi voti cum Sacris Ordinibus coniuncti, an verò ex statuto Ecclesiæ inhabilitantis existentem in Sacris Ordinibus ad matrimonium. Prima Opinio affirmat hanc obligationem continentiæ Ordinibus annecti mediante voto proprio ordinatorum, non quidem explicito, & expresso, siquidem non inuenitur talis forma voti in ritu Ordinationis, sed tacito, & implicito, quod fit opere ipso, nempè reali Ordinum susceptione, sicut & datur professio tacita, quæ fit opere ipso complendo scilicet annum probationis, & gestando habitum, ac gerendo munera professorum. Fundamentum est, quia in Iure per plura capita sub *dist.* 28. in Clerico in sacris Ordinato hæc obligatio continentiæ vocatur etiam nomine voti, & professionis, & præsertim *cap.* 1. vbi dicitur, *Nullum facere Diaconum audeant Episcopi, nisi qui se votum castè promiserit*; ergo hæc obligatio continentiæ est ex voto Castitatis, quod Ecclesia suo præcepto cogit emittere eos, qui sacros ordines suscipiunt facto ipso sine alijs verbis. Accedit etiam ratio, quia si Clerici in Sacris Ordinati tenentur ex præcepto Ecclesiæ, & non ex proprio voto ad continentiam, lapsus carnis in ipsis non esset diuersæ speciei, nec haberet circumstantiam addentem nouam speciem præ lapsu Laicorum, præceptum enim Superioris, quando cadit super materiam alias debitam, per se non addit aliam speciem malitiæ; sed qui constitutus in sacris carne labitur, peccat ea specie peccati, quæ est contrà votum, nam peccat in eadem specie, ac Religiosus professus, qui vtique peccat contrà suum castitatis votum, ergo obligatio continentiæ sacros ordines comitatur ex proprio voto eorum, qui ordinantur, & non immediatè ex præcepto Ecclesiæ. Ità D. Thomas, Riccardus, Capreolus, Hispalensis, Palatius, & alij antiquiores, quos citat, & sequitur Sanchez *lib.* 7. *disp.* 27. *q.* 2. cùm pluribus alijs.

Secunda sententia è contrà asserit obligationem continentiæ sacris Ordinibus annexam esse directè, & immediatè ex 445
præcepto Ecclesiæ imponentis talem obligationem ijs, qui ordinantur in sacris, sicut præcipit, & obligat ad recitandum diuinum officium; addit tamen, quod Ordo sacer sit impedimentum dirimens, non oriri formaliter ex tali præcepto ab Ecclesia facto, ne ordinati in sacris contrahant, sed ex eo, quod vlterius Ecclesia illegitimat, & inhabilitat Ordinatos in sacris, ne validè contrahant; Ita Scotus *loc. cit.* cum omnibus Scotistis, & pluribus alijs tùm Antiquioribus tùm Recentioribus quos citat, & sequitur Auersa *qu.* 4. *cit. sec.* 7. & quidem quoad primam partem optimè probatur ab ipso. Primò ex Iure Canonico, quia in pluribus sacris Canonibus, & decretis inuenitur hæc obligatio imposita absolutè, & simpliciter per modum præcepti ab ipsa Ecclesia, sicut per se imponuntur alia præcepta; Nec in eis iniungitur, vt Clerici debeant in sua Ordinatione promittere, & vouere continentiam, sed absolutè vt deinceps continentiam seruare debeant. Deindè probat ex modo loquendi Doctorum, apud quos talis Clericorum obligatio ad continentiam vocari, & nominari solet lex continentiæ, præceptum continentiæ, ità quod talis obligatio per se imposita sit per modum legis, & præcepti, & non tanquam fuerit lex Ecclesiæ tantùm de hoc, vt qui ordinantur promittant, & voueant continentiam; idque præsertim deducit ex modo loquendi Concili Tridentini *sess.* 24. *can* 9. cuius verba paulò supra retulimus *num.* 442. vbi Concilium distinctè nominat legem Ecclesiasticam, & Votum, sicut distinctè nominat Clericos in sacris constitutos, & Regulares solemniter professos, nimirum referens legem Ecclesiasticam ad Clericos ordinatos, & votum ad Regulares professos; non ergo per medium voti, sed immediatè per legem Ecclesiæ sacris ordinibus annexa est obligatio continentiæ. Tandem hoc ipsum probat ex ipso Ordinationis ritu, quia si obligatio continentiæ in Clericis solùm per modum voti instituta fuisset, conueniebat sanè, vt hoc votum esset explicitum, & expressum, quod in ipsa Ordinatione emitteretur, sicut in Regularibus dùm solemniter profitentur; sed in Ordinatione tale votum non exprimitur ab ordinandis, vndè Subdiacono intimatur quidem continentiæ obligatio, non tamen votum eius exigitur; ergò obligatio continentiæ ipsos adstringit potius per modum Ecclesiastici præcepti, quam proprij voti; Vndè etiam addit, quod si quis ordinaretur cognoscens quidem, & intendens suscipere sacrum Ordinem, ignorans prorsus annexum esse sacro Ordini continentiæ votum, vtique nec explicitè, nec implicitè voueret, & tamen adhuc in tali casu ad continentiam obligaretur; ergo non ex voto proprio, sed ex præcepto Ecclesiæ, & sic omnes alij obligantur; Imò ait Scotus

tur fieri posse, vt quis in susceptione Ordinis animum non habeat vouendi castitatem, ac etiam contrarium, hic planè remaneat obligatus adhuc ad seruandam continentiam, & tamen non ex vi voti; ergò immediatè ex vi præcepti Ecclesiastici.

446 Quo autem ad secundam partem probat Doctor assertum, quia licet Ecclesia præciperet existenti in sacris continentiam, & matrimonium prohiberet, non ob id solum matrimonium irritatur, quia non omnis prohibitio irritat factum, vt probat *extra de matr. contr. contra interdictum*; ex eo ergo, quod Ecclesia Ordini sacro prohibitionem illam adiunxit ineundi matrimonij, non ideò matrimonium est nullum, nisi etiam personam simul inhabilitaverit.

Confirmatur, quia pluries ex Ecclesiæ præcepto prohibetur personis, ne contrahant, & tamen si faciant, validè faciunt, vt tempore interdicti, tempore aduentus, & quadragesimæ est prohibitum contrahere, & tamen si aliqui prædicto tempore id faciant, validè faciunt, ergo prohibitio ab Ecclesia facta ordinatis non sufficit ad inualidandum matrimonium posteà factum, nisi aliud accedat, nimirum illegitimatio, & inhabilitatio personarum; Consequentia patet, quia non adest maior ratio, cur præceptum Ecclesiæ inualidet in vno casu, & non alio, nulla facta variatione. Tandem probatur à pari, quia consanguinitas, affinitas, honestas publica, raptus, & alia huiusmodi impedimenta ab Ecclesia inducta ideò dirimunt, quia tales personæ ab Ecclesia factæ sunt illegitimæ ad coniugalem contractum; ergò idem dicendum est in proposito de ordine Sacro, qui ideò est impedimentum dirimens, quia, sic ordinatus factus est ab Ecclesia ad talem contractum inhabilis, & illegitimus.

447 Ad fundamentum primæ opinionis ex iure desumptum dicendum est per votum & professionem continentiæ in illis iuribus intelligi simpliciter, & absolutè hanc obligationem, prout erat ab Ecclesia instituta, siuè voluntariam per susceptionem Ordinis sacri cum hac obligatione; & sic vocari votum implicitum, & tacitum, quia licet non expressione verborum, tamen facto ipso recipitur talis obligatio, & fit talis professio; & hoc speciali titulo susceptio ordinis sacri vocata est votum, & professio continentiæ, vt iudicaretur spontanea, & libera electio eorum, qui cum Sacro ordine hanc obligationem subire consentiunt, etenim ob difficultatem, & præstantiam ipsius continentiæ nullatenus Ecclesia quemquam obligare voluit ad illam seruandam nisi sua sponte volentem Ordinis suscipere. Ad rationem dicendum est, verè adhuc esse nouam speciem malitiæ in peccato Clerici, sicut Religiosi fornicantis, quia re vera additur noua deformitas contrà rationem, & contrà aliam distinctam virtutem à castitate, & hoc quidem satis patet in habente votum castitatis, quia frangitur promissio Deo facta, & delinquitur contra virtutem Religionis; in habente etiam præceptum absque voto hoc idem dicendum est, licet enim præceptum simpliciter, & absolutè loquendo non distinguat nouam malitiam in actu, quando fertur ex motiuo eiusdem virtutis, in quo res est alias debita, vt dictum est *lib. 3 disp.* de actibus humanis; quandò tamen fertur ex motiuo alterius distinctæ virtutis, vt dictum tamen est in casu nostro, vbi præcipitur continentia Clericis ob reuerentiam diuini misterij, & sacri Ordinis, atque adeò ex motiuo Religionis erga Deum, vt notauit etiam Auersa *loc. cit.* qui proindè ait omninò teneri Clericum in his peccati hanc circumstantiam tanquam mutantem speciem in confessione aperire, ità tamen quod quandò confitetur alicui scienti illum esse in sacris, eo ipso confitetur peccatum cum hac circumstantia, etiamsi non amplius illam verbis explicet. Vndè etiam infert diuersam speciem esse hanc deformitatem peccati carnalis ex circumstantia Ordinis, atque ex circumstantia Voti, quia licet vtraque sit contra virtutem Religionis sub genere sacrilegij; tamen Religio diuersas habet partes, & sacrilegium diuersas species, sicut & distincta malitia sacrilegij contrà Religionem est fractio voti, & fractio iuramenti; atque ideò quando quis simul professus, & ordinatus in sacris carne delinquit, verè præter malitiam luxuriæ incurrit quoque duas alias sacrilegij, vnam ratione voti in professione, & alteram ratione præcepti sacro ordini annexi, atque adeò debet vtraque circumstantia distinctè in Confessione aperiri, & notificari.

Vltima demum Difficultas est, an ob... se extendat etiam ad inualidè ordinatos vel vi, & metu; Et relictis paucorum qui... bus, sequendo communiorem, & probab... cendum est inualidè ordinatum, ex quo... ueniat inualiditas nullo modo ad contin... que adeò non solum validè, sed etiam lic... parte posse matrimonium contrahere; It... Tancred. Auersa, Bonacina, Barbosa, & Theologi, quam Iuristæ fundamentum s... ratione, quia quando actus principalis no... ualidus, nec etiam subsistit effectus conse... *cipalis ff. de Regulis Iuris*; sed in hac re ac... ordinatio, effectus verò consequens oblig... ergo si ordinatio non valet, nec conseque... hoc verificatur, siuè hæc obligatio dicatu... ex præcepto Ecclesiæ, vt suprà diximus s... to, vt alij dicebant; nam Ecclesiæ præcepti... nisi ad eos, qui verè, & validè ordinati su... clesia eos obligare intendit; nec aliter quis... re intendit in susceptione ordinum, nisi in... validè ordines suscipit, alioquin votum... etiam independenter ab Ordinationem en...

Deindè, supposita validitate Ordination... te ex Innocentio Tertio in cap. Vn. de C... promoto, quia licet in adultis requiratur... suscipiendi ad validitatem Sacramenti, in... adhuc Sacramenta valent absque tali inter... ijs quæ intrinsecè tanquam partem suam... suscipientis, qualia sunt Pœnitentia, &... & Extrema Vnctio, quæ peccata commiss... inquam talis validitatis suppositione; Dice... tionem continentiæ non se extendere ad sic... cet in infantili ætate, ita Auctores supracita... muniter, fundamentum est, quia sic ordina... tur ad castitatem seruandam ratione præc... credibile non est Ecclesiam velle ipsum sua le... castitatem seruandam, nisi Ordines suscept... in competenti ætate; Ecclesia enim per se n... continentiam, nisi illos qui rationis comp... ac volentes suscipiunt sacros ordines. Nequ... tur ratione voti Ordinibus sacris annexi, na... voluntaria promissio facta Deo, infans auten... vsum non potest Deo voluntariè promissione... neque ex vi voti tenetur ad continentiam, &... uandam.

Sed obijcit Hurtad. *disp. 16. diffic. 2.* opp... cum quibusdam alijs, quia sic ordinatus licet... ratione voti sacris Ordinibus annexi, quia ab... nis votum fieri nequit, adhuc tamen tenet... iuris Ecclesiastici ipsi Ordini annexi, quia iu... cum dirimens matrimonium est absolutè an... ni sacro non minus quàm iura Ecclesiastica su... baptismo; ergo sicut iura Ecclesiastica compre... ptizatum ante rationis vsum, ità etiam ius Ec... dirimens matrimonium annexum Ordini sac... hendit sacris initiatum ante rationis vsum. R... negando consequentiam, & paritatem assumpt... ptismo ad fidem obligante, & alias Ecclesiast... nam ad fidem obligantur omnes de iure ipso d... antè Baptismum, & fides omnibus necessaria... tem, aliæ vero lege baptizatum obligantes vel... diuinæ, & de rebus ad salutem necessarijs, vel c... Ecclesia latæ, non sunt ità arduæ, quæ subditoru... sium requirere debeant ad hoc, vt obligent, si... Continentia Clericorum; hæc enim est res adeò... insignis, & præter naturæ inclinationem, vt ni... luntariè statum continentiæ assumat, non possi... na potestate ab extrinseco cogi, & ligari, vt rec... Auersa q. 4. cit. sec. 8.

Demum ob eandem rationem Dicendum est,... nem continentiæ neque se extendere ad ordinato... & metum, intelligendo vim, & metum iniustu... uem, etiamsi habuerint intentionem suscipiendi... alioqui Ordinatio non valeret, in tali inquam,... gatio continentiæ non contrahitur nisi postea sub... mento status sacri Ordinis denuò ratificetur, & a... Ità etiam Auctores omnes iam relati, & alij com... Fundamentum est idem, quod præcedentis asser...

bum, quia talis obligatio non induceretur ex Ecclesiæ præcepto, nam ad validitatem huius præcepti requirit etiam Ecclesia liberum consensum Clerici ad sacros ordines suscipiendos, sicut requirit ad validitatem voti, & requirit libertatem non solùm ab omnimoda necessitate, sed etiam è vi, & metu graui. Nec etiam induceretur talis obligatio ex vi voti sacris ordinibus annexi, quia votum saltem solemne vi, & metu graui extortum est nullum, & irritum ipso iure, vt habetur ex *cap. Prælatum*, & *cap. Cum dilectus* De his, quæ vi &c. vbi est sermo de voto professionis Religiosæ; & ex communi regula circà ea, quæ fiunt per vim, & metum in humanis, & moralibus actionibus facilè deducitur.

QVÆSTIO DECIMASEPTIMA.

De Impedimento cognationis.

451 COgnatio, quæ inter impedimenta dirimentia recensetur, significat coniunctionem quandam inter certas personas, ob quam inter eas matrimonium non admittitur. Triplex autem est Cognatio, prima est naturalis, & est præcipua coniunctio inter certas personas per naturalem propagationem, & generationem, quæ proindè dicitur coniunctio carnalis, seù sanguinis, & proprio nomine Consanguinitas vocatur tam à Theologis, quàm à Iuristis. Secunda Cognatio est spiritualis, & appellatur hoc nomine ad imitationem, & similitudinem quandam cum præcedenti, quatenus est coniunctio quædam inter certas personas in spirituali generatione per sacramentum Baptismi, & Confirmationis. Tertia Cognatio est legalis, quæ ex filiorum adoptione nascitur, & est coniunctio quædam per institutionem legis, qua quis loco filij naturalis sibi alium in hæredem adoptat; de hoc igitur triplici cognatione matrimonium dirimente in præsenti quæstione agendum est, de quibus etiam exactissimè tractat Astesanus noster *lib. 8. tit.* 17. 18. & 19.

ARTICVLVS PRIMVS.

De cognatione naturali, seù Consanguinitate.

452 SCotus de hoc impedimento tractat *4. d. 40. q. vn.* & ad declarandum, quomodo cognoscendi, & computandi sint gradus consanguinitatis, in primo articulo assignat descriptionem consanguinitatis, & distributionem graduum, & tres regulas generales, quæ communiter à Canonistis, & Theologis sunt receptæ; inquit itaque Consanguinitatem describi posse, quod sit vinculum personarum ab eadem persona carnali propagatione descendentium, illa autem persona, à qua descendunt dicitur stipes; linea vero dicitur linea recta, & in transuersalem, seù collateralem, linea recta descendens est à persona propagante ad propagatas, vt pater, filius, nepos &c. linea ascendens est è conuersò, vt pater, auus, proauus, &c. linea vero transuersalis est quando ambæ personæ descendunt ab eadem, & neutra ab altera, vt frater, soror, consobrini, &c. In his autem lineis sunt diuersi gradus cognationis gradus autem est determinata propinquitas personæ ad personam, siquidem in linea ascendentium, & descendentium quælibet persona addita alteri facit gradum, vndè pater, & filius sunt in primo gradu, nepos in secundo, pronepos in tertio, abnepos in quarto; In linea verò transuersali duo fratres sunt in primo gradu, horum filij in secundo, & ita consequenter.

453 Deindè ad distantiam illam dignoscendam, & computandos ipsius consanguinitatis gradus tres regulas generales assignat, quas alij etiam passim adducunt. Prima regula est, quod in linea recta ascendentium, & descendentium tot numerantur gradus, quot Personæ. Vndè pater, & filius in primo consanguinitatis gradu coniuncti esse dicuntur, quia filius à Patre vna generatione descendit, & nepos est in secundo cum auo, quia ab eo descendit duabus generationibus, proauus, & pronepos sunt in tertio, abauus, & abnepos in quarto gradu, & sic deinceps. Secunda regula est, quod in linea transuersali æquali tot gradibus vnus coniungitur alteri, & ab eo distat, quot quilibet, coniungitur suo communi stipiti proximo, & ab eo distat.

Ratio est, quia ratione illius tantùm coniunguntur, & in ordine ad illum distant, vndè frater, & soror sunt in primo gradu lineæ transuersalis, quia in eo gradu sunt cum suo communi stipite proximo, quo mediante inter se coniunguntur, & in ordine ad quem distant; Patrueles vero, & cōsobrini, seù filij, & filiæ fratris, & filij ac filiæ sororis sunt in secundo gradu. Nepotes, & Neptes ex fratre, & nepotes, ac neptes ex sorore sunt in tertio gradu. Pronepotes, & pronepotes ex fratre, & pronepotes, & proneptes ex sorore sunt in quarto gradu, & sic deinceps. Tertia regula est, quod in linea transuersali inæquali tot gradibus vnus coniungitur alteri, & ab eo distat, quot qui remotior est à communi stipite proximo, ei coniungitur, & ab eo distat. Ratio est, inquit Doctor, quia personæ, quæ sunt in linea transuersali, non habent inter se propinquitatem, nisi ratione communis stipitis, à quo originem ducunt, & ideò non possunt inter se propinquius coniungi, quam remotior eorum coniungatur stipiti, vndè Patruus, Nepos ex fratre sunt in secundo gradu, quia eodem distat nepos ex fratre ab alio, qui est stipes vtriusque & similiter pronepos distat à Patruo in tertio gradu, quia eodem distat à Proauo, & sic deinceps. Ex his deducit Doctor, quod ex naturæ congruentia efficacior est gradus in linea recta, quam in transuersali ad remouendum matrimonium, & ratio naturalis est, quia plus coniuncta est proles parenti, & auo, &c. quàm alteri proli, & ideò magis est contrà legem naturæ coniungi in primo gradu in linea recta, quàm in linea transuersali, semper enim fuit contrà matrimonium illa coniunctio, & magis filij ad matrem, quàm Patris ad filiam, quia maior irreuerentia est; ità Doctor lit. C.

His præmissis Doctor *loc. cit. art. 2.* descendit ad solutionem quæstionis, an, & qui gradus consanguinitatis sit impedimentum dirimens matrimonium, & ait diuersam habendam esse rationem talis impedimenti, tam in lege naturæ, & innocentiæ, quam Mosaica, & Euangelica, diuersosque gradus assignat prohibentes in illis; & tandem descendens ad Euangelicam ait, quod aliqua variatio facta est pro decursu temporis in designatione gradus, ad quem se extendat hæc prohibitio, & irritatio matrimonij, etenim olim extendebatur vsque ad septimum gradum, vt patet ex pluribus capitibus 35. q. 3. sed posteà sub Innocentio Tertio restricta est vsque ad quartum gradum inclusiuè, vt patet ex *cap. Non debet de consanguinitate, & affinitate*, & Confirmatur à Trident *sess. 24. cap. 5.* explicant autem Doctores, & ità intelligendum esse aiunt, quod si vnus recedat vltrà quartum, imò & alium propinquiorem, potest inter eos matrimonium contrahi, quia absolutè attēditur remotior gradus. Rationem posteà congruentiæ adducit Doctor, cur aliquando Ecclesia personas consanguineas illegitimauerit ad contrahendum in gradu remotiori, & posteà in quarto gradu tantùm inclusiuè, & ratio illegitimationis fuit propter pacem, & amicitiam in Ecclesia seruandam; vsque enim ad quartum gradum manet amicitia ratione consanguinitatis, & ex tunc incipiunt esse quasi extranei, & amore tepescere, & ideò congruum est tunc per vinculum coniugale tepescentem amicitiam reuocare. 454

Sed hic duplex occurrit Difficultas. Prima est, an consanguinitas in linea recta dirimat matrimonium de iure naturæ; Et quidem communis sententia cum Scoto *loc. cit.* conuenire videtur lineam consanguinitatis rectam saltem in primo gradu de iure ipso naturæ matrimonium dirimere, quod Doctor colligit ex illis verbis Adami Genes. 2. *Relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit vxori suæ*, quasi supponendo non posse filiam esse vxorem Patris, aut Matrem filij; & hoc etiam ex ipso lumine naturæ dictari videtur ob reuerentiam debitam filiorum ergà parentes, & ob coniunctionem ipsam naturalem filiorum cum parentibus, filij enim sunt veluti pars parentum, adeout pater, & mater in filio dicantur fieri vna caro; vndè communiter apud omnes nationes connubium inter parentes, & filios semper nefandum, & abominabile reputatum est, quia natura ipsa etiam in animalibus brutis id abhorrere videtur, vt quibusdam exemplis ex historijs deductis probat Doctor *loc. cit.* solùm est aliqua difficultas, an saltem in casu extremæ necessitatis esset ex natura rei licitum, & validum tale coniugium, si duæ solùm humanæ personæ, pater, & filia, aut mater, & filius superessent in mundo; Affirmant aliqui excusari posse in tali casu ob necessitatem propagandi genus humanum, quia reuerentiæ paternæ bonum cedit in 455

eo

eo casu bono communi propagationis, quod præponderat, ità Sanchez, Henriquez, Tancred. Ponce, & alij. Communior, tamen opinio negat apud Hurtadum, & Auersam, qui alios citant, quarè adhuc in tali casu tale coniugium esset ex natura rei illicitum, & nullum nisi Deus dispensaret, cuius voluntas expectanda esset; præceptum enim illud *Crescite, & multiplicamini* tale coniugium non comprehendit, quia personæ iure diuino, & naturali sunt inhabiles; vndè sicut in eo casu non liceret citrà matrimonium multiplicare, quia hoc lege diuina prohibitum est, sic etiam neque personæ eadem lege inhabiles in eodem casu possent matrimonium inire ex obligatione præcepti propagationis, nisi Deus impedimentum tolleret.

456 Maior Difficultas est, an consanguinitas in omnibus alijs vlterioribus gradibus lineæ rectæ præter primum dirimat matrimonium iure naturali. Negant quamplures, quos citat, & sequitur Auersa *quæst. 16. sec. 1.* & suadetur, quia in Ecclesia non extenditur prohibitio vltrà quartum gradum, non distinguendo inter lineam rectam, & lateralem, vndè etiam dicunt Ecclesiæ statutum, quod consanguinitas matrimonium dirimat vsque ad quartum gradum inclusiuè, non solùm intelligi debere in gradibus lineæ collateralis, sed etiam lineæ rectæ ascendentium, & descendentium. Itaut quicunque consanguinei vltrà quartum gradum possint matrimonio iungi, non autem intrà quartum. Accedit etiam ratio, quia quilibet vltrà primum gradum, vt auus respectu Nepotis, est principium tantùm per accidens, nimirum quatenus fuit genitor genitoris; quarè sic etiam reuerentia, quæ à nepote debetur ergà auum, & coniunctio quæ inter eos consideratur, se habet quoque velut per accidens, vndè dici non debet ex natura rei inducere tale impedimentum, vt irritum reddat matrimonium, & multò minus in gradibus remotioribus.

457 Affirmant alij consanguinitatem in linea recta dirimere matrimonium iure ipso naturali in quocunque gradu infinitum, & hoc etiam insinuare videtur Scotus ipse *loc. cit.* vbi proindè ait, quod si Adam hodiè viueret, non posset vllam vxorem ducere, quia est pater omnium mulierum quotquot modò sunt sequuntur Bellarminus, Coninchius, Ponce, Meratius, Vasquez, Hurtadus, & alij, & communiter Scotistæ Bassolius, Rubion, Mairon, Hiqueus, Brancatus, & cæteri omnes, fundamentum est, quia in omnibus lineæ rectæ ascendentibus & descendentibus inuenitur ratio principij, & principiati, quod est fundamentum reuerentiæ filiorum in parentes, & obseruantiæ descendentium in ascendentes, etenim in linea recta non tam attenditur participatio sanguinis, vt attenditur in collaterali, quàm ratio principij, quæ ratione sui reuerentiam exigit à principiato, ac proindè in copula cum ascendente, quamuis remotissimo, etiamsi consanguinitas, seù participatio sanguinis euanuerit, semper repetitur irreuerentia, & sufficiens ad dirimendum matrimonium ad illam ordinatum, vt benè discurrit Coninch. *disp. 31. dub. 1.*

Confirmatur, quia cuilibet nationi commune est, vt non coniungantur aui, & ataui cum nepotibus, & pronepotibus & quilibet experitur in se horrorem quendam à natura in- tum circà talem copulam ob reuerentiam illis debitam. Denique ius ciuile determinat hoc impedimentum esse perpetuum in recta linea Inst. de nuptijs L. Nuptiæ & L. & nihil de ritu Nuptiarum.

485 Cùm autem dicebatur, Ecclesiam talem prohibitionem non extendere vltrà quartum gradum idq; absolutè statuisse non distinguendo inter rectam lineam, & lateralem, vt patet ex cap. *Non debet* De Consanguinit. & Affinit.

Respondeo Capitulum illud intelligi debere de linea transuersa, vt ibi Glossa explicat, & quamplures alij Doctores, nam incommoda ex quibus tale impedimentum restrictum est, non fuerunt in linea recta, sed transuersali, neque enim memoriæ traditum est fuisse vnquam dispensatum in consanguinitate secundum lineam rectam, vt Hiqueus aduertit hic in Commentario; neque ætati, & conditionibus ad matrimoniũ requisitis conuenit spectata nostra natura, vt matrimonium in linea recta extenderetur ad quintum, aut vlteriores gradus, nemo enim in quinta generatione superuinit, aut matrimonio idoneus est in tertia, aut quarta generatione, ad quos extenditur Canon. *Non debet*; quarè incommoda, & pericula, quæ Canoni illi causam dederunt, intelliguntur illa, quæ in euentu fuerunt, aut esse possint, cùm lex sit regula factorum, & faciendorum, non verò impos-

sibilium, aut eorum, quæ nunquam
quæ neque prudentia, neque fides aliq
regula legis ferendæ. Nec etiam ratio
enim auus respectu nepotis possit dici
dens physicè loquendo, quatenus nim
nitoris, politicè tamen, & in genere
se censeri debet, matrimonium enim
dium generationis, ideoq; propria respi
causæ eius, tamquam per se talia, vndè
fectus generationis auorum, & proauo
gruit, vt cum eisdem sint principia.

Alia difficultas est, an consanguinita
li iure naturali matrimonium dirimat;
niunt pariter omnes in secundo gradu,
uersalis per ius naturale non irritari ma
tur colligi ex Innocentio Tertio cap. *Gau*
vbi infideles ad fidem conuersos, & ant
iunctos, præcipit non separari; etiam
in Secundo, & cæteris gradibus, vndè
re valuisse matrimonium in secundo gra
trouersia solùm, an consanguinitas in p
transuersæ dirimat matrimonium iure na
trem, & sororem. Prima sententia affirma
supponere videtur, Innocentius Tertiu
Conuersos ad fidem, qui anteà in secundo,
gradibus contraxerant, non esse separandos
ponere separandos esse, qui in primo gra
ac proindè eorum matrimonium fuisse n
turali, quia antè baptismum non tenebar
stico. Confirmatur ex vsu Ecclesiæ, quæ
gradu dispensauit, quamuis Pontifex al
fuerit; ergo signum est ipsum non posse dis
quenter matrimonium celebratum in p
transuersæ esse inualidum, non solùm iure
etiam naturali. Tandem probatur ration
conuenientia naturali, quia inter fratrem,
mutua irreuerentia, & maximus pudor nat
sanguinis coniunctionem, vndè, & gentes
huiusmodi nuptijs abhorrent, ergo contrac
ad copulam ordinatus nequit esse validus i
naturæ, ità Valentia, Henriquez, Sanchez, I
Rebel. Bonacina, & ex nostris Brancatus *d*
tans esse magis de mente Doctoris.

Alij verò partem negatiuam tradunt, &
quamuis ob tãtam sanguinis coniunctionem
alu indecentia manifesta reperiatur in copul
& sororem, & matrimonio ad eam ordinat
ab omnibus gentibus fuit iure positiuo ve
men est tanta indecentia, vt ipsorum matri
irritet, quia nullo sufficienti fundamento o
natura rei, siuè iure naturali deberi reuerent
neis, qui non sunt ascendentes, nec naturali
ergo absque sufficienti fundamento dicitur i
ipsos irreuerentiam reperiri ex natura rei, &
monium ad eam ordinatum esse ex natura n
nullum.

Confirmatur quia in Mundi exordio vtiq
cere debuerunt sorores in matrimonium, q
Adamo, & Heua nascebantur; Nec satisfacit
munis responsio id tunc fieri potuisse ex præc
propagationis humanæ, vel ex peculiari disp
concessione diuina. Nam hoc ipsum apparet i
quod naturæ Auctor naturam condens statim
turæ iura violasset, vel alterasset, & ad subue
turæ matrimonia inchoari deberet inter eas p
turæ contrahere non valerent; potiu
de iure naturæ contrahere non valerent; potiu
dum est ipso communi iure naturali talia mat
excludi, lex enim naturalis est, quam Auctor
sanxit in constitutione naturæ; & in constitut
non quid Deus possit, sed quid naturæ congrat
neque in ea constitutione aliquid contrà ius n
tum, aut concessum est. Ità Caiet. Ponce, Hur
ch. Diana, Caspensis, & alij plures, qui pro hac
Scotum adducunt in hanc re vera magis inclin
passim Scotistæ testantur.

Ad fundamentum oppositæ sententiæ, Po
Canone tantùm definitur id, quod erat certum,
propositum fuit, non debere scilicet illa coniu
tium ad fidem separari, quæ vltrà primum grad

cta erant; circa consanguineos verò in primo gradu nihil definiuit: quia id sibi propositum non fuit, liberum relinquens arbitrium opinandi, ac resoluendi. Ad Confirmationem negatur consequentia, ad vsum enim,& anctoritatem Ecclesiæ satis est, quod dispensare non conueniat in sua ipsa lege vbi adest tām arctum consanguinitatis vinculum, & ne definiat rem in controuersia positam, quia non satis cōstat, an etiam iure naturæ hoc impedimentum matrimonium irritet; immò Siluester in Summa verbo Papa refert Martinum Quintum etiam in hoc grauissima de causa dispensasse. Ad rationem tandem, patet ex dictis, probare tantum ex natura rei adesse solum magnam indecentiā ob tantam sanguinis coniunctionē in primo gradu lineę transuersalis, atque ideò huiusmodi matrimonia extra magnam necessitatem esse prorsus illicita ex natura rei non tamen invalida, quia ostendi nō potest ex natura rei seu iure naturali deberi reuerentiam consanguineis, qui non sunt ascendentes, nec naturaliter superiores, vt constat ex ratione pro nobis adducta; Vndè stando in ratione, & lumine ipso humanæ mentis non apparet talis indecentia, & repugnantia in huiusmodi matrimonio, vt non possit iure naturali validè contrahi, sed ad summum apparet quædam conuenientia, vt sine magna necessitate, aut iusta causa contrahi possit sinè culpa.

462 Sed Brancatus noster *loc. cit.* instat hoc esse expresè contrà mentem D. Aug. *lib. 15. de Ciuit. Dei cap. 16.* vbi vnum casum tantum matrimonij fratrum, & sororum ex necessitate propagationis excusat, scilicet filiorum Adæ inter se,& post illum dicit nefas fuisse in alijs, excusatio autem alicuius facti, ne sit malum, supponit legem illud prohibentem, quæ tunc non potuit esse nisi naturæ. Addit etiam hoc esse contrà mentem Scoti, quia *d. 40. cit. sub. C.* ait, quod magis est contrà legem naturæ coniungi in primo gradu in linea recta, quam in transuersali, ex quibus verbis patet Doctorem non excludere à prohibitione legis naturæ coniunctionem in primo gradu lineæ transuersalis, sed dicit primum in linea recta esse magis contra legem naturæ; magis autem cū sit comparatiuum, supponit in eo, cui comparatur, suum positiuum, ac proindè in coniunctione in primo gradu lineæ transuersalis adest prohibitio legis naturæ, licet non adeò grauis, sicut in primo gradu lineæ rectæ.

Respondetur ex discursu D. Aug. *loc. cit.* potius oppositum colligi, cùm enim ibi dixisset matrimonium fratrum, & sororum ab initio mundi fuisse excusabile ob necessitatem propagationis humani generis, statim hæc verba subiungit *quod profectò quanto est antiquius compellente necessitate, tanto posteà factum est damnabilius Religione prohibente*, quibus vltimis verbis significat posteà multiplicato genere humano huiusmodi matrimoniū inter fratres, & sorores factum esse damnabile, non ipsa lege naturæ, sed potius positiua per Religionem inducta; Scotus autem *loc. cit.* de hoc puncto re vera expresè non loquitur, & ex professò, satis tamen indicat magis in secundam sententiam inclinasse, quàm in primam, cùm enim in fine 1. *art.* dixisset, quod efficacior gradus est in linea descendente, quàm in transuersali, & ideò magis esse contrà legem naturæ coniungi in primo gradu in linea recta, quàm in transuersali, semper enim fuit contrà matrimonium illa coniunctio, statim in principio secundi *art. subdit, Dico, quod in omni lege aliqua propinquitas impediuit; in lege natura illa sola, vt dictum est; sic primo gradu in linea descendente &c.* cùm ergò expresè dicat, quod in lege naturæ sola propinquitas in primo gradu lineæ rectæ matrimonium impediuit, satis apertè exclusit à prohibitione legis naturæ coniunctionem in primo gradu lineæ transuersalis, alioquin non illa sola propinquitas impediisset, & ideò cum dixit magis esse contra legem naturæ coniungi in primo gradu in linea recta, quàm in transuersali, minimè significare voluit hanc quoque coniunctionem esse lege naturæ prohibitam, quia tunc non illa sola in lege naturæ impediuisset, vt statim subdit, sed solùm innuere voluit potiorem adesse rationem, & magis conuincente ratione ad hoc asserendum de illa, quàm de ista, ex illa regula quod efficacior est gradus in linea descendente, quam in transuersali.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De cognatione Spirituali, & legali.

Ex generatione spirituali, quæ fit per Sacramentum Baptismi, & consequenter etiam per Sacramentum Confirmationis contrahi cognationem quandam, quæ pariter spiritualis dicitur, communiter Theologi docent, & Canonistæ, & præsertim Scotus *4. d. 42. quæst. vn.* ab initio *§. Respondeo* vbi hanc cognationem describens inquit, quod Cognatio spiritualis est quoddam vinculum contractum ex dispensatione sacramentorum specialiter Baptismi, & Confirmationis. Habet autem hæc spiritualis cognatio vim dirimendi matrimonium, itaut validè contrahi non possit inter personas ità coniunctas. Hæc tamen spiritualis cognatio, quæ tale afferat impedimentum, non est inducta iure naturali, aut diuino, siuè ex institutione ipsa horum sacramentorum, sed ex mero iure Ecclesiastico, & statutum fuit in Concilio Niceno Canone 21. & creditur ex Apostolorum traditione dimanasse, quòd posteà ab alijs Pontificibus, & Concilijs confirmatum est, & præsertim in Triden. *sess. 24. de reform. matrim. cap. 2.* & habetur in Iure Canonico per plura capita 30. *quæst. 1.* in Decreto, De Cognatione spirituali in Decretalibus, & eodem titulo in 6. Ratio autem congruitatis, cur Ecclesia hanc cognationem spiritualem, tanquam impedimentum dirimens, constituerit potius in Sacramento Baptismi, & Confirmationis, quàm in alijs, fundatur in quadam congruentia, & similitudine generationis naturalis, vt Doctor insinuat *loc. cit.* sicut enim per generationem naturalem naturalis cognatio contrahitur, ità per generationem spiritualem, quæ fit per hæc sacramenta, contrahitur ex Ecclesiæ statuto cognatio quædam spiritualis; & sicut cognatio naturalis est impedimentum matrimonium dirimens ob reuerentiam consanguineis debitam, vt dictum est *art. præced.* ità pariter congruum fuit, vt per hanc quoque spiritualem cognationem matrimonium dirimatur inter personas, quas afficit, ob reuerentiam cognationis spiritualis. 463

Quamuis autē olim ex iure antiquiori huiusmodi cognatio spiritualis plures comprehenderet personas modò tamē per Trid. *l. c.* iure nouo inter pauciores restricta est, itaut vnus tantū, siuè vir, siuè mulier, vel ad summum vnus, & vna baptizatū de baptismo suscipiant, inter quos ac baptizatum ipsum, & illius patrem, ac matrem, nec nō inter baptizantē, & batizatum, baptizatiq; patrem, ac matrem tantum spiritualis cognatio contrahatur; ità definit Trid. *l. c.* circà cognationem ortā ex Baptismo cæteras antiquas cognationes spirituales Compaternitatis, & Confraternitatis abrogans, & idē etiam confirmat in fine capitis de cognatione spirituali ex sacramēto Cōfirmationis orta definiens, quod ea quoq; cognatio, quæ ex Cōfirmatione contrahitur, confirmātem, & Confirmatum illiusq; patrem, ac Matrē, ac tenentem nō egrediatur, & valdè conueniēter Trid. ad illas certas personas hoc impedimentum reduxit ad plura inconuenientia euitanda, contingebat enim, vt ait Conciliū, propter multitudinem prohibitionū multoties in casibus prohibitis ignoranter contrahi matrimonia, in quibus vel non sine magno peccato perseuerabatur, vel ea non sine magno scandalo dirimebatur; Itaq; ex decreto Conc. Trid. Minister baptizans, seu Confirmans, & patrinus, ac matrina tenens in baptismo, seu Confirmatione contrahit hanc spiritualem cognationē cum baptizato, seu confirmato, & cum patre, ac matre eius, nec vltrà has personas cognatio hæc extenditur. Ex quo sequitur, vt hic notā: Sāchez, Hurtadus, Meratius, & alij passim, nullam inter ipsos susceptores contrahi cognationē, hoc est, inter virum, & fœminam tenentes baptizatum, aut confirmatū, proindeq; patrinū posse validè, & licitè illā ducere in matrimoniū, cum qua simul alienum filium è sacro fonte suscepit, vt cōstat ex Bulla Pij V. quæ incipit *Cum illius vicē.* 464

Aduertunt autē hic communiter Doctores, hoc impedimentum cognationis spiritualis, quia solùm iure Ecclesiastico introductum est, à solis baptizatis tantùm contrahi, dùm baptizant, vel cōfirmāt, non autem ab infidelibus, Ratio est, quia sicut non baptizatus legibus, & statutis Ecclesiæ nō subiacet, ità nō potest cōtrahere impedimentum à sola Ecclesia statutum; tùm quia sicut ad carnalem cognationē inter duos contrahēda requiritur, quod vterque ab eodem communi stipite procedat secundum carnalem generationē; ità ad spiritualem cognationem requiritur etiam vtriusq; processio ab eodem spirituali stipite communi scilicet Christo 465

sto secundum spiritualem regenerationem per baptismum; Et ob eandem rationem fidelis baptizans filium infidelis cognationem spiritualem cum parentibus infidelibus baptizati non contrahit, quia hæc spiritualis cognatio est relatio mutua, quæ non potest in vno extremo resultare, quin etiam in alio resultet, ideoque sicut infidelis respectu fidelis eam contrahere nequit, ità etiam è contrà. Nec obstat cognationem carnalem ab infideli etiam antè baptismum cōtrahi, ratione cuius post conuersionem nequit cum consanguinea matrimonium inire. Non obstat inquam, quia naturalis cognatio, seù consanguinitas generationem ipsam naturalem naturaliter cōsequitur, ac proindè ab omnibus contrahitur sic coniunctis; at cognatio spiritualis non iure naturali, sed tantùm Ecclesiastico est introducta, cui infideles non subiacent, sed tantùm Fideles. Verum quamuis à solis Fidelibus contrahatur hoc impedimentum spiritualis cognationis adhuc tamen addunt Doctores à Patrino, vel Matrina non contrahi in administratione Baptismi priuata absque solemni ritu, sed tantùm à baptizante; & ratio est, quia ea cognatio spiritualis ex parte illorum non contrahitur præcisè propter munus, quod exercent tenendi parulum, sed quia solemniter, seù ritu solemni tale munus exercent; at ex parte baptizantis contrahitur præcisè propter munus baptizandi quacunque etiam solemnitate præcisa. Excipiunt tamen casum in quo maritus coniugis suæ prolem in necessitate baptizat, tunc enim nullam cum eo contrahit cognationē, vt habetur *cap. ad limina* 30. q. 1. ità Suarez, Sanchez, Tancred. Hurtad. Rebel. Meratius, Diana, Caspensis, Bonacina, & alij passim contrà Nauarrum, Coninchium, Poncium, & alios.

466 Sed hic triplex occurrit Difficultas. Prima est, an quando plures quàm vnus, & vna tenent, aut suscipiunt baptizatū, omnes contrahant cognationem spiritualem. Ratio dubitandi est, quia Trid. *loc. cit.* decernit, quod vnus tantùm siuè vir, siuè mulier, vel ad summum vnus, & vna baptizatum de baptismo suscipiant, addens illos esse designandos ab eis, ad quos designatio spectat; innuitur autem ibi spectare ad parētes aut ad alios, quibus incumbit cura infantis baptizandi; in eorum verò defectu pertinere ad baptizantem, quia ei incumbit, quod baptismus legitimè celebrētur, quod nō fieret absque patrino; & tandem addit Concilium, quod si alij vltrà designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant; est ergo Difficultas an quandò plures; quàm duo, quorum nullus sit designatus, tenent, aut suscipiunt in baptismo, omnes contrahant spiritualem cognationem, & etiam quando plures, quàm à Trid. permittuntur, designantur, & verè tenent, ac suscipiunt, an omnes contrahant cognationem spiritualem; In primo casu Hurtad. *disp. 18. diff. 4.* cum Henriquez, Rebell, & alijs ait omnes illos cognationem cōtrahere, siuè simul, siuè successiuè teneant, quia vt quis sit validus Patrinus, non requiritur à Trid. designatio, id enim nullo verbo indicatur, sed tantum statuit, quod Parochus non admittant in Patrinum nisi designatum ab illis, ad quos spectat; pro eo autem casu, in quo nullus sit designatus, nihil statuit; ergo in hoc casu standum est iuri antiquo *Cap. final. de cognatione spirituali in 6.* iuxtà quod omnes tenentes contrahunt illam. In secundo verò casu eundem Hurtad. Suarez cum alijs 3. p. q. 67. *art.* 8. & Brancatus ex nostris *disp. 18. art. 6. §. 3.* docent vel nullam talē cognationem contrahere, quia tunc nullus obiuit munus patrini, modo statuto à Trid. nempè totaliter, aut partialiter, faciendo tantùm alium diuersi sexus; vel saltim non contrahere alios suscipientes vltrà iam designatos, quia ità expressè Trid. statuit, cum ait, *Quod si alij vltrà designatos baptizatum tetigerint, cognationem spiritualem nullo pacto contrahant.*

467 Mihi tamen videtur dicendum cum Sanchez *lib. 7. disp.* 57. Coninch. *disp.* 32. & alijs in primo casu nullum eorum spiritualem cognationem contrahere siuè simul, siuè successiuè teneant, vel suscipiant, quia deficiente designatione nullus eorum est vere patrinus, Tridentinum siquidem eam requirit ad officium patrini, vt expressè colligitur ex verbis modo relatis *Quod si alijs vltrà designatos &c.* vndè falsum est illis verbis statuere tantum, quod Parochus non admittat in patrinum, nisi designatum ab illis, ad quos spectat; nam eisdem verbis etiam expressè indicat designationē esse conditionem necessariò requisitam, vt quis officio Patrini fungatur. iure nouo reuocato antiquo; quando ergo qui non est designatus non erit verè patrinus, neque cognationem spiritualem contrahet. In secundò verò casu dicendum est cum Coninchio, Ponce, Caspensi, & Hurtado *loc. cit.* tunc omnes cognationem contrahere, quia quamuis Tridentinum statuat, & præcipiat, vt non designetur, nisi vnus, aut ad summum vnus, & vna; non tamen irritat designationem plurium duobus; si ergò plures, quàm vnus, & vna ab eo legitimo designatore deputentur, peccabit quidē designator contra decretum Concilij, ipsi tamen omnes designati contrahent cognationem spiritualem, itaque pluralitas suscipientium, atq; tenentium, quàm à Tridentino permittuntur, non obest contractioni cognationis spiritualis, nisi quando vltrà iam designatos alij non designati etiam tangerent, hoc est, tenerent, vel susciperent, & in hoc sensu loquitur Tridentinum *loc. cit.*

Secunda Difficultas est, An qui per procuratorem, seù substitutum exercet patrini munus, contrahat cognationem spiritualem. Negant Sanchez, Tancred. Henriquez. Reginal. Filliucius, & alij; quia iura quibus dicta cognatio inducitur, ad id requirunt tactum patrini physicum, & immediatum, quem vtique non habet qui per procuratorem tenet, aut suscipit. 468

Confirmatur, quia constituens alium, qui suo nomine baptizet, non contrahit cognationem ex baptismo facto à suo Commissario, ergo nec ille, qui per alium tenet, & suscipit. Affirmant è contrà Ponce, Rebel. Coninch. Bonacina, Hurtad. Stephanus à S. Greg. Brancatus ex nostris, & alij passim. Ratio est, quia quæ agit procurator non agit proprio nomine, sed nomine mittentis, illique imputantur acta per procuratorem, nam qui per alium facit, per seipsum facere censetur, *l. Licet* de Constitutione pecuniæ, & ex regulis in 6. & hæc ratio ostendit etiam ipsum procuratorem dictam cognationem non contrahere, quia quamuis ipse immediatè teneat, non tamen suo nomine, sed alieno, & ità ipse non dicitur patrinus.

Confirmatur, quia matrimoniū potest per procuratorē fieri, vt suprà dictum est, ergo & actus leuandi, vel tenendi, quia non est maior ratio de vno quàm de alio. Denique si ità non esset, Ecclesia non permitteret, vt medijs procuratoribus possint fideles tenere ab baptismum, & ità declarasse sacram Congregationem testantur Nauarrus, & Ponce, cuius verba refert Brancatus *disp. 18. cit. art. 5. num. 96.* *Procurator non contrahit cognationem spiritualem sibi, sed mandanti.*

Negationes in oppositum vrgent; nam ad contrahendam cognationem sufficit cōtractus vnius nomine alterius; quia qui per procuratorem munus patrini exercet per eum tenendo, & suscipiendo, verè & propriè illud exercet, sicut in contrahendo matrimonio, vt generaliter ex ea regula constant, quod quilibet potest per alium, quod potest per seipsum, nisi aliqua lege prohibeatur; in præsenti verò materia nulla est lex prohibens, imò vsus est in contrarium, & ab Ecclesia approbatus, vt dictum est. Ad Confirmationem concesso antecedente, negatur consequentia, & ratio disparitatis est, quia nemo potest nomine alterius baptizare, sed qui baptizat immediatè Christi personam sustinet, & est verus baptismi minister, vndè qui baptizat ex scientia, seù commissione alterius, non baptizat nomine illius eum repræsentans, & vt eius procurator, sed tantum, vt minister Christi, & sacramenti, quamuis ex licentia alterius; neque baptizat nomine committentis, sed proprio, tamquam verus minister ad id à Christo constitutus, ac proindè ipse cognationem contrahit, non autem qui ei commissionem tribuit ad baptizandum.

Tertia difficultas est, An ex Catechismo oriatur cognatio spiritualis matrimonium impediens. Scotus *d. 42. cit. sub lit. K.* inquit, quod per Catechismum qui præcedit Baptismum, cognatio spiritualis contrahi inter Catechizantem, & Catechizatum, per quam matrimonium contrahendum impeditur, addit tamē, quod per istam Cognationem matrimonium potest contractum minimè separari. Quam assertionē accepit Doctor ex *cap. Per Catechismum* De Cognatione spirituali in 6. vbi Bonifacius VIII. confirmat decretum Clementis Tertij docens contrahi quidem Cognationem spiritualem per eum, addit tamen, & declarat non esse impedimentum dirimens illis verbis *Per Catechismum cognationem matrimonium post eam contractum minimè separatur* Hoc totum etiam docet Brancatus noster *disp. 18. cit. art. 4.* dicens ex praxi Ecclesiæ hanc cognationem haberi pro impedimento prohibente tantum, non autem 469

autem dirimente, & ait de hoc nullam esse controuersiam. Sed quamuis totum hoc sit verum loquendo de iure anti-quo, dubium tamen est, an hoc impedimentum iure nouo Concilij Trid. *sess.24.c.2.* fuerit sublatum; & iam superius q.12.*art.1.n.50.* diximus cum communiori probabilius esse, non amplius extare hoc impedimentum, sed per Concilium *loc.cit.* fuisse sublatum.

470 Quo autem ad Cognationem legalem hæc dicitur, quę ex humana adoptione nascitur, est enim propinquitas persona-rum ex adoptione proueniens, adoptio verò est personę ex-traneæ in filium, aut filiam legitima assumptio, & quoniam hęcCognatio à lege est introducta ad producendas, seu pro-pagandas familias, quod fit dùm aliqua familia extinguitur, nisi alius in eam adoptetur, seu inferatur, ideò dicitur lega-lis; Et hoc matrimonij impedimentum primò inductum est lege Ciuili L. *Adoptiuus ff. de Ritu nupt. & Instit. de Ado-ption.* Quod lex Canonica posteà confirmauit cap. *Ita dele-gere cap. per Adoptionem* 30. q.3. & extra cap. Vn. de Cogna-tione legali. Vt autem magis pateat vndè hæc legalis Co-gnatio oriatur, & ad quas personas se extendat, aduertit Scotus *dist.42.lit.* ab initio quæstionis lit. B. quod adoptio est duplex, vna perfecta, quæ dicitur arrogatio, per quam ado-ptatus transit in potestatem adoptantis, & fit hæres illius necessarius etiam ex testamento non secus, ac filius natura-lis, neque talis adoptio fit, nisi auctoritate supremi Princi-pis. Alia est imperfecta, seu simplex, quæ nomen adoptionis retinet, & fieri potest auctoritate Magistratus inferioris Principe, per quam adoptatus non transit in potestatem adoptantis, quia est sub potestate sui patris naturalis, & non est hæres necessarius in testamento, sed tantùm ab intesta-to. Conueniunt Doctores ex adoptione perfecta oriri Co-gnationem legalem matrimonium dirimentem, sed difficul-tas est, an hæc oriatur etiam ex adoptione imperfecta. Ne-gant Sanchez, Henriquez, Tancred. Meratius, Bonacina, Reginaldus, Filliucius, Caspensis, Auersa, & alij communi-ter, quod probant. Primò quia ratio ac conuenientia, ob quam hoc impedimentum inductum est procedit speciali-ter in adoptione perfecta, quæ est adoptio simpliciter, & ab-solutè, imperfecta autem non nisi secundum quid; etenim leges supra citatæ, hanc cognationem introduxerunt ad effugiendam fornicationem, quia per adoptionem perfe-ctam adoptatus transit in domum, & potestatem adoptan-tis, quod periculum non videtur esse cum adoptato imper-fectè extrà potestatem adoptantis manente. Deindè quia iura quibus hoc impedimentum introducitur, potius re-stringenda sunt, quàm dilatanda, in fauorem matrimonij; ergò cum loquantur de adoptione absolutè, intelligi debent de sola adoptione perfecta, quia imperfecta absolutè talis non est.

471 Verùm Scotus *loc.cit.* docet cognationem legalem matri-monium dirimentem non tantùm ex adoptione perfecta oriri, quæ dicitur arrogatio, sed etiam ex imperfecta, & simplici, ità etiam Scotistæ omnes Bassolius, Hiquens, Bran-catus, & insuper Riccardus, Paludanus, D. Antoninus, & ex Recentioribus Petrus Soto, Toletus, Lopez, Angelus, Tabbiena, Ponce, Rebellus, Hurtadus, & probabiliorem quoque censet Stephanus à S. Gregorio. Ratio est, quia vbi iura non distinguunt, neque nos distinguere debemus; at iura quibus ex adoptione inducitur cognatio legalis ma-trimonium dirimens loquuntur de adoptione absolutè, & absque distinctione aliqua, vt explicat Glossa in *cap. Vn. de Cognat.* legali, vbi habet, Per decretalem istam, quæ indi-stinctè loquitur de adoptione, non distinguendo inter ado-ptatum, & arrogatum, introductam esse cognationem le-galem. Confirmatur, quia adoptio imperfecta, quamuis sit imperfecta, est tamen absolutè, & verè, & proprie ado-ptio; ergo dicta iura non sunt restringenda ad cognatio-nem legalem ex adoptione perfecta. Tandem, quia ratio, & conuenientia, ob quam hoc impedimentum inductum est, procedit etiam aliquo modo de adoptione imperfecta, licet enim imperfectè adoptatus non transeat in potestatem adoptantis, acquiruntur tamen ei aliqua iura, vndè licet non adsit adeò propinquum periculum fornicationis in tali adoptione, adhuc tamen adest, & graue; ex qua doctrina patet quid sit dicendum ad rationes in opposi-tum.

472 Deindè Doctores communiter docent etiam Bassolius noster *d.42.art.4.* ex Glossa in cap. Vn. de Cognatione legali tres esse huius Cognationis legalis species, seù inter plures

Meld. In Quart. Sentent,

personas diuersi ordinis nasci posse. Prima est quasi descen-dentium, & fit per lineam rectam, quæ insurgit inter ado-ptantem, & filium adoptiuum, ac eius filios, nepotes, atque pronepotes in recta linea, nec non patrem adoptantis, & auum, &c. Secunda est quasi transuersalis, quæ est inter ip-sum filium adoptatum, & filium naturalem, vel filiam ado-ptantis. Tertia est per modum cuiusdam affinitatis, quæ est inter vxorem patris adoptantis, & inter filium adoptatum, & similiter è contra inter vxorem filij adoptati, & inter ip-sum patrem adoptantem; ac etiam inter ipsas vxores ado-ptantis, & adoptati, nam in hac cognatione affinitas quæ-dam est gradus suos proportionaliter habens. Conueniunt Doctores affinitatem legalem, quæ est tertia species, tan-tùm dirimere matrimonium adoptantis cum vxore ado-ptati, & è contra matrimonium adoptati cum vxore ado-ptantis, quia istæ tantùm personæ iure exprimuntur, & red-duntur inhabiles, nec impedimentum hoc in tali specie, vel linea vlterius extendi debet. Deindè conueniunt cognatio-nem legalem in linea transuersa, quæ est secunda species, dirimere matrimonium personæ adoptatæ cum filijs, aut filiabus carnalibus adoptantis, quia personæ istæ tantùm iure ipso exprimuntur, & inhabiles redduntur. Tandem conueniunt cognationem legalem in recta linea, quæ est prima species, dirimere matrimonium inter adoptantem, & adoptatum, quia etiam personæ istæ iure ipso dirimente ex-primuntur. Ità Hurtad. *disp.19. diff.3.*

Est tamen Difficultas, an dirimat etiam in hac linea recta inter aliquas alias personas; Plures sententias refert in hac difficultate Meratius *disp.9. sect.10.* quarum communior, & probabilior mihi videtur illa, quæ asserit, quod cognatio le-galis in recta linea ascendente, & descendente inter ado-ptantem, & adoptatum impedit vsque ad quartum gradum, quam sequuntur Nauarrus, Toletus, Ponce, Bonacina, & alij passim, qui etiam addunt hanc cognationem inter has personas semper impedire, etiamsi adoptio dissoluta fuerit, quod deducunt ex *cap. Dilegere* 30. q.1. & sequitur etiam ex nostris Brancatus *disp.19. cit. art.2.* vbi ex pluribus legibus in iure ciuili probat in hac linea vsque ad talem gradum prohiberi matrimonium; Et cùm Ecclesia sciat has prohibitiones dirimentes legum ciuilium vsque ad quar-tum gradum, & eas non improbet, neque abroget, sed ad-mittat, signum est tacito consensu eas approbare. Et addit, quod licet ex textu Canonico non habeatur Canon explici-tè declarans hanc cognationem inter præfatas personas im-pedire, ac dirimere vsque ad quartum gradum; tamen ex eo habetur argumentum à fortiori; nam plures Pontificea ab ipso citati cognationem inter fratres adoptiuos, & na-turales impedire, ac dirimere; maius autem est vinculum adoptati cum patre adoptantis, ac auo, & adoptantis cum filijs adoptati, quam fratrum adoptiui, & carnalis, cùm ho-rum cognatio sit in linea transuersa, illorum verò in linea recta. 473

QVÆSTIO DECIMAOCTAVA.

De impedimentis Affinitatis, & publica Honestatis.

DE his duobus impedimentis breuiter, sed completè agit Doctor *4.d.41.* & quia ad cognationem & consan-guinitatem iam præcedenti quæstione explicatam, & con-sideratam proximè accedit affinitas, & ad affinitatem pu-blica honestas, ideò congruenti ratione de his alijs duobus impedimentis in hac quæstione tractare prosequimur, in qua eadem prorsus discutienda sunt de affinitate, quæ de consanguinitate dicta sunt, quid scilicet sit, quot gradus ha-beat, quæ regulæ cognoscendi eos, in quo gradu impediat, & tandem quo iure hoc impedimentum sit inductum, quæ omnia breuiter tangit Doctor *loc. cit.* 474

ARTICVLVS PRIMVS.

De Impedimento Affinitatis.

PRimò itaque Doctor ibi describit Affinitatem, quod sit vinculum quoddam personæ ad personam ex carnali copula cum persona alteri consanguinea contractum; 475

sen vt alij definiunt, & recedit in idem, est propinquitas personalis proueniens ex carnali copula, siuè hæc sit licita, siuè illicita, vt habetur *cap. Discretionem* De eo, qui duxit, & in Trident. *sess.24.cap.4.*& quia talis coniunctio accedit quasi ad fines ipsiusmet consanguinitatis, propterea vocatur affinitas, inquit Doctor, Contrahitur autem ex vno capite inter consanguineos viri cognoscentis feminam, & ex alio ipsam feminam cognitam præcisè; & similiter ex ipso capite inter consanguineos feminæ cognitæ, & inter ipsum virum cognoscentem duntaxat ex alio. Ex quo infertur neque cognoscentem contrahere affinitatem cum cognita, vel è contra, neque consanguineos cognoscentis cum consanguinei cognitæ, vel è contrà; propterea duo fratres possunt ducere duas sorores, & filius potest ducere illam, cuius matrem pater eius duxit *cap. Super his De Consanguin. & Affinitate*; Ex quibus satis patet definitio Affinitatis tradita à Doctore, dicitur enim vinculum quoddam, vel propinquitas, in quo conuenit cum cognatione carnali; dicitur ex carnali copula proueniens, vel contractum ad distinctionem dictæ cognationis carnalis; vel consanguinitatis; & dicitur generaliter ex copula carnali, quia contrahitur etiam per copulam illicitam, & fornicariam, vt dictum est; Itaque si Petrus habeat copulam cum Anna fit affinis cum consanguinei Annæ in eo gradu, in quo sunt ipsi consanguinei Annæ cum ipsa, vndè si ipsi sint eius consanguinei in primo gradu, fiunt affines cum Petro in primo gradu;& idem dicendum est de consanguineis Petri respectu Annæ, nam ipsa per copulam habitam cum Petro fit affinis consanguineis Petri in eo gradu, in quo ipsi consanguinei sunt cum Petro; licet autem Petrus fiat affinis cum consanguineis Annæ, & Anna fiat affinis cum consanguineis ipsius Petri, nihilominus consanguinei Petri, & consanguinei Annæ non fiunt affines inter se, nullo enim iure talis affinitas probari potest, quia affinitas affinitatem non parit, & hæc est communis omnium doctrina tam Theologorum, quàm Iuristarum, cum expressè habeatur in iure.

476 Secundò ait Doctor, quod affinitas propriè gradus non habet, sed mensurantur gradus affinitatis iuxtà gradus consanguinitatis, atque ideò distantia, vel propinquitas affinitatis est mensuranda iuxtà distantiam, vel propinquitatem graduum consanguinitatis cum ea persona, per quam patitur affinitas, vndè stipes in affinitate sunt illæ duæ personæ quæ se carnaliter cognoscunt, quæ proindè non dicuntur affines, sed principium affinitatis, vt si Petrus carnaliter cognoscat Annam, Petrus, & Anna sunt stipes affinitatis ex eorum copula consurgens; Quarè Doctor ad cognoscendam affinitatis distantiam, & propinquitatem talem regulam assignat, *quoto gradu consanguinitatis aliquis distat ab alio, toto gradu affinitatis ab eodem distat illa, quæ est ab isto carnaliter cognita.* Vndè gradus affinitatis ità computantur, vt consanguinei viri cognoscentis feminam cum gradum affinitatis cum ipsa teneat, siuè per lineam rectam, siuè per transuersam, quem ipsi consanguinei tenent cum viro illo qui feminam cognouit; Et similiter ex parte feminæ eum gradum affinitatis teneant cum viro cognoscente feminam, quem feminæ consanguineæ illius mulieris cognitæ tenent consanguinitatis cum ipsa hac muliere cognita. Quarè si Petrus v.g. cognoscit Annam coniugem suam habentem fratres, Sorores, patrem, & matrem; frater, & soror Annæ fiunt Affines Petri in linea transuersa, Pater verò, & Mater Annæ fiunt affines Petri in linea recta, nam in affinitate computandi sunt gradus eodem modo, quo in consanguinitate; pro cuius maiori intelligentia videri potest arbor affinitatis descripta a Brancato nostro *disp. 26. art. 1.*

477 Tertiò notant communiter Doctores, carnalem copulam, quæ affinitatem inducit, debere esse perfectam, idest talem, ex qua ex natura rei prolis generatio sequi valeat, alioquin affinitatem non induceret; vt autem talis sit, debet virile semen intrà vas naturale femineum immitti, & cum eiusdem feminæ semine commisceri, vt indicatur in Can. *lex diuina*, dùm in eo requiritur seminum commixtio quarè femina non seminante, quantumuis vir seminet intrà eius vas, nec est copula carnalis perfecta, nec ex ea affinitas consurgit saltem in foro interno vt contrà Sanchez, & Poncium docet Hurtad. *disp.20. diffic.1.* ex Innocentio *cap. Fraternitatis* De eo, qui cognouit consanguineam, ac etiam Astesanus noster *lib.8.tit.25.* Et ratio potissima est, quia vt dictum est in lib. de Gen. & Corrup. ex Galeno, & Auicenna femineum etiam semen ad generationem omninò necessarium ad alium finem fuit a natura institutum; Et per copulam Eunuchi cum femina affinitatem ... hi, quia nempe talis copula ad generationem ... & Eunuchi verum semen non affundunt, vt ... ctis suprà circà impedimentum impotentiæ.

Dubitarunt tamen aliqui, num oritur a copula inuoluntariè habita, vtpotè in somno, ebr... insania, aut etiam ignorantia affinitatis, & cum ... lenter coacta. Sed certum etiam est apud Doc... quoque copula affinitatem oriri matrimonium ... tem, ac dirimentem, quia ad hunc effectum, ... mentum inducendum non consideratur culpa ... ex iure inhabilitas, & impedimentum inducitur copula est per se ad generationem sufficiens, & p... copula habita cum femina inuita, quod affinita... cat, habetur expressè cap. *Discretionem* Dubitat... aliqui, an sine copula carnali posset oriri affinit... nium dicimens; Et quidam affirmarunt cum D... *41.q.1. art.1.* non ex sola copula, sed etiam ex ma... tantùm rato, & nondùm consumato affinitatem o... verè, & propriè loquendo tale impedimentum o... matrimonio rato non dicitur affinitatis, sed public... statis, vt notat Doctor *disp.41. lit. C.* vbi ait affinitat... contrahi, nisi mediante commixtione carnali; addit quod extendendo nomen affinitatis dicitur contr... solum cum vxore carnaliter cognita, sed etiam cum ... cognita, & quod plus est, cum illa etiam, cum qua p... contrahuntur sponsalia, communior tamen, ac retin... loquendi modus, vt ait Auersa *q.17.sec.1.* non illud app... affinitatis, sed publicæ honestatis.

Quartò prætereà Doctores communiter docent ex ... la carnali coniugali iure naturali affinitatem oriri, & ... est manifesta, quia per illam fiunt coniuges ex ipsa rei n... ra duo in carne vna, hoc est, fiunt de se principium suffic... vnius carnis, & prolis, & consequenter vtriusque con... guinei ex natura rei alterius coniugis sanguinem attinge... & de se habent cum eo coniuge communionem, & coni... tionem quandam, non ex lege Ecclesiastica sed ex nat... rei. Dubitarunt tamen aliqui, an pari ratione id affirma... tum sit de copula fornicaria, illicita, & quidem Merati... cum quibusdam alijs *disp.9. sec.11.* negat quia ex copula fornicaria, & illicita potius rixæ, & contentiones oriuntur quàm beneuolentia. Sed alij communiter affirmant ex ha... quoque copula iure naturali affinitatem oriri, & contrahi & quidem rationabiliter, quia vt ait Caspensis *disp. 19. sect.* 2. etiam qui fornicariè, & illicitè copulantur carnaliter vnum corpus fiunt, & caro vna, vt inquit Apostolus *1. Cor. 6. Qui adhæret meretrici vnum corpus efficitur*, vndè consanguinei vtriusque ex natura rei attingunt fines alterius carnaliter coeuntis. Nec obstat, quod Meratius aiebat ex copula fornicaria rixas potius, contentiones oriri, quàm beneuolentiam, quia hoc omnino per accidens se habet ad vinculum affinitatis, quod oritur præcisè ex prædictis seminum commixtione; & hoc etiam Scotus ipse insinuat *d.41. lit. sub B.* dùm inquit, quod non solùm cum vxore, sed cum concubina vel meretrice contrahitur affinitas consanguineorum ipsius viri, licet non exprimat, quod hoc fiat iure naturali.

Quintò conueniunt etiam Doctores affinitatem iam declaratam matrimonium dirimere iure saltem Ecclesiastico, ne inter affines validè contrahi possit, ibi enim habetur ex pluribus Capitibus 35. *quæst.2. q.10.* alijsque sacris Canonibus, & alijs Pontificum, ac Conciliorum, decretis, & hoc siuè affinitas consurgat ex copula licita, & coniugali, siue illicita, & fornicaria. Hoc tamen inter copulam licitam, & illicitam versatur discrimen, quod ex copula licita oritur impedimentum matrimonium dirimens vsque ad quartum gradum; ex illicita verò oritur impedimentum dirimens matrimonium vsque ad secundum gradum duntaxat, vt nouissimè Concil. Trid. declarauit *sess.24. cap.4.* vbi nihil innouauit circà affinitatem ex copula coniugali consurgentem, sed illam reliquit vsque ad gradum, in quo antea determinata erat, ob reuerentiam matrimonij; affinitatem verò ortam ex copula fornicaria vsque ad secundum gradum tantùm reuocauit, licet eam etiam in gradibus remotioribus dirimens, & hoc fecit ob difficultatem detegendi affinitatem ex copula fornicaria consurgentem in vlterioribus gradibus, vndè qui fornicatus est cum

cùm aliqua poteſt contrahere matrimonium cum conſanguinea illius in tertio, vel quarto gradu.

480 Eſt tamẽ Difficultas inter Doctores, an affinitas dirimat matrimonium etiam iure naturæ in aliquo gradu, & eſt præſertim quæſtio de affinitate orta ex copula coniugali, & licita, ortam enim ex copula illicita omnes concedunt non impedire, niſi ex iure poſitiuo Eccleſiæ, quia nec ratione nec auctoritate oppoſitum conſtat. Nec obſtat, quod affinitas iure quoque naturali oriatur ex copula illicita, vt ſupradictum eſt, quia ex hoc non ſequitur, quod etiam iure naturali matrimonium dirimere debeat, quia longè diuerſum eſt vnum, & alterum, nam conſanguinitas à ſecundo gradu vſque ad quartum incluſiuè ſolo iure Eccleſiaſtico matrimonium dirimit, & tamen conſanguinitas iure naturali contrahitur; Quæſtio ergo eſt de affinitate orta ex copula licita, & coniugali, & in primo gradu lineæ tranſuerſæ, vel rectæ, primus gradus lineæ tranſuerſalis eſt, quem habet frater mariti cum eius vxore, & primus gradus lineæ rectæ eſt, quem habet filius cum nouerca; eſt inquam, quæſtio de affinitate in his gradibus ſtrictioribus lineæ vtriuſque, quia loquendo de affinitate in ſecundo, & in vlterioribus gradibus lineæ tranſuerſæ cõcedunt omnes iure naturali non dirimere matrimonium, neque impedire contrahendum, quia neque id efficit conſanguinitas, quæ eſt ſtrictior propinquitas.

481 Prima ſententia docet, nedùm affinitatem in primo gradu lineæ rectæ, dirimere matrimonium iure naturali, ſed etiam in primo gradu lineæ tranſuerſæ, vt affinitas cum vxore fratris, quod probat ex Math. 14. & Marci 6. vbi Ioannes Baptiſta grauiter increpauit Herodem, quia duxerat vxorem Philippi fratris ſui Herodiadem; & tamẽ Herodes vt potè Gẽtilis non tenebatur lege diuina in veteri teſtamento lata Leuit. 18. *Turpitudinem vxoris fratris tui non reuelabis*, ſed tantùm iure, & lege naturali. Deinde ratione, quia matrimonium inter fratrem, & ſororem, eſt iure naturali nullum, ſed vxor fratris reputatur ſoror, quia per actum coniugalem, effecta eſt vna caro, & ſanguis cum fratre ergo, &c. Tandem quia matrimonium contractum cùm affine in primo gradu lineæ tranſuerſæ prohibitum fuit in Leuit. *loc. cit.* tanquam turpe ità Ricardus, Paludanus, Antoninus, Durandus, & alij ex Theologis, Iuriſtis, & Summiſtis, qua ſententia ductus Henricus Octauus Angliæ Rex reſcidit matrimonium cum Catherina Aragonia contractum, quæ fuerat anteà vxor fratris ſui.

Secunda ſententia docet ſaltim ex iure naturæ nõ valere matrimonium in primo affinitatis gradu lineæ rectæ, quod probat ex illo Pauli ad Corin. 5. *Auditur inter vos talis fornicatio; qualis nec inter gentes, ita vt vxorem patris ſui quis habeat*, & Gen. 49. acriter reprehenditur Ruben, qui dormierat cum vxore Patris ſui, & Amos 2. tanquam magnum ſcelus refertur, vt pater, & filius eandem fœminam cognouerint, nec demum vnquam legitur Eccleſia in hoc gradu diſpenſaſſe. Deindè probat ratione, quia copula carnalis nequit ex natura rei fieri abſque irreuerẽtia inter affines in dicto gradu; ergo matrimonium inter eos nequit validè fieri, quia nequit conferri ius iuſtitiæ ad id, quod ex obiecto eſt intrinſecè malum; probatur aſſumptum, quia vxor Patris ex coniunctione carnali ad patrem fit vna caro cum ipſo; ergo in acceſſu filij ad vxorem patris nequit non eſſe irreuerentia ex natura rei. Tandem probant ex communi nationum omnium ſenſu, quia omnes nationes ab huiuſmodi matrimonio abhorrere videntur ità Bellarminus, Valentia, Tannerus, Vaſquez, Eſtius, Coninchius alijque plures, & ex noſtris etiam Hiqueus 4. *d.* 41. in Commentario, & Poncius *diſp.* 46. *q.* 12.

482 Tertia tandem ſententia communior & probabilior vniuerſaliter docet in nullo affinitatis gradu iure naturali irritum eſſe matrimonium. Ita præſertim Scotus *diſp.* 41. *cit.* §. *Ad quæſtionem*, vbi ait quod affinitas ſimpliciter impedit matrimonium & ratio non eſt, niſi ſtatutum Eccleſiæ illegitimantis affines, & in eodem gradu impedit matrimonium in quo conſanguinitas, & hoc quidem de affinitate propriè dicta; ità etiam Scotiſtæ paſſim præſertim Brancatus noſter *diſp.* 36. *art.* 8. *vbi num.* 99. ait, quod nullus affinitatis gradus etiam in linea aſcendente fuit vnquam iure naturæ impedimentum dirimens, ſed in lege Moyſi iure diuino, & in lege noua iure Canonico, & Eccleſiaſtico, ità etiam Alenſis, Caietanus, Abulenſis, Sanchez, Henriquez, Tancred. Ponce, Hurtadus, Meratius, Caſpenſis, Bonacina, Diana, Gutierez, Villalobos, Auerſa, & alij Recentiores paſſim. Et ſanè certum eſſe debet de affinitate in linea tranſuerſa, nam in veteri teſtamento Iacob Gen. 19. poſt primam ſororem Liam duxit ſecundam Rachelem, cum quia iam hanc contraxerat affinitatem in primo gradu; Iudas item Patriarcha collocauit in matrimonium eidem mulieri vnum fratrem poſt alium Gen. 38. Et quandocunque vnus fratrum abſque filijs decederet, iubebatur alter frater eandem ducere vxorem ad eius ſemen ſuſcitandum Deuter. 27. Et in huiuſmodi primo gradu lineæ tranſuerſæ diſpenſatum fuit ſæpè in Eccleſia, vt ab Alexandro Sexto cum Rege Luſitaniæ, & à Iulio ſecundo cum Henrico VIII. Rege Angliæ, quam diſpenſationem confirmauit poſteà Clemens VII. conſultis prius totius Europæ primarijs Vniuerſitatibus, & in iure Canonico Innocentius Tertius cap. final. de Diuortijs conceſſit infidelibus conuerſis, vt vxores haberẽt eaſdem, quæ fuerant ſuorum fratrum. Suadetur tandem à fortiori exemplo conſanguinitatis in linea laterali, de qua idem ſtatuimus *præced. art.* 1. quod quamuis ſit ſtrictior affinitate, non dirimit matrimonium iure naturali in eo gradu, at etiam ratione, quia nulla inter affines lineæ tranſuerſæ reperitur ſuperioritas, aut quaſi ſuperioritas ex natura rei, ac proindè dicta affinitas matrimonium ex natura rei non dirimit, nec ex natura rei talis apparet repugnantia, vt inter tales affines matrimonium non valeat.

Deindè, quod idem dicendum ſit etiam de affinitate in primo grade lineæ rectæ, quod ſcilicet matrimonium non dirimat iure naturali, ex eo manifeſtè deducitur, quia non eſt tale vinculum affinitatis, ſicut conſanguinitatis, vt in primo gradu lineæ rectæ matrimonium dirimat; nec apparet talis vis affinitatis, quia vt benè diſcurrit Hurtad. *diſp.* 20. *diffic.* 4. inter dictos affines nulla reperitur ſuperioritas, cõtra cuius reuerentiam ſit vſus matrimonij, nam ſuperioritas in eo tantùm reperitur, qui eſt principium naturale alterius, & non in eo, qui eſt affinis, quamuis cum principio naturali vna caro fiat, propriè enim loquendo, & in rigore non fit vna caro cum illo, ſed intantum dicitur fieri cum eo vna caro, inquantum fiunt principium vnius carnis; ac proindè, ait Hurtadus, quamuis in acceſſu filij ad vxorẽ patris iam defuncti ſit ex natura rei aliqua indecentia, non tamen irreuerentia, aut impietas; ſed ſolùm in acceſſu ad vxorem patris viuentis, non ipſi nouercæ facta, ſed ipſi patri, quia ei fit maxima iniuria adulterij; & de hac loquitur Apoſt. *loc. cit.* 483

Confirmatur, quia aliquandò cum nouercis matrimonia celebrata fuerunt, cum quibus intercedit affinitas in primo gradu lineæ rectæ, vt referunt Auctores tertiæ ſententiæ; nec planè tanta indecentia apparet inter has perſonas, quãta eſt inter conſanguineos in primo gradu, nec tanta reperitur turpitudo, quæ ſufficiens videatur ad dirimendum matrimonium iure naturæ; ſed ſolùm talis, vt niſi ex neceſſitate, & iuſtà cauſa id fieret, illicita eſſent connubia in illis gradibus vel ſub graui, vel ſub leui culpa pro varietate, & occurrentia ipſarum rerum, nec aliud rationes in oppoſitum conuincere poſſunt.

Ex his patet quid ſit dicendum ad auctoritates, & ratio- 484
nes adductas pro prima, & ſecunda ſententia; nam ad fundamentum primæ ex reprehenſione D. Io. Baptiſtæ deſumptum reſpondetur cum Auctoribus tertiæ eum reprehẽdiſſe Herodem, aut quia duxit vxorem fratris ſui adhuc viuentis, vt narrat Ioſephus Hiſtoricus *lib.* 18. *Antiquit. cap.* 6. vel quia ſaltem ex lege diuina tale connubium erat prohibitum, cùm Herodias haberet ex Philippo prolem, quia reliquerat puellam ſaltatricem, cui Hebræorum legi etiam Herodes ſubditus erat, quamuis ex gentilitia ſtirpe deſcenderet, nam non ſolùm ille Herodes, ſed etiam alius primus Herodes eius pater legem Hebræorum ſuſceperat, quandò in regem illorum fuit aſſumptus, eamque profitebatur, ſicut ipſi Hæbrei. Ad rationem negatur maior, vt enim conſtat ex dictis *q. præced. art.* 1. *n.* 460. matrimonium inter fratrem, & ſororem, non eſt iure naturali nullum, imò neque illicitum ſaltem grauiter, quo etiam conceſſo adhuc neganda eſſet conſequentia, quod ſcilicet eodem modo eſſet nullum, & illicitam etiam inter affines in eodem gradu lineæ tranſuerſæ, qui affinitas longè minor eſt conſanguinitate, & ideò adhùc paritas neganda eſſet.

Ad vltimum neganda eſt etiam conſequentia, cùm enim hoc præceptum eſſet de genere iudicialium, quantum eſt ex vi illius legis non obligabat, niſi populum Hebræorum,

ac post aduentum Christi penitus cessauit, vt suo loco dictum est de cessatione legalium, nam translato Sacerdotio legis quoque translatio facta fuit Hebr. 7. In textu autem leuitici coniunctiones illis gradibus vocabantur turpitudines, tanquam aliquo modo indecentes, nam etiam in illis gradibus affinitatis ex natura rei talem saltem apparet indecentiam, vt nisi ex necessitate, & iusta causa fierent, illa connubis illicita essent.

485 Ad fundamentum secundæ sententiæ ex reprehensione D. Pauli desumptum, respondetur Apostolum tam acriter reprehendere illam fornicationem, quia adhuc viuebat Pater, cuius vxorem filius inuaserat, vt ibi Doctores exponunt, & iam suprà diximus in probatione nostræ sententiæ quoad hanc partem; qua etiam de causa tam acriter reprehensus fuit Ruben, quia patris adhuc viuentis torum violauerat cum magna irreuerentia, & impietate, & similiter apud Amos illa fœmina erat alterius vxor, qua ratione hæc erant atrocissima adulteria, & acerrima increpatione digna, & tandem in Ecclesia nunquã in tali gradu affinitatis dispensatum est, tùm ob magnam indecentiam, tùm ob alterius opinionis oppositionem. Ad rationem negatur assumptum cum eius probatione, quia vt constat ex dictis pro nostra sentẽtia inter dictos affines nulla reperitur superioritas contrà cuius reuerentiam sit vsus matrimonij, & ibi etiam explicatum est, quo sensu vxor patris ex coniunctione carnali ad patrem fiat vna caro cum ipso, dicitur enim fieri vna caro cum illo, non propriè, & in rigore loquendo, sed tantùm, quia fiunt principium vnius carnis.

Ad vltimum patet ex dictis non adesse tantam indecentiam, & turpitudinem, quæ videatur sufficiens ad irritandum matrimonium iure naturæ, sed solùm talem apparere indecentiam ex natura rei, vt nisi ex necessitate, & iusta causa illicita essent cõnubia in tali gradu lineæ rectæ, & adhuc magis illicita, quàm in primo gradu transuersæ, & hac de causa omnes nationes ab eiusmodi matrimonijs abhorrere videntur. Ex qua doctrina patet etiam quid dicendum sit ad motiua ab Hiqueo, & Poncio nostro adducta *loc. cit.* pro eadem sententiam, coincidunt enim cum iam allatis, solutis. Quod autem addit Poncius ex Concilio Aruernensi sub Vigilio Papa celebrato, scilicet eos, qui in tali gradu contrahunt v.g. priuignum, & nouercam, non solum auctoritatem legis diuinæ, sed etiam iura naturæ ausu sacrilegio perrumpere, in dicto Concilio reperire non potui; et si talia verba ibi habentur, dicendum est Concilium per exaggerationem ita locutum esse ad ostendendam magnam indecentiam, quæ etiam ex natura rei in huiusmodi matrimonijs appareret, quando sine magna necessitate, & iusta causa contraherentur, non autem ad indicandam nullitatem matrimonij secuturam iure ipso naturali.

486 Postremò hic quæri solet, an, & qualiter affinitas matrimonio superueniens eius vsum impediat, superuenit autem affinitas matrimonio, si vnus coniugum copulam habeat carnalem cum consanguineis alterius, sic enim fit affinis cum eodem suo coniuge, vt accidit, quandò Petrus verb. gr. post matrimonium cum Anna contractum copulam habet cum Sorore Annæ, ratione cuius copulæ fit affinis cum ipsa Anna; & quidem Doctores passim docent hanc affinitatem inducere impedimentum in incestuoso petendi debitum ab vxore, itaut non possit petere, priuatur enim iure petendi ex cap. 1. De eo, qui cognouit consanguineam, teneri tamen reddere debitũ alteri coniugi petenti vt habetur *cap. Discretionem*, & ratio est quia par non est, vt innocens ob culpam delinquentis damnum patiatur; Ex quo sequitur vtrumque coniugem iure petendi priuari, quando vterque cum alterius consanguineis copulam habuit, auc etiam quando vnus tantùm habuit, sed de consensu alterius, & ratio est, quis ius potestatem, & facultatem petendi coniugi duntaxat innocenti relinquit; de quo videri possunt Auersa q. 17. *sec.* 3. *&* Bonacina q. 3. *punc.* 12. vbi fusè de hoc puncto discurrunt.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Impedimento publicæ Honestatis.

487 HOc impedimentum in iure Iustitia publicæ honestatis appellari solet, à Theologis verò expeditiua Publica honestas nominatur, & interdum etiam simpliciter Honestas, & est propinquitas quædam iure Ecclesiastico introdu-

cta oriens ex sponsalibus inter sponsum
consanguineos sponsæ ex altera, & è co
matrimonio rato nondùm consumato
consanguineos vxoris, & è contrà; & ir
trahere valeat cum persona consanguin
tale matrimonium inierat, vel sponsalia
affines non extenditur, sed attingit tãtù
guineas illius, cum quo inita sunt spon
nium; & dicitur iustitia publicæ honesta
æquum est, vt ob publicam honestatem,
dictas personas matrimonium non con
constat hoc impedimentum distingui ab
nitatis, quia hoc oritur ex sponsalibus,
rato non consumato, illud vero contra
pulam carnalem licitam, vel illicitam; C
re antiquo impedimentum istud vsque
protendebatur, sicut extẽditur affinitas c
salibus, iure tamen nouo in Concil. Tride
stitutum est, vt impedimentum publicæ
salibus ortum vltrà primum gradum non
si quis de futuro contraheret cum aliqua
posset cum eius matre, vel Sorore contr
in primo gradu, in cæteris autem gradib
do autem hoc impedimentum oritur ex
extenditur ad quartum gradum, sicut
extendebatur, & secundus iuris antiqui c
ctum est, vt constat ex decreto Pij V. quo
monium spectat; lex autem huius impedim
De sponsalibus Cap. Iuuenis cap. Veniens cap
cap. Sponsam.

Quoniam verò sponsalia ex varijs cap
inualida, quorum quædam sunt intrinse
si deficiat consensus, vel contingat error
tio non purificata &c. quædam extrinsec
impedito, vel ligato, aut aliter inhabili,
ex sponsalibus etiam inualidis hoc imp
mens oriatur, in cuius dubij solutione al
quo, aliter ex nouo procedendum est,
ex sponsalibus quauis ratione inualidis,
essent inualida ex defectu consensus, orie
tum publicæ honestatis, vt habetur *cap.*
in 6. & refert Doctor *d. 41. cit. §. Ad quæstio*
nouo post Concil. Trid. ex Sponsalibus in
impedimentum publicæ honestatis, clari
nit *sess. 24. cit. cap. 3.* ex sponsalibus quacun
lidis tale impedimentum non oriri his ve
ca honestatis impedimentum, vbi sponsalia
ratione valida non erunt, sanctam Synodus præ
quis aliquo ex modis iam relatis impeditu
aliqua persona sponsalia contraheret, eiu
fierent inhabiles ad contrahendum cum e
men est, quod si sponsalia ex occulto ali
sunt inualida, vt ex defectu consensus inte
te & consanguinitate &c. licet in re non or
nestatis impedimentum, in foro tamen e
tur adesse, & ita est iudicandum, vt docet
disp. 27. art 3. §. 3. cum Nauarro, Barbosa, &
quia Ecclesia non iudicat occulta, sed pan
stus; si ergo ei constet de sponsalibus, & non
liditate, quæ supponitur occulta, debet i
stentia impedimenti publicæ honestatis, qu
cindum ea, quæ videntur alias confunde
& continuò essent dissoluenda matrimoni

Ex hoc soluitur aliud Dubium, an ex
contractis, seù oretenus factis absq; consen
tur hoc impedimentum publicæ honestati
Sanchez, Henriquez, Trancred. Ponce, &
ment; dicendum tamen est ex talibus spon
impedimentum publicæ honestatis in re; li
nec probetur fictio, præsumat, & contrach
planè si matrimonium sine consensu nullu
effectum, seu vinculum, ità neque sponsalia,
betur contractus sine consensu, idque tene
trus Ledesma, Veracruz, Bonacina, Hurtad
ter *loc. cit.* & alij passim; & ratio est, quia
sponsalia sint valida ad obligandum ex fide
ad obligandum ex iustitia, quia non suffici
dum ius iustitiæ sponsi in alterutrũ ratione
ginear ad alterum, ex quo solo prouenit, q

consanguineos vnius contrahere cum altero, & è contrà ob quod Ecclesia hoc impedimentum introduxit. Tùm quia Concil. Trid. *loc. cit.* statuit ex sponsalibus quacunque ratione inualidis impedimentum publicæ honestatis non oriri; sed in hoc casu sponsalia sunt inualida, cùm ad sui valorem consensus interior requiratur; ergo quando quis fictè consentit, impedimentum publicæ honestatis non inducitur. Tandem ex hac eadem doctrina soluitur aliud Dubium, an ex secundis sponsalibus contractis post prima valida non dissoluta oriatur hoc impedimentum; negatiuè enim respondendum est, & dicendum secunda sponsalia contracta cum consanguinea sponsæ non causare publicam honestatem impedientem matrimonium faciendum cum sponsa iam per verba de futuro desponsata, vndè ille qui cum Anna v.g. validè sponsalia contraxit, & posteà alia celebrat cum Sorore Annæ, non afficitur impedimento publicæ honestatis, ratione cuius non possit amplius cum Anna matrimonium contrahere; ità Doctores omnes suprà citati, & habetur expresse *cap. Vn. de sponsalibus in 6.* & ratio ex præmissa doctrina deducitur, quia sponsalia cum sorore Annæ sunt inualida ex sponsalibus autem inualidis impedimentum publicæ honestatis non consurgit, sicut consurgit ex sponsalibus prius cum Anna celebratis, ratione cuius impedimenti inualida redduntur posteriora sponsalia cum sorore Annæ celebrata, vt dictum est suprà q. 10. *de sponsalibus*.

590 Sed maior est Difficultas, an ex spõsalibus validis mutuo consensu dissolutis oriatur publica honestas, hoc est, an impedimentum publicæ honestatis contractum ex sponsalibus validis, & certis, cesset quando sponsalia posteà mutuo contrahentium consensu dissoluuntur. Cessare impedimentum in tali casu, & non oriri ex sponsalibus mutuo consensu dissolutis affirmant Rebellus, Gutierez, Ponce, Emanuel Sà, Hurtadus, Caspensis, & alij. Ratio est, quia dum sponsalia ex mutuo consensu dissoluuntur, tunc quasi euanescunt ratione sui immediatè, id est, per eandem causam consensus mutui, per quam introducta sunt; dùm verò spirant ratione mortis, tunc non cessant immediatè ratione sui, sed mediatè hoc est, ratione subiecti pereuntis, quocircà in hoc vltimo casu manet honestas, sed non in primo, pro quo Rebellus, & Ponce dicunt extare quandam Congregationis Cardinalium declarationem dicentium ea sponsalia esse inualida, ac proindè ex eis tale impedimentum non oriri.

491 Dicendum tamen est in tali casu oriri impedimentum publicæ honestatis, & non cessare, itaut si alter contraheret matrimonium cum consanguineis alterius, prorsus inualidè contraheret; ità Sanchez, Tancred. Auersa, Bonacina, & Brancatus noster, loco citato §. 6. Ratio est, quia verè antea illa sponsalia celebrata fuerunt mutuò consensu, quarè ex tunc induxerunt publicæ honestatis impedimentum, ergò permanet etiam posteà hoc impedimentum, quamuis nouo consensu mutuo dissoluantur, sicut si ex alio capite rescindantur; probatur consequentia, quia matrimonij impedimenta ex voluntate contrahentium non dependent, sed ab Ecclesia, quę constituit, vt tale impedimentum consurgat ex sponsalibus validis, sponsalia autem non ob id non fuerunt valida, eo quod posteà mutuo consensu dissoluantur; Neq; in hoc sensu Congregatio Cardinalium dixit ea sponsalia esse inualida, quia quod semel fuit validum, non potest non dici validum, sed dixit ex nunc esse inualida post dissolutionem ex mutuo consensu, non quidem quoad effectum abijciendi publicam honestatem, sed quoad effectum contrahendi secunda, vt explicat Brancatus noster *loc. cit.* imò ità se explicuit Cardinalium Congregatio per aliam nouam declarationem, vt testatur Bonacina *q. 3. punc. 11.* & idem Brancatus, qua fuit declaratum non tolli impedimentum huiusmodi sponsalibus dissolutis mutuo consensu eorum, qui contraxerunt, ob quam declarationem Bonacina retractat oppositam sententiam, quam in priori editione tenuerat, quæ quidem noua declaratio est in vsu, & praxi recepta, vt testatur Auersa, qui Romæ fuit, & in decretis Congregationum erat valdè versatus, & ait *q. 17. sec. 5.* in Romana Curia obseruari, vt petatur dispensatio, quando talis casus occurrit.

Confirmatur, quia ratio motiua, ob quam Ecclesia hoc impedimentum induxit est, quia non decet matrimonium contrahi inter aliquas personas, quæ sibi factæ sunt propinquæ per sponsalia: ergo si hac de causa, etiamsi per mortem alterius soluantur sponsalia, non proindè cessant causare publicam honestatem, idem etiam dicendum erit in casu nostro; quod enim mutuò consensu sint dissoluta, non facit quin vnus alteri vicissim fidelitatis vinculo, & iustitia fuerint olim districti; sicut & in casu mortis; quarè si in hoc casu honestas non tollitur, neque in illo, ex quo soluta manet ratio in oppositum adducta, & hoc idem tenent ex nostris Hiqueus, & Poncius *loc. cit.*

Prætereà quæri solet, an ex sponsalibus conditionatis, vel antè legitimam ætatem contractis oriatur impedimentum publicę honestatis; Quæ dubia, & quęsita facilè resoluuntur ex dictis suprà *q. 9.* & 10. de sponsalibus, nam ex conditionatis cum conditione turpi, aut impossibili certum est hoc impedimentum oriri, quia talia sponsalia sunt valida, vt constat ex *cap. fin. de condit. apposit.* & in alijs contractibus conditio turpis, aut impossibilis pro non adiecta habetur, & tenet contractus, vt patet ex pluribus iuribus in lege Ciuili; cùm ergo sponsalia sic conditionata sint valida suum debent causare effectum, nempè publicæ honestatis impedimentum; Ex sponsalibus autem conditionatis cum conditione honesta, contingenti, & de futuro, non oritur impedimentum publicæ honestatis pendente conditione, & antè conditionis aduentum, cùm verò est adimpleta, statim oritur; ità enim quasi ad verbum habetur *cap. vn. §. Ille verò De despons. impub.* Quo autem ad sponsalia antè legitimam ætatem contracta conueniunt pariter Doctores, ex eis antè septennium contractis nisi malitia suppleat ætatem, vel nisi adueniente ætate fuerint ratificata, siuè verbo, siue cohabitatione, vel alio signo, hoc impedimentum non oriri, quia talia sponsalia sunt inualida, nisi aliquod ex supradictis suppleant, vt constat ex *capit. Litteræ De desponsalib. impub.* Sic etiam pariter dicendum de matrimonio celebrato sub conditione de futuro impedimentum publicæ honestatis non insurgere, antequam adimpleatur conditio; & ratio est, quia contractus non obligat antè conditionis aduentum, non enim obligat vltrà consensum, & intentionem contrahentium, contrahentes autem contrahere, & se obligare non intendunt antè conditionis aduentum, & antequam conditio adimpleatur, quarè talis contractus dici potest inualidus defectu consensus, ex matrimonio autem inualido defectu consensus non oritur impedimentum publicæ honestatis, vt habetur *capit. Sponsam de Sponsalibus & capit. Accessit De desponsa. impub.* Ità Sanchez, Henriquez, Tancred. Ponce, Gutierez, Bonacina, Hurtadus, & passim Doctores alij Theologi, & Iuristæ.

Postremò est difficultas, an ex matrimonio rato inualido consurgat impedimentum publicæ honestatis. Negant Nauarrus *cap. 12.* Emanuel Sà de Impedimentis matrimonij, & quidam alij, quorum ratio est, quia impedimentum publicæ honestatis non consurgit ex sponsalibus quacunque ratione inualidis, vt dictum est ex Trident. *loc. cit.* ergo neque consurgit ex matrimonio per verba de præsenti inualido. Affirmandum tamen est cum communi etiam ex matrimonio rato inualido consurgere impedimentum publicæ honestatis, dummodò non sit inualidum defectu consensus, ità Valentia, Sanchez, Tancred. Henriquez, Rebellus, Hurtadus, Bonacina, Auersa, & alij passim. Ratio est, quia non est recedendum à iure antiquo, nisi quatenus aliter disponitur, & decernitur iure nouo; sed iure antiquo *cap. Vn. de Sponsalibus in 6.* hoc impedimentum publicæ honestatis matrimonium dirimens oriebatur tum ex sponsalibus, quàm ex matrimonio etiam irritis, & inualidis, dummodò inualiditas non proueniret ex defectu consensus; iure autem nouo iustitia publicæ honestatis ex matrimonio rato orta non est restricta à Trident. sed tantùm quæ oritur ex sponsalibus, vt declarauit Pius Quintus decreto speciali cit. super hoc edito incipiente *Romanum spectat*, vbi ait nomine Sponsalium non intelligi matrimonium, & cùm agatur de correctione veteris iuris, non debere extendi, nisi vt loquitur Concilium præcisè, cùm etiam maior prohibitionis ratio vigeat in matrimonio, quàm in sponsalibus, ergo iustitia publicæ honestatis ex matrimonio rato orta dirimit matrimonium vsque ad quartum gradum, vt suprà dictum est ab initio articuli, sicut iure antiquo antè Trident. dirimebat, oriturque ex matrimonio nullo, & inualido, nisi inualiditas sit ex defectu consensus, sicut etiam oriebatur iure antiquo. Nec ratio in oppositum adducta aliquid valet, negatur enim consequentia, & paritas, quia aliter sancitum est iure nouo in sponsalibus quàm in matrimonio, cùm maior ratio prohibitionis vigeat in isto, quàm in illis, vt constat ex decreto Pij V. iam citato.

Additur

494 Additur tamen limitatio, & exceptio ex iure, vt quandò inualiditas oritur ex defectu consensus, tunc talis actus sponsaliorum, & similiter matrimonij non inducat publicæ honestatis impedimentum; Ex quo deducunt Doctores iam citati ex matrimonio rato amentium vel puerorum impedimentum publicæ honestatis non consurgere, nam eorum matrimonium est inualidum defectu debiti consensus; Nec etiam ob eandem rationem oriri ex matrimonio facto per metum grauem, vel errorem personæ, quia hoc quoque nullum censetur ex defectu consensus; Nec etiam ex matrimonio celebrato cum persona incerta, & indeterminata, quia neque hoc est propriè matrimonium, eò quod non adsit consensus ad illud sufficiens, siquidem ad matrimonium requiritur consensus circa determinatam personam ex *cap. Vn. de sponsalibus in 6.* Volunt tamen ex matrimonio alia ratione inualido, quàm defectu consensus, oriri impedimentum publicæ honestatis vsque ad quartum gradum v. g. propter aliquod impedimentum dirimens vt ex matrimonio nulliter contracto à Monaco, vel coniugato, & similibus, & *cap. cit. Vn. de sponsalibus in 6.* ponitur expressè casus, quando contractus sit inualidus ratione Religionis, & dicitur inducere impedimentum, quia Monachus nō priuatur, nec debet voluntate, & consensu naturali. Docet etiam Ponce, Coninchius, Bonacina, Hurtadus, Auersa, & alij cōtrà Sanchez impedimentum publicæ honestatis oriri ex matrimonio clandestino, etiam vbi Tridentinum viget, quia nimirum huiusmodi matrimonium non est inualidum defectu consensus, sed defectu solemnitatis ab Ecclesia præscriptæ, quatenus contrahitur sinè Parocho, & testibus. Hæc autem omnia intelligenda sunt de fidelibus, & baptizatis legibus Ecclesiæ subiectis, non autem de infidelibus, & ratio est; quia impedimentum publicæ honestatis non est inductum iure naturæ, vel diuino, sed iure Ecclesiastico, cui Infideles subiecti non sunt, vndè infidelis, qui tempore infidelitatis sponsalia contraxit cum Anna, potest validè matrimonium inire cum matre, vel sorore, non solum antè baptismum, verum etiam post susceptum baptismum; ità Bonacina *q. 3. punc. 11.* alios citans; quarè nihil ex matrimonio inualido, aut ex Sponsalibus Infidelium resultat, quod eis interdicat matrimonium post baptismum, vt etiam concedit Auersa *q. 17. sec. 6.*

QVÆSTIO DECIMANONA.

De Impedimentis Criminis, & disparitatis Cultus.

495 HÆc sunt duo vltima impedimenta matrimonium dirimentia, quæ in hac quæstione consideranda supersunt, & hic ambo coniungimus, sicut in impedimentorum serie versibus disposita sibi proximè cohærebant; de impedimento Criminis agit Doctor *4. d. 35. quæst. vn.* & de impedimento disparitatis cultus *d. 39. quæst. vn.* quarè iuxtà ordinem ab eo seruatum de Impedimento Criminis prius nos quoque agemus *art. 1.* & posteà de Impedimento disparitatis Cultus *art. sequenti*, qua maiore poterimus breuitate, & claritate; qui enim plura in hac materia desiderat, nostrum Astesanum consulere poterit in sua summa *lib. 8. tit. 20.* ex antiquioribus, & Brancatum ex recentioribus *disp. 23.*

ARTICVLVS PRIMVS.

De Impedimento Criminis dirimente.

496 PRimò titulus articuli proponitur de impedimento Criminis dirimente, quia de alio impedimento Criminis merè prohibente iam tractauimus *quæst. 12. ar. 2.* hoc autem impedimentum criminis, quod non tantùm impedit, sed etiam dirimit, est duplex, vt habetur ex cap. *Si quis viuente 31. q. 1. & cap. Significauit, & cap. Super hoc De eo qui duxit.* Primum est homicidium, seù occisio coniugis, aliud verò adulterium; Tunc homicidium præcisè secluso adulterio matrimonium dirimit, quando vir, & fœmina ex intentione inuicem matrimonium contrahendi in necem mariti mulieris conspirant, vel in necem vxoris viri, morte secuta, quouis modo ad eam necem concurrant, siuè vterque physicè per se ipsos occidendo, siuè moraliter imperando consulendo, suadendo &c. siuè alterò physicè, & altero

moraliter concurrente; ità colligitur ex Sco
q. vn. & passim Doctores docent ex *cap. cit.*
& ex cap. 1. de Conuer(s. Fidel. vbi homicidi
pedimentum dirimens statuitur, quando
per se, vel per alium ferro, vel veneno inte
cum alia muliere cædis illius conscia, & in i
te matrimonium contrahere possit, quod
de vxore intelligi debet, vt colligitur ex *cap.*
vbi deciditur, quod mulier insidiatrix mor
ipse coniugij stet pœnitentiæ subiecta, & ità
de hoc crimine, vt est impedimentum merè
cit. art. 2. num. 359.

Secundò Doctores communiter docent,
loc. cit. quasdam requiri conditiones, vt cri
cidij inducat impedimentum dirimens. P
occidat maritum, vel maritus vxorem phy
ter modo iam explicato, vndè ad inducend
mentum aiunt non sufficere solam homic
nem absque cooperatione, quia rati habitio
dium, sed posterior homicidio, nec in ipsum
sicè, nec moraliter, ità Valentia, Sanche
Gutierez, & alij apud Bonacina *q. 3. punc.*
ditio ex Bonacina ibidem est, vt vir, & fæ
gium contrahunt, ambo simul in mortem
pirauerint, vndè si vnus illorum machin
absque alterius conspiratione, non contra
tum matrimonium dirimens, modo non in
terium cum homicidio, vt habetur *cap.*
qui duxit in matrimonium; Oppositum ta
sa *q. 18. sec. 4.* vbi ait non solùm, quandò
runt, & conspirant in necem, vt contrah
hoc impedimentum ne possint contrahere;
cere ex hac parte machinationem, & in
etiam inscio altero, & inquit sic expressè h
Si quis viuente 31. quæst. 1. vbi indicitur hoc
dùm vnus machinatus ex mortem coniugi
matrimonium contraheret, siuè nempè
alterum occidat coniugem, vt contraharet
tertius enecet alterum ex coniugibus, vt co
perstite, etenim iura imponunt hoc impedi
natori, & consequenter eodem impedime
alium, cum quo ille intendebat contraher
est vnus absque alio illud incurrere, & d
loquuntur, hic dicendi modus magis pl
magis in primum inclinare videatur. Ter
in finem contrahendi ipse vir, & fæmi
mortem, vt patet ex eodem *cap. Si quis &*
in alium finem fecerint, tunc homicidium
non dirimet, & sufficiet hunc finem inten
altero; vndè qui conuentionem fecit cum
di illius virum ex odio, vel vindicta, & n
contrahendi matrimonium inter se, non c
mentum dirimens matrimonium, & con
cum ea matrimonium contrahere; & in h
conueniunt Doctores ferè omnes, quia ex
ex iure *loc. cit.* cuius intentum erat præcau
tur insidiæ aduersus matrimonium mach
alterius coniugis ad aliud contrahendum,
vt in tali casu matrimonium contrahi non
non militat, quando vni ex coniugibus ali
mors procuratur, & infertur. Quarta cond
ipsa sequatur realiter, & ex vi actionis illor
curia Medici, aut Chirurgi, vel ex alia cau
tale homicidium matrimonium non diri
ex eodem *c. cit. Si quis 31. q. 1.*

Tertiò, aliud crimen dirimens est adult
Doctores communiter notant, vt refert &
lium, & nudum adulterium non sufficer
matrimonium inter adulteros; sed vt di
nium, quod posteà adulteri inire tentau
tribus delictis debet habere coniunctum;
micidium ad hunc finem, factum vt cum
re, quamuis illius cædis minimè conscio, o
Secundum vel matrimonium contractum
perstite coniuge, qui adulterij initium
verum est, siuè adulterium præcesserit o
monij, siuè secutum sit, siuè matrimoni
clandestinè, siuè coram Parocho, & testib
promissionem futuri matrimonij mortuo

nimirum alter coniux committit adulterium, & pollicetur ei cum quo adulteratur, se contracturum cum eo post obitum coniugis, & hęc promissio ab eo acceptatur; Vndè conueniunt Doctores adulterium etiam absque machinatione in mortem coniugis matrimonium inter ipsos adulteros contrahendum dirimere, si adulterium coniungatur, aut cum matrimonio per verba de præsenti inter ipsos adulteros initio, adhuc altero coniuge superstite; aut cum promissione matrimonij cōtrahendi cum adultero complice tacta antè mortem coniugis, vt constet ex cap. *relatum* 31. *quæst.* 1. *& ex cap.* 1. 6. 7. *& vlt.* De eo, qui duxit in matrimonium, & talis promissio seria esse debet, & ex corde debet esse mutua, & ab vtroque acceptata, ac tandem absoluta, & sine conditione præter conditionem mortis ipsius coniugis; Et hęc tota doctrina est Scoti *q. cit.* in fine, vbi recolligendo dicta inquit, quod adulterium se solo non inducit impedimentum criminis matrimonium dirimens, sicut neque etiam fides data, seù promissio se sola sufficit, nisi coniungatur adulterium, seù machinatio mortis; machinatio autem mortis se sola absque alio sufficit, si fiat intuitu matrimonij contrahēdi, si autem ex alio fine fiat, vt si vxor in odium mariti eius mortem permittat, non sufficit saltem in foro interno, quia in foro externo præsumitur solam machinationem mortis impedire cōtractum, vt dixit conclusione tertia. Hoc autem totum asseritur supposito, quod vterque delinquens norit adulterium, nam si alter, vel vterque probabiliter ignorabat vinculum prioris matrimonij, atque adeò se committere peccatum adulterij, non contrahitur impedimentum dirimens matrimonium, vt patet ex cap. *Veniens* De eo qui duxit in matrimonium.

599 Quantò inquit Doctor *d.* 35. *sub lit. G.* nec iure naturę, nec diuino inductum esse hoc impedimentum, sed tantum Ecclesiastico, & idem confirmat *d.* 42. *lit. L.* dicens Ecclesia ob enormitatem criminis illegitimasse personas scilic. propter adulterium cum machinatione, vel cum fidei datione de contrahendo post mortem legitimi; ratio enim cur hoc impedimentum inductum sit ab Ecclesia, est vt vitentur cædes, & adulteria inter coniuges, quæ vitari possunt sublata spe contrahendi inter delinquentes; hoc autem ius ecclesiasticum habetur ex *cap.* 1. *de Conuers. infid.* & ex *cap.* 11. Quis viuente 31. *q.* 1. & ex *cap.* 1. 2. 3. 4. 5. & 6. titulo De eo, qui duxit in matrimonium eam, quam polluit per adulterium; & planè si esset de iure naturæ, vel diuino hoc impedimentum Ecclesia in eo dispensare non posset, & matrimonium Dauidis cum Bersabea Vriæ vxori validum nō fuisset, qui eius mortem machinatus est, vt eam sibi duceret in vxorem; licet enim hoc Deo displicuerit, & per Nathan Dauid reprehenderit, nihilominus in Scriptura matrimonium illud non damnatur, & filij ex eo nati non fuerunt illegitimi; ergo nec de iure naturæ, nec diuino crimen est impedimentum matrimonium dirimens, sed mero iure Ecclesiastico, vndè sequitur iure naturę, vel diuino non esse inualidum matrimonium celebratum inter personas huiusmodi crimine affectas. Ex quo etiam deducunt hoc impedimentum contrahi tantùm à fidelibus, non verò ab infidelibus, & ratio est, quia Infideles non sunt Ecclesiæ subiecti, a qua duntaxat hoc impedimento est inductum, vndè Infideles qui tempore Infidelitatis crimen adulterij, vel homicidij patrassent, potuerūt non solùm antè conuersionem, sed etiam post conuersionem validè matrimonium cum complice contrahere; si tamen vnus complex esset fidelis, & alter infidelis, fidelis hoc impedimentum contraheret, cùm ipse sit Ecclesiæ subiectus non autem infidelis, quia non est ei subditus; ità Bonacina loco citato cum Sanchez, Henriquez, Gutierez, & alijs.

500 Oppositum tamen docet Auersa *q.* 18. *sec.* 5. vbi inquit, quod si crimen à duobus committatur, quorum vnus sit fidelis, & alter infidelis, oriri inter tales impedimentum, itaut dùm is infidelis posteà conuertitur non possit cum fideli complice contrahere, & ait apud omnes Doctores hoc esse exploratum, & certum, & expresè decisum in iure *cap.* 1. *de Conuers. Infidel.* licet enim Ecclesia non possit Infidelibus infligere pęnas, quia non sunt ei subiecti, potest tamen impedimenta statuere, non pro eodē infidelitatis statu, sed pro statu quo veniunt ad fidem, & licet per Baptismum deletur omnis pęna, & culpa, non propterea delentur impedimenta & inhabilitates: Et ob eandem rationem addit in fine sectionis illius, quod si duo Infideles ipso infidelitatis tempore perficiant crimē machinationis aduersus alterutrius coniugem, aut crimen adulterij cum promissione matrimonij, & post hoc nondum contracto inter se matrimonio, veniant ad fidem, & baptizentur, dici adhuc possunt adstringi hoc impedimento, itaut contrahere non valeant; quia sine dubio poterat Ecclesia sic statuere, vt ex crimine inter ipsos infideles patrato tempore infidelitatis, resultaret tale impedimentum, & inhabilitas post eorum conuersionem ad fidem vt inter se contrahere non valerent; quia licet non possit eos ob præterita delicta punire, tamen potest certas conditiones requirere in personis matrimonium contracturis, & sicut requisiuit, ne personæ essent tali, vel tali vinculo coniunctæ, ita requirere potuit, ne essent tali, vel tali crimine implicitæ, & statuere etiam potuit, vt infideles ipsi ordinationibus Ecclesiæ subdantur pro eo tempore, quo veniunt ad fidem, & per baptismum non exoluantur impedimentis, & inhabilitatibus, sicut culpis, & pęnis, & plane hic quoque dicendi modus sua probabilitate non caret.

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Impedimento disparitatis Cultus.

SCotus de hoc impedimento tractat *d.* 39. *q. vn.* vbi dicit, 501
quod licet inter infideles possit esse coniugium legitimum, quod scilicet legali institutione contrahitur, cum nec lege diuina, nec naturali copulari matrimonialiter prohibeantur; tamen illud nō est simpliciter ratum, seù inseparabile est enim dissolubile auctoritate diuina per conuersionem alterius ad fidem si namque infidelis nolit cohabitare cum fideli, vel sine iniuria, seù blasphemia Creatoris, vel sine sollicitatione conuersi ad infidelitatem, fidelis potest infidelem dimittere, & cum fideli matrimonium contrahere; sic enim dicit Apostolus, *si infidelis discedit, discedat non enim seruituti subiectus est frater, aut soror huiusmodi*, his verò seclusis suadet Apostolus matrimonium prius contractum esse seruandum post conuersionem alterius, vt infidelis per fidelem saluetur; Mouens posteà dubium, an licitum sit fideli contrahere cum infideli, respōdet Doctor, quod sit quà tum est ex iure diuino, quia tempore legis Mosaicæ prohibitum non erat simpliciter contrahere cum alienis, cuius multa exempla ibi adducit; addit tamen de iure positiuo Ecclesiæ talem contractum fieri non posse, quia Ecclesia illegitimauit fidelem respectu infidelis *cap. sic enim* 28. *q.* 1. cuius rationem insinuat, quia ibi non est completa ratio sacramēti ex parte infidelis qui non fuit baptizatus, cum baptismus sit ianua sacramentorum quapropter si fidelis contraheret matrimonium cum Iudeo, vel pagano, nullum esset, non sic si contraheret cum infideli hæretico, qui baptismum suscepit, licet enim contrahens peccaret, matrimonium tamen non esset dirimendum quantum ad vinculum, sed quātum ad cohabitationem, & torum, si in hæresi obstinatus esset; Ex qua Scoti doctrina patet tria apud Catholicos esse certa. Primò matrimonia fidelium cum infidelibus siuè baptizatis, siuè non baptizatis esse illicita; Secundò, matrimonia fideliū cum hæreticis baptizatis esse quidē illicita, non tamē irrita; Tertiò tandem matrimonia fidelium cum infidelibus non baptizatis non solùm esse illicita, sed etiam irrita, & inualida; ità Nicolaus de Orbellis recolligens dicta Doctoris in ea quæstione. His præmissis.

Dicendum est, disparitatem cultus inter personam baptizatam, & non baptizatam esse impedimentum dirimens 502
matrimonium, non iure naturali, vel diuino, sed tantùm iure Ecclesiastico positiuo. Ità Scot. *dist.* 39. *cit. quæst. vn. art.* 3. & est communis apud Catholicos, & Scolasticos paucis quibusdam exceptis; & quoad priorem partem ostenditur; quia talis disparitas non obstat substantiæ, & fini matrimonij, & manifestè constat tam in lege noua, quàm veteri plures viros contraxisse cum Infidelibus, Iacob cum filiabus Laban, qui fuit Idolorum cultor, Salomon cum filia Pharaonis, Esther cum Assuero, Ioseph cū alienigena; & in lege Euangelica S. Monica nupsit cum Patricio quodam Gentili. Clotildis etiam sancta femina nupsit Clodoueo Francorum Regi tunc pagano, & sic de alijs. Item nec iure diuino à Christo Domino, quia nullibi hoc extat, & probat Doctor ex illo Apostoli ad Corint. 7. *Vir fidelis non dimittat vxorem infidelem quæ consentit habitare cum eo*, si enim non esset matrimonium, verum suaderet Apostolus fornicationem, inquit Doctor, ergo iure diuino non extat hoc impedimen-

dimentum dirimens disparis cultus, quarè restat quod hoc impedimentum iure tantùm Ecclesiastico positiuo sit inductum, nec alia probatio ad hanc rem requirenda est, nisi quia non apparet ex iure naturæ ratio, aut ex instituto Christi lex talia matrimonia dirimens.

503 Sed Objicies talia matrimonia obstare substantiæ, & fini matrimonij, quia dictæ personæ non benè conueniunt ad educandam prolem in verò Dei cultu, & in lege veteri Deut. 7. interdicebatur Hebræis matrimonium cum Gentilibus; & 2. Corint. 6. interdicitur Christianis per illa verba Apostoli *Nolite iugum ducere cum Infidelibus* matrimonii scilicet vt explicat Hieronymus *lib.* 1. contrà Iouinianum, ergò prædicta matrimonia tam iure naturali, quàm diuino sunt irrita, & inualida. Respondetur hæc testimonia probare solùm hæc matrimonia iure diuino esse prohibita, non tamen irrita, vndè gratis concedimus disparitatem cultus, quæ est inter baptizatum, & non baptizatum iure diuino impedire eorum matrimonium, nisi rationabilis causa adesset, vt conuersio infidelis, non tamen irritare, & dirimere; & in lege Mosaica, dùm Deuter. 7. videntur fuisse Hebreis prohibita huiusmodi connubia, notant Expositores prohibitionem fuisse specialem, ne Hebræi connubia iungerent cum Cananæis, non autem cum aliis Gentilibus; Quod verò dictæ personæ aliquando non conueniant ad bene prolē educandam, non sufficit, vt matrimonium inter eas sit ex natura rei nullum, quia vt ait Hurtadus *disp.* 24. *diffic.* 1. quando id contingit, prouenit per accidens ex malitia personæ non baptizatæ; aliàs etiam esset nullum inter personas ambas non baptizatas, & infideles, quia istæ potius conueniunt ad malam prolis educationem; hoc igitur probat solùm, quod erit illicitum ex natura rei, quando sit probabile periculum malæ educationis prolis, aut desertionis fidei in persona fideli. Imò ex hoc sequitur, stando in solo iure naturæ, & diuino nec esse per se illicitum talem contractum quando non est inualidus, vt Auersa quoque aduertit q. 18. *sect.* 1. sed solùm per accidens & ab extrinseco ob periculum scilicet peruersionis in coniuge fideli, scandali in alijs fidelibus, peruersæ educationis in prole, & aliorum malorum effectuum; sicut etiam inueniuntur hæc pericula in matrimonio inter Catholicos, & Hæreticos, quod tamen non est per se illicitum iure naturali, & diuino, sed tantùm ratione horum periculorum, & ecclesiastica prohibitione, vt mox dicemus.

Dices, disparitatem in baptismo dirimere in matrimonium iure diuino positiuo ex institutione matrimonij in Sacramentum, quia dùm Christus sic illud instituit, consequenter statuisse videtur, ne sui Fideles illud contrahere possent cum Infidelibus, qua cùm Baptismus sit ianua aliorum Sacramentorum non sunt absque illo aliorum Sacramentorum capaces, non enim fideles possunt inire matrimonium, quod non sit Sacramentum, & non potest fieri, vt idem matrimonium sit Sacramentum in vno contrahente, & non in altero.

Respondetur ex institutione Sacramenti matrimonij nō sequi irritum esse matrimonium, nisi inter Fideles contrahatur, qui sunt Sacramentum capaces, quia inter Fidelem, & infidelem potest adhuc valere matrimonium in ratione ciuilis contractus, quamuis non valeat in ratione Sacramenti, sicut adhuc valet inter Infideles; & dicetur non esse in tali casu Sacramentum, sed merum ciuilem contractum, nec etiam ex partes ipsius fidelis, vt diximus q. 1. *huius Disp.* *art.* 3. *dub.* 3. *nu.* 35. *& seq.* quarè ex vi institutionis matrimonij in ratione Sacramenti ad summum deduci potest, quod matrimonium fidelis cum infideli fuerit iure diuino à Christo Domino prohibitum, & illicitum, non autem irritum, & nullum, vt dictum est ab initio huius articuli.

504 Cæterum adhuc Dubium est, quonam, Ecclesiastico iure sit ità penitus interdictum fidelibus contrahere cum infidelibus vt id nec licitè, nec validè fieri queat, sitque hoc disparis cultus impedimentum ab Ecclesia inductum, & constitutum, & ratio dubitandi est, quia licet extent aliqui Canones de hac re 28. q. c. & Decreta Conciliorum, ac rescripta Pontificum, & dicta Patrum hæc tamen omnia prohibent solùm talia matrimonia inter fidelem, & infidelem, & eodem prorsus modo loquuntur de matrimonio cum infideli Iudæo, Pagano, & Hæretico, & tamen matrimonium Catholici cum Hæretico non est irritum, vt posteà dicemus; Quod autem ità loquantur Canones, Concilia, & Pontificum rescripta pluribus ostendit Brancatus noster *disp.* 22. *ar.* 2. cum Soto, Bellarmino, Henriquez, Sar[...] Hurtado, & pluribus alijs, qui proindè di[...] tum hoc non fuisse statutum aliqua lege v[...] sed ipsa consuetudine quadringentis ab hi[...] totius populi Christiani adeò vt de eius vi[...] consuetudo autem Romanæ Ecclesiæ vim[...] ideò semper seruanda. Verùm Ponce *lib.* quens ex nostris *d.* 39. *q. vn.* in Commenta[...] alij censent non sola consuetudine, sed etia[...] siæ fuisse inductum hoc impedimentum in[...] nec refert, quod Canones illi etiam Hæret[...] dant in simili forma verborum, quia con[...] est sufficiens Interpres Canonum, & sen[...] biecta materia, eiusque diuersitate haberi [...] præsertim *loc. cit.* ac Hiquens cum ipso affi[...] 67. & 69. Conc. Niceni in quo iam olim no[...] ta, sed etiam dirempta sint coniugia Fideli[...] lib. Quod si adhuc post illud Conc. S. Mo[...] personæ talia connubia inierunt, inquiunt [...] ignorantia, quia nempè in eorum Prouinc[...] tim in Aphricam illi Canones non adhuc p[...] quia ab Episcopis, vt tunc mons erat, dis[...] innuerint.

Quo autem ad matrimonium inter Cath[...] reticos conueniunt Doctores talem cultus d[...] trimonium non dirimere, & hoc satis patet [...] ne, & praxi Ecclesiæ nunquam enim tal[...] quoad vinculum dissoluuntur, aut irrita iu[...] *Decreuit* De Hæreticis in 6. mulier catholica [...] tico priuatur quidem dote, sed matrimon[...] ponitur; patet etiam ex reipsa, quia nullo i[...] hoc impedimentum, vi enim inueniri pote[...] nos, & infideles ius aliquod explicitè illud [...] per dicebamus. Certum tamen est etiam ex [...] ctorum talia connubia iure ecclesiastico esse p[...] licita non solùm ex pluribus canonibus pass[...] etiam ex Concilio Generali Calcedonensi c[...] matrimonia interdicta fuerunt, & *cap. Decr*[...] cis in 6. vbi etiam puniuntur; Addit etiam Au[...] *sec.* 2. talia matrimonia etiam iure natur ali ess[...] illicita; quia frequenter tale matrimonium a[...] peruersionis periculum, & proli prauæ educ[...] dias, & rixas in familia, ob quæ consequent[...] illicitum, & cauendum redditur; quod plur[...] bat Layman c. 14. de impedimentis matrimo[...] monet experientia compertum esse ex eiusm[...] nio tot, & tanta spiritualia incommoda, tù[...] Catholico, tùm liberis, ac Christianæ Reipu[...] runque charitatis legi omninò aduersetur, [...] quit nec quidem summum Pontificem id di[...] mittere posse, nisi probabilis aliqua spes subs[...] di matrimonio longè maiores fructus spiritu[...] ros esse, quorum intuitu incommoda illa [...] ra vtrinque tolerari possint; Vndè quamuis [...] nes [illegible] dispensatione Pontificis licere Catholic[...] cum [illegible] Hæreticis, hoc tamen intelligi debet sol[...] te, qu[illegible] tale coniugium lege positiua Ecclesiæ p[...] quin [illegible] alia parte, qua iure naturali est illicit[...] peru[illegible] sionis periculo, nulla Ecclesiastica disp[...] gari [illegible] test, vt etiam aduertit Auersa *loc. cit.* sol[...] peric[illegible] lo potest sine dubio Pontifex dispensare, solùm [illegible] suam legem positiuam.

De[illegible] num, si post contractum validè matrim[...] curr[illegible] hoc impedimentum, quia fiat alter co[...] bere[illegible] labatur, vel prorsus per apostasiam à f[...] na re[illegible] *cedens* ad Iudaismum, vel Paganismum [...] tarunt [illegible] *olim* aliqui matrimonium dissolui, quasi de pe[illegible] *manens* possit aliud inire matrimonium Scotus *loc. cit.* absolutè docet disparitatem cultu[...] infideli *præcedentem* impedire matrimonium [...] dum, & *dirimere si cum ea contrahitur*, q[...] affinitate *docuerat, non verò si disparitas cultu*[...] tas *superueniat*, & *ità docent communiter om*[...] tuit Innocentius Tertius *cap. Quanto de Diuor*[...] ratio *ipsa suadet, quia matrimonium diuino iure* [...] impedimentum *verò disparitatis cultus à sola* [...] ductum est; *quamuis ergo Ecclesia, antequam* [...] nium *fiat, impedire possit, ne validè fiat illegitim*[...] num, vel contractum, cùm enim hoc Sacramen[...]

tractu fundetur, potest Ecclesia disponere de eo in ratione contractus; quando tamen validè semel factum est, nequit illum declarare infectum, & irritū, quia creatura, quæ Deus fecit, destruere nequit; Tum quia si ab initio validè contrahitur à Catholico cum Hæretico, siuè Apostata à fide, tantò magis adhuc validum permanet matrimonium, si post contractum alter coniugum à fide excidat; Attamen in tali casu omnes conueniunt matrimonium dissolui quoad torum, & cohabitationem.

QVÆSTIO VIGESIMA.

De Dispensatione Impedimentorum Matrimonij.

507 Dispensationis nomine hic intelligitur ablatio impedimenti, & relaxatio legis illud imponentis pro certis personis, & casibus in particulari, vndè dispensatio discriminatur à permissione, quia cum dispensatio sit iuris alicuius dispensatio aufert peccatum, quod tamen nō præstat permissio, cùm tollat obligationem legis, dispensatio est simplex legis permissio propriè accepta; nec etiā propriè loquendo, siquidem dispensatio dicit actum iurisdictionis, quem non importat legis interpretatio, quæ aliquādo spectat ad eum, qui nullam habet iurisdictionem, vt constat in aliquo Doctore, qui potest legem interpretari, quatenus indicat legem hic, & nunc ob rationabilem causam non obligare, seù hunc casum lege non comprehendi; propriè igitur, & in rigore loquendo dispensatio est iuris relaxatio facta ab habente legitimam potestatem vt docet Scotus 4. d. 33. q. 1. lit. C. & q. 3. lit. B. & D. Bon. d. 38. p. 2. q. 3. & est communis omnium sententia; dixi autem propriè, & in rigore loquendo de dispensatione, quia minus rigorosè loquendo, etiam admitti debet alia species dispensationis, quæ dicitur iuris declaratiua, seù interpretatiua, vt notat Brancatus noster disp. 38. art. 1. nulla enim creatura dispensare potest in iure diuino, vel naturali relaxando illud, & tamen summus Pontifex in votis quibuscumque; & iuramentis, quæ iuris naturalis, & diuini sunt, aliquandò dispensat; ergo non potest id saluari, nisi de dispensatione declaratiua, & interpretatiua, quæ est actus virtutis Epicheiæ, qua declarat in quibusdam casibus ob aliquam causam, & sistere leges illas non obligare, & iden Scotus dist. 33. cit. quæst. 1. disiunctiuè dixit, quod dispensatio est iuris declaratio, vel reuocatio, vt hanc & illam comprehenderet, quæ magis propriè dispensatio dicitur.

ARTICVLVS PRIMVS.

An Summus Pontifex possit dispensare in impedimentis dirimentibus maxime in voto solemni Religionis.

508 Mouetur quæstio de impedimentis dirimentibus, quia de non dirimentibus, & merè prohibentibus iam dictum est suprà q. 12. art. 2. in fine n. 367. & in primis conueniunt Doctores omnes summum Pontificem dispensare posse in impedimentis solùm iure Ecclesiastico matrimonium dirimentibus, cùm plenariam habeat potestatem in totum ius Ecclesiastici, & vt Theologi, & Canonistæ aiūt, totum corpus iuris sit in eius potestate reconditum; & è contrà conueniunt dispensare non posse in impedimentis dirimentibus iure naturæ, & diuino, siquidem in illis impedimentis potestatem non habet, quia dispensatio, cùm sit alicuius iuris relaxatio, non habet Summus Pontifex potestatem relaxandi ius naturale, & diuinum, nam Pontifex non habet potestatem in ius superius, seù in legem sui superioris, qualis est lex diuina, aut naturalis. Satis tamen probabile est, quod licet Papa relaxatiuè dispensare nequeat in aliquo casu iuris naturalis, aut diuini quæ sola est propriè, & rigorosè dispensatio, vt suprà dictum est, habeat tamen potestatem declarandi, quando præcepta naturæ obligant, & quando non in quibusdam casibus particularibus, & hac ratione dici possit, quod potestatem habeat dispensandi declaratiuè in eis, & similiter etiam in iure diuino potestatem habeat declarandi, quando lex aliqua diuina non obliget, ita enim expressè docuit D. Bonauentura 4. d. 38. p. 2. q. 3 de quo videri potest Brancatus noster disp. 38. cit. art. 2. §. 1. & 2. His itaque præsuppositis tota difficultas est, an summus Pontifex possit dispensare in voto solemni Religionis, itaut per talem dispensationem validè possit matrimonium contrahi.

509 Prima sententia communis in Schola Thomistarum negat posse summum Pontificem dispensare in voto solemni castitatis emisso in Religione approbata ità D. Thomas 2. 2. q. 88. art. 11. quem sequuntur Capreolus, Soto, Siluester, & omnes Recentiores Thomistæ, præsertim verò Petrus Labat tom. 7. tract. 3. disput. 6. dub. 8. quod probat Primò auctoritate Innocentij Tertij de statu Monachali capit. *Cùm ad Monasterium* in fine, vbi Pontifex sic loquitur; *Nec existimet Abbas, quod super habenda proprietate possit cum aliquo Monacho dispensare; quia abdicatio proprietatis, sicut & custodia castitatis adeò est annexa regulæ Monachali, vt contra eam nec Summus Pontifex possit licentiam indulgere*; ergo ex illa decretali summi Pontificis constat non posse fieri dispensationem in voto Religionis etiam à summo Pontifice. Deindè ratione, quia nequit Pontifex dispensare in his, quæ spectant absolutè ad ius naturale, & diuinum maximè vbi verè reperitur perfecta, & absoluta traditio, & acceptatio; sed votum solemne Religionis emissum absolutè in Religione approbata spectat sic absolutè ad ius naturale, & diuinum, ergo &c. Maior constat ex dictis, quia non potest inferior in lege superioris propria auctoritate dispensare ex Can. *Inferior* 21. alioquin tolleretur debita subordinatio inferiorū ad superiores; Minor probatur, quia illud quod essentialiter coniungitur statui Relioso maximè ex Christi institutione spectat ad ius naturale; & diuinum, etenim si de iure tantum Ecclesiastico esset, non coniungeretur tali statui essentialiter, sed tantùm accidentaliter, vt constat de voto continentiæ coniuncto Ordini sacro ex solo Ecclesiæ statuto, non autem essentialiter; atqui statui religioso essentialiter pertinet votum solemne Religionis loquendo de statu religioso perfectò, & absolutò, quia ille status, in quo aliquis se totum Deo, & Religione perfectè, & absolutè tradit, & acceptatur, habet essentialiter annexum votum solemne Religionis scilicet castitatis, paupertatis, & obedientiæ, ergo &c. Rursus, quia vota solemnia absoluta, & perfecta Religionis dirimūt matrimonium iure naturali, & diuino absoluto, ergo summus Pontifex in illis dispensare nequit; consequentia patet ex dictis, quia non potest Pontifex dispensare in impedimentis, quæ iure naturali, & diuino matrimonium dirimunt; probatur assumptum, quia qui per perfectam, & absolutam traditionem transit in potestatem alicuius, non potest iure Ecclesiastico alteri tradi, vt constat de contrahente matrimonium cum aliquo, qui posteà non potest cum alio contrahere; ergò cum per vota solemnia Religionis vouens se perfectè, & absolutè tradit, Deo & Religioni, cumque Deus in suum acceptat, non potest vlla potestate humana, vel Ecclesiastica alteri tradi. Tandem quia Concilium Trid. hoc insinuare videtur *sess. 24. can. 9.* his verbis, *si quis dixerit Clericos in sacris Ordinibus constitutos, vel Regulares castitatem solemniter professos posse matrimonium contrahere, contractumque validum esse non obstante lege Ecclesiastica, vel voto, &c.* quibus verbis Concilium ponit distinctionem inter legem Ecclesiasticam prohibentem matrimonium, ipsūque dirimentem, & inter votum, quod sui scilicet natura dirimit matrimonium Religiosorum, atque adeò sentit tale votum iure naturali, & diuino matrimonium dirimere, non autem lege solùm Ecclesiastica alioquin si lege tantùm Ecclesiastica dirimeret, sicut ordo perperam subdidisse *vel voto*; si votum ipsum maiorem vim non haberet ad matrimonium dissoluendum, quàm ordo.

510 Secunda sententia extra Scholam D. Thomæ communissima affirmat summum Pontificem posse dispensare in voto solemni castitatis, vt valeat matrimonium inire, quando iusta esset causa, est autem iusta causa, non quando respicit bonum alicuius particularis, sed quandò ita exigit bonum commune alicuius Regni, & Reipublicæ; posse inquam in tali casu dispensare non quidem ad tempus, vt aliqui dixerunt v.g. vt duret in matrimonio donec filios generet, quia hoc est contrà substantiam matrimonij, quod essentialiter est vinculum perpetuum, sed debet dispensare absolutè, vel saltem cum hac conditione, vt vxore consentiente, vel fornicante post prolem susceptam teneatur ad Religionem redire; ità Scotus 4. d. 38. quæst. vn. & Scotistæ omnes, & Caietanus ex Thomistis 2. 2. quæst. 88. art. 2. Sanchez, Tancredus, Reginaldus, Bonacina, Hurtadus, Coninchius, Ponce, Lessius,

facere potest de Religioso adhuc in statu Religionis permanente, quia votum Castitatis statui Religiosi est essentialiter annexum, non autem accidentaliter, sicut ordini sacro; at adhuc cum hoc stat, vt possit facere de Religioso non Religiosum dispensando in voto castitatis, vt validè contrahere valeat.

514 Sed instabis adhuc, quia Pontifex efficere nequit, vt calix semel consecratus non maneat in perpetuum consecratus; ergo neque efficere poterit, vt Professus, qui semel per votum solemne est Deo consecratus, non maneat in tali consecratione consecratus. Respondeo argumentum potius esse ad oppositum, sicut enim mutatione facta in re consecrata, vt si forma calicis dissoluatur, potest in profanos vsus eius materia conuerti, & applicari; ità mutatione facta in Religioso, & Pontifice potestate ordinariæ superaddita, dispensante à Deo accepta, & eius gionis dissoluente, poterit qui iam fuit consecratus, & statum Religiosus, nubere, & negotijs sæculi deseruire; neque in hoc vlla apparet repugnantia; nam vel sermo est de consecratione, quæ fit per votum, & hæc non impedit, quia hæc reperitur etiam in voto simplici, quod secundum omnes potest à Pontifice tolli, & dispensari; Vel sermo est de consecratione, quæ per solemnitatem voto adiungitur, & hæc etiam Pontificis dispensationem impedire non potest, quia illa est de iure positiuo, & solo Ecclesiæ statuto instituta, vt suprà dictum est.

515 Hic autem specialiter aduertendum est notabile discrimen, quod versatur inter dispensationem cadentem in aliqua, quorum obligatio naturalis est, vt in voto, iuramento, matrimonio rato, &c. & cadentem in alia, quorum obligatio solùm consurgit ex lege Ecclesiastica; in his enim dispensatio à Romano Pontifice facta, etiam sine causa, est valida, quia in spiritualibus supremam in terris habet dominationem, siuè posteà peccet dispensando sine legitima causa, vt volunt aliqui, siuè non peccet, vt alij contendunt. At dispensando in illis, quorum obligatio est naturalis, certum est secundum communem Doctorum sententiam iustam, & legitimam requiri causam, qua deficiente non tantùm illicita erit dispensatio, sed etiam inualida, vt notat Sanchez lib. 8. disp. 17. plures alios adducens, cùm enim in his dispenset Pontifex non auctoritate propria, & ordinaria pastoralis officij, sed potestate extra ordinaria sibi à Deo concessa, & superaddita, non est credendum datam illi esse hanc potestatem ad destructionem, sed potius in ædificationem, & fidelem dispensationem; vndè in his casibus tutum non est vti dispensationibus sine iusta, & legitima causa concessis, ideoque in proposito iam suprà diximus summum Pontificem etiam in voto solemni castitatis dispensare posse, vt valeat matrimonium initi, quando iusta adest causa. Insuper aduertendum est Brancatum nostrum disp. 38. cit. art. 2. cum quibusdam alijs non admittere in Pontifice hanc auctoritatem delegatam à Deo, & commissariam dispensandi in lege naturæ cum nullum de ea adsit fundamentum in scriptura, & traditionibus & si talis potestas delegata à Deo in Pontifice dispensandi in iure diuino positiuo non admittitur, multo minus in iure naturali debet admitti; Neque hinc sequitur non fuisse prouisum necessitati Ecclesiæ sufficienter, si talis potestas delegata, & commissaria denegetur in Pontifice dispensandi in iure naturali cum talis necessitas vrgere possit, vt dispensatione indigeat. Non sequitur inquam quia ad succurrendum tali necessitati sufficit in Pontifice potestas declarandi, quod aliquis casus non sit comprehensus in communi lege nam de facto Papa declarat, quando contractus aliqui iure naturæ obligantes habeant vim, & quando non, siuè cum hominibus initi sint, siuè cum Deo, vt patet de voto simplici, & solemni, & deiuramentis, certum est enim, quod contractus isti ex potestate Pontificis [illegible] admittunt, & hunc dicendi modum confirmat Glossa in capit. Non est de Voto, vbi opponens sibi, quomodo Papa possit dispensare in voto, quod est de iure naturali, respondet, quod in his votis non dispensat sed declarat, cùm enim quis v.g. vouet peregrinari, subintelligitur, si commodè fieri potest, vt patet ex capit. Quanto De iureiurando, atque ideò quando Papa in his obligationibus ex [illegible] pendentibus dicitur dispensare declaratiuè se habet, & non potestatiuè propriè loquendo; & hic dicendi modus est probabilis, cùm non sint multiplicanda entia sine necessitate, & fundamento sufficienti rationis, vel auctoritatis, quæ in proposito non apparet. [illegible] Sentent.

Postremò est Difficultas, An etiam Episcopus dispensare possit in impedimentis matrimonium dirimentibus. Hanc difficultatem fusè tractant Sanchez lib. 2. disp. 40. Ponce lib. 8. cap. 13. Coninch. disp. 33. dub. 3. Auersa q. 19. sect. 1. Hurtad. disp. 26. diffic. 2. & Brancatus noster fusissimè disp. 38. cit. art. 5. per plures §. qui omnes vt plurimum in hoc conueniunt, vt colligit Caspensis disp. 10. sec. 1. Episcopum non posse iure ordinario dispensare super impedimentis dirimentibus, quemadmodum neque potest ea impedimenta constituere, quia inferior super statuto à Superiore dispensare non potest; Addunt tamen Episcopum ex tacito consensu, vel licentia tacita Papæ dispensare posse nonnullis conditionibus seruatis. Prima est, quod impedimentum sit occultum; Secunda quod matrimonium iam exterius, & publicè sit celebratum. Tertia quod coniuges absque magno scandalo, & inconuenienti separari non possint. Quarta quod non sit facilis aditus ad Romanum Pontificem ex paupertate contrahentium, vel alia rationabili de causa. Sic etiam pariter dicunt posse Episcopum dispensare in eisdem impedimentis dirimentibus etiam antè contractum matrimonium in casu necessitatis, si non patet aditus ad superiorem, vt si quis morti proximus ad legitimandos liberos, vel ad reparandum concubinæ honorem, vel pro bono pacis deberet citò contrahere, & obstaret impedimentum dirimens; Tandem dicunt posse quoque Episcopum dispensare in impedimentis dirimentibus matrimonio iam contracto superuenientibus & petitionem debiti impedientibus vt possit licitè peti. In casibus autem, quibus potest Episcopus dispensare, putarunt aliqui non posse, nisi immediatè per seipsum, quia ad summum ipsi Episcopo conceditur dispensandi facultas; Cæterum communem, & veram doctrinam ait esse Auersa loc. cit. posse etiam Episcopum hanc facultatem committere, & alteri delegare quoniam id ei competit ratione officij, & tanquam ordinario superiori sicut potest etiam delegare facultatem sibi competentem absoluendi à casibus reseruatis, aliasque similes facultates. Ratio autem, cur Episcopus dispensare possit super impedimentis dirimentibus in prædictis casibus, quandò scilicet impedimentum est occultum, & matrimonium publicum, nec coniuges absque magno scandalo separati possunt, nec ad summum Pontificem, vel ad eius Nuncium patet recursus, est quia credibile non est summum Pontificem in casu tantæ necessitatis, & cum tanto animarum periculo voluisse sibi dispensationem reseruare, & consequenter præsumitur Episcopo concessa tacita facultas dispensandi in foro conscientiæ, modo matrimonium fuerit bona fide contractum, vt Doctores communiter docent; alioquin si mala fide contractum fuerit, præsumitur Pontificem in eo casu reseruasse sibi facultatem dispensandi, & nolle fauere contrahentium iniquitati iuxtà decretum Concil. Trident. sess. 24. cap. 5. asserentis separandos esse sic contrahentes sine spe dispensationis obtinendæ; ità Bonacina q. 3. punct. 15. num. 3. Dubitarunt aliqui, an etiam summi Pontificis Legati præsertim qui dicuntur à latere, possint in prædictis matrimonij impedimentis dispensare; Sed certum est ex communi Doctorum regulariter non posse, nisi quatenus eis expressè à Pontifice concedatur, quia de reliquo id non est per se eorum officio annexum, nec de iure eis conceditur, vt notat Auersa loc. cit. 516

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quid requiratur, vt dispensatio sit valida.

PRimò Conueniunt Doctores ad valorem dispensationis à Pontifice concedendæ in ijs impedimentis, quæ sunt de mero iure Ecclesiastico nullam requiri causam, sed solam eius voluntatem sufficere, & posse pro suo libito dispensare in lege propria absq; vlla cognitione causæ si ipse verè dispensare intendat; & ratio est, quia cum lex humana à voluntate legislatoris totam suam vim habeat, iam tali voluntate cessante etiam sine causa lex obligare desinit, & sic valet legis relaxatio, seù dispensatio in tali casu, vt non solum validi, sed etiam liciti sint actus subditorum, qui deinceps contrà talem legem fierent ex toto, vel ex parte sublatam; appositè autem dixi, si ipse verè dispensare intendat, quia si intentionem dispensandi non habeat, nisi existente iusta causa, dispensatio sine tali causa obtenta non valet. 517

tia; Et pariter quia publica honestas duplicem habet modum scilicet ex matrimonio rato, vel ex sponsalibus opus etiam erit exprimere, si sit ex matrimonio, quæ sanè maior est, quàm si sit ex sponsalibus, vt patet ex diuersa dispositione Concilij Tridentini circa vnum, & alterum modum huius impedimenti. Demum quando consanguinitas, vel publica honestas ex matrimonio rato, vel affinitas inter duos contrahere cupientes est inæqualis idest superioris gradus ex parte vnius, & inferioris ex parte alterius, vt sit vnus in secundo, alter autem in tertio à communi stipite distent, non est necessario vterque exprimendus, sed sufficit remotiorem exprimere, eo quod remotior trahat ad se propinquiorem, & re vera distrahat coniūctioné talium personarum ad huiusmodi gradum remotiorem, vt habetur in *cap. final. De Consanguin.* Quod etiam Pius Quintus posteà confirmauit decreto incipiente *Sanctissimus* vbi ait, quod *gradus remotior attendatur, trahatque secum propinquiorem, ac ob id sufficiat remotiorem tantum gradum exprimere, obtentis tamen posteà super propinquiori litteris declaratorijs,* quæ quidem litteræ ad matrimonij valorem non sunt necessariæ, sed pro foro externo, & ad euitandum scandalum, quod solet in vulgo oriri existimante duos inæqualiter distantes alterum in secundo, & alterum in quarto esse magis propinquos, quam si vterque distraheret in quarto; Addit tamé ibi Pontifex ad valorem dispensationis requiri, vt quando propinquior stipiti proximo distat in primo gradu, etiam iste primus exprimatur nec in tali casu expressio remotioris sufficiat, quia Pontifex nunquam intendit in eiusmodi gradibus dispensare, quia hæc matrimonia singularem habent indecentiam ob reuerentiam his personis debitam ferè similem, ac parentibus, nec vllum huiusmodi dispensationis exemplum extat; ità Doctores omnes fupraciṫati.

521 Quintò quærunt Doctores, an dispensatio in cuius petitione exprimitur falsum vel recitetur verùm, sit nulla. Brancatus noster *disp. 38. artic. 7.* absolutè respondet, quod quoties in petitione exprimitur scienter falsa causa, vel tacetur aliqua veritas, ex cuius silentio obtinetur dispensatio, hæc est nulla ex defectu consensus Papæ. Melius tamen alij, & clarius sub distinctione respondent, quod si taciturnitas veri, aut relatio falsi sit alicuius, quod iure præcipitur non taceri, aut omninò declarari in petitione, absque dubio nulla est, & subreptitia dispensatio; Quod si hoc iure non præcipiat, rursus distinguunt duplicem esse causam conducentem ad concessionem dispensationis; vnam motiuam, seù finalem principalem; alteram impulsiuam, seù finalem minus principalem; motiua dicitur illa, quæ expressa in petitione ità de facto mouet ad dispensationem concedendam, vt si ista non exprimeretur, dispensatio non concederetur, vel saltem absolutè non concederetur, sed cum aliquibus limitationibus impulsiua verò est illa, quæ non mouet ad concessionem dispensationis, seù non conducit ad substantiam concessionis, sed tantùm impellit; idest conducit tantùm, vt facilius concedatur, atque ideò conducit tantùm ad modum, non ad substantiam concessionis, vndè si talis causa non exprimeretur, adhuc dispensatio obtineretur, licet non ità facilè. Si igitur verum, quod tacetur, vel falsum, quod exprimitur, pertineat ad causam motiuam dispensandi idest ad causam, sine qua non daretur dispensatio, procul dubio etiam facit nullam dispensationem, quia silentium veri, & prolatio falsi in tali casu incidit ad substantiam concessionis, & non tantùm ad modum, iuxta quilibet; si verò pertineat ad causam tantùm impulsiuam, non ob id dispensationem irritat, quia adhuc conceditur licet non ità facilè; ità Sanchez, Tancred. Couarr. Henriquez, Caspensis, & alij passim.

522 Sextò tandem quærunt Doctores, an taciturnitas copulæ habitæ inter consanguineos, aut affines irritet dispensationem super impedimento consanguinitatis, vel affinitatis. Affirmant quamplures cum Sanchez *lib. 8. disp. 25.* & sequitur ex nostris Brancat. *disp. 38. cit. art. 8.* quorum fundamentum est, quia incestus ipse impedimentum quoddam est matrimonio, quarè eius quoque per expressam mentionem petenda est dispensatio, aliter nulla erit. Negat tamen Poncio *lib. 8. cap. 17.* quem sequitur Auersa *q. 13. sect. 6.* quorum fundamentum est, quia incestus per se erat tantum impedimētum prohibens, non verò dirimens, quod sine dispensatione reddebat matrimonium illicitum, non autem inualidum. Mihi verò cum alijs distingue-

Ibid. In Quart. Sentent.

dum videtur, quod si in dispensatione non ponatur conditio illa dummodò copula non interuenerit, & copula interuenerit post factam concessionem, & remissionem ad ordinarium, siuè etiam antè concessionem præcesserit, verius est valere dispensationem, quia talis incestus non est impedimentum dirimens, ac proindè Pontificis dispensatione non eget, vt dicebat secunda opinio; Quando verò dispensatio data fuit expressè sub illa conditione, dummodo copula non interuenerit, & re vera interuenerit antè datam concessionem Pontificis; valdè probabile est in eo casu taciturnitatem copulæ in petitione facere dispensationem nullam, vt prima opinio dicebat; hoc enim opus erat exprimere ex vi conditionis appositæ in dispensatione, dummodo copula non interuenerit, nam talis conditio significat intentionem Pontificis esset non dispensare; si copula præcessit, nisi in petitione exprimatur; alia plura ad hunc punctum spectantia apud citatos Auctores videri possunt.

QVÆSTIO VIGESIMAPRIMA.

De Matrimonij effectibus, seù bonis.

PRæter gratiam sanctificantem, quæ per hoc sacramentum Matrimonij confertur, & est communis effectus omnium sacramentorum, & præter gratiam sacramentalē istius propriam, & peculiarem, quæ consistit in quibusdam specialibus gratiæ actualis auxilijs, quæ opportuno tempore coniugibus conferuntur huius sacramenti intuitu ad ipsius Matrimonij officia debitè, ac rectè obeunda, tres sunt præterea huius sacramenti peculiares, & principales effectus, qui alio nomine à Patribus, & Theologis tria Matrimonij bona appellari solent scilicet sacramenti indissolubilitas; prolis legitima susceptio, ac pia educatio; & tori coniugalis fides; sumpta doctrina ex D. August. de Bono Coniugij cap. 24. & lib. 9. super Genes. ad lit. cap. 7. vbi hæc bona explicans ait, *In fide attenditur, ne propter vinculum coniugale cum altero concubatur; in prole, vt amanter suscipiatur, benignè nutriatur, religiosè educetur: in sacramento autem ne coniugium separetur.* Hoc autem non ità intelligēdum est quasi hoc sacramētum præter hæc tria alia quoque bona annexa non habeat, nimirum concupiscentiæ remedium, & mutuum coniugum adiutorium, & consolationem, mutua obsequia, & similia, qui etiam sunt effectus, & bona matrimonij, sed hæc tria præsertim assignantur, tanquam præcipua, & principalia; de his itaque agemus in præsenti quæstione cum Doctore nostro 4. d. 31. & 32. 523

ARTICVLVS PRIMVS.

Tria Matrimonij Bona explicantur.

SCotus 4. d. 31. qu. vn. §. *Ad quæstionem* ad explicanda hæc 524 tria Matrimonij bona scilicet bonum sacramenti, bonum fidei, & bonum polis notat ex Philosopho 5. Met. capit. de perfecto bonum, & perfectum idem esse, triplex autem potest intelligi perfectio rei, vna intrinseca, & formalis, alia extrinseca, & finalis proxima tertia tandem extrinseca, & finalis remota; Atque ità triplex in proposito est bonum matrimonij, vnum formale, & intrinsecum, quod dicitur bonum Sacramenti scilicet vinculum indissolubile, non quod illud sit sacramentum nouæ legis, vel signum sensibile, sed quia est signum intelligibile alicuius alterius significati, puta coniunctionis indissolubilis Christi, & Ecclesiæ, vel aliter dicitur bonum sacramenti secundum transitiuam locutionem, cuius signorum est ipsum Sacramentum. Certum autem est ex dictis suprà quæst. 6. art. 2. matrimonium inter Christianos legitimè contractum, & ab ipsis consummatum esse omnino indissolubile quoad vinculum, id enim constat tùm ex scriptura Marci 10. & Lucæ 16. vbi Christus Dominus hanc de Matrimonio Christianorum legem tulit *Quicunque dimiserit vxorem suam, & alteram duxerit, adulterium committit.* Tùm ex Concil. Trid. *sess. 24. cap. 5. & 7.* de reform. Matrim. vbi anathema profertur in eos, qui dixerint propter adulterium, hæresim, aut quamlibet aliam causam Christianorum matrimonia dissolui posse quoad vinculum; Nec obstat, quod Christus Dominus Math. 10. dixerit vxorem dimitti posse ob fornicatio-

nicationem, quia intellexit posse dimitti quoad torum, &
cohabitionem, non verò separari quoad ipsius matrimonij
vinculum, vt declarauit D. August. *lib. de adulter coniug. cap.*
11. & nos iam explicuimus *quest. 6. cit. num.* 188. Certum est
quoque ex dictis ibidem *num.* 190. matrimonium ratum
quidem, sed non adhuc consummatum, quamuis sit verum
sacramentum, solui tamen posse etiam quoad vinculum, si
alter coniugum votum solemne Religionis emittat, vt defi-
nitum est in Conc. Trid. *sess. 24. can. 6.* & hæc relaxatio Chri-
sti, inquit Doctor sub *lit. C.* rationabilis fuit, quia rationabi-
le est obligationem ad minus bonum commutari in obliga-
tionem ad maius bonum ab eo, qui habet auctoritatem
commutandi; professio autem in Religione est obligatio ad
maius bonum, quia ad spirituale cum proposito côtinentiæ,
perpetuò & istum statum prætulit statui coniugali. Et ãdē
hac de causa *cap. Ex publico* de Conuersione coniugatorum
secundum communem Doctorum expositionem iniungi-
tur Iudici, vt coniugi de Religionis ingressu antè matrimo-
nij consummationem deliberanti bimestre spatium definiat,
intrà quod vel Religionis propositum exequatur, vel con-
iugi debitum reddat.

525 Secundum bonum est extrinsecum, & finale proximum
scilicet bonum fidei, siuè fidelitatis ad coniugem, nam ad
ipsum, sicut ad bonum finale proximum ordinatur matri-
monium ipsum, vel obligatio ipsa matrimonij, & in duo-
bus consistit hæc fides, vel tribus; primò quod non tradatur
corpus vnius coniugis, nisi alteri coniugi, quia hoc esset
contra iustitiam, & fidelitatem, & istud est necessarium
semper in omni matrimonio, & inuariabiliter in omni lege,
sicut non permittere adulterium; Secundò consistit in tra-
dendo corpus suum coniugi petenti pro loco, & tempore,
seù vt vir, & vxor sibi mutuò debitum coniugale reddant,
nam vt loquitur Apostolus 1. Corint. *Mulier sui corporis po-*
testatē non habet, sed vir, similiter autem vir sui corporis pote-
statem non habet, sed mulier; vndè idem præcipit, *vt vxo-*
ri vir debitum reddat, similiter, & vxor viro; idque si-
uè debitum illud coniugale expressè petatur, siuè taci-
tè, & hæc obligatio mutua reddendi debitum coniugale
est sub peccato mortali, si alter coniugum serio, instanter,
& rationabiliter illud petat; dixi autem teneri coniuges de-
bitum sibi inuicē reddere pro loco, & tempore, quia redde-
re debitum est præceptum affirmatiuū de iustitia, & fideli-
tate obseruanda ad alterū præcepta autem affirmatiua licet
obligent semper, non tamen ad semper, sed pro loco, &
tempore secundum circumstantias debentes concurrere ad
actum, vndè coniux non tenetur alteri debitum reddere
pro quandocunque alius petit, sed in aliquibus casibus po-
test non reddere, imò in aliquibus casibus etiam debet non
reddere, vt inquit Doctor *d. 32. quest. vn. §. Ad questionem*,
vt quando vnus coniugum adulterium committit, vel for-
nicationem, tunc enim ius petendi amisit, & coniux in-
nocens debitum ipsi negare potest; item si ex redditione
debiti immineat probabile periculum damni notabilis in salu-
te corporali, quia rectus naturæ ordo exigit, vt prius con-
sulatur incolumitati proprij indiuidui, quàm generationi
prolis, quod verum est, etiamsi exigenti immineat inconti-
nentiæ periculum, quia cum tanto detrimento non tenetur,
vitare periculum alterius, vt Sanchez, Coninchius, Hur-
tad. & alij aduertunt; Item si vxor sit prægnans, & proli
conceptæ timeatur probabile mortis periculum, & in alijs
casibus, de quibus *art. 3. sequen.* Tertiò tandem tori coniuga-
lis fidem exigit, vt ambo coniuges mutuò cohabitent, &
mutua obsequia in administranda re familiari, & filiorum
educatione præstent, ad quod quidem reciprocè obligantur,
& etiam cogi possunt a Iudice tam Ecclesiastico, quàm sæ-
culari ex *cap. Litteras de restit.* spoliatorū, cùm autem vir sit
432 caput vxoris, & familiæ, vt dicitur *Ephes. 5.* tenetur vxor
ad obediendum viro in his, quæ ad familiæ administratio-
nem spectant, & vicissim obligatur vir ad alimenta, & alia
vitæ subsidia vxori, ac reliquæ familiæ præstanda; cùmque
ad virum pertineat pro libito suo domicilium eligere, ac mu-
tare, vxor eum sequi tenetur, vt habetur ex *cap. Vnaqueque*
13. *quest. 2.* vt docet Nauarus cap. 14. vbi tamen rectè mo-
net vxorem non teneri virum sequi cum graui corporis,
vel animi incommodo, vt si ad bellum proficiscatur, cui
etiam subscribunt Sanchez, Tancred. Sotus, Laiman, Auer-
sa, & alij passim.

526 Tertium bonum matrimonij est extrinsecum finale, &
remotum scilicet bonum prolis habendæ, & religiosè edu-
candæ ad cultum diuinum, & est finis principalior, vndè &
ad hunc finem ordinatur præcedens finis scilicet bonum
fidelitatis: ponitur etiam quidam alius finis annexus matri-
monio scilicet vitatio fornicationis pro tempore lapsus, non
solùm enim matrimonium est in officium procreandi pro-
lem, sicut tempore innocentiæ, sed etiam est in remedium
concupiscentiæ; Notant autem hic Bassolius, Nicolaus de
Nisse, & alij Scotistæ cum Doctore opus non esse ista duo
vltima bona fidei, & prolis poni in re, & in effectu absolutè
inter coniuges, sicut necesse est de primo bono scilicet ma-
trimonij indissolubilitate, sed sufficit, vt sub conditione po-
nantur nempè reddere debitum, si alter coniux petat, potest
enim absolutè loquendo alter non petere, & sic etiam alius
non reddere sub conditione etiam ponitur bonum prolis,
quod non potest poni sine redditione debiti, vt si euenerit,
non impediatur, nec perimatur, & si euenerit proles, & sub-
uixerit religiosè educetur; Quarè absolutè loquendo potest
alter non petere, & sic etiam alius non reddere, & imò ma-
trimonio iam rato, siuè etiam consummato possunt perpe-
tuam continentiam vouere; Vndè si ex amore virtutis, &
ad perfectius, liberiusq; Deo seruiendum pari consensu con-
tinentiam seruare vellēt, haud dubiè excellentiorem adhuc
statum eligerent, quod fusè docet D. August. epist. 45. quæ
est ad Armentarium, & Paulinam coniuges, quos ad seruā-
dam côtinentiam efficaciter hortatur, quam communi vo-
uerant consensu, & idipsum quoque probat lib. 1. de consen-
su Euāgel. cap. 1. ex castissimo coniugio Deiparæ Virg. & S.
Ioseph, quod inter eos intercessit absque vllo detrimēto vir-
ginitatis cuius flos in vtroque illibatus permansit, quorum
proindè exemplo côcludit, magnificè insinuari fidelibus co-
niugatis (& sunt eius formalia verba) etiam seruata pari con-
sensu continentia, posse permanere, vocariq; coniugium, nō
permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu. 527
Multum etiam confert matrimonium proli genitæ, vt no-
tat Auersa q. 22. sec. 2. efficit enim filios legitimos, quod mul-
tum valet ad bonorum successionem, & graduum, ac digni-
tatum capacitatem, nedùm in sæculo, sed etiam in Ecclesia
iuxtà varias leges ciuiles, & Ecclesiasticas; & hoc efficit non
solum matrimoniū re vera validum, sed etiam putatiuum
idest bona fide contractum, & reputatum validum, quam-
uis reipsa ob occultum aliquod impedimentum esset irri-
tum, & nullum; hoc inquam, etiam matrimonium sufficit
ad filios legitimandos, quibus nec etiam præiudicatur,
dùm postea impedimentum, & nullitas matrimonij dete-
gitur, vt habetur in iure cap. *Cùm inter* cap. *Perlatum* cap.
Quo nobis, & *cap. Ex tenore*, & est communis Iuristarum
sententia. Sufficit etiam si bona fides saltem ex parte vnius
coniugis interuenerit, quamuis alter mala fide contraxisset,
& dolosè, vt habetur eo cap. *Ex tenore*. Requiritur tamen
ad hunc matrimonij effectum consequendum, quod matri-
monium publicè, & coram facie Ecclesiæ fuerit contra-
ctum, nimirum coram Parocho, & testibus, & præmissis
denunciationibus vndè matrimonia clandestina hoc bene-
ficio, & fauore non gaudent, vt decisum est cap. fina l. *de*
Clandest. *Despons.* Et tandem requiritur etiam, vt bona fi-
des in vtroque, vel alterutro vsque ad conceptionem prolis
durauerit, alioquin si post nullitatis notitiam parentes copu-
lam inter se habuerint, & proles concepta fuerit, hæc nō erit
legitima, vt habetur eodē cap. *Ex tenore*. Rursus Matrimo-
nium habet vim legitimandi filios anteà susceptos, ità quod
si vir, & fœmina per illicitam copulam prolem habuerint,
& postea iusto matrimonio coniungantur, per hoc subse-
quens matrimonium legitimi redduntur filij anteà geniti
per copulam illicitam ad bonorum successionem, & gra-
duum, ac dignitatum capacitatem; ità statutum fuit iure ci-
uili cum varijs limitationibus, & adhuc magis amplè iure
Canonico, & absque alia limitatione, nisi quod anteà tales
parentes essent ad contrahendum habiles, & nullum habe-
rent impedimentum dirimens; ità habetur cap. *Tanta* cap.
Conquestus cap. *Transmissæ* & capit. *Causam*; Quarè ad
hunc effectum legitimationis requiritur, vt generationis
tempore tales parentes essent habiles ad contrahendū, hoc
est, nullum constaret eis impedimentum dirimens alioquin
hoc impedimento eis constante, quamuis posteà illo su-
blato per validum matrimonium inter se coniungantur,
non per hoc filij prius nati efficiuntur legitimi. Itaque Ma-
trimonium duplici nomine cohonestatur ex prole; primò
quia proles per se magnum bonum quoddam est cum illius
procreatio societatem humanam conseruet, & augeat,
secun.

secundò, quia filij ex vero matrimonio suscepti, vel post illud censentur esse legitimi, hoc est, idonei ad bonorum hæreditatem, & successionem, ad publicas dignitates, & officia in Republica; qui autem extrà matrimonium procreantur, illegitimi sunt, & inhabiles ad ea officia.

528 Sed mouet difficultatē Doctor; quomodo hæc tria bona in quolibet matrimonio reperiantur, nam in primis de indissolubilitate, quę dicitur bonum sacramenti videtur, quod non reperiatur in matrimonio rato non consummato, quia dissoluitur per votum solemne Religionis, vt in superioribus dictum est. Deindè dubium est etiam de bono fidei, seu fidelitatis, quia inter adulteram, & virum suum est verum matrimonium, & tamen non est in bonum fidei. Denique dubitatur etiam de bono prolis, quia cum sterili, vel Virgine, quæ vouit Virginitatem, vel cum sene iam impotente potest esse matrimonium, & tamen non est ibi bonum prolis, nec in re, nec in spe; non ergo hæc tria bona matrimonium vniuersaliter committantur, vt eius principales effectus.

Respōdet Doctor etiam matrimonium ratum iure diuino positiuo esse perpetuum excepto casu professionis religiosæ, quem exemit Christus à lege insolubilitatis, quod etiam consolat rationi naturali rectæ, vt supradictum est, in hac ergo lege indissolubilitatis matrimonij Christus ipse dispensauit, aut non comprehendit casum conuersionis coniugis ad Religionem non consummato matrimonio; quādo ergo matrimonium dicitur esse insolubile, intelligi debet de solubilitate ab homine, non autem à Deo, qui potest etiam matrimonium consummatum dissoluere, vt habetur Math. 19. *Quos Deus coniunxit homo non separet*, & ideò purus homo non potest coniuges dissoluere, nec tota hominum communitas, & quando alter coniugum antè matrimonij consummationem Religionem ingreditur, illa dissolutio fit à Deo, & non ab homine, vndè Deus instituit professionem, seù votum solemne vnicum remedium dissolutionis matrimonij, & non quodlibet votum solemne, sed religionis, nam votum solemne suscipiendi ordines sacros non dissoluit matrimonium, nec cum eo est incompossibile, nisi mero iure Ecclesiastico.

Ad secundum ait Doctor, quod bonum fidei semper in matrimonio reperitur ex obligatione; licet non semper in executione, vndè licet inter adulteram, & innocentem non si bonum fidei quantum ad actum ex parte adulterantis, adest tamen in obligatione, quia vterque coniux ad tale bonum obligatur.

Ad vltimum inquit Doctor, quod obligatio non est absolutè ad bonum prolis, sed sub conditione, si scilicet eueniat ad gratanter suscipiendum, & religiosè educandum, & non ad procurandum studiosè oppositum per aliquem modum illicitum scilicet ne eueniat, & ità patet ad illud, quod dicitur de Virginibus, & sterilibus, & alijs non potentibus generare, vel non volentibus propter votum castitatis emissum, quia non obstantibus prædictis possunt contrahere, & sufficiēter in eorum matrimonio habent bonum prolis scilicet sub conditione modo iam declarato. Addit tamen Doctor *loc. cit.* in solutione ad 3. prin. quòd secundum rei veritatem vbi est certa impossibilitas ad bonum prolis non videtur actus ille coniugalis multum excusari per illud bonum sub conditione, & in tali casu inquit Doctor, matrimonium esse tantùm in remedium, non in officium; quæ autem impotentia sit impedimentum matrimonium dirimens iam declaratum est *quæst. 15. art. 1. & 2.* & de his tribus Matrimonij bonis plura videri possunt apud Mastrium nostrum *lib. 8. Eth. 9. 10. & 11.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

De Vsu matrimonij, & debito coniugali.

529 Conueniunt Catholici omnes copulam coniugalem esse licitam esse, vt apertè constat ex eo, quod Deus Genes. 1. primis parentibus commendauit vsum coniugalem illis verbis, *Crescite, & multiplicamini*, & ex eo, quod ad Hebræos 7. torus coniugatorum dicitur à Paulo *immaculatus*, imò Scotus noster 4. *dist.* 26. *quæst. vn.* fusè demonstrat non solùm ex reuelatis, sed etiam ex naturalibus matrimonium etiam vt à Sacramento præscindit, esse actum licitum, & honestum, quia est medium ex natura rei proportionatum ad finem per se bonum, & honestum scilicet ad

Mast. In Quart. Sentent.

filiorum procreationem, & humani generis propagationē eo modo, quo humanam decet naturam; Verum quia per licitam, & honestam copulam intelligendo illam, quæ omni prorsus culpa vacet tam veniali, quàm mortali, & è contrà illicitum, quæ etiam venialiter solùm sit culpabilis, valde refert consideratio finis, est aliqua difficultas, quo fine exercendus sit talis actus, vt licitè fiat; & quidem conueniunt omnes actum coniugalem, non solùm ob prolis generationem, quæ est eius finis primarius, & immediatus, sed etiam ad vitandam incontinentiam in altero coniuge, dùm alter videt illum esse in periculo, esse licitum, & honestum, quia est actus charitatis ex fine salutis spiritualis proximi, & etiam iustitiæ reddere indigenti, quod suum est; & ità expressè docuit Scotus 4. d. 32. A. vbi considerato duplici fine matrimonij, & propter prolem generandam, & propter fornicationem vitandam docet vsum matrimonij, seù copulam carnalem coniugum esse genere suo actum virtutis, saltem iustitiæ.

Primò itaque est Difficultas, an in actu coniugali facto ad vitandam propriam incontinentiam sit aliqua culpa saltem venialis; Et quidem Magister 4. d. 31. quem etiam nonnulli sequuntur Theologi, & Summistæ, existimat in eo esse culpam saltem venialem; Ratio est, quia vtens actus coniugali ad eum finem, non intendit proprium finem ipsius actus nempè prolis generationem vt patet; neq; bonum fidei, quia ad hoc tantum pertinet reddere debitum petēti, & abstinere ab actu carnali cum alio. Communis tamen sententia est nullū esse peccatum, nec veniale, coniugem petere debitum præcisè, vt incontinentiam in se ipso vitet; Ità præsertim Almainus ex nostris 4. d. 26. *quæst. vn. in fine*, quod probat ex D. Paulo 1. Corint. 7. vbi ait, *propter fornicationem autem vnusquisque vxorem suam habeat, & vnaquæq; suum virum*, idest ad vitandam fornicationē; & infrà, cum suasisset coniugibus aliquando orationi vacare, & communi consensu à coniugio abstinere subdit, *iterum reuertimini in idipsum, ne tentet vos Satanas propter incontinentiam vestram*, qui loquendi modus planè non denotat permissionē venialis peccati, sed omnino concessionē actui liciti; & quamuis posteà subdat, *Hoc dico secundum indulgentiam*, non per hoc significat in eo actu coniugali ad propriam incontinentiam euitandam esse culpam, alias non suaderet ad illum, sed significat esse minorem perfectionem, quam in abstinentia à copula, vt iam explicauimus q. 1. huius *Disp. art. 2. n. 19.* sicut etiā quando subdit, *Et si nupserit Virgo, non peccabit; ego autem vobis parco*, non significat culpam reperiri in nuptijs, sed solùm innuere voluit in eis minorem reperiri perfectionem, cùm immediatè anteà dixerit non reperiri peccatum, quàm in cælibatu. Hinc etiam Almainus deducit rationem, qua posteà vsi sunt Nauarrus, Rebel. Coninchius, Ponce, Hurtad. Auersa, Caspensis, & alij Recentiores passim hanc opinionem sequentes, quia vsus coniugalis, supposito peccato seu lapsu humanæ naturæ ordinatur sua natura in remedium concupiscentiæ propriæ, vndè ait Paulus *loc. cit.* *Qui non potest continere, nubat in Domino*, vndè sæpius replicat Scot. quod matrimonium in statu naturæ corruptæ non est solùm in officium, sed etiam in remediū; ergò si quis ordinet actum matrimonialē in illum finē propter quem institutum est matrimonium in statu naturæ corruptæ dicitur referre in finem rectū, quamuis minus principalem, quam sit prolis generatio; & erit actus licitus, quia nulla lex est, quæ cogat, vt in vsu rei principaliorem finem semper intendamus, alias in præsenti materia vsus coniugalis ad vitandam incontinentiam in altero coniuge existente in periculo eius non esset licitus; & sterilis non posset vti matrimonio, quia nequit prolis generationem intendere.

531 Dices cum Sanchez *lib. 9. disput. 9.* saltem culpam venialem in actu coniugali interuenire ad eum finem assumpto, quando ille alijs medijs incontinentiam in seipso euitare potest, vt ieiunijs, orationibus, cilicijs &c. quia qui potest alijs videtur inordinatè vti actu rationem absorbente. Sed neque coniuges tenentur, vt ait Auersa *quæst. 21. sec. 4.* alijs medijs perfectioribus, & difficilibus vti ad hunc finem, sed satis est, si vtantur medio alioquin sibi licito, & concesso, & planes nimis durum esset obligare personas coniugatas, vt potius per abstinentias, orationes, &c. habeant huiusmodi studeant carnem edomare, quàm concessam, & quam inter se copulam per matrimonium sibi concessam, & solent, & ad hunc quoque finem in statu naturæ lapsæ; tamen vis actus copulæ carnalis vsum rationis absorbere

tamen dùm talis institutus est à natura, & breui transeat, licitus adhuc est coniugibus ad sedandam concupiscentiam etiam vsum rationis perturbantem.

Hinc etiam patet ad rationem in oppositum, negatur enim assumptum, quia in statu naturæ lapsæ etiam concupiscentiæ extinctio est finis matrimonij proprius, & quantuis sit minus principalis, non tamen peruertitur ordo vtendo tali medio, quia adhuc assumitur medium per se licitum, ac etiam ad talem finem ordinatum, nec vlla lex obligat, vt dicebamus, vt quis ordinare debeat actum tantum ad finem primarium, & principalem, ac perfectiorem, sed satis est si ordinet ad finem in se quoque licitum, & honestum, ad quem suo quoque modo refertur; Imò hoc etiam spectat ad bonum fidei, ne per peccatum incontinentiæ matrimonij fides frangatur; Et tandem si ad vitandam fornicationem in altero coniuge licitus est talis actus, vt omnes concedunt, erit etiam licitus ad vitandam fornicationem in seipso, cùm multò magis teneatur vnusquisque suæ saluti consulere, quam alterius. Et hæc etiam fuit expressa mens Doctoris 4. d. 26. *sub lit. S.* ibi enim, vt Brancatus aduertit *disp. 39. art. 3.* inquit, quod licet finis primarius matrimonij à Deo instituti sit proles religiosè educanda, tamen post lapsum ob naturæ infirmitatem, & pronitatem ad hunc actum carnalem Deus indulsit, vt propter hunc finem posset homo contrahere, & vti contractu, & quod finis iste laudatus sit, in nouo testamento sumus certificati, & tandem addit verisimile esse, quod ista indulgentia non fuerit primo facta in noua lege, sed à principio humani lapsus.

532 Secundò, maior adhuc est difficultas, an vsus coniugalis factus solius voluptatis, & delectationis causa, quæ in ipso actu est, sit licitus. Negant Mairon, Hugo, Hostiensis, Sanch. Tancred. & quidam alij existimantes copulam coniugalem ob talem finem exercitam esse peccatum mortale, vel saltem culpa veniali non carere; Fundamentum huius sententiæ sumitur præsertim ex auctoritate, nam Augustinus *de bono coniugali cap. 6.* ait, *coniugalis concubitus generandi causa non habet culpam, concupiscentiæ vero satiandæ, sed cum coniuge, propter tori fidem venialem habet culpam.* & *cap. Vir cum propria 33. quæst. 4.* adducitur hæc auctoritas ex D. Greg. *Cum non amor prolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habent etiam ipsi coniuges in sua commixtione, quod defleant*, & plures alij Patres eodem modo loquuntur, quibus etiam inter ipsos coniuges damnari videtur copula gratia solius voluptatis habita.

533 Verū Auctores supracitati, & præsertim Almain noster *loco cit.* & est modò communior opinio asserunt etiam ob finem delectationis, seruata tamē conuenienti moderatione, non esse illicitam copulam, nec venialiter culpabilem. Ratio est, quia in humanis operationibus culpabile non est moderatè appetere delectationem in ijs à natura insitam, quando ipsæ operationes per se licitæ sunt, & honestæ, nec immoderato excessu, aut alijs prauis circumstantijs viciantur vt patet in delectu ciborum, & potus, at delectatio carnalis copulæ coniugali ex ipsa rei natura est annexa, vt auidius appetatur ob conseruationem speciei, & dicta delectatio, seù voluptas verè est licita, sicut & actus ipse; ergo talis finis intentus inter coniuges culpabilis non erit quibus copula ipsa per se licita est dummodo neque actu, neque habitu alij fines matrimonij excludantur, quia hac ratione non tantùm esset veniale, sed etiam mortale, atque ideò talis actus ex eo fine præcisè ex suo genere non est malus, nisi aliqua circumstantia vitietur; vndè non carebit saltem culpa veniali, si fiat ob capiendam nimiam delectationem, seù ex desiderio nimiæ delectationis, & hoc tantùm volunt innuere Patres illo loquendi modo, volunt enim solùm damnare excessum, non autem moderatum voluptatis vsum; & ita Augustinum exponit Almainus *loc. cit.* Addit tamen Bramatus noster *loc. cit. numer. 50.* quod licet vsus coniugij ob finem delectationis moderatæ non sit culpabilis, est tamen valdè periculosum illum velle propter talem finem, quia difficilè concupiscentia moderamen, ac limites agnoscit, nam modus in voluptate sensuali, quæ mentem absorbet, non potest, vel saltem cum difficultate, vel absolutè seruari raro non sine excessu amat, vt Patres eo loquendi modo innuere voluerunt; quarè concludit, & quidem satis rationabiliter, quod licet velle copulam coniugalem ex fine voluptatis moderatæ, non excludendo positiuè alios matrimonij fines, non sit peccatum, est tamen valdè periculosum ex tali fine eam velle, quia difficulter cum tali moderamine appeteretur.

Ex hac eadem Doctrina etiam inferendum est ex eodem 534 Almaino 4. *dist. 31. quæst. vn.* quem omnes auctores supracitati sequuntur actum coniugalem tuendæ, aut restaurandæ salutis causâ non esse peccatum nec veniale, dummodò non excludantur positiuè tacitè, vel expressè finis principalis, & alia matrimonij bona, quia tunc non ex fine sanitatis esset malitia, sed ex alio fine malo qui sufficit ad vitandum actum alias de se bonum; Ratio huius asserti est, quia hic etiam finis est per se licitus, & honestus, & copula quæ inter coniuges est licita, & concessa, potest ad talem finem esse vtilis interdum, & apta, vt Medici docent; neque datur inordinatio ex eo, quod actus coniugij ad alium finem referatur præter intrinsecos, quia huiusmodi fines nec explicitè, nec implicitè excluduntur, vt patet; imò hoc ipsum etiam ad bonum prolis, & fidei conferre potest, quia coniux hoc medio sanitatem côseruans, vel recuperans erit magis aptus, & idoneus ad prolem generandam, ac debitum reddendum; Et eadem ratione admitti quoque potest copulā esse licitam inter coniuges ob aliquod aliud temporale, commodum, & vtile, vt ait Auersa vt v. g. si vnus coniugum sperans ab alio opes, vel hæreditatem, aut similia ex copula hoc fine inducatur ad eam, quia similiter talis finis est in se licitus, & copula coniugalis inter coniuges est in se licita. Et tandem hac eadem ratione, vt inquit Hurtadus, vsus coniugati ob alium quemlibet finem honestum, quamuis ipsi vsui extrinsecum, est licitus relicto adhuc omni fine proprio, quia nulla est, neque ostendi potest inordinatio in eo, quod quis relicto proprio fine operis id assumat ad aliū finem honestum, ad quem non habet proportionem ex natura sua; quo pacto in alijs rebus humanis ob huiusmodi fines licitos, seclusis alijs conditionibus vitiantibus, absque culpæ adhibentur media in se licita, quando ad illos iuuant, quamuis alioquin non ex natura, aut institutione sua si ordinata sint.

Tertiò est Difficultas, an dubium de valore matrimonij 535 reddat actum coniugalem illicitum; Aliqui absolutè affirmant dicentes dubitanti de valore matrimonij prorsus non licitam copulam, cumq; nec petere, nec reddere posse, vt quod se exponeret fornicationis periculo, si fortè reipsa matrimonium non sit validum. Alij è contrà absolutè negant dicentes, dubitandi de valore matrimonij, postquam bona fide contraxerat, licitam, & debitam esse copulam, itaut teneatur reddere, & possit petere. Verùm in huius difficultatis solutione cum distinctione procedendum est cum Scot. 4. d. 31. q. 1. & Scotistis ibidem ita nimirum, quod vterq; coniux mala fide contraxit, seù cum dubio impedimenti, neuter potest petere, vel reddere debitum petenti, & ratio est, quia nemo potest se exponere periculo proximo peccādi, iuxta moralium axioma, quod operans cum conscientia dubia peccat quia exponit se periculo; isti autem coniuges in mala fide existentes, & dubio de impedimento dirimente exponerent se periculo fornicationis, ergo in tali casu mortaliter peccarent; Si verò alter tantùm cum mala fide seù dubio contraxit, hic non potest petere debitum ab innocente coniuge ob eandem rationem, cùm enim sit possessor malæ fidei, non potest vti corpore coniugis, tanquam suo, quia in dolo potius possidet, quàm iuridicè, sed quamuis non possit petere adhuc tamen tenetur reddere innocenti, cum bona fide contraxit, & nullum habet dubium de validitate matrimonij, aut impedimento, ita Doctor *loc. cit.* Brancat. *disp. 39. art. 6.* & sequitur Auersa q. 21. *sec. 2.* cum pluribus alijs ab eodem allegatis, quod probat, quia hoc pacto conciliantur duæ regulæ, quæ in casu dubij militant, vna *In dubio tutior pars est eligenda*, altera *In dubio melior est conditio possidentis*, etenim ex vi prioris regulæ coniux dubitans petere non potest, quia tutiorem partem debet eligere, ne se exponat fornicationis periculo; ex vi autem posterioris regulæ tenetur reddere, quia non debet in dubio alterum sua possessione priuare, qui bona fide contraxit. 53

Addunt tamen communiter Doctores in tali casu teneri coniugem dubitatem, non solùm adhibere diligentiam ad inueniendum impedimentum, vt matrimonium dissoluatur, vel per eius dispensationem consolidetur, & ratificetur, sed etiam ad communicandum alteri coniugi suum dubiū, nisi graue damnum sibi timeat, & hunc rursus, si fundamentum

mentum probabile dubitandi perspiciat, nec dubium excutere valeat, debere etiam dubitare, atq; adeò tunc non posse licitè petere iuxtà regulam de dubitante traditam, & de casu, quo ambo coniuges dubitant, donec adhibita diligentia dubium deponat. Aduertit autem Scotus *loc. cit. sub lit. C.* quod si contrahens mala fide cum defectu consensus interni manifestet coniugi talem defectum, hic non tenetur credere doloso, nec dubitare in proprium præiudicium, quia innocens ratione consensus externi habiti à doloso verum contraxit matrimonium in facie Ecclesiæ, neque de contractu præsumi debet, nisi adsint sufficientia indicia ad sic præsumendum, atque ideò potest adhuc hoc non obstante petere, non tamè reddere, si petatur donec dicat se ab initio, vel posteà consensisse; & ratio huius est, quia coniux malæ fidei per declarationem suæ mentis, quòd scilicet inualidè contraxit, declarat se non habere ius suprà corpus innocentis, & semetipsum excludit; neq; est par ratio de petédo, quia petitio innocentis fundata est in possessione bonæ fidei, neque sua pacifica possessione priuari potest absque iniustitia; si tamen innocens ei credat, non poterit amplius neq; reddere, neq; petere, quia non potest amplius se tueri cum possessione bonæ fidei, nam credens alteri constituitur ipse quoque in mala fide, atque ideò Scotus loco citato consilium dat innocenti, quod doloso non credat, & quod tutior via est non facere sibi conscientiam, quod alter dolosè consenserit, imò quod tunc veraciter consensit, & modò mentitur; possent tamen tales circumstantiæ, & talia indicia concurrere, vt teneretur credere, vel dubitare, & tunc se gerere debebit iuxtà prædicta.

537 Quartò est difficultas, an actus coniugalis fiat illicitus ratione affinitatis superuenientis; superuenit autem affinitas matrimonio, quando alter ex coniugibus habet copulam fornicariam cum aliquo ex consanguineis alterius coniugis, & in hoc puncto conueniunt Doctores ex copula habita cum consanguinea vxoris affinitatem oriri, quæ impedit debiti petitionem, non tamen debiti redditionem, ac proinde teneri reddere petenti ex *cap. 1. de eo, qui cognouit consanguineam*; & ità præsertim docet Scotus *4. dist. 41. quæst. vn. in fine*, vbi ait, quod affinitas superueniens post matrimonium contractum non dirimit, priuatur tamen vir iure petendi propter illud crimen; Et idem est, de vxore dicendum, quod si cognoscat consanguineum mariti, non possit petere, & tenetur reddere, etiamsi ea affinitas sit occulta, quia incurritur ipso facto, & sinè Iudicis sententia; Et similiter etiam dicendum est, si vterque coniux in impedimentum concurrit, quod neuter possit petere, neque reddere, ob eandem rationem; quæ doctrina procedit, quando incestus scienter, & absque violentia, atque ideò per copulam metu grauiter extortam hoc impedimentum non contrahitur, ac proinde ea, quæ inuita fuit cognita, iure petendi debitum non priuatur. Est tamen Difficultas, in quo gradu consanguinitatis sufficiat, quòd sit persona consanguinea coniugis cognita ab altero coniuge, vt hic priuetur iure petendi, & procedit difficultas post Tridentini decretum, quo affinitas dirimens matrimonium contrahendum orta ex copula fornicaria fuit restricta vsque ad secundum gradum, quæ antea iure antiquo sufficiebat ad id vsque ad quartum gradum, vt in superioribus dictum est de impedimento affinitatis.

538 Nouelli apud Hurtadum *disp. 10. diffic. 7.* existimarunt incestum cum persona consanguinea coniugis in quarto gradu sufficere, vt incestuosus iure petendi priuetur, quia Tridentinum affinitatem ortam ex copula fornicaria restrinxit ad primum, & secundum gradum ad eum effectum, vt non impediat, neque dirimat matrimonium, vt Pius V. declarauit; non autem vt non impediat petitionem debiti, quia hæc distincta est à matrimonio, & hac de re nulla fit mentio in Tridentino non autem petitionis debiti, vnde quoad hunc effectum volunt adhuc vrgere ius antiquum de extensione consanguinitatis vsque ad quartum gradum; ità Angelus, Paulus Comitolus, & alij. Communis tamen opinio docet affinitatem incestuosam vsque ad secundum tantum gradum impedire debiti petitionem, ità Sanchez, Henriquez, Tancredus, Caspensis, & alij passim, quod etiam declarauit Congregatio Cardinal. cuius verba refert Branc. noster *disp. 29.* Tridentinum, quia affinitas non impedit, neque dirimit matrimonium, nisi ob copulam, ad quam ordinatur quidem maritus affines; ergo eo ipso, quod dicta affinitas restricta est à Trid. vt non impediat matrimonium, neque dirimat, nisi in primo, & secundo gradu, etiam censetur restricta, vt non impediat petitionem copulæ, nisi in eisdem gradibus; Consequētia patet, eatenus enim statutum est hoc impedimentum affinitatis, circa petitionem debiti, quia affinibus erat vetitum contrahere, & copulari carnaliter; ergò quibus non prohibetur cōtrahere, vel copulari per matrimonium faciendum, neque prohibetur copulari post matrimonium factum, idem enim est motiuum, nempè honestas; Vndè quamuis petere debitum sit quid à contractu matrimonij distinctum eo tamen ipso, quod affinitas contractui non obstat, neque etiam petitioni debiti obstabit ob rationem allatam.

Quintò mouetur etiam eadem Difficultas de Cognatione spirituali, an scilicet actus coniugalis fiat illicitus, quando cognatio spiritualis superuenit matrimonio iam contracto, quandò vnus coniugum post matrimonium contractum prolem alterius coniugis, siuè ex priori coniuge iam mortuo, siuè communem vtriusque & ex se natam baptizat, aut tanquam patrinus leuat, aut suscipit in baptismo, vel in Confirmatione, in quo mortaliter, & grauiter peccat si id scienter efficiat, vel ex ignorantia vincibili, & absque necessitate, quia est res grauis, & prohibita, vt habetur in Causa 30. q. 1. *cap. 1.* Conueniunt autem in hoc Doctores, vt Hurtad. aduertit *disp. 10. diffic. 6.* quod si hoc accidat absque culpa, quia nimirum fit in casu necessitatis, aliàs puer sine baptismo decederet, aut si eum suscipiat inuincibiliter ignorans esse vxoris suæ filium, tunc cognationem spiritualem ex eo prouenientem nullo modo impedire actum coniugalem, & debiti petitionem vt clarè insinuatur in Can. *ad limina* 30 q. 1. & quando fit culpabiliter ab vno coniuge, non impediri alterum innocentem à petendo, & ipsi petenti debitum esse reddendum à nocente, & culpabili. 539

Est tamen Difficultas, an quādo cognatio spiritualis culpabiliter siuè ab vno, siuè ab vtroq; contrahitur baptizando, siuè suscipiendo in eo casu nocens impediatur à petitione debiti. Affirmant plures Doctores, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 9. disp. 26.* & ex nostris etiam probabilius putat Branc. *disp. 39. cit. art. 11.* quod probant ex *can. 1. & 2. 30. quæst. 1. & ex Can. Ad limina ibidem*, vbi dicitur eum, qui filium in necessitate baptizauerat non esse à coniuge separandum, quia id laudabiliter fecit; ergo qui id culpabiliter fecerit separandus est à toro scilicet vt non petat, & cum exceptio firmet regulam in contrarium, apertè colligitur, si necessitas absit, incurri hoc impedimentum, quod talis coniux priuetur iure petendi. Verius tamen, & probabilius alij negant asserentes eum, qui etiam culpabiliter, & scienter hanc cognationem cum altero coniuge contraxit, & si grauiter peccauerit, posse nihilominus petere debitum, ità D. Bon. *4. d. 42 part. 1. q. 2.* Durandus ibidem, Suarez, Coninchius, Hurtadus, Caspensis, & alij Recentiores, & valdè probabile putant etiam oppositæ sententiæ Auctores. Fundamentum est quia dicta priuatio, seù prohibitio petendi in nullo iure in sua viridi obseruantia perseuerante continetur, nec ex aliquo iure sufficienter deducitur, vt probat Hurtad. loco citando exponendo Canones pro opposita sententia adductos; cùm ergo hoc ex nullo iure clarè constet, probabilior opinio nostra censeri debet, & præferenda, quia in odiosis mitior pars est accipienda. Imò Hurtad. *loc. cit.* ex *Can. De eo* 30. q. 1. & ex *cap. Si Vir 2. de cognatione spirituali*, clarè deducit coniuges siuè ambo, siuè vnum, quamuis cognationem spiritualem culpabiliter contrahant, nullo modò priuari actu coniugali, & iure petendi. Nec valet quod ait Brancatus cit. in fine articuli, Pontificem in cap. *Si Vir* concedere solum obligationem reddendi ne dolus patrocinetur, & non concedere aliud. Nam vt patet, ex verbis textus Pontifex absolutè dixit, quod *siuè ex ignorantia, siuè ex malitia id fecerint, non sunt abinuicem separandi*, à toro scilicet vt non petant, & planè frustra illis concederetur ius reddendi debitum, si vtrisque negatur ius petendi. 540

Sexto tandem est Difficultas, an actus coniugalis fiat illicitus voto castitatis emisso, & sermo est de voto simplici continentiæ; Et conueniunt communiter Doctores paucis quibusdam exceptis, quod si habens votum continentiæ contrahit absque dispensatione, nunquam licitè potest petere debitum, quia obligatio ex voto insurgens est iuris naturalis, & diuini à virtute fidelitatis emanans, quæ quidem dirigit ad seruandum promissum impellit, & est etiam de iure diuino positiuo iuxtà illud *psalm. 75. Vouete, & reddite Deo vestro*.

uestro ergo talis obligatio durat, quousque ab habente potestatem super vota dispensetur, sed post contractum adhuc in voto dispensatum non est à tali superiore, vt supponitur, ergo &c. Sed quamuis contrahens post simplex votum castitatis non possit petere, adhuc tamen tenetur reddere, quia matrimonij essentia id intrinsecè requirit, vt sint permutatio corporum viri, & fœminæ in ordine ad copulam saltem implicitè, si petatur; & post matrimonium contractum coniux habet ius petendi debitum, quia habet potestatem in corpus alterius; ergo alter coniux tenetur petenti coniugi debitum reddere; Neque officit votum emissum, quin reddere possit, ac debeat, licet petere non queat, quia cum votum alicuius non possit alios obligare præter ipsum, & ipse aliud ius actiuum non habeat præter petere, si hoc facit, violat votum; reddere verò non est sui iuris, sed alterius, & ideò per actum reddendi non violat votum, sed tantum per actum petendi, & non petendo sufficienter seruat votum, quia quantum ad hoc ille potest seruare castitatem, & est omninò liber ad non petendum. Similiter etiam discurrendum est, si votum continentiæ post contractum matrimonium fuerit emissum, non posse petere debitum, teneri autem reddere ad petitionem alterius coniugis post consummatum matrimonium, quia coniux vouens castitatem quoad vnam partem tantùm se obligat scilicet ad non petendum, quia hoc relictum est in sua potestate, non tamen quoad alium scilicet ad non reddendum, quia hoc est iuris alterius, quo se priuauit, cùm matrimonium contraxit.

541 Notanter autem dictum est teneri reddere debitum post consummatum matrimonium, quia ob eandem rationem, vt notat Hurtad. *disp.* 10. *diffic.* 8. tenetur etiam non reddere tempore, quo antè consummationem matrimonij est liber ad non reddendum, nempè per spatium bimestris à iure concessum, vndè non placet quod ait Brancat. *disp. cit. art.* 7. *num.* 225. coniugem, qui continentiam vouit, licet non possit petere, teneri tamen reddere post matrimonium consummatum, ac etiam tantùm ratum. Non placet inquã, quia vt notat Scotus *dist.* 32. *q. vn. sub lit. B.* post matrimonium tantùm ratum, & nondum consummatum potest coniux intrare Religionem, nec oportet statim, sed ad tempus nempè per bimestre potest stare in sæculo, & deliberare; si teneretur autem statim reddere, teneretur, inquit Doctor, facere se inhabilem ad Religionem, quod non est dicendum; eo tamen tempore transacto ad deliberandum à iure constituto, aut matrimonio iam consummato tenetur ad reddendum alteri petenti, nec amplius est liber ad non reddendum. Quod autem iure concessum sit spatium duorum mensium post contractum matrimonium per verba de præsenti ad deliberandum, si quis coniugum velit ad Religionem transire, habetur expressè *cap. Ex publico de Conuers. coniug.* dummodò interim non sit matrimonium consummatum; vndè planè sequitur, vt intrà eosdem duos menses non sit debita copula, nec teneatur coniux requisitus debitum reddere, quamuis vltrò licita sit copula, si ambo pari consensu matrimonium consummare velint.

ARTICVLVS SECVNDVS.

Quibus alijs modis actus coniugalis fiat illicitus.

542 PRæter causas *art. præced.* assignatas, quibus copula inter coniuges illicita reddi potest; adhuc vlterius dubitatur, an interdum illicita reddi possit ex circumstantia loci, & temporis, & quibusdam etiam alijs ipsarum personarum circumstantijs, de quibus agit Doctor 4. d. 32. *quæst. vn.* & communiter alij Doctores *in disp. De vsu matrimonij, seu copula coniugali*; Et quidem in primis quoad locum certum est licitam esse copulam coniugalem in omni loco præterquam publico, aut sacro, in nullo enim alio loco interdicta est, vel prohibita, nec iure naturali, nec positiuo; in loco autem publico siuè in conspectu aliorum conueniunt Doctores esse actum illicitum ex natura rei, & mortale peccatum ob maximam indecentiam, & scandalum, atque incitamentum ad libidinem, quod præberetur alijs. De loco autem sacro est difficultas, quia in loco sacro interdicta est copula saltem iure positiuo Ecclesiastico, vt patet in *cap. final. de Consecratione Ecclesiæ*, vbi statutum est per effusionem humani seminis locum sacrum pollui, itaut in eo celebrari non possit, vndè factum est, vt sit peccatum mortale & sacrilegij crimen copulam in loco sacro exercere.

543 Primò itaque Difficultas est, an locus sacer reddat actum coniugalem illicitum, & sacrilegium ratione circumstantiæ loci. Aliqui absolutè docent nullum esse peccatum, neque sacrilegium, si coniuges copulentur in loco sacro, neque Ecclesiam violari, siuè copula habeatur in casu necessitatis, siuè non; Fundamentum est, quia talis actus in loco sacro non habet labem sacrilegij neque ex iure naturali, neque diuino, vt patet; nec etiam iure Ecclesiastico, quia in *cap.* dicitur *si Ecclesia cuiuscumque fuerit semine, aut sanguinis effusione polluta &c.* quo verbo non significatur maritalis actus, quia debet esse illicita seminis effusio, actus autem maritalis ex se non est illicitus, ergo Ecclesia non polluitur actu coniugali, sed tantum effusione seminis, vel actu non coniugali contra castitatem illicito, quod etiam plures intelligi volunt de actu publico, non occulto idest qui confessione rei in iudicio, aut euidentia facti in notitiam multorum deuenerit; ità Ponce, Hurtadus, Caspensis, & alij ab ipsis citati.

544 Alij verò magis communiter affirmant actum coniugalem in loco sacro esse illicitum, quando non est necessarius ad vitandum incontinentiæ periculum, vt quando coniuges longa obsidione in Ecclesia detinerentur inclusi, vbi durissimum esset tamdiù à copula abstinere. Ità Scotus 4. d. 32. *quæst. vn.* in fine in solutione ad vltimum, vbi ait in loco sacro regulariter à tali actu abstinendum esse, quia periculum incontinẽtiæ nequit pro paruo tempore ità imminere, quin vsus matrimonij extrà locum sacrum expectari possit, quod si tamen dici ibidem commorandum esset, vt si coniuges in loco sacro obsiderentur, tunc licitum esse vsum matrimonij ob periculum incontinentiæ; & tandem ibi addit quod propter talem actum occultum non esset locus interdictus saltem publicè, vt oporteat cultum diuinum ibidem publicè prætermitti, & ità loquuntur ibidem Bassolius, Tataretus, Astesanus, Orbellus, Hiqueus, Brancatus, & passim alij Scotistæ, & sequitur Sanchez *lib.* 9. *disp.* 15. cum alijs pluribus ab ipso citatis, qui etiam dicunt Ecclesiam non pollui per copulam coniugalem, sed per fornicariam, vel aliam non naturalem, vel quod etiam si per coniugalem hæc deberet esse publica, non occulta; & hoc quidem clarè deducitur ex Concil. Colon. 2. *part.* 9. *can.* 18. vbi dicitur, quod *Ecclesia tunc intelligitur polluta, quando per accidentiam, vel certitudinem publicam, aut famam est talis*, ergo si fornicaria debet esse publica, vt polluat, multò magis copula coniugalis; Brancatus autem *disp. cit. art.* 3. *num.* 71. absolutè tenet per copulam coniugalem Ecclesiam minimè pollui, pro quo adducit Glossam *de Consecrat. Eccles. in* 6. *cap. Vn. verbo, Semine*. Itaque ex principijs Scoti, & communiori sententia dicendum est, quod si coniuges nulla vrgente necessitate, seu periculo incontinentiæ, in loco sacro copulam habeant, estò Ecclesiam non polluant, aliquam tamen inferunt illi irreuerentiam, ac proindè à culpa non sunt immunes, vel mortali, vt ait Hiqueus cum communiori, vel saltem veniali valdè graui, vt ait Brancatus; estò enim multa secundum se licita sint, ratione tamen loci interdum fiunt illicita, vt e. g. negotiari secundum se est licitum, & tamen in Ecclesia extrà casum necessitatis est illicitum, vt patet Matt. 18. & *dist.* 42. *in Oratorio*.

545 Secundò est Difficultas de tempore sacro, an reddat actũ coniugalem illicitum, an scilicet in diebus festiuis, vel supplicationum solemnium, vel in die Communionis sit illicitus. Plures Doctores affirmant apud Sanchez *lib.* 9. *disp.* 12. & 13. esse illicitum, alij quidem mortaliter, alij autem venialiter solùm. Hoc probant ex Apostolo 1. Corint. 7. quando dixit, *Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus vt vacetis orationi*, & sic etiam videntur docere sacri Canones, & nonnulli Patres relati *dist.* 33. *quæst.* 4. Deindè probant ratione, quia diebus festiuis vacandum est Deo, *ergo contra rationem est vacare Veneri, quo mens à diuinis abstrahitur*. Tandem de die Communionis specialiter id probant, quia Oza 2. Reg. *cap.* 6. à Deo percussus est, quod Arcam tetigerit, cuius rationem reddunt Hebræi, quoniam *illa nocte ad vxorem accesserat; ergò multò magis illicitum erit ad Eucharistiam post copulam coniugalem accedere*.

Communis tamen opinio docet cum Scoto nostro d. 32. *q. vn. in solut. contra ad* 3. *princ.* & omnibus Scotistis ibidem, quod licet

licet consilium sit à copula coniugali abstinere in diebus festiuis, & præsertim quando sumenda est Eucharistia ratione tamen temporis præcisè neque venialiter illicitum est in ijs temporibus matrimonialiter copulari, ità etiam S. Bonau. *4. dist. 32. part. 3. quæst. 2.* & sequuntur Recentiores omnes communiter Sanchez, Tancred. Hurtad. Ponce, Auersa, Caspensis, & alij passim. Ratio est, quia nullum apparet sufficiens fundamentum talis prohibitionis, etenim ex natura rei, & ex reuerentia diebus sacris debita non sequitur, quod coniuges, à copula abstinere debeant alioquin sibi licita, quia simul possunt exercere alios sacros actus illis diebus conuenientes, Neque ad hoc obligat præceptum de colendis diebus festiuis, quia per tale præceptum operationes dùtaxat seruiles externæ prohibentur, nec finis præcepti, vt liberius vacetur Deo, cadit sub præcepto. Et quamuis valdè conueniens sit in die Communionis, & sumptionis Eucharistiæ coniuges abstinere à copula coniugali non solùm antecedenter, sed etiam consequenter ob nimiam mentis distractionem à spiritualibus ab ea causatam, idque semper sit consulendum; tamen absolutè loquendo nulla culpa est ea die ad Eucharistiam accedere. Quod si aliquando Patres dicunt non licere, exaggerando loquuntur, & dicunt non licere id, quod non decet, & ità de tempore sumptionis Eucharistiæ notauit Gloss. in cap. 1. Causa 33. q. 4.

Confirmatur, quia Apostolus, qui nuptias consulit propter fornicationem euitandam, & præcipit coniugibus sibi inuicem debitum reddere, nullum excipit tempus, in quo sit illicitum reddere, sed si orationis tempore abstinere velint debent ex consensu conuenire, vt patet ex eius verbis suprà relatis, vndè Doctor *loc. cit.* aduertit Apostolum non dicere absolutè abstinendum esse tempore sacro, sed consulit ad tempus, vt vacent orationi, & hoc ex communi consensu; ergo nisi adsit mutuus coniugum consensus, non solum non est illicitum in præfatis temporibus copulam habere, sed est illicitum eam negare ex doctrina illius.

546 Hinc inquit Bassolius, quod licet tempore sacro, & præsertim in die Communionis congruum sit non petere, tamè necessarium est reddere, quia hæc obligatio oritur ex ipsa lege iustitiæ, nec inuenitur, aliquod ius hunc casum excipiens; nec reddens, siuè petens propter hoc inhabilis est ad communicandum sic, quod peccet, sed verum est, quod non est sic habilis, & idoneus sicut si talem actum non exerceret, vndè nec prohibetur illo tempore petere, vel reddere, sed consulitur, vt magis congruum, quod abstineant, vt orationi vacent, sicut Apostolus dicit, & sic etiam inquit Doctor in solutione principalium, quod percepturus Eucharistiam debet abstinere à copula, vt cum maiori reuerentia sumat. Ex quo patet quid sit dicendum ad ea, quæ in oppositum sunt allata, nam ex Apostolo solùm habetur consilium, quod ad nullam culpam obligat, & similiter sacri Canones cum SS. Patribus loquuntur de consilio, vndè valdè pium erit & laudabile his diebus abstinere, sed de rigore etiamsi his diebus copula haberetur ex libidine, vel alia circumstantia vitiante, erit culpabilis solùm iuxta talem conditionem, non autem aliam malitiam habebit sacrilegij, vel irreuerentiæ ex circumstantia temporis sacri, nisi fortè id fieret ex contemptu, tunc enim planè esset peccatum mortale. Ad rationem respondetur vacare orationi in diebus festiuis esse finem præcepti, qui non cadit sub præcepto, sed tantùm sub consilio. Ad vltimum dicendum, non illam fuisse causam mortis Ozæ, sed quia cum sacerdos non esset, temerè Arcam tetigit, quod solis Sacerdotibus permittebatur, vt communiter Patres exponunt; vel vt ait Abulensis, quia modica reuerentia, & veluti rem profanam Arcam tetigit.

547 Hoc idem dubium mouetur etiam de actu coniugali, an scilicet sit licitus antè benedictiones nuptiales. Nec desunt, qui putauerint esse illicitum vel mortaliter, vel saltem venialiter, quia sic à Concil. Trident. statutum videtur *sess. 24. c. 1. de Matrimonio. Hortatur, vt coniuges antè benedictionem sacerdotalem in templo suscipiendam in eadem domo non cohabitent.* Communis tamen opinio docet non teneri coniuges per se loquendo abstinere à consummando matrimonio, antequam benedictionem suscipiant, sed ex conuenientia solùm talem benedictionem prius suscipere debere, ità Nauarrus, Sanchez, Hurtadus, Caspensis, Tancred. Pôce, Auersa, & alij passim Ratio est, quia nulla talis obligatio apparet, neque enim sacri Canones id determinant, & quamuis Trident. Concilium tanto studio suadeat, & hortetur, ne habeatur copula inter coniuges antè dictas benedictiones, non tamen præcipit, sed hortatur, & ideò obligationem non imponit, sed tantùm conuenientiam insinuat, ne antè præfatam benedictionem matrimonium consumment, vndè satis constat ad hoc coniuges non obligari saltem grauiter, & sub mortali; Addit tamen Auersa *q. 20. sec. 4.* quod ob conuenientem ordinem, si non occurrat aliqua iusta causa differendi benedictionem communiter erit veniale peccatum consummare matrimonium antè illam; sed si ista causa differendi occurrat, vtpotè quia matrimonium contractum est initio Aduentus, aut Quadragesimæ, & durum esse tamdiù differre matrimonij consummationem, poterunt coniuges in tali casu omni peccato excusari, tam mortali, quam veniali. Quod si antiquitus aliqua iura extiterunt, in quibus præceptum videtur, ne matrimonium antè benedictiones consummaretur, iam contraria consuetudine fuit abrogata, & noua lege Trident. cum solùm suadeat, & hortetur, vt matrimonium antè benedictiones non consummetur.

Tertiò est Difficultas, an vsus matrimonij sit aliquando illicitus ratione damni, & periculi, quod potest tunc imminere proli concipiendæ nempè tempore fluxus menstrui, quod singulis mensibus regulariter feminis accidit; vel quando vxor est grauida, vel quando infantem lactat. Quo ad primum conueniunt Doctores non esse illicitum vsum, quando fluxus menstruus præter naturam est perpetuus, & diuturnus, vt in quibusdam accidit, alias rarissimè coniuges possent vti iure suo, quod esset durissimum, & similiter quandò est necessarium ad vitandum dissidium inter ipsos coniuges, quia in eo casu bonum pacis excusat, est ergò difficultas, an sit illicitus vsus tempore fluxus naturalis menstrui, qui singulis mensibus feminis accidere solet; In quo puncto Antiquiores, & Recentiores in extremas abiere sententias, illi namque dixerunt semper in tali casu esse illicitum, nisi id fieret ad vitandum dictum dissidium, & plerique declarant esse culpam grauem, & mortalem. Ratio est, quia cum adest periculum grauis mali culpa læthalis est vxori copulari, at eo tempore periculum est ne fœtus concipiatur monstruosus, aut leprosus, vt Medici affirmant, quod est graue prolis damnum, non ergo tunc licet actus coniugalis, nec vir potest licitè exigere, nec fœmina reddere, quo ratione in lege veteri hoc prohibitum fuit Leu. 20. *Qui coierit cum muliere in fluxu menstruo, ipsaque aperuerit fontem sanguinis sui interficientur ambo.* Nec est probabile, inquit Scotus *d. 32. cit. sub ff.* quod in lege Euangelica, quæ est lex castitatis, sit minus prohibitum ad menstruatam accedere. Hinc etiam in Iure *cap. fin. d. 5.* habetur, quod *viri in consuetis menstrualibus vxores detinentur, viris suis misceri prohibentur*, ità Scotus loco citato D. Thomas, D. Bon. Riccardus, & alij Veteres Scotistæ, & Thomistæ. 548

549 Recentiores verò è contrà existimant nullam esse culpam eo tempore ad vxorem accedere, quia ex natura rei nullum imminet proli damnum, cùm rarò tunc concipiatur teste Arist. *lib. 1. de gen. animal. cap. 16.* & non constet plus eo tempore, quàm alio concipi cum vitio, & defectu prolis, vt experientia docet, & quandò ità esset, nulla tamen in eo fieret iniuria proli, quia melius adhuc esset ei sic nasci, quàm non nasci, cùm alio tempore non conciperetur idem numero fœtus. Neque talis actus esset illicitus ex eo, quod sit superfluus ad conceptionem, quia non est necesse, vt fiat semper ob prolis generationem, cum sint alij plures fines & honesti, ob quos fieri potest. Ex iure autem diuino veteri nulla iam extat obligatio, & præceptum illud, in quantum erat vltrà naturalem legem, & fuit cærimoniale, & iudiciale, quarè omninò cessauit; Et tandem in Iure Ecclesiastico *loc. cit.* solùm refertur antiquæ legis prohibitio ità D. Gregorio, nec de voto iniungitur, vel confirmatur. Hurtado, Nauarrus, Sanchez, Tancred. Ponce, Coninchius, & alij passim. Media sententia in hac re mihi statuenda videtur cum Auersa *q. 21. sec. 5.* per quam extremæ conciliari facilè poterunt, & dicendum etiam tempore fluxus menstrui licitam esse copulam coniugalem, & nullum esse peccatum occurrente iusta causa, vtpotè ad vitanda inter coniuges dissidia, & tandem incontinentiæ periculum, & in hoc sensu intelligenda est secunda sententia; Sed non occurrente vlla tali causa, sed solius voluptatis gratia, fore quidem peccatum saltem veniale, etiamsi actus coniugalis extrà tale tempus nullum esset peccatum ex eodem motiuo exercitus, adest enim tunc quædam specialis indecentia, & turpitudo, & nimia intemperantia, vt apparet.

parte nolle ad breue tempus actum illum differre, quæ quidem ratio sufficit ad hoc, vt vxor eo tempore requisita non teneatur reddere debitum, vt notat Auersa *loc. cit.* & Bonacina *q.4.punc.6.num.* 10. Et hoc solùm voluit innuere Scotus *loc. cit.* alium inquit rationes secundæ sententiæ non concluderet, quod mulier menstruata petere possit, vel reddere debeat, quia potest expectari breue tempus, quo menstruo cessante poterit generari prolis sana, & non leprosa, vel defectuosa, vt etiam ibidem Bassolius explicat, & discurrit, alioquin nimia intemperantia ostenditur, quæ saltem à veniali culpa excusari non potest, & idem sentire videtur Astesan. *lib.8.tit.*10.

550 De Tempore verò, quo vxor est grauida, D. Thomas, Alensis, Paludanus, & alij antiquiores putarunt saltem esse peccatum veniale ad vxorem accedere, & sequitur Põce *lib.* 10. *cap.* 14. quod probant ex D. Aug. de bono coniugali *cap.*6. vbi ait aliquos esse adeò incontinentes vt coniugibus nec grauidis parcant, & Hieron. *lib.*1. contrà Iouinianum inquit homines saltem pecudes imitari debere, & postquam venter vxoris intumuerit, abstinere, ne perdant filios, & sic etiam loquuntur alij Patres relati *cap. Si causa, & cap. Origo*. Quia ergo Patres id reprehendunt, & tamen tunc temporis frustratui sine generationis, ad quem ordinatur, dicunt tunc copulam esse illicitam saltem venialiter, ac etiam mortaliter, si sit periculum abortus prolis iam formatæ. Communis tamen sententia vltrò quidem concedit talem copulam esse illicitam etiam mortaliter, quando adsit periculum abortus prolis iam formatæ, idque non solùm ex parte petentis, sed etiam reddentis, nam hoc est directè contrà finem matrimonij, & infertur extremum damnum proli conceptæ; at citra hunc casum asserit nec veniale peccatum esse, quia nullo iure prohibitum est, nec opus est culpas multiplicare, vbi necessitas non cogit; & nimis durum esset coniuges obligare etiam sub veniali ad abstinendum tamdiù ab vsu coniugij; & quod effusio seminis eo tempore frustretur sine generationis non infert, vt sit illicita, quia potest ad alios fines honestos deseruire; ità Sanchez, Coninch. Tancred. Hurtad. Auersa, Caspensis, & alij passim; & sic præsertim ex nostris docet Orbellus 4. *d.*32. & Astesanus *lib.*8 *tit.*10. vbi ait etiam tunc temporis actum coniugalem esse licitum, cùm talis actus non tantùm sit in officium prolis procreandæ, sed etiam in remedium, quod ait intelligendum esse, nisi præsumeretur probabiliter de periculo partus, quia tunc exigens, & reddens mortaliter peccarent; sic etiam loquitur Brancatus noster *disp. cit. art.* 3. *num.* 85. & est expressa Scoti doctrina *d.* 32. *cit. sub lit. F.* Patres verò allegati loquuntur, quando est verisimile abortus periculum, vt constat ex verbis Hieronymi citatis, vel id reprehendunt, non quia illicitum, sed quia minùs perfectum; Vndè etiam textus allegati intelligi debent, vel quando adest abortus periculum, vel tantùm de consilio, si cut loquuntur Patres, ex quibus Canones illi fuere desumpti.

551 De Tempore tãdem, quo infans matris lacte nutritur, dixerunt aliqui tunc etiam illicitam esse copulam, & aliqui Iunistæ, specificant etiam sub mortali apud Auersam *loc. cit.* idem tenet Brancatus noster *art.*3. *cit. num.*90. vbi ait illicitam esse copulam cum vxore post partum antè pueri ablactationem, si ab ea sit Lactandus, quarè autem sit peccatum ait esse iudicandum à damno, & periculo, quod potest fœtus incurrere, & hoc probat ex *cap. fin. dist.* 5. vbi habetur *ad eius vero concubitum vir eius accedere non debet, quousque quis gignitur, ablactetur*; Et posteà *num.*96. subdit, quod licet puer detur alteri lactandus adhuc est prohibitum copulari cum puerpera, seù debitum petere, vel reddere toto tempore purgationum, & si adsit spes concipiendi, sub mortali, si verò non adsit talis spes, saltem sub veniali, nisi incontinentia excuset, quod rursus probat ex eodem *cap. final.* vbi ex D. Gregorio habetur *Quæ filios suos alijs nutriendos tradent, nisi purgationis prius tempus transierit, viris suis non debent admisceri*; Ergo à Pastore Ecclesiæ supremo est prohibitum. Attamen ab omni culpa excusant Sanchez, Tancred. Ponce, Auersa, Caspensis, & alij passim; quia non apparet notabile damnum imminere proli Lactanti, & ob aliquale damnum durissimum esse, ac innumeris peccatis expositum tamdiù coniuges arcere à coniugis congressu. Adhuc tamen addendum est, quod quandò probabiliter constaret de graui prolis periculo, tunc sanè à copula abstinere debebunt, nisi alia via proli iam natæ de alimenti subsidio prouideant; vndè limitant aliqui, nisi coniuges valdè sint inopes, nec alijs nutricibus alendum infantem tradere possint, quia in tali casu, si vxor concipiat, non habebit lac, quo filium alat, vndè sequeretur notabile prolis detrimentum; & iuxtà hæc accipienda sunt, quæ pro altera parte adducebantur ex *cap. final. dist.* 5. intelligenda enim sunt de debito congruitatis, & honestatis, non autem necessitatis.

Ex dictis etiam infertur quid dicendum sit de copula statim post partum habita antè purificationem ex sanguine, quia in hoc casu eodem modo iudicandum est, atque de ea, quæ cum vxore menstruata habetur; dici enim debet ex hac etiam parte nullum esse peccatum, si fortè veniale ex turpitudine quadam, & nimia intemperantia, quæ tunc apparet, si ob solam voluptatem eo tempore copula habeatur, & appetatur. Hæc refert, quod in lege veteri post partum vsque ad purificationem mulieris interdicta erat copula, & quadraginta diebus post edictum masculum, & octoginta post fœmineum, non poterat puerpera templum ingredi. Quia præceptum illud erat tantùm cærimoniale, ac proindè per successionem nouæ legis extinctum, vndè nec nunc tenentur mulieres tempus vllum expectare ad Ecclesiæ ingressum. Canon verò ille sumptus est ex D. Gregorio non præcipiente, tanquam Pontifice, sed loquente tanquam Doctore, & solùm per modum consilij, vt notat Auersa *quæst.*21. *cit. sec.*6. non quidem referendo ad dilationem, & purificationem antiquæ legis, sed ad naturalem mulieris purgationem; ex quo capite nec etiam oritur vlla moralis obligatio, nisi aliundè vitietur actus, vt idem Auctor aduertit, vt præsertim viciari potest ex quadam intemperantia, vt dicebamus de copula cum vxore menstruata, & multò magis, si valetudinis periculum immineat, & sic etiam Astesanus noster sentire videtur *lib.*8. *cit. tit.*10. *in fine.* 552

553 Quartò possunt occurrere peculiares quædam circumstantiæ in personis coniugatis, quæ reddant illicitum eis copulam alioquin sibi concessam, vt si quis talis corporis dispositione sit affectus, quod copula prudenter censeatur ei allatura vitæ periculum, aut notabile salutis detrimentum, redditur illicita copula; ità Scot. *d.* 32. *cit. sub lit. E.* in secūdo casu, quem proponit, quando nimirum coniux obligatur fortiori vinculo ad non reddendum, puta si vergat in detrimentum propriæ salutis, & incolumitatis, tenetur enim magis diligere propriam incolumitatem, quàm istud debitum reddere alteri coniugi; Et est res certa, & clara apud Doctores, non enim cuiquam licet suam prodigere vitam, & incolumitatem etiam prætextu conseruandæ speciei per generationem prolis, quia non desunt alij, per quos species conseruetur. Neque ad tale debitum reddendum tenetur ex iustitia in casu proposito, quia non tenetur debitor creditori cum notabili vitæ suæ detrimento reddere, quod propriæ suæ conseruationi est necessarium; neque ex charitate, quia quilibet habet debitum conseruandi propriam vitam in casibus, in quibus non est obligatio conseruandæ vitæ, inter quos nullo modo præsens casus annumerari potest. Idem dicendum existimant Sanch. Tancred. Auersa, Caspensis, & alij recentiores, si alter coniux morbo laboret contagioso, vt lepra, aut morbo gallico, quia quamuis licitè possit reddere, non tamen ad id obligatur cum tanto detrimento; Neque obstat, quod dicitur textum in *cap.*1. *&* 2. *de Coniug. leprosorum*, vbi præcipitur coniugem sanum leproso debitum reddere, quia intelligendum est, quando lepra non est contagiosa, secus quando imminet huiusmodi periculum infectionis, secus quando imminet huiusmodi periculum, non tamen si timeatur infectio tantùm proli, quia melius est proli infirmam nasci, vel leprosam, quàm penitus non esse. Verùm Doctor *d.*32. *sub lit. G.* ex vi textus censet teneri sanum reddere debitum leproso, quia nisi sit valdè magna lepra, non est periculum in transitoria redditione, sed tantùm in cohabitatione, quæ proindè ibi non præcipitur, quia ex illa facilè posset sanus infici, & suadet etiam ratio ipsa, quia notabile nimis præiudicium esset matrimonij, & continuum incontinentiæ periculum, si ille per totam vitam cogatur ab vsu coniugij abstinere. Et ità sentiunt Scotistæ omnes ibidem Bassolius, Orbellus, Anainus, Hiquæus, & Astesanus loco citato. Imò hoc etiam tenetur Auersa *q.*21. *sec.*7. & alij ex Aduersarijs, dùm dicunt, quia non censetur ex raro, & breui congressu imminere infectionis periculum, ideò sanum teneri aliquando reddere debitum leproso; Quarè concludit Orbellus *d.* 32. *art.* 5. 9. quod

quod si vnus coniugum lepram incurrat, consulendum est sano, & infirmo, vt voluntariè contineant; si autem non valent ad hoc induci, licet non teneantur cohabitare ob periculum infectionis, si tamen infirmus à sano debitum exigit, generali præcepto Apostoli quod exigitur est soluendum ex Canone citato, in reddendo enim aliquando debitum non est sic periculum de infectione, sicut in cohabitando, quia actus ille citò transit; & Astesanus ait, quod licet lepra obuiet cohabitationi, non tamen obligationi. Et de amente tandem, & furioso dicunt, si vnus coniugum sit sanus, & alter amens, quod habenti lucidum interuallum reddendum est debitum in illo interuallo; furioso autem existenti in furia non tenetur reddere, quia id fieri nequit sine propriæ personæ periculo, de quo plura videri possunt apud Brancatum *disp.39.art.5.*

554 Extamen aliqua Difficultas, an si coniuges sint nimis pauperes, & ad sustentationem numerosæ prolis inhabiles, an teneatur coniux ab altero requisitus debitum reddere, Sanchez *disp.29* & Coninch. *disp.34.* affirmant teneri, quia cum matrimonium ad multiplicationem prolis ordinetur, absurdum est ab eius obligatione excusari, ne proles multiplicetur, hoc enim directè opponitur fini præcipuo matrimonij. Verius tamen, & probabilius alij censent, dummodo incontinentiæ periculum absit licitè negari posse debitum, ne plures filij nascantur, quam parentes alere possint, quia nempè obligari non debent cum tanto grauamine, & incommodo ad tot filios alendos; Nec mirum dicunt esse debet, incommoditatem magnam alendi filios eximere ab obligatione reddendi debitum, nam etiam in alijs rebus moralibus aliorum debitorum solutio excusatur ob moralem impossibilitatem, & maximam soluendi difficultatem; ità Sotus, Lopez, Petrus Ledesma, Diana, Hurtad. Aueria, Caspensis, & alij passim, quia tamen addunt ex hac ratione inopiæ non reddi illicitam copulam inter coniuges, sed tantùm non debitam.

555 Quinto vlterius quæri solet, qua ratione actus coniugalis fiat illicitus ratione modi, aut situs, an scilicet vir cognoscēs vxorem modo non naturaliter assueto peccet mortaliter, & planè certum est, quod nisi fiat in vase naturali, & à natura ad hoc instituto est mortale peccatum, & nefandum scelus; Aduertendum est autem modum naturalem cōcubendi viri cum fœmina quoad situm esse, si mulier succuba, vir autem incubus sit, ac proindè omnem deuiationem ab isto modo concubendi aliquo modo naturæ aduersari, vt si coniuges à latere vel sedendo, vel stando coniungantur, vel si præposterè more pecudum, aut viro succubente. Et omnes Doctores conueniunt huiusmodi concubitus à modo naturali deuiantes esse culpam mortalem, quando est periculum probabile effusionis seminis extrà vas naturale, & legitimum, ne prodigatur semen à natura in generationem ordinatum, conueniunt etiam quod aliquando inuersio situs absque vlla culpa fieri potest, quando aliqua necessitas sic postulat, vt cùm dispositio corporis aliud non permittit propter pinguedinem viri, vel propter periculum suffocationis fœtus in prægnante; Sola igitur Difficultas est, an cessante hoc periculo, & non existente aliqua necessitate, ob quam situs consueti variatio, sit culpa mortalis, dùm vir conuerso situ, seruato tamen vase debito, vxorem cognoscit. Et prima sententia tenet esse culpam lethalem, maximè quando sit modo præpostero more brutorum, vel si vir succumbit, & mulier est incuba. Ratio vniuersalis est, quia quando variatur modus, aut situs naturalis sine vlla necessitate, tūc actus coniugalis est contrà naturam, vt potè contrà modum à natura præscriptum, in quo videtur esse, grauis inordinatio. Accedit Ratio particularis de modo præpostero, quia cum natura hunc modum bestijs præscripserit, vir eum appetens, & exercens, illis efficitur similis. Quod tandem addit, patet, si vir succumbat, quia hic modus ordini naturæ aduersatur, & valdè repugnat receptioni seminis in matricem, ac eius retentioni, vndè in tali casu etiam mulier ait peccatum mortale committi cùm illi frustretur intentio naturæ propter indispositionem matricis ad semen suscipiendum; ità Abulensis, Paludanus, Præpositus, Caietanus, Henriquez, Veracrux, & plures alij quos refert Sanchez *disp.16.*

556 Communis tamen, & retinenda sententia est variationem modi naturalis esse quidem illicitam, non tamen mortalem, quocumque modo fiat, siuè à latere, siuè sedēdo, siuè stādo, siuè præposterè, siuè viro succumbente, sed solum venialiter, quia nimirum adhuc ad generationem apta est, & inuersio situs non est grauis deordinatio, licet sit aliqua deordinatio, vt propterea sit culpa solùm venialis, non mortalis, dummodo absit periculum effusionis seminis extrà vas naturale; ità Sanchez, Ponce, Hurtad. Tancred. Henriquez, Caspensis, Toletus, Filliuccius, Armilla, Diana, Bonacina, Aueria, & ex nostris Brancatus, & Orbellus, & alij passim. Ratio est, quia nulla variatio modi naturalis obstat generationi, cùm effusionem seminis intrà vas naturale non impediat, ergo nulla est censenda grauiter inordinata, sed tantum venialiter, inordinatè enim delectationem quærere intrà matrimonij limites est tantum culpa venialis; probatur assumptum, quia variatio, quæ non impedit effusionem seminis intrà vas, non obstat generationi, nulla autem ex prædictis talem impedit infusionem intrà vas naturale, quia vt docet Arist. 2. *de gener. animal. cap.4.* semen non recipitur in matricem fœmineam per infusionem, seù descensum, sed per attractionem, eo quod in ea sit virtus naturalis semen attrahens, ac proindè nullus corporis situs in concubitu generationi obstat, nec in hoc frustratur intentio naturæ, vndè testatur Orbellus mulierem quandam à viro succumbente cognitam, quia paralyticus erat, & contractus, concepisse, ac proindè talis situs culpam lethalem non constituit, cùm adhuc seruetur finis matrimonij legitimus, qui est posse prolem concipi; Ex eo autem, quod actus coniugalis fiat variato modo naturali, non est contrà naturam quoad substantiam, cùm fiat adhuc intrà legitimum vas, & naturale, vt notat Hurtad. *disp.10. diffic.5.* sed tantùm est contra naturam quoad modum, & taliter, vt non impediatur generatio, in quo non cernitur grauis inordinatio, sed tantùm leuis, à qua etiam facilè excusabit ægritudo, aut corporis dispositio, aut alia rationabilis causa modum naturalem concubendi difficulter admittens.

Hinc patet ad rationes in oppositum pro prima opinione adductas; Ad primam negatur assumptum, quia prædictus situs variatio præter modum naturalem non est contrà naturam quoad substantiam, nec contrà naturam quoad modum itaut impediatur generatio prolis, quæ est præcipuus & per se matrimonij finis, & ideò in ea non cernitur grauis inordinatio, quæ mortalem culpam inducat, sed tantum venialem. Ad secundum de modo concubendi præpostero, vtique negari nequit sic concumbentem bestijs esse similem, quæ eo modo coniunguntur, & ideò increpandi sunt coniuges illo modo, & absque necessitate coeuntes; quia tamen id est tantùm in quodam modo accidentali, ideò culpa lethalis censeri non debet, sed tantùm venialis. Ad tertiam de viro succumbente dicendum similiter, quod talis variatio modi naturalis in actu coniugali non est contrà naturam quoad substantiam, cùm fiat intrà legitimum vas, & absque effusione seminis extrà illud quantùm sufficit ad generationem, sed tantùm est contra naturam quoad modum, & taliter, vt non impediatur generatio; dixi autem quantùm sufficit ad generationem, quia vt notat Ponce *lib.10.cap.11.* nec etiam est peccatum mortale, etiamsi ex eo quod variatur modus naturalis, elabatur aliqua pars seminis, dummodò alia retineatur. 557

Sextò tandem est Difficultas, An coniugi illicitè petenti possit licitè reddi; videtur enim, quod si vir mortale peccet debitum exigendo, etiam mulier mortaliter peccet reddendo, quia consentit peccato viri, cum actio viri, & redditio mulieris inseparabiliter annectantur; Pro intelligentia difficultatis notandum est Doctores in hoc conuenire, in ijs casibus, in quibus vnus coniugum impeditur petere, posse sine dubio alter, ab eo licitè petere, quotiescunque voluerit, quantumuis sciat impedimentum illius, non enim ipse vllo modo ligatur alieno impedimento, nec illum inducit ad peccatum, quia ille reddendo non peccat, & ita ambo rem licitam faciunt. Conueniunt insuper, quod quando actus coniugalis, qui exigitur, est illicitus exigenti ratione alicuius circumstantiæ se tenentis immediatè ex parte ipsius actus, vt si sine necessitate petat debitum in loco sacro, aut quando copula est grauiter noxia alterutri coniugi, aut proli iam conceptæ, tunc sic illicitè exigenti id est exigenti actum illicitum nō potest licitè reddi, quia tunc actus coniugalis, qui exigitur, est absolutè, & ratione sui illicitus, ac proindè illicitus exigenti, & alteri, & ideò hic alter nequit licitè reddere, sicut nec alter petere; Quarè est solùm difficultas, an quando actus coniugalis est illicitus exigenti ratione alicuius circumstantiæ, quæ non afficiat ipsum actum 558

actum externum secundum se, sed solam personam exigentis, vt quia hæc voluit continentiam, aut quia ex malo fine debitum petit; an inquam, in tali casu debitum licitè reddi possit ab altero coniuge.

559 Aliqui absolutè dixerunt nec etiam in tali casu posse licitè reddi, quia tunc reddens cooperatur peccato exigentis, ità Rubion *4.d.32.quæst.2.art.2.* Vgolinus trac. de matrimonio, & alij antiquiores. Alij verò dixerunt tunc licitè reddi posse, quia tunc actus tamen est illicitus exigenti, non alteri reddenti, cum enim actus ille non sit ex natura sua illicitus, sed ex circumstantia se tenente ex parte exigentis, idem met actus, vt se tenet ex parte coniugis reddentis in quo non reperitur aliqua circumstantia vitians, erit licitus, imò & debitus ex iustitia, nisi illicitè petens sit etiam priuatus iure suo, quia in tali casu esto alter possit licitè reddere, non tamen tenetur ex iustitia, ità Sanchez, & Tancred. *Lib. 9. disp.6.* Coninch. *disp.34.dub.4.* Bonacina *quæst.4.punct.3.* & alij Recentiores. Verum quantumuis hic dicendi modus sit probabilis, tamen difficultate non caret, quia circumstantia illa, quæ se tenet ex parte personæ exigentis vitiat actum prout hic, & nunc fit, quia petit id, quod necessario malè faciendum est, si fiat, nam illa circumstantia vitiat non solùm petitionem, sed etiam vsum petentis, qui vsui alter cooperatur reddens; ergo qui cooperatur vsui corporis cum petente impedito v.g. voto peccat, sicut qui cœnam ieiunanti parat, aut carnes in die Veneris peccat, quamuis hæc omnia non sint secundum se mala, sed tantùm ex circumstantia personæ.

560 Quarè melior, & facilior mihi videtur in hac difficultate regula assignata à Poncio *lib.9.cap.3.* Hurtad. *disp. 10. diffic. 13.* Caspensi *disp.9.sect.8.* & alijs Recentioribus, quam desumpserunt ex Orbello nostro *4.d.32.§.V.* & est talis, quod quando petitio hic, & nunc non potest licitè fieri, tunc illicitā etiam esse redditionem, sed quando potest licitè fieri, & ex mera voluntate petentis illicitè fit, nempè quia fit ob malum finem, cùm posset fieri ob bonum, tunc licitam, ac debitam esse redditionem; Quando ergò exigens illicitè, exigit illicitè ratione alicuius, quod iam quandò illicitè exigitur, non subest libertati exigentis, vt se possit ab eo liberare, vt quando exigit illicitè, quia anteà votum emisit, aut quia anteà cum coniuge affinitatem contraxit, eo quod personam eius consanguineam cognouit, sic illicitè exigenti non potest licitè reddi, quia id esset cooperari actui, qui non nisi malè fieri potest, & hic, & nunc non potest non esse peccatum. At verò illicitè petenti ratione alicuius, quod quandò exigitur, subest libertati exigentis, potest licitè reddi, vt cùm petit ex prauo fine, quia in eo casu cooperatur actui, quem ille hic, & nunc potest benè exercere, & sua culpa facit malè quia petit ex aliqua causa, quam ipse tollere potest, remouere ab eadem petitione, & ideò reddenti non imputatur eius peccatum; Ità discurrunt Auctores citati, quod & exemplis declarant, quia hac ratione non peccat, quia petit Sacramentum Cōfessionis à Sacerdote, quem scit esse in peccato mortali, quia potest ille habere actum contritionis, quo dignè ministret, & sua culpa non habet; similiter non peccat, qui petit mutuum ab Vsurario, quem scit exacturum vsuras, quia ille petit tantùm mutuationem pecuniæ, quam posset benè exercere. Et hoc eodem modo rem anteà declarauit Orbellus *loc. cit.* soluens argumentum ab initio difficultatis propositum, quia illorum, quæ inseparabiliter annectuntur, vnum potest esse virtuosum, licet aliud sit vitiosum, sicut illatio passionis Christi erat vitiosa, tolerantia autem virtuosa, & licet Deus vellet, secundum, primum tamen sibi multum displicebat; sic igitur in proposito mulier non consentit malæ actioni viri, licet velit debiti redditionem, nam quoties petitur actus ab aliquo, qui hic, & nunc non potest fieri ab eo benè, peccat qui exigit, & alter etiam cooperatur peccato illius, at cùm potest fieri benè, & culpa petentis fit malè, alter non peccat, nec peccato illius cooperatur.

QVÆSTIO VIGESIMASECVNDA.

De Diuortio, & separatione coniugum.

561 DIuortium dicitur, vel à diuersitate mentium, vel quia hi, qui matrimonium distrahunt, in diuersas partes eunt, vt notat Astesanus noster *lib.8.tit.36.* vndè definitur, quod sit *legitima viri ab vxore, vel è conuersò separatio ff. de Diuortijs l.1.* & dicitur separatio legitima, quia sine lege, vel ratione fieri non debet. Potest autem sumi tripliciter, primò pro dissolutione matrimonij quoad vinculum, itaut omninò dissoluatur, ac si nullum esset, & de dissolutione matrimonij in hoc sensu, qualiter possit, vel non possit interuenire apud coniuges satis tractauimus suprà *q.6. huius disp.* de Indissolubilitate, & perpetuitate Matrimonij. Secundò sumi potest pro dissolutione matrimonij quoad torum idest quoad copulam carnalem tantùm, & in hoc sensu de diuortio in præsenti non loquimur, quia ex dictis in præcedenti quæstione satis constat quando, & quomodo liceat facere diuortium quoad torum denegando debitum. Tertiò tandem sumitur pro dissolutione matrimonij quoad torum, & habitationem simul integro tamen permanente vinculo, quo sensu communiter à Theologis vsurpatur, & à Concil. Trid. *sess. 24. Can. 8.* dùm ait *Si quis dixerit Ecclesiam errare cùm ob multas causas separationem inter Coniuges quo ad torum, & cohabitationem ad certum, incertumue tempus fieri posse decernit, anathema sit.* In hac igitur quæstione videndum est, qualiter possit vnus coniux ab altero separari, & recedere ob illius delictum, & copulam etiam eo inuito; nam qualiter possint coniuges per professionem religiosam, aut susceptionem ordinis separari iam diximus *q. 6. cit. art. 2.* & conueniunt etiam Doctores posse coniuges ex mutuo consensu, secluso incontinentiæ periculo, toro separari aut ad tempus, aut in perpetuum, vt melius Deo seruiant, aut ob aliam honestam causam; imò posse etiam continentiam vouere, quamuis neuter Religionem ingrediatur; Hic igitur inquirendæ sunt causæ, ob quas diuortium quoad torum, & habitationem licitè fieri possit aut in perpetuum, aut ad tempus ob delictum, & culpam alterius coniugis, hoc etiam maximè propriè diuortium appellatur.

ARTICVLVS PRIMVS.

An, & qualiter possit vnus Coniux facere ab altero diuortium ob illius adulterium.

PRimò certum est apud Doctores, quod licet adulterium non sit causa sufficiens faciendi diuortium quoad vinculum inter coniuges, vt dictum est *q.6.* de matrimonij indissolubilitate, nihilominus est causa sufficiens diuortij perpetui quoad torum, & habitationem; Et hoc ostenditur ex triplici iure, naturali, diuino, & Ecclesiastico; naturali quidem, quia hoc totum oritur ex natura ipsius contractus coniugalis, vt coniugi, qui non seruauit matrimonij fidem, alter non debeat præstare coniugale commercium, fides autem data in matrimonio perfectè violatur per fornicationē, & commixtionem carnalem cum alio, quam cum proprio coniuge, coniuges enim matrimonium ineunt, vt per illud fiant vna caro ex 2. Genes. diuidit autem carnem coniux ille, qui cum alio commiscetur. Idem concessum est etiam iure diuino, vt patet ex Euang. Math. 5. & 19. *Omnis qui dimiserit vxorem suam excepta fornicationis causa &c.* quod non intelligitur quoad vinculi solutionem, vt loc. cit. dictum est, sed tantùm quoad diuortium, de quo nunc est sermo, quoad torum scilicet & cohabitationem, & tandem hoc etiam statutum est iure Ecclesiastico *cap. Significasti cap. Gaudemus c. Ex literis de Diuortijs, & alijs Canonibus,* quos refert Bracatus ... sster *disp.42.art.3.* Astesanus *lib.8.tit.36.* & Recentiores ... assim. Suntque in hac re æquales tam vir, quam vxor ... eodem modo ob adulterium mariti potest ab eo separari, vt communiter docent Doctores contrà Caietanum, quia vterque sibi mutuò obligatur ex iustitiam ad finem seruandam, vt probat Orbellus noster *4.d.35.q.2.* ex *cap. Si quis vxorem 32.q.2.* Ex natura matrimonij etiam hoc deducitur, quia re vera, etiam vir adulterando frangit coniugij fidem, atque adeò iustam causam vxori præbet denegandi illi deinceps coniugale commercium, & licet grauior iniuria, & iniuria matrimonij læsio ab vxore adultera inferatur contra virum, eiusdem tamen speciei iniuria infertur vxori à viro adultero, nec magis, & minus variant speciem, & ideò eandem causam diuortij præbet vir vxori adulterando, & fidem coniugalem frangendo.

Secundo conueniunt Doctores, nomine adulterij, quod sufficientem diuortij causam præbet, præsertim copulam consummatam intelligi, quæ ex natura sua habilis sit ad generationem, qualis est vxoris cum alio viro, vel viri cum alia fœmi- 563

fœmina. Sed quia alia etiam peccata contrà coniugij fidem committi solent, nempè vel non consummata, sed per solos actus impudicos cum alia habitos, vel consummata contrà ordinem naturalem, vt pollutio extrà vas, Sodomia, & Bestialitas, hinc controuertunt, núm hæc etiam ad diuortium sufficiant, itaut sub adulterij nomine comprehendi possint. Prima Opinio satis communis, & probabilis affirmat copulam sodomiticam cum tertia persona habitam, ac etiam Bestialitatem ad diuortium sufficere, atq; adeò sub nomine fornicationis, & adulterij comprehendi; Fundamentum est, quia per Sodomiam, aut Bestialitatem non minus frangitur fides coniugi, quàm per copulam naturalem cum tertia persona habitam, nam ille actus carnalis frangit fidem, qui carnem vnius coniugis ab alio diuidit; talis autem est sodomia ab vno coniuge habita cum tertia persona, nam carnem suam vxor, vel vir in tali casu alteri iungit, licet modo innaturali; & idem etiam de peccato Bestialitatis censendum est, quandò enim vnus coniugum diuertit ad vnionem carnalem cum bestia, separat se à carne alterius coniugis, & frangit fidem ei datam; & planè si ob adulterium, seu fornicationem potest dimitti vxor, eo quod carnem cum alio participat contrà fidem datam, multò magis asserendum est hoc etiam fieri posse ob hanc nefandam participationem. Alia verò facta carnalia coniugum cum tertia persona, siuè etiam cum bestia, siuè sint tactus impudici siuè oscula, siuè etiam polluitiones, si non sint cum copula, gratis concedit hæc opinio ad faciendum diuortium non sufficere, quia in his actibus non diuiditur caro, tunc enim vnus coniugum carnem ab alio diuidit, quando facit vnitatem carnis cum tertio, at per quoscunq; actus impudicos seclusa copula carnali, non facit vnitatem cum alio; ergo neque diuisionem a proprio, ità significarunt D. Thomas, D. Bonauentura, Riccardus, Durandus, & alij antiquiores 4. d. 35. q. 2. & sequuntur plures Recentiores, Sanchez, Tancred. Hurtad. Coninch. Bonacina, Stephanus à S. Gregorio, & Iuristæ, ac Summistæ passim, & ex nostris Brancatius *disp. 42. cit. art. 3.*

564 Alia Opinio negat ob hæc peccata luxuriæ posse dari diuortium, & ratio est, quia Christus Dominus in verbis Matth. *cit.* tantùm ob adulterium permisit diuortium, & non ob alia luxuriæ peccata, & cùm simus in lege pœnali, mitior interpretatio sumenda est, atque ideò dicendum hæc alia peccata præter copulam adulterinam generationi aptam non sufficere simpliciter ad diuortium, ità Abulensis, Palacios, Innocentius, Cardinalis, & alij ex Iuristis, quos sequuntur, & referunt Ponce *l. 9. c. 17.* & Auersa *q. 23. sect. 1.* & quidem hæc etiam sententia sua probabilitate non caret; Si enim concedit prima opinio nec etiam pollutionem habitam cum tertia persona, dummodò non adsit copula, & intrà vas fœminis effusio, ad diuortium sufficere, quia adhuc non est diuisio carnis suæ in alterum per copulam, & concubitum; ità etiam concedere debet ob eandem rationem nec copulam sodomiticam cùm tertia persona habitam, & cum effusione fœminis intrà vas innaturale sufficere ad diuortium, quia vt arguit Auersa *loc. cit.* licet hæc sit copula consummata, & sit effusio carnis suæ in alterum, tamen non est copula ad generationem per se habilis, propriè autem illa adulterina copula iustam diuortij causam præbet, quia vnus coniux posset prolem gignere cum alia persona, & in domum, & familiam prolem adulterinam inducere. Consquia sicut hæc sola copula fundare affinitatem sufficit, & in viro bigamiæ irregularitatem inducere, & non alia quæcunque, ita etiam illa sola videtur ad diuortium sufficere. Denique si prima opinio admittit quamcumq; pollutionem extrà vas, & cum quibuscunq; tactibus ad diuortium non sufficere, etiamsi in eo tali peccato adsit specialis malitia, ac deformitas contrà fidem matrimonij, sic pariter id admittere poterit de copula in vase innaturali, vel cum bestia, quia in tali copula non adest habilitas ad prolem gignendam; Quibus rationibus conuicti plures primæ sententiæ Doctores concedunt hanc etiam secundam esse valdè probabilem, sicut gratis concedunt non per omne peccatum contrà fidem matrimonij perpetratum licitum esse diuortium.

565 Tertiò disputant Doctores núm possit coniux ab adultero diuortium facere propria auctoritate, vel indigeat Iudicis sententia. Et communiter in hoc conuenire videtur, quod quando coniux physicè, vel moraliter certus est de alterius adulterio, licitè, & iustè propria auctoritate, & absq; alia Iudicis sententia potest facere diuortium quoad torum coniugalem denegando; hęc enim est conditio per se inclu-

Mast. in Quart. Sentent.

sa in coniugali contractu, vt suprà dictum est, vt intantum vnus coniugum teneatur alteri fidē seruare in reddendo debito, inquantum alter illi fidem seruauerit in non habendo copula cum alia persona, & ideò tali conditione non adimpleta, eo ipso soluitur à debito coniugali reddendo; cùm ergo denegatio, sicut, & debiti redditio sit ex se actio priuata, & occulta, benè poterit priuata auctoritate, & absq; alia Iudicis sententia transigi. Tota difficultas est de diuortio quoad separationem habitationis, & est satis communis opinio posse coniugem læsum propria auctoritate diuortium etiā quoad habitationem ad adultero facere, quando adulterium est publicum, & notorium, non verò si sit occultum, ità D. Antonin. Maior, Palud. Ponce, Hurtad. Coninch. Caspensis, & alij Recentiores, & ex nostris Orbellus *4. d. 35. q. 2.* pro quo citat Hostiensem, & Innocentium, & probant ex *c. Significasti de* Diuortijs, vbi dicitur *Si notorium est mulierem ipsam adulterium commisisse, ad eam recipiendam vir cogi non debet*, & ratione etiam suadent, quia vbi crimen est occultum, nō est in vulgus prodendum, quod accideret, si ob occultum adulterium diuortium fieret, & publica pœna ob occultum crimen non est imponenda, nec priuatus quisquam potest in facie Reipublicæ sibi ius dicere, & exequi absque officio veri Iudicis; at vbi factum est notorium, cessat scandalum aliorum, & coniux ipse læsus eodem diuino, & humano iure videtur auctoritatem habere faciendi diuortium, dicitur autem adulterium tunc esse notorium, vel quando publicè coniux moratur cum adultero, vel quando probationes sunt in promptu contrà nocentem, vt cōmuniter Doctores docent, quādò igitur adulterium non est ità publicū, licet possit vir vxorem dimittere quantum ad torū, si sit certus de eius fornicatione, non tamē quoad cohabitatione sine iudicio Ecclesiæ. 566

Alia sententia asserit, per se loquendo non posse coniugem læsum propria auctoritate diuortium facere quoad domum, & habitationem ab adultero inuito, siuè crimē sit occultum, siuè publicum, sed potiùs sententia Iudicis indigere; ità D. Thomas, D. Bonauentura, Riccardus, Durandus 4. d. 35. Beccanus, Belarminus, Castro, Graffius, & alij, quos refert, & sequitur Auersa *q. 23. sec. 2.* Quod probant, quia actio dimittendi, aut deserendi coniugem est ex genere suo actio publica, & ad externam gubernationem pertinens, ac proindè non sine perturbatione Reipublicæ à priuato propria auctoritate vsurpati potest, & eo magis, quia matrimonium coram facie Ecclesiæ contrahitur, quæ quidem solemnitas ex decreto Tridentini est necessaria ad valorem, & anteà ex sacris Canonibus erat saltem iniuncta ex præcepto; ergo diuortium quoad publicam separationem non nisi ex iudicio Ecclesiæ fieri debet.

Confirmatur, quia vel coniux alter consentit quoque diuortio, seù non reclamat contra alium diuertere tentantem; vel iste non consentit, sed renuit, & reclamat; si primum, tunc quidem ex hoc capite licitè, & iustè diuortium fieri potest, quia scienti, & volenti non fit iniuria; si secundum, tunc non potest coniux læsus propria auctoritate coniugem delinquentem dimittere è domo, vel deserere, vt apertè deducitur ex cap. *Porrò* de Diuortijs in casu simili de parentela, & affinitate. Denique vel adulterium erat occultum, vel notorium, si primum, eò magis non debet, nec iustè potest coniux læsus propria auctoritate publicè alterum dimittere, vel deserere, quia id moraliter sine scandalo populi, & infamia alterius contingere nequit, dùm matrimonium erat notum, & publicum; si verò adulterium erat publicum, ipsa facti publicitas non per hoc præbet ius coniugi læso, vt propria auctoritate sibi sententiam ferat, & in facie Reipublicæ delinquentem è domo expellat, vel recedendo diuortium faciat, sed dùm alter non obstante publicitate reclamat, nec separationi consentit, sanè adhuc oportet, vt sit iudicium, res deducatur, & per legitimas probationes diuortij sententia à Iudice obtineatur, qui interim coniugem diuortium tentantem compellere debet, vt alterum in consortio retineat, donec diuortij sententia proferatur.

567 Media sententia inter prædictas nobis statuenda videtur, nempè per se loquendo non posse coniugem læsum propria auctoritate diuortium quoad domum, & habitationem facere ab adultero inuito, sed ad hoc sententiam Iudicis necessariam esse, hoc enim optimè conuincunt rationes pro secunda sententia adductæ, quod nimirum siuè adulterium sit publicum, siuè occultū, notum tamen sufficienter innocenti, hic non potest auctoritate propria ratione illius præcisè diuertere, quod præter rationes adductas pluribus etiā textibus Ca-

Canon ostendit Brancatus noster *disp.42.cit.art.9.§.2.* Si tamen præter adulterium siuè publicum, siuè occultum, adsit etiam alia causa coniuncta, vt sæuitia, vel insidiæ mortis, alteriusuè grauis damni, & imminens sit periculum, potest innocens propria auctoritate diuortium facere, non quidem ratione adulterij præcisè inspecti, sed ratione istius causæ annexæ, vt idem Auctor aduertit ibidem; in hoc enim casu charitas propria vrget ad sui conseruationem iure naturæ, nullius Iudicis expectata sententia, quia periculum imminens id non permittit, maximè cum in his casibus diuortium fiat ad tempus, quousque scilicet periculum durat, vt patebit *art. seq.* Neque id negarent Auctores secundæ sententiæ, nam quando dicunt non posse coniugem læsum propria auctoritate diuortium facere, hoc intelligunt per se loquendo, & ratione adulterij præcisè considerati, non autem per accidens, & ratione alterius annexi.

568 Rursus satis probabile puto cum Sanchez, Tancred. Coninch. Hurtad. & eodem Brancato *loc. cit.* si adulterium occultum, notum tamen sufficienter innocenti, adhuc in foro conscientiæ esse ei licitum propria auctoritate diuortium facere, si hoc sine scandalo fieri possit, & manifestatione diuortij, vt fiet si vir migret in Prouinciam, vbi matrimonij ignoratur, nam Iudicis auctoritas tantùm est necessaria ad vitandum scandalum, quando absque ea vitari nō potest. Nec vrget instantia Auersæ *loc. cit.* impossibilem esse casum diuertendi absque publicitate, & scandalo, quia cùm coniux separatur ab alio, & separatus permanet, iam res fit publica, & vicini, alijque id scientes statim arguerent ex adulterio iam cognito id processisse, atque ità hæc separatio non esset in foro conscientiæ, sed externo. Hæc, inquam, instantia non vrget, quia vt Brancatus ait, potest diuortium accidere sine publicitate, & scandalo, si innocens assumpta occasione honesta peregrinationis, vel negotiorum, in regionem longinquam recederet, tunc enim nulla esset publicitas, vel scandalum, imò hoc modo consuleretur famæ adulteræ, & quieti innocentis, qui domi manens continuò suspectus esse de perseuerantia coniugis in adulterio; Item in regionibus, in quibus matrimonium clandestinum toleratur, vel etiam si factum sit in facie Ecclesiæ, tamen Sacerdos assistens, testes, & alij, qui fuerunt præsentes, mortui sunt, & liber in quo matrimonia describuntur, & notantur, non inueniatur, in his enim casibus licet coniuges separati essent,

569 nulla tamen adesset publicitas, & scandalum nullum.

Quartò disputant Doctores, an vir non solum possit, sed etiam teneatur dimittere vxorem adulterantem, & in adulterio persistentē, nam non teneri dimittere vxorem adulteram iam emendatam omnes concedunt. Prima sententia communis antiquorum affirmat, quando vxor in adulterijs perseuerat, teneri virum mediante diuortio eam dimittere, & alioquin mortaliter peccare, quia non dimittendo suo crimini consentire videtur, ità D. Thom. D. Bonau. Riccardus, Durandus, Paludanus, Orbellus *4.d. 35.* & alij veteres ibidē; Fundamētum sumunt ex cap. *Si vir* vbi dicitur. *Si vir sciens vxorem suam deliquisse, & in fornicatione permanere cū ea viuat, reus erit, & peccati particeps*, & ex lib. 6. Constit. cap. 14. vbi etiam dicitur: *Qui retinet eam, quæ legem naturæ violauit, legis violator est*, & hoc idem deduci videtur ex illo Prouerb. 8. *Qui autem tenet adulteram stultus est, & insipiēs.* Ex duplici autem capite de iure naturali hanc obligationem deducunt, nempè ex debito correctionis fraternæ ad procurandam proximi correctionem, & eo magis personæ sibi subditæ, cum vxor subdatur viro; & ex debito vitandi scan-

570 dali, ne videatur maritus flagitijs vxoris consentire.

Secunda sententia communis Recentiorum negat virum teneri dimittere vxorem etiam in adultero persistentem, quod deducunt ex capit. *Quemadmodum 25. de iureiurando §. vlt.* ità Sanchez, Tancred. Coninch. Hurtad. Auersa, Caspensis, & alij Recentiores passim, quod etiam satis euidenter probant; quia non tenetur ratione adulterij, cum id remittere possit ex cap. cit. *Quemadmodum.* Nec ratione correctionis fraternæ, quia huic obligationi satisfacere potest eam admonendo, & moderatè puniendo; Nec ratione scandali, quod nullum erit, si crimen sit occultum, aut si publicum sit, sufficiet publicè conari eam emendare, ne crimini consentire videatur; Quod si adhuc aliqui eum consentire suspicentur, erit scandalum acceptum, non datum, quod vitare non tenetur cum tanto incommodo; vxorem enim dimittere est medium viro nimis incommodum, quia sic teneretur vitam cælibem ducere, & solus domum regere, & eius infamia manifestior fiet; imò id vxori est periculosius, quia vxor, quæ sæpè reprehensa, & punita non emendatur, liberius viuet si dimittatur; Nec obstant, quæ pro prima sententia adducuntur, nam textus illis loquuntur, quando vir pacificè, & quietè cum vxore adultera cohabitat, tunc enim occasionem præbet suspicandi ipsum conniuere, & adulterio vxoris patrocinari, si cum ipsa inhonestè viuente cohabitet; Loquuntur etiam in casu, quod dimissio sit apta ad emendationem absque inconueniente, & ad dictam suspicionem euitandam, & marito non sit valdè incommoda; quando enim non sit aliud medium præter diuortium ad emendationem sufficiens, & ad prædictam suspicionem tollendam, tunc vtique tenetur eam dimittere, quod tamen rarò contingit, & in hoc sensu procedit prima opinio, & loquuntur D. Thomas, & D. Bonau. & alij antiquiores; non autem quandò dimissio est valdè incommoda marito, & ei imminet periculum incontinentiæ, quia in eo casu strictius, & prius est præceptum de salute propria, quàm de aliena, & hoc modo prædictæ sententiæ Antiquorum, & Recentiorum conciliari possunt; Ex quo etiam deducitur multò minus teneri vxorem maritum dimittere adulterum, & in adulterio persistentem, quia ea dimissio est vxori maximè incommoda ratione periculi incontinentiæ, neque est apta ad emendationem mariti; nec teneri ratione vitandi suspicionem consensus, quia rarò præsumitur vxor in adulterium viri consentire.

Quintò tandem disputant Doctores, an facto diuortio li- 571
citum sit vtrique coniugi mutare statum; & quidem conueniunt coniugem innocentem post diuortium ritè factum ob adulterum, etiam altero inuito, posse Castitatem vouere sacris initiari, & Religionem ingredi, quia tunc innocens ità est in perpetuum ab altero solutus quoad torum, & cohabitationem, ac si alter mortuus esset, & ità apertè definitum est in iure cap. *Agathosa 27. q. 2. cap. Constitutus & cap. Commemoras* de Conuers. Coniugat. Difficultas tamen est, an liceat etiam coniugi adultero mutare statum post factum diuortium per Iudicis sententiam ingrediendo religionem, vel ordines suscipiendo. Affirmant aliqui etiam inuito, & renitente coniuge innocente, vel saltem licere inscio, & inconsulto innocente, quamuis non eo inuito, admittunt Paludanus, Henriquez, Angles, & quidam alij. Communis tamen sententia docet coniugem adulterum non posse altero inconsulto, & tantò minus inuito, etiamsi separatio facta sit per iudicis sententiam, quia lata fuit in fauorem innocentis, non verò in fauorem nocentis, ac proindè quoties innocens velit, alter manet obligatus, & ad ipsum reuocandus; Vndè adulter inuito, & inconsulto innocenti ad Religionem transire nequit, nec sacris initiari, aut castitatem vouere; & si professus sit, vel sacris initiatus, vel votum emiserit, ab innocente reuocari potest, & votum irritari, contrà enim ius coniugis innocentis professio, & votum non valet. Benè tamen poterit adulter mutare statum de licentia, & consensu innocentis, quia iam eo ipso innocens cedit iuri suo declarando se non curare reconciliari, & coniugale consortium instaurare; Et ad hoc sufficit licentia tacita idest si innocens sciat alterum velle mutare statum, & potens reclamare non contradicat, nec resistat. Ità Sanchez, Tancred. Coninch. Hurtad. Caspensis, & alij passim.

Hoc tamen totum intelligendum est, vt declarat Auersa 572
q. 2. sect. 8. quandò adhuc innocens statum non mutauit, si enim tunc repugnet mutationi alterius, velitque reconciliationem acceptare tenetur, nec etiam tunc temporis poterit adulter mutare statum inscio, & inconsulto innocente, quia cùm sic ius habeat matrimonium instaurandi per reconciliationem, debet adulter explorare, an alter velit; Sed postquam innocens statum mutauit idest professionem in Religione emisit, vel sacrum ordinem suscepit, poterit pariter ipse adulter statum mutare, quia iam non potest amplius reuocari, & ad reconciliationem inuitari; Imò addunt alij, & quidem satis rationabiliter, quando adhuc innocens statum non mutauit posse etiam adulterum mutare statum, si innocens matrimonius reconciliari recuset, nec licentiam, & consensum alterius mutationi concedere velit, & id dicunt apertè haberi ex cap. *Gaudemus de Conuers. Coniugat.* quia nempè non est rationabile, vt innocens ità suspensum tenere velit alterum, nec volens ad coniugale consortium eum reuocare post emendationem, nec permittere, vt alium statum assumat; ità Coninch. Sanchez, Petrus Ledesma, Bonacina, Regi-

Reginaldus, Filliucius, Diana, Auersa, & plures alij, & ex nostris præsertim Brancatus *disp. cit. art. 11. §. 2.* vbi fusè de hac materia tractat, & in hoc sensu fortè locuti sunt, & intellexerunt Auctores primæ sententiæ, dùm asserebant posse coniugem adulterum mutare statum, etiam inuito, & renitente innocente; & hoc etiam docet Orbellus noster 4. *dist. 35. q. 2.*

ARTICVLVS SECVNDVS.

An adulterium sit semper causa sufficiens ad diuortium.

573 DOctrina generalis tradita *art. præced.* de diuortio, quod vnus coniugum ab alio iustè, & licitè facere potest ob eius adulterium plures limitationes, & exceptiones habet, quia plures sunt casus, in quibus non potest adultera à viro accusari, vel dimitti, vt notat Orbellus *loc. cit.* licet de quibusdam aliqua sit inter Doctores controuersia.

Primò itaque conueniunt Doctores adulterium non sufficere ad diuortium, quando adulterium commissum est sine culpa coniugis adulteri, tunc enim non licebit alteri diuortium facere, non solùm quoad separationem habitationis, sed nec etiam licebit negare debitum, siquidem nec per viam pœnæ, nec conuentionis debet hæc priuatio habere locum, vbi non est culpa; id autem contingere potest, quando vxor probabiliter credens virum mortuum alteri nubit, nam in hoc casu non potest ob adulterium à coniuge superueniente dimitti, quia re vera non est culpa formaliter adulterij, & fractæ fidei, vt habetur ex *cap. Si Virgo* 34. q. 2. & ea fornicationis culpa non fuit formaliter iniuriosa viro, qui putabatur defunctus, & ibidem habetur ex *cap. cum per bellicam* ibidem, quia per talem ignorantiam, ac bonam fidem excusatur culpa. Similiter si vxor cognita sit per fraudem ab aliquo se virum eius simulante, puta si ad mulierem noctu quis accedat sub specie mariti, aut ad virum alia mulier sub specie vxoris ex *cap. In lectum* 34. q. 2. & ratio est, quia etiam talis ignorantia tollit voluntarium, & culpam excusat. Tandem idem dicendum, si per vim cognita ab alio fuerit, & compressa, dummodò illata vis reddat omninò copulam inuoluntariam, quia tunc nullam formalem iniuriam infert, neque formale adulterium committit; & ità habetur ex *cap. Ita* 32. q. 5. quia non est peccatum, nisi voluntarium, & liberum, ità communiter Doctores Theologi, & Canonistæ, de quo plura vide apud Brancatum nostrum *disp. 42. art. 6. §. 1.*

574 Secundò conueniunt Doctores, adulterium non sufficere ad diuortium, si vir sit causa fornicationis vxoris, vt si eam prostituat, siuè lenocinium exerceat, ità habetur ex *cap. Discretionem*: De eo qui cognouit consanguineam; Quod verum est siuè inuitam prostituat, siuè volentem, hoc est, quando mulier etiam libenter, & spontè consentit, & quando volente adulterare vir ipse consentit, vt contrà quosdam antiquiores docent Sanch. Tancr. Coninch. Ponce, Hurtad. Auersa, Caspensis, Branc. noster, & alij Recentiores communiter, & ratio est, quia est semper particeps eiusdem culpæ, & colligitur ex verbis citati Canonis, dùm additur *præter voluntatem* quia per hæc verba supponitur id etiam esse verum, quando non prostituitur inuita; Et eodem modo nec post mulier diuortium facere à viro, in cuius adulterium ipsa consensit, quia eadem prorsus est decisio iuris, & ratio, iustum non est, vt vir obijciat vxori, vel è contrà, adulterium consensu ipsius factum, & vt ob id debitum neget; Et idem dicendum si vir adulterij conscius non prohibeat, cum posse absque graui damno, censetur enim consentire quando potens prohibere non prohibet, siue iustam causam non habere ad non prohibendum, & ità habetur ex *L. 3. C. Ad legem Iuliam de adulterijs*, quia in tali casu ità se habet, ac si positiuè consentit, etenim hoc modo tacitè, & factis ipsis consentit, ac licentiam vxori adulterandi concedit. Secus dicendum de vxore putant Sanchez, Tancred. Caspensis, & alij, si conscia sit adulterij viri, & non prohibeat, nec tamen positiuè consentiat, volunt enim adhuc simpliciter diuortium facere posse, quia communiter vxores non audent reprehendere viros; & cùm vxor sit inferior, ac proinde non sit eius officium prohibere viri delicta, eius taciturnitas non reputatur consensus, sicut in viro. Auersa tamen q. 23. *sect. 3.* eandem censet esse rationem de vxore respectu viri, licet enim in regimine domus sit ei subiecta, est tamen par illi quoad debitum coniugalis fidei, ac

Abb. in Quart. Sentent.

pariter eius officium est viri adulterium, suiq; iniuriam prohibere, si potest, pari enim modo ab Apostolo dictum est *Vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*; licet ergò difficilius, & rarius contingat, vt vxor possit prohibere, & impedire virum, casu tamen, quo commodè possit, si non impediat, videtur quoque tacitè consentire; & certè inquit Auersa, fœmina quæ tali sensu, & animo vigeat, vt audeat à viro ob eius adulterium recedere, vel debitum denegare, multò promptius audere poterat reprehendere virum, quando fructum sine suo damno sperabat.

Tertiò conueniunt Doctores, adulterium non sufficere ad diuortium, quando ab vtroque coniuge commissum est, 575 vt constat ex *cap. Significasti* 4. de Diuortijs, in tali enim casu neuter tuta conscientia potest alterum dimittere, quia iniuria vni facta compensatur iniuria ei ab altero facta; & quamuis aliqui Iuristæ dixerint opus esse, quod vtriusq; coniugis delicta sint numero, & grauitate paria ad hoc, vt de rigore fiat delictorum compensatio, quia hæc ratio in iure redditur *loc. cit. Quod paria delicta mutua compensatione tolluntur*; Theologi tamen communiter asserunt ad compensationem sufficere quodcunque alterius delictum, quod per se præbuisset sufficientem diuortij causam, & sic intelligi paria delicta idest pariter per se sufficientia ad diuortium, ità Scotus, Paludanus, Gabriel, Palatius, Tabiena, Sanchez, Hurtadus, Caspensis, Auersa, Ponce, Coninch. & alij Recentiores passim. Vndè non sufficit quod vnus vnicum tantùm commiserit adulterium, & alius plura, non sufficit, inquam, vt qui vnum tantùm commisit possit diuertere ab altero, qui plura commisit; nec quod vnus tantùm secretò, alter verò publicè adulterauerit, quia pares sunt quoad hoc, quod est esse infideles, & fidei fractores, & dedisse causam ad diuortium sufficientem, & benè potest adulter publicus opponere consorti volenti diuortium facere, seù neganti debitum, simile delictum sibi notum, quamuis apud alios occultum, & ità illum compensationis lege adstringere, dummodo tamen de simili consortis adulterio sit certus, alioquin si certus non sit, non potest ad compensationem adstringere, quia vt iura loquuntur certi ad incertum, & liquidi ad illiquidum compensatio fieri non debet. Denique non sufficit, vt vnus sit emendatus, & alter in adulterio persistat, vt dixerunt Paludanus, Antoninus, & alij quidem, quia emendatio iniuriam illatam non aufert, vt ait Ponce *lib. 9. c. 17.* Hurtad. *disp. 21. diffic. 3.* & plures alij.

Et hoc verum esse dicunt, quamuis emendatus admoneat, seù inducat alterum ad emendationem, & ad reconciliationem, quia ea inuitatione non extinguitur iniuria inuitato illata, nam ea inuitatio, seù inductio non est satisfactio pro illa. Verùm melius respondent alij cum D. Bonau. 4. d. 35. in expositione literæ posse in tali casu emendatum petere diuortium à non emendato, quando illum admonuit, vt se corrigeret, & nihilominus se corrigere noluit, sed denuo in adulterium lapsus est. Ratio est, quia mediante admonitione coniux correctus, & emendatus suum declarat animum & reditum ad primum statum, & ius acquirit, & præteritis delictis terminum compensationis imponit, ideoque ad-deinceps se habet ad instar innocentis; quarè ab altero iustè tunc huc in suo crimine perseuerante, & contumaci obstaculo poterit diuortium facere absq; compensationis adulterium. 576 Confirmatur à simili, quia si ambo coniuges in adulterium lapsi essent, & post adulterium reconciliati fuissent, vno eorum relabente, posset alter diuortium facere, vt concedit Hurtadus *loc. cit.* ex communi Doctorum sententia; sed hoc idem accidit in præsenti casu, nam quando coniux emendatus corrigit alterum, & admonet, offert illi reconciliationem, nec potest alter amplius ei opponere adulterium commissum, de quo pœnituit, & iam est emendatus; ergo si alter post admonitionem emendari recusat, potest emendatus ab eo diuertere, Ità Sanchez, Tancred. Coninch. Reginald. Henriquez, Petrus Ledesma, Auersa, Bonacina, & alij.

577 Quartò neque adulterium sufficit ad diuortium, si innocens post diuortium factum adulteret, tunc enim innocens posteà factus nocens alterum emendatum tenetur admittere, quia iniuria sibi facta sufficienter compensatur per adulterium posteà à se contrà alterum commissum, ità Coninchius, Hurtadus, Auersa, Caspensis, & alij contra Sanchez, Tancred. & Rebel. Quod verum esse dicunt, quamuis adulterium sit factum per sententiam Iudicis. Ratio est, quia etiam post sententiam semper manet vinculum matrimonij, & tenetur alter quamuis dimisso seruare

fidem; quarè etiam post sententiam innocens adulterando coniugi dimisso iniuriam infert, qua posteà compensatur iniuria iam ipsi innocenti facta à dimisso, & consequenter ius anteà innocentis persistendi absque altero cessat, nam per sententiam non acquisiuit ius adulterandi, sed tantum per eam declaratum fuit, quod habebat ius diuertendi ab altero, quia sententia ius sancit, non crimina souet; ergo verè iniuriam intulit, & consequenter est compensanda, quia quamuis sententia lata sit, illa tamen respexit tantum statum præsentem, iuxtà quem lata est, & ideò non tollit reo ius compensationis, si innocens in futurum fiat nocens; Quia quoad hanc partem nunquam hæc sententia in rem iudicatam transire censetur, quasi oppugnari nequeat, & rescindi, sed semper coniux condemnatus audiri debebit, & veris probationibus adductis alterius delicti absolui, & remitti.

578 Ex quo infertur enim, qui adulterium commisit post diuortij sententiam nondum mutato statu, teneri reconciliare sibi coniugem dimissum, etiamsi ad hoc à Iudice non compellatur; Quod si statum mutasset per professionem in religione, vel ordinum susceptionem, nec tenetur, nec potest iam redire, cùm Religio iam in Religiosum ius acquisierit, quod strictius est iure coniugis dimissi; Dixi, si commisit adulterium post diuortij sententiam, quia si anteà commissum fuisset, & solùm post sententiam latam detectum, rescinditur diuortium, & compensantur delicta, & debebit tam in foro externo, quàm interno matrimonium restaurari, & sententia diuortij, à Iudice lata rescindi; & coniux dimissus ad dimittentem reduci; sicut etiam sententia dissolutionis matrimonij ex aliquo capite nullitatis nunquam in rem iudicatam transire censetur, sed semper poterit detecta veritate in pristinum reuocari. Quod etiam verum est, si coniux qui diuortium petijt, & obtinuit, interim statum mutasset profitendo in Religione approbata, vel sacrum Ordinem suscipiendo, debebit enim adhuc, veritate posteà detecta, restitui alteri coniugi eum repetenti, quia nempè professio illa fuit simpliciter nulla, & irrita, ità D. Th. 4.d.35.& D. Bonau. ibidem in expositione literæ, & alij communiter de quo plura videri possunt apud Brancatum nostrum *disp.42.cit.art.6.* §.4. vbi ex professo de hoc tractat, & apud Auersam q.23. *sect.*4.

579 Quintò prætereà conueniunt Doctores neque adulterium sufficere ad diuortium, quando iniuria adultero remissa est, in hoc enim casu innocens ab adultero recedere non potest, quia tali remissione cedit iuri suo discedendi; Hæc autem remissio fieri potest vel expressè, vt quando expressè se remittere affirmat, vel tacitè, vt quando coniux adulterij conscius ad adulteram liberè accedit petendo, vel reddendo debitum, vel illam adhuc retinet, vel recipit, cùm illam anteà dimisisset, hæc enim omnia sufficiens remissionis signum censentur, & condonationis: secus autem est, si hæc faceret adulterij ignarus, aut non omninò voluntariè, & libere, sed causa redimendæ alicuius vexationis, tunc enim non censetur remittere, quia tunc accessus non est sufficiens remissionis signum, vt quandò vxor metu mariti, aut precepto Iudicis ad hæc compellitur, antequam adulterium probare possit: ità Sanchez, Tancred. Coninch. Hurtadus, Caspensis, & alij passim.

580 Sextò tandem dubitatur, an coniux ab adultero diuortium facere possit, si per aliquam iniuriam occasionem dederit alteri adulterandi, vt si vir aliquid faciat vxori molestum, & iniuriosum, ex quo facto vxor occasionem sumat adulterandi vt potè eam iniustè expellendo, aut alimentis necessarijs non prouidendo aut debitum negando. Affirmant plures posse in tali casu diuortium facere quia non dedit in hoc casu vxori causam, & occasionem proximam adulterandi, sed tantùm remotam, quia nec expressè, nec tacitè concessit ei facultatem adulterandi, & vxor ad fornicandum nulla ratione induci debet, quin potius omnia mala perpeti, quàm fornicari, quia fornicatio semper est illicita; & ità videtur expressè decisum cap. *significasti* de Diuortijs, vbi permittitur viro diuortium ab vxore, quæ asserebat se ab ipso iniustè dimissam, & eundem sibi materiam adulterandi dedisse, & cap. seq. *ex litteris* vbi excusatio vxoris non admittitur, ità Sanchez, Tancred. Coninch. Henriquez, Petrus Ledesma, Reginaldus, Gutierez, Hurtadus, Caspensis, Bonacina, & plures alij. Ex opposito virum, qui negando debitum dedit vxori occasionem adulterandi non posse indè diuortium facere docent Bartol. Ledesma Angelus, & alij Summistæ, videturque expressum de iure 37. q.2. *cap. Si tu abstines sine vxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam, & peccatum illius tue imputabitur abstinentiæ.* Similiter quando vxor post fugam à sæuitia viri fornicatur, idem docent Couar. Lopez, Lupus, Tiraquel. & alij Iuristæ.

Mihi in hoc dubio cum distinctione procedendum vide- 581
tur cum Auersa q.23. *sect.* hoc modo, quod si vir rationabiliter præuideat vxorem ab ipso vexatam, & malè tractatam in hoc crimen facilè lapsuram esse, tunc ob huiusmodi lapsum iustam diuortij causam non habere, quia in tali casu planè se habet sicut consentiens, siuè permittens, siquidem ei licentiam fornicandi ex parte sua dedisse censetur, cùm impedire posset, ac teneretur vxoris lapsum, quarè cùm ipse quoque sit eius culpæ reus, & particeps, non poterit ex huiusmodi causa iustè diuortium facere, & in hoc sensu vera est secunda sententia, & in cap. *Si tu abstines* negatio debiti vocatur fornicandi licentia, & neganti debitum imputatur alterius peccatum, quando scilicet hoc rationabiliter præuisum est, seù præuideri debuit. Si autem rationabiliter non præuideat vir, aut reputet vxorem fornicaturam, dicendum est cum prima sententia habere adhuc ius faciendi diuortium ab vxore adultera, quamuis ad id inducta ab occasione sibi à viro data, quia nempè sola iniuria viri in alio genere, quam adulterij, non facit compensationem cum vxoris adulterio, nec illa excusat, quo minus iustam viro causam dederit faciendi ab illa diuortium, ob fractionem fidei coniugalis; & in hoc sensu in *cap. Significasti, & cap. Ex litteris* non amittit vir ius faciendi diuortium ab vxore adulterante occasione iniustæ expulsionis, aut defectu debitæ prouisionis, quantum scilicet est ex vi huius iniuriæ, aut defectus, secluta tamen præuisione, & permissione viri de lapsu vxoris; Et totum quod dicitur de viro respectu vxoris, pariter intelligendum est de vxore respectu viri, cùm quoad hoc sit vtriusque par ratio.

ARTICVLVS TERTIVS.

An Diuortium fieri possit ob alias causas ab adulterio distinctas.

NOn defuerunt Hæretici, qui dixerint ob nullam aliam 582
causam præter carnale adulterium licere diuortium, ita enim expressè sumi videtur ex ipsis Christi verbis Math.5. & 19. vbi specialiter dixit non licere viro dimittere vxorem suam *excepta fornicationis causa*. Catholici tamen conueniunt contrà Hæreticos coniugem posse etiam ob alias causas ab adulterio distinctas ab altero separari quoad torum, & cohabitationem, licet non in perpetuum, vt fieri potest ob fornicationem, ità definitum est in Trident. *sess.* 24. *can.*8. & constat ex *cap. Ex transmissa* 8. & ex *cap. Litteris* 13. de restitut. spoliatorum. Christus autem *loc. cit.* duplici de causa solam excepit fornicationem, vel adulterium, vt Beccanus aduertit *c.*49. *q.*1. Vna est, quia Christus de dimissione perpetua loquebatur, non autem ad certum tempus, nulla autem potest esse causa perpetui diuortij, nisi fornicatio, nam ob cætera crimina non fit diuortium, nisi pro eo tempore, quo ipsa crimina durant, & tali causa cessante, cessat diuortium, & ratio est, quia fornicatio per se opponitur matrimonio, & ideò statim, ac coniux datam fidem alteri frangit à iure coniugij eo ipso cadit, nec amplius vllum ius habet in coniugem, quod de alijs criminibus dici non potest. Altera causa est, quia sola fornicatio est propria ratio solutionis matrimonij, cæteræ autem communes sunt matrimonio cum alijs omnibus confœderationibus, nam ob hæresim, vel inductionem ad peccatum non solùm separati debet coniux à coniuge, sed etiam filius à Patre, frater à fratre, & seruus à Domino; cùm ergo sola fornicatio fidei coniugali, & substantiæ ipsius matrimonij directè opponatur, cætera autem crimina per accidens ad matrimonium se habeant, ideò Christus de sola fornicatione locutus est *loc. cit.*

Plures autem solent assignari causæ sufficientes præter 583
adulterium ad faciendum diuortium quoad torum, & habitationem, non quidem in perpetuum, sed quamdiù ipsæ causæ durant, & ad duo capita generalia reduci possint, quia Doctores communiter affirmant, & deducitur ex prædictis capitibus iuris coniugē posse ab altero separari, primò quando cohabitare nequit cū illo sine graui animæ periculo, deindè quando nequit habitare cū eo etiam absq; graui corporis

ris periculo, quod etiam ratione suadetur, quia consentaneum nō est, nec ratio exigit, vt cum tanto detrimento animæ, vel corporis obligationi cohabitandi satisfiat, ac proindè iure naturali separari licet; vndè cessante dicto periculo ad cohabitationem redeundom est, quia ob illud tantùm coniux à cohabitatione excusabatur, quarè tali causa, cessante, etiam diuortium cessare debet; Ex quo deducitur primò coniugem posse separari ab altero, quando ab eò prouocatur, & inducitur ad peccandom mortaliter, & admonitus non desistit à prouocando, & instigando, in hoc enim casu coniux instigatos timens sibi lapsum recedere potest, quia non tenetur cum altero coniuge cum tāto periculo permanere. Secundò posse separari, quando alter labitur in hæresim, vel apostasiam, quia semper ex cohabitatione cum eo perseuerante in hæresi, aut in apostasia est periculum aliquod infectionis tam coniugi innocenti, quàm proli, & constat ex c. *De illa 6. de Diuortijs*, & *cap. Idolatria*, lapsus enim in hæresim, vel infidelitatem est quædam fornicatio spiritualis, ob quam licitum est facere diuortium, sicut licitum est ob fornicationem carnalem. Tertiò posse coniugem ab alio separari, quando ob eius furiam, aut sæuitiam timet sibi graue aliquod damnum, quod virum constantem terreat, vel ob morbum contagiosum, quia ratio non exigit, vt cum tanto detrimento obligationi naturali cohabitandi satisfiat. Quartò tandem separari posse, quando alter est veneficus, quia venefici sæpè etiam coniunctissimi grauiter nocent, vtpotè qui Dæmonis consilio agunt.

584 Docét autem communiter Doctores sub nomine sæuitiæ venire omnem metum damni notabilis cadentem in constantem virum, vt periculum vitæ, crudelem castigationem, molestam cohabitationem, discordias, & iurgia grauia; item coniugale debitum per vim extortum tempore, quo vxor ob infirmitatem nō tenebatur, quando tamen id esset cum graui vxoris damno, vt cum periculo grauis infirmitatis; secus autem, quando dicta grauamina non essent adeò periculosa, nec maritus illa faceret, nisi ad vxoris correctionem; etsi dicta grauamina non timerentur etiam in futuro, non essent sufficiens causa diuortij, sed quia regulariter loquendo semper talis timor adest, ideò diuortium licitè fieri posset, nisi daretur sufficiens securitatis cautio. Item hæc sæuitia ad diuortium sufficiens præsumi potest, quādiù vir retinet domi concubinam, vel extrà domum, & consequenter vxor ob hanc causam potest à viro recedere, donec vir sufficientem dederit cautionem eam expellendi, illamque non recipiendi in futurum; nam retentio concubinæ est causa sæuitiæ; & plurium molestiarum inter coniuges. Item non solùm sæuitia viri, sed etiam parentum ipsius est iusta causa faciendi diuortium, & petendi cautionem securitatis, & in casu, quo cautio sufficiens non reperiatur tam in hoc, quàm in alijs omnibus casibus, sententia diuortij à Iudice pronuncianda est ex *cap. Litteras in fi. de restit. spoliat.* Rursus ad sæuitiam reduci potest, si vir inebriari soleat cum periculo vitæ, vel grauis damni vxori, vel bona omnia, vel maiorem partem ludo, & conuiuijs dissipare, & profundere velit, & de facto id exequi incæperit hoc enim est graue coniugis innocentis, & prolis damnum nec facilè tolerādum. Tandem cuiuslibet mali grauis, siuè in corpore, siuè in bonis inductio, & periculum ad sæuitiam reduci potest, & sufficiens diuortij causa censeri. Quando autem sit graue damnum, & timor iustus in virum constantem cadens, ex prudentum consilio est pensandum, non autem ex proprio arbitrio, si coniux ex se, non expectata Iudicis sententia, ob imminens periculum recedere velit, vt fieri posse iam dictum est, si verò iuris ordine seruato diuertendum est, Iudex ipse qualitatem damni, & iusti timoris liberare debebit. Ità Sanch. Nauar. Coninch. Henriquez, Tancred. Auersa, Hurtad. Bonacina, Stefanus à S. Greg. Brancatus noster, & alij Doctores passim tàm Theologi, quàm Canonistæ.

585 Aduertendum tamen est, vt ab initio articuli dicebamus, & communiter Doctores notant, in nullo ex dictis casibus posse per se separationem fieri in perpetuum, sed tantùm quamdiù durat prædictum periculum, quia ob illud dumtaxat vnus coniugum à cohabitatione cum altero excusatur ideoque eo cessante periculo ad cohabitationem rursus reuerti tenetur. Hoc tamen limitandum est, nisi in hæresis, in hoc enim peculiari dispositione decretum est *cap. De illa 6. de Diuortijs*, quod si Hæreticus fuerit iudicio Ecclesiæ separatus, siuè condemnatus, tunc coniux etiam emendatum non tenetur recipere; Quia in pœnam hæresis omninò suo iure priuatur, quod habebat, vt alter sibi cohabitaret, & debitum redderet, solo matrimonij vinculo remanēte; & quidem merito, quia tunc ob perpetuam infamiam graue nimis esset, & infame innocenti, alteri coniugi adhærere. Nec obstat, quod supradictum est ex verbis Christi Matth. 5. & 19. coniugem non posse dimitti, subintellige in perpetuum, nisi ob fornicationem, quia aduertunt Coninch. *disp. 35. dub.* 4. & Hurtad. *disp. 11. diffic.* 5. ibi agitur tantùm de dimissione, quam ex iure naturali, & ex vi contractus coniugalis coniuges per se facere possunt, attenta enim matrimonij natura dimissio in perpetuum fieri nequit, nisi ob solam fornicationem, qua fides coniugalis violatur; non autem ibi sermo est de dimissione, qua etiam in perpetuum Iudex infligere potest ob grauitatem criminis, qualis est hæresis, Cùm enim Iudex hæreticum omnibus bonis priuare possit, atque etiam vita, sic pariter hæreticum priuare poterit iure, quod habet in coniugem ad secum cohabitandum, & innocenti licentiam præbere dimittendi illum in perpetuum.

Quæres, an facto diuortio ex prædictis causis ab adulterio distinctis licita sit mutatio status. Plura circà hoc punctum dici solent à Doctoribus tam Canonistis, quàm Theologis, quæ breuiter hic referemus, & resoluemus; Primò si diuortium fiat causa hæresis, diuertens ab hęretico per iudicium Ecclesiæ potest eo conuerso, vel non conuerso etiam inuito mutare statum, vel per Religionis ingressum, vel per sacrorum ordinum susceptionem, ità plures Theologi, & Canonistæ, quos refert, & sequitur Sanchez *lib. 10. disput.* 11. & 15. cum Tancred. ibidem, & habetur expressè ex *cap. final. de Conuersione Coniugat.* vbi Gregorius Nonus ità disposuit in odium hæresis, vt fideles eam abhorreant; Hæreticus autem coniux per sententiam Ecclesiæ, vel alio modo dimissus etiamsi conuertatur ad fidem; non potest statum mutare nisi alter mutauerit, vel si non mutauerit, saltem consenserit; si enim non potest adulter dimissus etiam pœnitens, & emendatus mutare statum inscio, vel inuito innocente, saltem intrà biennium à iure ciuili taxatum, eo quia per diuortium ius, & dominium innocentis non amittitur vt dictum est suprà *num.* 571. tanto minus id facere poterit hæreticus conuersus nam diuortium ex adulterio ex sui natura, & Christi confirmatione est perpetuum, si innocens reconciliari noluerit non sic diuortium ex heresi, sed tantùm ex iure Ecclesiastico *cap. cit. De illa* 6. de Diuortijs. Secundò, si diuortium fiat ex sæuitia coniugis, & absolutè, ac iudicio Ecclesiæ, non verò ad tempus satis probabile est innocentem posse mutare statum per Religionis ingressum, vel sacri Ordinis susceptionem; ita etiam Sanchez *lib. 10. disp.* 18. Tancred. *ibid.* Ponce *lib. 9. cap. 23.* Auersa *q. 23. sec. vlt.* & alij ratio est, quia per sententiam diuortij absolutam innocens à seruitute sæui coniugis liberatur, vt possit se disponere quoad actus continentiæ, in hoc enim ius diuortij consistit, & in contractu matrimonij semper hæc conditionalis subintelligitur, vt scilicet contrahentes cohabitare non debeant, & indiuiduam agere vitam cum tanto periculo. Tertiò, si diuortium fiat absolutè iudicio Ecclesiæ ex causis criminum cū inductione ad malum, quando nempè coniux criminosus inductēs est incorrigibilis, probabile etiam est innocentem posse mutare statum; ità Auctores citati, & Brancat. noster *disp. 42. ar.* 13. & probatur eisdem rationibus, quia non est maior ratio de diuortio ex causa hæresis, & sæuitiæ, quàm ex ista, sicut enim permittitur ob periculum inductionis ad malum, vt in causa hæresis fiat diuortium; ità in odium huius pessimæ conditionis, nempè criminosis scandalum in coniuge inducentis debet permitti, vt probata per Ecclesiam incorrigibilitate, & lata absoluti diuortij sententia, in pœnam criminosi possit innocens statum mutare, siquidem eadem ratio in vtroq; casu militare videtur. Quartò si diuortium fiat iudicio Ecclesiæ ex causa furoris perpetui existimati, & cū periculo sani, satis quoque probabile est hunc posse mutare statum post sententiam absolutam, nam in contractu matrimonij, vt dictum est, semper hæc conditionalis subintelligitur, vt non debeant contrahentes cohabitare, & indiuiduam vitam ducere cum tanto periculo; Secus verò dicendum, si sententia sit ad tempus quousque scilicet furia cesset, nam si furia non sit insanabilis nullo modo sanus recedere potest, & statum mutare, neque potest intercedere iudicium Ecclesiæ, nisi de diuortio ad tempus. Tandem supposito diuortio per sententiam Ecclesiæ absoluto, & non ad tempus in præfatis causis culpabilibus, vt sæuitiæ, & criminositatis, dùm delinquens emendatur, non potest 586

mutare

mutare statum inscio, vel inuito innocente, nisi hic quoque statum mutauerit, vel transacto biennio ab emendatione, commonitus matrimonium instaurare noluerit, ita Auctores omnes suprà citati, & satis constat ex dictis *art. 1. huius q. n.575.* vbi idem statuimus de diuortio causâ adulterij facto.

587 Quæres, an vno coniuge mutante statum ob diuortium, alter etiam mutare debeat. Ratio dubitandi est, quia in textu Canonico sæpè statuitur non posse ex coniugibus partem conuerti, & partem in sæculo manere, vt habetur in *cap. Quia Agatho* Causa 27. *quæst.* 2. *& tit. de Conuersatis coniug. cap.* 3. *& 4. & in cap. Vxoratus*, *& in cap. Ad Apostolicam*, & alibi frequenter. Communis tamen sententia est, si innocens mutet statum per Religionis ingressum, vel Ordinum susceptionem, aut etiam nocens iam emendatus, & conuersus statum mutet in casu à lege permisso scilicet altero commonito, & consentiente, vel conniuente, alterum in sæculo remanentem non teneri mutare statum, sed tantùm debere continentiam vouere, hoc est, eo viuente non nubere, nec ad secundas transire nuptias; & ità expressè habetur ex Causa 32. *quæst.* 7. per plura illius quæstionis capita, in quibus decernitur, quod per diuortium non soluitur vnquam matrimonij vinculum iam consummati, etiamsi alteruter coniux ad Religionem transeat ex alterius consensu. Neque obstat textus in contrarium adducti, quia vt notat Brãcatus noster *disp. 42. art. ar. vlt.* non loquuntur in casu matrimonij violati per adulterium, & diuortij ex ea causa, vel alia sufficienti iam secuti, sed in casu matrimonij integri, immaculati, & puri cum integritate iurium vtriusque coniugis, non autem separati per diuortium, & cum libertate saltem alterutrius; & quidem in casu integritatis præfatæ non potest pars conuerti, & pars non conuerti, benè tamen in casu separationis coniugum factæ per diuortium.

588 Quæres tandem, quis esse debeat Iudex ordinarius causarum matrimonialium. Respondetur esse debere Iudicem Ecclesiasticum, vt decernit Concilium Trident. *sess.* 24. *can.* 12. his verbis: *Si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad Iudices Ecclesiasticos, anathema sit.* Et hoc intelligendum est de matrimonio fidelium, & baptizatorum, nam respectu matrimonij infidelium Principes sæculares auctoritatem habent, cùm non sit sacramentum, nec res spiritualis, sed purus contractus ciuilis, & temporalis, vndè benè possunt illis præscribere formam contractus coniugalis, & matrimonij, illiusque impedimenta constituere, Principes siquidem sæculares potestatem habent suprà cõtractus ciuiles, & possunt præscribere formam, sub qua celebrandi sunt, vt communiter docent Doctores de impedimẽtis matrimonij tractantes Sanchez, Tancred. Perez, Coninch. Bonacina, Filliucius, Stephanus à S. Greg. & alij passim; Causæ autem matrimoniales intelliguntur illæ, quæ necessariò respiciunt matrimonium, vel ex ipso oriuntur, & istæ inter fideles, & gremio Ecclesiæ ad Iudicem Ecclesiasticum spectant, excipitur tamen causa dotis donationis inter virum, & vxorem, alimentorum, & similium, quæ etiam ad Iudicem sæcularem spectare possunt, vt notant præfati Auctores. Ex quo infertur diuortium perpetuum in foro externo, ex quacunque causa proueniat, fieri non posse, nisi auctoritate Iudicis Ecclesiastici, sic docent omnes Theologi 4. *d.* 35. D. Thomas, D. Bon. Riccardus, & omnes Sententiarij cum Magistro ibidem, sic etiam Canonistæ omnes in *cap. Porrò*, *& cap. De illa* de Diuortijs, & in cap. *Sæculares* causa 33. q. 1. *& in cap. Multorum causa* 35. q. 6.

Et hæc de Magno Matrimonij sacramento dicta sufficiant, ac de cæteris Ecclesiæ sacramentis, de quibus plura, & copiosiora videre cupiẽtes iuxta præsertim nostræ Scholæ doctrinam ex antiquioribus Summam Astesani legant in duas partes, vel tomos distributam; ex Recentioribus verò Brancatum nostrum, qui Tomos tres integros de Sacramentis in lucem edidit. Hi namque Scotistæ non solùm, vt Theologi, sed etiam vt in Iure Canonico peritissimi, hæc omnia tractant, & planè incuriam non semel sum admiratus Superiorum Seraphicæ Religionis nostræ in tota sua amplitudine, quod præfatam Astesani summam anno 1480. impressam adeò refertam, & copiosam, vt nihil ferè in Recentioribus legatur, quod in ea non reperiatur, nunquam per tot annorum spatium denuò imprimere studuerint, vtpotè semper morum reformationi incumbentes, studiorum verò nunquam, cum tamen in ijs quoque præcipua pars honoris, & decoris Seraphicæ Religionis consistat. Post igitur integrum totius Philosophiæ, & Metaphysicæ cursum iam pridem in Lucem editum iuxtà nostræ Scholæ doctrinam, nostrique Doctoris principia, accipe nunc, benigne Lector, quartum hunc sententiarum librum totius Scholasticæ Theologiæ complementum iuxtà ordinem à Sententiarijs obseruatum, cui vt in præcedentibus libris sum pollicitus, supremum Theologiæ Moralis tomum, si vita, & sanitas suppeterint, vt spero tuis orationibus fisus, adijcere intendo pro conscientijs practicè dirigendis; vt in omnibus difficultatibus tam ad Scholasticam Theologiam, quàm Moralem spectantibus mens & sentẽtia nostri Doctoris appareat. Interim D. O. M. nec non Beatissimæ Virgini Mariæ semper immaculatæ immortales gratias agens, itidem PP. Diuo Francisco, D. Antonio de Padua, & Beato Andreæ Mastrio eiusdem Ordinis, cuius venerabile corpus Mutinæ in Ecclesia nostra quiescit, & hic etiam in sua patria Meldulensi insignes reliquiæ asseruantur. Quod diuina gratia, & horum cælestium Aduocatorum patrocinio, tandem ad optatum finem peruenerim semper ad eiusdem Omnipotẽtis Dei gloriam, Seraphicæ Religionis nostræ decorem, & Sanctæ Romanæ Ecclesiæ obsequium, & vtilitatem, cuius correctioni omnia hactenus à me scripta, & elaborata submitto.

FINIS.



5-2



